DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. C. N.



ANNALIVM ECCLESIASTICORVM

POST

ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOM.

D. CÆSAREM BARONIVM,

S. R. E. CARDINALEM

BIBLIOTHECARIVM.

Tomus XIII.

RERVM IN ORBE CHRISTIANO AB ANNO Domini 1198. vsque ad Annum Domini 1299. gestarum narrationem complectens.

AVTHORE

R.P.F. ABRAHAMO BZOVIO

POLONO, SS. THEOL. DOCTORE,

Ordinis Prædicatorum;

Hâc secundâ Editione ab eodem (hoc † signo notatis) cum diligentissimè recognitus & auctus.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus ANTONII BOETZERI.

ANNO M. DC. XXIX.

Cum Licentia & facultate Superiorum.

Cum gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maiestatis et Christianissimi Regis Francorum. et c.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. C. N.

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM

POST

ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOM.

D. CÆSAREM BARONIVM,

S. R. E. CARDINALEM

BIBLIOTHECARIVM.

Tomus XIII.

RERVM IN ORBE CHRISTIANO AB ANNO Domini 1198. vsque ad Annum Domini 1299. gestarum narrationem complectens.

AVTHORE

R.P.Fr. ABRAHAMO BZOVIO

POLONO, SS. THEOL. DOCTORE,

Ordinis Prædicatorum.

Hâc secundâ Editione ab eodem (hoc signo notatis) quàm diligentissimè recognitus & auctus.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus ANTONII BOETZERI.

ANNO M. DC. XXI.

Cum Licentia & facultate Superiorum.

Cum gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maiestatis et Christianissimi Regis Francorum, etc.

Es de la Librería del Colegio real mayor de Granada

PAVLVS V. BVRGESIVS ROMANVS, PONT. OPT. MAX.

SVPERIORVM XIII. SÆCVLI

PONTIFICVM COMPENDIVM.

BENIGNITATE, CLEMENTIA, COMITATE, AEQVITATIS, ET IVSTITIAE AEQVILIBRIO, CASTITATIS INCONTAMINATAE LAVDE, PONTIFICIAM SEDEM IMPLET.

QVOTIDIE SACRIS PIE OPERATVR. FRVGALIS, MODESTVS, FACILIS, EXORABILIS, PIVS, MAGNANIMVS.

CAROLVM BORROMAEVM CARDINALEM ARCHIEPISC. MEDIOLAN. ET FRANCISCAM ROMANAM IN SANCTORVM ALBVM RETVLIT. LVDOVICVM BERTRAMVM ORD. PRAED. ET IGNATIVM LOIOLAM, SOC. IESV CONDITOREM BEATIS ADNVMERAVIT.

B. STANISLAVM KOSTKAM POLONVM, SOC. IESV ALVMNVM, A CLEMENTE VIII. BEATIS ADNVMERATVM, SACRO ANNIVERSARIO, ET OFFICIO ECCLESIASTICO COLENDVM DECREVIT.

PHILIPPVM NERIVM FLORENTINVM, CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI, ET MAGNI CARDINAL. BARONII, IN CHRISTO, VEL PARENTEM, VEL PRAECEPTOREM, HIS IPSIS BEATIS ADIVNXIT.

CONFESSIONEM PETRI APOST. PRINCIPIS, OPERE PONTIFICIO, POST ALIORVM PONTIFICVM SVPERIORVM MAGNIFICENTIORE CVRA ET SPLENDORE EXORNAVIT.

BASILICAM VATICANAM AB IVLIO II. INCHOATAM, ET A SVMMIS PONTIFICIBVS ALIIS AVCTAM, PORTICV, SACRARIO, CHORO, ET RELIQVO CORPORE TEMPLI EX FVNDAMENT. EXTRVCT. AMPLIFICAVIT.

SACELLVM D. DEIP. IN COLLE EXQVILINO AD S. MARIAM MAIOREM INGENTIBVS SVMPTIBVS AEDIFICAVIT, ET EXORNAVIT.

COLVMNAM EX RVDERIBVS TEMPLI PACIS IN EXQVILINVM EXTVLIT, EIQVE STATVAM D. VIRG. AEREAM INAVRATAM IMPOSVIT.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX. SARCOPHAGVM INSIGNEM EREXIT.

PALATIVM MONTIS QVIRINALIS, MAIORE EX PARTE MAGNIFICENTISSIMO OPERE AEDIFICAVIT, PERFECITQVE.

BIBLIOTHECAM VATICANAM AEDIFICIIS ET LIBRIS AVXIT, ARCHAEVM S. R. E. BONO PVBLICO CONDIDIT.

AQVAM ALSIETINAM XXXVI. LAPIDE AB VRBE, IN IANICVLVM ET TRANSTYBERINAM REGIONEM ADDVXIT.

LIBERTATEM ECCLESIASTICAM FELICISS. CONATIBVS VINDICAVIT.

IMPERATORIS MATTHIAE, REGIS HISPANIARVM, GALLIARVM, POLONIAE, PERSARVM, IAPONIORVM LEGATOS DE REBVS GRAVISSIMIS AVDIVIT.

REGEM HISPANIARVM INTER ET SABAVDVM PACEM CONCILIAVIT.

ITALIAM PACE FLORENTEM CONSERVAT.

IN TVRCAS IMPERATORI RVDOLPHO SVPPETIAS MISIT.

STVDIVM LINGVARVM ARABICAE, GRAECAE, ET HEBRAEAE INSTITVIT.

AD PERSAS, ARMENOS ET INDOS CONVERTENDOS, PLVRIMOS RELIGIOSORVM DESTINAVIT. PLVRIMOS HAERETICORVM, SCHISMATICORVM ET GENTILIVM AD VERAM FIDEI CONFESSIONEM ADIVNXIT.

VRBEM ANNONAE AFFLVENTIA RECREAT, AEDIFICIORVM MVLTITVDINE AMPLIFICAT, AQVIS INVNDAT.

EXEMPLO SVPERIORVM PONTIFICVM, ORBEM NOTVM IGNOTVMQVE, MAXIMIS VIRTVTIBVS ILLVSTRAT. VERE OPT. VERE MAX.

PAVLO

PAVLO V. PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Fr. ABRAHAM BZOVIVS POLONVS, SS. Theol. Magister, Ordinis Prædicat. post oscula pedum Beatorum S. P. F. P.

BEATISSIME PATER,

AETERNÆ *veritatis stylo euulgatum credo, quod aliquis S. R. E. Apocrysiariorum, in amplissimo Orientis theatro, pro dignitate Ecclesiæ Romanæ, & dixit, & scripsit.* Omnibus modis quibus iustè aliquid possidetur, totius Ecclesiæ Primatum Romana obtinet: sc. Diuina sententia, Apostolorum institutionibus, Synodorum canonibus, Sanctorum decretis, populorum & nationum consensione, multitudinis assensu, temporis præscriptione, & à superioribus temporibus in omnes CHRISTI fideles dominio. *Hunc diuinioris potestatis in vniuersas Ecclesias Principatum, nec non reliqua eiusdem Catholicæ Ecclesiæ admiranda, felici sed & infelici XIII. sæculo, à Magnis tuis Antecessoribus, & alijs Ecclesiasticis Proceribus gesta, in hoc XIII.* ANNALIVM ECCLESIASTICORVM, *post Baronianos, Tomo, ostendere, Tibiq;* Beatissime Pater, *consecrare propositum fuit: ne tenebris æternis vel silentij tegerentur, vel calumniæ damnarentur, præclarissima amplissimæ dignitatis argumenta, secunda deriuatione à Superioribus Pontificibus in succedentes Patres Patrum, vnà cum accessionibus felicissimis corriuata. Astruendo itaque in omnes* CHRISTI *fideles Romanæ Ecclesiæ Primatui, Pontifices imprimis Romanos, ex capulo sempiternæ obliuionis eduxi, Innocentios III. IV. & V. verè Maximos, Honorios III. & IV. Gregorios IX. & X. aliosque decimo tertio sæculo eminentes vertices, triplici tiara non minus & amplitudine maiestatis, quàm innocentiæ, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, constantiæ, Zeli Pastoralis, & reliquarum Pontificiarum virtutum fastigio, supra omne quod in humanis est insignes, qui in priuata vita solidam sanctitatis effigiem complexi, in publica verò ad Apostolicam ideam conformati, Pontificis formam, nomen, sedem animo quoque Pontificio impleuerant, tam frugales, verecundi, continentes, & seuerioris moris in priuato retinentes, vt eorum exemplo ad angustum larem referrentur; tam iusti, æquabiles, benigni, & vno salutis publicæ signo ex Apostolica formula omnia dimetientes; vt veteres Sanctissimos Antistites rediuiuos, cæloq; delapsa sanctiora Numina omnes suspicerent, venerarentur, ductumq; eorum sequerentur. Quippe quorum suprema* Sedis *nonnisi* iudicium & iustitia præparatio *esset, ad quorum subsellia fraus, dolus, & sæua nocendi libido non sederet: in quorum cubiculis nec obscœna petulantia, neque ambitus dominandi oberraret: quorum latera, nulla iniquitas, nulla peruicacia circumcingeret:* qui forma facti gregis non quæ sua sunt, sed quæ IESV CHRISTI *quærebant; & vel numinis benignioris, vel syderis velocissimi inci-*

Barlaam ad Græcos.

tatione, in omnes Ecclesias intenta & accincta bonitate, omnium earum sollicitudinem sibi à CHRISTO *Capite impositam sustinentes, neque inuocati, sed sponte, sedulò, citissimè omnibus opitulabantur, & pulcherrimam vitæ partem in negotijs cunctorum publicis iuxta ac priuatis transigentes, illam vnam vnicam curam curabant, qua ratione imprimis libertatem, salutem & securitatẽ omnium Ecclesiarum fundatam conseruarent, inuersam reuocarent, violatam vindicarent: deinde quemadmodum veriora gaudia* CHRISTI *fidelibus stabilirent; pacem post liminio profligatam Orbi Christiano conciliarent: Italiam & Europam sub tyrannidis iugo sudantem recrearent, Orientem Occidenti, Ecclesias Ecclesiæ adiungerent: Fidem ab Apostolorum temporibus per manus quasi traditam, ab Hæreticorum monstris, erroribus & sibilis incontaminatam illæsamq; traducerent, Paternam Diui Petri hæreditatem ne proderent, sed vel Nabothi exemplo, si opus fuisset, sanguine profuso nobilitarent: quomodo item sectas contagetur pitudinum infames dissiparent, audacissimorum scelere consensionem dirimerent: conatum temeritatis Schismaticorum eliderent; iniquitatibus Imperatorum, Regum, & Principum erga populos intercederent, facta eorum quæ fieri non oportuerat, infecta redderent, contumacem eorum parendi dedignationem authoritate diuiniore frangerent, tumentes Præsides & populos non imperio magis quàm verbo* DEI *compescerent, æmula Regna & Prouincias vna concordia deuincirent, censuram moribus vigili oculo adhiberent, Ecclesiasticam disciplinam ex obseruantia legum vbique & in omnes sancirent, Sacra scita vel ad pristinum decus reducerent, vel feliciore auctione amplificarent, omnem impietatem & improbitatem virga Pastorali castigarent, seu corrigerent, nullosq; sibi dies non ex vtilitate Ecclesiastica cadere permittentes, & Occidentem gloria Orientemq; illustrantes, Pastoris Pastorum, & Patris Patrum, vel etiam Serui Seruorum officium, in vniuersos qui nomine vel ouium vel filiorum* CHRISTI *audiunt, atque obaudiunt, factis adimplerent. Ab eorum Pontificatu Supremo, Magnitudinem Romanæ, Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ diduxi; quomodo illa Prophetici illius perexigui primo lapilli, nullis è monte manibus euulsi instar, motu intimiore spiritus impellente, non tantum fictiles mirandæ statuæ pedes, vehementiore quàm humano impetu detriuerit: verùm etiam Regnorum omnia ferrea, ærea, argentea, & aurea simulachra disiecerit, ex eorum immensæ molis ruinis magnitudine non æquiparanda assurrexerit, omnia terrarum spatia, quæ sol illustrat, immensitate sua repleuerit: rem Orthodoxam altis victoriæ quadrigis, ad intimos etiam Indos, & Scythas, & Barbaros quoscunque inuexerit; ac iterum, non tantum victoriale Crucis signum in Monte Caluariæ reposuerit, verum etiam terram* CHRISTI *sanguine purpuratam, sed impiorum vestigijs olim impuratam depurauerit;* CHRISTI *possessionem* CHRISTO, *populos Pastoribus, Pastores populis reddiderit, & tum Orienti, tum Occidenti Imperatores, Monarchas, Reges, Toparchas, Patriarchas, Antistites, Præsides felicissima triumphatione imposuerit. Ab eodem supremo Pontificum fastigio, perennes Ecclesiæ Orthodoxæ de hæreticis triumphos eduxi, quomodo non interrupto tubo, post Petrum Primarcham in Petri successores Antistites, spiritu diuiniore despirante, etiam illo XIII. sæculo Romani Pontifices inspirati, Simonis Magi spuria vitulamina, lucris & stupris intentam sobolem, ad petræam solidatem Fidei inconcussæ alliserint, vineamque & agrum Dominicum,*

cum, vulpeculis demolientibus, & lolio infelici expurgauerint, vltricibusq; flammis infelices damnauerint. Quomodo item excetram omnibus nocentissimam ex serpentino malignantis fraudulentiæ genimine enatã, & ex semine colubrino egredientes regulos, & ex aspidis surdæ ouis, obturatæ auris, & obturati pectoris erumpentes sepiticipites & decacorneos dracones, seu mauis dicere pseudopoliticos & atheos in trophæum duxerit, & ex Prophetico vaticinio, super aspidem & basiliscum ambulauerit, leonem & draconem conculcauerit, *Serpentis veteratoris caput multiplex extremo calcaneo contriuerit, omniumque difficillima pugna pugnata, satanam sub pedibus suis prostratum detruncauerit, assignata Reginæ Angelorum Deiparæ victoria,* quæ sola cunctas hæreses interemit in vniuerso mundo. *Ab eorundem Pontificum exemplis & institutis, alia non minus illustriora de orbe trophæa refero, quomodo viri illi sanctiores Religionum maximarum Conditores, Dominicus, Franciscus, Nolascus, Albertus & plures alij, deuitatis salebris circa quas mortalium vulgus hæret, melioris vitæ sinum nobilioribus animis aperuerint, & non modo viros, sed & tenellas puellas docuerint, obstinato animo contra se ire, malignitatem materiæ suæ pertinaci conatu vincere, insolitu impetu excitare se ad cœlestia à terrenis, per multa impedimenta ad virtutem eluctari, perq; maxima obstantia erigere pectus ad originem suam repetendam, & nec fortunæ mollem indulgentiam, neque titillantis voluptatis blanditiem, neque copias principales ad segnitiem luxumq; detorquentes, consectari, sed & honores, & delicias, & facultates, & quicquid cupidinem cæcum excitare potest, contemptore animo contemnere, & voluntatem suam sacro morsu obligare, & carnem cum vitijs & concupiscentijs suis crucifigere, & nobile vexillum de hostibus salutis elatum circumferre, & præclara ac ingentia pro Ecclesia Orthodoxa fidei prædicatione amplificanda, sanctitatis exercitio ornanda, miraculorum operatione vel iuuanda, vel illustranda conari: & ad extremum, non conscientiæ modo, sed & æternitatis, & gloriæ, & famæ fructum ferre, & æmulatione charismatũ meliorum. Posti illustrium facta virorum, in hoc theatrum eduxi Zelotem* DEVM, *iustis præmia, & improbis demeritas pœnas, ratione inadspectabili decernẽtem; & tum Fidem Orthodoxam, tum Romanos Pontifices, tum Ecclesiam Catholicam, tum rem & dignitatem reliquã sacratiorem, inter damonum phalangas, inter inferorum portas, inter omniũ damna rerum, inter extrema discrimina, inter famæ vulnera, inter naufragia diuitiarum, intentaq; Regum & Imperatorum, tela, incontaminatam illæsam, & omnibus mundi ærumnis superiorem, conseruantem: ita vt Ecclesia Rom. & omnia secundioris seceriorisq; fortunæ tela derideat, & secunda administratione omnium aliarum Ecclesiarum, super vniuersos* CHRISTI *fideles Principatum obtineat, à temporis præscriptione, & in omnes dominio. Hæc omnia decora,* Tuo Beatissime Pater *fastigio, maxima qua possum deuoti animi submissione L. V. dedico, offero & consecro, iure meritò: quod te Superiorum Pontificum* DEI *designatione hæredem verè Opt. verè Max. non tantum illorum lineamentis à me adumbratis, sed & longè amplioribus ornamentis beatum, felicemq; illas à tot Pontificibus curas feliciter curatas, vnum solum curasse suspiciat, & ad æternitatem denique per seros diuturnosq; soles curare, orbis vniuersus, quem virtutibus augustissimis illustras, recreas, & ornas, vnà mecum exoptet.*

Illustriss. & Reuerendiss. Domino

D. ALEXANDRO MONTALTO, S. R. E. CARDINALI, PROCANCELLARIO REGNI POLONIAE PROTECTORI.

Fr. ABRAHAM BZOVIVS POLONVS, S. Theolog. Magister, Ord. Prad. S.

CLementem Pontificem Diuo Petro proximum, fama est, Diaconos septem ab Apostolico suffragio institutos, non tantùm ministerio Altaris addixisse, verùm etiam calamo scriptorio oneratse, vt illi surgentis Ecclesiæ adolescentiam, varijs casibus & periculis exercitam, nec non pluribus ornamentis, charismatibus, atque trophæis illustrem, ad seram posteritatis notitiam, scriptis Annalibus traducerent. Muneris Tui Illustriss. Princeps Te meminisse indicasti; cùm me clientem Tuum, authoritate, beneuolentia, & beneficentia, ad Historiam Ecclesiasticam perstringendam, Annalesque Ecclesiasticos, post Card. Baronium seu continuandos, seu condendos, inuitasti, excitasti, & penè dicam, compulisti. Iustum itaque & æquum existimaui, hanc meam XIII. Tomi Annalium qualem qualem scriptionem, etiam Tuo post S S. D. N. Paulum V. amplissimo nomini offerre, vt vniuersi intelligant, mihi parem in obsequentia, & grati animi significatione erga Te voluntatem fuisse, esse, & fore perennem. Viue Illust. Princeps, stellatique tui Leonis Symbolo, scilicet splendore virtutum, & purpuræ dignitate, Ecclesiam Catholicam illustrare atque exornare perge.

PRÆ-

PRÆSCRIPTIO AD LECTOREM de causa, & fine scriptionis Annalium.

VEnia me benignius dignabere, Lector, si in edendis post Cardinalem Baronium Ecclesiasticis Annalibus, meum non contumax, neque præceps votum fuisse, sed consilium cognoueris. Occasionem, causam & finem scribendorum, Tibi aperiam: vt candidè, sic candidè. In alto litterario secessu, aliquid pinguioris otij nactus, eius malè perdendi ansam ne arriperem, otij deterioris fugiendi, quàm operis feliciter perficiendi, aut in publicum vulgandi ergò, ex Baronianis XII. Tomis, alijsque virorum Illustrium monumentis, Historiam Ecclesiæ vniuersam in compendium, meo compedio contrahere volueram. Istud scriptionis, cum plurimi amicorum isthic Romæ, & legissent, & non modo non illaudassent, sed & ad publicandum impulissent, monuerant, vt eadem stili mediocritate, methodi breuitate iuxta ac claritate, res succedentium quatuor Sæculorum, ad hæc vsque nostra tempora perstringerem. Assensus sum haud difficulter; præsertim benignitate SS. D. N. Domini PAVLI *Pap.* V. recreatus. Is etenim intercedente Illust. *Scipione Burgesio* Carnale Bibliothecario; cum mihi potestatem Archiui & Bibliothecæ Vaticanæ perlustrandæ fecisset, & à benedictione Pontificia nonnihil animos addidisset, serio ad tentandas meas vires pectus ferium admoui, & eo contumacius, quanto nonnulli & Purpuratorum, & Maiorum meorum, & Sacratiorum virorum quasi agmine facto, & monitis, & votis, & iure suo, mihi necessitatem imposuissent. Imprimis enim *Alexander Montaltus* Romanæ Aulæ Procancellarius & Regni Poloniæ Protector Cardinalis, meorum studiorum patrocinio peramanter suscepto, authoritate, beneuolentia, quin & beneficentia dicam, me ad constanter conandum incitauit. *Petrus* deinde *Paulus Crescentius*, & *Fr. Augustinus Galaminius* Sacri Collegij Antistites, meorumq; conatuum tutelares, me ad ardentius meditandum inflammarunt. Accessit & Excellentissimus D. *Virginius Vrsinus* Brachiani Dux, qui me & lare suo exceperat, & Bibliotheca sua dignatus, ad lucubrandum permouerat. Post eum verò *Scipio Cobellutius* à Secretioribus SS. D. N. litteris, & *Nicolaus Alemani* Bibliothecæ Vaticanæ Cartophylax, & *Fabianus Iustinianus* Bibliothecæ Baronianæ, seu Congregationis Oratorij Vallicellanæ Præfectus, me laboris magnitudine penè deterritum, sua suada ad enitendum animarunt. Ad eum modũ tantis, & tam magnis auspicibus ad committendum erectus, Archiui & Bibliothecæ Apostolicæ recondita monimenta, præmonstrante *Michaële Leonico* Panuino, eiusdem Archiui Apostolici Custode, perscrutari, & ex his Ecclesiasticæ rei illustrandæ pleraque eruere cœpi: moxque & quasi à limine, ex selectiore delectu, atque comparatione diligentiore posterioris æui plurimos historicos, magna in caligine rerum à Summis Pontificibus gestarum versari, deque veritatis semita longè longiùs vtroque pede in plerisque secessisse deprehendi: mirum vt non valde sit, Ecclesiæ Romanæ iuratos hostes, in æternum sibi succedentes Romanum Pontificem adeò grauissimum quasi ex composito bellum suscepisse, multisque calumnijs eorum innocentiam obscurare voluisse, quod nonnullos errores secuti, in eundem lapidem impegissent. Vt autem veritatem, Democriti sententia, profundo quasi puteo demersam, densissimisque nebulis obductam, sed à me ex fide epistolari Pontificum, & ex coætaneorũ, vel Classicorum Scriptorum notis verioribus eductã, magis propalam & in apricum producerem, multa pro Diuini nominis gloria, pro sacrorum non interrupto nec corrupto vsu, proque Romanorum Pontificum & Ecclesiæ Catholicæ Primatu, dignitate ac maiestate à me hinc inde congesta, per decursum annorũ digerere aggressus fui. Quo in opere num progrederer, plurimaq; eriam Procerum Ecclesiastic. præclarè acta, ad perpetuam memoriam ex tenebris obliuionis euocare conarer, sensim & sine meo sensu, Tomum Annalium non Epitomen me texuisse, ex alijs intellexi: postquam non præcipiti vel arroganti temeritate, sed alieno an consilio, an artificio dicam, ad immane opus impulsus, illius velut in materia molliac tractabili, minutam, meo iudicio, speciem ac exemplar, periclitandi vires & successus, me tantummodo adumbrauisse existimassem. Hi ipsi rei historicæ non ignari, quibus volumen probandum vel improbandum subdideram, non Epitomes, sed Annalium titulum libro præscripserunt, posseque Baronianis succedere censuerunt, me inuito. Quid enim ego ad Roman. Ecclesiæ Polyhistorem, Cardinalem inquam Baronium? Omnes ille, non tantum me, in hoc litterario amphiteatro post se reliquit, palmamque omnibus historicis præripuit, à copia, grauitate stili, claritate, & super hæc (penè dicebam) certitate. Itaque si Annalium Ecclesiasticorum vel lineas, meo sensu, designaui, vel alieno impulsu, titulum libro præposui, venia non indig-

num

num me iudicabis; præsertim si fatentem audiueris, me nunquam ad Baronianam magnitudinem, viros doctrina excelsos præuenire, aut me illi vel illis æquiparare voluisse. Scio corpora quamuis ardua & excelsiora si proceriorib⁹ admoueantur, decrescere: quid porro pusilla, nec ad iustam mensuram? Prorsus igitur ego non erubesco, si ad fastigium Baroniani non attingam; cum videam comparatione illius, ingentia etiam ingenia quasi depressa iacuisse, & semetipsa in continuandis Annalibus, penè tenebris damnasse; quasi spe omni abiecta, illo pertingendi, quo is felicitate calami, & iudicij euaserat. Itaque meæ modestiæ Tibi Lector aperiendæ, titulo etiam Annalium ab alijs me reluctante impositio, illud meum solenne post subscripsi; non quia illud ab affectu: *Ne ille vnquam eos attigisset*, non ab iudicio emissum, metuerem; sed quia post Cardinalem Baronium, non tantum tempore, sed & eruditionis laude, & scribendi grauitate, sed non veritatis aut eruendæ, aut proferendæ studio, commentandi curam vel susceptam, vel impositam curauerim. Conscientiam enim mihi quoque nullus extorserit, aut ad opus ingenuo indignum, siue in scribendo, siue in asserendo concipiendum adduxerit, vel etiam coëgerit. Tantum abest mea scriptio à specie adulationis, quantum abfuit vel Baronij, vel mea à necessitate: & tantum distat à criminandi desiderio, quantum vtriusque à mentiendi vel imponendi libidine; cum mihi pariter is vnicus finis, & contumacia fortè non ignobilis, veritatem inquisiuisse, calumnias, & mendacia detergere, viros dignitatibus, sanctitate, doctrina, rebus præclarè gestis illustres in suo cultu ostendere, teterrimasque conscelcratorum vmbras, non meo, verum suorum, vel classicorum auctorum penicillo adumbratas, exumbrare. Non nihil (puto) tanta inopia verborum, vt non etiam meis rem vniuersam potuerim concipere. Cæterum alienis plerumque, & præcipuè eorum, qui vel publica fide scripserunt, vel primæ classis ordinem meruerunt, repræsentare res constitui: ne quis me eas aut finxisse, aut aliter quam acciderant exposuisse, vel aliquid siue gratiæ, siue cæciori affectui dedisse existimet. A digressionibus & notis abstinui, conciones, criminationes, & quicquid lædorium est deuitaui, nec nisi vnico veritatis desiderio, meam leuidensem operam consecraui. Si quid verò, aut contumaci conatu, aut voto præcipiti, te arbitro, aut alieno consilio me agnitore ea in re aberraui, si in veritate inuestiganda aut proferenda deflexi, ignosce mi Lector, & si potentia vel lubentia est, augustiora, & meditare, & scribe: vel si tibi ista non displicuerint, reliquos à me succedaneos Tomos expecta: cum mihi sententia sedeat, ostendere Primatum Ecclesiæ Romanæ, Diuina sententia, Apostolorum Institutionibus, Synodorum Canonibus, Sanctorum Decretis, multitudinis assensu, & temporis præscriptione super Omnes reliquas confirmatum, etiam ad nostra tempora, non infelici administratione, in omnes CHRISTI fideles fuisse, & fore perennem. Malignioribus illud Aureliani ad Senatum præscribo: *Si habeant propriarum venena linguarum: hi quibus nihil placet*: addo: & hi quibus Solem Ecclesiæ Romanæ, à successibus Pauli V. Pont. Max. meridiana luce fulgentem, intueri non placet.

AD

AD SANCTISSIMVM D. N.

PAVLVM PAPAM V.

BVRGESIVM.

AD ARCHIMYSTEN PRINCIPEM
pergis liber
Vrbisq; & orbis verticem.
Vt Bzouianam temporum centuriam
Culto producas schemate.
Non terreare molium faberrimo
Nitore Quirinalium.
Non Dædalæis Vaticani frontibus
Minacibus Palatij,
Non Exquilini postibus sacrarij
Famâ superbientibus,
Magnæq; Matri sumptibus regalibus
Templis, colossis conditis.
Non terreare Galliæ atque Iberiæ,
Et Imperi Magnatium,
Si Fœtales excubare videris
Operosa ad aulæ limina,
Vt inde sumptis aureis oraculis
Benigniore Numine
In viperinas sæuiant vel hæreses,
Vel secta morum sanciant.
Si purpuratos videris procul Patres
Vultus in ipsis cernuus,
Arcana siue consili programmata
Pleno senatu condere:
Seu fors Eous obstupentes Iaponas
Ecclesiæ condi sinu,
Nec non Ruthenos Sarmatasq; Martios,
In schisma crudeles suum,
Tum bellicosam Persidem, tum Barbaras
Vtriusq; gentes Indiæ,
Aris Deorum subrutis gentilium
Opprobrium amplecti Crucis.
Non terreare, Vrbium & videns Caput
Tantis trophæis nobile,
Monumenta seris prædicanda sæculis
Cœlo soloq; pangere.
Hæc ille mundi Pastor, & Mystes Dei
Felici fixit dexterâ
BVRGESIORVM PAVLVS AVGVSTVM
genus,
Et sanctitate AVGVSTIOR,
Benignitate, Pace, Castimonia
Intaminati Pectoris,
Siue Occidentu vltimum roges sinum,
Seu decolorem SVMMATRAM,
Vbique verum deditum fidei iubar,
Vbique virtus eminent,
Vbique laudum personant choragia,
In ore PAVLVS *omnium.*
Nec tam podere, tam tiara splendidus,
Quam clarus Innocentia, vt
Pietatis omnes viscere incingat suo
Opulente dives gratiâ.
Quid ergo murum colla si subtraxerint
Ecclesiæ Busirides.
Positáque tandem perfidâ tyrannide
Lupos cruentos exuant:
Aut si procumbant filiorum examina
Dissecta per duellium,
Quos officinæ dira pestilentibus
Adulterant hæresi,
Aut Alcorana dogmatum contagio
Atheum Muselmanum extudit.
Ex orbis olim climatis confluxerant
Bethlæa ad incunabula,
Tantum vt viderent horrido, at dio specie
Sancti labores Dalmatæ:
Ab Gadibus Vrbem septimontiam petunt
Ob lucubrantem Luium:
Nec se potentes redderent voti sui
PAVLVM *videre in Insulis?*
Licet remotis solis extra limitem
Sint dissiti prouincijs,
Vt aggregati cœtui fidelium
Fontem salutis hauriant.
Ille ille fuscâ prodiens ab Africâ
Nunc vota congeminet sua,
Videre Romam per triumphos inclytam, &
Audire PAVLI *fulmina.*
Nam nunc triumpho perpetî Roma exilit,
Nunc se stupescat aureâ.
Romam iacentem per ruinas temporum
Romæ CAMILLVS *reddidit,*
Diáque cunctis ab disertitudine,
Potenter exemplis docet.
Non terrearis ergo si signaculis
Tradas recusis BZOVIVM,
Placebis. Ille manibus firmissimis
Ecclesiam communiet.
Aduersus omnes Inferorum machinas
Bellator inuictissimus.
Aduersus omnes hæresum caligines.
Phœbæa Lampas emicat.
Si quondam Alexandro Ilias gratissima
Fuit, malorum Syllabus:
Et hæc bonorum non placebit Ilias
Diuæ theatrum ECCLESIAE?

Subiectissimus ad pedum oscula cecinit
IO. FRID. MATENESIVS.

PERILLVST. ET ADMODVM R. P. Fr.

ABRAHAMO BZOVIO POLONO,

ALTERI ANNALIVM CONDITORI EXCELLENTISSIMO

Fallor ego, an Samium sopitum dogma recurrit,
Corpora felicem quærere multa animam.
Vir sanctus toti celebrisq; BARONIVS *orbi,*
Se semel ætherei sedibus inserut:
Vnde ergo ingenio non inferiore Polonus
BZOVIVS *ille Sacra conditor Historiæ?*
Maiestate pari, stylisq; volumine, verum
Pondere, gestorum curriculoq; pari.
Viuit adhuc Heros, nec iniquæ flamina Parcæ
Terrifica cunctis dissoluere manu.
Macte animi prædocte BZOVI, *dabit alter Elias,*
Discipulum duplici munere posse frui.

Ioan. Fridericus Matenesius Agrip. SS. Th. Doct. ad D. Cunibert. Canonic. & Pastor. S.R.E. Protonot. Histor. ac Græc. Ling. Professor dia.

APPRO-

APPROBATIONES.

NOs Fr. Raphaël Riphoz Sacræ Theologiæ Magister, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Vicarius Generalis, & Seruus. Authoritate à Reuerendiss. P. Nostro Magistro Generali Fr. Seraphino Sicco Papiensi, hac in parte specialiter nobis commissa R. P. Fr. Abrahamo Bzouio Polono, Ord. nostri Prædicatorum in meritum sanctæ obedientiæ, & in remissionem peccatorum iniungimus, adeoque facultatem concedimus, vt ad publicam vtilitatem typis euulgare possit Monile Gemmeum Diuæ Deiparenti Mariæ ab ipso sacrum: & libros sexdecim hypomnematum seu Historiarum Ecclesiæ, tum ex Annalibus Illust. Card. Baronij, tum ex alijs Ecclesiasticis monumentis magna eruditione, maiore fide, maximoque omnium commodo ab eodem conscriptos. Seruatis tamen omnibus ex decreto Sacri Concilij Tridentini, & Sanctionibus Ordinis nostri præscriptis, in editione Librorum seruandis. In quorum fidem his manu propria subscriptis sigillum nostrum subimpressimus. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam Calendis Decembris. Anno salutis 1613.

Ita est Fr. Raphael Riphoz. qui supra.

Locus Sigilli.

Regist. fol. 43.
F. Angelus Bucceus Magister, & Socius, &c.

INsigne ac percelebre hoc opus, cuius titulus est Historiæ Ecclesiasticæ lib. XII. & alterum titulo, Decimus Tertius Tomus Annalium Ecclesiasticorum, Admodum Reuerendi ac Eruditissimi Magistri Fr. Abrahami Bzouij Ord. Præd. summa animi voluptate & attentione perlegi, quod cum certam mihi fidem faciat, quàm multiplex sit Authoris eruditio, quàm ille acri iudicio polleat in rerum veritate, ac salsitate dyudicanda, in delectu sententiarum habendo, in ritè disponendo, ingenti Historiæ corpore singulisq; notabilibus suo loco aptè collocandis: quum inquam Doctissimi Patris valdè elaborata lucubratio per se ipsam ostendat: Eam censeo, vt toti Ecclesiæ necessariam, ita & ad antiquitatum sacrarum certam notitiam comparandam, & ad hæreticorum vel imperitorum commenta refellenda, non modo dignissimam esse, quæ typis committatur, sed à præstantibus viris quibuslibet dignissimè legatur. Præsertim quia nihil hactenus in eo argumenti genere prodierit, quod styli grauitate, narrationum fide, Chronologiæ diligenti supputatione, cum illa comparari possit: Ita est ac certissimum esse affirmo, hodiè in nostro Conuentu S. Petri de Monte aureo. Die prima Augusti, 1615. Romæ.

Fr. Ioannes de Cartagena Ord. Min. Obseru.

ANnalium Eccles. Tomum XIII. & Hist. Ecclesiasticæ Libros XII. à R. P. Fr Abrahamo Bzouio SS. Theol. Magistro, Ord. Præd. compositos, non indignos publica luce existimo: quòd & rem Ecclesiasticam præclarè illustrare, & Hierarchiæ diuinioris maiestatem inxta, ac potestatem constantissimis argumentis constabilire videantur. Datum Romæ 22. Augusti, Anno 1615.

Fabianus Iustinianus Congregat. Oratorij de Vrbe.

Ecclesiasticæ Historiæ à R. P. Fr. Abrahamo Bzouio Polono, ex nobilissimo Præd. Ord. Sacræ Theologiæ Magistro, felici methodo stylo q; compositæ Tomum, à me carptim saltuatim q; lectum, hæc ac laude dignissimum existimo: quòd Rempublicam Christianam tot sæculorum luculento testimonio firmet, & dissipatorum Hæreticorum narrationes falsi redarguat. Datum Romæ 12. Augusti, Anno 1615. apud S. Syluestrum.

Antonius Caracciolus Cler. Reg. Theatinus.

EX Commissione R. P. Fr. Seraphini Sicci Papiensis, S. Theol. Professoris & totius nostri Præd. Ordinis Generalis Magistri, vidi & legi Libros XII. Historiæ Ecclesiasticæ, nec non Tomum XIII. Annalium Ecclesiæ, script. à R. P. Magistro Fr. Abrahamo Bzouio Polono Ord Præd. nihilque in ijs lucubrationibus reperi, Fidei Catholicæ, aut moribus Christianis contrarium; quin potius dignas censui, quæ bono publico, typis committantur quòd auctor eruditione atque diligentia singulari, docto & graui stylo, ex veritatis pænuarijs, rem Ecclesiasticam præclarè illustrauerit, illustratam ornauerit, ornatamque ab impostorum calumnijs vindicarit. Ita esse affirmo, die 20. mensis Aprilis. Anno Domini 1615. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam.

Ego Fr. Andreas Velli S. Theol. Magister, Ord. Præd. Manup.

ANnalium Ecclesiasticorum Tomum XIII. inter Bzouianos Primum, opus certè diu desideratum, & summa elaboratum industria, quod sacras antiquitates magnasfide ab interitu vindicet, nec fidei Catholicæ, morumq; honestati aduersetur, typis dignissimum censeo. Datum Coloniæ Agrippinæ, die 20. Febr. Anno 1616.

Henr. Francken Sierstorpffius S. Theol. Doct. Gymn.
Laurent. Regens, Librorum Censor.

HIc Tomus Decimus Tertius Annalium Ecclesiasticorum authore R. Patre, Fratre Abrahamo Bzouio S. Theol. Doctore, Ordinis Prædicatorum, multum splendoris adfert Ecclesiæ Catholicæ, ad successionem Pontificum & Imperatorum demonstrandam, & hæreticos confundendos. Quare dignum iudico, vt in publicum magis prodeat, & multorum manibus conteratur. Quod testor 30. Maij 1616.

Egbertus Spitboldius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis, Librorum Censor.

ANNA.

ANNALES ECCLESIASTICI.

I. INNOCENTIVS TERTIVS TRIGINTA SEPTEM ANNOS NATVS. a *MS. liber vitæ Innocentii 3 ex Archeo Autumnen. apud Illustris. Cardinalem de Comitibus.* b *lib. 1. Epist. 281.*

AD PONTIFICATVM ROM. ECCL. PROPTER DOCTR. ET VIRTVTEM.

INDICIO COLVMBÆ APPARENTIS, PATRVM SVFFRAGIO ASSVMPTVS.

II. ET RITV SOLEMNI AD VIII. CAL. MAR. INAVGVRATVS.

ENCYCLICAM EX MORE PRISCO AD OMNES CATHOLICOS PRÆLATOS ET PRINCIPES SCRIPSIT. c *lib. 1 Epist. 1. 2. 3.*

PHILIPPVM GALLORVM REGEM CVLTVS ET OBSERVANTIÆ ERGA SEDEM ROMANAM ADMONVIT.

DAtum sextum Idus Ianuarij, peractis iustis Cœlestino Pontifici defuncto, summo omnium Patrum consensu, ad Pontificatum Catholicæ Ecclesiæ enectus est, Ioannes Lotharius Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi patria Anagninus, ex Comitibus Signiæ, patræ Trasimundo natus. Hic primo flore iuuentutis, Lutetiam Parisiorum missus, tantos in virtute atque doctrina fecerat progressus, vt inter eius sæculi primos Doctores, sacras literas maxima cum laude omniũ publice docuerit. In patriam reuersus, primo Ecclesiæ Anagninæ, *b* deinde Diui Petri Basilicæ Canonicus, sacerdotale officium numeris omnibus impleuit, deuotione, pietate, & rei Ecclesiasticæ ornandæ, tuendæque cura. Inde à Clemente eius nominis Tertio summo Hierarcha, integritatis & eruditionis acri censore, in Patrum Collegium allectus, sacram purpuram verbo, scriptione, exemplis, rebusq; pro Ecclesia feliciter susceptis ac gestis illustrauit. Scripsit Cardinalis opuscula, auro magis quam cedro digna. De miseria conditionis humanæ. De officio Missæ. De Sacramento Baptismi. In septem Psalmos, quos pœnitentiales vocant. Sermones complures, quos ad Clerum & populum in Basilica Laterana dixit: nec non alia pleraq; doctissima. Anno non plures quam septem & triginta natus, eam suis admirationem apud omnes excitauit, vt & Cœlestinus Pontifex summo Magistratu se abdicare voluerit, si modo se superstite Patres eum subrogarent: & Cœlestino vita functo, non alium digniorem Patres iudicarint, cui Ecclesiam vniuersalem committerent.

Designatus Pontifex, eam dignitatem, quamquam flens & eiulans, suscipere tamen coactus est. Diuinæ voluntatis rationes, Patrum demissæ preces, & præsentes Ecclesiæ necessitates vrgebant. Aliquis secundum quietem viderat, illum matrem suam ducere in vxorem. Processerant, & multi indices futuræ maiestatis. Eo quoque momento, quo in sacra Aula Patres de illo euehendo deliberarent, vna ex tribus candidior columba, in conclaue illapsa, iuxta Lotharij dexteram aduolauit, assiditq; in humero. Non obscure indicauit, illum spiritu diuiniore afflatum, summo sacerdotio dignum fuisse.

Ad eam dignitatem euectus, non prius sacramentum fidelitatis, à Romanis ex more iurare volentibus audiuit, quam ex ritu Catholico sacris initiaretur. Ad octauum Calend. Martias, die sacro Cathedræ D. Petri inauguratus, Innocentij nomen accepit, literasq; vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Regibus, Principibus, clericis & populis Christianis, de sua assumptione scripsit, indices magnitudinis singularis, qua cæteris præeminebat. Non indignæ sunt, vt legantur. Ita habent, quæ ad clerum, & inprimis ad Patriarcham Hierosolymitanum.

c *Sane, inquit, felicis memoriæ Cœlestino patre ac prædecessore nostro, sexto Idus Ianuarii viam vniuersa carnis ingresso, & in Lateranensi Basilica, sicut moris est, tumulato, Fratres nostri, videlicet Episcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales, & nos ipsi cum eis simul in vnum sessimus, vt tanto licentius & tutius de substitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipse maiorem deliberandi copiam, & ampliorem circumspectionis consilium requirebat. Cum q; Missarum solemnibus, in honorem sancti Spiritus celebratis, requisita fuissent omnium voluntates, ad insufficientiam nostram oculos extenderunt; humano forsan æstimantes arbitrio, in sæculo Beniamin scyphum argenteum inuenire. Cuius siquidem dignitatis onus, cum insufficientia nostra penitus recusaret, vtpote nostris debilibus humeris importabile; sub illius tamen confidentia & exemplo, qui infirmitatem Beati Petri trina prius negatione probatam, post trinæ confessionis vocem in gubernatione suarum ouium confirmauit: quod persona nostræ multiplex imperfectio denegabat, in ipsius contulimus voluntatem. Fratrum nostrorum acquiescentes instantiæ, ne reluctatio diuturna dissidij aperet detrimentum, aut dispositioni Diuinæ videremur aliquatenus obuiare Sperantes, quod ille qui dat omnibus affluenter, & non improperat; qui nouissimum fratrem, virum vtiq; secundum cor suum in Regem de postremis tantibus assumpsit, de lapidibus suscitabit filium Abrahæ, vocans ea quæ non sunt, tam quam ea quæ sunt; vt infirma eligens fortia quæq; confundat. Nos igitur Ecclesiasticæ prouisionis solicitudinem assumentes, & non modicum confidentes de vobis, quos Dominus ad tantæ difficultatis onus leuius perferendum solicitudinis nostræ voluit esse participes, vniuersitatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram vestris orationibus apud Dominum adiuuetis, & circa commissam nobis Dominici gregis custodiam diligenter & vtiliter vigilantes, defectum nostrum humiliter supplere velitis, & iniunctam nobis oneris Ecclesiastici grauitatem vigilanti studio comportare. Nos enim vos tanquam principalia membra Ecclesiæ honorare intendimus, & in necessitatibus vestris, quantum Dominus permiserit adiuuare.* Datum Laterani Quinto Idus Ianuarij.

Et quidem in hunc modum vniuersis Episcopis & Prælatis, Innocentius perscripsit. Has easdem literas Regi Francorũ Philippo, sed aliquantum in fine immutatas, dedit. Scribebat enim: *Considerantes quantum Regnum Franciæ, in Ecclesiæ semper permanserit vnitate, tibi tamquam speciali Ecclesiæ Romanæ filio, litterarum nostrarum primitias duximus destinandas; Serenitatem Regiam rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, & in remissionem peccatorum tibi iniungentes, quatenus sanctam Romanam Ecclesiam Matrem tuam taliter reuereri & honorare procures, vt inclytæ recordationis Ludouici patris tui vestigia, in ipsius deuotione sequaris, & nobis ad Apostolicæ sedis gubernationem Domino disponente assumptis, humiliter & deuotæ, sicut decet Christianum Principem assistas. Nos enim in his quæ ad honorem tuum spectant, quanti m cum Domino possumus libenter intendimus, & circa personam Regiam paternæ gerimus charitatis affectum.* Hactenus Inno-

centius Pontifex de sua assumptione, variatis aliquantum litteris, pro eorum varietate, quibus significabat.

III. VTQVE SVPERINDVCTAM AGNETEM MARIAM REPVDIARET, REPVDIATAM VERO GELBERGAM LEGITIMAM CONIVGEM RECIPERET PRÆCEPIT. *Epist. 4. Aemil. lib. 6*

Pontificatum adeptus Innocentius, ea qua animi magnitudine præstabat, ad magnorum vitia corrigenda, maximasq; res gerendas, conatum adhibuit. Per id temporis, Philippus Rex Francorum cognométo Augustus, in graue præiudiciũ famæ & salutis, Gelbergã Canuti & Waldemari Regum Daniæ sororem, in mortuæ Elisabethæ cõiugis locũ & dignitatem introductam Reginam à consortio thori & sceptri submouerat, atque Agnete filia Bertholdi Quarti Ducis Meraniæ superinducta, priorem in remotis Regni partibus, licet inter religiosas, priuatas tamen personas viuere coegerat: neque Cœlestino Pontifici obsecranti atque exhortanti, vt eam reuocaret, obtemperare voluerat. Eam itaque vt Philippus reciperet, adq; vitæ coniugalis consuetudinem admitteret, Innocentius Pontifex pro ea qua pollebat auctoritate, Parisiensi Episcopo commisit, qui Philippum moneret, induceret, & in remissionem peccatorum iniungeret. *Verendum siquidem ei credimus* (ad eum modum Episcopo scribebat) *ne præter offensam Diuinam, & humanam infamiam, irreparabilem etiam iacturam incurrat. Cum enim ex ea, quam contra interdictum Ecclesiæ superinduxit, legitimam nequeat sobolem procreare; si forte, quod absit, vnicus eius filius rebus eximeretur humanis, Regnum eius ad extraneos deueniret. Qui quoniam eidem Reginæ sui negauit corporis potestatem, ipsius promerentibus culpis, multis angustiis irruentibus, nunquam optata potuit felicitate gaudere; sed præter alias afflictiones, tota Gallicana Prouincia famis fuit sterilitate perculsa: & nisi quantocius resipiscat, flagellum Dei contra se potest grauius formidare. Quod si forsan, quod absit, salubribus monitis tuis, quæ sæpius iterari volumus apud ipsum acquiescere noluerit, quãtumcumq; nobis molestum existat eum in aliquo molestare, id non poterimus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire.* Insinuabat Innocentius virgam Ecclesiasticæ disciplinæ, qua postmodum Philippum contumacẽ auctoritate Apostolica percussit.

Guagnin. lib. 6. PHILIPPVS GALLIÆ REX STERILI MATRE NATVS ADEODATVS VOCATVR LICET INFELIX. IVDÆOS REGNO EXIGIT OB FLAGITIA ENORMIA.

Quod Philippum attinet, fuit is Ludouico patri, multo tempore sterili matre, non nisi Dei munere natus: & ideo cognomine A Deodati ab omnib. promiscue nuncupatus. Priusquam autem is in lucẽ ederetur, quiescenti patri istud insomnium apparuit. Videre visus est, filiũ, calicem manu tenere, humani cruoris plenũ: eumq; suis procerib. propinare; ex quo ipsi imperterriti degustarent. Futuræ infelicitatis index fuit, quæ Philippo tum ex seditionib. domesticis, tum ex bellis peregrinis acciderat. Certè per initia sui Regni multus fuit in hostib. tum suis, tum Ecclesiæ reprimendis. Decimo ab hinc anno, Iudæos ex Regno excedere cum iussisset, multos eo nomine Procerum irritauit, adeoque in sese excitauit, quod iis pietate, lucra potiora essent: ille vero ea tẽpestate, nonnisi sacras vindicias cogitaret. Cum etenim huic perfidæ genti impia consuetudo esset, subreptũ quotannis aliquem infantẽ Christianũ, in specum aliq; apud se subterraneam ducere, atq; illum diu pœnis affectum, tandem die S. Parascheues, in Christi ludibrium, & Christianorum tunc eo die mortem Christi deplorantium contumeliam, cruci affigere, felle & aceto potare, lædoriis lacessere, & tandem lancea confossum immani crudelitate enecare: non potuit hanc religionis & Dei Redemptoris iniuriã diutius ferre Philip. quin vlcisceretur. Itaq; ad Quartum Calend. Mart. omnes Iudæos cõprehendi: comprehensos, auro, argento, & monili prætioso spoliari, spoliatos vero, alio abire imperauit Neq; semel, sed & iterum in eos se conuertit. Horum residui, siquidem, ingẽti fænore, ciues ita sibi obæratos habebant, vt eorum prædiis ditari, dimidias fere ciuitates vendicarent; alios in custodia penes se seruarent: plerosq; fortunis omnib. dissoluendi causa debiti spoliatos, mendicis non dissimiles efficerẽt. Domi præterea ex Christianis familiam cõtinebant; & quidem masculorum seruitiis, rem suam augebant; fæmellarum vero pudicitiam cõtaminabant. Istud quoq; ad cumulum improbitatis suæ adiiciebant, cum enim pignoris loco, vestes & SS. Ecclesiæ vasa, à malæ fidei aliquib. accepissẽt, ea in sordidos vsus admouebant. His eorũ iniquitatib. cognitis Philippus, Bernard. Anachoretã qui in saltu Vicennarũ incolebat, hominem opinione sanctitatis clarum conuenit; & quæ de Iudæis sententia esset, perquisiuit. Is porro optimum factu esse re-

CONSILIO VTITVR BERNARD. ANACHORETÆ.

spondit: si debita omnia, quib. Christiani Iudæis obnoxii forent, Philippus remitteret; quinta eorum si vellet, fisco attributa. Bernardi sententia Rex cõfirmatus, omnes Iudæorum possessionib. mulctauit, & ad D. Ioan. Bapt. diem sacrũ, excedere Regno iussit; eamq; ob rem multos Procerum offendit; qui prece & pretio diuicti, Iudæorũ patrocinium susceperant. Præter paucos, qui Christi Religionẽ profiteri voluerũt, omnes Regno vniuerso exegit; illis vero lauacri sacraméto ablutis, fortunas & libertatem restituit. Aliud quoq; non minus insigne, in cultus diuini profanati vindicias, Philippus, statim ab ipsa coronatione gessit. Cum n. non nesciret, quam impie pleriq; per Franciam vniuersam deierarent, & execrabili Deum blasphemia prouocarent, legem paternã denuo sanxit: si quis eius impietatis reus cõpertus esset, in fluuium aut paludem demergeretur. Alia quoq; plurima in reipubl. vtilitatẽ, Philippus prudenter instituit. Aediles, quos vulgo Scabinos appellant, Parisiis creandos curauit. Bonam vrbis partem muris cinxit. Plurimas lapidib. vias strauit. Commune D. Innoc. cæmeterium extruxit Saltum Vicenarum mænib. circumdedit. Forum item venale, Fallas vulgo appellant, Lutetiæ ædificauit. Bellum deniq; sacrum contra Sarracenos, in Palæstina suscepit. Cæterũ, cum minus affectibus suis temperaret, somnio fidem fecit; &, tum spiritualem gladium à manu Apostolica; tum mucrones ferreos, à ciuibus in se infelix extorsit: presertim quod Helbergã vxorem, intra tertium mensem dimisisset, & aliam superinduxisset, neq; Pontificis mandatis æquissimis paruisset. Præcipue cum is præterea quæ Parisiensi Episcopo iniunxerat, Dano Rege, per Oratores apud sedem Apostolicam agente, duos amplissimi Ordinis Patres in Gallias Legatos misisset, qui Regi denunciarent, vt à consuetudine Agnetis Mariæ temperaret, & Helbergam reduceret.

BLASPHEMIAS PATERNA LEGE PROHIBET.

ODIA IN EVM DIVERSA ET EIVS INFELICITAS.

IV. TERRAM S. ADIT PHILIPPVS REX. BARBARI CÕSILIVM DE TERRA SANCTA SERVANDA. *Aemil. Sulp.*

Istud non mihi visum est præterire, quod eo in Palæstina sacrum bellum militante, ante aliquot annos, in rem Christianam aliquis Barbarorum edixerat, dignũ qui memoretur. Multos Sarracenorum in captiuitatem abduxerat, & seruari præceperat. Inter eos erat quidam Characux nomine, prudentiæ fama nobilissimus; cuius cõsilio vsus Saladinus, ad maximas opes peruenire dicebatur. Eum, è Francia nobilitate, custodiæ captiuorum ab Augusto Rege prepositus, ad se accersitum productumque, primo statim aspectu contempsit: quod specie deformi esset, vultu illiberali, corpore pusillo. Admonitus deinde, sagacitatẽ mentis in eo mirã esse: submotis arbitris, per interpretem obtestari, obsecrareq; cæpit, vt induceret in animum fidele consiliũ dare, ea de re super qua illum cõsulturus esset. Ibi ille post multa, cum primũ interrogatus esset, quanam ratione Latini, parere, tueriq; perpetuo Regnum sacrum possent: Proh, inquit, dolor; quando plus diuinum decretum, quam mortale ingenium humanaq; sapientia potest, polletque: & sacrata semel fide, his vinculis animũ meum numini hominique obstrinxi, vt in caput meum de gentis meæ excidio, sine dissimulatione verba facere necesse mihi sit: Terram quæ vobis sancta est, etiam vt nunc omnem in potestatẽ redigatis, murisq; ferreis, & adamantinis propugnaculis, si fieri possit sepiatis, & præsidio, summorum Ducum delectissimorumq; militum firmetis; eam nunquam iure vestrã vocitari posse denuncio, auguror, prędico, nisi Ægypti imperio euerso. Id quod, si viri estis, facile factũ est. Mari Latini potimini: classe quamplurimum valetis: ac rei naualis scientia præstatis. Nili beneficiũ Ægyptus est, eadẽ, mari alluitur. Memoria nostra, Hierosolymitani Reges, paruis copiis, Alexandrinam sibi vectigalẽ fecere: Pelusium cæpere quod si vt vincere, ita vti victoria didicissent, ac illis validam classem auxiliaque, Latini, Latinis misissetis, non me nunc consuleres, de quærendis tutandisq; Hierosolymis; sed de nomine nostro actum foret. Quod si non impetu, sed assiduitate res gerere tutius videbitur; mare, flumenq; Ægyptiis infesta facienda erant excursionib. nouoq; semper terrore, ne mutuo vsu iuuentur, sed etiã mercaturis arceantur, quib. maxima ex parte Chairum constat. Summa consilii mei est. Ægyptiorum spiritus ferociamq; coerceatis: Nilũ frenetis: nec in equitatu peditatuve (vt hactenus) omnem virtutis spem reponatis. Naualis gloria terrestribus copiis addita, victoriam incruen-

TERRA NON NISI ÆGYPTI IMPERIO EVERSO SERVARI POTEST.

incruentam dabit. Damiata, terra marique maxime opportuna arx, est domanda inprimis, vt Hierosolymitanum Regnum, quando id maxime vobis cordi est, quærere, tuerique possitis. Hæc Characux quanquam hostis, in commodum tamen Crucesignatorum, volens, nolens, dixit, quæ tunc ab illis contempta fuere: ideoque non aliquid præclari gessere. In manifestam quoque tunc infamiam incidit Philippus, quod morbo simulato, inque facti sui quod omnibus displicere intelligebat, purgationem prætenso, cum parte exercitus ex Asia recessisset, Oddoniq; Burgundiæ Duci reliquias sui exercitus, non tam seruandas, quam perdendas, reliquisset: magno totius Christianitatis damno, & Innocentii Pontificis dolore, qui tam olim Cardinalis, quam recens Pontifex renuntiatus, hanc vel vnicam curam præ cæteris curauit, vt tertiã vestigiis saluatoris impressam, & sanguine Redemptoris irrigatam, à prophanis eriperet. Huic rei, Fratri Regis Hungariæ, vt Crucem pro subsidio Terræ sanctæ susciperet non differret, hoc anno iniunxit, votique suscepti admonuit. Ei Duci, Comitem se adiungere voluerat, Strigoniensis Archiepiscopus: pari voto quo etiam Dux obligatus. Cæterum, quod plerique rebellium Regi Emerico, plurimum negotii facesserent, & istum ope, tum opera Archiepiscopi indigeret, indulsit quidem ei Innocentius, ne prius voti soluendi causa Hierosolymam proficisceretur, quam vel Emerico Rege curante, Regnum ipsum fuisset pristinæ tranquillitati restitutum, vel super hoc à sede Apostolica recipisset mandatum. Quod autem sciret, magis pietatem, Innocentiam, & castitatem, quam viros, arma, & bellicum apparatum contra hostes fidei valere: Patriarcham Hierosolymitanum & suffraganeos ipsius, Moguntinum Archiepiscopum & Alemanniæ Episcop. Ducem Thuringiæ & reliquos Crucesignatos in Palæstina certantes, ad vitæ castimoniam, & fortitudinem militarem in pugna pro Terra sancta Christi sanguine irrigata hortatus est.

PHILIPPVS MYLORIVS ABIT EX TERRA SANCTA. *Blond. dec. 2. lib. 8.*

INNOCEN. AD CRVCEM SVSCIPIENDAM VOCAT REGIS HVNG. FRATREM, EPISCO. STRIGON. ET ALIOS. *Ex epist. variis Innocentii III. lib. 1.*

V. SVMMARIVM GESTORVM INNOCEN. III. HOC ANNO.

Præter istud grauissimum negotium, alia quoque non minus grauia Innocentius hoc anno cordi habuit; totumque se dedit vigilanti studio administrandæ vniuersali Ecclesiæ, cuius curam ad se vere pertinere putauit. Namque vt res ab eodem hoc anno gestas compendio recenseamus, 1. imprimis à Petro Castello vrbis Præfecto, Oddone Palummario. Oddone Monticello, & reliquis ciuitatum Patrimonii Ecclesiastici Præfectis, iuramentum fidelitatis audiuit. 2. Conradum Sueuum Ducatus Spoletani inuasorem repressit, sacramentum fidei à represso accepit: Ducatum Spoletanum Ecclesiæ Romanæ recuperauit: castrumque Montis S. Mariæ, in quo Conradus Octauianum Cardinalem Legatum ex Galliis reuertentem detinuerat, dirui præcepit. 3. Marcovvaldum Imperii Seneschallum, impietate Aenobarbi Friderici in Ecclesiam innutritum, adeoq; tyrannum, qui fidem multoties Romanæ Ecclesiæ præstitam violauerat, & patrimonium D. Petri in Aemilia & Piceno seu Marchia Anchonitana inuadere ac detinere præsumpserat, atque sæpius admonitus restituere contempserat, missus Guidone tituli S. Mariæ Transtyberinæ, Henrico tituli S. Laurentii in Lucina, atque Ioanne tituli S. Priscæ presbyteris Cardinalibus sedis Apostolicæ Legatis, tum anathemate percussit, tum armatis copiis profligauit. 4. In Etruriam duos Legatos Cardinales, qui apud Confœderatas ciuitates, iura Ecclesiæ Romanæ super vniuersa Tuscia tam exponerent, quam tuerentur, destinauit. 5. Capuano, Reghino & Panormitano Archiepiscopis, vt per laicam potentiam, Abbatem, S. Anastas. monasterio intrusum eiicerent, & alium eligendum curarent, commisit: 6. Romanorumq; Imperatrici Augustæ, ne in electione eiusdem Abbatis impedimentum præstaret, iniunxit. 7. Spirensi, Argentinensi, VVormatiensi & Sutrinẽsi Episcop. vt Salernitanum Archiepiscopum, à VVicelio Beicleio, Philippi Ducis Sueuiæ subdito, in carcerem coniectum liberare studerent, perscripsit. Quod si is qui eum detinebat nollet dimittere, vt anathematis gladio illum percellerent, & Ecclesias totius diæcesis in qua Archiepiscopus iniuste detinebatur interdicto Ecclesiastico supponerent: Philippum autem Ducem Sueuiæ, qui propter inuasionem ac detentionẽ patrimonii B. Petri & sedis Apostolicę possessionum, excõmunicationis vinculo fuerat innodatus, si ablata restituere, & reconciliari Ecclesiæ cuperet, vt exsoluerent, potestatẽ fecit. 8. Sutrino Episcopo, sedis Apostolicæ nuncio, atq; cum eo vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionib. Baronib. & omnib. Alemaniæ Principib vt Sibillam Reginam Siciliç, vna cum liberis, & plurimis Regni Siciliç nobilib. in Teutonia captiuam, in libertatem restitui procurarent, mandauit. Quod si vel ipsi efficere, vel detentores eliberare captiuos cõtemnerent, Apostolicæ sedis Legatis vt in omnes ac singulos sententiam excommunicationis pronunciarent, & terras ac prouincias eorum, ac præcipue vniuersam diæcesim in qua prædicti detinebantur, vel ad quam forent translati, à sacris coercerent, præcepit. 9. Patriarcham Antiochenũ, eo quod sine Apostolicæ sedis licentia, Apamiensem electum ausus fuisset ad Tripolitanam Ecclesiam transferre, à confirmatione Episcoporũ suspendit. 10. Apamiensi quoq; Episcopo ad eum modum translato, quousq; aliud ipse statueret, Pontificalis officii administrationem interdixit. 11. eodemq; plane modo in Abricensem Episcopum, à suo Metropolitano ad Ecclesiam Andegauensem translatum; & in Cõradum qui ex Hildesemensi ad Herbipolensem: & in aliũ qui ex Brixinensi ad Saltzburgensem Ecclesiam, sua spõte, præter auctoritatem Romani Pontificis transierat, animaduertit. 12. Archiepiscopo Strigoniensi, reformationem Monasterii Telequi commisit. 13. Abbatem S. Martini, conspirationis contra Regem Hungariç accusatum, ad causam dicendam, in vrbem euocauit. 14. Regem Hungariæ, vt Monasterium, quod Comes Bichor ędificare cæperat, ad locum tutiorem transferret, admonuit. 15. Ferrariensi Episcopo; Constitutiones à se pro Monasterio Nonantulẽsi sancitas, obseruare mandauit. 16. Archiepiscopo Mediolanensi, vt Rom. a sacris initiatos, ministerio Altaris defungi permitteret, & ad maiores ordines promoueret, pręcepit. 17. Incestuosum, inter Alphonsum Regem Legionis, & Beregariam filiam Alphonsi Regis Castellæ, cõnubium, dissolutum esse voluit. 18. Reges Castellæ & Legionis, si inter se ex vna, & inter Regem Portugaliæ ex altera parte pactis conuentis nõ stetissent, excõmunicationis vinculo innodari iussit. 19. Regẽ Nauarræum, cum perfidis Sarracenis contra Christianos fœdus ineuntem, excõmunicatione perstringi imperauit. 20. Panormitano, Capuano, Reghino, & Montis Regalis Archiepiscopis, & Episcopo Troiano, negotia Regni Siciliæ, quod in patrimonio D. Petri censetur esse, quam diligentissime commisit. 21. Arelatensi, Agnensi, Ebredunensi, Archiepiscopis & eorum suffraganeis, vt contra molestatores Monasterii sancti Victoris Massiliensis, ad censuras Ecclesiasticas procedant, mãdauit. 22. Archiepiscopo Arelatensi, quod surdus & mutus per signa possint contrahere, rescripsit: eundemque vt nullum clericum aut canonicum nobilitatis respectu, in Præpositum, vel Decanum eligat, nisi professione & habitu Regularis existat, admonuit. 23. Regi Angliæ vt bona Episcopo Eboracensi ablata restitueret, & officium administrationis exercere permitteret, serio imperauit. 24. Regibus Dalmatiæ, Diocliæ, Daniæ, & Suetiæ, vt sedis Apostolicæ Legatos benigne haberent, iniunxit. 25. Regi Nauarræ, ne prætextu iuramenti, quod inuitus fecerat, ad incestuosum matrimonium, inter Regem Aragonum & sororem suam, procedat, interdixit. 26. Regem Hungariæ, vt Episcopo Vaciensi, pro iniuriis, violentiis, & damnis, illi atque Ecclesiæ illatis, satisfaceret, seueritate Apostolicæ potestatis hortatus est.

Epist. 559.

VI. VALDENSES ET ALII HÆRETICI IN GALLIIS. *Epist. 95.* INNOC. III ADVERS. HÆRESES GALLICANÆ ECCLESIÆ EPIST.

Cum autem per id temporis in Aquitania, & reliquis Galliarum Prouinciis, variarum sectarum hæreses grassarentur: eam quæ sequitur Epistolam, contra eos Aquensi Archiepiscopo & suffraganeis ipsius scripsit, dignam quæ hic inseratur, ad cognoscendos cauendosque mores phanaticorum. Ita habet.

Cum vnus Dominus Iesus Christus, vnam sibi sponsam, Ecclesiam videlicet ex gentib. congregatam elegerit, non habentem maculam, neque rugam, quæ ipsi tanquam capiti suo in vnitate Fidei deseruiret: miramur, plurimum atque dolemus, quod quidam tunicam inconsutilem scindere molientes, diuersas sibi Ecclesias, imo potius Satanæ Synagogas confingunt; doctrinam Euangelicam, Apostolicam & Propheticam deprauantes, & ad defensionem sui erroris, in salute suã perniciem peruertentes; qui iniquitatem suam iustitiæ specie palliantes, vt salutentur in foro, & vocentur ab hominibus Rabbi; & sibi e-

cta sapere, ac iuste viuere videantur, Magisterium Romanæ Ecclesiæ refugiunt, & nouis adinuentionibus auditorum corda seducunt; trahēres post se simplices ac indoctos: vt cæci cæcis ducatū prabentes, tam duces quam ducti, imo seductores potius & seducti, in perditionis foueam dilabantur. Ipsi enim, vt occultius, virus suæ iniquitatis trans fundant in plures, fel draconem in aureo calice Babylonis propinant; iustitiæ vultum pretendunt, & studentes simulatis operibus charitatis, eos amplius circumueniunt, quos ad Religionis propositum viderint ardentius aspirare: illum sui erroris imitantes Magistrum, qui sub vmbra dormit in secreto calami, & locis humentibus: qui fluuium absorbet, & non miratur: & habet fiduciam, quod Iordanis influat in os eius. Hi sunt sane cauponæ, qui secundum Prophetam, aquam vinocommiscent: qui tetenderunt arcum, & parauerunt sagittas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde, destruere molientes, quæ Spiritus sanctus in scriptura perfecit, quos Apostolus Paulus ad Timotheum Prophetico spiritu describens; Nouissimis, inquit, temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam. Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & infra. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Inter quos Prouincia vestra quosdam, qui Valdenses, Catari & Paterini dicuntur, & alios quoslibet quibuscunq; nominibus appellatos in tantum iam acceptimus pullulasse, vt innumeros populos sui erroris laqueis irretierint, & fermento corruperint falsitatis. Cum igitur ad capiendas huiusmodi vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabbaoth, Species quidem diuersas habentes, sed caudas adinuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum; vt virga Moysi mal. ficorum phantasmata deuoret, dilectum filium Fratrem Raynerium, virum probatæ vitæ, & conuersationis honestæ, potentem Diuino munere in opere & sermone, ac cum eo dilectum filium Fratrem Guidonem virum Deum timentem, & studentem operibus charitatis, ad partes ipsas duxerimus destinandos. Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus eos benigne recipientes & tractantes affectuositer, eis contra hæreticos assistatis; vt per ipsos ab errore viæ suæ reuocentur ad Dominum; & si qui forte conuerti non poterunt, ne pars sincera trahatur, de vestris finibus eiiciantur, vt terra vestra huiusmodi ministris sat anæ penitus effugatis, verbum prædicationis vestræ gratanter recipiat, & ferat fructum temporibus suis. Ad hæc, sub eadem districtione vobis præcipimus, vt omnia quæ idem Frater Raynerius contra hæreticos, fautores, & defensores eorū duxerit statuenda, recipiatis humiliter, & inuiolabiliter obseruetis. Nos enim tam ea quæ statuerit contra eos, quam sententiam quam in contumaces tulerit, facimus, auctore Domino, inuiolabiliter obseruari. Ad hæc nobilibus viris, Principibus, Comitibus, & vniuersis Baronibus & magnatibus in vestra Prouincia constitutis, præcipiendo mandamus, & in remissionem iniungimus peccatorum, vt ipsi benigne recipientes pariter & deuoti, eis contra hæreticos tam viriliter & potenter assistant, vt ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, potestatem sibi traditam probentur laudabiliter exercere, & si qui hæreticorum ab errore suo commoniti noluerint respicere, postque per prædictum Fratrem Raynerium fuerint excommunicationis sententia innodati, eorum bona confiscent, & de terra sua proscribant, & si post interdictum eius in terra ipsorum præsumpserint commorari, grauius animaduertant in eos, sicut decet Principes Christianos: vt Arca fœderis præcedente cum tubis, ac Iosue sequente cum populis, vtrisque pariter conclamantibus, muri corruant Hiericho, fiatque perpetuum anathema, ita quod si quis de illo, vel regulam auream furari præsumpserit, cum Achan filio Charmi lapidibus obruatur.

Dedimus autem Fratri Raynerio liberam facultatem, vt eos ad id per excommunicationis sententiam, & interdictum Terræ, appellatione remota compellat: nec volumus ipsos agre ferre aliquatenus, vel molestè, si eos ad id exequendum tam districtè compelli præcipimus; cum ad nihil amplius intendamus vti seueritatis iudicio, quam ad extirpandos hæreticos, qui non nobis sententiam temporalem, sed spiritualem vitam furripere moliuntur. Nam qui fidem adimit, vitam furatur: Iustus enim ex fide viuit.

Scribimus etiam vniuerso populo vestræ Prouinciæ, vt cum ab eis Fratribus Raynerio & Guidone fuerint requisiti, sicut ipsi mandauerint, contra hæreticos accingantur, illis qui pro conseruatione Fidei Christianæ in tanto discrimine, quod Ecclesiæ imminet, ipsis astiterint fideliter & deuotè, illam peccatorum suorum indulgentiam concedentes, quam B. Petri vel Iacobi limina visitantibus indulgemus.

Dedimus etiam eidem Fratri Raynerio firmiter in mandatis, vt in omnes, qui hæreticis, postquam ab eo excommunicati fuerint, receptaculum præstare, & in mercimoniis, vel cohabitatione participare præsumpserint, vel eos in sua peruersitate fouere, excommunicationis sententiam solemniter non differat promulgare, & pari eos cum hæreticis pœnæ subiacere decernat. Nos autem auctore Domino sententiam ipsam, vsque ad satisfactionem congruam seruare sine refragatione qualibet faciemus. Datum Romę apud S. Petrum 12. Calend. Maii Pontificatus nostri anno primo. In eundem modum scripsit Narbonensi Archiepiscopo & Suffraganeis ipsius: Auxitano Archiepiscopo & Suffraganeis eiusdem: Viennensi in Galliis & Suffraganeis; Arelatensi & Suffraganeis; Ebredunensi & Suffraganeis: Tarraconensi & Suffraganeis: Lugdunensi & Suffraganeis illius: atque omnibus Principibus, Baronibus, Comitibus & vniuersis populis, in ipsorum diœcesum Prouinciis constitutis. Fere enim omnem Galliam pestis Valdensium infecerat, & plures alias hæreticorum sectas secum inuexerat, adeo vt puritas Catholicæ fidei, & splendor doctrinæ Orthodoxæ, vix ac ne vix quidem emineret: hæreticis cuncta inficientibus, & insuper vastantibus. Habuit itaque Innocentius causam, cur tam acres pro extirpandis illis scripsit.

IDEM DIVERSIS EIVS PRINCIPIB. BARONIB. &c. INCVLCAT.

Hoc anno, parum fuerat hæreticis, linguas maledicas contra sacra & sacratos homines acuisse; voluerunt & arma contra eosdem mouere. In Etrurea Vrbem veterem, Aquam pendentem, Procenum, & reliqua non ignobilia oppida, quæ contagę suæ infecerant, tumultibus quoq; excitatis, Catholicorum residuos opprimere vel extirpare conati sunt. Contra eos, vt Catholicis ferret opem Innocentius Papa, Petrum Parentium acerrimum hostem persecutoremq; Hæreticorum, destinauit, qui tum Patrimonio D. Petri in Ethruria præesset, tum Catholicos imbelles tueretur, tum Hæreticorum audaciam reprimeret. In eam curam, cum hoc & sequente anno diligentius incubuisset Parentius, à coniuratis Hæreticis, prodente Rudolpho milite, captus, & solato subuculam indutus, compressoque ore, noctu extra palatium ad portam Solianam eductus, gladiis impiorum pro fidei defensione cæsus occubuit. Theobaldus & Gottifridus Præfecti vici, fuere auctores necis Petri Parenti: cuius mortem Deus Innocentiæ vindex tum vltus est, tum illustrauit. Rudolphus enim miles, cum populi tumultum fugeret in via crepuit medius. Miracula interim quamplurima secuta sunt: atque Hæretici ab Hetruria profligati siue dispersi. Contra reliquos, præsertim cædis Petri confesos, Innocentius Pontifex anno subsequente, septem Inquisitores destinauit, qui in auctores & socios, iuxta grauitatem facinoris, animaduerterent. *Cyprian. Mauent. in Hist. lib. 1.*

INNOC. PARENTIVM CŌTRA HÆRETICOS IN HETRVRIAM ABLEGAT.

PARENTIVS A CONIVRATIS INSIDIOSE TRVCIDATVR.

Eodem anno idem Innocētius, alia digna summo Pontifice egit. 1. Erectionem hospitalis domus S. Spir. in Montepessulano à Guidone factam confirmauit. 2. Censum à Rege Portugaliæ, sedi Apostolicæ olim ab Alfonso Rege inscriptum exegit. 3. Archiepiscopo Montis regalis in Sicilia, vt bona ab Ecclesia sua alienata recuperaret, præcepit. 4. Priuilegia Canthuarien si & Rothomagensi Ecclesiæ roborauit. 5. Ducentibus meretrices in vxores, indulgentiam peccatorum indulsit. 6. In Parmensem & Placentinam Ciuitates, quod Gregorium S. R. E. Cardinalem sedis Apostolicæ Legatum bonis spoliassent, priuationem Episcopalis dignitatis; in grassatores autem excommunicationis sententiam distrinxit, donec ablata restituerent, & pro crimine maiestatis læsæ satisfacerent. 7. Pacta inter Philippum Regem Francorum & Balduinum Flandriæ Comitem conuenta approbauit. 8. Philippum eundem vt repudiatam coniugem reciperet, aperta iam comminatione anathematis admonuit. 9. Pluralitatem beneficiorum omnibus clericis sub grauissimis pœnis inhibuit. 10. Pro Religiosis Præmonstratensibus, Cistercien sibus, ac reliquis multa contra oppressores & deformatores egit. 11. Regi Angliæ quatuor annulos misit, eorumque mysteria his ipsis verbis scripta Epistola significauit, digna quæ à talium diligentibus legatur; vt à corporalibus oblectamentis, discant ad spiritualia assurgere.

VII. ALTERVM SVMMARIVM GESTORVM INNO. CIRCA BELLVM SACRVM.

4. ANNVLOS REGI ANGLIÆ MITTIT MYSTERIORVM INDICES. a *Epist.* 104

a *Inter opes terrenas*, ait, *quas oculus mortalis concupiscit, quasi chariora desiderat aurum obryzum, & lapides pretiosos. Licet autem his*

In epist. ad Regem explicantur.

his aliis, diuitiis excellentia Regalis abundet, in signum tamen dilectionis & gratiæ, quatuor annulos aureos, cum diuersis lapidibus pretiosis tuæ magnitudini destinamus: in quibus te volumus spiritualiter intelligere formam & numerum, materiam & colorem; vt mysterium potius quam donum attendas. Rotunditas enim æternitatem significat, quæ initio caret & fine. Habet igitur Regalis prudētia quid in annuli forma requirat; vt de terrenis transeat ad cœlestia, de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius a. qui numerus est quadratus, constantiā mentis insinuat, quæ nec deprimi debet aduersis, nec prosperis eleuari. Quod tunc laudabiliter adimplebit, cū quatuor virtutibus principalibus fuerit adornatus, videlicet iustitia, fortitudine, prudentia, temperantia. Intelligas igitur in primo iustitiam, quam exerceas in iudicio: in secundo fortitudinem, quam exhibeas in aduersis: in tertio prudentiam, quam obserues in dubiis: in quarto tēperantiam, quam in prosperis non dimittas. Per aurum vero sapientia designatur, quia sicut aurum præminet vniuersis metallis, sic sapientia donis omnibus antecellit; Propheta testante, qui ait: Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus. Nihil est enim, quod magis oporteat Reges habere. Vnde Rex ille pacificus Salomon solam à Deo sapientiam postulauit: vt populum sibi cōmissum sciret prouide gubernare. Porro Smaragdi viriditas, fidē, Sapphiri serenitas, spem. Granati rubicunditas, charitatem, thopacij claritas, operationem significat; de qua Dominus ait: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrū qui in cœlis est. Habes igitur in Smaragdo, quod credas; in Sapphiro, quod speres: in Granato, quod diligas: in thopazio, quod exerceas: vt de virtute in virtutem ascendas, donec Deum Deorum videas in Sion. Hactenus Innocentius pro suis munusculis Regi Anglo, cuius aliquot castella, cum Rex Nauarræorum occupasset. 12. Habuit eundem monere, & tandem anathemate compellere, vt eadē Regi Anglię restitueret. 13. Habuit etiam idem Innocentius satagere, vt Lupoldus Austriæ Dux, omnia illa Regi Angliæ restitueret, quæ reduci à peregrinatione Terræ sanctæ, dum in vinculis eum detineret, vel eripuisset, vel eripi toleraſſet. Eodē anno. 14. Fratri Regis Hungariæ sub pœna excōmunicationis præcepit, ne seditionē concitaret, aut arma corriperet cōtra Regem fratrem, sed illi in omnib. obedientiā præstaret. 15. Magdeburgēsi Archiepiscopo inhibuit, ne bona Crucesignatorum inuaderet. 16. Narbonens. Lugdunens. Viennens. & aliis Franciæ & Angliæ Archiepiscopis atque eorū suffraganeis Episcopis, nec non Siracusano Episcopo & plurib. aliis iniunxit, vt Theutonicis in expeditione Terræ sanctæ militantibus adiutores submitterent. 17. Islandiæ & Daniæ Episcopos, vt Ecclesias suas reformarent, hortatus est. 18. Misit etiam Legatos Cōstantinop. qui Imperatorem & Patriarcham, ad vniendam Ecclesiam orientalem cum occidentali inducerent, & vires eorum cum Crucesignatis, ad liberandum Terram sanctam coniungerēt. Præclara est ea quam scribebat Patriarchæ his ipsis verbis, digna quæ schismaticis prælegatur.

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOL. SCRIBIT PRO VNIONE ECCLESIÆ VTRIVSQVE ET IVVANDIS CRVCESIGNATIS PER IMPERATOREM

b *Reprobata quondam propter ingratitudinis vitiū perfidia Iudæorum, & oblato Synagogæ (quia non cognouit tempus visitationis suæ) libello repudii, vnā sibi ex gentib. Ecclesiam cōgregatam non habentem maculā neq; rugam Dominus noster elegit, iuxta quod legitur in Canticis Canticorū; vna est electa mea, sponsa mea, immaculata mea. Ipse quoq; Dominus Iesus Christus, vnum esse ouile ouium, vnumq; Pastorē in Euangelio protestatur, & in Apostolorum symbolo, vnam esse Catholicā & Apostol. Eccles. Fides Catholica profitetur. Hanc autem idem Dominus Iesus Christus in seipso lapide angulari fundauit, & eius Magisteriū Apostolorū Principi B. Petro, cui (licet insufficientes) in Apostolatus successimus dignitate, concessit; Tu es, inquiens, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & paulo post subdidit: & Tibi dabo claues Regni cœlorum, & etiam curam ouium suarum eodem verbo tertio repetito commisit dicens; Pasce oues meas, & quod eius fides nunquā defecerit, se oraſſe fatetur, loquens ad eum in Euangelio: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu conuersus aliquando confirma fratres tuos. Præterea licet vniuersis Apostolis dixerit in communi: Accipite Sp. S. quorum remiseritis peccata, remittentur eis; ad eum tamē vtitur verbo specialiter dicens; Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliā sibi confinxit Ecclesiam. Si tamen, quæ præter vnā est, Ecclesia sit dicenda, & ab Apostolica sedis vnitate recesserit: nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium imitatus, & inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium diuisione pepercit, scindere vsq; hodie (licet fruſtra) conatur: non attendens, quod vna tantum extitit Arca, intra quā sub vno Rectore quicumque fuerunt, leguntur in cataclismo saluati: qui autem extra ipsam inuenti sunt, omnes in diluuio perierunt. Quia igitur id in scandalū nostrum, & fidei Christianæ redundat dispendiū, nec iam possumus vitare clamores Ecclesiæ generalis, quæ nos & prædecessores nostros negligentiæ ac tarditatis redarguit, monemus fraternitatem tuam & exhortamur in Domino per Apostolica scripta tibi mandantes, quatenus omnimodam solicitudinem, & efficacem operam interponas, vt Græcorum vniuersitas redeat ad Ecclesiæ vnitatem, & ad matrē filia reuertatur, & fiat iuxta verbum Domini, vnum ouile, & vnus Pastor, alioquin non possemus vltterius sub dissimulatione transire, quin nostrum exequeremur officium; cum per Dei misericordiam tempus acceperimus iustitias iudicandi. Cæterum cum peccatis nostris exigentib. venerint gentes in hæreditatem Domini, & coinquinauerint templū sanctum eius; imo & ipsum Iesum Christū quodammodo captiuauerint, lignum sanctæ Crucis, in qua salus mundi pependit, & deleuit chirographum mortis antiquæ, in qua etiam Apostolus se asserit gloriari; Mihi absit, inquiens, gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: miramur quod charissimus in Christo filius noster Constantinopolitanus Imperator illustris, nec Christo exule subuenit, nec ad liberationē terræ natiuitatis ipsius, in qua Deus Rex noster ante sæcula salutem dignatus est operari, intendere hactenus sicut debuerat curauit, cum tam ex vicinitate locorum, quam abundantia diuitiarum & potentia, quæ inimicos Crucis munere diuino præcellit, id potuerit cōmodius & expeditius alijs Princip. adimplere. Cum igitur Terra sancta in qua pedes Christi steterunt, totis desideremus affectibus subueniri, Fraternitatem tuam rogamus attentius, & exhortamur in Domino, quatenus prædictum Imperatorem monere studeas, & inducere diligenter, vt ad succursum eius potenter intendat.* Hactenus Innocētius Papa Patriarchæ Constantinopolitano, post negotium vnionis Ecclesiæ, pro subsidio Terræ sanctæ. Pro eodem quoque subsidio, Regibus Galliarum & Angliæ inter se dissidentibus, reconciliationem & concordiam sub interdicti Ecclesiastici censura indixit, eosque ad communia arma contra Saracenos sumenda inuitauit.

IDEM AB DISCORDIBVS GALLIÆ ET ANGLIÆ REGIBVS EXIGIT.

VIII. ALTARIA CONSECRARI VVLT AB OCTAVIANO HOSTIENSI EPISC.

Eodem anno Innocent. Papa Octauiano Hostiensi Episcopo, suo Vicario scripsit, vt altaria quædam consecraret, quæ D. Petrus Apostolus iusserat cōsecrare. Narrabat quid acciderit. a. Paucis, inquit, diebus ante nostrum ab vrbe recessum, *Sacerdos quidam ætate longæuus, timoratus (vt creditur) ad præsentiam nostram accessit secreto proponens, quod in visione nocturna per somnium ei apparuit Beatus Petrus Apostolus dicens: Accede ad Pontificem Innocentium, & ex mea parte sibi significa, quod à natiuitate sua quasi filium illum dilexi, & quod diuersos gradus promotum in mea tandem sede constitui. Quapropter, & ipse decorem, & honorem domus meæ debet diligere, studioque vigili promouere. Sciat ergo quod in Ecclesia mea pauca sunt altaria consecrata. Vnde contingit, quod in altaribus dissecratis diuina mysteria celebrantur. Faciat igitur ea saltem cum debita reuerentia consecrari, super quæ nouit frequentius officium celebrari diuinum. Verum cum semel & iterum eadem sibi fuisset visio reiterata, nec ipse quod mandabatur impleret, tertio tandem idem Apostolus, velut offensus intulit dicens: Quia meum non audisti mandatum, ego tibi tuum tollam auditum. Ex tunc ita surdus effectus est, vt penitus non audiret. Gemens ergo vehementer & plorans, ad confessionem B. Petri deuotus accessit, cum lacrymis postulans, vt misertus sibi restitueret auditum; quia mandatum ipsius illico adimpleret: quo per Dei misericordiam exaudito, quod acciderat ei, nobis per ordinem indicauit. Licet autem secundum Apostolum, non sit credendum omni spiritui; quia tamen in tali negotio Angelus satanæ non transfiguraret se in Angelum lucis: & melius est piè credere, quam temerè dubitare, cum honestum sit quod proponitur faciendum, & si verum non esset quod asseritur reuelatum, Fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus altaria Philippi & Iacobi, Simonis & Iudæ, B. Gregorii & S. Andreæ quæ dissecrata dicuntur, tu ipse consecres, vel qui alios auctoritate nostra facies consecrari. Credimus enim quod ex hoc nobis fructus æterna retributionis accrescet.*

Per eosdem dies Innocentius Papa Asculum, Anconam, Firmum, Auximum, Camerinum, Senogallium, Pisaurum, ac Radicofrinum, montem Falisc um, Aquam pendentem Spoletum, Perusiam, ciuitatemque Castellanam recuperauit: & contra tyrannidem Alemannorum, confœderatas Tusciæ Ciuitates in clientelam sedis Apo-

IX. OPPIDA MVLTA RECVPERAT, ET CVM TVSCIS CON

ERA ALEMANNOS, FOEDVS COIT.

stolicæ recepit. Perid enim temporis, solis Pisanis exceptis, reliqui Tusci societatem inierant, iuramentoque sodalitatis sese deuinxerant, se præsto fore in defensionem mutuam, si à Theutonicis premerentur. Constituerant itaque ex singulis ciuitatibus singulos Rectores, vni Priori subiectos, cui in rebus societatis obedirent. Quæ omnia vt inuiolata perseuerarent, iacramentum dixerant, vt societatem conseruarent, & iura atque possessiones S.R.E. defenderent, neque aliquem Regem aut Imperatorem reciperent, nisi quem Pontifex Romanus designasset, atque consecrasset. Ad eos Innocentius eam quæ sequitur scripsit Epistolam dignam quæ legatur. Ita habet. Innocẽtius Episcopus seruus seruorum Dei: Dilectis filiis Priori & Rectoribus Tusciæ. *Sicut vniuersitatis conditor Deus, duo luminaria magna in firmamento cæli constituit luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti; sic ad firmamentum vniuersalis Ecclesiæ, quæ cæli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates; Maiorem, quæ quasi diebus, animabus præesset; & minorem quæ quasi noctibus præesset corporibus: quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas. Porro sicut lunæ lumen suum à sole sortitur, quæ reuera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu: sic Regalis potestas ab auctoritate Pontificali statæ sortitur dignitatis splendorem, cuius conspectui quanto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur; & quo plus ab eius elongatur aspectu, eo plus proficit in splendore. Vtraque vero potestas, sui primatus sedem in Italiæ merito obtinere, quæ dispositione diuina super vniuersas Prouincias obtinet principatum. Et ideo cum ad vniuersas Prouincias nostræ prouisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiæ paterna nos conuenit sollicitudine prouidere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per Apostolicæ sedis Primatum sacerdotij simul & Regni præeminet Principatus. Huius autem prouisionis officium laudabiliter exercemus, si per nostræ sollicitudinis studium procuramus, ne fili à seruis, neque maiores à minoribus opprimantur, vt seruata moderamnis æquitate, sic isti seruiant, quod illi non superbiant, vt nec isti subesse cõtemnant, nec illi prodesse. Volentes ergo vos tanquam spirituales filios Apostolicæ protectionis brachiis amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum, ad Diuini nominis gloriam, & Apostolicæ sedis honorem, quantum cum nostra possimus honestate, vobis aduersus oppressionis incursum & grauaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere: quatenus per Apostolicæ sedis auxilium in debito statu perseuerare positis, & inita iam concordia semper inter vos de bono in melius perseueret. Sperantes, & pro certo tenentes, quod vos nobis & Ecclesiæ Romanæ gratum semper deuotionis & fidei debeatis obsequium impartiri: vt dum vos à nobis protectionis patrocinium sieseperitis, & nos à vobis deuotionis obsequium receperimus, vtrinq; grata debeat vtilitas procurari. Monemus igitur vniuersitatem vestram & exhortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui sicut Apostolicæ conuenit grauitati plus facere quam promittere vobis intendimus, ea semper agere studeatis, quæ ad honorem & profectum Romanæ Ecclesiæ proueniant, vt merito debeatis ipsius fauoris dextera communiri.* Hactenus communitati Etruriæ. Dublinensem electum confirmauit; Copsalensi electo pallium misit: Sacerdotes bellatores deponi præcepit: Regni Norũegiæ inuasorem anathemate damnauit: Abbatem Cassinensem in disciplina monastica conseruanda negligentiæ redarguit: Ecclesias Hungariæ oppressas in libertatem vindicauit: Comitem Tolosanum ad expeditionem Terræ sanctæ incitauit: Galliarum regnum ab vsurariis expurgauit: atque Regnum Siciliæ, Ducatusque Calabriæ, Apuliæ & Campaniæ Imperatrici Constantiæ, sed cum his conditionibus inuestiuit, quæ in litteris infra scriptis exprimuntur. Ita habent.

IN FEVDATARIVM CONSTANTIAM IMP. CVM FILIO ET HÆREDIBVS REGNI SICILIÆ INVESTIT. b *epist.* 412

a

b Constantiæ Imperatrici gloriosæ Reginæ Siciliæ, ac charissimo filio Friderico illustri Regi Siciliæ, eorumque hæredibus in perpetuum. *Super gentes & regna diuinæ prouidentiæ constituit, vt euellamus noxia, & salubria cum Propheta plantemus: sic ad vniuersas prouincias nostræ considerationis aciem extendere volumus, & circa eas pia solicitudinis studium exercere, vt sopitis turbinibus tempestatum, quas parit mater diuersitas, feruent adinuicem mutuæ charitatis affectum, & in veræ pacis vinculo gubernentur. Porro specialiter, & præcipue specialem, ac præcipuam solicitudinem circa Regnum Siciliæ nos concernit adhibere, quod in Apostolicæ sedis feruentius hactenus deuotione permansit: ad quod etiam inclytæ recordationis Rogerii quondam patris VVillelmi senioris fratris, & VVillelmi iunioris nepotis Tuorum Regum Siciliæ, filia Imperatrix, grata memoria nos inducit, qui in Apostolicæ sedis, ac prædecessorum nostrorum dilectione firmius persistentes, ab eius non potuerunt vnitatis firmitate diuelli, quin tanto fortius in ipsius obsequio permanerent, quanto aduersus eam se amplius impetus extolleret tempestatis. Hac igitur consideratione diligenter inducti, ac credentes quod prædictorum Regum vestigia, vestra Regia serenitas in deuotione, ac obsequiis Ecclesiæ imitetur, vobis & heredibus vestris, qui sicut dictus Rex VVillelmus quondam frater tuus felicis memoriæ Adriano Papæ prædecessori nostro exhibuit, nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, & homagium exhibere, ac quæ subscribuntur, voluerint obseruare, concedimus Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis suis; Neapolim, Salernum & Amalfiam cum pertinentiis suis; Marsiam & alia quæ vltra Marsiam habere debetis, & reliqua tenimenta quæ teneris à prædecessoribus vestris hominibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iure detenta; & contra omnes homines adiuuabimus honorificemanutenere. Pro quibus omnibus corã venerabili fratre nostro Octauiano Episcopo Ostiensi Apostolicæ sedis Legato, quem ad iuramentũ tuum filia Imperatrix recipiendum transmisimus, fidelitatem nobis nostrisque successorib. & Ecclesiæ Romanæ iurasti, sicut continetur in duobus similibus Capitularibus; quorum vnum penes te sigillo nostro, alterum penes nos sigillo tuo aureo signatum habetur: firmiter repromittens, quod quia præsens præsenti debet homagium exhibere, quandocumq; nos & successores nostri te in aliqua parte regni, quam securè possis adire, ad nostram præsentiam vocauerimus, reuerenter accedes, ligium homagium præstitura: nisi certum impedimentum, aut necessitas euidens interueniat, quibus cessantibus, sine fraude venies ad ligium homagium faciendum. Cum a. tu fili Rex sanête Domino ad legitimam ætatem perueneris, nobis ac successoribus nostris, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, & ligium homagium exhibebis, censum vero sexcentorum squifatorum de Apulia & Calabria, quadringentorum vero de Marsia, vel æquualens in aureo vel argento, vos ac hæredes vestri statuistis Ecclesiæ Romanæ soluturos, nisi forte impedimentum aliquod interueniat, quo cessante, census ex integro persoluetur. Electiones autem secundum Deum per totum Regnum canonice fiant, de talibus quidem personis, quibus vos ac heredes vestri requisitum à nobis præbere debeatis assensum. Vt autem hæc, quæ supradiximus, tam nostro quam successorum nostrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec vestris nec heredum vestrorum temporibus aliquus valeant præsumptione turbari, nos ea de consilio & voluntate Fratrum nostrorum autoritate Apostolica confirmamus, & valitura in perpetuum præsenti pagina cõmunimus, & eam à nobis quam successoribus nostris perpetuis temporibus statuimus obseruanda.* Hactenus Innocentius concedens inuestituram Regni Siciliæ, & reliquarum Prouinciarum in feudum Constantiæ Imperatrici & filio Friderico. Cæterum, ne aliquæ dissensiones ex parte electionum orirentur, dedit etiam alias infrascriptas, quas placuit propter Monarchas. Siculos inserere, ita habent.

DISSENSIONES OB ELECTIONEM REGIS CAVSANDAS AMPVTAT.

Constantiæ Imperatrici Reginæ Sicil'æ, ac charissimo filio Friderico Illustri Regi Siciliæ.

Nec nouum, nec iniustum existit, si Regno Siciliæ gratiam facimus specialem, quod inter vniuersas & singulas regiones, in quibus nomen colitur Christianum, fere semper promptius & deuotius in Ecclesiæ Romanæ deuotione permansit, & ab ea specialius meruit honorari. Reges siquidem & Principes eius, in Apostolicæ Sedis fidelitate fortius roborari, vsque adeo eis fideliter & familiariter adhæserunt, vt ad ipsius exaltationem potenter intenderint, & ab ea nullius diuelli potuerint impetu tempestatis, se in ipsa & per ipsam exaltari credentes: & in ea, post Deum, sue spei ponentes & gaudii fundamentum. Specialiter autem inclytæ recordationis Rogerius quondam pater, VVilhelmus maior frater, & VVilhelmus nepos, tui filia Imperatrix, Reges Siciliæ, familiari eam veneratione sunt deuotionis obsequio, & prædecessoribus nostris vsque adeo non minus in aduersis quam prosperis adhæserunt: vt cum Fratribus nostris ob eorum memoriam, & constantiam sinceritatis, quam ad nos vos habere cognouimus, per effectum, quantum cum Deo, & nostra possumus honestate deferre velimus. & salua iustitia & Ecclesiarũ canonica libertate, petitionib. vestris assensum faciles exhibere. Ne igitur vlla de cætero inter nos & successores nostros, ac vos & heredes vestros super electionib. dissensio suscitetur, modum facienda in posterum electionis præsentibus curauimus litteris explicare, in quibus sic in multis Regia serenitati deferimus, vt libertatem Ecclesiæ non ledamus. Sede vacante capitulum significabit vobis & vestris heredibus obitum decessoris: deinde conuenientes

in vnum inuocata Spiritus Sancti gratia, secundum Deum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum à nobis præbere debeatis assensum: & electionem factam non different publicare. Electionem vero factam & publicatam denunciabunt vobis, & vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus Regius requiratur, non intronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quæ intronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi se vllatenus immiscebit. Sic enim honori vestro volumus condescendere, vt libertatem Canonicam obseruemus; nullo prorsus obstante rescripto, quod à sede Apostolica fuerit impetratum. Rogamus ergo serenitatem Regiam, & exhortamur attentius, quatenus contra præscriptam electionis formam nec vos veniatis de cætero, nec cogatis alios, nec patiamini qualibet occasione venire, sed taliter in hoc nobis studeatis & Ecclesiasticæ libertati deferre, vt timorem eius præ oculis habere videamini, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, & sponsam eius Ecclesiam venerari. Hæc Imperatrici atque Friderico.

ITEM OB ELECTIONEM PRÆLATORVM IN SICILIA.

In eam rem Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & vniuersis Clericis in Regno Siciliæ constitutis, hunc in modum scripsit, quem sane præstaret ante oculos habere, Monarchiæ Siculæ assertores.

Si charissimæ in Christo Filiæ nostræ Constantiæ Imperatrici Reginæ, vna cum charissimo filio illustri Rege Siciliæ in multis gratam facimus specialem, non est ab aliquibus in admiratione ducendum; cum Regnum Siciliæ ad ius & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, & eius fidelitate perstiterit, ac permanserit vnitate. Nostis enim qualiter inclytæ recordationis Rogerius, VVilhelmus primus & VVilhelmus secundus Reges Siciliæ illustres in Apostolicæ deuotionis fere semper permanserint firmitate: qualiter prædecessores nostros fuerint humiliter venerati: qualiter etiam in Ecclesia Romana post Deum sua spes posuerint & gaudii fundamentum, & in ea, & per eam se crediderint exaltari. Nostis etiam qualiter prædecessores nostri Romani Pontifices Reges ipsos ac Regnum Siciliæ quadam semper prærogatiua dilexerint, & ad augmentum ipsius, vtpote quod peculiare (sicuti est) & proprium reputabant intenderint & quietem. Quia vero quantumcumque velimus eorum honori deferre, libertatem Canonicam & honestatem Ecclesiasticam intendimus obseruare; ideo ne vlla de cætero inter nos & successores nostros, & prædictam Imperatricem & filium eius Siciliæ Regem illustrem vel heredes eorum super electionibus denuo dissensio suscitetur, qua hactenus inter Ecclesiam & Regnum rancoris cuniculam & indignationis fomitem ministrabant, modum faciendæ in posterum electionis præsentibus curauimus literis explicare: in quibus sic Regiæ serenitati deferimus, vt libertatem Ecclesiasticam non ledamus. Sede vacante significabit Capitulum eis & eorum heredibus obitum decessoris, &c. Sequuntur reliqua sicut in antecedente epistola, vsque ad verbum, immutebit, deinde. Ideoque vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus cum aliquam Ecclesiarum vestrarum Pastore vacare contigerit, secundum præscriptam electionis formam, omni gratia & timore postpositis procedatis: nec contra eam aliqua præsumptionis occasione venire audeatis. Alioquin electiones taliter factas diligenti discussione præhabita dante Domino infirmare curabimus & eligentium transgressionem animaduersione debita castigare. Volumus etiam nihilominus & mandamus, vt de cætero ad Romanam Ecclesiam libere cum opus fuerit appelletis; & interpositis ad nos appellationibus curetis humiliter & deuote deferre. Nos etiam quoties necessitas postulauerit, Apostolicæ sedis Legatos ad vos curabimus destinare; qui quæ plantanda sunt plantent; & euellant, quæ fuerint euellenda, quorum obediatis monitis & præceptis, nullo prorsus in omnibus præscriptis capitulis obstante Priuilegio, vel rescripto, quod à sede Apostolica fuerit impetratum, vt autem quæ prescripta sunt apud vos nulla possint obliuione deleri, mandamus atque præcipimus, quatenus forma literarum istarum ad perpetuam memoriam in maioribus Ecclesiis transcripta seruetur.

IDEM APVLIÆ CLERICIS PERSCRIBIT.

In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & vniuerso Clero in Appulia constituto scripsit, cumque Legatum in Siciliam mitteret, has contra profanam Monarchiam dedit.

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & vniuersis Ecclesiarum Prælatis in Sicilia constitutis.

Persecutionis olim olla succensa, dum stantis rabies Aquilonis Calabros montes nouo deiiceret terræ motu, & per plana incentis Apuliæ pulueren in transeuntium & habitantium oculos suo turbine susciaret, dum etiam Taurominitana Charybdis sanguinem, quem tempore pacato sitierat, euomeret cadibus saciata, vsque adeo fuit iter maris & terræ præclusum, vt inter tacentis impetus tempestatis mutuum matris ad filios, & filiorum ad matrem impediret affectũ, & naturalis effectum interciperet charitatis. Nunc autem, cum eo faciente nobis cum signum in bonum cui venti & mare obediunt nascentis Austri clementia cadentis fugauerit impetum Aquilonis & præteritæ turbationis caliginem aeris, per Dei gratiam tam ex maiori parte placati claritas serenauerit: ita quod Regum Siciliæ reparatum in statum felicitatis antiquæ, ad deuotionem Ecclesiæ plane redierit, à qua visum fuerat persecutionis tempore recessisse; beneficium ei voluimus gratæ visitationis impendere, ac in dilectionem ipsius prædecessorum nostrorum vestigiis adhærere. Cum autem ipsum inter vniuersas orbis prouincias, tamquam Ecclesiæ Patrimonium specialiter diligamus, volentes mentis affectum, quem circa ipsum gerimus ostendere plenius in persona Legati, eum illuc de Fratrum nostrorum consilio duximus destinãdum, quem inter cæteros Fratres nostros speciali charitate diligimus, & benevolentia singulari eius exigentibus meritis amplexamur. Sane cum adhuc in Regno ipso remanserint vestigia quædam dissensionis antiquæ, talem & tantam personam huius Legationis officio duximus deputandam, quæ auctoritate præemineat, polleat honestate, & in opere & sermone sit potens: & ex eo quod gratiam nostram plenius obtinet, & nostram nouit melius voluntatem eos qui pacem Regni turbare forsitan molũntur, liberius comprimere possit; & vniuersum Regnum in charissimæ in Christo filiæ nostræ Constantiæ Imperatricis Reginæ, ac filii eius Friderici Regis Siciliæ illustris fidelitate pariter & obsequio stabilire: contumaciam deprimens superborum, & sublimium, colla, commissa sibi potestate conculcans. Venerabilem igitur Fratrem nostrum Octauianum Ostiensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum, virum prouidum & honestum, qui ob gratiam familiaritatis, & dilectionis antiquæ, ac suæ dignitatis intuitu, primum inter Fratres nostros apud nos locum meruit obtinere, in Regnum Siciliæ duximus destinandum, qui iuxta verbum Prophetæ um dissipet & euellat quæ nouerit euellenda; & ædificet & plantet, quæ nouerit, esse plantanda, vos etiam de benevolentia, quam circa prædictam Reginam, & filium eius Regem illustrem gerimus efficiat certiores. Ideoque vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus prædictum Legatum sicut personam nostram, imo nos ipsos in eo recipientes humiliter & deuote, & sicut condecet vos & ipsum honorifice pertractantes, quæ inter vos corrigenda duxerit, seu etiam statuenda, recipiatis humiliter, & inviolabiliter obseruetis, ita quod nos, qui honorem eius proprium reputamus, vobis propter eum respondere gratius quasi ex debito teneamur: sciturі, quod sententiam quam in contumaces tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter obseruari. In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & vniuersis Ecclesiarum Prælatis per Regnum Siciliæ citra Farum constitutis, Innoc. Pontifex pro eodem Legato ad vniuersum Regnum misso scripsit. Eodẽ anno Innocentius 1. Lundensi Archiepiscopo Primatum super omnes Ecclesias Suetiæ confirmauit. 2. Vtlandiæ Prouinciæ Ecclesias reformauit. 3. Neapolitanas aliquot causas cognouit & decreuit. 4. Cantuariẽsia nonnulla negocia definiuit. 5. Regnum Hierosolymitanum in protectionem Sedis Apostolicæ recepit. 6. Almericum Regem Hierosolymitanum sanctioris vitæ admonuit. 7. In Poloniam quoque Gnesnensi Archiepisc. & Suffraganeis ipsius scripsit, vt impugnatores Boleslai Ducis nisi ab eius molestatione detiserent, Ecclesiastica censura percellerent. Ita habet exemplare epistolæ.

X.

BOLESLAVM POLON. DVCEM PER GNOSNENSEM ARCHIEPISCOPVM VVLT AB HOSTIBVS SVIS LIBERARI, ET IAM PER CENSVRAS. a *epist.* 43.

a *Apostolicæ sedis benignitas, sicut ex debito Pastoralis officii ad omnes fideles generaliter affectum charitatis extendit: si eos quos circa seruitium suum & Christianitatis honorem deuotiores inuenerit, specialiter tenetur patrocinio confouere. Vnde fidem & deuotionem dilecti filii nobilis viri Boleslai Ducis Poloniæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ cuius sumus reginini (sicut Domino placuit) deputati, manifestis iam dudum experta indiciis, merito ipsum brachiis specialis dilectionis amplectitur, & in peritionibus eius iustis inuenitri gaudet facilis & benigna. Sane cum pluries, sicut accepimus, Apostolicum receperit fraternitas vestra mandatum, vt memoratum Ducem, quem sicut Catholicum Principem, & Ecclesiæ Romanæ filium specialem, quadam dilectionis prærogatiua complectimur, ab impugnatoribus suis auctoritate Apostolica curaretis defensare, sibiq, contra hostium suorum violentos insultus Ecclesiastica defensionis clypeum indulgere, nondum tamen, sicut nobis intimatum est, commodum aliquod de literis Apostolicis reportauit, nec prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum iussiones, quæ super hoc sæpius emanasse noscuntur, effectus est debitus subsecutus. Quare merito deobedientia potestis & negligentia repre-*

hendi. Quia igitur in eo loco nos clementia Diuina constituit, vt suam cuilibet debeamus iustitiam conseruare, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus vniuersis Poloniæ Ducibus ex parte nostra curetis districtius inhibere, ne præfatum Ducem in persona vel rebus offendere præsumant quomodolibet vel turbare, aut ei super his, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis poterit, Deo propitio adipisci, molestiam audeant inferre indebite, vel grauamen. Quod si commonitionibus vestris acquiescere forte noluerint, vos eos adhoc per excommunicationis sententiam auctoritate nostra sine appellationis obstaculo compellatis. Nos enim sententiam, quam in ipsos propter hoc ratione præuia tuleritis, ratam habebimus, ipsamque faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem congruam firmiter obseruari. Prouideatis autem, vt qualibet vestrum tamdiu faciat eandem sententiam per suam diœcesim obseruari, donec mandatum nostrum celeri fuerit executione completum. Dat. Laterani VIII. Idus Martii Pontificatus nostri anno I. Fuit Boleslaus, à proceritate cognomento Altus, Dux VVratislauiæ, Henrici Barbati, Diuæ Heduigis coniugis pater: à reliquis Ducibus Sileſiæ multis iniuriis affectus, pro quo Innocentius Pontifex scribebat.

XI. REX DANIÆ APVD INNOCEN. III. PHILIPPVM GALLVM ACCVSAT DEREPVDIATA HELBERGA SORORE.

Hoc ipso anno, iterum, Rex Galliarum Philippus, Innocentium fatigauit. *b* Mortua vxore Elisa cælebs ille, Dani Regis sororem Helbergam duxerat, ea denique intra tertium mensem per causam propinquitatis dimissa, Mariam Ducis Morauiæ filiam superinduxerat. Interim Dano Rege per oratores apud Pontificem Maximum agente, duo amplissimi ordinis Patres in Galliam Legati venere, Regique denunciauere, vrâ consuetudine Mariæ temperaret. Dicto non parebat. Diuione concilium habitum. Decretum vt Franciæ sacrificiis interdiceretur. Orator Regis Pontificem Maximum appellabat; nihil ofecius illo summoto, sanctiore arcanoque conuentu. Legatus Franciæ sacris de sententia Patrum interdicere se pronunciauit. Cæterum vetuit, id decretum in vulgus edi ante vigesimum à Natali Domini diem; quo tempore procul ipse abiisset, ne timere sibi à Rege posset. Eiusce sere animo potuit Rex. Patres & qui tunc assenserant, & postea interdictum euulgarant, sedibus primum à Rege exacti, deinde mitescente Regis ira, nouus Legatus ex vrbe Octauianus Cardinalis affuit. Suessione Rex, & Patres Franci conuenere. Nullusdum prodire audebat, qui Regem accusaret. Erant multi nimis, qui disertissime compositissimeque eius causam agerent: Hi summo silentio ac prope assensu audiebantur. Peroratant enim, cum nemo contra vocem mittebat. Perdin expectatione suspensi animi tenebantur. Tandem ex humili multitudine adolescens ignotus, quis, vnde veniret, venia dicendi demissime & à Rege, & à Legato, & à cætero consessu petita, externæ repudiatæque mulieris desertam ab omnibus causam, tam ornate dilucideque defendit, tam reuerenter de Rege verba faciens, vt in admirationem sui omnes conuerteret. Fine dicendi facto se surripiens, nusquam deinceps comparuit. Sunt qui Numini id attribuant. Nihil ea constitutum actione. Ampliatione facta Patres expectabant, vt vltro Rex Danam vxorem agnosceret, is tamen consuetudine Mariæ tenebatur, nec ab ea secubabat. Labebatur longior dies, temporisque spatium illi dabatur, si à pertinacia desisteret; sed publico conuentu toties coacto, necesse erat iudicium aliquando facere. Rursus itaque coguntur Patres: adest & Rex: iam liberior dolor voxque hominum, & magis apertus sensus erat: & præseferebant Patres, quidnam ipsis necesse foret decernere. Tunc demum Rex necessitatem vertit in virtutem, relictoque consessu, in equum cum is siluisset, post se receptam Gelbergam in Regiam reduxit. Ita Pontificis Romani Legatus, cum vidisset illud subsecutum esse quod desiderabat, nullo iudicio facto Concilium dimisit. Paulo post decessit Maria: Philippum autem ex ea susceptum, iustam Augusti sobolem esse Innocentius denunciauit: eo quod bona fide illum Maria ei genuisset, cum lis sub iudicio pependisset.

b Paulus Æmil. in Philippo II.

PROVIDET PER LEGATVM PAPÆ ET CAVSÆ DICVNTVR VTRINQVE.

XII. Eodem anno, die quinta mensis Iulii, Innocent. Pontif. Max. Caro Archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia, potestatem in tres annos fecit, omnes eos, qui in aliquem ex Clero manus violentas iniecissent, & propterea in canonem Sedi Apostolicæ reseruatum incidissent, ab omnibus execrationibus absoluendi. *lib. 1. epist. Innoc. 3.*

XIII. OB LECTIONEM IMPER. TVMVLTVATVM INTER PRINCIPES GERMANIÆ.

In Germania, tumultuatum est. *c* Archiepiscopus Colonensis, & Suffraganei illius, plures Episcopi & Principes Alemani, tam Ecclesiastici, quam sæculares: & inter hos Dux Louanii, Dux Lunæburgensis, Comes Palatinus Rheni, Comes Flandriæ, & Lantgrauius Thuringiæ, ægreferentes, quod Philippus Dux Sueniæ, frater Imperatoris Henrici defuncti, non Aquisgrani sed Moguntiæ, non ab aliquo Archiepiscoporum Germaniæ, sed à Tarantasiensi, idque nullo Teutonicorum Episcoporum, sed solo Sutrino sacris operante, sine Comitii suffragiis, diadema Regni Romanorum suscepisset: ipsi Conuentu apud Aquisgranum indicto, Ottoni filio Henrici Ducis Saxoniæ Regnum Romanorum detulerunt, eumdemque ritu solemni inaugurarunt. *a* Philippo, Philippus Gallus adhærebat: Ottoni Richardus Anglus, & Innocentius Romanus Pontifex fauebant. Innocentius præsertim memor iniuriarum ac persecutionum, quas prædecessores huius Philippi, temporibus retroactis Romanæ Ecclesiæ intulerant, eidem se opposuit. Non enim poterat obliuisci, quæ Henricus primus eius stirpis Imperator Paschali, Cardinalibus, & Romanis nobilibus: quæ Fridericus, Philippi pater, Alexandro Pontifici, & vniuersæ Ecclesiæ: quæ denique Henricus eiusdem Philippi frater Imperator, Leodiensi Episcopo, & Romanæ Ecclesiæ fecit. Quamobrem illius conatibus, vt pote ab Ecclesiæ communione excommunicati, qua poterat virtute obstitit, atque Ottoni inprimis benigne studuit. Conabatur Philippus Innocentium in partem suam trahere: Tusciæ ducatu, atque Siculis obsidibus, Ecclesiæ restitutis. Cæterum Pontifex tantum abest, vt Philippo quicquam de æquo & iusto concesserit, vt etiam in illum anathema strinxerit: ac Prælatis Germaniæ, atque ciuitatibus Lombardiæ præceperit, vt Philippo resisterent, & Ottoni obedirent.

a Antonin. 3 p. tit. 19. c. 1 §. 2.

XIV. RES CHRISTIANA IN SYRIA ET TERRA SANCTA COLLABITVR.

In Syria ac Phœnice, *b* Germani sub signis Conradi Pontificis Moguntini, & Henrici Ducis Saxoniæ in Orientem profecti, Berytum occupauere, muniuereque: Turonium obsedere: & cum iam aut conditionibus recepturi, aut virtute in mœnia euasuri essent, occurrentibus auxilio Barbaris coacti sunt cœpto desistere, qui Christianorum ibi res gerebant, qui vero Berytii in præsidio remanserant, aduentu hostium oppido excessere. Coniunctis rursus copiis Ioppen perrectum, vrbs erat euastata, eam munitionibus firmarunt, Saracenosque magna fiducia venientes repulerunt. Consilia tandem Hierosolymorum petendorum agitabantur, quod Simon Montisfortis Comes Summus bello Dux, cum Francicis copiis iam Syriam tenuerat. Mors Henrici Cæsaris nuntiata, omnia mutauit. Archiepiscopus, Duxque, quorum in deligendo nouo Imperatore authoritas præcipua futura erat, nulla obsecratione Francorum retineri potuerunt, adducive, vt religionis causam antiquiorem cæterarum rerum studiis existimaret. Eorum discessu Ioppen Barbari expugnatam euerterant; qui Christianorum ibi reliqui erant, ad vnum omnes cæsi. Ita feroces hostes reliquias belli persequebantur, ne quid Crucesignati in Syria obtinerent. Franci, Duce Simone impetum cohibuere. Induciæ interim in longam satis diem factæ: cautumque ne Tyro Ptolemaidique arma Barbari inferrent, ita rebus è præsenti vsu compositis, Simon Comes suos è Syria deduxit. *c*

b Paul. Æmil. in Philippo.

ABEVNT INDE MOGVNTINVS ET SAXO OB MORTEM CÆSARIS.

c Martin. Polon. in Innocent.

XV. Eodem anno apud Rosetum in Vmbria, in sacrificio altaris vinum est visibiliter mutatum in sanguinem, & panis in carnem. In Vermedesio, miles qui mortuus erat reuixit, & postea sumpto cibo & potu longo tempore vixit.

XVI. Per id temporis Gerardo Gisella Bononiensi Ecclesiæ præsidente, Lucia virgo in monasterio S. Christinæ mira floruit sanctitate: quam, *vt narrat in itinerario suo Ambrosius Camaldulensis*, cum multis aliis signis, tum hoc maxime claruit. Adamauerat Luciam quippe speciosissimam in-

S. LVCIÆ VIRGINIS

SANCTITAS ET PVDICITIA MIRACVLOSA.

uenis nobilis, abibatque frequens monasterium eius gratia visendæ. Nam cum esset clausula cellula Ecclesiæ coniuncta, per fenestram sacra Missarum solemnia audire consueuerat. Hæc iuuenis interim amore ebrius, cum spem eius visendæ potiundæque sibi sublatam aduertisset, desperatione victus, sese ad remotiores, barbarasque contulit nationes. Interea virgo felix migrauit ad Christum, cum iuuenis à Sarazenis captus Christum negare, aut mortem oppetere cogebatur. Inclusus carceri & compedibus vinctus, vt solet intellectum auditui dare vexatio, recordatus est Luciæ virginis Sanctissimæ. O, inquit, Lucia virgo, si quid apud Deum prævales adiua me, atque his necessitatibus libera. His verbis prolatis somno corripitur, experrectusque prope monasterium ferme ad iactum lapidis vinctus compedibus consueti sonum signi haurit auribus. Apparuit illi per visum virgo Christi, & ille ad eius aspectum admiratus, viuisne, inquit, Lucia? Et illa, viuo, ait, veram vitam, vade & compedes istas ad sepulchrum meum defer, Deoque gratias age, qui te de imminenti periculo liberauit. Paruit ille iussis; eas nos compedes vidimus; neque desunt, qui asseuerent, eas nulla vnquam ratione inde potuisse amoueri. *Carolus Sigonius lib. 2. de Episcop. Bononien.*

XVII. S. ALDEBRANDI EPISCOPI FOROSEMPRONIENSIS, SANCTITAS ET MIRACVLA.

Fere hoc eodem anno, diem clausit extremum, S. Aldebrandus Episcopus Forosempronienſis. Is Sorbitali in Æmilia apud Bobium & Galeatam natus, inprimis Rauennæ liberalibus disciplinis operam dedit; deinde propter morum elegantiam, & eximiam Sacræ Theologiæ ac Sacrorum Canonum eruditionem ab Ariminensibus Canonicis Præpositus electus fuit. In ea ciuitate, cum inter concionandum Ariminenses, quod res Ecclesiæ occuparent, argueret, à concitata populi multitudine vix euasit, Egressus Arimino, à Forosempronien sibus, qui eum in Episcopum elegerant, in suam ciuitatem deductus, eam sedem virtutibus impleuit. Magnam enim Basilicam statim extruere aggressus, vitam valde austeram duxit. Nam sæpissime ieiunans, carne abstinuit, cilicio indutus, non in lecto, sed super nuda tabula cubabat. Pauperibus, quibus semper fores patebant, necessaria ministrabat. Omnibus diebus festiuis verba ad populum faciebat, quod cum quadam die proponeret, & hirundines obstrepentes prædicationem impedirent, facto illis præcepto, illico omnes conticuerunt. Vitam cum ad C. fere annos produxisset, nihilque præ senio iam gustare videretur, oblatam sibi perdicem coctam facto crucis signo abire iussit, quæ rediuiua mox auolauit. Cum vero mense Ianuario, cerasa postulasset, eamque ob rem à circumstantibus denisus esset, misit ad attare in quo celebrare consueuerat; in quo cerasa recentia inuenta ad eum delata sunt. Pluribus aliis effulsit miraculis, in dæmoniacis præsertim liberandis, ac morbis insanabilibus persanandis. Obiit diem suum prid. Calend. Maii, & postera die sepulturæ traditus fuit. Multis autem ex Vrbino, Callio, aliisque finitimis vrbibus confluentibus, mirum tunc accidit, quod vinum in paruo vase contentum, maximæ tamen multitudini satis fuit, donec quispiam blasphemans ediceret; *O Diabole, quid est hoc, quod vinum hoc tanta multitudini non deficit?* Post biennium, ædituus Ecclesiæ, in qua Sancti Episcopi corpus tumulatum est, ad horas matutinas pulsandas surgens, lumina super illius sepulchro vidit, & Anglicum cantum audiuit, vna cum Archipresbytero & Canonico ab ipso vocatis.

Quapropter corpus illius in maiorem capellam, non sine miraculis subsequentibus translatum fuit. Nam cum quidam digitum clam sublatum domum suam exportasset, in magnam incidit ægritudinem: à qua non prius sanatus est quam digitum restituisset. Eugubinus item quidam, qui noctu oleum ex lampade ante corpus Sancti Aldebrandi ardente accipere præsumpserat, amisso lumine oculorum delictum confessus, & veniam postulans illud recepit. Ferunt etiam, Fanenses, campanas binas ex Sancti Aldebrandi æde abstulisse; quæ pulsatæ nunquam nisi restitutæ sonum ediderc. *ex M. S. vitæ eius in Eccles. Forosempronens.*

XVIII. D. DONATI VITA SANCTISSIMA.

Eodem anno ex humanis abiit, B. Donatus monachus Petinensis Ord. Montis Virg. Is Ripæ Candidæ in Lucania natus, vix 14. annum agens ætatis, Petinam ad Abbatem cœnobii ordinis M. virginis, vt ad habitum monasticum reciperetur contendit. Ab eo propter eius teneram ætatem reiectus post aliquantum temporis spatium, necdum annos 15. natus parentibus & propinquis valefaciens ad Abbatem rediit, & magnam vim lachrymarum profundens, genuflexus orauit recipi; obtestatus per Deum, ne vti prius, repulsam pateretur. Receptus intra claustrum, & ianuæ custodiæ deputatus, carnem suam præter flagella & ieiunia, adeo cœpit affligere, vt noctu cæteris somnum capientibus hyeme cella egressus in stagnum gelidissimum glacieque constrictum nudus descenderet, statisque horis nihilominus nocturnis, & diurnis interesset.

Cum autem sibi furni cura demandata fuisset, oratione & meditationi intentus, illum accensum & calefactum mundare oblitus esset, aduenientе Abbate hora panis coquendi, illumque negligentiæ obiurgante, vt erat habitu indutus, illico furnum ingressus eum propriis vestibus purgauit, exiuitque, nulla in eius carne, aut veste, apparente læsione; non sine maxima Abbatis, & adstantium monachorum admiratione, clibano adhuc flammis, & accensis carbonibus candente. Ex hoc tempore omnibus cœpit esse admirationi. Sed & illud quoque admirandum fuit. Erant in horto examina aliquot apum, & fani, propter quos consumptos, examinibus diuersis, Abbas querebatur. Donatus itaque maleficii auctorem obseruans, versum inuenit fauos noctu comedentem.

Hunc zona, qua præcingebatur, alligatum, velut agnum mansuetum ad Abbatem adduxit: maxime rei euentu Monachis mirantibus, & in obedientia deinceps proficientibus: præsertim cum ad Donati præceptum versum abire, neque rursus in hortum redire vidissent. Denique cum tantus euasisset, 19. ætatis anno migrauit è vita. Huius corpus cum Ripam candidam (ita in ciuibus illis suppliciter flagitantibus) deferretur, conquerentibus monachis, quod se desereret, nihil sui apud eos relinquens, ferunt illum in feretro resedisse, sibique brachium detractum monachis porrexisse. *Paul. Regius in vita ex Chron. M. Virg.*

XIX. RESIPISCENTIÆ IN APOSTATA AB ORDINE EXEMPLVM.

Per id temporis, accidisse miram mirandam cuiusdam iuuenis conuersionem, narrabat Cæsarius Heisterbacensis, vir venerandæ pietatis & reconditæ doctrinæ, in eo libro illustrium miraculorum & historiarum memorabilium, quæ sua ætate contigarunt. Placet ipsissimis eius verbis commemorare, ne quis me quidquam vel ex vano finxisse, vel ex proprio adieciſſe existimet. Ita narrat rem scitu longe dignissimam.

Iuuenis quidam nobilis conuersus est in quadam domo ordinis nostri Cistercienſis. Habebat autem Episcopum quendam cognatum, à quo vnice amabatur: qui cognita eius conuersione, ad monasterium venit, & vt rediret ad sæculum, verbis quibus poterat suasit, sed persuadere non potuit. Anno probationis expleto, factus est monachus, & non multo post gradatim ascendens, in sacerdotem est ordinatus. Qui suadente Diabolo, à quo primus homo eiectus est de paradiso, oblitus voti & sacerdotii, & quod pessimum est, creatoris sui, ordinem deseruit: & quia ad parentes redire erubuit, prædonibus, quorum multitudo Rutta vocatur, se coniunxit. Qui ita datus est in reprobum sensum, vt qui prius bonis erat melior, postea malis fieret deterior. Accidit, vt in obsidione cuiusdam castri telo percussus & perfossus ad extrema deueniret. Deportatus est itaque à sociis in quandam villam, adhibitis quibusdam, qui ei ministrarent: & cum nulla spes esset euadendi mortem temporalem,

horrabantur ad confessionem, vt saltem illius beneficio mortem euaderet sempiternam. His ille respondit; Quid mihi prodesse potest confessio, qui tanta & tam innumera feci mala; qui tam enormia scelera commisi? Ad hæc illi; Maior est Dei misericordia, quam iniquitas tua. Hæc cum illi dixissent, vix tandem importunitate victus illorum, ait: vocate Sacerdotem. Hic cum vocatus esset, & coram infirmo sederet, pius Dominus qui potens est auferre cor lapideum, & dare cor carneum, tantam cordi eius contulit contritionem, vt sæpe confessionem inciperet, & propter lachrymas & singultus totiens in voce deficeret. Tandem collecto spiritu in huiusmodi verba prorupit; Domine peccani super arenam maris. Monachus fui Ord. Cistercien sis, & in ordine sacerdos factus, ordinem, peccatis meis exigentibus, deserui, & non mihi sufficit, quod apostataui, sed & prædonibus me coniunxi, quos in crudelitate superaui. Quibus illi tollebant substantiam, ego abstuli vitam, nemini parcebat oculus meus. Si illi quandoque parcebant humanæ ducti miseratione; ego cordis mei impellente malitia, nemini, quantum in me fuit parcere potui. Multorum vxores & filias violaui; incendiis plurima vastaui. Enumerauit & alia quam plurima, quodammodo exceden tia naturam humanam. Talibus Sacerdos auditis, peccatorum eius enormitate perterritus, sicut stultus fuit, ita & stulte respondit: Maior est iniquitas vestra, inquit, quam vt veniam mereamini. Respondit ille: Domine, litteratus sum; sæpius audiui & legi, quia nulla est comparatio humanæ malitiæ ad diuinam bonitatem. Ait enim per Prophetam Ezechielem: *In quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit.* Item: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.*

Rogo vos ergo, vt intuitu diuinæ misericordiæ, aliquam mihi pœnitentiam dignemini iniungere. Et sacerdos: Nescio, quid tibi iniungere debeam, quia homo perditus es. Respondit monachus; Domine, ex quo non sum dignus à vobis recipere pœnitentiam; ego mihi illam ipse iniungam. Eligo enim duo millia annorum esse in purgatorio, vt post illos misericordiam inueniam coram Deo. Hunc porro adeo prolixum terminum, positus inter duas molas, timorem videlicet gehennæ & spem gloriæ, elegit, quia & magnitudinem peccatorum suorum considerauit, & pœnam temporalem respectu æterni supplicii quasi momentum reputauit. Dicebat etiam Sacerdori; Ex quo negastis mihi medicinam satisfactionis, pero vt non fraudetis me à viatico sacræ communionis. Respondit ei stolidus sacerdos; Si tibi ausus non sui iniungere pœnitentiam, quomodo præsumam tibi dare Christi corpus & sanguinem? Et cum ad neutrum acquiesceret, vnicam tandem rogauit petitionem dicens; Statum meum in schedula scribere volo, & vos illam deferte Episcopo cognato meo: qui, spero, pro me orabit. Et promisit Sacerdos. Mortuus est Monachus, & ad purgatorium deportatus.

Et venit Sacerdos ad Episcopum, defuncti literas ei deferens: quas cum legisset, amarissime fleuit, dixitque Sacerdoti: Nunquam tantum dilexi hominem, dolui de apostasia, doleo de morte; dilexi viuum, diligam mortuum: quia iuuari potest, & contritus obiit; ideo orationibus Ecclesiæ meæ non carebit. Et conuocans Prælatos Episcopatus sui, Abbates scilicet, Decanos, Priores, & Pastores Ecclesiarum, vel quibus commissa fuerat cura animarum, & hoc ipsum demandans monasteriis Monialium, rogans cum multa humilitate & instantia, viua voce præsentes, literis absentes, vt omnes speciales orationes, quas ipse iniunxit, illo anno animæ iam defuncti impenderent, tam in Missis, quam in Psalmis. Ipse vero præter Missas & eleemosynas, ac orationes peculiares, quas pro eo fecit, singulis diebus hostiam salutarem pro absolutione animæ eius immolauit. Quod si forte in maxima necessitate vel infirmitate, hoc per seipsum facere non potuit, alter defectum illum suppleuit. Anno completo, in fine Missæ, post altare stans defunctus, apparuit Episcopo, pallidus, exilis, macilentus, in veste pulla, vultu habituque statum suum bene declarans. Quem cum interrogasset, quomodo haberet, vel vnde veniret; respondit: in pœnis sum, & de pœnis venio: Sed gratias ago charitati tuæ, quia annus iste propter eleemosynas & orationes tuas, atque beneficia Ecclesiæ tuæ mihi exhibita, abstulit mihi mille annorum pœnas, quas in purgatorio habueram sustinere. Quod si adhuc vno anno similem mihi impenderis opem, omnino liberabor. Audiens hoc Episcopus, lætus effectus Deo gratias egit, missisque literis ad Ecclesias & Monasteria, visionem omnibus exposuit, & vt adhuc vno anno iniunctas orarent orationes, obtinuit. Episcopus quoque annum sequentem præcedenti continuauit, tanto in exhibitione feruentior, quanto iam de liberatione securior. Expleto anno, cum Episcopus Missam pro eo celebraret, iterum illic adfuit in cuculla niuea, & facie serenata, dicens sibi omnia oprata succedere.

Remuneret, ait, tibi Deus Omnipotens charitatem tuam, Sanctissime Pater, quia propter tuam sollicitudinem ereptus de pœnis ingredior gaudium Domini mei; & ecce duo isti anni, reputati sunt mihi pro duobus millibus annorum. Dixit, & ab oculis Episcopi disparuit, dato indicio clarissimo, quanta sit virtus inprimis contritionis, per quam, merito damnandus, dignus effectus est vita æterna; deinde orationum, eleemosynarum, & sacrificiorum, per quæ tam celeriter liberatus fuit à purgatorii supplicis. *Cæsar lib. 2.*

XX. LIBERALITATIS IN PAVPERES EXEMPLVM ET MERCES.

Superiore anno, cum fames ingens Germaniam vexaret, Deus ingenti miraculo ostendit, opes non tantum non immuni, sed potius maiorem in modum augeri, his qui intelligunt super egenum & pauperem. Gueuardus Abbas Monasterii Heisterbacensis, fere plusquam mille quingentis pauperibus, quotidianam stipem panis, carnium & pulmentorum distribuere iusserat. Cumque timeret, ne forte annona pauperum ante tempus deficeret, & pistorem pro eo quod panes nimis magnos faciebat argueret; respondit ille: Credite mihi Domine, inposita valde parui sunt, & in fornace crescunt: parui immittuntur, & magni extrahuntur. Referebat quoque idem pistor, nomine Frater Conradus Rufus, quia non solum panes in fornace, sed etiam farina creuerit in sacris & vasis, ita vt omnes pistores mirarentur, nec non & pauperes, qui exinde nutriebantur. Dicebant enim: DOMINE DEVS, vnde venit annona ista? Scilicet, voluit illam DEVS per miraculum propter egenos multiplicare, qui olim in deserto manna & carnes sicut puluerem pluit, atque panes non semel in manibus multiplicauit. *Cæsar. lib. 4. cap. 65.*

XXI. VOLCO SACERDOS TAVMATVRGVS IN FRANCIA ET PASTOR.

His ipsis temporibus (verbis Ottonis de Sancto Blasio rem narrabo) Sacerdos quidam Sanctæ conuersationis, nomine Volco, in Francia, in Parisiensi Diœcesi, cuiusdam Ecclesiæ Parochianus, verbo prædicationis per omnes Franciæ partes instans, gratia miraculorum mirifice claruit: ac præcipue in Parisiensi ciuitate vitia DEO odibilia, maxime auariciam, eiusque accidens vsuram, Sodomiticumque scelus reprehendit; & nunc minis, nunc blanditiis, nunc increpationibus, omnes verbum audientes ad pœnitentiam inuitauit: atque (sicut percepimus ab his qui interfuerunt) laborantibus variis languoribus per impositionem manuum contulit sanitatem, reddens cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam. Hæcque sic euidenter & confidenter egit, vt in digito Dei hæc eum operari non dubitaretur.

Ergo tam præclara, tamque multa miracula per eum DEVS ostendit, vt antiquis Sanctis omnimodis posset in hoc dono Dei æquiparari. Quod vero opus prædicationis attinet, illud non temere assumpsit, sed auctoritate Domini Papæ Episcoporumque præcepto ad hoc accessit; asserens, quod Beata virgo Maria sibi apparens, ad hoc eum officium informauerit, & vt pœnitentiam populo prædicaret, admonuerit, datamque sibi à DEO gratiam sanitatum, intimauerit. Igitur pau-

ca de pluribus (sicut Bertoldus de Ofinberc Henrico Custodi Argentinensis Ecclesiæ de Veringin, postea eiusdem Ecclesiæ Episcopo transcripsit, qui his interfuit) in medium producentes, declarabimus, ad ostendendum, cum quali confidentia ea operatus est. Allatis itaque ad eum mutis (sicut idem Bertoldus oculis suis vidit) ora eis aperiens insufflauit, eisque vt loquerentur imperauit, qui si aliquam diu morarentur, eos in maxilla cædendo, quasi per vim Spiritus Sancti verbum ab eis violenter excorsit, statimque reddidit loquentes.

Contigit quoque eum quadam die causa quadam ad Franciæ Regem pergere: cui occurrentes milites, quemdam adolescentem cognatum suum debilem & contractum obtulerunt, & vt ei manum imponeret, suppliciter petierunt. Quos ille de pompali admodum superfluitate acriter reprehendens, contracto, vt equo quo sedebat descenderet, imperauit. Itaque puer omnino debilis, cum se mouere non poterat, iterato Sacerdos ei dixit: In nomine DOMINI IESV CHRISTI, præcipio tibi vt descendas.

Cum autem neque ad hanc vocem æger posset descendere, Dominus Volco (nam & ipse equo insidebat) equum ad eum virgens, quasi eum percussurus, baculum quem manu gestabat, eleuauit; ægroque per hoc stuporem incutiens, eumque præ timore de equo corruentem eleuans, sanum continuo reddidit, eumque per aliquod campi spatium coram se gaudentem currere fecit.

Inter cætera virtutum eius insignia, fœneratorem quemdam ditissimum videns in spiritu ad vitam esse prædestinatum, occasione prandendi cum eo ad salutem eius sumpta domum eius ingressus est. Ad quem vir DEI, Quid, inquit, hodie pransuri sumus? Cui dies: non est necesse Domine nos hoc inquirere: quia quicquid ciuitas optimum habere poterit in cibis, nobis hodie non deerit. Quamobrem vir DEI, clericis qui secum venerant assumptis, coquinam eius intrauit, & coquo vt singula fercula coram se exponeret, iussit. Quod dum faceret (mirum dictu) pro variis & pretiosis quæ imposuerat, aut ranas de singulis, aut serpentes expositi. Ito vilo, omnes qui aderant in stuporem conuersi sunt; & præcipue dies ille se peccatorem agnoscens, pedibus eius prouolutus, se criminosum proclamauit, & vt sibi viam vitæ per indictam pœnitentiam ostenderet, summopere precatus est.

Ad quem Sacerdos; Immundus es tu, & omnia quæ habes, & nisi omnia quæ ex vsuris, vel qualibet modo iniuste acquisiuisti reddideris, ac deinde omnibus iuste acquisitis in pauperes erogatis, per eleemosynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis. Huic dies obedienos, ac septimanas nihil agens, hæc deuotus impleuit: dehinc ad virum DEI reuersus, nihil sibi remansisse indicauit. Quidam autem ex amicis eius astans, se adhuc in vase xx. maltra tritici de rebus eius reseruasse indicauit, quæ dies, alia expendens, in memoriam non reuocauit. Sacerdos igitur assumpto diuite, tuba clericorum amicorumque eius & multorum aliorum comitante, ad vas accessit, ipsumque aperiens, bufonibus serpentibusque plenum reperit. Itaque ad diuitem conuersus: Si vis, ait, perfectus esse, & de diuina misericordia ac venia certus, vas istud ingredere nudus, & ego tibi vitam æternam repromitto. Cui ille magna fide obediens, coram omnibus in remissionem peccatorum sucrum nudus intrauit; clausoque super eum ac signato vase, Sacerdos, omnes vsque in crastinum abesse præcepit.

Sequenti vero die, cum eis qui hoc viderant, & cum multis aliis ad locum venit, & aperto vase, nihil præter humana ossa, super niuem candida, reperit, quæ in medium proferens, Sancta & veneranda esse protestatus est, & cum gaudio & admiratione omnium, in loco honesto reposuit. Meretricum autem Sectam, quæ infami commercio vitam suam probrose prostituerant, omnimodi in ea regione deposuit, easque verbo prædicationis con uertas, plures truncatis crinibus, habitu religionis induxit, professione perpetuæ castitatis. Alias autem, quæ continere non præsumebant, casum exfragilitate timentes data eis in dotem non modica pecunia, legitimo connubio reformauit ad quod efficiendum Parisienses Scholares ducentas quinquaginta libras, Burgenses vero mille & amplius erogauerunt.

Huius Sacerdotis conuersatio, non multum simulata religione fuit. Vestes enim pro consuetudine ipsius terræ habens, barbam frequenter radebat, & caput decenti pileo cooperiebat. Vadens ad prædicandum equo vtebatur, & in quamcunque domum recipiebatur, modo iusti prædicatoris comedit & bibit, quæ sibi apponebantur. Magistrum etiam Petrum, virum apprime eruditum ad officium prædicationis assumpsit, eique gratiam curationum à Domino impetrauit. Reliquos Magistros, vt compendiosas, dulces, & vtiles in timore Domini discipulis facerent Lectiones admonuit. Dialecticos inutilia abiicere, & vtilia in hac arte hortatus est proponere. Decretistas quoque de multis inutilibus, & lectorem grauantibus concordantiis reprehendit. Theologos autem de longis continuationibus, & Sophisticis disputationibus redarguit, reliquarumque artium magistros, simili modo increpans eos de multis ineptiis correxit, atque ad necessaria tractanda & docenda informauit. His porro peractis, quid egerit, quove fine decesserit, ignoratur: Sapientioribus, quia de eius transitu nihil memoria dignum, propter hoc admodum scandalizatis. Sed hoc frustra: cum possit multipliciter honeste defendi. *Otto de S. Blasio in appendice ad Frisingen.*

XXII. FVLCO ANGLIÆ REGEM OB VITIA APPOSITE CASTIGAT.

Porro lepidum est, quod V Vestmonasteriensis narrabat de eodem Fulcone. Accessit, inquit, Fulco quadam die ad Regem Angliæ Richardum, & ait illi. Dico tibi ex parte Omnipotentis Dei, vt tres filias tuas, quas habes pessimas, citius in matrimonium colloces: ne aliquid tibi deterius contingat. Huic, fertur, Rex respondisse. Hypocrita mentitus es, quia filiam non habeo vllam. Ad quod Fulco: Certe non mentior, quia, vt dixi tres filias habes pessimas, quarum vna est superbia, altera cupiditas, tertia luxuria. Conuocatis igitur ad se Comitibus, & multis aliis, qui aderant, ait Rex: Audite vniuersi commotionem huius hypocritæ, qui me dicit habere tres filias pessimas; scilicet superbiam, cupiditatem & luxuriam: & præcepit vt eis maritos elocem. Do igitur superbiam meam, superbiæ Templariorum: & cupiditatem meam Monachis de Ordine Cistercien si; & luxuriam meam Prælatis Ecclesiarum. Ad eum modum profanus Rex virum Sanctum elusit, & viris Ecclesiasticis nimis falsè contumelios us fuit. *Matthæus V Vestmonasteriens. ann. 1197.*

XXIII. TYRVM ET PTOLEMAIDA RETINENT CHRISTIANI, RELIQVIS A SARAZENIS OCCVPATIS.

Eodem anno, mortuo Henrico Cæsare, Germanorum primates, qui aduersus Asiaticam Barbar. profecti fuerant, nullis precibus in Syria retineri potuere. Horum discessu, qui reliqui Christianorum res ibi gerebant, animos prope desponderunt. Barbari magna Crucesignatorum cæde, Ioppen statim expugnatam euerterunt. Simon Comes Montefortis Gallorum Dux, pactis cum Saracenis induciis, Tyrum dumtaxat ac Ptolemaida, in potestate piorum reliquit. Domum regressi Germani contrariis inter se studiis distringebantur: alii Philippum Henrici defuncti fratrem, cæteri Ottonem Henrici Ducis Saxoniæ fratrem, eundem Richardi Anglorum Regis ex sorore nepotem Augustum salutauerunt. Ea in discordia Innocentius Pontifex, Anglorumque Rex Richardus, & Balduinus Flandriæ Comes Ottoni adhæserunt. *Annal. Flandr. lib. 7.*

XXIV.

Eodem anno in æstate (verbis *Rogeri Houedenii* Annalium huius temporis scriptoris rem refero) intra fines Italiæ, in quadam ciuitate, non longe à Ianuis, res digna memoriæ contigit. In hac ciuitate primo quidam ciuis, exigentibus peccatis suis, effectus est energumenus, id est dæmoniacus; & infra paucos dies adeo creuit eorum numerus, vt quilibet sibi timeret, ne simile incurreret

periculum. Communi igitur ciuium consilio ad eandem vrbem vocati conuenerunt viri religiosi, & præcipue Abbas de Luceio de Ordine Cisterciensi, qui inter eos maior religionis authoritate vocabantur, & videbatur, vt quid agendum pauidis ciuibus deliberarent. Indictum est triduanum ieiunium. Tertia vero die conuocatis coram se dæmoniacis, obtestabatur prædictus Abbas in nomine Iesu Christi, quatenus sane causam exponerent, cur hanc ciuitatem plus cæteris vexare præsumpsissent, & vt exirent à famulis Christi nomine signatis. Quorum vnus voce terribili, & sublimi clamans: Cogitis nos, inquit, exire ex vasis nobis rationabiliter concessis. Nos quidem sumus legio illa dæmonum, quam Iesus vester ab homine eiectam permisit præcipitare porcos in mare. Nunc autem vinculis, quibus tenebamur soluti, potestatem accepimus in blasphematores tantum virginis Mariæ. In hac igitur ciuitate tales inuenimus, & inuentos, sicut dignum est, torquere debemus. Quare si eiecti fuerimus, noueritis, quod te, hypocrita, & ordinem tuum in proximo persequemur. Ad secundam igitur iussionem ipsius exierunt, cum magna tamen difficultate, relinquentes fœda vestigia. *Roger. Houeden. Annal. parte 2. in Richardo I.*

DÆMONIACI IVSTI OB BLASPHEMIAS IN B. VIRGINEM.

XXV. Vixit hoc tempore Tullius Vrsinus propter ingentia merita inter purpuratos patres adscriptus ab Innocentio Pontifice: quemadmodum affirmat Iacobus Corellus in eo quem de Cardinalibus scripsit libro.

IESV CHRISTI
Annus 1199.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 2. ALEXII COMNENI. Imper. 5.

L. Rebus Christianorum in Syria ad eum modum dispositis, Innocentius Papa ad eas iuuandas animum non deposuit. Quamobrem & Francorum & Anglorum Regibus scripsit, in hunc ipsum modum, quem subiungo.

a l. 2. ep. 139. CVRA PASTORALIS INNOCENTII SVPER ORIENTE AD GALLIÆ, ANGLIÆ REGES ET GERMANIÆ PROCERES.

a *Nuper ad nos charissimus filius noster Aimericus Rex Hierosolymitanorum illustris suos cum litteris nuncios destinauit: per quos miserias & necessitates Terræ Orientalis, quæ grauiores & plures sunt solito, nobis exposuit, & festinatum subsidium postulauit. Cum enim pauci sint ibi ad custodiam Terræ relicti, quæ fere nunc tota peccatis exigentibus est viris & viribus spoliata, nisi ei fuerit cito subuentum, tam terræ, quam populi periculum formidatur, quod ex discordia Saracenorum, qui seipsos impugnant, videtur Dominus hactenus misericorditer impediisse. Si vero antequam redeat ad concordiam, congruum subsidium mitteretur, speratur pro certo, quod facile possit hoc tempore Hierosolymitana prouincia liberari. Sin autem prius redierint ad concordiam, quam subsidium destinetur, timetur ab omnibus, quod residuum terræ de facili debeant obtinere. Monemus igitur serenitatem Regiam, & exhortamur in Domino, & in remissionem iniungimus peccatorũ, quatenus sicut Christianissimus Princeps, cuius obsequium Iesus Christus in tanta necessitate requirit, ad subsidium terræ Sanctæ diligenter ac potenter intendens, vniuersos Crucesignatos de terra tua transfretare non solum moneas sed compellas: & tu ipse ad defensionem terræ ipsius competentem in expensis tuis dirigas numerum bellatorum: quasi decimas saltem Christo persoluens; ita quod ex hoc diuinam gratiã possis plenius promereri. Quod si forsan multitudo in breui transfretare non poterit, aliquot saltem milites armis, equis, & aliis bene muniti, quam citius dirigantur: qui in eius defensione vsque ad aliorum aduentum humiliter & deuote persistant, & eam ab incursu hostium tueantur. Mittimus autem ad te nuncium Regis ipsius, qui serenitati tuæ plenius Orientalis Prouinciæ necessitates exponat, & te reddat de omnibus certiorem. Quia vero Constantinopolitanus Imperator aduersus eundem Regem procedere occasione Cypri minatur, vel dirigere contra eum exercitum copiosum, & vires eiusdem Regis non suppetant ad defensionem Hierosolymitanæ Prouinciæ, nedum quod eidem Imperatori valeat obuiare, volumus nihilominus & monemus, quatenus eidem Imperatori literas tuas sub eo tenore transmittas, vt in hoc articulo tempestatis, & necessitate totius populi Christiani, non moles Regem eundem, cui debeat potius subuenire. Addas etiam, quod si super hoc preces tuas duxerit audiendas, apud nos precibus instare curabis, vt ei faciamus iustitiam exhiberi: & tu nihilominus partes tuas efficaciter interponas. Nos etiam ad eundem Imperatorem, propter hoc specialiter curauimus Nuncium destinare.* Ad eum modum Innocentius Papa Regibus Galliæ & Angliæ scripsit. In eandem rem & Archiepiscopo Magdeburgensi & Suffraganeis eius, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis & vniuersis Clericis tam subditis quam Prælatis in Magdeburgensi Prouincia constitutis, tum deinde omnibus Christi fidelibus per totam Alemaniam, Thusciam, Lombardiam, Sclauoniam, Hiberniam, ac per Regna Siciliæ, Angliæ, Galliæ, Vngariæ, & Scotiæ, iniunxit, vt quadragesimam partem redditruum Ecclesiasticorum Clerici, reliqui autem Christi fideles subsidia voluntaria conferrent, in necessitates Crucesignatorum; qui vero fidelium sufficientes fuissent, ad bellum Domini præliandum, vt in nomine Domini Sabbaoth signum Crucis assumerent. Et quo facilius vniuersi, ad tam sacram militiam illicerentur omnibus qui laborem huius itineris in personis propriis subiissent & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egissent pœnitentiam, veniam indulgebat, & in retributionem iustorum salutis æternæ pollicebatur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accessissent, sed in suis tantum expensis, iuxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinauissent, illic ad minus per annum moraturos; & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleuissent, plenam pariter suorum veniam concedebat peccatorum. Hac religiosa liberalitate illecti quamplurimi Occidentalium, in Orientem peregrinationem susceperunt.

INNOC. III. CLERICIS INIVNGIT VT QVADRAGESIMAM REDDITVVM, IN BELLVM SACRVM CONFERANT. LAICIS VERO VOLVNTARIA SVBSIDIA PRÆSCRIBIT.

II. Alexius Imperator Constantinopolitanus, quem anno superiore Innocentius per Legatos & literas ad sacrum bellum inuitauerat, aliquantum excusauit: quem tamen secundo datis ad eundem epistolis, tum ad liberationem Terræ Sanctæ, tum ad Concilium Generale pro vnione Ecclesiarum celebranda incitauit, neque tamen quicquam perfecit: Alexio in domesticorum cædibus occupato. a Nam is fratrem natu maiorem Isaacium, cuius nomine Imperium administrabat, dolo captum excæcauit, & in vincula coniecit; adiiciensque sceleri scelus, ad eius filium puerum Alexium, vix annum duodecimum ingressum, omni studio necandum animos adiecit. Ea res non paruam tunc propagandi Imperii occasionem Venetis aperuit. Alexius enim puer amicorum auxilio adiutus, salutem sibi fuga quærens, Venetorum subsidia contra tyrannum implorauit.

II. ALEXIVS IMPER. SVORVM CÆDÆ OCCVPATVS NEGLIGIT SVMMI PONTIFICIS PETITIONEM. a *Petrus Marcellus in Henrico Dandulo.* FVGIT AD VENETOS ALEXIVS FILIVS ISAACII.

III. Venerant per id tempus Venetias, Balduinus Flandriæ, & Henricus Sancti Pauli, & Ludouicus Sabaudiæ, Comites, vna cum Bonifacio Montisferrati Marchione aduersus Saracenos in Orientem traiecturi. Hi classi Venetæ impositi, vna cum Venetis coniuncti, Alexium puerum ab iniuria patrui vindicandum rem æquam esse arbitrantes, Ionio & Ægeo, in Hellesponto superatis, ad Bosphorum peruenerunt, Cretam insulam dedentibus se Alexio puero insulanis receperunt, quamplures alias in Archipelago occuparunt, & post aliquot annos Constantinopolim signa victricia intulerunt, Alexium Imperatorum tyrannum profligarunt, & tandem Alexio puero dolis & fraude Græcorum occiso, Isaacio autem partim senio, partim doloribus confecto imperii diadema Balduino Flandro imposuerunt, Thomam vero Maurocenum Patriarcham Constantinopolitanum cõmunibus suffragiis designarunt. Primus hic Latinorum, tyaram Patriarchalem Constantinopoli obtinuit: cum prius Latinis Christi fidelibus ea in vrbe commorantibus, Vicarium Sedis Apostolicæ Innocentius per b literas præfecisset, vtque omnes ei & obsequerentur, & subsidia corporalia exhiberent monuisset. Irrepserat apud omnes per abusum, vt Sacerdotes promiscue sacramentum confirmationis omnibus ministrarent. Quamobrem Innocentius, vt hunc errorem ab agro Dominico extirparet, Vicario suo Constantinopoli Latinis à se præfe-

III. BALDVINVS COMES FLANDRIÆ FIT IMPER. ORIENTIS. THOMAS MAVROCENVS LATINORVM PRIMVS PATRIARCHA FIT CONSTANTINOPOLI. b *l. 2. epist. 202. & 201.*

obrem Innocentius, vt hunc errorem ab agro Dominico extirparet, Vicario suo Constantinopoli Latinis à se præfecto, per Apostolica scripta mandauit, quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohiberet, ne talia de cetero sua temeritate præsumerent, quæ, inquit, licet non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quam vt ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine graui periculo inaniter conferantur, cum vmbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.

IV. Habuit etiam tunc temporis Innocentius Papa, Ioannis Patriarchæ Græcorum Constantinopolitani proteruiam & superbiam elidere. Nam is datis ad Innocentium literis, illud quod omnibus schismaticis & hæreticis solemne est, mirari se dicebat, quomodo Romanæ Ecclesiæ titulus vniuersalis Ecclesiæ ascribatur. Quamobrem vt & homini peruicaci priuilegium Romanæ Ecclesiæ ostenderet, & omnibus erronibus Primatum suæ Sedis demonstraret, hanc quæ sequitur scripsit epistolam; dignam quæ ab omnibus legatur.

INNOC. IOANNIS PATRIARCHÆ SCHISMA ET HÆRESIN CONTRA PRIMATVM ROM. ECCL. ELIDIT. a *lib. 2. epist. 198.*

a *Patriarchæ Constantinopolitano.*

Apostolicæ Sedis Primatus, quem non homo sed Deus, imo verus Deus homo constituit, multis quidem, & Euangelicis & Apostolicis testimoniis comprobatur: à quibus postmodum Constitutiones Canonicæ processerunt, concorditer afferentes, Sacrosanctam Romanam Ecclesiam in Beato Petro Apostolorum Principe consecratam, quasi magistram & matrem cæteris praeminere. Hic enim cum interroganti Domino, quem homines esse dicerent filium hominis, aliis referentibus opiniones aliorum, ipse velut inter cæteros primus, eum esse Christum Dei viui filium respondisset, audire promeruit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & post pauca: Tibi dabo claues Regni cælorum. Nam licet primum, & præcipuum Ecclesiæ fundamentum sit vnigenitus Dei filius Iesus Christus, iuxta quod dicit Apostolus: quia fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus: secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum est Petrus: & si non tempore primus, auctoritate tamen præcipuus inter cæteros, de quibus Paulus Apostolus inquit: Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: quos, & fundamenta esse in montibus sanctis Dauid Propheta testatur. Huius etiam Primatum veritas per seipsam expressit, cum inquit ad eum: Tu vocaberis Cephas, quod etsi Petrus interpretatur, Caput tamen exponitur: Vt sicut caput inter cætera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet Principatum: sic & Petrus inter Apostolos, & successores ipsius inter vniuersos Ecclesiarum Prælatos prærogatiua præcelleret dignitatis: vocatis sic cæteris in partem sollicitudinis, vt nihil ei de plenitudine potestatis deperiret. Huic Dominus oues suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit, vt alienus à grege Dominico censeatur; qui eum, etiam in successoribus suis noluerit habere Pastorem. Non enim inter has, & illas oues distinxit, sed simpliciter, inquit Pasce oues meas: vt omnes omnino intelligantur ei commissæ. Iacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna Hierosolymitana contentus, vt ibi semen fratris præmortui suscitaret, vbi fuerat crucifixus, Petro non solum vniuersam Ecclesiam sed totum reliquit seculum gubernandum: quod ex eo etiam euidenter apparet, quia cum Dominus apparuisset in littore discipulis nauigantibus, sciens Petrus quod Dominus est, se misit in mare, ac aliis nauigio venientibus ipse sine beneficio nauis ad Dominum festinauit.

Cum enim mare mundum designet, iuxta verbum Psalmistæ dicentis: hoc mare magnum & spaciosum, illic reptilia quorum non est numerus: per hoc quod Petrus se misit in mare, Priuilegium expressit Pontificii singularis: per quod vniuersum orbem susceperat gubernandum, cæteris Apostolis vt vehiculo nauis contentis: cum nulli eorum vniuersus fuerit orbis commissus, sed singulis singulæ prouinciæ, vel Ecclesiæ potius deputatæ. Iterum etiam vt se vnicum Christi Vicarium designaret, ad Dominum super aquas mari mirabiliter ambulantem, & ipse super aquas maris mirabiliter ambulauit. Nam cum aquæ multæ sint populi multi, congregationesque aquarum sint maria, per hoc quod Petrus super aquas maris incessit, super vniuersos populos se potestatem accepisse monstrauit, pro eo etiam DOMINVS se orasse fatetur inquiens in articulo passionis: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos ex hoc innuens manifeste, quod successores ipsius à fide Catholica nullo vnquam tempore deuiarent, sed reuocarent magis alios, & confirmarent etiam hæsitantes; per hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, vt aliis necessitatem imponeret obsequendi, quod & tunc Petrus agere cœpit, quando quibusdam ex discipulis abeuntibus retro, & durus est hic sermo dicentibus: cum dixisset IESVS ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Solus ipse respondit pro cæteris: Domine, verba vitæ æternæ habes, & ad quem ibimus? Huic præterea dictum in Euangelio, & audisti sæpius, & legisti: Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributum esse cognosces, ligandi atque soluendi à DOMINO potestatem: vt quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex priuilegio sibi collato à DOMINO, & concessa plenitudine potestatis.

Ad quod nimirum videtur illud non incongrue pertinere, quod ipse solus legitur interrogasse IESVM: Si peccauerit in me frater meus, dimittam ei vsque septies? & ei solus IESVS legitur respondisse: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Quia profecto septenarius, vniuersitatis est numerus; eo quod omne tempus septenario dierum numero noscitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in seipsum multiplicatus, in hoc loco significat vniuersorum vniuersa peccata: quia solus Petrus potest non solum omnia, sed omnium crimina relaxare. Demum post passionem suam Dominus Petro dixisse legitur: Tu me sequere, quod vtique non tam de sequela perferendæ passionis, quam creditæ dispensationis debet intelligi: cum & Andreas, & quidam alii præter Petrum, sicut DOMINVS fuerunt crucifixi: sed solum Petrum sustinuit sibi DOMINVS, & in officio Vicarium, & in Magisterio successorem. Vnde post ascensionem DOMINI Petrus velut successor ipsius regere cœpit Ecclesiam, ad complendum duodenarium discipulorum numerum, loco Iudæ præuaricatoris ex verbis Prophetæ alium instituens, & faciens subrogari: & recepto paracleto, discipulos non musto repletos, sed Spiritus Sancti gratia illustratos, ex verbis Ioelis apertius comprobauit.

Hic etiam pœnitentiam agere iussit, & baptizari credentes. Hic inter discipulos curando claudum, primus fuit miraculum operatus: & in Ananiam & Saphiram vxorem ipsius tamquam primus, & præcipuus inter eos, quia mentiti fuerant Spiritui Sancto, mortis sententiam promulgauit. Hic Simoniacæ pestis radicem contra primitiuam Ecclesiam pullulantem Apostolica falce succidit; Solus in Simonem Magum sententiam damnationis promulgans; licet non ei soli, sed omnibus communiter pecuniam obtulisset. Ipse præterea cum in eum mentis cecidisset excessus, vidit cœlum apertum: & descendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor initiis in terram de cœlo submitti, quod omnia quadrupedia, & serpentia terræ, ac cœli volatilia continebat. Et cum facta esset vox dicens ad eum; Surge Petre, macta & manduca; respondit: Absit DOMINE, quia nunquam immunda, & communia manducaui: & vox ad eum facta est secundo. Quod DEVS purificauit, tu commune dixeris: per quod innuitur manifeste, quod Petrus prælatus fuerit populis vniuersis: cum vas illud orbem, & vniuersitas contentorum in eo vniuersas significet tam Iudæorum, quam Gentium nationes. Qui licet postmodum ex reuelatione Diuina ab Antiochia fuerit translatus ad vrbem, non tamen concessum sibi deseruit Primatum, sed secum potius cathedræ transtulit Principatum: cum DOMINVS eam nullatenus minorare voluerit, quem Roma præuiderat martyrio coronandum.

Sane cum ipse postmodum, immo DOMINVS potius, qui se in eo pati asseruit; venio (inquit ad eum) Romam iterum crucifigi; Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrasset, Primatum cathedræ successori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem potestatis. Pro patre siquidem nati sunt ei filii, quos Dominus Principes super omnem terram constituit. Sane cum per nauim Petri Ecclesia figuretur, tunc Petrus iuxta præceptum Dominicum nauim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam: cum ibi posuit Ecclesiæ Principatum, vbi vigebat sæcularis potentiæ altitudo, & Imperialis Monarchia residebat: cui fere singulæ nationes, sicut flumina mari tributa soluebat certis temporibus constituta. Ipse quidem primus Iudæos, ipse quoque primus Gentiles post ascensionem CHRISTI conuertit ad fidem, vt supra vtrosque fideles se Primatum accepisse monstraret. Cum ipso die Pentecostes ad verbum exhortationis ipsius circiter tria millia Iudæorum baptismi receperint Sacramentum, ac deinde Cornelium Centurionem, & suos quasi primitias Gentium ad re-

ad reuelationem Angelicam baptizarit. Cum autem inter Apostolos ad consultationem credentium magna fieret compositio, vtrum oporteret circumcidi fideles, & legem Mosaicam obseruari: Petrus principali fretus auctoritate respondit: Quid tentatis DEVM imponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Cuius sententiam subsecutus, Apostolicum super ista quæstione decretum Iacobus promulgauit. Paulus etiam postquam abiit in Arabiam, & iterum rediit in Damascum, deinde post tres annos venit Hierosolymam, vt Petrum videret, eum eo Euangelium, quod in gentibus prædicauerat collaturus; ne forte in vacuum curreret, aut etiam cucurrisset. Cui etiam singularis Apostolatus priuilegium recognoscens, antonomastice scribit de illo; Qui operatus est Petro in Apostolatu, operatus est & mihi inter Gentes, vt autem quem DOMINVS præfecit priuilegio dignitatis, præcæteris quoque virtutis priuilegio decoraret; tantam ei contulit potestatem, quod ad vmbram eius sanabantur infirmi, vt in eo intelligatur esse completum, quod DOMINVS dixerat: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: Hæc autem non idcirco præmisimus, vt nos, qui ei (licet in digni) successimus in Apostolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis, aut super nos in mirabilibus exaltari; cum à Domino dictum esse nouerimus: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Vnde cum inter discipulos eius quæstio de maioritate fuisset exorta, respondit: Qui maior est inter vos, erit omnium seruus: & qui præcessor, tamquam ministrator; seipsum in exemplo proponens, quia filius hominis non venit ministrari. Propter quod & ipse Petrus aiebat: Non quasi dominantes in clero, sed forma gregi facti ex animo. Nam & alia scriptura dicit: Quanto maiores, humilia te in omnibus, & iterum: Principem te constituerunt; noli extolli: sed esto in illis, quasi vnus ex illis: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sed quia per hæc, & alia, sicut credimus, quæ tua non debet fraternitas ignorare, Apostolicæ Sedis Ministerium recognoscens, eam super quibusdam dubitationum articulis consulere decreuisti: quod vtique gratum gerimus & acceptum, & tuam exinde prudentiam commendamus: non quod existimemus nos quasi sufficientes ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: qui linguas infantium facit disertas, & aperit ora mutorum. Quæsiuisti enim dubitans, & addiscere volens: qua ratione Romanam Ecclesiam vnam & vniuersalem in nostris literis vocauerimus, velut in quasdam species specialissimas iam diuisam cum & vnus sit Pastor, & vnum ouile: licet sub vno Pastorum Principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod Ecclesia duabus de causis vniuersalis vocatur: intelligentia namque dictorum ex causis est assumenda dicendi; cum non res sermoni, sed rei fit sermo subiectus. Dicitur enim vniuersalis Ecclesia, quæ de vniuersis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur, & secundum hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ: prima videlicet & præcipua, velut caput in corpore: quoniam in ea plenitudo potestatis existit; ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur.

Et dicitur vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet Ecclesias vniuersas. Et secundum hanc nominis rationem Romana tantum Ecclesia vniuersalis nuncupatur; quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis, cæteris est prælata: sicut & Deus vniuersalis Dominus appellatur, non quasi iam diuisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam vniuersa sub eius dominio continentur. Est enim vna generalis Ecclesia, de qua veritas, inquit ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. ex quibus omnibus vna consistit, tamquam ex particularibus generalis, & vna præeminet omnibus, quoniam cum vnum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus: Omnes vnum corpus summus in Christo; illa velut caput cæteris membris excellit.

Quæsiuisti etiam, & te asseruisti non modicum dubitare cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem; cum Dauid de Hierusalem dicat in Psalmis: Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, vtpote in qua Christus dignatus est conuersari, prædicare pariter & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostræ ponens fidei fundamenta: propter quod mater debet merito nuncupari, cum ex ea doctrina processerit salutaris. Cur mater omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana dicatur, quæ ab Hierosolymitana Ecclesia Orthodoxæ fidei Sacramenta recepit: cum Apostolus etiam inquiens se vsque ad Illyricum Euangelium prædicasse, quod quasi à Hierusalem inceperit euidenter.

Licet autem ex præmissis intelligatur, & huic inquisitioni responsum, cum Ecclesia Romana mater dicatur non ratione temporis, sed ratione potius dignitatis. Nam, & si secundum Ioannem Andreas prius venerit ad fidem, quam Petrus: Prælatus est tamen Petrus Andreæ: cum & in Apostolorum Catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur: non quod Petrus sit tempore, sed potior dignitate.

Ad omnem tamen dubietatem tollendam, tua fraternitas debet distinguere, secundum diuersas nominis rationes inter Romanam, & Hierosolymitanam Ecclesiam, quod illa dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt: ista vero dicenda sit mater fidelium, quoniam priuilegio dignitatis vniuersis fidelibus est prælata, sicut etiam Synagoga dicitur Mater Ecclesiæ, quoniam & ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa, iuxta quod eadem dicit in Canticis: Filii matris meæ pugnauere aduersum me: rursumque: cum per transissem, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. Nihilominus tamen Ecclesia mater est generalis, quæ noua semper fœtu fœcunda concipit, parit, & nutrit: concipit catechizando, quos instruit; parit baptizando, quos abluit; nutrit communicando, quos reficit; de qua Propheta dicit in Psalmo; Habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem. Et alius item Propheta; Leua, inquit, in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venere tibi; filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere consurgent.

Gaudemus autem non modicum, & vinam in te, ac super te gaudium nostrum impleatur, quod Apostolatus nostri solicitudinem super vnione Latinorum & Græcorum Ecclesia commendasti, pro diuino zelo, & ignito proposito, quæ nos expressisti habere in tuarum serie literarum. Super qua etiam Imperatoria nobis celsitudo rescripsit, quod (vt verbis eius vtamur) nostra Sanctitatis est secundum præcedentes Synodales operationes, pro requisitis dogmatibus Synodalem conuentionem fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud nos est Ecclesia, non ad conuentum tardabit. Licet autem, sicut ex prædictis apparet, Ecclesia Romana non tam constitutione Synodica, quam Diuina, caput & mater omnium Ecclesiarum existat; & ideo nec pro disparitate rituum, nec dogmatum diuersitate differre debueris, quin nobis, sicut tuo capiti secundum antiquum, & canonicum statum benignius, & deuotius obedires, cum certa non sint pro dubiis relinquenda; nos tamen pro multis necessitatibus Ecclesiæ dissuasimus, auctore Domino, generale conuocare Concilium, & Synodalem celebrare conuentum; ad quem si vocatus à nobis iuxta ipsius Imperatoris promissionem occurretis, cum hæc sint dogmata, quæ nostris literis requisiuimus; vt scilicet membrum ad caput, & ad matrem filia reuertatur, Ecclesia Romana reuerentiam & obedientiam debitam impensurus; te sicut fratrem charissimum, & præcipuum membrum Ecclesiæ, benigne ac hilariter admittemus; de cæteris auctoritate Sedis Apostolicæ ac sacri approbatione Concilii, cum tuo, & aliorum fratrum nostrorum consilio, quæ statuenda fuerint statuentes.

Alioquin cum scandalum Ecclesiæ non debeamus vltra sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsufflare dissimulare non poterimus, quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio, de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur fraternitatem tuam, & exhortamur in Domino, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus per te, vel si forte iusta præpeditus occasione nequiueris, per procuratores idoneos, & aliquos de maioribus Ecclesiarum Prælatis, statuto tempore ad Concilium vocatus accedas, Apostolicæ Sedi reuerentiam, & obedientiam, secundum statum canonum præstiturus: ne si secus actum fuerit (quod non credimus) tam in Imperatorem ipsum, qui potest, si voluerit, efficere quod mandamus, quam in te & Græcorum Ecclesias, procedere compellamur. Super cæteris ante dilectum filium Ioannem Capellanum & familiarem nostrum, Apostolicæ Sedis Legatum, virum prouidum & discretum nobis & fratribus nostris, obtentu sua religionis & honestatis acceptum, ad Imperialem excellentiam duximus destinandum: monentes & exhortantes attentius, quatenus eum sicut Legatum Apostolicæ Sedis benigne recipias & honores; & ea fine dubitatione qualibet credas, quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda. Dat. Laterani 2 Idus Nouemb.

V. SVMMARIVM GESTORVM INNOC. III. ANNO

Hactenus Innocentius Constantinopolitano Patriarchæ, pro Romanæ Sedis Primatu super omnes alias Orbis vniuersi Ecclesias. Quæ Ecclesia Romana quod hactenus administrationem omnium aliarum habuerit, non potuit etiam Innocentius pro debito Pasto-

SECVNDO, QVIBVS PRIMATVS ROMANÆ SEDIS ASTRVITVR. a *lib. 1. ep. 521. & 508. & reliq.*

rali, eam curam negligere, quam antecessores sui Romani Pontifices curarũt. Quamobrem hoc secundo Pontificatus sui anno, a 1. Patriarchæ Hierosolymitano vt mores Christianorum efficacius emendatos corrigeret iniunxit: 2. eumdem Patriarcham Hierosolymitanum, vna cum Patriarcha Antiocheno ad causam dicendam in vrbem euocauit. 3. Priuilegia hospitalis militiæ Domus Montis Pessulanæ confirmauit. 4. Syracusano Episcopo, vt hæresim Nazophytorum extirparet, mandauit, 5. aliquos Episcopos in Hungaria intrusos excommunicari præcepit: 6. Patriarchæ Antiocheno, ne tributa Clericis imponeret, inhibuit: 7. Archiepiscopo Tyrensi cognitionem quarundam causarum commisit, eiusque Clericos ab iurisdictione Patriarchæ Hierosolymitani exemit: 8. Vulcano Regi Dalmatiæ & Dioclitæ postulante, Legatos ad reformandas eius regnorum Ecclesias hæreses extirpandas misit: 9. Venetis excommunicationem in negotiationibus cum infidelibus, ad tempus determinatum, certis conditionibus permisit. 10. Religionem Teutonicorum militum recens institutam confirmauit: 11. ad Regem Miramomolinum Marrochetanum Religiosos S. Trinitatis, vt eius populis Euangelium prædicarent, misit: 12. Legatos ad conciliandum Regem Gallorum cum Anglorum Rege, mittens, eos ad concordiam ineundam sub censuris Ecclesiasticis compelli præcepit: 13. Regi Arragonum, vt pondus monetæ iustum constituat, præscripsit: 14. Religionem militum Calatrauæ approbauit: 15. Regi Angliæ vt Archiepiscopo Eboracensi reconciliaretur, vtque ei res suas redintegraret, sub pœna interdicti mandauit; eaque de causa Cardinalem Legatum ad eum misit: 16. Reges, Legionensem & Portugallensem propter incestas nuptias anathemate percussos, ad satisfaciendum iuxta canones coegit, inque eodem negotio Legatum à Latere misit: 17. Regi Gallorum, vt Ecclesiam Dolensem, sineret esse Suffraganeam Turonensis, iniunxit: 18. Regem Hungariæ, propter iniuriam ab eodem Vacensi Episcopo illatam coarguit, & ad satisfaciendum astrinxit: 19. Raynerium Legatum ad reformandas Ecclesias Gallicanas & ad extirpandas hæreses, maxime vero ad cognoscendam causam Prioris Ecclesiæ Sancti Martini Parisiensis, de hæresi, adulterio & vsura suspecti destinauit: 20. negotium Bracacensis Ecclesiæ Compostellano Archiepiscop. commisit, eiusque Ecclesiam maximis dignitatibus auxit & ornauit: 21. ad Magnum Iupanem Seruiæ Imperatorem, pro informandis eius Ecclesiis Nuncios direxit: 22. Ducis Boemiæ, qui repudiata vxore alteram superinduxerat causam Magdeburgensi Archiepiscopo, ad inquirendum imposuit: 23. Saxoniæ & VVestfaliæ Principibus, vt opem Liuonienſibus Christi fidelibus recens conuersis contra Paganos infestantes ferrent præcepit: 24. Leonis Regis & Gregorii Patriarchæ Catholicorum Armeniorum Legatos, obedientiam exhibentes & spondentes audiuit, & ad diadema regium eidem imponendum atque reformandas Armeniorum Ecclesias Legatum Archiepiscop. Moguntinum misit: & vt Comes Tripolitanus cum Magistro & militibus Hospitalis Templi ab eius impugnatione desisteret, inhibuit; causamque vtriusque Legatis suis cognoscendam commisit: insuper eidem vexillum B. Petri direxit: quo, inquit, in hostes Crucis duntaxat vtaris, & eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio, suffragantibus Apostol. Principis meritis refrenare. Sunt & alia innumerabilia, quæ plenaria potestate Ecclesiæ defungens Innocentius, in Italia, Galliis, Hispania, Belgio, Alemania, Hungaria, Boemia, Syria, Palestina, Dalmatia, Bosna, Dioclea, & in aliis orbis prouinciis summa auctoritate Primatus Apostolici gessit: causasque earum Ecclesiarum iudicauit.

Non est omittendum memorandum, in negotio vulgatæ editionis Bibliorum & clancularię prædicationis rescriptum eiusdem Innocentii, quod hoc anno vniuersis Christi fidelibus tam in vrbe Metensi, quam eius diœcesi constituris scripsit, in hunc qui sequitur modum:

b *Cum ex iniuncto nobis Apostolatus officio facti simus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, pro vniuersorum salute nos oportet esse solicitos, vt & malos retrahamus à vitiis, & bonos in virtutibus foueamus, tunc autem opus est discretione maiori, cum vitia sub specie virtutum occulte subintrant, & Angelus Satanæ se in Angelum lucis simulate transformat. Sane significauit nobis venerabilis frater noster Metensis Episcopus per literas suas, quod tam in diœcesi, quam in vrbe Metensi, Laicorum & mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo desiderio scripturarum, Euangelia, epistolas Pauli, Psalterium, moralia Iob, & plures alios libros sibi fecit in Gallico sermone transferri translationi huiusmodi adeo libenter, vtinam autem & prudenter intendens, vt secretus conuentionibus talia inter se laici, & mulieres eructare præsumant, & sibi inuicem prædicare: qui etiam aspernantur eorum consortium, qui se similibus non immiscent, & à serepurant alienos, qui aures & animos talibus non apponunt.*

VI. b *lib. 2. ep. 131.* METENSIBVS NE SCRIPTVRIS IN LINGVAM VERNACVLAM VTANTVR TEMERE INTERDICIT.

Quos cum aliqui parochialium Sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt: conantes rationes inducere de scripturis, quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum, suorum fastidiunt: & cum ipsis per eos verbum salutis proponitur, se melius habere in libellis suis; & prudentius se posse ad eloqui submurmurant in occulto. Licet autem desiderium intelligendi diuinas scripturas, & secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed potius commendandum, in eo tamen apparent merito arguendi, quod tales occulta conuenticula celebrant, officium sibi prædicationis vsurpant, Sacerdotum simplicitatem eludunt, & eorum consortium aspernantur, qui talibus non inhærent. Deus enim lux vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in tantum odit opera tenebrarum, vt Apostolos suos in mundum vniuersum prædicaturos Euangelium omni creaturæ missurus, eis aperte præceperit dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta: per hoc manifeste denuncians, quod Euangelica prædicatio non in occulto cõuenticulo, sicut hæretici faciunt, sed in Ecclesiis iuxta morem Catholicum est publice proponenda. Nam iuxta testimonium veritatis, omnis qui male agit, odit lucem; & ad lucem non venit, ne eius opera arguantur. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta, propter quod cum Pontifex interrogasset Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius, respondit; Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Porro si quis obiiciat, quod iuxta præceptum Dominicum, non est sanctum dandum canibus, nec margaritæ mittendæ sunt ante porcos; cum & Christus ipse non omnibus quidem sed solis Apostolis dixerit; vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis; intelligat canes, & porcos non eos esse, qui sanctum grauanter accipiunt, & margaritas libenter acceptant: sed illos, qui sanctum dilacerant, & margaritas contemnunt; quales sunt qui Euangelica verba, & Eccl siastica sacramenta, non vt Catholici venerantur, sed abominantur potius vt hæretici, oblatrantes semper & blasphemantes; quos Paulus Apostolus, post primam & secundam commonitionem docet esse vitandos. Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda; cum non possint passim ab omnibus intelligi, sed eis tantum qui ea fideli possunt concipere intellectu, propter quod simplicioribus inquit Apostolus; Quasi paruulis in Christo lac potum dedi vobis non escam. Maiorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat; Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicaui me scire nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum. Tanta est enim diuinæ scripturæ profunditas, vt non solum simplices & illiterati, sed etiam prudentes & docti non plene sufficiant ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura; Quia multi defecerunt scrutantes scrutinium. Vnde recte fuit olim in lege Diuina statutũ, vt bestia, quæ montem tetigerit lapidetur, ne videlicet simplex aliquis, & indoctus præsumat ad sublimitatem scripturæ sacræ pertingere, vel eam aliis prædicare, Scriptum est enim, Altiora te ne quæsieris. Propter quod dicit Apostolus; Non plus sapere, quam oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem. Sicut enim multa sunt membra corporis, omnia vero membra non eumdem actum habent; ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium, quia secundum Apostolum: Alios quidem Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores.

Cum igitur Doctorum ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare. Nam secundum Apostolum; Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? & veritas ipsa præcepit Apostolis; Rogate Dominum messis, vt mittat operarios

rarios in messem suam. Quod si forte quis argute respondeat: quia tales inuisibiliter mittuntur à Deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cum inuisibiliter missio multo sit dignior, quam visibilis, & diuina longe melior, quam humana. Vnde Ioannes Baptista non legitur missus ab homine, sed à Deo, sicut Euangelista testatur: quia fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Potest, & debet vtique ratione præuia respondere: quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere, quod ipse sit missus à Deo; cum hoc quilibet hereticus asseueret.

Sed oportet, vt astruat illam inuisibilem missionem per operationem miraculi, vel per scripturæ testimonium speciale. Vnde cum Dominus vellet mittere Moysen in Ægyptum ad filios Israel, vt crederetur eè, quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, vt conuerteret virgam in colubrum, & colubrum iterum reformaret in virgam. Ioannes quoque Baptista suæ missionis speciale testimonium protulit de scriptura, respondens Sacerdotibus, & Leuitis, qui missi fuerant ad interrogandum quis esset: & quare baptizandi sibi officium assumpsisset: Ego, inquit, vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.

Non ergo credendum ei, qui se dicit missum à Deo, cum non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de scripturis, vel eundem miraculum operetur. Nam & de his, qui missi leguntur à Deo, Euangelista testatur: quod ipsi profecti prædicabant vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Licet autem scientia valde sit necessaria Sacerdotibus ad doctrinam: quia iuxta verbum Propheticum: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirent ex ore eius, non est tamen simplicibus Sacerdotibus etiam à Scholastica detrahendum: cum in eis Sacerdotale ministerium debet honorari. Propter quod Dominus in lege præcepit: Diis non detrahes: Sacerdotes intelligens: qui propter excellentiam ordinis, & officii dignitatem, Deorum nomine nuncupantur. Iuxta quod alibi dicit de seruo volente apud Dominum remanere, vt Dominus offeret eum Diis. Cum enim iuxta verbum Apostoli, seruus suo Domino stet, aut cadat: profecto Sacerdos ab Episcopo, cuius est correctioni subiectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem à populo, cuius est correctioni prapositus, in spiritu superbiæ reprehendi, cum iuxta præceptum Dominicum, pater & mater non debeant maledici, sed potius honorari: quod de spirituali Patre multo fortius debet intelligi, quam carnali. Nec quisquam suæ præsumptionis audaciam illo defendat exemplo: quod asina legitur reprehendisse Prophetam, vel quod Dominus ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? & si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: cum aliud sit fratrem in se peccantem occulte corripere; quod vtique quisque tenetur essuere secundum regulam Euangelicam: (In quo casu sane potest intelligi, quod Balaam fuit correptus ab asina) & aliud patrem suum etiam delinquentem reprehendere manifeste, ac præcipue fatuum pro simplici appellare, quod vtique nulli licet secundum Euangelicam veritatem. Nam qui etiam fratri suo dixerit fatue, reus erit gehennæ.

Rursus, aliud est, quod prælatus se sponte de sua confisus innocentia subditorum accusationi supponit, in quo casu, præmissum Domini verbum debet intelligi: & aliud est, quod subditus non tam animo corripiendi, quam detrahendi exurgit temerarius in prælatum: cum eum potius maneat necessitas obsequendi. Quod si forte necessitas postularit, vt Sacerdos tanquam inutilis, aut dignus, à cura gregis debeat amoueri: agendum est ordinate apud Episcopum, ad cuius officium tam institutio, quam destitutio Sacerdotum noscitur pertinere. Illud autem tanquam de supercilio Pharisæorum procedens, debet ab omnibus aspernari: quod tanquam ipsi soli sint iusti, cæteros aspernantur, cum & hactenus ab initio nascentis Ecclesiæ, multi fuerint viri Sancti, qui nec tales fuisse leguntur, nec talibus adhæsisse, cum de nouo tales surrexisse legantur, qui nisi contenti sint doceri potius quam docere: ad illos forsitan pertinebunt, quibus Dominus ait: Nolite fieri plures Magistri. Nos ergo, filii, quia paterno vos diligimus affectu, ne sub prætextu veritatis in foueam decidatis erroris, & sub specie virtutum in laqueum vitiorum, vniuersitatem vestram rogamus attentius, monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus ab his, quæ superius reprehensibilia denotauimus, & linguam, & animum reuocetis, Fidem Catholicam, & regulam Ecclesiasticam obseruantes, ne vos verbis fallacibus circumuenire, vel etiam circumuenire contingat, quia nisi correctionem nostram, & admonitionem paternam receperitis humiliter & deuote, nos post oleum infundemus & vinum, seueritatem Ecclesiasticam interponentes; vt qui noluerint obedire spontanei, discant acquiescere vel inuiti.

Hactenus Innocentius contra hæreticos præmuniens vniuersos Christi fideles, qui, quantum illos eosdem pestilentes cauere debeant, omnes voluit admonere, & vniuersis ac singulis præscribere, data Clero, Consulibus & populo Viterbiensi, ea quæ sequitur dignissima epistola. Ita habet:

VII. a *Lib. 2. ep. 1.* ADVERSVS HÆRETICORVM RECEPTATORES FAVTORES ET COMPLICES RIGIDE DECERNIT.

a *Vergentis in senium sæculi corruptelam, non solum sapiunt elementa corrupta, sed & dignissima creaturarum ad imaginem & similitudinem condita Creatoris, prælata priuilegio dignitatis volucribus Cœli, & bestiis vniuersa terra testatur, nec tantum eo quasi deficient, iam desiit, sed & inficit, & inficitur scabra rubigine vetustatis.*

Peccat enim ad extremum homo miserrimus: & qui non potuit in sui, & mundi creatione in paradiso persistere, circa sui & orbis dissolutionem degenerat, & pretii suæ redemptionis circa fines sæculorum oblitus, dum variis ac vanis quæstionum se nexibus ingerit, seipsum laqueis suæ fraudis innectit, & incidit in foueam, quam parauit.

Ecce etenim inimico homine messi Dominicæ superseminante semen iniquum, segetes in zizania pullulant, vel potius polluuntur, triticum aresist, & euanescit in paleas, in flore tinea, & vulpes in fructu demoliri vineam Domini moliuntur. Noua siquidem sub nouo Testamento Achor progenies ex spoliis Hiericho cingulum auream palliumque furatur; & Abiron, Dathan, & Chore soboles detestanda, nouis thuribulis fermentatum, thimiama nouis volunt altaribus adolere; dum nox nocti scientiam indicat; dum cœcus præbet cæco ducatum; dum hæreses pullulant; & quem diuinæ hæreditatis reddit expertem, suæ constituit hæreticus hæresis, & damnationis hæredem. Hi sunt caupones, qui aquam vino commiscent, & virus draconis in aureo calice Babylonis propinant; Habentes secundum Apostolum speciem pietatis, virtutem autem eius penitus abnegantes.

Licet autem contra vulpes huiusmodi paruulas, species quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas; quia de vanitate conueniunt in idipsum, diuersa prædecessorum nostrorum temporibus emanauerint instituta; nondum tamen vsque adeo pestis potuit mortificari mortifera; quia sicut cancer amplius serperet in occulto, & iam in aperto suæ virus iniquitatis effundat; dum palliata specie religionis, & multos decipit simplices, & quosdam seducit astutos; factus magister erroris, qui non fuerat discipulus veritatis.

Ne autem nos, qui licet circa horam vndecimam inter operarios, immo vero super operarios vineæ Domini Sabaoth, sumus à Patrefamilias Euangelico deputati, & quibus ex officio pastorali sunt oues CHRISTI commissæ, nec capere vulpes demolientes vineam DOMINI, nec arcere lupos ab ouibus videamur; & ob hoc vocari merito possemus canes muti non valentes latare, ac perdamur cum malis agricolis, & mercenario comparemur; contra defensores, receptatores, fautores, & credentes hæreticorum aliquid seuerius duximus statuendum; vt qui per se ad viam rectitudinis reuocari non possunt, in suis autem defensoribus receptatoribus, & fautoribus ac etiam credentibus confundantur; & cum se viderint ab omnibus euitari, reconciliari desiderent omnium vnitati. De communi ergo fratrum nostrorum consilio, assensu quoque Archiepiscoporum, & Episcoporum, apud Sedem Apostolicam existentium, districtius inhibemus, ne quis hæreticos receptare quomodolibet, vel defendere, aut ipsis fauere, vel cedere quoquomodo præsumat, præsenti decreto firmiter statuentes, vt si quis aliquid horum facere forte præsumpserit, nisi primo, secundove commonitus, à sua super hoc curauit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis; nec ad publica officia, vel consilia ciuitatum, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, nec ad hæreditatis successionem accedat, nullus præterea ipsi cogatur, super quocumque negotio respondere.

Quod si forsan iudex exiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferatur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momen-

momenti; sed cum auctore damnato, damnetur: in similibus etiam idem præcipimus obseruari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur: vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si quis autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, contempserit euitare, anathematis se nouerit sententiam incurrisse. In terris vero temporali nostræ iurisdictioni subiectis, bona eorum statuimus publicari, & in aliis idem fieri præcipimus per potestates & Principes sæculares, quos ad id exequendum, si forte negligentes existerent, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compelli volumus & mandamus: nec ad eos bona ipsorum vlterius reuertatur, nisi eis ad cor redeuntibus, & abnegantibus hæreticorum consortium aliquis voluerit misereri: vt tempora iis saltem pœnæ corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. Cum enim secundum legitimas sanctiones, reis læsæ maiestatis punctis capite, bona confiscentur ipsorum, eorum filiis vita solummodo ex misericordia conseruata, quanto magis qui aberrantes à fide, DEVM DEI filium IESVM CHRISTVM offendunt, à capite nostro, quod est Christus, Ecclesiastica debent districtione pracidi, & boni temporibus spoliari: cum longe sit grauius eternam, quam temporalem lædere maiestatem. Nec huius seueritatis censuram Orthodoxorum etiam exhæredatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis prætextu debet vllatenus impedire: cum in multis casibus, & secundum diuinum iudicium filii propatribus temporaliter puniantur: & iuxta Canonicas sanctiones quandoque feratur vitio non solum in auctores scelerum sed & in progeniem damnatorum.

Hæc Innocentius constituit contra hæreticos & reliquos eorum complices.

VIII. b *lib. 1. ep. 531.* SANCTORVM ALBO HOMOBONVM CREMONENSEM INSERIT. VBI CANONIZATIO DESCRIBITVR EIVSQVE RITVS

Hocanno Innocentius Pontifex Homobonum Cremonensem, albo Sanctorum inscripsit, hancque epistolam, de requisitis ad Sanctorum canonizationem, & de vita eiusdem Sancti, vniuerso Clero & populo Cremonensi scripsit; dignam quæ à Præsumptoribus legatur. Ad eum modum incipit:

b *Quia pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ, iustus & misericors DOMINVS fideles suos, quos prædestinauit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, & semper in futura coronat: quibus & per Prophetam promittit: Dabo vos in laudem, gloriam & honorem cunctis populis, & per se pollicetur: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Mirabilis enim in seipso Dominus, mirabilis in Sanctis, mirabilis in omnibus operibus suis, verum nobis exhibet suæ virtutis indicium: & frigescentem iam in pluribus charitatis igniculum, mirabilium suorum signis accendit; assumptis in gloriam suam, qui certauerunt legitime in hoc mundo. Ad memorias eorum innocat signa, & mirabilia iuxta Prophetam immutat: vt qui Sanctus est apud ipsum, Sanctus etiam ab hominibus habeatur: & in hoc præsertim hæreticorum confundatur peruersitas, cum ad Catholicorum tumulos viderint prodigia pullulare.*

Licet autem iuxta testimonium veritatis, sola finalis perseuerantia exigatur ad sanctitatem animæ in Ecclesia triumphanti; quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus signorum, opera, scilicet pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, vt quis reputetur sanctus, in militante Ecclesia requiruntur. Nam quia frequenter Angelus Satanæ se in lucis Angelum transfiguret, & quidam faciunt opera sua bona vt videantur ab hominibus: quidam etiam coruscant miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur; sicut de Magis legitur Pharaonis; & etiam Antichristus, qui electos etiamsi fieri potest, inducet miraculis suis in errorem: ad id nec opera sufficiunt sola, nec signa: sed cum illis præcedentibus ista succedunt, verum nobis præbent indicium sanctitatis: nec immerito nos ad ipsius veneration em inducunt, quem Dominus suis ostendit miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Euangelistæ plenius colliguntur, vbi de Apostolis loquens ait: Illi autem profecti prædicabant vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. In eo namque, quod ait, cooperante, eos operatos esse demonstrans: & in eo quod sequitur, sequentibus signis, eos exponens; immo Dominum in eis miraculis claruisse.

Hoc etiam Dominus vsque hodie operatur in Sanctis, & potentiam suam signis euidentibus manifestat, dum viuorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum, & eos plus posse post mortem, & felicius viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, quam qui viuunt in mundo demonstrat. Sane veniens ad præsentiam nostram venerabilis frater noster Episcopus vester, multis viris religiosis, & aliis honestis personis de sua diœcesi comitatus, admodum Beati viri, & ve, & nomine Homoboni, vitam & actus, nec non & modum transitus eius humiliter nobis aperuit: in quibus & sanctæ ipsius degustauimus conuersationis odorem, Deumque mirabilem, & omnia opera eius in fide cognouimus, & prædicauimus gloriosa. Idem etenim Sanctus, tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo, prout eorumdem nobis assertio facta tam viua voce, quam aliorum plurium honestorum literis patefecit, adeo in lege Domini meditabatur die ac nocte, vt ei seruiens in timore, & secundum Prophetam media nocte surgens ad confitendum ei maturinis semper laudibus interesset. Missæ quoque officium, & alias horas cum summa deuotione frequentans, ita assiduis oratio nibus insistebat, vt in certis horis, aut assiduæ orare, aut horas ipsas aliquando præuenire: nisi forte ipsum sollicitudo, quam super pace reformanda per ciuitatem tamquam pacificus vir gerebat, aut occasio eleemosynæ pro pauperibus acquirendæ, seu alia iusta causa in aliis operibus misericordiæ detineret. Qui nimirum ante Crucem Dominicam ex assuetudine se prosternens, opus quodlibet faciendo, stando, iacendo, ad orationem labiæ mouere continuo videbatur.

Inter alia vero pietatis opera, quæ tam circa pauperes, quos secum in domo propria tenebat, curabat, & pariter procurabat, quam circa alios indigentes, quibus viuentibus humanitatis officium, mortuis sepulturæ beneficium constuerat deuotus impendere, diligentius exercebat. Ipse à sæcularium hominum consortio segregatus, inter quos vinebat quasi lilium inter spinas, hæreticorum, quorum pernicies partes illas infecit, austerus extitit aspernator. Deducto autem sic vitæ Sanctæ curriculo, cum ad maturinale officium, prout dictum est, in festiuitate Sancti Brictii surrexisset, circa Missæ primordia idem se ante Crucem Dominicam more solito in oratione prosternens diem cantaretur hymnus Angelicus, beato fine quieuit. Quæ vero, quot, & quanta miracula fuerint subsecuta, & quot aduenientibus ad sepulchrum eius sanitatis beneficia sint impensa, cum longum sit enumerare per singula, vnum inter cæteras ad assertionem Catholicæ fidei duximus expressius annotandum. Cum enim quædam demoniaca mulier ad sepulchrum eius deducta fuisset, ne aliqua fraus lateret, eadem fuit aqua non benedicta aspersa: quæ sepatienter aspergi permittens, aquam secundo respuit benedictam. Et vt res euidentiori experimento pateret, oblatam non consecratam absque aliqua præscientia sibi recipiens præsentatam. Eucharistiam consecratam subsequenter abhorruit, nec recepit: quæ & meritis eiusdem Sancti liberata recessit.

Vt autem virtus morum, prout est superius delibatum licet omnis dubitatio amoueri ex subsecutione signorum per diuinum iudicium videretur, fide apud nos clarescret pleniori: ne miraculorum etiam virtus fraude aliqua posset, vel figmento inuari, veritatem rei solicitius duximus inquirendam. Fidem namque, quam super conuersatione ipsius absque figmento hypocrisis fraudulento, diuinum iudicium (vt dictum est) manifeste ostendere videbatur, per testimonium dilecti filii Osbertipresbyteri Sancti Egidii Cremonensis præsentis cum Episcopo memorato, recepto ab eo firmanimus iuramento: sub cuius obtestatione videlicet iuramenti, ipsi qui patrinus eius existens per decem annos & amplius confessionem eius sæpe recepérat; quæ de illius Sancti conuersatione præmisimus, cum ipso Episcopo & aliis supradictis iuratis similiter asseruit esse vera: & de obedientia, quam in orationibus, vigiliis, & alis pœnitentiæ fructibus; in qua sibi ab eo imposita erat, plus iniuncto satisfaciens exhibebat, nos reddidit certi res. Ea etiam, quæ de miraculis ipsius fuerant nobis expositæ, per iuramentum omnium prædictorum, qui propter hoc venerant, fide suscepimus pleniori, assertione ipsius Episcopi sub firmo verbo Sacerdotis requisito, in virtute obedientiæ concurrente: vt sic diuinum & humanum secuti iudicium, cum maiori procedere securitate possemus. Cum igitur hæc omnia tam de probitate morum, quam virtute signorum, ad fauorem petitionis, pro qua Episcopus memoratus, & alis supradicti ex parte vestra vehementer instabant, concurrere videremus, de fratrum nostrorum consilio post multam deliberationem habitam cum eisdem Archiepiscopis & Episcopis, quos super hoc ad consilium nostrum admisimus, de diuina misericordia, & eiusdem Sancti meritis confidentes, ipsum Sanctorum Catalogo duximus ascribendum, statuentes, vt in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuote à vobis, & aliis Christi fidelibus annis singulis de cætero celebretur. Inde est, quod vniuersitatem vestram rogamus in Domino, & monemus per Apostolica scripta, præcipiendo mandantes, quatenus eiusdem Sancti memoriam (prout dictum est) cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum suffragia humiliter imploretis, per cuius merita ad gaudia æterna pertingere valeatis. Dat. Lateran. 2. Id. Ian.

VIII.

MORITVR CONSTANTIA IMPERATRIX.

MARCOVVALDVS SENESCALCVS IMPERII TYRANNIDEM EXERCET IN SICILIA.

Lib. 1. epist. 567 & seq.

EXCOMMVNICATVR AB INNOCENTIO III.

IX. FORMA EXCOMMVNICATIONIS. *a lib. 2. epist. 157.*

X. RESIPISCIT MARCOVALDVS ET ABSOLVITVR.

Dum hæc pro honore Sanctorum Innocentius conaretur, turbæ illum tum Siculæ, tum Germanicæ exceperunt. Et quidem cum in Sicilia die 27. mensis Nouembris, Constantia Imperatrix viam vniuersæ carnis ingressa esset, & tum puerum Fridericum Regem filium, tum vniuersi Regni administrationem Innocentio per Tabulas Testamenti commisisset, vtque Innocentius, Balium, quem vocabant, seu Apocrisarium & Administratorem rerum tam spiritualium quam temporalium ad ius Romanæ Ecclesiæ in Sicilia cis & vltra Pharum pertinentium, ibidem iuste duerat Codicillis decreuisset, Marcovvaldus Imperii Senescalcus, siue quod Philippo gratificari, siue quod sede Innocentio vlciscivelle, qui eum anathemate percusserat, & Perusium, Tudertum, Ciuitatem Castellanam magnam partem Tusciæ, & vniuersam fere Marchiam præter Camerinensem & Esculanensem ciuitates, à Tyrannide ipsius recuperauerat, exercitu comparato Regnum pupillo à Constantia relictum inuasit, ciuitates multas diripuit, muros earum dirui & in pagos conuerti præcepit, nobiles quamplurimos ferro vinctos mittauit, & in exilium deportauit, complures ex eis, & ex claro sanguine perunctos vstulauit, & tandem exussit, plures multo in mare demersit, innumerabiles fame & gladio trucidauit, & tyrannidem Regni vsurpauit. Quod cum non sibi esse ferendum existimaret Innocentius, vtpote iure dominii & tutelæ, eidem Regno Siciliæ Prælatus, coactis quibus poterat copiis contra Marcovvaldum castra mouit, deinde Panormitano Regino, Capuano, Montis Regalis Archiepiscopis & Episcopo Trojano familiaribus Regis, Clero, Baronibus, Iudicibus, militibus & vniuerso populo Capuano; Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & vniuerso Clero, Comitibus, Baronibus, Ciuibus & vniuerso populo in Apulia, Calabria, & Sicilia constitutis scripsit, & vt in fide Ecclesiæ Romanæ perseuerarent, & iura illius tuerentur, atque tyranno contrairent, admonuit: Legatum etiam in Siciliam misit, qui pupillum consolaretur, atque vniuersos in defensionem ipsius animaret, resque Ecclesiæ Romanæ indidem curaret: insuper Legatos quamplures tum in terram laboris, tum in Apuliam & Calabriam cum exercitibus destinauit, qui Marcovvaldo resisterent: ad extremum vero in Marcovvaldum sententiam excommunicationis innouauit, cuius forma ista fuit.

a *Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate & nostra Marcovvaldum, & omnes fautores eius tam Teutonicos quam Latinos: specialiter Diopuldum, Othonem, Siffredum, & Ottonem de Lauian. Hermannum & Castellanum Sorellæ, qui principaliter adhærent Marcovvaldo, quia cum idem Marcovvaldus à dilectis filiis nostris Cencio tituli S. Laurentii in Lucina & Ioanne tituli S. Priscæ presbyteris Cardinalibus Apostolicæ sedis Legatis commonitus fuerit, vt ab Ecclesiarum & villarum incendio, & vastatione cessaret, quæ in eorum oculis committebat, & exercitum dimitteret, cuius occasione tota fere Marchia vastabatur, eorum monitis non satisfecit: propter quod ab eu excommunicatus fuit, & quia iuramentum multoties nobis præstitum violare, ac patrimonium Ecclesiæ inuadere ac detinere præsumpsit: & nunc regimini Siciliæ, quod ad ius & proprietatem B. Petri pertinere dignoscitur, cuius balium cum Regis tutela illustris memoriæ Constantia Imperatrix nobis testamento reliquit, infestat, & inniti tur occupare. Omnes autem, qui ei fidelitatis, vel societatis iuramento tenentur, denunciamus penitus absolutos. Si quis autem clericus cuiuscunque dignitatis & ordinis officia Ecclesiastica, vel Sacramenta diuinaei, vel sequacibus eius ministrare præsumeret, sciat se dignitatis, & ordinis periculum incurrisse. Item excommunicamus I. quondam electum S. Seuerinæ, qui eidem Marcovvaldo adhærens, administrationem Salernitanæ Ecclesiæ de manu ipsius recepit.*

Perculit ea excommunicatio Marcovvaldum. Quamobrem meliora cogitans, ferocitate destitit, & reconciliationem postulauit. Significabat Innocentius Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, Ciuibus, & vniuersis populis in regno Siciliæ constitutis, qui ei pœnitentiam præteferenti iniunxerit. *Mandatis, inquit, est is sub debito præstiti iuramenti, vt à Balio Regni, inuasione quoque ac molestatione ipsius per se, ac suos omnino desistat: nec ipsum, aut patrimonium B. Petri per se vel alium vllo modo molestet: vniuersa, quæ de regno per se, vel suos inuasit, quæ detinentur ab ipso, restituat, & ab omni prorsus obligatione absoluat, quæ vero detinentur ab aliis, pro posse suo restituí faciat bona fide. Super his autem, quæ nec ab ipso, nec suis habentur, vtpote super damnis, & iniuriis illatis præsertim nobis & monasterio Casinensi, satisfaciat competenter secundum dispositionem nostram, & proprias facultates. In clericos de cetero, & viros Ecclesiasticos manus nec iniiciat, nec iniici faciat violentas. Cardinales & Legatos Apostolicæ sedis, nec spoliet, nec spoliari, nec capi faciat, aut etiam obsideri, nisi forsan impugnatus ab eis in defensionem propriam id facere cogeretur: non quod id tunc ei licere dicamus, sed quia hoc ei non interdicimus ex debito iuramenti.* Accedens igitur Marcovvaldus ad præsentiam Octauiani Ostiensis Episcopi, & Guidonis tituli S. Mariæ trans Tyberim presbyteri, nec non Hugolini tituli S. Eustachii Diaconi Cardinalium, Legatorum Apostolicæ sedis, iuxta modum expressum superius, publice iuramentum exhibuit: & secundum Ecclesiæ formam beneficio absolutionis obtento, mandatum sub eodem tenore recepit, & se promisit fideliter impleturum. Sed tamen paulo post ad vomitum reuersurus, quasdam literarum, (quemadmodum idem Innocentius postea iisdem Principibus denuncians hæc scribebat) Innocentio ipsi destinauit, quibus in manifestum sui periurii argumentum se Balium & Procuratorem Regni Siciliæ non erubuit nominare. Scribens etiam, inquit, Innocentius, fratribus nostris, quod mandata, quę sibi fecimus, nec pro Deo, nec pro homine obseruaret.

XI. REDIT AD VOMITVM MARCOVVADVS. *b lib. 2. epist. 169.*

b *Nos igitur*, ista subiungebat Papa, *fraudem eius, & versutias attendentes, quiputauit nos fallere, sed potius se decepit, propter omnia quæ fuerant in forma excommunicationis prioris expressa: & quia multoties contra nos, & Romanam Ecclesiam periurii reatum incurrit, & mandata seruare contempsit, facta fibi sub debito præstiti iuramenti, ipsum tanquam periurum, sacrilegum, incendiarium, perfidum, sceleratum, & inuasorem, exparte Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti; auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra excommunicamus, anathematizamus, maledicimus & damnamus: mandantes vt quicunque fibi de cetero auxilium præstiterit, vel fauorem; quicunque etiam ipsi, vel exercitui eius victualia, vestes, naues, arma, vel alia, quæ ad commodum eorum pertineant, ausi fuerint ministrare, eadem cum eo maneant sententia innodati. Si quis autem clericus cuiuscunque dignitatis vel ordinis diuina eis præsumpserit officia celebrare, se sui ordinis & honoris nouerit periculum incurrisse. Mandamus etiam sub debito præstiti iuramenti omnibus de exercitu eius, qui ad mandatum Ecclesiæ redierunt, vt quam citius poterint ab ipso recedant, nec ad eum quamdiu in sua pertinacia perduraverit, reuertantur: nec consilium ei præbeant in aliquo, vel fauorem. Erit etiam dante Domino manus nostra validior contra eum, quem publicum infamat periurium, & reddit inconstantia multa suspectum: ne de cetero, vel promissionibus eius, vel iuramento credatur, qui fidem super crucem, & Euangelia publice præstitam non erubuit infra vnius hebdomadæ spatium violare: cum nobis iuramentum fidei non seruauerit, quomodo vobis promissionem aliquam obseruaret? Monemus igitur nobilitatem vestram, & exhortamur attentius, ac per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus in deuotione nostra, & fidelitate charissimi in Christo filii nostri Friderici Siciliæ Regis illustris: fideliter persistentes, à predicto Marcovvaldo & fautoribus eius vobis caueatis, & regno, qui sanguinem vestrum sitiunt, & inducere vos nituntur in perpetuam seruitutem: ne per insidias, vel fraudem aliquid valeat machinari: nec credatis mendaciis eius, si forte se aliter à nobis receptum esse confingat, aut nos in regno iurisdictionem sibi aliquam concessisse; sed ad defensionem Regni viriliter assurgatis; quia virtus ipsius per Dei gratiam iam est pene penitus annullata. Nos enim dante Domino, nec vobis, nec regno aliqua deerimus ratione.*

XII. RECIDIVAM MARCOVVALDI, NOBILIBVS SICVLIS DÆMONSTRAT NEQVE VT EVM IVVENT SEVERE PROHIBET. *c lib. 2. epist. 210.*

Addidit etiam has alias literas Innocentius, nobilibus viris Comitibus, Baronibus, Ciuibus & vniuersis per Siciliam constitutis, quæ quia ad historicam narrationem pertinent, placuit eas adiungere. Ita habent:

c *Quod futura sint nonissima Marcovvaldi (quantum in eo fuerit) peiora prioribus; quod non solum contra Regnum Siciliæ, sed vniuersum fere coniurauerit populum Christianum; quod factus sit contra vos alius Saladinus; nequitia eius testimonium perhibet veritati, licet nulla veritas sit in eo. Egressus enim olim homo ille iniquus, vel potius immundus spiritus, Siciliam & totum Regnum, cum non inueniret in Marchia requiem, sed obsidione hostium sæpius vallaretur, reuertar, inquit, in domum, regnum videlicet, quod exiui; & assumens secum alios spiritus nequiores, Diopuldum sciliicet fratrem, & fautores ipsius, ante tempus rediit torquere vos, acreliquias transmigrationis, & desolationis prioris: imo totius regni excidium innouare. Disposuit siquidem, sicut quondam, diruere muros vrbium, imo redigere ciuitates in villas, captiuare nobiles, torquere ac mutilare potentes, spoliare diuites, pauperes flagellare, trucidare coram patribus filios, & adulterari coniuges ante viros, per vim violare virgines, & gladio perimere repugnantes. Non credatis hæc nobis, nisi fueritis talia iam perpessi; nisi nobiles vestri, ante quorum faciem terra tremere videbatur, longo macerati exilio facti sunt tandem membrorum mutilatione deformes; nisi quidam viri, & mulieres, imo etiam (quod dolentes dicimus) sacerdotes in mare præcipitati fuerint, quidam flammis adusti, multi quoque liquenti sagimine concremati. Nos autem olim eius malitiam præuidentes, & malum vincere volentes in bono, cum se vniuersis mandatis nostris exponeret, vt tentaremus spiritum, si esset ex Deo, sicut sæpe per litteras nostras vobis meminimus intimasse, recepto ab eo per quosdam fratrum nostrorum publice super Crucem & Euangelia iuramento, quod super omnibus pro quibus excommunicatus fuerat, mandatis Apostolicis sine contradictione qualibet obediret, fecimus eum à vinculo excommunicationis absolui: & inter cætera præcipi absoluto, vt penitus à balio Regni & molestatione cessaret; quod se scripsit postmodum, nec pro Deo, nec pro homine seruaturum. Licet quod sub prædicta forma iurauerit, prius per suas nobis litteras intimasset, quas apud nos in certum infidelitatis eius indicium in testimonium reseruamus. Cæterum nos fraudes eius, & versutias attendentes, ipsum cum vniuersis fautoribus eius, nominatim autem Diopuldo, & fratribus eius Odone de Lauian, VVillelmo Crasso, & sequacibus, & fautoribus eius excommunicationis curauimus vinculo innodare, & vniuersos à iuramento fidelitatis, societatis, vel hominii ei præstiti absoluentes, omnem terram, ad quam ipse, vel aliquis de principalibus fautoribus eius deuenerit, sententia subiecimus interdicti: & mandauimus prædictos omnes per fratres & Coepiscopos nostros, & alios Ecclesiarum prælatos singulis diebus Dominicis & festuis excommunicatos publice nunciari. Dictus vero Macrovvaldus à simili sibi querens auxilium, à pyrata prædo & raptor, à marino non iam latrunculo, sed latrone, VVillelmum Crassum, quem ei tam pœna, quam facinus coæquabat, asciuit, & quasi non sufficeret ei, quod charissimus in Christo filius noster Fridericus Siciliæ Rex illustri suo fuerat patrimonio spoliatus, nisi eum faceret etiam matris possessione priuari, sicut nobis ex transcripto litterarum, quas Philippo mittebat innotuit. Siciliam est ingressus, & non regni, sed Regis etiam oblitus beneficiorum Patris, qui eum erexit de puluere, & de stercore suscitauit, excidium meditatur, quasi suis dicens fautoribus: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ipsius. Si nobis non creditis, operibus credite. In ipso namque ingressu suo quibusdam Sarracenis confœderatus, eorum sibi contra Regem & Christianos conuocauit auxilium: & vt eorum animos ad stragem vestrorum amplius excitaret, & sitim augeret eorum, iam ipsorum fauces Christiano sanguine cruentauit; & mulieres Christianas captas per violentiam, eorum exposuit voluntati. Quem igitur, & si non pueri Regis, Regis Regum causa non moueat, & non tangat iniuria Crucifixi? Quis non insurgat in illum, qui contra omnes insurgit, & inimicis Crucis se iungit, vt fidem Crucis euacuet, & factus infideli deterior, infidelibus nititur subiugare fideles. Zelum igitur Diuinæ legis habentes cum Phinee festinetis accingi, vt Iudaum diuertentem ad Madianitam, cum ea vno vnius ictu gladii feriatis, & Regni Siciliæ defendatis honorem, quem defensuros vos fidei religione firmastis. Licet enim Sarraceni, si infidelitate prædicti Regis permanserint, diligere ac manu tenere velimus, & bonas eis consuetudines adaugere, sustinere tamen nec volumus, nec debemus, vt cum Marcovvaldo regni excidium machinentur. Monemus igitur vniuersitatem vestram, & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus in dictum Marcovvaldum inimicum Dei & Ecclesiæ, persecutorem Regis, inde solummodo feriorem hostem Christianæ religionis, vnde familiaris est inimicus, in nomine Domini exercituum potenter & vtiliter assurgatis, non timentes ante faciem eius: quoniam ex quo recessit à Domino, inuenient eum multa mala, quoniam & Dominus ab ipso recessit, nec derelinquet vlterius virgam peccatoris super sortem iustorum. Nos enim attendentes perfidiam Marcovvaldi, qui cum non potuerit cum Christianis hactenus prælalere, cum Sarracenis, vt prælibauimus, nititur opprimere Christianos, vniuersis procedentibus contra eos in hac nequitia perdurantes, illam concedimus veniam peccatorum, quam in defensionem terræ orientalis transfretantibus indulgemus. Per Siciliam enim subuenire facilius poterit terræ sanctæ: quæ si (quod absit) in Saracenorum potentiam deueniret, nulla de cetero recuperationis Hierosolymitanæ prouinciæ fiducia remaneret. Nos autem dilectum filium Cencium tituli S. Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis Legatum, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos in regni subsidium cum copioso exercitu destinamus. Mementote igitur opprobrii totius regni, quod vobis à cunctis gentibus exprobratur, scilicet, quod citius totum regnum fuerit occupatum, quam vna soleat ciuitas occupari. Quid ergo dicetur de seruo, cum de Domino id dicatur? Eritis enim de cetero nisi fideliter perstiterit, & resistatis potenter, opprobrium hominum & obiectio plebis, ludibrium gentium, & fabula populorum.* Datum Laterani VIII. Calend. Decembris. Hactenus Innocentius Papa Comitibus, Baronibus, Ciuibus, & vniuersis per Siliciam constitutis, de facinoribus Marcovvaldi. Scripsit etiam vniuersis Saracenis in eodem Regno morantibus, admonens eos vt in deuotione sanctæ sedis & fidelitate regia permanerent: neque Marcovvaldo opem ferrent. *a* Scripsit insuper Episcopis Clero, militibus, & populis Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, & vtriusque Siciliæ, vt viribus cum Legatis sedis Apostolicæ coniunctis, contra Marcovvaldum consurgerent, qui vero in aciem procedere non possent, vt subsidia pecuniaria, tanta quanta pro expeditione Terræ sanctæ subministrarent.

ITEM SARACENOS A MARCOVVALDO ALIENAT. *a lib. 2. epist. 234.*

Quæ cum Fridericus Rex Siciliæ intellexisset, *b* Ciuitatibus quæ nuper ad Ecclesiæ Romanæ dominium redierant, scripsit, vniuersos ciues eorum ab iuramento fidelitatis si quo Romanorum Regi vel Imperatori tenerentur, liberos pronunciauit, & vt in Ecclesiæ obedientia atque dominio ex fide constanter perseuerarent, admonuit. Inter alios hunc in modum hominibus montis Falisci scribebat.

XIII. FRIDERICVS REX SICILIÆ SVDITOS VT IN OBEDIENTIA ECCLESIÆ PERMANEANT HORTATVR PRÆSERTIM IN MONTE FALISCO HABITANTES. *b inter epist. Innoc. 173.*

Fridericus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, hominibus de monte Flascone fidelibus suis salutem & dilectionem.

Cum charissimi in Christo Patris nostri Domini Innocentii summi Pontificis & Ecclesiæ Romanæ circa nos & Regnum nostrum non modica iugiter beneficia sentiamus, in quibus possumus, grata fibi volumus filialis deuotionis vicissitudine respondere; & tam regaliter, quam humiliter eius implere beneplacitum voluntatis. Gaudemus autem, quod (sicut accepimus) ad fidelitatem matris vestræ, & ipsius summi Pontificis humili curastis deuotione redire, & in ea fideliter, & fideliter permanetis. Ne autem de iuramento quod nobis præstitisse dicimini in posterum dubitetis, præsentes vobis duximus literas destinandas, quibus & assertum nostrum exprimimus, dum id gratum scribimus nos habere, & tanquam Ecclesiæ filii vos ad fidelitatem eius regaliter exhortamur, monentes vt sic in ea persistere procuretis, vt non ex temeraria leuitate, sed ex deliberatione discreta, potius ad id videamini processisse. Datum Panormi. Hæc cum Fredericus ciuitatibus singulis perscriberet, & illæ non libenter admonitionibus regiis obtemperarent, tanto fidentius postea Pontifex iisdem ciuibus scribebat, in hunc qui sequitur modum, quo præter alios, scripsit:

XIV. AD EANDEM OBEDIENTIAM HORTATVR EOS INNOC. PAPA. *c lib. 4. ep. 4.*

c Consulibus, & populis Esinis.

Cum Apostolicæ sedis iurisdictio spiritualis nullis terminis coarctetur, imo super gentes & regna fortita sit potestatem, in multis etiam per Dei gratiam eius extenditur iurisdictio temporalis: quæ licet aliquando visa fuerit, propter quorundam violentiam coarctari, nunc tamen eo faciente nobis cum signum in bonum, qui imperat ventis & mari, & facit tranquillum; qui deponit potentes & exaltat humiles, violentia per seipsum humiliata, redit in potentatum antiquum, & de die in diem amplius dilatatur: non homine pugnante pro nobis, sed Deo potius respiciente humilitatem nostram, & violentiam ab Ecclesia repellente. Ecce etenim per Dei gratiam ad fidelitatem Ecclesiæ, cum Perusina, Tudertina, Castellana & aliis adiacentibus, ciuitatibus, munitionibus, & Castellis Ducatus rediit Spolitanus, & magna pars Thusciæ, quæ in nostris priuilegiis continetur. Ecce etenim vniuersa fere Marchia præter Camerinensem & Esculanensem ciuitates quas tamen speramus in proximo redituras, faciente Domino, ac vestro studio procurante deuote redijt ad fidelitatem Ecclesiæ,

ac fideliter per Dei gratiam in pristino deuotione perstitit: quæ vere per se dicere potest: Iugum meum suaue est, & onus meum leue: iugum sane quod iuuat, & onus quod non onerat, sed honorat. Iugum etiam, quod inexperti fortiter diligunt, & experti fortius concupiscunt. Onus quod nescit sarcinam grauitatis, sed exonerat potius oneratos. Nos itaque studium & solicitudinem nostram solicitus attendentes, vniuersitati vestræ copiosas gratiarum exoluimus actiones, quod quam citius se obtulerit opportunitas, ad fidelitatem sedis Apostolicæ matris vestræ humiliter redijstis, & alios ad dominium Ecclesiæ reuocandos dilectis filijs nostris Centio tituli S. Laurentij in Lucina, & Ioanni tituli S. Priscæ presbyteris Cardinalibus tunc Apostolicæ sedis Legatis, quos ad partes vestras, circa nouitatis nostræ primordia destinauimus, astitistis viriliter & potenter: nec personis, nec rebus parcentes, sicut euidentius operis euidentia manifestat: & nuper dictus S. Priscæ presbyter Cardinalis ad præsentiam nostram reuertens, nobis & fratribus nostris viua voce plenius intimauit. Vt igitur laudabile fidelitatis vestræ principium finis laudabilior subsequatur, rogamus discretionem vestram, monemus & exhortamur in Domino, ac per Apostolica scripta vobis mandamus, quatenus in incepta fortitudine persistentes, ad reuocandas Ciuitates prædictas ad nostri fidelitatem dominij detis operam efficacem: vt cum tota Marchia, dante Domino, fuerit in fidelitate sedis Apostolicæ solidata, ipsius protectionis præsidio, & nostra protectione latetur. Nos enim ad honorem totius Marchiæ, ac Ciuitatis vestræ profectum dante Domino efficaciter intendemus. Datum Laterani XVI. Calend. April. Pontific. nostri anno 2.

XV. QVID LEGATI PONTIFIC. IN REGNO DALMATIÆ EGERINT, SCRIBIT IOA. EPISC. DIOCLIEN. a *inter epist. Innoc. lib. 2. epist. 168.*

Hoc anno Ioannes Diocliensis & Antibarensis Archiepiscopus significabat Innocentio Pontifici, quid Legati ipsius in Regno Dalmatiæ & Diocliæ egissent Scribebat in hæc verba.

« Sanctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Ioannes Diocliensis & Antibarensis Ecclesiæ humilis minister tam debitam quam deuotam obedientiam.

Gratias vberes refero sanctissimæ Paternitati vestræ de honore pallij, & Pontificalis officij plenitudine, quam mihi per Dominum Ioannem, & Dominum Simonem familiares & Legatos vestros concedere dignati estis. Ego autem omni tempore vitæ meæ ad deuotionem vestram, & fidelitatem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ promptum habeo animum modis omnibus & paratum. Notum autem facio sanctitati vestræ; quod præfati Legati vestri: ea quæ corrigenda & ordinanda fuerunt, ita cum prudentia & honestate per Dei gratiam, ad honorem vestrum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tractauerunt, quod Dominus Rex & totus populus eorum opera commendantes, ad pedes vestræ sanctitatis effecti sunt modis omnibus promptiores. Ego vero in proximo nuncios meos ad pedes vestræ sanctitatis transmittam, qui deuotionem meam Paternitati vestræ plenius declarabunt. Porro Acta Synodi quam Legati celebrarunt, hæc sunt.

XVI. ACTA SVMMA-RIA SYNODI PER LEGATOS HABITÆ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Nos Ioannes Capellanus, & Simon Subdiaconus Domini Innocentii Papæ III. Apostolicæ sedis Legati, ad euellenda nociua de agro Dominico, & virentum plantaria vtiliter inserenda, videntes multa in clero, & populo Dalmatiæ & Dioclie corrigenda, de sanctorum Patrum Concilijs decreta præsentia duximus innouanda.

1. In primis ita decernimus, vt nullus Episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promouere, seu Ecclesiastica beneficia alicui pretio intercedente concedere præsumat. Cum enim Dominus præceperit Apostolis: Gratis accepistis, gratis date: & Spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ confertur in sacris ordinibus, graui puniendus est pœna, qui Spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præsenti Decreto statuimus, vt quicumque Episcopus hoc agere conuictus fuerit, omni Ecclesiastica careat dignitate: & sine spe restitutionis, tam ille qui dederit, quam ille, qui scienter sacros ordines pecunia intercedente receperit, perpetuo deponatur.

2. Cum Domini sacerdotes, & si, qui sacro altario deseruunt, continenter viuere debeant, iuxta illud: Mundamini, qui fertis vasa Domini: in partibus Dalmatiæ, atque Dioclie Sacerdotes & vxores habere & Ecclesias tenere dicuntur. Quocirca præsenti Decreto statuimus, vt sacerdotes & Diaconos, ante susceptum officium, nisi eorum coniuges in manu Episcopi votum fecerint continentiæ, vxores habentes cum ipsis maneant, & Ecclesias dimittant, non enim possunt secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ manentes in coniugio, nisi defunctis vxoribus, aut continentiam vouentibus, si digni inuenti fuerint, ad sacerdotium promoueri. Illi vero, qui post susceptum sacerdotij, vel Diaconatus honorem, adulteras potius, quam vxores accepisse probantur; nisi eas dimiserint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio, & beneficio Ecclesiastico fiant penitus alieni. Prohibemus etiam ne aliquis Episcopus, nisi in quatuor temporibus iuxta sanctorum Patrum Constitutionem, aliquem ad sacros ordines promouere præsumat. Solus enim Romanus Pontifex Dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cum autem Episcopus ordinationem fecerit, non nisi vnum ordinem à Subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in subdiaconum ad minus per annum in eodem officio deseruiat, & Diaconus similiter faciat. Quicumque autem Episcopus contra hoc venire præsumpserit, tamdiu à conferendis ordinibus abstineat, donec à Romano Pontifice misericordiam consequatur.

3. Quoniam secundum gradus, & ordines personarum beneficia Ecclesiastica in domo Domini, secundum sanctorum Patrum Constitutionem distributa noscuntur: decernimus, vt decimæ, seu oblationes fidelium, tam pro viuis, quam pro defunctis, in quatuor partes diuidantur: quarum vna sit Episcopi, alia Ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum. Portionem quidem pauperum Episcopus administret; portionem vero Ecclesiarum Archipresbyter conseruet, & ex mandato Episcopi in vsibus Ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque autem Clericorum contra hoc venire præsumpserit, sua portione priuetur.

4. Districtius inhibemus, ne aliquis Sacerdos filij sui vel filiæ spiritalis priuatam confessionem alicui reuelare præsumat. Quod si facere conuictus fuerit, officio & beneficio Ecclesiastico perpetuo spolietur. Idem dicimus de quolibet Clerico, qui de homicidio, adulterio, periurio, falso testimonio publice accusatus fuerit, & conuictus.

5. Cum terrenarum potestatum Nuncijs, siue ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris Dei honor à laicis exhibendus est, à quibus ei non solum diuina celebrantur officia, verum etiam sacrum baptisma, & corpus Domini, & pœnitentia, & cætera Ecclesiastica sacramenta iugiter ministrantur. Quapropter iuxta Decretum Domini Innocentij Papæ II. districtius inhibemus, ne aliquis in personam Episcopi sacerdotis, vel cuiuslibet clerici, vel religiosi viri, violentas manus inicere præsumat. Quicumque autem hac attentauerit, tamdiu excommunicatus maneat, donec de tanta præsumptione satisfacturus Apostolico se conspectui representet: vel ab eius Legato præstita congrua satisfactione absolutionis beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus, ne aliquis laicius clericum ad peregrina iudicia trahere præsumat, veluti candenti ferri, vel aquæ, vel cuiuslibet alterius iudicij. Non enim pertinet ad laicum, clericum iudicare. Si autem Clericus peccauerit, ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel etiam Prælato suo, aut Romano Pontifice, si necesse fuerit iudicetur.

6. Cum Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ mater est omnium Ecclesiarum, & magistra, decreuerit, vt nullus Christianus vsque ad septimum consanguinitatis gradum coniugium contrahere præsumat, graue nimis est, & diuini dignum animaduersione iudicij, quod in partibus Dalmatiæ ac Diocliæ, à multis factum in veritate comperimus, vt homines Dei timorem non habentes, cum consanguineis in quarto gradu & quinto, vel infra contra sanctorum Patrum Constitutionem coniugia contrahere non formident. Quapropter præsenti decreto statuimus, vt quicumque in quarto gradu præsertim, vel infra, coniugium habere conuincitur, nisi ad mandatum Ecclesiæ satisfecerit, & à sua consanguinitatis incesta coniunctione recesserit, tamdiu maneat excommunicatus, & ab omnibus Ecclesiæ sacramentis separatus, donec à nefaria copula separetur, & ad mandatum Ecclesiæ satisfaciat.

7. Item præcipimus, vt clerici rasuram, & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab Episcopo districtione canonica compellatur.

8. Cum duæ sint in terris potestates à Domino constitutæ, spirituales videlicet & secularis, & vna de spiritualibus & Ecclesiasticis, altera de secularibus habeat iudicare: graue committit peccatum quicumque laicus vel Ecclesias donare, vel Ecclesiasticas personas iudicare præsumit. Quocirca præsenti Decreto statuimus, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocentij, vt quicumque clericus de manu laica Ecclesiam, vel Ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tamdiu vinculo excommunicationis teneatur astrictus, donec ad mandatum Ecclesiæ satisfaciat: & quod contra sacros canones factum fuerit, irritum habeatur & inane. Illos autem laicos, qui antæ Constitutionem istam Ecclesias donauerunt, vel in Ecclesiasticas personas manus iniecerunt violentas, volumus per Episcopos tertio commoneri; & nisi pœnitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.

9. Excom-

9. Excommunicamus omnes illos, qui Thesauros Ecclesiarum iniuste detinent, donec restituant: & eos qui Latinos detinent in seruitute, nisi recepta pecunia quam dederunt, eos pristinæ restituant libertati.

10. Excommunicamus item illos omnes, qui proprias dimiserunt vxores, vel de cætero dimiserint sine iudicio Ecclesiæ, donec ad ipsas reuertantur.

11. Prohibemus etiam vt filij presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.

12. Similiter prohibemus, vt nullus ordinetur in sacerdotem, nisi trigesimum expleuerit annum.

Ego Fr. Ioannes Domini Papæ Capellanus Apostolicæ sedis Legatus scripsi & subscripsi.

Ego Fr. Simon Domini Papæ Subdiaconus, Apostolicæ sedis Legatus subscripsi.

Ego Ioannes Dioclensis & Antibarensis Archiepiscopus subscripsi.

Ego Dominicus Archipresbyter Arbanens. subscripsi.
Ego Petrus Scuarinsis Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Polatinensis Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Aruastinensis Episcopus subscripsi.
Ego Dominicus Soacinensis Episcopus subscripsi.
Ego Natalis Dulcinensis Episcopus subscripsi.
Ego Theodorus Sareanensis Episcopus subscripsi.

XVII. GREGORIVS PATRIARCHA ARMENORVM DE SVA ET LEONIS REGIS OBEDIENTIA ERGA SEDEM ROMANAM SCRIBIT AD INNOC. a *inter ep. Innoc. lib. 2 epist. 206.*

Eodem ipso anno Innocentius Papa Archiepiscopo-pum Moguntinum & Episcopum Sabinensem. Cardinalem Legatum ad Regem Armenorum destinarat, qui eum cum Tripolitano Comite conciliaret, & ad ferenda subsidia Terræ sanctæ incitaret. Is autem quemadmodum se in ea dignitate gesserit, Leo Rex, & Gregorius, Catholicorum Armeniorum Patriarcha, his verbis significarunt Innocentio Pontifici, quæ ex Armeno translata sunt in Latinum. Et quidem Gregorius Patriarcha sic scribebat: a *Vobis, qui estis caput post Christum consecrati ab eo, & caput Ecclesiæ Romanæ Catholicæ matris omnium Ecclesiarum, adeo prudentes & sancti, quod debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, & vobis sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, Clericis & omnibus qui sunt de vestra sancta Ecclesia, salutem & fraternitatem. Pax Dei sit inter vos. Gregorius homo Iesu Christi per gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiæ Armeniorum, filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis. Sciatis quod nos Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Clerici oramus Iesum Christum, qui est caput omnium nostrum, vt seruet vos, & vestros ab omnibus malis, quia cum vos, qui estis caput, estis incolumes nos qui sumus corpus, bene valebimus per vestram benedictionem. Noueritis Domine, quod ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis Archiepiscopus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum sublimem coronam, & coronauit Regem nostrum Leonem, & nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus à longo tempore: vnde nos fuimus elongati à vobis, & nos recepimus eam libenter, & cum magno gaudio; & inclinamus & regratiamur Deo, & S. Romanæ Ecclesiæ, & alto Imperatori Romanorum. Sciatis Domine, quod ipse nobis monstrauit vestra præcepta, & nos ea multum libenter audiuimus, & libenter volumus legem, & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum, & nos solebamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volumus esse ad vestrum mandatum; & firmiter sunt ad vestrum mandatum omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis clerus nostræ Ecclesiæ, qui sunt in nostris terris, & sunt multi per gratiam Dei. Et nos rogamus vos, vt oretis Deum pro nobis, quia nos sumus in ore draconis, & in medio inimicorum Crucis, & inter eos qui sunt naturaliter inimici nostri. Et nos vos rogamus per Deum, quatenus nobis mittatis tale adiutorium, & tale consilium, quod nos possimus conseruare honorem Dei, & Christianitatis & vestrum. Quia postquam nos sumus vestri, & vos estis memores nostri, efficiatis tantum erga nos, quod nos gratias referamus Deo, qui nos redemit sanguine suo, & quod gratias agamus sanctæ Cruci Domini nostri, qui fecit totum mundum. Iesus Christus defendat vos, & omnes vestros ab omni malo, & nobis det vestram benedictionem.*

b *li. 2. epist. 208.*

Hæc Gregorius Patriarcha. Fere eodem modo Imperator, his ipsis verbis quæ sequuntur. *b* Reuerendissimo in Christo Patri & Domino, Innocentio Dei gratia summo Pontifici & vniuersali Papæ, tanto & tali honore dignissimo.

XVIII. LEO REX EANDEM INNOC. PER LITTERAS TESTATVR ET AVXILIA PETIT ADVERSVS SARACENOS.

Leo per eandem, & Romani Imperij gratiam Rex omnium Armeniorum, cum salutatione seipsum, & quicquid potest. Gloria, laus, & honor omnipotenti Deo, qui vos tantum & talem Pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus: & tam fructuosam & firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, & tantum lumen super candelabrum positum toti orbi terrarum, ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est. In vestri ergo luminis gratia salutaribus monitis reuerendissimi Patris nostri Archiepiscopi Moguntini instructi, & informati, omne Regnum à nobis commissum amplissimum, & spatiosum, & omnes Armenos, huc illuc in remotis partibus diffusos, ad vnitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ diuina inspirante clementia reuocare cupimus & exoptamus. Ad hæc calamitates, miserias, paupertates, & imbecillitatem regni Syriæ, & nostri, per ipsum prædictum Moguntinum (quia difficilior labor erat scripto retexere) pietati vestræ patefacimus. Ipse vero per singularem veritatem vobis explicabit: in cuius notitiam ista non præteriere. Hanc vtique contritionem & collisionem in valle desituti lachrymarum, iamdiu sustinuimus, quod de cætero sine spe subsidii, & auxilii vestri sustinere nequimus. Verum quia zelus Domini tepescere non debet in cordibus tam vestro quam nostro, non vt per somen instruentis geramus, eiusdem domus decorem diligere, & pro eadem domo murum nos oportet opponere, vt impetus, quos super eam faciunt inimici Crucis Christi, cooperante Dei gratia collecti in vnum animi viribus resistendo excludamus. Hinc est, quod vestram flexis genibus imploramus pietatem, quatenus lachrymabilibus Domini Moguntini precibus & nostris, diuino intuitu aures misericordiæ porrigatis; & miseritis Christianitatis compatientes subsidium Christianissimum nobis accurrendo mittatis, antequam irreparabile (quod absit) incurramus diluuium: imo cum Deo, & vestro auxilio euaginato ense, de Hur Chaldæorum, & persecutione Pharaonis, possimus liberari. Datum Thaisis anno ab Incarnatione Domini M.C.XCIX. mense Maio, die vigesima tertia.

XIX. LAVDAT VTRVMQVE PONTIFEX ET SVBSIDIA MITTIT CRVCESIGNATIS.

Laudauit Innocentius studium vtriusque, & vtriq; scribens, hortatus est eos ad obedientiam & fidelitatem Ecclesiæ Romanæ, vt fideliter in ea perseuerarent.

INNOCENTIVS PAPA III. GREGORIO Catholico Armeniorum.

Edita A.D. 1199.

Ex eo te radicatum in fide Catholica & esse Catholicum, non tam nomine, quam merito experimur, quod Apostolicæ Sedis magisterium recognoscis, eam Ecclesiam omnium matrem, & nos caput vniuersorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie litterarum. Nosti etenim principi gregum Petri, quod sibi Dominus vniuersas oues suas pascendas vocabulo tertio repetito, commisit; Pasce (inquiens) oues meas, & super vniuersas ei ligandi & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Nosti etiam prærogatiuam Apostolicæ sedis, quæ per meritum B. Petri, & si non tempore, authoritate tamen inter Apostolos primi non constitutione Synodica, sed diuina inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, & primatus fundamenta super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus, fundamentum positum est, prater quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, & de quo veritas in Euangelio inquit ad Petrum; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi Pastor vnus, & Ecclesia vniuersalis ouile vnum, de quibus Dominus in Euangelio protestatur, alias, dicens, oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Pastor. Sane lapis ille angularis, quem reprobauerunt ædificantes factus postmodum in caput anguli faciens vtraque vnum Idcorum populos, & gentium rationes in vnitate Christianæ fidei conuiuit, Ecclesiam ex vtrisque constituens, non habentem maculam, neque rugam, quæ non post ascensionem eius secaretur in partes, & ne vnitum in eius fide diuideretur ouile, vni commisit Apostolorum Principi gubernandam, quem solum sibi Dominus, & in officio Vicarium, & in magisterio constituit successorem.

Hoc autem tua Fraternitas diligenter attendens, ac sciens, quod secundum membra, nos quos Dominus, licet immeritos, vicarios suos esse voluit, & Apostolorum Principis successores, caput Ecclesiæ confitueris, & te ac fratres, & Coepiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis, sciens quod sicut palmes non potest fructum facere à

semetipso.

ac fideliter per Dei gratiam in ipsius deuotione perstitit: quæ vere per se dicere potest: Iugum meum suaue est, & onus meum leue: iugum sane quod iuuat, & onus quod non onerat, sed honorat. Iugum etiam, quod inexperti fortiter diligunt, & experti fortius concupiscunt. Onus quod nescit sarcinam grauitatis, sed exonerat potius oneratos. Nos itaque studium & solicitudinem nostram solicitus attendentes, vniuersitati vestræ copiosas gratiarum exoluimus actiones, quod quam citius se obtulerit opportunitas, ad fidelitatem sedis Apostolicæ matris vestræ humiliter redijstis, & alios ad dominium Ecclesiæ reuocandos dilectis filijs nostris Centio tituli S. Laurentii in Lucina, & Ioanni tituli S. Priscæ presbyteris Cardinalibus tunc Apostolicæ sedis Legatis, quos ad partes vestras, circa nouitatis nostræ primordia destinauimus, asististis viriliter & potenter: nec personis, nec rebus parcentes, sicut euidentius operis euidentia manifestat: & nuper dictus S. Priscæ presbyter Cardinalis ad præsentiam nostram reuertens, nobis & fratribus nostris viua voce plenius intimauit. Vtigitur laudabile fidelitatis vestræ principium finis laudabilior subsequatur, rogamus discretionem vestram, monemus & exhortamur in Domino, ac per Apostolica scripta vobis mandamus, quatenus in incepta fortitudine persistentes, ad reuocandas Ciuitates prædictas ad nostri fidelitatem dominij detis operam efficacem: vt cum tota Marchia, dante Domino, fuerit in fidelitate sedis Apostolicæ solidata, ipsius protectionis præsidio, & nostra protectione lætetur. Nos enim ad honorem totius Marchiæ, ac Ciuitatis vestræ profectum dante Domino efficaciter intendemus. Datum Laterani XVI. Calend. April. Pontific. nostri anno 2.

XV. QVID LEGATI PONTIFIC. IN REGNO DALMATIÆ EGERINT, SCRIBIT IOA. EPISC. DIOCLETIN. a *inter epist. Innoc. lib. 2. epist. 168.*

Hoc anno Ioannes Dioclensis & Antibarensis Archiepiscopus significabat Innocentio Pontifici, quid Legati ipsius in Regno Dalmatiæ & Dioclitæ egissent Scribebat in hæc verba.

Sanctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Ioannes Dioclensis & Antibarensis Ecclesiæ humilis minister tam debitam quam deuotam obedientiam.

Gratias vberes refero sanctissimæ Paternitati vestræ de honore pallii, & Pontificalis officii plenitudine, quam mihi per Dominum Ioannem, & Dominum Simonem familiares & Legatos vestros concedere dignati estis. Ego autem omni tempore vitæ meæ ad deuotionem vestram, & fidelitatem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ promptum habeo animum modis omnibus & paratum. Notum autem facio sanctitati vestræ; quod præfati Legati vestri: ea quæ corrigenda & ordinanda fuerunt, ita cum prudentia & honestate per Dei gratiam, ad honorem vestrum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tractauerunt, quod Dominus Rex & totus populus eorum opera commendantes, ad pedes vestræ sanctitatis effecti sunt modis omnibus promptiores. Ego vero in proximo nuncios meos ad pedes vestræ sanctitatis transmittam, qui deuotionem meam Paternitati vestræ plenius declarabunt. Porro Acta Synodi quam Legati celebrarunt, hæc sunt.

XVI. ACTA SVMMARIA SYNODI PER LEGATOS HABITÆ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Nos Ioannes Capellanus, & Simon Subdiaconus Domini Innocentii Papæ III. Apostolicæ sedis Legati, ad euellenda nociua de agro Dominico, & virtutum plantaria vtiliter inserenda, videntes multa in clero, & populo Dalmatiæ & Dioclitæ corrigenda, de sanctorum Patrum Conciliis decreta præsentia duximus innouanda.

1. *In primis ita decernimus, vt nullus Episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promouere, seu Ecclesiastica beneficia alicui pretio interueniente concedere præsumat. Cum enim Dominus præceperit Apostolis: Gratis accepistis, gratis date: & Spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ confertur in sacris ordinibus, grauiter puniendus est pœna, qui Spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præsenti Decreto statuimus, vt quicumque Episcopus hoc agere conuictus fuerit, omni Ecclesiastica careat dignitate: & sine spe restitutionis, tam ille qui dederit, quam ille, qui scienter sacros ordines pecunia interueniente receperit, perpetuo deponatur.*

2. *Cum Domini sacerdotes, & si, qui sacro altario deseruunt, continenter viuere debeant, iuxta illud: Mundamini, qui fertis vasa Domini: in partibus Dalmatiæ, atque Dioclitæ Sacerdotes & vxores habere & Ecclesias tenere dicuntur. Quocirca præsenti Decreto statuimus, vt sacerdotes & Diaconos, ante susceptum officium, nisi eorum coniuges in manu Episcopi votum fecerint continentiæ, vxores habentes cum ipsis maneant, & Ecclesias dimittant, non enim possunt secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ manentes in coniugio, nisi defunctis vxoribus, aut continentiam vouentibus, si digni inuenti fuerint, ad sacerdotium promoueri. Illi vero, qui post susceptum sacerdotii, vel Diaconatus honorem, adulteras potius, quam vxores accepisse probantur; nisi eas dimiserint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio, & beneficio Ecclesiastico fiant penitus alieni. Prohibemus etiam ne aliquis Episcopus, nisi in quatuor temporibus iuxta sanctorum Patrum Constitutionem, aliquem ad sacros ordines promouere præsumat. Solus enim Romanus Pontifex Dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cum autem Episcopus ordinationem fecerit, non nisi vnum ordinem à Subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in subdiaconum ad minus per annum in eodem officio deseruiat. & Diaconus similiter faciat. Quicumque autem Episcopus contra hoc venire præsumpserit, tamdiu à conferendis ordinibus abstineat, donec à Romano Pontifice misericordiam consequatur.*

3. *Quoniam secundum gradus, & ordines personarum beneficia Ecclesiastica in domo Domini, secundum sanctorum Patrum Constitutionem distributa noscuntur: decernimus, vt decimæ, seu oblationes fidelium, tam pro viuis, quam pro defunctis, in quatuor partes diuidantur: quarum vna sit Episcopi, alia Ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum. Portionem quidem pauperum Episcopus administret; portionem vero Ecclesiarum Archipresbyter conseruet, & ex mandato Episcopi in vsibus Ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque autem Clericorum contra hoc venire præsumpserit, sua portione priuetur.*

4. *Districtius inhibemus, ne aliquis Sacerdos filij sui vel filiæ spiritalis priuatam confessionem alicui reuelare præsumat. Quod si facere conuictus fuerit, officio & beneficio Ecclesiastico perpetuo spolietur. Idem dicimus de quolibet Clerico, qui de homicidio, adulterio, periurio, falso testimonio publice accusatus fuerit, & conuictus.*

5. *Cum terrenarum potestatum Nuncijs, siue ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris Dei honor à laicis exhibendus est, à quibus ei non solum diuina celebrantur officia, verum etiam sacrum baptisma, & corpus Domini, & pœnitentia, & cætera Ecclesiastica sacramenta iugiter ministrantur. Quapropter iuxta Decretum Domini Innocentii Papæ II. districtius inhibemus, ne aliquis in personam Episcopi sacerdotis, vel cuiuslibet clerici, vel religiosi viri, violentas manus inijcere præsumat. Quicumque autem hoc attentauerit, tamdiu excommunicatus maneat, donec de tanta præsumptione satisfacturus Apostolico se conspectui representet: vel ab eius Legato præstita congrua satisfactione absolutionis beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus, ne aliquis laicius clericum ad peregrina iudicia trahere præsumat, veluti candentis ferri, vel aquæ, vel cuiuslibet alterius iudicii. Non enim pertinet ad laicum, clericum iudicare. Si autem Clericus peccauerit, ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel etiam Prælato suo, aut Romano Pontifice, si necesse fuerit iudicetur.*

6. *Cum Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ mater est omnium Ecclesiarum, & magistra, decreuerit, vt nullus Christianus vsque ad septimum consanguinitatis gradum coniugium contrahere præsumat, graue nimis est, & diuini dignum animaduersione iudicij, quod in partibus Dalmatiæ ac Dioclitæ, à multis factum in veritate comperimus, vt homines Dei timorem non habentes, cum consanguineis in quarto gradu & quinto, vel infra contra sanctorum Patrum Constitutionem coniugia contrahere non formident. Quapropter præsenti decreto statuimus, vt quicumque in quarto gradu præsertim, vel infra, coniugium habere comuincitur, nisi ad mandatum Ecclesiæ satisfecerit, & à sua consanguinitatis incesta coniunctione recesserit, tamdiu maneat excommunicatus, & ab omnibus Ecclesiæ sacramentis separatus, donec à nefaria copula separetur, & ad mandatum Ecclesiæ satisfaciat.*

7. *Item præcipimus, vt clerici rasuram, & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab Episcopo districtione canonica compellatur.*

8. *Cum duæ sint in terris potestates à Domino constitutæ, spiritualis videlicet & secularis, & vna de spiritualibus & Ecclesiasticis, altera de secularibus habeat iudicare: graue committit peccatum quicumque laicus vel Ecclesias donare, vel Ecclesiasticas personas iudicare præsumit. Quocirca præsenti Decreto statuimus, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocentii, vt quicumque clericus de manu laica Ecclesiam, vel Ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tamdiu vinculo excommunicationis teneatur astrictus, donec ad mandatum Ecclesiæ satisfaciat: & quod contra sacros canones factum fuerit, irritum habeatur & inane. Illos autem laicos, qui antea Constitutionem istam Ecclesias donauerunt, vel in Ecclesiasticas personas manus iniecerunt violentas, volumus per Episcopos tertio commoneri; & nisi pœnitentiam egerint compostentem, eadem sententia teneantur astricti.*

9. *Excom-*

9. Excommunicamus omnes illos, qui Thesauros Ecclesiarum iniuste detinent, donec restituant: & eos qui Latinos detinent in seruitute, nisi recepta pecunia quam dederunt, eos pristinæ restituant libertati.

10. Excommunicamus item illos omnes, qui proprias dimiserunt vxores, vel de cætero dimiserint sine iudicio Ecclesiæ, donec ad ipsas reuertantur.

11. Prohibemus etiam vt filij presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.

12. Similiter prohibemus, vt nullus ordinetur in sacerdotem, nisi trigesimum expleuerit annum.

Ego Fr. Ioannes Domini Papæ Capellanus Apostolicæ sedis Legatus scripsi & subscripsi.

Ego Fr. Simon Domini Papæ Subdiaconus, Apostolicæ sedis Legatus subscripsi.

Ego Ioannes Dioclensis & Antibarensis Archiepiscopus subscripsi.

Ego Dominicus Archipresbyter Arbanens. subscripsi.
Ego Petrus Scuarinensis Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Polatinensis Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Aruastinensis Episcopus subscripsi.
Ego Dominicus Soacinensis Episcopus subscripsi.
Ego Natalis Dulcinensis Episcopus subscripsi.
Ego Theodorus Sareanensis Episcopus subscripsi.

XVII. GREGORIVS PATRIARCHA ARMENORVM DE SVA ET LEONIS REGIS OBEDIENTIA ERGA SEDEM ROMANAM SCRIBIT AD INNOC. a *inter ep. Innoc. lib. 2 epist. 206.*

Eodem ipso anno Innocentius Papa Archiepiscopum Moguntinum & Episcopum Sabinensem. Cardinalem Legatum ad Regem Armenorum destinarat, qui enm cum Tripolitano Comite conciliaret, & ad ferenda subsidia Terræ sanctæ incitaret. Is autem quemadmodum se in ea dignitate gesserit, Leo Rex, & Gregorius, Catholicorum Armeniorum Patriarcha, his verbis significarunt Innocentio Pontifici, quæ ex Armeno translata sunt in Latinum. Et quidem Gregorius Patriarcha sic scribebat: a *Vobis, qui estis caput post Christum confecrati ab eo, & caput Ecclesiæ Romanæ Catholicæ matris omnium Ecclesiarum, adeo prudentes & sancti, quod deberis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, & vobis sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, Clericis & omnibus qui sunt de vestra sancta Ecclesia, salutem & fraternitatem. Pax Dei sit inter vos. Gregorius homo Iesu Christi per gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiæ Armeniorum, filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis. Sciat is quod nos Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Clerici omnes Iesum Christum, qui est caput omnium nostrum, vt seruet vos, & vestros ab omnibus malis, quia cum vos, qui estis caput, estis incolumes, nos qui sumus corpus, bene valebimus per vestram benedictionem. Noueritis Domine, quod ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis Archiepiscopus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romanorum sublimem coronam, & coronauit Regem nostrum Leonem, & nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus à longo tempore: vnde nos fuimus elongati à vobis, & nos recepimus eam libenter, & cum magno gaudio; & inclinamus & regratiamus Deo, & S. Romanæ Ecclesiæ, & alto Imperatori Romanorum. Sciat is Domine, quod ipse nobis monstrauit vestra præcepta, & nos ea multum libenter audiuimus, & libenter volumus legem, & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum, & nos solebamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volumus esse ad vestrum mandatum; & firmiter sunt ad vestrum mandatum, omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis clerus nostræ Ecclesiæ, qui sunt in nostris terris, & sunt multi per gratiam Dei. Et nos rogamus vos, vt oretis Deum pro nobis, quia nos sumus in ore draconis, & in medio inimicorum Crucis, & inter eos qui sunt naturaliter inimici nostri. Et nos vos rogamus per Deum, quatenus nobis mittatis tale adiutorium, & tale consilium, quod nos possimus conseruare honorem Dei, & Christianitatis & vestrum. Quia postquam nos sumus vestri, & vos estis memores nostri, efficiatis tantum erga nos, quod nos gratias referamus Deo, qui nos redemit sanguine suo, & quod gratias agamus sanctæ Cruci Domini nostri, qui fecit totum mundum. Iesus Christus defendat vos, & omnes vestros ab omni malo, & nobis det vestram benedictionem.*

b *li. 2. epist. 208.*

Hæc Gregorius Patriarcha. Fere eodem modo Imperator, his ipsis verbis quæ sequuntur. *b* Reuerendissimo in Christo Patri & Domino, Innocentio Dei gratia summo Pontifici & vniuersali Papæ, tanto & tali honore dignissimo.

XVIII. LEO REX EANDEM INNOC. PER LITTERAS TESTATVR ET AVXILIA PETIT ADVERSVS SARACENOS.

Leo per eandem, & Romani Imperij gratiam Rex omnium Armeniorum, cum salutatione seipsum, & quicquid potest. Gloria, laus, & honor omnipotenti Deo, qui vos tantum & talem Pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus: & tam fructuosam & firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, & tantum lumen super candelabrum positum toti orbi terrarum, ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est. Inuestri ergo luminis gratia salutaribus monitis reuerendissimi Patris nostri Archiepiscopi Moguntini instructi, & informati, omne Regnum à nobis commissum ampl.ssimum, & spatiosum, & omnes Armenos, huc illuc in remotis partibus diffusos, ad vnitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ diuina inspirante clementia reuocare cupimus & exoptamus. Ad hæc calamitates, miserias, paupertates, & imbecillitatem regni Syriæ, & nostri, per ipsum prædictum Moguntinum (quia difficilior labor erat scripto retexere) pietati vestræ patefacimus. Ipse vero per singula rei veritatem vobis explicabit: in cuius notitiam ista non præteriere. Hanc vtique contritionem & collisionem in valle destituti lachrymarum, iamdiu sustinuimus, quod de cætero sine spe subsidij, & auxilij vestri sustinere nequimus. Verum quia zelus Domini tepescere non debet in cordibus tam vestro quam nostro, non vt personam instruentis geramus, eiusdem domus decorem diligere, & pro eadem domo murum nos oportet opponere, vt impetus, quos super eam faciunt inimici Crucis Christi, cooperante Dei gratia collecti in vnum animi viribus resistendo excludamus. Hinc est, quod vestram flexis genibus imploramus pietatem, quatenus lachrymabilibus Domini Moguntini precibus & nostris, diuino intuitu aures misericordiæ porrigatis; & miseriis Christianitatis compatientes subsidium Christianissimum nobis accurrendo mittatis, antequam irremeabile (quod absit) incurramus diluuium: imo cum Deo, & vestro auxilio euaginato ense, de Hur Chaldæorum, & persecutione Pharaonis, possimus liberari. Datum Thasis anno ab Incarnatione Domini M.C.XCIX. mense Maio, die vigesima tertia.

XIX. LAVDAT VTRVMQVE PONTIFEX ET SVBSIDIA MITTIT CRVCESIGNATIS.

Edita A.D. 1199.

Laudauit Innocentius studium vtriusque, & vtriq; scribens, hortatus est eos ad obedientiam & fidelitatem Ecclesiæ Romanæ, vt fideliter in ea perseuerarent.

INNOCENTIVS PAPA III. GREGORIO Catholico Armeniorum.

Ex eo te radicatum in fide Catholica & esse Catholicum, non tam nomine, quam merito experimur, quod Apostolicæ Sedis magisterium recognoscis, eam Ecclesiam omnium matrem, & nos caput vniuersorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie litterarum. Nosti etenim principi gregum Petri, quod sibi Dominus vniuersas oues suas pascendas vocabulo tertio repetito, commisit; Pasce (inquiens) oues meas, & super vniuersas ei ligandi & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Nosti etiam prærogatiuam Apostolicæ sedis, quæ per merita B. Petri, & simon tempore, authoritate tamen inter Apostolos primi non constitutione Synodica, sed diuina inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, & primatus fundamenta super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus, fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, & de quo veritas in Euangelio inquit ad Petrum; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi Pastor vnus, & Ecclesia vniuersalis ouile vnum, de quibus Dominus in Euangelio protestatur, alias, dicens, oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Pastor. Sane lapis ille angularis, quem reprobauerunt ædificantes factus postmodum in caput anguli faciens vtraque vnum Idolorum populos, & gentium rationes in vnitate Christianæ fidei conuiuit, Ecclesiam ex vtrisque constituens, non habentem maculam, neque rugam, quæ non post ascensionem eius secaretur in partes, & ne vnitum in eius fide diuideretur ouile, vni commisit Apostolorum Principi gubernandam, quem solum sibi Dominus, & in officio Vicarium, & in magisterio constituit successorem.

Hoc autem tua Fraternitas diligenter attendens, ac sciens, quod secundum membra, nos quos Dominus, licet immeritos, vicarios suos esse voluit, & Apostolorum Principis successores, caput Ecclesiæ confiteris, & te ac fratres, & Coepiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis, sciens quod sicut palmes non potest fructum facere à

semetipso.

Semetipso nisi manserit in vite, sic & membrum sensu caret, & actu, si non in corpore permanserit.

Gaudemus ergo non modicum quod in fide Catholica perseuerans, circa nos pia geris deuotionis affectum, & filium te esse Apostolicæ Sedis innuis, dum eam esse matrem omnium protestaris, recognoscens à nobis magisterium Ecclesiasticæ disciplinæ, quam etsi receptam longo tempore priùs, ex parte tamen per Ven. Fratrem nostrum Moguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinen. vnum ex septem Episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existit, suscepisse te gaudes & desideras obseruare. Fuit autem & est magnum tuæ deuotionis indicium, quod eundem Archiepiscopum magnificè recepisti, & curasti non modicum honorare, sicut & tuæ litteræ continebant, & ipsius nobis relatio patefecit.

Monemus igitur Fraternitatem tuam & exhortamur in Domino ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in deuotione Sedis Apostolicæ firmiter perseueres, & in lege Domini die ac nocte meditaris & noctè, quæ famæ doctrinæ congruunt prædicans, & quæ prædicaueris, quantum Dominus permittit, adimplens, vt in te nec opera verbis, nec verba operibus contradicant. Esto circa subiectos Magister, vt doceas, vt corrigas pater, mater vt foueas, doceas minus doctos, superbos corrigas, humiles foueas & deuotos, instititiam misericordia temperans, & æquitatem in iudicio non relinquens.

Super subuentione vero Hierosolymitanæ Prouinciæ nosse te volumus, quod iam per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures, dante Domino, recipient in defensionem Orientalis Prouinciæ oportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex Fratribus nostris de manibus nostris viuificæ crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citius forsitan quam credatur, Orientalis Prouinciæ subsidium sentiet expectatum. Datum Laterani nono Kalend. Decembr. Anno secundo.

Hæc Innocentius Gregorio.

Cæterum quod id temporis Legatus illius, Leonem, Regio titulo & diademate exornasset, probauit Innocentius ea omnia, quæ is auctoritate Apostolica Armeno contulisset, data epistola, quam adiungo.

INNOCENTIVS PAPA III. &c. LEONI Illustri Regi Armeniorum.

Edita A.D. 1199.

Is Ecclesiam suam congregatam ex gentibus, non habentem maculam neq; rugam, super gentes & regna constituit, is extendit palmites, eius vsq; ad mare, & vsq; ad terminos terræ ipsius propagines dilatuit, cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in ea. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solum vniuersis fidelibus prætulit, sed super cæteras etiam Ecclesias exaltauit, vt cæteræ ab ea non tam viuendi normam, & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam Catholicæ documenta reciperent, & eius seruarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum Principe, cui excellentius aliis Dominus ligandi & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, Ecclesia Romana Sedes eius, & Seniores ipsius Romani Pontificis successores Petri, & Vicarii Iesu Christi sibi inuicem per successiuas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus, & cunctis Ecclesiarum Prælatis, imo etiam fidelibus vniuersis, à Domino primatum & magisterium acceperunt, vocatis sic cæteris in partem solicitudinis, vt apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro & cum Petro, singulare illud priuilegium expirauit, quod successoribus eius futuris, vsq; in finem mundi Dominus in ipso concessit, sed præter vitæ sanctitatem, & miraculorum virtutes, par sit in omnibus iurisdictio successorum, quos etsi diuersis temporibus, eidem tamen Sedi, & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere.

Gaudemus autem, quod tu, sicut Princeps Catholicus Apostolicæ Sedis priuilegium recognoscens, venerabilem Fratrem nostrum Moguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinensem, vnum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benigne ac hilariter recepisti, & non solum per eum institutis salutaribus es instructus, quibus iuxta continentiam litterarum tuarum, totum Regnum tuum, licet amplissimum, desideres informari, & vniuersos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium reuocare, sed ad honorem & gloriam Apost. Sedis, quam constitutam esse nouisti super gentes, & regna, diadema Regni recepisti de manibus eius, & eum curasti deuote ac humiliter honorare, & nos per ipsum, & litteras tuas ad Orientalis terræ subsidium inuitasti.

Ei ergo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tanta humilitatis animum inspirauit, rogamus Seren. Regiam & exhortamur in Domino, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini, & Apostolicæ Sedis deuotione persistens ad expugnandam Barbariem paganorum, & vindicandam iniuriam Crucifixi tanto potentius & efficacius studeas imminere, quãto fraudes & versutias hostium vicinius positus melius agnouisti. Non in exercitu multitudine, aut virtute, sed de ipsius potius miseratione confidens, qui docet manus ad prælium, & digitos mouet ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos.

Iam enim per Dei gratiam ad communitionem nostram, multi crucis signaculum receperunt, & plures, dante Domino, recipient, in defensionem Orientalis Prouinciæ opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex Fratribus nostris, de manibus nostris viuificæ crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur & esto robustus, quia citius forsitan, quam credatur, Orientalis Prouincia subsidium sentiet expectatum. Datum Laterani VIII. Kalend. Decemb. Anno secundo.

Quod expeditionem Terræ sanctæ attinet, significabat Innocentius: a *Iam*, inquit, *per Dei gratiam ad commonitionem nostram, multi Crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis prouinciæ opportuno tempore transituri. Iam etiam*, ait, *duo ex fratribus nostris, de manibus nostris viuificæ Crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citius forsitan, quam credatur, orientalis prouincia subsidium sentiet expectatum.* Datum Laterani VIII. Calend. Decembris. Ceterum cum Leo Rex Armeniorum bello ciuico distineretur, nec tantas quantas opus fuerat suppetias mitteret Crucesignatis, Innocentius III. Pontifex vexillum Diui Petri imagine insigne illi misit, quod cum contra infideles, tum contra perduelles explicaret. Nimirum vt illius Principis patrocinio se tutum esse intelligeret, crederet, & sperauret, contra cuius potestatem, ne portæ quidem inferi prævalerent. Comes Paganus Castellus ex Regulis Mirandæ apud Interannam, & Comes Aronus Castellus ex Comitibus Aronis fuerunt qui vexillum Regi contra barbaros pugnaturo deferrent, & Principum exercitus officio fungerentur.

a *lib. 2. epist. 207. & 209*

Eodem anno, Innocentius Papa Archipresbyrero Veronensi commiserat, *b* vt contra Gazaros, Arnaldistas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, qui nondum redierant ad mandatum Apostolicæ sedis, & contra vniuersos hæreticos inquireret. Ceterum cum dictus Archipresbyter tam contra Humiliatos, quam vniuersos hæreticos, sine distinctione in litteris Apostolicis posita, excommunicationis sententiam promulgasset: cuius occasione sententiæ, nonnulli quosdam, qui licet inuiti, à populo Humiliati dicebantur; licet nullam hæresim, sed fidem saperent Orthodoxam, atque in humilitate cordis & corporis studerent Domino famulari; licet in manibus Cardinalis legati stare mandatis Ecclesiæ iurauissent; euitarent, & eis tanquam excommunicatis communicare recusarent: ideo Innocentius in causa eorum Veronensi Episcopo Romanæ Ecclesiæ Cardinali rescripsit.

XX. INNOC. IVBET ARCHIPRESBYTERO VERONENSI VT IN HÆRETICOS INQVIRAT, QVI EOS EXCOMMVNICAT.

b *l. 2. epist. 217.*

Quia, inquit, *non est nostræ intentionis innoxios cum nocentibus condemnare, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus atq; præcipimus, quatenus tales ad tuam præsentiam conuoces, & inquiras tam ab aliis de vita & conuersatione ipsorum, quam ab eis de articulis fidei, & aliis quæ videris inquirenda, & si nihil senserint, quod sapiat hæreticam prauitatem, eos Catholicos esse denuncies, & per predictam sententiam non teneri. Quod si forsan aliquid contra fidem sapiant Orthodoxam, & parati fuerint ab errore discedere, ac mandatis Apostolicis obedire, recepto ab eis iuxta formam Ecclesiæ iuramento, quod solet à talibus exhiberi, beneficium eis absolutionis impendas: mandans eisdem sub debito iuramenti præstiti, vt errorem, quem approbauerant, publice improbent, & in aliis studeant pro viribus confutare: de cætero etiam fidem Orthodoxam seruent, & sedem Apostolicam venerentur.* Datum Laterani VIII. Idus Decembris.

PROHIBET NE INNOXIOS CVM NOXIIS FERIAT.

Fuerunt Humiliati, religionis certæ professores, Pauperes autem de Lugduno vagabundi errones. c Illi humilitatis nomine munia, quibus curatores animorum Sacerdotes iure funguntur, sibi arrogabant, confessiones arcanas audiebant; ac veluti ipsi expiandis ius haberent, noxas

XXI. QVI SINT HVMILIARI.

c *Aemilius in Philip. 2 Regr.*

soluebant: à liberalibus vero artibus cum abhorrerent, cõcionabantur tamen, atque regimen animarum sibi vendicabant. Pauperes autem de Lugduno, neque fundos sui iuris, neque certas sedes habere volebant: errabant: mulieres item professas secum circumducebant: nec secubare dicebantur. Hi itaque & horum similes, vt de fide Orthodoxa inquirerentur, Innocentius Pontifex commiserat. Ceterum, quia aliorum quoque hæreticorum pestis in Vasconia, & aliis Galliarum partibus, præsertim vero in Metensi diœcesi serpebat, & plurimos Christi fideles inficiebat: eam ob rem Innocentius Papa, posteas quas Auxitano, Metensi & aliis Archiepiscopis Galliarum contra hæreticam prauitatem litteras perscripserat, has etiam dare voluit, Cisterciensi, Morimundensi, & de Crista Abbatibus. Ita habent.

IN GALLIARVM HÆRETICOS INQVIRIBET.

a *lib. 2. epist. 224.*

a *Ea est in fouendis virtutibus, & vitiis extirpandis à Prælatis Ecclesiarum seruanda discretio, & circumspectio adhibenda, ne vel internascentium densitate spinarum enormiter frumenta ladantur, vel insuper seminatorum Zizaniorum euulsione triticum euellatur. In abscindendis etiam & curandis corporibus infirmorum, sic oculi diligentia præcedere debet manus officium, & ferrum digitus præuenire: ne si cauterium adhibeatur incaute, non tam partes infirmas non sanet, quam sanos infirmet: quod tanto diligentius in mentis languoribus est seruandum, quanto animam nouimus corpore digniorem, & spiritualia carnalibus præponenda. Hoc autem infra nos ipsos attendentes diligentius, cum olim venerabilis frater noster Metensis Episcopus, per suas nobis litteras intimasset, quod tam in diœcesi, quam in vrbe Metensi laicorum & mulierum non modica multitudo Gallicæ cuidam translationi diuinorum librorum intendentes, secretis conuenticulis etiam inter se inuicem eructare præsumerent aliorum aspernantes consortium, & in faciem redarguentibus presbyteris resistentes, quorum simplicitatem fastidium in sua translationis peritia confidentes, non protinus ad vindictam nos accendit incognita, sed vniuersis tam in vrbe quam in Metensi diœcesi constitutis sub eo tenore litteras curauimus Apostolicas destinare, qui vobis ex transcripti earum poterit inspectione patere. Eidem insuper Episcopo & Capitulo Metensi dedimus in mandatis, vt inquirerent solicite veritatem, quis fuerit auctor translationis illius; quæ intentio transferentis: quæ fides vtentium: quæ causa docendi: si vtentes ipsa venerarentur Apostolicam sedem, & Catholicam Ecclesiam honorarent: vt super his, & aliis, quæ necessaria sunt ad indagandam plenius veritatem, per eorum litteras sufficienter instructi, plenius intelligeremus & planius quid super his statui oporteret. Nuper autem idem Episcopus per suas nobis litteras intimauit, quod quidam eorum, quos notabiles prioribus litteris denotarat, mandatis recusant Apostolicis obedire: quibusdam eorum clanculo, quibusdam vero publice obediendum esse dicentibus soli DEO, ab occultis eorum conuenticulis non cessantes, officium predicationis occulte, licet à nullo mittantur, prohibiti etiam, sibi non metuunt vsurpare: aspernantes sibi dissimiles; & translationi eidem vsque adeo insistentes, vt se nec Episcopo, nec Metropolitano suo, nec nobis ipsis asserant parituros, si etiam decreuerimus abolendam. Licet autem tales in eo reprehendi meritò videantur, quod occulta conuenticula celebrant, officium predicationis vsurpant, simplicitatem desiciunt sacerdotum, & eorum consortia, qui dictam translationem non recipiunt, aspernantur: ne quid tamen subito facere videamur, discretioni vestræ (de qua plene confidimus) per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad Ciuitatem Metensem pariter accedentes, cum eodem Episcopo conuocetis coram vobis talia sapientes, & adhærentes translationi prædictæ: & si fieri poterit, quæ in eis reprehensibilia fuerint, auctoritate freti Apostolica, sublato appellationis obstaculo, corrigatis. Quod si correctionem vestram recipere forte noluerint, inquiratis super capitulis illis, quæ in litteris quas Episcopo miseramus expressa fuisse, superius vobis expressimus, & aliis etiam diligentius veritatem, & quod inueneritis, per nuntium vestrum & litteras plenius intimetis; vt per vos certiores effecti, prout procedendum fuerit, procedamus.*

Cum enim in hoc vniuersalis Ecclesia vertatur negotium, & agatur causa fidei Christianæ, ad exequendum Apostolicæ sedis mandatum cum summa diligentia & cautela, vos studiosos & promptos esse volumus & mandamus. Ad hæc M. Crispinum presbyterum & R. Socium eius, si super his, quæ dictus Episcopus eis duxerit opponenda, inueneritis esse reos, ipsos apellatione remota canonice puniatis. Alioquin eundem Episcopum ad remittendam pœnam, si quam eis forsitan instruxit, cum nihil contra eum, vel clerum in nostra proposuerint audientia monitione præmissa, districtione qua conuenit, remoto appellationis obstaculo, cogere non tardetis. Datum Laterani, Quinto Idus Decembr. Hactenus Innocentius in causa clancularie prædicationis, & translationis Bibliorum in maternum idioma, tam libenter quam ardenter.

LAICI ET FÆMINÆ BIBLIORÜ TRANSLATIONEM SIBI ARROGANT.

Non minore ardore, tes Imperii curauit, & pro Pontificia dignitate iuxta ac auctoritate tuenda laborauit. Quod enim sciret, Otthonem Regem Romanorum in discordia contra Philippum Sueuiæ Ducem electum fuisse, Conrado Boio, Germano fratri Ottonis M. Vuitelspaceum, primi Boiariæ Ducis, Germano Archiepiscopo Moguntino, sanctæ Eccleſiæ Cardinali Episcopo Sabino scripsit, *b* vt, quid in eo electionis negotio actum esset, quam citius significaret. *c* Scripsit & vniuersis tam Ecclesiasticis quam sæcularibus Alemaniæ Principibus, vt concordiam & pacem totius Imperii prouiderent, & à sede Apostolica auxilia expectarent. Se enim vehementius cupere ex æquo & iusto rem definire, eique velle patrocinari, quem illi ipsi renunciarent potioribus meritis ac studiis ad Imperium conniti.

XXII. RESIMPERII CVRAT ET OTTONEM FAVET PRÆ PHILIPPO.

b *lib. 3. super negotio Imp. Roman. epist. 1.*

c *Epist. 2.*

Sane maioribus suffragiis, & melioribus studiis Ottho nitebatur. Præterquam enim, quod ipse vix dum electus, propensionem animi erga Sedem Apostolicam declarauit, *d* cum primum electionem suam ab Innocentio Pontifice ratam haberi & gratam postulauit: nobiliorem & numerosiorem partem Alemaniæ Principum, cum Ioanne Rege Anglo, Ioanne Rusca Dynasta Mediolanensi, Balduino Flandriæ Comite, Paderburgensi & Metensi Comitibus, & Colonensi Archiepiscopo, Pontificem per Nuncios & litteras flagitabant, vt Regnum Romanorum Ottoni delatum confirmaret. Non defuit sibi Philippus Sueuus.

d *Epist. 3.*

c *Epist. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.*

Cum enim *f* Innocentius Pontifex Nuncios suos Sutrinum Episcopum & Abbatem sanctæ Anastasiæ ad eum destinasset, qui in causam ipsius diligenter inquirerent, & si iustitia pro parte illius staret perspicerent: ille vulpizans vt aiunt, benigne eos suscepit, habuit, remisit, Innocentioque supplex fuit; vt ab eo diadema regium obtineret.

f *Epist. 12.*

g Rex quoque Galliarum Philippus, ac nonnulli partium Sueui Principes Alemani, Innocentium pro illo ipso interpellarunt, obsecraruntque, ne iuribus illius aliquomodo præiudicare properaret. Rescripsit Innocentius Papa, se nequicquam contra ius aut fas posse aut velle decernere: cæterum ex duobus illum ad Regni Romanorum diadema capessendum euehere desiderare, in quem sanioris atque maioris partis Principum studia inclinassent. Interim quod Archiepiscopus Colonienſis, necdum Pontifici de rebus Germaniæ quicquam significasset, vehementius is dolebat, monebatque, vt quamprimum renunciare non differret, id quicquid hactenus accidisset. Philippus porro Sueuus certior factus, Pontificem Romanum cupere omnia ex intimis cognoscere, oratores qui rem ad modum suum exponerent, Romam misit. Admisit eos Pontifex in Consistorio Romano, atque peroranibus his ipsis quæ sequuntur verbis respondit: plane dignissimis, quæ ab omnibus, auctoritatis & dignitatis Pontificiæ studiosis, legantur. Ita habent:

g *epist. 31. 15. 16.*

h *In Genesi legimus, quod Melchisedech fuit Rex & Sacerdos, sed Rex Salem, & Sacerdos Altissimi; Ciuitatis videlicet Rex, & Deitatis Sacerdos. Sane, si distat inter Ciuitatem & Deitatem distat vtique inter Regnum & Sacerdotium. Nam & si Melchisedech in figura CHRISTI præcesserit, qui habet in testamento, & in semore suo scriptum Rex Regum & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ad notandam concordiam quæ inter Regnum & Sacerdotium debet existere: Propter quod & ipse CHRISTVS secundum naturam carnis assumptæ de stirpe Regali pariter & sacerdotali descendit. Ad notandum tamen præeminentiam, quam sacerdotium habet & Regnum, cum Abraham rediret à cæde Regum, dedit Melchisedecho ex omnibus decimas; qui benedixit ei proferens panem & vinum. Erat enim Sacerdos Altissimi. Dignior est autem qui decimas recipit, quam*

XXIII. h *Epist. 19.* ADVERSVS PHILIPPI LEGATOS PONTIFICIAM DIGNITATEM TVETVR.

qui decimas tribuit; & minor qui benedicitur, quam ille qui benedicit; iuxta quod probat Apostolus, qui de hoc ipso loquitur dicens; sine vlla contradictione minus à meliore benedicitur, qui volens ostendere sacerdotium Euangelicum dignius esse Leuitico, probat illud quod Leui fuit in lumbis Abrahæ decimatus, quando Abraham dedit decimam Melchisedecho, quasi minor maiori. Licet autem tam Reges, quam sacerdotes vngantur ex lege Diuina, Reges tamen vnguntur à sacerdotibus, non sacerdotes à Regibus. Minor est autem qui vngitur, quam qui vngit: & dignior est vngens, quam vnctus. Propter quod & ipse Christus cui dictum est per Prophetam; Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, Patrem vngentem se vncto asserit maiorem; Pater, inquit, maior me est. Nam Pater est vngens secundum quod Deus; filius autem est vnctus, inquantum est homo, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo. Hinc est quod Deus sacerdotes vocauit Deos: Reges autem Principes appellauit. Dixit, inquit, non detrahes, & Principi populi tui non maledices, & de seruo, qui maluerit remanere cum Domino, dicit, vt offerat eum Dii, id est sacerdotibus: & perforabit aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum. Sed etiam propter dignitatem officii Sacerdos Angelus nuncupatur, dicente Domino per Prophetam; Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius. Angelus enim Domini exercituum est. Dictum est etiam non à quolibet sed à Deo, nec cuilibet sed Prophetæ, non vtique de semine Regio sed de sacerdotibus qui erant in Anathot; Constituite super gentes & Regna, vt euellas & destruas, ædifices & plantes. Simile dicitur Petro, sed excellentius Tues, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Illi dictum est; Constituite super gentes & Regna: isti dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Illi dictum est: euellas & destruas, ædifices & plantes; isti dicitur; Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Illi dictum est; ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum vt eruam te; isti dicitur: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Principibus datur potestas in terris: sacerdotibus autem potestas tribuitur & in cœlis. Illis solummodo super corpora: istis etiam super animas. Vnde quanto dignior est anima corpore, tanto dignius est etiam sacerdotium quam Regnum. Petro legitur vas ostensum quatuor initiis submissum de cœlo, in quo continebantur omnia animantia, volatilia, quadrupedia, & reptilia, munda pariter & immunda: & dictum est ei: Macta & manduca: macta vitia, & manduca virtutes. Macta errorem, & manduca fidem; quasi euellas, destruas, ædifices & plantes, quia singuli Proceres singulas habent prouincias, & singuli Reges, singula Regna. Sed Petrus sicut plenitudine, sic & latitudine præeminet vniuersis; quia Vicarius est illius cuius est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. Porro sicut sacerdotium dignitate præcellit, sic & antiquitate precedit. Vtrumque tam Regnum quam sacerdotium institutum fuit in populo DEI; sed sacerdotium per ordinationem Diuinam, Regnum autem per extorsionem humanam. De sacerdotio namque præcepit Dominus Moysi: Applica, inquit, ad me Aaron fratrem tuum, & filios eius de medio filiorum Israel, vt sacerdotio mihi fungantur. De Regno vero dixit Dominus Samueli: Audi vocem populi petentis Regem. Non enim te abiecerunt sed me, ne regnem super eos. Verum inter Moysem & Samuelem, inter Aaron primum sacerdotem & Saulem primum Regem fuerunt tempora Iudicum, in quibus multi anni fluxerunt. Ne quis autem obiiciat, quod & si sacerdotium præcesserit in populo Iudæorum, Regnum tamen præcesit sacerdotium in populo gentium. Nam Belus cepit primo regnare super Assyrios post turrim Babel & diuisionem linguarum tempora Sarug proaui Abrahæ, cui Ninus filius eius successit in regnum: qui ciuitatem magnam construxit, quam à suo nomine Niniuem appellauit. Sed & de Nembroth dicit Scriptura, quod principium regni eius extitit Babylon. Respondemus profecto secundum fidem historiæ: quod & hos præcesit Noe, qui fuit vector Arcæ, quasi Sacerdos Ecclesiæ. Sed ne figuram pro veritate mendicare videamur, proponamus in medium, quod Moyses de illo testatur: Ædificauit, inquit, Noe altare Domino, & obtulit holocaustum super altare. Sem quoque primogenitus eius dicitur fuisse Sacerdos, quem Iudæi tradunt fuisse Melchisedech, & vixisse vsque ad tempora Abrahæ. De Cain quoque natus est Enoch, qui primus ciuitatem ædificauit. Sed de Seth natus est Enos, qui cœpit nomen Domini inuocare. Sed vtrumque præcesit Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipib. eorum munera Domino: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Verum in regno & sacerdotio non solum causam institutionis, sed & ordinem processus notare debemus. Contra vtrumque siquidem in principio motum est scandalum, & suscitatum est schisma. Contra sacerdotium Aaron schisma mouerunt, Chore, Dathan, & Abyron, cum complicibus suis: sed statim eos vltio diuina damnauit, quia quosdam ignis consumpsit, alios terra viuos absorbuit. Contra regnum autem Saulis schisma mouit Dauid, non tamen temeritate propria, sed auctoritate Diuina, qui licet diu fuerit Saulis persecutionem perpessus, demum tamen præualuit: quia manu Domini erat cum illo. Quid est hoc quod schisma contra sacerdotium non præualuit, sed succubuit: schisma autem motum contra regnum non succubuit, sed præualuit? Magnarei est sacramentum, & forsitan instantis temporis est parabola. Sed ne aliud intendere videamur, dicamus, quod ideo schisma contra sacerdotium non præualuit, quia sacerdotium institutum fuit per ordinationem diuinam: schisma vero præualuit contra regnum, quia regnum fuit extortum ad petitionem humanam. Sacra vero scriptura docente didicimus; quia non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Deum. Ceterum tempore precedente diuisum est simul regnum & sacerdotium. Non post obitum Salomonis diuisum est regnum: & duæ tribus solummodo Roboamo adhæserunt: cætera vero tribus secutæ sunt Hieroboam. Sed qui pauciores obtinuit, ipse habuit Hierusalem sedem Regiam, Templum, & sacerdotium. Reliquus autem quoniam his omnibus caruit, & si plures haberet: sicut regnum diuisit, voluit etiam diuidere sacerdotium: & fecit duos vitulos aureos, quorum vnum posuit in Dan, alterum in Bethel, fanumque construxit, & ædificauit altare constituens sacerdotes, non de Leuitis. Sed venit Propheta in sermone Domini, & Ieroboam stante super altare, & thus faciente, inter cætera dixit: Hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui est in ipso. Quod cum Rex audiuisset, extendit manum & ait; Apprehendite eum & exaruit manus eius, quam extenderat contra ipsum. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis. Ecce statim à Deo vindicatum est schisma contra sacerdotium suscitatum: diuisio vero Regni permansit inter Iudam & Israel, vsque ad transmigrationem & captiuitatem Iudæorum. Porro quod accidit in Veteri Testamento, contingit in nouo. Et ne longo petantur exempla, diuisum est simul Regnum & sacerdotium tempore Innocentii Papæ & Regis Lotharii. Contra Innocentium intrusus est Anacletus, contra Lotharium vero Conradus. Sed præualuit vterque Catholicus, Innocentius videlicet & Lotharius, quoniam Innocentius coronauit Lotharium, & succubuit vterque schismaticus, Anacletus videlicet & Conradus: quia veritas præiudicat falsitati. Deinde schisma diuisit Ecclesiam tempore Alexandri, & imperium in vnitate permansit tempore Friderici. Sed idem Imperator, non vt defensor, sed vt persecutor Ecclesiæ schisma fouit, & fauit schismaticis. Porro schisma pariter cum schismaticis, & fomentum cum fautoribus est confusum. Nunc autem Ecclesia per Dei gratiam in vnitate consistit, & Imperium. peccatis exigentibus est diuisum. Verum Ecclesia non sic illic retribuit, quemadmodum illud Ecclesiæ, quia super eius diuisione condolet & compatitur; pro ex maxime, quod Principes eius maculam posuerunt in gloria, & in honore infamiam; libertatem & dignitatem ipsius pariter confundentes. Verum ad Apostolicam sedem iampridem fueras recurrendum, ad quam negotium istud principaliter & finaliter dignoscitur pertinere. Principaliter, quia ipsa transtulit Imperium ab oriente in occidentem. Finaliter, quia ipsa concedit coronam Imperii. Verum verbum tuum audiuimus; videbimus litteras Domini tui: deliberabimus cum fratribus nostris, & dabimus tibi responsum. Inspiret autem nobis omnipotens Deus honestum consilium, & reuelet nobis beneplacitum suum: quatenus in hoc negotio ad honorem ipsius, ad vtilitatem Ecclesiæ, & salutem Imperii procedamus.

XXIV. ABRENVNCIAT IMPERIVM PHILIPPO.

Vidit non multo post eas litteras, Philippi Ducis, & maturo cum consilio vna cum vniuersis Episcopis presbyteris & reliquis Cardinalibus deliberauit, iustisq; de causis Regiam dignitatem Philippo abrogauit. Has porro causas Innocentius Papa, Duci Zeringiæ tunc significauit, quando Principes factionis Philippi, contra Legatum anno sequente quererentur, quod à sede Apostolica Regnum non Philippo sed Ottoni delatum renunciasset. Referebat in hunc modum.

a Principibus illis ius & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem promouendum, recognoscimus (vt debemus) ad quos de iure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere: præsertim cum ad eos ius & potestas ab Apostolica sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam Magni Caroli à Græcis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & vtique recognoscunt, sicut iidem in nostra recognouere præsentia, quod ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus & coronamus. Est enim regulariter & generaliter obseruatum; vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. Numquid enim si Principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque vel excommunicatum in Regem, tyrannum vel fatuum, hæreticum eligerent aut paganum, nos inungere, consecrare ac coronare hominem huiusmodi deberemus? Absit omnino. Obiectioni ergo Principum respondentes asserimus, quod Legatus noster approbando Regem & reprobando Ducem, nec electoris gessit personam, vtpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit: nec Cognitoris, cum neutrius electionem quoad factum eligentium confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam. Exercuit autem Denunciatoris officium: quia personam eiusdem Ducis indignam, & personam Regis denunciauit idoneam, quoad Imperium obtinendum: non tam propter studia eligentium, quã propter merita electorum, quamuis plures ex illis, qui eligendi Regem in Imperatorem promouendum de iure ac consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem, & ex eo quod fautores Ducis absentibus aliis & contemptis ipsum eligere præsumpserunt pateat eos perperam processisse: cum electioni plus contemptus vnius, quam contradictio multorum obstitat. Nos vtique non Ducem, sed reliquum reputamus & nominamus Regem iustitia exigente. Quod autem cum in electione vota Principum diuidantur, post admonitionem & expectationem alteri partium fauere possimus, maxime postquam à nobis vnctio, consecratio & coronatio postulantur, iure patet pariter & exemplo. Numquid enim si Principes admoniti & expectati, vel non potuerunt, vel noluerunt in vnum propositum conuenire, sedes Apostolica Aduocato & Defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam? Sciunt autem Principes, quod cum Lotharius & Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontif. Lotharium coronauit, & Imperium obtinuit coronatus: eodem Conrado tunc demum ad eius gratiam redeunte. Eos igitur duximus commonendos, vt à prædicto Duce, iusto quidam iudicio à nobis reprobato, recedant: & prædicto Regi non abnuant adhærere, nisi tunc demum contra personam vel factum, legitimum quid ab eis obiectum fuerit & ostensum. Sunt enim notoria impedimenta Ducis, scil. excommunicatio publica, periurium manifestum, & persecutio diuulgata, quam progenitores eius & ipse præsumpserunt in Apostolicam sedem, & alias Ecclesias exercere. Fuit quoque à prædecessore nostro excommunicationis vinculo innodatus: quod postmodum recognouit, dum per nuncium suum absolutionis beneficium postulauit. Vnde patet, quod fuit excommunicatus electus. Item etiam contra proprium iuramentum, super quo nec consilium à sede Apostolica requisiuit, ambitionis vitio regnum sibi vsurpare præsumpsit: cum super illo iuramento prius Romana Ecclesia consuli debuisset. Hæc & plura alia Innoc. in negotio regni Romanorũ.

XXV. FÆDITAS SACRILEGII IN SANCTIMONIALEM ADMISSI EIVSQVE POENA.

Porro hoc anno in festo Assumptionis B. Mariæ semper Virg. Rex Philip. apud Moguntiam comitiis indictis, Conrado eius vrbis Archiepisc. absente, ab Episc. Tarent. diadema regium accepit, & regni titulum, atque coronas, Ottacaro Boemorum Regi ac Reginæ concedens, contra Ottonem arma sumpsit. Clam ei fauebant Lotaring. proceres, quamuis in speciem Ottoni militare viderentur. Porro incredibile est, quam multis & inauditis sceleribus sese impiarent. Vnum ex multis recensuisse sufficerit, ex quibus reliquorum magnitudo coniiciatur. Sanctimonialem quandam omnibus indumentis spoliatam melle perungentes, in plumis lectualibus volutarunt, sicque monstruose hirsutam equo imposuerunt, faciem autem eius ad caudam equi obuerterunt. Cumque hoc ridiculosum spectaculum, aliquot diebus circumduxissent, atq; Deo sacratæ virgini male illusissent, res Philippo Regi delata est. Hic porro zelo Dei succensus, omnes sceleris istius conuictos, aquę bulienti tradi, oppidum que Andernacum, ex quo illi, igne concremari iussit. *Chonic. Hirsaugien.*

XXVI. *b Script. vitæ S. Dominici.* ABDIDACOOXOMENSI EPISC. DOMINICVS GVZMANI.

Per hæc tempora *b* Didacus Oxomens. in Hisp. Episc. diuinarum litterarum & optimæ vitæ studiis expolitus, omnes cogitationes ad augendam Christi religionem referebat. Aptos huis muneri, Canonicos quos vocant regulares existimabat. Itaque plurimos huic sodalitio aggregabat, quorum opera errones ad veram fidei viam traduceret. Opportune nactus est Diuum Dominicum Guzmanum, fama doctrinæ & virtutis illustrem. Hunc porro huic Congregationi Canonicorum accessit. Ibi vir diuinus gnarus, quantum ex lectione vitarum illustrium virorum vtilitatis colligere posset, librum, qui Collationes Patrum inscribitur, legendum inprimis fuscepit. Ex eo præcipuam cordis & corporis puritatem, suiipsius extremam abnegationem, cõtemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem Spir. S. docente didicit: atque adeo in profundam sui cognitionem venit, vt quanquam cunctis virtutibus ornatus emineret, sui tamen deprimendi vbique & occasiones & locum captauit: prorsus vt se omnium abiectissimum, peccatorumque maximum existimaret. Ex qua sui despicientia omnib. intantum charus euasit, vt reluctantem vices Prioris loci illius administrare compulerint. Qua dignitate, nẽpe Archidiacono non impare auctus, tum maxime satagebat omnibus sese exhibere speculum integerrimæ vitæ, atque consummatæ sanctitatis exemplar. Tam feruens autem desiderium salutis animarum in eius pectore ardebat, prorsus vt haud existimaret se verum Christi discipulum esse, si non eius exemplo totum se lucrandis animabus addiceret. Itaq; cor eius ingenti pietate exæstuans, illud spectabat inprimis, vt afflictorum calamitatibus ac præcipue eorum qui graui sarcina flagitiorum pressi sub intolerando ponderegemebant, & consilio, & auxilio subueniret. Quotiescunque autem in consideratione turpitudinis alicuius peccati mortalis versabatur (versabatur autem quotidie) roties obortis lacrymis infelicium victimarum miseriam deplorabat, & votis à Domino specialibus flagitabat, vt ad eorum procurandam salutem sibi & gratiam & auctoritatem conferre dignaretur. Neque fuit pio isto desiderio frustratus. Aliquando Alphonsus Castellæ Rex, Didacum Episc. Oxomens. Legatum in Marchiam destinarat. Is porro Dominicum Guzmanum Legationis atque itineris comitem sibi adiunxerat. Venerant Tolosam, Albigens. hæresi infectam. Fere omnes Ciues, & inter eos hospes apud quem diuerterant, eo errore tenebatur. Ibi Dominicus spiritu ingemiscens, hominis calamitatem miseratus, statim blandis colloquiis in eius familiaritatem sese insinuauit, eumque multa tum affabilitate tum ratione erroris conuictum, ad Catholicæ fidei veritatem reduxit. Fuit hic primus manipulus, quem diabolo ereptum ad aream Domini Dominicus reportauit atque Didacum Episcopum recreauit.

Eadem pariter tempestate, in Italia, Franciscus Assisinus decem & octo annorum adolescens, magno Dei beneficio in benedictionibus dulcedinis præuentus, viuebat. *d* Etenim cum inter vanos mundanosque homines in vanis fuerit enutritus, & post aliqualem litterarum notitiam lucratiuis mercatorum negotiis deputatus, nequaquam tamen inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia carnis sese petulantiis tradidit: nec inter cupidos mercatores mentem in pecuniæ thesauros per fas perq; nefas coaceruandos defixit. Inerat namque ei ardens quoddam pauperibus benigne faciendi studium, & insita quædam diuinitus erga inopes & calamitosos miseratio: prorsus vt neminem pro Dei amore stipis petentem vacuum à se dimittere proponeret. Cum autem quadam vice solis negotiationis intentus tumultib. præter morem à se pauperem repulisset, statim pœnitudine ductus, rapido cursu illum assecutus est, & eleemosyna clementer impensa, promisit Domino, nunquam denceps se pauperi pro facultate stipem pro amore Dei petenti negaturum. Quod sane ad extremum vitæ spiritum indefessa pietate vir sanctus obseruauit. Porro enim lenitas cum eximia morum elegantia coniuncta, cæteraque dotes, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quædam videbantur esse præludia, quibus à Domino tandem ad summæ perfectionis sanctitatis culmen prouehendus erat. Hinc vir quidam miræ simplicitatis, à Deo, vt creditur, eruditus, cum aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Francisco, suum ipsius pedibus venerabundus strauit vestimentum; asserens eum omni reuerentia dignum: vtpote qui breui magna facturus, ab vniuersa Fidelium plebe magnificè esset honorandus. Cæterum Franciscus Diuini erga se consilii ignarus, rerumque cœlestium adhuc rudis, mundanis voluptatib. sese oblectabat: donec à Patre misericordiarum diutinis afflictus languoribus, ex afflictione corporis ad spiritalis vitę intelligentiam paulatim excitari cœpit. Cũ itaq; ex lõga infirmitate resumptis

XXVII. CLARET FRANCISCVS ASSISINVS INSIGNI SANCTITATE. *c S. Bonauentura in vita apud Surium 4. Octob.*

NVS ORDINI REGVLARIVM ACCENSETVR. ZELVS EIVS.

virtibus, solito more cultoribus se vestibus induisset, forte obuium habuit militem generosa quidē virtute animi insignem, sed pauperem satis sordib. miserè squalentem, quē protinus pio miseratus affectu, suo illum habitu donauit, & benignè admodum eius penuriam subleuauit. Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, vidit Regiam speciosam & magnam, militaribus armis Christi Crucis signaculo insignitis, mirificè fulgentem, aliisque reb. splendidis ac prætiosis ornatam. Cumque cunctabundus cuiusnam illa forent omnia, quæreret, audiuit, ea sua futura pro eleemosyna pauperi militi benignè impensa. Ea visione incredibili ter exultans Franciscus dispoluit, vtpote rerum diuinarum adhuc rudis, in Apuliam ad Comitem quendam liberalem admodum se conferre; sperans se ibidem offensurum militiæ decus & gloriam ilico adepturum. Cumque paulò post iter aggressus, ad proximā ciuitatem diuertisset, nocte audiuit familiari sibi sermone Dominum dicentem; Franciscē: quisnam melius sibi facere potens est? Dominus, an seruus? Dues, an pauper? Cui cum Franciscus prompte respondisset, vtiquetam Dominum quam diuitem melius facere posse: intulit statim: Cur ergo ta pro seruo Dominum, pro paupere homine diuitem Deum relinquere pergis? Reuertere igitur in terram tuam, spiritualib. à me opibus, non terrenis diuitiendus. Mane itaque facto, cum festinatione Assisium reuersus, cæpit abdicato publicæ negotiationis tumultu, diuinam attentius opem implorare: vt quod sibi facto opus esset: clarius ostendere dignaretur, & exeo tempore frequenti orationis vsu cœlestis desiderij flammam quotidie accendens à mundi contemptu suiq; ipsius victoria initium auspicatus est.

Quadam die per planitiem, Assisio Ciuitati subiacentem inequitanti, forte inopinato occurrit leprosus, eique prima fronte non parum incussit horrorem. Sed mox propositi sui memor, ad eum exosculandum, equo delapsus accurrit. Cui cum manum, quasi aliquid accepturus, leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportauit. Inde ascendens rursus equum, cum se circumquaque conuertisset, leprosum illum nusquam vidit. Admiratione itaque & gaudio exinde repletus, ardenti desiderio seipsum ad maiora excitauit: ac proinde solitaria loca mœroribus amica requirens, gemitibus ingentibus Domini clementiam incessanter deprecatus est. Neque in vanum multiplicatæ ei preces. Nam die quadam nimio in DEVM feruore absorptus, ipsum Saluatorem veluti Cruci confixum conspicatus est, cuius aspectu adeo passionis Christi memoria cordi illius medullitus impressa est, vt à lacrymis ad primam eius recordationem deinceps sibi numquam temperare posset. Ex quo postmodum, vt Christi Saluatoris sui vestigiis viriliter insisteret, multo vehementius sui ipsius contemptum experere, paupertatem humilitatemque totis viribus sectari, leprosorum hominum consortia adamare: eisque humanitatis obsequia beneficia pietate præstare cæpit. Cum aliquando limina Apostoli Petri visitaret, conspecta pauperum multitudine ante fores Ecclesiæ, partim pietatis dulcedine ductus, partim paupertatis amore illectus, vni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, illiusque contectus semicinctiis diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus iucunditate transegit: spretoque sæcularis gloriæ fastu, quasi gradatim ad Euangelicam perfectionem ascendit. Et quia seruus altissimi nullo ductore doctoreve per ignotas semitas ambulabat, Christus Dominus altera vice eum visitare dignatus est. Cum enim die quadam in sancti Damiani, quæ præ nimia vetustate ruinam minabatur, ante Crucifixi imaginem non sine lacrymis prolixius oraret, vox de ipsa Cruce ad eum dilapsa; Vade, inquit, Francisce, & labantem domum meam instaura. Tremefactus ea voce Franciscus, mentisque excessu alienatus, cum ad se tandem reuersus esset, surrexit: sumptisque pannis venalibus Fulgineum abiit: ibique venditis, quæ portauerat, pariter & equo cui insederat; assumpto pretio cuncta dereliquit. Redienſque Assisium pauperi cuidam sacerdoti in illa Ecclesia forte inuento pecuniam ad templi restaurationem deuotus obtulit: & habitationem ad tempus apud eum requisuit. Acquieuit Sacerdos petioni ipsius, sed oblatam pecuniam timore parentum recusauit. Quam verus pecuniarum contemptor, per quandam fenestram proiiciens, abiectam velut puluerem vilipendit. Moram autem faciente seruo DEI cum sacerdote, parens animo perturbato ad locum venit. At ipse, auditis persequentium minis occultam quandam in foueam diebus aliquot se abdidit: ac demum damnata apud semetipsum pusillanimitatis ignauia, relicta fouea & abiecto pauore Assisium versus iter aggressus est. Quem cum Ciues facie squallidum ac plane mutatum animo cernerent, ac per hoc à sensu alienatum putarent, luto platearum & lapidibus impetebant; & tamquam insano & dementi clamosis vocibus insultabant. Cumque clamorem huiusmodi audisset pater, statim accurrens non ad liberandum, sed perdendum potius, omni miseratione subtracta, pertractum, domi, primò verbis, deinde verberibus & vinculis excepit. Ipse autem nulla fractus aut flexus iniuria, ad exequendum opus Domini promptior alacriorque reddebatur. Post hoc patre è patria rei domesticæ causa discedente, mater eius à vinculis absolutum abire permisit. Pater autem domum reuersus, eo non inuento, illatis vxori conuitijs, fremens furensque eum inquisiuit: vt si reuocare non posset, de prouincia effugaret. Franciscus vero CHRISTI gratia confortatus, furenti se vltro obtulit parenti, libera voce clamans, se pro nihilo vincula & verbera æstimare: insuper & contestans, se pro CHRISTI nomine libenter velle omnia incommoda grauissima sustinere. Videns itaque Pater inflexibilem eius constantiam, ad extorquendam pecuniam se conuertit. Qua tandem in fenestella inuenta, aliquantum conquieuit; auaritiæ sui vtrumque per hausturn pecuniæ temperata. Tentauit deinde Pater, filium pecunia spoliatum adducere ad Episcopum ciuitatis, vt in manibus ipsius, facultatibus renunciaret paternis & omnia redderet, quæ habebat. Ibi tunc Franciscus coram Episcopo, continuò omnibus depositis vestimentis, patri ea restituit. Repertus est autem vir Dei, cilicium habere ad nudam carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando feruore, spiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, plane denudatus, inquit ad patrem: vsque nunc vocaui te patrem in terris: à modo autem secure dicere possum: Pater noster qui es in cœlis: apud quem reposui omnem thesaurum, & omnem spei fiduciam collocaui. Hoc cernens Episcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinus exsurrexit, & inter brachia sua eum recolligens, pallio suo operuit; donec famuli vestem ministrarent. Oblata est ei toga vilis & abiecta alicuius agricolæ Episcopo seruientis: quam ille cum gaudio suscipiens, cæmento ad modum Crucis consignauit.

Solutus exinde mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta securus & liber secretum solitudinis expetijt, vbi cum laudes Dominicas decantaret, à latronibus irruentibus; Quis esset: interrogatus: cum respondisset: Præco sum magni Regis: verberibus confectus, inque foſſam nimbus plenam coniectus est. Ex qua postea emergens, & magna cum exultatione contumeliam illatam suscipiens, Eugubium venit, vbi totius humiliatis amator ad leprosorum obsequia se contulit, lauans ipsorum pedes, vlcera ligans, plagarumque educens putredinem, saniem abstergebat. Inter hæc admirandæ humilitatis pietatisque officia, quidam, cuius os & maxilla fœdo illo horribilique morbo depasta pene erant, ab osculo Francisci sanitatem recepit. Hisce tam profundis firmisque humilitatis charitatisque fundamentis præclare positis, iterum Assisium venit, vt Diuinæ voci obediens saltem ex medicimonio Ecclesiam sancti Damiani restauraret. Igitur omni verecundia deposita apud eos, inter quos abundare solebat, mendicitatem exercebat: effecitque mendicando, laborandoque (neque enim attritum ieiuniis corpus ac debile, lapidum oneribus supponere verebatur) vt breui prædicta Ecclesia reficeretur. Ea vero refecta: ne post laborem corpus torperet ignauia, transtulit se ad reparandam Beati Petri Ecclesiam, longius à ciuitate distantem, qua similiter consummata, peruenit ad locum, qui Portiuncula dicitur: in quo Ecclesia Diuæ Virgini Matri quondam sacra, penitus deserta videbatur. Eo in loco placuit pedem figere: quod sentiret Angelicarum ibidem visitationum frequentiam: iuxta nomen antiquum

XVIII. FLORET S. HYACINTHVS ADOLESCENS POLONVS. *a vit. S. Hiacinthi.*

quum ipsius Ecclesiæ, quo primum sancta Maria de Angelis vocabatur. In ea Ecclesia summæ perfectionis summam cœpit, fecit, atque consummauit.

Eodem tempore, *a* annorum sexdecim adolescens sanctus Hyacinthus Polonus Eustachij Filius, Comes Odrouanſius, ingentium virtutum specimina, & futuræ magnitudinis, non modica signa dabat. Fere ab ipsa cuna Deum pura conscientia obsecrare, lachrymas in oratione fundere, Diuinam salutare Matrem, prostrato corpore dies ac noctes pro suo in mundum salutari ingressu, proque salute sua & aliorum compellare; iam Ecclesiarum non tantum limina, sed etiam mysteria frequentare, Dei verbum ex ore sacerdotis intenta aure percipere, & assidua meditatione contemplari: & si quid legi Diuinæ contrarium quopiam fieri videret, ad vocem sacerdotis omnia deferre, dicereque; Sacerdos sic iussit; iussit altior illa potestas: solebat. Plane iam elucebat atque eminebat, in eius teneris annis maxima ad virtutem indoles, & semina honestatisque scintillæ, in eius animo reconditæ erumpebant, adeo, vt tum vel maximam spem summæ sapientiæ & summæ probitatis de eo omnes conciperent. Maxime tamen Iuo Patruus Episcopus Cracouiensis. Namque is quasi quodam futurarum rerum augurio, sæpe dicere solebat: Hyacinthum suum nepotem sanguine, alumnum educatione, institutione discipulum, fore vel successu temporis Principem Episcopum, vel magnum doctrinæ præconem, decus deinde ac lumen omnium, qui vnquam ex Regno Poloniæ sancti illustres extitissent. Tantam modestiam, pietatem, probitatem, & reliqua animi ornamenta Hyacinthus adolescens exerebat. Domus Iuonis parietibus inclusus, ea Numinis reuerentia quasi habenis quibusdam cohibebatur, vt nihil se vel Deo vnquam indignum aut ageret, aut moliretur. Tempus quod studio pietatis sibi concessum arbitrabatur, non leuitates impendebat, non in ludis aut voluptatum illecebris conterebat; maxime vero in illo ætatis flexu, quo sæpe cupiditates prima ætate compressæ atque constrictæ, subito sese profundunt, & vi sua erumpentes animum puerorum ad dedecus & flagitium pertrahere solent. Has siquidem Hyacinthus summo studio & acerrima contentione reprimebat, & repressas continebat. Si quæ autem eo inaduertente, velut è durissimo carcere prorupissent, vel mentem illius proritassent, reuocabat, castigabat, corrigebat. Quamobrem peccatum, magis quam mortem deuitabat: peccati vero incentiua, victus incōtinentiam, morum mollitiem, luxuriam vestium, coæqualium illicia, & in summa, omne id, quod ad peccatum solet inclinare, tamquam venenariam pestem fugiebat.

Itaque ne occultis Satanæ artibus in salutis discrimen adduceretur, hostem omnium perniciosiorem inopia cibi, & asperitate vestis & lecti opprimebat. Pietatis quoque & misericordiæ viscera aperiens, ab ipsa infantia magnum sibi iter aperiebat. Si quem inopem aut mendicum, paternis foribus cerneret astantem, ad parentes accurrebat: & vel ad eis impetrata, vel suis vsibus concessa largiebatur. Si aliquem alium casu quopiam acerbo afflictum vel sciebat, vel videbat, à dolebat, solabatur, adiuuabat. Ingenio sæ ipsius industriæ tam celeres vbereſque motus, tam constantes erant & clari, nihil vt à communi æqualium sensu remotum esset, quod ille, si paululum sese excitasset, vel ad orationem conuertisset, non facile admodum & perspicue intelligentia comprehenderet. Non deerat Iuo Episcopus patruus illi in formando. Nihil enim præclari, siue domi, siue foris, siue in Ecclesia, siue in Curia Principis Poloniæ (cuius Cancellarii munus gerebat) cuius rei Hyacinthum non conscium admitteret. Itaque non eum à consortio, non à publico consessu, non à publicis siue Ecclesiæ, siue publicæ rei negotiis, non ab orationis & deuotionis secreto loco, non denique à reliquis vitæ actionibus ex quibus eximiam vel pietatem, vel aliquam aliam virtutum addisceret, separabat, eumque exemplo suo ad cœlestis vitæ imitationem excitabat. Cupiebat, vt Hyacinthus, Diuinæ sapientiæ studio sese addiceret. Libros ille ante eius oculos tractabat, legebat, meditabatur: & Hyacinthum, assidua rerum diuinarum tractatione, contemplatione que, ad pulchritudinem scientiæ addiscendæ alliciebat. Desiderabat, vt Hyacinthus maiorem temporis à curis vacui partem, in orationibus ad Deum eiaculandis insumeret. In oratione tum priuatim, tum publice, animo indefesso, perdurabat, vehementioremque feruorem spiritualium in eius pectore inflammabat.

Charitatis flammam in Hiacintho accendere cogitabat: Is ipse cum aliquod Christianæ pietatis opus faciendum erat, Hyacinthum adducebat, vt ab igne suo ignem dilectionis gemellæ ille conciperet. Æmulabatur non segniter Patruum Iuonem Hyacinthus, quicquid enim ab eo geri in signe aspiceret, id totum satagebat efficere: quinimo & Pontifici præire potius adnitebatur. Vnius aut alterius forsan horæ spatio, perstabat ille in precibus: Hyacinthus noctes insomnes in altissima supernorum bonorum contemplatione, & in consortio Diuino traducebat. Iuo ieiuniis crebris: crebrioribus Hyacinthus corpus edomabat: & cum cilicio aspero, tum flagris acerbissimis semetipsum mortificabat. Ter vel quater in hebdomada Iuo pauperes reficiebat: Hyacinthus singulis diebus manus apertas habebat, & totum illud quod vel à parentib. vel à patruo liberaliter collatum accipiebat, hilari animo distribuebat, in summa, non subsequi, sed antecedere Patruum Iuonem in cursu virtutis contendebat.

XXXI. DE VIRGINIBVS ET MVLIERIBVS SANCTITATE ILLVSTRIBVS APVD LEODIENSES. *b apud Antonium p. 3. tit. 19. c. 12.*

Per eadem tempora, in diuersis Alemaniæ partibus, præsertim vero in Leodiensi Episcopatu, multas illustres mulieres sanctitate vitæ florentes, M. Iacobus de Vitriaco apud Vincentium Belluacensem, & S. Antonium Fulconi Tolosano Episcopo in memoriam reuocabat, in hunc modum scribens: *b Veniens, inquit, ad partes nostras sicut audistis, sic vidistis, imo & plusquam audistis. Vidistis enim & gauisus es in horto liliorum Domini multarum sanctarum virginum cateruas, quæ spretis carnalibus illecebris, & contemptis pro amore Christi mundi diuitiis, in paupertate & humilitate cœlesti sponso adhærentes, labore manuum tenuem victum quærebant; licet parentes earum diuitiis multis abundarent: ipsæ tamen oblitiscentes populum suum & domum patris sui, malebant angustias paupertatis sustinere, quam male acquisitis diuitiis abundare, vel inter pompososos seculares cum periculo remanere. Vidisti & gauisus es sanctas & Deo seruientes, matronas, quanto zelo pudicitiam iuuencularum conseruarent, & eas in honesto proposito, vt solum cœlestem sponsum desiderarent, salutarib. monitis instruerent: ipsæ viduæ in ieiuniis, orationibus, vigiliis & laboribus manuum Domino seruientes. Vidisti & gauisus es sanctas mulieres in matrimonio Deo seruientes, filios suos in timore Domini erudientes, honestas nuptias & thorum immaculatum custodientes, ad tempus orationi vacantes, & post in idipsum cum timore Domini reuertentes ne tentarentur à Satana: multæ etiam de consensu maritorum à licitis amplexibus abstinentes. Vidisti & miratus es, imo & valde contristatus quosdam impudicos, & totius religionis inimicos homines prædicatarum mulierum religionem malitiose infamantes, & canina rabie contra mores sibi contrarios oblatrantes, & cum non haberent amplius quid facerent, nomina contra eas fingebant: sicut Iudæi Christum Samaritanum, Christianos Galilæos appellabant. Nec mirum, Aegyptii enim abominantur oues; & homines tenebrosi & malitiosi innocentiam simplicitatemque derident: inter epulas & potus, inter ebrietates & crapulas vitam abstinentium lacerantes. Ipse autem mirabili patientia: opprobria sustinuerunt & persecutiones; frequenter ad memoriam reducentes istud Euangelicum: si me perſecuti sunt, & vos persequentur. Sed quoniam scriptum est: A fructibus eorum cognoscetis eos; quam vere Deo adhæserint, in deuastatione Ciuitatis Leodiensis, satis compertum est. Quæ enim ad Ecclesiam confugere non poterant, in flumen se proiecerunt, magis sic eligentes mori, quam damnum castitatis vel virginitatis incurrere, quadam etiam in stercoraria sentinas profitentes malebant extingui fœtore, quam spoliari virginitate. Itaque clemens sponsus sponsis suis dignatus est prouidere; quod in tanta multitudine non est inuenta aliqua quæ mortem corporis, vel detrimentum incurreret castitatis. Cum autem vna illarum sanctarum mulierum periculose laboraret in flumine, duo ex hostibus cum nauicula ad eam venientes eam in nauem traxerunt, vt ei turpiter commiscerentur. Sed quid esset actura casta inter lenones, agna inter lupos, columba inter accipitres, cogitabat. Maluit iterum fluuio submergi, quam corrumpi; & à naui profiliit inter vndas, dumque nauis ex impetu salientis mergeretur, simul illi duo inter se pervenerunt. Illa vero per Dei gratiam sine damno corporis & animæ obsequente fluuio ad littus enatauit. Mirandisque istis plus miranda successerunt. Cum diuturna & intollerabilis fames per triennium in Regno Franciæ & in magna Imperii parte adeo inualuisset, vt homines passim per villas & agros fame morerentur: illi etiam qui prius fuerant diuites publice*

mendicare, & fame perire cogerentur, non est inuenta in tanta multitudine sanctarum mulierum, in toto Leodiensi Episcopatu, licet omnia pro Christo reliquissent, quæ vel fame moreretur, vel publice mendicare cogeretur.

Sed iam ad personas singulares, & singularia miracula descendamus. Testem enim inuoco sanctitatem tuam. Oculis enim vidisti mirabilem Dei operationem, & in diuersis personis diuisiones gratiarum. Aliqua enim à Domino, te certissime probante, tantam gratiam accepit, vt peccata hominum, quæ per veram confessionem detecta non erant, in multis personis perciperet; & dum multis peccata oblita nunciaret, multos ad confessionem inuitans, causa salutis eorum post Deum extitit. Aliquas etiam vidisti mulieres tam speciali & mirabili amoris in DEVM affectione resolutas, vt præ desiderio languerent, nec à lecto per multos annos nisi raro surgere possent: nullam aliam causam infirmitatis habentes nisi illam, cuius desiderio animæ earum liquefactæ cum DOMINO suauiter quiescentes, quanto magis spiritu confortabantur, tanto corpore infirmabantur: clamantes corde licet præ verecundia ore dissimularent: falcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Alicuius etiam mirabiliter & sensibiliter dum anima præ amoris magnitudine liquefieret, genæ corporales attenuatæ resoluebantur. Multis etiam ex fauo spiritualis dulcedinis & corde redundabat mellis sapor sensibiliter in ore, dulces lacrymas eliciens, & mentem in deuotione conseruans. Quædam etiam tantam gratiam lacrymarum perceperant, vt quoties DEVS erat in corde per cogitationem, lacrymarum riuulus fluebat ab oculis per deuotionem: ita vt lacrymarum vestigia in genis ex consuetudine fluendi apparerent; quæ tamen caput non euacuabant, sed quadam plenitudine mentem refouebant, spiritum suaui vnctione decorabant & dulcorabant: corpus etiam mirabiliter recreabant, & tanto fluminis impetu ciuitatem Dei lætificabant. Aliæ vero extra se tanta spiritus ebrietate rapiebantur, quod in ipso beato silentio fere per totum diem quiescentes, dum erat Rex in accubitu suo, non erat eis vox, neq; sensus ad aliqua exteriora. Pax enim Dei ita exuperabat & sepeliebat sensus earum, quod ad nullum clamorem poterant euigilare, nullamque penitus corporalem læsionem etiamsi vehementer pungerentur, sentirent. Aliquam etiam vidi, quæ fere triginta annis tanto zelo sponso suo in claustro custodiebatur, quod extra claustrum nullus ei posset esse egressus, etiamsi mille homines eam per manus trahere niterentur. Multotiens enim exire conabatur, quibusdam etiam eam trahentibus, sed frustra, quia citius rumperetur. Vidi aliam, quæ dum extra se frequenter, quandoque viginti vicibus in die raperetur: quæ etiam me præsente plusquam septies rapta est. In quocumque vero inueniebatur statu, in eo donec reuerteretur immobilis permanebat: nec tamen quantumcumque inclinaretur familiari eam spiritu sustentante cadebat. Manus eius quandoq; in aëre dependebant immobiles, secundum dispositionem, in qua fuerat inuenta. Quæ dum ad se reuerteretur, tanto gaudio replebatur, quod reliquis cogitationum diem festum agentib. gaudium interius plausu corporali cogebatur ostendere: sicut Dauid coram arca saltando: iuxta illud; Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Quædam vero in perceptione illius panis, qui de cælo descendit, non solum refectionem in corde, sed dulciorem super mel & fauum, sensibilemque consolationem percipiebat in ore: dum carnes veri Agni à faucib. cordis, quas replebant, ad fauces corporis mirabili sapore redundabant.

Quædam autem tanto desiderio post odorem tanti sacramenti currebant, quod nullo modo diu eo carere sustinebant, nullamque consolationem vel requiem suscipientes, sed penitus languore deficientes, nisi de suauitate cibi illius animæ earum frequenter vegetarentur. Noui etiam quandam inter sanctas mulieres quæ dum vehementer veri Agni carnibus refici desideraret, verus ipse Agnus non diutius eam languere sustinens, seipsum illi obtulit; & sic refecta conualuit. Vidi etiam aliam, circa quam tam mirabiliter operatus est Deus, quod cum diu mortua iacuisset, antequam corpus eius in terra sepeliretur, anima ad cadauer reuertente reuixit: & à Domino obtinuit, vt in hoc sæculo viuens in corpore purgatorium sustineret. Vnde longo tempore ita miserabiliter à Domino afflicta est, vt quandoque se volueret in igne, quandoque in hyeme in aqua glaciali diu moraretur; quandoq; in sepulchra mortuorum intrare cogebatur. Tandem in tanta pace peracta pœnitentia vixit, & tantam à Domino gratiam promeruit, vt multoties rapta in spiritu animas defunctorum vsq; ad purgatorium, vel per purgatorium sine aliqua sui læsione vsque ad superna regna ascendere conspiceret.

XXXI. FLORET MAVRITIVS EPISC. PARISIENSIS.

a Eodem tempore florebat Mauritius Episcopus Parisiensis: cuius exemplo per aliquot annos in Francia consuetudo obtinuerat, vt sacerdotes morientes, tabulam, de resurrectione corporum, Catholicam fidem complectentem pectori apponerent: eo quod tunc multi de eadem dubitarent.

a Guillelm. Nangiacus.

b Ioachim Abbas Florensis Cœnobij Ordinis sancti Benedicti hoc tempore viuebat. Scripsit ad Fr. Raynerium de Pontio in totum Isaiam Prophetam stylo rudi & obscuro Commentariorum librum vnum: in quibus multa de septem temporibus Ecclesiæ, & de oneribus sexti temporis quasi futurorum præscius disseruit, multas immiscens Prophetias de futuris temporibus, quæ an impleta, vel implenda sint, alii decreuerint. Scripsit & ad Henricum Imperatorem in Hieremiam & Danielem eiusd. generis Commentarios; similiter & in Euangelium Ioannis. Scripsit etiam de concordia veteris ac noui Testamenti libros quinq; in quibus ostendit ita vtriusque Testamenti tempora concordare, vt nihil in veteri Testamento actum sit, quod in nouo Testamento non pariter geratur ac gestum sit, aut futurum sit in nouissimis diebus. Circumferuntur quædam vaticinia sub eius nomine de futuris Pontificibus Romanis: quę, quam fidem mereantur, aliorum esto iudicium. Illud mirum est, quod cum ea vaticinia ad solos quindecim Pontifices pertineant, tamen curiositas hominum ad nostra vsq; tempora extendere illa conatur.

b Xistus Senens. in biblioth. & Bellar. de script. Eccl.
FLORET IOACHIM ABBAS CHRONOLOGVS EXCELLENS ET PROPHETES.

c Rogerius de Houeden insignis historicus scripsit duos libros Annalium Anglicanorum valde diligenter, & peruenit vsque ad Ioannem Regem, qui hoc anno M C. X C. I X. regnare cæpit; postq; sexto die April. Richardus Rex facta excursione ad Calatum castrum Lemouicense, sagitta ictus occubuisset. Arthurus Britanniæ Dux Gothofredi filius, ad se pertinere regnum asserebat, adeoque hæredem se regni dicebat. Sed Ioann. Comes Morentonius illius prius oppressit, quam Franci auxilio subuenirent.

ITEM ROGERIVS DE HOVEDEN HISTORICVS ANGLVS.
a Polydor. de reb. Anglican. lib. 15.

XXXII. CÆPIT ORDO S. TRINITATIS.

d Eadem tempestate fœlicibus auspiciis Almæ Trinitatis ordo cæpit exordium, Ioanne Marensi & Felice anachoreta auctoribus, qui cum aliquamdiu ad Frigidum ceruum Meldensis agri fuissent, iussi sunt ambo per quietem, Innocentium Romanum Pontificem adire, vitæ institutum ab eodem petituri. Iam Pontifex & ipse nonnihil antea præuidit eos affuturos, simili oraculo instructus. Itaque à cælesti admonitione benigne ab eo accepti, & pallio albo, auctoritate eiusd. amicti, cerulea, & rubenti Cruce insignito: quali habitu, cælestis Nūcius Innocentio Pontifici sacris operanti astitisse fertur, duos in manibus captiuos habens, quod visum Innocentius secutus Almæ Trinitatis, Fratres eos, & qui deinde futuri essent appellari iussit de Redemptione captiuorum.

d Sabellicus ennende 9. lib. 5.

e Guagninus in historia Gallica, paulo fusius rem narrauit, istis verbis. Sub hoc Innocentio Romano Pontifice Ordo Fratrum S. Trinitatis, de redemptione captiuorum, auctoribus Ioanne de Mata, & Felice anachoreta initium sumpsit, qui postquam apud Ceruum frigidum Meldensis territorij solitariam diu vitam egissent, per quietem admoniti, Pontificem Romanum conuenire, à quo vitæ modum acciperent; cum Innocentium adiissent, cognouerūt, Pontificem simili reuelatione fuisse diuinitus instinctum. Quamobrem à Pontifice benignissime excepti sunt. Et V. Calend. Febr. cum dies festus S. Agnetis secundo agitur, In noc. rem diuinam faciens, dum diuinam Eucharistiam circumstantibus se ostenderet, Angelum DEI vidit candore multo fulgentem, cancellatis manib. duos captiuos tenentem, Christianum vnum, alterum Maurum, tamquam eos commutaret. Huic Angelo Crux rubei & azuri coloris ad pectus eminebat. Quo viso, & re diuina confecta, anachoritas ad se vocans; iam, inquit, filioli animaduerto, Dei vos spiritu duci. Conficiam itaque vobis indumenta exemplo visionis, quæ mihi Diuina celebranti innotuit. Igitur consutis tunicis Ioannem Felicemque candidis vestib. decorauit, superaddita Cruce, qualem Angelus ostendisset: addiditque nouo Ordini titulum de Trinitate & redemptione captiuorum, eique negotium imposuit, captiuos Christianos ab infidelibus liberandi. Eius rei simulachrum Romæ in Cælio monte apud S. Thomam de Formis visitur, vbi Ecclesiam Diuinæ Trinitati Innocentius extruxit.

e lib. 6.

XXXIII.

Per hos etiam dies f Albigensium hæresis inuidia Diaboli tam valide cæpit pullulare & excrescere in Comitatu Tolosano, vt omne triticum fidei gentis illius versum

f Prateol. in Albigēs. ex Cæsario 5. dist. dial. & Mariana lib. 12.

videre-

DE ORTV PROGRESSVQVE ALBIGENSIVM ET ERRORIBVS EORVM.

uideretur in lolium erroris. Intantumque illorum error inualuit, vt breui interuallo temporis infecerit mille propemodum ciuitates: adeo quidem, vt si gladiis fidelium repressus non fuisset, breui temporis interstitio vniuersam Europam corrupisset. Plurimos Manichæorum errores ex libris Periarchon Origenis haustos asserebant, ex quib. sunt præcipui.

1. Duo cum Manichæo credebant rerum principia Deum videlicet bonum & malum, id est Diabolum, quem dicebant omnia creare corpora, sicut Deum bonum omnes animas.

2. Corporum resurrectionem cum Sadducæis negabāt, vtpote quod opinarentur animam hominis sic in morte cum homine perire, vt nunquam postea redeat.

3. Quicquid beneficii mortuis à viuis impenditur, irridebant; nullumq; nec infernum, nec Purgatorium pro defunctis esse arbitrabantur.

4. Ecclesias adire orationis causa, vel in eis orare, nihil prodesse dicebant.

5. Baptismum prorsus abiiciebant, velut inutilem & superuacaneum.

6. Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemabant, ipsius corpus non aliter in pane quam in aliis reb. esse censentes.

7. Dicebant quoque animam hominis secundum eius meritum per diuersa transire corpora, etiam animalium & serpentum, si male vixisset: si vero probe, in alicuius principis, vel alterius illustris personæ corpus transmeare.

8. Dei matrem virginem voce impurissima meretricem, & Christum DEVM turpi consuetudine cum Magdalena iunctum fuisse affirmabant.

9. Cælestibus patrocinium, sacerdotibus remittendi peccata potestatem, detrahebant.

Eo vero tandem ipsorum malitia, furor, temeritas, impudentia, atque diuini timoris suique obliuio accreuit, vt cum postea vrbs Bitterranensis à Catholicorum exercitu obsidione vallaretur & expugnaretur, in qua illi detenti erant, sacrum Euangelij codicem arripientes, & super illum mingentes, de muro contra Catholicos proiicerent, & sagittas in illum detorquentes, clamarent in hunc modum: Ecce lex vestra miseri. Tradunt etiam, eorum quemdā Tolosæ in odium Christi & cōfusionem fidei, iuxta altare maioris Ecclesiæ ventrem suum purgasse, & palla altaris suam fæditatem detersisse. Alios rursus super altare scortum posuisse & conspectui crucifixi eo opposito, abusos fuisse, postea ipsam sacram imaginem inde detraxisse, eique brachia præcidisse, & collo fune alligato, illam per plateas vrbis intolerandis cum blasphemiis traxisse. Ex ijsdem, Giraudus quidam Albigensium Præfectus, crudelitate atque perfidia vsus, sacerdoti Christiano fidem dederat, deducere eum tuto ad suos, & cum eo equites auratos sex, & seruos quos habebat quinquaginta. Confidens igitur Sacerdos, se cum suis Comitibus Giraudo concredidit, quos omnes ad cœnam liberaliter acceptos, remotis epulis, statim in vincula coniecit, deinde equitibus seorsum eductis, ignem in ergastulum, vbi reliqui asseruabātur, misit: quem triduo perpessi christicolæ, nulla adustione læsi sunt. Duos autem ex equitib. oculis & naribus, cum superiore labio priuauerunt; quo malo alter interiit, superstite altero. Guagnin. lib. 6. Hæc sunt Albigēsium hæreticorum portentosa facinora.

XXXIV. ALII ERRORES ALBIGENSIVM ENVCLEATIVS AB ALIIS RECENSITI.

Rogerius Houedius in Annalibus Anglicanis, ex publicis Actis, à Conuentu Episcoporum, & nobilium, contra Albigenses, an. Domini 1176. & ex aliis sub Legato Apostolico, an. Dom. 1178. habitis, istos errores Albigensium fuisse commemorabat.

1. Cum Manichæis, duo rerum principia constituebant: Deumque bonum auctorem rerum inuisibilium, & Deum malum auctorem visibilium asserebant.

2. Non recipiebant legem Moysi, neque Prophetas, neque Psalmos, neque vetus testamentum, neque Doctores noui Testamenti, nisi tantummodo Euangelia, & Epistolas Pauli, & septem Canonicas Epistolas, actus Apostolorum & Apocalypsim.

3. Dicebant licitum esse ore negare fidem, quam quis corde tenet, neq; vllum ad professionem fidei teneri, quantumuis legitime interrogetur.

3. Negabant infantes, qui solum originale peccatum contraxerunt, saluari per baptismum.

4. Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia non consecrari aut confici per malos sacerdotes, affirmabant.

5. Matrimonium esse scortationem, neque coniuges, si carnaliter commiscerentur, posse saluari blatterabant.

6. Munus prædicandi non ad ipsos sacerdotes Ecclesiæ, sed ad illos pertinere prædicabant.

7. Iurare nullo pacto licitum esse docebant.

8. Satisfactionem tertiam partem pœnitentiæ sacramenti auferebant.

9. Milites lethaliter in prælio vulneratos, à salutis ianua excludebant.

10. Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, Canonicos, Monachos, Eremitas, Templarios, & Hospitalarios non posse Regnum cœlorum consequi, inque statu damnationis esse mentiebantur.

11. Non esse licitum adire, seu visitare, Ecclesias in honorem Dei & sanctorum erectas, contendebant.

12. Sacerdotib. nullum honorem aut reuerentiam deferendam, neque diuitias, neque primitias, persoluendas esse persuadebant.

13. Eleemosynas Ecclesiis, aut indigentibus vel petentibus non esse tribuendas, volebant, & hæc quidem Rogerius summariè. Cęterum Petrus de valle Sernarij Monachus Cisterciensis, qui hoc tempore vixit, & cum Guidone Abbate Monasterii de valle Senarii prope Parisios, auunculo suo, postea Carcassonensi Episcopo, ad prædicandum contra Albigenses in partes Tolosanas venit, & bellis Albigensium plerumq; interfuit, in ea quam de rebus Albigensium ad Innocentium III. summum Pontific. scripsit historia, multo plures eorum hæreses & facinora enarrauit. In hunc modum referebat.

1. Primum sciendum est, quod hæretici Albigenses cōstituunt duos creatores: Rerum inuisibilium vnum, quem ipsi appellant Deum benignum, seu bonum: alterum rerum visibilium, quem ipsi appellant Deum malignum, siue malum.

2. Iidem attribuunt nouum Testamentum Deo bono: vetus autem, quod ipsi in totum repudiant, Deo malo; exceptis quibusdam auctoritatibus in nouo Testamento insertis, quas illi iudicant, prò reuerentia noui Testamenti recipi debere.

3. Affirmant etiam auctorem veteris Testamenti fuisse mendacem: propterea quod ipse primo homini dixerit: *in quacunque die comederis ex eo*, nempe ex ligno scientiæ boni & mali; *morte morieris*: & primi parentes ex eo manducauerint, non tamen propterea mortui fuerint, tametsi post gustum pomi prohibiti mortis miseriis subiecti remanserunt.

4. Appellant insuper Deum Veteris Testamenti carnificem, sicarium, & sanguinarium, quod Sodomitas & Gomorrhęos incendio consumpserit, & mundum aquis diluuii deleuerit, quodque Pharaonem & Ægyptios in mari demerserit.

5. Aiunt quoque, quod omnes Patres Veteris Testamenti sunt damnati; & quod S. Ioannes Baptista fuerit vnus ex maximis dæmoniis.

6. Dicunt amplius, quod Christus ille, qui natus est in Bethlehem terrestri & visibili, & crucifixus in Hierusalem fuit malus & peruersus, & quod Maria Magdalena fuit eius concubina, & quod ipsa fuit mulier illa deprehensa in adulterio, de qua legitur in Euangelio Ioannis. Bonus autem Christus, vt ipsi asserunt, nunquam manducauit, neque bibit, nec assumpsit vere carnem, nec fuit vnquam in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore D. Pauli. Ob eam causam signate diximus, in Bethleem terrestri & visibili: quia hæretici Albigenses fingunt esse alteram nouam & inuisibilem Bethlehem & in ea terra secundum aliquorum suorum prædicantium opinionem, bonum Christum fuisse natum & crucifixum.

7. Præterea Albigenses hæretici asserunt, quod bonus Deus habuit duas vxores, Oollam & Oollibam, & quod ex ipsis procrearit filios & filias.

8. Sunt inter Albigenſes hæreticos alii, qui dicunt, eſſe quidem vnum Creatorem; cæterum habere illum duos filios, alterum Chriſtum, alterum vero Diabolum.

9. Aiunt item iſti, omnes creaturas fuiſſe quidē à Principio; ſed poſtea deprauatas & corruptas eſſe; eaq; de mentionem fieri in Apocalypſi.

10. Ipſi cum ſint primarie membra Antichriſti, ex Satana nati, ſemen nequam filiique ſceleratí, dicunt tamen totam Eccleſiam Romanam eſſe ſpeluncam latronum, & quod ipſa eſt meretrix illa, de qua legitur in Apocalypſi.

11. In eum vero modum conuelluntur Eccleſiæ Catholicæ ſacramenta, vt affirment aquam ſacri Baptiſmatis, in nullo differre ab aqua fluminis: Hoſtiam ſacroſancti corporis Ieſu Chriſti in nullo differre à pane laico & communi: quod ſi corpus Ieſu Chriſti contineret in ſe magnitudinem montium Alpinorum, iam illud eſſet conſumptum, & annihilatum ab illis, qui illud manducarunt. Confeſſionem item & confirmationem, quaſi res friuolas & prorſus inanes reputant. Sacrum matrimonium vocant ſcortationem. Tenent item nullum poſſe ſalutem conſequi in Chriſto Ieſu, generando filios & filias. Non credunt etiam reſurrectionem carnis, fingentes, quædam inaudita inuenta, ac dicentes, animas noſtras eſſe ſpiritus illos, qui apoſtatia ſuperbi cœlo præcipites ceciderunt: vnde reliquerunt corpora ſua glorificata in aere, & ipſaſmet animas, poſtquā illæ finierint ſucceſſiuam ſeptenariam habitationem terreſtrium corporum, tanquam abſoluta tunc de nouo pœnitentia, debeant reuerti iterum in priora corpora, quæ reliquerant.

Verumtamen inter Albigenſes, aliqui (pergit Petrus Ciſtercienſis) appellantur Perfecti, vel Boni homines; alii autem vocantur Credentes. Perfecti qui dicuntur ferunt veſtitum nigrum, & de falſo iactitant eſſe caſtos, deteſtantes cibos carnium, ouorum, caſei, Volunt viderinon mendaces; cum tamen ordinarie mentiantur, loquentes de Deo. Dicunt etiam, propter nullam rationem, aut cauſam eſſe iurandum.

Inter hæreticos, qui appellantur fideles, vel Credentes, illi ipſi qui miſerabiliter & infeliciter viuunt, quamuis nullo modo poſſint attingere gradum Bonorum hominum ſupradictorum, nihilominus ſperant certo ſe in ſua fide eſſe ſaluandos. Ipſi reuera diſcernuntur in modo viuendi; attamen vniuntur in fide, ſeu infidelitate. Quo vocantur fideles vel credentes, ſunt prorſus dediti vſuris, rapinis, homicidiis, & cunctis actibus carnis illicitis, peieratores peruerſiſſimi, ipſique ſecure & effrenate peccant, magis quam illi alii, propterea quod ipſi credunt, ſe ſaluos futuros abſque reſtitutione raptorum bonorum, & abſque confeſſione: dummodo ante mortem poſſint recipere manuum impoſitionem à ſuis Magiſtris.

Ex perfectis hæreticis habēt ſuos Magiſtratus quos Diaconos & Epiſcopos nominant; ſine quorum manuum impoſitione, nullus moribundus ſperat ſe poſſe ſaluum eſſe. Cæterum ſi ipſi manus imponunt alicui morienti, quantūuis ille flagitioſus & ſceleratus exiſtat, dummodo poſſit dicere Pater noſter, &c. arbitrantur ipſum taliter conſolatum, & ſaluum, ſecundum eorum opinionem, quod ſine vlla ſatisfactione, vel alio remedio, exiſtimant in cœlum euolaturum. Vnde contigit in propoſito res magnopere ridicula, quam viſum eſt enarrare.

PRODIGIOSÆ HISTORIÆ DE ALBIGENSIBVS.

Quidam Credens Albigenſium in ſupremo mortis articulo conſtitutus, cum accepiſſet conſolationem à ſuo Magiſtro, non potuit dicere, Pater noſter, &c. Seruando regulam ſuæ profeſſionis: & ſic mortuus eſt. Ipſius conſolator neſciebat, quid de illo diceret; nam videbatur ipſi, quod ille ſaluus eſſet, propter manuum impoſitionem; & damnatus, quia non dixerat orationem Dominicalem. Quid factum? Aliqui hæreticorum quæſierunt ſuper hoc iudicium cuiuſdam militis, qui vocabatur Bertrandus de Saiſſac, vt ab ipſo docerentur; qualemnam opinionem de illo mortuo eſſent habituri. Cæterum miles eiuſmodi conſilium, & reſponſum dedit. De hoc mortuo, nos tenemus & dicimus, quod ille eſt ſaluus, de aliis vero omnibus, ſi illi non dixerint Pater noſter, nos iudicamus eſſe damnandos. Aliud accidit ridiculum.

Quidam fidelis morti proximus, legauit hæreticis quindecim libras, mandauitq; filio, prædictam ſummam illis dare: cum autem poſt mortem patris hæretici illam à filio repeterent, reſpondit iſte. Vellem, vt mihi prius dicatis, in quo ſtatu ſit pater meus. Dixerunt illi: Certiſſime ſcias, patrem tuum eſſe ſaluum, & iam conſtitutum in cœlis. Quib. ille ſubridens reſpondit: Ego gratias ago Deo, & vobis: verum tamen poſtquam pater meus eſt in gloria, eius anima nihil amplius eleemoſynis indiget: quin etiam ego ita vos noui benignos, quod non reuocabitis patrem meum à gloria. Scito igitur, quod nihil pecuniæ à me reportabitis. Iſtud quidem tunc contigit.

Cæterum neque etiam puto ſilentio eſſe inuoluendum, quod quidam eorum hæreticorum dicunt, neminem poſſe committere peccatum ab vmbilico inferius, ipſi quoque ſacras imagines quæ ſunt in Eccleſiis, arbitrantur eſſe idola: adduntque campanas ad tintinnabula Eccleſiarum eſſe tubas Diaboli. Dicunt amplius, quod homo non plus peccat, concumbendo cum matre ſua, aut ſorore, quam cum alia quacumque femina, quæcumq; illa ſit. Aſſerunt etiam, inter ſummas ipſorum fatuitates; quod ſi aliquis ex his, quos ipſi perfectos appellant, peccet mortaliter, comedens vel minimum carnis, aut oui, vel caſei; quod omnes illi, qui in articulo mortis fuere per illum conſolati, perdunt ſuum ſpiritum, etiamſi iam ſit ſaluus: & propter peccatorum ipſorum conſolatoris cadunt è cœlo, & denuo debent reconciliari.

ERRORES WALDENSIVM.

Sunt etiam alij hæretici qui nominantur Valdenſes à quodam Lugdunenſi V Valdo, ex quibus plurimi ſunt mali, ſed Albigenſium comparatione ſunt multo minus peruerſi. Nam illi nobiſcum in multis reb. conueniunt: diſcordant autem in quatuor præcipuè rebus, in quib. eorum error conſiſtit: in portando Sandalia in pedib. ad modum Apoſtolorum: in eo quod dicunt nullí eſſe permiſſum iurare, aut occidere: in eo etiam, quod affirmant quemcumque ex ipſis, in neceſſitate, dummodo portet Sandalia, ſine facultate, aut approbatione Epiſcopi, & ſine ſacris ordinibus, poſſe conſecrare corpus Chriſti. Hactenus Petrus Monachus, qui præſens cuncta viderat, quam accuratiſſime hæreſes Albigenſium percenſuit. Sed & modum, ne fandum quidē ritum, quo Albigenſes vtebantur, cum quis in eorum ſectam nomen dabat, & qua ratione fidem Catholicam eiurabat, idem Petrus, in ead. hiſtoria Albigenſium cap. 4. deſcribit his verbis.

Quando aliquis ad Albigenſes hæreticos conuertitur, ille qui eum recepit, dicit ipſi; Amice, ſi tu vis ex noſtris eſſe, oportet te abſenunciare totí fidei, quam tenet Romana Eccleſia. Et interrogatus, reſpondet: Ego abrenuncio. Accipe igitur, inquit Magiſter, Sanctum Spiritum bonorum hominum, & cum inſufflat in os eius ſeptem vicibus; & denuò interrogat: Abrenunciasne tu cruci, quam presbyter tibi in baptiſmo, in pectore, & ſuper ſcapulas, ac ſuper caput, cum chriſmate & oleo? Reſpondet ille; etiam: ego abrenuncio. Addit; Credis tu, quod hęc aqua baptiſmi operetur in te ſalutem? Reſponder; Non. Subdit Magiſter; Abrenuncias tu velo, quod presbyter impoſuit ſuper caput tuum in baptiſmo? Reſpondet; Etiam ego abrenuncio. Atque ſic recipit baptiſmum hæreticorum, & abnegat Sacramentum Eccleſiæ. Tunc omnes imponunt ei manus ſuper caput, oſculantur eum, & induunt illum veſtibus nigris; & ex tunc eſt tanquam vnus ex ipſis. Iſta omnia quæ aſpexit Petrus referebat.

Auctor quoque eſt Gulielmus Nangiacus, Albigenſes Sacroſanctam Dei Genitricem Mariam, voce impuriſſima meretricem ſolere appellare; promiſcuoſque concubitus, eoſque nefarios, omnino Sanctos duxiſſe; attamen in futura vita, gloriam animæ, non quidem eam, qua beati in cœlis fruuntur, ſed in tranſmigratione ad alia corpora, ſperaſſe. Cæſarius monachus Ciſtercienſis, qui hoc tempore viuebat, dialogo 5. capit. 21. referebat iſtud ex caſu infraſcripto ſcitum eſſe. Vnus Abbatum (ait) qui ad conuertendos Albigenſes perrexerat, cernens quendam militem in equo ſedentem loqui cum aratore ſuo, hæreticum illum exiſtimans, ſicut fuit, propius accedens, interrogauit; Dicite mih probe vir, cuius eſt ager iſte? Reſpondente illo: Meus eſt: ſubiecit; *& quid de fructu eius facis? Ego*, inquit, *& familia*

milia mea de illo viuimus; aliquid etiam ergo pauperibus. Dicente Monacho; *Quid boni ſperatis, de eleemoſyna illa?* Reſpondit miles hoc verbum: *vt ſpiritus meus glorioſe pergat poſt mortem.* Tunc monachus, *Quo autem perget?* Ait miles: *Secundum meritum ſuum. Si bene vixit, & hoc apud Deum meruit, exiens de corpore meo, intrabit in corpus alicuius futuri Principis, ſiue Regis, ſiue alterius cuiuslibet illuſtris perſonæ, in quo delicietur. Si autem male, corpus intrabit miſeri, ac pauperis, in quo tribuletur.* Credidit ſtultus, ſicut & cæteri Albigenſes, quod anima ſecundum meritum, per diuerſa tranſeat corpora, etiam animalium atque ſerpentium. Porro hæc fœda hæreſis in tantum inualuit, vt breui interuallo temporis, fere mille ciuitates infecerit; & niſi fuiſſet gladiis fidelium repreſſa, vniuerſam Europam corrupiſſet. *Cæſar. dial. libro quinto cap.* 21. Lucas Tudenſis, qui contra eoſdem Albigenſes ſcripſit, referebat, quod ij vt imagines ſacratas in contemptum adducerent, eaſdem turpiſſimas & deformiſſimas pingebant ac fingebant: quemadmodum Sacram Deiparam monoculam effigiabant, vt fibilis & riſui exponerent. *Lucas Tudenſ. libr. 2. cap. 9.*

XXXV. IN HISPANIA LEGIONE HÆRESES ORTÆ ET RADICITVS REVVLSÆ.

Neſcio an eiuſdem Sectæ poſt aliquot annos fuerint illi, quos ex Luca Tudenſi recenſet *a* Mariana, in Hiſpanijs omnia miſciuiſſe. Poſt deceſſum, inquit, Roderici Legionenſis Epiſcopi, ſuper electione futuri Paſtoris diſcordante voto, & ſtudio clericorum, inimici veritatis hæretici, qui ſemper ſitiunt diſcordiam clericorum, vt reperiant aditum, quo CHRISTI oues mactent & perdant, Legionem confluxerunt tunc temporis carentem cuſtodia paſtorali, & quodam loco ſordidiſſimo, vbi multi egrediebantur ad exquiſita naturæ, fieri miracula confinxerunt.

a De rebus Hiſpan. lib. 12.

Fuerat ibi ſepultus quidam hæreticus, & quidam alius homicida, qui exigente iuſtitia viuus fuerat miſſus in foueam à iudicibus ciuitatis; eo quod proditione patruum ſuum interfecerat. Erat ibi præterea quidam fons, quem hæretici ſanguine polluerant, vt ipſa aqua verſa in ſanguinem crederetur. Confluebant è diuerſis partibus populi, vt aſpicerent miracula, quæ fieri videbantur. Veniebant plures, qui erant occulte muneribus ſubornati, alii fingentes ſe eſſe cæcos, alij claudos, alii dæmoniacos, alii ægritudinibus vexatos, & hauſta fontis illius aqua, ſe mentiebantur recipere ſanitatem. Extumulantes etiam oſſa hæretici ſupradicti, qui Arnaldus fuerat vocatus, & ante annos ſedecim in loco ſepultus Martyrem ſanctiſſimum fatebantur. Plures Cleticorum ſimplicitate ducti, laicos in facto ſacrilego ſedulo adiuuabant: & ſuper fontem domum fortiſſimam conſtruxerant: parabantque oſſa dicti proditoris & homicidæ communi conſilio eleuare; quia hunc quondam fuiſſe Abbatem ſanctiſſimum fatebantur. Quid plura? Quod callide fecerant, quibuſdam detegentes hæretici, deridebant fidem Catholicam; & ſimili artificio fieri miracula in Eccleſia coram Sanctorum corporibus affirmabant. Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana conſilia reuelauerant, vt in hæreſim laberentur. Peruenit tandem conſilii denudatio ad Fratres Prædicatores, qui verbum Domini populis proponentes hortabantur, ab hoc facto nefario pœnitere, inſtabant fratres minoris & clerici; ne populi, vota ſacrilega in loco ſordido immundis oſſibus exhiberent, ſed magis accendebantur animi laicorum ad cultum diabolicum peragendum, ita vt Fratres Prædicatores & Minores ac clericos vniuerſos, quia erant contrarij ſuis operibus, hæreticos conclamarent. Gaudebant enim *inimici veritatis*, & publice afferebant, plus eſſe ſanctitatis & miraculi in luto, & in oſſibus illis, quam in omnibus CHRISTI Eccleſiis, & in omnibus Sanctorum corporibus, quos Eccleſia Catholica veneratur. Circumuicini autem Epiſcopi excommunicabant omnes, venientes ad illam venerationem nefariam, & fere nihil proficiebant, quia multorum mentes inuaſerat diabolus, & filios inobedientiæ colligarat. Quidam vero Diaconus, qui feruore fidei ſuccenſus, hæreticam præ cunctis præcipitiis oderat prauitatem, Roma Legionem veniens, cœpit ciuibus manifeſte exprobrare, eoſque impietatis arguere, adiungens, quod non daret Dominus pluuiam ſuper terram, donec fanum illud deſtruererur quod conſtruxerant, atque oſſa, quæ venerabantur, in ſterquilinium proiicerentur. Siquidem à tempore quo nefarium cultum inceperant, per decem mēſes anni non pluerat, ita vt omnia aruiſſent ſiccitate. Ibi iudex in præſentia omnium interrogauit Diaconum. Si domum, ait, euertimus, dabit Dominus pluuiam ſuper terram? Diaconus plenus fide, reſpondit: dabit, ſi modo mihi poteſtatem feceritis fanum deſtruendi, & cadauer exhumandi. Permiſerunt illi: is vero diruptos parietes incendit, & putrentia oſſa hæretici inflammauit, & cineres in loca ſordida diſperſit, & pluuiam poſt octo dies impetrauit. Mirum dictu, dum fani reliquiæ arderent, ſonus quidam quaſi tubæ vehementer proſtrepentis auditus eſt, vt omnes crederent diabolū vel inuitū illum locū relinquere. Sane vltus eſt ſuam iniuriam, nam incendio longius peruagante, magnam partem ciuitatis inflammauit, & plurimas domos conſumpſit.

XXXVI. *b Nicetas Choniates lib. 3.* CONSTANTINOPOLI NOVÆ HÆRESES CIRCA CHRISTI CORPVS IN EVCHARISTIA PRÆSENS NASCVNTVR.

b Eodem tempore, Conſtantinopoli, dogma de diuinis myſteriis vulgatum, Chriſtianos in factiones diuiſit. Vnde in foro & triuiis tes veneratione & ſilentio dignæ, palam contemnebantur. Nam Georgio Tiphilino ſeptem annos Patriarchatu functo, Ioannes Camatherus ſucceſſit, qui cum hæreſim ſub Tiphilino ortam radicitus extirpare, & monachum quendam Siciditem, vt hæreſiarcham & hominem ſeditioſum condemnare deberet, tolerauit & fecit, vt myſterium rurſus eſſet myſterium. Nam in rebus ingenii humani captum excedentibus & artificium reſpuentibus, differendi arte vſus, compoſuit orationes catechiſticas, eaque tribuit aduerſariis, quæ neque vmquam norant, neque cogitarant. In quæſtionem enim vocauit, vtrum corpus Chriſti poſt perceptionem incorruptibile ſit, quale poſt paſſionem & reſurrectionem fuit; an corruptibile, vt ante paſſionem. Erant: qui aſſererent, incorruptibile: propter Chryſoſtomi authoritatem, qui ait; O rem miram, quiad dexteram Patris ſedet, in noſtrum peccatorum manibus inuenitur. Item. Quamcumque partem acceperis, eum totum accipis, qui à Thoma palpatus eſt. Floruit in lege, adoleuit in Prophetis, maturuit in Cruce, comeditur poſt reſurrectionem. Neque enim aliud, id eſt quod præcipitur, quam illud corpus, quod morte ſuperata, vitam noſtram auſpicatum eſt. Vt enim parum fermenti totam maſſam fermentat, & ſibi ſimilem & parem reddit, vt D. Apoſtolus ait: ſic immortale factum Dei corpus, cum in noſtro corpore fuerit, totum id in ſe commutat & transfert. Adducebant & Euthymij iſtud quod ſequitur dictum: Totum igitur Sacroſanctum corpus & prætioſum ſanguinem Domini accipit homo, & ſi horum partem aliquam acceperit. Diſtribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immixtionem, vt vnum ſigillum omnes imagines ſuas omni materiæ imprimit, & vnum manet etiam poſt communicationem, non imminutum, non immutatum in ea in quibus expreſſum eſt, & ſi numero plura fuerint: eodemque modo vna vox ab aliquo prolata, & in aere diffuſa, in eo qui eam protulit tota manet, & per aerem tota ad aures profertur, nemine auditorum, plus minuſue percipiente: ſed tota eſt indiuiſibilis & integra apud omnes, & ſi X. millium numerum ſuperent, quamuis ipſa corpus ſit.

Nemo igitur ambigat, quin incorruptibile poſt myſticum ſacrificium, & Sanctam & immortalem reſurrectionem, Sanctum & viuificum corpus & ſanguis Domini per ſacrificia in res ſolidas impoſitas minus quam commemorata exempla ſuas vires numeros exprimatur, & totus in totis inueniatur. Et quidem hæc illi affirmantes adducebant. Alteri hoc ſacrificium, non reſurrectionis confeſſionem, ſed paſſionis commemorationem, & proinde corruptibile dicebant.

Aiebant enim, ſi incorruptibile eſſet, etiam mentis particeps eſſet: & animatum, & intactile, & inaſpectabile, neque dentib. ſcinderetur & moleretur, & in ſcindendo nullam omnino moleſtiam aut dolorem ſentiret. Hac via etiam, quaſi reſurrectionem corporum improbarent, dicebāt, nos poſt reſurrectionem nullo modo ſub tactum, aſpectum & figuram humanam caſuros, ſed incorporeas vmbras volaturos; ideoque & Chriſti per clauſam ianuam, ingreſſum, non miraculum, ſed aliquid cognatum & aptum reſurgentibus ex more eſſe aſſerebant.

XXXVII. ANABAPTISTARVM PRÆMISSARIOS CIRCA SACRAMENTA BAPTISMI REFVTAT INNOCENTIVS.

Fere per idem temporis Anabaptistarum præmissarij, paruulos à participio gratiæ Sacramentalis excludebant, indignosque cœlestib. gaudijs mentiebantur. Recensebat, atque conuellebat eorum errores Innocentius, data Arelatensi Archiepiscopo insigni epistola; digna quæ ad suffundendos nostri temporis Anabaptistas inseratur, pariterque legatur. Ita habet.

Maiores nostræ Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem dicerent discipuli ipsum esse, respondisse notabat; Tu es Christus filius Dei viui: & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius. Quibusdam igitur quæstionibus, quas contra Catholicos hæretici mouerant, nos postulas respondere. Asserunt enim, paruulis inutiliter baptismum conferri: quod nituntur probare, illud primo & præcipuè inducentes: quod cum secundum verbum Iacobi Apostoli dicentis in epistola sua: charitas operit multitudinem peccatorum: & iuxta illud testimonium veritatis in Euangelio, de peccatrice, quæ ipsius pedes lauerat, perhibentis: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: nonnisi per charitatem & in charitate crimina dimittantur: paruulis qui nec sentiunt, nec consentiunt & charitatem non habent, quæ sentientib. & consentientib. tantum infunditur, peccatis non dimittitur in baptismo, & infra. Ad id autè taliter respondemus, quod cum baptisma successerit circumcisioni: absit. n. vt in illam damnatam hæresim incidamus; quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio, & circumcisionem cum baptismo seruandam: quoniam secundum Apostolum dicentem ad Galatas: Si circumcidimini, Christus nihil vobis prodest. Cum ergo circumcisio tam adultis quam paruulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptismus qui successit loco ipsius, & generaliter tamen existit, cum tam viri quam fœminæ baptizẽtur, minoris videatur effectus; tam adultis, quam paruulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: ita nũc indistincte vox intonat Euangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei; ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens. Caute tamen notandum est, quantum plus baptismus hodie conferat Christianis, quam quondam Iudæis circumcisio contulisset; dictum est in superpradictæ auctoritatis inductæ, de veteri lege, peribit de populo suo. In Euangelica vero auctoritate subiunctum est: non intrabit in regnum Dei. Quoniam esti originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quousq; ad mortem Christi fuit omnib. obseruatum. Sed per Sacramentum baptismi, Christi sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam perueniturr: cuius ianuam Christi sanguis fidelib. suis misericorditer reseruit. Absit enim, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & in ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem. Cæterum ex vi litteræ satis patet, prædictas auctoritates intelligendas esse tantummodo de adultis, qui habent multitudinem peccatorum, cum de paruulis non possit idem intelligi, qui peccato tantum originali tenentur. Similiter & illa auctoritas est soluenda. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. cum non possint credere paruuli, sed adulti: & ob hoc tota auctoritas hic intelligenda est de adulto, ne ad alios prima, & ad alios secunda clausula referatur. Quamuis nonnulli concedant, quod paruuli credunt, non per vsum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in baptismo: sicut & alia multa verba, secundum communem vsum loquendi, non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur.

Illud verò quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliasque virtutes paruulis vtpote non consentientib. non infundi, à pleriſq; non conceditur absolute, cum propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur: alijs asserentibus, per virtutem baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi, habentibus illas quo ad habitum, non quo ad vsum, donec perueniant ad ætatem adultam.

Verum quidam ex hac solutione, inuenisse se credunt viam ad alias quæstiones, argumentantes ex eo quod dicimus, paruulis in baptismate peccatum originale dimitti, quod & adultis, dormientibus vel amentibus peccatum (si baptizantur) ratione simili dimittatur. Cum enim neutri sentiunt tunc vel consentiant, dicunt idem in consimilib. iudicandum. Hic verò dicimus distinguendũ: quod peccatũ est duplex; originale sc. & actuale. Originale, quod absq; consensu contrahitur: actuale, quod cõmittitur cũ consensu. Originale igitur quod sine consensu cõtrahitur, sine cõsensu per vim remittitur Sacramenti: actuale verò quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur. Sed adhuc quæritur, quare non saltem originale peccatum amentibus, & dormientibus in baptismo sicut paruulis dimittatur. Ad hoc taliter est respondendum: quod Dominus, qui totum hominem sanum fecit in Sabbatho, opus imperfectionis non nouit: & ob hoc peccata, non exparte, sed ex toto dimittit. Præterea, pœna originalis peccati, est carentia visionis Dei: actualis verò peccati, est gehennæ perpetuæ cruciatus. Vnde si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuo, propter reatum criminis actualis. Sed hæc tamquam incompassibilia sese minime patiuntur, imo sibi mutuo aduersantur.

Item quæritur, vtrum dormientibus & amentibus Sacramenti saltem character in baptismate imprimatur, vt excitati à somno, vel ab agritudine liberati, non sint denuo baptizandi. Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quod sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, vt baptismus & ordo, cæteraque similia, non solum dormientibus & amentibus, sed inuitis & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur: cum non solum paruuli, qui non consentiunt, sed & ficti, qui, quamuis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant sacramentum. Sed opponitur talibus, quod qui fuissent inuiti & reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti, ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent. Vnde ad seruandam regulam fidei Christianæ, forent rationabiliter compellendi. Verum id est religioni Christianæ contrarium, vt semper inuitus, & penitus contradicens, ad recipiendam & seruandam Christianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter inuitum, & non inuitum, coactum & non coactum, alii non absurde distinguunt; quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat baptismi suscipit sacramentum: & talis (sicut & is qui ficte ad baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum: & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad obseruantiam fidei Christianæ. In quo casu debet intelligi decretum Concilii Toletani; vbi dicitur, quod qui iampridem ad Christianitatem coacti sunt, (sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuthi) quia iam constat eos sacramentis diuinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate vnctos esse, & corporis Domini extitisse participes; oportet etiam vt fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur: ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. Ille verò, qui numquam consentit, sed penitus contradicit; nec rem, nec characterem suscipit sacramenti: quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus & reclamans thuribicare idolis cogitur violenter. Dormientes autem & amentes, si prius quam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perstiterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. Secus autem, si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales in necessitatu articulo consuetit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.

Hæc Innocentius rescribebat in dubijs emergentibus, circa sacramentum baptismi, quod Pauperes de Lugduno Inzabbatati Albienses & Manichæi Anabaptistarum præcursores pernegabant.

XXXVIII. EDICTVM CONTRA VALDENSES, PAVPERES DE LVGDVNO NON TOLERANDOS BAPTISMI VIOLATORES EVVLGATA REX ARAGONIÆ ILDEPHONSVS. Ex Bibliotheca Card. S. Seuerinæ.

Plurimi tunc eorum, Galliarum Prouincias infecerant, cum Hispanias refugerent attingere. Alfonsus enim Rex Aragonum pius & Catholicus, maiorum suorum exemplo, nunquam eos viuere passus est in suo Regno. Quod vt ab illuuie profanorum incontaminatum seruaret, ante quinque annos edictum euulgauit, longe dignissimum, quod ab exemplari tam præclaro à Regibus ac Principibus Catholicis, in eorum ditionibus sanciatur, atque obseruetur. Ita habet.

Ildephonsus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barchinonæ, Marchio Prouinciæ, vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Ecclesiarum Dei Prælatis, Comitibus, Vicecomitibus, Militibus, & vniuersis populis in regno & in potestate nostra constitutis, salutem, & integram Christianæ religionis obseruantiam.

Quoniam Deus populo suo nos præesse volnit, dignum est & iustum, vt de saluatione & defensione eiusdem populi continuam pro viribus nostris geramus solicitudinem. Quapropter præcedentium nostrorum imitatores, & iure canonibus obtemperantes, qui hæreticos à conspectu Dei, & Catholicorum omnium abiectos, vbique damnandos atque persequendos censuerunt, Valdenses videlicet, Inzabbatatos, qui alio nomine se vocant Pauperes de Lugduno, & omnes alios hæreticos quorum non est numerus, à sancta Ecclesia anathematizatos, ab omni regno nostro & potestatiuo, tamquam inimicos Crucis Christi, Christianæque religionis violatores, & nostros & regni publicos hostes exire ac fugere præcipimus. Si quis igitur ab hac die & deinceps prædictos Valdenses & Zabbatatos, aliosue hæreticos cuiuscumque fuerint professionis, in domibus suis recipere, vel horum funestam prædicationem aliquo loco audire, vel his cibum, vel aliquod aliud beneficium largiri præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & nostram se nouerit incurrisse, bonisque suis absque appellationis remedio confiscandis, se tamquam reum criminis læsæ maiestatis puniendum. Et hoc nostrum edictum, & perpetuam Constitutionem, per omnes ciuitates, castella & villa regni nostri & dominationis, ac per omnes terræ potestatis nostræ Dominicis diebus recitari ab Episcopis, cæterisq; Ecclesiarum Rectoribus, atque à Vicarijs, Baliuis, Iustitijs, Merinis, & Zenameldinis, omnibusque populis obseruari, & prædictam pœnam transgressorib. inferendam mandamus. Notandum etiam, quia si qua persona nobilis, aut ignobilis, aliquos supradictorum nefandorum, quibus iam per triduum edictum nostrum innotescere constiterit, alicubi Regionum nostrarum inuenerit, non prorsus, aut cito tamen exeuntes, sed potius contumaciter commorantes, aut deambulantes omne malum, dedecus & grauamen, quod his, præter solum modo læsionem mortis: aut detructionem membrorum intulerit, gratum & acceptum erit in oculis nostris, & nullam in pœnam pertimescat quoque modo incurrere: sed potius gratiam nostram se nouerit promereri. Damus autem illis nefandis inducias (quamuis quodammodo præter debitum & contra rationem fieri videatur) vsque in crastinum Sanctorum omnium, quo vel egressi fuerint de terra nostra, vel egredi inceperint: deinde spoliandis, cædendis ac fustigandis, & turpiter ac male tractandis. Signum † Ildefonsi Regis Arragonum, Comitis Barchinonæ, Marchionis Prouinciæ. Signum † Petri Regis Arragonum & Comitis Barchinonis in originali huius chartæ, & signum Domini Regimundi Archiepiscopi Tarraconensis, & Domini G. Episcopi Tirassonensis, & Domini R. Episcopi Iaccensis, & fuit facta charta illa apud Ilerdam à Guilelmo de Bastia, Regio Notario. Anno Domini M. C. XCIIII.

XXXIX. DAMNATVR PETRVS IOANNIS HÆRETICVS ET MORTVVS EXVRITVR.

Hæc Alfonsus & Petrus Reges, contra hæreticos baptismi violatores sanciebant: vt lupos arcerent ab ouib. innocuis; & vulpeculas amolirentur à vineis: ne illæ per fraudem irrumpentes demolirentur non tantum recens inserendos, sed & insertos olim, & adultos palmites, veræ viti & vitæ veriori, Iesu Christo, fructum maturitatis afferentes.

ERRORES EIVS.

Eadem tempestate, Petrus Ioannis diœcesis Biranensis, Ioachimi Abbatis Florensis errores sequutus est & docuit, eaq; de re aliquot libros in D. Ioannis Apocalypsin & Matthæi Euangelium edidit. Hi postea Sum. Pontif. authoritate, multorum in S. Theologia Doctorum acri diligentique examine discussi, in curiæ Romanę solenni conuentu, damnati, exustique sunt. Petrus quoque eiusdem Antistitis iussu, è loco sacro exhumatus, & hæreticus omnium calculo ac sententia declaratus, rogoque impositus, flammis deuotus est. Eius hæreses sunt hæ.

1. Negabat in primis, animam rationalem esse formam corporis humani, non absolute quidem, sed in quantum rationalis est, concedebat porro animam rationalem esse formam corporis, non tamen sub hac ratione, qua rationalis est: propterea, quod existimaret, quasi per hanc rationem informare corpus non posset.

2. Docebat cum Ioachimo Abbate, Apostolos non præcisse Euangelium Christi iuxta spiritualem intelligentiam, sed tantum secundum litteram.

3. Aiebat, in Baptismo gratiam & virtutes, quas vulgo Theologicas vocant, minime infundi.

4. Asserebat, Christum, vulnus lanceæ cum adhuc viuus esset, sustinuisse, contra illud apertissimum Euangelistæ Ioannis testimonium: Cum ergo, inquit, accepisset IESVS acetum dixit: Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum. Et paulo post: Ad IESVM autem cum milites venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Contra hoc Euangelistæ testimonium, is docebat, licite dici & contemplari, Christum lancea percussum fuisse, cum adhuc viuus esset.

5. Per Babylonem quoque meretricem magnam, vniuersalem Ecclesiam militantem intelligebat, eamque Ecclesiam carnalem, & bestiam, & Synagogam Sathanæ vocabat.

6. Per mysticum Antichristum, Summum Pontif. interpretabatur; & quod omnes Abbates quinti temporis, in quintum caput bestiæ, quæ est Diabolus & Antichristus cõuenirent, & malorum congregatio essent, blatterabat. Istos & alios complures væsani hominierrores, plurimi Sanctorum Patrum refutarunt. Ecclesia vero Catholica condemnauit, & ipsum Petrum Ioannis, inter damnatæ memoriæ hæreticos recensuit. *Gabriel Pratcolus libr. 14. Elenchi hæresum, in Petro Ioannis.*

XL. MARTIRIVM S. PETRI PARENTIIET MIRACVLA.

Hoc anno à Manichæis cæsus est, sanctus Petrus Parentius, Vrbis veteris in Etruria Præfectus. Is anno superiore ab Innocentio III. Pontif. Max. Vrbem veterem, ad Manichæorum hæresim eradicandam missus, re cum Episcopo communicata, terminum hæreticis, intra quem ad Ecclesię vnitatem & gremium rediterent, statuerat: Eodemque elapso contumaces diuerso pœnarum genere multauerat. Romam Paschalem solennitatem cum suis celebraturus profectus, atque ab Innocent. Pontif. interrogatus, quomodo cum hæreticis ageretur, se graue illorum in se edium concitasse, respondit.

Confirmatus autem à Pontifice, ne eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere, timeret, illo redit. Vbi paulo post ab hæreticis conspiratione in eum facta, noctu per fraudem captus, dum cubitum iret, & extra vrbem ductus, cum nollet edicta in eos retractare, neque fideiussoriam cautionem, quod non eos læderet, præstare, ab eis immanissimè occisus est. Qua in re mirabile quiddam contigit. Nam cum interfectores corpus Martyris in puteum proiicere vellent, nunquam illud è terra leuare, neque putei os aperire potuerunt. Memoriæ quoque pro dictum est, nucem infrugiferam, iuxta quam corpus Petri proiectum fuerat, eo anno bis fructum protulisse. Corpus intra vrbem delatum non sine bonorum omnium lachrymis sepulturæ traditum est, multis subsecutis miraculis: maximè in ijs, qui insanabili morbo laborabant; interfectoribusque diuerso mortis genere, breui, miserèque consumptis. *Ex Monument. Ecclesiæ Vrbeuet. M. S.*

XLI. CONTRITIONIS MIRACVLO LOCETVR.

Mirum admirandum quiddam hoc anno accidit, à virtute contritionis. Rem: quemadmodum Cæsarius narrauit, recitabo. Annus, inquit, modo vicesimus est secundus, plus minus, eo tempore quo ad ordinem veni, qui fuit ab Incarnatione Domini millesimus ducentesimus vno minus, in quo tale quid à viris religiosis & litteratis, vt sunt Abbates & Scholastici, contigisse Parisiis veraciter intellexi. Erat ibi iuuenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quædam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia nulli hominum confiteri potuit. Cogitans tamen quæ malis præparata sunt tormenta gehennæ, & quæ bonis abscondita sunt gaudia perennis vitæ, timens etiam quotidie iudicium Dei super se, intus torquebatur morsu conscientiæ, & foris tabescebat in corpore. Quid plura? Tandem miserante DEO timor ille seruilis verecundiam vicit; qui sicut seta filum, charitatem inducere consueuit. Veniens ad sanctum Victorem, Priorem vocauit, & quia confitendi gratia venisset, indicauit. Ille paratus ad tale officium, statim venit, in loco adhoc deputato sedit, præmissaq; exhortatione iuuenem confiteri volentem expectauit. Mira res; tamen hoc a ead. pius Dñs, cuius natura bonitas est, cuius voluntas potestas est, cuius opus misericordia est, cordi eius contritionem, vt quoties confessionem inciperet, toties singultibus intercepta vox ei deficeret, in oculis lachrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Hęc vt vidit Prior, dicebat Scholari: Vade, scribe peccata tua in schedula, & defer ad me. Placuit consilium iuueni, abijt, scripsit, die altera redijt; & si confiteri posset iterum tentans, vt prius defecit & cum nihil proficeret, schedulam Priori porrexit. Legit Prior, obstupuit, ac iuueni dixit: Non sufficio solus tibi dare consilium. Vis vt ostendam Abbati? Et licentiam dedit ei. Venit Prior ad Abbatem, & schedulam ad legendum porrigens, rem ei per ordinem exposuit. Quid deinde gestum sit, audiant peccatores & consolentur, desperati & recreentur. Mox enim vt Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit: impletumque est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit; *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*

Tunc ait Abbas Priori: Quid legam in schedula ista? Nihil in ea scriptum est. Hæc vt Prior audiit, schedulam simul cum Abbate respexit, dixitque ad illum; Sciat pro certo Paternitas vestra, supradictum iuuenem in hac schedula scripsisse peccata sua, quæ cum à me fuissent lecta, vobis etiam donaui ad legendum. Sed vt video, misericors Deus qui maximam contritionem iuuenis attendit, culpam iam sufficienter punitam, iuste deleuit. Deletio siquidem totius scripti, abolitionem significat totius delicti. Aduocantes interea scholarem, ostenderunt ei schedulam, dicentes eius peccata, diuinitus esse delera. Hanc cum ille iuuenis perspexisset, & ex signis bene cognouisset, intantum cor eius ex magnitudine tristitiæ fuerat angustiatum. Nullam itaque ei pœnitentiam iniungentes monuerunt, vt & de beneficijs acceptis gratias DEO exhiberet, & in posterum cautius ac sanctius vitam ordinaret. *Cæsar. lib. 2. c. 10.*

XLII. PROBATVR VERITAS EVCHARISTIÆ MIRACVLO.

Hoc tempore contigit res miranda, apud Rhetiæ Augustam. Quædam mulier dum communicare deberet, corpus Dominicum in ore reseruauit, quod postea cera circumdedit, & apud se domi retinuit; nescitur, quid tali machinatione tentatura. Postea pœnitentia ducta, ad quendam presbyterum religiosum, & bonæ famæ accessit, & ei peccatum suum indicauit; quod nullam ei pœnitentiam iniungere voluit, quin prius corpus Dominicum redderet, quod apud se domi malè retinuit. Abijt illa, & Dominicum corpus, vt erat in cera, presbytero reuelauit; qui assumptis secum multis aliis fidelibus, honorificè illud recepit, & aperiens ceram, inuenit corpus illud Dominicum & panem mysticum, in veram carnis sanguinisque substantiam esse muratum. Ad cuius rei notitiam, non tam de propinquis regionibus, quam de longinquis partibus terræ multitudo maxima confluit, & multa ibi Dominus miracula in laudem nominis sui operatur. *Ex fragmento hystor. anonymi auctoris.*

XLIII. BERENGARIANAM HÆRESIN IN GERMANIA REPVLSVLAN TEM MIRACVLIS DEVS CONPVTAT-

Hoc tempore in Germania repullulante hæresi Berengariana, Deus manifesto miraculo ostendere voluit, in Sacra Eucharistia verum CHRISTI corpus contineri. Nam hoc anno Augustæ Vindelicorum, Eucharisticus panis in carnem primo mutatus, deinde notabili etiam incremento coram omni populo & clero luce clara auctus fuit, quem hodie quoque tot seculorum interuallo integrum & incorruptum in eadem carnis specie pie cum horrore Augustani, & quotquot eo confluere solent, intuentur. Hac ratione DEVS voluit, Ecclesiæ Romanæ de vi & efficacia verborum illorum consecrationis, *Hoc est corpus meum*, sententiam confirmare.

Et vt tanto maior esset miraculi euidentia, nefariæque hæresi os in perpetuum occluderetur; plurimos mortales ex hoc pane sacro in carnem commutato decreuit DEVS non minoribus, quam cum inter homines in Iudæa ageret beneficiis afficere, Dæmonia ex corporibus quæ obsederant ejicere, cæcis vsum oculorum reddere, mutis linguæ vinculum soluere, surdis audiendi facultatem restituere, claudos & pedib. captos corrigere & expedire, ægros morbis cuiusquemodi liberare, mortuos denique in vitam reuocare, quæ omnia Regum, Principum, omnisque adeo ordinis hominum documentis & donarijs, in monasterio S. Crucis Augustæ (vbi Sacra Hostia in carnem conuersa seruatur) visendis, multo sunt testatiora, quam quorum fidem, nisi quem omnis pudor penitus deseruerit, vel minima ex parte vocari possit. Cæterum placuit ea de re historiam Sacramenti miraculosi, in monasterio S. Crucis Augustæ Vind. à Gilberto Bremensi Saxone scriptam adiungere. Ita habet.

Omnibus Christiani nominis hæredibus, Gilbertus Bremensis, Saxonum conciuis, salutiferum successum vtriusq; vitæ saluberrimè succedere.

Historico dogmate docemur, quod altera meretricum, quæ ad Regem Salomonem venit, dormiens filium suum oppressit. Hæc est synagoga, quæ in fide non stetit, sed in fide obdormiens filium suum CHRISTVM oppressit, dum CHRISTVM crucifigens morti tradidit. Sed altera, clara luce filium suum recognouit, dum Ecclesia Christum iam viuum à mortuis resurgere conspexit. Hæc affectu materno, non vera, sed verior, sed verissima mater extitit. De cuius finibus AVGVSTA egressa, clamat post IESVM. Filia enim eius, quædam fœmina, à dæmonio male vexata, quæ in peccatis dormiens, corpus CHRISTI quinque annis oppresserat, pane vitæ, quo pasci debuit ad vitam, depasta est ad mortem, varijs erroribus varij serpentis variè delusa. Hæc fœmina, non solum famæ nouerca, sed & animo prodiga, insoliti furoris artifex, & materia, insanum furorem in corpore dominico exercuit, insania propriam commaculans conscientiam.

Corpus enim Dominicum susceptum, cera inuoluit, factumque sacrilegum dissimulauit in quinquennium. O res mira, non tamen hæc fœmina pro hac insolentia pœna plectitur insolita. Parer enim cœlestis, paterna in nos gestans viscera, patiens, & multum misericors, de se testatur, *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.* O salutiferum organum; O solatium dulcissimum; O nostræ salutis suffragium, Quid enim nostræ saluti salubrius? Prætaxata itaque fœmina, spiraculo diuino afflata, sacrilegium confitendo, rem restituit, viro moribus probato, meritis probatissimo. Sed cui viro? Bertholdo Sanctæ Crucis Præposito piissimo, cuius cordis organo vranico succinit paracletus sanctissimo spiraculo, per quem sol in suos circulos reuertitur, dum Corpus Christi egressum de manu Sacerdotis, ad regionem dissimilitudinis, per eum rursus regreditur ad manum Sacerdotis. Quo regresso, præfatus Præpositus ceram præscidit, sed ecce, panis vitæ, in typo carnis tenuis, tenui discrimine, ad modum fili rubei apparuit. Et cum ceram hinc inde dissolueret, quatenus Sacramentum plenius perspiceret, ipsum Sacramentum, quasi in duo diuisum, ceræ adhæsit vtrobique: vtramque tamen partem quasi quædam venulæ, suis nexibus connexere. Mens igitur Præpositi grauistupore perculsa, hinc inde anxia diuerticulat, & more Morphei multiplicis, multipliciter sese regirat, ambigens an rem gestam silentio dissimulet, an propalando dilaret. Tamen inter curas cor ipsum exedentes, cum spiritus contritione, cordisque debita deuotione, dominicæ passionis veneratur indicia. Tandem cera complicata, causa captandi consilii, placuit quosdam rei gestæ conscios fieri, quorum consilio, pixis Sacramentum continens, duobus munitur sigillis, donec perscrutaretur sententiam Præsulis.

Præsul vero cum Clero, & populo vniuerso, Sacramentum Dominicum ad matricem Ecclesiam sanctæ Matris Domini, cum canticis, & laudibus vtriusque sexus, reuerenter deportauit, ibique sigillis resignatis, ecce ipsa sacra Eucharistia, in quantitate quasi quadrupla, siue tripla, est adaucta, præcipuè autem inter sacra Missarum solennia, coram omnibus, fide maiora sumpsit incrementa, nec crescere desiit à tempore Paschæ, quo reddita fuit, donec ad festum sancti Ioannis Baptistæ, de quo dictum est: me oportet minui: illum autem penitus dissoluit; cuius dissolutioni Dominus Episcopus deuotè cooperans, Eucharistiam reuerenter à cera, cui adhærebat; absoluit, absolutam cristallo inclusit, parte altera cera collocata. Sic quondam interuentu beatissimi patris Gregorij, panis Christi accepit formam digiti cruenti, ad confirmandam fidem vnius fœminæ, imo ad astruendam fidem populi totius. Vt enim ait Apostolus, sunt inter nos infirmi multi, & imbecilles, & dormiunt multi. Nunc quoque non dissimili pietate, dutitiæ infidelitatis nostræ misertus cœlestis medicus, medelam adhibuit male habentibus, quatenus dormientes euigilent, vigilantes videant, veram esse Eucharistiam Christi sacram, quæ tunc forma carnis assumpta pro se producit plurima miracula. Signis enim succedunt signa, veritatem sui Sacramenti attestantia. Hæc itaque à Domino gesta, sed nondum adhuc scripto per orbem digesta, opitulante diuino consilio, ad communem omnium vtilitatem, in medium proponere dispono, scio enim quod dictum est: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Et alibi: Ex ore infantium & lactentium perfeciti laudem, Non tamen in hoc proposito aliorum præiudico ingenio.

Primò autem, Dominus proprium corpus duobus priuilegiauit miraculis; quibus erroribus propriis priuaretur erroneus orbis; hinc miraculosa coloris mutatione, illinc arcana corporis augmentatione. Deinde Dominus, & ad nos sua dignatur extendere magnalia.

Hoc est, Paschali, quod comprehendit interstitiũ inter Pascha & Pentecosten. Pascha enim anno 1199. celebratum 18. die Aprilis miraculũ vero contigit 11. die Maii.

Rudigerum enim matricis Ecclesiæ, Plebanum, fluxu ventris fluidi duodecim dieb. quasi ad extrema deductum. quia forte priori consilio sane interfuit, primò sanitatem percepit.

Consequenter quædam mulier de Plaubeyren, per triennium excæcata, claro vestitur lumine corporis, postea clareret lumine cordis. Hæc est illa, in qua suam experiri efficaciam nequiuerant medicorum experimenta. Hæc est illa, in qua Dialecticorum fallebat. Maxima dogmatizans priuatiue opposita non esse regressiua. Hæc est illa, in qua DEVS quereulam confutauit naturam, naturantis naturæ prærendens iura. Quidam tamen minime credentes in ea visum restauratum, eam constituerunt in medio ipsorum, videlicet Cathedralis Ecclesiæ Decanus, & eiusdem Plebanus constitutam hinc inde apostrophantes, diu examinarunt; quoniam quando viderunt veraciter videre, tum primo perstrepentibus campanis in laudem DEI, TE DEVM laudamus, in propatulo, decantarunt. Nec deinceps magnalia Dei sub silentio præterire præsumpserunt.

Hac gratia his duobus diuinitus collocata, confertur & aliis alia, quos non retardat pigra diffidentia.

Quædam enim cæca de Kettingen, sanitatis gratia Sacramentum adijt Dominicum, sed licet non sit ibi speratam consecuta gratiam, tamen antequam domum reuersa est, fuit quoque illuminata. Dum autem Domino non regratiaretur de collato beneficio, visu priuatur denuo. Hæc igitur in se rediens, & de inerti desidia pœnitens, redijt, rediens visum recepit. Sic accrescente diuina gratia, precipue autem in Sabbatho, pro sacra Sabbathi reuerentia, succreuit accurrentium turba.

Quædam mulier de Austria, virtute huius Sacramenti percepta, Sacramentum visitare deposuit, visitando visum in via percepit.

Quidam Saxo de Luneburgk, derogans iam dicto Sacramento visu priuatur; Postea vero satisfaciens de perpetrato, reilluminatur.

Quidam cæcus coram Sacramento constitutus primo candelas super aram positas numerauit, post hæc vero illuminationis gratiam penitus percepit.

Quidam Faber ferrarius de Kambe in quinquennium cæcus, post votum peregrinationis visum domi rehabuit. In ipsa vero peregrinatione, quanto plus ad Sacramentum accessit, tanto plenius videre potuit.

Quidam plurimis temporib. cæcus, & per monachos de Kastele adductus, dum visum suscepit, ipsum Sacramentum ipsi sub forma pueruli, roseum ruborem vultu referentis, apparuit, cuius vestimentum super niuem candidum enituit, crux vero capitis discrimen insigniuit.

Sic, & quibusdam fœminis religiosis, idem Sacramentum speciem pueri prætendit.

Cuidam vero in specie CHRISTI Crucifixi apparuit.

Multos quoq; quorum Dominus ora conclusit, superna gratia respexit.

Quædam fœmina à viro maledicta, per triduum obmutuit, sed in peregrinatione in somno loquelam recipere meruit.

Quædam puella ab infantia muta, dum ad Sacrosanctum Sacramentum vouisset venire, in ipso itinere, soluto linguæ vinculo, vsa est linguæ officio.

Fortasse ex regno Arelatẽsi, Arelati enim S. Ægidius est mortuus.

Quædam matrona nobilis, & muta, de partibus B. Ægidij oriunda, per visum secundo admonita fuit, quatenus pro vocis restauratione peregrinationem Sacramento voueret, vouit; post votum locuta fuit.

Ad hæc verbigena, verbo disponens omnia, quorumdam aures: vocibus perstructas voci fecit peruias.

Quidam surdus Præpositum sanctæ crucis aggressus, petiit, quatenus digitum aurib. imponeret; In virtute igitur Sacramenti digitum imposuit, & ille vocem auribus haurire meruit.

Quidam Conradus de Eppingen, mutus, & surdus, in peregrinatione de muto fit loquens, de surdo audiens.

Nec minus claudicantibus, quorum imbecillitas debitum syncopauit passum, accessit gratia salutifera.

Quidam Arnoldus contractus de VVelse, villa scilicet in Austria, Sacramento adductus, sanitatem consecutus fuit.

Quidam de Mandechingen, primò incessu pedum carens, postea morbo caruit.

Instar prædictorum aspirans benigna Dei gratia, membra glutinat paralytica.

Quidam paralyticus, dum diuina præsente Sacramento agerentur ab Episcopo, multis astantibus, ab instanti paralysi est exemptus. Vbi etiam alia septem miracula infra Missarum solemnia sunt celebrata.

In dedicatione autem matricis Ecclesiæ septendecim miracula in monasterio Sanctæ Crucis sunt declarata.

Quædam paralytica mulier educta de porta Vrbana, coram Sacramento fuit sanata.

Succedente vero tempore, succesiue sexaginta tria miracula contigerunt.

Quidam puer in palude submersus interiit; postea per inuocationem Sacramenti, mater puerum viuum recepit.

Sic & alij tres pueri, prius mortui redierunt viui.

Quidam monachus Deo deuotus, peractis Missarum solenniis, dum populum benedixit, dexteram quoq; Domini populum benedicentem conspexit.

Quædam dæmonica capsam Sacramenti per visionem vidit, videns euasit.

Quædam mulier noctu Sabbathi Sacramentum visitatura, super equum ligatur, ligata in primo galli cantu liberatur, hinc à Dæmone, illinc à fune.

Dum Otho filius Friderici Cæsaris diutina febre, fluxuque sanguinis in tantum defecisset, quatenus pro tanto defectu tota practica desperasset, suorum consilio se vouit Sacramento, quo contacto, consecuta est continua curatio.

Hactenus Gilbertus Bremensis miracula sanctissimi Sacramenti numerabat. *Gaspar Scioppius*, cum *in Emmanuele Thaumaturgo* ea omnia retulisset, *in Thaumatologiæ libello* addit vnum, quod anno Domini 1611. in Serenissima Principe Maximiliana, Serenissimi ac religiosissimi Boiorum Ducis Guilhelmi Germana, videntibus ac stupentibus non paucis, factum est: quæ cum iam à Medicis conclamata ad Ecclesiam Sanctæ Crucis aliter quam inter famulorum manus allata accedere non posset, vt coram prodigioso illo Sacramento votum supplex nuncupauit, mox ita cum sanitate vires sibi redisse sensit, vt suis pedibus nomine adminiculante templo excederet, & ad hospitium rediret, velut ipsa non multo post pro Concione in omnibus Catholicis vrbis Ecclesiis suo nomine rem promulgari curauit, vtque à cæteris fidelibus secum pariter gratiæ Christo agerentur experijt.

IESV CHRISTI
Annus 1200.

INNOCENTII PAPÆ III. ALEXII COMNENI Annus 3. Imper. 6.

I. IN SVBSIDIVM BELLI SACRI DECIMAM REDDITVM PARTEM AB ECCLESIA ROMANA DETRAHIT. ALIIS ECCLESIIS QVADRAGESIMAM IMPERAT. *a lib. 2. epist. 254. & seq.*

GRauissima Ecclesiarum & Imperiorum negotia, virtutem, prudentiam & in rebus agendis magnanimitatem Innocentij Pontificis Maximi, hoc anno exercuerunt. Præcipuum fuerat Terræ Sanctæ, à Saracenis vexatæ, & ab improbis contaminatæ. Eam vt Christianis vindicaret, decimam redditum partem, à Romana Ecclesia; in subsidia detraxit atque assignauit. Cæterum vt etiam reliqui Ecclesiastici in partem aliquid conferrent, vtque sæculares tum Principes, tum milites, Ciues & populi eo ardentius rem Christianam iuuarent: illis quidem Quadragesimam partem reddituum Ecclesiasticorum in commune contribuere præcepit; Hos verò Indulgentiis & remissionibus peccatorum inuitauit; & datis litteris primum Cisterciensi, Clarauallensi, Pontiniacensi, de Firmitate, & vniuersis Abbatibus Cisterciensis atque Præmonstratensis Ordinis; atque postea omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Clero,

Prælatis, Comitibus, Principibus, Nobilibus, militibus, ciuibus & populis, totius Alemaniæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Sclauorum, Hiberniæ, Scotiæ, Tusciæ, & Longobardię, vt vel eleemosynas erogarent, vel Crucem susciperent, vel milites submitterent, numeratis in commeatum expensis.

II. PRO REGNO SICILIÆ CONTRA MARCOWALDVM SERVANDÆ EXERCITVM SCRIBIM PERAT.

Non segnior fuit Innocentius Papa, in Regno Siciliæ hereditario Ecclesiæ Romanæ, à Marcovvaldo inuasore vindicando. In feudum illud concesserat Friderico pupillo cui Marcovvaldus iniurius. Hunc itaque vt & à ceruicibus Friderici, & à possessione Siciliæ depelleret Innocentius, *b* omnibus Comitibus, Baronibus, Baliuis, Iudicibus, Ciuibus atque vniuersis & singulis populis in Regno Siciliæ cis & vltra Pharum constitutis scripsit, vt exercitu conscripto & armis iuste arreptis Marcovvaldo cõtrairent, & tum pro Patrimonio Ecclesiæ, tum pro tutela pupilli maxima qua possent constantia depugnarent. In eamdem rem *c* vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, Ciuibus, & populo Apuliæ scripsit, eosque ad eliberationem Regni Ecclesiastici, & defensionem Friderici hortatus est. Scripsit & Nobili viro Comiti Ragusino, eumque quod partes Ecclesiæ Friderici tueretur, summis laudibus exornauit: vtq; contra Marcovvaldum toties anathemate damnatum toris viribus in posterum decertaret, maiorem in modum orauit: Gualtero autem Comiti Brennensi, Principatum Tarentinum & Licii Comitatum confirmans eum contra Marcovvaldum excitauit.

b *libr. 3. ep. 265.*

c *lib. 3. epist. 20. 21.*

III. REIECTIS PHILIPPO ET FRIDERICO, OTTONI DIADEMA PER LEGATVM IMPONIT.

Romanorum quoque Regnum, maximam partem curarum Innocentii isto anno vsurpauit. Anno superiore Philippus Sueuus ad Sedem Apostolicam Oratores miserat, Fridericum sancti Thomæ apud Argentinam Præpositum, & Ioannem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum: qui nomine illius diadema Regium illi postularent. Admissis in Consistorio Romano ad audientiam publicam, scite disserteque Innocentius respondérat: se velle litteras Philippi videre, & ex æquo negotium decernere. Hæc cum Ottoni competitori non obscura essent, remque suam posse periculum subire putaret, tum litteras, tum Nuncios ad Innocentium misit, qui statũ negotij, vt de facto acciderat, Pontifici significarent atque iuris & facti remedia contra Philippum postularent. Controuersia in Collegio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ab vtraque proposita, & ab Iudicibus Cognitoribus maturo iudicio discussa, cum Innocentius non iam velut in fabrica hæreret, sed plane & plene perspectum habuisset, iustitiam & æquitatem à partibus Ottonis stetisse, quare Subdiaconum Apostolicum in Germaniam Nuncium destinauit, qui Comitio Principib. Imperii indicto nomine Pontificis interesset, omnibusque in commune consulentibus mentem & decretum Apostolicæ Sedis exponeret.

d *libr. 3. ep. 20. & seq.*

Eam ob rem Archiepiscopo Moguntino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Sabinensi, & vniuersis Principibus Imperii simul congregatis *d* per scripsit, iura trium competitorum, scilicet Friderici Siciliæ Regis, Philippi Sueuiæ Ducis, & Ottonis Saxonis, apud Supremum Sedis Apostolicæ Tribunal producta, & ad æquitatis Lydium reuocata exposuit, Fridericoque & Philippo reiectis, Ottonem regio Romanorum diademate non indignum esse iudicauit. Et vt negotium maiore cum grauitate auctoritateque ageretur Ottiensem atque Prænestium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopos Legatos in Germaniam ire iussit, idque vniuersis Principibus Imperii e renunciauit: qui literas confirmationis Ottoni deferrent, oppositiones Philippo factas omnibus propalarent, iuramentum fidei ab Ottone exigerent, Sacrum diadema eius vertici imponerent, omnes & singulos ad obsequentiam hortarentur, refractarios & vnitatis turbatores anathemate percellerent; & quicquid ad pacem imperii pertineret, exequerentur. Scribens Innocentius Pontifex Ottoni, magnis laudibus eum exornauit, electionem illius approbauit, atque vniuersos & singulos ad obediendum illi hortatus est. In eãdem rem *f* Philippo Galliæ, & Ioanni Angliæ Regibus, vniuersisque tam Ecclesiasticis quam secularibus Principibus & Proceribus Germaniæ, & præsertim electo & Capitulo Hildesemensi, Patriarchæ Aquileiensi, Archiepiscopis Treuerensi, Bremensi, Saltzburgensi, Magdeburgensi, Colonienſi, Cantuariensi, & reliquis, atque vna Suffraganeis ipsorum Episcopis, & præsertim Argentinensi & Paderbornensi, nec nõ etiam Prioribus, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, tum deinde Duci Zeringiæ, Alberto Comiti de Taisburgk, Comiti de Viana, Guarnero de Bolland, Godefrido de Appulstan, & aliis quamplurimis Baronibus scripsit, maiorem in modum eos dilaudans, quia Ottoni adhæsissent, & à Philippo recessissent. Dux Boemiæ Ottocarus partes Philippi sequebatur, & ab illo regni diadema susceperat. Redarguebat eum Innocentius Pontifex, quia ab eo, qui coronam imperii à Sede Apostolica nondum meruisset, & propterea alteri dignitatem Regiam concedere minime posset, eamdem importune quæsiuisset. Proinde admonebat, vt Ottonem à Sede Apostolica approbatum sequeretur: à quo, cũ primum Imperii insignia ille acceperit, posset etiam ipse Regium nomen & fastigium iure merito obtinere. Quid in Comitio egisset Guido Cardinalis Prænestinus, Innocentio per litteras *g* denunciauit: nimirum, quia partium nonnullas adhuc controuersias audisset, matureque considerasset, & ex præscripto Apostolicæ Sedis Philippo & Friderico reiectis Regni Romanorum titulum coram omnibus Principibus Imperii Ottoni electo à Sede Apostolica delatum renunciasset, atque omnes qui contradicere pergerent anathemate percelluisset.

e *epist. 30. & seq.*

f *ep. 33. vsque ad 37.*

g *epist. 50.*

IV. OTTO GRATVS IN PONTIF. INNOCENTIVM.

Non ingratus fuit Otto beneficii per Legatum ab Apostolica Sede delati. *h* Statim enim atque dignitatem Regiam sibi deferri intellexisset, Innocentio Pontifici scripsit, & beneficio ipsius diadema se accipere professus ingentes gratias egit, protectionem Sanctæ Sedis flagitauit, Cameracensisque & aliarum Ecclesiarum negotia commendauit.

h *epist. 51.*

Res quoque Vrbanas & Ecclesiæ Romanæ, Innocentius hoc anno non neglexit. Et quidem ex more iuramentum à Petro Castello Viri Domino Præfecto vrbis præstari solitum, ex hac formula audiuit.

V. IVRAMENTVM PRÆFECTO VRBIS EXIGIT INNOC.

In nomine Christi Amen. Ego Petrus vrbis Præfectus iuro, quòd terram, quam mihi Dominus Papa procurandam commisit, fideliter procurabo, ad honorem & profectum Ecclesiæ. Non vendam, nec locabo, nec infeudabo, nec impignorabo, nec aliquo modo quicquam alienabo ex ea. Iustitiæ & rationes Ecclesiæ Romanæ studiosè requiram & recipiam, & iura ipsius recuperare studebo, & recuperata & habita conseruabo, & defendam quamdiu mihi procurationem dimiserit. Stratam custodiam, & iustitiam exercebo. Ad custodiam munitionum diligens studium & operam efficacem impendam, vt ad honorem & mandatum Ecclesiæ Romanæ, bene custodiantur. Castellanos & seruientes, nec mutabo, nec alios introducam, nec mutari faciam; nec alios introduci, præter mandatum Domini Papæ. Fideles & vasallos de patrimonio Ecclesiæ sine speciali mandato Romani Pontificis ad fidelitatem & dominium meum non recipiam, & ex ea non faciam mihi affidatos teneri, nisi procuratione durante. In terra meæ procurationi commissa munitiones ædificari non faciam, sine speciali mandato Domini Papæ. Quandocumq; fuero requisitus per Dominum Papam aut Nuntium, vel litteras eius, reddam rationem de procuratione fideliter, & quandocumque, iussus à Domino Papa, vel ab Ecclesia Romana fuero, integrè & fideliter resignabo. Hæc omnia iuro me fideliter seruaturum, sine fraude pro posse meo, saluo in omnibus mandato Domini Papæ. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Hæc Innocentio Pontifici Præfectus Vrbanus; & ex eadem formula reliqui omnes rebus Ecclesiæ Romanæ temporalibus Præpositi iurabant, seque hoc sacro fræno ad obediendum, & pro Ecclesia ex fide laborandum astringebant.

VI FORMA IVRAMENTI FEVDATARIORVM ILDEBRANDINI COMITIS ET ALIORVM.

Alia formula præscribebatur his qui in feudum aliqua bona ab Ecclesia obtinerent. Ex ea Ildebrandinus Comes hoc ipso anno, his quæ sequuntur verbis iurauit.

Ego Comes b *Ildebrandinus ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, & Domino meo Papæ Innocentio, eiusque successoribus Canonicè intrantibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in facto, neque in dicto, neque in consilio, aut in consensu, vt vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod per se, vel per suum Nuntium, aut per suas litteras mihi manifestauerit, ad eorũ damnum me sciente nulli pandam: si eorum certum damnum sciero, si possum, remanere faciam. Sin autem aut per me, aut per meum Nuntium, vel per talem personam, quam pro certo credam eis dicturam, significabo. Papatũ Romanum, & Regalia Beati Petri, & nominatim Montem Album, & quicquid aliud teneo de Regalibus ipsis, adiutor ero ad retinendum: quæ non habet, ad recuperandum; & recuperata ad*

b *ibidem.*

retinendum & defendendum contra omnes homines. Cum autem à Domino Papa fuero requisitus per litteras eius, aut per Nuntium suum certum, ad præsentiam eius accedam, vbi securus possum accedere; & in manibus eius ligium homagium ei faciam. Hæc omnia bona fide, sine fraude & malo ingenio obseruabo. Sic me Deus adiuuet, & sancta hæc Euangelia. In hunc modum, & reliqui Dynastæ feudatarii Sacramento sese astringebant, quemadmodum & Ildebrandinus Comes.

Ex alia formula iurabant Nuncii, quos ad Sedem Apostolicam Ciuitates ad Patrimonium Beati Petri pertinentes mittebant. Ex horum numero, hoc anno, Fanenses, Esinenses, & Pesaurienses Nuncii iurarunt, & Romanæ Ecclesiæ censum annuum, illi quidem quinquaginta, hi autem quadraginta librarum persoluerunt, & ab Innocentio Pontifice *a* laudati, priuilegiisque confirmatis ornati sunt. Senogallienses, Fanenses, Camerinenses hi quidem incolas vallis castri Matheldæ, castrumque Sanctæ Anatoliæ, illi vero alias vicinfiores terras Ecclesiæ Romanæ, suas proprias fecerant, neque solennem censum persoluere cogitabant. Eos omnes per *b* litteras Innocentius officii admonuit, & ad satisfaciendum Apostolicæ Sedi hortatus est. Cæterum cum inter Firmanos, atque Anconitanos, nonnulla dissidia, in graue præiudicium Romanæ Ecclesiæ exorta fuissent, ad ea omnia componenda Octauianum Subdiaconum & Almericum Cameræ Apostolicæ Notarium Nuncios misit, atque Potestati, Consulibus, ac populo Firmano, Anconitano, Anximano, *c* mandauit, vt eis in omnibus decretis ex iustitiæ præscripto obtemperarent. Laudabat Innocentius Potestatem & populum Anconitanum, ex obedientia & obsequiis erga Apostolicam Sedem exhibitis: cæteris vero tam clericis quam laicis in Marchia Anconitana constitutis, *d* mandabat, vt ab armis desisterent, & in his quæ ad iustitiam & pacem pertinent, Procuratoribus Apostolicis obedirent, alioquin, qui abhorrerent suauitatem, experirentur amatorem. Non intermittebat interim Nuncios suos exhortari, vt efficacius instarent, ad pacem inter eos populos stabiliendam.

a *li. 3. ep. 27 & seq.*

b *li. 3. ep. 48. 49. 50. & seq.*

c *li. 3. ep. 26.*

d *epist. 45. & 46.*

VII. DIVORTIVM INTER PHILIPP. REGEM GALLIÆ, ET DANI REGIS SOROREM PER LEGATVM COMPONIT.

Non intermisit etiam Innocentius Pontifex, alia quoque negotia Ecclesiæ alibi curare. Aliquis Reginæ Galliæ imposuerat, quasi Rex Philippus non nisi in septem mensem eam sibi reconciliasset, & præterea affinitatis repudiare protsus cogitaret. *e* Scribebat eidem Reginæ, ne fidem falso rumori adhiberet, interim tamen omnia iura ad fauorem suum colligeret, & in vrbem mitteret cum Procuratoribus, qui causam, si opus foret, promouerent. Eadem ex causa Canuto Regi Danorum scripsit, vt Aduocatus & omnia ea transmitteret, quæ ad defensionem Reginæ facere viderentur. Neque vero poterat amplius dissimulare, quin Octauiano Ostiensi Episcopo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Legationem in Gallias decerneret, qui id quicquid fuisset diuortii seu dissidii inter Reginam & Regem Galliæ discerneret, atque decerneret. *f* Significabat iste, se fuisse benigne à Philippo acceptum, Conuentum apud Sueſſionem ad discussionem super validitate matrimonii indictum, Regem Daniæ & Archiepiscopum Lundensem in fauorem Reginæ iura produxisse, Philippum causa cecidisse, humilitatem & submissionem demonstrasse, repudiatam Reginam recepisse iuramentum ea de re præstitisse, interdictum ab vniuerso Regno Galliæ sublatum fuisse, omniaque ad Sanctiones canonicas ex mente Pontificis transacta esse, Scribebat quoque Innocentio Philippus: quia Legatum summo cum honore suscepisset, & omnia quæ idem ille voluerat & mandauerat effecisset, licet essent contra propriam voluntatem.

e *lib. 3. epist. 13. 14. 15.*

f *lib. 3. epist. 10.*

VIII. HVNGARIÆ REGEM ET SPALATENSEM ARCHIEPISCOPVM ARGVIT, QVOD NICOLAVM EPISCOPVM NON PVNIVERINT.

In Hungaria nonnihil acciderat, quod Innocentium Pontificem ad actiones litteras tum Regi, tum Archiepiscopo Spalatensi scribendas permouerat. Nicolaus Patarensis Episcopus duos quosdam in minoribus ordinibus constitutos, vt in Episcopos eligerentur curauerat, & ab executione officiorum Episcopalium suspensus, aliquem ordinibus sacris initiauerat; insuper etiam Iadertinam Metropolim occupabat. Danus quoque Bosnensis Patarenos hæreticos ex Spalatensi & Tragurensi Prouinciis electos ad se vocauerat, & honorifice exceperat. Iniungebat Innocentius *g* Archiepiscopo Spalatensi, vt Nicolaum ab officio suspensum, singulis diebus festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis anathemate percelleret; & si infra mensem non resipuisset, non tantum à dignitate Episcopali, verumetiam ab ordinibus Sacerdotalibus deponeret. Regi porro Hungariæ *h* commitebat, vt Datum quidem Bosnensem, compelleret ad eiiciendos illos hæreticos; ipse vero Nicolaum quondam Forensem Episcopum compelleret ad resipiscendum, ne iuxta Canonicas sanctiones non careat suspicione occultæ societatis, si manifesto facinori negligeret obuiare: neve pœnas à Canone ne constituras incurrat contra receptatores hæreticorum, si eos contemneret expellere, aut iuxta demerita castigare.

g *lib. 3. ep. 1.*

h *epist. 2.*

IX. i *epist. 22.* NARBONENSEM GALLIAM AB HÆRESI ALBIGENS. LIBERAT, PER LEGATVM PVRGARI FACIT.

Per eadem quoq; tempora, *i* Albigenses hæretici Narbonensem Prouinciam infecerant. Eius metropolis Archiepiscopus nequicquam curauerat eos conuertere, vel in eos aduertere, vtpote Simoniæ labe, & aliis criminibus cõtaminatus; insuper & Sedis Apostolicę publicatus contemptor, qui Prouinciale Concilium celebrare, & in subsidium Terræ Sanctæ auxilia colligere recusauerat: quamquam Innocentius Pontifex præcepisset. In eam rem vt Ioannes de S. Paulo rituli S. Priscæ presbyter Cardinalis inquireret, Legationis munus eidem iniunxit, pleniamque auctoritatem cognoscendi & corrigendi concessit.

X. k *epist. 4.*

In Regno Croatiæ; *k* Ecclesiarum immunitates non vsquequaque seruabantur: & multi ad eas tamquam ad certa ac secura asyla confugientes, rapiebantur. Innocentio Regi tunc regnanti præcepit, ne malefactores ad Ecclesias confugientes inuiti extrahantur, nisi forte sint latrones publici, & nocturni agrorum populatores. Serui autem ad Ecclesias refugientes, postquam Domini eorum iuramentum impunitatis præstitisse at, ad seruiendum Dominis suis iterum compellerentur.

XI. l *epist. 5.* NOVARIENSES OB EXPVLSVM ARCHIEPISCOPVM FERIT ANATHEMATE.

Nouarienses *l* in Longobardia Episcopum suum expulerant; eo quod ille quasdam oppressiones Ecclesiæ factas, tolerare noluisset, sed animose illos eosdem refractarios anathemate perculisset. Committebat Innocentius Mediolanensi Archiepiscopo, & Suffraganeis ipsius, vt quolibet die festo, Nouarienses publice cum campanis & candelis denunciarent excommunicatos, nisi infra mensem ad corredirent. Ceteroquin omnibus Ecclesiasticis præcipiebat, vt è Ciuitate exirent, & Nouarienses sicut Erhnicos & publicanos suæ iniquitati relinquerent. Quod si neque hac ratione flecterentur, minabatur se Archiepiscopo Mediolanensi iniuncturum, vt vel à Nouariensi ciuitate Cathedram Episcopalem, transferat in alium locum idoneum, vel Diœcesim Nouariensem inter viciniores Episcopos diuidat, interim autem omnibus & singulis potestatem faciebat, omnia bona Nouariensium Mercatorum vbique detinendi, vsque ad congruam & integram satisfactionem.

XII. m *epist. 8.*

Pisanus *m* Archiepiscopus sibi ius transferendi Episcopos vsurpabat. Repressit audaciam eius Innocentius Papa, asserens translationes Episcoporum, ad ipsam Sedem Apostolicam pertinere: neque istud etiam ex Priuilegio Primatiæ diligenter inspecto eidem conuenire. *n* Aliquis autem ex ordine Cistercienſium ad Episcopatum assumptus, per id temporis obseruantiæ regularis oblitus, picturata sella, & chirotecis sericeis, vtebatur, amplo galero caput tegebat, & carnibus vsque ad saturitatem publice vescebatur. Reprehendebat illum Innocentius Papa, quod is religiosas consuetudines & obseruantias reiecisset: maxime cum & Pontificalis dignitas eum à voto non absoluerit, & ipse in recessu suo à Curia coram Cardinalibus sibi spopondisset, se numquam à ratione viuendi ex regula S. Benedicti præscripta recessurum.

n *epist. 9.* EPISCOPVS EX CISTERCIENSI ORDINE REPREHENDITVR QVOD RELIGIOSAM VITAM DIMISISSET.

XIII. o *epist. 25.* IN SICILIA VARIA ORDINAT.

In Sicilia *o* citra Pharum, inter Latinos & Græcos nonnullæ discordiæ natæ fuerant id temporis, tam acres vt alteri alteros auersarentur, neque Diuinis officiis Græci Latinis, Latini Græcis interesse sustinerent. Præcipiebat Innocentius Archiepiscopo Consano, vt cum auxilio suorum Prouincialium ordinaret atque componeret, quæ ex re facere agnoscerent, nulla ratione habita Prælatorum; cum apud Deum nulla sit distinctio Iudæi & Græci, sed in omni gente qui facit iustitiam placitum sit ei. *p* Commmittebat etiam Archiepiscopo Calaritano, vt in causa matrimo-

p *epist. 34.*

niali cuiusdam nobilis Calaritani cognosceret, & definiret. Et quia aliqui Teruisinorum tempore Cœlestini Papæ Bellunensem Episcopum interfecerant, & propterea parricidæ quidem fuerant anathemate damnati, ciuitas autem interdicto suppositâ; ideo *a* Innocentius Papa, ad eorum supplicationes, Ferrariensi Episcopo commisit, vt recepto iuramento, & satisfactione congrua exhibita, eosdem absolueret, & ciuitatem interdicto liberaret: si modo illi eamdem à fœce hæreseos expugnarent. Nam per id temporis dicebatur esse hæreticorum sentina. Sed neque Hebræorum perfidorum oblitus est Innocentius Papa: sed in rem illorum Constitutionem subsequentem sanxit. Ita habet.

a epist. 37.

b lib. 2. ep. 277. CONSTITVTIO INNOCENT. DE IVDÆIS NON OPPRIMENDIS.

Licet b *perfidia Iudæorum sit multipliciter improbanda; quia tamen per eos fides nostra veraciter comprobatur, non sunt à fidelibus grauiter opprimendi, dicente Propheta; ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ, ac si diceretur apertius; Ne deleueris omnino Iudæos; ne forte Christiani legis tuæ valeant obliuisci, quam ipsi non intelligentes in libris suis intelligentibus repræsentant. Sicut ergo Iudæis non debet esse licentia in Synagogis suis, vltra quam permissum est lege, præsumere; ita in his, quæ sunt illis concessa, nullum debent præiudicium sustinere. Nos ergo, licet in sua magis velint duritia perdurare, quam vaticinia Prophetarum, & legis arcana cognoscere, atque ad Christianæ fidei notitiam peruenire: quia tamen nostra postulant defensionis auxilium, ex Christiana pietatis mansuetudine, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ, Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis & Cœlestini Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostræ clypeum indulgemus. Statuimus enim, vt nullus Christianus inuitos, vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat: Sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam fuerit voluntas eius patefacta, sine qualibet efficiatur calumnia Christiani. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus, sed inuitus cognoscitur peruenire. Nullus etiam Christianus, sine Potestatis Terræ iudicio personas eorum nequiter ledere, vel res eorum violenter auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus in ea, in qua habitant regione habuerint consuetudines immutare. Præterea in festiuitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos vllatenus non perturbet: nec aliquis ab eis indebita seruitia exigere, vel extorquere contendat: nisi ea, quæ ipsi præteritis facere temporibus consueuerunt. Ad hoc malorum hominum prauitati & auaritiæ obuiantes, decernimus, vt nemo cœmeterium Iudæorum mutilare audeat, vel minuere, siue obtentu pecuniæ corpora effodere iam humata. Si quis autem decreti huius tenore cognito (quod absit) contraire tentauerit, neque præsumptionem suam condigna satisfactione correxerit, excommunicationis vltioni plectatur. Eos autem duntaxat huius protectionis præsidio volumus communiri, qui nihil machinari præsumpserint in subuersionem fidei Christianæ.*

c Genebrardus in Chron.

Forte ab hac Innocentii benignitate illectus *c* Samuel Iudæus abdicato Iudaismo, Christianam fidem amplexus est, & contra suos contribules Messiam expectantes multa subtiliter disputauit: ostendens ex arcanis Sacrarum Scripturarum Iudæos stulta spe torqueri ac frustra Messiam expectare, qui iam olim natus in medio templi atque terræ illorum salutem humani generis operatus, œconomia Redemptionis expleta, ad dexteram maiestatis Paternæ in cœlis consedit.

d Æmil. in Philippo. XIV. PACEM AVT INDVCIAS PER LEGATVM INTER GALLIÆ ET ANGLIÆ REGES FIERI VVLT.

In Galliis *d* & Britannia hoc anno, inter Philippum secundum Galliarum Regem, & inter Ioannem Anglum varia fortuna certatum. Ioannes Rex Angliæ, filium maioris fratris nomine Arcturum Regni Angliæ hæredem & Britanniæ Ducem, vt regno illius potiretur oppresserat: & immemor Sacramenti Francis dicti regnum pupilli inuaserat. Itaque pro hoste Francorum iudicatus, iure vrbium finiumque quos beneficii nomine à Francis acceperat priuatus, arma Philippi in se conuertit. Pictones, & Britanni inuentutem suam armarant, & Philippo adfuerant, odio Ioannis inflammati, & desiderio Arcturi. Odiis Gallorum armisque Philippi inferior Ioannes, fidem Innocentii Maximi Pontificis per oratores implorauit, atque tum fœdus, tum inducias pactas, tum iusiurandum à Franco Rege violari conquestus, se in possessionem Butauenti, Genselini, & Gorneiæ, quæ Philippus per id temporis rapuerat, restitui postulauit. Non defuit Innocentius officio. Quod enim ab eo Regum dissidio perspiceret maximum Christianis impedimentum esse, ne frequentiores in subsidium Terræ sanctæ Cruce signarentur, ad vtrumque vel conciliandum, vel inducias inter eos stabiliendas, Petrum Capuanum, tituli Sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & alios quosdam eidem adiunctos Legatos in Gallias misit, & in causa amborum Regum Episcopis Galliarum rescripsit in hæc verba:

e tit. 24. de iureiuran. c. 29.

e Si constiterit, quod prædictus Philippus iniuste bellum mouerit contra ipsum Ioannem, ipsum Philippum inducere studeatis, vt vniuersa huiusmodi per violentiam occupata, restituat conquerenti, eum à præstito sibi iuramento prorsus absoluentes. Quod si acquiescere noluerit, ipsum ad hoc (si præmissa veritate nitantur) cogatis per sententiam excommunicationis, terram eius interdicti sententiæ supponentes. Hactenus rescriptum. Legati itaque Innocentii Papæ, velut in rem præsentem cum venissent, vtrique Regi denunciauere, vt arma deponerent, pacemque templis darent, quæ pleraque belli malis partim euersa, partim ad inopiam redacta suis sacerdotibus alèdis non erant: Vter dicta aspernaretur, eius Regno sacris interdici. Anglus lætus impetio, se in authoritate Sacrosanctæ potestatis fore affirmabat. Francus certam sibi victoriam de manibus eripi indignum ratus, Pontificem Maximum appellauit. Interim Petrus Legatus nihil non egit, vt inducias quinquennales Regibus persuaderet, & populos ad obsequium Christi, & Terræ Sanctæ liberationem animaret.

XV. VOLATERRIS DVARVM VIRGINVM MARTYRVM CORPORA INVENTA.

Apud Volaterras ciuitatem Etruriæ, memorabilis est inuentio corporum Sanctarum Virginum & Martyrum Actiniæ & Græcinianæ, quæ eam vrbem sub Diocletiano & Maximiniano Impp. suo sanguine decorauerunt. In eum modum reperta fuisse hæc sacra pignora memorant: Dum Monachi Cœnobii S. Clementis corpus omni studio inquirerent, humumque altius in eius Basilica foderent, in hæc corpora Dei benignitate inciderunt, & insuper lapidem marmoreum templi parieti adfixum simul repererûr, in quo illarum Martyrum nomina perspicue legebantur. Temporis vero supplicii ac interficientium tam breuiter singulis apicibus erant adnotata, vt facile discerni non possent. Quumque per diuersa loca multorum ingenia super his scisitatum mitterent, nihil pro certo compertum habere potuerunt. Interea Dei prouidentia cuidam Volaterrano ciui secundum quietem res patefacta, vt circa reperti marmoris locum Septentrionem versus vestigarent: thesaurum ibi conditum esse. Suffosso pariete, locum in quo erant sitæ reliquiæ cum elogio plumbeo inuenerunt. Scriptum erat: Hæ duæ castissimæ fœminæ Actinia & Græciniana temporibus Diocletiani & Maximiniani sunt passæ. Aderat ibi forte quidam immundo spiritu correptus, qui diserte alteram securi percussam, alteram iaculo pro Christi nomine confixam fuisse testatus est. Istud Monachi non contemnentes, corporaque versantes, incisionis in Actinia, in altera vero transfixionis signa manifesta reperêrunt. Eius inuentionis celebritatem Volaterrani ad xvi. Calend. Iulias celebrare consueuerunt. *Ex annalibus Ecclesiæ Volaterr. Raphael in lect. officii.*

XVI. VITA ET OBITVS S. RAYMVNDI CONFESS.

Eodem anno 5. Calend. Aug. in cœlos abiit S. Raymundus Confessor Placentinus. Hic natus Placentiæ, in Christianis virtutibus educatus, in tota vita iis præluxit. Mortuo parente, multas peregrinationes religionis causa suscepit, primum enim Hierosolymam, deinde Compostellam, demum Romanam vrbem inuisit. Cum autem Hierosolymam redire cogitaret, Dei admonitione in patriam reuersus est. Vbi ieiuniis, orationibus, & pietatis officiis operam dedit, egenorum necessitatibus subueniens, peregrinosque hospitio excipiens, ita vt pater pauperum diceretur. Denique annum ætatis 60. agens, sacris mysteriis iuxta morem Ecclesiæ munitus in Domino obdormiuit, & in æde S. Mariæ duodecim Apostolorum, quę postea propter multitudinem miraculorum S. Raymundi mutato nomine nuncupari cœpit, sepultus est. Natalis dies illius, Placentiæ, & per totam eius diœcesim concessu Pauli V. Pontif. Max. celebratur. *Ex Offic. Eccles. Placentinæ.*

XVII.

Nobile hoc anno editum à Deo in Eucharistiæ mysterio miraculum, *Alexander Hallensis 4. parte Summæ Theologiæ, quæst. 11. membro 2. art. 4. §. 3.* hisce verbis describit. Religiosis quibusdam perentibus & instantibus, vt sub vtraque specie sumerent Sacramentum, Sacerdote quodam pio celebrante, cum faceret fractionem, concauum patinæ totum visum esse repleri sanguine: ad quod obstupuerunt ipse & circumstantes. Sed cum coniungere partes hostiæ, totum visum fuisse reintrare, & tum petitioni eorum, tum tentationi remedium datum fuisse.

XVIII. MIRACVLA EVSTACHII ABBATIS, ET SANCTITAS.

Eodem anno (quemadmodum refert *Rogerius Houedenius*) vnus ex Comitibus Beati Fulconis, Eustachius Abbas de Flay venit in Angliam, à partibus Normanniæ prædicare verbum Domini, fecitque mirabilia in vita sua. Inter quæ, vnum opus fecit, quod (verbis Houedenii rem narro) est mirabile in oculis nostris. Venit non longe à Canthuaria ad villam, quæ dicitur Vuy, & benedixit ibi fontem quendam, cui Dominus tantam gratiam infudit, quod cæci visum, claudi gressum, muti loquelam, surdi auditum, & quisque debilis, qui ex fonte benedicto biberat, sanitatem se recepisse gauisus est. Venit etiam quædam mulier ad Abbatem illum à dæmonibus arrepta, & vltra quam credi fas est crassa, quasi morbo hydropico inflata, & petiit ab eo sibi restitui sanitatem. Cui Abbas ille respondit; Confide filia, & vade ad natatoria fontis de Vuy, cui benedixit Dominus, & bibe ex eo, & recipies inde sanitatem. Et abiit, & bibit, & vomuit, & exierunt ab ea duo bufones magni & nigri, qui statim conuersi sunt in immensos & nigerrimos canes, & paulo post conuersi sunt in asinos. Mulier autem stabat attonita, & aliquanto cucurrit post illos furibunda, volens eos apprehendere, si posset. Sed quidam vir, qui deputatus erat ad fontem illum custodiendum, aspersit aquam de fonte illo sumptam, inter mulierem, & monstra illa: quæ statim abeuntia ascenderunt in altum, relinquentia post se fœda vestigia, & mulier quidem ab illa hora sana facta est, magnificans Deum, qui talem potestatem dedit hominibus. Præterea prædictus Abbas veniens ad Rumenel, vbi erat aquæ defectus, ad preces populi, in Ecclesia eiusdem villæ baculo suo petram percussit, & fluxerunt aquæ; quarum haustus languoribus diuersis medetur. Ipse etiam prædicatione sua corda multorum conuertit, ad vsurarum relaxationem, & ad Crucem Hierosolymitanæ profectionis capiendam. Londoniis autem, & in aliis locis multis per Angliam, prædicatione sua effecit, quod de cætero in diebus Dominicis, forum rerum venalium numquam exercere præsument. Statuit etiam Londoniis, & in quibusdam aliis locis, quod in singulis Ecclesiis, vbi facultas expetit, erit semper lampas ardens, vel aliud lumen indeficiens ante corpus Domini. Et impetrauit prædicatione sua, quod multi ex ciuibus, & ex aliis viris sapientibus, habent quotidie in mensa sua discum eleemosynarium, in quo condunt aliquam partem cibariorum suorum ad opus indigentium, qui sibi nihil præparauerunt. His igitur & aliis operibus misericordiæ inimicus humani generis inuidens, excitauit contra virtum Dei ministros iniquitatis, qui dixerunt ei; non licet tibi mittere falcem in alienam messem. Quibus ille respondit; Messis quidem multa est, operarii vero pauci. Itaque prædictis Abbas à ministris Satanæ increpatus, noluit diutius prælatos Angliæ sua prædicatione molestare, sed reuersus est in Normanniam, ad locum suum vnde venerat. *Rogerius Houedenius annal. parte 2. in Ioanne Rege.*

XIX. ACTA SYNODI VVESTMONASTERIENSIS.

Hoc ipso anno Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus Londiniis apud VVestmonasterium Generalem synodum celebrauit. Decreuit infra scripta.

1. *Presbyter in die bis non celebret.*

2. *Eucharistia ad ægrotum deferatur lucerna præcedente atque Cruce prælata.*

3. *De baptismate vel confirmatione si dubitetur, conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non scitur fuisse collatum.*

4. *Sacerdotes in pœnitentia diligenter circumstantias attendant, qualitatem scilicet personæ, & quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam, deuotionem animi pœnitentis; & vt pœnitentia talis iniungatur vxori, vnde non reddatur marito suo suspecta de aliquo occulto, & enormi peccato. Idem de marito obseruetur.*

5. *Nullus Sacerdos post lapsum, antequam confiteatur, ad altare præsumat accedere celebraturus.*

6. *Prælati visitantes Ecclesias non immoderate se habeant, neque quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærant; neque suos subditos tallis aut exactionibus grauare præsumant.*

7. *Nullus ordinetur, sine certo titulo alicuius certæ Ecclesiæ.*

8. *Excommunicatio non proferatur, nisi canonica monitione præcedente.*

9. *Nihil exigatur pro Sacramentis administrandis.*

10. *Decima non minuatur occasione mercedis seruientium, vel messorum.*

11. *Clerici in sacris ordinibus constituti focacias non habeant.*

12. *Aliquo canonico illigati impedimento, ne matrimonium contrahant.*

13. *Publica fama diffamatis, canonica purgatio indicatur.*

14. *Leprosi cœmeterium proprium habeant, & capellam.*

15. *Nullus sine Episcopali authoritate, Ecclesiastica beneficia de manu laica recipiat.*

16. *Monachi Regularibus disciplinis instruantur.*

Hæc & alia plurima sancita, recitabat *Houedenius in annal. p. 2. in Ioannie.*

XX. HISTORIA VITÆ ET OBITVS HVGONIS CARTHVSIANI ET LINCOLNIENSIS EPISCOPI.

Ipso eodem anno 1200. xv. Calend. Decemb. obiit S. Hugo Lincolniensis Episcopus, postquam eamdem Ecclesiam totis quatuordecim annis administrasset. Eius memoriam ex martyrologio Romano, Catholica Ecclesia commemorat istis verbis: *in Britannia Sancti Hugonis Episcopi, qui ex monacho Carthusiano, ad Ecclesiam Lincolniensem regendam vocatus, multis claruit miraculis, & sancto fine quieuit.* Placet referre, quæ de Hugone, *Petrus Dorlandus Diestensis, lib. 3. Chronic. Carthusiens. reliquit.*

Hugo ex ditissima & illustri prosapia originem traheus, parentes habuit Deo & hominibus charissimos. Cum vix primam ageret ætatem, matrem amisit, & nonnisi octennis, collegium Fratrum Regularium, quod iuxta Gratianopolim situm est, vna cum genitore ingressus est. Fuit nouellus CHRISTI tyro peramanter susceptus, & seni cuidam religione & eruditione celebertimo traditus; cuius industria, ad tantam virtutum omnium perfectionem venit, vt pater, eius potissimum exemplo permotus, relicta dignitate terrena, in eamdem spiritualis militiæ societatem conscesserit. Coæuis pueris, vt mos est, trocho vel pila ludentibus, illi hæc leniter paternæ dulcedinis Senior hortamenta instillabat: *Non te, inquit, dulcissime fili, stulta alliciat lenitas sociorum. Sorti tuæ istorum studia non congruunt Ego te, mi Hugo Christo nutrio, iocarium est tuum.* Ab hac senioris institutione erat Hugo in humilitate submissus, fide deuotus, spe robustus, charitate feruidus. In paupertate opulentus, in opulentia temperatus, in aduersis intrepidus, in castitate solicitus, in oratione assiduus, in meditatione sedulus, in contemplatione suspensus, in fratrum necessitatibus obsequentissimus. In infirmorum, senum ac pauperum obsequiis, adeo vehementer delectabatur, vt suauiora ea duceret, super mel & fauum. Cum autem nonum decimum ætatis attigisset annum cunctis tunc virtutibus egregie ornatus, sacro Leuitarum ordine initiatus est. In hoc gradu cum admirandis virtutibus eniteret, statim Parochiæ cuiusdam administratio ei concredita fuit, cui sane cum summa pietatis & prudentiæ opinione præfuisse memoratur. Erat tunc vnus ex subditis, homo lubricus & immundus, qui adulterii crimen non est veritus incurrere, & diutius in eo permanere. Quod vbi Hugo Sanctus agnouit, hominem primum occulte, de hinc admotis testibus increpauit. Sed ille nihil motus, crimen inficiari, Pastorique conuiciari non erubuit. Tum bonus medicus zelo animatus, incorrigibilem pietate, austera statuit animaduersione curare. Hunc igitur palam in Ecclesia die solemni coarguit, immanitatem flagitii populo Diuinis intento denuntians. Dico tibi, inquit, ô homo, & firmiter asseuero, nisi occyus resipueris, tradam te Satanæ castigandum, vt noueris, cui hactenus Domino deseruisti. His ille perterritus vehementer, sciens illum facere posse quod minabatur, confusus, in medium prosiliit, & peccatum suum cum gemitu & lachrymis renuntians, pœnitentiam egit, & veniam correptus ac reconciliatus accepit.

Post hæc contigit, vt quadam vice deuotionis gratia, cum Priore suo Carthusiam visitaret, vbi statim tantum di-

uinlamoris in suo pectore concepit flammam, vt eam nulla ratione cohibere posset, quin vniuersos postularet, vt in societatem illorum admitti mereretur. In nouam militiam ascriptus, nouasque inimicorum tentationes expertus, de omnibus tamen triumphauit. Carnis præcipue infestas tentationes, licet virgineæ esset puritatis, die noctuque patiebatur innumeras; quas quidem magnis abstinentiis & crebris orationibus ita refrenauit, vt tandem Domino largiente, ab iis prorsus extarer immunis. Feruebat interim in eo studium paupertatis, superfluitatis odium, ambitus æternorum, communis vtilitatis desiderium, cordis contritio, sui ipsius abiectio, orandi meditandique ardor. Hæc dum ageret, contigit tempore illo, quo sacri ordines solent conferri, vt Sanctus Parer Basilius Prior, quasi Hugonem tentans, illi diceret. Ecce fili, iam interest, an velis Sacerdos fieri. Ille vero cum in amore Christi vehementer arderet, cupereteque dulce eius contubernium in Altari, ita respondit; Quantum in me est Pater, nihil magis appeto in hac vita. Tum senior ad eum; O, inquit, quid est, quid est quod dicere præsumpsisti? Legistine illud; *Ad Sacerdotium, qui non accedit inuitus, accedit indignus*? Ad eam vocem perterritus Hugo, ad pedes obiurgantis se prostrauit, & veniam flens precabatur. Ea humilitate motus senex, Hugonem erexit, eique non sacerdotium modo, verum & Episcopatum, mente diuinitus mota prædixit.

Ad sacerdotium autem promotus, noua atque insolita deuotione perfusus, attentissime tanti persoluit debitum officii: corpus sæuioribus multo subdens disciplinis, vigiliis, seiuniis, flagellis, cilicio, potu aquæ cum pane arido, carnis mundique blanditias egregie repellebat. Sacro Quadragesimæ tempore, ter qualibet hebdomada, solo pane & aqua contentus, in vltima sabbathum insuper addebat. Procurandi Conuentus munere suscepto, illud tam vigilanter executus est, vt fama eius etiam vltra fines prouinciæ illius excresceret, & Henricum Angliæ Regem eo nomine secundum, magno illius amore inflammaret, ita vt is hominem accersieri, & pro instauratione cœnobii multam pecuniam ei contulerit, sed non sine ingenti mercede.

Accidit enim quodam tempore, cum per mare Henricus nauigaret, tempestatibus sæuissimis iactatum, naufragium sustinere. Vbi in se reuersus, cum Hugonis memor, *O Deus*, orasset, *propter merita huius famuli tui fidelis, ocyus mihi, & meo populo periclitanti succurre*; statim ventorum rabies, & pelagi furor conquieuit. Anteque Carthusiæ Viethensi præficerent, eamque dignitatem susciperet, tanta rursus carnis infestatio eum inuasit, vt similem nec antea, nec postea vmquam expertus fuisset. Ab hac autem post multas orationes, tandem per sanctæ memoriæ Basilium, qui paulo ante obierat, atque in visione illi apparuerat, liber euasit. Cœnobio illi, quamquam inuitus, Prælatus magna virtutis opinione apud omnes fuit. Quamobrem quamplures ad eum confluentes, Sacri ordinis iugo colla submittebant; quos ille & pabulo verbi Dei, & multo magis vitæ exemplo ad omnem sanctitatis perfectionem perducebat. Ante omnia strenuam sactis codicibus operam nauabat; quos religiosis quibusuis necessarios, & maxime vitam ducentibus solitariam, dicere solebat. His enim pro deliciis & diuitiis tempore tranquillo, his in bellico procinctu pro telis & armis, his in fame pro alimonia, his in languore pro medela monachis vtendum esse memorabat.

Ad Episcopum Lincolniensem à canonicis electus, violentia quadam, vt eam dignitatem amplecteretur, à Rege & à Metropolitano adactus est.

Celebrato consecrationis festo, in ipsa nocte, cum post lectas Matutinas se orationi precibusque dedisset, audiuit è Cœlo Angelicam cõgratulationis vocem, his verbis Dominum collaudantem; *Egressus es Domine, in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*: Hugonem, Christum Dominum appellans, qui non solum exteriori madebat vnctionis oleo, sed & interna Spiritus Sancti pinguedine fuerat deliburus. Hoc & ipse, dum consecratus esset, iis; qui iuxta se stabant, testatus est, dicens: *Nihil ego tam miserabile duco, quam Episcopum, dum consecratur, exterius madere sacramentalis olei pinguedine, interius vero squalore arenti conscientia tabescere.*

Perid tempotis fertur tunc miri quiddam in Lincolniesi accidisse diœcesi. Nam eodem illo die, quo vir Sanctus Lincolniam intrauit, cygnus quidam non paulo maior cæteris, num quam antea ibi visus, ad castrũ quoddam aduolauit, & omnes alios, quos illic reperit plurimos, paucos intra dies occidit cygnos, vno tantum fœminei sexus, solatii magis quam prolis propagandæ causa, reseruato. Familiarem se nulli, nisi solo exhibebat Episcopo, de cuius manu statim micas accepit. Caput cum collo longo in eius manicam satis amplam, quasi in aquam immersit: die noctuque apud eum mansit, & fidelem per omnia corpori eius adhibuit custodiam. Abeunte vero Episcopo, mox auis Regia in stagnum recurrit. Aduentum etiam viri sancti triduo & quatriduo, ante prænunciare consuetuit; volando, clamitando, aliisque gestibus insolitis; adeo vt famuli, vel eo solum signo, de aduentu Episcopi fierent certiores. Vltimo tamen aduentu eius ante mortem, solito more non occurrit: imo per ministros ægre adducta, nullam lætitiæ aut familiaritatis significationem exhibere voluit; sed capite pendulo ægram se simulans, mœsta redibat.

Suscepto itaque Præsulatu, prima cura ei fuit, vt viros sapientia & scientia instructos, atque in timore Domini probatissimos, suo lateri adhiberet. Horum consilio & auxilio fretus, pastorale munus perquam strenue executus est. Videns autem forensium tyrannidem, qua summum ius in summam iniuriam conuertebant, contra eos primum certamen suscepit. Nam cum more solito, contra Ecclesiæ libertatem, in subditos ipsius debacchari cœpisserit, mox in primarium quemdam virum fulmen excommunicationis vibrauit. Attulit ea res magnam Regis animo indignationem; sed Antistes iustitiæ tenax nihil iram Regis veritus est. Vacabat eodem illo tempore in Lincolniensi Ecclesia Ecclesiasticum beneficium, quod Rex per nuncios vni ex seruis suis ab Episcopo postulabat. Sed vir Sanctus Diuino timori postponens humanum, postulatum reiecit: & Regios Legatos à se inanes remisit, dicens; Habet Dominus Rex, vade mercedem seruientibus sibi tribuat: nec decet summo Regi famulantes, iustis priuare prouentibus, vt inde Rex seruis suis prouideri poscat à nobis.

Pacis amator & conseruator in tantum fuit, vt bono pacis in hac vita nihil præferendum, nec seditionis & turbationis peste quidquam amplius fugiendum assereret. Itaque monebat indifferenter quoslibet Prælatos, vt vnitatis & concordiæ vinculum, cum suis subditis inuiolabiliter conseruarent. Si facerent, numquam interna securitatem pectoris perderent, quæ sempiternam hominibus tranquillitatem conciliat. In mensa vir Sanctus hilaris semper, &, quamquam non sine grauitate & modestia, iucundus fuit; Horrabaturque alios ad eandem animi lætitiam dicens: Læti simus secundum faciem Sanctorum. Si quãdo musici, aut alii mundana solatia adferentes quauis occasione interessent, tum vel maxime grauitati studebat: ne peregrina consolatio, animum eius ab æternorum contemplatione auocaret. Magna subditos benevolentia & humanitate prosequebatur; & peccatores tanta commiseratione, vt sanguinem pro eorum salute, si opus fuisset, profundere non dubitasset. Regi Richardo, qui Henrico in imperio successit, & maximas frequenter ei molestias exhibuit, pro subditorum incolumitate & Ecclesiastica libertate constanter semper restitit, eiusque iram implacabilem interdum mira dexteritate extinxit. Fuit vero non minus zelosus, contra quoslibet alios pauperum oppressores, Ecclesiasticæque libertatis violatores, quos indiscriminatim absque vlla personarum acceptione arguebat, admonebat; & si contumaces persisterent, etiam excommunicationis sententia feriebat. Excommunicati autem plerique illico terribiliter diuinitus puniebantur, Nonnulli subito non comparebant; alii à malo dæmone præfocati protinus expirabant. Inter micantes gladios, nudo capite sæpius stetit imperterritus, & nec ad momentum ab obiurgationibus cessauit, vbicunque res, pro iustitiæ defensione postulare videbatur. Tanta siquidem fiducia illi erat ergà Dominum, vt non parum se peccasse fateretur, si veluenter eas ob res formidasset, propter quas formidare, trepidare,

trepidare, & angi solet humana infirmitas. Singularem quoque à Domino gratiam acceperat iustum ab iniusto discernendi: ità vt peritissimi iureconsulti cum admiratione dicerent; num quam talem se virum reperisse in decidendis etiam difficilibus subtilissimisque causis: quamuis ille eiusmodi praxim nusquam didicerat. Vnde & grauiora totius prouinciæ negotia ei expedienda Summi Pontifices subinde delegarunt. In pauperes, & miserabiles personas, munificus erat & profusus. Inuitabat sæpenumero ad prandium leprosos pauperes tredecim; eosque optimis ferculis refectos, facto prandio ad cameram suam vocans, coram paucis arbitris pedes eorum suis manibus summa cum deuotione abluens, eosdem tergebat, & osculabatur; datisque insuper nummis, lætos & à se benedictos, ad propria remittebat. Quos autem præcæteris videbat ampliori lepra corrosos, putridosque, hos ille cum lachrymis amplexus, solabatur, & vt suas calamitates patienter ferrent, precabatur. *Vos estis*, inquit, *rosa paradisi; vos estis lapides pretiosi, quos in suo diademate CHRISTVS inseret in æternum.* Hæc dicens, ac si Christi Iesu vulnera contrectaret, putrida eorum membra, & tetrum fœtorem exhalantia, plorans & miserans confouebat. Erga Sacrosanctam Eucharistiam tanta fuit deuotione, vt crebro pius Dominus in forma speciosissimi pueruli, illi sacrificium offerenti visibiliter apparere dignatus est. Cum enim vno dierum, vt quotidie solebat, Missam Hugo celebraret, quidam è Clericis, quitum aderat, cui & cordis oculos Deus aperuerat, vidit inter castissimos Hugonis digitos, speciosum forma præ filiis hominum, in specie paruuli infantis, & suo Pontifici arridentis contineri. Erat vero idem puer permodicus; sed diuino quodam splendore atque candore, super solem longe serenissimus. Rursum autem, vbi hostiam sacram præsul super calicem leuasset, vt frangeret, sub eadem qua prius imagine, natum de virgine Iesum Dei filium felicibus oculis meruit contueri. Sepeliendi, præsertim pauperes, tanta illi sollicitudo, vt præ hoc officio omnia alia dimitteret, si quando occasio se offerret. Quamobrem aliquando à Richardo Rege, & alio tempore ab Henrico eius patre ad prandium inuitatur, non prius adesse vocatus voluit, quam curatores funeris consp exisset: Melius est, inquit, vt Rex terrenus absque nobis prandeat, quam mandatum æterni Regis nostra humilitas inexpletum relinquat.

MIRACVLA CIRCA VERITATEM SANCTISSIMÆ EVCHARISTIÆ.

Miracula quoque plurima patrauit. Infantem aliquem gutture tumentem, solo contactu atque benedictione, sanum matri reddidit. Aqua benedicta, & Euangelii Ioannis lectione Satanam à quodam energumeno fugauit: quod & in alio similiter, solo Crucis signo fecit. Duos cuiusdam matris filios, graui infirmitate oppressos, eodem signo Crucis persanauit. Vtroq; latere claudum quendam, in pedes erexit, tunc eum in oculis illius, cophinum cœmento plenum, in substructionem basilicæ Lincolniensis tulit. Incubum dæmonem, à quadam muliere; & ab altera phytonem occulta reuelantem profligauit. De eius fide in Deum, atque in Christi sacramenta, Sacerdos quidam referebat, istud quod sibi acciderat.

Cum essem, inquit, iuuenis ordinatus Sacerdos, insidiante Diabolo, in grauissimum crimen collapsus sum. Corde itaque & corpore pollutus, non sum veritus sine pœnitentia, vitifica tremendaque altaris sacramenta consecrare, contingere, ministrare. Et ecce die quadam, cum in altari hostiam, verbis ore Christi prolatis consecratem; cæpi mecum tacitus cogitare, & perfida mente reuoluere, an ego tanti criminis reus, etiam veraciter consecrassem. Credebam namque infelix & amens, Christum in altari non esse, nec candorem lucis æternæ, ad me tenebrosum descendere voluisse. His cogitationibus terris occupatus, veni ad id, vbi erat hostia tripartito partienda; quam vt per medium fregi, mox cruor liquidissimus effluere cœpit. De hinc pars vna in carnis speciem subito conuersa est; altera autem ita cruore maduit, vt primam partem, quæ caro videbatur, rubore sanguineo perfunderet. His visis, totus diriguì præ timore, & perdito mentis consilio, quicquid de ipsis sacramentis manibus tenebam, in sacrum mox calicem decidere permisi. Erat tunc videre ibi, quod & in præsenti tempore cernitur, cunctis sæculis stupendum mis miraculum, vinum scilicet in sanguinem, & panem in carnem media sui parte conuersum, tem pariter sacramenti, & formam significans, & significatum, sub gemina specie manifeste præferre. Ad hæc magnalia videnda accurrunt vndiq; homines, qui procul, & qui circum nos habitant. Cumq; Hugo Episcopus moneretur, vt hæc veniens dignaretur aspicere, omnino cõtempsit, neque ire acquieuit, dicens: *Quid ad nos ista pertinent? Habeat ipse Sacerdos secum, in nomine Domini, signa infidelitatis suæ. Non miramur particulares imagines huius diuini muneris, qui totum integrumque hoc cœleste sacrificium, quotidie intuemur fidelissimo aspectu mentis. Quid necesse est igitur, illius sacramenti exiguas portiunculas attingere visu corporis, qui totum internis fidei obtutibus, luce clarius intuemur?* Hæc dicens, curo siratem suorum redarguit, & in fidei soliditate roborauit dicens: *Multo certiora sunt, quæ fides sancta præscribit, quam ea quæ lux ista visibilis ostendit.*

Quod reliquum est, Hugo Episcopus, preces Canonicas statuto tempore persoluebat, etiam in itinere constitutus, nec induci poterat, vt illud aut præueniret, aut differret. Sed enim in magnis tractatibus, sicut quidam ad consultandum siue deliberandum egredi solent: sic ipse immortali Regi debitum laudis oblaturus, simulatque veniret hora, mox exire solebat. Nihil siquidem diuino officio anteponendum Carthusiano more vir fidelis dedicerat. Post longa tandem huius vitæ certamina, acri febre correptus, postquam sacramenta Ecclesiæ recepisset, inter continua orationis verba Beatum Deo spiritum reddidit. Cum Lincolniam sex dierum spatio distantem deferretur, licet ventorum impetus assurgeret, & pluuiarum, cerei tamen quatuor qui circa feretrum semper ardebant, nulla cœli inclementia potuerant extingui. Lincolniam delato funeri, Anglorum & Scotorum Reges, Archipræsules tres, Episcopi XIV. cum innumerabili Comitum, Baronum, nobilium & populi multitudine occurrerunt: Reges porrò feretrum, humeris suis detulerunt. Cum autem circa eum exequiæ defunctorum agerentur, (*quemadmodum Rogerius Houedenius referebat*) quædam mulier, quæ per septem annos ex vno oculo cæca fuerat, visum recepit. Et ibidem quidam bursarum incisor scidit bursam cuiusdam mulieris, & statim factæ sunt ambæ manus eius contractæ, & ipse stans immobilis clamabat, dicens:

Pœnitet, ô, si quid miserorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Qui cum me pœna dignum grauiore fuisse
Confiteor, possum vix grauiora pati.
Et quamuis meritis pœna hæc sit debita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.
Spes facit, vt viuat fossor quoq; compede vinctus
Liberaque à ferro cura futura putet.
Spes facit, vt, videat cum terras vndiq; nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit:
Nes spes huic, vena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clausi spectare salutem;
Atq; aliquis pendens in Cruce vota facit.
En spes, quam multos laqueo sua colla ligantes
Non est proposita passa perire nece!
Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.

Et ad se conuersus, ait:

Lingua, sile, non est vltra narrabile quicquam.

Conuersus autem ad Clerum, dicebat: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos, amici Dei, & orate pro me ad Dominum, vt ipse pro sua ineffabili misericordia, misereatur mei. Ego enim abrenuncio Sathanæ, & operibus eius. Et statim facta oratione pro ipso ad Dominum, soluta sunt vincula Sathanæ, quibus constrictæ erant manus eius, & sanus factus est homo ille ab ea hora, laudans & glorificans Deum.

Aliquis etiam miles, brachium à cancro exulceratum habens, cum illud ori iacentis Hugonis applicuisset, sanum recepit. Mortuum cuiusdam mulieris infantem; Hugo mortuus vitæ restituit. Paralyticum à quatuor annis vsu membrorum destitutum, ei apparens, persanauit. Ma-

num aridam cuiusdam mulieris, quæ die Dominico, lotos in Sabbatho panniculos, ad solem expositos erat, eaque plaga diuinitus percussa fuerat, pristino vsui reddidit. Duas mulieres, & tres viros membris contractos, vsu eorum donauit. Quinque hydropicorum tumorem depulit: & alia quamplurima admiranda fecit. Infra quindecim dies post obitum magistro Rogero de Roleſtum Decano Lincolniensis Ecclesiæ, apparuit, dicens: Concessit mihi Dominus noster Iesus Christus sua gratia, quod vnus ex fratribus meis in proximo veniet ad me cum Domino regnaturus. Estote ergo parati, & vigilate, quia nescitis diem, neque horam, quando Dominus venturus est, & his dictis disparuit. Mane facto, prædictus Decanus narrauit visionem istam in suo capitulo omnibus fratribus; & erat illis omnibus mens vna desiderans desiderio magno à mole carnis resolui, & esse cum Christo. Sed hæc visio in vno solo fratre eorum, Roberto de Capella impleta est. Ipse enim statim incepit ægrotare, & infra triduum emisit spiritum, ad Deum migrauit.

Cæterum sacrum corpus Hugonis, cum magna celebritate, post missarum solennia, delatum est, in Ecclesiam nouam quam ipse in honorem B. Dei genitricis semper virginis Mariæ erexerat, atque iuxta altare S. Ioannis Baptistæ, ab Archiepiscopis & Episcopis reconditum; hoc addito epitaphio:

Pontificum baculus, monachorum norma, scholarum
Consultor, Regum malleus Hugo fuit.

Honorius III. Pont. Max. explorata hominis sanctitate, eum in sanctorum catalogo, post aliquot annos scripsit.

XXI. QVINQVE LVNÆ IN CÆLO VISÆ.

Eodem anno Domini 1200. mense Decembris, paulo ante natalem Domini, in prouincia Eboracensi, apparuerunt de nocte in cælo quinque Lunæ, circa primam vigiliam noctis. Prima apparuit in Aquilone, secunda in meridie, tertia in occidente, quarta in oriente, quinta in medio quatuor illarum, & habebat secum multas stellas, & illa cum stellis circumibat quinquies, vel sexies præfatas quatuor Lunas. Apparuit autem prædicta apparitio, multis videntibus, & admirantibus, quasi per spatium vnius horæ, & postea ab oculis intuentium euanuit. *Rogerius Houeden. annal. parte 2. in Ioanne Rege.*

IESV CHRISTI
Annus 1201.

INNOCENTII PAP. III. ALEXII COMNENI. Annus 4. Imper. 7.

I. PHILIPPVS AMBIT GRATIAM INNOC. PÓT. AT ILLE OTTONEM FOVET.

IN *a* Germania, Philippo & Ottone de Regno Romanorum certantibus, Principes nutrabant, atque variabant. Adolphus Archiepiscopus Colonensis ab Ottone defecerat, & ad eum rursus accesserat. Exemplum illius plerique alii secuti, varie inclinabant. Innocentius tamen Pontifex in sententia contra Philippum Suevum, pro Ottone perseuerabat. Non ignorabat hæc Philippus. Quamobrem vt Pontificem Innocentium in suas partes pertraheret, omnia ei abunde pollicebatur, *b* scribens se in votis habere Terram sanctam de manibus Paganorum liberare; Apostolicæ sedi & aliis Ecclesiis bona per se, vel per prædecessores suos ablata, restituere; ele[c]tiones Prælatorum libere celebrari permittere; Regnum orientale subiicere, eoque subacto Ecclesias Græcorum Latinis coniungere: atque in omnibus se velle iuuare, defendere, protegere & semper exaltare sanctam Romanam Ecclesiam, atque ideo vt inter ipsum & Innocentium Pontificem firmior amicitia foret, optare se asserebat, affinitatem cum ipso contrahere, & filiam suam alicui ex familia illius in matrimonium collocare. Poterant hæc omnia nonnullum timorem Ottoni incutere, ne Innocentius tam amplius pollicitationibus flecteretur. Cæterum tantum abest vt inclinarit, vt magis in Ottonem propensior extiterit. Nam legibus cum soluit, vt Brabantiæ Ducis filiam gradu propinquitatis sibi iunctam in matrimonium assumeret, eaque affinitateres suas vel augeret, vel confirmaret. *c* Consolatorias quoque ad eum scripsit, monuitque, ne de constantia sua quicquam dubitaret. Se etenim velle negotia eius Imperii ad finem optatum deducere, atque in protectione sanctæ sedis illum habere; si modo ille vt spopondit Romanam Ecclesiam veneraretur, neque sibi quoquo modo deesset; sed de successu rerum suarum illi in horas significare veller, & sociis ciuitatibus Longobardiæ statum suum insinuaret. In eandem rem, Regi Angliæ Treuerensi Archiepiscopo, & illis fere omnibus, quibus antea perscripserat, atque vniuersis Imperii & Germaniæ Ciuitatibus scripsit: absoluens omnes ab iuramento, si quod Regi Galliarum Philippo, in commodum Philippi Sueui iurassent, & admonens omnes ac singulos vt Ottoni adhærerent, & Philippum deserent: cui iuramentum datum fuerit irritum & inane.

c lib. 3. epist. 56. & seq. vsq; ad 64.

II. FAVTORES PHILIPPI REVOCAT, ET NI OTTONI ADHÆRENT PVNIRI VVLT.

Vehementius quàm par fuerat Philippus Rex Galliæ, & aliqui Principum Germaniæ factum Prænestini Episcopi eleuabant & Philippo Sueno regnum iniuste ereptum criminabantur. *d* Rescripsit Innocentius Philippo Regi Gallo; Sedem Apostolicam non temere, neciniquè, sed propter rationes grauissimas & æquissimas Regnum Philippo abrogasse, & Ottoni detulisse. Proindeque admonuit, vt ipse libenti animo ordinationibus Apostolicis obsecundaretur, neque pacem Imperii perturbaret. Habuit etiam *e* Innocentius Archiepiscoporum Magdeburgensis & Treuerensis, necnon Episcoporum Patauiensis & Spirensis pertinaciam frangere, qui peruicacius Philippum sequuti, in Ottonem inuehebantur, omniaque permiscebant. Itaque Saltzburgensi Archiepiscopo committebat, vt si illi contemnerent Apostolicis mandatis obedire, eos ab officio & dignitate sacerdotali suspenderet, vel etiam deponeret. Archiepiscopo quoque Colonensi præcipiebat, vt bona Treuerensis Archiepiscopi, quæ in Colonensi Diœcesi possidebat, ipse acciperet, & tamdiu Archiepiscopum pertinacem vsu eorum priuaret, quamdiu ille Philippo diris deuoto adhæreret. Cæterum quia Tarantasiensis Episcopus præsumpserat in præiudicium Colonensis Archiepiscopi Philippum Sueuiæ Ducem inungere, consecrare, regio diademate inaugurare, & Regem Romanorum renunciare: ideo mandabat ei Innocentius, vt Romam se conferret, & causam in præmissis, atque aliis sibi obiectis diceret.

d epist. 63. e epist. 69. & seq. vsq; ad 77.

III.

Principes etiam Alemaniæ monebat, vt pacem, quam treguam vocabant, inter se componerent, certisque pactis inter se conuenirent, ne ab Ottone deficerent, sed pro illo contra quoslibet hostes insurgerent. Idautem tanto libentius susciperent, quanto arctius obligatum esse Ecclesiæ perspicerent, à sacramento, quod satis efficacibus verbis concepit, & in præsentia Philippi Notarii, Ægidii Acolythi, & Richardi scriptoris Innocentii Papæ dixit, promittens Priuilegia & iura Apostolicæ sedis conseruare, & Dominia defendere: possessiones Romanæ Ecclesiæ proprias à Radicofano vsque Ceperanum, Exarchatum Rauennæ Pentapolim, Marchiam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitissæ Mathildis, Comitatum Bretenorii cum aliis adiacentibus locis & terris ex integro Ecclesiæ permittere; eandemq; Ecclesiam Romanam ad retinendam, ac defendendum Regnum Siciliæ adiuuare. Datum Nussiæ Colonensis Diœcesis anno Domini M. CC. I. sexto Idus Iunii. Porro forma iuramenti hæc est, quæ sequitur.

IV. IVRAMENTVM OTTONIS SEDI APOSTOLICÆ FACTVM.

Ego Otto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, Tibi Domino meo Innocentio Papæ, Fuiq; successoribus & Ecclesiæ Romanæ spondeo, polliceor, promitto & iuro, quod omnes possessiones, honores & iura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & seruabo. Possessiones autem, quæ Ecclesia Romana recuperauit, liberas & quietas tibi dimittam; & ipsam ad eas retinendas, bona fide iuuabo. Quas autem nondum recuperauit, adiutor ero ad recuperandum: & recuperatarum, secundum posse meum ero sine fraude defensor, & quæcumque ad manus meas deuenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est à Radicofano vsque Ceperanum, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Bretenorii cum aliis adiacentibus terris, expressis in multis Priuilegiis Imperatorum à tempore Ludouici. Has omnes proposse meo restituam, & quiete dimittam, cum omni iurisdictione, & districtu,

districtu, & honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocatus accessero de mandato summi Pontificis, recipiam procurationes ab illis. Adiutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ, & successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam deuoti & Catholici Imperatores constituerunt sedi Apostolicæ exhibere. Stabo etiam ad consilium & arbitrium tuum de bono consuetudinibus populo Romano seruandis & exhibendis: & de negotio societatis Tusciæ ac Lombardiæ. Similiter etiam consilio tuo & mandato parebo, de pace & concordia fienda inter me & Philippum Regem Francorum. Et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subueniam ei sicut necessitas postulauerit in expensis. Omnia vero prædicta tam iuramento quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Ad eum modum Otto iurauit.

V. *a lib. 2. epist. 42.* TEMPLARII CONTRA DECANVM AGENTES AB INNOC. MANVTENENTVR. *b epist. 43.* *c epist. 53.*

Per id temporis *a* Templarii Parisienses, contra Decanum S. Quintini, ex occasione cuiusdam Præbendæ, coram Senonensi Archiepiscopo agebant. Habuit Innocentius sententiam Archiepiscopi in fauorem militum latam confirmare, eosque in possessione Præbendæ esse iubere, dato rescripto 2. Calendar. Februar. *b* Postridie autem, Oddani Subdiacono, & Albertino Cameræ Notario Procuratoribus sedis Apostolicæ commisit, negotium inter Firmanos, & homines montis Rubiani atque sancti Elpidii. Datis literis ipso die Calendar. Februar. *c* Eodem die Priorem & Canonicos regulares Ecclesiæ S. Mariæ de Chirberi sub protectionem S. Petri recepit, eorumque iura & bona omnia confirmauit. Paulo ante, *d* septimo Calendar. Febr. Aronachano Archiepiscopo, & Cluanfordensi, atque Dunrensi Episcopi, negotium consecrationis Arifferdensis Episcopi commiserat, cui Canelensi. Archiepiscopus eius Metropolitanus eam dignitatem conferre malitiose distulerat. Neque negotium Terræ sanctæ oblitus est. Sed ipsis *e* Nonis Februarii. Abbatibus fere omnibus in Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Normandia, Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Flandria, & reliquis Regnis ac Prouinciis, pecuniaria subsidia indixit.

d epist. 40. *e epist. 44.*

VI. MOGVNTINI CANON. SIFFRIDVM CONTRA LVTPOLDVM ELIGVNT. *f Vrspergen. in Chron.*

Moguntiæ *f* in Germania, Conradus Episcopus per id temporis ex oriente reuersus, diem vltimum obiera[t]. Huic vt successorem daret Philippus Moguntiam accessit, & partim pollicitationibus, partim terroribus Canonicos suffragatores induxit, vt Lutpoldum Vormatiensem tunc Episcopum postularent, & suæ Metropoli præficerent. Tres ex eis Canonici, nihil potentiam Philippi metuentes, eam electionem per vim factam reprobarunt, & adiudicium Apostolicæ sedis prouocantes, Bingæ interim conuenerunt, atque Sifridum in Archiepiscopum elegerunt, totumque negotium quemadmodum acciderat Innocentio perscripserunt. Eius causæ cognitionem Innocentius postea Prænestio Episcopo sedis Apostolicæ Legato cõmisit. Cæterum Philippus, cum ex repudiatione VVormatiensis Episcopi videret partes suas imminui, ex Sifridi autem assumptione, Ottonis potentiam posse augeri, nulla ratione administrationem Archiepiscopatus eidem permittere voluit; Brunonem autem Colonien[s]em Archiepiscopum in vincula coniecit; quem per ea tempora Adolpho Innocentius suffecerat; cum primum Adolphum, eo quod Philippo regium diadema ritu solemni imposuisset, dignitate & sacerdotio exuisset.

VII.

Hoc anno in Anglia, sanctus Vlstanus, & sancta Moduenna crebris miraculis claruerunt. *VVestmonasteriens. in Flor. histor.* Innocentius autem Papa, cum ab ordine Cisterciensium pecuniam ad iter Crucesignatorum contra eorum priuilegia exigeret, à Beata Maria eiusdem ordinis Aduocata nimis acriter correptus ab hac quieuit exactione. *Idem in flor. hist.*

VIII. *g Polyd. lib. 15. rerum Anglic.* OMNEM LITTERA-

Hoc ipso anno in Anglia Simon cognomento Thurnacus Theologus, nimis alte sapiens, sibique præfracte fidens, repente memoria caruit: ita vt neque nominis sui, neque primorum elementorum recordaretur.

Mirum mirandum istud quomodo acciderit, Nicolaus Episcopus Dunelmensis Matthæo Parisio enarrauit. Viuebat id temporis Simon quidam cognomento Thurnacus gente Anglus, patria Cornubiensis. Hic cum sacras literas publice cum ingenti sua laude apud Lutetiam Parisiorum prælegeret, cumque incidisset in quasdam difficillimas & impeditissimas (propter rerum abstrusarum, omnemque captum humanum superantium magnitudinem) de sacra Triade quæstiones, eas ille difficultates, tam Catholice, quam aperte, & luculenter expediuit, vt maximam omnibus auditoribus admirationem excitarit, è quibus cum illi quidam coniunctissimi immensas in eum laudes congererent, & hortarentur, vt illa illius disceptatio literis ad perpetuam æternitatem commendaretur, ille tantis Dei beneficiis ingratus Christianæque omnis modestiæ oblitus, insolenti quodam fastu abreptus, tam arroganti iactatione se venditauit, vt pigeat, nisi ad posteritatis cautionem, referre. *O Iesule, Iesule,* inquit, *quantum ego tua legi addidi; cui ego si me semel opponere vellem, facile magis masculæ & Herculæ argumenta in medium proferre possem, quibus illam omnem prorsus labefactarem & euerterem.*

Quæris exitum tam insolentis & impiæ venditationis? Mox certe tam procax lingua muta prorsus facta est, omnisque illi literarum omnium memoria diuinitus erepta, adeo vt cum illi linguæ vsus vtcumque postea redderetur, nec orationem Dominicam pronunciare, nec prima literarum elementa legere valuerit, quæ post biennio à puero quodam discere coactus est, quem præeuntem magna cum difficultate balbutiendo sequebatur. *Ms. S. Vatic.*

IX. RVM VSVM ET SCIENTIAM THEOLOGVS ARROGANS PERDIDIT.

Hoc anno, dignas scelerum suorum pœnas tulit. Banarus ex Monacho Strachouiensi, Olomucensis Episcopus. Fuit vir gulæ & ventri totus deditus, seditionibus & turbis plus quam quieti intentus, helluo, prodigus, & luxuriæ sordibus inquinatus. Cumque in monasterio quodam sacris operaretur, & intra Canonem primam supra calicem benedictionem extenderet, apoplexia correptus concidit, omnique membrorum destitutus officio, infelicem animam exhalauit. Calend. Octob. Anno Domini 1201. *Catal. Episcop. Olomucensium.*

X. ANGELVS SATHANÆ TRANSFIGVRAT SE IN ANGELVM LVCIS.

Eadem tempestate in VVestphalia viuebat quædam inclusa, Gertrudis nomine, fœmina sancta & religiosa, & propter reuelationes Dei, quibus illustrabatur, notissima. Hæc multo tempore, quia minus circumspecta fuit, pro Angelo lucis, Angelum tenebrarum suscepit. Solebat enim Diabolus fantastica circumfusus claritate, per quandam cellulæ fenestram ad illam intrare, futura prædicere, & de interrogatis instruere. Ad eam si aliquis venisset, volens cognoscere statum alicuius amici sui defuncti, siue alicuius alterius rei certitudinem, illa inducias vsque in crastinum diem petebat, Angelum suum consulebat, à quo sæpius decepta, falsa pro veris respondebat. Istud cum comperisse Fr. Hermannus inclusus Arnisbergensis, dæmonum nequitias non ignorans, Gertrudi mandauit hunc in modum. Cauta esto soror; quia sæpe Angelus Sathanæ, in Angelum lucis se transfigurans, multos seduxit, & viris sanctissimis nonnunquam illusit.

Sic ergo facias. Crucem è cera benedicta, fenestræ per quam intrare consueuit imprime; & si intrans, illam non vitauerit, Angelus Domini est: sin autem, Angelus tenebrarum. Quod cum illa fecisset, & Diabolus nocturno tempore cum solito fulgore venisset ad fenestram & lumine immisso non intraret: ait fœmina: Quare non intras? Respondente illo: Non possum intrare, nisi ceram de fenestra proiicias. Illa diu se deceptam intelligens, contra eum spuit, & in contumelias erupit, & ne de cætero ad se accedere præsumeret, sub inuocatione sanctissimæ, Trinitatis, illum adiurauit: sicque ea ratione dæmonem à se effugauit. *Cæsarius lib. 5.*

XI. DE DIEI DOMINICÆ OBSERVATIONE EPIST.

CHRISTI ET MIRACVLA.

mis rem narrabo, ne aliquis me somnia somniare existimet. Ista habet, in Ioanne.

Eodem anno Eustachius Abbas de Flay rediit in Angliam, & prædicans in ea verbum Domini de ciuitate in ciuitatem, & de loco in locum, prohibuit, ne quis forum rerum venalium in diebus Dominicis exerceat. Dicebat enim, quod hoc mandatum subscriptum de obseruatione diei Dominicæ, venit de cœlo.

De obseruatione diei Dominicæ.

Mandatum sanctum Dominicæ diei, quod de cœlo venit in Ierusalem, & inuentum est super altare sancti Simeonis, quod est in Golgotha, vbi Christus crucifixus est pro peccatis mundi. Et mandauit Dominus hanc Epistolam, quæ apprehensa est super altare sancti Simeonis, quam per tres dies & tres noctes, homines aspicientes, corruerunt in terram, regantes misericordiam Dei. Et post horam tertiam erexit se Patriarcha, & Azarias Episcopus, & expanderunt insulam, & sanctam acceperunt Epistolam Dei, quam cum accepissent, inuenerunt superscriptum illud.

Ego Dominus, qui præcepi vobis, vt obseruaretis diem sanctum Dominicum, & non custodistis eum, & de peccatis vestris non pœnituistis, sicut dixi per Euangelium meum. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Feci autem prædicare vobis pœnitentiam vitæ, & non credidistis; & misi super vos paganos, qui effuderunt sanguinem vestrum in terra, nec tamen credidistis; & quia sanctum diem Dominicum non custodistis, per paucos dies habuistis famem; sed cito vobis saturitatem, & postea peiora fecistis. Volo iterum, vt nemo ab hora nona Sabbathi, vsque ad solem surgentem diei Lunæ aliquid operetur, nisi quod bonum sit. Quod si quis fecerit, cum pœnitentia emendet. Et si huic mandato non obedieritis, amen dico vobis, & iuro vobis per sedem meam, & thronum meum, & Cherubim qui custodiunt sanctam sedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam Epistolam, sed aperiam cœlos; & pro pluuia, pluam super vos lapides, & ligna, & aquam calidam per noctes, vt nemo præcauere possit, quin destruam omnes malos homines. Hoc dico vobis; Morte morieminini propter diem Dominicum sanctum, & alias festiuitates sanctorum meorum, quas non custodistis. Mittam vobis bestias habentes capita leonum, capillos mulierum, caudas camelorum: & ita erunt famelicæ, quod carnes vestras deuorabunt: & vos desiderabitis fugere ad sepulchrum mortuorum, & abscondere vos propter metum bestiarum; & tollam lumen solis ab oculis vestris, & mittam super vos tenebras, vt occidatis vos inuicem non videntes; & auferam à vobis faciem meam, & non faciam vobiscum misericordiam. Incendam enim corpora vestra, & corda, & omnium illorum, qui non custodiunt diem sanctum Dominicum. Audite vocem meam, ne pereatis in terra propter diem Dominicum sanctum. Recedite à malo, & pœnitentiam agite de malis vestris. Quod si non feceritis, quasi Sodoma & Gomorrha peribitis. Nunc scitote, quod saluiestis per orationes sanctissimæ Genitricis meæ Mariæ, & sanctorum Angelorum meorum, qui orant pro vobis quotidie. Dedi vobis triticum & vinum abundanter, & inde non obedistis mihi. Nam viduæ & orphani clamant ad vos quotidie, quibus nullam facitis misericordiam. Pagani habent misericordiam: vos autem non habetis. Arbores, quæ fructificat, siccari faciam pro peccatis vestris: fontes & flumina non dabunt aquam. Dedi vobis legem in monte Sinai, quam non custodistis. Dedi per me legem quam non obseruastis. Pro vobis natus fui in mundo, & festiuitatem meam nescinistis. Praui homines! diem Dominicum Resurrectionis meæ non custodistis. Iuro vobis per dexteram meam, nisi Dominicum diem, & festiuitates sanctorum meorum custodieritis, mittam vobis Paganas gentes, vt occidant vos. Tollitis etiam res alterius, & de hoc nullam considerationem habetis. Propter hoc mittam super vos bestias peiores, quæ deuorent mulierum vestrarum mamillas. Maledicam illis, qui in die Dominica aliquid mali fecerint operati. Maledicam illis, qui iniuste agunt versus fratres suos. Maledicam illis, qui male pauperes, & orphanos iudicant, quos terra portat. Me autem derelinquitis, & principem huius seculi sequimini? Audite vocem meam, & habebitis misericordiam bonam. Vos autem non cessatis ab operibus malis, nec ab operibus Diaboli; quia facitis periuria & adulteria. Ideo circumdabunt vos gentes, & deuorabunt vt bestiæ.

Peruenit igitur Abbas Eustachius de Flay Eboracum, & à Gaufrido Eboracensi Archiepiscopo, & Clero, & populo ciuitatis honorifice susceptus, prædicauit verbum Domini, & de transgressione diei Dominicæ, & aliarum festiuitatum dedit populo pœnitentiam, & absolutionem, sub tali conditione, quod ipsi de cætero debitam impenderent Dominicæ diei, & aliis sanctorum festiuitatibus reuerentiam, non faciendo in eis quicquam operis seruilis, nec in diebus Dominicis exercerent forum rerum venalium, sed bonis operibus, & orationibus deuote insisterent. Hæc seruanda constituit, ab hora nona Sabbathi, vsque ad ortum Solis in die Lunæ: Populus autem Deo deuotus, ad prædicationem illius vouit Deo, quod de cætero in diebus Dominicis, nec quicquam emerent, nec venderent, nisi forte cibum & potum prætereuntibus. Vouerunt etiam, quod de singulis quinque solidatis rerum, quascunque venderent, darent vnum quadrantem ad lumen Ecclesiæ emendum, & ad indigentium sepulturam. Et ad hoc colligendum, statuit prædictus Abbas in singulis parochialibus Ecclesiis fieri truncum concauum, sub custodia duorum vel trium hominum, vbi æs prænominatum populus iactaret. Statuit etiam præfatus Abbas, quod discus eleemosynarius haberetur quotidie in mensa diuitum; in quo partem ciborum suorum mitterent ad opus indigentium, qui sibi non præparauerunt. Prohibuit autem idem Abbas, ne quis in Ecclesiis, vel atriis earum venderet, vel emeret quicquam, aut placitaret. His ergo, & aliis sancti viri huius monitis inimicus humani generis inuidens, misit in cor Regis & Principum tenebrarum, quod ipsi præceperunt, vt omnes qui prædictas traditiones custodirent, & maxime omnes, qui in diebus Dominicis forum rerum venalium deiecerant, ad Regium examen satisfacturi de obseruantia diei Dominicæ ducerentur. Sed Dominus noster Iesus Christus, cui obediendum est magis quam hominibus, qui natiuitate & resurrectione sua, & aduentu suo, & missione Spiritus sancti in discipulos suos sibi hunc diem quem Dominicum vocamus, illustrauit, & celeberrimum dedicauit; virtutis suæ miracula suscitauit, & in quosdam diei Dominicæ transgressores sic manifestauit.

Quodam Sabbatho post nonam, quidam carpentarius in Beuerlaco, contra salubria vxoris suæ monita, clauum ligneum faciens, corruit in terram, paralysi percussus. Et quædam textrix, post horam nonam in Sabbatho, cum ad pertexendum partem telæ anxia insisteret, cadens in terram, percussa paralysi obmutuit. Et apud Nafferntu villam Magistri Rogeri Arundel, quidam homo fecit sibi panem subcinericium die Sabbathi post nonam, & inde comedit, & partem reseruauit sibi vsque mane: quem cum die Dominica fregisset, exiuit sanguis; & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et apud VValcefeld quodam Sabbatho, cum molendinarius post nonam operam daret, vt bladum suum moleret, subito exiuit loco farinæ tantus impetus sanguinis, quod vas suppositum pene impleretur sanguine, & rota molendini steterit immobilis contra vehementem impulsum aquæ: & qui viderunt, mirati sunt, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo. Item in Linconisiria paranerat quædam mulier pastam; quam deferens ad furnum post horam nonam Sabbathi, misit eam in furnum calidissimum; & cum eam extraheret, inuenit crudam; & iterum misit eam in furnum valde calidum; & in crastino, & in die Lunæ, cum æstimaret se inuenire panes coctos, inuenit pastam crudam.

Item in eadem Prouincia, cum quædam mulier pastam suam præparasset, volens eam ad furnum portare, dixit ei vir suus; Sabbathum est, & hora nona iam præterijt, dimitte vsque ad diem Lunæ. Mulier autem obediens viro suo fecit, sicut præceperat: & inuoluit pastam suam linteaminibus mundis; & in crastino cum visitaret pastam suam, ne propter fermentum impositum vas excederet, inuenit panes inde diuino nutu factos, & bene coctos sine igne materiali. Hæc est mutario dexteræ Excelsi. Et quamuis omnipotens Dominus, his & aliis potentiæ suæ miraculis populum ad obseruationem diei Dominicæ inuitaret; tamen Anglicanus populus plus timens Regiam & humanam potestatem, quam Diuinam; plusque timens illos qui corpus occidunt, & quod vltra faciant non habent,

bent, quam illum, qui postquam corpus occiderit, animam potest mittere in gehennam; & plus timens terrena amittere, quam cœlestia, & transitoria, quam æterna (proh dolor) vt canis ad vomitum, reuersus est ad forum rerum venalium exercendum in diebus.

AVGET POTENTIAM FRIDERICI CONTRA MARCOVALDVM.

IESV CHRISTI
Annus 1202.

INNOCENTII PAPÆ III. ALEXII COMNENI. Annus 5. Imper. 8.

I. TERRÆ SANCTÆ SVCCVRRI VVLT INNOC.

NVlla alia res Innocentium Pontificem magis premebat, quam Terræ sanctæ, à Sarracenis infestæ, liberatio. Quamobrem cum ex literis Crucesignatorum intellexisset, negotia Christianorum in maximum discrimen fuisse adducta, omnem lapidem mouit, vt auxilia submitteret. Rex Galliarum Philippus ea abunde collegerat: Principes quoque aliqui suæ pecuniam, siue commeatum, siue Crucesignatos dirigebant. Quorum vt securi aduentum expectarent, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, & vniuerso clero in transmarinis partibus constitutis significabat, *a* se cum exercitu Regis Gallorum & aliorum Principum in Palestinam & Siriam mittere Legatos, Goffredum tituli S. Praxedis, & Petrum tituli S. Marcelli presbyteros Cardinales: quibus plenariam potestatem faciendi, & indulgendi, concedebat. Rex Hungariæ Andreas aliquantum iter detrectabat, & per literas voti dispensationem postulabat. Monuit illum Innocentius missio rescripto, *b* vt voto satisfacere pergeret; & interim sedi Apostolicæ protectionem Regni permitteret; securus omnium suorum.

a lib. 5. epist. 26, 27.

b epist. 103.

II. ARCHIEP. MAGDEBVRGENSIS PER LEGATVM APOSTOLICVM EXCOMMVNICATVR ET RESTITVITVR.

In Germania rebus non vsquequaque quietis Innocentius pacem optabat, atque curabat. *c* Archiepiscopus Magdeburgensis ab Ioanne Prænestino Episcopo sedis Apostolicæ Legato anathemate percussus turbas ciebat. Committebat Innocentius Legato, vt cautione iuratoria, quam vocant, de parendo mandatis Ecclesiæ ab eodem pœnitente recepta eum absolueret, & sacris non tantum interesse, sed & sperati sineret. *d* Tullensis quoque Episcopus, non modica impedimenta pacis exhibebat. Ceterum cum præter hæc, aliis quoque criminibus obnoxius esset, Innocentius eidem Legato, & quibusdam S. Benedicti & Cisterciensibus Abbatibus potestatem concedebat, vt vocatis omnibus præsentibus, ad cognitionem criminum, per Archidiaconum Tullensem, contra Episcopum procederent, & veritate cognita, iura omnia pro parte vtraque deducta, ad sedem Apostolicam transmitterent. *e* Luitpoldus quoque VVormatiensis Episcopus, ad Moguntinam Ecclesiam in discordia à quibusdam postulatus, auctore Philippo Sueuiæ Duce mouebat. Scripsit Innocentius Canonicus Moguntinis, vt Luitpoldum admonerent, vt ad suam priorem Ecclesiam reuerteretur, neque in electione illegitima Ecclesiam Moguntinam vsurparet, quod si contemneret; illum dignitatibus omnibus & sacerdotio primum declarent, & omnibus diebus festiuis excommunicatum coram populis renunciarent. Istud ipsum Prænestino Cardinali Legato, Siffrido Moguntinensi electo, Episcopo Hildesemensi, & reliquis iniungebat; datisque literis, quæ postmodum inter decretales relatæ sunt, quarum initium: *f* Bonæ memoriæ Moguntino Archiepiscopo &c. electionem Luitpoldi irritabat. Forte propterea Herbipolensis Episcopus, Philippum Sueuiæ Ducem acerrimum persecutorem expertus est. Illi itaque & Ecclesiæ ipsius vt Siffridus electus Moguntinus fauorem auxiliumque præstaret, *g* Innocen. monebat & mandabat.

c epist. 14. & seq.

f cit. 6. de elect. c. 2.

g. epist. 133.

III. *h epist. 51.* INNOC. NOVA AFFINITATE

In Sicilia, non vsquequaque omnia pacata, Marcovvaldo res Ecclesiæ, Regni, & Friderici, pupilli pessumdante. Itaque Innocentius, vt Friderici potentiam noua affinitate augeret, *h* Regis Aragonum sororem in matrimonium ei collocari curauit. Interim vero VValterum Comitem de Brenna Regis Tancredi genetum cum exercitu in Siciliam misit, qui Fridericum auxilio à se de Apostolica postulantem à tyranni impressione liberaret, atque Regnum Ecclesiæ hereditarium vindicaret. In eam rem vniuersis Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis, *i* Baronibus, Ciuibus & omnibus aliis tum Magistratibus, tum populis, per Regnum Siciliæ constitutis scripsit, vt VValterio assisterent, & iura Regni Siciliæ, pro Friderico Feudatario tuerentur. Idipsum præcipue Archiepiscopo Panormitano electo Regio familiari iniungebat, vtque in sedis Apostolicæ deuotione perseueraret, serio monebat.

i epist. 38. & 39.

Ceterum cum *k* Archiepiscopus Messenensis, per id temporis in canonem incidisset, ipsum tum anathematis, tum suspensionis vinculo exsoluebat, & vt in fidelitate & obedientia Ecclesiæ & Regis sui permaneret, omnino iubebat. Ne vero VVualterus Comes commeatus & pecuniarum defectum causaretur, *l* Iacobo consobrino suo & Mareschalco Innocentius committebat, vt vires omnes quascunque posset colligere cum VValthero coniungeret, & vna cum ipso in Siciliam contra Marcovvaldum traiiceret: *m* Amalphitano autem Archiepiscopo, & in Ducatu Apuliæ atque Terra laboris sedis Apostolicæ *n* Camerarii iniungebat, illi quidem vt omnes prouentus Regni Siciliæ colligeret; his autem vt omnes prouentus Cameræ mercatoribus venderent, atque pecuniam Marcovvaldum VValthero properanti numerarent. Vt autem mercatores bonorum suorum essent securi, omnibus & singulis dicto VValthero vsque ad tria millia vnciarum auri dare volentibus, *o* omnes prouentus Cameræ in Ducatu Apuliæ & Terra laboris, loco pignoris obligabat.

k epist. 60.

l epist. 85.

m epist. 76.

n epist. 87.

o epist. 85.

Misit etiam Innocentius Petrum Cardinalem Portuensem Episcopum, qui cum potestate Legati de Latere exercitui Pontificis contra Marcovvaldum præesset. Ferebant qui viderant, eo tempore quo Petrus exercitui VValtheri Bremensis benedixisset, & Marcovvaldi maledixisset, visam Crucem auream splendidissimam ante Comitem miraculose deferri, qua hostes perterriti, terga dederunt, & tum in acie, tum in fuga plurimos ex suis amiserunt. *M. S. Card. de Comitib.*

MORITVR MARCOVVALDVS MALA MORTE.

Interim contigit, Marcovvaldum tyrannum mala morte obire. Gratulabatur Innocentius Friderico & regno datis *p* ad Montis Regalis & Panormi Archiepiscopos, die VIII. Calend. Octob. literis in quibus summopere lætatur cum eis de morte Marcovvaldi; eosque vehementius hortatur, vt diligenter inuigilarent administrationi Regni, & obsequio Regis adolescentis. Cæterum cum Gualtherus, paulo ante Marcovvaldi obitum, illum castris & rebus omnibus in prælio exuisset, inter reliquam supellectilem, reperiit in quodam Scrinio Imperatoris Henrici testamentum aurea bulla signatum, in quo præ cæteris hæc ad verbum legebantur.

p epist. 89.

CLAVSVLA TESTAMENTI HENRICI IMP. DE REGNO SICILIÆ.

Imperatrix consors nostra, & filius noster Fridericus Domino Papæ & Ecclesiæ Romanæ exhibeant omnia iura, quæ à Regibus Siciliæ consueuerunt habere, & Domino Papæ securitatem faciant, sicuti Reges Siciliæ summo Pontifici & Rom. Eccl. facere curauerunt. Si vero prædicta consors nostra præmoreretur, filius noster secundum ordinationem suam remaneat, & si filius noster sine herede discesserit, Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deueniat. Si vero filius noster præmoreretur, dilecta consors nostra regnum in vita sua teneat, & post mortem suam Regnum Siciliæ ad Rom. Ecclesiam deueniat. De Imperio ordinamus, quo Dominus Papa & Ecclesia Romana, illud filio nostro confirment, & pro hac confirmatione Imperii & Regni volumus quod tota terra Comitissæ Matildis restituatur Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, præter Medisinam & Argelatam cum earum pertinentiis: & insuper ordinamus & volumus, quod tota terra, de porte Pagli cum Montefortino libere dimittatur Domino Papæ vsque ad Ceperanum: & quod Ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. M. S. Card. de Comitib.

VI. *q epist. 49 50.* PHILIPPVS REX

In Gallia, Rex Philippus, *q* querebatur se à Legato Apostolico grauatum esse, vel maxime, quod Legatus diutius in controuersia diuortii deliberaret, neq; cito senten-

GALLIÆ QVERITVR DE LENTA DECISIONE DIVORTII PER LEGATVM ET ALIA INNOC. GESTA.

tiam definitiuam pronunciaret. Tam Regi, quam Remensi Archiepiscopo Innocentius rescripsit, ne ea lenitudine Legati offenderentur, neue negotium, nimia festinatione præcipitarent: se enim nolle iuribus & actionibus Reginæ præiudicium inferre, quin suas defensiones possit producere: illudque scire de festinatione, quia nimia festinantia, generat interdum nimiam tarditatem. Interim etiam alia negotia Gallicanæ Ecclesiæ Innocentius hoc anno disposuit. *a* Ademaro Priori Grandimontensi, priuilegia ordinis confirmauit, siue de nouo concessit. *b* Senonensi Archiepiscopo, vt Episcopum Niuernensem à censuris exsolueret, indulsit. *c* Bituricensi Archiepiscopo, Episcopo Niuernensi & Abbati Cluniacensi, vt contra quosdam Burgenses de hæresi suspectos inquirerent, & in contumaces anathema pronunciarent præcepit. *d* Bituricensi, Cenomanensi & Turonensi Archiepiscopis, vt in quadam causa matrimoniali procederent, commisit. *e* Lugdunensi Archiepiscopo, vt Archidiaconum Lugdunens. si in criminibus non resipisceret, anathemate damnaret, mandauit. *f* Parisiensis Episcopi cum Abbate S. Genouefæ transactionem quandam auctoritate Apostolica approbauit. *g* Archiepiscopum Bisuntinum, ne Parochi eius metropolis, Monachos Cistercienses ad iudicium sæculare traherent, admonuit: vtque iidem monachi Cistercienses, de Firmitate, Pontiniacenses, Claræuallenses, & Morimundani, puram illæsamque religionis puritatem, à qua videbantur paulisper recessisse, conseruarent, hortatus est.

a *epist.* 2. b *epist.* 11. c *epist.* 36. d *epist.* 52. *& seq.* e *epist.* 95. f *epist.* 100. g *epist.* 107. *&* 109.

VII.

h *epist.* 68.

In Anglia & Britannia multam calamitatem passæ sunt Ecclesiæ, ob exercitum Ioannis Regis Angli, cum Philippo dimicantis. *h* Mandabat Innocentius Regi Anglo, vt omnes quascumque occupasset, & præsertim Lemouicensis Ecclesiæ possessiones restitueret, & pro damnis illatis satisdaret.

VIII.

CONFIRMAT INNOCENT. TRANSACTA INTER POLONIÆ DVCES.

i *epist.* 111. *&* 112.

In Polonia, Henricus Dux Silesiæ cum Mecislao suo patruo post diuturnam dimicationem in gratiam redierat, & pacta nonnulla occasione quorundam castrorum inita iuramento mutuo rata habuerat, atque à summo Pontifice ea approbari desiderabat. *i* Confirmauit omnia illa transacta Innocentius Papa, atque Gnesnensi Archiepiscopo, & Episcopis Cracouiensi atque Vuratislauiensi commisit, vt omnes & singulos, qui iuramento præstito contrauenissent, excommunicatos pronunciarent.

IX.

k *epist.* 29.

In Boemia, *k* Pragensis Episcopus dignitatem suam quam plurimis criminibus contaminauerat. Mandabat Innocentius Capitulo Pragensi, vt si vera essent enormia facinora Episcopo obiecta, & ipse renueret mandatis Apostolicæ sedis obtemperare, illum eiicerent, & alium Episcopum eligerent.

X.

l *epist.* 43. *& seq. vsque ad* 48.

REX ET ARCHIEPISCOP. ARMENORVM AVXILIA A SEDE APOSTOLICA CONTRA BARBAROS PETVNT.

Eodem anno *l* Rex Armenorum, & Sisensis Archiepiscopus eiusdem Gentis, Nuncios ad Innocentium Pontificem miserunt; qui consensum eorum in fide Catholica, cum Romana Ecclesia significarent, infestationes, quas à Tripolitano & Antiocheno Comitibus paterentur, palam facerent, opem contra hostes acerrimos à sede Apostolica implorarent, præsertim cum Regnum Armeniæ, vt scribebant, immediate esset Apostolicæ sedi subiectum. Archiepiscopus super hæc, benedictionem, pallium, anulum & mitram sibi transmitti postulabat. Satisfecit Innocentius vtrique, ad tum literas ambobus scripsit, tum per Legatos à Latere Soffredum tituli S. Praxedis, & Petrum tituli S. Marcelli presbyteros Cardinales in Palæstinam missos, pallium & reliqua Archiepiscopo destinauit, indulgentiasque cum Rege suo militantibus concessit eas quæ solebant erogari euntibus in auxilium terræ sanctæ.

XI.

m *epist.* 115. *& seq. vsq. ad* 20.

Calo Ioannes *m* quoque, Dominus, & Bailius Archiepiscopus Bulgarorum, atque Belotes vir Princeps eius gentis Legationem hoc anno ad Innocentium destinarant, vt coronam regiam à sede Apostolica obtinerent. Rescripsit omnibus Innocentius Papa: & Archiepiscopo pallium misit. Cæterum quod regiam dignitatem spectabat Ioanni Nuncio delegato iniunxit, vt an ex re Christiana esset, exploraret.

XII.

n *epist.* 122.

ALEXIVS CVM ROGAT PONTIF. VT MILITES IN OFFICIO CONTINERI IVBERET.

Res orientales aliquantum Innocentio mæroris addebant. *n* Alexius Comnenus Imperator rogabat, vt Christianos in Palæstinam transituros ab iniuriis sibi inferendis cohiberet, nec iuuare vellet Alexium filium quondam Isaaci Angeli. Quæ res non minimum affligebat Innocentium, qui sciret militarem audaciam nulla ratione posse frenari, ne in damna aliquorum erumpat. Namque iidem Crucesignati Dalmatiam transeuntes, quamquam socium belli futurum esse scirent Regem Hungariæ Andream, non poterant tamen cohiberi, quin Iaderam eius vrbem inuaderent, diriperent, vsurparent. Nihil tamen ea iniuria motus est Andreas: quin rebus & iniuriis omnibus postpositis, in societatem belli sacri, vires omnes coniungeret: dignus ab hoc & ab altero præclaro facinore, quod tunc in exemplar virtutis exhibuit.

CRVCESIGNATORVM PETVLANTIA.

XIII.

o *ex Bonfin.* o *Lipsius in monit.*

ADVLTERIVM VINDICATVM IN REGINA HVNGARIÆ ET AVCTORE.

Ierat in *o* Terram sanctam cum copiis, religione impulsus: & curam Regni Bancbano commiserat, fidei eius etiam vxore Gertrude commendata, quæ apud eum sancta, non ipsa fuit. Nam cum frater Gertrudis adolescens lasciuus & petulans, absente Rege, visum ad sororem venisset: illa iuueni gratificatura, vxorem Bancbani pudicam ad id formosamque fœminam, fraudibus & pellaciis ei substrauerat. Quæ post facinus pœnitentia ducta, rem omnem marito exposuit, & simul Reginæ fraudes, & iram, à se in illam vertit. Qua iustissima Bancbanus accensus, vt erat doloris recens, Regnum adiit, exprobrauit factum, & gladio vltus est. Cæde patrata Byzantium abiit, Andreæ Regi occursurus, illac in Siriam tendenti, quem mox reperiit, & rem aperuit: illum vnum iudicem, & si meruit vindicem poposcit. Rex distulit in suum reditum; & vultu atque animo composito: Tu vero abi, inquit, & in regnum redi, vicem meam, vt ante functurus. Nam reduci mihi, si Deus annuit, stat hanc causam cognoscere, & decidere. Si innocens es, tunc libens absoluero: sin autem nocens, ne nunc quidem damnatum volo, nec expeditionem hanc in hostes fidei sumptam, Christiano sanguine auspicor & perfundo. Vterque abiit, ille in Asiam, hic in Hungariam, & cum rediisset, causa serio inquisita & cognita, pronunciauit: vxorem suam iuste cæsam videri. Dignus laude ab hoc vnico facto, quod nihil sacræ expeditioni anteposuerit: quod suspectum, si non conuictum, iterum Regno præposuerit: quod amorem coniugalem iustitiæ postposuerit.

XIV.

RESOLVIT INNOC. QVÆSTIONEM ARCHIEPISCOPI, QVARE IN CONSECRATIONE ADDATVR MYSTERIVM FIDEI, QVOD EVANGELISTÆ NON HABENT.

p *epist.* 21. *& habetur tit.* 4. *de celebratione Missarum c. Cum Martha.*

Per id temporis quondam Archiepiscopus Lugdunensis Innocentium consuluerat: quid esset quod Ecclesia Catholica, in calicis consecratione apposuerit illa duo verba, *mysterium fidei*: cum illorum nullus Euangelistarum meminerit. Narrabat quæstionem & respondebat ipse Innocentius istis verbis, sane dignissimis, quæ ad fidei nostræ mysteria declaranda isto loco inserantur.

p *Quæsiuisti*, inquit, *quis forma verborum, quam ipse Christus expressit, cum in corpus & sanguinem suum panem transsubstantiauit & vinum, illud in canone Missæ, quo Ecclesia vtitur generalis, adiecerit, quod nullus Euangelistarum legitur expressisse. Cum enim in Euangelio sic legatur: Accipiens calicem, gratias agens benedixit, & dedit discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, in remissionem peccatorum: in canone Missæ sermo iste, videlicet, mysterium fidei: verbis ipsis interpositus inuenitur. Vnde cum non Euangelista Christum hoc dixisse testetur, miraris quod aliquis asseuerare tentauerit, eum aliquid plus dixisse, quam aliquis Euangelistarum asseueret. Verum si formam ipsius canonis inspicias diligenter, præter hoc, de quo tua fraternitas inquisiuit, alia duo, videlicet, eleuatis oculis in cælum, & æterni testamenti; poteris in ipso canone reperire, quæ in textu Euangelico non leguntur. Sane multa tam de verbis, quam de facta Dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleuisse verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in Actibus Apostolorum sic ait: Meminisse vos oportet verbi Domini Iesu, qui dixit; Beatius est dare, quam accipere. Hæc nullus quatuor Euangelistarum descripsit. Nullus etiam horum expressit, quod Paulus de Christo ad Corinthios scribens ait: visus est plusquam quingentis fratribus simul: deinde visus est Iacobo: nouissime autem tanquam abortiuo, visus est & mihi. Ipsi etiam Euangelistæ mutuo inter se suppleuisse, leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa.*

Vnde

Vnde cum tres Euangelistæ posuerint: Hoc est corpus meum: solus Lucas adiecit, quod pro vobis tradetur, & cum Matthæus & Marcus dicat: pro multis: Lucas dicit: pro vobis: Matthæus autem, in remissionem peccatorum, adiunxit. Cæterum ea, quæ adduntur in canone Missæ, possunt ex aliis locis Euangelii comprobari. Ioannes enim suscitationem Lazari describens, Iesum sursum oculos leuasse asserit, & dixisse: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Si tunc igitur in cælum oculos leuauit ad patrem, cum ad corpus exanime animam Lazari reuocauit: probabilius esse videtur, quod tunc oculos leuauerit ad patrem in cælum, cum panem & vinum in corpus & sanguinem proprium commutauit.

Cæterum sicut superius est expressum, cum in textu Euangelico, Noui Testamenti: ponatur; sic interponitur, & æterni, nam vetus testamentum, quod hircorum & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat: nouum autem, quod est Christi sanguine consecratum, promittit æterna, & ideo testamentum illud fuit vetus & transitorium: hoc autem nouum est & æternum, vel vt vtamur alia ratione: vnde nouum, id est vltimum esse describitur, inde æternum, id est perpetuum comprobatur. Nouissimum etenim hominis testamentum immobile perseuerat: quia testatoris obitu confirmatur: iuxta quod Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum: alioquin non valet, dum vixerit qui testatur. Præterea non solum scriptura, sed etiam promissio dicitur testamentum, iuxta quod Apostolus ipse scribit: Ideo noui Testamenti mediator est, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt hæreditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet, quod in ipso canone reperitur. Hic est enim sanguis meus, noui & æterni testamenti: id est, nouæ ac æternæ promissionis, scilicet confirmator, sicut Dominus repromittit: Qui manducat, inquiens, carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam.

Ex eo autem verbo, de quo mouit tua fraternitas quæstionem, videlicet: mysterium fidei: munimentum erroris quidam trahere putauerunt, dicentes: in sacramento altaris, non esse Corporis Christi & sanguinis veritatem, sed imaginem tantum, & speciem & figuram, pro eo quod scriptura interdum commemorat, id quod in altari suscipitur, esse sacramentum, & mysterium, & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quod nec auctoritates scripturæ conuenienter intelligunt, nec sacramenta Dei suscipiunt reuerenter. Si enim, quia figura est sacramentum altaris, veritas esse negatur: ergo nec mors, nec resurrectio Christi (cum figura sit) veritas est credenda. Siquidem mortem & resurrectionem Christi, similitudinem, & imaginem esse Apostolus manifestat: Christus, inquiens, mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Apostolorum etiam Princeps Petrus in Epistola sua scribit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt & nos peccato mortui, iustitiæ iam viuamus. Quare si non fuit veritas, quia fuit exemplum: ergo nec vere mortuus fuit Christus, nec vere à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium cordibus error iste; cum Propheta de ipso testetur, quod vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dicitur tamen mysterium fidei: quoniam aliud ibi creditur, quam cernatur: & aliud cernitur, quam credatur, cernitur species panis & vini, & creditur veritas carnis & sanguinis Christi, ac virtus vnitatis & charitatis. Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc sacramento discreta, videlicet, formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem. Forma, est panis & vini: veritas, carnis & sanguinis: virtus vnitatis & charitatis. Primum est sacramentum, & non res. Secundum est sacramentum & res. Tertium est res & non sacramentum. Sed primum est sacramentum geminæ rei. Secundum est sacramentum vnius, & alterius res existit. Tertium est res gemini sacramenti. Credimus igitur, quod formam verborum sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.

XV.

INNOC. REGEM SCOTIÆ ORNAT ENSE ET PVRPVREO GALERO, ET TITVLO FIDEI DEFENSORIS.

Hoc anno peruenit à summo Pontifice ad VVillelmum Regem Scotiæ Legatus, ensem cuius capulus vaginaque aurea & gemmis distincta erant, & galerum purpureum indicium Ecclesiæ (vti volebat) Defensoris afferens: multis insuper indulgentiis ac priuilegiis eum honorans. Quæ VVillelmus, quoniam grato accepit animo, Concilio Procerum Scotiæ conuocato approbante decretum est, vt dies Sabbathi à duodecima hora meridiei sacer esset, neq; quisquam res profanas, quemadmodum diebus festis vetitum erat, exercer. Idque campanæ sonitu populo indicaretur, ac postea sacris rebus operam darent, concionibus interessent, vespertinas preces audirent, idque vsque in diem Lunæ facerent, constituta aduersus contemptores graui mulcta. Tanta autem fuit eo anno in Scotia asperitas hyemis adeoque prolixa, vt ante Martii dimidium nemo terram aratro proscindere valeret, cereuisia congelata pondere venderetur, nix continua multos dies caderet, eoque maxima pecudum strages fieret. Terræ motus vero quotidie ab Epiphania Domini vsque ad Calendar. Februar. factus. De VVillelmo Rege annales prodiderunt, quod cum aliquando Eboraci cum Rege Anglorum Ioanne, in conuentu publico inter proceres consedisset, allatus fuerit puellus forma eleganti, ac nobilissimi cuiusdam viri in agro Eboracensi hæres, graui varioque morbo correptus.

Nam ex oculorum altero sanies illi continuo effluebat, manus altera arescebat, neque alterius pedis, neque linguæ compos erat. Itaque cum in contrarietate morborum causas medici inuenire non possent, & de curatione desperantes incurabilem omnino assererent, vt primum VVillelmus Rex accessisset, ac Cruce signatum contigisset, solo tactu pristinæ restituit sanitati. Diuinitus id factum plerique credidere, quo virtutem tanti viri Deus latere non sineret, ac orbi vniuerso suspiciendum ostendere. Sane VVillelmus pietate insigni celebris fuerat, multa loca sacra magnifice dotarat, Abbatias & Episcopatus complures agris, prædiis, & donariis locupletarat. *Hector Boethius Histor. Scotorum, lib.* 13.

XVI.

VITA ET OBITVS AC MIRACVLA S. GVILELMI ABBATIS ROSCHILDENSIS.

a *apud Sur.* 6. *April.*

Eodem anno, *a* octauo Idus April. In Dania obiit sanctus VVillelmus Abbas Roschildensis, nonaginta octo annos natus, vita atque miraculis clarissimus. Is nobili ortus genere, in disciplina venerabilis viri Hugonis apud sanctum Germanum Parisiensem Abbatis, breui eos in scientia fecit progressus, vt inter egregios humanioris literaturæ Magistros celebrior haberetur: & inter Canonicos Ecclesiæ sanctorum Petri & Pauli ac Beatæ Genouefæ propter virtutem insignem cooptari mereretur. Inter eos adnumeratus, cum seuerioris vitæ studio alios ad ardentiorem pietatem inflammaret, atque deprauatos aliquorum mores notaret, ingentem inuidiæ flammam contra se excitauit. Prorsus vt aliqui eorum deploratæ salutis homines non se viuere existimarent, nisi eum à suo collegio excluderent.

CANONIC. ALIQVORVM GENIVS DESCRIBITVR.

In eam curam cum certatim incumberent, tum vnus qui Beato viro arctiori amicitiæ vinculo coniunctus videbatur, subdola fraude instructus accessit, & per simulatæ pietatis speciem sese insinuans, cœpit Canonicorum vitam detestari, propositum petendi monasterium indicare, ac tandem petere, vt sese tam sancti propositi socium præberet. Guilielmus, qui totus sanctioris vitæ desiderio flagrabat, auide conditionem arripuit, seseque nihil prius in votis habere respondit, quam vno & indissolubili amoris vinculo Deo coniungi. Interim multa crebro inter se de contemptu mundi miscentes colloquia, ad monasterium pariter sese contulerunt. Ibi tum homo ex fraudibus compositus, Guilelmum ad constantiam hortabatur, sibi enim quædam negotia superesse expedienda: quibus peractis ilico se spondebat rediturum. At Guilelmus fraudem odoratus ait: merito illum qui ætate maior esset, priorem etiam in suscepto proposito declarare constantiam. Ille autem frustra se niti videns, longa trahens ab imo pectore suspiria: Differamus ergo, inquit, in aliud tempus. Et quidem ita eo tempore versutiam hominis fraudulenti Guilelmus prudenter elusit: cæterum tantum abest, vt de virtutis labore quicquam detraxerit, vt etiam maiores assumpserit: quamquam à malesanis illis Canonicis vehementiorem in modum exagitaretur. His postmodum propter vitæ licentiam, ab Eugenio Papa III. & Ludouico Rege Galliarum loco motis, & Canonicis S. Augustini introductis Odone Abbate inuitante, Guilelmus non inuitus se illius disciplinæ dedit, & monasticam professus est: tanto profectu vitæ regularis, vt sancto Absaloni Roschildensium in Dania Episcopo, vehementissimum sui desiderium excitarit. Is enim suæ diœcesis quoddam cœnobium, in Insula quam Eschyl vocant, loci quidem amœnitate iucundum, sed propter religionis studium penitus in eo extinctum, triste satis ac hor-

ridum,

ridum, antiqua disciplinæ teuertate informare, & pristinæ pietatis splendore illustrare cupiens, in Gallias misit Nuncium, qui à S. Genouefæ collegio D. Guilielmum, cum aliis tribus Canonicis adduceret. Oddo Abbas concessit: V Valdemarus Rex Daniæ & Absalon Episcop. Verorum summo cum honore susceperunt, & in Abbatis sede collocauerunt. Sed tot tantisque procellis, ab inuetera tis dierum malorum Monachis agitatus fuit, vt alii tres itineris & laboris socii, rerum asperitate victi, in Gallias redierint: quos & ipse sæpe sæpius subsequutus fuisset, nisi cælesti gratia confirmatus, aduersos casus & maleuolorum insolentias inuicto animo preferre didicisset. Tot enim tantasque tartareus hostis, tum per se, tum per Satellites suos, machinationes aduersus Christi seruos inueniebat, vt etiam constantissimum quemque facillime deiicere potuisset. Sed vir sanctus solo pietatis & innocentiæ clypeo munitus, assiduis bonorum operum laboribus ita occurrebat, vt semper victoriam reportaret, hostemque in effusam fugam compelleret. Erat enim sanctæ religionis cultor indefessus, sacri instituti conseruator mirabilis, vitiorum rigidus profligator, virtutũ amator egregius, honestatis & sanctimoniæ totius diligentissimus inquisitor & Doctor. Ægros consolabatur, pauperes & peregrinos benignissime curabat, ieiuniis & precibus multisque gemitibus pro aliorum salute Christi clementiam implorabat, morbos & languores corporis miranda potestate fugabat, omnibusq; ad se venientibus, certissimum in quauis calamitate auxilium ostendebat. Et quidem postquam annos quadraginta inter intolerabiles tempestates insigni constantia cum summa opinione sanctitatis coniuncta, ingens illud onus sustinuisset, prope centenarius feliciter vitam hanc miseram cum sempiterna beatitudine commutauit, atque copiosum laborum suorum fructum à Domino recepit: sicut præclaris visionibus manifeste quibusdam innotuit. Claruit autem post obitum innumeris miraculis. Nam dæmoniaci purgabantur, paralytici reddebantur incolumes, cæci videbant, claudi erigebantur, audiebant surdi, muti loquebantur: contracti, genibusque humi reptantes gradiebantur: mortui & pene exanimes ab ipso mortis aditu ad vitam reuocabantur, propter quæ insignia miracula, omni ex parte multus hominum concursus, ad eius sepulturam confluebat.

XVII. a *Cromer. lib. 7.* DVX MIECISLAVS SENEX MORITARI CÆNOBIORVM CONDITOR IN POLONIA.

Eodem anno, *a* Miecislaus senex Princeps Poloniæ fatis concessit. Sepultus est Calissiæ in templo D. Pauli Apostoli memoriæ dicato, quod ipse condiderat, & collegio sacerdotum canonicorum ornauerat. Landense quoque & Vangrouecense Monasteria condidit & locupletauit, & Cistercienium sodalitati attribuit. Coscilonense etiam in suburbano Calissiensi, vt Benedictinis ædificaretur, testamento constituit: quibus etiam Labinense ad Vartam flumen cænobium dedicauit. Extruxit insuper idem Miecislaus prochodochium, recipiendis & sustentandis egenis, Posnaniæ apud D. Michaelis, & compluribus pagis dotauit, curamque eius militibus Hospitalariis commisit. Sed iis postea deletis, ad eos qui S. Ioannis Hierosolymitani appellantur, ea curatio translata est.

LESCVM E. IGNVT PROCERES EIVS VIRTVS ET GOVORICII QVOQVE ANIMI MAGNITVDO.

Miecislao defuncto, Proceres Poloniæ congregati, Principatum ad Lescum, Album cognomine deferebant: si modo is Honoricium Palatinum Sandomiriens. cuius potentia quibusdam fuerat suspecta, relegaret. Magna virtute inter se tunc certarunt, Lescus Princeps & Gouoricius Palatinus. Namque cum ex Nuncijs Principum mandatum audisset: Lescus, inprimis dubius animi, ob adiectam de Gouoricio conditionem, quid faceret deliberabat. Stultum, aut certe damnosum esse videbatur Principatum vltro oblatum refutare, & subesse alteri malle, omnibus præesse cum posset. Sed eiicere per summam iniuriam charum sibi fidumque consiliarium, ac de se bene merentem nolebat: indignumque iudicabat tam duras & iniustas sibi leges dici. Cunctantem Gouoricius vltro hortabatur, ne sua causa tanta commoda negligeret. Male enim Lescum sibi suisque posteris consulturum esse, si propter se vnum seniculum, & pauculos, atque eos incertos dies vitæ suæ in aliam familiam sineret transferri Principatum. Libenter se porro eius commodis atque honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet, atque cuperet. Felix ac sempiterna posteritatis memoria gloriosum exilium illud suum fore, susceptum pro dignitate atque amplitudine optimi Principis. Commouit Lescum ea Gouoricii oratio, & insignis beneuolentia cum animi magnitudine coniuncta, in eam quidem partem, vt is ilico negaret tanti se faceret Principatum, vt eius adipiscendi gratia tam fidum consiliarium proderet, immeritumque magistratu simul & patria eiiceret. Principatum quidem duplici nomine ad se pertinere, quod & heres Casimiri esset, & à Comitio pridem electus & expeditus, num quam se eo abdicasset. Verum tyrannicam illam vocem: Sius violandum sit, regnandi causa violandum esse, non placere sibi, qui iusto & legitimo Imperio suos regere, à patre & à maioribus suis didicisset. Proinde aliũ sibi Proceres istis legibus quærerent: se in paterna ditione sua acquieturum esse potius, quam per scelus Principatu potiturum, & cum his mandatis Legatos mœstos dimisit, dignus propter hanc virtutem, & excelsum, vereque Regium spiritum immortali memoria, qui carere Principatu mallet, quam infontem consiliarium iniuria afficere.

XVIII. b *Chron. Hirsaugiens.* INITIVM REGNI TARTARORVM AD MÆOTIDEM PALVDEM.

Peridẽ temporis: *b* Zinges Cham Tartaricus, vna cum suis, iugum Regis Indorum excussit, & postea Imperium magni Chami Chitaini constituit. Tartarorũ appellationem deriuabant aliqui, à Totharim, q.d. relicti, aut reliqui facti, vel qui ex aliquo agmine supersunt: quemadmodum in exercitu sæpe est quædam pars neglectior atque contemptior. Horum itaque pars cum vxoribus & filiis, ab Indiæ montibus egressi, per vicinas Prouincias prædas egerunt, Parthos deinde petierunt, & pari terrore Mediam, Assyriam, Persiam, Armeniam, & Sarmatas non longo tempore peruadentes, circa Meotidis paludes demum sedes suas firmarunt, & multa finitimis Christianis bella ac damna ingentia intulerunt.

XIX. MIRABILE DECONSECRATIS DVOBVS DIVINITVS SVMPTVM SVPPLICIVM.

Per hos dies, quibus inter Philippum Galliarum & Ioannem Anglorum Reges pugnabatur, mirum quiddam in Abbatia Dolensi in Francia accidit. Prostabat ibi quædam imago lapidea Diuæ Deiparentis Mariæ, Iesum paruulum in brachio gestantis. Huic cum quædam mulier pauperrima orationis causa genua flexisset, aderant duo Brabantini, & mulieri improperantes, & imaginem blasphemantes, quodque grauius alter eorum lapides in imaginem proiiceret, vno eorum percussit, fregitque brachium pueri Iesu. Cum autem illa lapidea manus cecidisset, exierunt guttæ sanguinis è brachio, ac si esset hominis viuentis, statimque in eodem loco, qui statuam percusserat, expirauit. Alter vero, cum vellet morientem inter brachia sua colligere, vt quoquo modo adiuuaret, statim à dæmone insessus, sequenti die defunctus est. Cum vero multa turba conueniret, vt imaginem & sanguinem qui de lapide effluxerat, aspiceret, omnibus cernentibus prædicta imago scidit vestimenta sua, scilicet ornatum lapideum, & monile ex eodem lapide disrupit, & pectus vsque ad mamillas denudauit, in detestationem ignominiæ, sibi ac filio à perfidis illatæ. *Auctor speculi historiarum, qui & imaginem & sanguinem aspexit, hæc ad rei memoriam exarauit.*

XX. BEATRIX VXOR FRID. BARBAROSSÆ ARAM SPIRÆ ERIGIT.

Per id temporis, Beatrix Friderici Barbarossæ coniunx, optima Imperatrix, diem clausit extremum. Hæc antea insignem dederat Spirensi Ecclesiæ Sarcophagum, argento totum superinductum, auroque & prætiosis lapidibus vndiquaque distinctum ac illustratum, in cuius media superficie est pulcherrimum marmor album, instar aræ factum, cum hac inscriptione:

Hoc altare sacrum gemmis auroque decorum
Fecit peccatrix, non re sed voce Beatrix.
Dispereat prorsus Anathematis igne perustus
Quisquis id abstulerit sacro cuicunque dicarit.
Immolet hic almum redituri sanguinis agnum
Dextra sacerdotis, potum cibumque redemptis.
Quo facto fortes animæ per bella per hostes.
Dulcia perpetuæ veniant ad gaudia vitæ.

Gaspar Buschius in catalogo Episcoporum Spirensium.

XXI. RODORVM INSVLA.

Huius anni die 30. Maii, fuit terræ motus, quo vexetiam terribilis audita est incerto authore. Magna ex eo pars vrbis Achonensis cum palatio Regis corruit. Tyrus pene subuersa est. Achas oppidum munitissimum ad solum vsque corruit. Tripolis maxima pars ruit, & magna hominum multitudo suffocata est. Eum terræ morum secuta est magna agnorum sterilitas, apud exteros ingens fames, famem autem horrenda pestis. *Anonim.*

Eodem anno consecrata est memoria S. Guillelmi Aquitaniæ Ducis quem fratres Guillelmitæ conditorem sui instituti fuisse asseuerabant. *Aub. Fland. lib. 7.*

XXII. SANCTA A PAPA DENVNCIATVR KVNIGVNDIS.

Hoc ipso anno Innocentius Pontifex D. Kunigundim virginem & Henrici Pii Imperatoris coniugem sanctorum tabulario asscripsit. In eius corporis translatione, quod multis miraculis claruit, plurimi Archiepiscoporum atque Episcoporum interfuere. *Chron. Augusti.*

IESV CHRISTI
Annus 1203.

INNOCENTII PAPÆ III. ALEXII ANGELI
Annus 6. Imper. 1.

I. ALEXII ANGELI IVNIORIS RESTITVTI GRATIARVM ACTIO ET OBEDIENTIA ERGA SEDEM APOSTOLICAM.

COnstantinopoli, *a* Gallorum, Venetorum, & Belgarum Crucesignati, in Siriam nauigantes, Alexium iuniorem Isaacii Angeli filium, in Imperium hoc anno restituerunt. Non distulit idipsum Alexius Innocentio significare, per literas, in quibus propensionem suam erga Romanam Ecclesiam his verbis declarauit: *b Hæc fateor causa potissimum ad subsidium nostrum peregrinorum animos inclinauit, quod promissione spontanea sub iurisiurandi religione Christiana summus deuotione polliciti, totius Christianitatis Ecclesiasticum caput, Romanum videlicet Pontificem Apostolorum Principis Petri Catholicum successorem, nos humiliter agnituros: & ad hoc ipsum orientalem Ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis diuina misericordia restituisset Imperium, intelligentes profecto quod accidere debeat plurimum honoris & vtilitatis Imperio, & nomini nostro decus æternum, si tunica Domini inconsutilis, suam nostris temporibus & operibus recipiat vnitatem. Et hoc quidem vt dictum est tam peregrinis vestris sub iuramento promisimus, quam P. V. exhibere plenus præoptamus, omnem vobis & successoribus vestris canonice substituendis deuotionem per præsentes literas promittentes quam antecessores nostri Imperatores Catholici prædecessoribus vestris Patribus orthodoxis Romanis Pontificibus antiquitus exhibuisse noscuntur. Illud pariter promittentes, quod opportunitate nobis à Domino præstita salutari, ad idem orientalem Ecclesiam tam prudenter inclinabimus quam potenter, super quo prudentia vestræ consilio desideramus inniti. Ad hæc prædicta inducti, præcipue consiliis salutaribus & monitis venerabilium Patrum, Suessionens. Halberstadens. & Trecensis Episcoporum, Abbatis de Lucedio & Magistri Ioannis Nouiomens.* Dat. in vrbe Regia VIII. Calend. Septemb.

II. *epist. 211.* IADERAM EXPVGNANT CRVCESIGNATI PROPTER ALEXIVM IVNIOREM ET ALIA LOCA &c. CVPANT.

Porro operæ pretium est narrare, tam insigne facinus crucesignatorum, ex literis, vt coniectura est, Prænestini Cardinalis Legati, ad Innocent. datis. Significabat: *Federe igitur Iadere*, inquit, *cum Illustri Constantinopol. quondam Imperat. Isaacii filio Alexio isto, cum victualibus omnibus & rebus egentes terræ sanctæ videremus grauamen potius illaturi, sicut & alii ex nobis qui nos præcesserant, quam iumamen aliquod allaturi; nec terræ Saracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, verisimilibus quidem rumoribus & argumentis inducti, quod dicti Alexii suspiraret aduentum Regia pars potior ciuitatis, & pondus. Imperii quem electione concordi, cum solemnitate debita Imperiali diademate sublimasset, contra consuetum ordinem tempestatis aura fauente, obedientibus Domino ventis & mari, ad vrbem Regiam præter omnem spem prospere appliciuimus & in breui: sed nec aduentauimus improuisi, qui vsque ad sexaginta millia equitum præter pedites in vrbe reperimus, & transilientes loca tutissima, pontes, turres, & flumina sine damno nostrorum, terra & mari obsedimus ciuitatem, & tyrannum pariter, qui commisso infratrem parricidio sasces Imperii diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem vniuersorum ciuium mentes contra nos inuentimus obfirmatas: nec aliter contra Dominum suum ciuitatem muris & machinis obseratam, quam si aduentasset populus infidelis, qui loca sancta polluere, & religionem proponeret inexorabiliter euellere Christianam. Imperii siquidem crudelissimus incubator Domini sui & fratris Imperatoris orbator & proditor, quique eundem carcere perpetuo sine crimine condemnasset, idem filio eius illustri facturus Alexio, si non eundem à manibus eius felix eripuisset exilium, præhabita in populo derestabili contentione potentes simul & plebem sermonibus adeo infecerat venenatis, vt ad subuersionem libertatis antiquæ Latinos asseret aduentare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere properarent, & Latinorum legibus Imperium subiugare. Hæc profecto res fit omnes contra nos animauit pariter & armauit, vt contra nos & exulem nostrum viderentur omnes pariter coniurasse. Sapius ergo per nuncios nostros, imo per ipsum exulem nostrum & Barones nostros à ciuibus postulantes audiri, nec aduentus nostri causam, nec petitionis modum potuimus explicare. Sed quotiens terra vel mari flantibus in muro sermones obtulimus, totiens retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quod præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, vt statim necesse haberemus aut perire, aut vincere, cum obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium omnium incredibilis vrgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed insperatæ quadam securitate duintus suspirare cæpimus ad bella promptissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtimere. Ad conflictum ergo campestrem sapius ordinati inæstimabilem multitudinem fugæ in vrbe ignominiosa conclusimus. Aptatis igitur interim terra & mari bellicis instrumentis, die obsidionis octauo, violenter ciuitas introitur, grassatur incendium, dispomit in campo contra nos acies Imperator: & paratis nobis excipere venientes constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiose frena reflectit, in vrbem retrogressus ardentem. Ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in vrbe relinquit vxorem & parunlam prolem. Eadem re comperta nescientibus nobis Proceres in palatio congregantur, & exulis nostri solemnis celebratur electio, seu potius restitutio declaratur, insperatamque lætitiam copiosam palatio lumina protestantur. Mane facto prodit in castra copiosa Græcorum procerum multitudo, suumque gaudio quærit electum, restituram ciuitati asserit libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperii cum gaudio inæstimabili subleuatum de carcere caput patris fasacii quondam Imperat. ostendunt. Præordinatis itaque quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam S. Sophiæ nouus Imperator cum solemni processione deducitur, & exuli nostro sine omni contradictione Imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis ad solutionem promissorum profilit Imperator, & promissa rebus accumulat. Victuals seruitio Domini profuturæ, nobis omnibus præbet in annum. Ducenta marcharum millia nobis soluere pergit, & Venetis sumptibus suis stolium prolongat in annum. Sequte iuramento astringit, quod erigere nobiscum debeat Regale vexillum sumptibus suis, & in passagio Martii nobiscum ad seruitium Domini proficisci, cum quantis poterit millibus armatorum: & sub eadem promissione concludit, quod eam reuerentiam præstare debeat Rom. Pontifici, quam antecessores sui Imper. Catholici prædecessoribus suis Pontificibus pridem impendisse noscuntur; & orientalem Ecclesiam ad hoc idem pro viribus inclinare; ac toto tempore vitæ suæ milites quingentos cum sumptibus suis in Terra sancta honorifice prouisurum ad seruitium Redemptoris.*

III. EXCOMMVNICAT INNOC. CRVCESIGNATOS OB CAPTAM IADERAM VRBEM SOCII REGIS ANDREÆ. *c Marcell. de gest. Venetorum.*

Et quidem ad hunc modum Crucesignati, Imperium Alexio iuniori restituerunt. Ceterum antequam Constantinopoli potirentur, *c* Tergestinos & alios Histriæ accolas metu perculsos, pacem orantes, seseque dedentes, sub conditione receperunt. Iaderam postea valido præsidio munitam, multo vndique cruore effuso, armis subegerunt: Primores Iadrensium qui viui in potestatem venerant exilio mulctarunt: atque oppidanis qui pauciissimi remanserant & præsidium & tributum imposuerunt. Inde Ionio, Ægeo & Hellesponto superatis, ad Bosphorum peruenerunt: & dum Cretam Insulam præterlaberentur, Crerenses per Legatos ipsam Insulam Alexio puero dediderunt: tum Cõstantinopolim profecti, eo successu quem Legatus significabat, terra marique vrbem oppugnarunt, & Imperium pupillo recuperarunt. Ceterum quod Iaderam Dalmatiæ ciuitatem armis cepissent, ea res Innocen. Pontif. vehementius offendit, cum ea ciuitas socii Regis inter Crucesignatos non postremi, Andreæ Hungari, idque sub protectione sedis Apostolicæ fuisset. Habuit itaque Innoc. *d* datis literis, vniuersos Comites, Barones, & aliquos Crucesignatos inprimis arguere perfidiæ & crudelitatis, tum deinde seuerius monere officii, ne videlicet

d lib. 5. epist. 161. & 162.

bona ſocii Principis inuaderent, & quæ inuaſerant, rapuerantque vel ipſi Andreę, vel fratri illius Ducí reſtituerẽt, iniuriarumque veniam flagitarẽt. Quod ſi contemnerẽt, excommunicationis gladium vindicem expectarent. Cõtempſerant, magiſque iacturam ablatorum, quam animarum interitum æſtimabant. Quamobrem Innoc. in eos anathema ſtrinxit, atque diris grauioribus raptores rei alienæ euouit. Perculit iſtud fulmen, excepto Henrico Dandulo Duce Veneto eiuſque militibus omnes Comites, Barones, & reliquos Cruce rubentes. Ita que pœnitudine ducti, Nuncios ad Innoc. deſtinarant, qui abſolutionem poſtularent, & ſatisfactionem pollicerentur. Commiſit Innoc. Petro Capuano tituli S. Marcelli presbytero Card. Legato, plenam abſoluendi poteſtatem: dummodo ſadertinis omnia reſtituerent, Iaderam Regi ſocio relinquerent, & ab eodem veniam poſtularent. Satisfecerunt Innoc. præcepto, & à Petro Legato vinculis Eccleſiæ exſoluti Innoc. de toto negotio ſignificarunt, *a* denunciantes, quod ſi literæ Pontificiæ opportuno tempore fuiſſent exercitui allatæ, profecto Iaderam ſaluam eſſe voluiſſent. Eas literas ſcripſerant Pontifici Comites Flandriæ, Hanoniæ, S. Pauli, & Marchio Montiſferrati.

IV. PÆNITENT OMNES, SOLVS VENETVS DVX CENSVRAM CONTEMNIT.

Solus Henricus Dandulus cum ſuis Venetis cenſuras Eccleſiæ ſiue contempſerat, ſiue neglexerat, eaque re magnam in exercitu Crucefignatorum ſeditionem excitauerat, cum aliqui excommunicatis communicarent, aliqui vero refugerent, & iuſte damnatos execrarentur. Cetera cum ex ea exercitus Chriſtiani diſſenſione intelligerent Principes magna ex parte vires ſuas imminui, aduerſariorum autem augeri, Innocentium conſuluerunt, qui cum Venetis à communione Chriſti fidelium ſegregatis conuerſarentur, præſertim nauibus illorum impoſiti, ſine quibus in Palæſtinam traiicere nulla ratione poſſent. Reſcripſit Innocentius Legatis, & Marchioni Montiſferrati, atque Comitibus Flandriæ, Bleſenſi & S. Pauli, vna cum reliquis Crucefignatis, vt in fide atque deuotione Eccleſiæ perſeuerarent, & alacri animo pergerent ad ſubueniendum Terræ ſanctæ.

V. REMEDIVM ABSOLVTIS CONTRA EXCOMMVNICATOS DAT INNOC.

Ceterum quod excommunicatos attinet: *b Si*, inquit, *Veneti nec ſatisfacere voluerint, nec abſolui, vobis permittimus vt cum ipſis vſque in terram Saracenorum vel prouinciam (iuxta quod inter vos conuenit, & ipſos, vel honeſte conuenerit) nauigio tranſeatis quãto minus poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & ſub ſpe veniæ, communicantes eiſdem. Cum enim iam à vobis maiorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam reſtituendam poſſint induci, aut etiam coarctari, ſi aliter fieret, videremini vos damnum expœnitentia. ipſi vero præmium ex contumacia reportare: cum ad hoc debitum exoluendum ipſi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi poſſit & recipi quod debetur. Eſt autem cautum in iure, quod ſi quiſquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum tranſierit, neceſſaria emere, ac recipere poterit ab eiſdem. Præterea ſi Patris familias domus excommunicationis ſententia fuerit innodatus, à participatione illius familiæ excuſatur. Licet ergo Dux venetorum Dominus nauium tanquam pater familias domus in excommunicatione perſiſtat: vos tamen tanquam ipſius familiam dum in nauibus eius fueritis, ipſius excommunicatio non continget: & excuſabiles eritis apud Deum: ſi in excommunicatorum nauibus exiſtentes, cum dolore cordis, ſub ſpe pœnitẽtiæ communicaueritis ipſis: in quibus eorum communionem non potueritis euitare.* Hæc crucefignatis. Addebat Legato *c* ſcribere: quod ſi iidem Veneti non tantum renuerent beneficium abſolutionis obtinere, verum etiam perſiſterent contra Chriſtianos arma ſumere, & illum ipſum tam quam ſedis Apoſtolicæ Legatum recuſarent ſuſcipere, illis ipſis in malitia & perfidia relictis, tranſiret, quomodocumque poſſet cum exercitu Chriſtianorum in Terram ſanctam: cuius eliberationem tantopere deſideraret. Iſta quidem fuere in exercitu crucefignatorum impedimenta: licet & alibi non defuerint quamplurima, quę innumerabiles retrahebant ab ea expeditione.

VI. PHILIPPVS GALLIÆ ET IOAN. ANGLIÆ REGES AB BELLO SACRO OB MVTVA BELLA ABSTINENT.

Philippus Galliarũ & Ioannes Angliæ Rex, *d* nec quicquam arma contra ſe inuicem ſumpta depoſuerant, ideoque pauciſſimi ex eorum Regnis & Prouinciis crucefignabantur, inteſtino bello diſtracti. Vtrique Regi Innoc. ſcripſit, negotium que Remenſi, Senonenſi & Bituricenſi, Archiepiſcop. eorumque Suffraganeis commiſit, vt id quicquid eſſet diſcordiarum cauſa cognoſceret, pacemque inter eos vel ſaltem inducias componerent, quibus ſi illi obtemperare contemnerent ambos anathemate percellerent, & vtriuſque Regna ac Prouincias interdicto Eccleſiaſt. ſupponerent. Eo fine, vt iis inuicem reconciliatis, arma quæ inter ſe contra ſe ſumpſerant, contra hoſtes fidei conuerterent, & varie oppreſſos à Saracenis Chriſtianos eriperent.

a epiſt. 42.

b epiſt. 85. 86. 182.

c epiſt 47.

d epiſt. 163. 164. & ſeq.

VII. REGNO HVNGARIÆ IN ABSENTIA REGIS PROVIDET INNOC.

Andream Hungariæ Regem, plurima quoque diſtinebant, nimirum qua ſuſpicio infidelitatis ſubditorum ne ſe abſente res nouarent: qua diſſenſiones Procerum, ne inter ſe tumultuantes, Hungariam in diſcrimen adducerent. Præcepit Innoc. *e* Archiepiſc. atque Epiſcopis Hungariæ, vt iuramentum fidelitatis Ladiſlao Regis filio præſtarent, & tantiſper Regnum & pupillum tuerentur, donec Andreas ab expeditione reuerteretur, ſe etiam nulla ratione permiſſurum in ſe recepit Papa, vt interim quouſque ipſe à Regno abfuiſſet, in negotio Terræ ſanctæ occupatus, aliquæ lites & diſſenſiones mouerentur, maxime inter Eccleſiaſt. perſonas. Magno fore adiumento credebat Innoc. fratrem Regis Andreæ Ducem, quem pater, cum ipſe votum Terræ ſanctæ explere morte præuentus non poſſet, ſigno Crucis eius humeris impoſito, ad perſoluẽdum obligarat. Itaque eum monebat, vt paterno deſiderio ſatisfacere non differret: *f* Andreæ autem Regi imponebat, vt auxilia illi præſtaret, ad illud ipſum votum exequendum. Porro Innoc. Pontif. tanto ſtudio congregandi crucefignatos tenebatur, vt pleroſque voto ligatos illo exſoluere noluerit, & in votifragos ſententiam excommunicationis protulerit: inter quos cum Comes Angi, qui ſignum Crucis pro Terra ſancta ſuſceptum temere abiecerat, & ideo in cenſuram inciderat, ab eadem euinculari poſtularet, nõ alia conditione abſolutionem illius, *g* S. Victoris & S. Genouefæ Abbatibus Pariſienſibus commiſit, quam vt abſolutione recepta, voto ſatisfacere contenderet.

e epiſt. 4. 8.

f epiſt. 156. & 55.

g epiſt. 168.

VIII. MORS PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI AFFLIGIT INNOC.

Non modicum quoque timoris & doloris attulerat Innocentio Pontifici præmatura mors Hieroſolymitani Patriarchæ, & oppreſſio ab ipſis Chriſtianis Eccleſiæ Tyrenſis. Facile enim poſſe putabat accidere maiores inter Crucefignatos diſſenſiones, & exinde in diſcrimen adduci res Chriſtianorum, ſublato eo qui Princeps conſiliorum extiterat, & gliſcente in Eccleſias perſecutione ab iis ipſis quibus tutela earum incumbebat. Ideo *h* habuit Siffredũ tituli S. Praxedis presbyterum Cardinalem Legatum, à Canonicis Hieroſolymitanis electum Patriarcham confirmare, eique mandare, vt ſe conſecrari toleraret, & interim in afflictionibus animum non deſponderet, ſed auxilia ſubmiſſa patienter expectaret. Habuit etiam *i* Tyrenſi Archiepiſcopo, qui in contemptum Legati eodem abſente ſe permiſerat initiari, aliquantum conniuere, & pallium ei tranſmittere, atque curam eius Eccleſiæ, tum Regi Hieroſolymitano, tum Legatis, tum electo Archiepiſcopo committere, hæc Innocentius Pontifex in negotiis orientis; præ quibus, neque Europæa intermiſit.

h epiſt. 129. & ſeq.

i epiſt. 131. 132. 133. & reliq.

IX. MISERABILIS MORS CONRADI EPISCOP. HERBIPOLENS. CANCELL. AVLÆ IMPERIALIS.

Hoc anno *k* Conradus Epiſcopus Herbipolenſis Imperialis aulæ Cancellarius, quorundam impiorum miniſterialium de caſtro Rauensburc erumpentium gladiis occiſus occubuit in vigilia S. Barbatæ. Erat iſti æquique amãtiſſimus, raptorum ac latronum & omnium huiuſmodi ſcelerate viuentium hominum ſummus oſor. Erant ea ætate duo equites aurati in Francia orientali, Potho à Reinſtein & Henricus gentis Canum, à Falckenberg, qui ob neſcio quod facinus acriter ab Epiſcopo aliquoties reprehenſi, cum eiuſmodi correptionem impatienter ferrent, adornatis ad fugam equis prope ſummam Baſilicam Epiſcopum in inſidiis collocati, præſtolantur, qui cum nihil mali metuẽs ſolus ex habitatione ſua in templum deſcenderet, immaniſſimi iſti ſicarii facto in eum impetu, ſubito interfecerant, & conſcenſis equis fugam arripuerunt. *Gaſpar Bruſchius in Catal. Epiſc. Herbipolenſ.* Impoſuit ſicariis pœnitentiam publicam Innocentius, datis literis ad vniuerſos Chriſti fideles, & præcipue Archiepiſcopũ Saltzburgenſ. & Suffraganeos illius, vt tam inſectores, quã fautores, com-

k Vrſperg. in Chron. & Innoc. epiſt. 51. & 113. AVCTORES CÆDIS CONRADI HERBIPOL. EPISC.

complices, & ſequaces in canonem incidiſſe, denunciarent. Suſpicio quoque eſt. Philippum Sueuię Ducem eius cædis partem in ſe deriuaſſe. Namque is necdum deſtiterat, Ottonis Regis Romanorum partiarios, inſectari. Siquidem & Siffrido Moguntino incommodabat, cum Luitpoldum in eam ſedem ex VVormatienſ. intruderet. Inſungebat Innoc. Abbatib. de nouo Burgo & Salem, vt tyrannum à malis auſis dehortarentur, & ad reſtituendum Siffrido ablato inducerent. Lantgrauius quoque Turinglæ, eo quod Ottonis partes ſequeretur à Philippianis vexabantur. Cumque armis vincere eum nequirent, excommunicationibus friuolis terrefaciebant. Concedebat ei Pontifex, *a* ne quis in ipſum vel eius Terras, & dominia, excommunicationis vel interdicti ſententias pronunciare poſſet, abſque manifeſta & rationabili cauſa, canonica monitione præmiſſa.

X. IMPERAT PHILIPPO CONCORDIAM CVM REGINA RESTITVTA.

In Galliis, *b* Philippo Regi & Reginæ reſtitutæ, non bene conueniebat. Non poterat illa facere, quin Innocentio Pontifici calamitatem quam patiebatur, exponeret, & auxilia aduerſus Regem maritum poſtularet. Præcipiebat Innocentius Philippo, vt eam loco Reginæ & vxoris haberet, coleret, & amaret; niſi vellet tueritatem Apoſtolicæ cenſuræ experiri.

XI. GESTA VARIA INNOC.

Ibidem in Galliis, *c* 1. Bituricenſi Archiepiſcopo Innocẽtius committebat, vt lites & diſcordias inter Reges Philippum & Ioannem exortas cognoſceret atque dirimeret, & ſubdiaconum quendam canonica portione ſpoliatum, ad eandem ſub pœna excommunicationis admitteret, vtque Capellanos caſtri Lemouicenſ. & Bituricenſ. propter contumaciam excommunicatos, ſi infra menſem mandatis Eccleſiæ parere renuiſſent, beneficiis priuatos denunciaret; & quoſdam de hæreſi accuſatos, ſed pro Catholicis iudicatos ab omnibus pro talibus haberi mandaret. *d* 2. Senonenſi Archiepiſcopo indulſit, vt auctoritate Apoſtolica in Eccleſ. ſibi ſubiectis corrigeret & emendaret, quæ neceſſaria eſſent. 3. Eccleſiam apud Mateam in Cathedralem erexit, atque ea de re Aroberuntino Archiepiſcopo ſignificauit. 4. Biſuntino Archiepiſcopo quam plur. ma negotia vt cognoſceret præcepit. 5. Rothomagenſi Archiepiſcopo, vt Regem Angliæ ad ſuſcipiendum nouum Epiſcopũ Sagienſ. induceret, iniunxit. 6. Narbonenſi Archiepiſcopo, vt Abbatiam montis Aragoniæ relinqueret, & alium Abbatem eligendũ curaret, ipſe autem ſolo Archiepiſcopatu contentus viueret, mandauit. 7. Comiti Antiſiodor. gladium excommunicationis diſtrictum, donec à perſecutione Epiſcopi & Eccleſiæ Antiſiodor. deſiſteret, eumque ab exilio reuocaret, atque omnia eidem reſtitueret, oſtentauit; inque eam rem tum Regi Galliæ, tum Senonenſi Archiepiſcopo ſcripſit: illum quidem admonens vt Comitem à moleſtiis inferẽdis compeſceret; huic vero iniungens, vt Regem Philippum ad reſtitutionem ablatorum hortaretur, Comitem vero Carnotenſ. ſingulis diebus Dominicis excommunicatum renunciaret, & prouinciam illius interdicto ſubiiceret.

a epiſt. 42.

b epiſt. 85. 86. 182.

c epiſt. 168. & 35. & 97. & 66.

d epiſt. 65. epiſt. 57. epiſt. 72. epiſt. 73. epiſt. 81. epiſt. 149. & ſeq.

XII. ANGLVM ET ANGLIAM INTERDICTO SVBIICI VVLT.

In Angliæ 1. Sanctum Vuſtanum olim Epiſcopum vita & miraculis inſignem ſanctorum Cathalogo Innoc. inſcripſit. 2. Regem Angliæ, qui contra ſedem Apoſtol. & reliquas Eccleſias, & contra Eccleſiaſt. Regni ſui varia illicita perpetrarat, vt ab his deſiſteret, vt Epiſcopos electos reuocaret, vt bona eis & Eccleſiis erepta reſtitueret, vt in omnibus Deo & Eccleſiæ ſatisfaceret, vt voti terræ ſanctæ meminiſſet, *f* vt Dublinen. Archiepiſcopum perſequi deſineret, eumque ad Eccleſiam ſuam reuerti permitteret, vt Sagienſem nouum Epiſcopum in gratiam reciperet, & adminiſtrationem Eccleſiæ ei non prohiberet, admonuit, quod ſi obedire ille noluerit, Archiepiſc. Cantuarienſi & Rothomag. & Epiſcopo Elienſi præcepit, vt Regno Angliæ vniuerſo & Prouinciis ditioni eius ſubiectis, interdicerent ſacris & ſacramentis.

e epiſt. 62. lib. 5. ep. 160.

f lib. 6. epiſt. 63. 64. 73.

XIII. DISSOLVI VVLT INCÆSTVM MATRIMONIVM INTER REGES HISPAN.

In Hiſpaniis *g* Regi Caſtellæ ſub pœnis & cenſuris præcipiebat, vt permitteret diſſolutionem matrimonii incæſti, inter eius filiam & Regem Legionis contracti. Petro quoque Compoſtellano Archiepiſcopo committebat, vt accepta cautione & condigna ſatisfactione quoſdam laicos officiales ſuę ciuitatis, qui in clericos manus violentas iniecerant, eoſdemque iudicio & pœnis laicorum ſubiecerant, ab excommunicatione abſolueret: neque in vrbem eos ire compelleret, qui præſertim debiles ætate, ſexu vel infirmitate corporis laboratẽs in clericos iniurii quoquomodo extitiſſent. *h* Palentini quoque & Zamorenſi Epiſcopis, iniunxerat, vt contra Magiſtrum ſcholarum Aſtiricenſis Eccleſiæ falſi inſimulatũ accuſatores Romam ire admonerent, eiſque terminum tũm menſium aſſignarent.

g epiſt. 80. 82. 83.

h epiſt. 116.

In Sardiniam, per id temporis Apoſtolicæ ſedi, non tantum in ſpiritualibus verum etiam in temporalibus ſubiectam, & inter patrimonium S. Petri recenſitam, *m* Archiepiſcopum Turritanum miſit Innocentius Commiſſariũ. Coram quo, vt eidem ſummo Pontifici, atque ſucceſſoribus ipſius Romanis Pontificibus, nec non Romanæ Eccleſiæ, ex formula in bulla præſcripta iuramentum præſtarent, & cenſum Romanę Eccleſię debitum ſine vlla tergiuerſatione perſoluerent, vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, nec non omnibus nobilibus viirs iudicibus, & aliis in Sardinia cõſtitutis iniungebat: *n* eidem q; Archiepiſcopo cauſas quaſdam ad iudicandum committebat, eumque & alios Sardos à quibuſdam grauaminibus eximebat.

XIV. SICILIAM CVRAT.

i epiſt. 32. 53 54.

k epiſt. 71.

l epiſt. 191. & 192.

In Italia, *o* 1. Conſulibus & populo Ianuenſi, vtpote de patrimonio B. Petri & de donario ſedis Apoſtolicæ exiſtẽtibus, duos ſolidos affortiatorum annuatim de domibus ſingulis nomine cenſus imponebat. 2. Poteſtatibus, Conſulibus & Conſulibus Lombardiæ tam præſentibus quam futuris, ne clericorum cauſas iudicare, aut eis grauamina imponere auderent, vtque eis Archiepiſcopus Mediolanẽſis vna cum omnibus Epiſcopis reſiſteret, præcipiebat. 3. Aretii cathedralem Eccleſiam de vno in alium locum tranſtulit: & in Nouarienſi Eccleſia quaſdam Conſtitutiones contra Cæleſtini III. Conſtitutiones factas abrogauit.

m ep. 29. 30. 31.

n epiſt. 16. 17. & alib.

XV. SARDINIÆ IVRMENTVM ET CENSVM IMPONIT.

XVI. IDEM FACIT IANVENSIBVS IN ITALIA.

o epiſt. 32. epiſt. 44. 45. epiſt 50. epiſt 120. 121. epiſt. 91.

In Scotia, compoſitionem inter Eccleſiam S. Andreę, & Comitem Dunecanum factam confirmauit in Seruiam, ad Megauipanum eius Prouinciæ Dynaſtam, eiuſque ſubditos in fide confirmandos, Colocenſem Archiepiſcopum miſit; eaque de cauſa, tum Megauipano, tum Archiepiſcopis, Epiſcopis & Baronibus Seruiæ, tum Hungariæ Regi perſcripſit. In Regnũ Boſnæ & Bulgariæ, Ioannem Calæmarium, ad Calo Ioannem Bulgarorum Regem deſtinauit: à quo in Inſula Regia iuramentum coram Nuncio factum recepit, quo vna cum ſubditis vniuerſis ſpondebat, ſe obſeruare Conſtitutiones, mandata & imperata Apoſtolicæ ſedis & Rom. Eccleſ. Vnde confidentiam nactus Calo Ioannes ab Innocẽtio poſtulabat, vt ad eum aliquem Cardinal. delegaret, qui ei titulum & diadema regium cõferret, Patriarcham Bulgarorum deſignaret, & Epiſcopales aliquot cathedras erigeret: cum in ſolo Regno Bulgariæ plures quã quatuor poſſent Epiſcopatus inſtitui. Per eundem Ioannem Caſæ Marium, pallium Archiepiſcopo

XVII. SERVIAM ET BVLGARIAM DISPONIT.

epiſt. 42. & ſeq. epiſt. 140. & ſeq.

Zagorensi misit; & alia complura tum ibi, tum alibi, eodem anno egit, constituit, correxit, castigauit.

XVIII. OLEVM EMANAT AB IMAGINE B.M.V.

Eodem tempore, oleum cæpit emanare miraculose, à quadam imagine B. Mariæ de Sardenai, non longe à ciuitate Damasci, quod Miraculum etiam multos Saracenos ad fidem Catholicam vocauit, & multis languidis contulit sospitatem. Soldanus etiam Damascenorum, penitus cæcus effectus, inuocato B. Mariæ Virginis auxilio, infusione olei illius, visus sui claritatem suscepit: ac sexaginta metretas olei annui redditus dedit, ad lumen faciendum ante altare Beatæ Virginis; scilicet vt lumen redderet pro lumine, & quia primum ex quo lumen recepit, lampadem vidit lumine corruscantem. Ex illo tempore, ad Natale sequens, cæpit vberius oleum à prædicta imagine stillatim eliquare, & oleum illud in anno consequenti, in carnem solidari, quo anno, miraculis de oleo emanante ab imagine B. Mariæ de Sardenai, crebrescentibus, eoque oleo tum Saracenorum Soldano curato, tum ipso in carnem solidato, fama celebris in oriente fidem Catholicam solidauit. *VVestmonasteriens. in Flor. Histor.*

Eodem anno, Calend. Aprilis, in Anglia, in prima noctis vigilia, tantus rubor apparuit in cœlo versus Orientem & Aquilonem, vt videretur firmamentum succendi; in quo tamen vehementissimo rubore, quod mirabilius & terribilius fuit, stellæ micantes apparuerunt. Durauit autem hæc visio, vsque ad medium noctis. *Idem in Flor. Hist.*

XIX. Per hos dies viuebat Actius Quartus Atestinus Princeps, cui Sabaudiæ Comitissa vxor præter alios filios genuit Beatricem filiam. Hæc cum nulli hominum iuncta, religioni sese addixisset, & in Gemulæ monte monasterium condidisset, vnaque cum castissimis virginibus sanctissimam vitam duxisset, corporis nexu soluta, inque Beatarum mentium cætum relata, se ab alta cœli sede mortalibus non minus miraculis illustrem prodidit, quam claram pudoris, obseruantiæ, ac vitæ sanctimonia, se dum viueret, ostenderit, *Cynthius Gyraldus de Ferrariens. & Atestinis Principibus.*

IESV CHRISTI
Annus 1204.

INNOCENTII PAP. III. Annus 7. BALDVINI Imper. I.

I. a *Sabellicus ennea. 9. lib. 5.*

CONstantinopoli, a postquam Crucesignatorum ope Alexius puer Isaacii filius vrbe potitus esset, orto in eadem tumultu, parum aberat, quin trucidaretur. Multitudo siquidem comitata in eius domum minaciter cum tumultu irrupit, maledictisque & conuitiis eum appetiit, quasi dissoluendæ pecuniæ studio, quam temere pueriliterque auarissimæ genti & Græci nominis inimicissimæ promisisset, non dubitaret nobilissimam vrbem veteribus fortunis spoliare. Hic puer tam atroci motu sibi timens, consilio supra ætatem vsus, alta voce pronunciauit, futurum se in Ciuium suorum potestate. Compressit illa vox ex ore Principis audita, nocturnum tumultum. Quo sedato, Princeps postridie consilio paucis amicorum communicato, ad Bonifacium propinquum suum misit, vt tertia proximæ noctis vigilia, cum expeditis cohortibus auxilio sibi veniret, magnum sibi vitæ periculum instare à ciuibus dicens: ac nisi mature adesset, fore vt breui actum de sede Imperioque audiret. Orare proinde, obtestarique, vt sibi puero consanguineoque consiliorum indigo, in aperto discrimine subueniret: daturum se operam, vt porta qua vrbem inuasurus esset, ad tempus pateret. Fuit in iis qui eius consilii participes erant, Alexius cognomento Myrtillus: licet alii Murciphum scripsere. Hunc Isaacius ex infima plebe, multis & magnis honoribus ad dignitatem euexerat. Homo igitur ambitiosus, & ad omne tetrum facinus promptus, Alexii pueri consilium aperuit paucis aduersæ factionis; iniunxitque his negotium, vt eadem hora qua priore nocte recentem excitarent tumultum.

CÆDES ALEXII ANGELI PER ALEXIVM MYRTILLVM SICARIVM.

Quo ex composito, cæterum præter bonorum opinionem exorto, Myrtillus trepitanti Alexio author fuit, sese in abditissimā partem domus illatebrandi. Hortando itaque ac periculi admonendo, eo perpulit, vt infelix puer funesto hominis consilio acquieuerit, & ad locum deinde perductus, asseruari iussus est. Inde ipse consilii auctor in publicum egressus, per speciem sedandi motus ita pro concione verba fecit, vt quum præsentem rerum statum questus docuisset, quantum periculi imminerent ciuitati, ab iis qui terra & aquis eam circumsederent, non puero opus esse diceret, sed viro aliquo prudentia non vulgari atque eodem fortissimo, qui Ciuitatem & res Imperii manifesto periculo labantes, virtute & consilio erigeret. Est itaque, quod maxime optabat, consecutus, vt pars vna multitudinis eum Præfectum vrbis, altera belli Ducem, tertia Imperatorem declararit. Vnde ipse ab ea declaratione confestim satellitum propinquorumque caterua stipatus, sese ex publico proripuit in Alexii domum: ac puerum, quem antea veneno petitum necare non potuit, eliso gutture propria necauit manu: homo tam perfidus, quam ingratus, à quo summum Isaacii beneficium, summa ingratitudine dissolutum est. Constituit postmodum Myrtillus, hinc Venetos inde Gallos armis depellere. Ceterum terrestres copias prius inuasurus, ita aciem instruxerit, vt in fronte essent sacerdotes sacris amicti, & D. Deiparentis Mariæ iconibus onusti. Fuit ab initio satis acris pugna. Deinde cum omni parte castrorum conclamatum ad arma esset, ac vndique conuersus in hostem factus, Græci fusi, fugati, inque Vrbem compulsi. Icon Diuæ Matris Virginis Græcis adempta est. Id in bonū omen Itali & Galli acceperunt, verteruntque; rati certam sibi ex eo portendi victoriam, quod numen cœlicolis & mortalibus populare, à Græcis ad se transiuisset. Tum vero ad hanc defectionem iterum fœdus inter Venetos & Gallos est ictum: (omnes enim sceleratum Myrtillum bello persequendum censebant) scriptumque est in nouo fœdere, vt quicquid vrbium, insularum, locorumque ex Cōstantinopolitano Imperio, bello quæreretur, dimidium Galli Duces haberent, reliquum Veneti. Vrbs inde octo & sexaginta dies oppugnata, tanta animorum pertinacia quanta numquam antea. Veneti sicut in priori oppugnatione, Græcis muro deiectis, aliquanto prius quam Galli à mari vrbem occuparunt. Alexius, cum vrbem vna ex parte captam vidit, cum vxore ac pellicibus, magnaque vi auri, intempesta nocte Byzantium reliquit, & b Haliciam ad Romanum Ducem Russiæ confugit. Cuius fuga posteaquam palam facta est, c è vestigio sacerdotes omnes cum sacris Crucibus, sacrisque amictibus supplices victoribus occurrere, & ad militum Ducumque pedes procubuere, obsecrantes vt meminissent rerum humanarum: victoriam, gloriam, imperium, nominis immortalitatem peterent, haberent: à cæde, incendiis, direptione temperarent: homines hominibus, viri fortes nequaquam paribus, sed viris tamen parcerent: stantem, integramque quam euersam inanemque Vrbem mallent. Eam fuisse Græcorum Regiam, nunc Latinorum: ei iam non alienæ, sed suæ consulturos illos. Authores amentiæ Alexium senem Myrtilumque furoris pœnas fuga exilioque dare: innoxiæ infelicisque multitudinis alia super aliam parricidarum tyrannide oppressæ, misericordia eos caperet: id se per passum Dominum Deumque, per mactatum, per sepultum, per resurgentē, per eumdem virorū fortissimorum victoria clementisśime vtentium mansuetudini opima multipliciaque præmia, & cumulatisśimam gratiam relaturum, orare, obsecrare, obtestari, ignoscerent, parcerent, veniam darent: mitisśimorum Dominorum, patronorum, parentum animos induerent, gererent; ex lacrymis cognoscerent animorum habitum. Hæc, inquiebāt, Regia, hæc augustisśima templa, hæ Sanctorū reliquiæ vobis supplicant, & pedibus vestris aduoluūtur.

OPPVGNATVR TYRANNVS ET CONSTANTINOPOLIS.

FVGIT TYRANNVS.

b *Crom. lib. 7.*

VRBEM CAPIVNT.

c *Æmil. in Philippo 2.*

II. IMPERATOR EX LATINIS, PRIMVS ELIGITVR BALDVINVS.

Ad eas supplicationes, Duces voce præconis pronunciauerunt, captis opportunis vrbis locis placere conti nuo templa peti, Deoque Opt. Max. gratias agi velut diuinitus victoria de tanta vrbe data. Parium est supplicibus,

cædes

cædes cohibitæ; loca inter victores distributa: præsidium vrbi impositum, vrbs insessa, pridie Idus Aprilis. Itum est postea ad eligendum Imperatorem, qui ex propinquo ferre opem Latinis sacro bello posset. In sanctius consilium designandi Cæsaris admissi sunt duo ex Syriacis patribus Pontifices Bethlemita Prolemaitaque; ex Gallis Suessionensis & Tricassinus Antistites, & Abbas Lucedii. Ducum nobilissimi fuere Balduinus Flandriæ, Ludouicus Blesensium, Vido Fani Pauli, Ioannes Brennæ Comites, & Bonifacius Ferratensium Marchio: è Venetorum nobilitate quinque, numerum quindecim virorum expleuere. Hi re diuina facta, afflationeque almi spiritus implorata, Balduino Imperium detulere. Is porro Innocentio Pontifici ea quæ acciderant, & suam ad Imperium Orientale assumptionem a significauit, protectionem Sedis Apostolicæ implorauit, vtque eam vrbem Summus Pontifex sua præsentia illustraret, atque Henrici Danduli ac Venetorum sociorum rationem habere vellet, obsecrauit: tum deinde Legatos cum amplissimis muneribus Romam destinauit. Inter munera pretiosa numerabatur carbunculus vnus emptus mille marcis argenti, vnus anulus pretiosus, examita quinque, pallium peroptimum ad altaris ornatum, duæ iconæ ad vsum templi, vna habens tres marcas auri, alia vero decem marcas argēti, cum ligno viuificæ crucis & multis lapidibus pretiosis, duas Cruces aureas lapides topazios, smaragdos & rubinos pene ducētos, vnam ampullam crystallinam, duos scyphos argenteos, vnam sacellam super deauratam, duas capsellas, & vnam ampullam argēteā, & quinquaginta marcas argenti, missas, per Barrochiū dudū in Lombardia domorum Templi Magistrum, cui hęc omnia pyratæ quidā Ianuenses in portu Methonis eripuerant, & quę ab Ianuasibus postea Innocentius requirebat.

a *inter Innocent. epist. lib. 7. epist. 152. & 147.*

III. *Nicet. Choniat. lib. 3.*

Porro modum Imperatoris eligendi istum inuenerunt. Quatuor calices pro tanto numero candidatorum ordine collocarunt, quorum vnus incruentam victimam continebat, cæteris vacuis. Eos calices totidem Sacerdotibus tradidere, vt ad cuiuscunque Principis nomen vnum tollerent, & eis redderent. Imperium vero penes eum futurum erat, qui eum calicē accepisset, in quo Diuinum corpus & sanguis Christi esset. Imperii sors Balduino Flandrię Comiti obtigit, qui nondum ætatis annum trigesimum secundum excesserat; & alioqui vir erat pius & modestus, ne impudico quidem aspectu mulierem intuitus, quamdiu à cōiuge sua abfuerat; vacabat insuper diuinis laudibus, necessitatibus conflictatos subleuabat, suæ sententiæ aduersantes æquo animo audiebat; & quod maximum est, bis qualibet hebdomade vesperi proclamari iubebat; ne quis in suo Palatio recubaret, qui alienam mulierem attigisset. Quod cædem Alexii attinet; non impune fuit diuinitus, his qui adolescentem Imperatorem occiderant. Omnes enim non multo post extincti sunt. Nam Scaurus, qui Eudoriam Alexii Murzufli filiam duxerat, non ad senectam eam retinuit. Eudociæ enim pater Alexius, nescitur qua re impulsus, dolo eum comprehensum, luminibus orbauit, erro erroni infestus, & imperio deiectus simili calamitate conflictato inimicus. Neque multo post excæcationem à Latinis comprehensus Ducas, Byzantium ductus, & ob Dominum ac imperatorem suum comprehensum, & laqueo enectum in iudicium adductus, licet pro sui defensione attulisset, illum patriæ proditorē extitisse; & dignas suo scelere pœnas dedisse: neque se vnum id fecisse, sed & reliquos illius cognatos: tamen his omnibus & aliis quæ adiungere volebat plane repudiatis, capitis hominem cōdemnarunt, nouo & violentissimo supplicii modo. Nam in altissimam columnam, quæ in Tauro stabat productum præcipitarunt. Is vero aliquamdiu in pedes descendens, deinde in caput subuersus, & humi allisus, miserabiliter interiit, Deo vlciscente maiestatem violatam.

Ad Pontificem & Balduinum reuertor.

IV. b *ep. 153. & 154. & 164. & l. 6. ep. 231.*

Scripsit b tunc Innocentius Pontifex Balduino, eumq; in protectionem S. Sedis & Beati Petri recepit; insuper vniuerso exercitui Crucesignatorum, vt eidem in defensione Constantinopolitanæ vrbis assisterent, præcepit: Episcopis autem, Abbatibus, cæterisque clericis in exercitu eorumdem, vt Balduinum cæterosque Regni & Imperii Proceres admonerent, iniunxit, vt Græcos schismate præcisos ad obediendum S. R. Ecclesiæ reuocare, & in Ecclesiis vrbis Constantinopolitanæ ritus Latinos introducere procurarēt. Miserat etiam Balduinus capitula conuentionum, inter Venetos ex vna, & reliquos Christianos in exercitu Crucesignatorum Principes ex alia, super diuisione imperii & bonorum acquisitorum stabilita: iuxta quorum præscriptum Creta cum insulis Ægei maris Venetis cessit; Bonifacius Monferratensis Thessalię & Peloponnesi Rex dictus est: Athenas & Achaiam accepit Godefredus è Tricassium nobilitate; c Attaliæ dominabatur Aldebrandinus natione Italus, sed Romanorum institutis probe educatus: reliqua Balduino cum Imperio Orientis relicta sunt. Hæc autem omnia Imperator, Pontificis auctoritate rata haberi postulauit. Cæterum cum ex pacto inscripto, etiam possessiones Ecclesiarum diuidere inter se statuerent, Principes sæculares, reseruata tantummodo modica sustentatione clericis quorū vel extiterant, vel futuræ erant, ideo pro reliquis quidem articulis capitulorum pacta inita confirmauit; pro ista vero, quæ in præiudicium Dei, Innocentius Ecclesiæ & Ecclesiasticorum vergebat noluit approbare. Sed cum tam Imperatori, quam Duci Veneto, & reliquis Principibus causam, cur non posset ea rata habere, assignasset, mandauit omnibus, ne ad diuisionem bonorum Ecclesiæ vllo modo procederent. Quod si præsumerent, vniuersis Episcopis & Prælatis in exercitu eorum præcipiebat, vt omni timore posthabito, anathemate in auctores execrandæ huius iniuriæ, animaduerterent, & reliqua disciplinæ Christianæ flagra in eos, quicunque ausi fuerint, exercerent.

INNOC. BALDVINVM IMPERATOREM CONFIRMAT. *lib. 7. ep. 201. 205. 206. 208. & seq.*

c *Nicetas Choniates lib. 3.*

V. d *epist. 202. & 207.*

Henricus d Dandalus Dux Venetus datis literis ad Innocentium, excusabat prædam Iaderæ, quod ignoraret illam sub protectione Sedis Apostolicę receptam esse, proinde orabat, per Legatum Apostolicæ Sedis à censura exsolui. Commisit Pontifex Petro Legato potestatem plenariam, eum ad communionem Ecclesiasticam, data satisfactione, recipiendi.

VI. e *ep. 203. 204. & seq.* PATRIARCHA LATINVS ELIGITVR.

Eodem e tempore Byzantiis datus est Patriarcha ex nobilitate Veneta Thomas Maurocenus, cuius electionem, postulante Balduino Imperatore Innocentius confirmauit, & quantum opus fuerat ipse delegit & Sedi illi præfecit: & tum Balduino, tum Duci Veneto, tum reliquis Principibus, Episcopis, Abbatibus & clero vniuerso eumdem diligentius commendauit.

VII. Vniuersam autem sacram expeditionem, & quæ tum in itinere, tum Constantinopoli, tum in Syria Crucesignatis contigissent, vt quis probe perspiciat, *ex Annalibus Flandriæ* placuit inserere: ita vt vno intuitu, tota caseries historiæ cognoscatur. Sic habent ex ipsa fide: *lib. 7.*

Authore potissimum Innocentio III. hoc anno in barbaram regionē ductus est nouus exercitus. Præcones Cōcionatoresque eius rei gratia circummissi, quorum Fulco Parisiensis, Petrus Rosiacensis, ac Herluinus Monachus D. Dionysii Parisiensis, in Belgis eo functi sunt munere. Cæteri Gallicæ iuuentutis proceres Duce Theobaldo Comite Campaniæ sunt profecti. Belgæ, Balduino Flandrensi certatim nomina dedere. Ducum autem fortissimorum nomina eius expeditionis hæc sunt: Balduinus & Henricus Flandrēses, Theobaldus Campanus, Bonifacius Ferratensis, Ludouicus Blesensis, Ludouicus Allobrox seu Sabaudus, Gothofretus ac Stephanus fratres Perticenses, Hugo Comes Fani Pauli, Reginaldus Bononiensis, Simon Montefortis cum Vidone fratre, Balduinus Bellofortis, Henricus Dux Louaniensis, Reginaldus Dampetra, Popinus Aurelianensis, Gualterus Comes Brenæ, Garnerius Tricassium Episcopus, Ambrosius Malaspina Italus, Alphonsus Baionensis, Milo Episcopus Suessionum, Matthæus Momorentianus, Gothofredus Genuilla, Henricus Argellerius, Ioannes Virson, Oliuerius Rochifordius. Ex Anglia Comites Nortulcensis & Nortantoniæ. Ex Italia Comes Brixiensis. Minoris autem notæ viri ex Flandria Balduinum secuti sunt, Guilelmus cognomento le Rous aduocatus Betuniæ cum Bartholomæo

fratre.

fratre, Ioannes Nigellanus Præfectus Burgenſis. Raſſo Gauerus cum fratre Rogerio, Henricus Nigellanus Leuinus Axellanus, VVinnecus Hondeſcotanus, Theodoricus Dixmudanus, Iodocus ab Materis, Ioannes Oudenhouius, Ioannes Sacerdos ad Somerghem, Ioannes Daiere cum Ferrico fratre. Tam longinquam Balduinus, vna cum Maria vxore profeſſus militiam, Philippo fratri ac Bochardo Auenienſi curam & adminiſtrationem Flandriæ atque Hanoniæ, ſimul duarum filiarum ſuarum tutelam cuſtodiamque attribuit, quas Gandaui apud Mathildem fructuariam Philippus aliquamdiu educandas curauit; ſed poſtea non ſatis ſe fidelem cuſtodem exhibuit. Hic tam copioſus tamque inſtructus exercitus poſtquam Venetias venit, de tantorum Veneti aduentum Ducum plurimum gauiſi, ea conditione illis operam ſuam, fidemque ac claſſem copiis tranſuehendis promiſerunt, ingentemque vim auri mutuam dederunt, vt paucos dies illorum auxilio vterentur aduerſus Iadertinos, qui Vngaris adhæſerant. Cruceſignati, quibus & aurum ad res gerendas, ac claſſis neceſſaria erat, accepta conditione in Iadertinos Iſtroſque exercitum permouerunt: iunctiſque cum Venetis copiis Iaderam vrbem obſederunt. Inter hæc Maria Balduini vxor, quæ cum Ioanne Nigellano in Syriam præceſſerat, ac poſt varias iactationes multaque pericula Ptolemaida peruenerat, morbo dum virum ibi operiretur contracto, defuncta eſt, 4. Kalend. Septemb.

V III. Ad Iaderam dum ſederent, hyemeque multo aſperrima, partim hic, partim Venetiis hyemarent, Alexis B. zantini Imperatoris Iſaaci filius, multis cum lachrymis venit queſtum, ac opem à Cruceſignatis imploratum, contra vim atque tyrannidem patruiſui Alexis Imperii affectatoris, qui nefario conſilio patrem eius Iſacium captum, luminibuſque priuatum in vincula coniecerat; nomenque ac titulum Auguſti inuaſerat. Græcos inter & Latinos, quum raro alias, tum ea tempeſtate multo minime conueniebat. Philippus Latinorum Auguſtus Soceri ſui Iſacii caſum miſeratus, Alexin adoleſcentulum benigne audiebat. Innocentius porro Pontifex maiorem in modum dolebat, quod Romanæ Eccleſiæ Græci ſubeſſe recuſarent; illoſque ad officium reuocare peroptabat. Ad hæc Franci quoque & Veneti, palam Græcis erant infenſi. Veneti quidem propter mercatores ſuos paucis ante annis ab Hemmanuele Auguſto tota Græcia atrociter comprehenſos; Franci ob Alexin Hemmanuelis filium Ludouici Regis generum Imperio pariter & vita domeſticis diſcordiis ſpoliatum. In tam turbido rerum ſtatu Alexis ſingulari adoleſcens indole, ès omne alienum à Cruceſignatis factum, Venetis ſe diſſoluturum, ſimul Græcam Eccleſiam Romanæ ſubiecturum promiſit; iiſque conditionibus iureiurando roboratis auxilium impetrauit. Coactis Iadertinis, Liburniſque & Iſtris, omnem belli apparatum apperente iam vere Duces in Græciam conuerterunt. Inſtructa itaque ingenti claſſe, quæ triremes 60. onerarias 70. hippagones centum habuit & viginti, Conſtantinopolim curſum direxerunt. Eo poſtquam peruentum eſt, cum hoſte mox decertatum. Alexis namque tyrannus, ac gener eius Theodorus Laſcaris, cum 1 x. armatorum millibus, Cruceſignatos appulſu arcere conabantur. Ar tanta virtute à Cruceſignatis pugnatum eſt, vt parum abfuerit, quin primo die vrbs caperetur; tantuſque eſt iniectus Alexi timor, vt nocte quæ inſecuta eſt deſperatis rebus clam vrbe profugerit: cuius cognita fuga Iſacius à ciuibus cuſtodia eductus eſt, Imperioque quamuis amiſſis oculis, cum Alexi filio in vrbem iam recepto reſtitutus, meliore aliquanto ſpe ciuitati affulgêre. At mox Iſacio ſene morte abſumpto, turbata rurſum omnia, ingens concitatus tota vrbe tumultus: cum Græci Romanis ſeruire, iuraque ab illis petere indignum ducerent, ſimulque promiſſam ab Alexi Iſacii filio pecuniam Venetis reddere detrectarent; eoque contentionis res proceſſit, vt Alexin alium cognomento Myrtilum relicto Iſaii filio Auguſtum conſalutarint. Hic necato mox ſua manu iuuene Alexi iuſto Imperatore, iuuentutem omnem armauit, vrbemque a Cruceſignatis obſeſſam defendere conatus eſt. Cruceſignati autem cognito tam nefario eius parricidio acrius multo quam antea vrbem oppugnauerunt, eamque Pridie Idus Aprilis in poteſtatem redegerunt; poſtquam duo de ſeptuaginta dies arctiſſimâ continuaſſent obſidionem. Eo confecto negotio, indictum ſtatim de creando nouo Auguſto Concilium; in quo quindecim inſtituti Electores, ſummo conſenſu Balduinum Flandriæ Hannoniæque Comitem Auguſtum renunciauerunt; quod hic inter Gallos vniuerſos & vir fortiſſimus nobiliſſimuſque & Dux ſummus haberetur, ſimul quod Flandrorum ac reliquorum Belgarum iam inde ab initio eius expeditiones omnibus in præliis præcipua ac multo omnium maxima fuiſſet virtus. Hæc ſexto Cal. Maias, Anno M.CC.IV. Nam in diem VII. Cal. Maii, qui D. Marco ſacer eſt, incidit tum Paſcha. Fuere autem quindecim illi Electores, Bethleemicus, Ptolemaidis, Sueſſionum ac Tricaſſium Epiſcopi, cum Abba Lucædii; Flandrus præterea, Bleſenſis, Monferratenſis, Faui Pauli, ac Brenæ Comites, cum quinque primoribus viris ex nobilitate Veneta. Creatus ab eiſdem Patriarcha ex Veneris Thomas cognomento Mauroceno: qui Romam mox profectus Græcanicam cum Romana viuit Eccleſia, ſtatimque Conſtantinopolim reuerſus, Balduinum Auguſtum corona aliiſque Imperii inſignibus decorauit XVII. Calend. Iunias. Bonifacius Ferratenſis creatus à Balduino Rex Theſſaliæ: Creta Venetis permiſſa. Vſus eſt autem Balduinus publicis in literis hoc titulo: Balduinus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, à Deo electus. Sigillo etiam aureo vſus eſt. †Porro quid exercitus occidentalium, tum ipſe Balduinus Conſtantinopoli egerit, ſtatim is idem vniuerſis, ac in primis Innocentio ſummo Pontifici ſignificauit. Hæc eſt.

BALDVINI IMP. CONSTANTINOPOLItani Flandriæ Hannoniæque Comitis, Epiſtola de vrbis Conſtantinopolitanæ per Latinos anno 1204. expugnatione.

BAlduinus Dei gratia fideliſſimus in Chriſto Imperator Conſtãtinopolitanus à Deo coronatus, Romanorum moderator & ſemper Auguſtus, Flandriæ & Hannoniæ Comes vniuerſis Chriſti fidelibus, Archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, prioribus, præpoſitis, Decanis ceteriſq; Eccleſiarum prælatis, eccleſiaſticiſque perſonis, Baronibus militibus & feciantis, omnique populo Chriſtiano, ad quos pagina præſens pærueniet, in Deo ſalutari gratiam & ſalutem. *Audite qui longe eſtis, & quiprope admiramini & laudate Dominum, qui magnifice fecit, qui antiqua miracula noſtris dignatus eſt renouare temporibus, & non nobis quidem ſed nomini ſuo gloriam dedit omnibus ſæculis admirandam. Mirabilibus enim circa nos ſemper admirabiliora ſuccedunt. Cum etiam infidelibus eſſe nõ debeat dubium, quin manus Domini hæc omnia operetur; & nihil ſperatum à nobis aut promiſſum ante contigit: ſed tunc demũ nobis noua dominus procurauit auxilia, cum nihil humani videretur conſilii ſupereſſe, & quidẽ ſi bene meminimus per literas vniuerſitati videtur tranſmiſſas, noſtri progreſſus & ſtatus narrationem eo vſque deducimus, vt vrbe populoſa capta violenter à paucis, tyranno fugato, ac filio Iſaacii Alexio coronato, mora noſtra promiſſa foret & ordinata per hyemem, vt potenter obtineãtur ſi qui reſiſtere viderentur Alexio, & nunc breuiter narranda ſuſcipimus quæ poſtea circa nos contigerunt. Eo prænotato quod ſicut opera hominum non fuere ſed Dei, quæ Græcis intulimus; ita non hominum opera ſed dæmonum fuere quæ cum Imperatore nouo Græcorum populus pro omni gratia nobis ex perfidia conſueta retribuit. Nos ſiquidem cũ diſcordiæ inter nos & græcos ſomitem miniſtrare moribus noſtris aduerſa barbaries, de ciuitate exeuntes ex aduerſo ciuitatis interiacente portu ad preces Imperatoris caſtra poſuimus; & ex inſperata ſeu innata malitia, ſeu græcorum ſeductus perfidia, animo recedit à nobis, cuis tanta beneficia contulimus, Imperator, & in omnibus cum Patre Patriarcha & mole nobilium nobis promiſſis, periurus & mendax tot incurrit periuria, quod nobis præſtitit iuramenta. Vnde noſtro tandem deſtitutus auxilio, præliã contra nos meditatur incaſſum, & in naufigium, quod eum adduxerat & ſublimauerat ad coronam, procurat incendia. Sed voto tam crudeli, Deo nos protegente, fraudatur; fit pars ſua per cuncta deterior, & hominum ſuorum cædes & rapinæ proueniunt, imminente foris pugna, intus timorthus, coarctatus.*

Alii Marzulphum. *Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis ea occaſione captata, quod nullum ad auxilium noſtrum debet habere refugium. Cumque ei euadendi ſpes vnica reſtaret in nobis iuratum ſibi quendam Marchulphum nomine, ſanguine ſibi propinquum, de quo pro beneficiis impenſis ſuper omnes alios confidebat mittit ad exercitum noſtrum, qui Blakanæ palatium ſub Imperatoris & ſuo iuramento promittit in obſidium, donec nobis cuncta promiſſa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum Nobilis Marchio. Illudit Alexius Marchioni, & quos iam nobis dederat, ſpretis obſidibus conſueta periuria non veretur. Nocte inſecuta Domino ſuo periurus & nobis Marculphus, Græcis reddendi nobis palatii reuelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem: & ad hoc modis omnibus veniendum eſſe declarat, vt deiiciatur Alexius. Cuius proditionis merito tertius in vrbe Imperator attollitur in Dominum dormientem & rei neſcium ſacrilegas mittit manus, eumque carceris tetro includens, iterum Nicolaum quemdam, qui apud Sanctam Sophiam Imperialis infulas nouitas vſurpauerat, traditum ſibi, Græcorum qui eum creauerant proditione, rurſum incarcerat. Mortuoque poſt modicum Iſaacio, qui animum filii ſui à nobis præ omnibus, vt dicebatur, auertecat, acclamante clero Græcorum & populo vt de terra tolleremur in breui tantum ſanguinem noſtrum ſitientibus Græcis, prælia contra nos proditor iam dictus inſtaurat. Vrbem machinis & propugnaculis munit, quorum ſimilia nemo vidit vnquam. Cumque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cæmento, feracitatis & firmitatis antiquæ conſtructus in altum valde conſurgens, turres haberet ampliſſimas pedibus circiter quinquagenis paulo plus minuſve diſtantis inter quaslibet duas à parte maris, quo noſter timebatur aſſultus, turris lignea erigitur ſuper murum ſtationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. Nihilominus tamen inter quaslibet duas turres ſeu petraida ſeu mangonellus erigitur. Turribus autem ſuperemineãtur lignea turres altiſſimæ ſtationum ſex, ſuperque ſuprema ſtatione aduerſus nos porriguntur calce appodiationis & propugnacula continentes. Paulo minus excelſis ſcalarum capitibus, quæ iacere in altum poſſunt arcum à terra.*

3. *Murum etiam ipſum murus circumcingit inferior, duplex foſſatum, ne muris vlla applicari valerent ingenia ſub quibus poſſent latitare foſſores. Interim terra, marique nos tentat perfidus Imperator, nos ſemper Domino protegente, & ſuos fruſtrante conatu. Nam præter ordinationem noſtram ad prædam victualium procul exeuntibus noſtris vſque ad mille animas hominum pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine graui, primoque congreſſu diſſipatur omnino, cæſis, captiſq; non paucis ſine damno noſtro, & fuga ignominioſa conſulens ſibi clypeum abiicit, arma deponit, & noſtru vexillum Imperiale dimittit, nobilemque quam ſibi præferri faciebat ſconiam, quam Ordini Ciſtercienſi noſtri dedicauere victores. Iterato nauigium noſtrum flammis aggreditur, intempeſtaque noctis ſilentio Chriſti naues ſuas accenſas velis in altum expanſis & inficias colligatis ad proram flante fortiter Auſtro noſtras immittit in naues: ſed domino faciente cum multo labore noſtrorum cuſtodiumus indemnes, & ardentibus nauibus clauibus infixis cathenis hærentibus noſtrorum remigio trahunt in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Noſque terreſtrem eum prouocauimus ad pugnam, & ponte atque amne tranſmiſſo qui exercitum noſtrum ſeparabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portã domini ſtetimus Regiæ Ciuitatis, & Palatii Imperialis quod Blakernæ nuncupatur in nomine Domini agminum Iſrael, præcedente Cruce vitifica, parati ad præſtum Græcos excipere, ſi eis placuiſſet exire, & quidem pro militia exercitio exeuntem nobilem quendam noſtri pedites trucidarunt. Sic in caſtra reduces terra marique ſæpius prouocauimus, ſed dante Domino ſemper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis ficte Legatos perfidus incubator Imperii, poſtulat & obtinet cum Duce colloquium. Cunaque & Dux magnanimus obieciſſet, quod nulla cum eo poſſet eſſe pacis ſecuritas, qui Dominum ſuum carceri incluſiſſet, poſtpoſita iurisiurandi religione & fidei ac federis inter quantumlibet infideles firmiter obtinentis, & ipſi præripuiſſet Imperium, eidemque bona fide conſulteret vt Dominum ſuum reſtitueret, & humiliter poſtularet, noſtras etiam pro ſe promitteret præſes, & quod cum eodem Domino ſuo miſericorditer ſi vellet agere debite, vt quidquid contra nos egerat venenoſe, ſi rediret ad animum, imputare vellemus ætati, lapſuique conſilii: ille vana verba ſubintulit, quia quod reſponderet rationabiliter, non haberet. Obedientiam autem Romani Pontificis, & ſubuentionem terræ ſanctæ, quam iuramento & ſcripto Imperiali firmauerat Alexius, adeo refutauit, vt vitam amittere præelegerit, Græciamque ſubuerti, quam quod Latinis Pontificibus Græcia ſubderetur. Nocte igitur inſequenti Dominum ſuum laqueo ſuffocat in carcere, cum quo ipſo die prandium ſumpſerat inde*

Ducem Venetorum Dandulum intelligit. *& claua ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & coſtas inaudita crudelitate confregit: caſuque vitam, quam laqueo extorſerat, confingit ereptam, ac Imperiali ſepultura conceſſa propalatum omnibus ſcelus funeris honor diſſimulat. Sic nobis hyems tota perficitur, donec nauibus noſtris ſcalis aptatis, inſtrumentis bellicis præparatis, nos & noſtra recipientes in nauibus 5. Idus Aprilis, hoc eſt feria ſexta ante paſſionem Domini, vnanimiter pro honore S. Romanæ Eccleſiæ, & ſubuentione Sanctæ Terræ natali Prælio inuadimus Ciuitatem & eadem ſine multo noſtrorum ſanguine fuimus tanta perpreſſi, vt inimicis noſtris in approbrium verteremur, quorum ea die pars per cuncta ſuperior. Adeo vt tracta in terram Græcis compelleremur noſtra bellica inſtrumenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur aduerſam, ea die, vt videbamur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo multum & conterriti, ſed demum in Domino roborati diffinito rurſum conſilio inſtauramus ad pugnam, & quarto die, ſecundo Idus Aprilis, hoc eſt feria 2. poſt paſſionem Domini, flante Borea rurſum applicamus ad muros ſcalis natium ſcalis turrium applicatis cum multo labore noſtrorum permultum reſiſtentibus Græcis. Sed ex quo comitus gladios ſenſit noſtrorum, non diu anceps belli duranit euentus, dux ſiquidem naues pariter colligatæ quæ noſtros Epiſcopos Sueſſionenſem & Trecenſem deferebant, quarum erant inſignia Paradiſus, & peregrina, primæ ſcalis ſuis ſcalas turrium attigerant, & felici auſpicio peregrinos pro Paradiſo cunctantes hoſtibus admouerunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, miniſtriſque cœleſtiũ ſacramentorum prima de cœlo conceditur victoria. Irruentibus ergo noſtris Domino iubente cedit multitudo infinita præpacis, & propugnacula relinquentibus græcis noſtri audaciter militibus portas aperiunt: quorum cum Imperator, qui non procul à muris aſtabat armatus, conſpicaretur ingreſſum, ſtatim tentoria dereliquit & fugit. Noſtri cædibus occupantur, ciuitas capitur populoſa, recipiuntur in P. latiis Imperialibus qui noſtrorum enſes effugerant, multaque cæde facta Græcorum noſtri ſeſe recolligunt, adueſperante iam die arma ſiſti deponunt, de aſſultu Palatiorum in craſtinum tractaturi, ſuos recolligit Imperator, craſtinam hortatur ad pugnam, aſſerens quod noſtros in poteſtate iam habeat inter murorum ſeptæ concluſos, ſed nocte latente dat terga deiictus quo comperto, Græcorum plebs attonita de ſubſtituendo Imperatore pertractat, & dum mane facto ad cuiuſdam Conſtantini nominationem procedunt, pedites non expectata deliberatione maiorum ad arma proſiliunt, & terga dantibus Græcis fortiſſima & munitiſſima palatia relinquuntur, rotaque in momento ciuitas obtinetur, diripitur equorum innumera multitudo, auri & argenti, ſericarum pretioſarumque veſtium atque gemmarum, & omnium eorum, quæ inter diuitias ab hominibus computantur tam inæſtimabilis abundantia reperitur, vt tantum tota non videatur poſſidere Latinitas, & qui admodum pauca negauerat nobis, cuncta diuino conſilio reliquerunt, vt ſecure dicamus, quia maiora his mirabilia circa bellorum caſus nulla, vnquam narret hiſtoria, vt impleta prophetia manifeſte videatur in nobis, quæ dicit, perſequetur vnus ex vobis centum alienos, quia ſi inter ſingulos victoriam partiamur, quilibet ex noſtris non pauciores quam centum obſedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam vſurpamus, quoniam ſaluauit ſibi dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum eſt in nobis. A Domino factum eſt iſtud, vt ſuper omnia mirabilia mirabilius eſt in oculis noſtris. Ordinatis igitur diligenter quæ diſponenda rerum poſcebat euentus ad electionem Imperatoris vnanimiter & deuote procedimus, & omni ambitione ſeclusa, cum ſex Baronibus Venetorũ, venerabiles viros Epiſcopos noſtros Sueſſionenſem, Sallerſtadienſem, Trecenſem ducemq; Bethlemitanum, qui à partibus tranſmarinis auctoritate Apoſtolica nobis fuerat delegatus, Accaronẽſem electũ & Abbatem Pucedii, Imperatoris noſtri ſub Domino conſtituimus Electores. Qui oratione præmiſſa, vt decuit, Dominica miſericordiæ Domini, perſonam noſtram, quod à meritis noſtris procul erat, vnanimiter ac ſolenniter elegerunt, diuinas laudes clero ac populo pariter acclamante: ſequentique Dominica qua Iubilate cantatur, præcipiente Petro Apoſtolo Regem honorificari, eique obediri quaſi præcellenti, & Euangelio nunciante quod gaudium noſtrum nemo tollet à nobis, cum ingenti honore atque tripudio, more etiam ſuo applaudentibus Græcis ad honorem S. Romanæ Eccleſiæ, ac ſubuentionem Terræ Sanctæ glorioſe coronatum ad Imperium feſtigia Deo & hominibus amabiles patres memorati Pontifices cum vniuerſorum applauſu & piis lacrymis ſublimarunt. Aderant incolæ Terræ Sanctæ Eccleſiaſtica, militareſque perſonæ quorum præ omnibus inſignis abilis erat, & gratulabunda lætitia, exhibitum Deo gratias obſequium aſſerebant, quam ſi Ciuitas Sancta Chriſtianis eſſet militibus reſtituta. Cum ad confuſionem perpetuam inimicorum Crucis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Terræque Hieroſolymitanæ ſeſe Ciuitas regia denoue-*

rat, quæ tamdiu tam potenter aduersaria fuerit & contradixit virtuti. Hæc est enim quæ spurcissimo gentilium ritu pro fraterna societate sanguinibus alternis ebibitis cum infidelibus, ausa est sæpius amicitias firmare feruales, & eosdem diu mamilla lactauit vberrime, & exultit in superbiam sæculorum, arma naues & victualia vniuersa dando. Quid è contrario fecit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni gente latinorum exempla, quam verba. Hæc est quæ in odium summi Pontificis Apostolorum Principis nomen audire vix poterat, nec vnam inter Græcos eidem Ecclesiam concedebat, qui omnium Ecclesiarum à domino accepit principatum, & sicut recens eorum recolit memoria qui viderunt legatum Apostolicum morti tam turpissimæ condemnari, ita vt pro Apostolici culminis reuerentia ne ipsam paginam præsentem sustineamus mortis illius recordatione pollui, cum nec inter Martyres inueniatur vlla consimilis, licet pœnas eorum inuenerit ingeniosa crudelitas. Hæc est quæ Christum Solis dedicat honore picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spreta scripturarum auctoritate confixerat, plerumq; etiam facere consueuerat lauacri salutaris iterando iacturam. Hæc est quæ Latinos omnes non hominum modo dignabatur, sed canum, quorum sanguinem effundere pene inter merita reputabant, nec vllam pœnitentiæ satisfactionem præsentabant Laici Monachi, penes quos sacerdotibus spreti tota ligandi atque soluendi consistebat auctoritas. Hæc & eiusmodi deliramenta quæ Epistolaris explanare non valet angustia, impleti iniquitatibus eorum qui ipsum Dominū ad nauseam prouocabant, diuina Iustitia nostro ministerio digna vltione percussit, & expulsis omnibus Deum odientibus, & amantibus sese nobis terram dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino & oleo stabilitam fructibus opulētam, nemoribus, aquis, pascuis, speciosam ad manendum, & cui similem nō continet orbis, aere temperatam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris nostris sustinebimus vexillum regale deponi, donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum partes debeamus inuisere transmarinas, & Deo dante propositum peregrinationis explere. Speramus enim in Domino Iesu quod qui cepit in nobis opus bonū ad laudem & gloriam nominis sui, & inimicorum Crucis depressionem perpetuam, perficiet, cōfirmabit, solidabitq; Vniuersitatē ergo vestrā propensius oramus in domino, vt gloria huius atque victoria & spei peroptatæ, cuius ostium maximū nobis apertum est, dignemini esse participes quæ absq; vlla nobis dubitatione continget, si nobiles & ignobiles cuiuslibet conditionis aut sexus eisdem desiderijs accensis ad veras & immensas diuitias capessendas temporales pariter & æternas vnanimiter accurratis. Vniuersis n. Deo dante sufficimus, quos nobis Christiana religionis zelus addūxerit, vniuersos volumus, scimus & possumus secundum status suos, varietatē natalium & augere dilectis, & honoribus ampliare. Specialiter autē Deo amabiles viros Ecclesiasticos cuiuscunq; religionis aut ritus in domino postulamus, vt ad idem populū Dei potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant caterua tim, & ipsi venire festinent in locis amœnissimis & vbertimis non iam in sanguine, sed in multa libertate & pace, omnimq; bonorum affluentia Ecclesiam plantaturi, salua semper, vt decet, in omnibus suorum licentia prælatorum. Valete.

II.

EPISTOLA BALDVINI IMP. AD PONTIFICEM MAXIMVM.

AD laudem & gloriam redemptoris & sanctitatis vniuersæ perpetuum decus, vtilitatemque perpetuam generalis Ecclesiæ pertinere credentium nullus ambiget, si in Ciuitate Constantinop. veteribus honorata Consilium, vestra Paternitas generale Concilium conuocaret, Beatiss. Patern. vestræ præsentia confirmandum, nouamq; Romam veteri conuiret sanctionib. factis ac perpetuo valituris. Iam ad Concilium Græciam rebellem vos inuitasse didicimus, quasi quæ nondū videratis tempora præsignando. Licet siue pro rebellione Græcorum, siue pro vtilitatib. mundi, & variis occupationibus interim videamini distul. sse. Ecce nunc tēpus acceptabile Pr. S. Ecce nunc dies salutis. Cogitasse videtur Dominus temporib. nostris cogitationes Pacis, qui scabellum pedum vestrorū posuit inimicos vestros. Canite quasi, tuba Sacerdotali in Sion Amantiss. Pr. vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes. & fugentes vbera sanctificate, diem acceptabilem Domino, diem stabilitēde vnitatis & pacis, &, quia à Domino custodimur, nostræ fortitudinis confirmandæ. Quātum libet insufficientes simus ex nobis sperare audemus in domino, quia gaudiū domini sit fortitudo nostra ad euacuandū scandalū Crucis, & subiiciendam in terris omnem aduersariam potestatem, erigentem se aduersus Dominum & aduersus Christū eius. Recordamini Pr. S. Cathedræ vestræ sessorum, quorū modo gaudēt animæ, & in terris viuit gloriosa memoria, Ioa. Agapiti, & Leonis, seu aliorum qui ex variis causis instantibus leguntur Ecclesiam præsentialiter visitasse, sicut in Apostolicis continetur archiuis, & inuenietis manifeste, si nos qui asserunt se legisse, non fallunt, quod ex causis longe minoribus eorum quilibet aduentauit. Siquid ex ardenti desiderio & vltra quam decet inferimus ex benignitate consueta Rev. Patern. ignoscite, affectumq; nostrum, apicemq; negotii vlteriùs & potius quā verba spectate. Illud autē fidere nulla ratione debemus, quod Rev. Pontifices & Abbates nostri, & inferioris status venerabilis cleri tam magnifice ac decenter, tam honeste inter nos se habuerit, ac prudentia & armis Deo potentibus tam constanter ac triumphanter dimicauit vt coronā victoriæ de manu Domini omnino debeat expectare, & eorū in perpetuum in benedictione esse meruerit memoria. Et nequid eis in vlla gratia desit, Apostol. fauoris & gratiæ cumulum pro tam bene meritis reportare, Illustrem virum Dandalum Ducum Venetorum dilectum nobis & merito diligēdum cum amicis sociis nostris Venetis, quos fideles & industrios per cuncta reperimus, Paternitati Vestræ pro sua probitate meritoplurimum commendamus.

RESPONDIT INNOCENTIVS BALDVINO, EIQVE VICTORIAM ET IMPERIVM gratulatus: ita scripsit.

LIteras Imperatoriæ dignitatis quas nobis per dilectum filium Valochinum fratrem militiæ Templi tua deuotio destinauit paterna benignitate recepimus earumq; tenore plenius. intellecto gaudemus in Domino & in potētia virtutis ipsius quod is qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiā magnifica tecum miracula dignatus est operari ad laudem & gloriam nominis sui & ad vtilitatem & exaltationē populi Christiani, vt de tua taceamus magnificent. & virtute: Illud autem inter omnia gratum & acceptum est, & similiter prudentiam tuam commendamus quod potentia tua parum aut nihil, Domino autem & nobis totum adscribis vt exaltet humilitas quod superbia non extollit: speramus igitur imo pro certo tenentes quod Tu Sacrosanctū Rom. Ecclesiam quæ cunctorū fidelium mater est & magistra, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, semper cupias venerari, ad honorem tuum diligens studium impendere volumus & operam efficacem. Videtur te quam terram & homines tuos sub principali B. Petri & speciali nostra protectione suscipimus, dantes firmiter in præceptis vniuersis archiepiscopis & Episcopis nec non aliis Ecclesiarū prælatis, Regibus quoq; Ducibus, & Comitib. ceteris q; Princip. & populis vniuersis vt terras & homines tuos manuteneant & defendant, nec eos molestent nec ab aliis faciant molestari, sed Archiepisc. & Episcopi etiam per dil. Eccl. Apost. nr. cōpescant & eos ad satisfactionem omnimodā per excommunicationem impersonas, quæ per interdictū in terras omni occasione cessante compellant. Vniuersis etiam tam clericis quam Laicis cruce signa. consistentib. tecum in exercitu Christiano sub spe remissionis & indulgentiæ, quam sedes Apostol. pollicetur, iniungimus & mandamus vt ad defendendum, & retinendum constanter Imperiū per cuius subuentionis auxiliū terra Sancta facilius poterit de Paganorum manib. liberari, tibi prudenter & potenter assistant, & nos interim tibi de succursu pro vtraque terra mittendo ita disponere satagemus quod affectum animi nostri per exhibit. operis comprobabimus. Illud autem fili cariss. sollicitā debes cogitatione pensare quod postquam Regnum Græcorum ab obedientia Sedis Apostol. destituit, de malo semper declinauit ad peius, donec à superbis ad humiles, ab inobedientib. ad deuotos, à schismaticis ad Catholicos, iusto Dei iudicio est translatum, vt per virtutē obedientiæ resurgat ad bonum, quod per inobedientiam defluxit ad malum. Quocirca sublimitatem tuam monemur & exhortamur attentius, in remissionem tibi peccatorum iniungentes, quatenus Græcorum Eccles. & Const. Imperium quod ad innocationem Apostolicæ Sedis Gratia tibi Diuina subiecit, in ipsius obedientia studeas conseruare per quod & ipsum tibi melius conseruabis attentius prouisurus & Ecclesia bona tam immobilia quam mobilia diligenter facias, & diligenter custodiri, donec per nostræ dispositionis arbitrium salubriter ordinauis & quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo sine confusione reddantur.

In Germania, aliquantum quā anno superiore Ottonis potentia augebatur, *a* Ottocarus Boemiæ Dux Philippum reliquerat, & Ottoni Regi Romanorum adhæserat. Quo facto ita Innocentium Pontificem ei ga se propensum reddidit, vt ei titulum & nomen Regium adscripserit, monuerit; vt ab Ottone Rege regium diadema solemni ritu acciperet. Postquam autem ex more inauguratus fuisset, eidem omnia ab Ottone priuilegia concessa, auctoritate Apostolica confirmauit, dato diplomate XVII. Cal. Maii. Postulabat tunc tēporis ab Innocentio Ottocarus Pragensem Ecclesiam erigi in Metropolitanā, quæ erectio cum Moguntinæ Ecclesiæ præiudicare videretur, neque de meritis satis vsq; cōstaret, an eam dignitatem mereretur Pragensis Episcopus: IX. *a ep. 49. 54.* OTTOCARVS DVX BOHEMIÆ IN REGEM CREATVR IVSSV INNOCENTII

Scopus: ideo Subdiaconum quemdam Apostolicæ Sedis, Innocētius, Pragum misit, qui in omnia inquireret; & vt cui intereat, Moguntina Sedes non ignoraret, quid in eo negotio ageretur, tum Archiepiscopo tum canonicis, & ministerialibus Moguntinis significauit. Multi interim Procerum Boemiæ, Ottocari magnitudinem subuertens, noua quædam consilia contra eumdem moliebantur. Quos vt officii admonerent Pragēsis & Olmucensis Episcopi, *a* eos Innocentius hortatus est.

† Placet adscribere eam, quam de Regio titulo à Sede Apost. Principibus Christianis decreto, scripsit Innocentius Ottocaro. Ita habet.

INNOCENTIVS PAPA III. &c. N. REGI Bohemorum Illustri.

Edita A.D. 1204.

LIcet ante tuæ promotionis tempora multi fuerint in Bohemia Regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt à prædecessoribus nostris Rom. Pontificibus obtinere, vt Reges eos in suis litteris nominarēt.

Nos quoq; cum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, tum considerantes sollicite quod à Nob. Vi. Ph. Duce Sueuiæ te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non fuisset, nec te, nec alium poterat legitimæ coronare, Regem te hactenus non duximus nominandum.

Verum cum ad commonitionem Apostolicæ Sedis, & nostram, relicto Duce Sueuiæ, ad charissimum in Christo filium nostrum Illustr. Regem Othonem in Rom. Imperatorem electum, te conuerteris, vsus consilio saniori, & ipse habeat te pro Rege, tam intuitu precum eius, quā tuæ deuotionis obtentu Regem te de cætero reputare volumus, & vocare.

Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas, & fic ingratitudinis vitium studeas euitare, vt tua deuotio mereatur, quod & gratia tibi detur ex gratia, & data gratis perpetuo conseruetur, prouisurus attentius, vt quam citius poteris ab eodem Rege Othone te faciasolenniter coronari. Datum Lateran. i 3. Kal. Maii, Anno septimo.

X.

b ep. 45. & 48. COMITEM NAMVRCANVM OB EXPVLSVM EPISCOPVM CAMERACENSEM ANATHEMATE PVNIRI VOLT *epist. 114.*

Comes *b* Namrucanus, Episcopū Cameracens. expulerat, atq; multa damna eius Ecclesiæ intulerat. Committebat Innocentius Colonien si, Treuerensi, Senonensi & Rhemensi Archiepiscopis, & eorū Suffraganeis Episcopis, vt sententiam contra sacrilegum ab eodē Episcopo Cameracensi latam promulgarent, neq; vel minimum ab ea declinarent. Cæterū ne Episcopus rebus omnibus exutus mendicare cogeretur, Abbatibus, quibusdam & canonicis præcipiebat, vt tantumdem ei redditum assignarent, quantum ei sufficeret ad viuēdum, & creditoribus redhibēdum. *c* Archiepiscopus Merebergensis à Præneſtino Cardinali Legato publice excommunicatus obdurarat. Mandabat Innocentius Episcopo Hildesemensi & Præposito Magdeburgensi, ne quis illi contumaci cōmunicare, quousq; obstinare perseueraret. Leodiensi quoq; Episcopo *d* iniungebat, vt Traiectēsem Episcopum, publice in Colonien si diœcesi propter debita insoluta excommunicatum, publice quoque vniuersis populo denunciarent.

d l. 6. ep. 215.

XI. POENITENTIAM CONTRITIS EPISCOPI HERBIPOLENSIS SICARIIS IMPONIT.

In auctores quoque cædis Conradi Episcopi Herbipolensis, quem ante duos annos, Bodo & Henricus Rauensburgii occiderant, Innocentius II I. hanc quam adiungo sententiam promulgauit, dignam quæ legatur. Ita habet.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus has litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionē. Quam execrabile facinus & peculiare flagitium perpetrauerint, qui auſu sacrilego manus impias in Christū Domini nequiter iniecerunt, bona memoriæ Conradum Herbipolensem Episcopū Imperialis aulæ Cancellarium, crudeliter occidentes, flere potius libet quam referre. Verum cum Diuina pietas humanam impietatem excedat, & miserationib. Domini, miseriæ hominum comparari non possint; cum nolit Dominus mortē peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat, vtpote qui patiens & multum misericors est, & præstabilis super malitia: nos qui, licet indigni, vices eius exercemus in terris, scientes, quod maius gaudiū est angelis sup vno peccatore pœnitentiā agente, quā, &c. *quantumcunq; huiusmodi deliquerint homicidæ, non potuimus tamen. nec debuimus pœnitentibus aditum veniæ præcludere: cum nouerimus dixisse Dominum per Prophetas:* In quacumq; hora peccator conuersus fuerit, & ingemuerit, omniū iniquitatum eius nō recordabor amplius. *Bodonem igitur, Henricum quoq; vasallum eius, milites, cum Heroldo & Conrado seruientib. suis, ad nostram præsentiam venientes, & confitentes se prædictū Episcopum occidisse: cū de suis excessibus lachrymabiliter pœniterent, & humiliter postularēt sibi pœnitentiā à nobis pro tanti sceleris immanitate iniungi; quia pœnitentibus non est indulgentiæ ianua præcludenda, de fratrum nostrorum consilio, dilecto filio Hugoni, tituli S. Mart. presbytero Card. cōmissimus audiēdos. Qui confessione illorū audita, postquam fecit eos nudos corā nobis in bracis, tortas habentes in collo diebus aliquot in frequentia populorum æstare, de mādato nostro tolerem pœnitentiam illis iniunxit: vt nunquam de cætero, nisi contra Saracenos, vel ad defensionem vitæ armis vtantur. Varium, griseum, ermelinum, & pannos coloratos non portent. Ad publica spectacula non accedāt quam cito poterunt in Hierosolymit. prouinciam, per quatuor annos ibi contra Saracenos Domino seruituri. Bodo vero qui maior existit, tres vel vnum saltem in suis expēsis secum adducat. Et donec ipsi quatuor execrabiles homicidæ Hierosolymitanam iter arripiunt, sicut publice pœnitentes discalceati, & laneis induti vestimentis incedant. Secundam, quartam & sextam feriam, quatuor tempora, vigilias, & Sanctorū solemnes in pane & aqua ieiunent. Tres in anno quadrages. videlicet ante Resurrectionē, Pentecostem, & Nativ. Domini faciant. Carnibus, nisi tantū in eisdem tribus festiuitatibus, non vescātur: eaque die qua prædictus Episcopus fuit occisus, carnes non comedant in æternū. Orationem Dominicam decantent, centies inter diem & noctem, & genuflexiones faciant quinquagintā. Corpus & Sanguinem Domini accipere, nisi in vltimo mortis articulo, non præsumāt. Cum fuerint vltra mare, quartam & sextam feriam, Sanctorum vigilias, & quatuor tempora (sicut dictū est) in cibo quadragesimali ieiunent. Carnes comedent die Dominica, quinta feria tantū Orationē Dominicam dicant, & genuflexiones semper faciant prætaxatas. Quandocumq; aliquā ciuitatem Alemannicam poterunt secure intrare, ad maiorem Ecclesiam nudi procedant, tantū in bracis, cū torta in collo, & virgis in manu, & à Canonicis eiusdem Ecclesiæ recipiāt disciplinam. Si vero quæsitum fuerit, cur hoc faciant: dicant, hoc se facere pro sceleris perpetratiam dicti satisfactione. Si quando forte in ciuitate Herbipolensi poterunt esse securi, in Resurrectione, Pentecoste, Natiuitate Domini, ac solēnitate maioris Ecclesiæ, videlicet S. Kiliani, exeant ciuitate, & nudi inde cum bracis tantum, tortam in collo & virgas deferentes in manu: & ad Missæ celebrationē Maioris, ad Ecclesiam Cathedralem accedant, & ante Episcopum & Canonicos prosternentes se in terram, petant humiliter & recipiant disciplinam ab eis. Cum autem depertibus redierint transmarinis, ad Apostol. Sedem accedant, recepturi consilium & mandatum.* Datum Laterani 14. Kal. Maii Pontif. nostri anno 6. Domini vero 1204.

XII. VARIA IN HISPANIIS FIERI MANDAT.

In Hispaniis canonicus quidam Astoricensis Ecclesiæ suo Episcopo multa crimina obiiciebat. *e* Innocētius Pontifex vt iustitiæ nō deesset, Oxomensi, Burgēsi & Zamorensi Episcopis commisit, qui in facinora inquirerent, & facti inquisitionem Sedi Apostolicæ transmitterent. *f* Toletano quoque & Compostellano Archiepiscopis, nec non Tiraſonensi & Cominbricēsi Episcopis iniungebat, vt Regi Legionis suaderēt, qui castra in dotem à Rege Castellæ accepta, illi restitueret, postquā matrimonium dissolutum inter eum & filiam regis Castellę foret. Cui rei cum satisfeciſſet, Rex Legionis, Archiepiscopo Cōpostellano, vna cum Episcopis Palentino & Zamorensi potestatē faciebat, vt illū excommunicatione absoluerent; & vero filiā Regis Castellę eodē vinculo anathematis euincularent, Archiepiscopo Toletano, & Burgensi atq; Zamorensi Episcopis indulgebat. In iisdem Hispaniis, *g* Regem Arragoniæ Innocentius hortabatur, vt Deo sit fidelis atq; deuotus, eique primordia iuuentutis suæ cōsecrate nō negligat.

c l. 7. ep. 203
f l. 7. ep. 93. 94. & 97.

In Anglia, *h* Regi Ioanni præcepit, vtrā persecutione Archiepiscopi Dublinēsis desisteret: & Reginæ vxori Richardi fratris tum dotē eum ablata restitueret, alioquin anathema meritueret. Ibidem *i* Londonensi Archiepiscopo præcepit, vt clericos aliquos siæ diœcesis fornicarios castigaret. Cæterū cum inter Regē & relictam Richardi Reginam, mustę controuersiæ verteretur, vt in eis cognoscendis inquireret, & actorū seriem in vrbem transmitteret, *k* Archiepisc. Cantuarien. atq; Elien si & VVigornien si Episcopis Innocentius commisit.

g l. 6. ep. 235

XIII. ITEM IN ANGLIA.

h l. 7. ep. 191. ep. l. 6. ep. 194.
i ep. 198.

In Hungaria, *l* Banus Culinus, coram Rege Andrea iuramentum præstitit, sequein pœnam mille marcarum argenti obligauit, si à fide Christiana alienos reciperet, aut mala fide retineret. Ea de re Innocentio Pontifici Rex Andreas significauit. In eodē regno Innocentius Varadien si Episcopo commisit, vt visitaret & reformaret quasdam Græcorum Ecclesias in Regno Hungariæ ab Ecclesiastica disciplina desciscentes. Ibidē Strigonien si Archiepiscopo auctoritatē Apostolicam, communicauit, vt Regis Andreę filium quamnis grate minorem, ipso Rege petente, inungeret & coronaret, qui Patre Rege in Terram Sanctam abeunte Regnum administraret.

k l. 7. ep. 168

XIV. ITEM IN HVNGARIA.

l l. 6. ep. 212.

In Siciliam, hoc anno, miserat Gerardum Lucensem tit. S. Hadriani Diaconum Cardinalem Legatum, qui pacem inter Regem Fridericum, & eos qui Marcouvaldo adhæserant stabiliret, & nonnulla opportuna in eodem Regno sta-

XV. IN SICILIA MARCOVVALDI

ASSECLAS RECONCILIARI CVM FRIDERICO IVBET. *l. 7. ep. 30. 129 130. 131. 135. 136 epist. 155. & seq.*

biliret. In quem finem Regi, Archiepiscopis, Episcopis, Principibus & populis scripsit, vt eidem in omnibus obtemperarent, & si qui propter communionem Marcovvaldi excommunicati essent, absolutionem postularent, atq; fidelitatem sanctæ Sedi, & Friderico pupillo obseruarent. In Septentrionem Lundensem Archiepiscopum destinaret, qui censum Beati Petri in Regnis Daniæ & Sueciæ colligeret, & in vibem remitteret: atque Vpsalensi Archiepiscopo pallium deferret.

XVI. IN BVLGARIA REGEM FACIT ARCHIEPISC. PER LEGATVM CARDINAL. *epist. 126. & seq. epist. 1. vsq; ad 14.*

In Bulgariam & Valachiam Leonem tituli Sanctæ Crucis presbyterum Cardinalem Legarum direxerat, qui CaloIoannem eius Gentis Principem, diademate Regio coronaret. Quod negotium cum Rex Hungariæ impediret, eidem & Archiepiscopo Strigoniensi atq; eius Suffraganeis præceperat, ne fidei Catholicæ augmento contrairent.

† Hoc est diploma coronationis CaloIoannis, in Regem Bulgarorum & Blachorum, cum donatione insignium regalium, & potestate cudendi monetam, & facultas Archiepisc. Trimonitan. ipsius Regis pro tempore Successores, Apostolica auctoritate coronandi.

INNOCENTIVS PAPA III. CALO Ioanni III. Bulgarorum & Blachorum Regi, eiusque posteris, et tam in Regno, quam in deuotione Sedis Apostolicæ Successuris in perpetuum.

Edita A.D. 1204.

REX Regum & Dominus Dominantium Iesus Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, cui dedit omnia Pater in manu, pedibus eius subiciens vniuersa, cuius est terra & plenitudo eius orbis terrarum, & omnes habitantes in eo, imo cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum, summum Apostolicæ Sedis & Romanæ Ecclesiæ Pontificem, quem in B. Petro sibi Vicarium ordinauit, super gentes & regna constituit, euellendi destruendi, dissipandi, ædificandi, & plantandi ei conferens potestatem, loquens ad eum in Propheta qui fuit de Sacerdotibus Ana. Ecce constituit te super gentes & regna vt euellas, & destruas, & dispergas, & dissipes & ædifices, & plantes. Vt autem id expressius demonstraret, non per alium, sed per se ipsum cum pro hominibus carnem assumpsisset humanam, & calceamentum suum extendisset in Idumæam, vt ei allophyli subderentur, & oues suas quæ de hoc ouili non erant adduceret, & fieret vnum ouile, & vnus Pastor in se qui est super omnia Deus Benedictus in secula, vniuersali Ecclesiæ posuit fundamentum, eiusque Apostolorum Principi Petro magisterium contulit & primatum, dicens ad eum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues Regni cœlorum. Vbi etiam consequenter adiecit. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Post passionem quoque suam ascensurus in cœlum, ouile suum, videlicet Ecclesiam ei committens & commendans in ouibus, dixit ei, Pasce oues meas vocabulo tertio tempore, per hoc patenter ostendens quod ad eius ouile non pertinent oues illæ quæ se commissas & subiectas esse B. Petro contumaciter denegarint, & eius nolluerint eruditi doctrinæ & magisterio subiacere. Siquidem Ecclesia est Arca illa in qua paucæ animæ pereuntibus cæteris in diluuio sunt saluatæ. Vnde sicut omnes quos Arca non cepit in diluuio perierunt, sic omnes qui extra Ecclesiam inuenti fuerint, in iudicio damnabuntur. Arca enim Ecclesiam cathaclysmus iudicium & Pastorem Ecclesiæ Petrum, Noe Rectorem Arcæ figurat. Ille cum Domino legitur ambulasse, hic autem super vndas maris, quod hunc mundum significat ad Dominum scribitur peruenisse. In quo etiam expresse notatur quod Petro non specialiter aliqua specialis Ecclesia, sed totus mundus commissus fuerit & Ecclesia generalis. Nam sicut aquæ multæ sunt populi multi. sic mare magnum & spatiosum mundum significat vniuersum. Vnde vocatis cæteris in partem solliciti dinis, hunc assumpsit Dominus in plenitudinem potestatis, cum inquit ad eum. Tu vocaberis Cephas, quod Petrus interpretatur, & caput, vt Petrum caput Ecclesiæ demonstraret. Qui sicut vnguentum quod à capite Aron descendit in barbam in membra diffunderet, vt nihil sibi penitus deperiret, quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra vero pars eorum aliqua deriuatur. Insuper querenti Petro si quoties peccaret in eum frater eius dimitteret ei vsque septies, Dominus legitur respondisse. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Sane cum omne tempus, septem dierum numero concludatur, multiplicatus in se septenarius in hoc loco notat vniuersorum vniuersa peccata, cum solus Petrus, non solum omnia, sed omnium posset crimina relaxare. Ipsi enim non alii dictum à Domino reperitur. Tu me sequere, id est in veri Pastoris officio & potestatis Ecclesiasticæ plenitudine imitare. Quia eum in officio Vicarium sibi substituit Dominus & in magisterio successorem, sic hæreditatem, in cuius præclaris funes eius ceciderant, transferes in eundem, vt alii post eum & sub eo quasi partialia facere de hæreditate legata.

§. 1. Cum igitur licet immeriti eius vices geramus in terris, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud, vtpote per quē Reges regnant, & Principes dominantur. cum Petro, & successoribus eius, & nobis in eo nouerimus esse dictum. Ego pro te rogaui Patrem, vt non deficiat fides tua, sed tu aliquādo conuersus, confirma fratres tuos, cum ex præcepto Domini oues eius pascere teneamur, populū Bulgarorum & Blachorum, qui multo iam tempore ab vberibus matris suæ alienati fuerant, in spiritualibus & temporalibus paterna solicitudine prouidere volentes, eius auctoritate consisi, per quem Samuel Dauid in Regem inunxit, Regem te statuimus super eos & per dilectum filium L. tituli S. Crucis Presbyterum Cardinalem apud Sedem Legatum virum prouidum & honestum, nobis inter cæteros fratres nostros acceptum, sceptrum Regni ac Regium tibi mittimus, diadema eius quasi nostris tibi manibus imponendum. recipiendo à te iuratoriam cautionem, quod nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Rom. deuotus & obediens permanebis, & cunctas terras & gentes tuo subiectas Imperio in deuotione, & obedientia Sedis Apostolicæ conseruabis.

§. 2. Ad petitionem insuper venerabilis fratris nostri Blasii Brandi, Ziberen. Episcopi quem ad Sedem Apostolicam destinasti, publicam in Regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam, liberam tibi concedimus facultatem.

§. 3. Venerabilitiā fratri nostro Archiepiscopo Innouitan. in terris quibus imperas vniuersis priuilegium concedimus, primatus. Qui & successores ipsius, tuos in posterū successores, simili ab eis iuramento recepto, Apostolicæ Sedis auctoritate coronent, & in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique Metropolitam tam Bulgariæ, quā Blachiæ Prouinciæ constituti subiaceant, & iuxta formam canonicam reuerentiam primati debitam exhibeant, & honorem.

§. 4. Sic ergo fili charissime gratiam quā Apostolica Sedes mater tua tibi facit agnoscas, sic retribuas nobis pro omnib. quæ tribuimus ipsi tibi. sic regnum tuum in Apostolicæ Sedis subiectione ac deuotione confirmes, vt cum sub Petro in illius petræ fuerit firmitate fundatum, de qua inquit Apostolus, Petra autem erat Christus, nec pluuiarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus. Tu quoq, præter auxilium Apostolicæ Sedis, quod iuxta deuotionem tuam senties in præsenti de temporali regno, ad regnū peruenias sempiternum.

§. 5. Decernimus ergo vt nulli omnino, &c. hoc priuilegium nostræ constitutionis, & cōcessionis infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c. Datum Anagniæ per manus Ioannis S. R. E. Subdiaconi & Not. VI. Kal. Martii. Indictione VII. Incarnationis Dominicæ Anno 1203. Pont. vero Domini Innocentii Papæ III. Anno septimo.

In eodem Regno titulum Primatis Archiepiscopi Trimonitano & pallium concessit, aliudque pallium Anastasio Archiepiscopo Beletodiensi dedit, audito vtriusque ex formula præscripta iuramento.

XVII. TRADITIO PALLII BVLGARORVM PRIMATI.

Porro Cardinalis Legatus ex infrascripta formula dedit pallium Archiepiscopis duobus, quos recens authoritate Sedis Apostolicæ creauit. Est autem ista.

Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & B. Petri & Pauli Apostolorum, & Dn. Papæ Innocentii & Romanæ Ecclesiæ, nec non & Ecclesiæ tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in signum videlicet plenitudinis Pontificalis officii, quo ad Missarum solennia infra Ecclesias tibi subiectas vteris; in Natiuitate Domini, Sanctiuitate prothomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphaniæ, Hypapante, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Paschæ, Feria secunda Paschæ Ascensione Domini, Pentecostes, tribus festiuitatibus S. Mariæ, Natali B. Ioan. Baptistæ, Solemnitatib. omnium Apostolorum, cōmemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, cōsecrationibus Episcoporum, ordinationibus clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festiuitatibus, & anniuersario consecrationis tuæ die. Sane solus Rom. Pontifex in Missarum solemniis pallio semper vtitur vbique; quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quę per pallium figuratur; alii autem eo nec semper, nec vbiq;, sed in Ecclesia sua, in qua iurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent vti diebus, quoniam vocati sunt in partē sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Præceperat etiam Innocentius Legato, vt tam à Primate, q̄ reliquis Archiepiscopis reciperet huiusmodi Sacramentum.

IVRAMENTVM PRIMATIS BVLGARIÆ TRIMONITANI ET RELIQVORVM ARCHIEPISCOP. LEGATO APOSTOLICO PRÆSTITVM.

Ego Archiepiscopus Trimonitanus Primas totius Bulgariæ & Blachiæ ab hac hora in antea ero fidelis & obediens B. Petro Sanctæque Romanæ & Apostolicæ Sedi, & Domino meo Innocentio, eiusque Catholicis Successoribus: non ero in facto, consilio, vel consensu vt perdant vitam aut membrum, vel capiantur, aut spolientur: consilium quod mihi crediderint ad eorum damnum me sciente nemini pandam: eorum certum malum si sciuero, impedire studebo; quod si non potero impedire, eis quam cito potero nunciare curabo. Papatum Romanum, honores, dignitates, & rationes Apostolicæ Sedis defendam pro posse, saluo ordine meo, contra omnem virentem vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditione canonica fuerim impeditus: Apostolorum limina singulis quadriennijs per me, vel per nuncium meum visitabo, nisi eorum absoluar licentia. Legatum Apostolicæ Sedis, quem pro certo sciuero esse Legatum, deinde suscipiam, & in suis necessitatibus adiuuabo. Cum quemlibet de meis Suffraganeis in Episcopum consecrauero, faciam illum iurare vt Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam & debitum honorem impendat. Cæterum cum aliquem coronauero in Regem Bulgarorum & Blachorum iuxta indulgentiam mihi & Successoribus meis ab Apostolica Sede concessam, ab eo iuratoriam recipiam cautionem, quod ei qui tunc Apostolicæ Sedi præfuerit, Successoribus & Ecclesiæ Romanæ deuotus & obediens permanebit, & cunctas terras & gentes suo subiectas imperio, in obedientia & deuotione Sedis Apost. confirmabit. Hæc omnia bona fide seruabo: Sic Deus me adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia in præsenti & futuro.

XVIII. DESCRIBIT INNOCENTIVS OFFICIVM EPISCOPALE.

Præstito Sacramento à Primate, has infra scriptas Innocentii litteras Cardinalis Legatus ei legit atque dedit. *Te quoque* (ita habent) *in Regno Bulgarorum & Blachorum Primatem statuimus & Ecclesiæ Trimonitanæ præsenti priuilegio auctoritatem concedimus Primatiæ; statuentes, vt tu & Successores tui, qui tibi in Apostolicæ Sedis deuotione successerint, cæteros Metropolitanos Bulgariæ & Blachiæ præcellatis ratione Primatus, & ipsi tibi & eis iuxta formam Canonicam reuerētiam Primati debitam exhibeant, & honorem: Fraternitatem tuam scire volentes quod hæc duo nomina Primas & Patriarcha apud nos pene penitus idem sonant, cum Primates & Patriarchæ, teneant vnam formam, licet eorum nomina sint diuersa. Præsenti quoque priuilegio tibi, & per te tuis Successoribus inungendi, benedicendi & coronandi Reges Bulgarorum & Blachorum in posterum liberam concedimus facultatem. Obeunte vero te nunc Ecclesiæ memorata Primate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia proponatur, nisi qui canonice fuerit electus ad eam secundum consuetudinem approbatam. Electus autem per Metropolitanum & alios Suffraganeos eidem Ecclesiæ qui poterunt interesse in Episcopum solemniter consecretur. Consecratus vero ad Sedem Apostolicam nuntios suos mittat, pallium de corpore Beati Petri sumptum in signum videlicet plenitudinis Pontificalis officii petiturus. In cuius susceptione iuramentum illud nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ præstabit, quod alii Primates & Metropolitani secundum generalem consuetudinem nobis præstant, & tu ipse in susceptione pallii præstitisti, cuius formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinauimus exprimentes in ea, vt cum in Regem quemlibet expredicti Regis Successoribus coronauerit, præscriptum ab eo recipiat iuramentum. Cum autem aliquis Metropolitanorum qui tibi iure subiacent Primatiæ, viam fuerit vniuersæ carnis ingressus, confirmabis electionem canonicam de persona idonea celebratam, & personam electam in Episcopum consecrabis. Pro pallio vero Nuntios tuos cum Nuntiis Ecclesiæ cui præest, ad Apostolicam Sedem mittas, nosque illud tibi per eos libenter & hilariter transmittemus per te Metropolitano Episcopo, iuxta formam quam sub bulla nostra recipies solemniter conferendam; ita quod si Legatum vel Nuntium nostrum contigerit interesse, id cum eo pariter exequaris, Chrisma vero & oleum catechumenorum & infirmorum singulis annis in cœna Domini in Ecclesia Bulgariæ & Blachiæ fieri secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ concedimus, vt quoties necesse fuerit, qui baptizandi fuerint baptizentur & confirmentur per Diœcesanos Episcopes qui fuerint confirmandi, nec Episcoporum consecratio, nec ordinatio Sacerdotum propter defectum huiusmodi vel impeditur penitus, vel diutius differatur, quia licet hactenus apud vos nec in sua ordinatione presbyteri, nec in consecratione sua Episcopi consueuerint Sacram recipere, volumus tamen vt deinceps non tam ritum nostrum sequentes quam mandatum Diuinum, per quod in lege præcipitur, vt Pontifices & Sacerdotes vngant manus eorum qui ordinandi sunt in presbyteros, & tam manus quam caput eorum qui consecrandi sunt in Episcopos solemniter inungantur. Præterea Crucem, vexillum videlicet Dominicæ passionis ante te per totam Bulgariam & Blachiam deferendi, fraternitati tuæ licentiam impartimur. Quia vero secundum consuetudinem Bulgarorum & Blachorum, nec in ordinatione presbyteri, nec in consecratione Pontifices fuerant inuncti; præcepit Ioanni Albanensi Episcopo Cardinali, vt eos omnes assistentibus duobus Episcopis inungeret: easque litteras vni eorum scriptas vniuersis ostendens, mysterium vnctionis illis aperiret. Ita ostendebat Innocentius Sacramentum.* Hoc, *ait*, Catholica tenet Ecclesia, non solum ex præcepto Diuino, verumetiam Apostolorū exemplo. In Exodo quippe legitur: Præcepit Dominus Moysi, vt & Aaron, & filios eius inungerent, quorquot eius Sacerdotio fungerentur. *& Anacletus natione Græcus, qui à Beato Petro fuit in presbyterum ordinatus & postea in Apostolatus officio Clemeni successit, tradit in ordinatione vngendos sua Episcopos more Apostolorum & Moysi: quia omnis sanctificatio in spiritu sancto consistit, cuius inuisibilis virtus sancto Chrysmati est permixta, vnde scire te voluimus, duas esse species vnctionis, exteriorem quæ materialis est & visibilis, interiorem quæ est spiritualis & inuisibilis. Exteriori visibiliter vngitur corpus; interiori inuisibiliter inungitur cor. Deprima Iacobus Apostolus ait*: Infirmatur quis in vobis, Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum. *De secunda Ioannes Apostolus ait:* Vos vnctionem quam accepistis ab eo, manet in vobis, & non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. *Vnctio visibilis vnctionis, nec solummodo signum, sed etiam sacramentum: quia si digne sumatur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat. Ad exhibendam igitur exteriorem & visibilem vnctionem benedicitur oleum quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum, & conficitur chrysma quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur, iuxta quod legitur:* Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cū lampadibus. *Per balsamum autem exprimitur odor famæ, propter quod dicitur:* Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. *Hoc igitur chrysmate vngi debet Episcopus non tam in corpore quam in corde, vt & interius habeat nitorem cōscientiæ quoad Deum, & exterius habeat odorem famæ quantum ad proximum. De nitore conscientiæ dicit Apostolus:* Gloria nostra est testimonium cōscientiæ nostræ: Nam omnis gloria filiæ Regis ab intus. *De odore famæ idem Apostolus:* Christi bonus odor sumus in omni loco; & aliis sumus odor vitæin vitā, aliis odor mortis in mortem. *Debet enim Episcopus bonum habere testimonium, & ab his qui sunt intus, & ab his qui sunt foris, vt cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, veni. Hoc vnguento caput & manus Episcopi conseruantur. Per caput enim mens intelligitur, iuxta illud:* Vnge caput tuum, & faciem tuam laua. *Per manus, opera designantur, iuxta illud;* Manus meæ distillauerunt aurum. *Manus ergo inunguntur oleo pietatis, vt Episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur balsamo charitatis, vt Episcopus diligat DEVM ex tota mente, ex tota anima, & proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, manus propter ministerium & officium. Caput inungitur, vt ostendatur illius repræsentare personam, de quo dicit Propheta:* Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbā Aaron. *Caput enim viri Christus caput Christi Deus, qui de se dicit:* Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. *Manus vnguntur Episcopo, vt ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi. Vnde cum Consecrator inungit;* Consecrare, *inquit*, & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quæcunque consecraverit, consecrentur, & quæcunque benedixerit benedicantur, in nomine Domini. *Verum in veteri Testamento non solum vngebatur Sacerdos, sed & Rex, & Propheta, sicut in libro Regum Dominus præcepit Heliæ;* Vade, reuertere in viam tuam per desertum in Damascum; cumque perueneris illuc, vnges Azael Regem super Syriam, & Gezi filium vnges Regem super Israel; Helisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmaul inunges Prophetam pro te. *Sed vbi Iesus Nazarenus quem vnxit Dominus spiritu sancto, sicut in Actibus Apostolorum habetur;* inunctus est oleo præconsortibus suis; *qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, Principis inunctio à capite in brachium est translata, vt Princeps ex tunc non vngatur in capite, sed in brachio vel in humero siue armo. In quibus principatus congrue designatur, iuxta quod legitur:* Factus est principatus super humerum eius, *ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos qui fuerant inuitati. In capite vero Pontificis Sacramēti alis est deliburio con-*

seruata, qua personam capitis in Pontificali officio repræsentat. Refert autem inter Pontificis & Principis vnctionem; quia caput Pontificis chrysmate consecratur, brachium vero Principis oleo delinitur; vt ostendatur quanta sit differentia inter authoritatem Pontificis & Principis potestatem. Quia vero Christus in sanguine fecit nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait: Vos estis genus electum, regale Sacerdotium: *idcirco in nouo Testamento, non solum Reges & Sacerdotes inunguntur, sed omnes etiam Christiani: bis autem ante baptismum, sed oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas, & bis post baptismū, sed chrysmate sacro, primum in fronte, deinde in vertice. In pectore namque vngitur baptizandus, vt per spiritus sancti donum abiiciat errorem, ignorantiam, & suscipiat fidem rectam:* quia iustus ex fide viuit. *Inter scapulas autem baptizandus inungitur, vt per spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat;* quia fides sine operibus mortua est: *vt per fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis: quatenus fides per dilectionem, secundum Apostolum, operetur. In vertice vero baptizatus inungitur, vt sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem: quia per caput intelligitur mens, iuxta quod legitur:* Oculi sapientis in capite eius: *cuius superior pars est ratio, & inferior sensualitas, vnde bene per verticem, quæ est suprema pars capitis, intelligitur ratio, quæ superior pars est mentis. In fronte vngitur baptizatus, vt libere confiteatur quod credit; quia corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem: memor eius quod Dominus ait:* Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. *Ante baptismum vero inungitur, oleo benedicto, & post baptismum chrismate sacro, quia chrisma soli competit Christiano; Christus enim à chrismate dicitur, vel potius dicitur chrisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem. A Christo Christiani dicuntur tamquam vncti deriuentur ab vncto, vt omnes currant in odorem vnguentorum illius, cuius oleum est effusum. Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam spiritus sanctus ad augmentum datur & robur, vnde cum cæteras vnctiones simplex sacerdos, id est, presbyter valeat exhibere, hanc non nisi Summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarii sunt Episcopi, qui per manus impositionem spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat:* Cum audissent, inquit, Apostoli, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum Sanctum nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domine Iesu. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum: cuius aduentum per vnctionis mysterium designamus, quia columba in qua Spiritus Sanctus super Christum in baptismo descendit, ad vesperam in cataclysmo reuertens, ramum attulit viuentis oliuæ, cuius virtute Sacramentum Dauid Propheta prænoscens, exhilarandam faciem in oleo prædicauit. Vnguntur præterea secundum Ecclesiasticum morem, cum consecratur altare, cum dedicatur templum, & cum benedicitur calix, non solum ex mandato legis Diuinæ, verum etiam exemplo Beati Syluestri, qui cum consecrabat altare, illud chrismate perungebat. Præcepit enim Dominus Moysi, vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret tabernaculum testimonii & arcam testamenti, mensamque cum vasis. De quibus etiam vnctionibus, si forsitan dubitaueris, cum à te fuerimus requisiti, Fraternitatem tuam plenius instruemus. Verumtamen vnctionis Sacramentum, quid aliud quidem efficit & figurat in nouo quam in veteri testamento. Vnde non iudaizat Ecclesia, cum vnctionis celebrat Sacramentum; sicut aliqui mentiuntur, qui neque scripturas, neque Dei nouere virtutes. Monemus igitur Fraternitatem tuam & exhortamur, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ad mandatum dilecti filii nostri Leonis tituli S. Crucis presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati, tu quoque Sacram suscipias vnctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem Sacramenti: & cum Sacro fueris chrismate delibutus, Archiepiscopos & Episcopos tuos similiter vngas, & per eos faciæ manus Sacerdotum inungi oleo benedicto: illum de cætero in ordinandis presbyteris & consecrandis Episcopis morem seruans, & faciens obseruari, quem Apostolica Sedes obseruat: qua disponente Domino, cunctorum fidelium Mater est & Magistra. Mittimus autem tibi per Cardinalem prædictum Pontificalia ornamenta, caligas, scandalia, amictum & albam, cingulum & succinctorium, orarium & manipulum, tunicam & dalmaticam, chirothecas & annulum planetam & mitram, pallium vero per dilectum filium Ioannem Capellanum nostrum antea miseramus.*

Misit etiam tunc Innocentius Pontifex nouo Regi sceptrum, diadema & vexillum Cruce & clauibus insignitum, vt eo contra inimicos Crucis Christi vteretur. In Sardinia Marchioni Calaritano iniunxit vt iuramentum fidelitatis Sedi Apostolicæ præstaret; reliquis autem Archiepiscopis, Episcopis, nobilibus & populis præcepit, vt Archiepiscopo Turitano Sedis Apostolicæ Legato in spiritualibus & in temporalibus obediret.

XIX. IN LIVONIAM FIDEI PRÆCONES MITTIT. *epist.* 139. *epist.* 206. 33. 240. 41. 99.

In Liuoniam prædicatores destinauit, qui eam Gentem ad Christi fidem erudirent, quibus ne impedimento quispiam foret Archiepiscopo Bremensi & Suffraganeis ipsius mandabat, vt eis auxilium exhiberent.

In Italia, Tarracinensium & Cameracensium fidelitatis iuramentum audiuit: Hæreticos Arimino eiecit: Gradensem & Aquileiensem Patriarchas, nec non Rauennatem Archiepiscopum confirmauit: & Romæ solenni ritu Petrum Arragonum Regem coronauit. Ex hac autem formula Rex Petrus Innocentio iurauit.

Ego Petrus Rex Aragonum profiteor & polliceor, quod semper ero fidelis & obediens Domino Papæ Innocentio eiusque Catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ, Regnumque meum in ipsius obedientia fideliter conseruabo, defendens fidem Catholicam, & persequens hæreticam prauitatem: libertatem & immunitatem Ecclesiæ custodiam, & eius iura defendam, in omni terra meæ potestati subiecta, pacem & iustitiam seruare studebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

XX. IVRAMENTVM REGIS ARRAGONVM INNOCENTIO FACTVM. CORONAT. ROMÆ SOLENNITER PETRVM REGEM ARAGONVM.

Præstito iuramento prædictus Rex coronatus rediit iuxta Summum Pontificem ad basilicam S. Petri: super cuius altare sceptrum & diadema deposuit, & demum ab Innocentio militarem ensem accepit, regnumque suum S. Petro Apostolorum Principi obtulit, illudq; censuale ei constituit, dato priuilegio subsequenti.

Cum corde credam & ore confitear, quod Romanus Pontifex qui est B. Petri Successor, Vicarius sit illius, per quem Reges regnant, & Principes principantur, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit donabit illud. Ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum Comes Barcinonensis, & Dominus Montispessulani, cupiens principaliter Dei, & postea B. Petri, & Apostolicæ Sedis protectione muniri, tibi Romæ Patri & Domino Summo Pontifici Innocentio, & per te Sanctæ Romanæ Ecclesiæ offero regnum meum, illudque tibi & successoribus tuis in perpetuum Diuini amoris intuitu pro remedio animæ meæ & progenitorum meorum constituo censuale, vt annuatim de camera Regis CC. L. Macemutinæ Apostolicæ Sedi reddantur: ac ego sicut & successores mei specialiter, & fideles, & obnoxii teneamur, ac lege perpetua seruandam fore decerno, quia spero firmiter, quod tu & successores tui, me ac successores meos ac regnum prædictum auctoritate Apostolica defendetis, præsertim cum ex multo deuotionis affectu, me ad Apostolicam Sedem accedente, tuis quasi B. Petri manibus in regem duxeris solemniter coronandum, vt autem hæc Regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem, eamdem consilio proferum Curiæ meæ, præsente venerabili Patre meo Arelatensi Archiepiscopo, & Sanctio patruo meo, & Hugone de Daucio, & Arnoldo de Fociano Baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud S. Petrum, anno Dominicæ Incarnat. M. CC. IIII. tertio Id. Nouemb. anno regni mei 8. His peractis Petrus discessit: Innocentius autem Archiepiscopo Taraconensi, vt Reges & Reginas Aragoniæ, in Cæsaraugustana vrbe, inauguraret, indulsit: & Petrum gloriæ atque dignitatis plenum ex vrbe dimisit.

XXI. IDEM EX GOMESIO DESCRIBITVR.

Bernardus Gomesius, qui vitam Iacobi Regis Aragonum Petri F. scripsit, etiam itinerarium Petri descripsit: quod cum is strenuus, valdeq; honoris cupidus esset, quin & diues admodum, ob ingentem ex vectigalibus Regiis tunc asportatam pecuniam, Romam proficisci decreuit: quod magno cum apparatu, & sumptibus, multisq; proceribus ipsum comitantibus perfecit. Nam ex Prouincia soluens, classe Genuensem portum tenuit, indeque Ostiam veniens, fluuio Tiberi inuectus, ab aliquot Cardinalibus, & Senatore populoque Romano in vrbem deductus fuit, atque Innocentium Pontificem de more veneratus, in Vaticano, magnificentissimo hospitio etiam fuit à Pontifice acceptus. Perendino die, Præsentationi D. Mariæ dicato, Sumpsus Pontifex in ædem D. Pancratii traductus, Regem solemni pompa vrbis à regionibus ouantem excepit. In ea æde à Petro Portuensi Episcopo & Cardinali, sacro oleo perunctus Regium illius capiti diadema fuit à Pontifice impositum. Regiis insignibus Petrus decoratus, fidelitatis Sa-

tis Sacramento se, Pontifici Max. atq; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ addixit. Inde vero in Vaticanum concedens, in sacello D. Petri, Regiis insignib. depositis, & gladio è manu Pontificis accepto, militiæ auctoramentum professus est. Hac ergo causa, Regnum Aragoniæ, tributarium Ecclesiæ Romanæ constituit, & CC. L. Mahozemutinorum aureorum nummorum tributum in singulos annos ab Aragoniæ Regibus conferendum indixit: Summa à se proposita mercede, quod è manu Pontificis diadema sumpsisset. Ii nummi à Iuzephio Mahozumeto iactati, nuncupatique, qui Summum in Mauros impetium in Hispania obtinuerat, singuli sex solidis Regalium expendebantur, & æstimabantur. Hinc Innocentius Pontifex priuilegium Aragonensibus irrogauit, vt ab Archiepiscopis Tarraconensibus, coronæ imponerentur Regibus Cæsaraugustæ imponerentur; modo cauerent, sed id Ecclesiæ præstituros, quod à Rege fuerat constitutum.

XXII. *epist.* 84. IN ALBIENSES HÆRETICOS INQVIRI VVLT IN GALLIA ET EOS TOLLI ET FAVTORES EORVM EMENDARI. *epist.* 76. 77. 78.

In Gallijs Ebredunensi Archiepiscopo, vt in criminibus Episcopo Versiensi obiectis inquireret, & si vera fuisse cognouisset quorum accusabatur, illum auctoritate Apostolica dignitate exueret, Innocentius commisit; & in multis aliis controuersijs eiusdem Regni compluribus Prælatis rescripsit, præcipue vero negotium fidei ab hæreticis Albiensibus periclitantis, summo studio curauit. Hoc enim anno Cistercienses Abbatem vna cum duobus Monachis fontis frigidi Apostolicæ Sedis Legatos cum plenaria potestate & amplissimis facultatibus Legatorum, ad extirpandos illos misit, & cum Aquensi, tum Senonensi Arelatensi & Narbonensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis Episcopis auctoritate Apostolica præcepit, vt laborantibus contra hæreticos Legatis omnem operam exhiberent.

In eamdem rem Philippo Regi Galliarum scripsit, vt aduersus eosdem hæreticos sui Regni Arma susciperet, atque ad eos debellandos sese accingeret, ne videretur eorum errori participare, si illorum manifesto errori desineret obuiare. Raymundus Comes Tolosanus Albiensium tutelam in se receperat, atque Tolosam admissis non obscure fauebat. Scripsit Innocentius Narbonensi Archiepiscopo, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & inter hos Radulfo Canonico Narbonensi, & Abbatibus Vallis Magnæ atque Cistercienſi, vt Comitem conuenirent, eumque ad persequendos hæreticos inducerent. Quod si contemneret, anathemate damnarent. Contemplit, & Petrum monachum de Castro nouo qui excommunicatum renunciauerat, duobus ficarijs, submissis interfecit Ferunt illum ex vulnere morientem occisoribus suis dixisse: *Dominus indulgeat vobis; & ego indulgeo.* Narrant, duodecim Abbates Cistercienses, scientia & sanctitate florentes cum Legato iuisse: qui Crucem contra Albienses prædicarent, & plenariam omnium peccatorum remissionem Crucesignatis auctoritate Innocentij indulgerent.

lib. 6. epist. 243. & seq.

MARTYRIVM S. PETRI MONACHI. *Antonin. 3. p. tit. 19.*

XXIII. S. DOMINICI CONTRA ALBIENSES DISPVTATIONES ET MIRACVLA.

Superuenerat ad illos Commodum Didacus Oxomensis Episcopus, vna secum ducens Diuum Dominicum Guzmannum, Canonicum ad hæc tempora Oxomensem: sed non minus quam ipse zelo Catholicæ fidei propagandæ flagrantem.

Forte apud Montem pessulanum inter se deliberabant Abbates cum Legato; quo nam potissimum modo hæreticorum impietati obsisterent. Ibi consultore Diuo Dominico Didacus Episcopus: Quod me, inquit, facere videritis, hoc ipsi quoque facite. Moxque familia, equitatu, & apparatu splendido abiecto, pedes ipse in opus Euangelii cucurrit, & humilitate, modestia, mansuetudine, austeritate vitæ, castitatis custodia, deprauatos hominum mores ad normam sanctioris disciplinæ reuocandos esse sanxit. Secuti sunt omnes exemplum Didaci, & is Diui Dominici: Nam hic præ omnibus reliquis, maximarum virtutum splendore coruscabat; & fidei Orthodoxæ veritatem, miraculis clarissimis illustrabat.

a *Vinc. Bel. luncensis. l. 30. hystor.*

a Aliquando apud Castrum, quod Phanum Iouis appellabant, disputatione cum hæreticis in lógum protracta, cum nec quicquam verbis flecterentur: Age, inquit Dominicus, ad notas veræ doctrinæ, scilicet miracula accedamus. Scripto vestra dogmata libello concipite: concipio & ego. Cuius libellus iguem succensum illæsus euaserit, illius firma sanctaque esto sententia, Assensi sunt Albigenses conscripserunt, ignem copiosum accenderunt, Dominici quoque libellum postularunt. Ardebant ligna flammis conceptis. Iudices cognitores deputati præsidebant, populorum innumerabilis multitudo astabat, veritatis probationem expectantes. Proiecerunt primo Albigenses suum tomum: quem statim atque ignis corripuit, exussit. Iniecit & Diuus Dominicus volumen quod ipse scripsit: sed illud illæsum ab igne exiliit. Secundo & tertio coniecit: secundo ac tertio flammas euasit, atque scriptoris sui sanctitati, ac fidei Christianæ veritati præclarum testimonium resultu dedit. Obstupescebant quidem omnes: & pijs lætantibus, aliqui impiorum ad veritatis agnitionem reuertebantur.

XXIV.

A simile est huic aliud eiusd. generis miraculum. Congressurus quandoque in Prouincia Narbonensi cum hæretico, scripta quædam fidei documenta in charta eidem tradidit, vt de obiectis maturè deliberaret.

Ea nocte cum reliquis forte ad ignem considens, chartulam viri Dei protulit, & aliis discutiendam tradidit. Contulerunt illi inter se multa, & alijs alia atque alia asserentibus, quidam suggesserunt. Mittatur in ignem schedula, vt veritas comprobetur. Mox proiecta in ignem, illæsa inde prosiliit. Inde & secundo & tertio pari ratione veritatem explorarunt, sed chartulę nullum inferre detrimentum potuerunt. Volebant rem silentio inuoluere, sed miles quidam, qui coram interfuit, insigne miraculum ad Catholicorum notitiam reuelauit.

Sed de isto alio pariter miraculo, libelli in igne illæsi, præstat ipsum *Petrum Monachum Cisterciensem*, qui tunc vixit, verbis ipsius eiusdem referre.

Ita narrat, *in Histor. Albigens. cap.* 8. Accidit eodem tempore, quod insigne quoddam miraculum fuit factum, dignum plane visum, quod hic inseratur.

Quadam die nostri Prædicatores, cum aduersus hæreticos disputassent, vnus ex nostris Dominicus appellatus (namque Diuus Dominicus Abbatibus Cistercien sibus se se in laborem adiunxerat) qui fuerat Comes Episcopi Oxonienſis, redigit in scripta rationes, & auctoritates quas ipse allegauerat, libellumque cuidam hæretico tradidit, vt ille super obiectionibus contra illum factis deliberaret. Igitur contigit ipsa eadem nocte, quod inter hæreticos, qui in domo quadam ad ignem assidebant, ille cui traditus fuerat prædictus libellus produxit ipsum coram omnibus: cui eius socii persuaserunt, vt illum in ignem proiiceret, ea conditione; quod si ille combustus fuisset, fides seu potius infidelitas hæreticorum vera esset, & si non fuisset combustus, esset vera ea fides, quam nostri prædicabant, & vt veram illi profiterentur.

XXV

Quid actum? In eam sententiam conuenerunt omnes; libellus in ignem missus est, vbi per aliquam moram temporis mansit, subitoque mox resiliuit in combustus & illæsus, omnes obstupuerunt ad tam insolitum euentum; sed vnus cæteris obstinatior dixit sociis; vt iterum charta in ignem proiiceretur, quo plenius veritatem experirentur. Proiectus fuit denuò, & denuò ex igne sine læsione exiliuit. Hoc videns ille durus & tardus ad credendum, dixit: Proijciatur tertio in ignem, & tunc sine dubio cognoscemus euentum causæ. Itaque libellus denuo in ignem iniectus est, sed neque tunc ignis potuit ei nocere, imo resiliens ex igne, integer exiuit. Cæterum hæretici, tanto viso miraculo noluerunt ad fidem conuerti, sed in sua malitia perseuerantes, strictissime prohibuerunt, ne vllus ex ipsis rem publicaret, ne tantum miraculum ad notitiam Catholicorum perueniret. Verum quidam miles ex ipsorum numero, qui tamen aliquo modo nobiscum sentiebat, noluit tem celare; immo eam pluribus enarrauit. Ego audiui ab ipsomet religioso, qui prædictam chartam religioso tradiderat, qui dicebat rem fuisse apud Montem regalem patratam.

Aliquando apud Phanum Iouis ex suggesto à Concione descendenti, nouem nobiles matronæ occurrentes, ad pedes acciderunt. Inter eas granior annis prostrata; Nos, inquit, virtorum sapientum, quos hæreticos vocas, vestigia consequimur. Ab illorum opinione mitrum in modum tu Pater dissentis: ea propter nobis de sententia quam

ſequamur, magnus ſcrupulus, ac dubitatio ingens inijcitur. Tu porro animum noſtrum elibera. Tuus iſte Deus, de quo tam grandia prædicas his qui præceptis ſuis fidem habendum putabunt, Diuinam ac cœleſtem domum vltro pollicetur. Tu ſi ea de re ſignum ediderís, profectò eæ ſumus, quæ numquam de tua ſententia decedemus. Audiuit hæc Dominicus, & paululum ſe colligens: Si, inquit, conſtantiæ veſtræ minime defueritis, à Domino edetur ſignũ, quo compulſæ falſam iſtam religionem veſtram ſempiterna obliuione delendam cenſebitis. Cui ante hac ſeruitutem ſeruieritis, res ipſa declarabit. Cum hanc orationem locutus eſſet, repente felis, quem muſionem vocant, ingẽtis magnitudinis, ex illarum medio proſiliit. Huic tam deformis vultus erat, vt nemo ſuſtinere poſſet. Odorem præterea tam tetrum exhalabat, vt prope omnes, ab eo refugerent. Semel, ſecundo & iterum circum mulieres deambulauit: tandem ad turrim iter intendit, vbi reſte nolæ ſuſpenſa in ſummum euaſit. Cumque aliquantulum conſtitiſſet, ab oculis in caliginoſas tenebras euaneſcẽs diſparuit. Tũc Dominicus ad mulieres conuerſus: Quid, ait, timuiſtis? Cur tantus vos oppreſſit timor? Vidiſtis quam vultu horrendus, quam vanus metu, quem hactenus coluiſtis? Abiicite, & ad veritatis fontem accedite. Non vana fuit Dominici prædicatio. Statim enim matronæ illæ errores eiurarunt, ſeq; Sanctæ religioni addixerunt. Iuuit ea res Dominicum, ad alias mulieres, præſertim eas, quæ propter paupertatem ſeſe Albigenſibus addixerant, atque ab eis peſtiferum virus attraxerant, conuertendas. Quarum plurimas, cum ad rectæ fidei ſemitam traduxiſſet, & caſtitatis amorem eis perſuaſiſſet, in monaſterio Prulliani extructo eas concluſit, & religionem in commune profiteri induxit. Accidit, vt celebris admodum diſputatio cum hæreticis inſtitueretur: ad quam cum Fulco Toloſanus Epiſcopus multa cum pompa eſſet iturus, DOMINICVS prudenter decernens, filios ſuperbiæ non faſtu elationis & oſtentatione, ſed humilitatis ſtudio expugnandos eſſe, detractis ſibi calceis, Epiſcopum vt idem faceret, hortatus eſt. Aſſenſit Antiſtes. Cumque de itinere incerti, obuium quemdam hæreticum haberent, rati Catholicum eſſe, eius ſe ductui commiſerunt, qui eos in ſyluam quamdam callide pertraxit, vbi ſpinarum aculeis grauiter ſauciati, perfidi hominis malitiam demum ſenſerunt. Tum DOMINICVS nihil ea iniuria motus: Confidite, inquit ad ſocios, chariſſimi; quia certa nos de cœlo manet victoria, & triumphus, cum peccata noſtra ſanguine expientur. Cernens autem veterator ille tantam in viro Sancto patientiam, ilico abiurata hæreſi ſupplicem ſe DOMINICO ſanandum tradidit; exiſtimans fieri non poſſe, vt à tanta vitæ integritate, recta in DEVM fides abeſſet. Cum autem vir Diuinus ſalutis animarum ſtudio vehementer incenſus crebro diſcurreret, & aquam quandam euangelizandi cauſa traijceret, nauta importune admodum à ſeruo DEI naulum exigebat. Cumque is mercedem regni cœlorum promitteret, & miſer ille vilipenderet, atque acrius vigeret, vt vel cucullum relinqueret, vel denarium ſolueret, vir Sanctus ſublatis ad cœlum oculis parumper intra ſe orauit; moxque in terram deſpiciens denarium nutu diuino illic iacentem vidit, quem protinus à nauta tolli iuſſit, & ſic demum ad læta Euangelij ſata ſpargenda alacer abſceſſit.

MODVS EVANGELIZANDI B. DOMINICI.

Cum autem multo tempore apud Toloſanos tum verbis, tum exemplis hæreſim expugnaſſet, ſcelerati dæmonum ſatellites de nece illi inferenda conſilia captarunt. Itaque poſitis certo loco inſidiis, aduentum eius præſtolabantur. At ille cognita eorum malitia, cantans & alacer gradum intulit, eorumque furorem vltro etiam ad cædem prouocauit. Quare ſtupefacti carnifices: An non, inquiunt, mortis horrore tu afficeris? Quid facturus, ſi nos te ad mortem abriperemus? Quibus ille: Rogarem, inquit, ne breui compendio mortem mihi celerem adferretis, ſed paulatim ſingula membra ferro præciſa oculis meis contemplanda obijceretis: atque ad extremum euulſis luminibus, ſineretis ita mutilatum corpus in ſuo ſanguine volutari, vel prorſus pro veſtro arbitratu vita omni priuaretis. Nec minus pro ſalute proximorum extrema quæque ſubire paratus erat. Cum enim quemdam hæretica prauitate ſubuerſum ad fidem reuocare contenderet, & ille res vitæ degendæ neceſſarias ab illis ſe accipere diceret, eaque de cauſa eis adhærere deberet, vir Sanctus toto pectore hominem miſeratus, ſeipſum vendere propoſuit, vt eius in tanto periculo conſtituti inopiam ſubleuaret, & ſub peccato venumdatum redimeret. Neque prophetico caruiſſe ſpiritu putandus eſt; vtpote qui multa, cœleſti lumine illuſtratus, multò ante futura prædixit: & quoſdam etiam tum à corporis, tum ab animæ exitio ſempiterno liberauit. Cum enim apud Toloſam hæretici quidam à magiſtratu comprehenſi, & ſcelerum conuicti, extremo tandem ſupplicio afficiendi eſſent, Dominicus ſecretorum Dei conſcius, quendam in iis conſpicatus: Hunc, inquit, ad Aulæ Officiales reſeruate. Deinde comiter, eum & blande compellans: Scio, inquit, fili, ſcio; tarde quidem, ſed tamen quandoque fore te virum bonum & ſanctum. Res plane ſtupenda. Dimiſſus ille, viginti fere annis hæreticam prauitatem ſectatus eſt: ſed tandem voluntaria abiuratione deteſtatus errorem, cum Eccleſia Sancta non modo in gratiam rediit, ſed Prædicatorum inſuper inſtitutum complexus, curſum vitæ cum fide abſoluit.

Cum aliquando apud Carcaſonam, demandatas ſibi Epiſcopi vices accuratius exequeretur, & die quodam ad monaſterium, cui Caſtris nomen, diuertiſſet, ingreſſus Eccleſiam, dum pro ſua conſuetudine precationis ſtudio attentius incumberet, fuit cum ipſa mente, corporis pariter ſarcina è terra eleuata, & cœlum inter & terram mirabiliter ſuſpenſa. Accidit etiam ſemel, dum varia itinera Dominicus obiret, in traiectu amnis, cui nomen Aregia, vt libelli quos in ſinu veſtis collocauerat, in flumen deciderint. Nihil ille hac re turbatus amnem traiecit: ac paulo poſt, quid in eo traiectu ſibi accidiſſet, cuidam matronæ, Diuino (vti credibile eſt) inſtinctu narrauit. Triduo poſt, piſcator quidam, dum ſe magnum aliquem cepiſſe piſcem putaret, ſic eos de aqua eduxit, vt ne veſtigium quidem humoris appareret, & viderentur non ex fundo fluminis, ſed ex ſcrinio, vel bibliotheca prolati.

Neque iſtud ſilentio eſt prætereundum. Redierat ab hæreticorum certamine, ac victoriam de iis inſignem reportarat. Veſper erat, quando ad Eccleſiam quandam cum Ciſtercienſi monacho venit clauſam. Iſtud cum monachus aduertiſſet: Nos, inquit, difficili tempore huc venimus. Non enim, vbi noctem agamus, vllus eſt locus. Tum Dominicus, ſpe maxima incitatus: Nulla te, ait, ſubeat cura. Hoc onus CHRISTVS ſibi deſignauit. Dixerat, & orare volebat. Verum antequam ambo orare cœpiſſent, ſtatim intra ædem, non videntes quomodo id factum eſſet, neque ſentientes apparuere, vbi in laudibus Diuinis noctem illam tranſegere. Vbi vero illuxit, multi ad eum adducti ſunt, qui ſpiritibus vexabantur immundis, quos omnes impoſita ſibi prius, deinde illorum collo, ſacerdotali ſtola, continuo liberauit. Sed & alios multos variis laborantes morbis oratione & CHRISTI nominis inuocatione ſanauit.

Iſtud quoque dignum eſt, quod recenſeatur. Anglici quidam, non pauciores numero quadraginta, ad Diui Iacobi Apoſtoli ſepulturam properabant, Toloſæ appropinquarant. Ea ciuitas, quod INNOCENTII Pontificis Maximi auctoritate, interdicto fuiſſet ſuppoſita, & ciues à piorum communione ſeparata. Vrbem intrare non præſumpſerunt, ſed ad flumen diuerterunt, & nauem piſcatoriam, vt transveherentur, conſcenderunt, dum flumen traiicerent, nauis quod putris erat, & admodum vetuſtate dilabens, nimio pondere ſoluta eſt: & cuncti qui vehebantur, flumine abſorpti. Clamor interim ingens oritur, ab his qui in littore aſpectabant, ad quos Diuus Dominicus, qui non procul aberat, excitus accurrit, & quid ſibi vellent inquiſiuit. Cum id quod acciderat, audiuiſſet, ſcilicet, quadraginta peregrinos naufragio demerſos eſſe, in terram proſtratus, manibus expanſis, lachrymarum imbre perfuſus: Chriſte, inquit, cuius imperio cœlum, terra, & maria ſubiiciuntur; qui vt perpetua hominẽ ſeruitute liberares,

ne mortem quidem ipſam recuſaſti; commonearis oro & obſecro, in hos peregrinos miſericordia; qui vt cum eis pie ſancteque ageretur, à gurgitibus exhauſti ſunt. Facito, ne tanquam de miſeris victoriam hoſtis conſequatur. Hanc abs te operam exigo; hanc miſericordiam depoſco. Hæc vbi orauerat, ſurrexit, & ad merſos conuerſus, Chriſti nomine inuocato, iuſſit illis vt ex flumine continuo emergerent, atque egrederentur. Vix iuſſerat, quando viri numero quadraginta, cum ingenti omnium qui adfuerant ſtupore, capita ſuſtulere, & milites, qui vndique accurrerant, porrectis lanceis cunctos ad littus incolumes traxere. Propter hæc & alia miranda quæ Diuus Dominicus perpetrabat, ab omnibus magna in admiratione habebatur: adeo vt trium Cathedralium Eccleſiarum Canonici illum ſibi Epiſcopum depoſcerent. Sed numquam adduci potuit, vt oblatos honores ſuſciperet: hoc vnico deſiderio æſtuans, vt hæreticos oppugnaret, Eccleſiam tueretur, atque animas ab errore reuocaret. Cum hæretici nullum genus iniuriarum omitterent, vt animum illius frangerent; ipſe libenti animo, omnia grauiſſima tolerabat: & tunc vel maxime exultabat, cum omnibus contumeliis exerceretur, quippe qui nihil aliud, quam ſanguinem pro ſalute animarum effundere exoptaret. Quamobrem ipſe, inſidiantibus vitæ ſuæ hæreticis, ſæpius affirmabat: non ita ſitientem ceruum anhelare ad fontem, vt is ipſe ad quoduis, etiam atrociſſimum martyrij genus.

XXVI. FEVDVM COMITATVS PICTAVIÆ ANGLO PER PHILIPPVM EXTORTVM REDDI VVLT.

Per id temporis, conuenerat inter Franciæ & Angliæ Reges, in cauſa Comitatus Pictauiæ, quem Ioannes Anglus à Philippo in feudum acceperat. Compoſitione hinc inde iuramento firmata, Philippus pactis non ſtetit: ſed eundem Comitatum, armis inuaſit, & contra iuramentum vi occupauit. Ioannes porro Rex Angliæ, cum necquicquam monendo obtineret, totum negotium Innocentio denunciauit. Is autem ad ſe pertinere exiſtimans, crimina quorumcumque Chriſtianorum corrigere & caſtigare, vniuerſis Prælatis Galliarum ſcripſit, vt Regem Philippum ad reſtitutionem Comitatus, & ad iuramentum ſeruandum inducerent, quod ſi contemneret pactis ſtare, & continuaret peierare, anathemate contumacem percellerent, & interdicto totum Regnum ſubiicerent. Cæterum, quia aliquis potuiſſet Innocentio imponere; quaſi is iuriſdictioni Regiæ, in cognoſcendo feudo derogaret: excuſabat, atque ius vindicandi crimina etiam in Regibus aſſerebat, iſta memoranda epiſtola:

c. Nouit. de iudiciis.

Non putet aliquis, inquit, *quod iuriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus: cum ipſe iuriſdictionem noſtram, nec velit, nec debeat impedire Sed cum Dominus dicat in Euangelio: ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus: & Rex Angliæ ſit paratus ſufficienter oſtendere, quod Rex Francorum peccat in ipſum, & ipſe circa eum in correctione proceſſit ſecundum regulam Euangelicam; & tandem quia nullo modo profecit, dixit Eccleſiæ, quomodo nos qui ſumus ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum diuinum poſſumus non exaudire, vt non procedamus ſecundum formam ipſius? niſi forſitan ipſe coram nobis, vel Legato noſtro: ſufficientem in contrarium rationẽ oſtendat? Non enim intendimus iudicare de feudo: cuius ad ipſum ſpectat iudicium: niſi forte iuri communi per ſpeciale priuilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum. Sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus. Non igitur iniurioſum ſibi debet regia dignitas reputare, ſi ſuper hoc Apoſtolico iudicio ſe committat, cum Valentinianus inclytus Imperator Suffraganeis Mediolanenſis Eccleſiæ dixiſſe legatur: Talem in Pontificali Sede conſtituere procuretis, cui & nos qui gubernamus Imperium, ſyncera noſtra capita ſubmittamus, & eius monita (cum tamquam homines deliquerimus) ſuſcipiamus neceſſario velut medicamenta curantis. Nec ſic illud humillimum omittamus, quod Theodoſius ſtatuit Imperator, & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipſe noſcitur deſcendiſſe: Quicumque videlicet litem habens ſiue petitor fuerit, ſiue reus, ſiue in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cum negotium peroratur, ſiue cum iam cœperit promi ſententia: ſi iudicium elegerit Sacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione (etiam ſi pars alia refragetur) ad Epiſcoporum iudicium cum ſermone litigantium dirigatur. Cum enim non humanæ conſtitutioni, ſed diuinæ potius innitamur: quia poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex DEO, nullus qui ſit ſanæ mentis ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum: & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere. Sed forſan dicetur, quod aliter cum Regibus, & aliter cum aliis eſt agendum. Cæterum ſcriptum nouimus in lege diuina: Ita magnum iudicabis vt paruum: nec erit apud te acceptio perſonarum. Licet autem hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vitio ad virtutem; ab errore ad veritatem: præcipue cum contra pacem peccatur, quæ eſt vinculum charitatis: poſtremo cum inter Reges ipſos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrimque præſtito proprio iuramento firmata; quæ tamen vſque ad tempus prætaxatum ſeruata non fuerint: numquid non poterimus de iuramenti religione cognoſcere, quod ad iudicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere; vt rupta pacis fœdera reformentur? Ne igitur tantam diſcordiam videamur ſub diſſimulatione fouere, prædicto Legato dedimus in præceptis, vt (niſi Rex ipſe, vel ſolidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel ſaltem humiliter patiatur, vt idem Abbas & Archiepiſcopus Bituricenſis de plano cognoſcant, vtrum iuſta ſit querimonia, quam contra eum proponit coram Eccleſia Rex Anglorum, vel eius exceptio ſit legitima, quam contra eum per ſuas litteras nobis duxit exprimendam) iuxta formam ſibi datam à nobis, procedere non omittat.*

XXVII. PETIT NEPTEM REGIS HVNGARIÆ CHRISTIANAM ICONII SVLTANVS GENTILIS. *lib. 1 primi R. Ep. 35. & 36.*

Eadem fere tempeſtate, Sultanus Iconij ad Andream Hungariæ Regem pronubos miſit, affinitatem illius exambiens, atque promittens, repudiato ſuæ perfidiæ charactere, Chriſtianiſmi fidem aſſumere atque ſacramentum. Id vt Andreas Rex licite faceret, Nuncios ad Innoc. Pontificem miſit, vt permitteret vnam ex neptibus Regijs Sultano in matrimonium collocare, ad multiplicandos Eccleſiæ filios, & fidem in Chriſto credentium. Poſtulabat etiam ab Innocentio Andreas, vt Archiepiſcopo Strigonienſi poteſtatem faceret, Colomanum filium ab Halicienſibus in Regem expetitum, inaugurandi. Scribebatque in hæc verba.

XXVIII. ANDREAS REX ID LITTERIS AB INNOC. PETIT ET ALIA REGNI NEGOTIA ARDVA DIRIGI ROGAT.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Innocentio Dei gratia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontif. Andreas eadem gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Raſſiæ, Seruiæ, Haliciæ, Lodomiriæque Rex ſalutem & filialem deuotionem. Conſueuit Sedes Apoſtolica ſe iuſta petentib. exhibere facilem, & in explendis honeſtis petentium deſideriis non minus efficacem. Hinc eſt quod ſuper negotiis noſtris iuſtis, apud Paternitatis veſtræ manſuetudinem promouendis, non immerito fiduciam nobis repromittimus. Nouerit igitur Sanctitas veſtra, quod Halicienſes Principes & populus noſtræ ditioni ſubiecti ſimiliter à nobis poſtularunt, vt filium noſtrum Colomanum ipſis in Regem præficeremus, in vnitate & obedientia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ perſeueraturis in poſterum; ſaluo tamen eo quod fas illis ſit alias à ritu proprio non recedere. Verum ne tam expediens nobis & vobis illorum propoſitum ex dilatione ſuſtineat impedimentum: quod quidem multis ex cauſis accidere poſſe cõſtat, ſi legatum ad hoc exequendum à Latere veſtro deſtinatum præſtolamur: à Sanctitate veſtra poſtulamus, quatenus Venerabili in Chriſto Patri noſtro Strigonienſi Archiepiſcopo detis in mandatis, vt Apoſtolica fretus auctoritate dictum filium noſtrum eis in Regem inungat; & Sacramentum ſuper obedientia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ exhibenda, ab eodem recipiat.

Præterea innoteſcere volumus veſtræ Paternitati, nos ad proficiſcendum Hieroſolymas, ſicut & tenemur, ſtudioſe intendere, & omni diligentia feſtinare. Ideoque Regni noſtri curam cuius Principes ad diſſentiendum proni ſunt, & filiorum noſtrorum tutelam, quorum ætas Patrono indiget, Patri noſtro in Chriſto Strigonienſi Archiepiſcopo, qui & dignitate cæteris præeminet, & fidei conſtantia probatus eſt; cum quibuſdam aliis, quorum prouidentia & in receſſu, & poſt receſſum noſtrum credimus Regnum plena tranquillitate potiri, immutabiliter poſſimus commendare. Quapropter rogamus Paternitatem veſtram, quatenus compatiendo noſtris neceſſitatibus, ipſum ab onere accedendi ad vos, habeatis excuſatum. Venerabiles autem viros Quinque Eccleſienſem & Geurienſem Epiſcopos, nec non Præpoſitum Albenſem Cancellarium noſtrum, dudum voto alligatos, & ſigno Crucis inſignitos, vt nobis itineris ſocii ſint, vtpote ex quorum ſocietate non modicas vires conſtat nobis accreſcere, à vocatione veſtra diligenter imploramus abſolui. Deprecamur inſuper Paternitatem veſtram, vt omnes conſpiratores & infidelitatis machinatores, qui propter Regni ſciſſuram, filium noſtrum nobis viuentibus & nolentibus, in Regem ſibi præficere vel coronare attentauerint, tam Clericos quam lai-

cos sententia excommunicationis percellatis. Meminerit etiam Sanctitas vestra, anno præterito super iure coronationis ad Ecclesiam Strigoniensem pertinente, per venerabilem Vesprimensem Episcopũ Nuncium nostrum vos nobis litteras direxisse continentes laudabile vestrũ consilium & rationem efficacem. Quod si coronatio ad plures pertineret, materiam dissensionis & schismatis facile excitaret, dum vnus vnum, alius alterum in Regem coronaret, quæ cum quibusdam aliis à Sede Apostolica nobis directis & continentibus solam Strigoniensem Ecclesiam in Officiales Domus Regiæ iurisdictionem habere in occisione felicis recordationis vxoris nostræ per subreptionem amissæ, quarum continentiam, quia credimus in registro contineri, petimus à Sanctitate vestra nobis rescribi.

Nec differeri possumus, nec volumus, quin decima moneta vbicunque cudatur in tota Hungaria, vel quicquid loco monetæ succedat, ad ius Strigoniensis Ecclesiæ pertineat: quod etiam in formatione pacis anno ante præterito à parte aduersa publice fuit recognitum; licet minus plene fuerit scriptum, quam intellectum. Præstatio quoque Sacramentorum à Regibus & Reginis Hungariæ eorumque hæredibus, cum cæteris iuribus; sicut in confirmationibus vestris & antecessorum vestrorum Apostolorum virorum continetur.

Amplius, quod admirari non sufficimus, & à notitia Paternitatis vestræ alienum fore nequaquam volumus; Colocensis Ecclesiæ Archiepiscopum hominem pacis nostræ in quo sperabamus, ob cuius vehementem affectionem & promotionem super alios fere totius Regni nostri maiorum ac minorum odium incurrimus, quem etiam à nobis nuper licentiam peregrinationis causa, super honorem sibi debitum, extra Regnum, cum comitatu duorum Episcoporum Geuriensis & Vesprimiensis conduci fecimus: pecuniam quam bonæ memoriæ vxor nostra ad opus & vsum filiorum & filiarum nostrarum concesserat, & apud quendam ciuem nostrum deposuerat in auro & argento, in massa, vasis, & vtensilibus aureis & argenteis ad æstimationem septem millium marcharum, nobis nescientibus abstulisse & asportasse. Petimus igitur à Sanctitate vestra, super restituendo quod nobis iniuste sublatum est Apostolicam commonitionem præmitti. Qua interposita, & satisfactione non secuta in tempore, non indigne ferat P. vestra, si de ipsius prouentibus damnum nobis illatum refarcire studuero. Hactenus Andreas Pontifici supplicabat.

XXIX. *Crem. lib. 7.* TAMETSI IVS CORONANDI REGIS HVNGARIÆ PENES STRIGONIENSEM SIT, CORONAT TAMEN FILIVM CRACOVIENSIS.

Cæterum non Strigoniensis, sed Cracouiensis Archiepiscopus, Colomanum Haliciæ Regem postea inaugurabat: siue quod hospiti delatum esset, qui vna cum Iuone Odrouansio Regni Poloniæ Cancellario, Salomeam Lesci Albi Polonorum Principis sororem, Colomano vxorem adduxerat: siue quod ex discordia inter Archiepiscopum Strigoniensem ac reliquos Episcopos coronandorum Regum ius prætendentes, Vincentius Cadlubeus Cracouiensis id muneris obiuisset, præsertim in Regno illo Haliciæ, de quo inter Polonos & Hungaros controuersia non modica, vel solius affinitatis vinculo, etsi non diiimeretur, tamen per inducias cognationis atque affinitatis suspenderetur.

MORS ET EPITAPHIVM CONSTANTIÆ IMPERATRICIS.

Hocanno Imperatrix Constantia, ex humanis abiit; Panormi, in Ecclesia Cathedrali, iuxta Henricum maritum Imperatorem sepulta. Inscriptum fuit illi epitaphium isto versu.

Cæsaris Henrici latet hic Constantia conjux
Vndeno lustro, hac platea rugosa sacerdos
Facta delit partum Federicum Augusta secundum,
Pro meritis sacrata tenet sic ossa Panormus.

Vixit annos LX. obijt anno M. DC. IIII.

Rugosam Sacerdotem appellabant: eo quod quinquagenariam, ex Monasterio in quo educabatur inter vestales, non professam quidem, sed maturam Henricus eduxisset, & duxisset. Cæterum eum illa subdubitaret, ne plurimi partum quem effundebat, suppositicium existimarent, ab Henrico Imperatore obtinuerat, & vt in circo publico tẽtorium erigeretur, & in coram fœminis principib. parturiret, sc. vt illæ testes essent, legitimam prolem esse Fredericum, quem illa ex Henrico suscepisset, atque genuisset. Illo tamen tempore vix potuit, etiam à grauioris sortis hominibus obtineri, vt crederent, Fridericum legitimam prolem esse Constantiæ.

IESV CHRISTI
Annus 1205.

INNOCENTII PAP. III. Annus 8. BALDVINI Imper. 2.

I. BALDVINVS CAPTVRA REBELLIBVS GRÆCIS ET MORITVR.

BALDVINO Flandro, non diuturnum fuit imperium Orientis. *a* Nam contra Græcos rebelles, Hadrianopolim profectus, ab hostibus victus, & in vincula coniectus, non multo post diem clausit extremum. Eam cladem cum Innocentio Pontifici Henricus frater Balduini significasset, & auxilia pro conseruatione Imperii postulasset, illi quidem suasit, *b* vt pacem componeret cum Calo Ioanne Rege Bulgarorum, quo facilius posset fratrem captiuum liberare: Calo Ioanni autem Regi indixit, ne se difficilem in concordia cum Henrico ineunda, & Latinis in Imperio Constantinopolitano retinendo, & in Balduino eliberando adiuuandis exhiberet. Quam rem vt quantocius præstaret, Archiepiscopo Trinouitanõ Primati Bulgariæ Innoc. præcepit, vt illi persuaderet. Balduino extincto frater successit Henricus, à confœderatis Gallis & Venetis Imperator salutatus, nec Dandalus Dux multum fuit superstes, Byzantii defunctus, & in Sophiæ templi atrio tumulatus.

a Sabellic. Ennead 9. lib. 6.
b lib. 8. epist. 42. 43. & ep. 40 41.

II. CARMEN FATIDICVM SEV SYBILLINVM DE IMPERIO ORIENTIS EXPLICATVM.

Prodierat tunc in lucem fatidicum carmen, quod non piget referre; vel quia apud quosdam pro Sibyllino receptum est; aut quod ad Henricum cuius mentio facta est pertinet. Ita habet exordiens à Magno Constantino.

Æneadum gloria Byzantium deducetur: eruntque Danai in robore delicato vsque ad Leonem sexaginta pedum, donec catulos eius vrsus deuoret: hunc Aquila despecta vrsum diripet; Aquilam hircus obumbret, pullum voret Aquilæ, fietque portentum in Adrianis aquis congregatio: caco duce hircum abigent: Byzantium prophanabunt: hircus non balabis amplius, nec gallus cantabit, vsque dum sexaginta tres pedes, & pollices nouem discurrant. Aliqui has vmbras interpretabantur hunc in modum. Romanum Imperium (quod Constantino Magno accidit) Byzantium trãsferetur, eritque pacatum vsque ad Emanuelis Imperatoris tempora, qui vixit annos LX. Huius liberis peremptis Andronicus Imperium ad se trahet; quem Auctor carminis, vrsum appellat. Isaacus ab Emanuele prognatus, despectus antea, Andronicum obtruncabit. Alexius, Isaacum fratrem Græcanico ritu barbatum, insidijs exceptum priuabit luminibus, priuatumque in vincula conijciet. Victus est etiam ab eo Alexius Isaaci filius, qui ruptis vinculis ad Venetos profugit. Tum Veneta arma Gallicis iuncta, Dandulo Duce, quem Emmanuelis fraus visu orbauit, in Græciam transibunt. Byzantio capto, Græcis Imperium auferetur, tum neque Imperator Græcus, neque Antistes, quorum hunc Gallum, illum hircum vaticinium appellat, annos tres & sexaginta & menses nouem non erunt in Græcia.

III. HENRICVS FRATER BALDVINI SVCCEDIT, THEODORVM LASCARIM ELIGVNT GRÆCI.

Hæc omnia fatidicum illud carmen prædicebat; in quo nihil sane fuit, cui non suus respondent effectus; imperio prius ad Balduinum, deinde ad Henricum fratrem, Patriarchali autem officio ad Thomam Maurocenum delato.

c epist. 17 & seq.

Miserat hocanno Innocentius Pontifex *c* Benedictum tituli Sanctæ Susannæ presbyterum Cardinalem, Constantinopolim Legatum, qui Balduino Imperatori consiliis & opera non deesset. Cæterum cum Balduino capto, res Christianorum in discrimen adductæ essent, periculoque manifestum accidisset, ne Latini cum Henrico residui trucidarentur; ideo Innocentius vniuerso Clero & populo Christiano in exercitu Crucesignatorum apud Constantinopolim ad hoc vsque tempus hærenti *d* præcepit ne pedem inde mouerent; tum vt reliquis sociis opem contra perfidos ferrent, tum vt Græcos ad obedientiam sanctæ Sedis Romanæ Ecclesiæ adducerent. Namque conspiratores apud Nicæam conuolantes, Theodorum Lascarim contra Balduinum Imperatorem acclamarant, qui omnem lapidem mouebat, vt Latinos ab Orientali Imperio exigeret. Sed neque Græcorum Patriarcha sibi defuerat, sed qua poterat odium gentis suæ in eos id. inflammabat. Fuit necesse Innocentio authoritatem Thomę Mauroceni Patriarchæ recens electi stabilire, resque Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex occasione tum augere, tum disponere, tum confirmare. Itaque *a* cum eidem pallium misisset, eundem sub protectionem Sedis Apostolicæ suscepit, priuilegia Patriarchatus illi approbauit, vt Crucem ante se præferri vbique, præterquam Romæ, vel vbicumque Romanus Pontifex esset, iuberet indulsit; in omnibus solemnibus processionibus vsum Naurei concessit: vt omnes clericos & regulares sibi subiectos, à grauioribus censuris absolueret authoritatem contulit: vt tam DOMINICIS quam festiuis diebus, cum necessitas Ecclesiæ expostularet, ad sacros ordines promouere posset: vt possessiones ad mẽsam suam pertinentes alienare, oppignorare, & in feudum collocare: vt appellationes ad se interpositas à quibuscumque subditis audire dummodo appellationibus ad Sedem Apostolicam intercedentibus non derogaret; vt Gradensis Patriarchæ eiusque suffraganeorum Clericos, qui cum exercitu Crucesignatorum Constantinopolim transierant, libere detineret; saluo semper vsufructu beneficiorum, quæ alibi locorum percipere consueuerant.

a epist. 5. & seq. OB ANTIPATRIARCHAM GRÆCORVM, AVCTORITATEM LATINI INNOC. STABILIT.

IV. b epist. 44.

In eandem rem *b* scripsit Innocentius Benedicto Legato, vt clericis nationis Gallicanæ Constantinopoli degentib. concederet Ecclesias illas ab eis ordinandas, quæ ipsis in diuisionibus inter Gallos & Venetos obtigerant, quem admodum inter eos conuenerat. *c* Scripsit etiam Remensi, Rothomagensi, Bituricensi, Senonensi, Lugdunensi, Viennensi, Burdegalensi, Turonensi & reliquis Galliarum Archiepiscopis atque eorum Suffraganeis, vt tam clericos, quam laicos hortarentur ad subueniendum Imperio Constantinopolitano, & postmodum Terræ Sanctæ à barbaris interceptæ. Maxime vero curarent, ex singulis ordinib. viros motib. & doctrina approbatos destinare, quorum opera & exemplo fides Catholica, & vera religio Christiana propagaretur, atq; vnio Ecclesiæ Orientalis cum Romana stabiliretur. Parisiensis quoque Academiæ Doctores & studiosos admonebat, vt Constantinopolim, & in reliquum Orientem se conferrent ad studia literarum instauranda, vnde primum in Occidentem deriuarunt. Tantus porro numerus ex vniuersa Europa clericorum & regulariũ confluebat, vt Thomæ Patriarchæ negotium fecerint discernendi, quos ad sacras functiones admitteret. Pleriq; enim illorum, sine literis suorum Episcoporum veniebant. Consulenti Thomæ, vtrum huiusmodi clericos Constantinopolim sine suorum ordinatorum literis venientes, & offerentes iuramentum, quod sint in quouis Ecclesiastico rum ordinum constituti, debeat ad superiores ordines promouere: Innoc. rescripsit, *d* quod nisi de ipsorum ordinatione canonica, per idonea ei constitisset argumenta, eos nec in illis suscipere, nec ad maiores promouere auderet: præsertim antequam conuersatio eorum fuisset approbata.

c epist. 23.

d cap. inter quatuor de Clericis peregrinant.

V. ALIIS ECCLESIIS OB PRÆMINENTIAM CONSTANTINOPOL. PRÆIVDICARI NON VVLT INNOC.

Cæterum non ad eum modum Innocentius Pontif. Ecclesiam Cõstantinopolitanam iuuabat, vt aliis vel incommodaret, vel præiudicaret. Quibus enim clericis indulgebat, vt Constantinopoli emanentes, fructus aliarum Ecclesiarum perciperent: cauebat: nisi vehementius Ecclesiæ illæ per eorum absentiam, vel ex perceptione fructuum grauarentur. Sanè cum Sueſſionensem Archiepiscopum tum Canonici tum REX ipse Galliarum requirerent, vt vellet reuerti, & Ecclesię suę res in maxima hæreticorum circumquaque grassantium discrimine positas curare: Innocent. & Regi Philippo, & Canonicis *e* perscripsit, vellent patienter absentiam illius tolerare, cũ negotia Orientis & Terræ Sanctæ operam eiusd. extorquerent. *f* Thomas Patriarcha recens assumptus, conabatur illas Ecclesias, quæ priusquam Constantinopolis ciuitas caperetur, Constantinopolitano Patriarchæ minime respondebant; sibi subijcere: Insuper & ab Archiepiscopo, & Episcopis Cypri, obedientiam nitebatur exigere: datis super hoc negotio litteris Innocentio Pontifici. Is porro duplici ratione non duxit admittendam eius postulationem, tum quia in eorum præiudicium, quibus eædem Ecclesiæ fuerant subiectæ nihil poterat ordinare: tum quia Cyprij, ante eius promotionem, quando videl. Constantinopolitana Ecclesia erat inobediens & rebellis, fuissent exempti.

e cap. inter quatuor de maiorit. & obed.

VI. SIFRIDVS

Hierosolymis. Siffridus Cardinalis Legatus ad Patriarchalem dignitatem electus, quamquã, ab Innocentio Pontifice moneretur, istud officii suscipere, recusauit: necessitatemque electoribus imposuit, vt alium designarent. *g* Vercellensem Episcopum non indignum censuerant, quem ad eam Sedem cueherent. Postulabat Innocentius electum, vt electioni consentiret: vniuersis autem Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, atque omnibus Christianis tam indigenis quam peregrinis in Palæstina morantib. præcepit, vt eumdem eo quod docebat honore, tam quam Sedis Apostolicæ Legatum prosequerentur. *h* Misso eo pallio, indulgebat, vt quoscumque Crucesignatos à quocumque anathemate damnatos posset absoluere: clericis autem secum transferentibus vsum præbendarum ad triennium conseruare. Discesserat per id temporis, Hierosolyma Constantinopolim, Petrus tituli sancti Marcelli presbyter Cardinalis Legatus, per cuius absentiam, cum res Christianorum in Terra Sancta viribus distractis periclitarentur, Innocentius eum redarguit, *i* compulitq; vt in Terram Sanctam reuerteretur, indidemq; Patriarchæ Antiocheni aduentum præstolaretur, quo cum posset componere atque disponere necessitates Christianorum pene omni auxilio destitutas. Cum autem *k* Rex Hungariæ in subsidium, Terræ Sanctæ proficisceretur, omnibus Principibus vtriusq; status eius regni Innocent. præcepit, ne contra eum vel contra Regnum quicquam interim mouerent, vel moueri tolerarent.

g Ver cellensem Episcopum non indignum censuerant, quem ad eam Sedem cueherent.
h Misso eo pallio, indulgebat, vt quoscumque Crucesignatos à quocumque anathemate damnatos posset absoluere: clericis autem secum transferentibus vsum præbendarum ad triennium conseruare.
i epist. 39. & 40.
k epist. 11.

VII. PHILIPPVS AD MOGVNTIAM ADHVC TVMVLTVATVR.

In Germania, Philippus Dux Sueuiæ Ecclesiam Mogũtinam in quietabat, neq; permittebat Siffridum Archiepisc. ritè electum & confirmatum, suo officio defungi. *l* Iniungebat Innoc. a quilegiensi Patriarchæ, vt Philippum cohiberet, quod si amplius turbas excitaret, vt omnib. eius terris, sacrorum exercitio interdiceret.

l epist. 27. & 28.

VIII. EXCOMMVNICATVR COLONIENSIS ARCHIEP. ET DEFICIVNT BRVNO SEYN. SVFFICITVR.

Eodem anno veneruntColoniam Siphridus Archiepiscopus Moguntinus, & Antistes Cameracensis à Sede Apostolica Commissarij & Iudices constituti; & in Basilica S. Petri, coram clero & populo vniuerso, ab Innocentio Pontif. Max. excommunicatum, publice denunciarunt, Adolphum Archiepiscopum Colonienſem, qui Philippo contra Ottonem adhæserat. Præceperunt insuper, vt per omnes parochiales & cœnobiorum Ecclesias eiusdem ciuitatis, singulis diebus Dominicis anathemate damnaretur, istud addentes, vt si infra mensem, à denunciatione facta elapsam, Romam ad satisfaciendum se non conferret, officio & dignitate Pontificia exueretur, & alius in eius locum Antistes, dicto Apostolicæ Sedis obtemperans, sufficeretur. Adolpho autem in pertinacia obdurante; ac Summi Pontificis censuras contemnente, Commissarii Coloniam accedentes, ex maiori Ecclesia coram Clero & populo, in præsentia Regis Ottonis, die X III. Kalen. Iul. Adolphum per sententiam definitiuam gradu Pontificio deiecerunt, & auctoritate Apostolica ab officio summouerunt, vtque alium deligerent Canonicis præceperunt. Hi porro Adolpho reiecto; Brunonem Seynium Præpositum Bonnensem, Sedi Colonienſi præposuerunt, & Innocentio Pontifici significarunt. *Chron. Hirsaugiens.*

IX. MIRACVLA CIRCA IMAGINEM CRVCIFIXI.

Hoc tempore discordiæ inter Ottonem & Philippum. In Oratorium Sancti Goaris Confessoris, quod sicum est in territorio Treuirensi, & est firmissimum, tum propter situm loci, tum propter structuram, Prouinciales se suaque omnia transtulerant. Hoc cognito VVernerus de Boulant, vir potens & diues, cum ad expugnandum illud arietes, machinasque applicuisset, nec tandem profecisset, imaginem Crucifixi ligneam, hi qui de intus erant contra hostes in quandam fenestram posuerant, sperantes quod ob illius reuerentiam loco & personis parceret. Quidam vero ex balistariis, de cruce non curans, imo locanti illam indignans telum misit, & sacram iconam in brachio satis profunde vulnerauit. Mox mirum in modum antiqua renouata sunt miracula, & ad instar venæ humanæ sanguis de loco vulneris cœpit stillare. Timore tanti miraculi, postea prædictus VVernerus cruce signatus est. Audiens tam mirabilia Philippus Abbas Ottirburgensis, locum adiit, deque rei veritate inquisiuit. Cui cum ab omnib. hoc quod narratum est diceretur, Iudæus qui tunc casu adfuit, Abbatem in partem traxit, dicens: Verè Domine, verissimum est quod audiuisti. Adhuc telum ibi reseruatur, adhuc vulnus & sanguinis stigmata illius ostenduntur.

CARDIN. RECVSAT ESSE PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS.
g lib. 7. ep. 8. 222. & l. 8. ep. 32. & seq.
h epist. 34.

Circa idem quoque tempus, Otto contra Philippum ascendens cum exercitu vsque ad Vurzimburg peruenit: vbi satellitibus eius Ecclesiam quandam intrantibus, vnus ex illis Crucifixum, non eminenti loco positum, tunica linea, & cum multo studio consuta tectum vidit & concupiuit. Quam cum manu non potuisset contingere, lancea nisus est extrahere. Et quia firmiter imagini connexa fuit, in diuersis locis illam pupigit. Dominus vero, vt sibi factū ostenderet, quicquid eius imagini iniuriæ vel contemptus irrogatur, ei irrogatur, egit sua potentia, vt de singulis punctionibus, sanguis vberrim emanaret. *Cæsar. lib. 19. cap. 19. & 20.*

X. IVDÆOS IN GALLIIS PETVLANTES REPRIMI VVLT INNOCENTIVS PER PHILIPPVM. *a li. 7. epist. 186. & 212. b lib. 8. epist. 31. & seq.*

In Galliis, Iudæi Christianis infesti insultabant, & viribus hæreticorum freti Christianam religionem inficiebāt. Præcipiebat Innocentius Philippo Gallorum Regi, *a* vt & Iudæos compesceret, & contra hæreticos in partib. Tolosanis grassatores, validioribus cum armis insurgeret. *b* Petrus Rex Aragonum zelo Catholico inflammatus contra eosdem hæreticos exercitum instruxerat. Concedebat ei Pontifex vt id quicquid ex eorum manibus recuperaret, sui iuris facta retineret. Ad hoc vero tam sacrum bellum vt maioribus animis accederet, vniuersos eius Regni Archiepiscopos & Prælatos admonebat, vt eum in expellendis conuertendisque hæreticis adiuuarent. Per id temporis castrum Scure hæreticis abstulerant Crucesignati. Committebat Innocent. Abbati Cisterciensi Legato, vt illud ipsum castrum Regi Aragoniæ in feudum concederet; dummodo Rex directum dominium sub aliquo censu in perpetuum à Sede Apostolica agnosceret. Neque Italia omnino pura ab hæreticis fuit Viterbium: Patareni & alij infecerant. *c* Præcipiebat Episcopo Innocentius Papa, vt Catholicos induceret ad eosdem eiiciendos. Monebat insuper ipsos Viterbienses his ipsis verbis inter decretales relatis. *Quia*, inquit, *plus timeri solet quod specialiter iniungitur, quam quod generaliter imperatur, vobis Aduocatis, & scriniariis firmiter inhibemus, ne hæreticis, credentibus, fautoribus vel defensoribus eorumdem in aliquo præstetis auxilium, consilium vel fauorem: nec eis in causis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus sub eorum examine, vestrum patrocinium præbeatis; & pro ipsis publica instrumenta, vel scripta facere nullatenus attentetis. Quod si contra præsumpseritis ab officio vestro suspensos, perpetuæ vos decernimus infamiæ subiacere.* Proximo etiam hæresi crimine aliqui sese in Italia infamauerant, nempe odio Cleri. Placentini, suum Episcopum eiecerāt. Quamobrem *d* ab Innocentio Pontifice diris deuoti, eodem iubente ab Archiepiscopis Mediolanensi & Rauennate, atque ab eorum Suffraganeis Episcopis, per omnes Ecclesias, tamquam excommunicati renunciabantur, & bona eorum publicabantur. Aliqui eorum per subreptionem ab Innocentio literas, cum præmissa ex more salutatione acceperant; & ideo se Ecclesiastica censura solutos arbitrabantur. Rescripsit Innocentius nonnullis, qui eos euitabant. *e Si aliquandō*, inquit *forte contigerit, quod eis qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subiecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata, cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat huiusmodi litteras impetrari.*

c epist. 33. & 28. c. si aduersus. tit. de hæreticis. *d li. 7. epist. 173. & seq.* *e ep. 224. c. si aliquando tit. de excom.*

XI. *f ep. 228.* ECCLESIAS IN MARCHIA VISITAT.

In Anconam & Marchiam, Innocentius, *f* Cencium tituli sancti Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem destinarat, qui ciues in officio erga Romanam Ecclesiam contineret. Monebat, vt eum cum honore susciperent, & in omnib. ei obtemperarent, quæ ad gubernationem temporalem & spiritualem disponeret, alioquin si contemnerent, à communione Christi fidelium separationem expectarent.

XII. SARDINIAM SIBI VENDICAT INNOC. *g li. 8. ep. 26.*

In Sardiniam Ecclesiæ Romanæ hæreditariam, anno superiore, Innocentius, Archiepiscopum Pisanum Legatum miserat, qui ab insulanis illis iuramentum fidelitatis exigeret. Marchio Calaritanus, siue dolo malo, siue incuria eid. Pisano iurauerat, sed in rem eiusdem. Eam rem ægre tulit Innocentius Papa. Quamobrem ei *g* præcepit: vt Marchionem ab illo fidelitatis iuramento quod sibi præstiterat absolueret; cū is in Sardinia nihil dominij in tēporalib. haberet: sed tota ea insula de Patrimonio S. Petri censeretur; cuius dominium vt agnosceret, mandabat, vt eid. Sedi Apostolicæ iuramentum nuncuparet.

XIII. *h epist. 2* EMENDAT CLERVM WINTONIENSEM ET CLERICOS ANGLIÆ. *i epist. 47. & seq.*

In Anglia Ioannes Rex impedimento erat, ne Canonici VVintonienses Episcopum sibi eligerent. *h* Committebat Innocentius Archiepiscopo Cantuariensi, & Eliensi atque Londoniensi Episcopis: vt Regem ab incepto dehortarentur, alias in renitentem censuras Ecclesiæ distringerent. Eundem *i* quoq; Londoniensem & VVigorniensem Episcopos monebat, vt si quid contra sacros Canones vel iura, priuilegia que aut consuetudines vsu receptas, in Ecclesia VVintoniensi post mortem defuncti Episcopi introductum esset, totum id auctoritate commissa abrogarent. Permisit Ioannes suffragatoribus ius eligendi Pontificem. Cum statim atque consecratus est Innocentius iniunxit, vt in Ecclesiis atq; monasteriis sibi subiectis ea emendaret, quæ digna forent correctione. Item vt à mensa Episcopali alienata bona recuperaret. Archidiaconos & Decanos ad suscipiendos sacros ordines, sub pœna priuationis beneficiorum compelleret, ad residentiam quam vocant personalem, beneficia obtinentes sub pœnis & censuris cōstringeret, clericos vsurarios, adulteros & fornicarios castigaret. Sacerdotum filios à possessione beneficiorum Ecclesiasticorum excluderet, inconuenientia in collationibus iuris patronatus remoueret: aliaque opportune ex disciplina Ecclesiastica siue resecaret, siue statueret. Eidem VVintoniensi Episcopo Innocentius Pontifex officium Collectoris *k* imposuit, atque vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis & Decanis in Anglia præcepit, vt denarium sancti PETRI sine mora contribuerent, eidemque Episcopo numerarent. Cæterum ne illi aliquod inpedimentum à quoquam obiiceretur, indulsit ne à quoquam, præterquam à Romano Pontifice pro tempore, idem Petrus VVintoniensis Episcopus anathemate posset illigari.

k epist. 55.

XIV. PETIT ACCEPTA CORONA BVLGARIÆ REX NE DAMNVM PATIATVR A CRVCESIGNATIS. *l li. 7. epist. 230. & seq.*

In Bulgariam *l* Innocentius destinarat Legatum Leonem Cardinalem, qui authoritate sedis Apostolicæ regium diadema CaloIoanni Bulgarorum Regi imposuit, eumque solemni ritu Regem appellauit. Is porro cum Innocentio gratias habuisset, filium suum vna cū altero puero Romam misit, qui Latinas litteras ediscerent, adiunxit & munera & preces obsecrans, ne à Rege Hungariæ, & à Crucesignatis qui per id temporis Constantinopolim occupauerant, Regnum illius incommodaretur. Detulit idem Legatus Archiepiscopo Trimonitano Bulgariæ Primati, pallium, mitram, & plenitudinem potestatis: quæ ab eod. recepta, ferebat sedi Apostolicæ accepta.

XV. ARMENIÆ REGEM CVM CRVCESIGNATIS PACAT. *m li. 7. epist. 189. & lib. 8. epist. 1. & 37.*

In Armenia, *m* Rex eius Gentis, multa damna Templariis intulerat, atque cum Tripolitano Comite inimicitias ducens vires Christianorum in Siria dirimebat, labefactabatque. Monebat eum per metum censurarum Innocentius Papa, vt omnia Templariorum in integrum restitueret, & de damnis illatis satisfaceret: cæterum cum Tripolitano honestis conditionibus super Antiocheno Principatu conueniret. Quod si nollet, ne auxilia à Crucesignatis expectaret. Se enim Hierosolymitano Regi præcepisse, ne permitteret contumaci subsidia à quocumque ministrari. Effecit quod voluit Innocent. Papa. Rex enim Leo mandatis ipsius obsecutus & Templariis satisdedit, & Antiochena negotia certis pactis cum Tripolitano Comite composuit.

XVI. LESCVS DVX POLONVS ROMANVM CÆDIT. *n Cromer. lib. 7.*

Hoc anno *n* Lescus Polonorum Princeps contra Romanum Vuladimiriensium Ducem feliciter pugnauit. Fertur autem Romanus expeditionem illam in Poloniam facturus, missis muneribus petiisse à Vuladimiriensi Episcopo, quem Russi Vuladicam vocant, vt se exercitumque suum solemni precatione & omine, siue benedictione, vt vulgo dicimus, dignaretur. Quod cum ille recusasset, affirmans; nefas esse Christianos Christianis iniustum bellum inferentes eo honore dignari; indignatum Romanū mortem ei minitatum esse, cum ex eo bello victor domum rediisset. Illum vero constanter respondisse: se mortem pro veritate neutiquam reformidare: nescire autem Romanum an ex eo bello sit reuersurus. Vnde postea Episcopus ille sanctitatis opinionem apud vulgum nactus est: quasi diuinitus futurum belli euentum præsciuisset. Fertur item idem Romanus, nocte ea quam prælium consecutum est, somniasse, magnam multitudinem passerum, à longe minori numero achantidum, ab ea parte quæ ad Sandomiriā

vergit

vergit aduolantium, dilaniatam esse, idque somnium, cum amicis mane narraret, Senioribus atque prudentiorib. triste & mali ominis visum esse. Dies, quo apud Zauichostum Romanus cæsus est, fuit XIII. Calend. Iul. Et quoniam is Geruasii & Prothasii martyrum memoriæ dicatus est, aram postea Lescus eorum nomine in Basilica Cracouiensi dicauit.

XVII. *a Cromer. supra* ORDO MILITARIS APVD LIVONES ERIGITVR PER ALBERTVM EPISC. *b Sabellic ennea. 9. lib. 6.*

Apud Liuones, *a* cum Meinardus Episcopus, & post eum Albertus, Christianam religionem paulo ante propagare cæpissent, alter Albertus, quo facilius barbariem inde extirparet, Ordinem siue societatem, quæ militiæ Christi dicta est, instituit: ac tertiam partem redituum Rigensis Episcopii ipsis attribuit. *b* Sunt qui asserant, eius Ordinis qui Crucigerorum nuncupatur, antiquissimum, & fere ab ipsis Apostolorum temporib. institutum esse. Cletus enim, vt narrant, qui Petri Pontificis fuit discipulus, & mox tertio loco ab eo Pontifex, cœlesti nuncio Crucem ferente dicitur monitus, vt hospitalem domum erigeret ijs qui Romam peregre venirent religionis causa: essentque ibi præsto, qui itineribus fessos comiter exciperent, pieque reficerent, hi autem perpetuo gestarent Crucem, monumentum Dominicæ passionis. Rem his principijs ortam (nam pauit Cletus oraculo) Cyriacus Hierosolymitanus Antistes, quem Iulianus apostata occidit, primus illustrauit, ac nonnihil auxit; & mox in varios traduces, posterotas, variis Crucesignatorum & militum CHRISTI sodalitatibus institutis, deriuauit, atque tum Alexander tertius, tum Innocentius tertius confirmauit. Istorum plurimi, in Liuoniam Polonicæ ditionis prouinciam ab ALBERTO traducti, multam ei cum reliquis canonicis regularibus & monachis operam nauarunt, in barbarorum cæcitate illustranda ferocia reprimenda. Cæterum, quod ex varietate monastici & aliorum cooperariorum habitus, magnum Euangelio offendiculum, apud neophitos oriretur: plurimique ab Euangelicæ fidei veritate ideo abhorrerēt, ideo INNOCENTIVS Liuoniensi Episcopo, & eis qui cum ipso erant fratribus, rescripsit, mandauitque, quatenus ea non obstante quod inter eos Monachi essent & Canonici regulares, vel alii etiam regularem vitam sub alia districtione professi, omnes pariter in vnum regulare propositum & honestum habitum, quantum adhoc spectat officium, conformarentur.

c. Deus qui Eccles. de vita & honest.

IESV CHRISTI
Annus 1206.

INNOCENTII PAP. III. Annus 9. — HENRICI Imper. I.

I. *c Nicetas.* OCCISO BALDVINO RES IN PROPHANIS ET SACRIS FLVCTVAT

IN Oriente, hoc anno, non modicum turbarum. *c* Occiso enim à Mysorum Rege in carcere Balduino Imperatore, cum Galli & Veneti mense Augusto HENRICVM Cæsis fratrem ad Imperium euexissent, Græcorum plurimi Imperium inter se partiti sunt. Theodorus Lascaris Bithiniam aliasque Prouincias Asianas, Alexius Comnenus Colchidem, Michael Comnenus ex Angelorum familia veterem Epirum obtinebant, & mortuo IOANNE Camatero Michaelem Antorianum Patriarcham Constantinopolitanum designarant. Sed in clero Latino non minimum dissidii. Quod enim THOMAS Maurocenus iuramento se Principi Veneto astrinxisset, si aliquando Patriarchio Constantinopolitano præficeretur, nonnisi gentis Venetæ clericos Ecclesiis sibi subiectis præponeret; reliquarum nationum Clerici in partem curarum vocari, cæterum à participatione beneficiorum exclusi, iustum dolorem non poterant ferre, quin & tumultuarentur contra Patriarcham, & eam iniuriam grauissimam Innocentio Pontifici exponerent. Rescripsit INNOCENTIVS Pontifex tit. sancti Marcelli & Susannæ presbyteris Cardinalibus Legatis his ipsis verbis: *d Sicut nostris auribus est suggestum Constantinopolitanus Patriarcha aliarum nationum Clericos spernens, Venetos tantum in Constantinopolitanis Ecclesiis satagit collocare: non attendens, quod in omni gente, qui facit iustitiam, acceptus est Deo; nec sanctuarium Dei conuenit iure hæreditario possideri. Quocirca mandamus, quatenus moneatis eund. vt viros litteratos & alios idoneos vndecunque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis, & maxime in maioris instituere non postponat: alioquin indignum se reddet, vt vos aliarum clericos nationum ad eius obedientiam compellatis. Nec dissimulare potestis, quin hoc nostris auribus intimetis: vt ex hoc ipso, an verum sit quod super hoc Venetis dicitur promisisse, coniicere valeamus. Significarunt Legati, Thomam iuramentū præstitisse. Quo tamen ne teneretur ille, Innocentius datis ad eundem e litteris, illud tamquam nullius momenti irritum fecit: & aliquot clericos in aliquibus Ecclesiis, quos Legati præfecerant, scilicet Gualterum in Ecclesia sanctæ Mariæ quæ Græce hypannitos, Latinè, misericordia nuncupabatur, Lambertum Præpositum apud S. Michaelem, Absalonem presbyterum in Ecclesia S. Mariæ de Scora, Gualterum Canonicum in Templo Sophiæ, & alios tum in eodem, tum in Basilica S. Stephani, tum in reliquis institutos confirmauit: ac Thomæ Patriarcæ hæc mandauit, f vt compositionem inter eum & moderatorem Imperii Constantinopolitani, super diuisione possessionum, & bonorum acquirendorum Imperio Constantinopolitano factam, & à sede Apostolica approbatam obseruaret.*

d c. Ad decorem de instit. & lib. 9. ep. 95. *e ep. 102. & 101. & 103. & 109.* *f epist. 106.*

III. COMPONIT INNOCENT. PATRIARCHAM, CLERVM ET IMPERATOREM CONSTANTINOPOL.

Quod autem hanc compositionem inter Patriarcham clerumque Constantinopolitanum & Imperatorem attinet, de eadem Innocentius perscripsit, hunc in modum.

Instantia nostra quotidiana, sollicitudo videlicet Ecclesiarum omnium quæ nobis imminet Domino disponente, nos admonet & inducit, vt his quæ deliberatione prouida pro Ecclesiarum vtilitatibus ordinantur, robur Apostolicum apponamus, ne tergiuersatione malorum qui Ecclesiarum profectibus inuident & quieti, ea in detrimentum ipsarum valeant reuocari. Cum igitur inter te & clerum tibi commissum ex vna parte, & dilectum filium nostrum Henricum Moderatorem Constantinopolitani Imperii, Barones, milites, & populum ex altera, super recompensatione facienda Ecclesiis de possessionibus earumdem amicabilis compositio intercesserit; Nos necessitatem temporis attendentes compositionem ipsam, sicut sine vi & dolo prouide facta est, & ab vtraq; parte de certa scientia libere ac sponte recepta præcipimus firmiter obseruari: dummodo circa possessiones & prouentus huiusmodi nullum præiudicium generetur. Ad maiorem autem notitiam, formam compositionis eiusd. prout continetur in instrumento exinde confecto, de verbo ad verbum huic paginæ duximus inserendam.

In nomine Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi Amen. Anno Domini 1206. mense Martii Indictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordiæ factæ inter Dominum Benedictum tituli sanctæ Susannæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis Legatum, & Dominum Thomam Maurocenum sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham ex vna parte, & Dominum Henricum & Barones & Milites ex altera, in acquisitis & acquirendis, inter & extra Imperium Romanum. Dominus Henricus de consilio & assensu omnium Principum, Baronum & militum & populi, dat Ecclesiis, & promittit se daturum in earumdem recompensationem possessionis, sicut inferius denotatur, extra muros Ciuitatis Constantinopolitanæ, quintam partem decimarum omnium possessionum, ciuitatum, castrorum, casalium, camporum, vinearum nemorum, syluarum, pratorum, pomœriorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum terræ & maris, piscariarum in mari & in aqua dulci & omnium possessionum, & si in præsenti scripto non reperiantur insolidum declaratæ. His exceptis quod de terra quam habent intra muros nominatæ ciuitatis à porta aurea vsque ad portam Blachernæ inter murum ipsius & mare, dare quintam decimæ nullatenus tenebuntur: nec etiam de casalibus monetæ. In quorum recompensationem casalium, Dominus Henricus & prædicti secundum eorumdem casalium valorem, in prima conquisitione satisfacere de quinta decimæ Ecclesiis tenebuntur, de commodo quod in Constantinopoli, vel extra nomine Ciuitatis, quintam decimæ non dabunt Ecclesiæ. Si vero cum aliqua ciuitate vel castro terra vel insula, quam Dominus Henricus sibi & Imperio subiugare non poterit, per annuum censum compositum fuerit, quintam decimæ dabunt Ecclesiæ, & si feudare, vel donare, vel alienare voluerit, hoc faciat salua prius Ecclesiarum quinta decimæ parte. Diuisiones possessionum inter Ecclesiam & prædictos, hoc modo fiant, quod boni viri post bullatum præsens instrumentum, infra octo dierum spatium ab vtraque parte eligentur, qui iurantes bona fide de possessione cuiuslibet terræ & aquæ, quintam decimæ partem faciant, & sortes mittant, si aliter conuenire non possint, & super quam ciciderit sors Ecclesiastica, erit Ecclesiæ. Hæc autem vsque ad Pentecosten festum proxime venturum bona fide complebuntur. Claustra vero omnia tam infra ciuitatem quam extra libera erunt Ecclesiæ, nec

in quin-

in quinta decimam computanda. Si de quantitate claustrorum quæstio oriatur, vtraque partium eligat virum idoneum post quæstionem motam infra octo dierum spatium, & illi duo per sacramentum suum tertium eligant, & quod illi tres vel maior pars eorum astricti sacramento infra viginti dies super hoc bona fide duxerint faciendum stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ aliqua castra fuerint incastellanda, incastellentur de assensu Domini Patriarchæ vel Diæcesani Episcopi: quod si in castellationibus concordare nequiuerint, sicut supradictum est de claustris quomodo terminetur. Dabitur etiam decima Latinorum omnium in perpetuum, videlicet de blado, legumine, & omnibus fructibus terræ & vinearum quas excolent, vel propriis sumptib. excoli facient, & de fructibus arborum & hortorum, exceptis arboribus & horcis, quos paterfamilias in vsus concedendi & munusculorum bona fide conuertet. De nutrimentis animalium quadrupedum, & de apibus & lanis decimæ soluentur, & progressu temporis à Græcis etiam decimas per exhortationem & admonitionem acquirere poterit, nullumque per eas impedimentum præstabitur. Præter ea clerici & Ecclesiæ vniuersæ eorum, possessiones & manentes in ipsis possessionibus & Ecclesiis, & religiosi tam Græcorum quam Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Ecclesiarum, & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali iurisdictione, secundum liberalem consuetudinem Franciæ, salua in omnibus authoritate Ecclesiæ Romanæ, nec non & Constantinopolitanæ honore, & iure Domini Patriarchæ, & Imperatoris & imperii, & saluis in omnibus capitulis supradictis. De terris vero quæ Deo volente de cætero conquirentur, primo habebit Ecclesia decimam partem antequam alicui distribuantur. Hæc autem omnia Henricus & Barones ipsius bona fide attendent, & curabunt pro posse debito effectu mancipare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam concordiæ vel pactionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Hanc autem compositionem D. Patriarcha pro se & successoribus suis se firmiter obseruaturum promisit. Dominus Henricus & Barones & milites & populus similiter pro se & successoribus suis, & sic excepta communi parte Venetorum se firmiter obseruaturos promiserunt. Datum Constantinopoli apud S. Sophiam XV. Calend. April. Nulli ergo, &c. hanc paginam nostræ præceptionis infringere, &c. Datum Ferentini Nonis Augusti anno nono.

III. PRÆCLARA INNOC. EPISTOL. IN OPPROBRIVM SCHISMATICORVM.

Porro is ipse designatus Patriarcha ad Innocentiũ Nuncios destinauerat, qui de rebus variis eum consulerent. Ad quæ omnia ille in hunc modum, dignum qui à schismaticis & reliquis legatur, rescripsit.

Inter quatuor animalia, quæ in medio sedis, & in eius circuitu describuntur, facies Aquilæ quæ ab Ezechiele describitur, ipsorum quatuor memorantur, quæ inter quatuor Patriarchales Ecclesias Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, quæ per animalia supradicta figurantur, quas Apostolica sedes in medio habens quasi filias amplectitur speciales, cui eædem sunt in circuitu quasi famulæ obsequentes. Ipsis Constantinopolitana post Apostolicam sedem excellentia præeminet dignitatis: ad cuius exaltationem tanto libentius aspiramus, quanto ipsam honorabilius membrum sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ arctius amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis, amplius noscimus indigere, ac tuas, qui eidem Domino disponente præesse dignosceris petitiones libentius promouere disponimus, quib. non repugnat honestas, nec aliis præiudicium generatur: cum à nobis iniuriarum actio non debet ex oriri, à quib. iura tamquam à fonte ad cæteros deriuantur. Licet igitur inquantum cum Deo possumus, tuo velimus honori deferre, ac tuas preces effectui mancipare, petitionem tamen illam nequimus exaudire, quam postulasti à nobis, vt donationes Ecclesiarum & beneficiorum à dilecto filio Petro tituli S. Marcelli presbytero Cardinali Apostol. sedis Legato factas te præsente ac penitus inconsulto, cum nimiam multitudinem Ecclesiarum contulerit, eandem iure perpetuo absq; tuo consensu & Capituli maioris Ecclesiæ tradiderit possidendas, dignaremur authoritate Apostolica irritare, quoniam idem Legatus per suas nobis litteras intimauit, quod quasdam Ecclesias, postquam à nobis litteras Legationis accepit in Constantinopolitano Imperio exerceri, quibusdam Ecclesiis & locis Hierosolymitanæ Prouinciæ contulit, quibus eædem Ecclesiæ ad custodiam fuerant assignatæ, vt vel sic necessitatibus subueniret vtrimque Terræ sanctæ, cum quasdam quibusdam aliis locis Religiosis, quorum Nunciis, ad vocationem charissimi in Christo filii Henrici Constantinopolitani Imperatoris illustris, illuc accesserant, assignauit, quosdam Clericos inspecta vtilitate, quæ de illorum institutione poterat prouenire, in quibusdam Ecclesiis procurans clericos ordinare. Verum quia visum est ei, quod ordinata per ipsum intendis immutare post recessum eius, procedentibus dil. fil. Benedicto tituli S. Susannæ presbytero Cardinale Apostolicæ sedis Legato & de multis de clero, ac etiam temetipso, omnia quæ per ipsum fuerant ordinata, sedis Apostolicæ protectioni supponens, ne aliquod ipsorum immutares ad nostram audientiam appellauit, à tunc instanti passagio vsque ad annum suæ terminum appellationi præfigens. Cum igitur irrationabilem terminum dictus Legatus appellationi præfixerit quam emisit, qui ex causa rationabili, videlicet obedientiæ bonæ, & obsequium Terræ sanctæ vsque ad biennium ipsum potuit prorogasse, appellatione pendente iuxta Canonicas & legitimas sanctiones, sicut tua fraternitas non ignorat, in ipsius absentia non debuit aliquid eorum immutari, præsertim cum præsumi valeant ritè facta, donec in contrarium probaretur, & id fieri sine præiudicio illorum non valeret, quibus dictæ Ecclesiæ vel beneficia, authoritate Apostolica sunt collata, cum nec citati fuerint, nec absentes per contumaciam, seu conuicti, sed penitus indefensi: Si quas vero de ipsis nos duxerimus aliquibus confirmandas iuxta communem formam, id noueris faciendum, videlicet, sicut ea iuste possident ac quiete. Super eo vero mirari non debes, sicut idem Legatus asserit, quod ipse te præsente & inconsulto, Ecclesias & beneficia contulit memorata, cum & tu ipse multo maiora, Ecclesiam videlicet Sanctæ Sophiæ, quæ caput Patriarchatus existit, nec non Archiepiscopatus, & Episcopatus, ipso præsente & irrequisito penitus, qui vices nostras gerebat ibidem curaueris ordinare. Quamuis ergo tuam propter præmissa petitionem iuxta tuum desiderium nequiuerimus exaudire, tuo tamen quantum cum nostra possumus honestate volentes deferre honori, Fraternitati Tuæ duximus concedendum, vt si qui Ecclesias illas seu beneficia possident, obedientiam tibi debitam exhibeant & deuotam, nisi forte aliqua illarum Ecclesiarum ante captionem Regiæ Ciuitatis à iurisdictione Patriarchæ legitime fuisset exempta. Subsequentem vero petitionem, qua Ecclesias illas tibi subiici postulabas, quæ priusquam Constantinopolitana Ciuitas caperetur, Constantinopolitano Patriarchæ minime respondebant, duplicatione non duximus admittendam, Iuris namque ratio postulauit, vt in illorum præiudicium, quibus eædem Ecclesiæ sunt subiectæ nihil ordinaremus de ipsis cum nec citati sint, nec conuicti, nec per contumaciam se absentent. Id etiam modo simul prouidentia dissuasit, ne Pisani ac Veneti aliique quamplures apud Constantinopolim huiusmodi habentes Ecclesias contra Imperium prouocarentur hoc tempore, qui sunt alliciendi potius blandimentis, donec illud soliditate immobilius roboretur. Quod si ius tuum contra illos prosequendum duxeris, tempore oportuno faciemus authore DOMINO, super ipsis iustitiæ plenitudinem exhiberi: Super obedientia vero, quam vt tibi faceremus impendi ab Archiepiscopis & Episcopis Regni Cypri similiter postulasti, fere idem quod in præcedenti petitione tibi duximus respondendum, cum & ipsi ante tuam promotionem extiterint exempti: cum videlicet Constantinopolitana Ecclesia erat inobediens & rebellis, & in eorum absentia circa statum ipsorum non debuerit aliquid innouari, iustitiam tamen non negabimus tibi, cum eam duxeris postulandam. Præterea ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod quidam Episcoporum Romaniæ commoniti tibi obedire contemnunt, qui tamen Episcopales reditus percipere non desistunt: quidam vero ex eis ab Episcopatibus fugiunt, ne valeant commoneri, per sex menses vel amplius suam Diæcesim deserentes: vnde à nobis suppliciter exorasti, vt super hoc salubrius consulentes qualiter circa illos & ipsorum Diæceses procedere debeas, deuotioni tuæ scribere dignaremur. Nos igitur attendentes, quod per nouitatem mutationis Imperii & nouitatem euentus, sit cum maturitate plurima procedendum, Fraternitati tuæ taliter respondemus, vt illos non semel sed sæpe, videlicet primo, secundo, & tertio citare procures etiamsi comperti noluerint sed in sua duxerint contumacia persistendum, vt si forte se appellationis clypeo duxerint muniẽdos, quam infra tempus legitimum prosequentur, ipsas per suspensionis & excommunicationis sententias, ad tuam obedientiam venire compellas: & si nec sic ipsorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius Benedictus tituli Sanctæ Susannæ præsbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus ab Episcopatus administratione remoueat, & quibus præsunt Ecclesiis de personis idoneis vna tecum faciat prouideri. Sed in eos degradationis sententiam non promulget, vt cum eis misericorditer si expediat agi possit facilius. In Ecclesiis autem illorum, qui se fraudulenter absentant, ne ad eos citatio valeat peruenire, trinæ citationis edictum facies publicari: & si nec sic curauerint obedire, sed vltra sex menses suas deseruerint Ecclesias, vt iuxta canonicas sanctiones eis merito debeant spoliari, contra eos quoque sicut præscriptum est procedatur. Cum vero Legatus ad propria remearit, Tibi quamdiu nobis & successoribus nostris placuerit personaliter duximus concedendum; vt contra præfatos rebelles præscripto modo procedas, tamquam sedis Apostolicæ delegatus. Tua insuper fraternitas postulauit, vt cum in partibus illis nimia sit Episcopatuum multitudo, illos cum

nimis sint tenues, ad vnitatem redigere tibi concedere dignaremur. Nos autem ita duximus prouidendum, vt id cum necessitas & vtilitas postulauerit, per prædictum Legatum quamdiu in partibus illis extiterit tuo accedente consilio valeat adimpleri, ita videlicet vt Episcopatus non veniat, sed illi quem fecerit ad vnam Ecclesiam ordinari, aliquot tales Ecclesias secundum quod viderit expedire committat, quatenus si forte pro ipsius necessitate de ipsis fuerit aliter ordinandum, quod factum est, facilius valeat immutari. Legato vero ad propria redeunte, tu si necesse fuerit autoritate sedis Apostolicæ tanquam delegatus à nobis facias illud idem. Postulasti postmodum per sedem Apostolicam edoceri, qualiter Episcopatus illos debeas ordinare, in quibus Græci tantummodo commorantur, & illos etiam in quibus permixti sunt Græci pariter & Latini, & quos præficere debeas eisd. Ad quod Fraternitati tuæ taliter respondemus, quod in illis Ecclesiis, in quibus solummodo sunt Græci, Græcos debeas Episcopos ordinare, si tales valeas reperire, qui nobis & tibi deuoti & fideles existant, & à te consecrationem velint recipere humiliter & deuote. In illis vero, in quibus Græci cum Latinis sunt mixti, Latinos præficias & præferas ipsis Græcis. Cæterum nobis humiliter supplicasti, vt de nostra tibi permissione liceret constitutos & constituendos in Ecclesiasticis dignitatibus, baculis, mitris, anulis & sandaliis insignire ac dispensare cum illis, qui omissis minoribus maiores ordines recipere præsumpserunt. Nos ergo tibi personaliter volentes facere gratiam specialem, authoritate præsentium tibi indulgemus, quatenus illis concedas insignia supradicta, quibus secundum morem Apostolicæ sedis possunt honeste concedi, ac cum illis super omissione prædictorum Ordinum authoritate nostra dispenses, quibus litterarum scientia & morum grauitas suffragantur, iniuncta illis prius pœnitentia competenti. Consuluit nos insuper Fraternitas tua, vtrum clericos ad te sine suorum litteris ordinariorum venientes & offerentes præstare corporaliter iuramentum, quod sunt in quouis Ecclesiasticorum ordinum constituti debeas ad superiores ordines promouere. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi de ipsorum ordinatione canonica, per idonea constiterit tibi argumenta, eos nec in illis suscipere, nec ad maiores debes ordines promouere: præsertim antequam eorum conuersatio fuerit comprobata. Edoceri quoque de sacrificiorum & aliorum sacramentorum ritu per sedem Apostolicam postulasti, vtrum debeas Græcos admittere vt ea exerceant more suo, vel compellere ad ritum potius Latinorum. Ad quod Fraternitati tuæ breuiter respondemus, vt eos tamdiu in suo ritu sustineas si per te reuocari non possint, donec Apostolica sedes super hoc maturiori consilio aliud duxerit faciendum. De Clericis autem qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas absque iusta & necessaria causa, tuo præsertim non accedente consensu, in hac deserunt nouitate, hoc tibi duximus rescribendum, quod postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possint eis iuste priuari, dummodo non sint in impedimento detenti. De Monasteriis quoque Græcorum in sæculares Canonicos conuertendis, Fraternitati Tuæ breuiter respondemus, quod quamdiu per Regulares viros siue Græcos siue Latinos remanere poterunt ordinata, non sunt ad sæculares clericos transferenda, sed si regulares defecerint, propter eorum defectum in eis sæculares clerici poterunt ordinari. Præterea nobis humiliter supplicasti, vt cum difficile sit tuæ iurisdictioni subiectis, pro singulis quæstionibus ad sedem Apostolicam laborare, super appellationibus modum disponere dignaremur. Cum igitur sanctæ record. Gregorius Papa prædecessor noster duxerit statuendum, vt si forte super rebus modicis, quæ infra summam decem Marcarum subsistunt, in Archiepiscoporum & Episcoporum auditorio ventiletur, ac altera partium litigantium delusorie putauerit prouocandum, ipsi appellatione eius contempta, si tamen viri idonei poterunt inueniri in quorum præsentia iurgium sopiatur. Nos attendentes quod nimis dispendiosum esset & graue propter multa maris & terræ discrimina subditos tuos pro singulis querelis sedem Apostolicam adire, Fraternitati tuæ personaliter indulgemus, quatenus, in causis illis, quæ in tuo debent auditorio pertractari, si aliqua partium ad sedem Apostolicam prouocauerint, & res super qua quæstio vertitur summam non excedat prætaxatam, non obstante appellatione obiecta, iustitia mediante procedas, vel partes compellas in aliquos compromittere, qui appellatione remota causam audiant, & debito fine decidant. Idem etiam facturus de leuioribus causis, præsertim inter personas minores, quæ cum sint mere spirituales, ciuilem non continent quæstionem. Venetos autem habitatores Regiæ ciuitatis ad soluendas decimas personis & Ecclesiæ Constantinopoli existentibus, quibus de iure debent, per censuras Ecclesiasticas appellatione remota compellas; non obstante consuetudine, quam habitatores Venetiarum obseruant, vt videlicet in morte duntaxat deciment illa quæ acquisierint in vita: ne hoc prætextu Ecclesia Constantinopolitana suo fraudetur iure, si forsan hi qui longo tempore Constantinopoli habitauerunt, circa finem vitæ suæ Venetias reuertantur. Verum in his & aliis cum discretione procedas & maturitate, peccatum & facilitatem euitans; quoniam in huiusmodi sanius est de tarditate aliqua, quam de nimia velocitate reprehendi. Contigit inter hæc quemdam Burgundiam in Archiepiscopum Patrarum eligi, & super omnes Prouincias Achaiæ præponi. Hic autem quamuis ad sedem Apostolicam pro consecratione & pallio accessisset, Innocentius tamen honoris prærogatiua ornare volens Constantinopolitanum Patriarcham, eidem personaliter istud muneris per litteras iniunxit, vt eum inungeret, & reliquis insignibus Episcopij exornaret. Cæterum cum multi ex clero, vbi primum aliquid beneficiorum acquisiuissent, onera refugientes, Ecclesias relinquebant: adeo vt plurimæ earum à cultu diuino vacarent: cum etiam aliqua cænobia non satis sufficientem numerum ascetarum numerarent; quærenti Thomæ, quid consilii ea in re caperet, quidue statueret; Innocentius rescripsit: a *De clericis*, inquit, *qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas sine iusta & necessaria causa deserunt, tuo præsertim non accedente consensu, hoc tibi duximus respondendum: quod postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possunt eis iuste priuari; dummodo non sint iusto impedimento detenti. Quamdiu autem Monasteria per regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares clericos transferenda. Sed si regulares defuerint propter eorum defectum, in eis sæculares clerici poterunt ordinari.*

a epist. 105. & habetur c. inter quatuor de cleric. non resid. & de dom. relig.

IV. REX CYPRI ET COMES HENRICVS CONCILIANTVR.

Hierosolymis, & in Palæstina, Rex Cypri, & Comes Henricus, regni Hierosolymitani Dominus, diuturno odio inter se diffidentes, tandem conciliati inter se conuenerunt, & partitionem Prouinciarum inter se fecerunt, hoc anno. Eam cum à sede Apostolica ratam haberi postulassent, Innocentius Patriarchæ Hierosolymitano b commisit, vt eam authoritate Apostolica confirmaret. Cæterum cum inter eum Patriarcham, & Antiochenum multæ controuersiæ subortæ essent, ex occasione Archiepiscopatus Tyri, cuius Ecclesiam vterque suam esse asserebat: ideo Innocent. Patriarchæ Hierosolymitano c præceperat, vt infra tres annos Romam se conferret, responsurus ad ea quæ Antiochenus opponeret.

b epist. 76.

c epist. 83.

PATRIARCHA ANTIOCHENVS QVADRIENNIIS SINGVLIS ROMAM ADIT.

Lex & consuetudo obtinuerat, vt Patriarcha Antiochenus, singulis quatuor annis Romam se conferret, tum ad limina Apostolorum visitanda, tum ad rationem reddendam administrationis Ecclesiæ. Huic legi cum hoc anno non potuisset Patriarcha satisfacere, & negligentiam deprecaretur, Innocentius Pontifex benigne eidem indulsit: sed in posterum officii admonuit.

d epist. 88. & seq.

In Hungaria, d Innocentius, fratrem Reginæ ad Ecclesiam Colocensem electum in Archiepiscopum confirmauit: in matrimonio iam inter Comitem Palatinum & vxorem eius contracto dispensauit: & vniuersos Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, & reliquos sæculares Principes ad præstandum Regi suo fidelitatis iuramentum, præcepto scripto induxit.

e epist. 58. 59. lib. 8.

In Dania, Rex Danorum & Slauorum Episcopum VValdemarum in vincula coniecerat. Cui cum e Innoc. Pontifex censuras Ecclesiasticas comminaretur, scripsit illi, se promptum in omnibus fore Apostolicæ sedis mandato obedire, cum & ipse, & progenitores suos fateretur quamplurima beneficia à sede Apostolica recepisse.

V.

In Hispaniis, Rex Castellæ plurimas possessiones eripuerat Templariis. Eas ablatas vt illis restitueret, Toletano Archiepiscopo & Zamorensi Episcopo Innocentius iniunxerat, qui monerent, & si contemneret, anathemate percellerent. Cæterum in controuersia eiusdem Regis Castellæ, quæ illi cum Rege Legionensi, ex occasione quorundam Castrorum intercesserat: f commisit Innocentius Compostellano & Toletano Archiepiscopis, atque Conimbricensi & Tirasonensi Episcopis, vt negotium inter litigantes componerent, definirent, & ad obseruanda ea, quæ ex æquitate statuissent, auctoritate Apostolica compellerent.

f epist. 70.

VI. OBSERVATIONES IEIVNIORVM PRÆFIGIT INNOC.

Braccarensis Archiepiscopus de obseruatione ieiuniorum Pontificem hoc anno consuluerat. Rescripsit illi Innoc. his ipsis verbis: g *Cõsultationi tuæ taliter respondemus, quod omnium Apostolorum vigiliæ sunt in obseruatione ieiunii celebrandæ,*

g c. Consiliũ nostrum de obseruat. ieiun.

præter vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & Beati Ioannis Euangelistæ, quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem Paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur. Ieiunium etiam apud nos in Aduentu Domini agitur, Sanctorum quoque vigiliæ, quorũ festiuitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sunt Sabbato ieiunandæ. De festiuitate vero B. Bartholomæi Apostoli, de cuius celebratione dubietas oritur apud quosdam; respondemus, quod in hoc consuetudinem tuæ regionis obserues. Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia iniungenda, qui diebus Quadragesimalibus, quo tempore tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti: respondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos: preces tamen Domino pro illis, & cum illis, effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, vbi culpa minime reperitur. Item de illis, qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt, quod in partib. tuis nullatenus fieri consueuit, cum hoc ab aliis moleste feratur, & oriatur inde illis occasio detrahendi: respondemus, quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias obseruari: sic tamen, quod debilibus & infirmis propter hoc periculum non emergat. Præterea de illis, qui in Quadragesima, vel in aliis ieiuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri: respondemus, quod cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum cum vrgens necessitas exigit supportare potes & debes, vt maius in eis periculum euitetur.

VII. IOANNEM ANGLUM ANATHEMATE FERIRE IUBET. a *lib. 8. epist. 60. & 64.* b *lib. 9. epist. 77. & seq. & 117. & seq.*

In Anglia a Londoniensi Episcopo potestatem Innocentius faciebat paganos adeundi, eosque ad fidem Christianam conuertendi, & in Prouincijs, si quas luce Euangelij illustrasset, Episcopos consecrandi. Cæterum cũ Rex Angliæ Ioannes nondum desisteret ab Ecclesiasticorum persecutione, præcepit Innocentius Legato Cardinali, vt eum per censuras ab incepto deterreret. Cantuariensis b quoque Ecclesiæ Canonici negligentiores videbantur in Archiepiscopo deligendo. Monebat Innocentius Regem, & Canonicos & Suffraganeos eiusdem Ecclesiæ, & præsertim Episcopum Roffensem & Abbatem S. Augustini, vt procuratores in vrbem intra terminum idoneum destinarent, qui audirent, an prouisio à sede Apostolica Archiepiscopi fuerit vel bona vel mala, alioquin sibi imputarent, si vel inuitis illis Archiepiscopum Cantuariensi sedi imponeret.

VIII. MIRACULOSA ECTASIS.

Guillelmo Londinensem Ecclesiam administrante, mirum istud in Anglia accidit hoc anno. Thurcillus quidam, qui Tistudæ villam in Essexia inhabitabat, cum sanus cubitum iuisset, per duos postea dies, & totidem noctes, quasi exanimis voce sensuque omni spoliatus, lecto affixus est, deinde ad se rediens pristinæque valetudini redditus, mira referebat de inferorum & expiatoriis animarum, quas viderat in extasim raptus, pœnis: idque præter morem, tam prompte, tam culta & eleganti oratione, cum rusticæ vitæ operam daret, vt magnam omnib. audientibus admirationem, multisq; ingentes lachrymas & lamentationes excuteret. *M.S. Vatic.*

IX. c *epist. 117.* LIVONIBUS GENTILIB. ET SARACENIS SICULIS FIDEM ANNUNCIAT. d *epist. 111.*

In Poloniam, c hoc anno INNOCENTIVS miserat Abbatem de Lakere, qui Gentilibus in Liuonia & Prussia, aliisque eius Regni Prouinciis, verbum vitæ prædicaret. Scribebat itaque vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & aliis Ecclesiarum Prælatis, vt eidem Abbati auxilium, consilium, & fauorem impenderent. Neque Saracenorum in Sicilia curam omisit Innocentius d Datis enim ad eos litteris, & missis prædicatoribus, suasit, vt veritatem Euangelicam agnoscerent, & amarent: atque erga Romanam Ecclesiam, & Fridericum Regem fideles esse vellent.

X. e *epist. 84.* OTTACARUS REX UXOREM REPUDIAT.

In Boemia e Rex Ottocarus legitimam coniugem repudiauerat maximo scandalo Christi fidelium. Commisit Innocentius Archiepiscopo Salzburgensi negotium, vt auctoritate Apostolica in facinus Regis inquireret, testimonia fide dignorum reciperet, documenta in scripto redacta ad vrbem remitteret, & partibus terminum designaret, in quo Romæ comparerent, & sententiam sedis Apostolicæ exaudirent.

XI. f *epist. 113. & seq.* PLACENTINOS PREMIT. g *epist. 71. & seq.*

In Italia f Placentinos contumaces dignitate & titulo Ciuitatis Innocentius priuauerat, sedem Episcopalem aliunde transtulerat, bona eorum in omnibus ciuitatib. publicauerat, & per vniuersas Ecclesias anathemate percussos renunciari præceperat. Ibidem Florentinos g & Fauentinos hæreticorum de Lugduno receptatores, ad eos eiiciẽdos per censuras compulerat: atq; h Vercellensib. Alexandrinis, Ferrariensibus, Radicophaniis, Spoletaniis, & nonnullis alijs, vt se obnoxios esse sedi Apostolicæ meminissent, in memoriam reuocauerat, & quosdam ausus eorum in præiudicium Patrimonij B. Petri præsumptos represserat. i Pisano quoq; Archiepiscopo & Florentino Episcopo iniungebat Innocentius Papa, vt Pisanos ciues retraherẽt, ne iura & possessiones S. R. Ecclesiæ in Insula Sardiniæ inuaderent, neue Marchionem Calaritanum sedis Apostolicæ feudatarium, in possessione bonorum S. Petri incommodarent aut turbarent.

h *epist. 86. 93. 120. 65. & 112.* i *epist. 73. & seq.*

XII. CALARITANUS CURAM ANIMARUM FUGIENS ANIMATUR AB INNOC. k *epist. 68. & habetur cap. nisi cum pridem de renunciat.*

Eodem anno Innocentius Pontifex Archiepiscopo Calaritano postulanti, vt ab Episcopali cura solueretur, rescripsit in modum, dignum, qui ab omnibus curam animarum refugientibus legatur. Ita habet: k *Si in huiusmodi cessione frugem tibi melioris vitæ promittis, scire te debes non esse sanctificato in vtero sanctiorem, & ideo non oportet te prædicationis iam susceptæ deserere ministerium: cum ille, cuius fieri baiulus recusabat, tandem prædicandum receperit* DEI *verbum. Quod si forsitan humilitatis causa de culmine quæris Pontificali descendere, eo ipso humilitatis videris erigere male verticem, quod te nimis in resignandi proposito exhibes pertinacem, quia tunc in te veram humilitatem custodies, cum & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes. Intueri te itaque volumus, quod hæc sunt illa, propter quæ cedendi Episcopus licentiam potest postulare: Conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, irregularitasque personæ. Sed in his omnibus est obseruanda cautela. 1. Propter conscientiam enim criminis, cedendi potest licentia postulari, & forsitan non cuiuslibet, sed duntaxat illius, propter quod officii ipsius executio, post peractam pœnitentiam impeditur: cum si omnes quos arguit conscientia cuiuslibet culpæ cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent. 2. Alia vero causa est debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit: nec tamen omnis, sed illa solummodo, per quam impotens redditur ad officium pastorale exequendum. Nam si pro qualibet corporali debilitate, susceptæ seruitutis officium posset deseri, frustra se fateretur Apostolus in suis infirmitatib. gloriari, cum interdum non plus hortetur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis maturitas (quæ in senibus esse solet) ipsum in suo officio suadet permanere. Pro talib. enim de se dicit Apostolus;* Cum infirmor, fortior sum, *quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat. 3. Pro defectu quoque scientiæ plerumque potest quis petere cessionem, quia cum ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria, & circa curam temporalium oportuna; Præsul qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in vtrisque salubriter ei renunciat, si scientiam, in qua ipsam regat, ignorat.* Tu enim *(inquit Dominus)* scientiam repulisti: & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, *quanquam & si desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia secundum Apostolum:* scientia inflat, charitas autem ædificat: *& ideo imperfectum scientiæ, potest supplere perfectio charitatis. 4. Propter malitiam autem plebis, cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare: quando plebs adeo duræ ceruicis existit, vt proficere nequeat apud ipsam: sed propter eius duritiam, quo magis satagit, eo magis iusto iudicio deficere permittatur, dicente Domino per Prophetam:* Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans est, *& Apostoli leguntur dixisse Iudæis:* Ecce conuertimur ad Gentes, quia verbi Dei vos indignos fecistis. *Non tamen pro qualibet culpa Pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit. Sed de superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere, quam prouide declinare, cum oues conuertuntur in lupos: & qui debuerant humiliter obedire, iam irreuocabiliter contradicunt: cum etsi tales sint grauiter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi, quia sanguinẽ elicit, qui nimis emungit. 5. Pro graui quoq; scandalo euitando (cum aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem: ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare salutem: memor illius quod dicit Apostolus;* si esca scandalizauerit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. *Sed inter scandalum & scandalum est subtiliter distinguendum, sicut Dominus ipse distinxit. Cui cum dixissent Apostoli;* scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizantur? *respondit:* sinite illos: Cæci sunt, & duces cæcorum. *Alibi vero dixit:* Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credũt, expedit ei, vt suspẽdatur mola asinaria in collo eius

&

& demergatur in profundum maris. *6. Personæ vero irregularitas, vt si forte sit bigamus, vel viduæ maritus, est causa, propter quam petere potest licentiam aliquis resignandi, attestante Apostolo, qui dicit:* Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum. *Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ, debet ei, qui regulariter ministrauit, cedendi licentia indulgeri: vtpote si de legitimo matrimonio non sit natus, quia licet irregularitatem huiusmodi non potuit subticere; si tamen & culpa latet, & causa cum eo qui laudabiliter suum impleuit officium (iniuncta sibi pœnitentia competenti) potest non minus vtiliter quam misericorditer dispensari.* Ego sum, *inquit,* DEVS zelotes, visitans peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me, *id est, in illis qui contra me paternum ocium imitantur. Vnde patet, quod illis, qui paterna vitia non sequuntur, propriæ in talibus possunt suffragari virtutes illo discretionis adhibito moderamine, vt inter nothos & manzeres, naturales & spurios distinguatur. Verum si propter alias causas cessiones affectes, non est in hoc tibi postulandi fauendum: cum huiusmodi postulatio, videatur non esse discreta, quoniam (vt id tanquam notissimum mittamus, quod otiositas & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas captiuandas) propter laboris angustias, aut persecutionis incursus, non debes deserere sponsam tuam, cui desigẽdo manum apud extraneum te fide media copulasti. Sciens, quod* beati sunt illi qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam cum probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Sed dices:* Spiritus, vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quo vadat, & ideo non est, qui possit vias illius spiritus perscrutari: *qui vero spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quoniam vbi spiritus Dei, ibi libertas. Quare si cedendi tibi licentia data ab homine non fuerit, nihilominus tamen cedes; quia data est tibi libertas cedendi à Deo. Certe decipis, si sic sapis. Nam quomodo spiritu Dei agitur, qui contra spiritum Dei agit? Si enim vera sunt quæ præmisimus (imo quia indubitanter sunt vera) proculdubio contra spiritum* DEI *agit, qui aliquid contra veritatem attentat; quoniam ipse est spiritus veritatis. Porro, si dicas, quod forsan est alia causa latens, propter quam cedendi voluntas tibi cælitus inspiratur. Et nos siquidem respondemus:* Tu quomodo scis, quod talis inspiratio sit cœlestis? *Nonne recolis, quid ille gloriosus Pontifex dixerit, cum cœpisset viribus corporis repente destitui?* Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua, *illius exemplum secutus, qui dixit:* Cupio dissolui, & esse cum CHRISTO: manere autem in carne necessarium propter vos. *Quippe, si quantocumque virtutum flore refulgeas, & in te non habeas charitatem, nihil te comprobaris habere. Nulla siquidem maior poterit esse charitas,* quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Cum autem propter hanc te deceat animam tuam pro subditis tuis ponere, nulla occasione (dummodo proficere illis possis, & si non omnibus, tam multis) ab eorum regimine te conuenit excusare. Quoniam si laboris causam prætendis; exemplum te Apostoli sublenabit, qui suadet tibi laborem huiusmodi non refugere, dum se asserit pro communi salute plus cæteris laborasse, quia licet non semper sequatur laborem effectus, nihilominus tamen ipse labor est meritorius apud Deum, iuxta quod legitur:* Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. *Ne putes, quod ideo Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima satagebat: quia* Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, *quoniam licet illa sit magis secura, ista tamen est magis fructifera: & licet illa sit magis suauis, hæc tamen magis vtilis: cum in fœcunditate sobolis lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini sit prælata, quamuis simul in vnum, & contemplatiuus esse valeas, & actiuus: Legislatoris exemplo: qui, nunc ascendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate: nunc vero descendebat in castra, vt cum vtilitate maiori necessitatibus populi prouideret. Quapropter facilius indulgetur, vt ascendat Monachus ad præsulatum, quam præsul ad Monachatum descendat.*

Monemus itaque, vt laborem Pastoralis regiminis non recuses: ne fortassis ad pedes suos cum Maria sperneret te recipere, qui sibi apud te diuertenti spreuisses cum Martha sollicita ministrare. Quia vero in postulando cedendi licentiam institisti, tibi te duximus relinquendum, vt distinctis causis, propter quas cedere oporteat, si propter aliquam causam vtilem & honestam in huiusmodi proposito perseueres, de licentia nostra cedas, alioquin cedendi licentiam auctoritate Apostolica tibi scias esse penitus interdictam, quoniam etsi pennas habeas, quibus satagas in solitudinem aduolare; ita tamen adstrictæ sunt nexib. præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum. Hactenus Innocent. Archiepiscopo Calaritano, & in eo omnibus iis qui curam refugiunt Pastoralem.

XIII.

Eodem anno 2. Calend. Martij, hora diei decima, Solis deliquium fuit. Multi hominum humanum caput in sole se tunc vidisse testati sunt. *Chron. Hirsaugens.*

XIV. S. UBALDESCA VIRGO HETRUSCA.

Quinto Calend. Iunij è vita migrauit apud Pisam Etruriæ S. Vbaldesca virgo, in agro Pisano humilibus parentibus orta atque ab infantia DEO deuota. Cum annum XV. nata, panem sola in domo paterna pinseret, ab Angelo qui sibi apparuerat, Pisas se recipere, ac cum aliis fœminis religiosis in xenodochio sancti Ioannis ægrotis inseruire iubetur. Cum illa sibi dotem (sine qua ingressus in illud non patebat) non esse diceret: quod absque dote reciperetur, Angelus respondit. Pisas itaque profecta, à fœminarum Abbatissa recipitur, panisque ab ea in furno relictus, non combustus, sed probe coctus, à parentibus domum reuersis, inuenitur. In xenodochium admissa Vbaldesca, orationibus, vigiliis & ieiuniis intenta, indiesque proficiens, maximæ erat omnibus admirationi. Cum vero Moniales annonæ inopia laborarent, ipsa ad quæstum exeundi licentia impetrata, dum iret, lapide è sublimi delapso in capite graue vulnus accepit; quod quidem patiendi causa, cum curari noluisset, vsq; ad extremum vitæ, quam ad viginti annos produxerat, patienter tulit. Eius sanctitas aliquot miraculis dum viueret declarata est. Nam cum aquam à se signo Crucis benedictam, mulieribus quibusdam ab Ecclesia sancti Petri in Gradu remeantibus porrexisset, illa in pretiosum vinum conuersa est: ipso illo die parasceues, quo mulieres illæ in pane & aqua ieiunabant. Cum autem ad mortem ægrotaret, & quidam Religiosus qui ad eam visitandam venerat, secreto sororibus astantibus dixisset, vt se ad illius transitum vocarent; Vbaldesca ait, quod non opportunè venturus esset. Nam statim post illius Religiosi discessum, in cœlos abijt, & post mortem miraculis fulsit. *Ex vita M.S.*

XV. COLONIAM MITTUNTUR LEGATI A SUMMO PONTIF. a *epi. Innoc. anno 8.*

Cæterum, a hoc eodem anno Innocentius Pontifex, Guillelmum Comitem Blesensem, Archiepiscopum Rhemensem, Episcopum Cardinalem Prænestinum, Legatum in Germaniam in causis grauissimis destinauit. Is inter alia negotia quæ Coloniam profectus egit, schisma post Conradi Cardinalis Sabini mortem, in Ecclesia Moguntina exortum tulit: cum Leopoldum ex VVormaciensi Episcopatu, à Philippo Rege intrusum reprobasset, & Sigefridum à minore Canonicorum parte liberè electum, confirmasset. Ea Legatione summo cum honore perfunctus, totius Galliæ Legatus à Latere factus, paulo post ex humanis excessit: vir Apostolica constantia pro Ecclesiasticis iurib. pręstans.

IESV CHRISTI
Annus 1207.

INNOCENTII PAP. III. Annus 10. — HENRICI Imper. 2.

I. HORTATUR OMNES GERMANIÆ UT OTTONIS PARTES SEQUANTUR. b *Vrsperg. in Chron.* c *lib. epist. Innoc. super negotio Imperii Rom. epist. 79. & seq. vsq; ad 82.* d *epist. 89. 90.* e *ep. 86. & seq.*

IN negotio b Ottonis Regis Romanorum, Principes Imperii tam Ecclesiastici quam sæculares, variè inclinabant: prout vidissent vel illum, vel Philippum superiorem in prælio esse. Sciebat istud Innocentius Pontifex, tum à Legatis, tum ab Ottone, tum à Philippo. c Quamobrem habuit Coloniensem Archiepiscopum arguere, quem intellexerat nunc Philippi, nunc Ottonis partes sequi. Treuerensis Archiepiscopus ad Philippum secesserat, nequicquam retinente cum Pontificio mandato. Quam ob rem Anathemate damnatum, præcepit Innocentius quolibet Dominico & festo die coram populo solemni ritu denunciare, donec à Philippo recederet. Et quia ex partium studio scindebatur Imperium, vt illud ad concordiam reuocaret Innocentius, atque suæ existimationi consuleret: inprimis. Ottoni, & Archiepiscopo Salzburgensi, ac reliquis Imperij Principibus d scripsit, asserens falsum esse quod Philippus vulgauerat, quasi ad illum misisset Camaldulensem Priorem, qui ad Imperii coronam capessendam in Italiam euocaret: deinde omnem operam adhibuit, vt omnes Principes in fide Ottonis contineret: & quos ab eo alienos sciret, eid. cõciliaret. Itaq; e Ferrariẽsi, Papiensi, Placentino,

Mantua-

Mantuano, & aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Marchionibus, Comitibus, Nobilibuſq; Lombardiæ: tum Dynaſtæ & Conſulibus Mediolanenſibus ac vniuerſis tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus Alemaniæ Principibus: tum deinde Regibus Angliæ, Boemorum & Danorum: Proceribus quibuſdam Boemiæ: Duci Saxoniæ: Palatino Rheni: Lantgrauio Turingiæ: Colonienſi, Treuerenſi, Moguntino, Saltzburgenſi, & Magdeburgenſi Archiepiſcopis: Cameracenſi, Paderburgenſi, Hildeſemenſi & reliquis Germaniæ Epiſcopis iniunxit, vt Ottonis partes ſequerentur, eumque ad Imperium euehérent, & Philippum non ſemel diris deuotum deſererent.

II. a epiſt. 142. PHILIPPVM ET OTTONEM IMP. CONCILIAT PER LEGATOS. b epiſt. 143. 144. & ſeq. vſq; ad 50.

Per hæc tempora a Philippus Dux Sueuiæ, Patriarcham Aquileienſem receens electum ad Innocentium miſerat: qui pacem inter Eccleſiam Romanam & Imperium ſtabiliret, atque his diſſidijs ſatis diuturnis finem imponeret. Audiuit eum non illibenter Innocentius: & cum nihil magis quam vnitatem & pacem Imperij exoptaret, miſit in Germaniam Legatos b Hugonem Oſtienſem Epiſcopum, & Leonem tituli Sanctæ Crucis presbyterum Cardinalem, qui æquis cõditionib. negotium inter Philippum & Ottonem componerent. Ex mente Innocentii, Legati illius tranſegerunt. Cum enim in Germaniam appuliſſent, affinitate Philippum cum Ottone deuinxerunt, & pacem annuam inter eos apud Northuſium interpoſuerunt, donec de re maturius decernerent. Obtulit tunc ſuam primogenitam Philippus Ottoni: ſi modo Innocentius Pontifex inter coniunctos matrimoniũ permiſiſſet: & priora vincula Ottonis cum filia Ducis Brabãtiæ irritaſſet: quando quidẽ nec ille eand. amplius collocare vellet. Alia à Legatis in eo Comitio facta, in Vaticano codice recenſentur atque numerantur his ipſis verbis. Primo receperunt publicè iuramentum à Philippo Duce Sueuiæ, quod pareret mandatis Domini Papæ ſuper omnibus pro quibus erat excommunicatus: & ſic eum Legati ſecundum formam Eccleſiæ ſolenniter abſoluerunt. Secundo iniunxerunt eidem, vt dimitteret Brunonem Colonienſem Archiepiſcopũ, quem in captiuitate tenebat, quẽ libere abſolutum aſſignauit eiſdem ad ſedem Apoſtolicam perducendum. Tertio, induxerunt illum ad hoc vt fateretur, quod ipſe accepit regalia, licet inuitus, à Luitpoldo Moguntino intruſo, & vt idem Luitpoldus intruſus ſpiritualia reſignaret in manibus Legatorum. Quarto, apud ipſum obtinuerunt cum difficultate non parua, vt permitteret Siffridum Moguntinum Archiepiſcopum per Procuratorem ſuum in ſpiritualib. miniſtrare. Quinto fecerunt ipſum dimittere magnum exercitum quem cõgregauerat aduerſus Regem Ottonem. Sexto, bis eos ad colloquium perduxere, tractantes cum ipſis de pace, quam cum conſummare non poſſent: ſeptimo tandem ſtatuerunt inter eos treguas vnius anni, & ſic tractatum pacis in ſcriptis redigentes, ad ſedem Apoſtolicam cum nunciis vtriuſque redierunt.

III. c Cromer. lib. 7. EXCLVDITVR A DVCATV POLONIÆ VLADISLAVS CVM OTTONE FILIO. d epiſt. 112. 133. & plurimis ſeq.

In Polonia, hoc anno, nonnihil ſpinarum, qua à Vladiſlao cognomento Laſconogo, qua à clero non omnino puro, qua à nobilitate lucello intenta. c Cromerus, Vladislaum Principem, magna facilitate, humanitate, iuſtitia, atq; liberalitate ſtudia & voluntates hominum ſibi adiungere initio Principatus cæpiſſe narrabat. Illum tamen adminiſtrandæ reipublicæ tenorem non ſeruaſſe, certum eſt, quia Proceres Poloni non ex nihilo Principatum ei abrogarunt, & filium eius Ottonem ſucceſſione excluſerunt. d Innocentius ſummus Pontifex, non ex vmbris, illum redarguebat: quod is multa contra Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas perpetraſſet, & manus violentas in aliquos iniecíſſet. Proinde illum ipſum Chriſtianę humilitatis admonebat, vt vellet facinorum pœnitere, & à vinculo excommunicationis exolutionem poſtulare. Committebat ſubinde Archiepiſcopo Gneſnenſi, vt illi eidem, & complicibus anathemate damnatis, ſi ad cor reuerterentur, gremium Eccleſiæ aperiret, datis litteris 2. Idus Ian. Poſnanienſis Epiſcopus, Vladislao auctor fuerat, vt in Eccleſias peccaret. Propter quod facinus abominandum, cum & ipſe à communione fidelium ſeparatus, & illius Diœceſi ſacris interdictum eſſet, Innocẽtius vniuerſis Poloniæ Epiſcopis præcipiebat, ne quiſquam ei, vtpote Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum perſecutori communicaret. Porro idem Pontifex Innocent. Gneſnenſi Archiepiſcopo & iniungebat, & poteſtatem faciebat, Vuladislaum Principem, & eos qui Clericos ſpoliare auderent, vel aliqua alia ratione violare, cenſuris Eccleſiaſticis reprimendi. Qua in libertate Eccleſiaſtica aſſerenda vt ei reliqui Poloniæ Epiſcopi aſſiſterent, & opem atque operam impenderent, vniuerſis & ſingulis præcipiebat: ſi autem æs alienum, in eadem libertate & immunitate, & perſonarum, & rerum Eccleſiæ, tuendarum contraxiſſet, atque interim diem extremum obiiſſet, Eccleſiam Gneſnenſem aſtringebat, quæ eorum illud, eo defuncto diſſolueret. Neque etiam ex nihilo, vniuerſis Ducibus Poloniæ Innocentius mandabat, ne impedimentum præſtarent, quominus decimæ Eccleſiis ſoluerentur: & quominus electiones Prælatorum ad præſcriptum canonum liberè celebrarentur. Neque etiam ex ſomnio, eoſd. Duces admonebat, ne bona Eccleſiarum vacantium occuparent, ſed eadem Eccleſiis & Prælatis ſuccedentibus relinquerent. Sed neque etiam ſine cauſa hæc quæ ſequuntur, in librum decretalium relata, eid. Archiepiſcopo Gneſnenſi & Suffraganeis Epiſcopis reſcripſit. e Filius, inquit, Canonicorum, præbendas in eiſdem Eccleſiis conferri non ſinatis, quarum ſunt Canonici patres eorum, cum indecorum ſit, vt in altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo vnigenitus Dei filius æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur. Eos etiam qui ſunt publice vxorati, non admittatis ad Eccleſiaſticas dignitates, dimiſſis ab eis, quas non poſſunt ſine prauo exemplo & graui ſcandalo retinere. Quod autem interdum ludi fiunt in Eccleſiis theatrales, & non ſolum ad ludibriorum ſpectacula introducuntur in eis monſtra laruarum, verumetiam in aliquibus feſtiuitatibus, diaconi, presbyteri, ac ſubdiaconi inſania ſuæ ludibria exercere præſumũt: Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus ne per huiuſmodi turpitudinẽ, Eccleſiæ inquinetur honeſtas, prælibatam ludibriorum conſuetudinem vel potius corruptelam, curetis à veſtris Eccleſiis extirpare. Hactenus ad extirpandos abuſus Innocentius, qui etiam f Archiepiſcopo Gneſnenſi conceſſit, vt Crucem ante ſe poſſit iubere deferri, eidemq; præcepit, vt cenſum B. Petri, à quibuſdam Canonicis & ab vniuerſis Chriſti fidelib. exigeret, & in vrbem remitteret. Cæterum cum Otto Vuladislai ſiue filius, ſiue nepos Magdeburgum ſe contuliſſet, g præcipiebat Innocentius Pontifex Archiepiſcopo, Decano & Capitulo Magdeburgenſi, vt eũ inter Canonicos reciperent, & Præpoſituram eiuſdem Eccleſiæ vacantem, eidem conferrent.

e c. Cum decorem. epiſt. 135.

f epiſt. 136. & 133.

g epiſt. 132.

IV. VITA ET OBITVS S. IVLIANI EPI SOP. BVRGENSIS.

Hocanno in cœlum migrauit, S. Iulianus Epiſcopus Burgenſis. Is antequam naſceretur, matri eius viſum fuit, quod pareret catulum quendam album, qui ignis flammas ex ore ſuo emittebat. Eo die quo baptizabatur, apparuit infantulus quidam ſuper lauacrum cum mitra & baculo, qui ſacerdoti præcepit, vt Iuliani nomen infantulo imponeret. A prima ſtatim ætate ſtudiis cum ſe dediſſet, conatus eſt virtutes quoq; præclaras ſcientiæ adiungere. Conchenſi poſtmodum ciuitati à Mauris ereptæ præfectus Epiſcopus, eam dignitatem, magna virtute, prudentia, & ſanctitate adminiſtrauit. Præter alia muneris Epiſcopalis officia, quæ diligenter obibat, ipſe ad populum frequentes conciones habebat, vectigalia ſua pauperibus diſtribuebat, orphanos, viduas, & alias miſerabiles perſonas beneficiis adiuuabat. In magna quadam fame, quæ ſucceſſit, apparuerunt varia iumenta frumento onerata, quæ ſine vllo ductore in domũ Epiſcopi peruenerunt, vt is bonus diſpenſator pauperibus erogaret. In his pietatis operibus cum ſe plures annos exercuiſſet, plenus bonis operibus defunctus eſt. Iulius Pontifex Tertius, eorum diem celebrandæ illius feſtiuitati, diplomate Apoſtolico aſſignauit. *Thomas Trugillus in Theſauro Concionat.*

V. IEIVNIO SEPTENNI IRATVM DEVM PLACAT S. LVTHGARDI OB APPARATIONEM B. VIRGINIS.

Iſto tempore per Galliam Narbonenſem imminente peſte ſæuiſſima Albigenſium hæreticorum, Beatiſſima virgo Maria apparuit Sanctæ Luthgardi, vultu lugubri & obſcurato. Compatiens autem ei in viſione Luthgardus cũ magno cordis & oris rugitu, quæſiuit ab ea quidnam haberet, & vnde eſſet tãtus faciei pallor & ſqualor, q̃ alioqui eſſet omnis gratiæ plena. Huic beatiſſima virgo reſpondit: Ecce ab hæreticis & pſeudo Chriſtianis turſus conſpuitur & crucifigitur filius meus. Tu ergo aſſume lamentum, & perpetuis ſeptem annis ieiunato, vt ſopiatur ira fili mei, quæ generatim imminet vniuerſo orbi. Itaque toto integro ſeptennio, tale illa ſibi indixit ieiunium, vt pane ſolo & ceruiſia contenta eſſet. Videre autem erat ingens miraculum. Nam cum ſæpe ſæpius, Luthgardis, vt iuſſis maiorum ſuorum morem

gereret, aliquid pulmenti comedere tentaret, nihil exinde, vel ad fabæ vnius quantitatem potuerit deglutire. In hunc modum, vſque ad tempus Concilii Lateranenſis ieiunium prorogauit, vt iratum humano generi Deum conciliaret, hiſque etiam ſpiritualibus armis contra hoſtes fidei Albigenſes dimicaret. Namque iſti feralibus odiis contra Orthodoxos dimicabant, duce totius improbitatis Raymundo Comite Toloſano, eo nomine Quarto, filio Raymundi III. ex ſorore ſeu filia Ludouici Galliarum Regis. *Surius in vita ſanctæ Luthgardis, ex Thoma Cantipratano.*

Et quia opportuna ſe offert occaſio, breuiter nonnulla de improbitate eiuſdem Comitis, *Petrum Monachum Senarii*, qui hominem & viderat, & nouerat, referentem, audiemus. Iſta memorabat, his ipſis quæ adiungo, ex eius *contra Albigenſ. hiſtor. Primum ſciendum, quod ab ineunte ætate ille fuit amator hæreticorum, & eos in terris ſuis recepit, atq; omnibus modis honorauit, vt facile percipi potuit etiam vſque ad illum diem, quo, vt affirmant, eos conducebat iuxta ſe in habitu communi & vulgari, vt non agnoſcerentur: in eum finem, quod ſi ipſum mori contingeret, ad minus inter eorum manus moreretur. Siquidem credebat, quod quantumuis ipſe eſſet magnus peccator, ſi tamen ipſe inter manus eorum moreretur, certiſſime eſſet ſaluus, dummodo poſſet in articulo mortis manuum impoſitionem ab illis obtinere. Ille quoque fecit portari ſecum nouum Teſtamentum, vt vtrumque poſſet recipere de manu prædictorum hæreticorum. nempe, & impoſitionem manuum, & nouum Teſtamentum. Namque illi vetus Teſtamentum deteſtantur. Dicunt namque Albigenſes, quod Deus qui veterem legem inſtituit, eſt malus; & vocant eum, proditorem quidem, propter ſpoliationem Aegyptiorum; homicidam vero propter diluuium, & ſubmerſionem Aegyptiorum. Aiunt item, Moyſen, Ioſue, & Danielem fuiſſe anteambulones & miniſtros mali Dei. Quadam die porrò dictus Comes, dixit hæreticis quod nos pro certo cognoſcimus, velle ſe filios ſuos Toloſæ inter hæreticos educare, vt in eorum fide ſeu potius in infidelitate inſtituerentur. Idem etiam alia quadam die promiſit ſe daturum centum marchas argenti, ei, qui militem quendam, quem ille frequenter ad ſuam religionem inuitauerat, & cui ſæpius prædicare fecerat, ad eandem ſectam pertraxiſſet. Inſuper quando hæretici dona aliqua illi offerunt, præſertim de his rebus, quæ ipſe edit, ea diligenter aſſeruari facit, nec permittit vt aliis quam ipſe, & paucissimi ex familiaribus, eis vtantur. Sapius quoque vt nos certiſſimè cognouimus, ille hæreticos flexis genibus adorauit, & ab eis benedictionem poſtulauit, eoſdemque eſt deoſculatus. Quadam die dictus Comes, cum quoſdam homines expectaret, qui ad ipſum venturi erant, & illi non veniſſent, dixit; Apparet certè, quod Diabolus iſtum mundum fecit: ſiquidem nihil nobis pro voto ſuccedit. Idem etiam Comes, dixit venerabili Epiſcopo Toloſano, (ſicut ego audiui ab eodem Epiſcopo) quod Monachi Ciſtercienſes non poterant eſſe ſalui; eo quod oues habebant, quæ luxuriam committebant. Eidem etiam Epiſcopo dixit, vt noctu in ſumptuatium, ad audiendam concionem hæreticorum veniret. Quadam etiam die ſupernominatus Comes erat in quadam Eccleſia, vbi Miſſa celebrabatur, & habebat iuxta ſe morionem quendam, qui ſernans conſuetudinem eiuſmodi ſcurrarum, & hominibus, & beſtiis illudebat. Cumq; presbyter miſſam celebrans ſe ad populum conuerteret dicens, Dominus vobiſcum; ſceleratiſſimus Comes dixit morioni, vt ſimile faceret, vtq; presbytero illuderet. Amplius dixit aliquoties idem Comes, quod plus amaret ipſe ſimilis eſſe cuidam hæretico, qui erat apud Caſtras, diœceſis Albigenſis, homo ſine pedibus, & ſine manibus pauperrime indutus; quam eſſe Rex, aut Imperator: & quod perpetuo recepit, atque fuit hæreticos, neq; vnquam aliquo modo per aliquem Legatum ſedis Apoſtolicæ inducipotuit, ad eiiciendum hæreticos ex terris ſuis; tametſi ille ſæpius compulſus fuerit, per prædictos Legatos, hæreſes abiurare. Et quod peius eſt, ita Sacramentum matrimonii contemnit, quod quotieſcunq; illi fœmina diſplicuit, ea exacta, aliam ſuperinduxit. Hanc ob cauſam, ille, iam quatuor vxores habuit, quarum tres adhuc viuunt. Prima fuit ſoror Vicecomitis Biterrenſis, cui nomen Beatrix: quæ repudiata, duxit ſororem Ducis de Capere: reiecta iſta, deſponſauit ſibi ſororem Regis Anglorum Richardi, quæ ipſi erat propinqua in tertio conſanguinitatis gradu; & hac mortua, accepit etiam ſororem Regis Aragoniæ, quæ erat ipſi cognata in quarto gradu. Neq; eſt tacendum, quod primam vxorem quam habuit, ſæpius admonuit, vt habitum Religionis acciperet. Quæ eius ſcopum cognoſcens, petiit ab eo: Num Ordinem Ciſtercienſem ipſam ingredi vellet. Cui ille reſpondit: ſe nolle. Ipſa denuo interrogauit: ſi Ordinem Fontis Obrandi deberet amplecti. Comes reſpondit, quod ipſe nullatenus id vellet. Tunc illa rogauit eum, vt voluntatem ſuam ea in re aperiret: cum ille dixit; quod vellet fieri eremita, quod ipſe prouideret ei de omnibus, quæ neceſſaria eſſent, & ita factum eſt.*

Eo tempore erat quidam peſtilentiſſimus hæreticus Toloſæ, cui nomen Hugo Fabri: qui aliquando in eum furorem præcipitatus eſt, vt ventrem ſuum iuxta maius altare cuiuſdam Eccleſiæ purgauerit, & poſteriores partes palla altaris deterſerit. Prædictus etiam hæreticus, quadam die dixit: quod quando Sacerdos in Miſſa recipit Corporis Chriſti ſacramentum, degluttit quemdam diabolum in corpus ſuum. Hæres cum delata eſſent ad Comitem, per venerabilem Abbatem Ciſtercienſem, protunc Abbas magnæ ſyluæ in territorio Toloſano admonuit ipſum, vt illum puniret, qui tantum ſcelus admiſerat. Comes vero illi reſpondit, quod ipſe pro eare nunquam ſuum ciuem puniret. Prædictas abominationes recitauit Abbas Ciſtercienſis, iam tunc Archiepiſcopus Narbonenſis viginti circiter Epiſcopis, me preſente in Concilio apud Vaurum.

Adeo autem laſciuia & libidine dictus Comes diffluebat, quod nos certo ſcimus quod ille ſorore ſua germana abuſus fuerit in cõtemptum Religionis Catholicæ. A prima pueritia inquiſiuit diligenter concubinas patris ſui, & cum ipſis perlibenter ſe miſcuit, vix tamen fuit quæ illi placeret, niſi ea quæ primum cum patre ſuo rem habuiſſet. Vnde ſæpius pater ſuus, cum propter hæreſes, tum propter iſtius enormitates prædixit ei, amiſſionem principatus. Ob has cauſas, perpetuo, mirum in modum amplexus eſt Magiſtros hæreticos; ad quorum conſilium expilauit Eccleſias, deſtruxit Monaſteria, vicinos quos potuit depopulatus eſt: & ſemper ſe membrum Diaboli exhibuit, filium perditionis primarium, Satanæ ſemen, inimicum Crucis Chriſti & Eccleſiæ: amicuſque ſemper extitit ſectatorum & defenſorum hæreticæ impietatis, depreſſor Catholicorum, miniſter perditionis, fidei abnirator, plenus vitiorum, & omnium ſcelerum ſentina. Prædictus Comes, cum quadam die ſchacorum ludo, cum quodam capellano luderet, inter ludendum dixit: Deus Moyſi, in quem tu credis, non te poterit vllo modo in hoc ludo iuuare, & adiunxit: Numquam me Deus iſte adiuuet. Alio tempore, cum idem Comes iret decreuiſſet è Toloſa, in partes Prouinciæ, contra quoſdam aduerſarios ſuos, ſurgens media nocte, venit in domum, vbi congregati erant hæretici Toloſani, & dixit eis: Domini mei, & Fratres: vos ſcitis, quam varii ſint euentus belli. Itaque ego commendo meum corpus, & meam animã, in manus veſtras. Quibus dictis, duxit ſecum aliquos ex hæreticis in habitu cõmuni: vt ſi aliquo caſu ipſum mori cõtigiſſet, ſaltem inter eorum manus moreretur.

Aliquando idem maledictus Comes, incidit in morbum, in Aragonia: & cum tantiſper conualuiſſet. fecit ſibi fieri currum equorum, in quo iuſſit ſe ſtatim Toloſam deportari. Interrogatus poſtea, quamobrem ſic graui morbo detentus, tam celeriter ſe Toloſam deferri fecerit, reſpondit: Se propterea id feciſſe, quod in regione illa vbi morbum contraxerat, nulli erant Boni homines, inter quorum manus ille mori potuiſſet. Hæretici enim, ab illorum fautoribus, Boni homines appellantur. Cæterum non in his ſolum, ſed etiam, in aliis magnis & euidentibus ſignis, dictus Comes ſe hereticum demonſtrauit: & ſæpius dicere ſolitus eſt: Ego vero me amiſſurum Principatum, propter bonos homines (intelligens hæreticos) ſcio: verumtamen promptus ſum non ſolum Principatum perdere, ſed libenter etiam pati, vt caput mihi propter eos abſcindatur.

Hæc & alia Petrus Monachus de Raymundo Toloſano: quem vt Innocentius Pontifex ab errore reuocaret, præter alios viros inſignes, quos ad prædicandam fidem Catholicam deſtinauit, duodecim quoq; Abbates Ordinis Ciſtercienſis, & vna cum eis Diuum Dominicum Guzmanum ire iuſſit: qui nullum non lapidem mouerunt, vt eum ad hæreticos eiiciendos, hæreſimq; eiurandam illicerent. In ea prædicatione, Didacus Oxomenſis Epiſcopus, non poſtremas partes, cum tuliſſet, in Eccleſiam ſuam redux, fatis defunctus eſt, poſt mortem multis miraculis clarus. Sepultus eſt Sanctus Epiſcopus in Eccleſia ſuburbii Oxomenſis, in capella quæ dicitur Crucifixi, prope altare ad cornu Euangelii, cum hac inſcriptione:

Hic iacet Didacus Azebes Epiſcopus Oxomenſis. Obiit Æræ M. CC. XLV.

Cumque æræ ratio, triginta octo annos addat, ad annos Chriſti nati, conſtat Didacum hoc anno 1207. defunctum eſſe. Didacum Oxomenſem ſecutus eſt, ſed per gradum martyrii Frater Petrus de Caſtro nouo Monachus Ciſtercienſis, vnus ex primariis Apoſtolicis Legatis, & prædicatoribus aduerſus Albigenſes in Prouincia Toloſana, ſeu Narbonenſi, ab Innocentio ſummo Pontifice deſtinatus. Summam eius martyrii, ex *Petro de Valle Sernarii*, qui illud *in Albigenſ. in hiſt. c. 9.* deſcripſit, referemus.

Supradictus Raymundus Comes Tolosanus, propter hæreses, & nefaria scelera sæpius anathemate Apostolico ab Innocentio percussus, atque homo vafer & versipellis, sæpius propter simulatam pœnitentiam absolutus, tandem vocauit ad villam sancti Ægydii prædictum Fr. Petrum de Castro nouo, & collegam eius, Apostolicos Legatos, nunc promittendo se imperata facturum, ac pro admissis plenam satisfactionem exhibiturum, nunc vero refractariè æquas omnes conditiones recusando tergiuersabatur, ac tempus callidè extrahebat. Istud animaduertentes Legati, à prædicta villa discedere statuerunt: sed Comes illis publicè mortem comminatus, si abitum molirentur. Interim Abbas Sancti Ægidii eiusdemque villæ Magistratus & ciues, plurimis precibus apud Comitem egerunt, vt de crudeli animo aduersus Legatos remitteret, nihil tamen obtinuere. Nam Comes secretò ad insidias dispositas misit, & quid factum vellet, admonuit.

Ciues porrò & Magistratus Sancti Ægidii Legatorum Apostolicorum vitæ metuentes, securitatis eorum causa, armatam militum manum cum Legatis miserunt. Cumque eo die per ripam Rhodani fluminis iter egissent, proxima nocte quieuerant: cum etiam satellites quidam à Comite missi, dissimulato animo se illis adiungentes, in eodem hospitio exceptisunt. Sequenti die summo mane, Missa pro more celebrata, cum innocentes Iesu Christi milites se ad traiiciendum flumen præpararent, vnus ex præfatis sicariis vibrans lanceam suam, prædictum Fr. Petrum Monachum Legatum Apostolicum incautum, & nihil tale metuentem, paululum infra costas lethali vulnere transfixit. Ibi deuotissima Christi victima, videns se atroci ictu confossum, ad percussorem conuersus, placido ore dixit. *Indulgeat tibi Deus frater: nam ego tibi indulgeo.* Sacrum interim Christi, & prothomartyris Stephani imitatus exemplum, illa eorum totius pietatis & patientiæ verba dixit: & post aliquot deuotissimas preces ad Deum emissas, sanctissimus martyr in Domino obdormiuit.

Post mortem Didaci Episcopi Oxomensis, & Petri Martyris de castro nouo, atq; Magistri Rodolphi, Prælati Prouinciæ & alii ministri, quibus Fidei Orthodoxæ, & pacis causa fuerat cõcredita, videntes quantum ipsi parum proficerent, & quam atrociter hæretica contagio inualeret, solemnem Legationem ad Innocentium summum Pontificem decreuerunt, vt is certò certius quæ acciderant cognosceret, ac pro cura pastorali, quain custodiam totius orbis Christiani inuigilabat, rebus in ea regione propemodum desperatis opem ferret, fideique pereunti manum adiutricem admoueret. Missi sunt in eam Legationem, Fulco Episcopus Tolosanus, & Nauarræus Episcopus Conseranus. Comes quoque Tolosanus, cum audisset prædictos Episcopos Romam profectos, conscientiæ stimulis agitatus, ac rebus suis valde pertimescens, neue graue aliquod malum super se rueret, in posterum præcauens, postquam etiam ipse aliquos Romam præmisisset, tandem nefarios quosdam & execrabiles homines ire iussit, nempe, Archiepiscopum Aquensem, & Raymundum Rabestenium, qui aliquãdo fuerat Episcopus Tolosanus, verum postea propter improbitatem, & licentiam morum gradu motus. Per hos suos Legatos, apud Innocentium Pontificem conquestus est, de Abbate Cisterciensi, qui legationeApostolica, in causis fidei fungebatur. Affirmabat se Abbatis minis & asperitate malè tractatum, cum nonnulla plusquam fas aut æquum esset postularet. Postulabat etiam Comes, vt Pontifex Legatum à Latere mitteret: pollicebatur enim se imperata facturum, & voluntati Pontificis in omnibus pariturum. Verum callidè omnia ista, & dolo malo machinabatur, quo Pontifex Cardinalem aliquem destinaret, quem ipse sibi non difficile corrumpere siue decipere posse existimabat.

Quod Abbatem Cisterciensem attinet: res est.

Accepta Petri morte, Innocentius Papa, denuo fulmina Apostolica, aduersus eundem Comitem Raymundum vibrans, illum diro anathemate illigauit, & tanquam excommunicatum ab Archiepiscopis, & eorum Suffraganeis, per Prouincias Galliæ denunciari præcepit, eiusque subditos Sacramento fidelitatis absoluit, terrasque illius aliis occupandas subiecit: atque Nauarreum Episcopum Conseranum, & Arnaldum Abbatem Cistercien sem Legatos Apostolicos vehementer hostatus est, vt deposito omni metu, quem ex morte præfati Petri poterant concepisse, omnibus viribus & conatibus furori & conatibus prædicti Comitis se opponerent: & si opus fuisset, in glorioso eiusmodi certamine animas propter Christum profundere t, populumque seriò admonerent, vt contra hæreticam impietatem, quæin Prouincia Narbonensi magnas vires fecerat, arma susciperent, eamque ferro atque igne excinderent, ac seuerius vires suas contra Albigenses, quam contra Saracenos exercerent, eo quod illi istis peiores & pestilentiores procul dubio existerent. Insuper vt Comitem ipsum totis viribus opprimere niterentur, eiectisque atque profligatis ex eius terris hæreticis, in eorum locum Catholicos substituerent: vt sic tandem tantis malis fractus prædictus Comes resipiscer et, & ad Catholicam Ecclesiam salubri accepta pœnitentia reuerteretur. Hæc omnia, & alia, fusè & distinctè Innocentius exequitur, in litteris, ad Comites, Barones & milites, per Prouincias Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem & Viennensem, VI. Idus Martii, anno Pontificatus Innocentii vndecimo, nempe subsequente anno 1208. datis, quæ, cum Arnaldus Cistercien sis Abbas, contra Raymundum Comitem acrius vrgeret, hominem adeo offendit, vt is iniuriarum nomine, acta pro zelo iustitiæ appellaret.

VI. MONASTERIVM ADNVTRIENDAS ET CATHOLICÆ DOCENDAS FILIAS ERIGIT D. DOMENICVS.

Hoc tempore, D. Dominico, in Galliis, contra Albigenses prædicante, monasterium Sanctimonialium apud Prullianum, ex hac causa extructum est. Erat in illis locis nobiles plurimi, qui inopia adacti, filias suas tradebant hæreticis nutriendas: imo vero erroribus pestiferis corrumpendas. Eorum exitiale opprobrium miseratus Dei seruus B. Dominicus, Monasterium in quo reciperentur, in loco, quem Prullianum vocant: vbi ancillæ Christi perpetuo inclusæ admirandas Constitutiones & obseruantias, arctumque silentium sectarentur, & manibus suis laborantes, in conscientiæ puritate Creatori suo iucundum exhiberent famulatum. *Theodoricus in vita S. Dominici lib. 1. c. 6.*

VII. a epist. 137. IMAGO DIVIRGINIS A S. LVCA DE PICTA AVFERTVR CONSTANTINOP.

Constantinopoli *a* in Sacrario basilicæ S. Sophiæ, asseruabatur icona Diuæ Deiparentis Mariæ, vt aiebant, à Diuo Luca depicta. Eam Veneti effractis foribus sacrarii abstulerant: & ob istud sacrilegium anathemate perculsi fuerant à Thoma Patriarcha. Sciuit istud Innocentius Papa, eamque Mauroceni sententiam approbauit: vtque sacrilegio ereptam restituerent imaginem, author fuit.

VIII. b epist. 132. EXHVMATVR HÆRETICVS.

Fauentiæ *b* in Æmilia, in templo S. Hippolypi, Martyris, quendam hæreticorum, Abbas ad sepulturam receperat. Præcipiebat Innocentius Abbati & Monachis, vt cadauer illud exhumaret, vt interdictum in sua Ecclesia propterea positum obseruaret.

IESV CHRISTI
Annus 1208.

INNOCENTII PAP. III. Annus 11. HENRICI Imper. 3.

I. INTERIMITVR PHILIPPVS DVX SVEVLÆ.

INduciis inter Ottonem Regem Romanorum & Philippum Sueuiæ Ducem pactis *c* Otto Ottonis M. Boiorum Ducis ex fratre nepos Philippum aperta vena valetudinem curantem interemit, ipso decimo die Calend. Iuliani. Meruit eam numinis vindictam, etsi propter alia facinora, maxime tamen, quod in solutionem stipendiorum, cum eum pecuniæ deficerent, Ecclesias etiam Cathedrales loco pignoris obligaret. Vrspergensis quamquam plus nimio addictus Philippo vehementer dolebat, etiam Ecclesiam Vrspergensem, ab eodem, quibusdam nobilibus obligatam fuisse, quam postea Præpositus numeratis CC. marcis argenti vix redemit.

c Vrsperg. in Chron.

II. *d lib. 3. super negot. Imp. Rom. ep. 151. & seq.* INTEREMPTI PHILIPPVT GERMANIÆ PRINCIPES OTTONI CONFIRMENT

Philippo extincto, vt Innocentius Pontifex Ottoni Imperium stabiliret, *d* Archiepiscopis Magdeburgensi, Moguntino, Colonien si, Salzburgensi, Treuerensi, Bremensi, & aliis, atque eorum Suffraganeis Episcopis, Patriarchæ Aquileien s. & suffraganeis ipsius: Regibus Galliæ, Angliæ, Boemiæ, Daniæ, Landgrauio Thuringiæ: Ducibus Brabantiæ, Zeringiæ, Moraniæ, Austriæ, Saxoniæ, Bauariæ, & Vaschalis

IMPERIVM MANDAT INNOC.

schalis: Marchionibus Minensi, Brandeburgensi & Landsbergensi: Consulibus, iudicibus, ciuibus, & Scabinis Colonien si, Magdeburgensi, Moguntinensi, Halberstadensi, Treuerensi, & reliquarum Ciuitatum iniunxit, vt Ottonem ad Imperium eueherent, neque alium eligi tolerarent. Romanorum aliqui, nonnihil huic electioni resistebant, quod explorato scirent Germanos, non germanos sibi fuisse. *a* Narrabat Innocentius Ottoni, quantam calamitatem à populo Romano sustulisset causa illius: quidue egisset in promouendo eo ad Imperium Romanum, & qua constantia esset erga illum. Insinuabat etiam, quid ipsi agendum foret, pro Imperio adipiscendo; præsertim cum Philippo competitore occiso, eius nepos Fridericus, diadema spebus deuorarit. Hæc Innocentii officia cum Otto intellexisset, eidem summas gratias agens, *b* totum negotiũ assumptionis suæ ad Imperium sedi Apostolicæ adscripsit; eodemq; monitore Patriarcham Aquileiensem sibi conciliatum, vna cum aliis Nunciis in vrbem misit, qui pactanomine ipsius cum Ecclesia Romana stabilirent. Atque diadema Imperii, & dispensationem matrimonii cum primogenita Philippi postularent.

a epist. 153.

b epist. 161. & seq.

III. *c Aemil. in philip. & histor. Albig.*

In Gallia *c* Legatus Apostolicus, cum duodecim Abbatibus, & Diuo Dominico Guzmano, cum multam operam in Albigensibus conuertendis posuisset, & Comitem Tolosanum à sententia dimouere non potuisset, authoritate Apostolica, tanquam erronum fautorem à sacrorum & fidelium communione separauit.

IV. EXCOMMVNICATVR COMES TOLOSANVS.

Cum enim Raymundus Comes propter necem Petri Monachi grauiora sibi metueret, atque ea euadere cogitaret: eamque ob rem nuncios ad sedem Apostolicam misisset, qui contra Arnaldam Cistercien sem Abbatem quererentur, ideo Innocentius Pontifex volens eidem Comiti omnem conquerendi occasionem amputare, misit Legatum à Latere vnum de suis clericis collateralibus nomine Milonem, virum vitæ honestissimæ, excellenti scientia, facũdum, & aduersus omnem metum imperterritũ & infractum. Audito aduento Milonis Comes Tolosanus vehementer gauisus est, sperans illum posse in rem suam inclinare, totamq; causam suam modis omnibus efficere, cui etiam rei per Prouinciam volitabat, spargens eiusmodi voces, habere se Legatum secundum cor suum, quiad nutum suum omnia componeret. Sed longe secius cuncta euenere. Nam is, vna cum Theodosio Cænonico Iamnensi, cum ex relatione Arnaldi Abbatis Cistercien sis omnes technas, fraudesque Comitis, & statum totius causæ plene pernouisset, admirabili constantia contra Comitem, fautorem hæreticorum armatus, ex consilio Arnaldi, cõsilium Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum Galliæ plurimorum, apud castrum Montelium habuit, inque eorum consessu Raymundum Comitem Tolosanum hæreticorum fautorem renunciauit, & tum illius, tum aliorum criminum, præcipuè vero cædis Petri Monachi reum anathemate damnauit. His ex sententia effectis, Abbas Cistercien sis & Milo (nam hoc vltimum Innocentii Papæ verbum ad Milonem Legatum discedentem fuit Abbas Cistercien sis efficiet omnia, tu eius instrumentum eris, Comes enim illum, non te suspectum habet) ad Philippum Regem Franciæ se contulerunt, in villam nouam territorii Senonen sis: vbi in magna Baronum & Procerum Franciæ frequentia, celebratum est solemne colloquium. Aderant, Odo Burgundiæ Dux Comites Niuernenses & sancti Pauli, & magnus numerus aliorum nobilium, & Regni Primatum. Lectæ sunt Innocentii Pontificis litteræ, quas Legatus detulerat: quibus magnopere Regem hortabatur, vt periclitanti Ecclesiæ in Prouincia Narbonensi, suis armis, vel per se, vel per Ludouicum suum primogenitum opportunè subueniret. Et quidem Rex excusauit, id bellum per se, vel per filium posse se gerere: eo quod Otho Imperator & Ioannes Angliæ Rex regnum suum grauissimè à laterib us infestarent, neque satis sibi virium esse, vt arma diuideret. Permissum tamen, vt Barones, & Proceres Galliarum, in Prouinciam Narbonensem proficiscerentur, ad exturbandos fidei orthodoxæ, & pacis publicæ turbatores.

V. CRVCEM CONTRA ALBINGEN. PRÆDICARI VVLT INNOC.

Interim Innocentius Papa, per Legatum suum datis Apostolicus litteris, publicè in Francia Crucem contra Albigenses prædicari fecit. Erat per ea tempora in more positum, vt cum bellum aliquod pro religione sacrum, aduersus vel Saracenos, vel hæreticos, aut quosuis alios impios perduelles suscipiendum esset, Romanus Pontifex pro summa ea potestate, qua Christiano orbi præsidet, amandatis in diuersas Prouincias Apostolicis Legatis, atq; prædicatoribus, publice denuntiaret, vt quicunq; in eam militiam nomen daret, vel in militum stipendia pecuniam aliquam pro pietate conferret, quia bellum pro Deo, pro fide, proque Ecclesia susciperetur, plenam peccatorum omnium indulgentiam & remissionem, confessi & pœnitentes, ad eam normam & rationem, quam Theologi explicant, consequerentur. Illi vero omnes, qui eiusmodi sacro bello operam suam conferebant, sacræ militiæ velut tesseram, & insigne, Crucem super humerum, aut ante pectus vestimentis assuerent.

Ea omnia, cum ingenti ardore in Galliis agerentur, Comes Tolosanus eo vehementius timere cæpit, & tantum rumores sparsit, quasi indicta causa, toto negotio excideret. Audiuit hæc Milo Legatus: eundemque Comitẽ, edicto peremptorio, coram se, ad certam diem, in vrbe Valentiæ (colonia fuit olim Galliæ Narbonensis apud Ptolomeum) adesse iussit. Ad fuit Comes ad dictam sibi diem, ac plenus doli, fraudisque, promisit, Legato se omnia imperata facturum. Cæterum Legatus, non ignotas habẽs Comitis versutias insigni qua pollebat prudentia, ex Prælatorum qui aderant, consilio, iussit, vt Comes, pro securitate promissorum, septem arces quas in Prouincia habebat, sibi traderet: vtque Magistratus vrbium Auenionis, Nemausi, & villæ sancti Ægydii, iuramento intercederent: si Comes præcepta Legati transgrederetur, se non amplius vinculo fidelitatis eidem fore adstrictos. Insuper, vt Comitatus Vinien sis, ad dominium Ecclesiæ Romanæ rediderent. Tunc Raymundus necessitate compulsus, quamquam ægerrimè, promisit tamen omnia, quæiuberentur, opere completurum. Sed queri acerbissime de Legato cœpit, ipsum illo altero priore, nempe Abbate Cistercien se duriorem, & intractabiliorem dicens. Id vero accidit, iusto Dei iudicio. Vnde enim tyrannus spem rerum suarum magnam sibi faciebat, inde vindictam, ac supplicium reportaret.

RESIPISCIT TOLOSANVS.

Eas conditiones, cum Raymundus Comes in se recepisset, Magister Theodosius vir probissimus extemplo in Prouinciam, mandato Legati, se contulit; vt arces illas reciperet, ac nomine Ecclesiæ Romanæ retineret. Legatus autem in villam S. Ægydii, ad reconciliandum Comitem Tolosanum descendit. Porro modus reconciliationis fuit huiusmodi.

VI. MODVS RECONCILIATIONIS TOLOSANI.

Comes ductus fuit, ante portas Ecclesiæ sancti Ægydii. Aderant præsentes plusquam viginti Archiepiscopi, & Episcopi, qui in hunc finem conuenerant. Comes iurauit super sacrum Corpus Domini nostri IESV CHRISTI, & super reliquias Sanctorum, quæ tum magna veneratione expositæ fuerant ante portam Ecclesiæ, & à pluribus Prælatis tenebantur, se mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariturum. Cum autem iuramento se astrinxisset, tunc Legatus iniici iussit super collum Comitis sacrum orarium, seu stolam; & trahens per ipsam introduxit illum in Ecclesiam, vbi ad ictus flagelli absoluit eundem. Nec est silentio prætereundum, quod cum dictus Comes intromissus in Ecclesiam sancti Ægidii ad ictus flagelli fuerit absolutus, adeo ex verberibus grauiter afflictus fuit, quod non potuerit regredi per eundem locum, per quem intrauerat: sed oportuerat ipsum nudum totum vt erat, transire per portam inferiorem Ecclesiæ. Eodem modo factum est illi ante sepulchrum Beati Petri Martyris de Castro nouo, quem Comes interfici mandauerat. Iusto enim Dei iudicio, compulsus est reuerentiam exhibere eidem mortuo, quem ante viuentem despexerat. Mitum tunc accidit, quando corpus dicti Martyris, quod erat in claustro Monachorum sancti Ægydii, vbi primum sepultum fuerat, translatum fuit in Ecclesiam. Integrum liquidem & incorruptum sine vlla lesione inuentum est, ac si eo die sepulturæ traditum fuisset: & ex corpore sancti Martyris, atque sacris indumentis, suauissimi odoris fragrantia exspirauit. Accidit, & istud aliud. Comes enim Tolosanus, videns

ingentem exercitum Crucesignatorum, in Prouinciam Tolosanam aduersus hæreticos Albigenses aduentare, timens terris suis, ne occasione hæresis, Crucesignati damna terris ipsius inferrent, petiit à Legato se Crucesignari: Legatusque ipsum cum duobus suis militibus Cruce insignuit, & in sacram militiam cooptauit, cum tamen hæc omnia dolo malo idem Comes ageret, non animo bellandi aduersus Albigenses, quorum fautor erat acerrimus, sed quo terris suis interim prospiceret, cum non esset occasio suam impietatem propalandi.

Post hæc omnia Legatus, & Magister Theodosius Lugdunum profecti sunt, vt exercitui Crucesignatorum occurreret, qui ibi ex diuersis partibus conuenire debebat, vt in Prouinciam Narbonensem, ad extinguendos hæreticos Albigenses deueniret. Iàm enim per vniuersam Galliam Crux prædicata fuerat & indulgentia plenaria à Romano Pontifice concessa, his qui arma contra Albigenses induerent. Hanc ob causam, plurimi, cum nobiles, tum plebei, Crucem in pectore contra Albigenses induerunt. *ex Petro Monacho de bello Albigensi: & Thoma Cantipratano lib. 2. cap. 3. §. 9.*

VII. DVCATVS SPOLETANVS ET INTERAMNA ECCLESIA RESTITVITVR.

Hocanno Conradus Friderici I. Imperatoris quartogenitus, qui per id temporis Ducatum Spoletanum, & Interamnam Nahartium per vim eripuerat Ecclesiæ, Innocentii Pontificis diris perterritus eam ciuitatem restituit. Aleruzam Papinii Castellii Comitis Interamnæ filiam in matrimonium sibi collocarat Conradus, & in re sanguinis seu hæreditatis Interamnæ dominium vsurpabat. Non poterat summo iure. Papinius enim eam ciuitatem ex codicillis, Ecclesiasticæ ditioni attribuerat, nihilq; iuris Aleruzam habere in idem volebat. Porro Conradus, ne quicquam codicillos Papinii respiciens Interamnam occupauit: & cum anathemate comminatorio terreretur, Ecclesiæ restituit. Eam postea Innocentius Theobalducio Castello in feudum concessit, eique dignitatem Camerarii atque Vicarii S. R. E. attribuit.

VIII. S. BONA VIRGO.

Octauo Calend. Maii, huius anni, ad cœlestem beatitudinem excessit, Sancta bona virgo Pisana. Nata fuit Pisis in Etruria, patre Bernardo, & Berna matre. Huic septenni Christus Dominus apparuisse, ac aliquot præcepisse dicitur: vt scilicet sola decumberet: cilicium super nuda carne gestaret: Hierosolymam pergeret: & Sancti Iacobi corpus in Gallæcia visitaret, quæ omnia executioni promptissime mandauit. Feruntilli in æde Sancti Sepulchri oranti, Christum ter manus imposuisse capiti: eamque, cum in deserto illo, in quo Dominus Iesus Christus XL. diebus & XL. noctibus ieiunauerat, totidem dies ieiunasset, abeo annulo aureo donatam fuisse. Ter per hebdomadam in pane & aqua ieiunabat: absque linteaminibus super stramine cubabat: reliquis diebus solis leguminibus vescebatur, aqua ad potum adhibita. Cum ex Hierosolymis in Italiam reuerteretur, à Saracenis capta, diutino carcere macerata est: à quo postmodum liberata, perpetuo sobrie laborauit: victum tamen manibus sibi comparabat. In sacris litteris diuinitus erudita, secreta cordium, & futura quamplurima Deo reuelante cognoscebat. Charitate proximorum inflammata multos à via perditionis ad viam salutis dirigebat, variisque morbis laborantes vel solo Crucis signo sanabat. Decies, semper ægra, templum Diui Iacobi Apostoli in Hispania inuisisse fertur. Denique tot laboribus confecta, orans & psallens læta migrauit ad sponsum, multis post mortem miraculis corruscans. *Et Codice M. S. Eccles. Pisanæ.*

IX. B. VIRGO ORDINEM CISTERC. CONTRA INNOCEN. DEFENDIT.

Non prætermittendum putaui, quod tunc temporis cõtigisse narrat Cæsarius, quando Balduinus Comes Flandriæ, cum Crucesignatis Constantinopolim expugnauit. Innocentius Pontifex litteris suis ordini Cistercienſi mandauerat, vt quadragesimam partem omnium rerum suarum mobilium, in succursum Terræ sanctæ transmitteret. Ordo vero priuilegiis sibi ab eius antecessoribus indultis inuitens, ne libertatem cõcessam, vertere videretur in seruitutem, tam grandi exactioni subiacere non acquieuit. Vnde Innocentius commotior, in tantum ordini indignabatur, vt dignitatibus secularibus indulgere proponeret, quatenus possessiones Ordinis sibi vsurparent. Itaque in proximo Generali Capitulo Abbates, qui confluxerant, spem suam in Beata genetrice Maria, quæ ordinis patrona est & aduocata; ponentes, scientes sententiam in præiudicium sui ordinis conceptam, eius precibus & meritis facilè posse reuocari, speciales pro eadem necessitate, vsque ad proximum Capitulum orationes iniunxerunt. Hoc etiam adiicientes, vt à capite Quadragesimæ nudis pedibus de capitulo exeuntes, septem Psalmos cum Litania cantarent; quod & fecerunt. Interim B. Dei genetrix virgo Maria, cuidam religioso nomine Reinero, iam dicti Innocentii confessori apparens, in hæc verba eidem mandauit: Tu ordinem Cistercienſem, cuius aduocata sum ego, destruere conaris, sed non præualebis: & nisi citius de tuo malo proposito resipiscas, ego te, & omnem potestatem tuam conteram. Huiusmodi nuntio Innocentius Pontifex audito, sciens Reinerum virum esse sanctum ac veracem timuit: in tantum de concepto proposito pœnitens, vt ordinis priuilegia roborauerit: Hoc adiiciens, vt primo omnium negotia ordinis in curia expedirentur. Eam indulgentiam cum tam sua bulla, quam omnium Cardinalium subscriptionibus confirmaret, & vnum tantum nigri ordinis Cardinalis contradiceret, ita in illum exarsit, vt statim eum amouere minaretur. *Cæsarius lib. 7. c. 6.*

X. PŒNÆ DEVINITVS IRROGATÆ SANCTORVM VIOLATORIBVS.

Hoc tempore, quo inter Otthonem & Philippum, de Regno Romanorum armis infestis certabatur, vindex sacrorum Deus, violatores eorum quosdam grauissime vltus est. *Conradus Presbyter Fabarienſis*, qui hoc tempore scripsit, ista memorabat. Victor magnus Dux Rhetiæ Curiensis, cum Monasterio S. Galli fraudem ignis molitus fuisset, Beato Gallo in visione clarificæ apparẽte, & ipsius ope Monachis sese tuentibus, Dux idem equo lapsus, à suis cum dolore est reportatus. Fuit item aliud vindictæ indicium euidens memoria dignum, quod in Ecclesia Beatæ Fidis violatoribus ipsius euenisse, nemo qui interfuit ignorat. Manentibus in ciuitate militibus, & cuicunque stipendiis deficientibus Conradus de Schænnenstein homo militaris, quo nullus in toto militum globo audacior, Beatæ Fidis virtutem inexpertus, Ecclesiam ipsius audacter irrupit, & quæcunque annonæ competentia reperit, ab Ecclesia cum quibusdam supellectilibus in ciuitatem transportauit. Secuta statim fuit vindicta. Miles quidam Bertoldus nomine de Meppolicas, in horum consortio signifer, in obsidione castri, quod Episcopi cella nominatur, in crastino, telo transuerberatus interiit. Alius item simili morte occubuit, & vt breuiter dicam, nullus eorum, qui Ecclesiam iam dictæ virginis violauerat impunè euasit, quin aut cæcaretur, aut suspenderetur, aut gladio puniretur. Adolescens quidam nobilis in horum consortio, cum Ecclesiam spoliasset, cingulum volens sumere militarem, in ipsa nocte Sancti spiritus quando celebratur festiuitas, in crastino cum vellet se cingere, mortuus in lecto repertus est. Conradus de Schænnenstein in vigilia festiuitatis eiusdem Virginis, Saxo præcipitatus est. Mirum dictu, ego qui hæc scripsi Conradus Presbyter dictus de Fabaria, in ipsa vigilia stans ante fores monasterii, audiui & vidi, quod scuta quædam ibi pendentia sic se excusserunt, quod in pauorem me duxerunt, & hoc quoddam fuit præsagium futurorum. Conrad. de Fabaria, in libello de casibus Monasterii S. Galli in Alemannia.

IESV CHRISTI
Annus 1209.

INNOCENTII PAP. III. OTTONIS HENRICI
Annus 12. Imp. 1. Imp. 4.

I. ALBIGENSES ARMIS SVBIGVNTVR CRVCESIGNATORVM.

FErre non poterat *a* Innocentius Pontifex, etronum Albiensium peruicaciam, quod neque miraculis à D. Dominico patratis, neque doctrinæ veritate, neque vitæ sanctitate, aut orationis efficacia mouerentur, & armis pertinaciam suam tuerentur. Quamobrem bellum sacrum in eos indixit, & indictum vt acriter depugnarent, Crucesignatos multis præmiis animauit. Viuebat eo tempore Simon Comes Montisfortis, vir fide præclarus armis strenuus, prudentia magnus, ingenio perspicax, largus, magnificus, affabilis, Fidei Catholicæ defensor, & hæreticorum acerrimus impugnator. Is ex consilio Legatorum & Procerum, exercitui præfectus est. Biteras primum copias duxit, authoribusque Romani Pontificis Legatis præmisit in vrbem postulatum, vt nomina impietatis cõuictorum denunciarent, vtque eos vel vrbe exigerent, vel ipsi ab eorum consortio exirent. Neutrum Biterenses præstiterunt. Vrbs capta, cædes factæ, hæreticorum XVII. millia desiderata, Carcassonensis ciuitas recepta, Rogerius Princeps Albigensium viuus in potestatem venit, inque carcerem vinctus coniectus: cæteri oppidani cum singulis vestimentis abire iussi. In castro Minervæ expugnando ingens labor insumptus: nam ibi inuenti sunt CLXXX. qui igni cremari viui, quam piè sentire maluerunt. *a* Solus Comes Tolosanus ad mentem reuersus, à perfidis se seiunxit, & more veteri Ecclesiæ, flagris adhibitis à censura solutus, Ecclesiæ adnumeratus est.

a Histor. Albienſ.

II. OTTO REX PRIVILEGIA ROMANI PONTIFICIS BVLLA AVREA CONFIRMAT.

Ex Germania antequam in Italiam cum exercitu penetrasset Otto Imperator electus, Priuilegia sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ, missa per VVolfgerum Patriarcham Aquileiensem bulla aurea confirmauit, his ipsis verbis concepta.

In nomine b *Sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto quartus Diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Recognoscentes ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, ipsum eiusque Vicarium, & sponsam eius sanctam Ecclesiam disposuimus & decreuimus magnifice honorare: vt qui nobis in præsenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis Reuerendissime Pater & Domine summe Pontifex Innocenti, quam pro multis beneficiis nobis impensis sinceriſsimo veneramur affectu, vestrisque Catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam & reuerentiam semper humili corde ac deuoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur: nihil ex his volentes diminui, sed magis augeri, scilicet vt nostra deuotio clarius enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, vt electione Prælatorum liberè & canonice fiant: quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel maior & sanior pars ipsius duxerit eligendum: dummodo nihil ei obstet, de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis & causis Ecclesiasticis ad sedem Apostolicam liberè fiant, eorumque prosecutionem siue processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & tollimus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueuerunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ prauitatis errore auxilium dabimus & operam efficacem. Possessiones etiam quas Ecclesia Romana recuperauit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adiuuare, quas vero nondum recuperauit, ad eas recuperandas pro viribus eremus adiutores, & quæcunque ad manus nostras deuenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quæ est à Radicofano vsque ad Speranum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Bretenorii, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis cum aliis adiacentibus terris expressis in multis priuilegiis Imperatorum & Regum à tempore Ludouici, vt eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione districtu & honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes siue fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Romanæ Ecclesiæ Regnum Siciliæ, ac certa iura quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam deuotus filius & Catholicus Princeps, vt autem hæc omnia memorato sanctissimo Patri nostro Domino Innocentio Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, eiusque successoribus per nos & nostros Successores Romanos Imperatores & Reges obseruentur firmaque & inconuulsa semper permaneant, præsens exinde priuilegium conscriptum maiestatis nostræ aureæ bullæ tussimus communiri. Ego Conradus Spirensis Episcopus Domini Sifridi Moguntini Archiepiscopi & totius Germaniæ Archicancellarii Regalis Aulæ Cancellarius recognoui. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. M. CC. IX. indictione XII. regnante Domino Ottone quarto Romanorum Rege glorioso anno Regni eius XI. Dat. apud Spiram XI. Kalend. Aprilis.*

III. ALTERA BVLLA OTTONIS. c *ep. 19. & ſqq. & Vr ſpergenſ. in Chron.*

Hactenus bulla aurea Ottonis Augusti, non dissimilis alteri, *c* quam eidem Ecclesiæ Romanæ *in ipso itineris* procinctu dedit, confirmans omnia dominia Apostolicæ Sedis, ac promittens eidem Innocentio, consilio, opera, & armis præsto fore, prout necessitas exegisset. Fere eiusdem tenoris, & tertiam bullam, quam vocant, ex castris apud Montem malum metatis, Quarto Non. Octob. dedit: in qua omnia iuramenta per se, vel per Procuratores suos Sedi Apostolicæ antea præstita, vna cum priuilegiis, immunitatibus, & securitatibus, eidem Summo Pontifici, omnibusque successoribus ipsius, atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus & populo Romano approbauit.

IV.

Cum autẽ frequentissime mẽtio facta sit & fiat terrę Matildis, libet ius Romanæ Ecclesiæ ad illam, paucis inserere.

Matildis (in eo diplomate memoriam memorauit Imperator) Gottifredi primum, deinde Actii, seu Azonis Estẽsis vxor, multos annos in potentissimo Galliæ Cisalpinæ & Etruriæ dominatu fuit. Hæc, constanti obedientia, pro Romanorum Pontificum voluntate, cum animaduertisset Gregorius VII. Pontif. Max. qui cognatione & affinitate Gottifredo deuinctus fuerat; velle ab Actio eam separari, maluit liberorum memoriam obliterare, & coniugii societatem dirimere, quam non obsequi sanctioribus iussis, tantosque à vera pietate animos sumpsit, vt Cisalpinis omnibus Cadolo Antipapæ obtemperantibus, ipsa à vero Pontifice nequaquam defecerit, & comparato exercitu ad Pontificiam dignitatem tuendam, contra Robertum Guiscardum Apuliæ & Calabriæ Ducem acies protulerit, atque ea omnia quæ ad Romanam Ecclesiam spectabant, restituere coegerit. Nec ab ipso Imperatore Henrico, cuius ipsa neptis, armis abstinuit, vt Saxonum iniurias, qui Clementem in Pontificatum erant collocaturi, à Gregorio propulsaret, qui tandem, ea deprecatrice, Henricum ad Canosæam agri Regiensis oppidum, Regali ornamento depositio, nudis pedibus veniam petentem, adiuuante Sabaudiensi Comite Adelao, & Cluniacensi Abbate, excommunicatione damnatum absoluit, & Ecclesiæ reconciliauit, pace iureiurando confirmata, & obedientia promissa. Nec transitus per Italiam libere parebat, cum Geberhardus Constantiensis Episcopus occultiores Alpium semitas ingressus, Matildis opera ad Pontificem ductus est. Hæc præclara & egregia facinora, pro Dei Ecclesia, à Matilde gesta, inter optimos & religiosissimos Principes, qui res Ecclesiasticas, auctoritate, & munificentia auxerunt, summo cum posteritatis honore eam collocarunt, Carolo Magno non inferiorem reddiderunt, Magno Constantino pariarunt: vtpote quæ humilitate obtemperarit, robore defenderit, liberalitate amplificauerit Ecclesiam Romanam, his ipsis verbis, quibus eam bonorum hæredem instituit. Ita habent.

Ego Matilda, Dei gratia Comitissa, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, dedi & obtuli Ecclesiæ S. Petri, per interuentum Domini Gregorii Papæ VII. omnia bona mea iure proprietario, tam ea quæ tunc habueram, quam ea quæ in antea acquisitura eram, siue iure successionis, siue alio quocunque iure ad me pertinentia, omnia Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi. Ea quam Matildis Romanæ Ecclesiæ reliquit hæreditas, B. Petri patrimonium à plerisque dicitur, cum Matildis gloria sempiterna. Obiit Matildis anno Domini M. C. XV. Hæc alibi locupletius de Matilde: nunc ad alia transeamus.

V. CORONATVR OTTO QVARTVS AB INNOCENT. d *li. 3 priuil. pag. 84. & ſeqq.*

Porro Otto Imperator tandem ante festum Diui Michaelis in vrbem solemni more introductus, die quinto Id. Octob. præmisso ex more iuramento, in basilica Principis Apostolorum diademate Imperii ab Innocentio Pontifice coronatus, in Tusciam recessit. Vbi *d* Ildebrandino Comiti Palatino Tusciæ, omnia priuilegia, immunitates, bona, iura, feuda, quæ per id temporis possideret; in specie autem sibi & hæredibus ipsius in perpetuum concessit, confirmauit, & donauit, quicquid iuris habuit vel habere potest imperium Romanũ, in ciuitate Massæ, & in cunctis pertinentiis ipsius. Datum apud S. Miniatem, Kalend. Nouemb. anno 1209. Regni XI. Imperii I. Aliud quoque priuilegiũ eidem Comiti Ildebrandino concessit

idem Otto Imperator: in quo non tantum omnia prædicta confirmauit, sed etiam eidem concessit in perpetuum possidendum totam terram illam, quæ quondam *fuit* Comitis Raynerii & Bartholomæi, videlicet Pitilianum cum omnibus pertinentiis suis, Soranum, Vicotiam, Salam, Isolam, Farnesem, Catiglionem, Petrelam, Moranum & Catellarsum cum omnibus pertinentiis suis. Datum in Comitatu Tudertino, sed iam anno 1210. quinto Id. Octob. anno Imperii secundo.

VI. OTTO ERGA SEDEM APOSTOLICAM INGRATISSIMVS.

Hærebat his mensibus Otto Imp. in Tuscia, hominum omniū erga Sedem Apostolicam ingratissimus. Mox enim atque diadema Imperii ab Innocentio adeptus est, odio erga nepotem Philippi Ducis Fridericum Regem Siciliæ flagrans, simulque cupiditate æstuans Regni illius, aliorumque bonorum Ecclesiæ, nihil non egit, vt aliquo modo Fridericum regno eiiceret, eo; Ecclesiæ hæreditario per vim potiretur. Prætextu, quasi Fridericus moliretur ipsum imperio exigere, & pacem imperii perturbare. *a* Rescripsit Ottoni Innocentius Papa, significans se nec Friderico, neque alicui cuipiam vmquam velle fauere aut auxiliari, contra ea quæ cum ipso transegisset. Cæterum quod Siciliæ regnum attinebat, se neque illud, neque Fridericum posse deserere, quippe quod regnum Siciliæ inter bona Patrimonii S. Petri, & Rex Fridericus inter feudatarios Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censeretur. Itaque admonebat Ottonem, vt amoris & beneuolentiæ Apostolicæ Sedis securus esset, atque interim Ecclesiæ iura tueretur, neque ea vsurparet, & præsertim à Regno Siciliæ, quod Patrimonium S. Petri numerabatur, manus contineret. Alioquin malo suo addisceret, quid sit res Ecclesiæ Romanæ vsurpare, & in matrem Ecclesiam præuaricari, nam sibi opus incumbere, anathematis gladium aliasque Ecclesiasticas censuras in præuaricatorem distringere. Ægrè tulit Otto Imp. paternam Innocētii admonitionem. Itaq; furiis inuectus acriores, plane ingratæ mentis, litteras Innocentio misit, pseudopoliticis solemnia contra immunitatē, iura, dignitatem & auctoritatem sanctæ Sedis præscribens, & effundens. *b* Datis iis litteris Innocentio, peragratisque partibus Tusciæ & Marchiæ contra iuramentum quod Pontifici incoram dixerat, manu hostili Faliscos, & Flaminiam Pontifici ademit, cæterasq; terras ad sancti Petri patrimonium pertinentes inuadere cœpit. Præterea iuramenta quæ Innocentio præstiterat, de re formanda pace cum Philippo Rege Franciæ, & Friderico rege Siciliæ, vt super his staret mādatis Pontificis, omnino contempsit obseruare. Insuper Apuliam exercitu collecto inuasit, multasque ciuitates ad regnum Siciliæ pertinentes, in suam potestatem, redegit, & inter alia, Principatum Capuanum, vna cum palatio eiusdem ciuitatis occupauit.

a *ep.188. & 189.*

b *Vrsperg. in Chron.*

VII. OTTONIS ITINERARIVM, RITVS INAVGVRATIONIS, CORONATIO ET QVÆ SEQVVNTVR.

Carolus Sigonius tum itinerarium, tum ritum inaugurationis Ottonis, tum ea quæ coronationem cōsecuta sunt, memorabat, quod is primo Augustam, atque inde ad Alpes ante Assumptionem B. Virg. Mariæ venit, ac castra ad lacum Benacum XIV. Cal. Septembr. fecit. Mox traiecto Athesi Veronam, comiter, cum à cæteris, tum imprimis ab Azone marchione Atestino exceptus, accessit. Mediolanum inde accedenti populus ac clerus, insolita animorum alacritate apparuit. Præcipuè autem, Otho, nobilibus puerorum puellarumque choris est delectatus, qui in candida veste incedentes, ac ramos oleæ præferentes, eximias Regis laudes carminibus aptè compositis celebrabant. Inde constituto die ab Huberto Archiepiscopo in Basilica S. Ambrosii, ingēti pompa, corona ferrea, antiquo regni Italici monumento ornatus, contra, Mediolanensibus vetera omnia Regum priuilegia confirmauit, ac multis præterea non leuibus eos muneribus insigniuit. Viterbium postea vt venit, ibi Pontificem solito honore complexus, atque ab eo comiter exceptus, Romam, vt ad solemnia coronæ peragenda prodiret, est inuitatus. Ita progredientem lento ipse agmine subsequutus, Romam accessit, atque ad vrbem castra de more constituit. Inde v. Idus Octob. solemni ab eo apparatu in Basilica S. Petri, insignibus Augustalibus, ac nomine Imperatoris affectus, solemne sacramentum concepit, quo se Ecclesiam Romanam, & patrimonium eius, ac nominatim regnum Friderici Siciliæ Regis, ipsi Ecclesiæ commēdatum, omni ope defensurum iurauit. Ad hanc pompam visendam tanta confluxisse multitudo mortalium dicitur, vt, cum iter iis, qui rei celebrandæ interesse debebāt, obstruerent, Otho ad summouendā properè turbam, nummos diuersis spargi in locis mandarit. Inuitatus deinde ad conuiuium Imperator, sic Pontificem in Lateranum est prosequutus, vt ei equum ascendenti stapedem, vetere Caroli Magni instituto tenuerit. Roma egressus, mox cōtra Pontificem sese conuertit, nullaq; eius ac sacramēti habita ratione oppida quamplurima iuris Ecclesiæ Romanæ occupauit. Qua re cognita Innocentius, eum cōtinuo admonuit, vt ab eiusmodi incepto desisteret, q̄ iniustè, & contra nuncupata Sacramenta susciperet: addens etiā, si in proposito permansisset, se telis eum Ecclesiasticis petiturum, quæ cōtumaces Imperatores experti semper magna sua calamitate fuissent. Otho vero vsq; adeo Pōtifici rectè monenti non paruit, vt in eius etiam contumeliam, eos qui Romam religionis causa contenderent, capiendos ac spoliandos curarit. Ita Viterbium Montemflasconem, Vrbeuetum, Perusiam, & totum deniq; patrimonium quōdam à Mathilde relictū breui in suam ditionem redegit: atq; nōnullam etiam Apuliæ partem hostiliter incursauit; quin etiam Ducatum Spoletanum Bertholdo familiari suo per nefas attribuit: ac propterea iustam Innocentii Pontificis vindictam in se prouocauit. *Carolus Sigonius lib.16. de Regno Italiæ.*

VIII. B. VIRGO DEFENSATRIX ORD. CISTERCIENSIS.

Per id temporis, Deus seuerè vltus est, vsurpatores bonorum Ecclesiæ. Libet id quod accidit enarrare, verbis ipsis Cæsarii.

Dum nobilis fœmina Domina Aleydis de Molsberg, cum consensu mariti sui Euerhardi Burgrauii, quadam allodia sua, per inspirationē diuinam, ad nouam Abbatiam ordinis Cisterciensis, construendam, in manus Domini Henrici Abbatis Heisterbacensis liberè, & sine omni contradictione tradidisset, & ante ipsius mortem, domus, quæ vocatur locus Mariæ, constructa fuisset, viri quidam nobiles ex eius cognatis, post eius mortem, contra iusiurandum venientes, eandem nouellam plantationem querimoniis, minis, rapinis, multisq; aliis incommodis molestare cœperunt. Sancta vero Dei genetrix virgo Maria, eiusdem Cœnobii Domina & Aduocata, sicut à multis dicebatur, hoc apud filium egit, vt Henricus de Molsberg, qui præcipuus videbatur, obsideretur, & supra vires damnificatus, de proprio castro eliminaretur. De Zegenbergk vir nobilis, à quo multum domus prædicta vexabatur, à seruo suo satis miserabiliter occisus est alius quidam, ad eius deprædationē properans, in via crepuit medius. Hanc vindictam cum audisset alius quidam nobilis, vnus de cohæredibus, venit ad locum timore correptus, dicens Domina mea S. Maria sint tua tibi; ego parti meæ renuntio. Interim cum VVilhelmus miles de Helpenstein, ab vxore instigatus, quæ se hæredem possessionum collatarū dicebat, curtem meliorem inuadens, Fratres multis expensis grauabat, Sacerdos quidam religiosus, confessor eius, nocte quadam in loco S. Mariæ se per visum transpositum vidit, & cum quidam ex Sacerdotibus celebraturus esset Missam, & à supradicto VVilhelmo impediretur, vir quidam nigerrimus, fuste illum percussit, & occidit. Quem visum, cum ei recitasset, asserens eum in breui moriturum, nisi cessaret à vexatione Monachorum, ille stimulis quotidianis vxoris suæ se vrgeri conquerens, non acquieuit consulenti. Citatus literis Papalibus, cum esset in violenta possessione, & Iudices cum Aduocatis iam negotium diutius pertractassent, tandem partibus duos dies præfixerunt, vnum amicabilem ad componendum, & alterum ad litigandum. Qui cum componere non possent, diesque tres adhuc superessent ad litigandum, Ioannes de Horechim in Veteri Monte Conuersus, proxima nocte vidit se in somniis esse in loco Sanctæ Mariæ, audiens Virginem gloriosam clara voce dicentem: Oportet me recedere à loco isto. Dicente Conuerso: Quo ibis O Domina? Respondit, ad filium meum, conqueri de VVilhelmo de Helpenstein, qui me non sinit quiescere in loco isto. Manè vero visionem referens cellerario iam memorati VVilhelmi subiunxit: Sciatis pro certo, quod Dominus vester cito morietur, propter Conuentum loci Sanctæ Mariæ. Cui illi subridendo respondit; Non curetis; tamen vellemus esse absoluti ab eo, qui post dies paucos pede truncatus, pœnam soluit irrisionis. Eadem vero die, cum VVilhelmus circa nemus spatiaretur, nisum portans super pugnum, à duobus seruis Comitis Seynensis, qui hominem sui iuris captiuum ducebant, quem ipse excutere nisus est, lancea transfossus, animam protinus exhalauit. Eadem hora, obsessa quadam in villa, quæ Triis dicitur, à castro Helpenstein satis remota, ita cœpit saltare, manusque cum cachinno complodere, vt vix à duodecim hominibus posset teneri. Interrogata, quid haberet; respondit: Modo in hac hora magister meus tres

animas acquisiuit. Noueritis enim VVilhelmum de Helpenstein iam occisum. Non multo post interrogatus diabolus in Briseke, de anima eiusdem VVilhelmi, per os alterius fœminæ obsessæ respondit: Magister meus habet eam, & propter Monachos quos spoliauerat, pice & sulphure illam infundit, vsque ad summum replens. Vxor vero, quæ ad tantum malum instigauerat eum, post breue tempus, à priuigno suo, de castro cum liberis eiecta est. Quod etsi fuerit inexpugnabile, tamen in illud intrauit, nocte scalis admotis: ac inde eam turpiter eiecit, vindicans iniuriam Beatæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ. Ostendit Deipara euidenti argumento, quod ipsa sit tribulatorum consolatrix, fida sibi famulantium defensatrix, & totius orbis conseruatrix. Cæsarius lib.7. cap.7.

IX. NVMERVS CRVCESIGNATORVM CONTRA ALBIGENSES QVINQVIES CENTENA HOMINVM MILLIA.

Hoc anno iussu & exhortatione Innocentii Pontificis, ingens numerus Crucesignatorum, venit Lugdunum, die festo S. Ioannis Baptistæ. Principes inter hos eminebant, Petrus Archiepiscopus Senonensis; Episcopi Eduensis, Claramontensis, & Niueruensis; Odo Dux Burgundiæ, Oderius Comes Niuernensis, Comes S. Pauli, Comes Montisfortis, Comes Barri supra Sequanam, Guischardus de Bello loco, Guillelmus de Roches Seneschalus Andium, Galtherius de Iuinac, Guido de Leuis, Lambertus de Thurero: & præter hos magna multitudo nobilium & potentum Franciæ & Hispaniæ, ad destructionem Albigensium hæreticorum confluxit, ita vt ad quinquies centum millia hominum in exercitu Catholicorum numerarentur. Hi omnes ante pectus Crucem gestabant, ad differentiam eorum qui vltra mare contra Saracenos & infideles decertaturi, se pone Crucem signauerant. Inter eos Crucesignatos, voluit numerari, Raymundus Comes Tolosanus; non quod zelo fidei inflammaretur, sed ne inter hæreticos accenseretur, contra quos bellum decretum fuit. Huic rei, cum se mandatis Ecclesiæ Romanæ fore obsequentem spopondisset, quædam castra, quemadmodum conuenerat, loco obsidum dedit: filium tamen suum, in obsidem mittere recusauit. Lugduno Crucesignati egressi, ad ciuitatem Biterrensem peruenerunt. Ea vrbs nobilissima, tota infecta, per id temporis, fuerat hæretica impietate. Præterea ciues nedum hæretici erant, sed etiam raptores, iniusti, adulteri, latrones pessimi, omnium vitiorum genere referti. Placet aliquas eorum impietates recensere.

X. VARIÆ ALBIGENSIVM IMPIETATES ET SACRILEGIA.

Quadam nocte Sacerdos quidam eiusdem vrbis, summo mane abiens in Ecclesiam, volens diuina mysteria celebrare, portabat calicem in manibus suis. Hunc aliqui de habitatoribus Biterrarum, qui positi fuerant in insidiis rapientes, fortiter percutiebant, adeo vt ei brachium absciderint, & accipientes calicem quem gestauerat, in contemptum corporis & sanguinis Iesu Christi minxerunt in eo. Alio tempore supradicti ciues perfidissimi proditores interfecerunt suum vicecomitem Trincauellum intra Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ sitam in eadem vrbe. Insuper fregerunt dentes Episcopo suo, cum ille ad defensionem vicecomitis perrexisset. Istud grauius est, quod sub tempus obsidionis patrauerunt. In aspectu enim Crucesignatorum hæretici super volumen sacri Euangelii mingentes, de muro illud contra Christianos proiecerunt, & sagittis post illud missis, clamauerunt: *Ecce lex vestra, miseri.* Christus vero vindex iniuriam sibi illatam, non reliquit inultam. Nam quidam satellites zelo fidei accensi, scalis appositis, muros intrepide ascenderunt, hæreticisque diuinitus perterritis & declinantibus, sequentibus militibus portas aperientes, ciuitatem obtinuerunt, & XVII. millia hæreticorum in ea occiderunt. Dies quo vrbe Biterrensi potiti sunt Catholici, Diuæ Mariæ Magdalenæ quam illi concubinam Christi appellabant, festus agebatur, manifesto indicio, quod Deus iniuriam Diuæ atque suam vlcisceretur, quam illi in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ intulerant, vicecomite occiso, & Episcopo violato. Eam Crucesignatorum victoriam, Deus reuelarat, antequam concessisset. Quidam Canonicus Biterrarum, exiens à maiori Ecclesia post Missam, & audiens clamorem eorum qui in fossis laborabant, quæsiuit, quid illud esset. Responsum est ei ab his qui præsentes aderant, quod ille clamor laborantium esset. Siquidem dixerunt illi, nos vrbem muniimus contra Francos, qui veniunt; iam enim apparet aduentus peregrinorum. Et cum illi inter se in hunc modum loquerentur, senex quidam longæuus apparuit, & dixit eis; vos hanc vrbem contra peregrinos munitis; verumtamen aduersus Altissimum, quis vos poterit communire? Istud significans, quod Deus illos debellaturos esset. Istud illi audientes, vehementer fuere commoti, cumque in senem irruere vellent, subito euanuit, neque vmquam potuit reperiri. Biterrensi vrbe recepta, Carcassonam quoque paulo post, Duce Simone Montfortio, in potestatem, neque sine Diuino auxilio redegerunt. Summam belli penes Simonem Comitem, reliqui principes esse volebant: ille porro ex humilitate detrectabat. Cum autem Guido Abbas Vallis Sernarii cum literis Ducis Burgundiæ peruenisset, vt eum in id sacrum bellum pelliceret, inuenit illum in Ecclesia cuiusdā sui oppidi nomine Rupisfortis, eique literas à Duce & reliquis dedit. His ille perlectis, cum negotium animo euolueret, transiens per chorum dictæ Ecclesiæ, accepit Psalterium, quod forte super pulpitum erat, eoque diuina inspiratione aperto, & ad primam lineam quæ illi se obtulit oculo coniecto, legit manifeste locum Psalmi 90. v. 11. *Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Ea scriptura veluti Diuino oraculo confirmatus, adque bellum profectus, cum zelo domus Domini ferueret, & ad vindicandam maiestatem diuinam à Diuo Dominico perurgeretur, non tantum Carcassonam, sed & Fanum Iouis, & Castres, & Cesserum, & Cabaretium, & Pamiam, & plurimas alias vrbes & castella de Albigensibus recepit. Apud Cesserum oppidum, istud miraculū accidit. Cum duo hæretici vstulandi essent, & alter ad Catholicam fidem rediisset; ac nihilominus iudices hunc quoque exuri iuberent, quod fictam conuersionem suspicarentur; cum vterque in ardentem rogum immissus fuisset, consumpto hæretico, alter ille qui resipuerat, integer & illæsus permansit. Accidit & istud. Reuerso ex monte Pessulano Simone Montfortio, Gerardus de Pipio miles ex castro Mineruæ, qui primum familiaris & amicus eidem Simoni fuerat, postmodum infidus, & perduellis, & hostis acerrimus Orthodoxæ fidei, cum inuasisset castellum quoddam Comitis ex territorio Biterrensi, cepit duos milites viros nobiles, cum plurimis eorundam familiis, eisque iuramento promisit, se Narbonam vsque incolumes deducturum. Sed cum timore aduentantis Simonis castrum deseruisset, festinatione duos tantum milites secum abduxit; reliquos (quinquaginta numerabat Vincentius Belluacensis, & vnum Capellanum) in fossam arcis coniectos, multo igne, lapidibus, & eiusmodi ad mortem vsque obrui præcepit. Hi postmodum tertio die, integri & illæsi à Simone reperti sunt; cum toto illo tempore sine cibo, & sine potu permansissent. Illius Gerardi multa oppida, cum Simon solo æquasset: impius proditor, duobus illis militibus quos secum abduxerat, paucis post diebus oculos eruit, aures naresque abscidit, & superiora labra detruncauit; atque sic deformatos, ac nudos ad Simonem remisit. Vnus ex his vento & gelu (nam asperior hyems inhorruerat) in sterquilinio quopiam extinctus est: alter vero Carcassonam, à paupere quodam obuio conductus est, quem se vidisse, & ex ore ipsius ista omnia audiuisse, testatur, *Petrus Monachus Sernarii in histor. Albigens. cap.15.16. & seq.* Eadem *Cæsarius dial.10. cap.47. & dialog.5. cap.21. & Vinc. lib.29. cap.103. & seq.*

Passus est hoc ipso anno Abbas Elnensis Ordinis Cisterciensis. Missus is fuerat à Comite Foxensi, in villam Sancti Ægidii, ad Apostolicos Legatos, vt cum eis negotia fidei cōferret. Eum cum duobus sociis Monachis, & cum vno Conuerso reuertentem, Guilhelmus Rupefortius, frater Carcassonensis Episcopi, crudelissimus hostis & persecutor fidei Orthodoxæ ac Romanæ Ecclesiæ inuasit, & quidem Abbatem, triginta sex vulneribus confossum interfecit: Conuersum quoque vigintiquatuor plagis male acceptum, in eodem loco interemit, ex Monachis vnus sex vulneribus acceptis euasit: alter vero, quod ipsis notus & familiaris esset, incolumis abire permissus est,

Simon Montfortius, qui Carcassone tunc erat, atroci facinore audito, interfectorum martyrum corpora adduci, & honorificę sepulturę tradi mādauit. *Petrus in hist. Albigens.*

Diuus quoque Dominicus Guzmanus, quamplurima per id temporis ab hæreticis passus fuit. Circumibat ille per vicos, castella & vrbes prædicans verbum Dei; eratque vitiorum acerrimus castigator, hæresum oppugnator egregius, fidei zelator strenuus, & Catholicorum diligentissimus exhortator. Itaque cum eius verba instar faculæ arderent, inuidia tabescebant hæretici, & fremebant aduersus iustum, irridentesque simplicem veritatis Doctorem, phlegmata, lutum, lapides, aliaque vilia in eum iaciebant. Aliquando vnus ex eis pœnitentia ductus, in confessione renunciauit, se luti iniectione ipsum sanctum Dominicum percussisse, eique à tergo in derisum paleas alligasse. Eam contumeliam & plures alias iniurias, cum vir sanctus pateretur, ibat gaudens ac exultans in spiritu, quod dignus habitus esset, pro nomine Iesu contumelias pati. *Theodor. lib. 1. cap. 7.*

XI. ALMERICI HÆRETICI IMPIETAS ET SEQVACIVM.

Eodem quoque tempore quo ipsa illa hæresis Albigensium Gallias infecerat, Almerici impietas Parisiensem quoque vrbem contaminauit. Digna sane historia est, quæ hic ex Cæsario inseratur, tum vt miserum statum Galliarum ea tempestate horrendis hæresibus defœdatum cognoscamus, tum vt Almerici & Albigensium erroris conuenientiam ostendamus: istudque ob oculos ponamus, iusto iudicio in Lateranensi Concilio Almericum condemnatum fuisse. Narrabat *Cæsarius dialog. 5. c. 22.*

Hoc tempore, quo manifestatæ sunt hæreses Albigensium, in Parisiensi ciuitate, in qua fons est totius scientiæ, & puteus diuinarum scripturarum, quibusdam viris literatis persuasio Diabolica peruersum instillauit intellectum: quorum nomina sunt hæc; Magister Vuilbelmus Pictauensis Subdiaconus, qui legerat Parisiis de artibus, & tribus annis studuerat in Theologia; Bernardus Subdiaconus, Vuilhelmus Aurifex Propheta eorum, Stephanus sacerdos de veteri Carbullo, Stephanus de Cella, & Ioannes Sacerdos de Vucinis. Isti omnes in Theologia studuerant, excepto Bernardo. Erant & plures alii discipuli Almerici, ab eo seducti, qui instinctu diaboli hæreses multas ac maximas excogitauerant, & in pluribus locis disperserant. Dicebant, non aliter esse corpus Christi in pane altaris, quam in alio pane, & in qualibet re: sicque Deum loquutum fuisse in Ouidio, atque in Augustino. Negabant resurrectionem corporum, dicentes, nihil esse paradisum neque esse infernum: sed qui haberet cognitionem Dei in se, quam ipsi habebant, haberet in se paradisum: qui vero mortali peccato teneretur, haberet in se infernum, sicut dentem putridum in ore. Altaria Sanctis statui, & sacras imagines thurificari idolatriam esse dicebant. Eos qui ossa martyrum deosculabantur, subsannabant. Maximam etiam & blasphemiam ausi sunt dicere in spiritum sanctum, à quo est omnis munditia & Sanctitas. Asserebant enim; si qui est in spiritusancto, & faciat fornicationem, aut aliqua alia pollutione polluatur, non est ei peccatū, quia ille Spiritus, qui est Deus omnino separatus à carne, non potest peccare; & homo qui nihil est nō potest peccare, quamdiu ille spiritus qui est Deus, est in eo. Ille enim operatur omnia in omnibus. Vnde concedebant, quod vnusquisque eorum esset Christus, & spiritus sanctus, impletumque est in eis quod dicitur in Euangelio: Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ. Habebant etiam miserrimi illi argumenta sua, nullius prorsus valoris, quibus suos errores confirmare nitebantur. Horum perfidia hoc ordine detecta est.

Prædictus Vuilhelmus Aurifaber, venit ad Magistrum Rudolphum de Nammuntico dicens se esse missum à Domino; & hos infidelitatis articulos ei proposuit: Pater sub quibusdam formis operatus est in veteri testamento, scilicet Legalibus: & Filius similiter sub quibusdam formis, vt in Sacramento Altaris, Baptismi, & aliis. Itaque sicut ceciderunt formæ legales in primo Christi aduentu, ita (aiebat) nunc cadent omnes formæ, quibus filius operatus est, & cessabunt Scramenta: quia persona spiritus sancti clare manifestabit se in quibus incarnabitur; & principaliter per septem viros loquetur, quorum vnus ipse Vuilhelmus erat. Ipse etiam Vuilhelmus prophetabat, quod infra quinque annos istæ quatuor plagæ euenire debebant. Prima super populum, qui fame, ait, consumetur. Secunda erit gladius, quo se Principes interficient. Tertia, in qua terra aperietur, & deglutiet Burgenses, in quarta descendet ignis super Prælatos Ecclesiæ, qui sunt, ait, membra Antichristi. Dicebant enim perfidi hæretici, quia Papa esset Antichristus, & Roma Babylon, & ipse sedet in monte Oliueti, id est, in pinguedine potestatis. Vt autem fauorem sibi captaret Philippi Regis Franciæ, etiam istud adiecit Guillelmus: Regi Francorum subiicientur omnia regna, & filio eius, qui erit in tempore spiritus sancti, & non morietur; & dabuntur duodecim panes Regi Francorum, id est, scientia scripturarum & potestas.

His auditis Magister Rudolphus, interrogauit, si aliquos haberet socios, quibus ista fuissent reuelata. Qui cum respondisset: Habeo multos: supradictosque viros nominauit. Porro vir prudens, imminens Ecclesiæ periculum perpendens, Seque solum ad inuestigandam eorum nequitiam, eosque conuincendos non posse existimans, ex quadam simulatione dicebat sibi esse reuelatum à spiritu sancto, de quodam Sacerdote, qui cum eo prædicare deberet sectam eorum. Et vt famam suam seruaret illæsam, nunciauit hæc omnia Abbati S. Victoris, & Magistro Ruperto, & Fratri Thomæ, cum quibus adiit Episcopum Parisiensem, & tres Magistros Theologiam legentes, videlicet Decanum Saleburiensem, & Magistrum Rupertum de Leoren, & Magistrum Stephanum, omnia hæc eis insinuans. Hi valde perterriti, iniunxerunt prædicto Rudolpho in remissionem peccatorum, & alteri Sacerdoti, vt se fingerent esse de illorum consortio, donec sententias omnium audiuissent, & plenius omnes articulos incredulitatis eorum explorassent. Magister vero Rudolphus, & Sacerdos socius eius, in executione huius laboris, cum ipsis hæreticis, circumierunt Episcopatum Parisiensem, Lingoniensem, Trecensem & Archiepiscopatum Senonensem in tribus mensibus & quamplurimos de eorum secta inuenerunt. Vt autem ipsi hæretici plene de ipso Magistro Rudolpho confiderent, quandoque vultu eleuato, se spiritu in cœlum raptum simulabat, & postea aliqua se vidisse dicebat, quæ in conuenticulis eorum narrabat, & publice eorum fidem de die in diem se prædicaturum promittebat. Tandem reuersi ad Episcopum, visa & audita narrauerunt. Quo audito Episcopus prædictus per prouinciam pro eis misit; eo quod non essent in ciuitate excepto vno Bernardo. Qui cum essent in custodia Episcopi, congregati sunt ad eorum examinationem vicini Episcopi, & Magistri Theologi. Proposita sunt eis supradicta capitula; quæ aliqui ex eis, in præsentia omnium attestabantur, aliqui vero cum resilire vellent, & se conuinci viderent, cum cæteris in eadem pertinacia persistebant, nec negabant. Tanta eorum pertinacia audita, ex consilio Episcoporum & Theologorum ducti sunt in campum, & coram vniuerso clero ac populo degradati, & in aduentu Regis exusti. Hi mente obstinata, nullum ad interrogata dabant responsum, adeo vt in eis, etiam in ipso mortis articulo nullum cognosci poterat pœnitentiæ indicium. Cum vero ad tormēta ducerentur, tanta exorta est aeris inclementia, vt nemo dubitaret, quin ab eis aer fuisset concitatus, à quibus tantus error morientibus fuerat persuasus. In ipsa porro nocte, is qui inter eos potior habebatur, ad ostium cuiusdam inclusæ pulsans, sero suum errorem confessus est; asserens se magnum hospitem esse in inferno, ac æternis incendiis deputatum. Quatuor ex eis fuerant examinati, sed non sunt combusti: videlicet Magister Guarinus, Vlricus Sacerdos, Stephanus Diaconus, qui perpetuo in carcere reclusi sunt: Petrus vero antequam caperetur, præ timore Monachus effectus est. Magister autem Almericus, qui prædictæ prauitatis Magister extiterat, de cœmeterio eiectus, & in campo sepultus est.

Eodem tempore præceptum est Parisiis, ne quis infra triennium legeret libros naturales. Magistri quoque Dauid libri, & libri Gallici de Theologia, perpetuo damnati sunt, & exusti.

IESV CHRISTI
Annus 1210.

INNOCENTII PAP. III. Annus 13. OTTONIS Imper. 2. HENRICI Imp. 5.

I. INNOC. OTTONI SVMMAM INGRATITVDINEM EXPROBRAT. a lib 3. de negotiis Rom. Imp.

NOn erat Innocentio Pontifici toleranda insolentia Ottonis, quam in literis contra Apostolicam Sedem exeruit. Quamobrem spiritu Apostolico animatus, modeste quidem sed non minus animose & constanter illum officii admonuit, vtque ab Ecclesiæ patrimonio abstineret, censuris Ecclesiasticis deterruit. Hæc scribebat.

Innocentius a Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto in Christo filio Ottoni Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto: Salutem & Apostolicam benedictionem. Quamuis & regimen Apostolicæ Sedis, quæ Domino disponente mater omnium dignoscitur & magistra insufficientes meritis nos à sapientia reputemus, ab illis optamus pro viribus abstinere per quæ nobis possit merito derogari, & sollicite intendere omnibus nunc & semper quorum interuentu exhibitæ administrationis offi-

nis offi-

nis officium exequi laudabiliter comprobemur. Ne igitur de illorum esse numero videamur, qui humanam gratiam amittere formidantes loqui libere pertimescunt, murum pro domo Israel opponere nos oportet, & libera voce illorum incursibus contraire, qui in temporali consistentia nobis præsumunt in spiritualibus aduersari. Si erga aspere seu dure Imperatoriæ scribimus maiestati, ex aliquo supercilio aut elationis specie non procedit. Sed tamen quia scriptum est: Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; argue, obsecra, increpa, insta opportune ac etiam importune, & tamen quia turbamur non modicum & dolemus te subito conuersum in arcum prauum, quem fore Sedis Apostolicæ magnificum Protectorem quondam firmissime credebamus: Nam quantum desiderauimus personam tuam ad Imperiale fastigium sublimari, & qualiter per nos ac etiam venerabiles fratres nostros operam dederimus efficacem, vt coronam Imperii cæteris conscriptis Principibus obtineres, præsenti non duximus paginæ inserendum: quia te latere non debet, cum per cuncta sit orbis climata diuulgatum. Ad tantæ igitur apicem dignitatis per Sedem Apostolicam sublimatus, Romanam merito deberes Ecclesiam tamquam matrem & Dominam reuereri, ipsamque multipliciter honorare, & recognoscere Deum cœli, qui deponit potentes de Sede, & sublimat pauperem & egenum. Sed quod Dei timorem præ oculis non habeas, vt deceret Imperatoriam maiestatem ex fructibus tuis colligitur euidenter, quoniam opera quæ facis testimonium perhibent veritati. Non videntur tibi sufficere fines, quibus fuerunt contenti, qui te Imperio præcesserunt: imo Patrimonium Beati Petri inuadere præsumpsisti, & ipsum vndique niteris vsurpare, non attendens, qualiter displiceat Deo cœli, & cunctis debeat mortalibus displicere; cum per te non deberet minui sed augeri. Nam inter claras magnitudinis tuæ laudes, tamquam solis radius præ cæteris radiaret, si debitam Romanæ Sedi reuerentiam exhiberes, eiusque augmento studiose intenderes & honori, quia nihil est quod magis imperiale decus roboret, vel exornet, quam Ecclesias, & personas & res Ecclesiasticas venerari, & ab earum infestinatione prauorum impetum refrenare. Tu autem aliorum impetum non refrenas: imo quod grauius est per teipsum inquietare Sedem Apostolicam incepisti; oblitus, qualiter es fidelitatis vinculo nobis nostrisque successoribus obligatus. Debes igitur plurimum formidare, ne tibi vere propheticum adscribatur, quo dicitur: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Memorare itaque nouissima tua, iuxta sententiam Sapientis, vt tanto possis facilius ab illicitis abstinere. Considera quod dies Domini sicut fur in nocte venit, cui terrena potentia resistere numquam valet Animaduerte, quod omnes stabimus ante tribunal Christi, rationem de omnibus quæ in corpore gessimus reddituri. Attende præterea diligenter, quod quanto gradus altior, tanto casus grauior comprobatur. Numquid nō audisti, quod Nabuchodonosor confisus in potentia temporali, & præterea quod in robore fortitudinis suæ, & gloriæ incepit nimium exaltari, subito regnum amisit, & in bouem fuit ex homine commutatus, qui fenum tamquam brutum animal comedit, & cum feris per septem annorum spatium in solitudine habitauit. Pharaonem autem trahere nolumus in exemplum; quia cor eius semper extitit induratum, & ideo percussus diuino iudicio periit in æternum, cuius acta exitus approbauit; quem referre vel audire propter diuersa pœnarum genera non modicum abhorremus. Sed habeas præ oculis, quæ modernis temporibus facta sunt: præcipue in antecessore tuo Friderico, qui fidelitatem nolens, vt tenebatur Sedi Apostolicæ conseruare, combussit prima facie porticum S. Petri, & alia postea grauamina intulit Ecclesiæ Sacrosanctæ. Pro quorum meritis, in proprio corpore tulit pœnam, ipsamque in filios proculdubio deriuauit, quia scriptum est: Ego sum Deus zelotes, qui visito peccata patrum in filios, vsque ad tertiam & quartam generationem. Nam Fridericus volens personaliter sepulchrum Domini visitare Israeliticis non immerito potuit comparari, qui propter peccata sua, promissionis terram nequaquam ingredi meruerunt, antequam ipse Hierosolymam intraret, morte fuit repentina, in quodam flumine suffocatus: cuius animam optamus ad cœlestis Hierusalem consortium peruenisse. Filios vero eius Henricum videlicet & Philippum qualiter Diuina vltio tetigit & puniuit, nouit manifestissime totus orbis. Quid ergo in malitia gloriaris? Quid in iniquitate desideras esse potens? Quid inuadere niteris aliena; cum latissime sufficiant tibi tua, & cum ipsa non sis longo tempore possessurus? Nescis, quod mens potentiæ auida non nouit gaudere possessis, nec à vetitis abstinere? Ignoras quod per iniustitiam plus petendi, summa totius debiti euacuatur? Dubitas quia amittere priuilegia mereatur, qui concessa sibi abutitur potestate? Hæc siquidem non propterea scribimus, vt Imperiali coronæ iniuriam irrogare velimus: sed vt possimus te à prauis actibus reuocare, & ad viam veritatis reducere, quia quāto personam tuam inter cæteros Principes Christianos quondam sinceriori dileximus charitate: tanto nunc molestius & grauius reputamus, quod ea facere non vereris, quæ in nostra redundare grauamina ignoscuntur, nec non in tui corporis opprobrium, & animæ detrimentum. Cum igitur gladio spirituali bona Ecclesiastica defendere teneamur, & de quolibet peccato mortali corripere quemlibet Christianum; ac etiam si necesse fuerit per censuram Ecclesiæ coercere, te monemus, inducimus & hortamur, atque sub pœna excommunicationis tibi damus firmiter in mandatis, quatenus Apostolicæ Sedis iura, per te vel per alium nullatenus inquietes: & quæ nobis iurasti obseruare studeas sine fraude, in vlla magnitudine vel potentia confidendo: quia non est personarum acceptio apud Deum. Scriptum est enim: ita iudicabis magnum, vt paruum, & alibi: Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas, destruas, dissipes, ædifices atque plantes. Plantauimus autem te pro vinea electa, quæ versa es nobis in amaritudinem labruscarum. Caue, ne propterea Deus destruat te in finem, & radicem tuam de terra viuentium euellat, dissipet & disperdat. Nos autem non poterimus euitare, si diu in tua perduraueris prauitate quin mucrone te anathematis feriamus. Hæc Innocentius Ottoni, qui tantum abest, vt precibus & exhortationibus Pontificiis flecteretur, vt potius obduraret, & longe insolentiora modestissimis reponeret, datis primo ad Innocentium acrioribus literis, deinde ad imminuenda Ecclesiæ Romanæ iura & bona, totis viribus atque armis, magis quam antea contentis.

II. EXCOMMVNICAT OTTONEM PRINCIPES GERMANIÆ FRIDERICVM REGEM SICILIÆ REGEM ROMANORVM CREANT. a *Naucler. Ciacon. Onuphr. Vrspergens. in Chron.*

Non *a* dissimulandum itaque sibi amplius putauit Innocentius, contra perfidum Imperatorem. Igitur cum illum frustra sæpius admonuisset, & frequenter anathematis gladium illi ostentasset, tandem in contumacem eum strinxit, & illius damnationem omnibus Principibus Europæis denunciauit. Cum autem Friderico reliqua regni Neapolitani cripere, & bellum Gallorum Regi inferre, vniuersamque Italiam sui iuris facere Otto conaretur. Pontifex hominem in sententia pertinacem, pro hoste Ecclesię iudicauit, eique dignitatem imperii abrogauit. Libenter eam occasionem arripuerunt Proceres Germanię, Rex Bohemiæ, Saxoniæ & Bauariæ Duces cum Treuerensi, & aliis nō paucis: qui in speciem quidem Ottoni fauebant, in animo tamen Philippi nepotem Regem Siciliæ Fridericum in animis habebant. Sane cū probe meminissent, illum adhuc in cunis vagientem, à Patre Henrico Imperatore Regem Romanorum renunciatum fuisse; ipsi quoque tum vt officia sua in Henricum olim prompta, erga filium Fridericum testarentur; tum vt Ottoni, quem inuiti Imperatorem consalutauerant, incommodarent, ad diem XIII. mensis Decembris Francofordiæ congregati, Regnum Romanorum illi ipsi decimumseptimum annum nato detulerunt: Nunciosque miserunt, qui eam electionem Innocentio Pontifici significarent, & Fridericum in Germaniam inuitarent. Anselmus de Insthingen Romam venit, & cum Innocentii animum iusta indignatione erga Ottonem commotum intellexisset, illum vt Friderico electionem & Regnum approbaret postulauit. Tandem in Siciliam traiecit, vixque Friderico persuasit, vt in spem Imperii ad Germaniam se conferret. Namque Regina dissuadebat, ne se Genti illi committeret, neue periculum vitę & fortunarum in ea sublimitate exambiret. Vrspergensis narrabat, quod eo tempore cum ad Curiam Romanam venisset, viderit ibidem virum Religiosum Abbatem Moribundi qui à festo S. Michaelis, sicut ipse asserebat, vsque ad Quadragesimam, quinq; vicibus transierat iussu Innocentii Pontificis à Roma vsq; Capuam, vt inter eumdem Pontificem & Ottonē Imperatorem, pacem reformaret. Verumtamen Otto nulla ratione flecti potuit, quin vellet expellere de terra præfatum Fridericum Regem Siciliæ, & de Philippo Francorum Rege sese vindicare. Prætextu, quasi is terras auunculi sui Regis Anglię, videlicet Northmaniam & alias quasdam subegisset, & contra ipsum quædam verba temere protulisset. Sane, ne in Ecclesiis & populo Christiano turbatio succederet, omnem operam Innocentius adhibuit, vt hominem obstinatæ mentis, à sua amentia auerteret. Sed surdo verba dabat.

III. ORIENTIS ECCLESIAS CVM ROMANA VNIRE CONATVR. b *li. 13. ep. 3*

In Oriente, non minimum operæ posuit Innocentius Pontifex, in Græcorum Ecclesiis cum Romana veniendis. *b* Archiepiscopus Corinthi plurimum diffidebat, & complures ab Ecclesiastica vnitate secernebat. Cōmittebat Innocentius Atheniensi Archiepiscopo, nec nō Termipolēsi

& Sy-

& Sydonienſi Epiſcopis, vt eum ad obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adducerent, quod ſi in ſchiſmate perſeuerare vellet, illo electo, alium in eius locum auctoritate Apoſtolica ſufficerent. Cæterum cum aliqui Latinorum Græcis contra alios Latinos & Græcos ex æmulatione adhæreret, & præcipue Achaiæ incolas diuexarent, Scripſit Innocentius *a* Patracenſi Archiepiſcopo, atque Metonenſi, Coronenſi, Termipolenſi & Cardicenſi Epiſcopis, ne quicquam moleſtiæ, aut Latinis aut Græcis in obedientia Sanctæ Sedis Romanæ perſeuerantibus inferrent, vel eos à beneficiorum obtinendorum iure impedirent. Eam ob rem *b* Patriarchæ Conſtantinopolitano ſecundo ſcripſit, & Decano Templi SS. Virginis Blachernarum iniunxit, vt Patriarchæ author eſſet, ne ſolos Venetos, ſed etiam reliquos alios, præſertim quos vel ipſe vel ſui Legati proposuerant, vel in poſterum proponerent, Eccleſiaſticis beneficiis præficeret: neve clericos, ſuper parte decimarum & quintarum decimarum eis ab Apoſtolicæ Sedis Legato aſſignata quoquo modo perturbaret.

a *epiſt.* 8. & 9.

b *epiſt.* 7. & 10. *& ſeq.*

IV. HENRICVM ORIENTIS IMP. OB LEGEM ECCLESIÆ NOCIVAM GRAVITER REDARGVIT.

Non minore zelo contra Henricum Imperatorem Orientis Innocẽtius Pontifex inſurrexit. Edixerat ille, ne quiſpiam bonorum immobilium ſcriberet hæredem Eccleſiam. Id cum Eccleſiaſticæ immunitati, atque inprimis pietati Chriſtianæ officere vidiſſet Innocentius, acerrima *c* epiſtola in Imperatorem inuectus, præcepit, vt eam legem exlegem abrogaret, ſuoſque Barones compelleret, ne bona Eccleſiarum occuparent, ſed ea iuſtis poſſeſſoribus reſtituerent. Quod ſi vel ille aut legem ſacrilegam antiquare, aut ſacrilegos raptores compellere negligeret, aut ipſe etiam ea omnia quæ cum aliis tum præcipue Larinenſi Eccleſiæ & Templariis rapuerat reſtituere differret, Archiepiſcopis Thebano Larinenſi & Neopatrenſi committebat, vt tam in eum, quam in reliquos quoſcunque cuiuſcunque faiſſent dignitatis gladium Eccleſiaſticæ diſciplinæ vibrarent. In eam rem Archiepiſcopo Thebano, atque Daualienſi & Sidonienſi Epiſcopis ſcripſit, vt Ottonem de Botta Dominum Athenarum & alios Barones imperii hortarentur, qui tolerarent bona & poſſeſſiones Eccleſiis relinquere, alias in refractarios anathema exererent. Tanti fuit ea Innocentii admonitio apud Principes, vt certis pactis cum Patriarcha & reliquis Eccleſiaſticis in poſſeſſionem bonorum facile conuenerint; quam conuentionem poſtea Innocentius confirmauit datis literis ad Athenienſem, Neopatrenſem Larinenſem Archiepiſcopos, & ad Daualienſem, Fermopolenſem, Atualonenſem, Sidonienſem, Catorienſem, Taratonenſem, Epiſcopos, nec non ad Thebanum, Cytrenſem, Nazoreſcenſem & Valarenſem electos, & vniuerſos Imperii Barones & Principes.

c *epiſt.* 16. *& ſeq. &* 21. *vſque ad* 37.

V. d *epiſt.* 30.

In Palæſtina Innocentius Pontifex *d* Patriarchæ Hieroſolymitano cognitionem controuerſiæ inter Templarios, & Theutonicos milites commiſit, inhibuitque ne Theutonici pallio albo Templariis proprio habitu induerentur.

VI. e *epiſt.* 12. VARIORVM REGVM ET DVCVM CHRISTIANORVM VITIA CORRIGIT.

In Gallia, *e* Philippus Rex iterum repudiauerat ſuam legitimam coniugem. Idem ipſum in Boemia fecerat Ottacarus Rex eiecta vxore ſua Marchionis Miſnenſis ſorore, & quidem illi Gallorum Reginæ conſolatorias ſcripſit: huic autem inſinuauit, & Ottacaro præcepit, vt Romæ ad cauſam dicendam, diſcutiendamque Procuratores cum plenaria poteſtate deſtinarent. In Anglia quoque Rex Ioannes iniurius fuerat Reginæ Richardi Regis relictæ. Namque ei omnia fere bona dotalitia eripuerat, neque reſtituere voluerat. Præcipiebat Pontifex *f* Roffenſi & Sariſberienſi Epiſcopis, vt omnes ciuitates & poſſeſſiones quas ſui iuris eſſe prætendebat Regina, interdicto Eccleſiaſtico ſupponerent, donec Rex Ioannes ea omnia ablata reddidiſſet. Neq; clementior fuit Innocentius in Regem Luſitanum: Cum enim accepiſſet illum multa indigna in Epiſcopum Portugalliæ egiſſe, & plurimas poſſeſſiones eidem rapuiſſe, *g* Epiſcopo Zamorenſi commiſit, qui impiũ dehortaretur, quod ſi à perſequenda Eccleſia non ſe contineret, ingreſſu Eccleſiæ, & ſacrorum communione eidem interdicere nõ timeret. Sed neq; benigniorem ſe præſtitit Innocentius Regi Siciliæ Friderico, qui Epiſcopum Cathanienſem Regni Cancellariũ à ſua familiaritate eiectum, bonis ſpoliarat. *h* Monebat, & quantum opus erat præcipiebat, vt iniuriarum immerentem reciperet, & multo plura quam obtinuerat, pro officiis erga Regem & Regnum præſtitis illi ſatisdaret. Sed neque minus æquitatis amantem experta eſt Polonia Innocentium Pontificem. *i* Plures Fratres Principes inter ſe de Principatu contendebant. Innocentius autem recti tenax tum Principatus Monarchici dignitatem, tum Ducatum & Ciuitatem Cracouienſem primogenito vel maiori natu, cæteris poſtpoſitis confirmauit: datis literis Gneſnenſi Archiepiſcopo, atque vniuerſis Suffraganeis ipſius. Cæterum *k* cum Ducatum Bruſſiæ recens ad fidem Chriſtianam reuocatum quamplurimi vſurparent, & à corpore Regni vniuerſi ſeparare contenderent, neque in tanta mutatione reipublicæ Polonæ, quanta fuerat eo tempore, aliquis rerum potens poſſet inuaſoribus vires opponere, vt Archiepiſcopus Cneſnenſis ex primo, ideo illius Prouinciæ adminiſtrationem, cæteris Epiſcopis prætermiſſis, eidem commiſit, datis literis ſecundo Nonas Decembr. *l* In Galliis, hæreticorum quamplurimis ad Eccleſiam reducibus, Innocentius formulam receptionis & iuramenti, quod reuerenter præſtarent præſcripſit, datis literis XVIII. Calend. Iulij vniuerſis Archiepiſcopis atque Epiſcopis Regni illius. Porro ne *m* Comes Toloſſanus eos amplius reciperet, ei præcepit: quod ſi eos eiicere negligeret, terras illius exterminatoribus hæreticorum poſſidendas conceſſit: Comitibus autem Leiceſtriæ & Montisfortis, vt de vnaquaque domo, Terrarum ab hæreticis recuperatarum, cenſum trium denariorum Sedi Apoſtolicæ debitum, exigerent, & Romam ſine fraude remitterent, præcepit atque iniunxit.

i *epiſt.* 24.

k *epiſt.* 30.

l *epiſt.* 21. *&* 24.

m *epiſt.* 40. *& ſeq.*

VII. n *epiſt.* 40.

Hiſpanias Mauri infeſtabant. *n* Præcipiebat Innocentius vniuerſis Archiepiſcopis atque Epiſcopis Regnorum, vt omnes Chriſti fideles ſuos ſubditos admonerent ad auxilia ferenda contra illos primogenito Regis Caſtellæ, eos vero qui nollent, per cenſuras compellerent.

VIII.

Hoc anno Simon Montfortius ingentes progreſſus in Galliis contra Albigenſes faciebat. Sanctus Antoninus, centum & octuaginta tradit eſſe exuſtos, iudicio Inquiſitorum. Diuus Dominicus Guzmanus, maior pars erat, in perfidis caſtigandis. Non illubet duo miracula commemorare, quæ tunc acciderunt; ipſis vero verbis Petri Monachi ſunt deſcripta, narrabat *cap.* 48. *hiſtor. Albigenſ.*

APPARITIO CRVCVM PRODIGIOSA IN PARIETIBVS TEMPLI TOLOSANI.

Rectum nobis videtur, in ſcripta redigere, quoddã miraculum, quod Toloſæ contigit eo tempore, quo caſtellum Mineruæ ſupplantatum fuit. Eſt in ea ciuitate, prope palatium Comitis Toloſani, quædam Eccleſia fundata in honorem Dei, & reuerentiam B. Virg. Mariæ, cuius parietes fuerant recenter inalbati. Quadam die ſub veſperam in dictis parietibus per circuitum totius Eccleſiæ apparere cœperunt quaſi argenteæ cruces, candore illucente parietum albedinem ſuperantes: erantque in perpetuo motu, ita vt cum plures eas viderent, non poterant nihilominus aliis illas demonſtrare. Nam quamprimum aliquis ſublato digito eas indicare veller, ſubito euaneſcebant. Siquidem apparebant in forma fulguris coruſcantis, nunc magnæ, modo mediocres, aliquando exiguæ. Durauit ea viſio circiter quindecim dies, appareus omnibus diebus ſub veſperam; ita vt omnis populus vrbis Toloſæ eam viderit. Et vt meæ narrationi certam fidem adiũgam, ſciat Lector, quod Fulco Epiſcopus Toloſanus, & Raymundus Epiſcopus Vſezienſis, & Abbas Ciſtercienſis, Legati S. Sedis Apoſtolicæ, ſimulque Magiſter Theodoſius (omnes namque tunc Toloſæ erant) eandem viſionem Crucum viderunt, & mihi per ordinem ſupradicto modo narrauerunt.

Accidit interim diuina prouidentia, quod quidam presbyter dictæ Eccleſiæ, cum modum non videret videndi prædictas Cruces, noctu in eamdem Eccleſiam ingreſſus, cum ſe totum orationi dediſſet, orans Deum, vt ipſi oſtendere dignaretur, id quod alii ferme omnes aſpexerant: ſubito vidit innumerabiles Cruces, non quidem in parietibus, ſed in medio ſpatio per aerem ſparſas; inter quas erat vna grandis, & cæteris eminentior, quam exeuntem ab Eccleſia ſequutæ ſunt aliæ omnes, & recto tramite verſus portam ciuitatis procedere cœperunt. Presbyter magnopere ſtupefactus, ſequutus eſt eas, & in exitu vrbis adnimaduertit ſe videre quemdam hominem venerabilem & decorum aſpectu, qui verſus ciuitatem properabat indignabundus, habens gladium in manu, cui cruces aderant, quaſi auxi-

lium afferentes. Vidit inſuper idem preſbyter, quod vir magnus ex vrbe exibat, quem primus ille alter in ipſo egreſſu occidit. Prædictus itaque preſbyter, præ timore nimio extra ſe factus, cucurrit ad Epiſcopum, & Dominum de Caſtro Veſzienſi in Gallia Narbonenſi, & ad pedes eius ſe proſternens rem omnem per ordinem enarrauit.

Inter hæc Fulco Toloſanus Epiſcopus, Legatus Apoſtolicus, in cauſa Albigenſ. deſtinatus, Toloſanos ciues à vinculo excommunicationis abſoluit, cum prius decem è primoribus pro obſidibus dediſſent, iuraſſentque ſe mandatis Eccleſiæ parituros. Cum autem Raymundus Comes Toloſanus, Epiſcop. Rhegienſem & Mag. Theodoſium, vt quantocius purgationem ipſius in criminibus hæreſis & cædis Petri de Caſtro nouo, reciperent perurgeret; illi ſecundum ea, quæ Innoc. Pontif. anno ſuperiore præſcripſerat, coacto Archiepiſcop. Epiſoporum, aliorumque Prælatorum apud villam S. Ægidii concilio, purgationem eiuſdem reiecerunt, & ex communi omnium aſſenſu iterum anathemate damnarunt, eo quod numquam imperata Pontificis feciſſet, neque hæreticos è ſuis terris eieciſſet, neque noua vectigalia abſtuliſſet; inſuper quod falſam innocentiam in criminibus obiectis, teſtibus falſis proregeret. Antequam iſta gererentur, obiit hyeme apud Montempeſſulanum Magiſter Milo, Apoſtolicus Legatus. *Petrus Monachus Hiſt. Albigenſ. c.* 49.

Anathemate percuſſus Raymundus Comes Toloſanus, cum à cunctis fere deſereretur occaſionem dedit Simoni Montfortio victoriarum ingentium, quas ſingulis diebus referebat, de hæreticis triumphatis, & de plurimis caſtris oppidiſque receptis. In eo tamen impetu ſucceſſuum, Simon non intermiſit curare, ſi quo modo Raymundum ad conſilia meliora adduceret. Paucis inde diebus, celebratum eſt colloquium Narbone in Eccleſia. Interfuerunt Petrus Rex Aragoniæ, Comites Montfortius & Toloſanus, Epiſcopus Vſzienſis, & Arnaldus Abbas Ciſtercienſis, Apoſtolici Legati. Item Magiſter Theodoſius, & plures alii probi & ſapientes viri. Actum ibi de pace & componendis rebus Comitum Toloſani, & Foixenſis, cum Eccleſia. Concedebantur illis multo plura quam ſperare poſſent; modo è ſuis ditionibus hæreticos expelleret. Impii tamen perduelles, æquiſſimas ſanctiſſimaſque pacis conditiones reſpuerunt. Iterum apud Montempeſſulanum in colloquium venerunt, deque reducendo Toloſano Comite ad obſequium Eccleſiæ egerunt, & cum is promiſiſſet ſe imperata facturum, optimamque ſpem pacis inieciſſet, altero die ſummo mane, hoſpite, quod aiunt, inſalutato, cum ne verbum quidem Legatis dixiſſet, diſceſſit. Id feciſſe Comitem, ferunt, quod aues quaſdam (quas vulgus falſo aues S. Martini appellat) in ſiniſtram volantes, non ſine magna conſternatione vidiſſet, ſiquidem ipſum Gentilicio more, volatibus, cantibus, & aliis huiuſmodi ſuperſtitionibus & auguriis attendiſſe conſtat. Inter hæc Diuus Dominicus curſum ſuæ prædicationis aduerſus Albigenſes continuans, maximos labores, quod illi res eſſet cum perfrictiſſimæ frontis hæreticis, exantlabat. Sed infracto animo omnia ſubibat, ſi aliqua tandem ratione obſtinatiſſimam gentem, in viam rectitudinis induceret. *Petrus Monachus ſupr. & Theodoricus in vita S. Dominici.*

IX.

Fere hoc anno, ingens miraculum, apud Brigãtium Galliæ Lugdunenſis vrbem patratum, narrabat Sanctus Raymundus Penniafortius Ordinis Prædicatorum poſt annos ſexaginta. Verbis eius rem refero, vt accidit: quæ ita habent *ex Daogo lib. 2. Hiſt. Aragoniæ Prædicatorum.*

B. VIRGO FILIVM VNICVM AB HOSTIBVS OCCVLTIS ET MANIBVS PRIVATVM, MATRI RÆPENTI SANVM RESTITVIT.

Ego Frater Raymundus de Penniaforte minimus in Ordine Prædicatorum, rogatu Fratrum noſtrorum, & ad laudem & gloriã Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Matris Domini noſtri IESV CHRISTI Saluatoris, & Redemptoris noſtri in anno 1271. die 18. Auguſt. confiteor & recognoſco, quod in præterito tempore, cum eſſem in ſæculo ab hinc elapſis 60. & amplius annis, vadens Bononiam ad ſtudendum, cum Magiſtro Petro Ruber Clerico de Barcinone, qui poſtmodũ ordinem noſtrum ingreſſus eſt, & in eo laudabiliter vitam ſuam finiuit, peruenimus Brigantium, ad pedem ſeu radices Monginigri. Vbi audientes famam, quæ ferebatur de miraculo quodam, quod tunc effecerat Domina noſtra eiuſque Beatiſſimus filius, in oppido quodam eiuſdem diœceſis, quod vocatur S. Maria Delbeza, & cupientes veritatem tanti miraculi cognoſcere, iuimus ad domum, quæ iuxta viam qua tranſibamus erat, & ibi vidimus materiam tanti gaudii. Siquidem cum nobis narraſſent, qui adfuere præſentes id quod acciderat, intelleximus, quod paucis ante diebus iuuenis quidam deuotionis gratia itineri ſe commiſerat, vt dictum locum Dominæ noſtræ viſitarer, Conabatur eius mater iter illi impedire, illumque retinere, quod ſciret eum per loca quædam ſuorum inimicorum tranſiturum: timens ne aliquid mali illi inferrent. Cum id efficere nõ potuiſſet, flexis genibus, & cum lachrymis commendauit filium ſuum Reginæ cœli, vt eum ſanum & viuum ſibi reſtitueret, qualis è domo ſua diſcedebat. Cõtigit id, quod mater timebat, nam cum iuuenis in manus inimicorum ſuorum incidiſſet, oculos ei radicitus euulſerunt & manus præciderunt. Non vltra progreſſi ſunt, & ille ſic male tractatus, finem vt potuit ſuæ peregrinationi impoſuit, & ad Eccleſiam beatæ Virginis peruenit. Confeſtim id mater reſciuit, & ad ſanctum locum cucurrit; quæ filium ita male acceptum cernẽs, ad altare Dominæ noſtræ ſe protipuit, ibique totam noctem inſomnem ducens, clamoribus & lachrymis filium ſibi reddi ſanum à Sancta Virgine poſtulabat. Repetebat hæc verba: O Virgo Maria Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, redde mihi filium ſaluum & ſanum, ſicut eum tibi commendaui. Et ſucceſſit illi ad menſuram votorum ſuorum. Nam ſtatim filius eius nouos oculos accepit, & manus creſcere cœperunt, paulatim augmẽtum capientes. Et cum eſſet iſta miraculi fama, ſocius meus & ego diligentiam adhibuimus, vt iuuenem videremus. Simul ac vidimus, in eos oculos, quos illi Domina noſtra reſtituit, oculos contecimus, qui erant parui vt falconis, ſeu accipitris: quamuis cum illis tam perfecte, vt cũ aliis quos antea habuerat cerneret. Dedit ei tales oculos Beata Virgo, vt communiter credebatur, vt eo modo tantum miraculum, nunquam obliuioni traderetur. Vidimus quoque nouas manus, & in eis ſigna, qua parte priores fuerant abſciſſe. Voluit enim Deus, vt ſigna illa extarent ad maiorem miraculi manifeſtationem. Habebat nouas illas manus teneras, & nihilominus validas, & ſanas: neque ſciri poterat, num illis ſaddendem eſſet parum id quod deerat. Nam quamuis omnia opera Domini perfecta ſint, nihilominus exiſtimabatur, non vlterius augmentum proceſſurum ad maiorem miraculi memoriam; quemadmodum dictum eſt.

X. REX SVECIÆ OCCIDITVR IN PRÆLIO A SVBDITIS.

Hoc anno in Suecia Suercherus Rex, bis in prælium cõtra proprios ſubditos progreſſus, vt eos temere ad iracundiam prouocauerat, ita ab eis cruento bello occiſus occubuit; exemplo ad poſteros relicto, quod nulli Reges vmquam feliciter regnare poſſint, niſi qui in bono malum vincere didicerunt. Sunt nonnulli, qui dicunt ordinem Clericalem, ab eo exemptum eſſe à iudicio ſæculari. Sed illi vel ſtupida ignorantia, vel ignaua malitia vehementer errant. Talis enim exemptio, non à Regum & Principum indulgentia, ſed à iure diuino & naturali dependet: Principes autem Diuinæ legis moderatores & executores exiſtunt, quãdo clerum priuilegiis & libertatibus à Deo conceſſis, vti permittunt. *Olaus hiſt. Goth. Sueonumque lib. 19. c. 11.*

XI. SVCCEDIT ERICVS.

Suerchero ſucceſſit Ericus Canuti Regis filius, ab exilio Norwegiano reuocatus, atque in regna Suetiæ & Gothiæ, concordibus procerum, populorumque ſuffragiis ſublimatus. Is primam curam reſtituendæ Reipubl. Chriſtianæ, quæ nuper ciuilium bellorum turbine non parum concuſſa fuerat, adhibiturus, venerabilem Pontificem Vpſalenſem Valerium, non ſecus ac patrẽ, à quo Chriſto generaretur, in omnibus audiuit, eiuſque ſalutaria monita, pie ac diligenter amplexus, ab omni populo diligentiſſime obſeruari præcepit. Quamobrem ſeptem illi anni, quibus Gothia & Suetia his duobus luminibus illuſtrata fuit, tam felices ac tranquilli, ac omnium neceſſarium rerum affluentia beati fuiſſe prædicantur, vt vix vmquam diuina miſericordia liberalior in illas terras fuiſſe credatur. Neque enim aliqua felicitas eſt, quam Deus vmquam negaturus ſit populo ſuo, qui ſyncera fide illi Regi paret, qui ſummum omnium Regum fideli obſequio veneratur. Præterea hic optimus Rex ab eodem ſancto Pontifice Valerio perſuaſus, magnum inimicorum numerum, qui in necem fratrum eius

cum Suerchero consenserant, in gratiam & amicitiam excepit, nulli ad vindictam imputans, quæ etiam potuissent iusta seueritate puniri. Eodemque Pontifice auctore, nullos præfectos, siue terrarum Præsides, prouinciis administrandis adhibere volebat, nisi qui magis commodo subditorum, quam implendo Regio fisco inuigilarent, haberentque earum rerum experientiam, qua possent ignaram plebem, & regnicolas de rebus gerendis instruere. Indignum quippe visum est, tam Regi sereniſſimo, quã Pontifici prudentissimo, vt illi Præfecti Regii constituerẽtur, qui nullis prorsus rebus, quam emungendis pecuniis idonei essent: cum vtique postrema in quocumque bono Rege esse debeat pecuniarum cura: quam si primam habuerit, nihil omnino reliquum in eo erit, quo subiectis populis de suo principatu bonam spem polliceatur. *Idem qui sup. cap. 12.*

XII. Eodem anno Gualfredus inter Purpuratos heroas clarissimus, vna cum Patrimonii præfecto ab Innocentio Legatus missus Vrbem uetera m venit. Inde Martianum profectus, Vrbeuetanos, Perusinates, ac Tudertinos armis seinuicem perentes ad concordiam pacemque singulorum Episcopis præsentibus reduxit. In hoc quippe optimus Pontifex, omnem industriam contulerat, vt pax subditis redderetur, veritus fortassis ne si ad Ottonem aliqui confugissent, petulantius se gessisset. *Franciscus Baumontius in Annal.*

IESV CHRISTI
Annus 1211.

INNOCENTII PAP. III. Annus 14. HENRICI Imper. Orient. 6.

I. SVMMA RIVM GESTORVM INNOCENTII. *a lib. 13. ep. 4. & 68. 2. ep. 45. 3. ep. 54. 4. epist. 74. & 50. 5. ep. 54. 6. epist. 46. & seq. 7. ep. 66. 67. 8. epist. 61.*

INnocentius Pontifex hoc anno, *a* Florentino Episcopo negotium Pisanorum Sardiniam præsidentium commisit, & contra inuasores Patrimonii eiusdem S. Petri classem submisit. 2. In Hispaniam Legato misso, vt contra Mauros Regi Castellæ auxilia colligeret præcepit. 3. In Gallijs Comitem Tolosanum hæreticorum fautorem excommunicatum denunciari mandauit. 4. Ibidem Regem Philippum, ne quispiam morientium clero vel Ecclesiis relinqueret edicentem, anathemate deterruit, & à persecutione Archiepiscoporum cohibuit. 5. In Polonia Gnesnensi Archiepiscopo Priuilegia confirmauit. 6. In Syria Templarios à Rege Armenorum iniuriosè censuris in eum prolatis defendit, & Patriarchæ Antiocheni iura probauit. 7. Constantinopoli Thomæ Mauroceno defuncto, Patriarcham eligi præcepit, & electum ad eam dignitatem euexit. 8. In Italia, Estensibus, vt Ferrariam in feudum concessam defenderent, potestatem castrum ædificandi concessit. 9. Ibidem ad res Ecclesiæ & Imperii stabiliendas Gregorium tit. S. Theodori Diaconi Card. Legatum in Siciliam misit, qui animum Friderici Regis Siciliæ adolescentis exploraret: indicto eidem iuramento fidelitatis ex Regno Siciliæ, quod in feudum acceperat. Præstitit non illibenter Fridericus duoq; diplomata Sedi Apostolicæ reliquit. Iuramenti formula hæc fuit.

IVRAMENTVM FIDELITATIS PRO REGNO SICILIÆ AB FRID. PAPÆ PRÆSTITVM.

Ego Fridericus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, ab hac hora & deinceps ero fidelis B. Petro & S. R. E. ac tibi Domino meo Papæ Innocentio tuisque Catholicis successoribus. Non ero in consilio, vel consensu, vel facto, vt vitam aut membrum perdatis, vel male sitis capti captione. Consilium quod mihi crediderit is & contradixeritis ne illud manifestem, non pandam alicui ad vestrum damnum, me sciente, & bona fide adiuuabo vos. Honorifice Papatum Rom. terramque S. Petri tenere. Quod si tu ante me migraueris ex hac vita, secundum quod monitus fuero à melioribus Cardinalibus S. R. E. adiuuabo, vt ad honorem S. Petri Papa eligatur, & ordinetur. Hæc omnia supradicta obseruabo tibi & S. R. Ecclesiæ rectæ fide, & fidelitatem etiam obseruabo successoribus tuis, canonice intrantibus, qui mihi & heredibus meis, si in me non remanserit firmauerit, quod in priuilegio tuo est mihi concessum. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

II. PRIVS PRIVILEGIVM ROMANÆ ECCLESIÆ AB FRIDERICO DATVM.

Iuramento præstito Fridericus, duo priuilegia Romanæ Ecclesiæ concessit, quarum tenor iste est qui sequitur.

In nomine Dei æterni & Saluatoris nostri Iesu Christi, Amen. Reuerendissimo Patri & charissimo Domino Innocentio Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici Fridericus Dei gratia Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Inter vniuersa quæ gerimus in desideriis nostris, præcipue hoc principaliter affectamus, vt vobis & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gratum impendamus obsequium, & deuotum exhibeamus honorem, ne vnquam beneficiorum vestrorum, quod auertat Dominus, inueniamur ingrati, cum post Diuini muneris gratiam, non solum terram, sed vitam per vestrum patrocinium nos fateamur habere. Licet igitur antecessores nostri, claræ memoriæ Reges Siciliæ Apost. Sedi fideles fuerint & deuoti: nos tamen tanto fideliores & deuotiores ei desideramus existere, quanto plura & potiora beneficia nos ab ea cognoscimus percepisse, ac in posterum percepturos esse perspicimus. Vos enim nobis & heredibus nostris qui in regnum successerint concessistis Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, ac Principatum Capuæ, cum suis pertinentiis vniuersis. Neapolim, Salernum & Amalfiam, cum pertinentiis suis, Marsiam & alia quæ vltra Marsiam debemus habere, ac reliqua tenimenta quæ tenemus à prædecessoribus nostris, hominibus SS. Romanæ Ecclesiæ iura detenta, & contra omnes homines honorifice manu tenere iuuabitis. Pro quibus omnibus coram charissimo amico nostro Domino Gregorio S. Theodori venerabili Diacono Cardinali Apostolicæ Sedis Legato fidelitatem vobis vestrisq; successoribus & Ecclesiæ Romanæ iurauimus, sicut in duobus similibus Capitularibus est expressum, quorum vnum penes nos vestro sigillo, & alterum penes vos nostro sigillo aureo munitum habetur, firmiter promittentes, quod quia præsens præsente debet hominem exhibere: quandocumque vos aut successores vestri, nos in aliquam partem Regni, quam secure possimus adire, ad vestram præsentiam vocaueritis, accedemus. Iigium homagium præstituri, nisi certum impedimentum aut euidens necessitas interuenerit, quibus cessantibus veniemus sine fraude ad ligium homagium faciendũ. Censum vero sexcentorum equitatorum de Apulia & Calabria, quadringentorum vero de Marsia vel æquiualens in auro vel argento, nos & heredes nostri, vobis & successoribus vestris annis singulis persoluemus, nisi forte aliquod impedimentum interuenerit, quo cessante census ex integro persoluetur. Electiones autem secundum Deum per totum Regnum canonice fiant, de talibus quidem personis, quibus nos & heredes nostri requisitum à nobis præbere debeamus assensum. Hæc autem omnia sicut nobis, sic etiam heredibus nostris qui in regnum successerint concessistis, quique sicut nos vobis & successoribus vestris ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatem facere, quæ vel præscripta sunt fideliter voluerint obseruare. Vt autem quæ supra diximus, tam vestro quam successorum vestrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nos nostri nec heredum nostrorum temporibus alicuius valeant præsumptione turbari, præsens priuilegium per manus Bonihominis de Caieta Notarii & fidelis nostri scribi, & bulla aurea typario nostræ maiestatis impressa præcipimus communiri. Anno, mense & Indictione subscriptis. Dat. in ciuitate Messanæ. Anno Dominicæ Incarnationis, M. CC. XI. mens. Februar. Indictio. 15. Regni XIV.

MANÆ ECCLESIÆ AB FRIDERICO DATVM.

III. POSTERIVS PRIVILEGIVM.

Porro ne qua dubitatio ex parte electionum oriretur, dedit secundum priuilegium Innocẽtio Fridericus, in quo post alia hæc promittit. *Ne*, inquit, *vlla de cetero, inter vos, successores vestros, & nos vel heredes nostros super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, quæ nonnunquam in Ecclesiam & regnum nostrum rancoris & indignationis fomitem ministrabant, modum & ordinationem electionis in posterum faciendæ præsentibus literis curauimus explicare: in quibus sic canonicæ libertati deferimus vt dignitatem Regiam non lædamus. Sane Sede vacante Capitulum significabit nobis & heredibus nostris obitum decessoris. Deinde conuenientes in vnum, inuocata spiritus sancti gratia, secundum Deum eligent canonice personam idoneam: cui requisitum à nobis debeamus præbere assensum, & electionem factam nõ different publicare. Electionem vero factã & publicatam denunciabunt nobis, & nostrum requirent assensum. Sed antequam assensus Regius requiratur, non intronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quæ intronizationi videtur annexa: nec antequam auroritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi vllatenus se admiscebit. Volumus igitur & concedimus, vt secundum præscriptam formam electiones de cetero per totum regnum nostrum liberè celebrentur, nullo prorsus obstante rescripto, à Sede Apostolica impetrato. Dat. Missanæ per manus supradicti Bonihominis, anno, mense, & indictione quibus supra.*

IV. FRID. VENIT IN GERMANIAM. *Vrsperg in Chron.*

Rebus Siciliæ ad eum modum cum Innoc. Pontifice, coram Legato Sedis Apost. compositis Fridericus, postquam se in Alemania desiderari intellexisset, Romam primo venit, & Pontifice salutato, cum non posset directo itinere in Alemaniam venire, de valle Tridentina per asperrima loca alpium, & inuia, & iuga montium eminentissima, obliquãdo iter suum venit in Rhetiam Curiensem. Ibique receptus

ab Episcopo Curiense & Abbate Sancti Galli, & nobili viro Henrico de Sacco, perductus est Constantiam.

V. A MOGVNTINO OTTO EXCOMMVNICATVS DENVNCIATVR.

Hoc anno cum Otto Imperator, prosperis vtens successibus, Apuliam & Calabriam inuasisset, & ciuitates in deditionem accepisset, castra militibus suis custodienda commisisset, Fridericum quoque puerum Henrici Imperatoris filium exterminare conatus, obtemperare mandatis Apostolicis contempsit. Qua contumacia Ottonis Innocentius permotus, Siffrido Archiepiscopo Moguntino, vt per vniuersam Alimaniam Imperatorem excommunicatum, & ab Imperio depositũ denunciaret, præcepit. Istud cum prompte Siffridus fecisset, odium quorumdam Principum in se excitauit. Etenim Henricus Comes Palatinus Rheni, Dux Brabantiæ, & multi alii Ottonis fautores, totum Episcopatum Moguntinum, circa festum Sanctæ Michaelis, incendio & rapinis deuastare cæperunt, villas, Ecclesias, ac Monasteria spoliauerunt, nihilque intactum præter ciuitates munitas relinquentes, fere totam terram desolauerunt; nec quicquam Siffrido ab obedientia Sedis Apostolicæ desciscente, sed constanter in Ottonem inuehente. *Chron. Hirsagiens.*

VI. EXCOMMVNICATVR ANGLIÆ REX IOANNES. *Æmil. in Philippo & Polyd. l. 15.*

Hoc anno Innocentius Papa Ioannem Angliæ Regem piorum cœtu excluſit, & anathemate percussit, atque vniuersæ Angliæ Sacris interdixit. Multorum criminum reus peragebatur, & inprimis quidem quia totis fere sex annis cum Philippo Galliæ Rege vario marte depugnans, cum pecuniam in militum stipendia non haberet, sacras ædes spoliabat, sacrorum beneficiorum & Episcoporum, & Patrum Monachorum vectigalia ipse sibi per collectores suos exigebat, iisque militem alebat; Nobilissimos ac sanctissimos quosque sacerdotes, Pontifices atque Patres exegerat. Neque sacra Canthuariensium sede vacante, Stephanum opinione hominem Sanctum, electum à suis, & à Pontifice Maximo sacratum recipere voluerat. Extorres sedibus suis Angli Patres, inopesque, ad Philippum Francum se contulere plerique Summum Pontificem adiere. Is porro hominem Neroni & Maxentio non plane dissimilem diris deuouit, & vniuersis eius Prouinciis, & toti Anglicano Regno sacrificiis publice interdixit.

VII. Eodem anno Innocentius Pontifex legatum in Etruriam misit, qui Perusinos & Vrbeuetanos armis decertantes conciliaret, atque arma deponere iuberet. Feliciter negotium gessit Cardinalis Legatus astite Ioanne Castello Antistite Vrbeuetano, quo etiam Innocentius Pontifex post annos sex vsus fuerat ad sacram militiam conscribendam.

VIII. *Æmil. supr.* MAVRI AB REGE HISPANIÆ OPPVGNANTVR.

In Hispania Reges Castellæ, Aragoniæ, Legionis & Nauarræ, in cis armis contra Mauros bellum strenue susceperunt & gesserunt. Africanæ enim Barbariæ Rex, nouum exercitum in Hispaniam transportarat. Franci & religionis causa, & metu propinqui belli delectum habebant, vt Hispanis opem ferrent: illi, vt sui belli suum etiam decus facerent, occupauere manus cum hoste conserere. Ingentem cladem accepere: longe enim lateque ferro ignique sæuit Barbarorum furor, quoad ex Francia, ex Germania ex Italia auxilia aduenissent. Tunc hostes acie victi sunt, non ita tamen afflictis rebus, vt pelli finibus potuerint. In Betica confederant: quam ad memoriam vsque nostram eorum progenies incoluit.

IX. *Æmil. supr.* ALBIGENSES EGREGIE VINCVNTVR ET PVNIVNTVR.

In Gallia bellum Albigense, duce Simone Comite à Montefortii, non infeliciter prorogatum est. Cum enim anno superiore Albii portas ei aperuissent, nec quicquã tunc hostile passi, postea ad impietatem defecissent, non impune id tulere, capite authores noxæ luere. Vautum & ipsum vi captum: ibi quoque impii igni traditi, cum in amentia perstarent. Præfectus præsidii Almericus magnæ nobilitatis vir, resti suspensus: octuaginta præterea minoris nobilitatis securi percussi, ne mulieribus quidem temperatum. Girarda eius oppidi Princeps fœmina in patentem puteum proiecta, & saxis insuper obruta. Acriter in eos sæuitum, quod & ipsi paulo ante quosdam Catholicorum paruo comitatu in castro ad Simonem iter facientes circumuentos occidissent. Carcum inde expugnatum; de sexaginta impiis supplicium sumptum. Exin Apistagnum Galliacum, Caussatum, Fanum Marcelli, Fanum Antonii recepta. Caduret, aduenienti Simoni deditionem, authore Pontifice ciuitatis fecere. Nec eos tantum qui capti furore hæresis erant, sed omnem Comitatum Simon occupare conabatur, spe credo id virtutis præmium fore.

X. CRVCESIGNATI QVI EX GERMANIA.

Hoc anno ingẽs numerus Crucesignatorum ex Germania, Belgio, Galliis & Hispania, sub signa Comites Montfortii, aduersus Albigenses in Prouinciam Narbonensem confluxit. Præcipui numerabantur, Lupoldus Dux Austriæ, Adolphus Comes de Monte, Vuilhelmus Comes Iuliacensis, Comes Antisiodorensis, Episcopi Parisiensis, Lexouiensis, & Bellocassiensis. Præerat exercitui nomine Apostolicæ Sedis, Arnoldus Abbas Cisterciensis, postmodum Archiepiscopus Narbonensis. Venit quoque Comes Tolosanus in castra eorum: quem Comes Antisiodorensis & Robertus Cornacẽsis eius patrueles sæpius admonuere, vt ad Ecclesiam Catholicam rediret. Sed impius refractarius, mentem auersam semper exhibuit, & cum maxima indignatione recessit, multa contra Simonem Montefortium, & contra Fulconem Episcopum Tolosanum versans. Causam memorabat Petrus Monachus cur Fulco Raymundum offendisset: & is illum Episcopatu eiecisset, Sabbatho quodam post mediam Quadragesimam, solemni ritu de more vetusto, sacras ordinationes in Ecclesia sua celebrare Fulco instituerat. Aderat præsens tunc Tolosæ Comes ipse Raymundus, qui sæpius publice ac ex nomine fuerat excommunicatus: adeo vt nullus eo præsente, vllo in loco, sacra peragere auderet. Itaque Episcopus modeste eam admonuit, vt vrbe tantisper, vel animi laxandi gratia excederet, dum ipse ordines conferebat. Ibi tyrannus in furorem versus, per ministros suos, Episcopo, graui & præciso mandato, imperauit, vt extemplo vrbe & tota ditione discederet. Istud audiens venerandus Antistes, magno spiritus ardore, & animi vultusque ingenti constantia respondit: Comes Tolosanus non me fecit Episcopum: neq; ego ab eo ordinẽ Præsulatus accepi, aut violentia Principis intrusus sum: multo minus eius iussu meas oues deseram. Veniat; gladium interet, armatus inermẽ inueniet, paratum pro Christo & Ecclesia mortem subire. Ergo cum multos dies inuictus Episcopus mortem expectaret, non audente Comite illam inferre, quodam die Octauarum Resurrectionis Dominicæ, ad Comitem Montfortium in castra profectus est. Leuaurum Simon obsidebat, cum ingens multitudo Crucesignatorum è Carcassone, ad exercitum veniret. Eos vt præuerteret, Rogerius Bernardi filius Comes Frixensis, & Gerardus de Pipio, collecta manu Tolosanorum cum multis aliis grassatoribus, insidiis in itinere positis incautos & inermes ferme omnes interfecerunt. Presbyter quidam ex illis, cum in proximam Ecclesiam aufugisset, repertus à Rogerio, & interrogatus quis esset, & ille tum presbyterum se esse dixisset, tum coronam in capite ostendisset; cruentus carnifex impacta acuta bipenni, caput ei per summum diffidit; sicque gloriosa victima pius Sacerdos procubuit. Hic ingens miraculum postea visum fuit. Namque apparuit super locum vbi peregrini trucidati iacebant, ingens columma ignis, quæ in conspectu exercitus venientis descendit de cœlo super corpora occisorum, quos omnes supinos iacentes, brachiis in formam crucis compositis iacentes inuenerunt. Locus in quo cæsi occubuere, Monsgaudii appellatur. Eorum diuinam gloriam, Beata Maria Oegniacensis, tum viuens, in spiritu aspexit. Aberat ab illis per multa terrarum spatia, ancilla Christi; & nihilominus vidit sanctos Angelos gratulabundos, eorum animas sine vllis purgatorii pœnis in cælum deportare. Inde vero tantus in eius animo peregrinationis illius ardor exarsit, vt ab ea suscipienda, nulla se ratione passura fuerit distineri, si vllo pacto sine proximorum scandalo eam suscipere potuisset. Cumque Iacobus de Virriaco qui vitam eius scripsit, vna cum aliis quæreret ex illa: Ecquid illic factura esset: nempe omnibus bellico strepitu personantibus, respondit: Si nihil aliud, certe vel Dominum meum honorarem libera confessione nominis eius, quem illic viri impii blasphemando abnegarunt. *Iacob. Vitriac. in vita Sanctæ Mariæ Oegniacens. libro 2. capi. 7. Vinc. Bell. lib. 30. cap. 2. Cæsarius dialog. 5. cap. 21. & dialog. 10. cap. 32. Petrus Monachus in hist. Albigens.*

Quo tempore Simon Lauaurum obsidebat, obsessi qui valide repugnabant, Cruci quam fastigio ligneæ turris ad oppugnandos muros admotæ imposuerat, alterum magno

cum risu & sannis brachium fregere. Sed mirum illud accidit: quod in ipso festo inuentionis sanctæ Crucis, quam impii hæretici irriserant, oppidum expugnatum fuit, cum tempore supremæ impressionis Episcopi & alii Clerici, qui erant in exercitu, in quemdam locum congregati, hymnum, Veni Creator spiritus, deuotissime decantarent; ad preces illis sic torpescentibus hostibus, vt penitus illis vires conciderent. Neque est omittendum, quod idem Petrus Monachus animaduertit: quia in omnibus oppugnationibus, plus terroris & consternationis inferebat hostibus Clerus orando, & cantando, quam miles fracto iam & aperto muro in oppidum ruens. Capto Lauauro Aymericus Dominus Montisregalis, qui castrum præsidio tenebat, resti suspensus est: octoaginta alii, quia furcæ ceciderant, à Crucesignatis moræ impatientibus, iussu Simonis interfecti sunt, innumerique hæretici exusti. Girarda Lauauri Domina vidua, soror Aymerici in puteum demersa & saxis obruta fuit. Accidit etiam tunc aliud miraculum in obsidione Lauauri.

Quum pallium cuiusdã militis ex Crucesignatis, ab oppidanis raptum, & in ignem coniectum esset, in contumeliam Crucis, quæ illi assuta erat: totum igni consumptum est, Cruce integra, & illæsa manente. Consimile miraculum per hæc tempora factum Susatia Vrbe Diœcesis Coloniensis *Cæsarius dialog. 10. c. 32. narrat*, qui etiam huius Lauaurensis mentionem fecisse videtur.

Eodem anno, Crucesignati aliam ciuitatem magnam, à re pulchram Vallem vocatam, iuxta Tolosam sitam, virtute diuina obtinuerunt. In qua populo examinato, cum omnes promitterent, se velle redire ad fidem, quadringenti quinquaginta in sua pertinacia induratià diabolo permanserunt, ex quibus CCCC. combusti sunt in igne, cæteri patibulis appensi. Idem actum est in cæteris ciuitatibus atque castellis, miseris se vltro morti ingerentibus. *Cæsarius dialog. 5. c. 21.*

Lauauro & aliis oppidis in potestatem redactis Simon ad Casserium seu Carcum castra metatus est. Eo recepto, cum ibidem multos perfectorum hæreticorum reperisset, sexaginta, qui obstinate in impietate durauerat, incendio damnauit. His gestis ad Carcum, Tolosanus Episcopus qui in exercitu erat Crucesignatorum, ad Præpositum Ecclesiæ suæ & vniuersum clerum misit, præcepitq; vt omnes Tolosa excederent, quod illi iussis obtemperantes illico fecerunt, solemnique pompa pedibus nudis sacram Eucharistiam secum abduxerunt. Montfortius interim ad Monteferratum, exercitum duxit. Balduinus Comitis Tolosani frater, qui oppidum tuebatur, se oppugnationi imparem videns, deditionem fecit: & abiurata hæresi, ad Ecclesiam rediens, postea strenuam operam in bello pro fide Orthodoxa nauauit. Neq; est pretereundum, ait Petrus qui scripsit, quod audiens Comes Balduinus, cum è Monteferrato exisset, latrocinia, quæ excursores quidam Crucesignatorum odio, in quosdam peregrinos è S. Iacobo venientes exercuerant, re diligenter comperta, & perquisitis his quæ illis abstulerant, pro principio suæ conuersionis, & auspicio futuræ virtutis, omnia in solidum restitui præcepit.

Ingentes tunc labores Diuus Dominicus, in cõuersione Albigensium laborauit, maximisq; miraculis fidem Orthodoxã, in oculis omnium illustrauit. Nam per id temporis, tertio, libellum fidei Catholicæ mysteria amplectẽtem, in coram hæreticis igni iniectum, illæsum recepit, libros suos demersos, incorruptos recuperauit, quadraginta peregrinos aquis absorptos in vitam reuocauit. Satanam in forma horrenda nobilibus matronis ab hæreticis seductis demonstrauit, Dæmoniacos aliquos eliberauit, lingua materna loquens, cum ab eius idiomatis ignaro non intelligeretur vsum loquendi obtinuit. Narrat Vincentius Belluacensis. Contigit aliquando viro DEI Dominico iter agente, associari sibi religiosum quemdam, conuersationis quidem sanctitate domesticum, sed loquela & lingua penitus alienum. Dolens itaque quod de diuinis rebus vna cum illo mutua collocutione refoueri non posset, tandem à Domino orationum suarum instantia, vt vnus lingua loqueretur alterius, verbisque sic alterutrum variaris sese per triduum, quo videlicet simul ituri erant, intelligerent, impetrauit. Ita innouatum tunc fuit clatum illud miraculum, quo S. Basilius Magnus, Magno illi Ephræm Syro, vt Græce intelligeret, ac loqueretur, obtinuit. Aliquãdo seruus Dei, cum Conuerso quodam Cisterciensis ordinis valde religioso, reuertens à conflictu hæreticorum, ad Ecclesiam quamdam tempore vespertino venit: eamque clausam inuenit. Cumque aliquantulum orassent ad ostium, mox clausis ianuis miro modo se intra templum introductos aspexerunt; & gratias Deo peragentes, totam illam noctem in eius laudibus exegerunt. *Theod. in vita S. Dominici.*

Magna coniectura est, Diuum quoque Dominicum, illud miraculum patrasse, cuius *Cæsarius* meminit istis verbis. *dial. 9. c. 12.*

Tempore illo quo manifestari cœperunt hæreses Albigenses, quidam maligni virtute Diabolica suffulti, quædam signa atque portenta ostenderunt, quibus & easdem hæreses roborauerunt, & multos fidelium in fide subuerterunt. Nam inter alia, super aquas ambulauerunt, & nõ sunt submersi. Cernens hoc sacerdos quidã fide Catholicus, & vita religiosus, sciens vera signa cum falsa doctrina esse non posse, Corpus Domini cum pixide, ad flumen, vbi illi populis suis ostensuri erant virtutes, deportauit, inque omnium audientia dixit: Adiuro te Diabole per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine, ad huius populi subuersionem, per hos homines tantas exerceas phantasias. Post hęc verba, illis super vndas fluminis ambulantibus vt prius, Sacerdos turbatus, corpus Dominicum in flumine iactauit. Mira Christi potentia! mox enim vt elementum tetigit Sacramentum, phantasia cessit veritati, & pseudo illi sancti quasi plumbum descendentes in profundum, sunt submersi: pixis vero cum Sacramento, ab Angelis sublata est. Videns hæc omnia sacerdos, de miraculo quidem exultauit, sed de iactura Sacramenti indoluit: totam vero noctem in lachrymis & gemitu transigens, mane pixidem cum Sacramento super altari reperit.

XI. LINGVAM EXSECTAM B.V. SACERDOTI RESTITVIT.

Per hos dies, cum Diuo Dominico incentore, multi Catholicorum contra Albigenses hæreticos fuissent signati, & plurima ab iisdem hæreticis perpessi, duo honesti Clerici per terram illorum transeuntes, cum Ecclesiam in via vidissent desolatam, ait vnus alteri: Sabbathum est, intremus Ecclesiam hanc, dicamusque Missam in honorem Dominæ nostræ. Deferebant enim secum librum, calicem & sacerdotalia indumenta. Antequam missam explessent, proditi sunt hæreticis, qui armati in Ecclesiam intrantes, & Sacerdotem foris trahentes, linguam ei radicitus absciderunt. Hunc socius multo cum labore deducens, monachis commendauit: illi porro omnem ei humanitatem exhibuerunt. Accidit, in nocte Epiphaniæ Dominicæ, cum vigiliæ solemnes decantarentur, vt parietem baculo pulsaret & ministros aduocaret. Requirentibus quid optaret, in oratorium se deferri indicauit. Importunitate illius victi, tandem adduxerũt, & ante quoddam altare deposuerunt. Ibi, cum matrem misericordiæ tota mentis deuotione inuocasset, illa ei apparens, & carnem in linguæ formam figuratam in manu tenens respondit oranti: Quia propter fidem filii mei & honorem mihi exhibitum, lingua tua priuatus es, aperi os tuum. Quod cum ipse fecisset, digitis ori eius immissis, radici linguæ præcisæ eamdem carnem coniunxit & vniuit, atque disparuit. Ille autem cum Angelo in vocem exultationis erumpens, salutationem Angelicam clara voce, ita vt audiretur recitauit, suęque sospitatrici gratias immensas egit. *Cæsarius lib. 7. c. 24.*

XII. MIRACVLVM FACTVM IN VALLE VIRORVM IN MORTVO AD VITAM REDEVNTE.

Hoc anno, ad Quartum Cal. Martii magnum contigit miraculum in villa, quæ vallis virorum vulgariter Mannendal, non procul à Monasterio Sponheimensi sita, nuncupatur. Ipsissimis Trithemii verbis, narrabo quæ retulit. Fuit, inquit, *in ea vir quidam bonus & honestus, nomine Adelbertus, habens vxorem & liberos, quos labore manuum suarum nutriebat. Is cum esset annorum 62. in febres acutissimas incidit, quibus paulatim sese augmentantibus, morti videbatur esse vicinus. Confessus igitur & sacramentis Ecclesiasticis præmunitus, ad extrema deuenit, & die præfata iam sole occidente, rebus humanis excessit. Mortuus itaque sic, iacuit tota nocte, amicis circa corpus exanime funeralia cum lachrymis ex more agẽtibus. Mane vero facto oriẽte iam Sole, cum paratis omnibus quæ ad sepulturam necessaria videbantur, iamiam esset sepeliendus, subito coram omnibus qui aderant viuus resedit, cumque omnes*

fugerent,

fugerent, surrexit de loco in quo iacebat, festinoque cursu ad Ecclesiam pergens, vsque ad nonam horam diei, fixus in oratione permansit, nec vllum interrogantibus voluit dare responsum. Cum autem ab oratione se tandem eleuasset, circumspiciens vidit multitudinem astantem, mirantem, interrogantemque quid circa eum ageretur. Et respondit: Hoc Deus bene scit. Væ stultitiæ hominũ! væ impietati! quam acerba sunt quæ manent eos post hanc vitam? Accedens autem interea Pastor Ecclesiæ ipsius Vdo nomine, qui & Archipresbyter fuit, vir doctus, religiosus, ac timens Deum dixit: Quid est Adelberte? Fuistine mortuus? Mortuus eram, inquit & per misericordiam Dei sum viuens, sicut antea fui: sed aliter mihi deinceps viuendum quam antea erit. Cui Pastor: Vidistine aliquid de futura vita? Vidi, inquit, & multa horrenda. Cumque rogaretur, vt visa ediceret, respondit. Lex mihi imposita, sine qua nec dicere, nec facere aliquid possum. Reductus autem ad domũ Pastoris, dixit ad eum: Domine Pastor, iussus sum vobis aperire & dicere omnia, quæ vidi, & audiui, & non possum omni populo: ne magnalia & secreta Dei veniant in derisum his, qui sapiunt iuxta carnem. Misit ergo Pastor nuncium ad Monasterium Sponheimense, & intimauit omnia Ruperto Abbati, rogans illum, quatenus ad Mannendal venire sine mora, & magnalia Dei dignaretur audire. Qui secum assumpto Iuano Priore, illuc concitus perrexit aduocatisque paucis ex villanis, quos Pastor ibidem iudicabat esse idoneos, corã eo qui fuerat mortuus, audituri, quid diceret, residebant. Qui aperiens os suum dixit: Cum grauissima infirmitate vrgerer ad mortem, & obtenebratis omnibus sensibus meis sic iacerem, videbatur mihi quasi terræ motus fieret maximus in quo cælo & terra concussis fortiter, subito anima mea extra corpus facta quasi ex tenebris ad lucem, nescio quomodo omnem mundum simul & semel videre quam liquidissime potuerit. O bone Deus, quam remota est mortalium opinio à veritate vitæ illius, quæ sequitur post præsentem. Anima mea, tunc quidem extra corpus posita, tam lucida fuit, vt omnia quæ in mundo sunt, Prouincias omnes, ciuitates, castra, villas, gentes, homines, regna, terras, montes, colles, & aquas, siue maria, ipsum situm totius vniuersi tam clare conspiceret, omniaque proprie & distincte simul & semel intelligeret, vt nihil vnquam in hoc mundo tam bene me intellexisse viderer. Et mirabile est supra omnia, quod dicturus sum. Cum enim scirem me nec corpus habere, nec oculos, & tamen omnia videre, quæ sunt in toto mundo, non possum iam satis admirari ignorantiam meam, qua non amplius intelligo quæ tũc intellexi. Anima enim spiritus est, & omnia in spiritu mecum sunt acta: & iam nihil eorum amplius aliter intelligere possum, quam si mihi per sensibilia fuissent ostensa. Ad hoc interrumpens verba illius Abbas Rupertus, dixit: Quæ dicis vera intelligimus; nec opus est hic diutius immorari, cum ratione & fide constet, nihil eorum quæ à substantiis separatis aguntur aut patiuntur, ad nostrum intellectum absque sensuum ministerio seu comparatione posse peruenire. Sed perge dicturus, quæ dicere instituisti. Continuauit ergo, dicendo: Cum autem in maxima admiratione ita in me consisterem, vidi subito, quasi à dextris & sinistris, spiritus innumerabiles cum impetu venire ad me: quorum hi qui à dextris venerant, boni spiritus erant, qui vero à sinistris, mali & peruersi. Assumẽtes autem igitur Angeli boni sursum in aerea leuabant subito, & quasi in momento & ictu oculi. Videbatur autem mihi, quod totius aer esset repletus dæmonibus, qui tamquam scintillæ in modum densæ niuis volantes omnia replebant. In circuitu autem quocunque respiciebam ignis erat & horribilis flamma, quæ me intantum cruciare videbatur, vt nulla huius mundi pœna vnquam mihi grauior fuerit visa. Insuper & spiritus illi maligni me rapere nitebantur, Angelis defendẽtibus, & grauissimas mihi flammas cum accusationibus peccatorum meorum obuias posuerunt. Ductus igitur ad iudicium Omnipotentis Dei, cuius sine horrore nequeo reminisci, quæ vidi & audiui, nec ego possum dicere, nec mortalis quispiam, qui nõ ea vidit, credere. Ibi erant omnibus tam bonis quam malis spiritibus nuda, manifesta, & aperta omnia peccata mea, quæcumque vel cogitatione etiam paruissima, vel operatione feci in omni vita mea: pro quibus me durissime accusabant. Sed & ipsa peccata quæ feci, subito ad memoriam mihi venerunt, & nescio quomodo ipsa vltro me tam grauiter accusabant, vt dæmonum accusatio leuior esse videretur. Ea quæ non æstimabam esse peccata quam grauiter ibi ponderentur & puniantur, non est mihi possibile vt dicam. Dicam tamen vnum de me, per quod cætera æstimentur. Contigit annos xx. eunti mihi ad Creutzenacht pauperem quemdam seu mendicum obuiare, qui cum interrogasset me de via, nescio ad quem locum dixi: Hæc est via recta ad locum quo tendis. Progressus ille ad biuium à recta via, per ignorantiam ad aliud declinauit iter, & per aliquot horas in nemore oberrauit. Quam grauiter fuerim accusatus & afflictus pro eo, quod eum de bitto non auisauerim, etiam minime inquirentem, si linguas haberem centum, eloqui non possem. Aliud quoque multo grauius mihi dæmones obiiciebant. Cum aliquando in decimando fruges meo in agro (sicut moris est) debitum ordinem non obseruassem, & vnum manipulum Ecclesiæ debitum mihi vsurpassem, reposito in locum alio qui videbatur aliquantum vilior, fuissemque ipsum reatum meum Sacerdoti meo confessus & absolutus ab eo, credebam me iam omnino securum. Sed heu quam misere decepit me confidentia mea. Nam propterea quod illatum damnum Ecclesiæ (quod vix erat quatuor denariorum) etiam absolutus non restitui, proferendæ contra me iam fuerat æternæ damnationis sententia, nisi Beatissima Dei Genitrix & S. Maximinus, vna cum S. Angelis misericordiam iudicis interpellasset. Verumtamen ineffabili flammarum incendio fui cruciatus inicientibus super me dæmonibus quasi quosdam manipulos frugum, mihique cum cachinno insultãtibus. Visum autem mihi fuit, quod plus quã CCCC. annis in illo pœnalissimo incendio cruciarer, & omnes manipuli totius mundi super me proiicerentur; cum tamen vt postea didici, vix ad vnius horæ spatium in ipsa tortura fuerim constitutus. Inde per misericordiam Dei liberatus, ductus fui per Angelum ad loca pœnarum, vbi tam horrenda, tam immania & metuenda vidi tormenta, vt ea nullus intellectus mortalium capere, nullaque lingua cuiusquam in mundo dicere possit. Nulla comparatio pœnarum huius mundi esse potest ad illas pœnas æternæ damnationis, quas apud inferos vidi. Tanta quoque multitudo animarum per illud spatium, quo ego corpore fui exutus, descendit ad infernum, vt antea non credidissem tot homines in centum annis mori potuisse. Ibi erant Episcopi, Abbates, Presbyteri, Monachi & Moniales, cum innumeris vtriusque sexus Christianis, quantos vix esse in toto mundo credidissem. Porro Ethnicorum & infidelium multitudo infinita fuit; & sicut nix de cœlo, ita cadebant in infernum. O quanta miseria infelicium animarum? quam miserabilis eorum gemitus & clamor, quæ nunquam cessant ab eiulatu, semper vociferantes, væ, væ, væ mihi, ad quid natus fui, super terrã? venire in hunc locum æternæ damnationis? Vidi interea cuiusdam Episcopi animam per dæmones trahi in infernum, cum tanto eorum tripudio, vt sit dictu difficile: quæ miserabiliter clamabat eiulans sine fine. Tanta autẽ Dæmonum multitudo circa miseram animam illam sese diffuderat, vt tot esse dæmones numquam credidissem. Ibi clarime vidi & cognoui vniuscuiusque animæ peccata, quantumcumque parua quæ gessit in corpore, & sine confessione transiuit. Sed & mea delicta & peccata, quæ aut neglexi confiteri, aut fui oblitus, omnia subito ad memoriam mihi sunt redacta, vt mihi magnam confusionem coram aliis & in meipso generarent. Omnibus enim, sicut mihi, notissima erant tam bona quã mala quæ feci, nec quicquam absconditum fuit. Multa etiam (sicut dixi) esse peccata grauissima cognoui, quæ prius in hac vita nesciui esse delicta. O si scirent homines agricolæ & vinitores, cum qua districtione & horrendissimis pœnis puniatur dolosa decimatio & censuum Ecclesiarum & monasteriorum subtractio: potius duplicem decimam soluerent, quam vnius denarii valorem ministris Ecclesiæ subtraherent. Vidi ibi Monachos & Moniales propter paruam vel inobedientiam, vel contra Superiores displicentiam seu murmurationem, horrendas sustinere pœnas, quas mihi non est possibile eloqui. Episcoporum & Prælatorum Ecclesiæ innumeram multitudinem ibi conspexi, quorum statim peccata cognoui pro quibus cruciabantur, esse Simoniam, auaritiam, superbiam, fastum, contemptum pauperum, negligentiam curæ pastoralis, luxum & delicias carnis. Clericorum quoque pro iisdem criminibus inæstimabiles pœnæ fuerunt, & alter grauius altero puniebatur pro diuersitate peccatorum. Ibi complures vidi, quos dudum in hac vita cognoui, qui miseras ad me voces pro suffragio emittebant: è quibus alii purgabantur, spem liberationis & futuræ salutis certam habentes; alii magis cruciabantur, ob id quod nullam liberationis suæ certitudinem haberent. Maiorem simplicium & rusticorum multitudinem damnari dicebat propterea, quod fraudem sibi mutuo, & maxime ministris Ecclesiæ in decimationibus, in frugibus, in pascuis, in agris & aliis faciunt, & illata damna non restituunt: & quod pauci eorum vere & pure confiteantur peccata sua cum vera contritione, & firmo emendationis proposito. Sed & hoc asserebat graue subditorum esse peccatum, facta Prælatorum seu Ministrorum Ecclesiæ temere diiudicare, reprehendere, vel eis obloqui, quos Deus ipse iudicabit. Videbatur autem mihi (dicebat) quod in medio terræ magnus & profundissimus esset puteus plenus animabus, spumantibus flammis vsque ad nubes in altum; ad quem ductus ab Angelo iussus fui introspicere. O bone Deus? quantus horror me inuasit? cuius, si mille annos vixero, numquam potero obliuisci, cum introspexissem, si tot linguas haberem, quot sunt in mari magno guttulæ aquarum, minimam eorum pœnam qui ibi torquebantur, non possem edicere. Vidi enim infinitas animas hominum ibi horribiliter cruciari, & dæmones innumerabiles illis commixtos, eosque crudelissime lacerantes. Nihil ibi audiebatur, quam lamentum & væ sine intermissione,

cum tanta blasphemia in Deum, & in omnem creaturam, quod illius reminisci absque horrore non possum. Tantus ibi erat tumultus, tantus fragor, tanta tempestas, vt si mille orbes simul colliderentur, tam horribiliter strepitum nequaquam efficerent. Plures ibi cognoui, quos in hac vita dudum noueram, qui se damnatos in æternum clamauerunt. Erat enim puteus ille (sicut ab Angelo didiceram) locus inferni, in quem qui semel descendit, nequaquam in æternum exibit. Posthæc iterum circumduxit me Angelus per omnia loca pœnarum, in quibus anima torquebantur (vt asserebat) purganda: & erat multitudo eorum innumerabilis, quæ in diuersis locis vario tormentorum genere puniebantur, secundum qualitatem delictorum suorum, pro quibus in vita sua non satisfecerunt. O quanta miseria! quanta calamitas infelicium animarum! quas ibi patientes pœnas acerbissimas vidi, etiam pro culpis quas in hac vita leuissimas confiteri & diluere lachrymis neglexerunt. Postea veni ad quamdam profundissimam vallem (vt mihi videbatur) in qua erat flumen quoddam magnum & valde fœtidum, eratque pons tenuis, lubricus, & debilis nimium supra fluuium, de vno monte altissimo ad alium extentus in tanta altitudine, vt quatuor turres castri in Creutzenacht non potuissent pontem illum supposititi contingere: tam vero angustus erat, vt vix duos pedes caperet, & ab vnoquoque latere versus medium eleuabatur paulatim, ita vt cum maxima difficultate posset ascendi. Vidi multas animas super hunc pontem transire cupientes, quarum aliæ statim in principio, aliæ circa medium, atque aliæ circa finem cadebant in illud horrendum flumen, quod erat plenum draconibus & serpentibus maximis, qui capita sua sursum extendebant, quasi ad deuorandum cadentes; eratque miserabile spectaculum. Cadentes autem in flumen mergebantur, aliæ vsque ad caput, aliæ vsque ad collum, aliæ vsque ad genua, atque aliæ aliter, vel ex toto vel ex parte, secundum demerita sua: & laborabant natando & mergendo sæpius cum maxima instantia peruenire ad littus fluminis: & aliquæ citius, aliquæ vero tardius peruenerunt. Statim vero vt ad littus peruenissent, multo pulchriores quam antea fuerant, à Sanctis Angelis cum maxima exultatione susceptæ, ad palatium cœlestis Regni introducebantur. Vidi quosdam ibi onustos auro vel argento, aut quibuslibet aliis oneribus curarum temporalium rerum grauatos, transire volentes, qui statim in principio cadebant, & post multos labores vix tandem ad littus peruenire potuerunt, quanto enim quis sæpius de ponte cadebat, tanto diutius in flumine permansit; retrocedendi non erat facultas, sed procedendi tantum, omnes autem mergi in profundum vrgebantur. Aliqui autem multis annis in illo fœtore volutati, quasi vsque ad defectionem vitium laborauerunt. Interea vidi animam meam nudam sed pulcherrimam ad pontẽ venire, & cum tanta velocitate securitateque transire, vt nec in aliquo vel modicum trepidaret. Interrogaui Angelum quænam esset anima illa, & dixit ad me: Hæc est anima Theodeberti Monachi, qui prater Deum nihil in vita amauit: propterea secure graditur. Nam cum esset Canonicus Ecclesiæ Moguntinæ, dives iuuenis, & potens, omnia pro Dei amore contempsit, & Monachus in Monasterio S. Ferrucii (quod Bleidenstatt nominatur) factus est, vbi vsque ad mortem Domino in omni puritate & simplicitate mentis, & tranquillitate cordis seruiuit. Et quia propter Deum omnia contempsit, donauit eum hoc priuilegio Deus, vt secure pontem transiens non caderet. Eadem securitate omnes transibunt, qui in Monasteriis, Deo in vera conuersatione regulari sine occupatione mundanarum rerum deseruiunt. Multa & alia ibi vidi & audiui, quæ dicere non valeo pro hac vice. Deinde arripiens manum meam Angelus duxit me ad loca beatorum spirituum, tanta felicitate & iucunditate exultantium, vt nulla mens hæc gaudia capere valeat, nullusque hominis lingua explicare. Quæ ibi vidi & audiui, dicere non valeo, nec si dicere pergerem, caperetis. Ibi vidi nonnullos, quos antea in carne noueram, inter quos erat Dominus meus Hildebertus quondam Pastor in Sponheim, & postea Monachus ibidem, qui suprapectus suum auream stellam fulgentium sicut Sol habebat, propter scientia & doctrinæ lumen, quo multos in hac vita docendo & admonendo ad iustitiæ cultum reuocauit. Ah quam dulcissimas cantilenas ibi audiui! Quam pulchra & amœna vidi? quæ præparata sunt his qui Deum in veritate diligunt: quæ nemo intelligit, nisi qui accipit. Per omnes choros Angelorum, nescio qualiter ductus fui, & vidi secreta, quæ dicere nec debeo, nec possum. Cumque ad illos priores splendidissimos beatorum Spiritus venissem, inuitabant me vt manerem cum eis, quibus Angelus Domini respondit: Ad corpus ei redeundum est: qui si transacta mala per pœnitentiam dilucrit, si peccare desinceps cauerit, si operibus iustitiæ studium impenderit, ad nos felicior post annos paucos remeabit. Audito hoc verbo, quod mihi redeundum esset ad corpus, contremui, & totus quasi præ amaritudine defeci: eam inuitus ab illa beatorum societate poteram separari. Dixitque Angelus Domini ad me: Fixum est Dei consilium, nec potest mutari; ad corpus tuum iamiam reuerteris; omnia quæ vidisti & audisti, Pastori tuo nota facies, & quæ iusserit ille publicari timentibus Deum, prædicabis: quæ prohibuerit, perpetuo nouerit silentio tegenda. His dictis mox fui ad corpus meum reductus, & iussus ingredi. O bone Deus! quam fœdum & turpe mihi corpus ipsum videbatur? quam inuitus in illud redii? Maior enim pœna mihi fuerat denuo ad corpus regredi, quam fuerat mori. Et ecce subito me viuum inuenio, nec scire possum modum. Cui Pastor dixit: Mira sunt quæ dicis. Sed scire velim, vtrum ea quæ vidisti, ita videris in veritate, aut in aliqua similitudine sensibili, quasi per sensum, aut in sensu, aut spiritu. Cui ille respondit: Domine Pastor, nulla vos traditio seducat. Quantum ego scire possum, imo quantum dicere audeo, omnia quæ ibi sunt, aguntur, vel patiuntur, spiritualia sunt: & tanto maiora & sublimiora mortalibus cunctis, quanto corpore subtilior est spiritus. Mihi autem (sicut ab Angelo sum edoctus) propterea in similitudine sensibilium & materialium cognitorum ostensa sunt, quia ad corpus eram reuersurus, nec potuissem illa spiritualiter sicuti sunt, iam in carne aut retinuisse, aut vobis reuelasse, si ea vidissem sine adminiculo similitudinem sensus inducente. Impossibile est enim vt homo mortalis illa videat sicuti sunt. Verumtamen non satis intelligo nunc in corpore quæ extra corpus positus tunc intellexi: sed sum quasi post lucem magnam in densissimas ignorantiæ tenebras proiectus. Multa & alia horrenda de pœnis inferni & purgatorii dixit; simul & de gaudiis regni cœlorum, quæ omnia scribere nimis esset prolixum. Occulta etiam quorundam hominum peccata, iubente Angelo, vt pœnitentiam agerent eis indicauit: & futura nonnulla, quæ postea euenerunt, prædixit. Hæc autem quæ significauimus Vdo Archipresbyter, Pastor in Mannendal, ad notitiam posteritatis conscripsit. Porro ipse Adelbertus qui fuerat mortuus & reuixit, tam arduum pœnitentiæ iter assumpsit, vt dubium non fuerit, maiora illum vidisse tormenta, quam dixit. Nam vitam solitariam in memoremon prouel à Dalen assumpsit, vbiparuam casam ex ligni & luto fabricauit: in qua vsque ad mortem Domino in magna abstinentia seruiuit, totis septem annis quibus superuixit. Chronicon Spanheimense.

XIII. BENEFICIA B. VIRGINIS IN SVI CVLTOREM.

Per ea tempora Deus euidenti miraculo demonstrauit, quantam curam habeat eorum, qui Beatissimæ virgini Mariæ deuoti. Viuebat in Germania VValtherus de Birbach, vir dives, potens, nobilis, & consanguineus Henrici Ducis Louanii, quem non solum inferioris ordinis homines, sed & Reges & Principes, nobilesque venerabantur, audientes beneficia à Matre misericordiæ illi concessa: inter quæ vnum istud fuit; Cum esset militiæ sæculari adhuc ætate florente deditus, Dominamque nostram sanctam Dei genitricem semperque virginem Mariam, ab ipsa pueritia cæpisset inuocare; & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, & Missarum celebrationibus honorare: patrocinium eius singulare, in hoc casu singulari, circa se expertus est. Torneamentis deditus erat corpore, corde tamen totus erat in virginis obsequio. Tempore quodam cum ad singulare torneamentum properaret, veniretque ad Ecclesiam quandam, milites quos in comitatu habebat, vt Missam secum audire vellent hortabatur. Istud cum recusarent, moram sibi periculosam prætendentes. illis recedentibus, ipse mansit: Missam de Sancta Maria sibi cantari fecit, & obtulit; sicque socios secutus est. Huic cum aliqui de torneamento occurrerẽt, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit; Estne adhuc inceptum? Dicentibus illis; etiam: Interrogauit: Quis fortius ibi agit? Dominus VValterus de Birbach, inquiunt, ipse in ore omnium est, omnibus præfertur, & ab omnibus laudatur. Aliis etiam occurrentibus, & similia dicentibus, obstupescens admirabatur, quid hoc portenderet. Actum est ineffabili B. Virginis pietate, vt militem in obsequio suo deuotum, moram aliquantam facientem, interim torneamento honoraret, eiusque absentiam mirabili quadam virtute suppleret. Ludo expleto, cum plerique milites hospitium eius ingressi, cum vt secũ mitius ageret, rogassent; illo pernegante, se in hastiludio fuisse; ipsi aperte profitebantur, eum & fuisse, & victoriam, ex multis, & ex ipsismet retulisse. Ad eum modum voluit Deus, opus pietatis in Matrem Virginem, mercede temporali compensare. *Cæsarius lib. 7. cap. 39.*

XIX.

Hocanno facta est translatio D. Lietberthi Cameracensium Episcopi, ab Albrico Rhemorum Pontifice. *Annal. Fland. lib. 8.*

IESV CHRISTI
Annus 1212.

INNOCENTII PAP. III. Annus 15. HENRICI Imper. 7.

I. CONTINVATVR BELLVM CVM ALBIGENSIBVS. a *Flaminius in vita S. Dominici.*

DVrabat *a* adhuc pertinax & atrox bellum inter Simonem Crucesignatorum Ducem, & Raymundum Comitem Tholosanum, qui hæreticam factionem simulate tamen adiuuabat, auxiliarium habens Arragonum Regem. Ingentem ea tempestas bonorum mentibus perturbationem afferebat, nec apparebat quinam & quando tanti certaminis exitus esset futurus. Præsens Simoni aderat D. Dominicus, ad quem conuersus quidam ex Cistercien sibus Monachis, percunctatus est: quando putaret, tanta finem mala esse habitura. Vaticinatus est ac respondit: habitura quidem, adhuc tamen duratura, dirumque secuturum prælium, & multum sanguinem effundendum, ac Regem quendam periturum. Interrogatus: an Gallorum ille esset: non illum, sed alium futurum dixit. Eius vaticinium insequens annus comprobauit, verumque prænunciasse demonstrauit.

II. b *lib. 15. epist. Innoc. ep. 114. & seq. & Marinum lib. 11. c. 23 & seq.* DESCRIPTIO VICTORIÆ QVAM CONFŒDERATI REGES DE MAVRIS RETVLERE.

In Hispaniis, *b* Reges confœderati contra Mauros dimicantes, ex infinita propemodum multitudine Africanorum, ad ducenta millia ceciderunt, atque victoriam diuinitus obtinuerunt.

Eam victoriam cum religiosissimi Hispani miraculo ascribant, placuit illam, vt à Ioanne Maldonato relata est, inscribere. Ita rem accidisse narrabat.

Alfonsus Rex cognomẽto Bonus, cupiens damna Christianis à Mauris Beticam, totamque illam Austrialem Hispaniæ plagam possidentibus illata, resarcire prorsus, ac retaliare, (semel enim cũ eis aduerso marte pugnauerat) magnum conflauit exercitum; Reges finitimos ac dynastas solicitauit; condonationes à summo Pontifice impetrauit: vt in eo pio bello qui caderent, nullis capitalibus commissis præpediretur, quo minus statim ad cœlos reuolarent. Quare tantus ardor tuendæ Christianæ ditionis ac pietatis plerosque inuasit, vt flagitium flagitiosissimum ducerent, à tam piis castris abesse. Ingentes Tolerum copiæ iam ad Regem Alfonsum confluxerant. Iam Petrus Aragoniæ Rex haud contemnendam manum contraxerat. Iam Regem Nauarræ Xanthum aduentare, fama vulgauerat. Iam Proceres, iam Episcopi, sed Toletanus ante alios, fulgentibus stipati cateruis, Regium latus cingebant; cum omnes non sine Numine Christi profecti, ditionem Maurorum inuadunt. Non nulla sunt in via obiter expugnata oppida ignobilia: sed quinto denique die Calatrauam, quæ firmo Maurorum præsidio tenebatur, primo impetu capiunt. Alarcos deinde ducunt, vbi se Rex illis Nauarræ coniunxit. Maurorum Rex, qui ingentem Gienum contraxerat exercitum, vbi Crucesignatos comperit in radicibus montium consedisse, equitatus partem præmisit, quæ montium ad angustias incompositas insidiis exciperet. Ipse lentiori gradu, cum reliquo subsequitur exercitu. Alfonsus tamen Rex equitum iam turmam miserat, ad summa montium occupanda; qui fugatis strenue Mauris, montis planitiem (Nauas Tolosæ vocant) tenuere, castris locum delegere, Lætus Alfonsus, quod cacumina sui montium, profligatis hostibus, tenuissent: omnem iubet exercitum eo conscendere. Difficilis admodum erat ascẽsus, sed à peritis locorum tutmatim ducti, ad fastigia montis omnes euaserunt. Quod vbi Maurus intellexit; (iam enim ipse per auersam partem cum omnibus copiis conscenderat) iterum equitatum misit, qui castra munire prohiberet. Sed cum neque id prospere cessisset, productis omnibus copiis, aciem explicuit, nostrisque pugnandi copiam fecit. Crucesignati eo die, proximoque prælio abstinuerunt. Nocte media, quæ diem à superato monte secundam est consequuta, Crucesignati vocе præconis iubentur corpora curare, arma, equos expedire, signum pugnæ prima luce intenti expectare. Quod tanto omnium plausu gratulationeque exceptum est, vt nocte, quod tarda iret, incusarent. Orta luce Alfonsus eductis omnibus copiis, aciem instruxit, curas inter Reges ac Proceres partiuit. Haud tamẽ potest summatim dici, quem quisque locum tenuerit, quamue quisque partem tuendam acceperit. Satis ex euentu perspicuum est, omnia præclarissimi Ducis Alfonsum munia fortissime, sapientissimeque obiisse. Consertis igitur manibus, (vt reliqua nunc prætermittamus) acriter pugnatum est, ancepsque diu victoria fuit. Sed tandem fauentibus superis victi Mauri, atque occidione occisi sunt. Rex eorum cum quatuor equitibus prælio fuga se subduxit. Ducenta millia Maurorum occisa memorantur: cum ex Crucesignatis viginti quinque solum fuerint desiderati. Mira quæ in hoc prælio contigerunt: in primis numerus occisorum in tanta paucitate Christianorum: Crux item in medio conflictu, cum Crucesignati maxime laborare viderentur, Alfonso Regi quam plurimisque visa in aere: præterea Crux quæ ante Toletanum Præsulem de more gestabatur, bis incolumi signifero aciem hostium sublata penetrauit. Quamobrẽ, quod Christianis Symbolum insigne, ac præsidium adiutorium q; belli Crux fuerat, triumphus S. Crucis hæc præclara victoria appellata est. Ioannes Maldonatus.

III. EXSOLVI TVR ANATHEMATE REX ANGLVS. c *Pol. lyd. lib. 15. & Innocen. epist. lib. 15. ep. 132. & seq.*

In Angliam, *c* Innocentius Pontifex, Pandulphum tunc subdiaconum, sed postea tituli SS. duodecim Apostolorum Cardinalem presbyterum Legatum misit, qui Regem in pœnam, Religionis contemptæ excommunicatum, supplicem atque satisfacere spondentem, anathemate exsolueret. Non prius illum Pandulphus absoluit, quam ipse diadema capite ademptum eidem Pandulpho Legato Apostolico traderet: neque prius reciperet, quam vniuersam Angliam & Hiberniam feudatarias esse Romanæ Ecclesiæ siue renunciaret, siue obligaret, assignato in annos singulos censu: pro Anglia quidem septingentis Marchis auri, pro Hibernia vero trecentis.

IV. CENSVM ANNVVM DE ANGLIA ET HIBERNIA PONTIFICI ASSIGNAT IOANNES; ET EIVS IVRAMÊNTVM: d *Claccon. in Innoc. ex florib. hist. Vestmonasterien.*

Eius obligationis extant adhuc publica & Archetypa in mole Hadriani Romæ monumenta, quibus Regni donatio, Regis iuramentum, restitutio beneficiario iure obligatio, & prima solutio continetur. Porro hac de re conceptas Regis Ioannis literas, ex Romano regis trorum Innocentii Archetypo, ad apicem vel minimum fideliſſime sumptas subiicere visum fuit. Ita habent.

Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, Domin⑧ Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegauensis: omnibus Christi fidelibus præsentem chartam inspecturis salutem.

Vniuersitati vestræ per hanc chartam nostram, sigillo nostro munitam volumus esse notum, quia cum Deum, & Matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proinde Diuinia misericordia plurimũ indigere noscamur, ne quod digne offerre pro satisfactione Deo debita faciẽda nisi nos ipsos, & Regna nostra habeamus: volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliauit vsque ad mortem: gratia Spiritus sancti, non vi inducti, neque timore coacti, sed nostra bona spontanea voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum offerimus, & libere concedimus, Deo, & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio Tertio, eiusque Catholicis successoribus, totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ, cum omni iure & pertinentiis suis, pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro viuis, quam pro defunctis, & amodo illa à Deo & Ecclesia Romana, tanquam feudatarius recipientes & tenentes, in præsentia Domini Pandulphi Subdiaconi, & Domini nostri Papæ familiaris, fidelitatem exinde prædicto Domino nostro Papæ Innocentio Tertio aliisque Catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ secundum subscriptam formam facimus, & iuramus, & homagium ligium in præsentia Domini nostri Papæ, si coram eo esse poterimus eidem faciemus: successores & heredes nostros in perpetuum obligantes, vt simili modo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ sine conditione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere. Ad indicium autem huius nostræ perpetuæ oblationis & concessionis, volumus & statuimus, vt de propriis & specialibus redditibus prædictorum Regnorum nostrorum, pro omni seruitio & obedientia quam eis debemus, vltra denarium Beati Petri, Ecclesiæ Romanæ mille marchas sterlingorum percipiat annuatim: scilicet in festo S. Michaelis, quingentas Marchas, & in Pascha te quingentas Marchas: septingentas scilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro regno Hiberniæ: saluis nobis, & heredibus nostris, iustitiis, libertatibus & regalibus nostris. Quæ omnia sicut supradicta sunt, esse volentes, perpetua atque firma obligamus nos & successores nostros, non contrauenire, & si nos, vel aliquis nostrorum successorum hoc attentare præsumpserit quicumque ille fuerit, nisi rite commonitus resipuerit, cadat à iure Regni, & hæc charta oblationis, & concessionis nostræ semper firma permaneat.

V. FORMVLA IVRAMENTI.

Quod attinet iuramentum, ex subsequenti formula Ioannes Rex Angliæ publice iurauit, hisce verbis.

Ego Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, & Dominus Hiberniæ, ab hac hora in antea, fidelis ero Deo, & B. Petro, & Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocentio III. eiusque successoribus Catholice intrantibus, non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio, vt vitam perdant, vel membra, aut mala captione capiantur. Eorum damnum si sciuero impediam, & remanere faciam si potero: alioquin eis, quam citius potero intimabo, vel tali personæ dicam quam credam eis pro certo dicturam. Consilium quod mihi crediderit per se, vel per nuncios, seu per literas suas secretum teneho, & ad eorum damnum nulli pandam. Patrimonium B. Petri, & specialiter Regnum Angliæ, & Regnum Hiberniæ, adiutor ero ad tuendum & defendendum, contra omnes homines, pro posse meo. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Hactenus formula iuramenti, quod Ioannes Rex Angliæ præstitit coram duobus Archiepiscopis, & octo Comitibus ad hoc vocatis, in manibus Nuncii sedis Apostolicæ, Pandulphi eo tempore hypodiaconi, & familiaris Innocentii Papæ præstitit, & tum Regno pacem, tum Ecclesiis Episcopos & bona ablata restituit. Cæterum ne pacta conuenta aliquomodo vel à Rege vel à quocunque alio violarentur, *a* Stephano Anglo Archiepiscopo Cantuariensi S. R. E. Cardinali, nec non Londoniensi, Elien si, Herefordiensi & Lincolnensi Episcopis Innocentius Pontifex commisit, vt conuentiones priores, à quibuscumque Clericis cum Ioanne Rege Angliæ factas, per quas restitutio rerum Ecclesiis ablatarum impediretur, irritarent, & nullas esse pronunciarent, eos vero qui Regi consilium vel auxilium contra libertatem Ecclesiasticam impendissent, vel impenderent, tamquam excommunicatione irretitos ab officiis suspenderent, atque beneficiis exuerent. Quod si Rex pace stabilita, res de nouo turbaret, aut pacta conuelleret, vt illum anathemate ferirent, & vniuerso Regno sacris interdicerent, omnesque hæredes illius iure successionis priuatos esse declarent: neque, eo fatis obeunte, quemque heredum ipsius in Regem Angliæ inungere, coronare, aut consecrare præsumerent, Saluo semper in omnibus Apostolicæ sedis mandato.

a *epist. 134. & seq.*

VI. IOANNIS VITA MORESQVE AC RESIPISCENTIA DESCRIBITVR.

Certe Ioanne Rege Anglo, nescio an tulerit vnquam Anglia ante hoc tempus, Principem magis importunum, magisque sibi, suæ animæ, atque toti patriæ exitialem, qui his Christianæ moderationis pietatisque fines longe excessit, & pertinax pugnaxque in vitis suis, neque vllum æquitati aut iustitiæ, atque salutari monitioni locum relinquens, in eum se perturbationis atque miseriæ locum præcipiti temeritate demisit, vnde nullum vnquam commodum postea exitum reperire potuerit. A scelere atque parricidio Imperium fere orsus est, cum non modo Arthurum Gaufredi senioris fratris filium, cui ex legum præscripto regnum debebatur, iniuste extruserit, sed & eundem postea nefarie sustulerit, sororem que ipsius Arthuri perpetuo carcere concluserit. Propter quod scelus Rex Galliæ, Normania, aliisque præclaris transmarinis regionibus, quas Angliæ Reges hactenus possederant, eum spoliauit. Primas quoque cum Principe Ecclesiæ, proximas vero easque grauissimas cum magnatibus suis inimicitias exercuit. Præcipua erat ista. Asciuerant Cantuarienses Monachi sibi in Archiepiscopum Innocentio suggerente, Stephanum Langthonum Cardinalem in locum Huberti defuncti: repudiato Ioanne Nordouicensi. Episcopo ad quem ea dignitate ornandum, Rex omni conatu incubuit, quemque prius & ipsi Monachi elegerant, & optionem seu electionem illam Innocentius infregerat. Cumque nec Innocentius Pontif. Max. nec Monachi à causa Stephani quam semel amplexi essent, remoueri potuissent, tam vehemens & tam importuna iracundia, ita omnem Ioanni mentem abstulit, vt Stephanum Cantuariensem Monachosque omnes exilio mulctauerit. Quo cum Innocentius accurate egit, vt & Stephanum amplecteretur, & Monachos extrusos cœnobio redderet. Ioannes autem acerbiores literas remisit, vehementerque Innocentium reprehendit, quod reiecto Nordouicensi, amplificando Stephano homini sibi ignoto, diuque apud hostes suos in Gallia versato, quem Monachi contra suam Regnique dignitatem, præter officium & patriæ consuetudinem, temere sibi optassent, totus incumberet. Præter hæc etiam discessionem à sede Apostol. Rex comminabatur, ni si Pontifex Nordouicensi, Stephano relicto, eam dignitatem concederet. At contra Innocentius nullam superesse iustam causam, cur Stephanum hominem Anglum, Præbendaque Eboracensi honestatum, virum probum, accurataque Theologiæ & omnium liberalium artium cognitione ornatum, & ad quem ipse varias, postquam Cardinalatu amplificatus fuerat, literas amoris & beneuolentiæ plenas misisset, ita auersaretur. Et licet non esset in more positum Romanæ Sedi, vt pro Episcopis, qui ibi designati essent, Principum consensus exquireretur, misit tamen Innocentius ad Ioannem duos Monachos, qui eum delinirent, vt tandem consensum suum Stephano accommodaret. Interim etiam commisit vt illi dicerent: non posse se certe pati, cum omni iuris ratione Stephani optio nitatur, vt Cantuariensis Ecclesia diutius suo pastore viduata permaneret. In memoriam præterea illi reuocabat Innocentius, præclarum illud Thomæ Cantuariensis Martyris certamen; paternam fraternasque promissiones, quibus polliciti fuerant, se aduersus Episcoporum iustas & legitimas optiones non esse intercessuros. Sed cum ille à Ioanne nihil æqui bonive impetrare potuisset, missis ad Guilelmum Londinensem, Eustachium Elien s. & Malgherum V Vigornien s. literis admouit, vt omnia tentarent, quo Regem ad officium reuocarent. Quod si inanem suam operam & admonitionem sentirent, regnum omne Ecclesiastico interdicto obnoxium redderent. Cæterum ab his ille admonitus, adeo ab omni emendatione & resipiscentia abfuit, vt furiosas voces iactaret, & nihil nisi sæuum & atrox cogitaret, diceret, faceret, perque dentes Domini, (is enim illi iurandi mos erat) iuraret, si quicquam id genus vel per ipsos vel per alios quoscunque accideret, se Episcopos & Clerum omnem, bonis & possessionibus eorum sibi vindicatis, exilio proscripturum & Romanos quoscumque in sua ditione reperisset, oculis & naribus mutilatos Romam amandaturū. Lato itaq; ab Episcopis interdicto, & ipsi & alii quidē clam è regno discessere. Ioannes vero mox Episcopatus, cœnobia, Cistercien sium præsertim, aliasq; Clerici possessiones violēter inuasit, easque suis vsibus applicauit. Episcopi vero & alii ex clero in cœnobiis & alibi delitescebant, neque prodire audebant. Monachi & clerici qui forte in publico visebantur, quive in itinere deprehendebantur, magnis contumeliis atque iniuriis impune pulsabantur. Ductus est tunc forte ad Regem per Vicecomitis ministros nefarius quidam, qui sacerdotem in itinere deprædatus erat, eundemque occidisset, licet illi superuenissent. Cumque illi Regem interrogassent, quid de homicida decerneret: dimittere, inquit, eum solutum ac liberum, quia hostem meum è medio sustulit. Sæuitum est non solum in Clerum, sed etiam in eos qui vel Stephano, vel Episcopis necessitudine & cognatione iuncti erant. Nam & hi bonis & patrimonio spoliati, in carceres detrudebantur. Misera iam & lugubris rerum erat in Anglia facies, cum spectatissimi quique ex Episcopis & clero exularent; cum reliqui atrocissime haberentur, cum statæ preces, sacra & sacrificia passim intermitterentur: cum corpora defunctorum in campo sepultura asini, à sacris scripturis inter maledicta pronunciata sine Ecclesiæ ritibus & orationibus abiicerentur. Quamquam Stephani postea flagitatione, cœnobiis & maioribus Ecclesiis id priuilegii irrogatum sit, vt semel per hebdomadam liceret sacra conficere. Sed cum Ioannis aduersus Clerum infectatio adeo nihil mitesceret, vt magis indies grauesceret, resq; eo delapsa est, vt omnis simul emendandi spes dilapsa esset, anathemate Ioannem Innocētius Pontifex ferire decreuit. Cæterum cum neq; eo induratum atq; obstinatum Ioannis animum frangeret, illam aduersus eum tulit sententiam, qua Regno Regiaque illum omni potestate exuit, omnesque qui ei parebant, ab omni erga eum fide atq; obseruantia soluit, omnibusque mandauit, vt mensam colloquiumque eius diffugerent, & auersarentur, quin & literas cum ad alios, tum ad Philippum Galliæ Regem misit, quibus eos ille ad Bello Ioannem lacessendum tanquam religionis hostem hortatus est: quem si forte Philippus extruderet, regnum Ioannis sibi suisque retineret: Perculit ea res primum, nec non & Ludouici apparatus bellicus, quem in Angliam destinabat, Ioannis animū; maxime quod Petrus quidam, quem populus quasi vatem in oculis ferebat, illi

constanter dixisset, fore vt ante sequentem Pentecostem Regno excideret. Itaque ad Pandulphum tunc in Gallia Innocentii Legatum præmisit, qui eum ad colloquium vocarent. Totum itaque se in Innocentii ac Pandulphi potestate posuit, eiusque se mandatis obsequentem fore, religiosa iurisiurandi contestatione promisit. Promissiones vero, quas Principes & Episcopi ratas habuere, huc ferè recidunt, vt Stephanus Cantuariensis cum Monachis Cantuariensibus, cum Episcopis aliisque omnibus exulibus intrepide redirent; monasteriis, dignitatibus, bonis & possessionibus libere & quiete vterentur, ac fruerentur, vt damna illis interim illata, ad assem resarcirentur, vt Ioannes & hæredes, Romanæ Ecclesiæ clientes non se negarent, sed ratione iuris fiduciarii, annuum pro Anglia & Hibernia 1000. librarum censum præstarent, quas aliasque, in quas iuratum erat conditiones si præuaricarentur, omni Regni iure exciderent. Deposuit deinde Ioannes diadema detractumque capite Pandulpho tradidit, quod post quintum diem illi reddidit. Post Pandulphum venit in Angliam Nicolaus Tusculanus Episcopus Innocentii Legatus: coram quo Ioannes pacta conuenta renouauit. & certa ratione de damnis clero satisfecit. *M S. Vatic. n. 5786. de reb. Anglican.*

VII. ROBERTVS ANGLVS CARDINALIS SE CRVCE SIGNAT

Eodem anno, post hyemem, missus est in Franciam ab Innocentio Pontifice Legatus Robertus de Corceor Anglus Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in Cælio monte, vt missa Crucis prædicatione contra Albigenses, eandem aduersus Saracenos in subsidium Terræ sanctæ denuo prædicandam curaret, qui cum primum id egregie præstitisset: tandem piorum precibus & suasionibus motus, ac noua Innocentii iussione inductus, nedum vt contra Albigenses Crux prædicaretur mandauit, sed etiam ad debellandos Tolosanos hæreticos seipse Cruce signauit. *Petrus Monachus qui sup. cap. 122.*

VIII. PVERI EX FRANCIA CRVCE SIGNATI, AT INFELICITER.

De Regno Francorum hoc eodem anno, pueri parui, vsque ad numerum viginti millium crucem acceperunt, dicentes se velle ire in subsidium Terræ sanctæ. Hi turmatim diuisi ad diuersos portus accesserunt. Nam alii Massiliam, alii Brundusium, alii Genuam peruenientes, inanes & vacui redierunt. Ferebatur autē, quod vetulus de monte, qui Arracidas à puericia nutrire consueuerat, duos clericos cismarinos longo tempore in carcere detinuerat, qui cum essent homines valde litterati, & in necromantia instructissimi, asseruit se nunquam illos dimissurum, nisi pueros Regni Galliarum illi adducere promitterent. Feruntur ab his, prædicti pueri, quibusdam falsis visionibus seu ostēsionibus, ac promissionibus inducti fuisse, vt Crucem acciperent, & in terram sanctam properarent. Magnum ex eis numerum, constat per eosdem maleficos Saracenis in mari venditos extitisse. *Antonin. 3. p. tit. 19. c. 8.*

IX. PETRVS ARAGONVM REX OB REPVDIATAM VXOREM MARIAM DAMNATVR À SVMMO PONTIF.

In Arogania Petrus Rex, Maria iusta coniuge repudiata, sueceritatem Innocentii Pontificis persensit, operæ autem pretium est totam eius rei Historiam *ex Bernardini Gomesii* fide, eiusdem verbis referre, quæ habet *libro 1. vitæ Iacobi Aragonum Regis.*

In matrimonium sibi Petrus Rex Aragonum collocarat Mariam, Guilelmi Principis Nitiobrigum (quæ Mumpellerium nunc appellatur) ex Mathilde Alfonsi Castellæ Regis filia prognatam, olim alteri desponsam. Non multo post nuptiarum solemnia, vel quod Rex de priori suspicaro illius matrimonio aliquid deprehendisset, vel quod vitio libidinis laboraret, aliamque quampiam deperiret, Mariam despicere cæpit. Neque autem tantum eam, fœminam alioqui pulcherrimam & honestissimam spernebat, sed alienas effrenatè concupiscens, sic auersebatur, vt ne cum ea concumberet, loca sæpe mutare consueuerat: ac si aliquando simul esse, atque sermones inter se palam conferre contingeret, à pulchrioribus Reginæ adolescentibus, siue matronis oculos nunquam diiciebat. Ex quibus in vnius potissimum perpulchræ, atque spectabilis viduæ personam, mentem aspectumque omnem infixerat, quæ nuper mortuo viro, à suis, Reginæ fuerat commendata. Id præsentiens Maria, tristis admodum, & valdè anxia futurorum, seque videns sensim marito & filiis orbari, ac vt matri olim, sic repudium sibi, nec non vnam ex suis pellicem parari, in oppidum Miravallum, secus Garumnam fluuium, paruo distans spatio à Mompellerio secesserat, ibique loci amœnitate, patientius solitudinem ferebat. Sed cum absentia Regis indies sibi tendi ad repudium insidias pertimesceret, prius quidem Regem iocoso dolo capere, atque in iis ipsis insidiis, quæ sibi à Rege parabantur, eundem intercludere curauit: occasione ad id oblata, quam commodissima, ab vno ex intimis Regis, qui eius nomine viduam sollicitabat. Hunc, quem cum vidua clanculum in angulo tricliinii colloquentem Regina deprehendisset adorta, submissa, sed adirata voce, sic est alloquuta. Scelera tissime omnium, vsque adeo tui me tædet, vt si scelus, quod nunc moliris, non plus in me quam in Regem committeres: profecto occubuisses iam diu, atque in ipsius Regis oculis, in quibus scio te esse, debitas mihi pœnas expendisset. Sed esto; placere potius Regi, quam mihi vis; quanquam inique facis; placere quoque & ipsa Regi cupio, atque vt vult, ita morem gerere. Licere quippe mihi, quod & Racheli vxori Iacob sanctæ licuit, existimo: vt perinde atque hæc, præ amore viri, quos non poterat ex se à viro liberos, saltem ex ancilla suscipiebat: sic ergo regios, quos ex me non datur, ex mea quidem, tanquam ancilla, & perlibenter suscipiam, & cooptabo susceptos: modo verecundiæ atq; honori viduæ, vt scis, nobilissimæ consulatur: sicque in obscuro res geratur, vt neque ea Regem videre, neque à Rege videri vllo pacto possit: ac modo hæc à me dicta, tu, in quam, omnino supprimas, neque me huius facti authorem aut facias, aut dicas. Proinde cura, vt Rex ad nos veniat, nam si perte voti compos euasero, do fidem, maiorem te à me, quam à Rege gratiam inturum. Hæc audiens ille intimus, qui Regi erat à cubiculis, gaudensque vehemēter, tam subito ex adirata propitiam sibi fieri Reginam, nec non negotium Regi exoptatissimum è voto confici; properè contendit ad pagum, Laresium dictum, vbi Rex aderat, non procul à Miraualo, eique omnia renunciat ordine, quo à Regina fuerat instructus, & subornatus. Rex verò hæc perquam lætus accepit, ac vel à cubiculario sollicitatus, vel à Guilelmo Alcalatense optimate multum rogatus, vt Miraullum Reginam visurus concederet, sub nocturnum crepusculum eo venit. Vbi à Regina lætissimè exceptus, eandem quoq; ipse placido ac sereno vultu, dissimulandi gratia allocutus est, & cum ea cænauit. Verum à cæna quidem, huc atque illuc Rex circumspectans, minimeque viduam adesse videns, eò magis sibi illam præparari credens, ficto somno, eidem dari se velle, cubiculario indicauit. Vnde ingressus cubiculum, post multam noctem, vt primum somnus eum complexus est, Regina, vera eius atque iusta vxor, viduam se simulans, coniugalem thorum vna cum viro suo castissimè ascendit: ac vbi diem esse sensit antequam Rex è lecto surgeret, atque è pago, vt festinabat, discederet, aperiri fenestras, ac expectantem foris optimatem cubiculum intrare iussit; nempe testem huiusmodi coniugalis congressus sibi affuturum accersens. Ac Rex inde abiens, nihilominus auerso semper fuit animo à Regina, vsque adeò, vt diuortium non multo post, cum ipsa fecerit.

Interim Diuino factum est munere, vt ob præstitum matrimonio honorem, quam primum Petrus ab vno ad aliud munus obeundum à Castellæ & Nauarræ Regibus vocatus, ex Mauricis copiis, quæ numerum ducentorum millium excedebant, insignem tulit victoriam: Constans est scriptorum opinio, cæsa fuisse centum millia Maurorum, fugatis reliquis, eorumque captis ac direptis castris, cum opulentissimis tabernaculis Miramolini Imperatoris. Maria porrò, Regiam spem illam, quam in aluo commendatam à viro continebat, promoueri studens; Deo inprimis, eiusque Matri virgini sanctissimæ, ac per sanctis Apostolis, se suumque fœtum tota mente commendabat; ac non minus pietate erga illos, quam charitate erga pauperes Christi profusa & liberalis erat. Regisque acerbitatem, atque alienatam à se mentem patientia euincens, seque ipsa consolans, spem suam post DEVM in nascitura prole collocabat; donec expletis ad pariendum mensibus, multa, quæ ad fidem partus faciendam necessaria erant, præparauit. Itaq; Mompellerium ingressa, in præclara Tornamirensium domo, ipso tempore partus, cunctos ciuitatis optimates cum vxoribus sibi adesse iussit. Vbi diuino

opem ferente Numine, natus est infans, faustus ac peretegans, ipsa nocte Calendarum Februarii, Anno à virgineo partu supra octauum M. CC. qui dies vigilia & ieiunio celebratur, propter consequentem Beatissimæ Mariæ virg. Matris festum Purificationis, quando commune est vbique Ecclesiarum, cereas candelas, ad sacra collustranda, benedictione consecrare. Itaque vniuersa acclamante, atque comitante ciuitate, infans illico iussu matris, pro summa gratiarum actione, ad Virginis ædem delatus est: quo tempore sacræ peruigilationes, matutinæ peccationes dictæ fiebant, & ab vniuerso choro, magna & alta voce hymnus *Te Deum Laudamus*, cæperat cantari. Quo peracto, ad aliud ciuitatis templum S. Firmini portatus infans, similiter dum eædem precationes fierent, diuina quoque sorte contigit, vt limen ingresso puero, canticum, *Benedictus Dominus Deus Israel*, summa voce decantaretur. Quare, vt eo ipso Purificationis festo die, CHRISTO nomen daret puer, dubitante Regina, cuinam ex Apostolis Domini, illius nomen imponendum commendaret, duodecim candelas cereas, æqualis ponderis & magnitudinis, ex voto offerri Apostolis curauit: vnicuique illorum proprium nomen cuiusque Apostoli adscribens: vt quibus simul succensis, candela quæ diutius aliis præluceret, designatum huic Apostoli nomen puero imponeretur. Vnde aliis omnibus consumptis & extinctis, prælucente Iacobæa dicta, protinus in templum remeatum est, atque Iacobi nomen puero, tanquam à Deo impositum. Vt scilicet eius Apostoli Hispaniarum patroni nomine potiretur puer, qui Hispaniense imperium, atque Christi nomen, tam longe lateque erat propagaturus, quæ magni profectò Regis Signa, Mariæ Reginæ matri, in causa fuerunt, ad imitationem cœlestis Mariæ Angelorum Dominæ: vt obseruaret omnia mysteria hæc, atque secum mente conferret. Neque enim ab eiusmodi collatione aberat, imo Herodianam quodammodo tyrannidem adumbrabat: quod sub ipsis crepundiis, atque in cunis vagienti puero, lapis valde magnus vndevis excisus, siue manu proiectus (fortasse ab aliquo qui regnare cupiebat) tamen diuina ope illæso puero, cunas confregerit: quodque ex successione, orta paulò post persecutione in Matrem, eaque subinde Romam, velut in Ægyptum, abire cocta, nihil illa sibi atrocius vnquam duxerit, quam infantem tenerum, quadrimum dimittere: & tanquam expositum aliis educandum relinquere. Siquidem ab eo tempore, quo à Mirauallo Rex discessit, non amplius Reginam vidit, neque illum felicissimus Reginæ partus, neque inuicta eius patientia, potuit emollire, quo minus simultates, quas ille eatenus cum Regina occultas gerebat, apertas susciperet, atque cum ea tandem diuortium faceret. Nam eo vsque prouecta res est, vt eius causa diuortii, ad Sum. Pontif. Innocentium delata fuerit, submissis à Rege causis: & quod Maria antequam sibi nuberet, Conuenarum Comiti in Aquitania nupsisset, ab eoq; duas filias suscepisset: & quod eodem viro viuo, neque Ecclesiastica auctoritate à Maria separato, secum illum cõtraxisset. His etiam adiecit Rex ipse, quod ante matrimonium cognouisset quandam Mariæ cognatam. Huius causæ cognitione Pontifex, grauissimis viris Ecclesiasticis in Aquitania, re integra sibi reseruata, mandauit. Sed præponderante Regis potentia, atque in Mariæ detrimentum inclinante causa, Maria auxilium Pontificis implorare, eique iustas facti sui causas exponere decreuit; se videlicet omnino coactam, atque parentis Gulielmi minis territam, clandestino matrimonio cum Conuenarum Comite fuisse iunctam; cum quo ipsa etiam cognatione coniuncta erat: neque ad contrahendum legitime, vlla fuit ab eis vnquam à Pontifice facultas obtenta, quin, & etiam esse compertum eundem Comitem, tempore contractus, duas publice vxores ductas viuas retinuisse: alteram Guillermam Barcensem, alteram Comitis Bigeronum filiam, ex quibus & filios quoque habuisse. Qua facti veritate missa Romam: vt iustiores etiam denegandi diuortii causas Maria Pontifici ad aurem suggereret, dimisso filiolo charissimo, Romam profecta est: Eam honorificentissime, atq; vt Reginam excipiens Pontifex, benigneque audiens, re ad vnguem perpensa, & examinata, de consilio sacri cætus Cardinalium, sententia lata est: Petrum Aragonum Regem teneri matrimonio legitimo, & indissolubili cum Maria, Guillelmi Mompelleriensis Principis filia, publicè, atque in facie Ecclesiæ contracto: ac neque illud dissolui posse, occasione obiectæ affinitatis cum cognata Mariæ, quæ minime probata fuit, neque etiam obiectione prioris matrimonii Conuenarum Comitis, cum Maria olim contracti, quod quidem nullum fuit: non modo ex eo quod idem Comes tertio cognationis gradu Mariam attingebat: sed idcirco maximè, quod tacitis nuptiis, quas cum filia Comitis Bigeronum ille iunxerat, ex qua & prolem suscepérat, secundas, illa superstite, cum Maria horum ignara iunxerit: ac neque vltimis, quas cum Rege coniunxit Maria, illa sese opposuerit. Hæc sententia Romæ, mense Februario, anni subsequentis M.CC. XIII. lata, atque in libris Decretalium posita, ad Regem ab eodem Pontifice missa fuit, vna cũ benigno Rescripto, quo ipsum piè adhortabatur, vt sententiam à se, cum consilio, & matura deliberatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, adhibitis præstantissimorum totius Italiæ Doctorum suffragiis, latam: deque matrimonio Mariæ Reginæ pronunciatam, ipsé firmam, maximeque ratam haberet, bonique consuleret. Quandoquidem ad eius animum & conscientiam pacandam, omnino prolata illa fuerit: torque etiam sedandas populorum commotiones, quæ facilè ad perturbanda ipsius Regna inde exoriri possent: maxime vero ob honorem Mariæ fœminæ Christianissimæ restituendum, & vtriusque pignus charissimum, prolem scilicet inclytam Iacobi infantis cohonestandam: cuius certe successione, magna in Regno illius pax & tranquillitas consecutura videretur. Nec dubitandum, diuini fuisse Numinis, eiusq; nutu factum, ex tot perturbatis, varieque distractis rerum negotiis, optimum atque inexpectatum finem subiecisse, & tanquam ex malo bonum elicuisse. Cui sententiæ, Pontifex dubitans, ne forte Rex obedire recusaret. Carcassonensi & Auinionensi Episcopis commisit, vt Regem per censuras Ecclesiasticas, appellatione quauis remota, ad obediendum compellerent. Verum Rex, inueterata obdurescens pertinacia, in proposito permansit. Quamobrem Maria, ne forte quid detrimenti à Rege acciperet, atque vt rei exitum tutius inde videret, Romæ se continere decreuit quoad alterius obitu, tot, tantisque malis finis imponeretur: nec non vt contestata cum Guillermo fratre Romæ lis de successione & hæreditate principatus Mompellerien sis, Pontificis quoque decreto finiretur. Prout idem Pontifex Innocentius, de eo sententiam protulit, esse Guillermum, Guillermi Mompellerien sis Principis filium, tanquam spurium, neque ex iusta legitimaque vxore natum, ab vniuersa successione & hæreditate paterna repellendum: eiusque sororem Mariam, tanquam vnicam ipsius Guillermi filiam, ex iusta, legitimaque vxore natam, hæredem vniuersorum: atque inprimis in Principatu succedere. Ideoque Iacobo Principi, vti vero filio, legitimoq; hæredi Mariæ Reginæ Aragonum, eundem Principatum successione adiudicari. Quæ sententia Romæ prolata fuit, atque ita liti finis impositus.

Dum hæc Romæ geruntur, Petrus quorundam impulsu, atque furiis agitatus, tanta flagrabat ira in Reginam, vt Iacobum puerum communem filium illius causa despiceret, neque Regio ipsum more educari sineret, aut curaret; sed quasi alienũ, neq; haberi coram permitteret. Tamesi ea sub ætatula puer, tum specie ac dignitate oris, tum statura & habitudine corporis, mirificam, atque permagnam Regiæ magnanimitatis spem afferebat: cumq; cunctis mire conspiciendus atque amabilis esset, Regi tamen minimè erat in oculis, sed in odio propemodum. Ne quis existimet naturæ affectum adeo dominari in parentibus, quin possit ille præoccupari ira & odio, ex falsa animi etiam persuasione conceptis. Quod intelligens Simon Mõfortius Comes Carcassei atque Bessiani oppidorum eiusdem Aquitaniæ, non longè à Mompellerio, vir etiam bello & pace strenuus ac perinsignis, nec non Regi intimus, satisque obligatus, propterea quod gratia & precibus Regis, idem Pontifex ipsum Comitatum, cum aliis oppidis, beneficiario iure (feudum vocant) Montfortio concesserat: puerum commiserat, Regem precatus est, vt illum apud se manere, ac educari sineret: curaturus omnino, vt

Regiis

Regiis moribus, honestisque institutis ille imbueretur: atque, vt talem decebat Principem, ab infimis atque sordidis abstineret. At Rex fortasse cogitans, velle Montfortium adoptare sibi filium, eumque iunctis nuptiis sua cum filiola successorem relinquere, facilè ab se abduci permisit. Iusta autem Numinis vindicta, filium ei educandum commisit, qui se breui commisso prælio, in acie erat oppressurus.

X. a *epist.* 78. *& seq.* CAPTIVOS LIBERARI VVLT IN ORIENTE.

Eodem anno Innocentius res Orientales studiosè curauit. *a* Nam & Crucesignatos, & Templarios, & Theutonicos ad depugnandum contra Saracenos non tantum litteris sed & auxiliis submissis animauit, & Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, atque omnibus Principibus Orientis liberationem captiuorum, siue per redemptionem, siue per commutationem iunxit.

XI. b *epist.* 86. *&* 168. IN POLONIA AD CONVERSIONEM GENTILIVM INCVMBIT.

In septentrionalibus quoque Prouinciis ad conuersionem Gentilium animum apposuit. Nam *b* Lundensi Archiepiscopo Apostolicæ sedis Legato, vt circumuicinis paganis Euangelii veritatem annunciaret præcepit, & Monachis Cistercien sibus Regni Poloniæ prædicationem inter Prithenos Gentiles commisit, idque operis Gnesnensi Archiepiscopo commendauit.

XII. c *epist.* 118. HÆRETICOS MEDIOLANI CONVERTI IMPERAT.

Sed neque ab hæreticis extirpandis manum operariam Innocentius retraxit. Mediolanum ex vicina Gallia infecerant Patareni & reliqui. *c* Monebat Consules & populum Mediolanensem, vt ad Ecclesiam Romanam & fidei vnitatem reuerterentur. Quod si renuerent, scirent se quidem anathemate damnatos, vniuersos vero Lumbardiæ Episcopos ab iurisdictione Mediolanensis Antistitis soluendos.

XIII. d *epist.* 84. VIOLATORÉM ECCLESIAS. LIBERTATIS EXCOMMVNICAT.

In violatores quoque Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis Innocentius iustam vindictam exeruit. *d* VValdemarus quidam fretus auxilio Ducis Saxoniæ Ecclesiam Bremensem occupauerat, electo Osnaburgensi Episcopo ad eam assumpto. Mandabat itaque Pontifex Archiepiscopis Magdeburgensi & Moguntino, atque eorum Suffraganeis, & præsertim Paderburnensi, Mindensi, VVerdensi & Halberstadiensi Episcopis, vt singulis diebus festiuis & Dominicis, in VValdemarum anathemata promulgarent.

XIV. e *ep.* 89. 98. *& seq.*

In Galliis *e* Rex Philippus Antisiodorensem & Aurelianens Episcopos offenderat, propter quod Innocentius vniuersum Regnum interdicto subdiderat. Qua censura tandem effecit, vt is pœnitentia facinoris ductus, indulgentiam postularit, & reconciliatis sibi Episcopis Ecclesiæ pacem meruerit.

XV. f *epist.* 113. *& seq.* CENSVM ANNVVM ROM. ECCLES. EX GALLIA NVMERARI IVBET.

Vtilitates *f* quoque Ecclesiæ, Innocentius non intermisit. Multæ Ciuitates & possessiones in Galliis præsertim hæreticis ereptæ, censuales erant Romanæ sedi. Eum censum vt Innocentius exigeret, Petrum Marcum S.R.E. subdiaconum Collectorem in Gallias misit, & vniuersos Ecclesiarũ Prælatos per Narbonensem, Arelatensem, Aquensem & Ebredunensem Prouincias, atque Albiensem, Rutenensem, Catercensem & Agennensem Diœceses, admonuit, vt eundem Petrum susciperent ea qua par fuerat humanitate, eique censum Ecclesiæ Romanæ debitum exsoluerent. Simon Montisfortis & Leucestriæ Comites, mille Marchas argenti sedi Apostolicæ non grauatim miserunt: reliqui etiam tam pium debitum non illibenter exsoluerunt.

XVI. g *epist.* 114. PVPILLOS DEFENDIT.

Pupillorum *g* etiam defensionem sedi Apostolicæ propriam Innocentius assumpsit. Patriarchæ Antiocheni vita functi nepotes ex æquo & iusto mille Byzantios, & reliqua codicillis testata repetebant, & successor Patriarcha detinebat. Huic vt pupillis ex æquo & iusto faceret satis Innocentius præcipiebat, simulque innuebat, se officio suo non defore quominus Iudices cognitores destinaret, qui in illum aduerterent. Quod ne facere cogeretur, Patriarcham Hierosolymitanum inuitabat, vt Antiochenum ad satisdandam induceret.

XVII. h *epist.* 88. *& seq. pluvib.* IN ORIENTE PRÆ-

Constantinopolitana etiam negotia, partem laborum Innocentii desumpserunt. *h* In ea vrbe, & in reliqua Asia Ecclesiis Præpositos præfecit: Ecclesiarum & Præpositorum priuilegia recognouit & approbauit: approbatas personas & Ecclesias tum Græcorum tum Latinorum in tur-

lam recepit: controuersias inter Ecclesiasticos vertentes per Commissos iudicauit, & definiuit: bonorum Ecclesiæ inuasores anathemate percussit: violatores personarum exemptarum iure stricto repressit & castigauit: nihilque non egit, quod ad ornandam, vel tuendam Ecclesiam orientalem faciendum erat. POSITÕS ECCLESIÆ CONSTITVIT.

† Inter hæc, Henrici Imp. Constantinopol. aduersus Ecclesiasticam libertatem, constitutionem antiquauit, edita sanctione quam adiungo.

INNOCENTIVS PAPA III. SERVVS SERVORVM DEI, SARDICEN. ET SIDONIEN. Episcopis, & Archidiacono Paulien.

Edita A.D. 1212.

AD nostram noueritis audientiam peruenisse, quod charissimus in Christo filius noster, Henricus Constantinopolitanus Imp. Illustris, Constitutionem cum suis Baronibus edidit, quæ vergit in periculum animarum, & est contraria prorsus Ecclesiasticæ libertati, videlicet, vt nullus possit de suis possessionibus in vita, vel vltimo testamento, aliquid Ecclesiis elargiri.

§. 1. Cum igitur Constitutio huiusmodi, tam Diuinis quam humanis sit legibus inimica, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam auctoritate nostra decernatis friuolam & inanem, & nullo modo seruandam. Datum Laterani, 10. Kal. Iunii, Anno 15.

XVIII. A SVBDIACONATV NOLVIT BOCHARDVM ABSOLVERE.

Eodem anno Innocentius Pontifex, satis egit pro Ecclesiastica disciplina conseruanda, in asserendo cælibatu eorum qui sacris aliquando initiati fuere. Id remporis Bochardus Auenien sis, duxerat vxorem Margaretam Ioannæ Principis Belgii Sororem, cui ipse tutor fuerat à Balduino Patre attributus. Erat is Bachardus Iacobi filius, & à Philippo Elsatio, ob patris eius præclara merita à teneris educatus, atque vnice semper dilectus, litterisque Latinis adeo imbutus, vt Aureliani factus sit Professor iuris Ciuilis, iuuanteque Philippo Comite Archidiaconatus Laudunen sis, ac canonicus præterea Tornacensis; quibus ab Ecclesiis, coactus est tandem sacris initiari: quod quidem licet inuitus planè faceret, creatus tamen est Aureliani Hypodiaconus, propinquis prope omnibus insciis. De hinc rediit in Flandriam non sacro quidem sed profano ac laico habitu, vt cultu ac vestitu, specieque equestri, ordinem suum dissimularet. Virerat impiger, strenuus, facundus, ac manu promptus. Reliquit quotquot habebat sacerdotia, atque ad studia militaria, equestremque dignitatem se transtulit: tantamque apud Regem Angliæ ob singulares virtutes iniit gratiam, vt militari ab illo cingeretur balteo, censuque equestri donaretur. Principibus, primatibusque viris longe habebatur acceptissimus. Ingenium, prudentia, eruditio, comitas, facundia; adhæc robur & elegantia corporis, mirificè eum apud omnes commendabant, gratiamque & authoritatem conciliabant. Huic Balduinus Augustus, ad Asiaticum accinctus bellum, nõ modo liberorum suorum tutelam commisit; verum etiam procurationem Flandriæ Hannoniæque vna cum Philippo fratre ac Mathilde Portugalensi habendam tradidit. Eo in munere impigrè & dexterrimè versatus, opes sibi magnas ac diuitias largiter parauit: Regio propè cultu ac splendore ætatem egit; plusque familitii, maioremque familiam quam ipsa Mathildis, quæ dici Regina voluit, sustinuit. Margaretha post nuptias sororis, huius fidei ac custodiæ mandata est, vna cum insignibus aliquot fœminis, trium millium nummũm annuo tributo censu. Hanc, & multi quidem alii, sed præcipuè Rex Galliarum Philippus Burgundioni cuidam in matrimonium petiit: quem Flandri, quod competissent altero pede fuisse debilem, dedignati sunt, satisque visum conciliatrice inprimis Mathilde Portugallensi, Bochardo eam tradi. Aliqui historici furto ab eo viciatam, ac duorum filiorum factam matrem, absque vlla dissimulatione commemorant. Igitur Bochardus postquam innotuit eum esse Hypodiaconum, Ioanna Principe omnibus eam modis insectante, ad Innocentium Pontificem trepidus supplexque refugit, si quomodo expediri à sacris, atque manere in matrimonio posset. At Innocentius ea in re haudquaquam ex-

orabilis,

orabilis, iussit: Margaretham ante omnia dimitteret, illique ac sorori eius de tanta iniuria satisfaceret: insuper in Asiam proficisceretur spatium vnius anni in barbatam militaturus religionem, reuersusque in suscepto semel viuendi instituto æternum maneret. His oneratus mandatis, in Syriam quidem traiecerat: sed domum inde reuersus conspecta vxore ac pulcherrimis liberis, fertur dixisse: *vnum se malle excoriari, quam ea complere, quæ Pontifex iniunxerat.* Ira hic quoque, per mulieris speciem seductus interiit. *Annal. Flandr. lib. 8.* Triennio post in Concilio Lateranensi Romæ ab eodem Innocentio Pontifice celebrato, Bochardus in sententia pertinax participatione piorum interdictus fuit: eamq; sententiam tota Rhemensi Prouincia, singulis hebdomadis, Innocentius promulgari iussit, donec nobilem puellam (eius recito verba) Margaretham, Illustrissimi Imperatoris Constantinopolis filiam consanguineam suam fraudulenter abductam, & quocunque modo in matrimonium acceptam Ioannæ sorori suæ restitueret, atque ad ordinem suum, quem Deum offendendo reliquerat, suppliciter reuerteretur. *Ibidem.*

XIX. OTTONEM DESERI IMPERAT.

Ottonis & Friderici grauiores causæ: seueritatem Innocentii extorquebant. Partim studio aliqui Ottoniani, adeo illi adhęserant vt nihil æstimarent censuras Ecclesiæ in eundem exertas. *a* Neapolitanorum aliqui inter eos numerabantur: & propter pertinacem animi sententiam anathemate damnabantur ab eodem Pontifice. Germanorum plurimi aliquanto infestiores, in Ottonis desertores. Quapropter necesse habuit Innocentius *b* Archiepiscopis Moguntino & Magdeburgensi præcipere, ne permitterent infestari eos qui ab Ottone diris deuoto desciuissent. Alexandrini Ligures pertinacius Ottonis partes sequebantur. Itaque eos quoque Innocentius admonebat, ne execrandum hominem Diuinæ sententiæ anteponerent, neue eius communicatione sese inquinarent.

a lib. 15. ep. 87. & 164.

XX. c Chro. Ezelini.

Hocanno *c* ex hac luce migrauit Azo Marchio Estensis, Romanæ Ecclesiæ feudatarius. Reliquit duos filios, Aldobrandinum & Azonem secundum.

XXI.

Hocanno in Anglia crudeli morte extinctus est, pro dignitate Ecclesiastica decertans Gaufredus Nordouicensis Archidiaconus. Præerat is Regiis negotiis in publico ærario. Cumque inter assidentes mussitaret, non esse integrum his, qui Ecclesiasticis beneficiis potirentur, Regis anathemate deuoti ministerio negotiisque operam dare, nullaque licentia impetrata, à Londino se propiuisset, à Rege ex fuga retractus, inque carcerem compactus plumbeæ vestis quam cogebatur induere pondere, & alimenti inopia non ita multo post è vita discessit. *M.S. Vatican.*

XXII. PATRONI MARTYRES CREMONENSIVM MEDIOLANENSES VINCVNT.

Hoc etiam anno Cremonenses, insignem victoriam de Mediolanensibus retulerunt. Eam inopinato partam, cum ciuitas ad mirabilia spectaret, statim religiosa ac pia illa incessit opinio, eam non humano auxilio, sed præsenti SS. Martyrum Petri & Marcellini subsidio esse obtentam. Etenim cum imminente pugna in bellis multitudo supplex in vrbe ad eorum sepulchrum vota in æde D. Thom. pro victoria faceret, duas exinde exire, atque eodem subinde se referre, columbas aspexit, qui veri à in castris erant, duos iuuenes, equis albis insidentes, ac vestibus albis indutos, acri se impetu in aciem Mediolanens. incitantes ac vi & virtute sua cuneos eorum, tanquam cœlesti quodam fulmine perrumpentes, ac demum terga dare cogentes, viderunt. Qua re animaduersa, & cum duarum columbarum vrbano omine comparata, Cremonenses pro certo habuerunt, se cœlesti duorum martyrum præsidio tanta victoria potitos esse. Itaque communi decreto festũ eorum, quod IV. Idus Iunias agebatur, in posterum IV. Nonas celebrari sanxerunt, atque ad perennem domestici decoris prodendam memoriam, carrocium, quod ereptum erat, consecrandum in maiori Basilica posuerunt. *Carolus Sigonius lib. 16. de regno Ital.*

XXIII. CRVX IN AERE APPARET.

Contigit etiam hoc eodem anno miraculum in Episcopatu Ruthenensi, quod plane dignum visum est vt referretur.

Quadam die Dominica prædicante Abbate Bonæ vallis Cistercien sis Ordinis, in Ecclesia Castri S. Marcelli, magna pars populi extra Ecclesiam consistebat: eo quod locus minor esset, quàm vt omnes reciperet. Ad finem concionis, cum Abbas vehementer auditores ad suscipiendum contra Albigenses crucem hortaretur, subito in aere ingens Crux apparuit, quæ incedere versus Tolosam videbatur. Istud miraculum ab eodem Abbate, viro magnę auctoritatis, se audiuisse, testatur *Petrus Monachus Hist. Albigens. c. 84.*

IESV CHRISTI
Annus 1213.

INNOCENTII PAP. III. Annus 16. HENRICI Imper. 8.

I. REX CYPRI PSEVDOPOLITICVS. *d lib. 15. ep. 123. & seq.*

Rex *d* Cyprius & ipse quoque inter Pseudopoliticos accenseri potest, ab his duobus factis quæ patrauit. In primis Nicosiensis Ecclesiæ Prælatis necessitatem imponebat, ab eo intrusum Episcopum tolerandi: deinde aliquos Hierosolymitani Regis subditos in carcere detinebat, neque permittebat occasionem euadendi. Vtrumque Innocentius ægre tulit: & ideo tum Regem tum Canonicos Nicosienses officii admonuit, illum quidem ne in alienam messem mitteret falcem, neue alienos subditos detineret iniustè: hos vero, vt intrepide & libere Pastorem sibi deligerent, neq; cuiquam Regi aut Principi Ecclesiæ iura postponerent.

II. FRIDERICVS SVA INDOLE SIBI INNOC. DEVINCIT IDEOQVE DISIGNAT REGEM.

Negotia Imperii grauiores curas ab Innocentio exigebant. Multum enim intererat Ecclesiæ & reipub. Christianæ, quis & qualis Imperium Romanum administraret. Otto se indignum, facinoribus perpetratis reddiderat: Fridericum indoles commendabat, & iam nonnihil spei certæ, prompritudine animi, quam Romæ hospes ostenderat, in candido Innocentii pectore indiderat, atque adeo sibi deuinxerat. Is itaque nulli alteri quam Friderico Iuueni Imperium designabat. Non defuit ille sibi. In Germaniã enim cum primum aduolasset, ex Principum consilio omnia abunde promisit Pontifici.

III. PRIVILEG. FRID. SECVNDI REGIS ROM. INNODATVM. *c lib. 1. priuil. Roman. Eccles.*

Apud Egram Fridericus agebat, cum Innoc. Pontifici & Romanæ Ecclesiæ Priuilegium tenoris sub sequentis concessit. Ita habet authographum.

In c nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Fridericus secundus diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus, & Rex Siciliæ. Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum de cuius manu ea quæ possidemus bona recipimus, honoramus. Tanto enim Domino qui bona tribuit nobis ad offerendas hostias operis & deuotionis astringimur, quanto ipsum misericordem & mirabilem in nobis experimur. Cognoscentes igitur gratiam quæ data est nobis ab ipso: habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vestra charissime Domine & Reuerendissime Pater Protector & benefactor noster, Domine Innocenti Dei gratia summe Pontifex venerande, per cuius beneficium operam & tutelam altitsimus, protecti, pariter & promoti: postquam in solitudinem vestram mater nostra felicis memoriæ Constantia Imperatrix & Siciliæ Regina ex ipso quasi vtero nos lactauit, vobis Beatissime Pater & omnibus successoribus vestris Catholicis, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ omnem obedientiam, honorificentiam, atque reuerentiam semper humili corde ac deuoto spiritu impendemus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur: nihil exinde volentes diminui sed magis augeri, vt nostra magis deuotio enitescat. Illum igitur volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, vt electiones Prælatorum libere & canonice fiant: quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum vel maior & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis & causis Ecclesiasticis ad sedem Apostolicam libere fiant. Earum persecutionem siue processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueuerant antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis & Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ prauitatis errore auxilium dabimus & operam efficacem. Possessiones etiam quas Ecclesia Romana recuperauit, ab antecessoribus nostris seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas sibi

dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas bona fide permittimus aduuare, quas vero nondum recuperauit, ad recuperandum eramus pro viribus adiutores, & quæcumq; ad manus nostras deuenient, sine difficultate ac mora ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quæ est à Radicofano vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittinorii, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis, Massa Trebariæ, cum adiacentibus terris & omnibus aliis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus, vt eos habeat Romana Ecclesia in perpetuum, cum omni iurisdictione, districtu & honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocati venerimus de mandato summi Pontificis, recipiemus Procurationes siue Fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta & quæcumq; alia pertinent ad Romanam Ecclesiam de voluntate & conscientia, consilio & consensu Principum Romani Imperii libere illi dimittimus, renunciamus & restituimus. Nec non ad omnem scrupulum remouendum prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus & donamus, vt sublata omnis contentionis & dissensionis materia firma pax & plena concordia in perpetuum inter Ecclesiam & Imperium perseuerent. Adiutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ, Regnum Siciliæ cum omnibus ad ipsam spectantibus, tam citra Farum quam vltra, nec non Corsicam & Sardiniam, ac cætera iura quæ ad eandem pertinere noscuntur, tanquam deuotus filius & Catholicus Princeps, vt autem hæc omnia memorato SS. Domino Patri nostro Innocentio Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici eiusque successoribus per nos & nostros successores Romanorum Reges & Imperatores obseruentur. firmaque & inconuulsa semper permaneant, præsens priuilegium conscriptum maiestatis nostræ aurea bulla iussimus communiri. Testes autem hi sunt.

Sifridus Moguntinens. sedis Archiepisc. Apostolicæ sedis Legatus. Eberhardus Saltzburgens. Archiepiscop. Conradus Ratisponens. Episcop. Otto Wirtzburgens. Episcop. Manegoldus Patauiens. Episcop. Engerardus Zizens. Episcop. Ottacarus Boemorum Rex. Ludouicus Dux Bauariæ. Limpoldus Dux Austriæ & Styriæ. Hermannus Lantgrauius Thuringiæ. Comes Albertus de Eberstein. Comes Adolphus de Sonumbere. Comes Burchardus de Manensfeld. Berardus de Betz. Comes. Ludouicus de Wirtemberk. Gebehardus Burclauius Meideburg Henricus de Stahuberc Walterius de Langembere. Henricus de Calandina Marescalcus Imperii. Walterus de Sipf. Pincerna Imperii & alii quamplures. Signum Domini Friderici secundi Romanorum Regis inuictissimi & Regis Siciliæ. Ego Conradus Dei & Apostolicæ sedis gratia Metens. & Spirens. Episc. Imperialis aulæ Cancell. vice Domini Sifridi Moguntinens. Archiepisc. & Apostolicæ sedis Legati, ac totius Germaniæ Archicancellarii recognoui. Acta sunt hæc Anno Domini nostri IESV CHRISTI *M. CC. XIII. Indict. 1. regnante Domino Friderico secundo Romanorum Rege glorioso & Rege Siciliæ, anno Regni eius Romanorum 1. Regni vero Siciliæ XVI. Datum apud Egram per manus Bertoldi de Nifa, Regalis Aulæ Protonotarii IV. Id. Iulii. Hactenus priuilegium à Friderico concessum, postquam in Capella in Castro Egræ, eodem die IV. Idus ex hac formula quæ sequitur iurasset.*

IV. IVRAM. REGIS ROM. FRIDERICI SECVNDI.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego Fridericus secundus Dei gratia Rex Romanorum semper Augustus & Rex Siciliæ: Tibi Domino meo sanctissimo & Patri charissimo Innocentio Papæ III. tuisque successoribus & Ecclesiæ Romanæ præsentibus subscriptis Principibus Imperii nobilibus, spondeo, polliceor, promitto & iuro, quod omnes possessiones, honores & iura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & seruabo. Possessiones autem quas Ecclesia Romana recuperauit libras & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide iuuabo, quas autem nondum recuperauit, adiutor ero ad recuperandum: & recuperata rum secundum posse meum ero sine fraude defensor, & quæcumque ad manus meas deuenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra quæ est in Radicofano vsque Ceperanum, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Matheldis, Comitatus Brittonorii cum adiacentibus terris expressis in multis priuilegiis Imperatorum à tempore Ludouici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni iurisdictione districtu & honore suo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica sede vocatus accessero, de mandato summi Pontificis accipiam procurationem ab eis. Adiutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ Regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ, & successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo, quam deuoti & Catholici Imperatores consueuerunt sedi Apostolicæ exhibere. Et si propter negotium meum Romanum Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subueniam ei sicut necessitas postulauerit in expensis. Omnia vero predicta tam iuramento quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus. Principes autem Imperii & nobiles quibus præsentibus iurau, hi sunt. Eberardus Saltzburgensis Archiepiscopus, Berardus Barensis Archiepiscopus, Mangoldus Patauiensis Episcopus, Enghilardus Naumburgens. Episcopus, Conradus Metens. & Spirens. Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Luppoldus Dux Austriæ & Stiriæ, Ludouicus Dux Bauariæ, Comes Albertus de Eumrcem, Hericus Marescalcus de Calliadun, Galterus Pincerna. Actum in Capella in Castro Egræ anno Dominicæ Incarnationis. M.CC. XIII. IV. Idus Iulii, Indict. 1.

V. OTTONI ADHÆRENTES PRINCIPES EXCOMMVNICAT.

Iuramento præstito & priuilegio confirmationis dato Ecclesiæ Fridericus, Aquisgranum profectus, diadema Regni Romanorum ex formula solemni accepit. Cui quod Dux Brabantiæ inter Belgas, Hildesemensis Episcopus inter Theutonas, Alexandrini inter Ligures contradicerent, & Ottoni adhærerent, eos per censuras Ecclesiasticas ad officium Innocentius reuocare conatus est. Accessit & illud quod insolentia sua Dux Brabantiæ Episcopum Leodiensem & alias Ecclesias Belgicæ offenderit. Quamobrem Innocentius *a* Rhemensi Archiepiscopo iniunxit, vt nonnisi ea conditione pœnitentem Ducem Ecclesiastica communione dignaretur, si iurasset mandatis Ecclesiæ obtemperare, ablata restitueret, si errata corrigeret, & Ottone relicto partibus Catholicorum sese adiungeret. *b* Alexandrini quoque præterquam quod Ottoni excommunicato adhæsissent, censum Ecclesiæ Romanæ soluere neglexerant, & quendam hæresis suspicione infamem, atque ideo anathemate damnatum in Rectorem sibi elegerant. Monebat eos datis litteris, ne peruicacia contumaci actiorem vindictam Apostolicæ sedis protraherent: sed & Ottonem relinquerent & Ecclesiæ satisfacerent, & præfectum eiicerent. Hildesemensis etiam, aliis grauissimis criminibus sese implicarat. Propterea Innocentius Iudicibus designatis *c* committebat, vt facti veritate perspecta, illum dignitate exuerent, & alium Ecclesiæ præficerent.

a lib. 16. ep. 150.

b epist. 151.

c epist. 153.

VI. VARIA VITIA EMENDAT, PRÆSERTIM PETRI REGIS ARAGONVM.

Cæterum si aliquando, hocanno præcipue, Innocentius, in reos criminum, potestatis Apostolicæ virgam exeruit. *d* Archiepiscopum enim Consentinum in Calabria criminis læsæ maiestatis & Simoniæ accusatum, ab officio suspendit, data commissione Archiepiscopo Neapolitano. *e* Episcopo Auxitano in Galliis multorum criminum delato purgationem canonicam indici præcepit: & si eam præstare negligeret, alium loco illius Ecclesiæ substituere ordinauit: concessa authoritate Archiepiscopo Burdegallensi & Episcopo Agennensi. *f* Tertiũ quoq; Episcopum, non omnino sine culpa audierat extitisse. Committebat Patriarchæ Gradensi Innoc. vt id quicquid esset inquireret, & Episcopo diem statueret ad causam coram sede Apostolica Romæ dicendam. *g* In Galliis per abusum, membra Christi & sanctorum, in iuramento consuetudinario linguis profanabant. Eius rei Innoc. Rhemẽsem Archiepiscopum seuerè admonuit, ne eam profanationem toleraret, sed Ecclesiastica disciplina extirparet. *h* Regem quoq; Portugaliæ à cõmunione fidelium secreuerat, & Regno illius vniuerso sacris interdixerat, quod is sororibus suis graues iniurias intulisset. Perculit ea res Lusitanum, quem tamen non alia conditione anathemate exsolui permisit, quam is iuramento se astringeret ad obediendum sanctæ sedi, & iniuriam passis satisdaret. *i* Pontificem quoque Pisanum grauiter coarguit, & censuris deterruit, vsurpabat ille ius in Marchionẽ Calaritanum Romanæ Ecclesiæ feudatarium. Denunciauit Florentino Episcopo, eas quas Pisanus in Sardorum quemcumque promulgauerat sententias, nullius esse momenti, vtpote vsurpata potestate promulgatas. Proinde neminem quoque earum vinculo teneri. *k* Regem quoque Arragonum non expauit. Repudiauerat hic per id temporis Mariam Reginam legitimam coniugem, nonnullo prætextu. Quamobrem cum ex cognitione causæ perspectum esset, grauiniuria affectã fuisse Reginam, Regem admonuit, vt eam reciperet, & ex dignitate Regia haberet. Id vero si recusaret, sciret Arausicensi, Auinionen-

d epist. 163.
e epist. 137.
f epist. 136.
g epist. 135.
h epist. 150.
i epist. 165.
k epist. 126. 127.

ſi, & Carcaſſonenſ. Epiſcopis datam eſſe à ſede Apoſtolica poteſtatem, in contumacem cenſuras Eccleſiæ pronunciandi. Porrò, ne aliqua occaſione prætenderet, ſe non cenſeri inter eos qui Eccleſiæ Romanæ ſunt ex pacto obnoxii: ideo *a* confirmato Priuilegio Regibus Aragoniæ ab Vrbano II. Pontifice Maximo conceſſo, ſolutionis annui cenſus quingentorum Mancurorum aureorum eum admonuit. Grauiora ſunt quæ ſequuntur, inter ſedem Apoſtolicam & Regem Aragonum.

a epiſt. 156.

VII. REX ARRAGONVM ADHÆRENS TOLOSANIS ET ALBIGENSIBVS IN PRÆLIO CADIT.

b epiſt. 145. & ſeq. pluribus.

Albienſes inſolentiores per ea tempora facti, necquicquam vel miraculis, vel prædicatione Diui Dominici ac ſociorum, vel armis Simonis Montfortii frangebantur, vt erroribus eiuratis fidem Eccleſiæ amplecterentur, & à crudelitate in Catholicos deſiſterent. Eorum omnium, à *b* Narbonenſi Archiepiſcopo & Suffraganeis ipſius, certior factus Innocentius Papa, Hugonem Reginenſem Epiſcopum & Theodoſium Iannenſem Canonicum Nuncios in Gallias miſit, qui Raymundum Comitem Toloſanum perditorum fautorem, ad mentem & ad Eccleſiam reuocarent, atque fidem erronibus, libertatem Eccleſiis, pacem regno Galliarum reſtituerent. Ad conſueta Eccleſiæ remedia confugerunt, & Concilio apud Vaurum indicto, vniuerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos & Principes intereſſe voluerunt: vt errantibus quidem doctrinam veritatis demonſtrarent, pacis autem oſores ad eius amorem inclinarent, vel auctoritate publica reprimerent. In eo Patrum & Principum conſeſſu, Rex Aragonum Petrus à Comite Toloſano flagitabar, vt, in crimine fauoris hæreticorum purgationem Canonicam ei indicerent, & bona interim iure belli recepta, vel ipſi vel filio reſtitui iuberent. Maiora auctoritate ſibi conceſſa Nuncii exiſtimabant eſſe, quæ poſtulabat Rex pro Comite. Quamobrem ſummum Pontificem in re tam ardua conſulendum fore decreuerunt: & neque ad Canonicum illud remedium, neque ad ciuitates & poſſeſſiones amiſſas recuperandas interim Comitem admiſerunt. Hic porrò quaſi æſtro percuſſus, quamquam omnia bona ſua & iura, Regi Aragonum quaſi pacis ſequeſtro tamdiu obligata eſſe voluiſſet, quouſque Innocentius Pontifex re perſpecta, aliquid certi ſtatuiſſet: tamen ſubditis Toloſanis author fuit, vt inſolentiores euaderent, & Regem Aragonum in tutelam ſuam pertraheret. *c* Dolebat Innocentius Regis leuitatem, quod ad hæreticos, quaſi res eorum cum ſede Apoſtolica compoſiturus, reuera autem vt eis conſilio & auxilio præſto foret, acceſſerit. Proinde hortabatur, ne eiſdem in quoquam patrocinari vellet. Quod ſi ad gremium Eccleſiæ reuerti deſiderarent, cum Epiſcopo Toloſano viro probo, & cum ſedis Apoſtol. Legato Narbonenſi Archiepiſcopo, nec non cum Nunciis recens miſſis, tranſigeret. Cæterum ſi vel Comitem, vel reliquos hæreticorum ille protegeret, Simoni Montfortio & reliquis Cruceſignatis Præcipiebat, vt ſacro bello contra impios decernerent. *d* Namque illi animos ſuſtulerant. Petrus Rex Taraconenſium iuuentutem domeſticam armarat, vt Raymundo Comiti Toloſatium opem ferret, ſocio, amicoque ac propinquo. Cis Pyrenæum duxit. Iam ad Mirellum ſuper Garumnam peruenerat; protinus Fluſtatium Conuenarumque Comites cum ſuorum quiſq; nobilitate affuere: quod & conſanguinei & beneficiarii Toloſatis forent, & Toloſates omnem Ciuitatis pubem ſub ſignis habuere. Circiter centum millia armatorum in acie aduerſus Simonem, ne decima quidem parte hoſti parem conſtitiſſe ferunt, & Dux & milites confeſſione prius ac ſacra communione operati, ſe cœleſti ope muniuere. Pontifices Toloſatium, Agatenſium, Lodouenſium, Conuenarum, quos hæretici ſedibus exegerant, in Cruceſignatorum exercitu erant, cum Dominico ſancto viro. Hi non arma gerebant, non enſes ſtringebant. Dum committeretur, dum traheretur prælium, DEVM Opt. Max. precabantur, pro cauſa ſua ſtaret: Ducem ſe ſuis militibus præſtaret: Crucem quam pro inſigni militiæ accepiſſent, inuictam vellet: qui hoſtes viribus ope omni humana ſuperiores eſſent, eos ne ſineret etiam de his triumphare, qui omnem ſuam in numine collocaſſent: moueretur cauſa, precibus, obſecrationibus, votis, interceſſione Deiparæ. Valuerunt lacrymæ: vicit religioſa fuſa fugataque multitudo à paucitate, furor à religione. Comites effugere: Rex Tarraconenſium cecidit: Toloſates maxime cladem ſenſere, nulla prope domo cladis expertæ. Gladio multi, flumine plures, dum omnia minus quam hoſtem timerent, dum per medios gurgites euadere conarentur, abſumpti. Pluſquam viginti millia deſiderata: cæteri armis exuti. E nobilitate Cruceſignatorum vnus omnino interiit, cum paucis admodum, atque his neque ſanguine, neque virtute inclytis, vtq; præclarè vicerat Simon, ita non ſegniter victoria vſus bellum circumtulit: oppida circumiecta cepit: præcipue in Aganenſium & Ruthenorum finibus non parua, nec pauca in ditionem redegit, ſiue ne impie ſentirent, ſiue ne impios iuuare poſſent.

c epiſt. 149. & ſeq.

d Aemil. in Philip. 2.

Petrus Monachus Vallis Sernarii. Ordinis Ciſtercienſ. qui vel interfuit, vel ab his qui interfuerant audiuit, paulò fuſius hæc omnia enarrauit. Non illubet, in ſummam contracta, repetere. Ita habet.

VIII. DESCRIBITVR FVSIVS VICTORIA CRVCESIGNATORVM CONTRA TOLOSANVM ET PETRŪ ARRAGONIÆ REGEM.

Petrus Aragoniæ Rex, opem & auxilium affini ſuo Toloſano Comiti laturus, cum valida manu militum, Toloſam, circa feſtum Epiphaniæ venit, atq; ad Arnaldum Narbonenſem Archiepiſcopum, Innoc. Pontificis Legatum, & ad Simonem Comitem Montfortium miſit, aſſerens ſe velle cum ipſis, de componendis rebus fidei & pacis, tranſigere. Colloquio deſtinatus eſt locus inter Toloſam & Lauaurum. In eo Petrus Rex Legatum Apoſtolicum & alios Prælatos rogabat, vt omnes terræ eo bello ablatæ, Comitibus Toloſano, Conuenarum, Foixenſi, & Gaſtoni Bearnenſi, reſtituerētur. Huic Legatus reſpondit, vt ea poſtulata ſcripto conciperet, ac ſigillo munita, ad Epiſcopos, alioſque Prælatos, qui Lauauri ad Cōcilium, Innocent. iubente, conuenerant tranſmitti ſineret, eos n. deliberaturos, quid ea in re facto opus eſſet. Octo dies quibus colloquium durauit, Rex nihil aliud per blanditias cum Simone eiuſq; filio egit, quam vt is ab inferēdo, Comitib. Toloſanis aliiſq; confæderatis, bello abſtineret, cum tamen eodem colloquii & induciarum tēpore, hæretici, excurſionē in agrum Carcaſſonenſem fecerint, multaq; loca vaſtauerint. Soluto colloquio Petrus cum ſe Toloſam recepiſſet, poſt diem tertium, poſtulata ſua ſcripta obſignataq Lauaurū ad Concilium Epiſcopis miſit. Summa petitionum erat. Vt Comes Toloſanus data ſatisfactione omnium exceſſuum, & damnorum, quæ Eccleſiis Prælatiſque intulerat, Eccleſiæ reconciliaretur, & abſolueretur, atque ipſi omnia oppida, terræ, poſſeſſiones ac bona eo bello ablata reſtituerentur. Quod ſi his beneficiis propter admiſſa crimina indignus cēſeretur, ea omnia eius filio Raymundo iuueni cōcederentur: ipſe vero pater Raymundus aduerſus Saracenos in bellum pro Chriſtianis proficiſceretur. Cæterū, quia Comes Conuenarum, nunquam hæreticus extiterat: imo hæreticos ſemper è ſua ditione profligauerat: ſed quod cognato ſuo Toloſano Comiti ſuppetias ferens terras ſuas amiſerat: poſtulabat Rex, vt omnia ablata ei redderentur, quamprimum ipſe condignam ſatisfactionem ſecundum mandatum Eccleſiæ exhiberet. Inſuper, vt eodem pacto Comiti Foixenſi, & Gaſtoni Barnenſi, qui hæretici non erant, neque vnquam extiterant, ablata reſtituerentur: ſimul atque ipſi prudentum arbitrio, illata Eccleſiis damna reſarcirent. Harum petitionum ſcriptura concepta erat XVII. Cal. Febr. anni M.CC.XIII.

Epiſcopi, & cæteri Prælati, qui Lauauri congregati erāt, reſponderunt Regi: Comitem Toloſanum propter ingentia, & enormia ſcelera ſæpius perpetrata; & quia non ſemel Eccleſiam ludificaſſet, indignum ſe prorſus omni beneficio & gratia reddidiſſe. Alii reliqui, venirent: Eccleſiæ ſe ſubmitterent: humiliter ſe abſolui poſtularent: cōdigna enim accepta ſatisfactione, mitius cum ipſis Eccleſiā acturam. Reſponſio data ad XV. Calend. Febr. eiuſdem anni.

Videns Aragonius ſe poſtulata obtinendi ſpe depulſum rogauit Epiſcopos, vt ſaltem induciæ conſtituerentur vſq; ad Pētecoſten, aut ſaltem ad proximū Paſchæ feſtum: & interim Comes Montfortius ab infeſtādo Comite Toloſano abſtineret. Sed Epiſcopi cernentes inutiles tantum hac in re prætendi moras, & periculum eſſe, ne his dilationibus ardor Cruceſignatorum langueſceret, & multi recederent, eam quoque petitionem quemadmodum & cæteras repudiarunt. Rex interim ad ſedem Apoſtolicam appella-

uit: verum Prælatis non viſum iuſtis de cauſis eam appellationem admittere, quod friuola eſſet, & falſis prætextibus intentata. Quinimo Arnaldus Narbonenſ. Archiepiſc. Apoſt. ſedis Legatus, datis litteris, auctoritate Apoſtolica Regem admonuit, quin etiam imperauit, vt à protectione, defenſione, cōmunioneq; hæreticorum abſtineret: alioquin eaſd. cenſuras, & pęnas Eccleſiaſt. in eum pronuntiaret. Rex nihil eorum curans, in fidem & protectionem recepit Comites Toloſanum, Foixenſem, Conuenarum, Gaſtonem Bearnenſem & vrbem Toloſanam.

Patres in Concilio apud Lauaurum congregati, Synodicas litteras XII. Cal. Febr. huius anni ad Innoc. Pontif. miſere: quibus eum de reb. hactenus geſtis certiorem fecerunt, & quomodo Rex Aragoniæ Comitem Toloſanum & vrbē ipſam in tutelam recepiſſet. Principes Legationis fuerant: Epiſcop. Conſeranenſ. Abbas Claraci, Archidiaconus Pariſienſis, Guilelmus electus Epiſcop. Bitterenſ. Magiſter Theodoſius, & Petrus Marcus. Miſit etiam Petrus Rex Legatos, qui cum Legatos Concilij præueniſſent, tantum apud Pontificem egerunt, vt Comiti Montfortio iuberet reſtituere Comitib. Toloſano, Foixenſi, Conuenarum, Gaſtoni Bearnenſi, quaſcumque terras eis bello abſtulerat. Ea propter, cum Legati Concilij poſterius adueniſſent, Inno. aliquantulum duriorem & difficilem reperere, quod Legatione Aragonij Regis iam præoccupatus contraria ſtatuiſſet. Rei tamen veritate inſpecta, Innoc. Aragonio antea per Legatos conceſſa, extemplo reuocauit, litteraſque de nouo ad eum miſit, monens vt ſe à Toloſanis ſepararet, quos ſedes Apoſtolica pro tantis ſceleribus & hæreſibus à communione Catholicæ Eccleſiæ remouiſſet. Amandaturum ſe interim Legatum à Latere, qui cauſas prædictorum Comitum cognoſceret: & per id temporis induciæ eſſent inter Regem ipſum, & Comitem Montfortium, ipſeque Comes in terris quas Regis nomine poſſidebat, iuſtam ſubiectionem & fidelitatem Regi præſtaret. Extant ipſæ Innoc. ad Petrum Aragonium Regem, hoc anno XII. Calen. Iun. datæ litteræ, quas Petr. Monachus ſuæ Albigenſium hiſtoriæ c. 116. inſeruit.

Concilio Lauaurenſ. abſoluto, Rex Aragoniæ Toloſa diſceſſit, præſidio militum ibidem relicto. Montfortio interim ſcripſit, vt prope Narbonam veniret: ſe enim, aiebat, illic cum eo de reb. componendis libenter collocuturum. Simon cum ad locum & diem deſtinatum properaret, ſuſpicatus inſidias, retro reuerſus eſt. Rex propterea ſubiratus, Comitem per feciales ad ſingulare certamen prouocauit. Simon vero Lambertum Turcum, virum militiæ artib. clarum ad eum miſit, qui omne obſequium & obſeruantiam offerret: in reliquis, de reddendis terris, quas iure hæreticis, eorumque fautoribus abſtulerat, ſe promptum ſtare iudicio Romani Pontificis, ſeu cuiuſcumq; Apoſtolici Legati. Quod ſi Rex in ſententia de duello perſiſteret, ſe non omnino detrectare. Ea Rex cum audiſſet, Simonem coram ſe ad certam diem, ſub perduellionis pæna iuſſit adeſſe. Eo non comparente, & copijs Cruceſignatorum, quas Manaſſes Aurelianenſis Epiſcopus, & Guilelmus Epiſcopus Altiſidiorenſis adduxerant, aucto, Toloſanumque agrum vaſtante, Petrus Rex die X. menſis Septemb. cum ingenti exercitu Aragonenſ. & Toloſatium, Murelium validum oppidum, Garumnæ flumini impoſitum, trium tantum leucarum interuallo à Toloſa diſſitum, obſedit. Erant in caſtris Regiis Comites, Toloſanus, Conuenarum, Foixenſis, cum robuſta manu ſuorum. Agebat tunc Montfortius apud Fanum Iouis multa parans, quo Murelium forti præſidio & commeatib. muniret, aduentum Regis pertimeſcēs. Nocte quæ diem profectionis anteceſſit, Comitiſſa vxor Simonis in ſomnis ſibi viſa eſt multū ſanguinis, ex brachijs profundere. Eo ſomnio perterrefacta maritum ab incæpto vehementer deterrebat. Sed inuictus Comes, ſpreto ſomnio coniugis ſtatim profectus eſt.

Cum ad Monaſterium de Bollone perueniſſet, & ſe precib. Monachorum commendaſſet, procumbens in genua, gladium quo pręcinctus erat, ſuper altare depoſuit, dicens: O Domine, qui me quamuis indignum ad tua bella pugnanda delegiſti, hodie gladium meum ex altari tuo capio: vt ſicut prælium tuum ineo, ita quoq; arma à te recipiam. Poſt hanc orationem, venit Lauerdunum. Ibant cū Montfortio, iuſſu Legati Apoſtolici, Narbonenſis Archiepiſcopi, ſeptē Epiſcopi, cū trib. Abbatib. vt de pace cū Aragonio Rege tractarent. Altero die q̄ primū illuxit, Simon Montfortius presbyterum ſuum accerſiuit, cōſcientiam per confeſſionem expiauit, teſtamentum condidit, illudq; obſignatum ad Abbatem de Bollone miſit, orans & obteſtans, vt ſi quid ſibi in eo bello accideret, ad Pontificem trāſmitteret, à ſede Apoſtolica confirmandum. Eodem ipſo die Epiſcopis & Comite cum ſuis in Eccleſia Lauerdunenſi cōgregatis, poſt Miſſam ſolemni ritu celebratam, Epiſcopi tenentes accenſos cereos, publice excommunicarunt Comites, Toloſanum, Conuenarum, & Foixenſem, cum filiis, fautoribus, protectoribus & ſectatoribus eorum. Nomen tamen Aragonum Regis, ne eum exaſperarent, ex induſtria ſuppreſſerunt. Poſt hæc Simon cum ſuis arma cepit, & ſub veſperam, quæ obſcurior & nebuloſior poſt pluuiam inciderat, inuiſus ab hoſtibus, Murelium, magno obſeſſorum gaudio ingreſſus eſt. Ipſa nocte ſubſequenti, Epiſcopi, duos religioſos Legatos ad Regem Aragonum miſerunt, obſecrantes, vt Eccleſiæ miſereretur, nec tam apertum patrocinium hæreticorum, in contumeliam Chriſtiani nominis ſuſciperet. Fruſtra laborarunt: cum Rex obſtinato animo in ſententia perſiſteret.

Sequenti die, audita Miſſa ſummo mane, omnes Epiſcopi, nudis pedib. in caſtra ad deprecandum Regem ire parabant: ſed equites hoſtium impreſſione in oppidum facta, omnia perturbarunt: Simonque timens ſaluti Epiſcoporum, ne in eo tumultu interficerentur, eos retraxit, cauſamque Dei Deo commendans, ſtatim cum ſuis egredi, & prælio decernere conſtituit: quod & commeatus in oppido nonniſi in vnum eum diem ſuppeterent. Cumq; in arcem arma ſumpturus regrederetur, inuenit Epiſcopum Vſezienſem Miſſam celebrantem: & cum ad offertorium cōuerſus ad populum Antiſtes, Dominus vobiſcum, pronunciaſſet, Montfortius profuſus in genua, manib. ante Altare iunctis dixit: Ego hodie, corpus meum & animam meam, Deo cōſecro, atq; deuoueo. Iterumque capellam ingreſſus, denuo ſe & arma ſua Deo obtulit, verum cum genua flecteret, lora ſeu vincula, quibus ferrea femoralia illigabantur, rupta fuere. Sed nihil eo ſiniſtro omine conterritus, alia adferri & equum admoueri iuſſit, quem cum inſcendere vellet, equus elato capite adeo grauiter ipſum percuſſit, vt ceſpitare fecerit. Sed neque iſto omine permotus, ad ſuos exiuit, quos armatos, paratoſq; atque ad pugnam alacres inuenit. Cumq; admoneretur, vt numerū ſuorum luſtraret, reſpondit: ſatis ſumus, Deo adiuuante, ad vincendos hoſtes, neq; opus eſt exercitum cenſeri. Illius equites, tam Dn̄i quam famuli, numerū octingentorū non excedebant: pedites pauciores numerabantur, quos tamen Montfortius egredi in prælium noluit. Cumque is de more, milites alloqueretur, adfuit Toloſanus Epiſc. Epiſcopali tyara inſignis, Crucem in manib. ferens: quod ſalutis ſignum, omnes ex equis deſilientes, oſculo demiſſo adorauere. Inde Conuenarum Epiſcopus, in eminentiorem locum conſcendens, vt ab omnib. conſpici poſſet, Cruce de manu Antiſtitis Toloſani accepta, exercitum benedixit, illiſq;, qui eo bello, contriti & confeſſi pro pietate pugnantes occubuiſſent, remiſſionem omnium peccatorū pollicitus eſt. Inde mox Simon in tres turmas equitatu diſtributo, in nomine S. Trinitatis, in hoſtem iuit intrepide. Interim Epiſcopi in Eccleſiam ingreſſi, vt Deum, pro eius ſeruis, qui ſe mortis manifeſto diſcrimini perlibenter exponebant, deprecarentur, tantis clamoribus præ præſenti anguſtia preces ad DEVM emittebant, vt non orare, ſed vlulare penitus viderentur. Quamprimum vero in apertum ſe Simon cum ſuis campum effudiſſet, obuiam habuit innumerabilem hoſtium multitudinem in prælium ruentium. Ibi Cruceſignatorum prima & ſecunda turma, incredibili ardore, neque ſine diuino impulſu, in medias hoſtiū acies penetrauit. Simon qui in tertia turma erat ſiniſtro ex latere hoſtes adortus eſt. Atroci prælio conſerto, Rex Aragonum in ſecunda acie depugnans, cum plurib. Aragoniæ procerib. occubuit. Magna inimicorum cōſternatio, & cōfuſio facta: mox cędes & fuga. In ardore ipſo prælij Toloſates, qui immenſo numero in Regio exercitu erant, maximo impetu in Murelū oppidū, vt illud interciperent, incurrerunt. Id cernens Toloſanus Epiſcopus, qui

in acie erat, ad eos religiosum quendam misit, orans & admonens, vt arma deponerent, & ad Deum, atq; Ecclesiam reuerterentur. Se enim vitam hoc pacto ipsis spondere: alioquin proximâ mox mortem subituris, imminente Crucesignatorum victoria, signumque ac vadem securitatis sacrum Religionis cucullum (erat enim Monachus Cistercien sis) illis obtulit. Hi verba Episcopi irridentes, clamabant. Regem Aragoniæ, exiguam manum Crucesignatorum fudisse: atq; sic cucullum de manu ferentis rapientes, ipsum grauiter vulnerauerunt. Inter hæc Crucesignati redibant, insigni parta victoria, cum in Tolosanos impetu facto, multa eorum millia occidissent. Porro Comes Montfortius, duci se imperauit ad locum, vbi Rex Aragonum iacebat occisus: quem cum spoliatum aspexisset, pietate cõmotus, ex equo desiliit, corpusque exanime complexus instar Dauidis Saulem deplorantis, lachrymas super Regem interfectum fudit. In eo prælio hostium ad viginti millia, partim gladio, partim flumine, dum per medios gurgites euadere conarentur, absumpta, cum è Crucesignatorum nobilitate, cum paucis obscuri nominis interierit. Montfortius vero Christiana pietate insignis, cognoscens tantam victoriam non humanis viribus, sed Diuino auxilio comparatam esse, relicto equo, nudis pedib. ad Ecclesiam processit, ibique cum ingenti suorum gaudio, gratias omnipotenti Deo pro tanta victoria dedit, atque equum & arma, quibus in eo prælio pugnauerat, in pauperes distribuit. *Petrus Monachus de valle Sernarii in Histor. Albigens. ac.* 121. *vsq; ad* 129.

IX. ACCEPTA VICTORIA FERTVR D. VIRGINI. a *Flavin. Apold. Anton. Fernandez.*

Vitæ a D. Dominici scriptores, eam victoriam Diuæ Dei genitrici virgini Mariæ acceptam ferunt. Namque ea Dominico expostulanti: ecquid ad tantas operas, tam pauci Albiensium cõuerterentur: apparuerat, & qua ratione hostes Diuinitatis, siue ad mentem reuocaret, siue amentes profligaret, instruxerat, nimirum prædicatione mysteriorum incarnationis, passionis, & gloriæ filii sui: & consentanea mysteriis orationis formula, quam & Psalterium, & Rosarium adlibuit appellare. Quindecim decades salutationum Angelicarum, quindecim orationibus Dominicis adiunctarum, hîc ritus orandi complectitur: accommodatus ad contemplanda quindecim mysteria redemptionis nostræ, sc. In carnationem verbi, visitationem Elisabethæ, nativitatem Iesu, Oblationem ipsius, & doctrinam duodennis, tum deinde orationem eius in horto, flagra ad columnam, diadema spinosum, Crucem impositam, eandem que & mortem pro generis humani salute ipsi illi illatam, ad extremum, resurrectionem eius à morte, ascensionem super cœlos, missionem Paracleti, assumptionem Deiparæ, eiusque gloriam, felicitatem atque potestatem, qua eminet vniuersis. Dixisse, aiunt, Reginam Cœlorum. Nullum hoc genere prædicationis & orationis efficacius fore, ad animos feroces mansuefaciendos, ad Satanam conterendum, & ad Diuinam benignitatem conciliandam, & quod maxime commodaret, ad hostes profligandos, ad morbos depellendos, & inprimis ad peccatores conuertendos. Exitus fidem dedit. In eo prælio, quod cum Albigensibus apud Tolosam Simon gessit, aliquis Britannus ex nomine Alanus id conspexit. Is eques, cum parua manu aduersus ingentes hæreticorum copias, numero & viribus longe impar, multis iam acceptis vulneribus, hostili circumdatus agmine, extemplo vidit sibi adesse felicissimam Dei genitricem, quæ centum & quinquaginta lapides in hæreticos proiiceret, atque eos d. prosterneret, & profligaret. Alter quoque miles nomine Antonius in signis & vexillis sertum Rosaceum, quo hostibus terrorem incuteret, suis vero excuteret, præferebat. Non incassum, non semel enim pugna ingraueſcente cælitus globorum ignitorum grando hostiles copias obruit, & attriuit. Alias iaculis desuper missis, innumeri sunt confixi. Frequenter autem periclitanti Antonio, ignota legio præsto fuit. Secuta est victoria non tam humanis, quam supernis viribus parta. Simon enim Montfortius, qui non plures quam 800. equites & mille pedites in exercitu numerabat, centum millia hæreticorum partim prostrauit, partim fugauit, vt res & fama est, oratione Rosarii: quam centum quinquaginta salutationes Angelicæ, quasi totidem lapides pretiosi adornant.

Præstat porro ex hac occasione aliqua miracula ad probandum SS. Rosarij institutum recensere. Sit que istud *Primum ex ordine.*

Beatum Patrem Dominicum sacrum hunc ritum populum edocentem, ac multa de eius vsu & commodo disserentem, Hæreticus cynico ore momorderat ac luserat. Et ecce pœnam, in diuidua rem fere flagitij comitem: tanta eum multitudo Dæmonum inuasit, vt totum crederent barathrum migrasse. Post Dominico varijs quæstionibus terros miselli hominis in colas confundente, adfuit B. virgo magna spirituum armatorum copia. Frequentatum est Psalterium seu Rosarium: ad quodque Aue Maria, quisque dæmonum cessit: ita vt ijs omnibus persolutis, hic etiam iniquis illis hospitibus solutus fuerit, ac plane exemptus. Vit. B. Dominici conscripta à B. Iordan. Vmberto, & Theodorico de Apoldia.

X. PRÆCLARA MIRACVLA AD PROBANDVM INSTITVTVM ROSARII. ALBERTVS DE CASTELLO EX VARIIS AVCTORIBVS.

Secundum est istud. Eximium hunc Rosarii præconem ludens quidam Episcopus, tricas ea esse & dignas colo fabulas iactitabat. Cæterum illum hoc somnium correxit, videbat mulros secum aquarum gurgite obuolui, hic strui à Dominico pontem, in quo eo 150. turres, in quibus extractos, singulos refocillabat, transmittens eos hinc in hortum spatiosum, vbi virgo Deipara solio residens Regio coronas dispertiebatur: atque accedentem ad se Episcopum increpabat, monebat, vtque de re sanius sentiret suadebat. Verum tempore, vt fit, si non refrixerat, at certo intepuerat Episcopus. Et ecce aspexit multis sese cum aliis teterrima in palude suffocandum, desuper vero (id erat somnii) Deiparam & Dominicum catenam centum quinquaginta nodis insignem, maiusculis quoque hinc inde intertextam demittentes, qua eximeretur.

Et istud non contemnendum. Beato DOMINICO causam salubris illius ritus pro concione agente, adfuit quidam Petrus Baro, ipsiusque Beati Patris affinis, sed scelestus: vidit hunc, non tam corporis quam mentis oculo Dominicus; vidit, fleuit, Dominum vt vera ac viua peccatoris forma horribilem prostitueret, rogauit. Inauditum spectaculum. Tota concio à dæmonib. eum cinctum ac vinctum conspiciens, diffugit. Matrona nobilis eius coniunx, hoc mariti statu viso exhorruit, vlulauit. Diuus autem ei Dominicus Rosarium transmisit, quo peruoluto, confessione se emundauit, & rosarij institutum amplexus, merito diaboli formam deposuit, & tum demum homo esse cœpit quinetiam tot iam Angelis stipabatur, quot ante dæmonibus vexabatur.

Istud fatum. Blancha Franciæ Regina prolem mire ambiebat, eiusque defectu summopere angebatur: se Reginam nihili existimans, nisi etiam Regis mater diceretur. Consuluit Dominicum. Is vt singularem erga D. Virginem affectum induceret, illudque eius Rosetum euoluere tur suasit. Cessit illa consilio, & ecce puellum parit, illum quem cum dignitas, tum vero sanctitas in Rege prope incredibilis ad nos transmisit, Ludouicum vtpote quem non tam Blancha mater, quam Maria Virgo parturiuit: cum hæc, vt illa pareret, dedit.

Istud salutare. Vsurarius quidam Iacobus nomine, multas quæstu illicito opes corraserat, hoc vno bonus, quod B. Virgini vehementer adficiebatur, atque eius Rosarium repetebat. Stupendum: Sine arbitro quondam orantis aures & animum adeo seuera quædam admonitionis vox perstrinxit, vt plane inueteratam vitæ flagitiosæ consuetudinem excusserit. Namque D. Virgo ei dixit. Iacobe, redde rationem filio meo. Moriturus denique D. Michaelem vidit mala ac bona opera libra expendentem. Sed, heu plurimum illa suam partem supprimebant. Actum erat, nisi virgo parti alteri Rosarium prægraue apposuisset.

Istud gloriosum. Puella gregarij cuiusdam filia curas pastorales suaui hoc Rosario solabatur, rurique deserto in templo miram cũ imagine inibi Deiparæ Virginis familiaritatem contraxerat. Gemini ordinis Prædicatorum illac tendebant: quorum vno (diuina id sane ordinatione) dormitante, alter orationi se dediderat. Rem nouam quam quidé insomnis hic, ille vero somnians non iam somnians vidit. Terne Diarum cohortes ad decumbentem puellam, iamque animam agentem properabant, quod agmen D. Virgo Deipara claudebat. Indignum enim existimabat, tam amicam sibi animam incomitatã excedere. Non dissimile om-

nino huic quod sequitur. Tres sorores quædam Confessoris sui instinctu, singulæ singulas Deiparæ Virgini vestes spirituales per Rosarij frequentationem contexebant, fore nouam & admirandam virginis remunerationem expectantes. Nec in irritum preces cecidere. Noctu vna cum D. Catherina & Agnete Virg. Maria virgo splendidissimis ornata vestibus (quo gratum fuisse hoc sibi ministerium testaretur) ijs apparuit, & ad cælestes epulas inuitauit. Illæ ad suauissimam illam immortalitatem adspirantes, & huius vitæ vel potius mortis pertæsæ, singulæ corporæ solutę ab Angelis euectæ sunt, ad gloriam sempiternam.

Istud mirum admirandum. Matrona quædam Lucia nomine, cum genere, tum pietate nobilis, patriæ suæ Hispaniæ erepta, ab infidelibus in Africam trahebatur. Hic indignis ministerijs (nulla habita iam fœcundi uteri ratione) obruebatur, ita vt inter iumentorum stercora squallens parturiret. Quid faceret? ad Rosarium virginis iam olim sibi familiare confugit, & ecce, quæ nunquam suis deest aditrix, etiã huic pregnanti obstetrix adesse dignata est, excepit puerum, fouit, Christus sacra indutus infula eundem baptizauit. Post dierum pauxillum Angelus eam ad debitam mundationem inuitauit: ad Ecclesiam ignotam deduxit comitib. D. Anna & Magdalena, ipsa etiam Deipara præsente, vbi Christum Missæ officium peragentem, ipsum illum qui se porrigit suscepit, & paulo post se & sibi & patriæ restitutam vidit.

Neque duo ista sunt omittenda. Puella quædam, cui familiare admodum erat Rosarium, amicos (dedicationis causa) cum sodale inuisura properabat. Et ecce, duo lupi, quos diuina fames armauerat, in eas insiliunt. Altera quidem (miserum) ipsos pauit. Hæc vero D. Virginem obtestari, supplicare, vouere, quo saltem confessioni & communioni locus detur. Cernere erat aaulsa iam huius vbera, ventrem lacerũ, itia vtero non iam inserta sed appendula. Nec mora: ab accurrentibus vltimus eius spiritus, in fugam lupis conuersis, defenditur. Triduo etiam vixit, confessa est, communicauit, virgo ei visibiliter apparuit, exceptura animam, atque cœlo illatura.

Diriis hoc. Mulier Antuerpiæ dæmonib. sese pacto deuouerat; & istud ipsum etiã proprio sanguine firmauerat. Postea vero quam Rosarii sodalitio nomen dedit, ad sacramentum, Diabolus iussu virginis (testatus est id ipse) chirographum restituit. Duo alia admiranda sub finem vitæ D. Dominici ad annum Domini 1221. vide, lege, & mirare.

XI. INSTITVTVM ROSARIVM CONTRÁ BLASPHEMIAS ALBIGENSIVM IN B. VIRGINEM AD. DOMINICO.

Eam porro institutionis SS. Rosarij rationem atq; miracula, omnes scriptores, paulo fusius in hanc ferme sententiam exponunt:

Inter turpissimos Albigensium errores, quos blasphemo ore impij euomebant, ille non postremus fuerat, quo puritatem & integritatem Sanctæ Virginis Mariæ fœdum in modum lacerabant: cum per summam impudentiam, voce impurissima, meretricem Dei matrem, appellarent, eiusque illibatam virginitatem infami infamia violarent. D. Dominicus, cui nihil post Deum magis cordi erat, quam Diuæ Deiparentis virginis amor & honor: in qua tamquam in tutissima anchora spes suas, quisque Christianus collocare debet, vehementissimo animi dolore discruciabatur, cernens hæreticorum procaciam, & summum oris propudium. Quapropter sacram virginem assiduis ac fere continentib. precib. interpellabat, vt honorem dignitatemq; suam aduersus blasphemantium furores tueretur, & tantæ malorum inundationi omnia obruenti, præsenti remedio occurreret. Haud dubium, quod ab inspiratione meliore, nullam vir Apostolicus maiorem aliam capiebat consolationem, nulla que illi dulcior ac frequentior occupatio erat, quam corde cogitare, & ore proferre semper Angelicam salutationem. Istud porro, vt omnes quib. cum agebat, facerent, eos enixissime hortabatur. Ergo cum in vrbe Albiorum impiam hæresim, doctrina & prædicatione conaretur extinguere, neque sic se multum, quemadmodum optabat, proficere videret, eo quod arte diaboli miserorum hæresi deceptorum corda valide obstruerentur: ad sacram virginem confugiebat, & prouolutus in genua, piis querimoniis, & ex alto pectore ductis suspiriis, totum cubile lachrymis inundabat. Quid esset, quod sic dignitatem suam impurissimo hæreticorum ore labefactari tolerarent, & tot animas pretioso sanguine filij sui comparatas, in perditionem abire sineret: cum ipsa relicta sit in Ecclesia, vnicum in rebus aduersis præsidium, inq; rebus plane deploratis perfugium. Audiuit misericordiæ Regina preces serui Dominici, seque illi quodam die feruentissime oranti in manifesta visione conspicuam exhibuit, multoq; splẽdore & gloria circumdata, sic illum alloquuta est: Bono animo esto, Dominice: Nosti quanto impendio sanguinis & vitæ, amantissimo Dei Patris & meo vnigenito, salus hominum steterit. Non vult ipse perire, quod seruauit & redemit. Perseuerantia opus est, sine quare præclare non geruntur. Mentem itaque optima spe corrobora: fructum verbere laborum reportabis. Quod nunc in tot malis magnum erit remedium. Meditationem maiorum Redemptionis humanæ mysteriorum, omni studio populis prædica: & vt se gratos tantis beneficiis, ea saltem pia recordatione præstare velint, eos commoneface. Rosarium institue: eamq; precandi formulam, quam tibi trado, homines edoce, actum filio meo, tum mihi longe esse gratissimam admone. Hoc erit vnicum, ad euertendas hæreses, vitia, extinguenda, virtutes promouendas, misericordiam Diuinã implorãdam, suffragiaq; mea impetranda, magnum & singulare in Ecclesia instrumentum. Volo autem, adeoq; iubeo, vt tu, tuiq; in Religione Prædicatoria successores, huius cœlestis, & à me excogitati ritus sitis perpetuo præcones, & annuntiatores, vnde ingentes vtilitates in animis fidelium orientur, neq; ipsa ope, auxilioque, sequentib. subinde signis, vmquam defuero. Istud eximium & singulare donum, à me tibi & sufrecturo tuo mox Ordini, pacto firmo in æternum esto. Ex eius maiestatis visione, primũ perterritus Dominicus: deinde amplissimo Virginis munere egregie confirmatus, dici non potest, quanto mentis gaudio fuerit perfusus. Inde actis, quantis poterat, sacræ Deiparæ gratijs, summaq; veneratione exhibita, cœpit vir Sanctus incredibili ardore denotionem SS. Rosarii populis prædicare, tanto cum audientium fructu, vt quamplurimi, relictis erroribus, ad Catholicam fidem redierint: & innumerabiles, qui peccatorum voraginib. immersi hærebant, mira Dei benignitate resipiscerent, & ad præclaram virtutum frugem emergerent. Ad eum modum, *Diuus Dominicus*, (quod Pius Quintus Pontif. Max. in diplomate, cuius initium est. *Consueuerunt*: dato Romæ anno 1569. die XVII. Septemb. Pontif. sui anno IV. his ipsis verbis affirmat) *Spiritu Sancto, vt pie creditur afflatus, occasione, quo Albigensium hæresis per partes Galliarum & Italiæ miserè grassabatur, & tam multos excæcauerat seculares, vt in Domini Sacerdotes & Clericos sæuissime furerent: leuans in cœlum oculos, & montem illum gloriosæ virginis Mariæ Almæ Dei Genitricis respiciens, modum facilem, & omnibus peruium, ac admodum pium, orandi & precandi Deum, Rosarium, seu Psalterium eiusdem Beatæ Mariæ virginis nuncupatum, quo eadem Beatissima Virgo salutatione Angelica, centies & quinquagies, ad numerum Dauidici Psalterii repetita, & oratione Dominica, ad quamlibet Decimam, cum certis meditationibus, totam Domini nostri Iesu Christi vitam demonstrantibus, interposita venerantur, excogitauit, & excogitatum per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ partes propagauit.*

XII. EXORIENS ROSARII INSTITVTVM ALIIS ETIAM MIRACVLIS B. VIRGO CONFIRMAT.

Adfuit Beatissima DEI mater, exorienti nouo Rosarii instituto, eiusque nascentis primordia clarissimis miraculis illustrauit. Horum alia nonnulla, ex bonis auctorib. accepta, hîc adlibuit inserere.

Hoc tempore, quo bellum aduersus Albigenses gerente Simone Montfortio, hæretici quidam in quadã domo conuenerant, vt ignis experimento probarent, num libellus à S. Dominico cõscriptus, fidem Catholicã contineret, libellusq; ter in flammas proiectus, toties illæsus exiliebat: aderat tunc præsens inter miserandos illos, vir quidam nobilis Anton. Tolosanus, sed hæretica fraude multis ab annis infamis, qui pro errore sectæ suæ nefandæ, quindecim integros retro annos, sine cõfessione transegerat, numquã Sacerdoti peccata sua confessus, neq; vmquã sacra exomologesi Christiano ritu peracta, expiatus. Hic viso tanto miraculo, libelli Orthodoxi exigne tertio resilientis, p stupore extra se raptus, domum se recepit. Vbi cum sæpius rẽ gestam mente peruolueret, subito, horrendũ dictu, à dæmonib. rapitur, & in infernum defertur. Ibi ostensa fuit illi pœna, qua æternum puniuntur, qui Sacrosanctum Confessio-

nis Sacramentum contempserunt. Vidit enim laterib. eorum affixos horribiles dracones, qui immani sæuitia infelicium carnes discerpentes, corda illis arrodebant, & comminuebant, quod ea adeo dura & adamãtina, aduersus Dei benignitatem antea gestauissent, obdurati ad confitenda peccata. Audiebat pariter, quia dolore oppressi, horribiles gemitus & clamores edebant, tristissimoque roboatu fremebant. Lachrymarum porro loco, ex oculis, metuendi globi flammarum profundebantur: ex ore autem fœtidissimarum rerum spurcitias & sordes colluuione quadam abominanda vomebant, in quæ locum reiectarum, serpentes, buffones, viperas, & id genus venenatarum bestiarum magnam vim resorbebant. Hæc cernens miser ille, pauore nimio tremefactus, nihil iam amplius expectabat, quã momento in ea atrocissima supplicia à dæmonibus præcipitari, tantus eum timor, & horror mali præsentis inuaserat. Inter hæc subijt illi in mentem, miraculum sancti Dominici, quod antea aspexerat, simulque vitii sanctitate & doctrina, in mentem reuocata: cum deuotionem quoque erga DEI genitricem, eiusque sancti Rosarij memoriam refricasset; nonnulla suborta fiducia, virginem toto pectore, in suprema illa necessitate implorauit. Adfuit Mater misericordiæ, & illum miserum manu apprehensum è turba dæmoniorum & illo inferni horrore eripuit, inq; cubile suum restituit: serio admonitum, ut eiurata hæresi, peccata sua confiteretur alioquin sciret, se in tormenta quæ viderat, certissime detrudendum. Vbi illuxit, sanctum Dominicum adiit, ad eius pedes se abiecit, rem gestam exposuit, illique omnia peccata sua summa cum cordis contritione confessus est. Sanctus autem vir, hominem Christo & Ecclesiæ reconciliatum admonuit, vt deinceps, ni vellet tantis beneficiis ingratissimus existere, & in æterna supplicia ruere, deuotionem SS. Rosarii arriperet, Beatamq; virginem Mariam toto vitæ tempore, singulari affectu, vt Patronam, & liberatricem veneraretur.

Quod is imposterum omnibus viribus præstitit adeo, vt cum ordines in exercitu Catholico duceret, pro signis & vexillis non alia insignia præferret, quam SS. Rosarii effigiem: quo signo egregias de hæreticis sæpius victorias reportauit, & Rosarium tanquam nobile tropæum erexit. *Flaminius in vita S. Dominici.*

Istud, quod Collector appendicis Summæ exemplorum narrauit, dignum est quod legatur: quod hoc, vel superiore anno contigisse certum est.

Fidelissimo famulo Virginis Mariæ sancto Dominico, magni Rosarij eiusd. virginis mysterium (quod 150. salutationib. Angelicis & 15. orationib. Dominicis constat) publice apud Carcassonam annunciante, innumera populi multitudo se totam, tam sancto deuotoq; seruitio B. Virginis deuouebat. Aliquis sectæ Albigensi hæreticus istud perspiciens simul & ægre ferens, non modo deuotum hoc exercitium, Diuiq; Dominici Conciones damnabat; verum etiam eo temeritatis & audaciæ prorupit, vt variis calumniis ipsum dire imperceret, tantique viri famam denigraret. Vnde factum est, vt nonnullos hæreticos, qui & hæresim abiurare, & sacro Beatæ Virginis seruitio cultuique se dedere cogitauerant, à Sancto proposito retraxerit. Quamobrẽ Beata Virgo Mater quibusdam signis manifestare cupiens, quam grata ista salutatio sibi esset, impetrauit, vt iusto Dei iudicio, in multorum dæmonum potestatem vir ille hæreticus veniret. Ab his, verum in modum obsessus fuit adeo, vt vestes suas omnes dentibus discerperet, aliisue modis insolitis rabiem suam ostenderet. Parentes illius eum cohibere cupientes, eumdem vi continuerunt, & non tantum funibus, (illico enim frangebantur) veram etiam catenis ferreis constrinxerunt. Ligatus ad eum modum, vociferabatur, blasphemabat, omni genere odiomatum loquebatur, multorumq; peccata publice detegebat. Istud parentes, & amici eius perspicientes, eum ad seruum Dei B. Dominicum deferre decreuerunt, deprecantes, vt quemadmodum à plurib. iam ejecerat dæmonia, ita eius quoque misereri dignaretur. Quo peracto, statim atque B. Dominicus Rosarium coram vniuerso populo (duodecim millia hominum excedere credebatur) multum deprædicasset, atque Concionem absoluisset, dæmoniacus iste hæreticus vi delatus est, & ad pedes Sancti Concionatoris adductus. Omnes autem ab ipso humillime petebant, vt ei, hosti olim offensam dimitteret, atque ex illius corpore malignos depelleret. Res admiratione dignissima. Namque in dæmoniaco isto corpore, voces quasi plurium personarum inter se colloquentium, audiebantur. Misertus illius sanctus Dominicus, toto audiente populo inquit: In nomine SS. Trinitatis, atq; Beatissimæ Virginis Mariæ, cultusq; ipsius, de quo iam verba feci, vobis ô maligni spiritus præcipio, vt quæstionibus, à me, vobis proponendis, coram omni populo dilucide respondeatis. Primum igitur quæro à vobis: Cur hunc hominem ingressi fueritis: quotq; numero diaboli in ipso resideatis? Post multos & graues vlulatus, randem responderunt: Prima causa, propter quam homo iste à nobis obsideatur, est peccatum irreuerentiæ in Virginem Dei matrem ab ipso commissum: quod quidem nos summo odio prosequimur.

Secunda causa est, ipsius incredulitas. Ante enim vnum mensem, pessimus hic hæreticus, tibi eodem modo quo nunc concionanti noluit fidem adhibere: monitionesque tuas contemnens, teipsum derisionibus & cachinnis prosecutus, tibi ausus est in concionibus contradicere, hæresisque suæ sectarios aduersum te commouere. Quamobrem iusto DEI iudicio coacti, vsque ad quindecim millia (eo quod contra Psalteriam virginis Mariæ loqui præsumpsisset) ingressi sumus, neque id sponte nostra actum est, sed nobis plane inuitis. Nam quantum ad nos attinet, ipsum ingressu nostro torquere minime prætendebamus, propter lucrum quod per ipsum reportabamus, vtpote qui tot animas nobis seducebat. Interroganti porro Diuo Dominico: Car vsq; ad xv. millia illum obsedissent? responderunt, propter xv. decades SS. Rosarii, contra quas male sanus blatterabat. Cum autem secundo quæreret: vt quid se ad illum ad duci permisissent? pronunciarũt, maximo cum tumultu: id ad suam ipsorum ingentem confusionem factum esse; maxime quod is magnum detrimentum tartareis regnis allaturus esset. Tertio deinde rogauit: Num omnia, quæ de SS. Rosario proposuerat, vera essent? Tunc magis quam antea horribiles ediderunt voces; & deinceps respondentes dixerunt: Maledicta sit illa hora, qua impudicam hanc statuam intrauimus. Væ nobis in æternum. Cur non eum antequam huc adduceretur, suffocauimus? Serius nunc est, & id iam præstare nequimus. Nam flammis ardentibus nos detines adurendos, & duris diris que constringimur catenis ignitis, quibus veritatem ipsam publicare compellimur? quamuis istud non sine graui nostro præiudicio futurũ non ignoremus. Audite igitur vos Christiani ac Christianæ. Dominicus iste crudelis, & implacabilis noster hostis, quæcumq; de Maria eiusq; Rosario publice annunciauit, verissima sunt. Sciatisq; maximam vobis pro vestra incredulitate ruinere calamitatem: si prius verbis & dictis fidem non adhibueritis. Quarto loco rogauit eos: Quisnam esset iste homo, quem maxime dæmones detestarentur: Responderunt; Tu ipse es. Nam tuis precibus, tuo seuero viuendi pœnitendiq; modo, deniq; tuis prædicationib. vnicuiq; viam paradisi ostendis quib. rationibus nobis nostras eripis prædas nonerisq; totam nostram tenebrosam congregationem & cohortem infernalem contra te concitatam esse, missseq; fortissimos & maxime noxios spiritus, qui quam poterunt subtilissime in te tuosq; absq; vlla misericordia impetum facere, te decipere, & supplantatum detinere adnitũtur. Hic Diuus Dominicus, ad populum conuersus: Absit à vobis, ô Christiani, inquit, omnib. quæ à dæmonib. dicuntur, credere. Mendaces. n. sunt, & mendaciorum inuentores. Verum tamen est, Deum, vt est omnipotens, posse conferre virtutem etiam misserrimo & vilissimo peccatori, ad debellandos, opprimendosque omnes hostes infernales, quemadmodum id hodierno die fieri videtis à me; à me, inquam, qui inter omnes peccatores sum maximus. Ad hanc vocem dæmones, prorupere: Maledicta sit (dicentes) talis & tanta humilitas, quæ nos tantopere contorquet, & cruciat. Hic vero B. Dominicus iniecto orario seu stola (namque scapulare nondum gestabat) in collum obsessi, in quisiuit: quinam inter Christianos maxime damnarentur? Nouum quid, & singulare tunc prorsus accidit. Nã simul ac orarium contigit collũ demoniaci, primus ex eius narib. effluxit sanguis crassus & spissus:

ex auribus autem lutum ad instar veneni cuiusdam, ore vero desuper vomebat. Ibi Sanctus Dominicus dixit dæmonibus. Præcipio vobis in nomine Iesu, vt hunc miserum peccatorem torquere desinatis. Responderũt: Si nas ergo nos hinc abire. Quibus sanctus Dominicus dixit: Hinc non recedetis, nisi ad quæstionem paulo ante propositam respondeatis. Responderunt ergo hunc in modum. Antistitũ, & principum vtriusque sexus, magnum habemus numerum: colonorum vero & rusticorum parcum. Licet enim boni & perfecti non sint, tamen tantis peccatis atque illi obnoxij non sunt. Mercatores & oppidanos quam plurimos habemus. Persæpe enim per auaritiam & fraudes, & sæpissime per delitias & voluptates carnales in barathrum descendunt. Subiunxit S. Dominicus: De Sacerdotib. vero & religiosis, quid? Responderunt: innumeros se Sacerdotes possidere: at vere Religiosos nullos: plurimos autẽ ex his, qui nulla Ordinis sui statutorum habita ratione, ea per temeritatem transgrediuntur. Intellexit hæc de suis fratribus Dominicus: & quid de Francisci assectis esset, interrogauit: Tunc ad hoc renouatis vocib. & clamorib. respondertnt, dicentes: heu, heu, ex illis pro tempore nullum habemus; futurum vero est, vt infinitos recipiamus; cum nempe statutorum, ceremoniarum rationes pessimi ierint, ipsaq; deuotio refrixerit. Sexto, D. Dominicus quæsiuit: Quis esset Sanctus in cœlo, quem ipsi magis formidarent, & quem homines maxime glorificare diligere & colere deberent? Hac petitione audita, omnes simul dæmones tam horribiliter irrugierunt, vt homines consternati, in pauimentum corruerint. Ibi D. Dominicus cunctis silentio imposito, omnes animauit: sed tamen à dæmonibus hæc verba audiuit: O Dominice, Dominice miserere nobis; pollicemurq; nos numquam tibi nocituros. Subiungebant: Totus misericors es erga miseros peccatores; neq; ignoras nos esse omnium maxime ab omnibus maledictos. Curergo tantopere cruciatibus, & tormentis nostris oblectaris? Tibi sufficiat pœna, quam ex inferno sustinemus. His Dominicus ait: Torquere vos non desinam, donec quæstioni propositæ satis feceritis. Orabant interim dæmones, ne id publice in tanta hominum multitudine ederent: eo quod ingentem iacturam inferno futuram affirmarent. Cæterum Dominicus in terram prostratus, Diuam Deiparam per virtutem SS. Rosarij interpellabat, vt hos verum propalare cõpelleret. Hic ex auribus, naribus, & ore hominis confestim flamma erupit, nullum tamen læsit: dæmones autem Dominico dixerunt; Per passionem Iesu Christi, & per merita eius matris, nec non per suffragia Ecclesiæ Dei te rogamus, vt nos hinc abire permittas. Nam Angeli sancti, istud quod quæris, cum tibi libuerit, statim reuelabunt. Quantum ad nos attinet, cum falsi & simus, & iudicemur; nullam Christiani nobis adhibebunt fidem. Hæc aereæ potestates excusabant, cum D. Dominicus iterum SS. virginem Matrem imploratet, vt eos puram sinceram veritatem renunciare compelleret. Finita oratione, subito apparuerunt plusquã centum Angeli, armis aureis succincti, iaq; eorum medio gloriosissima Dei mater, quæ virga aurea, quam manib. ferebat, dæmoniacum percussit, iussitq;, vt vera enunciaret, quæcumq; Dominicus inquireret. Ibi dæmones exclamare cœperunt: O inimica nostra, ô nostra damnatrix, ô confusio nostra: Quare de cœlo descendisti, vt nos hic torqueres? Nunc per te, quæ infernum euacuas, & pro peccatoribus tam quam potens Aduocata intercedis, ô via cœli certissima, & securissima, cogimur sine mora, totam rei annunciare veritatem. Nunc declarandum nobis est, simulq; publicandum ipsum medium & modus, quo nosmetipsi confundemur. Vnde væ & maledictio in æternum nostris tenebrarum principibus. Audite igitur vos Christiani. Hęc Christi mater, potens est nimis in præseruandis suis seruis, quominus præcipites in barathum inferni ruant. Illa est quæ dissipat, vt sol tenebras, omnes nostras fallacias. Illa eneruat & ad nihilum redigit, omnia nostra machinamenta. Fatemur coacti; neminem nobiscum damnari, qui in eius sancto cultu, & pio obsequio deuotus perseuerat. Vnicum eius suspirium, ab ipsa & per ipsam sanctissimæ Trinitati oblatum superat & excedit omnium Sanctorum preces; magisq; eam reformidamus, quam omnes paradisi ciues, neque contra fideles eius seruos quicquam possumus prætualere. Notum sit etiam vobis, plurimos Christianos in hora mortis ipsam inuocantes contra iura saluari, nisiq; Mariæ ista obstitisset, nostrosque conatus repressisset, à longo tam tempore Ecclesiam exterminassemus. Nam sæpissime vniuersos Ecclesiæ status & ordines à fide seduxissemus. Amplius etiam, necessitate compulsi, renunciamus, nullum in sancto exercitio SS. Rosarii perseuerantem, æternos inferni subire cruciatus. Ipsa enim deuotis seruis suis veram impetrat contritionem; qua ratione fit, vt & peccata sua confiteantur, & eorumdem indulgentiam à Domino consequantur.

Dixerant ista dæmones; Diuus autem Dominicus singulos de populo hortatus est, vt clara voce, & tractim Rosarium Beatissimæ Virginis recitarent. Recitabat & ipse, maxima cum deuotione; & tunc, ô miraculum ingens, ad singulas salutationes Angelicas, multitudo copiosa dæmonum è corpore hæretici, in specie carbonum ardentium erumpebat. Hisad eum modum transactis, Virgo & mater sanctissima, suam populo impertiuit benedictionem; eaq; disparente, homo ille à dæmonio liberatus, occasionem hæreticis dedit, vt multi ex ipsis ad fidem conuersi, hæresim abiurarint, studioseque SS. Rosarium recitantes, totos se cultui Beatissimæ Deiparentis deuouerint. *Joannes Martinus Valencenens. 1-part. c. 5. ex Iordano, Constantino, Lumberto & Theodorico scriptoribus vitæ S. Dominici.*

XIII. GENTILES CONVERTIT INNOCEN. IN LIVONIA.

Non segnior fuit Innocentius in Gentilibus conuertendis. *a* Episcopus Eclensis cum militibus Christi multum operæ posuerat in Liuonia luce Euangelica illustrãda. Huic lumini nonnihil Episcopus Rigensis resistebat. Quapropter Innoc. eidem præcepit, vt pactis cum militibus conuentis acquiesceret, neq; eos in ædificandis Ecclesiis, præsertim in insula Holinensi impediret. Lundensi quoq; Archiepiscopo, vt apud Sachelam & Hugenhusen, quæ verbum Dei receperant, Ecclesiam Cathedralem erigeret cõmisit: atque vniuersis Christi fidelibus tum in Saxonia, tum in Polonia iniunxit, vt Episcopo Eclensi in Gentium conuersione laboranti auxilia ministrarent.

Neq; etiam minimam partem curarum, Orientalis Ecclesiæ negotia, ab Innocentio vendicabant. Et enim *b* Cõstantinopolim Pelagium Episcopum Albanens. pro componendis eiusdem Patriarchi rebus destinauit: eidemque & vniuersis Principibus, Archiep. Episcopis, Abbatibus, Clero, Nobilitati & populis, vnitatem Ecclesiæ Græcorum cum Latina commendauit. In subsidium autem Terræ sanctæ, *c* Regem Hungariæ & Petrum Ziani Ducem Venetum inuitauit. Ne autem vires Christianorum per Hierosolymitani Regis in subditos odium distraherẽtur, tam ipsum ne fœuiret, quã Patriarcham Hierosolymitanum, vt fœuientem in eosdem demulceret hortatus est. Leo Rex Armeniæ Templariis infestus, non minimum incommodabat rebus Christianorum. *d* Monuit illum Innocentius, ne bellatoribus pro Cruce Christi quippiam damni inferret, sed quicquid ab stulisset restitueret, viribusque cum eis coniunctis contra Saracenos dimicaret.

XIV. ORIENTIS RES COMPONIT.

XV. ANGLIA RESTITVITVR.

In Anglia lætiora. *e* Pax inter Ioannem Anglum & Philippum Gallum Reges stabilita; Ecclesiis Pontifices & possessiones restitutæ; in tabulas; pacta inter Regem & Ecclesiam conuenta, relata, atque omnia authoritate Sedis Apostolicæ roborata.

XVI. IN ITALIA ET SICILIA VARIA EMENDAT.

In Italia, *f* Marchionem Estensem ad cõercendos & in officio continendos Anconitanos misit: cum pacto vt censum Ecclesiæ Romanæ persolueret, & Marchiam Anconitanam Romanæ Ecclesiæ cognosceret.

In Sicilia, *g* Panormitanæ Ecclesiæ Pastorem præfecit, ab Ecclesia Barensi ad Panormitanam translatum. In Lombardia Marchioni Estensi Romanæ Ecclesiæ feudatario Ecelinus Patauinus plurimum incommodabat. Iniungebat Innocentius *h* Patriarchæ Gradensi, vt Patauinos, qui cum Ecelino & aliis anathemate damnatis illum perturbarent, audaciæ argueret, & à proposito auerteret. Si vero insanire pergerent, eos per censuras Ecclesiæ compelleret.

XVII. INNOCEN. CONCIL. GENERALE INDICERE COGITAT.

Quamquam autem Innocentius, vigilantiam Ecclesiasticam in seipso solo desiderari non pateretur, non grauate tamen audiuit aliorum consilia, in re Ecclesiastica adiu-

a epist. 140. & seq. uanda. *a* Cōcilio Generali opus erat. Eius mentionē vt primum intellexit Innocentius, statim Nuncios & litteras per vniuersam Europam, Asiam, & Syriam ac Palæstinam destinauit, & Patriarchas Hierosolymitanum, Alexandrinū, Antiochenum, & Constantinopolitanum, vniuersosque & singulos Episcopos ad tam piam de rebus totius Christiani orbis consultationem datis ad omnes literis inuitauit.

XVIII. Porro quanta fuerit necessitas indicendi Lateranensis Concilij, operæ pretium est narrare, simulque totam eiusdem historiam sub oculos exponere.

b Vuilhelm. Malmesbur de reb. Angl. lib. 4. c. 2. & Vuilhel. Tyrius de bello sacro li. 1 ca. 15. & seq.

NECESSITAS INDICENDI CONCILII VSE DESCRIBITVR

Vrbanus secundus Pontifex, in Claromontano satis frequenti Cōcilio, graui oratione *b* valde conquestus est, Hierosolymitanam regionem, in qua Christus Dominus minus sanguinem, vitamque, nostra causa profudit, cæteraq; illa sancta loca eiusdem Redemptoris nostri cōsecrata memoria, magno cum Christiani nominis dedecore, in Saracenorum manus peruenisse. Quare Christianę reipubl. Reges, Principes, cæterosque Christianos adhortatus est, vt coniunctis viribus, sanctam illam prouinciam ex hostium manibus eriperent; & quamprimum ad sacrum bellum sese accingerent. Ita hæc Pontificis oratio illorum animos incendit, vt penè dicto citius, militum vndique ad trecenta millia, sub diuersorum Principum ductu coacta sint, ac militari amictu Cruce insignito, vt sese ostenderent pro Christo Domino bellum gerere, Antiochiā primum, mox finitimas regiones, postremo Hierosolymam ipsam, vt permagno labore, ita ingenti gloria sint adepti: creato itidem in Hierosolymitana vrbe & ditione Rege Gottofredo strenuissimo Duce, omnium qui aderant Principum consensu. Regnatum est Hierosolymis nonaginta circiter annos: ac per id tempus Summi Romani Pontifices, officio suo ac muneri in eo regno tuendo, ac Saracenis procul arcendis, non defuere. Verum tamen effici non potuit, quo minus Guidone Rege capto, *c* Vrbano tertio Pontifice Hierosolyma à Saracenis occuparetur. Cui Pontifici cum Gregorius Octauus successisset, is impiger, Reges, Principes, populosque Christianos omnes excitauerat cum litteris, tum legatis, atque ad recuperandam Hierosolymam excitauit. Idem præstiterant, qui post eum Pontifices fuerunt; sed permulta acciderunt, quę sacro huic bello impedimentum attulere. Innocentius tertius, vir doctrina & morib. insignis, vbi Pontificatum inijt, *d* Hierosolymæ recuperationi animum adiecit. Et vero in magnam spem venit, fore vt voti compos fieret, cum suo tempore Latini aliqui *e* principes ante aliquot annos expugnata Constantinopoli, Græciam ipsam suo imperio adiecissent: & Balduinus Flandriæ Comes Constantinopolitanus Imperator esset electus; idemque curam habuit, vt Græci diuturno schismate ab Ecclesia Catholica seiuncti, ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam reuerterentur. Quamobrem Pontifex, & literis, & Legatis missis omnes ad sacrum hoc bellum cohortatus est cumq; magnopere optaret Innocentius: tum Hierosolymitanæ vrbis recuperationem, tum vniuersæ Ecclesiæ reformationem, Sanctorum Patrum vestigia secutus, Generale indixit Concilium, in quo & deprauati mores corrigerentur, & hæretici damnarentur, & Principes ac populi ad sacram hanc expeditionem adducerentur. Scripsit igitur omnibus Patriarchis, & Episcopis biennio ante Concilij celebrationem, vt ad illud accederent. Scripsit quoque Imperatori & Regibus, vt ipsi quoque oratores ad synodum destinarent.

c Rogor. annal. Anglic. part. poster. [illegible]

d Vrsperg. in chron.

e [illegible] Bal- [illegible] ep. [illegible] 91.

Ad eum modum, fere omnibus Christi fidelibus scripsit Innocentius, pro subsidio Terræ sanctæ.

Epistola ad Vniuers. Christi fidel. per Moguntinam prouinciam constit. &c.

Quia maior nunc instat necessitas, quam vnquam institerit, vt terræ Sanctæ necessitatibus succurratur, & de succursu speratur maior, quam vnquam prouenerit vtilitas proutentura: ecce resumpto clamore clamamus ad vos, & pro illo clamamus, qui moriendo voce magna clamauit in Cruce, factus obediens Deo Patri vsque ad mortem Crucis, clamans, vt nos ab æternæ mortis eriperet cruciatu. Qui clamat etiam per seipsum & dicit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me, ac si diceret manifestius. Qui vult me subsequi ad coronam, me quoque subsequatur ad pugnam, quæ nunc ad probationem proponitur vniuersis. Poterat enim omnipotens Deus terram illam, si vellet, omnino defendere, ne in manus traderetur hostiles. Posset & illam, si vellet, de manib. hostium facile liberare; cum nihil possit eius resistere voluntati: sed cum iam superabundasset iniquitas, refrigescennte charitate multorum, vt fideles suos à somno mortis ad vitæ studium excitaret, agonem illis proposuit, in quo fidem eorum velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis, imo salutationis causam præstando, vt qui fideliter pro ipso certauerint, ab ipso feliciter coronentur; & qui ei noluerint in tantæ necessitatis articulo debitæ seruitutis impendere famulatum, in nouissimo districti examinis die, iustam mereantur dānationis sententiam sustinere. O quanta iam prouenit vtilitas ex hac caussa quam multi conuersi ad pœnitentiam, pro liberatione Terræ Sanctæ mancipauerunt se obsequio Crucifixi, & quasi per agonem coronam gloriæ sunt adepti, qui forte in suis iniquitatib. periissent, carnalib. voluptatibus, & mundanis illecebris irretiti? Vetus est hoc artificium Iesu Christi, quod ad suorum salutem fidelium, dieb. istis dignatus est innouare. Si enim aliquis Rex temporalis à suis hostib. eiiceretur de Regno, nisi vasalli eius pro eo non solum res exponerent, sed personas, nonne cum Regnum recuperaret amissum, eos velut infideles damnaret, & excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos? Sic & Rex Regum Dominus Iesus Christus, qui corpus & animam, & cætera vobis contulit bona, de ingratitudinis vitio, & infidelitatis crimine vos damnabit: si ei quasi eiecto de Regno, quod pretio sui sanguinis comparauit, neglexeritis subuenire: Sciat ergo se culpabiliter durum, & dure culpabilem, quicumque in hoc necessitatis articulo, suum negauerit obsequium Redemptori. Nam si quis sibi, vel modicum quid hæreditatis paternæ sentiret dure ablatum, mox secundum morem mundanum totis viribus laboraret, vt suam vindicaret iniuriam, & violentiam propulsaret, nec rebus parceret, nec personis, donec ex toto recuperaret amissum: quomodo ergo poterit excusari, qui nec mediocriter laborare studuerit, pro punienda Redemptoris sui offensa, & eius iniuria vlciscenda, dum parcendo rebus, & personis, impedit, ne locus recuperetur passionis & resurrectionis Dominicæ, in quo Deus Rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari, quomodo etiam secundum præceptum Diuinum diligit proximum suum sicut seipsum, sicut scriptum est qui scit fratres suos, fide ac nomine Christianos, apud perfidos Saracenos ergastulo diri carceris detineri, ac iugo deprimi grauissimæ seruitutis, & ad liberationem eorum efficacem operam non impendit, transgrediendo illitus naturalis legis mandatum, quod Dominus in Euangelio declarauit: Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. An forte nescitis, quod apud illos multa millia Christianorum in seruitute ac carcere detinentur, qui tormentis innumeris crucientur? Et quidem omnes pene Saracenorum prouincias vsque post tempora sancti Gregorii, Christiani populi possederunt: sed ex tunc quidam perditionis filius Machometus Pseudopropheta surrexit, qui per sæculares illecebras, & voluptates carnales multos à veritate seduxit. Cuius perfidia, & si adhuc vsque [illegible] inualuit, confidimus tamen in Domino, qui iam fecit nobiscum signum in bonum, quod finis huius bestiæ appropinquat: cuius num. secundū apocalypsim Ioan. intra sexcēta sexaginta sex clauditur, in proximo finitur: per operationem spiritus septiformis, qui charitatis ignē corda fidelium [illegible] frigescentia reaccendet; ex quibus iam pene sexcenti sunt anni completi. Certe propter priores iniurias grandes, & graues, Redemptori [illegible] nostris offensis à perfidis Saracenis illatas, nuper in monte Thabor, [illegible] discipulis suis futuræ glorificationis speciem demonstrauit, [illegible] in confusionem [illegible] Acon sibi valde vicinam [illegible] sine omni contradictionis [illegible] sit viribus, & opibus [illegible] igitur, dilectissimi filii, dissensiones & æmulationes fraternas, in pacis & dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad obsequium Crucifixi, non dubitantes pro illo res exponere ac personas, qui pro vobis animam suam posuit, & sanguinem suum fudit: certi pariter & securi, quod si vere pœnitentes fueritis, per hunc temporalem quasi quodam compendio ad requiem perueniétis æternam.

Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit, potestate omnibus laborem istum in propriis personis subierint, & expensis plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis; iuxta facultatem ad qualitatem suam viros idoneos destinauerint: & illis similiter, qui in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impenderint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Huius

quoque remissionis volumus, & concedimus esse participes iuxta qualitatem subsidii, & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabant, personas quoque ipsorum, & bona, ex quo Crucem assumpserint, sub sancti Petri, & nostra protectione suscipimus, nec non & sub Archiepiscoporum, Episcoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ DEI defensione consistant. Statuentes, vt donec de ipsorum obitu, vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quod si quisquam contra præsumpserit, per Ecclesiarum Prælatos appellatione postposita censura Ecclesiastica compescatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento tenentur adstricti, Creditores eorum per Ecclesiarum Prælatos, vt remittant eis præfatum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, cum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus. Iudæos vero ad remittendas ipsis vsuras, per secularem compelli præcipimus potestatem: & donec illas remiserint ab vniuersis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur.

Vt autem Terræ Sanctæ subsidium diuisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes & singulos per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum solum verum, vnum æternum DEVM postulantes vice Christi pro Christo, ab Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam Cathedralium, quam Conuentualium Ecclesiarum Capitulis, & Clericis vniuersis, nec non ciuitatib. villis, & oppidis competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates, & si ad hoc vnum quodlibet non suffecerit, plura coniungantur in vnum: quia pro certo speramus, quia personæ non deerunt, si expensæ non desint. Postulantes hoc ipsum à Regibus, & Principibus, Comitibus & Baronibus, aliisque Magistratibus, qui forsitan per seipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A ciuitatib. vero maritimis naualem subsidium postulamus, & ne aliis onera grauia & importabilia, imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus, protestamur veraciter coram Deo, quia quod ab aliis exigimus faciendum, hoc ipsi prompto animo faciemus: Clericis autem ad hoc negotium necessariis prouidimus indulgendum, vt omni contradictione cessante, beneficiorum suorum prouentus propter hoc valeant vsq; ad triennium pignori obligare.

Quia vero subsidium Terræ Sanctæ multum impediri, vel retardari contingeret, si ante susceptionem Crucis examinari quēlibet oporteret, an esset idoneus & sufficiens ad huiusmodi votum personaliter prosequendum, concedimus, vt regularibus personis exceptis suscipiant quicumque voluerint signum Crucis, ita quod cum vrgens necessitas, aut euidens vtilitas postulauerit votum ipsum de mandato Apostolico possit commutari, aut redimi, vel differri, & propter eandem causam remissiones & indulgentias hactenus à nobis concessas procedentibus in Hispaniam contra Mauros, vel contra hæreticos in Prouinciam, reuocamus: maxime cum illis concessæ fuerint ad tempus, quod iam ex toto præteriit, & istis, ob causam quæ iam maiori ex parte cessauit, vtroque negotio per Dei gratiam adeo prouecto, vt vehementem instantiam non requirat; & si forte requireret, nos ingruenti necessitati respicere curaremus: Concedimus tamen, vt huiusmodi remissiones & indulgentiæ, apud Prouinciales remaneant, & Hispanos: Cæterum quia Cursarii & Piratæ nimis impediunt subsidium Terræ Sanctæ capiendo, spoliando transeuntes ad illam, & reuertētes ab illa nos eos, & principales, adiutores & fautores eorum, excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis, vel emptionis tractatu, & iniungentes Rectoribus ciuitatum, & locorum suorum: vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, (quia nolle perturbare peruersos nihil aliud est, quam fouere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare,) & in personas, & in terras eorum seueritatem Ecclesiasticam curabimus exercere; cum tales non minus quam Saraceni aduersentur nomini Christiano.

CONCIL. LATERANENS. SVB ALEXIO III. *Innouamus præterea excommunicationis sententiam, in Lateranensi Concilio promulgatum, aduersus eos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum; quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, eosque rerum suarum priuatione mulctari, & capientium seruos, si capti fuerint, fore censemus: præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis, & festiuis huiusmodi sententia publice innouetur.*

Verum cum longe plus de Diuina clementia, quam de humana potentia confidere debeamus, oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis, quam spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus, & mandamus, vt singulis mensibus semel fiat generalis processio, seorsum virorum, ac seorsum, vbi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis & corporis cum deuota orationum instantia postulantium, vt misericors Deus auferat hoc à nobis confusionis opprobrium liberando terram illam, in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit, de manibus Paganorum, restituendo eam ad laudem, & gloriam nominis sui sancti populo Christiano: prouiso prudenter, vt semper in ipsa processione verbum salutiferæ Crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi vero ieiunium & eleemosyna coniungatur, vt his quasi alis, facilius & celerius ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra Missarum solemnia post pacis osculum, cum iam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est hostia salutaris, omnes tam viri quam mulieres humiliter prosternantur ad terram, & à clericis Psalmus iste, DEVS venerunt Gentes in hæreditatem tuam, *alta voce cantetur: quo cum hoc versu deuote finito,* Exurgat DEVS & dissipentur inimici eius, & fugiant à facie eius qui oderunt eum: *Sacerdos qui celebrat, orationem istam super altare decantet alta voce:* DEVS qui admirabili prouidentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, vt terram, quam vnigenitus filius tuus proprio sanguine consecrauit, de manibus inimicorum crucis eripiens, restituas cultui Christiano, vota fidelium ad eius liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis æternæ. Per eumdem Dominum, &c. *In illis autem Ecclesiis, in quibus conueniet processio generalis, truncus concauus statuatur tribus clauibus consignatus, vna penes honestum presbyterum, alia penes deuotum laicum, & tertia penes aliquem Regularem fideliter conseruandis, in quo Clerici, & laici, viri & mulieres eleemosynas suas ponant terræ sanctæ subsidium conuertendas, secundum dispositionem eorum, quibus hæc fuerit sollicitudo commissa. Porro super processu & transitu modesto, & ordinato, congruo loco, & tempore faciendo, nondum oportet aliquid definire, donec exercitus Domini Cruce signetur; sed tunc pensatis vndique circumstantiis, quæcumque viderimus opportuna, de prudentium virorum consilio statuemus. Ad hæc igitur exequenda, dilectos filios de Salem, & quondam de Nouo Castro Abbates & Decanum Spirensem & Præpositum Augustens. viros vtiq; probatæ honestatis & fidei deputamus; qui ascitis secum viris prouidis & honestis, auctoritate nostra statuant, & disponant, quæcumque ad hoc negotium promouendum viderint expedire. facientes, quæ statuerint, in singulis diœcesibus, per viros idoneos ad hoc specialiter deputatos, fideliter & sollicite procurari.*

Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus & obsecramus in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes & in virtute spiritus sancti iniungentes quatenus eis pro Christo legatione fungentib. tales vos exhibere curetis, necessaria ministrantes eisdem, quod per vos, & in vobis fructum faciant exoptatum.

Ad eum modum Innocentius, fere omnibus scribebat: omnibus suadens, & præcipiens, vt maiora quæ possent auxilia in subsidium Terræ Sanctæ proferrent. Cæterum, quod Alexandrinus & Hierosolymitanus Patriarchæ, præ cæteris afflicti, & pro grege Dominico solliciti, tum consolationem, tum opem quotidie implorarent, vtrique Innocentius scripsit, vtramq; à Domino in breui affore promittens.

Non est omittendum quid hoc anno in Galliis acciderit. *a* Iudæorum quamplurimi ex quodam miraculo excellenti sacratissimæ hostiæ conuersi fuerant ad fidem CHRISTI. Eos Innocentius Archiepiscopo Senonensi commendabat, vt illos doctrina & admonitionib. in fide confirmaret atq; stabiliret. Res est. Aliqua mulier Christiana Isaaci Hebræi famula, adeo impietatem à perfidis imbiberat, vt mysteria fidei despiceret, & Christum nedum orbi, sed nec sibi quicquam profuisse blasphemaret. Ad templum festo solenni Paschæ vadens, communicantibus sacræ hostiæ se immiscuit, illam plasphemo ore recepit, sudario indidit, Isaaco pro magno munere tulit. Is porro pyxides duas ex arca alteram vacuam, alteram septem libras Parisienses continentem extulit, vt in vna earum hostiam reponeret. Interim aliquis ostium domus eius pulsauit: & is præ metu adproperans, atque existimans in vacuam se ponere, in alteram inter pecunias sacrum pignus deposuit, obsignauit & in arcam demisit. Aliquanto post vt videret reuersus, dum primo in pyxidem pecuniariam oculos coniecisset,

XIX. IVDÆI AD CHRISTVM CONVERSI. *a. epist. 155.*

reperit omnes nummos in totidem hostias sacratas commutatos. Re in vulgus publicata, ipse primus legem veterem eiurauit, & multis vt idem facerent author fuit: cum quib. postea Romam ad Innocentium Pontif. venit. Hos cum ille sacris Christianorum mysteriis & baptismate initiasset, in Gallias remisit, & Archiepiscopo Senonensi commendauit.

a *Erfordiens. in Innoc.* Ibidem *a* in Galliis, circa festiuitatem Sancti IOANNIS Baptistæ ros mellitus de cœlo cadens spicas segetum adeo infecit, vt multi gustantes melleum saporem expirarentur.

XX. b *Antonin. tit.* 19. §. 5. INFELICES PVGNÆ MEDIOLANENSIVM. In *b* Gallia Cisalpina, Mediolanenses contra Cremonenses infeliciter pugnarunt. Dies solemnis Sacræ Pentecostes agebantur, cum in aciem exercitus eduxerant. Cremonenses in crastinum pugnam differri propter solemnitatem postulabant: Mediolanenses ignauiæ non religiositati istud adscribentes, seque superiores videntes, perurgebant, atque vehementius incursabant. Ibi Cremonenses necessitate coacti, Diuino numine implorato contra petulantes prodierunt, atq; Deo pro religione depugnante aduersarios profligarunt. Papienses quoq; non minorem victoriam de ijsdem Mediolanensibus, hoc ipso anno retulerunt. In obsidentes enim illos tumultuaria manu eruperunt, & compluribus interfectis, reliquos in fugam compulerunt: Domino vindicante in eis hæreses varias, quibus per id temporis ciuitas scatebat, atque contemptum auctoritatis Pontificiæ, ex quo Ottoni anathemate damnato adhæserant.

XXI. c *apud Suriu. 7. Sept.* MORS S. STEPHANI CARTHVSIA. ET EPISCOPI DIENSIS. In *c* Gallia Transalpina, die VII. Septemb. obiit sanctus Stephanus ex Carthus. monacho Episcop. Diensis. Natus Lugduni, parentes habuit Castellionis Dominos, & sanguinis & religionis nobilitate insignes. Puer ab ipsis incunabilis egregia futuræ sanctitatis dabat indicia. Numquam enim (vt cætera taceam) sextis feriis, vel vbera nutricis, vel quidquã alimoniæ admittere voluit, sed eum diem infans plane ieiunus transmittebat. In pueritia lasciuiæ puerilis expers, annos moribus transcendebat, suumq; Doctorem ipse & maturitate morum, & vnctione Spiritus sancti, quę ex vultu oculisque mirifice relucebat, puer docebat. Adolescentiam ingressus, cum tota mente fontem veræ sapientiæ sitiret, ante omnia acerrimum, cum ventre, sapientiæ & religionis hoste infestissimo suscepit bellum: prorsus vt omni esu carnium penitus sibi interdicto, turrim illam cuius in ipsis cunis fundamenta iecerat, præclare non minus quã constanter, ad summum perduceret. Neque segnius interim, quantum licebat, misericordiæ operib. officiisque incumbebat: virtutesque continuo virtutibus adiiciens, totis animi medullis ad apicem perfectionis aspirabat. Sextum & vigesimum annum natus, Carthusiæ se inclusit, vbi sub disciplina primum Bernardi Prioris, S. Bernardo Claręuallensi author fuerat in Cantica Canticorum commentandi, quique & ipse post obitum multis claruit miraculis: deinde sub magisterio B. Anshelmi, qui ex Priore Carthusiæ Antistes Bellicensis factus, vitæ sanctitatem & viuens & defunctus præclaris exornauit miraculis: tantos fecit virtutum progressus, vt in abstinentia, contemptu sui, obedientia & humilitate, meditandi & sacrificandi studio, ardentissimo cœlestium amore, & reliquis religiosis actionibus commilitones anteiret. Cum die quodam coram Crucifixi imagine contemplationi inhæreret, subito Angelus Domini in humana effigie ei astitisse visus est: nimirum piis eius operib. & sanctis studiis delectatus, quibus die noctuque sedulus incumbebat.

A Diensibus in Episcopum electus, cum, vt electioni assentiretur, vrgeretur: se Monachum esse, & alterius voluntati subiectum respondit: nempe Prioris Carthusiæ, cui ad mortem vsq; obediendi necessitatem haberet. Neq; prius eam dignitatem suscipere voluit, quam Innocentij Pontificis præcepto compelleretur. In Cathedra Episcopali collocatus, monastica instituta non solum non omisit, sed etiam maiori vitæ austeritate & virtutum splendore illustrauit. Cum autem iam concionando, hortando, visitando cœpisset exercere munus suum, & comperisset gentem miseram & execrabili consuetudine cæcam, diem Dominicum luxui, tabernis, choreis, & perniciosis deniq; spectaculis consecrare, statuit blandis & mellitis verbis, apertissimisque rationibus peccati illius enormitatem ostendere. Sed gens belluina & cæca, non modo non ad aures, saluberrimos eius admisit sermones, sed etiam, vt fit in deploratæ salutis hominibus, sannis ludibrijsque eos excipiens, contemptim deinde proiecit. Quorum scelere & impudentia commotus sane vir Dei, oportunè & importunè sibi instandum putauit, vt si verbis tam impios & barbaros mores expugnare non posset, virtutib. & miraculis corrigeret, nec mora. Cum surdas illorum aures diu frustra pulsaret, ad extremum vitum referens Apostolicum, & sui Apostolatus signa euidenter ostendens, præcepit dæmonibus, qui ad ea facinora eos incitabãt, & quorum voluntati parebant, vt sine vlla cuiusquam læsione palam se eis visendos ostenderent. Mox paruerunt illi dæmones, quem pertinaces homines audire noluerant. Horrendum sane & terribile tum licebat videre spectaculum, dæmones procera & immani statura nigerrimos cornutos, fœtorem & flammas per nares, oculos, & ora spirantes, ad viri imperium cunctis apparere, rursumq; recedere, nec quemquam lædere posse. Cœpit ergo occęcata gens aperire oculos, vitam & mores corrigere, & se totam viro Dei sanandam cõmittere. Quam vero erga peccatores humanus, benignus & misericors fuerit, vno exemplo satis sit declarasse. Quidam ex subditis eius ægrotans, sæuo obsessus dæmonio, vultu, voce, aliisque signis, omni salutis spe abiecta, haud dubie ad exitialem exitum tendere videbatur. Iacebat miser humi ab omnib. destitutus: quia ad detestanda & confitenda crimina nullis omnino monitis induci poterat. Id vbi cognouit vir Dei, è faucibus tartari, si qua posset, eum eripere statuit. Sed diabolo pectus illius tenacius occupante, salutaria sancti viri monita furibundus repellebat. Videns igitur aliis vtendum armis, ad solitas preces cum lachrymis se conuertit. Et ecce æger homo dæmone purgatus, confestim ad se rediit, & peccata Stephano ritè confessus, magna cum salutis æternæ spe, omnib. munitus sacramentis è vita excessit. Alium quoque ægrotum, diuturno morbo oppressum, manus suæ contactu statim integræ restituit sanitati. Ortam quandoque immanem grandinis tempestatẽ, quæ regioni exitium minitari videbatur, Crucis signo contra eam edito, repressit. Quædam mulier, ob sua, vt videbatur, maleficia à diabolo præfocata, subito expirauit, eius rei, rumor, ad virum Dei peruenit. Is miseratus casum tã acerbum infaustę mulieris, venit ad locum vbi iacebat exanimis, magnam fudit vim lachrymarum, & pro ea Domini misericordiam implorauit. Postea illa velut à graui somno euigilans, surrexit, & Christi erga se clementiam, ob merita viri Dei, prædicauit, sibique restituta exiliens & exultans Deum collaudauit. Nec minor eius fuit erga viuos, quam defunctos benignitas. Præter victum enim moderatum, quo se suamque familiam sustentabat, omnia in pauperes erogabat. Imminente autem vitæ huius termino, cum Ecclesiæ suæ filii, vt testamentum conderet, eum vrgerent, ille veræ paupertatis amator, nihil se habere, nihil se possidere, sed cuncta sponsæ suæ esse respondit. Cæterum benedictionem & consilium nemini negauit, inter hos mulier quædam ægrota corporis, cum omni medicorum ope destituta, benedictionem ab eo expetiisset, sanitatem recepit. Postremo, cum suos multis sermonibus, ad concordiam & mutuam charitatem hortatus esset, & inter discordes hostilique odio dissidentes pacem conciliasset, inter verba orationis ad Dominum migrauit, maximis miraculis in vita & à vita clarissimus.

Eodem anno, *d* in Episcopatus Leodiensis diœcesi, ad cœlum emigrauit, B. Maria Oegniacensis, digna cuius vita in exemplar summæ perfectionis proponatur. XXII. d *Antonin. tit. 19. c. 12.* MORITVR B. MARIA OEGNIACENSIS. Nata Leodii, fere ab ipsa infantia, incredibilis sanctitatis indicia dedit. Molliciem lecti declinans, super nudo pauimento vel asseribus recubabat. Noctes insomnes ducens genua coram aliqua imagine pone lectulum in oratione perpetuo figebat. Sub vestimento cultiore, fune crassissimo latera nuda stringebat. Disciplinarum frequentia, sanguinem copiosum toto fere corpore fundebat: Lachrymarum profluuium, noctes diesque continere non poterat, ieiunia non tantum diebus, sed & hebdomadibus integris, sola Eucharistia desumpta, producebat. Marito, cui inuitam parentes disponsauerant, perpetuam castitatem persuaserat. Purita-

tem cordis & corporis tanta cura custodiebat, & numquam mortali peccato sese contaminauerit: à venialibus autem tantopere abstinuerit, vt aliquando per quindecim dies, nec vna cogitatio inordinata in eius animo reperiretur. Aliquis mẽsæ illius assistens, vidit coram ea per lucidam scalam Angelos ascendentes & descendentes: ex quorum visione tantã habuit consolationẽ, q omnis saporis suauitatẽ spiritualis refectio superaret. Sanctus autem Euang. Ioa. quem miro diligebat affectu, dum ipsa cibum caperet, ad mensam eius aliquando veniebat; ex cuius præsentia tanto absorbebatur affectu, vt aliquando octo dies sine cibo perduraret. Aliquando in suaui & beato silentio triginta quinque diebus cum Domino suauiter requiescens nullo cibo corporali, vsa est, nullumque aliud verbum proloqui potuit, quam: Volo corpus Domini nostri IESV Christi. Porro etiam ipse mundi Redemptor sæpe sæpius illi apparebat, & pro diuersitate festiuitatum suarum, quasi se conformabat. Nam in natiuitate Domini apparebat, vt puer vbera matris lambens, vel in cunabulis vagiens, & tunc ad eum velut paruulum afficiebatur, iuxta ostensionum varietates habens varios affectus. In festo autem Purific. videbat B. Virg. offerentem puerum in templo, & Simeonem in vlnis recipientem, in qua visione non minus exultabat, quam si præsens adfuisset. In passione autem DOMINVS Cruciaffixus ei, sed raro sese offerebat, nã præ doloris magnitudine vix se sustinere potuerat. Aliquando vidit quemdam sacerdotem cum lachrymis deuotius celebrantem: & columbam de cœlis super eius humerum descendentem, & ab altero eius humero fontem limpidissimum erumpẽtem. Frequenter etiam dum hostiam cõsecratam sacerdos eleuaret, vidit in spiritu speciem pulcherrimi infantis, & circa eum multitudinem Angelorum, & sumpta communione à non impuro sacerdote, videbat in anima illius Dominum remanentem & claritate sua illum illustrantem: in mente autem contaminati Dominum cum indignatione recedentem, & in tenebris animam impuri relinquentem. Cum etiam quidam infans ipsa præsente ad ostium Ecclesiæ catechizaretur, vidit impurum spiritum, ab eo magna cum confusione recedentem, & cum puerum de fonte leuarent, aspexit Spiritum Sanctum in animam baptizati descendentem, & Sanctorum Angelorum multitudinem illum circumdantem. Cum autem quadam die esset in Ecclesia sua de Oegnies, vidit multitudinẽ manuum sibi supplicantium. Ignoranti autẽ, & quid sibi illa manuum supplicatio innueret à Domino in oratione exquirenti, respõdit; defunctorum seu potius animarum esse, quæ in purgatoriis ignibus cruciatæ, opem ab ea implorarent. Quarum plurimam cum ex flammis liberaret, non ferens osor salutis humanæ dæmon, eius orationibus, & viuentes, & vita functos, ab inferioribus supplicijs vindicari, illi in orationib. vigilanti apparens aiebat: Malo tuo requiescas, vt nobiscum in inferno quietem habeas. Nam non minus quiete, quam orationibus tuis torquemur. Aliquando pro defuncti cuiusdam anima preces Domino offerenti, dictum est: ne pro eo orationem effundas, quia à Deo reprobatus est. Vulnere enim letali in torneamento transfixus, æternis incendijs deputatus est. Aliquãdo etiam morienti cuidam sorori assistens, cum multitudinem dæmonum, tanquam leonum rugientium præparatorum ad escam circa eam aspexisset, neque tam facile eos abigere posset, ad Christum conuersa, crucem, sanguinem, vulnera, & mortem pro agonizante offerebat. Verumtamen neque istis flagris malignos spiritus depellebat, neque, vt videbatur, pietatis viscera Dominicæ inclinabat. Namque illi multis calumnijs moribundam onerabant. Angebatur beata, nec qua virtute animam illam è manibus dæmonum eriperet in promptu habebat, donec fiduciam ingentem à Spiritu Sancto concipiens tandem ait: Domine pro hac anima ego fide iubeo, licet enim peccauit, tamen & pœnituit, & confessa est. Quod si forte aliquid per negligentiam vel ignorantiam in ea remansit, licet loqui non possit, adhuc tamen correctionis tempus ei reliquisti. Audierunt hæc dæmones, & victi, confusique recedentes, Angelis superuenientibus locum dederunt. Defuncta illa, cum in festiuitate Sanctorum Petri & Pauli, pro anima eius deprecaretur, & de statu illius pro qua fidem interposuerat sollicita æstuaret: apparuit ei Sanctus Petr. Apostolus, & in pœnis purgatorij vehementer cruciari reuelauit, eam quæ pro non modicis delictis, nondum plene satisfecisset. Aliquando, Cisterciẽsium Monachorum quispiam, à malo spiritu seductus, perfectionẽ primorum parentum exambiebat, zelo quidem innocentiæ & puritatis, sed non secundum scientiam. Cumq; diuturno labore, sed in cassum sese affligeret, & neque abstinentia, vigilijs, orationibus ac lacrymis primum statum innocentiæ se posse consequi iudicaret, primo quidem in tędium & acediam incidit. Volebat enim cibaria sumere: sed nullam sensualem delectationem habere, deinde conabatur primos sensualitatis motus non solum reprimere, sed etiam extinguere, & vitam omnem omnino sine peccato veniali traducere. Cum autẽ quo magis conaretur, eo magis ad impossibilia contendere æstimaret, tandem in baratrum desperationis lapsus, eo in statu in quo viuebat, nulla ratione se posse salutem cõsequi arbitrabatur, vtpote quia sine venialib. esse non poterat, quæ mortalia esse censebat. Ab hoc scrupulo conscientiæ, neq; Corpus Christi in diebus ex ritu religioso designatis, percipere volebat, sed seipsum quasi eo indignus foret à sacro edulio subtrahebat. Cruciabatur hac re Abbas Monachi præfectus, & cum Beatam illam magna sanctitate præditam sciret, ægrum animi ad eam adduxit. Illa porro eum ad altare produxit, & pro salute desperantis exorauit. Mirum dictu. Cum ante sacrificium Missæ Monachus Cõfiteor recitaret, ad singula verba cõfessionis, nigros lapillos ex ore vomebat. Vnde postmodum ad mentem reuersus, Corpus Dominicum recepit, & ad perfectionis culmen recto itinere ascendit. Multa alia plura egit & vidit hæc beata, præcipue autem in suo agone, Beatissimam Deiparam, Diuum Petrum Apostolum, & frequentiam Angelorum aspexit, & tandem expulso dæmonio apparente, concinens Alleluia in Domino obdormiuit, anno ætatis XXXVI.

Per id temporis Aldobrandinus Atestinus, Piceni iurisdictionem, quam Pontifex parenti Actio iurefiduciario concesserat, cum à Picentib. priuatus esset, ad eam recuperandam, se totum dedit. XXIII. PICENI OPPIDA SVB MARCHIONIS TITVLO DAT INNOC. PONTIF. ALDOBRANDINO ATESTINO. Erant hi ab Innocent. III. Pont. Max. quod à Rom. Pontificis potestate eam prouinciam, tyrannico dominatu abduxissent, sacris interdicti, ac diris damnati, cum aduersus eos Aldobrandinus castra mouit. Celani Comites, virib. suis omnib. in vnum collatis, sese Aldobrandino opposuerũt. Aldobrandinus religionis studio, & pręsentis animi magnitudine incensus, inuita licet ac reluctante fortuna, impios homines, qui Ecclesiæ iura violauerant, & SS. Pontif. maiestatem neglexerant, non sine Diuino numine, illorum improbitatis vltore, magna vi fudit ac fugauit, & quæ illi dolo malo oppida occupauerant, ad Pontificis potestatem reduxit. Quare summus Pontifex, speciosa illa iuuenilis atque inuicti animi indole allectus, totius Piceni oppida illi, sub Marchionis tit. M. CC. XIII. regenda ac moderanda concessit. Celani vero Comites, quorum fuerant vires attritæ & prorsus confectæ, quem armatum horruerunt, inermem interimere tentarunt; & quod vi, & armis palam assequi non potuerunt, clam insidiis & dolo perficere procurarunt. Erat apud Aldobrandinum familiaris quidam, quem ipse syncera & incorrupta fide præditum arbitrabatur. Sed cum esset pecuniæ auidior, quam probum, fidumque virum deceat, illum largitionibus Celani Comites corruperunt, perfidoque venenum obtulerunt, quod hero propinaret. Patrauit impius parricida scelus omnium atrocissimum, nimisq; crudeli docuit exemplo quam cuiq; non sit Principibus temere fidendum Cynthius de Ferrariensibus & Atestinis Principibus.

IESV CHRISTI
Annus 1214.

INNOCENTII PAP. III. Annus 17. HENRICI Imper. 9.

Disciplinæ Ecclesiasticæ Seuerus exactor Innocentius Papa, etiam hoc anno nihil intermisit vt eam sanciret. I. DISCIPLINAM EC-

CLESIASTICAM REVOCAT INNOCENT. a e, ist. 166.

In Galliis a Archiep. Bisuntinus, multorũ criminum reus fuisse vulgabatur. Committebat Pontifex Lingonensi Episc. & Abbati Morimundi, qui purgationem canonicam, ab eodem, super totius vitæ actis, præcipue vero eorũ quæ in Ecclesiastica dignitate gessisset acciperent, & si illã præstitisset, in officio permanere tolerarent.

II. IACOBVM ARAGONVM PETRI OCCISI FILIVM IN REGNVM SVVM ABLEGAT.

Eodem anno Innoc. Pontifex, Petrum Beneuentanum Diaconum Cardin. in Aquitania contra Albig. agentem, in causa Iacobi Aragonij Legatum à latere instituit. Res est. Cæso Petro Aragonum Rege, proceres, consilio habito, protinus Iacobo puero Regnum deferre statuerunt. Eum Simon Montfort. & Pontif. iussu, & permissu Regis educandum susceperat. Metuebant, ne vel diutius retineret nolentem, vel à properante ad Regnum paternum, aliquas graues conditiones per necessitatem extorqueret. Itaque Legationem ad Innoc. Pontif. adornarunt, vt is Montfortio, Iacob. Aragoniis restituendi, necessitatem imponeret. Principes Legationis fuere Pontif. Albarrazinensis, & Petr. Assagra eiusdem vrbis Dominus. Hi lugubri veste induti Romam venientes, primo quidem ad Mariam Reginam, Romæ hærentem accesserunt, deque Rege viro funestissima, de Iacobo infante saluo & incolumi prospera, de cæteris vero rebus multa imminentia Regno mala, nisi è Montfortio puer recuperaretur, retulerunt. Ad Pontif. Senatu præsente introducti, Templariorum Magistro dicente, summam Legationis exposuerunt: postularuntque, vt Iacobum Principem à Montfortio detentum, Pontifex, restitui iuberet. Pontifex audita oratione, Legatis omnia abunde pollicitus, Petro Card. Legato, totam rem cõmisit. Is porro tantum apud Simonem Montfortium egit, vt Iacobum puerum Aragoniis reddiderit, eumque Regem ipse Legatus renunciauerit, sacroque ritu & solemni ceremonia inaugurauerit. *Bernard. Com. lib. 2.*

III. b *epist.* 167. CAVSAM INCÆSTVS ARCHIEPIS QVINQVE ECCLESIENSIS EGREGIE REFVTAT INNOC.

In Hungaria, aliqui b in Archiep. Colocens. manus violentas iniecerant, & tum ipsum, tum clericos illius verberantes, maximis iniuriis & damnis affecerant. Præcipiebat Innoc. Strigoniensi Archiep. & vniuersis Pannoniæ Episcopis, vt in eos anathema promulgarent, & singulis diebus Dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis eos execrarentur. Indidem in Hung. Episc. Quinque Ecclesiensem incestus apud Regem insimulauerant, quasi is neptem suam violasset. In eius causa Innocentius Cenadiensi Episcopo & Abbati Deciquorum rescripsit, in hunc qui sequitur modum.

c. cum in iuuentute tit. de præsumpt.

Cum in iuuentute sua c Quinque Ecclesiensis Episc adeo se maturũ honestum, & prouidum exhibuerit, vt ab Eccl. Ro. meruerit pallio decorari, non est de leui credendum, quod postquam ad senilem peruenit ætatem, turpiter abiecerit iugum Domini, fœtores libidinis amplexãdo: cum labes huiusmodi: quæ nonnunquam in iuuentute contrahitur, in senectute frequentius expietur. Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus scientia literarum, propriæ salutis oblitus ad eam passionis ignominiam se conuerteret, vt cum propria nepte abominabilem perpetraret incestum? cum etiam secundum sententias ethnicorum naturale fœdus inter tales personas nihil permittat sæui criminis suspicari. Licet igitur Rex Hung. eundem Episc. nobis per nuncios & literas de tali crimine detulisset, postulans vt malum huiusmodi perniciosum exemplo, de Hung. Eccl. colleremus: quia tamen eius suggestio non de charitatis radice procedere videbatur, noluimus aures nostras quasi malignis delationib. inclinare. Sed vt probaremus, si spiritus esset ex Deo, Auriensi Episc. dedimus à mandatis, vt prudenter & caute à Coepiscopis indagaret, vtrum præfatum Episcopum crederent tali labe respersum. Qui nobis postmodum rescripserunt, quod eum virum honestæ conuersationis esse credebant, personam illius multipliciter commendantes.

IV. VINDICAT PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANVM AB INIVRIIS IMPERATORIS. d *e. Solitæ de maiorit. & obed.*

Per idem quoque temporis Imp. Constantinop. Patriar. dignitatem floccipendens, in Ecclesia loco illum excluserat, & in partem sinistram, idque iuxta pedes suos detruserat. Non ferre poterat Innoc. eã Imper. insolentiam, quin argueret. Aegre tulit Henricus, modestam Pontificis admonitionem. Rescripsit iste conquerenti, rationem reddens, cur Patriarcham ab iniuria vindicarit.

Mirata d est, inquit, *Imperialis sublimitas, quod te nisi fuimus in nostris literis increpare. Huic autem tuæ admirationi non causam sed occasionem præbuit, quod legisti Beatum Petrum Apostolorum Principem, sic scripsisse: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, tamquam præcellenti; siue Ducibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Verum si personam loquentis & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendisset, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apost subditis suis & eos ad humilitatis meritum prouocabat. Nam si per hoc quod dixit: Subditi estote; Sacerdotib. voluit imponere iugum subiectionis, & his prælationis auctoritatem offerre, quibus eos subiectos esse monebat: sequeretur ex hoc, quod etiam seruus quilibet in Sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur; omni humanæ creaturæ. Quod autem sequitur: Regi tamquam præcellenti: non negamus quin præcellat Imper. in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia. Sed Pontif. in spiritualibus antecellit: quæ tanto sunt temporalib. digniora, quanto anima præfertur corpori, licet non simpliciter dictum fuerit: subditi estote: sed additum fuerit: propter Deum: nec pure sit subscriptum: Regi præcellenti: sed interpositum forsitan fuit, non sine causa, tamquam. Quod autem sequitur, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: intelligendum non est, quod Rex vel Imperator, super bonos & malos gladii acceperit potestatem, sed in eos solummodo qui vtentes gladio, eius sunt iurisdictioni commissi. Potuisses autem prærogatiuam sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo: non Regi, sed sacerdoti: non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce constitui te super Gentes & Regna, vt euellas & dissipes, ædifices & plantes. Præterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli: luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est: quæ vero carnalibus, minor: vt quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hæc autem si prudenter attenderet Imperatoria celsitudo, non faceret aut permitteret Constantinopo. Patriarcham magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, iuxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cum alii Reges & Principes, Archiepiscopis & Episcopis suis (sicut debent) reuerenter assurgant, & eis iuxta se venerabilem sedem assignent. Nos autem etsi non increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare. Nobis enim in Beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas, nec distinguente inter has oues & alias, vt alienum à suo demonstraret ouili, qui Petrum & successores ipsius, Magistros non recognoscerent, & Pastores. Vt illud tanquam notissimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, nihil excipiens qui dixit, quodcumque.*

V. c *ep.* 168. & *hist. Albig.* GALLIAS à VITIIS PVRGAT.

Eodem anno, e neque hæretici à persequendis Catholicis, neque Clericorum plurimi ab improbissimis vitiis, neq; Prælatorum aliqui à negligendis ouibus, destiterant. Sciuit ista omnia Innocentius, & tum ad extirpandos illos, tum ad reformandum clerum, tum ad excitãdos Pastores, in Gallias Legatum misit Petrum tituli S. Mariæ in Acquiro Cardinalem Diaconum. Cui vt obtemperarent & auxilia præstarent Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis & Narbonensis Archiepiscopi, illis & suffraganeis ipsorum Pontifex datis literis præcepit. Iuuit ea Legatio conatus Simonis Montfortii, namque hoc anno in Prouincijs Aginnensi, Lemouicensi, Cadurcensi & Petracoricensi, multa castella munita recepit, præsertim auctoritate fretus Concilii quod apud Montempessuli Legatus celebrauit.

VI. HÆRET. ALBIGENS. VIRTVTE EVCHARISTIÆ SVBMERGVNTVR *Supra anno 121. nu. 10. in fine idem narratum est.*

Ea porro tempestate cum Albigensium hæreses vbique grassarentur, virtute SS. Eucharistiæ suffusæ sunt aliquantum. Quidam ex illis maligni, virtute diabolica suffulti, nonnulla signa & portenta ostendebant, atque illis & hæresim suam corroborabant, & multos fidelium à fide subuertebant. Inter hæc, super aquas ambulabant, neque submergi metuebant. Cernens hoc aliquis Sacerdos fide Catholicus & vita religiosus, sciensque vera signa cum falsa doctrina conuenire non posse, Corpus Dominicum ad flumen, in quo illi populis ostensuri erant virtutes, detulit, omnibusque audientibus dixit: Adiuro te satanas per eum, quem in manibus fero, ne in hoc flumine ad huius populi subuersionem per istos homines tantas exerceas phantasias. Dixit: illi tamen sicco vestigio decurrerunt: cum Sacerdos zelo Diuini honoris motus, pene proijceret in vndas sacrum quod gestabat Dominicum corpus. Mira Christi potentia. Mox enim vt Sacramentum tetigit elementum,

phantasia

phantasia cessit veritati, & pseudo illi sancti, quasi plumbum descendentes in profundum sunt submersi, pyxis vero cum Eucharistico pane ab Angelo elata est, & in altera delata. *Cæsar. lib. 9. cap. 12.*

VII. a *Æmil. in Philippo.* CELEBRIS VICTORIA PHILIPPI REGIS GALLIÆ CONTRA OTTONEM ET ANGLVM.

Hoc a ipso anno, die 27. Iul. Otto Imper. diris deuotus & Ioannes Anglus, contra Philippum Galliæ Regem infeliciter apud Tornacum pugnarunt. Forte, dum copiæ ponte traducerentur, Philippus Rex æstu diei ac itineris præproperi celeritate fessus sub fraxino quietem capiebat, excitatus à suis, qui aut pugnam instare, aut cum ignominia discedendum dicerent, iussis illis quod instaret tantisper agere, proximam ædem D. Petro sacram ingressus est: ac Deum Opt. Max. veneratus ingentem vultu fiduciam præseferens cum prodiisset ad suos: Bono, inquit, fortiq; animo simus, integri ab omni dedecore, numenq; pie ac fidẽ colentes pugnabimus aduersus hostem iudicio sacræ Ecclesiæ damnatum, & grege piorum ob scelera motum. Magnæ fiduciæ verba erant. Nam in Cæsaris exercitu centum quinquaginta millia peditum fuisse ferunt, equitum etiam non parua manus. Ibi Philippus doctus DEVM in paucis vincere nosse & posse, in hostem numeroso exercitu præfidentem inuectus, victoria potitus est. Signum Ottonis Aquila cum dracone in eius potestatem venit. Otto cum suæ gentis procerib. fugit, triginta maiorum ordinum ductores, Comes etiam Saleberiensis, fortissime pugnans, captus. Reginaldus qui sibi in prædam regnum Galliæ designauerat in vinculis Peronam, Ferdinandus Luteciam ductus, & in arcem Luparam in custodiam coniectus: cæteri captiui alio custodiendi diuisi: innumerabiles occisi. Per eosd. dies & Ludouicus Regius iuuenis arcem Monæci liberauit obsidione: ex Pictonib. fugauit Io. Anglum. Vltro citroq; cõmeante Pont. Maximi Legato, induciæ in quinque annos factæ. Philip. velut cœlesti beneficio tot bellis Francia victrice, templum prope Syluanetum Virgini extruxit, locupletauitque, addito à victoria cognomine. Initio sacerdotum iura minus sancta duxerat: ex ea die auctiora voluit. Conquerentib. Regijs magistratib. præfectisque, augendo iure sacerdotum, Regia iura imminui, respondit: tot esse ac tam perspicua cœli in se Franciamque beneficia, vt sacerdotib. templisq; nihil denegare iure possit ex eis rebus, quas diuina potius quam humana ope integras florentesque ac victrices haberet.

VIII. b *Naucler. in Frider.*

Neq; b Frider. Rex Romanorum suis reb. constabiliendis defuit. Illa enim Philip. Galli victoria contra Ottonem bene vsus, vrbes sibi hactenus rebelles ad deditionem, Ottonem ad veniam petendam coegit.

IX. OBITVS WILHELMI REGIS SCOTICI ET PRODIGIA PRÆNVNCIA.

In Scotia, Vuilhelmus Rex, exacta iam ætate, annos natus quatuor & septuaginta diem Sterlingi obiit, vir præclarus, tum regni gubernatione, tum vitæ tanta sanctimonia, vt viuus etiam miraculis polleret. Sepultus est Abbirbrothi in sacro adyto seu choro primario, ante summam aram. Quo anno defunctus est, in Martio duo cometæ, humano aspectui terribiles, alter solem præcedens, alter sequens visi sunt. Sequenti anno peperit bos in Northumbria capite ac collo vitulum, cætera pullum equinum. In Autumno vero Lunæ duæ seiunctę patentibus duobus cornibus visæ. Statim atque Vuilhelmo defuncto Alexander filius Patri in regnum successit, iustis paternis faciendis quatuordecim dies vacauit, inque omnem Scotiam edixit, ne quis eo anno ludos, aut magna celebraret conuiuia, vt nemo luctus vllo in loco expers esset, vt per omnia templa exequiæ solennes, sacra ac supplicationes fierent. Ipse Rex toto anno cum omni familia, non alia quam pulla veste vsus est. Concilio postea Edinburgi indicto, cum plurima in salutem Regni statuisset, iudices per omnem Scotiam in qualibet ciuitate optimos quosque viros, qui populo controuersias omnes, iusque definirent, legi iussit. Duos insuper Legatos Romam suo nomine obedientiæ suæ demonstrandæ gratia misit. *Hector. Boetius lib. 13. Hist. Scotorum.*

X. FRATRICIDIVM COMITIS TOLOSANI CRVDELISSIMVM.

Hoc anno, feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam, Balduin. Comes, frater Raymundi Comitis Tolosani, & Regis Galliarum consobrinus, princeps strenuus, qui pro Ecclesia ac Religione, aduersus impium fratrem multa præclara gesserat, per proditionem interceptus ac mox in vincula coniectus, & paulo post per summũ scelus à Comite Tolosano frater arbori infelicis nucis appensus, tanquam nouus Abel, ab imitatore Caini occubuit. Inter hæc Petrus de Mora Beneuentanus, tit. S. Mariæ in Acquiro Diac. Card. Legatus, ab Innoc. Pontif. missus, in Gallias venit, tum vt Iacobum, Petri Regis Aragonum filium, hactenus in manib. Simonis Montfortij habitum ab eo reciperet, Aragoniisque Regem daret; tum vt Raymundum Tolosatem, qui obedientiam & humilitatem præseferebat, iudicemque integrum à Sede Apost. implorabat, Ecclesię reconciliaret. Vtrumque Petr. Cardin. præstitit. Nam & Iacobum sexennem è manib. Simonis acceptum, Regẽ Aragoniis dedit, & Raymundum, receptis quibusdam loco obsidum castris, diris vsque ad Concilium Generale exsoluit, cum tamen Simon Montfortius bellum vbiq; contra Albigenses circumferret, & plurima eorum castra in potestatem acciperet. *Petrus Monachus cap. 132. & seq.*

XI. TOLOSATES ECCLESIÆ CONCILIANTVR.

Post restitutum Aragonijs Iacobum, quem illi missis ad Innoc. Pontif. Legatis, reddi sibi flagitabant, Petr. Cardinalis Legatus ad Castrum nouum Arij profectus, Tolosanos, cum id enixe postularent à censuris Ecclesiasticis absolutos, Ecclesiæ reconciliauit, cum ab eis viginti sex obsides accepisset, & iuramenta audisset, quod starent Ecclesiæ imperatis, quo ipso anno, circa octauas Resur. Domin. Rober. Corceonius Card. Legat. Guido Episcopus Carcassonensis, historiæ Albigensium scriptor, vna cum multis Crucesignatis ex Galliis mouentes, ad Simonem Montfortium Biterras & Montempessulanum venere, quo tempore, cum is contra hæreticos gladio materiali pugnaret, & D. Dominicus verbo prædicationis contra eosd. ageret, adeo facti sunt familiares, vt Simon voluerit D. Dominicũ benedictionem impendere nuptiis vxoris filii sui, quam ex Delphino Viẽnensi genitam Aymerico filio desponderat. Aniciam quoque filiam suam recens natam, D. Dominico obtulit baptizandam, quæ postea apud S. Antonium Parisiis, habitum religionis induta, sanctissimam vitam egit. *Petr. Monach. c. 137. & Humbert. in Chron.*

IESV CHRISTI
Annus 1215.

INNOCENTII PAP. III. Annus 18. HENRICI Imper. Orient. 10.

Hic annus celeberrimus est, omnium quę vmquam fuerunt, numerosissimo Patrum Romæ in basilica Lateranensi celebrato concilio. c Ex quatuor Orbis terrarum nobilissimis Patriarchis duo interfuere, Byzantiorum & Hierosolymitanorum. Antiochensis excusatione morbi vsus, Sacerdotes Sanctos viros Legatos misit; & Alexandrinus ab Ægyptiis vetitus ipse proficisci, è suis Oratores misit. Quadringẽti Episcopi, septuaginta Archiepiscopi, Monachorum sacri Patres 11. Primores sacrorum Cœnobiorum octingenti consedere. Oratores Regis Romanorum Friderici, simul Oratores Henrici Græcorum Augusti, ac Legati Regum omnium, Principumq; Catholicorum, sc. Regis Hierosolymorum, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Boemiæ, Daniæ, atque Cypri.

c ACTA CONCIL. LATERANENS.

Concilio cum præsideret Innoc. Papa, semel & iterum, concionem tam disertam, quam zelo pastorali ardentem habuit. Alteri, præfationem ex verbis illis Saluatoris; *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*, id est, antequam moriar, præposuit: alteram ab illis Psalmographi; *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri*; exorsus est; & vniuersam materiam necessitatis Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ complexus, vniuersos Patres & Principes, officij, tum in fidei symbolo stabiliẽdo, tum in hæreticis damnandis, tum in schismaticis ad vnionem Ecclesiasticam reuocandis, tum in Saracenis è Terra Sancta profligandis, tum in reformanda Ecclesiastica disciplina admonuit.

In hoc Concilio ab vnanimi Patrum consensu, infrascriptos articulos diffiniuit, ac in primis de fide Catholica: quorum summa hæc est quæ sequitur.

ARTICVLI CONCIL. LATERANENSIS.

1. *Vnus est Deus indiuisus in essentia, discretus in personis, creator omnium. Is ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creatu-*

ram

ram corporalem & spiritualem, Angelicam sc. & mundanam. Deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.

2. Diabolus à Deo quidem natura creatus est bonus, sed ipse per se factus est malus: homo vero diaboli suggestione peccauit.

3. Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates est discreta.

4. Vnigenitus Dei filius à tota Trinitate communicer est incarnatus, ex Maria Virgine Spiritus S. cooperatione conceptus.

5. Omnes mortales cum suis propriis corporib. resurgent quæ nunc gestant, vt recipiant secundum merita sua, siue bona fuerint, siue mala; mali cum diabolo pœnam perpetuam, boni cum Christo gloriam sempiternam.

6. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus saluatur.

7. Verum Christi corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina. Hoc sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos fuerit rite ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quæ ipse concessit Apostolis & eorum successoribus Iesus Christus.

8. Sacramentum baptismi, quod cum inuocatione Trinitatis consecratur in aqua, tam paruulis quam adultis in forma Ecclesiæ, à quocunq; vitio collatum fuerit, proficit ad salutem. Si autem post susceptionem baptismi contingat prolabi in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest gratia recuperari.

9. Non solum virgines & continentes, verumetiam coniugati, per fidem rectam & operationem bonam ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

10. Damnamus ergo & reprobamus libellum siue tractatum quē Abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de vnitate seu essentia Trinitatis, appellans hæreticum & insanum, pro eo quod in suis dixit sententiis, quomodo quædam summa res est pater & filius & Spiritus S. & illa non est generans, neq; genita, nec procedens. Vnde asserit quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem astruebat in Deo: videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam: manifeste protestans quod nulla res est quæ non sit Pater & filius & Spir. S. qui sunt vna essentia, vna substantia vnaq; natura. Verum vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectivum & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia, iuxta illud: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Item, Qui plantat & qui rigat, vnum sunt, & omnes vnum corpus sumus in Christo. Rursus in libro Regum: Populus meus & populus tuus vnum sunt. Ad hanc autem suam sententiam astruendam illud potissimum verbum inducit, quod Iesus Christus de fidelib. inquit in Euangelio: Volo Pater vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus, vt sint consummati in vnum. Non enim ait, vt fideles Christi sint vnum, id est, vna quædam res, quæ communis sit omnibus, sed tantum sint vnum, id est, vna Ecclesia propter Catholicæ fidei vnitatem: & tandem vnum regnum propter vnionem indissolubilis charitatis, quemadmodum in canonica Ioannis epistola legitur: Quia tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt. Statimque subiungit: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt, sicut in codicibus quibusdam inuenitur. Nos autem sacro & vniuersali Concilio approbante credimus & confitemur cum Petro, quod vna quædam res est incomprehensibilis quidem & inæstimabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spir. S. tres simul personæ ac singulatim qualibet earumdem, & idea in Deo Trinitas est solummodo non quaternitas, quia qualibet trium personarum est illarum, videlicet substantia, essentia, siue natura Diuina, quæ sola est vniuersorum Principium, præter quam aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, neq; genita, nec procedens, sed est Pater qui generat filium qui gignitur, & Spir. S. qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spir. S. non tamen aliud. Sed id quod est Pater, est & Filius, & Spirit. S. id est, omnino vt secundum Orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno filium generando, suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur. Pater quod dedit mihi, maius est omnib. At dici non potest, quod partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indivisibilis sit, vtpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in filium transtulit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desitisset esse substantia. Patet ergo quod sine vlla diminutione filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita pater & filius habent eamd. substantiam, & sic ead. res est Pater & Filius & Spir. S. ab vtroq; procedens. Cum ergo veritas pro fidelib. suis ad Patrem orat: Volo inquiens, vt ipsi sint vnum in nobis sicut & nos vnum sumus: hoc nomen, vnum pro fidelib. quidem accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia: pro personis vero diuinis, vt attendatur iden titatis in natura vnitas: quemadmodum veritas alibi ait. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est, ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est, perfectione naturæ; vtrumq; videlicet suo modo, quia inter Creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam siue doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tamquam hæreticus ab omnibus cuitetur. In nullo tamen propter hoc Florensi Monasterio (cuius ipse Ioachim exitit institutor) volumus derogari: quoniam ibi & regularis est institutio, & observantia salutaris. Maxime cum ipse Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit Apostolicæ Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit; in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est & magistra. Reprobamus etiam & condemnamus pernefissimum dogma impii Almerici, cuius mentem sic Pater mendacii excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica censenda sit, quam insana.

II. *a Prateol. in Almerico.* ALMERICI DOGMATA A CONCILIO DAMNANTVR.

Fuit *a* Almericus natione Gallus, patria Carnotensis, Lutetiæ Parisiorum impietatis Doctor. Inter væsanos mentis eius errores recensentur præcipui qui sequuntur.

1. *Dicebat Corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quam in alio pane, & in qualibet alia re, transubstantiationem denegans.*

2. *Deum sic locutum fuisse in Ouidio sicut in Augustino.*

3. *Negabat præterea resurrectionem corporum, paradisum similiter & infernum, sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in se paradisum. Qui contrà peccatum mortale haberet, eundem infernum habere in se, non aliter quam dentem putridum in ore.*

4. *Altaria Sanctis dicata & imagines thurificare, sanctorumq; inuocationes, idolatriam esse asserebat.*

5. *Non solum cum Armenis Adam & Euam nunquam carnali copula iungendos, si in statu illo in quo Deus illos condidit permansissent; verum etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem æque atque Angelorum futuram affirmabat; contra illud quod in Geneſi scribitur: Creauit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem Dei creauit illum: masculum & feminam creauit illos.*

6. *Asserebat rursus Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere.*

7. *Item illud quod alias est peccatum mortale, factum in charitate non esse peccatum, impunitatem peccatorum promittens.*

8. *Affirmabat deum, ideas quæ sunt in mente diuina, & creare & creari posse: cum contra, teste Augustino, in mente diuina, nil nisi æternum & incommutabile sit.*

9. *Somniabat quoq; mentem contemplatiui vel beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente diuina.*

10. *Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum conuerti, vt sint vnum indiuiduum cum ipso. Vndeper consequentiam, in resurrectione duplicem fore sexum negabat.*

Hęc & plura alia insana cum insaniret, multosq; sequacium errore suo imbueret, ab Episcoporum & Theologorum Parisiensium concilio conuictus, ex mœrore animi interiit. Multicius complices Senatus Consulto damnati, & coram vniuerso populo exauthorati, deinde flammis exusti, eorumque cineres per terquilinium dispersi sunt. Tradunt autem, quod cum illi ad supplicium ducerentur, tanta oborta sit aeris inclemencia & intemperies, vt nemo dubitaret, quin ab eis aer fuisset concitatus, à quib. tantus terror morientibus fuerat persuasus. Nam dicuntur tunc tam obstinata mente fuisse, vt non solum ad interrogata nullum darent responsum, sed nec in eis in ipso mortis articulo vllum pœnitentiæ aut sanæ mentis & resipiscentiæ perpendi potuisse indicium. Almaricus à Generali Concilio Lateranico potissimum de causa celebrato, hæreseos damnatus & anathemati subiectus, postea iussu Philippi Gallorum Regis exhumatus, exustusque est.

Contra Græcorum etiam superbiam ista sancita sunt.

III. SANCTIO-

Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ reuer-

NES IN SVPERBIAM GRÆCORVM ET DE PRIMATV QVATVOR PATRIARCHARVM ORIENTIS.

reuertentes, fouere & honorare velimus, mores ac ritus eorum in quantum cum Domino possumus, sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis, ab obedientia Sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando Sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata, lauissent. Baptizatos etiam à Latinis, & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc (sicut accepimus) quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab Ecclesia Dei scandalum amouere, sacro suadente Concilio districte præcipimus, vt talia de cætero non præsumant; conformantes se tanquam obedientiæ filii Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri suæ, vt sit vnum ouile, & vnus Pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur.

Ceterum cum inter Patriarchas nonnihil contentionis exortum fuerat, quis eorum priorem locum haberet, istud etiam edixit decretum, quod adiungo.

Antiquæ Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali synodo approbante sancimus, vt post Rom. Eccles. quæ disponente Domino super omes alias ordinaria potestatis obtinet principatum vtpote Mater vniuersorum Christi fidelium & Magistra Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana, quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate: ita quod postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro sepræfessionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Dominicæ vero Crucis vexillum ante se faciant vbique deferri nisi in vrbe Romana, & vbicumque Summus Pontifex præsens extiterit, vel eius Legatus vtens insignibus Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem Prouinciis, eorum iurisdictioni subiectis, ad eos cum necesse fuerit, prouocetur. Saluis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

MODVS REVOCANDI HÆRETICOS.

Habuit causam Innocentius vna cum vniuersali Ecclesia, ad alios seueritate disciplinæ Ecclesiasticæ auertendos, hæc infra scripta decernere.

Excommunicamus & anathematizamus, omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam Orthodoxam Catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes vniuersos hæreticos, quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas; quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati vero, secularibus potestatibus præsentibus, aut eorum baliuis relinquantur animaduersione debita puniendi, clericis prius à suis ordinibus degradatis: ita quod bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur: si vero clerici, applicentur Ecclesiis à quibus stipendia perceperunt. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationes suspicionis qualitatemque personæ propriam innocentiam congruæ purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. Moneantur autem & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur seculares potestates cuiuscumque officii etiam sicut reputari cupiunt & haberi fideles, vt pro defensione fidei præstent publice iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus exterminare studeant: ita quod amodo, quandocumque quis fuerit in Potestatem siue spiritualem siue temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum firmare. Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & Comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, quam exterminatis hæreticis sine vlla contradictione possideant, & in fide puritate conseruent; saluo iure dominii principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent Dominos principales. Catholici vero qui Crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoq; priuilegio sint muniti, quod accedentibus in subsidium terræ sanctæ conceditur. Quia vero nonnulli sub specie pietatis, virtutem eius (iuxta quod ait Apost.) abnegantes, auctoritatem sibi vendicant prædicandi; cum ipse Apostol. dicat: Quomodo prædicabunt nisi mittantur? omnes qui prohibiti vel non missi, præter authoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, & nisi quantocius resipuerint, alia competenti pœna plectantur. Volumus igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda, Episcopi per diœceses suas diligenter inuigilent; si canonicam effugere voluerint vltionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit vel remissus; cum id certis indiciis apparuerit, ab Episcopali officio deponatur, & in locum illius alter substituatur idoneus, qui velut & possit hæreticam confundere prauitatem.

IV. MORES ECCLESIÆ PER CONCILIVM CORRIGVNTVR.

Rebus fide ad eum modum diffinitis, Innocentius ad reliqua Ecclesiæ negotia disponenda Patres illexit: & hæc quæ sequuntur ex decreto Concilii constituit.

1. *Vt post Romanam Ecclesiam, quæ mater vniuersorum Christi fidelium est & Magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineret.*

2. *Vt singulis annis Prouinciales Concilia celebrentur, in quibus mores Cleri corrigantur.*

3. *Vt in corrigendis vitiis triplex modus, scilicet vel per accusationem, vel per denunciationem, vel per inquisitionem procedatur.*

4. *Vt variis ritus in eadem fide ab Episcopis quantum fieri potest tolerentur.*

5. *Vt Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, qui eorum sint coadiutores & cooperatores, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus & pœnitentiis iniungendis ac ceteris quæ ad salutem pertinent animarum.*

6. *Vt Magistri scholarum in Ecclesiis Cathed. instituantur.*

7. *Vt nouæ religiones, citra scientiam summi Pontificis non constituantur.*

8. *Vt incontinentes & remulenti Clerici corrigantur, & quantum opus fuerit, à sacris arceantur.*

9. *Ne Prælati comessationibus vitæ siue professionem contaminent; ne sanguinis iudicio præsint, ne duellis intersint, ne purgationem ferri candentis aut aquæ bullientis ritum aut benedictionem impendant.*

10. *Vt fideles singulis annis saltem in solemnitate Paschali, proprio, vel regulari sacerdoti confiteantur, atque ab eo sacram Eucharistiam recipiant.*

11. *Vt medici ad curandos ægrotos vocati, eos ad confitendum primo inducant.*

12. *Vt in electionibus Prælatorum forma canonica à Concilio præscripta omnino seruetur.*

13. *Vt nullus in eadem Ecclesia plures dignitates aut beneficia obtineat.*

14. *Ne Canonicorum filii, maxime spurii, Canonici fiant in sæcularibus Ecclesiis, in quibus Patres sunt instituti.*

15. *Vt qui beneficia aliqua in Ecclesiis obtinent, in eis resideant.*

16. *Vt qui præscriptionis titulo rem aliquam possidet, ostendat, in nulla temporis parte rei se habuisse conscientiam alienæ.*

17. *Ne clerici à potestatibus laici, eriam propter vtilitates communes, nouis exactionibus grauentur.*

18. *Ne intra quartum consanguinitatis gradum matrimonio coniungantur.*

19. *Ne clanculum connubia celebrentur.*

20. *Prius decimæ quam tributa exsoluantur.*

21. *Tempore interdicti poterunt à monachis sacra celebrari.*

22. *Reliquæ ab Episcopis recognoscantur: venales & nudæ non exponantur.*

23. *Quæstores eleemosynarum, litteras Apostolicæ Sedis, vel diœcesani secum ferant. Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint & discreti, nec in tabernis aut in locis incongruis hospitentur: nec inutiles faciant aut sumptuosas expensas, cauentes omnino, ne falsum religionis habitum gestent.*

24. *In dedicatione Ecclesiæ non plus quam vnius anni, in anniuersario autem dedicationis, non plus quam quadraginta dierum indulgentiam Episcopi largiantur; ne claues Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio eneruetur.*

25. *Ne pro consecrationibus Episcoporum aut benedictionibus aut ordinibus clericorum aliquid accipiatur.*

26. *Monachæ propter pretium receptæ, ex monasterio eiiciantur.*

27. *Iudæi ad restituendas vsuras compellantur: & decimas Ecclesiis persoluere teneantur.*

28. *Iudæi vtriusque sexus in omni Christianorum prouincia, & in omni tempore qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur, & nec illi, nec Pagani officiis publicis præficiantur.*

Vltimo loco Patres Concilii decreuerant, vt pro subsidio Terræ Sanctæ omnes Clerici bonam partem Ecclesiasticorum prouentuum conferrent; præsertim cum ipse summus Pontifex vna cum Cardinalibus, integram contulisset.

Inter alia etiam constitutum, vt singulis mensibus fieret generalis processio, seorsum viris & seorsum mulieribus constitutis, cum orationum deuota instantia pro Terræ Sanctæ liberatione. Orationi etiam ieiunium adiunctum & eleemosyna imposita, vt his quasi alis quibusdam facilius ad aures Dei volaret oratio. Singulis quoque diebus sub Missarum solemnibus publica tam virorum quam mulierum prostratio indicta, cum Psalmo: Deus venerunt gentes, versu & oratione ad hoc dispositis, & institutis. Truncus etiam in Ecclesiis sub tribus distinctis clauibus ordinatus, in quo reponeretur eleemosyna in (Nauler. generat. 41.) *subsidium Terræ Sanctæ. Prædicatoribus insuper omnibus commissum, vt homines ad sumendam Crucem hortarentur. Mirum tunc accidit in regno Gallorum vsque ad xx. millia puerorum Crucem acceperunt, quasi per eos vellet Deus Terram Sanctam liberare. Hos ad mare venientes, plerique piratarum nauibus imposuerunt, & partem eorum demerserunt, partem Saracenis vendiderunt.*

V. *a Æmil. in Philippo.* IVS COMITATVS TOLOSANI SIMONI MONTFORTIO DONATVM PER CONCIL.

Ex hoc etiam vniuersali Concilio, *a* ius Comitatus Tolosatium Simoni Montfortio dono datum est, ob recētem memoriam meritorum, & in futurum spem. Is ad Regem Francum profectus, eius Comitatus nomine se beneficiarium professus, se ei iureiurando fidelitatis obstrinxit, atq; vtrinq; osculo delibato, Biteras reuersus, Conuentum ea in vrbe totius regionis habuit. Nemine decretis sacri Concilii refragari auso, in verba sua gentem Sacramento adegit, atque fide deuincta iussit Carcassonensibus, Tolosatibus, Narbonensibus, intra certam diem muros vrbium suarum deiicerent, fossas explerent, & stipendium in Crucesignatos conferrent. Parebant illi, dum patriam euertere iuberentur: cæterum arcæ iacturam non sustinentes, dolore in iram verso, Raymundum Comitem Tolosanum ex Hispaniis euocarunt. Aduolauit ille, manu Saracenorum sub Mamolini signis armatus: & cum à Tolosatibus, tum à finitimis Ciuitatibus receptus, Pontifices & Sacerdotes Catholicos, quos Simon restituerat, exturbauit. Pontifex porrò maximus re semel diiudicata, cum constantiæ suæ duceret, ac è religione esse placita Patrum rata, decreta sua sancta haberi, ad sacrum bellum contra periuros hæreticos prosequendum, Regem Philippum, & Simonem Montfortium hortatus est.

VI. *b apud Sur. 4. August.* D. DOMINICVS ORDIN. SVI, VT ET D. FRANCISCVS AB INNOC. III. [illegible]

Eodem anno *b* cum Romæ celebraretur Concilium, Fulconi Tolosano Antistiti eò contendenti, D. Domin. Ord. Prædic. Conditor se comitem adhibuit, vt eius & auctoritate & gratia nixus, Ordinis recens instituti confirmationem ab Innocentio obtineret, & quæ hactenus contra Albigenses feliciter gessisset significaret. Porrò, quāquam Dominicus multam operam vna cum reliquis Patribus sociis in extirpandis hæreticis nauatam demonstrasset, & in consessu Concilii vniuersalis, in confutandis Ioachimi erroribus, & Almerici insaniis reprobandis, multam doctrinam, atq; virtutem omnibus probasset, Pontif. tamen aliquanto votis suis reluctantem primo expertus est. Volebat forte, spiritum explorare magis an ex Deo esset: vel difficultate confirmationis plurimos à nouatione religionum deterrere. Namque per id temporis, & D. Franciscus vndecim socios nactus, Ordinis Minorum: & nōnulli alii à Carmelo monte, alii vero à D. August. Doctore, nomen & originem vsurpantes, Carmelitarum, atq; Augustinianorū instituti initia dederant, & confirmationem postulabant. Didicit tandem Innocentius Pontifex institutam à D. Dominico viuendi rationem, à Deo inspiratam, maxima labanti Ecclesiæ commoda afferre posse. Nam secundum visum in somnis aspexit, Lateranensem basilicam lapsantem, à Diuo Dominico fulciri, dum ille humeros ruinosæ fabricæ supposuisset, & magna virtute sustentasset. Statim autem atq; intellexit quid visio portēderet, D. Dominicum bono animo ad suos reuerti, & regulam ad quam viuerent sibi deligere iussit: promisitq; tum demum eam viuendi rationem approbare. Nondum Roma discesserat Dominicus, vt Tolosam ad socios rediret, quando Innocentius diploma cōcessionis inscribere præcipiens, primo iniunxit: Scribe, Fratri Dominico, eiusq; sociis. Deinde mutata sentētia, nec sic, ait, scribe, sed, Fratri Dominico & cæteris cum eo in partibus Tolosæ prædicantibus, & cum hæc quoque inscriptio non placuisset: scribe, inquit: Magistro Dominico, & Fratribus Prædicatoribus. Hoc accepto diplomate, & diuinitus pronunciata appellatione, Tolosam reuertens, sociis sexdecim congregatis, & Regulam S. Augustini quam profiterentur elegit & nomen ordini, Fratrum Prædicatorum, ex inscriptione Pontificia imposuit: atque nonnullis pro tempore adiunctis arctioris vitæ Constitutionibus in Ecclesia S. Romani à Fulcone donata, Religionem Prædicatorum instituit. *c* Per hos dies quidā Magistrorum scientia clarissimus Theologiam profitebatur. (*c Flamin. in vita S. Dominici.*) Dum autem lectionem matutinam pararet, paulo antequam adiutorium adiret, in librum reclinatus somnum cepit. Secundum somnum aspexit, septem stellas sibi dono datas, quæ postmodum tantum ex se fulgorem emitterent, vt totum orbem illustrare viderentur. Experrectus mirabatur, ecquid somnium portenderet. Mox autem auditorium ingressus, D. Dominicum cum aliquot sociis introeuntem conspiciens, illos esse viros dixit, quos stellæ apparentes significarunt, indicarentque eosdem in lumina sanctæ Ecclesiæ euasuros, quibus per totum Orbem Christiana religio illustraretur. Parem difficultatem atq; S. Dominicus, *d* Diuus (*d apud Surium 4. Octob.*) quoque Franciscus in obtinenda confirmatione Ordinis minorum expertus est. Quanquam enim Innocētius Pontifex, simplicitatem puritatemque animi illius, nec nō propositi constantiam ignitumque sanctæ voluntatis feruorem amore complecteretur, distulit tamen postulata probare, maxime quod Purpuratis quibusdā Patribus nouum aliquid, & supra humanas vires arduum proponere videretur. Cæterum Franciscus proposita parabola Regis, cum paupere eaque formosa muliere matrimonium ineuntis: Non est, inquit, formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii & heredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, & ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione pauperrima generādi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis Regnum promittit æternum: quanto magis illa eis necessaria subministrabit, quæ communiter largitur & bonis & malis? Eam parabolam cum Innocentius audisset, fertur verbo laudasse probasseq; S. Francisci institutum. Deus sanè miraculo euidenti non post multos dies approbauit. Cum enim D. Franciscus vna cum sociis vallem Spoletanam inambularet, & inopia rerum maxima adeo premeretur, vt præ fame atque siti deficerent vniuersi: ecce diuinitus homo adfuit, qui tradito illis pane, subito rursus ex oculis euanuit. Eo liberalitatis dono magis quam cibo socii illius exhilarati, statuerunt firmiter nullo inediæ, aut tribulationis impulsu, à sanctæ paupertatis proposito resilire, præsertim cum D. Franciscus magna fiducia illud Psalmographi cunctis sociis inculcaret: Iacta in Domino cogitatum tuum, & ipse te enutriet.

VII. MODVS PROBANDI HÆRETICOS FERRO CANDENTI.

His temporibus multi in occulto fuerunt hæretici vtriusque sexus, qui varios in Alemannia, Francia & Italia errores seminauerunt, quorum plures deprehensi flammis exusti sunt. In ciuitate enim Argentinensi hoc anno plusquam 80. numero vna vice fuerunt comprehensi, quorum pauci innocētes reperti sunt. Hos Frater Conradus Marpurgensis Ord. Præd. Apostolicus Inquisitor, indicio ferri candentis, si negassent hæresim, probare consueuerat, & quos ferrum exussisset, velut hæreticos sæculari iudicio tradebat comburendos. Vnde paucis exceptis, omnes qui semel accusati essent, & ad eius examen perducti, ad incendium damnabantur. *Chron. Hirsaugiens.*

VIII. PESTIS TVNGRIS DEPVLSA PER INTERCESSIONEM B. MARIÆ VIRGINIS.

Hoc anno Domini, Millesimo ducētesimo decimoquinto, pestis apud Tungros in Hānonia sic sæue grassabatur, vt in oppidis & pagis vix cuiquā parceret, nullo ætatis sexusve discrimine: præcipuè tamen Athum inuaserat. Ibi tum erat mulier peregrinatrix ad Tungros nomine Nicolaa, quæ nihil sibi metuebat à pestilentia, quod D. Mariæ virginis bonitate subnixa esset, & inscripta albo Sodalitatis eius apud Tungros: quo fiebat, vt vicinos & amicos

suos incitaret, ad votum peregrinationis Tungrensis. Persuasit hoc illa quamplurimis, qui cum suis domesticis à peste immunes extiterunt; & ad Tungrensem ædiculam peregrinatione suscepta, actisq; deinde Beatissimæ virgini gratiis, sese peregrinorum & Sodalium catalogo inscribi fecerunt. Ex hoc rumore per totum oppidum sparso, ciuium animi pia deuotione, ac deuota pietate mirabiliter fuerunt inflammati, quæ res loci pastorem permouit, vt publicam ac solemnem processionem, ab Atho, ad ædiculam Tungrensem, populo nouis delibuto gaudiis, indiceret. Ventum est eo, non sine magna pietatis significatione, sacrisq; ceremoniis. Auditus est præco Diuini verbi Ioannes Regius: qui tantam credentis plebis animis ingenerauit fiduciam, de fauore & auxilio Dei, per Beatiss. Virg. Mariæ merita obtinendo, si modo seriò ad Dominum conuerterētur, vt inde salutaris admodum successus, & lætus euentus prodiret. Ab eo autem tempore vindex Dei manus exarmata est, & horribile Dei flagellum, in oppido iam nominato conquieuit, ita vt exinde nullus omninò, cuiuscumq; demum ætatis fuerit, pestilentiæ morbo sit sublatus. Insigne hoc & euidens miraculum, nusquam non innotuit: vnde & alibi populi similem veræ conuersionis viam ingressi, potissimum vero Valentianis & Tornaci, à pestilentia, mirè & subitò sunt liberati. *Carolus Stengelius in Alexityrio.*

IX. CONCILIVM PROVINCIALE IN GALLIIS PER LEGATVM INDICTVM

Hoc eodem anno, intra quindecim dies post Natalem Dominicum, Petrus Beneuentanus Cardinalis Legatus, postquam ex Comitiis Ilerdensibus, vbi in verba Iacobi Regis Aragonii proceres iurarunt, reuertisset, celeberrimum Concilium apud Montempessulanum congregauit. Interfuere quinque Archiepiscopi, nempe, Narbonensis, Aquensis, Ebredunensis, Arelatensis, Auxitanus: item viginti octo Episcopi, ac multi Abbates, Religiosi, Barones & Nobiles. In eo ex communi consilio & consensu Legati & totius Concilii, decretum est, vt Simoni Comiti Montfortio, propter præclaram in bello aduersus Albigenses operam nauatam, & eximia in Ecclesiam Romanam virtutum merita, tota ea regio quam armis feliciter occupauerat, tribueretur, isque Dominus & Princeps totius ditionis constitueretur: nisi aliter Innocentio Pontifici statuere visum esset. Ea de causa Romam missus est, Bernardus Archiepiscopus Ebredunensis Consilii Legatus, cum aliis Clericis, qui Patrum nomine ab Innocentio postularet, vt synodale decretum ratum firmumque haberet, Simonemque Dominum Terrarum omnium eo sacro bello acquisitarum esse iuberet. Interim Ludouicus Regis Galliarū filius, Cruce ex voto contra Albigenses suscepta, Lugdunum venit. Sed Legatus, qui in potestate sua Tolosam, Narbonamque & alia hostium valida oppida retinebat, non nimis Ludouici gratum aduentum habuit, quod timeret, ne ille tamquam Franciæ Princeps, ad quem directum & supremum dominium earum vrbium pertinebat, aliquid contra voluntatem ipsius, qui cuncta Montfortio tradere destinauerat, attentaret. Censebat enim iure Legatus, nihil iuris esse Francorum Regi de his statuendi: quandoquidem ipso cessante, sola Romani Pontificis industria, cum exercitu Crucesignatorum, totam eam regionem, ab hæretica impietate liberasset. Sed tamen omnem Legati metū sustulit Ludouici Principis bonitas, & ingenium æqui bonique amantis, qui Apostolicis mandatis & Legati consiliis, se vbique promptum exhibuit, cum & Legati Concilii opportune Roma reuertentes, litteras ab Innocentio Pontifice, ad Petrum Cardinalem Beneuentanum, ad Prælatos, & ad Simonem Montfortium detulissent, quibus auctoritate Apostolica statuebat: vt oppida, vrbes, Terræ, loca, Castra, vel quę Comitis Tolosani fuerant, vel quæ in potestate Legatorum Apostolicorum essent, Simoni Montfortio traderentur: ipseque eorum custodiam, curam, & administrationem, cum plenaria iurisdictione, fructibus ac redditibus haberet, vsque ad Concilii Generalis apud Lateranum ad proximos dies mensis Nouembris indicti, decretum. Apostolicas litteras laudibus Simonis refertas datas Laterani Quarto Nonas Aprilis, Pontif. Innocentii III. anno XVIII. suæ Albigens. hist. c. 148. inseruit *Petrus Monachus*.

X. VRBES MVRIS DENVDATÆ,

Itum est deinde Biterras, vbi Ludouico Principe & Mōtfortio præsentibus, Petrus Cardinalis Legatus Episcopi, ac Prælati non paruo numero, decreuerunt, vt Princeps Ludouicus auctoritate Apostolici Legati, demoliri imperaret mænia, Narbonæ, Tolosæ, & aliorum validorum oppidorum, ne amplius receptacula hæreticorum forent, neue spes vlla rebellandi hæreticis superesset. (QVOD RECEPTACVLA HÆRETICORVM FVISSENT.) Narbonenses extemplo vrbem mænibus denudarunt, refragante Arnaldo Archiepiscopo Narbonensi. Carcassone deinde omnibus Prælatis congregatis, Ludouico & plurima nobilitate præsente, Legatus secundum Apostolica mandata, totius regionis curam & administrationem Montfortio, vsque ad Concilii Generalis dispositionem dedit, statimque Tolosam Guido frater Simonis iuit, qui illius nomine vrbem recepit, murosque maiori ex parte solo æquauit, & Ciues in verba eiusdem Comitis sacramento fidelitatis adegit. Comitatum etiam Foixensem, quem Petrus in sua potestate hactenus retinuerat, Montfortio, vna cum reliqua Prouincia dedit. Cumque omnia pacata & tranquilla viderentur, Romam ad Pontificem reuersus est. *Petrus vbi supra.*

XI. VEXILLVM CRVCIFIXI MIRACVLOSVM, PRÆTVLIT.

Aiunt extare adhuc Tolosæ in ædibus S. Inquisitionis sacram Christi Crucifixi imaginem, quam in bellis, quæ Simon Montfortius aduersus impios Albigenses gerebat: quamque S. Dominus pro militari vexillo & præferri iussit, & ipse sæpius tanquā certissimæ mortis hostilis argumētum, nobili miraculo illustratum. Nam cum hastile ipsum lignumque Crucis, multis in locis, sagittarum telorumque hostilium perfossionibus terebratum ostenteretur: imago tamen Christi cruci affixi, integra & illibata sine vlla læsione adhuc visitur, summaque omnium veneratione adoratur. Vt hinc duplex patrari tunc solitum miraculum admirari libeat: & illæsæ Christi imaginis, & S. Dominici: quia eam inermis, inter densissimos sagittarum telorumque imbres præferens, nullum acciperet aut vulnus, aut damnum.

Præferebat istud signum D. Dominicus, zelo Fidei Catholicæ inflammatus: cui nihil magis volupe fuerat, quam errantes luce veritatis dirigere: aut si radium benigniorem respuerent, in eos ex officio aduertere. Per id enim temporis, Innocentius III. Pontifex Max. (quemadmodū Sixtus V. in diplomate institutionis festi S. Petri Martyris memorabat) Diuo Dominico auctor fuerat, vt is *perpetuis & concionibus, & disputationum congressibus, officioq; Inquisitionis, quod ei primum commiserat, contra hæreticos mirabiliter se gereret*: & vel reuerti volentes Ecclesiæ conciliaret, vel reuerti nolentes iusta sententia percelleret. Theodoricus narrabat, in eius vita, istud quod adiungo, eius zeli, & spiritus Prophetici insigne argumentum.

XII. HÆRETICVM INFLAMMANDVM SERVARI IVBET D. DOMINICVS, QVOD PRÆDESTINATVM ESSE NOTASSET.

Prædicāte illo hoc tempore in partibus Tolosanis, contigit Tolosæ, quosdam hæreticos captos, & per eum conuictos, cum ad Ecclesiam Catholicam redire nollent, tradi iudicio sęculari. Cumq; essent incendio deputati, aspiciens inter alios Raymundum quendam de Grossi nomine, ac si aliquem in eo diuinæ prædestinationis radium fuisset intuitus: *Istum*, inquit officialibus Curiæ, *reseruate, nec aliquo modo, cum cæteris comburatur*. Conuersusque ad eum, blandeque alloquens, *Scio*, inquit, *fili mi, scio, quod adhuc, licet tarde, bonus homo eris, & sanctus.* Successit euentus. Ille enim tandem Dei gratia illustratus, relictis tenebris ad lumen venit, & Frater etiam Prædicator effectus, in eodem Ordine vitam suam, & laudabiliter duxit, & feliciter consummauit.

XIII. FORMVLÆ RECONCILIATIONIS HÆRETICORVM PER D. DOMINICVM SERVARI SOLITÆ.

Porro extant adhuc formulæ, quibus S. Dominicus vti solitus fuerat, vel in reconciliandis Ecclesiæ hæreticis, salutariq; pœnitentia mulctandis, vel in aliis officiis exequendis, quæ ad munus Inquisitoris pertinerent. Duas dabo, ex peruetusto Commentario, de rebus Ord. Præd. à Nicolao Rosello Card. S. Sixti composito. Primum habet.

Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ peruenerint, Fr. Dominicus Oxomensis Canonicus, Prædicator minimus, salutem in Christo. Auctoritate Domini Abbatis Cisterciensis, Apostolicæ sedis Legati, qui hoc nobis iniunxit officium, reconciliauimus præsentium latorem Pontium Rogerium, ab hæreticorum secta, Deo largiente conuersum: mandantes, in virtute præstiti sacramenti, vt tribus Dominicis festiuis diebus, ducatur à sacerdote nudus in femoralibus, ab ingressu villæ vsq; ad Ecclesiam verberando. Iniungimus etiam ei, vt à carnibus, ouis & caseo, seu omnibus quæ sementinam trahunt carnis originem, abstineat omni tempore: excepta die Paschæ, & die Pentecostes, & die Natalis Domini: in quibus ad abnegationem er-

rorū priſtini, præcipimus, vt eis veſcatur. Tres Quadrageſimas in anno faciat, à piſcibus abſtinens. Tribus diebus in hebdomada ſemper à piſcibus, & ab oleo, & vino abſtineat, & ieiunet: niſi corporalis infirmitas, vel labores aſtatis exegerint diſpenſationem. Religioſis veſtibus induatur, tum in forma, tum etiam in colore, quibus in directo vtriuſque papillæ, ſingulæ Crucis paruulæ ſint aſſutæ. Quotidie, ſi opportunum fuerit, Miſſam audiat: & diebus feſtiuis ad veſperas in Eccleſiam pergat. Alias horas, tam nocturnas, quam diurnas vbicunq; fuerit, Deo reddat, ſcilicet ſepties: in die decies Pater noſter dicat: media nocte, vigeſies. Caſtitatem obſeruet, & mane apud Cererim villam chartam iſtam Capellano ſuo per ſingulos menſes oſtendat. Capellano etiam præcipimus, vt de vita eius curam diligenter habeat: hæc omnia diligenter obſeruet: donec alias ſuper his Dominus Legatus ſuam nobis exprimat voluntatem. Quod ſi ea obſeruare contempſerit, tanquam periurum, & hæreticum, & excommunicatum ipſum haberi præcipimus, & à fidelium conſortio ſequeſtrari. Hactenus D. Dominicus iniũgebat, poteſtate ex officio Inquiſitoris, ab Arnaldo Abbate Ciſtercienſi, Apoſtolico Legato, ſibi iniuncto, accepta. Iſtud aliud exemplar, ab auctoritate à Petro Beneuentano Cardinali Legato, ſibi pro officio Inquiſitionis communicata, Ita habet.

Vniuerſis Chriſti fidelibus, ad quos litteræ præſentes peruenerint, Fr. Dominicus Oxomenſis Canonicus, Prædicationis humilis miniſter, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Diſcretio veſtræ vniuerſitatis præſentium auctoritate cognoſcat, quod nos Raymundo Guillelmo de Altaripa Pelaganirio licentiam conceſſimus, vt Guillelmum Vgotionem hæreticali quodam habitu, vt idem coram nobis aſſeruit, inueſtitum, ſecum in domo ſua apud Toloſam teneat, more aliorum hominum conuerſantem: quouſque ſuper hoc nobis, vel ſibi expreſſius mandatum faciat Dominus Cardinalis, & quod ſibi non cedat, videlicet Raymundo Guillelmo ad infamiam ſiue dampnum. Iſta D. Dominicus indulgebat, ex officio Inquiſitoris, ab Apoſtolica ſede, primum in Religionem Prædicatoriam inuecto.

IESV CHRISTI
Annus 1216.

INNOCENTII PAP. III. Annus 19. — HENRICI Imper. 11.

I. IOAN. ANGLVS MORITVR, SVCCEDIT HENRICVS FILIVS. *a Aemil. in Philip.*

IN Anglia *a* Ioannes Rex, fato, an morbo, an animi dolore decubuit hoc anno. Iuſſus fuerat, quas facultates ſacerdotum inuaſerat, ac ſeptem annis poſſederat tuleratque, reddere, quæ vero aut abſumpta, aut violata forent, eorum æſtimatio fieret: quanti ante calamitatem eſſent, præſens precium ſacerdotibus diſſolueret. Ac ne infirmiore fide vteretur, Proceres gētis iureiurando à Legato Apoſtolicæ ſedis adacti fuerant, ſe qua parte fide decederet, quacunque ratione coacturos vt conuenta præſtaret. Itaque dum Eccleſiis ſatisfacere conaretur, & nouas rationes auri cogēdi excogitaret, Principes inprimis Anglos offendit. Hi coitione facta ab eo deſciuere. Quatuor ex his conſenſu cæterorum ad Regem Gallorum tranſmiſere, hortantes vt rem Anglicam capeſſeret, ſeque vt Franciæ, ita & Angliæ ſalutari Regem pateretur. Philippus cognomine Auguſtus abnuit, eo quod induciæ interceſſiſſent: Ludouicus eius filius obſidibus acceptis traiecit, Regiſque nomine conſalutatus, Londinum vrbem Regiam recepit. Antonienſes & Linconienſes iura ab eo petere cæpere. Interim Ioannes Rex cum morte luctabatur, vim Numinis perſpicuam quam in tot aduerſis ſiue deriſerat, ſiue contempſerat, vel ſero tandem reſpicere atque experiri coactus. Henrico eius filio æquiores fuere proceres gentis, eique contra iurisiurandi quo ſe Francis addixerant, religionem, affuere contra Ludouicum. Deceſſit Inſulâ Ludouicus, domumque regreſſus obſides, authoritate ſedis Apoſtolicæ Legati, accepta non contemnenda vi auri reddidit.

II. *b Hiſt. Albigenſ.*

In Galliis *b* cum præſente Petro Beneuentano Diacono Cardinali Innocentii Pontificis Legato, Synodus XVIII. Epiſcoporum, apud Montempeſſulanum anno ſuperiore celebrata, Toloſanum Comitatum & Albienſem Prouinciam Simoni Montfortio adiudicauiſſet, eamque donationem etiam Ludouicus Galliarum Princeps, qui tunc contra Albienſes hæreticos depugnabat approbaſſet, vtq; à Magno Concilio Lateranenſi confirmaretur obtinuiſſet, Simon Comes non ſegniter contra hoſtes Eccleſiæ dimicauit.

In Hungaria, *c* Beatus Euſebius Strigonenſis, Ordinis Eremitarum, ſancti Pauli primi anachoretæ titulo, initium dedit. III. *c Onuphr.*

Conſtantinopoli Henricus Græcorum Auguſtus deceſſit: in cuius locum ſuffectus eſt eius gener Petrus Altiſiodorenſium Comes, Franci Regis propinquus. In Hiſpaniis Henricus Caſtellæ Rex huius nominis primus caſu interiit: & in eius locum ſucceſſit ex Berengaria ſorore nepos, Ferdinandus eo nomine Tertius: filius Regis Legionenſis. IV. MORITVR HENRICVS IMP. ORIENTIS.

Romanum quoque Pontificem Innocentium Tertium immatura morte die XVI. Iulii defunctum, Catholica Eccleſia luxit. Diſceſſerat ab vrbe vt Piſanos cum Genuenſibus maritimis, & Ciſalpinos inter ſe terreſtribus præliis decertantes in concordiam redigeret. Peruſum æſtiuis menſibus delatus, morboque correptus fatis conceſſit, ibidem in Cathedrali S. Laurentii ſepultus, dignus planè qui propter vitæ innocentiam, & Pontificatus integerrimam adminiſtrationem, inter ſanctos Pontifices referatur. Duas domos hoſpitales in vrbe, alteram ad captiuos redimendos, alteram ad ægrotos, egenteſque ſiue domeſticos ſiue peregrinos recipiendos recreandoſque ædificauit ditauitque: Apſidem Baſilicæ S. Petri, & locum ſepulturæ illius exornauit: Eccleſiis omnibus vrbanis calices argenteos & alia ornamenta donauit: Baſilicam Lateranenſem donatiis & redditibus locupletauit: labem ſimoniacam & venalitatem exterminauit: Vrbem annona laborantem frumento ex Sicilia comparato ſubleuauit: pauperibus publicè & priuatim calamitoſis, pluſquam octo millibus eleemoſynas miniſtrauit; mendicorum 12. ſingulis diebus ſabbati pedes lauit. Iura & immunitates Eccleſiæ, à porentia Imperatorum Regum & Principum vindicauit: Ne magna capita impunè peccarent, authoritatem Pontificiam adhibuit: Francorum, Angliæ, Portugaliæ, Cypri, Siciliæq; Reges, tum deinde Orientis & Occidentis Imperatores publicè redarguit: hæreticos, ſchiſmaticos, & alios errones ad vnitatem fidei, Eccleſiæ, & veritatis qua verbo, qua ferro reducere conatus eſt: Conſtantinopolitanam Eccleſiam Romanæ ſedi feliciter vniuit: in ſubſidium Terræ ſanctæ maxima ſubſidia virorum, armorum & pecuniarum miſit: Eccleſias totius Orbis ſanctis inſtitutionibus informauit: ac rādem ſanctorum collegio ſeſe factis aſſeruit: cum Pontificatum geſſiſſet annos XVIII. menſes VI. dies IX. V. INNOC. ETIAM TERTIVS MORITVR. SVMMARIVM OPERVM INNOCENT.

Aliquis, ex diuerſis fide dignis ſcriptoribus, eam quam ſubiungo vitam, & res geſtas Innoc. collegit. VI. VITA INNOCENT. PONTIFICIS.

Innocentius Tertius, natione Campanus, patria Anagninus, ex illuſtri Comitum familia patre Traſimundo duxit originem. atq; à pueritia in celeberrima Pariſiorū Academia optimis imbutus ſtudiis, vſque eo & eruditione & vitæ ſanctimonia profecit, vt etiam antequam ad ſummi Præſulatus ſummam eſſet euectus dignitatem, doctrina & moribus inſignis haberetur. Vnde etiam à Papa Cæleſtino huius nominis Tertio, in Cardinalium numerum aſcitus eſt, proprio nomine dictus Lotharius. Interea opuſculum edidit de contemptu mundi, ſiue de miſeria humanæ conditionis, ad deprimendam, vt ipſe ait, ſuperbiam, caput vitiorum omnium. In huius prologo, quem Portuenſi ſcripſit Epiſcopo, dignitatem humanæ conditionis ſe deſcripturum pollicebatur, qui liber vtrum interierit, an ab eo editus non ſit, incertum habetur. Vbi autem Cæleſtinus vitam cum morte cōmutauit, Lotharius iſte, quamuis inter Cardinales eſſet iunior, tamen nutu Dei, & votis Patrum, atque omnium conſenſu tanquam verè dignus & idoneus in demortui locum ſuffectus eſt: mutato que nomine Innocentius Tertius dictus. Hoc ſumpto honore, non eſt ſuperbia inflatus, neq; inerti ſe otio dedit, non animum ad voluptates adiecit, non deniq; quæ ſua ſunt quæſiuit, ſed vt multorum ſcripta teſtantur, innumeros pro Chriſtianæ reipubl. quæ tum variis bellorum motibus periculosè quatiebatur, pro comparanda ac reſarcienda pace labores ſuſcepit: viuaxque & verſatile ingenium ſuum ſic ad omnia verſuſque vitæ, nempe actuoſæ & contem-

platiuæ munia applicuit, vt quocunq; illud verteret, quam maxime valeret, perinde ac ſi illi vni rei fuerit intentus. Et principio quidem, cum auaritiam tanquam malorum omnium radicem præcipue exoſam haberet, vt eam à Romana Curia prorſus profligaret, mox edictum propoſuit, vti ne quis officialium Curiæ ſuæ quicquam à quocquam exigeret, præter Apoſtolicorum diplomatum ſcriptores: quibus nihilominus certum præſcripſit modum, diſtrictè cunctis præcipiens, vt ſinguli officium ſuum gratis impenderēt. In quo perſpicue animi eius ſinceritas, & erga iuſtitiam amor poteſt animaduerti. Inde etiam factum eſt, vt oſtiarios, ſicut Antoninus ait, Notatiorum cubiculis remoueret, quo liber ad eos pateret acceſſus. Erat autem, vt idem Antonius affirmat, ixtra Palatium Lateranenſe menſa, cui vaſa aurea & argentea, multique theſauri imponebantur. Hanc itidem, vir ſolertiſſimus de toto Palatio fecit remoueri. Et quia, vt diximus, ea tempeſtate qua Pontificatum iniit ac adminiſtrauit, bellici tumultus Chriſtianum orbem miſere perturbabant, omnes animi neruos piiſſimus Pontifex & pacis amator, eo intendit, vt Reges & Principes Chriſtianos ad concordiam reduceret, & inter eos pace conciliata, ad Terram ſanctam, vbi filius Omnipotētis Dei triginta tres & eo amplius annos vixit, ac tandem acerbiſſimam mortem perpeſſus eſt, recuperandam, eos pariter inuitaret. Neque facile dici queat, quantum in his efficiendis rebus poſuerit operæ, quantoque ei labore & ſudore conſtiterit, vt quandoque ſuo voto potiretur. Nec tamen his ſolis tum premebatur curis. Siquidem ingens Saracenorum, Chriſtiani nominis fœuiſſimorum hoſtium numerus, duce Hilminolino quodam, ex Africa in Hiſpaniam traiecerat, atque omnem illam terram peruagatus, incendiis, populationibus ac cædibus Arelatum vſq; & Auenionem peruenerat: maiora haud dubie moliturus, niſi tantis malis remedium adhiberetur. Itaque pius Pontifex hic quoque animo diſcruciabatur, quibus tandē modis tam cruentus hoſtis à Chriſtianorum ceruicibus poſſet auerti: Præter hæc autem non nimirum impēdit curam & operam, tuendo Siciliæ Regno, & Friderico ſecundo adhuc puero, quem Henricus Sextus Imperator eius fidei commiſerat. Germania quidem eo tempore inteſtinis flagrabat diſſidiis, dum alii Philippum Henrici Imperatoris fratrem, Ducem Sueuiæ, alii Ottonem Quartum Saxoniæ Ducem in Regem Germaniæ & Imperatorem elegiſſent. Othonis partes ſequebantur Colonienſis Archiepiſcopus cunctique eius ſuffraganei, pluresque alii Theutonici Epiſcopi, atque cum illis Dux Louanienſis, Dux Limburgenſis, Comes Palatinus Rheni, & Lanthgrauius Thuringiæ. Philippo reliqua terra, cum cæteris Alemaniæ Principibus adhærebat. Et ne quid ad malorum cumulum deeſſet, Rex Galliarum cum Philippo fœdus pepigit, eo quod audiſſet Anglorum Regem Ottoni fauere. Inter hæc quid animi haberet Innocentius Pontifex, cui totius Eccleſiæ cura diuinitus commendata erat, vnuſquiſque ſecum facile perpendere poteſt. Sed quia tum anteceſſores Philippi, Duces aliquot Sueuiæ, tum ipſe etiam Philippus Eccleſiam Romanam grauibus iniuriis affecerant, eaque de cauſa Philippus Rex excōmunicationis ſententia ligatus tenebatur: Innocentius Papa in illius electionem conſentire noluit: ſed Othoni tāquam legitimè electo ab illis, ad quos id pertinebat, potius adhæſit. Interim multa perperrabantur mala, dum Principes quidam Pontifici conſentire nollent, ſed Philippi cauſam tuerentur. Verum omnipotens Deus, qui terribilis eſt in conſiliis ſuper filios hominum, vt Vicarii ſui Romani Præſulis ſententiam confirmaret, Philippum non multo poſt ex hac luce tolli permiſit, idque morte ſatis improuiſa ac ſubita. Philippo defuncto Innocentius Papa Othonem coronauit, exigēs ab eo de Beati Petri patrimonio ſeruando ac tuendo iuramentum. Sed is non diuturno tempore fidem ſeruauit. Vt enim Platina refert, contra ius faſque occupatis Monteflaſcone, Radicophano, multiſque Romanæ Eccleſiæ oppidis, in regnum Neapolitanum mouit, id adoleſcenti Friderico ſecundo ſublaturus. Quod grauatè ferens Innocentius Papa, ſæpius eum admonuit, vt ab huiuſmodi machinationibus animum reuocaret. Scribit Abbas Vſpergenſis in Chronicis ſuis, qui hiſce temporibus vixit, vidiſſe ſe Romæ virum religioſum Abbatem Morimundi, qui ſe dixerit, à Diui Michaelis feſto vſq; ad Quadrageſimæ ieiunium quinquies ex Roma Capuam Pontificis iuſſu acceſſiſſe, propter reformandam pacem inter Innocentium & Othonem. Ex quo licet intelligi, quam pacis ſtudioſus fuerit, tot licet iniuriis lacerſitus. Verum tandem nihil ſe proficere ſentiens, Othonem anathemate notatum, Imperii ritulis priuauit, vſus hac in parte, vt Antonius teſtis eſt, non temeritate ſua, ſed communi Prælatorum conſilio. Quare cognita Boemiæ Rex cum Colonienſi, Moguntino & Treuerenſi Archiepiſcopis, Lanthgranio Thuringiæ atq; Auſtriæ Duce ſuadente, Fridericum ſecundum Siciliæ Regem, vigeſimum agentem annum, Romanorum Imperatorem delegerunt. Ita compulſus Otho, in Germaniam redire, & paternæ dirioni cōſulere, Innocentio recuperandi omnia quæ in Italia ceperat, facultatem reliquit. Et quia idem Antiſtes pro animi ſui in Deum pietate maximopere deſiderabat terram ſanctam, vbi ſalutis noſtræ peracta myſteria ſunt, ex barbarorum manibus ereptam, in Chriſtianorum ditionem redigere, audiens Reges Franciæ & Angliæ perniciosis inter ſe bellis tumultuari, animaduerteriſque quantum ex illorum diſſidiis Chriſtianæ reipublicæ ac religioni perturbationis ac detrimenti accederet, quantumque ea res impedimento foret, quominus terra ſancta poſſet recuperari, Dominum Petrum Capuanum Diaconū Cardinalem ad reformandam inter illos Reges pacem, Legatum in Gallias deſtinauit, quieo veniens, pacem quidem reformare non potuit, effecit tamen, vt quinque annorum inducias iniret. Eidem etiam Cardinali Legato in mandatis dedit, vt ſuis exhortationibus Galliarum Principes ac populos, ad ſubſidium terræ ſanctæ ferendum induceret atque animaret, quod ille ea dexteritate præſtitit diuina illi gratia opitulante, vt innumera peditum ac equitum multitudo Crucis ſignum acceperit. Inter eos præcipui fuere Theobaldus Comes Trecenſis, Ludouicus Comes Bleſenſis, Balduinus Comes Flandrenſis & Hannoniæ, Comes S. Pauli, & Sueſſionenſ. ac Trecenſis Epiſcopi. Per idem temporis, Marcouardus quidam regnum Siciliæ excluſo puero Friderico, ſibi vendicare nitebatur. Itaque Pontifex Innocentius, cuius fidei ac tutelæ Conſtantia Imperatrix mater Friderici pueri, tam ipſum puerum, quam regnum Siciliæ moriens commendauerat, illi reſtitit Apoſtolica authoritate. Cumque viribus ſuperare non poſſet Marcouardus, muneribus ac promiſſis Apoſtolicum pectus tentauit: ſed nec quicquam peroſecit. Hunc enim Pontifex, vir ſanctiſſimus, iuſtitiæ acerrimus vindex, & auaritiæ perſecutor contempſit. Ita variis bellorum motibus pius Innocentii animus, ſupra quam dici poteſt, angebatur, vt miraculi loco habendum ſit, inter tot rerum turbines durare eum potuiſſe. Sed & in ipſa Italia miſeranda erat rerum confuſio, dum Veneti contra Dalmatas, Piſani contra Genuenſes, & Ciſalpinæ Galliæ ciuitates inter ſeſe confligerent ac belligeraretur: ita vt nulla mentis tranquillitas, pro litterarum ſtudio, ſanctiſque contemplationibus, in tantis bellorum tumultibus terroribuſque reliqua eſſe potuiſſet, niſi excelſus eius animus ſpei ſuæ anchoram in Deo firmiter, ac vnice defigens, omnia tam aduerſa quam proſpera, fortiter, æquabiliter ac moderatè ferre nouiſſet. Inquietiſſimis deinde cauſarum fluctibus, ac infinitis ex vniuerſo orbe allatis dubitantium & conſulentium Epiſcoporum diuerſorum que hominum quæſtionibus, mens illius ſcripturarum lectioni, diuinæque contemplationi dedita, in tam varias quotidie curas diſtrahebatur, vt veriſſime dicere potuerit cum Apoſtolo: In labore & ærumna, in vigiliis multis: præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Certè quiſquis iuris Canonici quinque libros Decretalium vel ſemel perlegerit, facile comperiet, plura ibi reſcripta vnius ſolius Innocentii, quam aliorum omnium Pontificum. Et ea quidem tam cautè doctè ac luculenter compoſita, vt omnium Iuriſconſultorum iudicio nihil poſſit decerni vel iuri & æquitati conformius, vel rectæ rationi & honeſtati magis conſentaneum.

Quod ſi addas ad hæc omnia latiſſimæ adminiſtrationis curas, quas neceſſariò impendit, & gubernandæ vrbi Romæ, & diſpenſando ſancti Petri patrimonio, totque regendis populis & Prouinciis ſedi Apoſtolicæ ſubiectis, haud

immerito satis fuisse grauatus vel solis iis occupationibus videretur. Adde insuper curas & impensas ædificationum, quantas raro alii Pontifices perferebant. Ipse enim Hospitale sancti Spiritus non adeo longe à Basilica sancti Petri in Saxia (vt Blondus appellat) à fundamentis extruxit, tantisque prouentibus in perpetuum adauxit, vnde alantur peregrini, ægroti, ac vulgo concepti orphani, vt adhuc hodie tam opulentum bene institutum omnibusq; necessariis ad ægrotantium curam instructum Xenodochium aut Nosocomium, non facile in toto orbe terrarum reperias. Ipse altissimam erexit pro familia sua munitionẽ, quæ in præsentem vsque diem Turris Comitum appellatur in vrbe. Ipse altare Basilicę sancti Petri opere vermiculato insigniter exornauit: id quod eius imago & litteræ in fornice ipso scriptæ adhuc hodie testantur. Ipse Beati Sixti Ecclesiam in Auentino vetustate collapsam magnifice restituit. Ipse vniuersis Romanæ vrbis Ecclesiis libram argenti, singulis dedit, vnde calices sacrificandi gratia conficerentur. Ipse famis illius tempore, quæ sub eius Pontificatu grassabatur, mox ad vrbem sese recepit, & miseris ac egenis liberalissime subuenit. Curauit namque, vt pauperes illi, quos à publicè mendicando pudor abstinuit, secretò pecuniâ hebdomadatim, vnde sustentari possent, acciperent. Qui vero publicè stipem emendicabant, iis pius pauperum pater larga manu subueniens, & frumẽtum pro conficiendis panibus, & pecuniam pro tectis reficiendis ac reparandis tribuebat. Fuit igitur & in eiusmodi causis, & operibus pietatis quam maxime occupatus atque solicitus. Accessit, & alia solicitudo, nec leuis, nec brevis, vtpote labor in extirpãdis hæresibus. Oportet enim hæreses esse, vt Apostolus ait: imo Christo ipso auctore, necesse est vt veniant scãdala: semperq; teterrimi spiritus quosdam inueniunt aptos atq; idoneos, quorum & ingeniis, & linguis, siue scriptis ad euertenda corda simplicium abutantur. Ita etiã huius sancti Pontificis tempestate hæresis quædam exorta est, Almarico quodam authore, qui in Academia Parisiensi, nedum in liberalibus disciplinis, sed etiã Theologica facultate insolitum quendam ac priuatum sibi & discendi & docendi modum vsurpauit, atque eo tandem insaniæ prorupit, vt constanter asseueraret, vnum quemliber haud secus quam alios symboli Apostolici articulos credere esse obligatum, se membrum esse Christi, neque aliter posse saluum effici: item q; ideas creari in mente diuina, cum in Deo omnia æterna sint: atq; etiam nullum in charitate constitutis ascribi peccatum. Sed cunctis ei contradicentibus, coactus est accedere Innocentium summum Pontificem: qui tum illius, tum aduersariorum rationibus examinatis, contra Almaricum sententiam tulit. Quamobrem Parisios reuersus, compulsus est ore proprio palinodiam decantare, tametsi corde in sua perfidia perstitisset, ac deinde breui mœrore ac indignatione confectus vitam finiuisset. Eo defuncto discipuli illius prana dogmata ex ipso hausta disseminare cæperunt: qui tandem examinati atque de hæresi conuicti, iussu Regis Franciæ flammis exusti sunt. Ipseq; Almaricus hæresiarcha licet iampridem sepultus, è cæmeterio extractus, flammis exustus est, ossibus & cineribus dispersis. Alius quoque tum error extirit, Ioachimo Abbate auctore, quem etiam condemnauit in Concilio Generali celebrato. Sed quia idem Abbas Ioachim Epistola quadam testatur, se fidem Ecclesiæ Romanæ tenere. Insuper quia omnia sua scripta sedi Apostolicæ vel corrigenda vel approbanda permisit: licet errauerit, non tamen iudicatus est hæreticus. Enimuero Innocentius Pontifex maximum ac celeberrimum indixit ac celebrauit Romæ Concilium in Ecclesia Lateranensi, cui ipsemet præsens interfuit, ac præsedit. Interfuere etiam duo Patriarchæ, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Priores Cõuentuales D C C C. duorum Imperatorum, Romani scilicet & Constantinopolitani Legati, ac Regis Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, &c. Oratores. Huius Sacrosancti Concilii Constitutiones, in libris Decretalium passim recitantur. Sub hoc etiam sanctissimo Pontifice perplures Monastici Ordines, aut instituti, aut in melius sunt restituti, verbi gratia, Eremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, Crucigerorum, Guillelmitarum: atque vt Sabellicus illustris historiographus ait, diuina prouidentia non casu euenit, vt Innocentio Tertio sedente, innocentiæ virtus, & religio innocentiæ mater, multum sit illustrata. Duo etiam Christianæ pietatis lumina eodem vidente terris effulsere, à quibus multò maxima ex parte Orthodoxa creuit fides. Authores incrementi huius Dominicus Calaguritanus Hispani generis, & Franciscus Assisias in Vmbria Italiæ regione ortus. Æquales ambo tempore, sanctitate clari. Horum sanctissimorum virorum Ordines, in tantum excreuere, vt eo tempore, quo Sabellicus vixit, vt ipse testis est, Dominicani instituti fuerint cænobia quatuor millia centum quadraginta tria, & in his initiati, seu religiosi, sex & viginti millia, quadringenti sexaginta, quorum circiter mille quingenti essent Theologicæ professionis Magistri, exceptis aliis cænobiis permultis, quæ in Armenia, Æthiopia, & alibi fuere: Franciscani autem instituti tot fuerint conuentus, vt eorum numerus iniri vix possit. Innocentius denique post multos pro Christo & pietate exantlatos labores, cum ad sedandos Italiæ motus proficisceretur, Perusii fato decessit, vir nimirum cunctis insignis virtutibus, labore strenuus, curis peruigil, consultationibus cautus, Iurisprudentia instructus, rerum administratione egregius, opibus florens, honore præcipuus, dignitate maximus, sactarum litterarum cognitione eminens, pietatis operibus præfulgens, ac nihilominus suo ipsius iudicio paruus & humilis, ipsa semper exequens, quod sapiens monebat: *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus.*

VII. MORTIS INNOC. PRÆSAGIVM.

Fere sub ipsam horam, qua Innocentius Pontifex fatis concessit, aliquis Abbas Ordin. Cisterciensis somno meridiano, in quodam prato ante Perusium (quo ibat) oppressus, eam visionem aspexit. Vidit ad orientalem plagam Dominum in excelso throno sedentem, faciem aduersus occasum habentem, circumstante eum in prato exercitu Angelorum. Vidit etiam ab Occidentali parte eiusdem prati hominem, toto corpore nudum, sed infula pontificali decoratum, versus sedentem in throno velocissime currentem, & alta voce clamantem: *Miserere mihi misero, misericordissime Deus.* Aspexit insuper, quia insequebatur eum currentem magnus draco, vt deuoraret ipsum, eumque consequi non posset illum draco: sedentem in throno alta voce draco acclamauit; *Iustè iudica, iustissime iudex.* Et cum hæc Abbas audisset, & vidisset, mox euigilauit, & visio disparuit: ille autem disceptationis exitum scire nullatenus potuit, donec ascenderet Perusium, cui appropinquans audiuit sonum campanarum, & luctum plangentium, & vocem lamentantium dicentem: *Heu, Papa Innocentius defunctus est. Anonym. in compilat. Chronologica.*

VIII. INNOC. III. SVCCEDIT HONORIVS III.

Iustis Innocentio persolutis, decem & nouem præsentes Cardinales rebus Asiaticis & Italicis periclitantibus quantocyus succurrere cupientes, ad XV. Calend. August. in Comitium descenderunt, & sancti Spiritus implorata gratia, Pontificatum Centio Cardinali detulerunt. Fuit is patria Romanus, patre Haymerico, gente Sabella natus, à cæneris annis monasterio Lateranensi oblatus, & in eo Canonicorum regularium institutum professus, atq; propter eruditionem pietatemq; primum à Cælestino III. inter Diaconos, deinde ab Innocentio III. Pontif. Max. inter presbyteros Cardinales relatus. Nono Calend. Augusti insignia Pontificatus & nomen Honorii Tertii assumpsit, Romamq; reuertens publica omnium gratulatione saluratus, primum ad Fidei dogmata ab hæreticis vindicanda, animum adiecit.

IX. D. DOMINICI INSTITVTVM AB HONORIO III. CONFIRMATVR.

Per eos dies Diuus Dominicus Guzmanus in vrbem redierat, vt recens instituti Ordinis confirmationem obtineret. Hunc itaque virum, quod Honorius sciret, totum se, suamq; Religionem, fidei Christianæ propagandæ, illustrandæ, atque à Nouatoribus defendendæ impendisse, die XX. mensis Decembris, institutum vitæ ipsius, ex senatus sacri consulto approbauit: dato vno & altero diplomate his ipsis verbis.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilecto a Filio Fratri Dominico Priori sancti Romani de Tolosa, & Fratribus suis Regularem vitam professis & professuris. Salutem & Apostolicam benedictionem. Nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles Fidei & veræ mundi luminaria, confirmamus ordinem

DIPLOMA II.

tum cum omnibus castris & possessionibus habitis & habendis, & ipsum Ordinem eiusque possessiones & iura sub nostra gubernatione & protectione suscipimus. Datum Romæ apud S. Sabinam XI. Calend. Ian. Pont. nostri anno primo. Alterum diploma est eiusmodi.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori sancti Romani Tolosanensis, eiusque Fratribus tam præsentibus quam futuris, Regularem vitam professis & professuris. Salutem & Apostolicam benedictionem. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium: ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à sancto proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Romani Tolosanensis, in qua diuino mancipati estis obsequio sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt ordo Canonicus, qui secundum Deum & Beati Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis scilicet. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Pruliano cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Cassillonio cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Mariæ de Lescbina cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Trinitatis de Lobens cum omnibus pertinentiis suis. Decimas à venerabili Fratre nostro Fulcone Tolosanense Episcopo, de assensu Capituli sui vobis pia & prouida liberalitate concessas, prout in libro seu in eorum literis plenius continetur. Sane noualium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis siue de vestrorum animalium nutrimentis, nullas à vobis decimas exigere vel extorquere quisquam præsumat. Vobis quoque liceat Clericos vel laicos, liberos & absolutos à seculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem, sas sit sine Prioris licentia de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu discedere. Discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. In Parochialibus vero Ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & Diœcesano Episcopo præsentare: quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committet, vt ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Statuimus præterea, vt nulli liceat Ecclesiæ vestræ nouas & indebitas exactiones imponere, aut in vos vel in dictam Ecclesiam sine manifesta & rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententias promulgare. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis tamen, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce diuina celebrare. Chrisma vero & oleum sanctum, consecrationes altarium siue basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promouendi, à Diœcesano suscipiatis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit: & ea vobis aliqua pranitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quamcunque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus authoritate vobis quod postulatis impendat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri desiderauerint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat: Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus corpora illorum assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus sibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars maioris & sanioris consilii secundum Deum & B. Augustini Regulam prouiderit eligendum. Libertates quoque & immunitates antiquas, & rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas, & hactenus obseruatas ratas habemus, & eas perpetuis temporibus permanere sancimus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimode profutura. Salua sedis Apostolicæ auctoritate, & diœcesani Episcopi Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire præsumpserit, secundo tertioque commonita, nisi rea-

tum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat: & in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit Pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia vitæ æternæ & pacis perennis inueniant. Amen. Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Cencius tituli S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis.

Ego Leo tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter Cardinalis.

Ego Robertus tit. S. Stephani in monte Cælio presbyter Cardin.

Ego Stephanus Basilicæ XII. Apost. presb. Card.

Ego Gregorius tit. S. Anastasiæ presb. Card.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. Card.

Ego Thomas tit. S. Sabinæ presb. Card.

Ego Nicolaus Episcopus Tusculanus.

Ego Guido Prænestinus Episcopus.

Ego Hugo Ostiens. & Velitternus Episcopus.

Ego Pelagius Albanensis Episcopus.

Ego Guido S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardin.

Ego Octauianus SS. Sergii & Bacchii Diac. Card.

Ego Gregorius S. Theodori Diac. Card.

Ego Ioannes SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.

Ego Raynerdus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card.

Ego Romanus S. Angli Diac. Card.

Ego Stephanus S. Adriani Diac. Card.

Datæ Romæ apud S. Sabinam per manum Raynerii Prioris S. Fridiani Lucanæ Diœcesis S. R. Ecclesiæ Vicecancellarii XI. Calend. Iun. Indict. V. Incarnationis Dominicæ anno 1216. Pontif. Honorii III. anno I.

X. VISIO DOMINICO OSTENSA DE MVNDO 3. LANCEIS PERDENDO. *a Flamin. in vita S. Dominici.*

Dum hæc diplomata in summo Pontifice expectaret Diuus Patriarcha Dominicus, Romæ orationibus vacabat. *a* Inter quas aliquando in basilica Principi Apostolorum dicata vidit secundum apparitionem Christum ira ingenti succensum propter intoleranda hominum flagitia à Patris dextera surrexisse, & tria manu iacula tenere, vt vno eorum superbos, altero auaros, tertio libidinantes deleret: virginum vero Primiceriam, ac totius orbis Reginam, Diuam Deiparentem se illi opposuisse ac rogasse, ne genus humanum tanta clade cõficeret. Se enim habere viros, qui flagitiosorum mores emendarent. Matris autem virginis precibus ac verbis motum substitisse, quæsiuisseque: vbinam essent, qui & iram indignantis auerterent, & mores perditorum in melius conformarent: Diuam Matrem Mariam par sanctorum, scilicet Dominicum & Franciscum ostendisse, dixisseque: hos esse, per quos conuulsa in terris & collapsa pietas restitueretur, atque extemplo Deum vindicem delinitum, manum ad feriendum paratam continuisse, iacula deposuisse, sententiam reuocasse, humanoque generi conciliatum fuisse. Vidit hæc Dominicus, & altera luce Franciscum sibi obuium ex lineamentis per visum ostensis cognouit, visionem narrauit, benigneque complexus illa memoranda posteris verba ei dixit: *Stemus simul, & nemo ad uersatiorum*, scilicet Fidei, doctrinæ, & vnitatis Christianæ, *præualebit.* Altero die Diuo Dominico in eadem basilica oranti, Principes Apostolorum Petrus & Paulus apparuerunt: & ille quidem baculum, hic autem librum apertum ei porrigentes iniunxerunt: *Abi*, dicentes, *& prædica, hoc enim tibi munus ministerium à Deo demandatum est.* Statimque aspexit binos ante se Fratres ex ordine suo per orbem terræ dispersos Euangelium vniuersis populis prædicare. Non ignorauit istud Honorius. Quamobrem hoc ipso anno Fratribus Prædicatoribus in partibus Tolosanis *b* scripsit iniunxitque, vt euangelizando verbo Dei quantum possent vigilanter & diligenter incumberent.

b lib. anni I. epist. 191.

XI. STVDIO VACANT PRÆDICATORES.

Porro statim atque Honorius Pontifex instituta Diui Dominici confirmauit, Fratres Prædicatores studio & lectione Sacræ scripturæ iugiter insistentes tantum in scribendo libros opus faciebant: & eos diligentissime à magistris suis audiebant, vt cum sagittis, & arcu, & omni armatu-

ræ fortium possent ingredi, & stare pro defensione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & ex aduerso ascendere, & ponere se murum pro domo Israel dum fidem roborarent, virtutes instruerent, statuta Ecclesiæ docerent & collaudarent, vitia hominum & prauitates redarguerent & castigarent: nihilominus sedi Apostolicæ in omnibus obedirent, vtpote à qua auctoritatem præcipuam traherent. *Conrad. Vrspergens. in Chron.*

XII. D. FRANCIS. REGVLAM SVAM SCRIBIT.

Parem difficultatem Diuus Franciscus, vt præmonui, in sui Ordinis confirmatione obtinenda expertus est. Sed cum pari humero basilicam Lateranensem cum Diuo Dominico sustinere, ab Innocentio Pontifice visus esset: ad eligendam vitæ formulam dimissus est. a Ad hanc conficiendam tali visione Deus illum animauit. Videbantur ei tum ipse, tum socii eius fame admodum afflicti, nec habere aliquid, quo se & illos reficeret, præter multas panis micas, quæ quoniam admodum minutæ essent, verebantur, ne inter partiendum ex digitis elaberentur, quare cum de hoc sollicitus esset, vocem audiuit, vt ex micis illis collectis hostiam vnam conficeret: quam cum deinde suis porrigeret, aduertit, qui eam reiicerent, aut contemnerent, eos statim lepra turpissima operiri, quæ visio nocte postera ita ei exposita est, vt micæ illæ essent consilia Euangelica, hostia vero ipsa regula, lepra denique malitia. Quin etiam cum ad hanc Regulam conscribendam in montem quendam per quadraginta dies, tanquam alter Moyses secessisset, & ad eum aliquot ex eius familia adeuntes, de nimia, quam timebant, seueritate conquesti essent, ecce vox de cœlo ruit, eademque tertio repetita est: *Francisce, nihil tuum in hac Regula: tota mea est, eamque totam seruari volo ad literam. Ego noui quid hominis vires ferant, quidve ego ei auxilii, atque opis collaturus sim.*

a *Platus de bono status religiosi lib. 1. c. 25. ex S. Bonauen.*

XIII. TERRIBILIS PŒNA BLASPHEMI HOMINIS.

In Germania, hoc tempore, quo Magister Ioannes Xantensis Scholasticus, & Magister Oliuerius Coloniensis Scholasticus crucem contra Saracenos prędicabant in diœcesi Traiectensi, horrendum in modum DEVS quendam fœneratorem blasphemum vltus est. Godescalco ei nomen erat. Iste cum cæteris, non ex deuotione, vt postea apparuit, sed ex circumstantium importuna admonitione Crucem suscepit. Cumque Collectores ex mandato Innocentii Papæ, pecuniam redemptionis colligerēt à senibus, pauperibus, & infirmis, idem vsurarius se pauperem mentiens, cuidam Collectori circa summam quinque talentorum dedit, talique dolo sacerdotem circumuenit. Testati sunt postea vicini eius, quod dedisse potuisset quadraginta marcas, nec tamen exhæredasse liberos suos, quod ipse prætendebat. Deus autem qui falli non potuit, eius fallaciam & auaritiam postea terribiliter conclusit. Sedebat miser in taberna DEVM prouocans, eiusque peregrinis exprobrans hunc in modum: Vos stolidi mare transibitis, substantiam vestram expendetis, vitam vestram multis periculis exponetis: ego vero cum vxore & liberis meis domi residens, propter quinque marchas quibus redemi Crucem meam, similem vobis habebo mercedem. Sed iustus Dominus, vt palam ostenderet, quantum placeret labor & expensæ peregrinantium, & quantum eius oculis displiceret dolus ac blasphemia detrahentis, hominem miserrimum tradidit Sathanæ, vt disceret non blasphemare. Nocte quadam dormiente eo cum vxore sua in proprio molendino, domui suę contiguo, motum quasi molentis rotæ audiuit, vocansque puerum dixit ei: Quis admisit molendinum: Vade, vide, quid sit ibi. Iuit puer & rediit: nimio enim horrore perculsus procedere non potuit. Cui dominus: Dic, quis est ibi? Respondit: Tantus horror ad ostium molendini me inuasit, vt redire compelleret. Et ille: Etiamsi Diabolus ibi sit, ego vadam & videbo, iniectaque toga scapulis, eo quod nudus esset, ad molendinum venit, ostium aperuit, introspexit: in quo horrendam visionem vidit. Stabant ibi duo equi nigerrimi, & vir quidam deformis eiusdem coloris iuxta equos, qui dicebat ad rusticum: Festina, ascende equum istum, quia propter te adductus est. Expalluit ille, & contremuit, quia iubentis vocem minus libēter audiuit. Cumque ad talem obedientiam imparatus esset, iterato Diabolus clamauit; Quid tardas? Proiice vestem, & veni. Erat autem Crux, quam susceperat, eidem vesti assuta. Quid plura? Virtutem Diabolicæ vocis per desperationem in corde suo sentiens, & iam resistere non valens, vestem reiecit, in molendinum intrauit, equum imo Diabolum ascendit, inque diuersa loca pœnarum ab alterius equi ascensore adductus, patrem ibi & matrem miserabiliter torqueri vidit, aliosque quamplurimos, quos defunctos ignorauit. Vidit ibi etiam quendam honestum militem nuper mortuum, Heliam nomine de Riningen, Burgrauium in Castro Hurst, vaccæ furenti insidentem aduerso corpore, ita vt dorsum haberet ad vaccæ cornua, quæ huc illucque discurrebat, & crebris ictibus dorsum militis cruentabat. Cui cum vsurarius diceret, cur tantam sustineret pœnam? Respondit; Vaccam istam rapui sine misericordia cuidam viduæ; & ideo sine misericordia oportet me ab illa pœnam hanc sustinere. Ostensa est ei etiam in eisdem locis ignea sedes, in qua nulla potuit esse quies, sed sessio pœnalis & pœna interminabilis, dictumque est ei: Modo reuerteris in domum tuam: post tres autem dies exuto corpore reuerteris in locum tuum, & mercedem tuam accipies in sede ista. Mox à dæmone reductus, & in molendino depositus pene exanimis relictus est. Inuentus ibi ab vxore & familia, atque in lectum deportatus, cum requireretur, vbi fuisset, vel vnde venisset, respondit: Ad loca infernalia ductus fui, & hæc atque alia ibidem vidi, ostenditque mihi in eisdem locis ductor meus sedem vnam, & dixit, quia mihi foret præparata, & quia post tres dies recepturus essem mercedem meam in ea: vocatus est sub celeritate Sacerdos, rogatus ab vxore, vt pusillanimem confortaret, desperatum erigeret, & ad ea quæ sunt salutis hortaretur. Quem cum Sacerdos moneret, vt de peccatis suis contritionem haberet, & vt puram faceret confessionem: dicens, neminem debere de Dei misericordia desperare, respondit: Quid prosunt verba ista? Non possum conteri; superfluum iudico confiteri. Quod de me dispositum est, necesse est impleri. Sedes mea parata est, post tertium diem illuc veniam, & secundum quod gessi, in ea recipiam. Sicque sine contritione, sine confessione, sine viatico & sacra vnctione, tertio die defunctus, in inferno sepultus est. *Cæsarius lib. 2. c. 7.*

XIV. EXEMPLVM POENITENTIS FÆMINÆ EX PROPRIO FILIO PARIENTIS.

Saniore consilio vsa est hoc anno quædam mulier, cuius in eodem libro paulo post idem Cæsarius meminit, digna quæ in exemplum peccatoribus pœnitentibus adducatur. Eodem anno, quo defunctus est Innocentius Papa, mulier quædam igne libidinis succensa, proprium adamauit filium, de quo concepit & peperit filium alterum. Terrore tam nefandæ commixtionis percussa, quolibet momento timens se tradi Satanæ, vel morte subitanea interire, Deo miserante de satisfactione anxiari cæpit. Præhabito itaque prius cōsilio Sacerdotis sui, infantulum secum tollens Romam venit, & cum multa importunitate Domini Innocentii Papæ oculis se ingessit, cum tantis lachrymis & clamoribus, cunctis audientibus faciens confessionem, vt omnes verteret in stuporem. Gestauit in brachiis infantem, commissi facinoris testem. Videns Dominus Papa in muliere tantam contritionem, & quia esset vere pœnitens, misericordia motus super eam, sicut prudens medicus, volens infirmam plene & cito sanare, medicinam etiam contritionis probare, præcepit vt in tali veste ibi appareret, in quali venerat ad filium, cum peccaret. Illa confusionem æternam temporali anteponens, mox exiuit, vestes posuit, in camisia rediit, in tali obedientia satis ostendens, quam paratissima foret ad omnem disciplinam. Considerans vir literatissimus tali obedientiæ, verecundiæ, & pœnitentiæ nullius peccati pœnam posse resistere, coram omnibus ad mulierem dixit: Dimissum est peccatum tuum, vade in pace, & nihil amplius iniunxit ei. Audiuit hæc quidam ex Cardinalibus, & cum Pharisæo contra Pontificem murmurans, iudicium eius reprehendit dicens: ad tantam culpam, tam breuem pœnitentiam minus sufficientem: Cui ille respondit: *Si ego iniuste egi cum muliere ista, & insufficiens est eius coram Deo pœnitentia, potestatem habeat Diabolus ingrediendi corpus meum, & coram omnibus me vexet. Si vero tu me iniuste reprehendis, simile tibi fiat.* Statimque Diabolus Cardinalem illū vexare cæpit: per cuius vexationē, Deus perfectam mulieris pœnitentiam palam ostendit. Tandem omnium oratione purgatus Cardinalis, didicit in sua vexatione, diuinæ misericordiæ de cætero non oblatrare. *Idem qui supra lib. 2. cap. 11.*

XV.

Hoc anno, paulo antequam Innocentius Pontifex mo-

MIRACVLVM AD IMAGINEM VERONICÆ.

reretur, insolens prodigium, in imagine vultus Saluatoris mundi, quam vulgo Sudarium sanctum, aut Veronicam appellant, Romæ apparuisse narrabat *Matthæus VVestmonasteriensis in floribus historicis.* Verbis illius rem refero, quæ ista sunt.

Eodem tempore, dum Papa Innocentius, processionem solemnem Romæ faceret, & illa effigies Dominici vultus, quæ Veronica nuncupatur, populo aspicienda veneranter deportaretur, ipse Papa ipsam loco solito aptauit: sed in crastino inuenta est versa, stans modo indebito: ita scilicet, quod frons deorsum, barba versus summum verteretur. Quo audito, Dominus Papa timens valde hoc apparuisse in triste præsagium, composuit & constituit vnam collectam in honorem Veronicæ dicendam, & illam dicentibus indulgentiam decem dierum concessit. *Hæc Matthæus pro memoria Veronicæ.*

XVI. DIVERSORVM PONTIFICVM CVLTVS ERGA VELVM S. VERONICÆ.

Porro cum inter præclaras & Sacrosanctas Dominicæ Passionis reliquias, quas in alma vrbe Romana, tamquam in arce tutissima Christianæ Religionis, diuina clementia collocauit: istud Sudarium quod Veronicæ appellatur, & in Basilica Vaticana, supremo honore, à Christianis populis colitur, sit longe clarissimum: operæpretium me facturum existimaui, si antiqua vetustatis testimonia, quæ ex autenticis Basilicæ Vaticanæ monumentis, & summorum Pontificum diplomatibus, à noningentis fere annis continuata serie, Iacobus Grimaldus eiusdem Basilicæ chartophylacii propræfectus, & publicus Notarius, summa fide collegit, isthic subiecero ipsis eius verbis ac ordine. Ita habet, in publico, quod conscripsit instrumento.

Altare sanctissimi Sudarii, in Basilica antiqua S. Petri, recens à Paulo Quinto Pontif. Max. demolita, cui superne antiquissimum imminebat ciborium marmorei vermiculatique operis sex columnis innixum, à Ioanne VII. Pontifice fabrefactum, Sacrosanctam reliquiam, velum scilicet pretiosissimum, sanguine ac sudore Saluatoris nostri Iesu Christi perfusum, quo dum pro humani generis salute ad necem traheretur, sibi à sancta quadam fœmina nomine Veronica oblato, faciem suam extersit, ac in eo mirabiliter sacratissimi vultus sui imaginem reliquit impressam, religiosissime continebat; situm erat in vltima laterali naui, statim dextra ingrediendo Basilicam versus Apostolicum Palatium, ac in Oratorio præfati Ioannis VII. Papæ, qui sedit anno Domini septingentesimo quinto.

Anno Domini 705. Hic Pontifex id Oratorium ac Ciborium, ad conseruandum Iesu Christi Sudarium, primo sui Pontificatus anno, qui fuit DCC.V. variis historiis Saluatoris nostri, & Beati Petri, musiuo opere, nec non marmorum incrustationibus, cum pauimento magnis lapidibus porphyreticis rotundis & ornatis strato, aliisque ornatibus eleganter construxit, & Anastasius Bibliothecarius in eius vita, Petrus Mallius Canonicus S. Petri, qui Alexandro III. Pontif. vixit, Platina, & alii auctores testantur. Cuius quidem sacelli descriptio hæc est.

In pariete versus Palatium Apostolicum, tessellati operis, prima historia erat. Prędicatio Beati Petri Apostoli Hierosolymitanis; cum inscriptione: *Ciuitas Hierosolyma:* habens imaginem Beati Petri, erecti & stantis, manu eleuata sinistra tenentis duas claues: cum ciuitate Hierosolyma, & populo circum se illum audiente. Secunda prædicatio eiusdem Antiochenis, habens similem imaginem cum literis: *Ciuitas Antiochia.* Tertia, Romanis cum simili imagine, & literis, *Roma.* Quarta, quando Sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus cum Simone Mago, coram Nerone disputabant. Quinta, lapsus Simonis ex aere. Sexta, Crucifixio Petri. Septima, decollatio Pauli.

In altero vero pariete, supra Portam Sanctam, hæ ex musiuo cernebantur historiæ. Annunciationis, Visitationis, Natiuitatis Christi, Angeli ad Pastores, Adorationis Magorum, Præsentationis in templo, Baptismi Christi in Iordane, Miraculi cæci nati, mulieris tangentis fimbrias, Zacchæi in Sycomoro, suscitationis Lazari, Triumphi in die palmarum, Cœnæ cum discipulis antiquo more cubantibus, Crucifixionis cum quatuor clauis, descensus in limbum, & quando Angelus mulieribus apparuit ad monumentum. In medio harum imaginum aderat Beatissima Deipara Virgo, ex eodem tessellato opere, graui vultu decora, armillis & coronis ornata, expansis manibus, Græco ritu, habitu coloris castanei, staturæ palmorum quindecim: ad cuius dexteram stabat erectus Ioannes Papa VII. vestitus planeta & ornatus pallio, habens in capite quadratum diadema (quod indicium fuit viuentis) & sublatum manibus offerens Deiparæ ipsum Sacellum, cum hac inscriptione.

†

IOANNES INDIGNVS EPISCOPVS FECIT,
BEATÆ DEI GENITRICIS SERVVS.

†

Hinc inde ad latera imaginis surgebant duæ pretiosæ columnæ è nigro marmore, à quibus olim velum ducebatur ad cooperiendam ipsam. Infra constructus fornix nitebatur duabus columnis vitineis intortis, in cuius circuitione interiori, effictæ erant è musiuo imagines Deiparæ virginis filium gestantis: Apostolorum vero, Petri ad sinistram, Pauli ad dexteram, cum literis in gyro anteriori: DOMVS SANCTÆ DEI GENITRICIS MARIÆ. Sub hoc fornice erat altare: postea posita ibi fuit porta sancta anni Iubilei. Non longe ab ara sub eodem arcu posita, in parte Epistolæ, constructum erat ab eodem summo Pontifice Ciborium præfatum laminis serpentinis & porphyreticis incrustatū, & vermiculato emblemate distinctum, habens in summitate Crucifixum, etiam quatuor clauis confixum. In eodem ciborio, in duabus magnis tabulis marmoreis, erat insculptum nomen Ioannis Pontificis, isto typo.

† IOANNIS SERVI S. MARIÆ. †

Tyberius Alpharus Hyeracensis Clericus Beneficiatus in suo libro Basilicæ Vaticanæ, testatur se vidisse quendam titulum marmoreum in parastata nauis iuxta aram eiusdem Sacelli, ad ortum Solis, huiusmodi. *Dedicatio Domus huius sanctæ Dei Genitricis, die XXI. mensis Martii, Indictione IV.*

In Martyrologio antiquo manuscripto, in quo sunt nomina benefactorum Basilicæ Vaticanæ, habetur memoria consecrationis eiusdem altaris S. Mariæ, nec non aræ sancti Sudarii, istis verbis:

Consecratio altaris. Sacrosancti Sudarii. Item altaris sanctæ Mariæ ad Præsepe post ipsum: Nono Calendas Decembris, in festo sancti Clementis.

783. In extremo eiusdem Oratorii, in quadam tabula marmorea, quæ conseruatur in Archiuo Basilicæ, erant inscripta infrascripta verba ab Hadriano summo Pontifice, anno Domini DCC.LXXXIII.

† *Temporibus Domini Hadriani Papæ, hic reconditæ sunt reliquiæ Sanctorum, in mense Nouemb. D. XXII. Indict. Septima.*

1011. Ex antiquo instrumento, charactere Longobardico, in pergameno, vt in Indice scripturarum Archiui Basilicæ sancti Petri, folio 346. fasciculo 223. capsula 61. super locatione facta, à Ioanne Religioso presbytero & Monacho Abbate, atque Leone & Crescentio cum consensu Monachorum venerabilis Monasterii Sanctorum Victoris atque Pancratii Martyris, facta ad tertium genus Petro & Maio germanis fratribus, de quadam vinea XII. ordinum, in territorio Syluæ Candidæ, in fundo vocato valle de Ossinda, pro annua pensione XI. denariorum argenti, anno Sexto Benedicti Papæ Octaui, & Henrici secundi Imperatoris anno V. inter alias testium subscriptiones, subscriptio habetur cuiusdam Ioannis, qui humilem se Clericum & mansionariū sanctæ Mariæ in Veronica inscripsit his verbis:

† *Ioannes Vmb Clerico & Mans. sanctæ Mariæ in Veronica.*

1100. In antiquo Graduali, in membranis Ms. cum cantu firmo, in antiquis notis, folio 27. quilibet seruatur in Bibliotheca Basilicæ sancti Petri, & scriptus esse videtur, annis circiter quingentis, fit mentio: quod in nocte Natiuitatis Domini celebratur Missa in altari Ioannis VII. propterea quia in dicto loco extat imago Natiuitatis Domini. Ita habet: Finitis lectionibus, quinque vel sex de Canonicis, induti pluuialibus in medio chori, similiter cantent Antiphonam, *Ecce Maria genuit,* vsq; ad mediam, & vterq; chorus respondet. *Ecce Agnus Dei.* Sic cantatur tribus vicibus. Finita antiphona, processionaliter imus ad Sudarium Christi, cantando. *Te Deum laudamus;* & ibi celebramus Missam.

Benedictus Canonicus S. Petri, in libro de Officio Ecclesiastico totius anni, ad Cęlestinū II. Pontificē Max. anno Domini 1143. scripto refert. ꝙ Pontifex in Dominica quam

vocant Gaudete, Missarum solemnia in Basilica S. Petri celebrans, *postea vadit ad Sudarium Christi, quod vocatur Veronica, & incensat: & altare S. Mariæ similiter.*

Petrus Mallius Canonicus sancti Petri, qui anno D. 1160. vixit, & historiam sacram eiusdem Basilicæ scripsit, in Ioanne VII. Pont. Max. hæc habet: Ioannes Septimus Papa vir eloquentissimus. Hic fecit Oratorium infra Ecclesiam Beati Petri, sanctæ Dei Genitricis virginis Mariæ, in parte sinistra, iuxta portam Guidoneam, cuius parietes musiuo depinxit: qui & ipse sepultus est ad Beatum Petrum, iuxta altare Oratorii, quod ipse construxit, sub die XV. Calend. Nouemb. Ante quod Oratorium est etiam Sudarium Christi, quod vocatur Veronica.

Idem Petrus Mallius, in antiquo instrumento, in pergameno, quorundam capitum libelli antiquissimi, super antiquitatibus & consuetudinibus Basilicæ sancti Petri compilato, hæc in cap. de oblationibus habet: Oblationis quæ offertur in Cathedra ex quo extrahitur, vsque dum reponatur, medietas est Canonicorum, altera Ministrorum, quæ autem infra tempus ibi ponuntur Canonicorum sunt. Similiter fit de oblationibus Sudarii, quando extrahitur, vsque dum reponatur, *& infra.* Scalæ autem & tabulatum ante Sudarium, & omnia quæ spectant ad apparatum eius, de oblationibus quæ ibi offeruntur fieri debent: præter luminaria lampadarum.

In ciborio, in quo idem Sacrosanctum Sudarium seruabatur, in portis æneis claudentibus, legitur incisa memoria Cælestini III. his verbis, anno 1197.

Celestinus Papa III. fecit fieri hoc opus, Pontificatus sui anno VII.
Vbertus Placentinus fecit has ianuas.

Innocentius III. Pont. Max. in sermone Dominicæ I. post Epiphaniam meminit processionis sanctissimi Sudarii, à S. Petri Basilica, ad vsque ædem S. Spiritus, anno D. 1200. cuius sermonis verbis vtuntur Honorius III. & Alexander IV. sequentes Pontifices.

Honorius III. Pont. in literis anno 1222. nu. 203. datis, facit mentionem processionis SS. Sudarii, quolibet anno, Dominica I. post Octauum Epiphaniæ, à Basilica S. Petri, ad hospitale S. Spiritus: cum interuentu Pont. Max. & Cardinalium, & erogatione eleemosynarum pro mille pauperibus. Exemplar porro Epistolę istud est: pag. 64. Pont. anno VII. Rectori & Fratribus Hospitalis sancti Spiritus in Saxia.

Ad commemorandas nuptias salutares, quæ in conuersione peccatoris moraliter celebrantur, inter spiritum hominis & gratiam Conditoris, ex quibus affectus & actiones, tanquam filii & filiæ generantur, Dominica prima post Octauam Epiphaniæ, quando illud legitur Euangelium, quod Iesus cum discipulis suis, in Chana Galilææ vbi Mater ipsius, inuitatus erat ad nuptias, aquam conuertit in vinum: solemnem apud Hospitale vestrum instituimus stationem, in quo vos ex institutione vestra diuino estis obsequio mancipati: ea potißimũ ratione, quod in illis nuptiis sex hydriæ secundum purificationem Iudæorum fuisse narrantur. Et quidem in hoc Hospitali: tanquam in Chana Galilææ, loco videlicet, vbi zelus est transmigrandi de vitiis ad virtutes, positæ sunt sex hydriæ: id est sex misericordiæ opera instituta: quæ sunt, pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, & incarceratum adire. Ad purificationem vtique Iudæorum: vt per illa videlicet, confitentes, à vitiis expientur. Istæ vero sex hydriæ vsque ad summum implentur, quando illa sex opera misericordiæ ad perfectum vsque geruntur, & ex aqua fit vinum, cum ex merito eleemosynæ, vis accenditur charitatis. Quia vero Iesus cum discipulis suis, ad has nuptias in Chana Galilææ, vbi Mater eius erat, legitur inuitatus: idcirco rationabiliter instituimus, vt effigies Iesu Christi, à Beati Petri Basilica, per eiusdem Canonicos, ad dictum Hospitale, vbi memoria Beatißimæ Matris eius recolitur, infra capsam ex auro, & argento, & lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam venerabiliter deportetur, fidelibus populis qui ad has nuptias celebrandas deuote conuenerint desiderabiliter ostendenda. Vt autem nos, qui Domino reuelante venerandum aliis aperuimus sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis præbeamus exemplum, concedimus, statuimus & iubemus, vt pro mille pauperibus extrinsecus aduentantibus, & trecentis personis intus degentibus, decem septem libræ vsualis monetæ, vt singuli accipiant tres denarios, vnum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne, ab eleemosynario summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur: & Canonicis supradictis, qui præscriptam effigiem Saluatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi, & cereus vnius libræ qui deferatur accensus, de oblationibus Confeßionis Beati Petri præstentur. Quia vero non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, debet huic stationi Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus interesse, vt & Missarum solemnia ibi celebret, & exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem. Neue fidelis populus, famelicus ab iis nuptiis reuertatur, præter doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem vnius anni de iniunctis sibi pœnitentiis indulgendo. Monemus igitur & obsecramus successores nostros per Iesum Christũ, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, vt hanc institutionem, quæ ipso teste, de pietatis fonte proceßit, faciant inuiolabiliter obseruari: sub obtestatione Diuini iudicii, prohibentes, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ conceßionis & iußionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Signiæ, Tertio Nonas Iulii, Pont. nostri anno 8.

Alexander porro Quartus anno M. CC. LIV. supradictas literas Honorii III. & alias eiusdem argumenti, Innocentii III. & Gregorii IX. prædecessorum Pontificum confirmauit, vt constat ex Regesto eiusdem Alexandri anno primo, numero 189. fol. 24. sub dat. Neapoli Calendis Martii, Acorambono Rectori & Fratribus Hospitalis sancti Spiritus in Saxia de vrbe, & incipit: *Ad commemorandas nuptias*, atque vtitur iisdem verbis, quibus exarata est Epistola Honorii III. Sed præter Confirmationem addit hæc verba: *Nec non de eisdem oblationibus scilicet Confeßionis Beati Petri, centum solidi per dictum eleemosynarium, pro eorundem Canonicorum effigiem ipsam deportantium refectione sumantur.*

Clemens Quartus, Pontificatus anno IV. Christi autem 1268. in Epistola data Viterbii V. Nonas Maii, Ioanni Hanibaldo Pręconsuli Romanorum: & incipit: *Ab antiquis retro temporibus*; cum expilationem Ecclesiarum Romæ à fautoribus Corradini patratam, his verbis commemorasset: in vrbe mutatis legibus, & iuris fœdere dissipato, spoliantur Ecclesiæ, rapiuntur deposita: Ciues male tractantur: Clerici carceri mancipantur: *subiunxit*: Quid enim superest, nisi vt ipsa Veronica, cum Apostolorum capitibus transportetur: & vrbs tanto spoliata thesauro, confusionis induta diploide habeat in æternum quod lugeat, & à tantis dilapsa diuitiis, non adiiciat in perpetuum vt resurgat?

Gregorius X. anno Christi 1271. Pontif. 1. hæc de Veronica committebat.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Capitulo Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, Salutem & Apostolicam benedictionem. Venientia ex deuotionis zelo vota salutaria, dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Verdæ Comitissæ de Lumello fauore Apostolico prosequentes, vniuersitati vestræ præsentium tenore mandamus, quatenus eidem Comitissæ ad vrbem personaliter accedenti, ac personis in societate sua existentibus, effigiei sacræ Dominicæ Sudarium, quando inde fueritis requisiti, cum ea qua decet reuerentia liberaliter ostendatis: vt sua proinde deuotio augeatur, & Dei beneplacitis studeat promptius adhærere. Datæ apud vrbem veterem XIII. Calend. Nouemb. Pont. nostri anno 1.

Nicolaus III. anno 1278. in diplomate statutorum Basilicæ S. Petri, ista habet de SS. Veronica. *Duodecim denarii quos quando vadunt ad Hospitale S. Spiritus cum effigie Iesu Christi sunt singuli Canonici recepturi: de centum vero solidis, qui Præceptori & Confratribus ipsius dantur, fiat per omnia quod infra de anniuersariis ordinatur.*

Nicolaus IV. anno 1290. dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem, Idib. Aprilis, Pont. anno 3. literis, quæ incip.

Ille qui solus Romanam fundauit Ecclesiam, hæc de SS. Sudario subiungit. *In ea namque Basilica sui pretiosißimi vultus imaginem, quam Veronicam fidelium vox communis appellat, in singularis amoris insigne tribuit venerari, & in ea gloriosißimum corpus ætherei ianitoris, ac innumerabilium martyrum, aliorumque Sanctorum venerandas reliquias collocauit.*

Bonifacius Papa VIII. anno 1296. Pont. I. datis apud S. Petrum VII. Calend. Febr. Rectori & Fratribus Hospitalis sancti Spiritus in Saxia de vrbe literis, quæ incip. *Circumspecta Apostolicæ sedis*, innuit, hæc de SS. effigie: quod cum Dominica prima post Octauã Epiphaniæ Nuptiarum in Chana Galilææ, voluisset debita cum reuerentia obseruari illud quod Innocentius III. statuerat, & Missarum solemnia, & exhortatorium sermonem in Ecclesia prædicta S. Spiritus habere decreuisset. Sed cum apud Basilicam sancti Petri, vbi Beati Petri sedes existit, ipsius Petri, & sedis, & vniuersalis Ecclesiæ, Christianæque Religionis ac Fidei, agenda

quædam

quædam commodius & plenius imminerent, ad quæ Carolus Siciliæ, ac Iacobus Aragonum Reges illustres, & aliorum copiosa multitudo fidelium conuenerant: ideo prædictam effigiem Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ Sudarium vulgariter appellatur, præfata Dominica duxit ex causis rationalibus in dicta Basilica propriis manibus, fidelium prædictorum aspectui præsentandam: nihilominus eleemosynam dicto Hospitali per eleemosynarium suum exhiberi fecit. Cumque dicta sacra effigies eadem Dominica ad dictum Hospitale non fuisset deportata, voluit per hoc nullum præiudicium eidem generari.

Idem porro Bonifacius VIII. anno Iubilei 1300. teste Ioanne Villano lib. 8. cap. 36. iussit eandem Veronicam singulis diebus Veneris, & festis solemnibus populo confluenti demonstrari.

Ioannes XXII. datis literis anno 1319. Pont. 4. cum Episcopo Viterbiensi restaurationem Vaticanæ Basilicæ iniunxisset, meminit: in qua, inquit, vultus Redemptoris nostri imaginem, Corpus ætherei ianitoris, & innumerabilium martyrum, aliorumque sanctorum reliquias diuina clementia collocauit.

Clemens VI. anno 1350. Pont. IX. præcipit Annibaldo Episcopo Tusculano Apostolicæ sedis Legato, vt ostendat SS. Veronicam Nobili viro Hugoni, Domino Baucii, Comiti Auellini, dat. Auinioni IX. Cal. Iul. fol. 33.

Eodem anno, idem Clemens Sextus Auinioni dat. Capitulo Basilicæ S. Petri in vrbe diuersis temporibus literis, iniungit vt diuersis personis deuotionis gratia ad vrbem peregrinantibus eandem effigiem ostendant. Et quidem I. Bertrando de Caunaco Archidiacono Agathens. Clerico Cameræ. dat. XI. Cal. Septemb. 2. Nobili mulieri Comitissæ Insulen. dat. Nonis Septemb. 3. Stephano Episcopo Eluens. consanguineo suo. dat. Idus Sept. 4. Nobilibus viris Philiberto de Spinassia, Girardo de Berbonio, & Guillelmo Borbonio militib. dat. 3. Id. Sept. 5. Arnaldo ViceComiti Carmagin. dat. XVII. Cal. Octo. 6. Nobili mulieri Philippæ de Lentrico, Dominæ de Limolio, Petragoricens. diæces. dat. XV. Cal. Nouemb. 7. Nobilibus viris Bertrando de Turre, & Beraldo Domino Mercorio militibus, dat. XIII. Cal. Nouemb. 8. Bernardo Comiti de Ventadoro dat. VII. Cal. Nouemb. 9. Reginaldo de Pontibus Vicecomiti Carlatesii, dat. 2. Non. Nouẽb. 10. Nobili mulieri Iohannæ Dominæ de Sorgeriis Vanctonen. diæces. dat. VIII. Cal. Decemb. II. Ioanni Archiepiscopo Rothomagen. dat. Idibus Decemb.

Eodem anno VII. Idus Maii, in antiquo Martyrologio Basilicæ vaticanæ, inscripta est infrascripta memoria SS. Sudarii, istis verbis. Isto die anno Domini M.CCC.L. Iubileo, prouidi viri Nicolaus Valentini de Contrata Sanctæ Mariæ Formosæ de Venetiis, Ser Bandinus de Guarzonibus de Venetiis, & Franciſchinus inglostero de Venetiis, nomine ipsorum præsentium, & nomine dicti Francischini absentis, ex speciali deuotione quam habent ad Deum, & Apostolorum Principem, & specialiter ad Sacrosanctum Sudarium, quod in Basilica nostra ex diuina dispositione mirabiliter est collocatum, ad multam consolationem cuncto populo Christiano ostendendam, in remissionem peccatorum suorum donauerunt & assignauerunt nobis de Capitulo nostro, pulcherrimam & mirabilem cindam de crystallo pulchris laminis argenti deaurati, in quo ... quadrato manentem, ponendam & collocandam ... ipsum sacratissimum Domini vultum, pro speciali ... & munditia ipsius reliquiæ venerandæ. Quapropter nos & successores nostri præfatos donatores ad omnia suffragia, orationes, & ministeria vultus Domini, quæ in ipsa nostra Basilica geruntur suscipimus.

Vrbanus Papa Quintus, datis Auinione variis temporibus, Capitulo Basilicæ vaticanæ literis, commisit, vt variis personis Romam peregrinantibus SS. Sudarium ostenderent, & quidem inprimis Nicolao Estensi, in Ciuitate Ferrariens. pro Romana Ecclesia Vicario, dat. XIV. Cal. Mart. Pont. ann. 4. Christi vero 1365. Deinde nobili mulieri Catherinæ Marchionissæ Brandeburgens. Caroli IV. Romanorum Imp. natæ: ac suis gentibus dat. XVIII. Cal. Sept. anno VI. Pont. Christi vero 1367. Item venerabili Fr. Ioanni Episcopo Vaciensi, ac Nobilibus viris Nicolao de Zeth militi Regalis Curiæ Hungariæ Iudici, & Magistro Cato Præposito Ecclesiæ Demesiens. Vesprimiens. diæces. Decretorum Doctori, Oratoribus Ludouici Regis Hungariæ illustris. dat. apud montem Flasc. XV. Cal. Iul. Pont. an. VIII. Christi 1369.

Eodem anno Vrbanus Quintus, hæc circa ostensionem SS. Sudarii præscripsit.

Venerabili Fratri Iacobo Episcopo Aretino nostro in spiritualibus in vrbe Vicario salutem.

Cum non deceat, quod Tua Fraternitas, quæ gerit in vrbe in spiritualibus vices nostras, ab ostensione sacri Sudarii Domini nostri Iesu Christi consuetis faciendæ temporibus excludatur: Fraternitati tuæ dictum Sudarium semel in quolibet infrascriptorum dierum videlicet: Quartæ feriæ, Cœnæ Domini, Parasceue, ac Sabbathi sancti maioris hebdomadæ, nec non festi Ascensionis Dominicæ, & primæ Dominicæ post Octauam Epiphaniæ Domini diebus quibus consueuit præfatum Sudarium ostendi populo, per te ipsum libere eidem populo ostendendi, ac contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante si eis, vel eorum aliquibus coniunctim vel diuisim à sede Apostolica indultum sit, quod interdici, suspendi vel excommunicari non poßint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Datæ apud Montem Flasconem IV. Cal. Aug. anno VIII.

Gregor. XI. P. Max. anno 1370. Pont. I. dat. literis apud villam nouam Auinionens. diæc. iubet ostendi SS. Veronicam semel tantum, Geraldo Abbati Monasterii maioris prope Turonas, Apostolicæ sedis Nuncio. Item anno 1373. datis aliis Auinione 2. Non. Febr. nobili viro Arnaldo Rigaldo militi, diæc. S. Pauli, ac suis sociis & familiaribus, semel tantum, clausis ianuis Basilicæ.

Anton. Petrus Beneficiatus Clericus Basilicæ S. Pet. in diario quod est ab anno 1404. ad annum 1417. infrascriptas reliquit memorias de SS. Sudario.

Anno 1409. die Veneris 4. Octob. hora vesperarum extraximus Veronicam de S. Petro, & portauimus eam in Castro S. Angeli: & D. Iacobus de Caluis, tanquam Prior & Vicarius dictæ Basilicæ, portauit dictam Veronicam.

Anno 1410. die Mercurii, prima Ian. Indict. III. hora Missæ maioris S. Petri, D. Iacobus de Caluis Canonicus, Vicarius, Prior, & Sacrista Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, cum sex aliis Dominis Canonicis iuerunt ad Castrum S. Angeli, & ibi receperunt Veronicam, & portauerunt ad supradictam Basilicam.

Anno 1411. Indict. 4. die 2. mensis Aprilis, quæ fuit dies veneris sanctæ, hora vesperarũ, venit Dominus noster Papa Ioannes XXIII. ad S. Pancratiũ cum Domino Rege Loysio, & cum omnibus Dominis Cardinalibus tam Romanis, quã etiam transmontanis, & ibi fecit residentiam per vnam noctem. Item die Sabbato sancto, die 12. dicti mẽsis, de mane, fecit fieri dictus Dominus Papa officium solemniter in S. Pancratio. Item hora vesperarum intrauit vrbem sub pallio, cum Domino Rege Loysio, & cum omnibus Dominis Cardinalibus, & cum omnibus Baronibus & equitauit per põtem Iudæorum, & plateã Iudæorum, & per Campũ Floræ, & venit per pontẽ S. Petri. Itẽ de S. Catharina, vsq; ad scalas S. Pet. addexterauit eum Dominus Rex Loysius, & quando fuit in pede scalarum Dominus noster Papa, descendit de equo, & ibi fecit maximam reuerẽtiam B. Petro, vt moris est. Postmodum statim intrauit Ecclesiam B. Petri, & iuit cum dicto Domino Rege, & cum omnibus Cardinalibus ad altare maius, & ibi etiam reuerẽtiam fecit. Item statim dictus Dominus noster Papa fecit ostendere Veronicam: quia totus populus Romanus erat congregatus in Basilica sancti Petri. Item dictus Dominus Papa mandauerat Dominis Canonicis, quod non ostenderent Veronicam die Iouis sancti. & die Veneris sanctæ, propter aduentum suum.

Eugenius Quartus, datis Florentiæ literis, iussit Canonicis & Capitulo S. Petri, vt ostenderent Veronicam Andreæ Abbati S. Antonii de Ægypto, & Petro Diacono oratoribus magni Principis Constantini Imperatoris Æthiopum, quem presbyterum Ioannem dicunt, non obstantibus Cõstitutionibus eiusdẽ Basilicæ, & aliis Ordinationibus, etiam iuramẽto firmatis, quibus cauetur, ne extra debita & cõsueta tẽpora possit ostendi, à quibus eos pro hac vice absoluit. Florẽtię Quarto Nonas Octob. Pont. anno 11. Christi 1442.

Anno Christi 1450. vt Maffeus Veggius Laudensis, Canonicus S.

cus S. Petri, in libro memorabilium eiusdem Basilicæ, id quod vidit, memoriæ reliquit: cum Fridericus III. Imper. post susceptam à Nicolao Quinto coronam, animum adhibuisset ascendere in eum locum, vbi S. Saluatoris nostri Sudarium decentissime ac deuotissime conseruatur, magno eius videndi contingendiq; desiderio accensus, quod solis tantum Canonicis concessum est: non alia id ratione obtinuit, quam quod Canonicus Basilicæ S. Petri esset: neque aliter ei illo ascensus datus, quam cum pari habitu, ornamentoque Canonicorum.

Pius Secundus, Commentariorum libro 8. cum historiam translationis capitis S. Andreæ Apostoli, factæ pridie Idus Aprilis Dominica palmarũ, anno Domini M. CCCCLXII. scriberet: S. Sudarii meminit his verbis. *Expleto sacrificio accepit Pontifex venerabile caput, & pergens in pompa cum Cardinalibus & Clero, venit in eam templi partem, qua sanctæ seruatur Veronica (sic enim appellant admirabilem Iesu Christi faciem impressam Sudario, quod Veronica insignis mulier illi obtulit) stetitque procul, & iussit ostendi Sudarium. Petrus itaque Cardinalis sancti Marci, nobili loco apud Venetos natus, Eugenii Quarti Pontificis nepos & Archipresbyter eius Ecclesiæ, scala conscensa venerabilem sacramque Domini figuram ostendit, ter profuso amore misericordiam populo implorante. Fuit res veneratu & admiratione dignissima, illinc sanctum intueri Saluatorem, hinc eius Apostoli pretiosas reliquias, tum Pontificem Maximum cum Cardinalibus & omni Clero flexis genibus, nudatisque capitibus orantem aspicere.*

Paulus II. referente Ciaccone, anno D. 1470. in solemni processione, cum Cardinalibus nudis pedibus incessit, ab aliis gestabatur imago S. Mariæ de populo, & caput S. Ioannis Baptistæ, pro victoria adipiscenda aduersus Turcas, Christiani nominis hostes: Indulgentia concessa plenissima, iis qui Deum precarentur. Et XV. Iul. supplicationes de nouo actæ in ambitu Basilicæ S. Petri: in quibus ipse Pontifex gestauit S. Sudarium, & S. Andreæ Apostoli caput.

Sixtus IV. anno 1482. in bulla erectionis duorum Beneficiatorum, dat. Cal. Mart. affirmat, Basilicam S. Petri excellere alias orbis & vrbis Basilicas, Saluatoris nostri Sudario, atque plurimis Sanctorum reliquiis.

Innocentio VIII. Pont. præsente, anno D. 1488. XV. Maii, in Ascensione Domini fuit ostensa Veronica, quemadmodum annotauit Ioannes Burchardus Clericus Ceremoniarum Capellæ Innocentii eiusdem.

Leo X. anno 1513. iussit Canonicis Basilicæ S. Petri, vt Generali & Fratribus Minorum de Obseruantia, ac Federico Enciquez ostenderent Veronicam, dat. Schedula manu propria subscripta Canonicis.

Clemens VII. anno 1525. Gregorius XIII. anno 1575. Clemens VIII. anno 1601. clausa porta Sancta Iubilæi ostendi fecerunt Veronicam cunctis videntibus, vt constat in diariis Basilicæ Vaticanæ.

QVÆ TEMPORE PAVLI V. CIRCA S. VERONICÆ IMAGINEM PATRATA SINT.

Paulus V. Pont. Max. feliciter superstes, eandem Veronicam, in nouam D. Petri Basilicam iussit transferri, quæ ordine & tempore infra scripto translata est.

Die XXI. Anno Domini M. DCVI. feria tertia maioris hebdomadæ, hora noctis tertia.

Absoluto opere suggesti, in nouo Templo S. Petri prætiosis politisque marmoribus ornato ad dexteram parastatam maioris altaris eiusdem Principis Apostolorum, sub maximo tholo, vnde populo celeberrima S. Saluatoris nostri imago, quæ Veronicæ dicitur, atque lancea qua latus eius patuit, publice ostendantur, Illustrissimus & Reuerendissimus D. D. Euangelista Pallottus Cardinalis Consentinus dictæ Basilicæ Archipresbyter, nolens Christianum populum his diebus ad has reliquias inuisendas in maxima multitudine, confluentem spirituali carere solatio, accelerato opere & ad finem perducto, statuit dicta feria tertia sanctæ hebdomadis reliquias præfatas, ac S. Andreæ Apostoli caput, ex Archiuo Basilicæ in dictum suggestum & locum transferre. Igitur die Lunæ XX. Martii MDC. VI. idẽ Illustrissimus Cardinalis post celebratam Missam in Sacrario, benedixit capsam cypressinam fericis pannis vestitam pro recondẽdis ipsis reliquiis. Deinde se contulit ad locum & suggestum præfatum, similiterque benedixit, & aqua benedicta aspersit. Die vero sequenti XXI. Martii, feria tertia eiusdem sanctæ hebdomadis MDC. VI. deiecta macerie, & aperto ostio cubiculi Archiui, hora noctis secunda, accersitus fuit Illustrissimus Card. Archipresbyter, qui vna cum aulicis suis, Canonicis infra scriptis, à Reuerendissimis Dominis Metellio Bichio Senens. Soanæ Episcopo, nunc S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Senens. F. Angelo Roccha Episcopo Tagasten. Sacrarii Apostolici Præfecto, aliisque nobilibus, ex suo Archipresbyterali palatio sito in atrio dictæ Basilicæ se contulit ad Archiuum prædictum, ibidemque præsentibus supranominatis Reuerendiss. Episcopis, atque Canonicis eiusdem Basilicæ, scilicet RR. DD. Paulo Bizono, Pomponio de Magistris, Francisco Franco, Aloysio Cittadino, Alexandro Scotto, Tiberio Ricciardello, Antonio Maria Aldobrandino, Comite Octauio Estense, Taxono Præceptore Hospitalis S. Spirit. in Saxia, Ioanne Baptista Bandino Germanico Fidele, & Paride Pallotto: Cardin. indutus suo quotidiano habitu, accepit stolam & dixit Orationem, *Auser à nobis*, &c. deinde fuit aperta capsa ferrea tribus clauibus: & postea dixit alias orationes pro vultu sancto & lancea, vt in libro: & pro capite S. Andreæ, *Maiestatem*, &c. Inde RR. DD. Canonici, scilicet Paulus Bizonus accepit vultum sanctum, Pomponius de Magistris lanceam, & Comes Octauius Estens. caput S. Andreæ Apostoli, induti stolis supra rocchettum & superpellicium: & quilibet ipsorum comitatus à duobus canonicis, descenderũt ex Archiuo sub vmbellam: prius caput S. Andreæ, deinde lãcea, postea sudarium, & præcedente Cruce cum duobus candelabris, quam sequebantur musici cãtantes Motetum: *O bone Iesu*; incedebant Clerici beneficiati, postea Beneficiati, deinde Canonici, omnes accensos cereos gestantes, tum duo alia candelabra, & thuribulum vnum thurificans sanctas reliquias: inde reliquiæ sub vmbella modo suprascripto. Post vmbellam Illustriss. D. Cardinalis Archipresbyter, & dicti Reuerẽdissimi Episcopi, cum multitudine populi copiosa. Hi omnes processionaliter incedentes, intrarunt basilicam veterem, & per nauem S. Andreæ, in Templum nouum. Vt autem venerunt ad primam portam æneam, ad ciborium ducentem, ingressi sunt tantum, Illustrissimus Cardinalis Archipresbyter, Canonici cum reliquiis, Magister Ceremoniarum, Mansionarius, & ego Notarius infrascriptus, & nullus alius. Tum Canonici ostenderunt populo vt moris est, S. Andreæ caput, lanceam, & S. Sudarium, quibus ostensis, aptauerunt easdem reliquias in sua fenestra, & loco ad hoc fabrefacto. Illustriss. Cardinalis ter illic incensum obtulit, & orationes prescriptas dixit, fenestram clausit, descenditque scalam cochlidem, & portam æneam concluſit. Claues autem omnes dedit R. D. Paulo Bizono maiori Sacristæ, præter vnam, quam ex antiquo more penes se retinet summus Pontifex. His peractis, in nomine Domini recesserunt. Super quibus, &c. *Actum in memorato Archino, & in dicta Basilica respective, sub anno, mense, & die quibus supra; præsentibus in Archiuo præfato & translatione huiusmodi Illustribus admodum ac Reuerend. DD. Metello Bicchio Senens. Soanæ Episcopo, F. Angelo Roccha Camerte Augustiniano sacri Palatii Apostolici Sacrarii Præfecto, nec non Excellentissimis Dominis Friderico Cæsio Duce Aquæ Spartæ, Ioanne Angelo ab Altaemps. Duce Gallesii, & R. D. Andrea Nannio Cortonens. Clerico Beneficiato. In ciborio autem Templi noui, RR. DD. Andrea Amico de Mantorio Clerico Beneficiato ac Ceremoniarum Magistro, & Nicolao Spadaccio, & Domino Balthasare Fauella Romanis Mansionariis dictæ Basilicæ testibus, &c. rogatis.*

Porro anno Domini MD C. XII. in Vigilia sancti Andreæ Apostoli, caput eiusdem sancti fuit repositum in ciborio seu suggestu facto in proxima magna parastata, ad læuam maioris Altaris sub maxima testudine, quod Ego Iacobus Grimaldus Notarius Publicus de præmissis rogatus in fidem manu propria subscripsi & signaui.

Ita est, Ego Iacobus Grimaldus manu propria.

XVII. QVOMODO ROMAM SVDARIVM D. VERONICÆ VSQUE NERIT, ET QVÆ PER ID MIRACVLA FACTA.

Quod Veronicam attinet, vetus habet traditio, quia ea fuit religiosa fœmina Hierosolymitana, quæ eo tempore, quo Christus Saluator noster ad paribulum ducebatur, lineum capitis sui velum ei ad faciem tergendam cruore ex sacro capite Spinis coronato defluente porrexit: cui Diuini vultus illius imago diuinitus impressa remansit. Istud porro velum, sacro Redemptoris vultu insigne, Romam detulisse, eoque Tiberium Augustum difficili morbo laborantem sanasse,

sanasse, & postea illud ad S. Clementis Papæ manus peruenisse, & apud successores Clementis, in maximo honore: à Constantino vero Imperatore, in Basilica D. Petri collocatum, in veneratione apud fideles semper fuisse, constans fama est: *Methodio, Sigeberto, Mariano Scoto, Constantino Porphyrogenito in oratione apud Lippomanum Tomo 6. Iacobo Philippo Bergomate, Polydoro Virgilio, Mutio Iustinopolitano, Petro Gallesio, Daniele Mollonio, Viguerio, Christiano Adriaconio, Matthæo Spenbergem, & præsertim Ecclesiæ Ambrosiana, in officio Diuino, in lectionibus*, vt fertur, *à D. Ambrosio scriptis, asseuerante.*

XVIII.

Hoc tempore floruerunt Stephanus tituli Sancti Adriani & Decius titul. Sancti Apollonii in monte Auentino Vrsini Cardinales Romani, quemadmodum affirmat *Iacobus Corelius in eo quem scripsit de Cardinalibus libro.*

XIX. PELIX IOAN. SVECIÆ REGIS PER OLAVM EPISCOPVM REGNI REGIMEN.

Mortuo hoc anno in regno Sueciæ Rege Erico Suercherо, præmortui regis Ioannis filius, cognomento iuuenis & pius, administrationem accepit, omnium cõsensu ad se delatam. Fuit benignissimę indolis spemque de se maximam, & optimam toti regno polliceri videbatur. Cum enim sub tutoribus ageret, nihil, quod ab eis vetabatur, facere jaudebat: maxime autem sapientissimo Archiepiscopo Vpsalensi Olauo obediuit, eiusq; consilia, perinde ac vnici patris præcepta, venerabundus impleuit: cui etiam maximarum, & difficillimarum causarum in suis regnis emergentium examinationem, decisionemq; permisit: nihil dubitans: quin is, qui in diuina lege, & Christianis moribus esset instructissimus, de humanis etiam causis, & controuersiis certius, sapientiusque iudicare posset & vellet. Ita teneræ ætatis Princeps prudentiam, quam ex se nec præstare, nec polliceri poterat, alieno pectori prudentius erutam, sapienter subditis populis accommodauit. Non potuit tamen vitare quin suis temporibus aliqui exurgerent, qui turbarẽt. Proceres enim Vestgothorum, inceperant negotium facere suo Episcopo Scarensi Benedicto, de præsidiis Ecclesiasticis: summaque eorum intentio eo tendere videbatur, vt Christianum Sacerdotium humilius efficerent, quam olim erant Sacerdotes Iudæorum; qui suas possessiones & colonos, ab omni Principum onere liberos, & sibi solis, ac suæ iurisdictioni, diuino iure subiectos habebant. Cauebantque vehementer Iudæi, ne ipsam suorum sacerdotum libertatem à Deo institutam, in aliquo violarent: scientes seueram Dei vltionem diuinæ legis transgressoribus continuo præparatam. At præfato Vuestgothorum Pontifici Benedicto, ea diuini iuris sanctio suffragari nequiuit, nisi Regio sigillo confirmata fuisset. Quod quam præpostere factum fuerit, omnes prudentius attendãt, qui nouerunt Regum iura diuinis legibus non præponenda esse, sed per eas dirigenda. Nam qui ordinem istum peruertere consueuerunt, se & publica omnia in certissimam perniciem coniecerunt. Sed hæc est malignorum aut ignauorum procerum cõsuetudo, vt cum videant rerum summam, vel ad pueros, vel ad imprudentes præsides deuoluram, mox sibi, quicquid libet, idem etiam licere existiment. Proinde nimis infelix est regnum, cuius Rex puer est, & cuius Principes magis lucra, quam honestatem sectari didicerunt. *Olaus lib. 19. c. 13.*

XX. EX EMPLVM AMORIS IN CHRISTVM ADMIRABILE PEREGRINI HIEROSOLIMITANI.

Eodem anno, aliquis vir pius ex oppido Dinantheo in terra Sancta peregrinus, in vehementiore mysteriorum Crucis & passionis Christi contemplatione mortuus est. Omnia fere loca, vestigiis Redemptoris orbis calcata, multa cum deuotione & lachrymis lustrauerat. Cum autem ad montem Caluariæ ascendisset, & locum in quo Saluator noster crucis supplicium & mortem passus, diligentius contemplatus fuisset, in lachrymas solutus: Quid tibi, ait, benignissime Domine, quid tibi Christe retribuam pro omnibus, quæ pius amator amabilis mihi misero mirabiliter retribuisti? Vidi prius loca, in quibus natus, & inter homines conuersatus, doctrinam Euangelicam prædicasti, & diuinitatis tuæ indicia, per miracula demonstrasti. Hæc quidem propter amorem & reuerentiam tui sincero corde complexus sum, hunc vero passionis & mortis locum æquo animo videre non possum, vbi cruci suffigi, lancea terebrari, & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc vt Beatus ille peroranit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, spiritum exhalauit. *Thom. Cantipratt. lib. 1. cap. 25.*

IESV CHRISTI
Annus 1217.

HONORII PAP. III. Annus 1. PETRI Imper. Orient. 1.

STatim atque Pontificatum Honorius sucepit, *a* Fridericum II. ad Imperatoriam dignitatem electum, certioremreddidit, simulque officii erga Rom. Ecclesiam admonuit, vt illam velut matrem coleret, vtque Regno Siciliæ se exueret, atq; illud dispositioni Sedis Apostolicæ relinqueret, præsertim cum meuereturq, ne, si ille cum Imperatoria maiestate, dignitatem Regiam sustineret, aliquis existimaret, Regnũ Siciliæ non Ecclesiastici, sed Imperialis iuris esse. Non illibẽter Fridericus monita Pontificis legit, spopõdit-que, simul atq; Imperii diademate ornaretur, se velle Henricum filiũ emancipare, & Regem Siciliæ declarare: si modo Apostolica Sedes Regia potestate illum dignaretur. Respondit Honorius, se benigne Nuncios illius habuisse, audiuisseque. Cæterum quod eius postulata attineret, velle in Siciliam Legatum destinare, qui ex æquitate transigeret; tantum is ipse in obedientia & fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ perseueraret.

I. *a lib. 1 ep. Honorii III. p. 1. & 35. & 39.* HONORIVS HORTATVR FRIDER. VT ROM. ECCL. VT MATRI COLAT.

Eodem anno Pontifex Honorius, *b* in basilica S. Laurentii extra muros Romanos, Petrum Comitem Altifidiorensem, Franci Regis propinquũ, & Iolantem eius coniugem, Augustali nomine salutauit, & Imperii Orientalis corona insignuit. Namque ante hos dies Henricus Imp. fatis concesserat, & Petrus in eius locum succedens Romam aduenerat. Poterat ea Petri coronatio, Manueli Constantinopolitano Patriarchæ, non omnino grata esse. Quamobrem reduci in Orientem Imperatori, *c* Legatum Cardinalem Ioannem Columnãvna cum Guido Castello Interumnæ pro S. R. E. Vicariũ Honorius adiunxit, & Manueli significauit, se in pactis cũ Petro initis, iuribus & priuilegiis Constãtinopolitanę Ecclesiæ abunde cauisse: proinde ab illo desiderare, vt Imperatorẽ reuertentem, ea qua par erat obseruantia susciperet, eiq; præsto esset, inprimis aduersus Græcos perduelles, seditione & schismate omnia miscẽtes atq; contra reliquos hostes, quoquo modo Imperium pessumdantes.

II. *b Æneid. in Philippo.* CORONAT PETRVM REGEM ORIENTIS

Per eosdem dies, scilicet Idib. Octob. anni superioris Ioannes Rex Angliæ moribundus, coram Regni Proceribus, deuotionem & fidelitatem erga Sedem Apostolicam testatus literas Pontifici Honorio scripserat in quibus Regnum suum, quod S. Petri Patrimonium esse nuncupabat, vna cũ filiis suis, sub protectionẽ S. Sedis & Summi Pontificis, submittebat. In locum illius vita functi, Henricus filius succesferat, & tum de morte patris, tum de sua inauguratione Honorio significauerat. Porro Honorius, in his quas Henrico dedit, partim condolebat pupillo, paterna ex morte afflicto, partim collætabatur eidem ad regnum euecto. Subindeque monebat, vt in fide ac deuotione Rom. Ecclesię perseueraret, vt piorum Patris monitorum recordaretur: vtq; optima Legati Sedis Apostol. consilia sequeretur. Nam per id temporis Pontifex Iacobum Guallã SS. Siluestri & Martini tit. Equitii presbyterum Cardinalem in Angliam destinarat, qui iura clientis Henrici Regis, & Ecclesiæ Romanæ tueretur, & adolescentem Regem ad perfectam Regni administrationem informaret, pacemq; tum subditorum, tũ finitimorum Regũ cum eo stabiliret. In eam rem omnibus Angliæ Principibus *c* scripsit, eosq; ad obedientiam Regis hortatus est. Grauiora imminebant eidem Henrico à Rege Scoto, & à Ludouico Philippi Gallorum Regis primogenito. Namq; ille exercitu in Angliam transmisso, hic vero in continentibus prouinciis, multa ei abstulerant, eumq; Regno exuere contendebant. Partium suarum itaq; Honorius cum existimaret defendere pupillũ, & Regnum Eccl. Romanæ deuotum, ideo Alexandro Scotorum Regi iunxit, *f* ne aliqua in re nouum Angliæ Regem Sedis Apost. clientem & censuarium incommodaret, & si qua illi abstulisset, in continenti restitueret: si vero aliqua contra eum constituisset, rescinderet: quod si quid ab eodẽ desideraret, apud Sedem Apostolicam ius vel prætensionem suam prosequeretur, se enim velle id quicquid esset controuersiarum ex bono & æquo siue componere, siue decernere. In eandem

III. HENRICVM ANGLVM PVPILLVM IN TVTELAM SVSCIPIT HONORIVS.

d anno 1. 26. Cal. Febr.

e 16. Cal. Febr.

f 17. Cal. Febr.

rem omnibus Regni Scotorum Principibus scripsit, & tamcis quam Alexandro Regi, anathematis atque interdicti censuras ostentauit, si mandatis Apostolicæ Sedis contrairent. Eodem plane modo Regi Gallorum Philippo *a* commisit: vt filium Ludouicum à persequendo Henrico dehortaretur, adeoque ex nomine Pontificio iuberet, vt exercitum quem ad exuendum Regno Henricum conscripserat transmiseratque, reuocaret, & non armis, sed rationibus coram Apost. Legato ius si quod haberet persequeretur. Se enim nulla ratione posse tolerare, vt cliens & beneficiarius Rom. Eccl. à quoquam impune infestetur.

a 11. Cal. Maii.

IV. *b Cromer. lib. 7.* DISSIDIA INTESTINA POLONIÆ INTER VLADISLAOS COMPOSITA CONFIRMAT HONORIVS.

Eodem anno in Polonia tumultuatum est, *b* ab intestinis dissidiis & ciuilibus bellis. Vladislaus Ottonis filius, cui Sputatori cognomen fuit, nondum ex ephebis egressus, æqualium suorum suasu & consilio liberari à tutela Vladislai magni, siue Lasconogi, & partiri eum secum dominatum flagitabat. Cũ non impetraret, coacta clam aliquãta manu, Calissiam arcem intercepit: & varia primum fortuna cõtra patruum pugnauit, deinde tandẽ victoria & principatu potitus est, Posnania & Calissia, nõ grauate ei sese dedentibus. Poterat ea res maiorum motuum in regno causa esse. Quos vt Principes præuerterent, iussu Honorii Pontificis, Comitio indicto, inter patruum & nepotẽ pacem constabiliuere. Stipulatores & auctores concordiæ interuenere, Lescus Princeps, Henricus Barbatus D. Heduigis maritus, Archiep. Gnesnensis, Cracouiensis, Vuratislauiensis, Vuladislauiensis, Posnaniensis & Lubussensis Episcopi & electus nuper Plocensis, magnusq; procerum comitatus. Eius concordiæ inter Vuladislaos constitutæ, capita, Honorio Pontifici ad arbitrandum confirmandumque transmisere, qui datis *c* ad Vuladislaum Sputatorem Calissiæ Ducem literis, compositionem vtrinque secutam auctoritate Pontificia roborauit, & ne à quoquam violaretur omnibus & singulis præcepit: data potestate Archiepiscopo Gnesnensi in refractarios ex disciplina Ecclesiastica animaduertendi.

c anno 1. Honor. 3. Quinto Id. Febr.

V. *d 2. Cal. Febr. & 7. Id. Febr.* ITEM INTER FRID. IMP. ET VVALDEMAR. DANIÆ REGEM.

Eodem anno Honorius Pontifex *d* conuentiones inter Fridericum Imperatorem electum, & Valdemarum Danorum Regem ex consensu Principum Imperii factas, ad postulationem eorumdem confirmauit: Reginæ quoque Danorum dotem à Rege marito assignatam, vtroque postulante approbauit.

VI. *e Id. April.*

Philippum *e* etiam Gallorum Regem serio admonuit, ne Iacobum Aragonum Regem, in dominio Montispessulani, & aliorum Castrorum à matre eius Maria relictorum quoquomodo perturbaret. Quod si mandata Apostolica contemneret, censurã seueriorẽ à manu Apostolica expectaret.

VII. REX NORVVEGIÆ CRVCESIGNATVS. *f Non. Martii.*

Negotium quoque Terræ Sanctæ promouere non destitit Honorius, sed ex Concilii Lateranensis decreto maximas quas potuit copias collectas, classe à Venetis impetrata quantocius transmisit. Inter reliquos Europæos Principes *f* Rex Noruegiæ maximum numerũ Crucesignatorum conscripserat. Quamobrem ingentes ei gratias cum habuisset Honorius, illum & vniuersum ipsius Regnum in protectionem S. Petri & Apostolicæ Sedis recepit, omnibusque interdixit, ne quauis iniuria afficerent.

VIII. *g 15. Cal. Febr.* REX BOHEMIÆ A NEPOTE TVRBATVR.

Ottocarus *g* Boemorum Rex, non minora auxilia patrauerat; quæ ne transmitteret, nepos illius Cruce assumpta, ex insperato rebellis Regi factus, multa castra & oppida occupat. Hunc vt ad saniorem mentem reuocaret Ottocarus, Honorio Pontifici scripsit, & Præposito Lutomiricensi commisit, qui à Sede Apostolica remedia contra perduellem impetraret. Non negauit Honorius, quod potuit, & Pragensi Olomacensique Episcopis, atque Ratisponensi Præposito iniunxit, qui refractarium officii admonerent, & tum ad pacem ineundam, tum ad restituenda ablata inclinarent, vel si opus esset compellerent.

IX. DEVS D. FRANCISCI ET DOMINICI RELIGIOSOS MIRACVLOSE ALIT. *h anno 1. ep. 247. i S. Bonau. ... in vita.*

Per hæc tempora Dominicus & Franciscus propagandis à se institutis Religionibus inuigilabant. D. Dominicum Summus Pontifex, *h* datis ad eum hoc anno literis ad opus incitauit: Franciscum autem ipse Christus aliquando apparens consolatus est. Angebatur enim subinde Franciscus, quod multi austeram illam viuendi ab eo inuectam rationẽ exhorrerent, siue desererent. At Dominus ad eum: *i* *Quid turbaris Francisce, ait, aut quid angeris, cum tuorum Fratrum quispiam vel ordinem deserit, vel in ordine scandalum concitat? An forte existimas ita te rectorem huius gregis cõstitutum, vt non me intelligas superiorem eius esse rectorẽ? Quis eum plantauit, nisi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, vel vocatis perseuerandi vires suppeditat? Ego eos perduxi, ego retinebo, & seruabo: ego illis cadentibus, alios erigam atq; substituam. Quamobrem hoc tibi plane præcipio; ne te in posterũ adeo discrucies; sed scias hanc familiã à me diligi; ac si vnus ad vomitum redeat, me in eius locum alterum excitaturum, qui illius coronam recipiat, isque si nondum natus fuerit effecturum vt nascatur. Quod si tres tantũ in ea permanserint, eos ipsos numquam deseram, sed erit semper hæc familia mea.* Probauit reipsa Dominus id quod Francisco pollicitus fuerat, & si alias semper, maxime tamen in Generali Conuentu Fratrũ, quem Assisii aliquando Franciscus habuit. Confluxerant ad quinq; millia Fratrum; & rei necessariæ plane nihil parauerant. Nam Franciscus seuere omnibus interdixerat, ne de rebus ad corpus pertinentibus soliciti essent, ex illa Psalmi sententia, quam sæpe in ore habebat: Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Verebantur quam plurimi, ne quodam modo Deus tentari videretur, si non tantæ multitudini alimẽta pararentur, at non multo post aspexerunt ex omnibus finitimis vrbibus & pagis, cõcursum hominum ac iumentorum omnem omnis generis commeatum, supellectilem & vasa deferentium: manifestoq; indicio probantium, Deum huic familiæ nõ deesse. Istud idem circa suam familiam Diuus Dominicus expertus est. Nam Romæ cum esset in suo Monasterio apud Sanctum Xystum, nihilque *k* penitus ad victum superfuisset, quin etiam duo, qui tota vrbe ostiatim mendicauerãt, nihil retulissent: vt tanto illustrius esset Dei beneficium, nihilominus tamen iussit omnes suos ad mensam adhuc vacuã conuocari, cui vt accubuerũt, statim duo adolescẽtes egregia forma, medio cænaculo apparuẽre, qui singulis singulos panes miri candoris apposuere, initio facto ab eo qui infimus sedebat, eaque distributione peracta, submissis honoris gratia capitibus, ex omnium oculis euanuẽre. Mox Dominicus vinum postulauit, respondentibus vero ministris, nullũ esse: iussit ex vacuo dolio peti, ad quod accedentes optimo vino redundans inuenerunt.

k Flamin. in vita.

X. SVMMVS AMATOR PAVPERTATIS D. FRANCISCVS, ITEM DOMINICVS. *l Bonauent. supra.*

Porro Franciscus maxima spe in Deum nixus, si alicuius alterius virtutis, non minimum tamen paupertatis amore tenebatur, qui cum aliâs alia eius bona, tum aliquando eius etiam dulcedinẽ ita demonstrauit. *l* Cum enim iter in Gallias habens, ad fontis oram vna cũ Masseo comite, prandii causa consedisset, expositis ab vtroq; exigui panis frustulis, quæ ostiatim mendicando collegerant, & quidem bonam partẽ acidis & duris, ille spiritu exultans, fratremque, compellans, excitare illum cœpit ad gratias Deo agendas de illo tã ingenti paupertatis thesauro, idq; ipsum elata gradatim voce iterare. Querenti autẽ Masseo: quisnã esset is thesaurus in tanta rerum etiam necessariarum inopia, vbi non obsonium, non vinum, non etiam mensa suppeteret, respondit; illud ipsum magnum esse beneficium, quod illa omnia quæ deessent, à Deo supplerentur, qui illum eis panem, ac fontẽ, illum etiã lapidem tam prouide præparasset, paulo autem post inde digressus, in quodã templo quod primum occurrit, orare instituit Deum, vt sibi, & suis sanctæ paupertatis amorem inspiraret, idq; tanto feruore, vt ex facie ignis emicare videretur. Itaq; hoc diuino ardore incitatus, mouit se versus Masseum brachiis apertis, eumque magna voce ad se aduocans: qui cũ admirans ac stupens, in sancti Patris brachia se immisisset, tantus fuit Francisci æstus interior, vt anhelitu solo per oris hiatũ erumpente, multis illũ cubitis in sublime eiaculatus sit, in quo ascensu, is postea sæpius narrauit, tanta se dulcedine delibutũ, quantã antea numquam in vita sua gustasset. Tũ Franciscus: Eamus, inquit, Romã ad Sanctos Apost. Petrum & Paulum exorandos, vt nos doceant tam præclarum paupertatis thesaurũ recte ac fructuose possidere. Is enim ita præstans, itaq; diuinus est, nos autem ita viles & abiecti, vt indigni simus qui eum talibus vasis teneamus. Hæc enim est virtus de cœlo in nos influens, quæ nos ita instituit & informat, vt terrena cuncta vltro conculcemus; quæque obices omnes è medio tollit, quo humana mens cũ Deo suo liberrime atq; expeditissime cõiungatur. Ferunt etiã B. Franciscum, quoties suos peregrinatum mitteret, nullum aliud viaticum eis dare solitum, quam illum ipsum ex Psalmo versiculũ: Iacta in Domino cogitatum tuum, & ipse te enutriet, cuius versiculi fides instar erat omnis pecuniæ. Cum autem duobus cõtigisset, vt diem ferme to-

tum ambulantes, fame iam & defatigatione pene deficerẽt, insuper etiam eleemosyna postulata, nihil ab vllo accepissent, occurrit illis adolescens: qui causam sciscitatus, cur adeo lassi ac mœsti essent, duos protulit panes, quibus dum illi sedentes vescerentur, cœpit idem eos durius increpare: Homines, inquit, modicæ fidei, cur diuinæ curæ iam diffidebatis? Non vobis in mẽtem veniebat verborum illorum Prophetę, quæ tũ sæpe vobis sanctus Pater vester inculcauit, Iacta cogitatũ tuum in Domino, & ipse te enutriet: cum eius videlicet bonitas ne bestiis quidem agri desit. Quamobrem hoc scitote, nullam aliam ob causam distulisse Dominum opem suam, nisi vt fame ipsa diffidentiam vestram puniret, quæ verba, aliaq; similia eloquutus, abiit ex oculis. Fere cõsimile accidit aliquibus alumnis D. Dominici. *a* Nam cum recenti adhuc ordine illos in varia loca ad prædicandã pœnitentiam binos ex Christi formula dimitteret, accidit aliquando vt ex his duo, hora iam nona diei præterita, ieiuni, admodumq; fessi agerent inter se subtristes: ecquid cibi, aut vnde, in regione ignota & paupere consequi possent. Inter quos sermones ecce adfuit vir quidam statura procerus, & elegãs, habitu peregrino, qui illorum infirmam modicamq; fidem grauiter reprehendẽs: Potuistis, inquit, credere Deo, vt eius causa omnia relinqueretis: nunc autem non credere potestis illi curã esse de vobis? Qui dat iumentis escam ipsorum, non sinet filios fame emori: quod vos ipsi hodie reipsa abunde experiemini. Quibus dictis cum euanuisset (erat enim Angelus) ex eorum cõspectu, ii paululum progressi, in proximum pagum exiguũ venerunt, vbi dum in Ecclesia orãt à sacerdote benignissime inuitati, cũ ab eo domum abducerentur, superueniens miles eripere illos omni ope nitebatur, vt ad se diuerterent: verum iis duobus inter se pie litigantibus, oppidi Dominus forte incidens, & illos, & simul sacerdotem ac militem pro potestate ad domum suam duxit, omnesq; lauto conuiuio excepit. Quod Franciscum attinet, *b* is in summa rerum inopia, atq; adeo quauis miseria, non alio quam Deo ipso sese solabatur, cui omnia sua consecrarat. Ferunt, cum eum aliquando carnalis frater, & vere carnalis aspexisset in summa hyeme seminudum, horrentemque frigore, & ad eum misisset, qui per ludibrium amariori quodam ioco, quam fratrem deceret ab eo peteret, vt sudorem sibi drachma venderet, respondisse lætum; Dic fratri meo, me iam totum Domino meo vendidisse, & quidem pretio ingenti. Quin idem etiã, cum aliquãdo grauissimis continuisq; doloribus, & insuper nouis à dæmone molestiis ita cruciaretur, vt nullæ iam hominis vires ferre posse viderentur, emissa est ad eum vox de cœlo, qua gaudere iubebatur: quoniam per eas tribulationes tantum sibi thesaurum acquireret, cui nullus in terra comparari posset, etiamsi tota terra in aurũ, omnes lapides in gemmas, omnes aquę in balsamum verterentur. Quo ille audito ita recreatus est totus vt iam non sentiret dolores; statimq; Fratribus præ gaudio aduocatis, narrauit quod de cœlis solatium accepisset.

a Flamin. supr.

b Bonauent. supr.

XI. *c ann. 1. epist. 303. & 305 & ep. 17. 18. & Chron. Bissiano.* HONORIVS PISANOS AB INVASIONE SARDINIÆ COHIBET.

Hoc ipso anno Pontifex Honorius *c* Legatum Cardinalem ad Pisanos misit, qui illos ab inuasione Sardiniæ dehortaretur, hãc enim iuris Romanæ Ecclesiæ fore summus Pontifex scriptis ad eos & Sardos literis asserebat. Mediolanensium quoq; atque Placentinorum aliquos anathemate percussit, & vtramque ciuitatem interdicto supposuit atque prædæ omnium exposuit, quod illi Cremonensium plurimos cepissent & in carceres coniecissent, vniuersamque illam vrbem inuadentes sui iuris fecissent.

XII. RELIGIONEM HONORIVS CARMELITARVM CONFIRMAT.

Hoc anno ad 3. Calend. Febr. Honorius Pontifex, neq; absq; miraculo præcedente, Religionem Carmelitarum eremitarum, hactenus sparsam, sub regula B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani viuentem, authoritate Apostolica approbauit. Diutius distulerat postulationes eius instituti Fratrũ exaudire. Quapropter sacratissima Dei mater Maria tenebris noctis interruptis, æthereo cum lumine adueniẽs, summum Pontificem admonuit, dixitque: Non est aduersandum in his, dum iubeo; nec dissimulandum, dum promoueo. Insinuauitq; eidem Pontifici duos ex Palatinis suis dictæ religionis æmulos, Deo vltore esse plexos, dispari exitu, sed discessu pari. Audiuit hæc omnia Honorius & dato diplomate eam viuendi rationem ex præscripto formulæ Alberti institutam approbauit. Reate die quo supra. *Paleonydorus antiq. Carmelit. lib. 3.*

XIII. FLORET, SIMON ANGLICVS CARMELITA.

Eius instituti floruit ea tempestate, Simon natione Anglicus, moribus compositus, charitate feruens, in societate mansuetus, fortis ad patientiam, ad miserendũ pronus tam vehemens diuini verbi præco, vt Anglorum animos à vitiis ad virtutes mirabiliter commutaret, in iudicio certus, in eloquio modestus, strenuus in agendis, humilibus & minoribus blandus, pœnitentibus benignus, rigidus superbis, & inflexibilis obstinatis, spiritu denique Prophetiæ clarus.

XIV. POENA DIVINITVS MISSA IN SACRILEGVM PRINCIPEM FALCASIVM.

Eodem tempore in Anglia, Deus vindictã grauissimam exercuit, in violatorẽ Sacrorum. Falcasius Princeps is fuit, qui (vt Matthæus Vuestmonasteriens. refert) deprædatus villam S. Albani, quosdam etiam nobiles ibidem, quasi in tuto refugio latitantes, ab Ecclesia violenter extraxit, & ipsam Ecclesiam homicidio maculauit. Hunc postea ipse Martyr, apparens, B. Albanus, adeo truculenter toruo oculo aspiciens acriter increpauit, vt fere mente alienatus fuerit. Idipsum Guallo Apostolicæ Sedis Legatus eadem nocte per visionem aspexit, atque Falcasio nunciauit. Vnde idem Falcasius cum summa humilitate & timore ad Ecclesiam B. Martyris rediens, nudus pedes, & vestes spoliatus, in capitulum intrauit, atq; ab ipso Abbate & singulis Fratribus de sua trangressione cum lachrymis postulans indulgentiam, palam enarrauit, quomodo acriter ab ipso martyre Albano correptus fuerit, & quomodo etiam à quodam immani saxo, ab Ecclesiæ turri, ad instar fulguris irruente obrutus corruerit, fere exanimatus, & vt ei videbatur, vsque ad portas inferni deductus. Inde à singulis in Capitulo, corporalem suscepit disciplinam, & meruit ab Abbate & Fratribus, obtinere indulgentiam postulatam. *in Flor. Hist. ann.* 1217.

IESV CHRISTI
Annus 1218.

HONORII PAP. III. Annus 2. — PETRI Imper. Orient. 2.

I. *d epist. 739.* MISERABILIS CÆDES PETRI IMP. ORIENTALIS.

PRæsentes Ecclesiarum & Christi fidelium necessitates exigebãt ab Honorio *d* Pontifice vt is hoc anno supplicationes publicas à Lateranensi, vsque ad S. Mariæ maioris basilicam nudis pedibus, & prælatis in processione Diuorũ Petri & Pauli capitibus, ingenti omnium comploratione celebrarit. Erãt quæ tam vrgens remedium atque auxilium extorquerent. Inprimis Terræ Sanctæ negotium, & Constantinopolitani Imperii periculũ. *e* Petrus enim Imperator Roma reuertens, cum spe Dyrrachii à Theodoro Prætore Græco recipiendi in aduersam oram transmisisset, ab homine vafro per simulationem amicitiæ deceptus, post mensam hospitalem extractus, comprehensus, vinctus, ad extremum cæsus est. In discrimen deinde Imperium Orientale, vna cum Ecclesiis indidem dispersis adductum, timorem Honorio iniecerat, ne à Latinis ad Græcos iterato rediret.

e Paul. Æmil. in Philippo.

II. IN SYRIA CRVCESIGNATI SECESSIONEM FACIVNT.

Sed nec in Palæstina res Christianorum tutæ erant. In Syriam innumerabiles Crucesignati traiecerant. Inprimis Andreas Rex Hungariæ & paterno voto, & proprio, sed quod persoluere cunctabatur, coactu Pontificis Maximi, Legato Romano Cardinale Columna id denunciante, profectus est. Ei se comites dederant duo Duces, Bauariæ, Austriæque. Ptolemaidem peruenit, quo noua Francorũ manus nauigarat Ericis Niuernensiũ Comitis, & Valteri Regis Franci cubicularii ductu. Ioannes Brennus Hierosolymorũ Rex his se iunxit. Magna spes erat tãta coacta manu aliquid præclaræ rei geri posse. In Galilæam perrectũ. Aliquot turmæ Saracenorum occurrere ausæ, in fœdam fugam versæ. Andreas vbi se fluuio Iordane perluit, velut se voti religione exemisset, Pontificisq; edicto paruisset, Ptolemaidem rediit, atque inde suas copias deportauit. Poterat ista secessio vires Saracenorum adaugere, & Christianorum animos labefactare. Quamobrem Honorius ad numinis clementiam implorãdam intentus, illud ardentissimis votis expetiit, vt à ceruicibus Christi militum periculum auerteret, & barbarorum audaciam reprimeret. Non incassum preces fudit. Quanquam enim Andreas secessisset, suasq; copias subtraxisset, Magistri tamen trium sacrorum ordinum militarium Diuina ope freti inter Cæsaream & Caiaphã promontoriũ occupauẽre, muniereque, qua velut ex arce omnia Barbaris circa incolentibus facerent. Id castrum peregrinorum

vocitatum, terra marique Crucesignatis perdiu vsui fuit. Grauiora erant Europæa negotia, quæ tum obsecrationes publicas, tum curas primas ab Honorio exposcebant. Fere enim omnes Principes Europæi inter se digladiabantur, quo minus coniunctis viribus contra Saracenos tum in Hispaniis, tum in Syria depugnarent.

III. ANTE TOLOSAM COMES MONTFORTIVS CADIT.

In Galliis Ludouicus Philippi Regis primo natus, Henrico Anglo negotium facessebat: Catholicos autem vna cum Simone Montfortio contra Albigenses viribus & copiis ab Iacobo Aragoniæ Rege auctos decertantes iidem hæretici opprimere videbantur: adeo vt Comitem Montfortium extinxerint. *a* Is enim in obsidione Tolosana, coniecto ex vrbe saxo, die 25. Iul. occubuit; vir militari arte clarissimus, & insigni pietate illustris. Eius occasum, longe ante, D. Dominicus, præuidit, pariterque prænunciauit. Videbat enim in somnis imaginaria quadam visione, sed intellectu non vacua, arborem quandam, quantitate proceram, ramorum expansione diffusam, densatumq; frondium venustate pulchram; quiescentem quoque in ramis illius auium multitudinem copiosam. Post paululum autem arbor corruit, & omnis ille cætus auium dispersus aufugit. Intellexit statim vir Diuinus spiritu cœlesti repletus, Comiti Montisfortis, magno videlicet Principi, pupillorumque Tutori mortis proximum excidium imminere. *Vinc. Bellouacensis lib. 30. cap. 75.*

Petrus Monachus Cisterciensis, qui tum præsens aderat, & Simoni intima familiaritate coniunctus fuerat, mortem strenuissimi Principis in hunc modum narrauit. *Hist. Albigens. cap. 165.*

Cum anno superiore 1217. ad finem Septemb. Montfortius vrbem Tolosam cum magnis copiis obsedisset, post nouem obsidionis mẽses, aut ferme, hoc anno 1218. in crastino S. Ioannis Baptistæ, nempe 25. Iun. oppidani summo mane ex vrbe erumpentes, in Crucesignatorũ munitiones impetum fecerunt. Simon post audicum matutinale Diuinum officium insonante clamore, arma inducit, & ad Ecclesiam profectus est, vt sacro Missæ sacrificio interesset. Ibi cum oraret nuntius è suis aduolans, eruptionem hostium & discrimẽ exposuit, cui vir deuotus respondit; sine modo me audire diuinum mysterium, & nostræ redemptionis aspicere sacramentum. Cum autem hęc Simon diceret, alius nuncius aduenit dicens: Accelerate Domine, nam prælium adeo aggrauatum est, vt Crucesignati amplius non possint sustinere. Ad hunc Comes ait; Non surgam, nisi prius meum redemptorem aspexero. Cumq; Sacerdos ex more sacram hostiam eleuasset, deuotissimus vir flexis genibus, & manibus in cœlum eleuatis: *Nunc dimittis*, inquit, *Domine, seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*, & adiunxit: Eamus, & si opus est pro illo, qui pro nobis mori dignatus est, moriamur. His dictis in prælium ruit. Cumq; egregia virtute hostes reprimeret, animosque suis adderet, ecce saxum proiectum ab hostium mangonella, Iesu Christi militem in fronte percussit, qui cum lethalẽ ictum accepisset, semel & iterum pectus rundens, ac Deo & B. Mariæ virgini se commendans, ad imitationem pro mortyris Stephani, pro inimicis deprecatus, in Domino obdormiuit; cum antea quinque vicibus pro Christi nomine sagittis confixus periculum vitæ adiisset. Aymericus filius, qui tum præsens interierat, obsidione soluta, corpus Patris interempti, Carcassonæ iusto honore sepeliuit.

Hæc vero omnia cum Honorius Pontifex accepisset, *b* Legato Guallæ tit. S. Martini presbytero Cardinali iniunxit, vt pacem inter Ludouicum & Henricum componeret: *c* Philippo autem Regi præcepit, vt auxilia laborantibus Christianis contra perfidos Tolosanos submitteret: *d* Iacobo deinde Aragonum Regi interdixit, ne se negotiis Tolosanorum ingereret, ne perduelles tueretur; ne consiliis, armis, viris, aut commeatu iuuaret: ne subditos suos illis adhærere, aut fauere toleraret: neve terras aut possessiones Apostolicæ Sedis ab hæreticis ereptas, & hactenus per Apostolicam Sedem possessas inuaderet, diriperet, aut sibi vsurparet. Sane Legatus, cum nihil aliud apud dissidentes obtinere posset, inducias ad vsque festiuitatem Paschalem anni insequentis constituit, quas postulante vtroque Principe, Honorius Pontifex Laterani confirmauit.

In Hispaniis non quietiores res erant. Henricus I. Rex Castellæ, contra Alfonsum Legionensem, arma assumpserat: reliqui item inter se intestinis odiis diffidebant, & vires Saracenorum mutuis discordiis adaugebãt. *e* Monebat itaque Honorius Alfonsum, vt inter se, & reliquos Reges ac Principes Hispaniarum concordiam conciliaret: vt simul in commune iunctis viribus, contra Saracenos promouerent. Eam postea concordiam inter illos initam Honorius Pontifex roborauit, *f* facto edicto, ne quis violaret. Sin secus, vindictam Ecclesiasticam experiretur. Interim autem Henricum Castellæ Regem contigerat humanis rebus eximi. In cuius sedem, cum Proceres Regni, Ferdinandũ Alfonsi Legionensis ex Berengaria natum deposcerent, eam electionem *g* Honorius confirmauit, & anno insequente. Ferdinãdum in clientelam Sedis Apostolicæ suscepit. Resert Henricum Regẽ iusta numinis vindicta extinctum fuisse. Nam contra iura & priuilegia Ecclesiis concessa, ausus erat occupare possessiones Ecclesiæ Toletanæ, nec quicquam pendens monita Honorii vt eas restitueret, & Primati Toletano reconciliaretur, ac de damnis satis daret. Eam obrem Honorius, *h* Segustino & Conchensi Episcopis commiserat, qui in contumacem Sacrilegum anathema promulgarent, atque Regnum interdicto supponerent. Eam Ecclesiæ disciplinam cum metueret Henricus, satis sublatus, Regnum Ferdinando concessit.

In Boemia, nonnihil turbarum inter Ottocarum Regem atq; Andream Pragensem Antistitẽ. Nouas iste decimationes postulabat, Rex autem etiam primitus institutas abrogabat. Inde simultates, inde motus, inde persecutiones in Pontificem, & exhinc delationes ad Honorium, quasi Rex personas Ecclesiasticas violaret. Sane anno superiore non ex nihilo Ottocarum Honorius monuerat, ne persequeretur Episcopum Pragensem. Excusabat ille datis his literis Pontifici Honorio isto anno.

Venerabili i in Christo Patri Domino Honorio Summo Pontifici, Ottocarus. Gratias ago Paternitati vestræ, quod inter cæteros Principes me dilligatis, & quod moneatis me & arguatis pro salute animæ meæ. Veruntamen cognosco quod multa mendacia fuerint suggestata vestræ de me dicta. Nam numquã manus violentas in clericos miecinec collectas imposui: Inter dictũ licet iniuste impositum seruari, auxi iura Ecclesiarum, paratusq; semper sum id facere, & iura Ecclesiæ semper manutenere: & sic promitto sanctitati vestræ, vt latius intelligetis per Nuncios meos. Et hæc quidem Ottocarus. *k* Rescribens Honorius admonuit, vt causæ vertentis Procuratores in Vrbem transmitteret: præsertim cum Andreas Episcopus Romæ præsens istud ipsum postularet.

Eodem tempore Honorius, *l* Ladislaum Sputatorem Ducem & Ecclesiam sancti Pauli Calissiensem in Polonia: *m* Terasiam Sancti Regis Portugaliæ filiam: *n* Alphonsum Regem Portugalliæ sedis Apostoliçe censuariũm: *o* Isabellã relictam Ioannis Regis Angliæ, & *p* Berengariã quondam reginã Anglorum in protectionẽ B. Petri suscepit. Cæterum cũ Henricus Rex, Berengariæ dotalitia bona, ab Ioanne Rege ex pacto roborata, & à Sede Apostolica cõfirmata eripere conaretur, *q* præcipiebat Henrico Honorius, ne illã quouis titulo, aut quæsito colore, infestare velit: sed ei id quicquid est relictum permittat, & mille libras Sterlingorum in domo templi Londonensis depositas restituat. Quod si recusaret: Guallæ Cardinali Legato, & Episc. Vintoniensi cõmitrebat, qui in refragantem Regem ex disciplina Ecclesiastica vindicarent. In eamdem rem Honorius scripsit Isabellæ quondam Reginæ, & Guill. Marescallo: qui Regem ad restituenda omnia ad monerent. Erat vnũ quod Berengaria meruebat, ne scil. instinctu Regio, aliquis Episc. *in* eã censuras Ecclesiæ aliquo prætextu exereret. Exemit illam & *r* Isabellã hoc metu Honorius, ablata cuiuis Prælatorũ potestate, excõmunicandi, interdicendi, & alias Ecclesiç vindictas exercendi, in illas, illarumq; res, Ecclesias & personas. Quin etiam veriq; indulsit, vt tempore Generalis atq; particularis interdicti, possent sacris interesse, dũmodo causam interdicto non dedissent. Iisdem priuilegiis dignatus est Alexandrum Scotor. Regem dato diplomate 11. Cal. Decemb.

Eodem anno Honorius Pontifex, Sanciæ & Dulciæ natis Alfonsi Regis Legionensis, donationes à Patre factas cõfirmauit: *s* cui & Constantinopolitano pro electione Patriarchæ Constantinopolitani scripsit: *t* à Duce Venetorum artifices qui musiuo opere basilicam D. Pauli depingerent

c 2. Cal. Febr.

f 4 Id. Nou. IN HISPANIIS HENRICVS I. CASTELLÆ REX OBIT.

g an. 3 Laterani 14. Cal. Sept.

h an. 2. 10. Cal. Decembr.

V. OTTOCARVS SE EX CVSAT APVD HONORIVM.

i in Codice Columnensi bibliothec. Vaticanæ.

k an. 2. Laterani 4. Non. Nouemb.

VI. l 10. Cal. Iun. m 3. Non. Nouemb. n 3. Id. Ian. o 13. Cal. Febr. p 2 Id. Apr. HONORIVS VARIOS REGES IN PROTECTIONEM B. PETRI SVSCIPIT. q Idib. Maii.

r 12. Cal. Augusti.

VII. VARIA GESTA HONORII. *s* an. 214. *t* epist. 864.

a epist. 235. b epist. 769.

VIII. PRÆDICATIO EVANGELII BONONIÆ FRVCTVOSE PER D. DOMINICVM ET FRATRES SVOS PRIMVM INCHOATA.

postulauit: *a* in Sanctorum numerum D. Guill. Bituricensem Archiepisc. adnumerauit: & *b* vniuersis per orbem Episcopis actiones in die Cœnæ Dominicæ agendas præscripsit, nimirum vt omnes & singuli eo die anniuersario chrisma conficerent, pœnitentes publicanos Ecclesiæ reconciliarent, & pedes pauperum abluerent, ablutis autem eleemosynas erogarent.

Hoc anno B. Dominicus Calagoritanus, vt ord. Frat. Prædicat. à se nuper institutum, & ab Innoc. Pontifice approbatum propagaret, tres ex Fratribus suis Bononiam misit, Ioannem, Bertrandum & Christianum: qui ad Mascarellam vicum confederãt. His benigne à ciuitate acceptis, subinde Reginaldus quoque vir summa auctoritate atq; eruditione præditus adiit, ac magno totius ciuitatis concursu concionibus aliquot habitis, cũ omnes nouo religionis studio inflammauit, tum nonnullos ad habitum suum assumendum induxit. Quare postero anno laxiores ad ædẽ D. Nicolai in vineis habitationes impetrauit, Rodulpho eius Sacerdote ad habitum suscipiendum impulso. Interim exiguo adhuc sodalium numero, repente fratres aliquot miro monasticæ vitæ desiderio exarserunt, ac literis ab Hugelino Card. Legato de mutanda Sodalitate elicitis, vehementius reliquorum fratrũ pectora perculerũt. Qua re animaduersa Clanis frater, qui apud sæculum ius Pontificiũ ac ciuile docuerat, loqui ingressus, præclara oratione, abiectos ac prope fractos eorum animos erexit, ac confirmauit. Vix autem perorauerat, cum Rolandus Cremonensis Physic. Doct. accessit, ac se in eorum numerũ ascribi postulauit. Qua voce Reginaldus erectus subito sibi proprium velamentũ detraxit, & capiti eius imposuit, & pulsata campana Fratribus Spir. S. inuocare præcepit. Quin etiam Moneta liberalium artium Mag. concione quadam Reginaldi captus, non solum ipse se illorum numero aggregauit, sed multos etiã alios sui exemplo attraxit. Diuus quoq; Dominicus Bononiam accedens, atq; apud S. Nicol. cum Sanctis illis habitans, sacris cõcionibus multis in foro habitis vniuersum populum ingenti doctrinæ ac spiritus sui magnitudine ad Deum, diuinamq; colendam pietatem conuertit, ac mox cum sibi ac suis legem duriorem inopiæ indixisset, Odericum ciuem Bononiensem possessiones suas sibi pietatis studio largientem repudiauit, ac Rodulphum Procuratorem cellas laxiores molientem inhibuit. Ex discipulis eius fuere, Petrus Veronens. & Ioan. Vicetinus, Prior nomine martyrii in Ecclesia celebris est; Ioannes autẽ tanta doctrinæ & eloquentiæ atq; sanctitatis magnitudine apud Bononiẽses enituit, vt breui vniuersam ciuitatem in potestate habuerit. Itaq; vrbani agrestes artifices, militesq; cum vexillis & crucibus religionis pleni, vulgo eum sequebantur, ei vni se dabant, in eius vnius arbitrio se esse profitebantur: nullaq; lis erat, quæ non per eum facile dirimeretur: nulla discordia, quæ nõ sedaretur. Quin etiam idem carcere patefacto, obæratos omnes ipso non solũ patiente, sed etiã annuente magistratu dimisit: nouas tabulas æquissimis creditorũ animis intulit; egregia instituta multa in ciuitatem induxit, quorũ memorabile illud, vt in omnibus salutationibus familiaribus, salus à Deo nunciaretur: vt matronæ limbos aureos, & serta lasciuiora, & redimicula pretiosa dimitterent, atque capite velato prodirent. Leges quoq; ciuitatis eius consensu correxit. Prid. Id. Maii supplicationem per vrbem solemni pompa agens, vniuersam secum ciuitatem nudis pedibus incedẽtem traxit. Post biduum cum in Concilio staret, atque ibi verba de ciuium concordia haberet, visus est à fronte lumen effundere, quod diuinitatis argumento acceptum, multo magis auctoritatem eius adauxit. *Carolus Sigonius lib. 2. de Episcop. Bononiens.*

IX. CAMPANVLA EX SEIPSA MORTIS FRATRVM PRÆDIC. PRÆSAGA.

Per hos dies erat in Cœnobio Amorensi Ord. Præd. campanula, quæ postea per plura annorum curricula sine alicuius ope pulsari, & sonum edere consueuerat; cum breui foret quispiam ex illorum fratrũ collegio migraturus ad Dominum. Quo audito, mox se cuncti præparare ad mortem moris habebant, quasi iamiam reddituri rationem de villicatione. Super quem nam que mortis iaculum caderet, dum omnes ignorabant, se ad illud excipiendum cuncti sedulo præparabant. *Anton. Senensis in Chron. Ordin. Prædic.*

X. INVNDATIO IN FRISIA FACTA.

Eodem quoq; anno mare terminos suos in Phrysia trãsiens & procul egrediens, tertã in longitudine circumquaq; occupauit, villas integras deleuit, Ecclesias, domos & castella cum oppidis innumeris subuertit, & plusquã centum millia hominum consumpsit. Sunt qui scribãt, huius diluuii causam fuisse quandam irreuerentiã venerabili sacramento Dominici corporis, à quodam homine temulento factam, quod hostias de pyxide in manu Sacerdotis pugno in terram deiecisset, & propterea in se Diuinam vltionem prouocasset. *Chro. Hirsaug.*

Per id tẽporis Honorius Pontifex, Episcopo Bononiensi misso rescripto, omnes hæreticos, & quoscumq; violatores Ecclesiasticæ libertatis anathemate dãnauit, his istis verbis:

XI. HONOR. HÆRETICOS BONONIENSES EXCOMMVNICAT.

Excommunicamus omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunq; nomine censeantur, & fautores, & receptatores, & defensores eorum. Nec non & qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem, nisi eæ de capitulariibus suis intra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ fecerint amoueri. Item excommunicamus statutarios & scriptores statutorum ipsorum, nec nõ Potestates, Consules, Rectores & Consiliarios locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta & consuetudines editæ fuerint vel seruatæ; nec non & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere inducata. Direct. Inq. p. 2.

Illustrauit etiã tunc temporis D. Francisci familiã, B. Bernardus à Quintaualle ex primis sodalibus eius Sancti Assisii;

XII. MIRABILIS CONVERSIO AD ORD. B. BERNARDI À QVINTAVALLE AB EXEMPLO S. FRANCISCI.

Inter primores fama notissimus vrbe
Ciuis erat tota, simul & ditissimus agri,
Consilio grauis, & lingua dictisque disertus:
Audierat vulgi plausus, vocesque sonantes.

Talis vero ac tãtus cum esset, voluit D. Franciscum summa in paupertate ac simplicitate sequi; cũ prius isto experimento Sanctitatẽ eius explorasset. Inuitauerat Sanctũ, vt secum cænaret, atq; suæ domi quiesceret. Venienti Sancto, in eodẽ cubiculo, quo & ipse quiescere solebat, lectum instrui præcepit. Ardebat lampas accensa ibidẽ, quæ quid Franciscus ageret, declararet. Porro Frãciscus astu sanctore instructus, vt hospitẽ falleret, diuinamq; gratiã occulteret, ac si somno prægrauatus, in lectulum se proiecit. Sed tamẽ Bernardum cautum vigilemq; obseruatorem effugere nõ potuit. Namque is somno etiam simulato aspexit Francicum manibus extensis, & oculis vndantibus, ex ardore inflammatissimo illud perpetuo geminantem; *Deus meus, & omnia.* Ab his eius verbis inflammatus Bernardus, damnata priori vita, viuere cum illo deinceps decreuit, totusq; feruore pietatis accensus, ad eius pedes prouolutus, vt se suis discipulis adnumeraret, postulauit. Abnuebat primum Franciscus, at Bernardus interrogauit: Dic quæso Francisce, si Dominus temporalis multa seruo suo concederet ad vsum, is vero non indigeret, quid illi faciendum esset? Cumq; Franciscus respondisset: Domino, à quo proueniunt, reddenda esse; ergo, inquit Bernardus, tẽporalia, quę mihi Dominus concessit, illi restituã? Cui Franciscus: arduum esse, quod per contraretur, respondit explorandum esse Diuinum consiliũ, affirmauit. Mox ad Ecclesiam hominem duxit, sacrificium incruẽtum in coram eo offerri iussit, & oratione præmissa, quid diuina voluntas de eo decerneret, aperto semel, secundo, & tertio Euangeliorum libro inquisiuit: cum prius homini dixisset: *Bernarde, ardua res est, propria relinquere, quæ tenerrime diligimus: & præ quibus, & Deum non esse existimamus, & nostrã salutem pessumdamus.* Mirum est, quod euenit. Toties enim libro Euangelii aperto, nihil aliud repererunt, quã vt Bernard. mundo valediceret, & paupertatẽ amplecteretur. Primum est istud, quod occurrit: *Si vis perfectus esse, vade, vẽde quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Iterum aperto libro, non casu, sed diuino consilio, sese obiecit illud: *Nihil tuleritis in via; neque virgam, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Tertium deinde legerunt, non absimile istud; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me.* Ex his omnibus Bernardus voluntatem Diuinam perfectam habens, omnia diuendidit, pauperibus erogauit, atq; paupertatis cõditorem Christum, cum paupertatis amatore Frãcisco, secutus est. Cæterum ab ea D. Francisci sequela, maximos in omnibus virtutibus fecit progressus. Nemo illo contemptus sæculi, abnegationis suiipsius, ac mortificãdi corporis studiosior. In cõtemplatione tantæ fuit præstãriæ, vt toris quindecim annis, sine præiudicio actuum obedientiæ, semper mente & facie erecta cœlum suspiceret, à cuius oculis velut à duabus lucidissimis stellis miri splendoris radii promicãtes cernebãtur.

III. a hist. Albig.

b anno 2. Idib. Ianuar.

c 3. Cal. Ian.

d 5. Cal. Ian.

XIII. CONVERSIO D. PETRI CATANEI ET SANCTITAS.

Morituro quoq; maximum in modum facies resplenduit, indiciumq; dedit gloriæ, qua in cœlis post obitū perfruitur.

Par Bernardo fuit, ei coæqualis B. Petrus Cataneus Assisias à D. Francisco in sodalitatem Minorum coöptatus. Perpetuum illi bellum fuit cum vitiis, cū illud cuiusdam Sancti quotidie in ore haberet: *Non magis decere dæmonem visibilem stare in monasterio, quam invisibilem.* Quamobrem nihil magis conatus est, quam vt laboribus, vigiliis, arque ieiuniis hostem domesticum opprimeret, carnemque spiritui subigaret. In ea animi contentione cum plurimos annos exantlasset, tandem Assisii ad æternitatis coronam euolauit.

XIV. ITEM B. MORICI.

Proximus istis B. Moricus, ab hac occasione D. Francisci institutum complexus. Extrema ægritudine laborans, internuncios miserat, qui ei à D. Francisco opem implorarent. Audiuit Franciscus, & micas aliquot panis, oleo lampadis ante imaginē Deiparæ ardē is delibutas decumbenti misit. Hic porro magna cū auiditate degustauit, & sanitate recuperata, ingenti ardore à Francisco habitū Ordinis flagitauit. Quo mox indutus, loricā ferreā nudæ carni imposuit, adeoque per mortificationem carnis & sensuū in vita spirituali profecit, vt meruerit inter primos D. Fracisci sodales recēseri, inq; eiusdē B. Francisci fronte magnū signum Thau contemplari, ab Angelo impressum. Obiit in ciuitate Vrbeuetana miraculis illustris. *Pet. Rodolph. Thoßinia Hist. Franc. l. 1.*

XV. SANCTITAS ET MIRACVLA S. FRANCHÆ ABBATISSÆ EIVSQVE MORS.

Placentiæ in Æmilia, hoc anno fatis concessit S. Francha virgo & Abbatissa. Ea ex Vidalra nobili familia nata, cū vix septimum ætatis annum attigisset, à parentibus obtinuit, vt sibi inter sacras virgines vitam ducere liceret. In cœnobium S. Syrii Ord. S. Benedicti ingressa, nitos vitæ spiritualis in ieiuniis, orationibus, vigiliis, in perferendis iniuriis progressus facere cæpit; cuius sanctitatem Deus miraculo comprobauit. Nam cum sacrum capiti eius velamen imponeret Episcopus, Angelus alio eiusdem caput tegere visus est. Mortuæ Abbatissæ, licet inuita subrogata, munus iniunctum diligentissime expleuit. Carentiæ virgini nobili Placentinæ locupleti, inter moniales referri cupienti, vt nouum virginum monasterium extrueret, suasit. Fuit Franchia in oratione frequens, & sæpe pernoctans. Huic aliquando clausum oratorii, noctu vltro apertum est. Multas à monialibus molestias, & à Diabolo tentationes perpessa, omnes patientia & oratione superauit. Cum pro cognato defuncto, quem vnice diligebat, aliquando feruentius oraret, is illi visus se damnatum dixit. Ferunt duo vini dolia exsiccata, illa præcipiente vinum hautire, pleaa diuinitus esse reperta. Deniq; multis meritis cumulata, sacro sumpto viatico, 7. Cal. Mart. in Domino quieuit. Corpus ibidem sepulrum, hodie in sacra ede suo nomine dicata asseruatur. Post obitum pluribus cotuscauit miraculis. Nam Mediolanensi cuidam fœminæ ad eius tumulum oranti, lumen oculorum redditum est. Aliquis latro inter furandum captus, pœnitens, illos S. Abbatissæ intercessione recuperauit. Plures & à Dæmonibus obsessi, & variis morbis laborantes, liberati sunt: vt eius habent Acta. *Ex Annalib. Eccles. Placentinus.*

XVI. *Cæsl. 9. c. 14.* MIRACVLA CIRCA S. HOSTIAM DELAPSAM.

Circa ea tempora, ingens miraculum in Germania accidit, in hostia consecrata. Plebanus S. Columbæ in Colonia, cum in quadam solemnitate Paschali populum communicaret, hostia de manu eius lapsa cecidit super pauimentum lateribus stratum. Vt autem Dominus se ostenderet Dominum: terræ, sicut & maris, mox vt hostia quantum ad speciē modici ponderis lapidem tetigit, lateris illius duritia cessit: ita vt circulus, & literæ in illo apparerent, quemadmodum fieri solet, cū molli ceræ sigillum imprimitur. Sacerdos exterritus, mox hostiā eleuauit, & lateré eruit; in quo cum tā ipse quam multi alii tantum miraculum vidissent, & expauissent, consilii inops Sacerdos, locum tam mirabiliter hostia signatum derasit, & puluerem inter reliquias reposuit.

XVII. ITEM CIRCA SANGVINEM CONSECRATVM.

Istud quoque non minus est mirandum, quod eadem tempestate contigit.

Sacerdos quidam in diæcesi Colonienſi vna die Missam celebrans, iusto Dei iudicio calicem cum sanguine in canone fudit super corporale, quod statim humani cruoris cepit formam. Cum q; dicta Missa Sacerdos nimis mœrens super calicem illud crebrius lauisset, rubeum colorem abluere nō potuit. Tunc amplius territus, orationes omnibus suis pœnianis instituit, corporale lauit, sed non profecit. Quo viso, tollens secum sacrum linteum, Rodulphum Scholasticum Colonienſem, virum magni nominis accersiuit, casum exposuit, corporale ostendit, & quod nullo liquore color ille sanguineus ablui, nullaque arte, siue ratione posset deleri, contestatus est. Cui ille, sicut vir prudens respondit: Est ne aliquis in paræcia vestra, qui dubiter de hoc Sacramēto? Respondit Sacerdos; Est quædam inclusa, quæ frequenter addubitat, at ille: Ostendite illi. Forte idcirco Deus vestigia sanguinis in hoc corporali deleri nō sinit, vt illis cōspectis, ipsa in fide roborētur. Istud cū factū fuisset, mulier expauit & credidit, & Deus pristinū colorem in lineo reformauit.

Istud quod subiungo, est tremendum, factum est tamen, eadem tempestate: dignissimum quod legatur.

XVIII. *Cæsl. 9. ca. 38.* ADMIRABILE IVSTITIÆ PRINCIPVM EXEMPLVM.

Erkenbaldus de Burban vir nobilis erat & potens, & tātus amator iustitiæ, vt nullā in iudiciis respiceret personam. Hic cum grauiter infirmaretur, lectoq; decumberet, in proxima camera tumultum, clamoresque fœmineos audiuit. Cumq; de causa scisciteretur, nullus ei circumstātium veritatem dicere præsumpsit. Tunc mittens vnum de pueris, ait: Præcipio tibi sub interminatione oculorū tuorum, vt dicas mihi meam veritatem. Cui ille pauens respondit: Domine, Domicellus meus, filius sororis vestræ fœminam vi opprimere voluit: & hæc fuit causa tanti clamoris. Adquod verbum valde commotus dixit militibus: Ite, & suspendite illum. Milites obedientiam simulantes, post quā egressi sunt, dixerunt ad inuicē: Si occiderimus iuuenē hunc nobilem, & Dominus noster, sicut opinabile est, mortuus fuerit: vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen iuueni intimantes, & vt præsentiæ auunculi se subtraheret cōmonentes, post horas aliquas ad Dominum suum ingressi, se eius implesse mandatū affirmauerunt. Quinto vero die, iuuenis æstimans auunculū suum de culpa esse placatū, vel immemorē, aperto ostio introspexit, quem vt infirmus cōspexit, verbis blādis, inxta se sedere præcepit, vno vero brachio collū eius stringens, & manu altera cultellū suum clam extrahens gutturi eius infixit, & occidit, qui cum planctu & dolore multorū clarus, toti Prouinciæ horrorē incussit. Sed & Erkenbaldo addicus est dolor dolori, adeo vt inualescēte infirmitate, pro Episcopo miserit, petens sacrum sibi corpus deferri. Hic cum veniſſet, ille cum multis lachrymis & contritione cordis, omnia peccata sua confessus est, tacita tamē adolescentis interfectione. Super quo Episcopus iratus respondit: Quare parricidiū fabricetis, quod in cognatum vestrum commisistis? Dicente illo, Fuit ne hoc peccatum? Er ipse: Etiam crudele nimis. Tum æger: Ego neq; peccatum iudico, neq; à Deo mihi remitti deposco. Respondēte Episcopo: Ego vobis corpus Christi non tradam, nisi idē parricidiū confiteamini. Subiunxit vir nobilis: Sciatis Domine, me illum non occidisse ex aliquo rancore, siue motu iræ, sed solum modo ex Dei timore, zeloque iustitiæ. Nunquam aliquis filium sororis suæ plus diligere potuit; quam ego illum dilexi. Si mihi corpus Domini me negaueritis, ego illi corpus & animam meam committo. Hæc autem dixit & egit propter exemplum, ne iustitiæ & iudicio derogare videretur. Vixit autē Pontifex limē domus egressus fuerat, cum ægrotus reuocauit eum dicens: Reuertimini Domine Episcope, reuertimini, & videte si in pyxide habeatis corpus Christi. Quod cum fecisset, nec aliquid in ea reperisset, subiunxit ille: Ecce quem mihi negastis, ipse se mihi non negauit, apparuitque hostia in ore eius, & impletum est in eo quod per sapientem dictum est: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem his; qui fidem habent in illum.* Episcopus autem pauens, tantum miraculum vbique diuulgauit.

Eodem anno, *a* Otto quartus à Friderico electo Imperatore aliquot prælijs superatus, & ab omnibus plane derelictus, inglorio fine occubuit: *b* Res autem Constantinopolitanas, Petro interim in ergastulum à Græcis conjecto Ioanna vxor toto biennio administrauit, donec Robertus filius ex Gallis adueniret.

a Vesperg. in Chron.
b Blondus.

XIX. *Sigonius lib. 16. de Regno Italiæ.* DE MORTE

Quod mortem Ottonis attinet. Is V. Cal. Maii nulla re gesta insigni, & propria erga Ecclesiā impietate infamis vita cessit. De huius morte atq; pœnitentia quod apud neminem veterē comperi, sic Albertus Cranzius homo Germanus

OTTONIS ET PÆNITENTIA AC SALVATIONE PRÆCLARA.

nus scriptum reliquit: *Otto Imperator, cum magnis diu laboribus per annos pene viginti in Regno & Imperio laborasset, nihil adeo sensit infortunatum, quam Ecclesiæ rebellionē. Vnde factum est, vt nunquam postea felix successibus esset. Cum autem morbo laboraret, qui vitam illi abstulit, nimium facti pœnitens, & ineffabili contritione compunctus, in arce Hartesburg manſitabat, & à Sifrido Hildesemensi Episcopo absolutus in pace quieuit, quam absolutionem Honorius Papa confirmauit. Tanta autem fuisse fertur morituri pœnitudo, vt coquinarius suis præciperet collum suum calcaneis premere, & vilissimam Dei creaturam omnino se reputare.*

Ottone Imperatore hoc anno fatis functo, quemadmodum *Thomas Cantipratanus*, cuius verba refero, *lib. 2. c. 53.* narrabat, quædam cognata eius in monasterio virginum præerat, quæ zelo castimoniæ circa subditas mirum in modum feruebat. Obseruans ergo die quadam fenestram locutorii, summo mane, quendam leuiter pulsantem audiuit. Qua aperta, ecce Imperator apparens materteræ dixit: Defunctus ego sum, & in purgatorio pœnis excrucior. Dirigas ergo nuncios ad diuersa & deuota cœnobia, & decies mille psalteria pro me legi facias: ita vt ad singulos psalmos decem ictuum disciplina, & ad vnum quemq; versum, salutatio Angelica Aue Maria, ac oratio Dominica addatur. Psalmus vero, de profundis, quando disciplina accipitur, dicatur. Talibus remediis post mortem, viuens merui liberari. Et sciendum, quod idem Otto Imperator anno præcedente ante mortem suam, infinitam annonam tempore famis diuersis monasteriis & pauperibus diuiserat larga manu. Neque mora, missis nuntiis, vt præcepit materteræ negotium illius ab omnibus summa cum deuotione susceptum est & perfectum. Apparens ergo dictæ materteræ, ad eandem fenestram in aurora, tanta claritate circumdatus est, vt illa nullo modo posset aspirare: Sed audiuit: Gratias reddo tibi, pro me misericordissimo Domino gratias age, quia iam à pœnis ereptus ad gloriam transeo sempiternam. Nec miteris Lector (monebat Cantipratanus) quia ab illis audiui, qui diutino eius languori interfuerunt, & morti, quod omni die sacerdotib. Christi dorsum suum tradidit flagellandum: illiusque contritio tanta fuit, vt Conradus Hildesemensis Episcopus testaretur, vix se posse credere, vt Otho Imperator, post tantam contritionis pœnitentiam, vel ad horam post mortem purgatorium sustineret. *Hæc Cantipratanus memorabat.*

XX. BLASPHEMVS SACERDOS IN D. BERTINVM PVNITVR.

Hocanno quidam sacerdos Belga in Rubrock, dum latrunculis ludens D. Bertino malam imprecaretur pestem, accepto diuinitus colapho concidit, triduumq; semianimis iacuit. *Annal. Fland. lib. 8.*

IESV CHRISTI
Annus 1219.
HONORII PAPÆ III. ANNVS 3.

I. a *Lib. epist. anni tertii pag. 57. 58. 59. 96. 112. 114.* FRIDERICVS SECVNDVS PACTIS SEDI APOSTOLICÆ FACTIS STAT ET IN SYRIAM AD CRVCESIGNATOS ABITVM PARAT.

OTtone è viuis sublato Fridericus II. olim Imperator electus, non sibi amplius procrastinandum decreuit, vt diadema Imperii à Romano Pontifice obtineret. Res ipsa postulabat, vt antequam itineri se se accingeret, pacta cum Apostolica sede olim inita, iuramento & diplomate dato stabiliret. Hagnoniæ tunc agebat: *a* cum ex formula olim apud Egram anno salutis 1213. data sacramento se illigauit, & priuilegium eiusdem tenoris, cuius est illud apud Egram Anno 1213. datum, Romanæ Ecclesiæ roborauit, per manus Henrici Regalis Aulæ Protonotarii. In pactis erat, vt Fridericus maioribus quibus posset copiis collectis in subsidiū Terræ sanctæ properarer. Eum itaque, atq; vniuersos Crucesignatos Principes & populos Honorius Pōtifex fidei obligatę admouit. Duo causabatur, ne tā cito q̄ Pōtifex & rei necessitas postulabat, celeraret. Hēricus Comes Brunsuuicensis & Dux Saxoniæ, coronam, lanceam, & alia imperii insignia detinuerat, ne Frider. ex more vetusto inaugurareturr. Itaque suo iure Honorium postulabat, vt ad ea imperialia ornamenta restituenda Henricum compelleret. Misit ea de re Honorius Priorem S. Mariæ nouæ in vrbe nuncium, qui Henricum ad restitutionem induceret, siue etiam censuris Ecclesiasticis compelleret. Commisit insuper Halberstatensi & Hildesemensi Episcopis, qui à sacrorum communione præcisum publice renunciarent, atque Prouinciis ac terris illius sacramentorum vsum interdicerent. Aliquis Honorio insinuauerat, Fridericum cum Romana Ecclesia agere non ex bona fide, scil. quasi is Henrico filio Regnum Romanorum contra pacta deferret, bona & terras Ecclesiasticī in Sicilia iuris alienaret, electionesq; Ecclesiarum præpostere siue inuerteret, siue vsurparet. Quamobrem cum certo certius sciret Pontificem hæc omnia ægre ferre, Nuncios ad sedem Apostolicam destinauit, qui innocentiam suam ostenderent, & criminationes diluerent. Porro cum is expeditionem in terram sanctam differret, *b* Germania maximis viribus in id bellū incubuit. Treuiros, Argippinenſesq; omnia publicè pollicitos præstantesq;, cæteræ Ciuitates Germaniæ, iniecta æmulatione secutæ sunt. Affuit & Anglica classis. Ex Francia tres Pontifices, Parisiorum, Heduorum, Lexouiorum egregiam iuuentutem cōpararant. Ioannes Brennus Rex non contemnēdas copias eduxit. Nihil antiquius visum, quam Damiatam seu Æliopolim Ægypti Nilo imminentem oppugnare. Summa belli Ioanni Brenno cōmissa, quod & peritissimus Dux, & Rex Hierosolymorū creatus esset, eiusq; virtutiac nomini deberi iudicio procerum videretur, quicquid hoc bello de Barbaris reciperetur. Pelagio Ostiensi Episcopo Cardinali, quem ad id bellum Pont. Max. in locum Ioannis Columnæ legarat, sua nominis sanctitas seruata. Iam nouæ quoq; copiæ ex Italia aduenerant, nouusq; commeatus, Mediolanensis Regiensis, Fauentini, Brixiensis Pontificū ductu. Namq; *c* Honorius litteris Damiatam obsidentiū Crucesignatorū interpellatus, vniuersos Christi fideles ad succurrendū illis data encyclica monuerat, & maxima adiumenta submiserat. Capta est inprimis Lateritia turris, quæ ostiū Nili custodiens, Crucesignatos aditu vlteriore excludebat. Ingēs vis cōmeatus inuecta, ingētes diuitiæ partæ, vt Persis, Arabia, India spoliata videretur. Restabat Damiata vrbs munitissima. Tentata è vestigio est, si recenti terrore amissæ turris, ac prope vestibuli vrbis, expugnari posset. Scalis, machinis, tormentis adorti, re infecta discessere, multis vulneribus acceptis. Castra tū etiam in expugnato vico locarūt, & inter vrbē obsessam Sultaniq; castra præsidia disposuere, ne commeatus auxiliaq; intromitterentur. Hostes & exteriores irrumpere, & interiores erumpere conati magna suorū cæde vtrinque repulsi. Iam iusta obsidione clausa erat vrbs, assidebantq;, Crucesignati. Dum trahitur tempus, Etesiis aduersissimis ventis vehementius flantibus, exortaq; etiam præter locorū genium & cœli & maris squissima tempestate, vsq; adeo Nilus intumuit, vt qua tetēderant Crucesignati, ripas supergressus, omnia operiret, cōmeatumq; corrumperet. Id non rersū natura, fluminisve vi (quod suo quidē ac stato, sed non eo anni tempore inflari consueuisset) sed ira numinis factum rati nostri, ad obsecrationes, ieiuniumq; in triduū à Legato indictum versi, quarto die mitescente cœlo, marique exsæuiente ac cogēte se intra ripas flumine, vt initium, ita finem metus Deo Optimo Maxim. acceptum retulere. Vices temporum in contrarium eo anno verterāt, alieno tēpore creuerat Nilus: alieno remiserat: quo vno flumine fœlicitas vbertasq; soli constat. Frumenta igitur angustissimè prouenerant, coactusq; est Sultanus Ægyptius exercitum partim dimittere, partim in superiorem Ægyptum, Regiamq; vrbem reducere, simul velut in extremo superstitionis Mahumeticæ communiq; periculo, Coardinus idem Damasci & Hierosolymorum Sultanus, per Oratores conditiones sibi Ægyptioque pacis petebat. Pollicebatur inprimis se sacrosanctam Crucem, & quicquid de Christianis in Syria Phœniceque ipse, paterve, aut Saladinus cepisset, redditurum. Franci, Angli, Itali, leges comprobabant, capta fuisse hæc arma, vt quod in Syria summorum Ducum virtute partum esset, id sibi ereptum recuperaretur, eluerenturque ignominia. His restitutis, nullam subesse causam belli, quin victores decore diuino humanoque pleni domum reuertantur. Pelagius Legatus hanc pacem aspernabatur: bellum pro religione aduersus impios Mahumeticamque superstitionem susceptum, cuius sedes arxq; sit Ægyptus: eam perdomandam, sanandamque, Legatus authoritate ac sanctitate nominis obtinuit, vt Damasceni Oratores pace infecta dimitterentur. Coradinus Hierosolyma muris discinxit, pauloque magnificentiora ædificia & mo-

b *Æmil. in Philippo 11.* ADMIRABILIS BELLI APPARATVS CRVCESIGNATORVM.

c *An 3. ep. 38. & 136.*

numenta diruit, præter turrim Dauidis. Sacro etiam sepulchro pepercit. Ad Damiatam pestilentia populari Crucesignatos cœpit: pœnitebatq; Duces se potius voluntati Legati paruisse hominis togari, quam suis consiliis obtemperasse, qui rerum militarium peritissimi, vicissitudines rerum experiendo didicerant, offerentis se fortunæ beneficio præsenti vtendum, maiorũ rerum auiditate, persæpe quod iam teneretur, è manibus elapsum, nulla deinde virtute repeti posse. Propterea Pelagius male audire cœpit, qui inte cesserit, ne pax barbaris tanta exacta mercede daretur.

Iacob Tosius lib. 8. hist. milit. Hierosolymitanorum. GERMANI COLONIENS. MON. CÆLESTI SIGNO EO TRAHVNTVR.

Ferunt, *a* ad hoc sacrum bellum Theutonas à signis cœlestibus præcipue excitatos fuisse. Namq; antequam Crucesignarētur, in Diœcesi Monasteriensis & Prouinciæ Coloniensis Pago Ledon, feria sexta, quæ solennitatē Paschalem antecedit, dum quidam Prædicatorum cōcionaretur, tres Cruces in aere cælitus expressæ apparuerunt, candida vna versus septentriones, altera par huic ad Austrum, tertia in medio earum rubeo colore flammescens, imagine Christi affixi præsignis. Exinde tantus ardor animorum in populis vt ad vocem Concionatorum nomina in album Crucesignatorum darent, & alacres ad tam piam militiam proficiscerentur.

II. VICTORIA CRVCESIGNATORVM DE 4. REGIBVS MAVRIS. ALCAZAR CASTRVM.

Lusitaniam fortè præternauigantes, audierunt Alcazar castrum maximo præsidio à Mauris teneri. Cupidi victoriæ atque gloriæ, obsidione cinxerunt, sed mox impares viribus Hosti remanserunt. Nam Reges Maurorũ quatuor, Hispalensis, Cordubensis, Geensis & Baldacuzius ingentibus copiis ad iuuandos obsessos aduolarant. Ibi Crucesignati primum trepidare, deinde spe in Deum niti & fidere, & audere ausi in prælium descenderunt, & trophæa diuinitus retulerunt. Nam sub initium conflictus, primo templariorum & Sancti Ioannis Hierosolymitanorum militum non exigua manus, ex insperato illis in subsidium venit: deinde clarissimo die Crux in aere apparens vtrique exercitui se obiecit Maurosque exterruit: visa deinde in eodem aere multitudo candida armatorum militum, sagittarum imbrem in Saracenos stillare: à quarum copia innumerabili hostes fugientes, Crucesignatis victoriam cōcesserunt. In illo prælio duo Reges Mauri occubuere, Cordubensis, & Geensis: reliqua multitudo in fugam versa, cæsaque est. Sancius Rex Nauarræ, contra eosdem Sarracenos non segniter dimicauit. Cui vt Honorius parem meritis gratiam referret, illum & Regnum ipsius in protectionem sedis Apostolicæ recepit, datis litteris apud S. Petrum. XV. Calendas Iun. Pontificatus anno III. Iacobus Rex Aragonum, fortè inter Reges Christianos & Saracenos intercedebat: vt armis depositis pacem componerent. Is porro, quod Iudæis non Christianis ad Mauros internunciis vteretur, meruit ab Honorio Pontifice reprehendi: quin etiam comminatione seuerioris censuræ deterreri: quamquam illum in clientelam Romanæ Ecclesiæ Honorius suscepisset, & Montispessulani atque aliarum possessionum ius hæreditarium illi approbasset, dato diplomate apud Sanctum Petrum, altero quidem octauo, altero sexto Idus Maii.

III. b *Pontif. anno 3. ep. 21. & 1.* ALBIENSES ET TOLOSANVS AB SIMONIS FILIO ET LVDOVICO PRINCIPE VINCVNTVR.

In Galliis, Simoni Comiti Montfortio Simon Aimericus filius successit, non impar virtute atq; pietate, Is contra Raymundum perduellem Tolosanum Comitem non tam propter bona de hæreticis à patre capta, & sibi *b* ab Honorio Pontifice hoc anno collata confirmataque: quam propter fidei ab hostibus violatæ defensionē, vindicansq; blasphemiarum depugnās, plurimis victoriis vna cum Ludou. Princ. auctus est: assistente sedis Apostol. Legato Conrad. Episc. Portuensi tit. S. Rufinæ Card. Huic enim vt omnes Crucesignati morem gererent, Honor. imperarat. Postulabat eius belli causa Philip. Rex ab Honorio, vicesimā partem redditũm, quam pro subsidio Terræ sanctæ Pontifex Max. omnib. Ecclesiis imposuerat, tamen præter medietatem eleemosynarum, quæ truncis in templis prostantibus, ab vniuersis Christi fidelibus pia largitione imponebātur, obtinuit nihil. Concessit etiam Honorius omnibus contra Albienses Crucesignatis, & reliquis operam vel opem aliquam præstantibus, parem indulgentiam, quam indulsit pro subsidio terræ sanctæ. Recepit insuper in patrocinium suum & Apostolicæ sedis Regem Philippum: eique iniunxit, vt vel saltem in quinq; annos proximè sequentes, cum Henrico Rege Anglo nouas inducias belli interponeret: ne ab eorum dissidiis, impedimentum euidens emergeret, promouendi bellum contra Saracenos atque Nouatores. Obsecutus est Philippus Honorio *c* monenti: & Londinum missis nunciis, in quatuor annos pacem cum Anglo constituit, atque vterque arma deposuit, postulatumq; ad Pōtificem misit, qui conuentiones factas confirmaret. Ita rebus compositis, Philip. in id totus incubuit, vt Hæreticorum colluuiem extirparet.

c Anno 3. Cal. Aprilis.

IV. EPISCOPVS RATISPONENSIS IVSSV HONORII OTTOCARVM EPISCOPVM PRAGENSEM COMPRIMIT.

Eodem anno Honorius Episcopo Ratispo. iniunxit, vt controuersiam inter Ottocarum Boemiæ Regem & Andræam Pragēsem Antistitem cognosceret, componeretq;. Quod cum commissarius ille præstitisset, misit Ottocarus in vrbem nunciũ Abbatem quendam, qui à Maximo Pontifice confirmationem transactorum obtineret, & vt Andræam ab vrbe in Episcopatum redire Pontifex iuberet: adiuncto ei quopiam Prelato, qui coram inspiceret, an Rex ipsum iniuria afficeret.

V. DANVM HONORIVS AB GENTES DEBELLANDAS HORTATVR.

Ipso eodem anno Honorius Valdemarum Regem Danorum ad Gentiles circumuicinos armis reprimendos excitauit. Cui operi vt tanto alacrius incumberet, potestatem ei fecit, vt si quæ bona vel possessiones de paganis reciperet, suo Regno vniret. Porro ne quis de ea concessione dubitaret, in eam rem diploma ei scripsit Laterani VII. Idus Octob.

VI. d *Crom. li. 7* VINCENTIVS EPISCOPATV SE CRACOVIENSI ABDICAT.

In Polonia, per id temporis, *d* Vincentius cognomento Caulubeus Cracouiensis Episcopus, cum Basilicæ Cracouiensi, cuius suppellex vniuersa, tacto de cœlo Ærario conflagrarat, multa contulisset, decimasq; nonnullas collegio eiusdem Basilicæ in distributiones quotidianas, & in lucernam quæ perpetuo in templo arderet addixisset, Episcopatu se abdicauit ne quicquam aduersante Principe ac dissuadēte collegio sacerdotum, & in monasterio Andreiouiensi reliquos quinque vitæ annos religiose exegit, cum decem annis Episcopatum gessisset. Huius Vincētii successor Iuo Sauli filius gente Odrouansius, & Regni Poloniæ Cancellarius, Romam hoc anno pro negotiis Ecclesiæ suæ venit, indidemq; D. Dominicum Ordinis Prædicatorum conditorem magna admiranda que argentem offendit. Nam is è Tolosa redierat, vt in vrbe omnium Principe instituti sui aliquod cœnobium collocaret. Præstat orationem vitæ & actionem illius per hæc tempora, paucis perstringere.

VII. e *Scrip. vitæ S. Dominici.* VITA ET MIRACVLA D. DOMINICI ROMÆ AGENTIS.

Veste *e* nonnisi vnica, eaque rudi amiciebatur, cilicium, & sub eo super nudam carnem ferream gestabat catenam: carnes neq; æger degustabat: ieiuniis feriæ sextæ & vigiliarum solo pane & aqua victitabat: à festo exaltationis S. Crucis perpetuum ad festa Paschalia ieiunium ieiunabat: dies noctesq; in cultu Diuino cum reliquis perseuerabat: Silendi propositum nonnisi cum Deo aut de Deo loquens violabat: singulis diebus sacra cum multo lachrymarum imbre offerebat: quod supererat tēporis aut Concionibus faciendis, aut Confessionibus excipiendis, aut infirmis visitandis recreandisque impendebat: Singulis noctibus triplici catena ter se asperrime vsq; ad sanguinis effusionem verberabat, semel pro defunctis, iterum pro viuis, tertio, quāquam innocentissimus esset, pro suis delictis: Fessa sopore membra, non in molli lecto, sed vel super nuda humo, vel super storea viminea vel super altaris crepidine reclinabat, & hac duritie cubationis somnum obrepentem effugabat: In oratione vno à terra, vel duobus etiam quandoque cubitis per miraculum attollebatur. Romæ primum apud S. Sixti domicilium obtinuit: ad quod Cœnobium quasdam moniales hactenus luxu apud S. Mariam trans Tyberinam solutas traduxit, & religiosè, casteq; viuere edocuit: translata vna cum eis icona D. Deiparentis, quam fama est, D. Lucam depinxisse, & aliquoties alibi locorum translatam ad priorem locum miraculosè siue rediisse, siue ab Angelis relatam fuisse: donec in Ecclesia S. Sixti collocaretur.

VIII. MORTVOS SVSCITAT.

Contigit tunc vt ad D. Dominicum in Ecclesia D. Marci concionantem, matrona quædam cui nomen Guttadona, audiendum, relicto domi ægro filiolo accesserit. Domum reuersa extinctum reperit, D. Dominicum adiit, cadauer exangue attulit, suam orbitatem plorauit, vtq; miseræ succurreret postulauit. Orauit ille flexo genu, & ab oratione exurgens, puerum emortuum manu eleuauit, animam reuocauit, & viuum atq; incolumem matri restituit. Aliquem etiam fabrum muratium ruina oppressum, extin-

ctum

ctumque, à mortuis suscitauit. Huic quod narrabo tres interfuere Cardinales: Nicolaus Episcopus Cardinalis Tusculanus: Hugolinus Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus, & Stephanus de Fossa Noua Basilicæ 12. Apostolorum Presbyter Cardinalis, cum istius postremi nepos ex fratre Neapoleon, equo decussus & ex graui membrorũ allisione vita functus, ad S. Sixti cœnobium delatus est. Disserebat tunc Dominicus cum illis Cardinalibus, qua ratione sanctimoniales illas recens in Cœnobiũ collectas, meliotibus institutis informaret: cum in oculos eorum, cadauer misere deformatum illatum est. Ibi Patruus Neapoleonis Stephanus fere semimortuus decidēs, cōmiserationem reliquis in tātum mouit, vt certatim Dominicum orarint, qui vellet mœrentē consolari, & occisum redanimare. Audere, præsumptionis: non audere, crudelitatis & diffidentiæ esse putauit. Ausus tñ est magna tētare, & sacrificio ex more oblato, ad cadauer accessit, illudq; & viuere, & surgere, præcepit. Ferunt, dũ sacris operaretur, plus minus duobus cubitis elatũ fuisse Dominicũ à terra, antequam exanimē suscitaret. Interfuere huic miraculo Iuo Cracouiensis, & Andreas Pragensis Antistites: & ambo admiratione atq; amore correpti, à D. Domin. flagitabāt, qui vellet aliquos sui instituti sodales Ecclesiis illorum concedere. Cum Dominicus nullos haberet, qui idioma gentis callerent, quatuor ex comitatu eorum pio desiderio inflāmati, habitũ S. religionis induēre.

EX ORDINE D. DOMINICI SANCTI POLONI. S. HYACINTHVS. S. CESLAVS. S. HENRICVS. S. HERMANNVS.

Primus eorum Hyacinthus Odrouansius Canonicus Cracouiensis, is qui S. Dominicum vitæ innocentia, & miraculorum gloria æquauit, & in Sanctorũ numerum à Clemēte VIII. nostra ætate adnumeratus est. Nō impar ei frater Germanus, B. Ceslaus Odrouāsius Canonicus Sandomiriensis, admirandorum splendore illustris: Tertius fuit Hēricus Morauus: Quartus vero Hermānus Theuto, vterq; nobilis & propter rerũ præclare gestarum magnitudinem inter Beatos æui sincerioris deputatus. Hos integro anno, salutaribus præceptis imbuens ad eum efformauit modum, vt non tyrones, sed veterani religiosi, sanctimonia vitæ illustres, zeloque ardentissimo amplificandæ tuendæque fidei exæstuantes ab omnibus suspicerentur atque haberentur.

REGINALDVS FIT DOMINICANVS.

Eodem quoq; tempore Aurelianēsis Episcopus Romam venit, habens secum Reginaldum virum doctrina insignem, qui ius Pontificium multo tēpore Parisiis professus, tandem omnia relinquere, & Christum sequi cogitabat. Interim vero dum à D. Dominico in disciplinam recipi postularet, in grauissimum incidit morbum. Sciuit Dominicus, & pro incolumitate periclitantis preces fundens, sanitatem ei impetrauit. Nam Diua Deipara vna cum Diuis Catharina & Cæcilia cælitibus ei apparuit, atq; oculos, nares, labia, manus, renes ac pedes inungens valetudini in momento restituit: insuper & habitum quo in posterum Fratres Prædicatores induerentur demōstrauit: quem ex eo tempore D. Dominicus induit, & aliis vt induerent præscripsit, Reginaldumq; inter discipulos suos accensuit, in religioso Sanctæ Sabinæ Monasterio, quod Honorius III. religioni concesserat, & in quod D. Dominicus relicto Monialibus S. Sixto commigrarat. Narrant, quod cum aliquando in Monasterio Sancti Sixti Concionem in seram noctem Dominicus protraxisset, & ne quicquam retinentibus Virginibus, ad Sanctæ Sabinæ Cœnobium properaret, ostiumque clausum noctu esset: Angelum in specie iuuenis formosi ductorem se illi præbuisse, & clausas ianuas miraculosè aperuisse. Et istud adiungunt, quod oranti aliquando noctu in cubitorio Sanctæ Sabinæ, Diua Deiparens, vna cum Sanctis Cæcilia & Catharina illi apparuerit inenarrabili pulchritudine refulgens, & singulorum cubicula, excepto vnico aspergens, atq; singulos dormientes cœnobitas benedicens Crucis signo. Perquirenti vero quæ esset: Sum illa, ait, quam vos misericordiæ Matrem ac Dei Genitricem vocatis: quæ, quoties Eia ergo aduocata nostra cōcinitis, toties Filio meo vos & vestrum ordinem precibus commendo, vtque illum amplificet & cōseruet oro. Interroganti, cur omnes dempto vno cœlesti rore aspersisset: minus composite iacere illum, respondit. Aliquando etiam raptus in cœlum, cum angeretur cogitatione, an suæ institutionis religiosi in clientela Deiparentis essent, vidit Deiparam pallium aliquantum retegentem, & sub sua vmbra innumerabilē Fratrum suorum multitudinem inumbrantem, in singulos atque vniuersos peculiarem protectionem se habere ostendens isto signo.

IX. IN PROVINCIAS SOCIOS LEGAT.

Per id enim temporis, maiorem inmodum auctus erat numerus Discipulorum D. Dominici, qui pars ab eo, pars à sociis illius Sanctæ religionis iugo sese subdiderant. Paulo enim quā Tolosa excederet, sexdecim numero socios quos allexerat religionis & fidei amplificandæ gratia, in varias orbis Prouincias disperserat. Bononiam Ioannem & Bertrandum Sacerdotes, atque Christianum nomine ex conuersis vnum: in Gallias Manetem fratrem suum, Ioannem Nauareum & Laurentium Anglum: in Hispanias Gometium, Michaelem, Petrum, & Dominicum destinauit, reliquos aliorsum transmisit, & residuos secum duxit.

X. ORANDVM PRO DEFVNCTIS ESSE.

Non est omittendum, quod narrabant de Benedicto Dominici discipulo, Bertrandus ex primis sociis Prouincialis Prior factus eius regionis, quam Prouinciam appellant, frequētius pro viuis, rarius pro defunctis Sacrificiūm offerre. Quæsiuit ex eo Benedictus: quid ita faceret? Quia, inquit, mortuorũ animę, si perpetuis cruciantur pœnis nullam à nobis qui superstites sumus opem expectāt. Sin temporalibus, quia diuina gratia non carēt, inde aliquādo eximētur. Cui Benedictus: Si duo, inquit, sunt medici pari laborantes inopia, sed alter firmis sit viribus & incolumis, alter vero ita cōfectus vt se mouere non possit: cui magis subueniēdum putes? Ei qui se mouere nequeat, respōdit. Tunc Benedictus: Sed animæ quæ purgatorio igne torquētur per similes quidē sunt ægroto illi, qui se mouere non potest, nā nec pedes, nec manus habēt, nec oculos, aut linguam, aut alia, quibus corpora viuentium non carent, nec sibi vllam ipsæ opem afferre queunt, aliena maxime indigent. At superstites, quibus adhuc integrum est pedē referre, & ad rectam viuēdi normam reuerti, sibiq; ipsi multis queunt modis opitulari, & sua opera efficere, vt aliorum quoque iuuentur officio, multo minus aliena ope indigere videntur. Verum cum in sua Bertrandus sententia pertinax esset, nocte quæ secuta est horribile spectaculum quiescenti contigit. Vidit enim plus decies mortuum quendam sepulchrũ ligneum secum trahentem sibique obstrepentem, ac impetum minaci vultu in se facientem, & sepulchrum quod dixi quatientem. Narrauit postea Benedicto quod vidit, & à monitione ipsius frequentius pro mortuis orauit.

XI. PVDICITIA DOMINICI ET PÆNA SCORTI.

Præclarum quoq; est quoddam facinus, quod Dominicus in Hispanias à D. Patre missus ibidem patrauit. Multus fuit in exhortationibus, vt lenones & scorta ex regia pellerentur. Offendit ea res plurimos adeo vehementer, vt Dominico perniciem molirentur. Visum est tentare pudicitiam viri, per submissam meretricem. Venit illa ad seniorē satis ornata & venusta: & oratione composita: Ecquid, ait, te superuacanea continentia discrutias? Experire saltem q̃ volupe est commisceri: en me promptā tuis votis, si annuis. Ibi Pater annuere visus, sed interim in crastinum horā postulare. Rediit illa iam secura corrumpere, & vna cum ea complurimi explorantes quid ageret. Pulsauit, tandem cubiculi portā Dominicus aperuit, intromisit; cæterum igne copioso succenso, in eum velut in lectulum insiliit, & illam impudentem si commisceri secum vellet accersiuit. Infelix mulier tam nouo perculsa spectaculo, vbi nec illum, nec vestes, nec etiam capillos ab igne exuri aspexit, obstupuit, & pene exanimis effecta est. Accurrerunt exploratores, mulieri opem ferre volentes, minime valuerunt. Orarunt interim Patrem, vt fragili sexui misereretur, & moribundam subleuaret. Misertus ille, animam fere in extremis labiis hęrentem, ne infelicem desereret continuit, & illos impudicos castos esse iussit.

XII. *Ferd. Hist. Dominici 1. p. c. 34.* PER ROSARIVM LIBIDINOSVS EMENDATVS VIRTVTE DOMINICI PARISIIS CONCIONANTIS.

Diuo Dominico Parisiis cōcionante, istud admirādum accidit: dignum quod narretur ad laudem Deiparētis Mariæ. Vir quidā summæ potestatis & opum maximarũ in eadē Vrbe cōmorabatur, vitiis omnibus, sed maximè libidini deditus. Hic morbus adeo in hominis animo inueterauerat vt neq; monitis, neq; precibus locum relinqueret. Habebat in matrimonio fœminā sanctitatis laude percelebrē ex Galliæ Regum stirpe generatam. Hæc & ex perdita mariti vita, & ex ipsa pellicum naturali inuidentia, grauem animo capiebat dolorem. Nam Dei offensio ex viri obscænitate dolori erat, & sibi concubinas esse prælatas ægrè admodum tolerabat: quin & ipsa, quod minimè debuit, vltura virum

adulteria

adultera vicissim cogitabat. Huic perturbatissimæ matronæ monstrata per visum inferorũ illa supplicia, quæ ob breuem voluptatẽ æterna libidinosi patiuntur, quia pro mollibus lectis fornaces grauissimis incendiis æstuabant: libidinosisq; horribiles imminebant dracones tam arcto complexu, vt se neque defendere, neque expedire possent: ex draconum oculis, auribus, atque ore flammæ erumpebant teterrimi odoris: ardentis sulphuris venas diceres veneno multiplici immundoque permixtas. Hac tabe purulenta, corpus omne à capite ad pedes perpluebat, & ad viscera vsque fornacis instar ardentia permanabat. Dracones liquefactum æs vndiq; profundebant, ita medicatum, vt perruptis illis partibus, quæ dolorem omnium maximè sentiunt, clamare & vociferari tam intentè cogerentur, vt plangoribus tartara remugirent. Et tamen mori non poterant, cum id maximè cuperent, scilicet desperato fine tormentorum. Locum quoq; viro suo præparatum aspexit, doloris sempiternæq; miseriæ si ita viuere pergeret, subeundis. Soluta somno, coniugis miserebatur, suoq; adhuc Zelotypiæ tabescens cruciatu Diuum Dominicum adiit, pœnæ saltẽ reuelandæ causa, quæ dies noctesq; animum cruciabat. Bonus Pater mulieris hanc ægritudinem sacra Rosarii rosa curauit, quam de manu Virginis accepisset: & salutarium calculorum sodalitio persuaso, animum ab illo mœrore, ad lætitiã iucunditatemq; traduxit, quin & ipse suum Rosarium matronæ dedit, ac post quindecim dies, quos in eo peruolutando positura esset, mariti nocte dormientis, vt capiti supponeret, admonuit. Hoc illa munere accepto domum spe plena reuertitur, ac sacri funiculi globulos omnes, piè ac religiosè, vt erat iussa, precando percurrit, quo euoluto tempore sub quiescentis coniugis puluinari locat, remque totam Deo, eiusque beatissimæ ac beneficentissimæ Matri commendat. Quamprimum nocte Rosarium suppositum est, vir ille primarius contremuisse dicitur, & vim ingẽtem lachrymarum profudisse, inque vxoris manibus & gremio totum se lamentis dedisse, Deum implorasse, suæq; vxoris se precibus commendasse. Consequenti nocte cõsopitum vocat ad iudicium Deus, dæmonum turba circumstante, & innumerabilium flagitiorum, quæ opponebantur, vltionem debitam flagitante. Fuit tanta in dormiente anxietas, vt somno obrutus conflictaretur vehementer, veniamque adulteriorum ab vxore petierit, emendatione repromissa. Nox tertia, subiecto itidem quod ille nesciebat Rosario omnium maximè horribilis fuit. Siquidẽ in somnio tractus ad inferos, pœnas vidit, quibus illic castigatur turpis & obscæna voluptas. Neq; oculis solum, sed cætero etiã corpore doluit, eorumq; tormentorum, quæ in istis sedibus mulierosi perferunt, partem aliquam dormiens viuensq; persensit, & in illis cruciatibus qui corpus iure torquebãt tamdiu perstitit, dum Angelus fautor accurrisset. Hic cũ hominem ex illis tormentis eripuisset, atq; Rosarium, Rosariiq; sodalitatem imperasset, nuncium attulit illa si faceret vitæ melioris. Necesse est, inquit, Rosarii te initiare mysteriis, vt per illius S. Societ. fratres obtineas, quæ minus per te mereris accipere. Vbi è somno euigilauit, magno cum doloris sensu vxori syncerum amorem fidemq; pollicitus coniugalem, promissorum veritatis, atq; constantiæ omnia patefacientem testatus est diem. Daturum se operam, vt morum correctionem mundus spectet vniuersus. Vitæ itaq; nouitatem auspicatus à confessione, Diuo audiente Dominico, & viuendi leges præscribente, in sodalium, vti mandauerat angelus, relatus est numerum: tanta cum firmitate, vt Rosarium nunquam è manibus deponeret. Pugnans cum hoste, domi quietus, in agro, in itinere, cum Rege Regiq; intimis, vbique locorum, Rosarii tenax recitator, laudatorque fuit: atq; eius deuotionẽ maximè in Gallia promouit. Nobilissimæ suę vxori, quoad vixit, integrã fidem conseruauit. Longo demum annorum euoluto spatio, vtrumq; coniugẽ vno tempore mors extinxit, Maria Deiparens, euolantes vtriusq; in cœlum animas deduxit, Parisiensis autem templi primarii vna atq; eadem sepultura corpora contexit.

XIII. *Idem qui supra c. 43.* PETRI VIRI PRINCIPIS CON-

Ferè eod. anno, ne dicam tempore, aliud mirandum Cæsaraugustæ apud Aragonios, à Diuæ Deiparẽtis cultu, memoratur accidisse. Eiusdem D. Dominici, Cæsar Augustæ habitæ conciones, omnium studiis excitatis, ingentes clamores plaususq; commouerant, neq; vlla non de Rosario quod vbique cœlestis ille topiarius serere studebat. Fructus laboris in Principe quodam viro, qui Petrus dicebatur maximè cõstitit: cuius, quo erat vita deformior, eo magis correctio atq; salus enituit. Erat magna Petri nobilitas, nimia ex fortunis opibusq; potentia: sed vtramq; vitæ flagitia dedecorabãt, vt nihil tota in vrbe vllo miserius, id quod euenire necesse est, vbi in generosis copiosisq; hominib. probitas vitæ requiritur, vnde & genus, & diuitiæ clarã lucem mutuantur. Hic D. Domin. præclara facinora ex ore narrãtium admiratus, ita secum tacitus egit. Spem equidem salutis abieci, & diuinæ misericordiæ ianuam aditumque mihi præclusi, vel argilla potius & saxis obturaui. Sed eorũ tamẽ spectator, quamuis otiosus ero, & testis oculatus curiositati satiandæ, quæ de hoc concionatore à tam multis prædicãtur. Itaq; die quodam in templum magno tum clientũ, tum famulorum comitatu, sola nouitate ductus, introiuit. Vidit ex ipso ambone Dominicus miserum Dynastam à tot dæmonibus catenatum pertrahi, quot genera flagitiorum cõmisisset. Fudit interim pro illo preces ab imo pectore, & hominis sui cognati (quod nonnullæ historiæ commemorant) causam ac litem rerum omnium effectori Deo votis ardentissimis commendauit. Tum demum Concionẽ exorsus est, quam nondum inchoarat. In ea animorũ ex mortifera culpa perniciem, stragem, interitum, exitum, & quandam quasi carnificinam, verbis atq; sententiis diuinus ille Orator amplificauit, non quales Rhetorum ludus docet, sed quales in Christi schola docentur. Terruit quidem Dominici vehemens oratio petrã illam silicemq; durissimum, & quasi loco mouit: non tamen emolliuit. Apparebat hominem esse commotum nullo cum sanitatis & vitæ propositio melioris. Itaq; iterum celeberrimis aliis quibusdam feriis in templum Petrus, ad rem sacram audiendam ingressus, Dominicum concionantem offendit Rosario manu prætento, quo tanquam Moysis baculo tot res tamq; mirabiles faciebat, D. Præco minime ignarum auditorem illum interuentoremq; miserrimum, sine ingenti miraculo conuerti non posse: ad Petri introitum exclamauit: Christe, & prædulcis, & præpotens, profice vt auditores mei eius qui modo in ædem tuam pedem intulit miseram cõditionem, animi statum, periculumq; peruideant. Preces chari Dominici Christus accepit, ac multi ex iis qui aderant Deo vim suam ostendente, cacodæmones mille viderunt Petri animam captiuam ferroq; deuinctam pertrahentes. Ingẽs hic ortus est clamor concitatusq; tumultus horribilis, fugientium, vociferantium, perstrepentium, vt ab inuiso immanique monstro sibi quisq; caueat, hortãtium, belluamq; trucem auersantium: imminere omnibus tartarum, quem Petrus circumferret: inq; fuga esse salutem. Ad has vocum incredibiles contentiones, terroresq; multorum, inscius Petrus obstupuit, & ex vno famulorũ tremefacto, cur ipse fugeret, quæsiuit, curq; alii palantes, ac dispersi recederent, & pauerent attoniti, inuestigauit. Ista, inquit famulus, me tua facies, & figura conturbat, quæ non meum mihi herum ac dominum, sed satanam repræsentat. Te Erebus pro suo habet, vincit, rapit, & raptat manus inferna. Hinc fuga popularis, murmur, terror, & cõsternatio plurimorum. Ipsa quoque nobilis vxor exclamat simul, atq; Dei voluntate mariti sui miseriam & tartareos illos vexatores aspexit: ancillæ etiam conspecto dæmonum agmine, gemitus & vlulatus continere non poterant. Trium horarum spatio insolens illa forma, formidolosaq; species templum omne turbauerat, cum Petrus iam sui & compos, & similis ita fari cœpit: In extremã mihi videor redactus esse miseriam, quẽ plebs cũcta, famuli, amiciq; defugiunt: & quod est admirabilius, coniunx ipsa perhorrescit, suiq; mariti cane peius & angue euitat aspectum. Ome perditum, ac plane desperatum, cui vni post hominum memoriam accidit, vt notos, ignotos, propinquos, alienos, domesticos, externos suo aspectu tanquã Cerberus alter vertat in fugam. Tum Dominicus tempestiua oratione pauẽtem populum, & crucis signa iterantem, anhelitumq; trahẽtem, à timore recreauit, & Fratrem Bernardum Comitem suum ad lamentantem, plorãtem, & se fine modo plangentem Petrum cum mandato Rosarioque misit. Hæc erant Bernardo interprete præcepta Dominici. Quacunq; gradiaris, quoq; te vertas, Orcus insequitur, populo id quidem spectante, & te, cuius id scire maxi-

SARAVGVSTANI MIRACVLOSA CONVERSIO PER SANCTVM DOMINICVM.

me in-

me intererat, nesciente. Sed tamen de peccatis tuis omnibus confitere, ac pœnas à teipso q̃ durissimas repete: cape simul hoc Deiparæ Rosarium, & in eius salubri precatione totus occupare: nisi vis, vt te terra dehiscẽs absorbeat. Rosarium Petrus accepit, ac tremebundus ita respondit: Meo nomine, frater optime, renuncia Dominico, hoc eius munus mihi fuisse gratissimum: & quando meas miserias multo me vidit apertius, det operam medicinæ faciendæ: idque à me suppliciter postulari. Inde Rosarium illud coram Dei genitricis imagine recitauit: mox apud eundem Dominicum scelera totius vitæ deposuit. Quibus auditis sanctus Dominicus, Virginem Deiparam ad sententiam in difficili causa rectè ferendam inuocauit, ac de pœnæ imponendæ modo consuluit. Igitur suasu Virginis præter alia, quæ tam publicè propter exempli offensionem, quam priuatim expiandis occultis sceleribus, tum faciẽda, tum patienda pręscripsit: Rosarium toto vitæ spatio recitare iussit. Peccatis absolutum consolatus est, atq; cõfirmauit. In Dei iustitiam & seueritatem, inquit, incurreras: sed Rosarii beneficio in misericordiæ sinu conquiescis. Ergo quo hæc tibi firma stabilisq; possessio, in sodalitium adscribitor, vt aliena merita, tibi egentissimo suffragẽtur. Paruit illico Petrus, negati toties Christi dolore contabescens: galliq; cantu, id est, Dominici voce correctus, seq; ipsa propria manu in sodalitatis tabulas retulit, & catalogo ascripsit sociorum. Deniq; iudicium æquante Deo, qui prius miserrimam Petri seruitutem aspexerant, teterrimaq; spectra timuerant, tribus ornatissimis coronis eiusdem Petri caput cinctum redimitumq; viderunt. Cumq; rosarium, vt erat iussus quotidie offerre, & salutationes veluti flores ex illa amœnitate legere & ore proferre nõ desineret, dignus fuit quẽ Dei Mater indulgentissimè habitum, mortis horæ præmoneret. Animam agenti adfuit cum matre sua Iesus Christus de Deo Deus, cuius & ille tutela protectus, Dæmonis artes irrisit, & ad vitam immortalem ascendit.

XIV. a *Flaminius in vita S. Dominici.* PRÆDICATORES PER ITALIAM EVANGELIZANT.

Per idem temporis Mediolani, Bergomi, & aliis in locis Lombardiæ religio Prædicatorum propagata est. Nouo Comum Insubriæ antequã Fratres venirent, nobilis quædam matrona, quæ decepta Hæreticis adhæserat, lumina quædam de Cœlo descendentia vidit. Profectis postmodum eo Prædicatoribus, hæreticis purgata fraudibus fidei sanctæ lumen admisit. Alia quoq; ea labe infecta per quietem eodem in loco duo vidit vasa, alterum vini, mellis alterum, quæ à quibusdam eius nouis loci incolis misceri videbantur, ac inde potum populo propinari, ac mira qui bibissent alacritate repleri. Quo postquã Prædicatores venere, quid somniũ suum portendisset intelligens hæreticas fraudes agnouit. Alius quidam vita & religione memorabilis, ibidem excitari purissimum fontem vidit, de quo Nouocomenses omnes auidè admodum potare videbantur.

XV. SCHOLARIS BONONIENSIS CONCIONANTIBVS PRÆDICATORIBVS MIRABILI VISIONE CONVERSVS.

Hoc tempore quo Fratribus Prædicatoribus Bononiæ Ecclesia Beati Nicolai donata est, mirũ mirandũ quiddam accidit, ab Humberto auctore grauissimo memoriæ proditum his ipsis verbis. Scholaris quidam bene instructus, sed vanitatibus admodum deditus, tali conuersus est visione, videbat: quasi nimia tempestas inueniret eundem in campo: & dum fugeret ad domum quandam, inuenit eam clausam. Pulsabat, & recipi postulabat. Cui hospita: Ego Iustitia hic habito, & hæc est domus mea. Cæterum quia tu iustus non es, non intrabis in eam. Dolebat ille, & aliã domum accessit, & admitti flagitauit: Sed ei hospita; Ego, inquit, sum veritas, nec te recipio, quia veritas eum non liberat, qui eam non amat. Vidit tertiam mansionem, & intrare concupiuit: Sed audiuit. Pax ego hic sum: Sed non est pax impiis, sed tantum hominibus bonæ voluntatis. Cæterum vtile consilium tibi dabo. Vltra me habitat soror mea, quæ miseris semper auxiliatur. Ad eam accede, eiusque monita cõple, & fecit iussa. Cui misericordia occurrens (hoc enim nomine Domina vocabatur) ait: Si ab imminente tempestate saluari desideras, vade ad S. Nicolaum, vbi Fratres Prædicatores commorantur: & inuenies ibi stabulum pœnitentiæ, & præsepe continentiæ, & pabulum doctrinæ: Asinum simplicitatis, cum boue discretionis: Mariam illuminantem: Iosephum proficientem, & Iesum saluantem. Euigilauit ille, & hæc ruminans, deuotissimè reipsa consilium impleuit. *Theodoricus lib. 3. c. 1. vitæ S. Dominici.*

XVI. PŒNA PVRGATORII PROBATVR.

Mirum admirãdum, hoc anno accidit in Hispania apud Dominicanos Zamorenses. Aliquis Dominicanus cum Minorita amico pactum inierat, vt quis prius moreretur, alteri post mortem appareret, mortuus Minorita post dies aliquot apparuit stipulatori mensas sternenti: seque ignem expiatorium circumgestare affirmauit. Dubitabat ille cum Minorita ad cruciatus sui indicium, manum mensæ ligneæ crassæ admodum impressit, eamq; satis altè combussit. Supersunt adhuc in mensa vestigia manus inustæ, & ad perpetuam rei memoriam clatro ferreo obtectæ. *Fr. Anton. Senen. in Chron. Prædicat.*

XVII. EIVSDEM GENERIS.

Non omnino absimile est, quod eodem anno Henricus Abbas Halberstadiensis vidit referente *Cæsario Dial. lib. 8. c. 7.* Istis verbis.

Is cum visitasset in Claro campo, tempore Quadragesimali, etiam Sorores in Nazareth visitauit. Eadem nocte dictis matutinis, cum se modicum reclinasset, huiusmodi visionem vidit. Videbatur sibi esse in quodam loco parietibus clauso, in quo quidem grauissima suspiria, & gemitus audiuit: Sed cum diligentius circumspexisset, neminẽ ibidem potuit videre. Cum autem audita suspiria durarent, causam admirãs, sic ait: Adiuro te per Dominum nostrum Iesum, vt quid tu sis, mihi edixeris. Huius cum nullum audisset responsum, adiurationẽ iterauit. Tunc quasi aliquid accedere propius sentiens, nihil tamen videns, huiusmodi audiuit responsum: Ego sum vna misera anima. Et ille: Satis miserè gemis: cum tamen ignorem, quę sit causa miserię. Respondit illa: In acerbissimis sum pœnis. Ad quod Abbas: Quæ est causa pœnarum tuarum? Quia, inquit, non seruaui castitatem meam, & ille: Fuisti ne mas, an fœmina? Respondit fœmina. Et quod, inquit, tibi nomen? Dicente illa, Maria: mox subiunxit: poterisne adiuuari? Ad q. illa nõ respondit, sed ad preces conuersa ait: Rogo vos per omnipotentem Deum, vt dicatis mihi Psalterium vnum, & insuper aliquot Missas. Cuius precibus cum libens annuisset Dominus Abbas, protinus subiecit. Possemne te videre? Et ecce hoc sermone completo, vidit coram se stare pulchram iuuenculam, tõsuratam more claustralium, in subnigra tunica, quam cum plura interrogare vellet, tam de statu eius, quam de statu aliarum quarundam, excitatus est. Dicta vero prima, quid viderit, Abbati Claricampi, & quibusdam eius monachis, nec nõ & mihi (de se ait Cæsarius) qui tunc præsens eram retulit: nec erat qui visum intelligeret, vel interpretari posset. Recitata est visio sororibus de Nazareth: sed inter eas nulla Maria inuenta est. Sciens autem supra dictus Abbas, tam manifestam visionem sibi sine causa minime ostensam, cum venisset in Sion; quæ est domus sanctimonialium Ord. Cisterciensis, quemadmodum & Nazareth, post verba exhortationis, somnium retulit, Mariam suam inuestigans. Et ecce vna Sanctimonialium, matertera eiusdem Mariæ hæc audiens, & admirans, secretius Abbati locuta est: dicens. Domine, Maria hæc filia sororis meæ fuit Sanctimonialis in quodam claustro Frisiæ nigri Ordinis, quod Bredehorn vocatur, & est ante annos octo defuncta: quæ cum fuisset in quadam grangia monasterii, quidam Clericus eam corrupit, & impraegnauit. Cum autẽ in partu periclitaretur, vocans patrem & matrem, & duas sorores maritas, nec non & filiã materteræ suæ de Sion, confessa est ei peccatum suum cum gemitu cordis, sicque expirauit. Illi autem de salute animæ eius desperantes, nihil ei beneficii impenderunt. Audiens hæc Dominus Abbas, gratias egit Deo, *qui non tradidit bestiis animam confitentem sibi, & animam pauperis sui non est oblitus in finem*: Sciens in ea completum illud: *In quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit.* Eius Abbatis hortatu parentes, spe concepta, cœperunt ei beneficia impendere. Sed & ipse Abbas, tam in monasteriis Frisiæ, quã in religiosis aliis domibus Prouinciæ Germaniæ Missas & orationes, atque Psalteria plurima obtinuit: exceptis his, quæ ipse ei specialiter impendit. Istud memorabile exemplum manifestè ostendit: nullam esse seram pœnitentiam, dummodo veram: & insuper, Purgatorii ignem restingui Missis & precibus viuẽtium. Hoc porro aliud, quod eodem anno accidisse memorabat Cæsarius, benignitatis Diuinæ insigne est argumentum. Ita narrat.

XVIII. TERTIVM

Virgo quædam hoc anno defuncta est, Richmundis nomine, habitu sæcularis, sed vita religiosa valde ac spiri-

tualis

EIVSDEM GENERIS. tualis, quæ ieiuniis & obsecrationibus semper vacabat, mente sæpissime excedens, ita vt cœli secretis interesset, & cœli Regem cum cœliciuibus frequentius videret. In solennitate Epiphaniarum, cum in monte Sanctæ Walburgis interesset matutinis, & Abbatissa duodecimum responsorium, sc. *In columbæ specie*, inchoasset, illa vigilans & orans, in excessum facta, Christum infantem pannis inuolutum, inque præsepio positum coram se vidit, & circa illum quasi thronum aereum, ad similitudinem iridis: eratq; ex vtraq; parte illius multitudo Angelorum manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies in eum indeclinabiliter defigentes. Neq; istud mirum, nam ipse est *speciosus ille forma præ filiis hominum, in quem,* teste Apostolo, *Angeli concupiscunt prospicere.* Cumque ventum esset ad locum illum: *Paterna vox audita est,* illa Beata, in qua tunc temporis sensus exteriores defecerãt, sed ipsum Deum Patrem audiuit dicentem. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Erat autem Dei filius & hominis, tanti decoris, & vox patris tantæ suauitatis, vt lingua humana non posset exprimere. Requisita etiam à me (ait Cæsarius) quales essent effigies Angelorum, respondit: staturas habebant humanas, facies virginibus simillimas, genas ad instar rosarum rubentes, & reliquis membris intectis, niue candidiores. *Cæsarius lib. 8. dial. c. 7.*

XIX. INVENTÆ RELIQVIÆ D. IOAN. BAPTISTÆ ET ALIORVM. Per id temporis Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit B. Athanasius de Claro monte Patriarcha: cui secundum quietem S. Ioannes Baptista apparuit, eique tum suas, tum aliorum plurimorum sanctorum reliquias reuelauit. Sed præstat ipsum eundem audire, ista his verbis referentem.

Anno Domini M. CC. XIX. in festo Annunciationis B. Mariæ post horas matutinas, quasi circa horam nonã noctis, in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, coram suis sanctis reliquiis, in oratione positus, inter somnum & vigiliam, videbam iuxta me hominem vnum, quasi annorum XXX. cuius aspectus lucidus & clarus tanquam Sol erat, qui totam Ecclesiam illuminare videbatur. Indutus fuerat pellibus camelorum, inque manu sua vexillum Sanctæ Crucis tenebat; meque semel & tertio vocabat ex nomine: Athanasi, Certiorem te facio, non esse meæ volũtatis, vt meæ & aliorum quæ hic conditæ sunt reliquiæ, atq; inprimis isthæc gloriosæ Virginis Mariæ imago remaneat. Peccata populi demerentur, vt hinc efferantur. Itaque eam vna cum sanctis pignoribus hinc efferto, & in Italiam per fratrem Angelũ Carmelitam Hierosolymitanum transmittito. Interroganti porro mihi, quis ille esset, respondit: Sanctus sum Ioannes Baptista, cuius reliquiæ sunt in ista Ecclesia. Eas igitur Friderico Claromontano fratri tuo transmittito, qui eas cum Honorio summo Pontif. summo in honore habebit, & aliquo in loco deuotioni populorum exhibebit. Hisq; dictis disparuit. Ego postmodum euigilans, ea reperi quæ vobis per Fr. Angelum & Fr. Enoch mitto; scilicet imaginem gloriosæ Virginis Mariæ, brachium & tibiam S. Ioan. Baptistæ, caput Hieremię Prophetæ, brachium S. Catharinæ virginis & martyris, & tibiam S. Gregorii Cappadocis Martyris. *MS. Vatic. num. 3813. de reb. gest. Carmelit.*

XX. INTERCESSIONE B. VIRGINIS CAPTIVVS LIBERATVR. Hac tempestate Deus ostendit, quod ipse sit qui soluit compeditos; præsertim propter intercessionem beatissimę Virginis Mariæ. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus ædificauerat castrum in Furstenberg, contra nobilem virum Gerardum de Binbach. Ante illud iuuenis quidam miles, Theodoricus nomine, de exercitu Gerardi, captus, diuque ibidem incarceratus, cum pecuniam pro sua solutione dare spopondisset, extractus de carcere, positus erat in domo superiore, cui fuerant addita vincula, & serui ad custodiam deputati. Habebat enim circa pedes annulos ferreos, & circa brachium eiusdem generis manicam, quæ annexa catena parieti cautè satis erat infixa. Nocte quadam cum esset dormiens inter sex satellites, tam se quã reliquos captiuos custodientes, & dominam nostram S. Virginem Mariam, necnõ & alios sanctos solitò inuocasset, obdormiuit. Et ecce in somnis vidit se transpositum in monasterium Heisterbachense; de quo cum vellet egredi, sedens in equo more fœmineo, necessitate vinculorum, dixerunt ei duo ex monachis Cœnobii, Monegundus scil. & Henricus cognati eius secundum carnem: Nolite egredi, sed reuertimini, quia S. Maria de Heisterbach liberabit vos, hoc enim nomine vocatur domus illa. Ad quod verbum ille euigilans, gauisus est; & de visione cogitans; vtrumnam esset vera, an fantastica scire volens, mox vt digitos admouit, pedem vnum sine difficultate extraxit: simili facilitate manum à catena liberauit. Sæpius ista tentauerat in pede altero extrahendo: sed non profecerat; cumque ex motu vinculorum vnus seruorum euigilasset, territus miles, circulum reponere voluit, nec potuit. Tunc primum intelligens, tale miraculum Dei genetricis meritis circa se gestum, seruo rursum obdormiente, leniter surrexit, & vincula adhuc seruans in vno pede, per linteamen per fenestram se demisit & fugit. Quod dum seruus comperisset, clamore fugam eius prodidit; sed manus humana capere nõ potuit, quem virtus diuina protexit. Multi cum tubis & canibus eum insecuti sunt; & cum sæpius in proximo sub frutetis latitaret, inuenire eum non potuerunt. Hic ad monasterium Heisterbacense veniens, eosdem circulos pro gratiarum actione super altare B. Mariæ Virginis obtulit, & qualiter eius meritis liberatus fuerit, Monachis per ordinem recitauit. Acta sunt hæc An. gratiæ M. CC. XIX. *Testante Cæsario lib. 7.*

XXI. *Oratio* SALVE REGINA *tempestates auertit.* NB *ad singulas horas lecta à Presbytero.* Per idem etiam temporis, alio euidenti argumẽto Deus clarum fecit, quod nomen Mariæ expellat timores. Rem quam idem Cæsarius se audiuisse affirmat, referam.

In Peloge villa diœcesis Treuerensis Sacerdos quidam parœciam regebat, vir secundum suam possibilitatem multæ hospitalitatis, atque laudandæ castitatis. Virgo enim erat. Die quadam quendam ex Conuersis Ordinis Cisterciensis hospitio recipiens ait ad illum; Ordinem vestrum plurimum diligo, quia multum boni mihi cõtigit per eum. Antiphonam illam gloriosam, scilicet, *Salue regina misericordiæ*, ab illo habeo; & quid mihi propter illam contigerit, ad ædificationẽ vobis enarrabo. Ad omnes horas meas illam dicere consueui, cum autem die quadam campum breuem transirem, quamdam visitare inclusam, iuxta Ecclesiam solitariam habitantẽ, orta sunt tonitrua tam valida, vt ictus ictui succedens, vires mihi ambulãdi adimeret, veniens tandem cum multo labore ad Ecclesiam ipsam, intraui, & coram altari me prosternens, pro ipsa tempestate Dominam nostram interpellaui, & ecce matrona virginei vultus, magnique decoris de altari ad me veniens, cum admirarer quænam esset, illa prior allocuta me est dicens: Quia antiphonam, *Salue Regina misericordiæ*, libenter ac frequenter decantas, nunquam tonitrua, neq; fulmina, quorum timore sæpius affligeris, te lædent. Sicq; ad altare rediens, in oculis meis disparuit, & statim intellexi, quia ipsa esset clemens illa, pia, ac dulcis Virgo Maria. Ab illa hora vsque hodie, à timore prædicto tempestatum, quo nimis afficiebar, meritis B. Virginis Mariæ liberatus sum. *Idem qui supra lib. 7. c. 30.*

XXII. a *Script. vita S. Francisc.* ORDO D. FRANCISCI FLORET, ET MORTVVM ILLE EXCITAT. Non minora incrementa etiam religio sancti Francisci accipiebat. *a* Nam Diuus ille puritatis & paupertatis cultor, Ecclesiam tum doctrina, tum miraculis illustrabat. Contigit aliquando quandam matronam auctorem mariti fuisse, vt S. Franciscum ad prandiolum inuitaret. Non recusauit ille venire, si prius Concionem absolueret. Iuit maritus & illa ad auscultandum illum, relicto domi filiolo infante, & vna cum cibis ahenũ aquæ bullientis ad ignem. Casu accidit vt infans in ahenum inciderit, & coctus atque proinde extinctus fuerit. Venit mater domum, & tristi spectaculo perculsa, rem quidem marito aperuit, vterque autem dolore compresso, Franciscum venientem celare instituit, & canistro cuidam seu arcę cadauer elixi pueri indidit. Adfuit interim Franciscus, mensæ assedit, puerum inquisiuit; & postquam celari intellexit, poma aliqua poposcit. Non habebant illi quæ apponerent; Franciscus tamen vrgebat: dicens quærerent in canistro vel in arca illa. Negarunt illi, quicquam pomorum indidem reperiri: at ille multo magis instabat, vt quærerent; Deum posse poma, etiam ex arido ligno producere; qui olim ex arente Aaronis baculo, amygdalas atq; flores produxisset. Aperiunt illi loculum, & in momento, ô miraculum, infantem viuum genuflexum reperiunt, aliquot poma manibus ferentem. Diuulgato miraculo, fama sanctitatis Francisci longe maiora augmẽta sumpsit, occasionemq; dedit religionis illius, per totam Italiam, Gallias & Hispanias multiplicãdæ.

Millia quinq; numerabantur, Fratrum Ordinis Minorum, qui viuente Francisco ad Comitium Generale Assisium aliquando conuenerant.

XXIII. *l. ep. 141.* Eod. anno Honorius Commissarios quosdam instituit, qui in vitam & miracula duorum Episcoporum, s. Conuenarum & Lincolniensis inquirerent.

XXIV. Hoc An. Henricus Archiepiscop. Gnesnensis Ducis Bernens. ex Eudoxia Polona filius, postquam 10. & 9. annos Ecclesiæ illi pręfuisset, mortuus est, multam operam nauauit, in nouis Ecclesiis construendis, atq; diuitandis. Perfecit etiam diligentia & authoritate sua, vt Principis atq; omnium Ducum procerumq; Polonorum consensu, & vniuersi Conuentus constitutione, Sacer & Ecclesiasticus ordo omnis cum adscriptitijs, etiã & subditis suis, ab omnium profanorum iudicum, etiam Ducum, atque ipsius quoq; summi Principis iurisdictione prorsus liber esset; ita vt ne per exceptionem quidem vllam, aut reconuentionẽ pertrahi sacrorum ministri ad vllum profanum, siue laicũ, vt vocant, forum possent: eamque constitutionem Pontif. maximi & sedis Apostolicæ autoritate confirmauit. Sacerdotes vero omnes ex decreto synodi à se conuocatæ, vxores & concubinas, quas retinebant adhuc pleriq; post edictum Pontificij Legati, abdicare coegit, iureiurando ab eis exacto. Hic etiam à sede Apostolica obtinuit Archiepiscopis Gnesnensibus, perpetuæ legationis munus. *Cromer. lib. 7.*

Pari cum Vincent. pietate in ædificandis Ecclesiis Iuo Craconiens. Episc. certauit. Nam Diuæ Deiparæ Basilicam in foro Cracouiens. magnificentiss. sumptu extruxit. Mogilense monasterium Cisterniensi ordini ædificauit & ditauit. Hospitale S. Spiritus Cracouiæ condidit, pagosq; ac decimas in alimenta pauperum attribuit. Parçciam S. Crucis Cracouiæ, alterã Biscupicensem, Mestouiense & Dlubnense monasterium, Derzanensem, Vauurinecensem, Dalissicensem, & S. Pauli apud Sandomiriam paræcias erexit, Prædicatorum religionem in Poloniam inuexit, & tum Cracouiæ, tum Sandomitiæ cœnobia illi ædificauit. *Crom. lib. 7.*

IESV CHRISTI
Annus 1220.

HONORII III. PAP. Annus 4. FRIDERICI II. Imper. 1. ROBERTI Imp. 1.

I. a *Inter epistolas Honorii 3. n. 4.* FRIDERICVS II. ROMÆ CORONATVR AB HONORIO. OTtone extincto, Fridericus ad Imperij diadema aspirans, *a* Abbatem Fuldens. in vrbem misit, qui ab Honorio Pontifice eam dignitatem illi obtineret. Comitio Cardinalium Romæ habito, decreuit Honorius eam maiestatem Friderico deferre, eumque ritu solemni inungere. Cui rei illi tam ipse nomine Apostolicæ sedis, quam Parentius Senator nomine Populi Rom. scripsit, hortatusque est, vt quam primum Romam se conferret. Porro ne quas turbas in Imperio vereretur, pollicebatur Honorius Legatum de Latere se in Germaniam missurum, qui Principes & subditos in officio contineret. Ad VIII. Calen. Octob. in Castris apud S. Leonem coram Apostolicæ sedis Legato, iuramentum ex more præstitit, priuilegiaque omnia Ecclesiæ
b *ep. 572. & Vrspergẽsis.* Rom. dato diplomate confirmauit; deinde omnes *b* constitutiones & consuetudines contra Ecclesiasticam libertatem inductas antiquauit, omnesq; concessiones & donationes Ducatus Spoletani, Terræ Comitissæ Matildis, Ferrariæ, Villæ Medianę, Montis Falisci, Tusciæ Ciuitatum, aliarumq; possessionum ad Patrimonium S. Pet. pertinentium, factas à se cuicumq; irritauit: easq; à quibuscumq; infessas & vsurpatas, Ecclesiæ restitui præcepit: Spoletanos & Narnienses Ecclesiæ rebelles capi, vinciri, & tum peculio, tum capite damnari voluit: Fundanum Comitatum Ecclesiæ Rom. attribuit; Bononiens. Ecclesiæ bona confirmauit; tum deinde Romam vna cum Constantia vxore veniens, ipso die festo S. Ceciliæ assistente summo Pont. ab Hugolino Cardinali inunctus, ab ipso vero summo Antistite, diademate Imperij ornatus est. In pactis erat, vt ilico Damiatam obsidentib. subueniret, & copiis collectis in Ægyptum transfretaret. Veruntamen moras ille nectebat, & cum hyemis intemperiem, tum reliqua excusabat. Postulanti inducias, Honorius, ad 21. Martii insequentis & postea ad Maias Calend. ad transfretandum concessit, & quod subolfaceret eund. tergiuersari, excommunicationis sententiam comminatoriam aliquantum in literis ostentauit.

Decimum iam mensem obsidio Damiatæ tenebat, & Sultanus non tam magno quam prius exercitu, sed delectiore simul expeditioreq; Crucesignatis inopinantibus, curamq; consuetudine (vt assolet) remittentibus, castra posuerat ad aquarum diuortia, qua Nili pars deriuatur in fossam Damiatæ conuicinam. Hæ magna audacia noctis silentio, si fallere vigiles possent, iter ingressæ, sensim tacitæ appropinquabant. Primi iam ingrediebantur, recipiebanturque, cum Crucesignati sensere. Conclamatum ad arma, qui nondum ingressi erant, cæsi omnes: quod qui in vrbe erant, fores raptim portæ obiecerunt, eosque exclusos cædi reliquerunt, veriti ne nocturna trepidatione simul hostis ingrederetur. Crucesignati hac victoria sublati, postridie relicta quanta satis foret ad continuandam obsidionem copiarum parte, ad Sultani castra ducti sub signis; potestasque pugnandi facta. Barbari velut conspectu Crucesignatorum, animisque tam cupide poscentium pugnam territi, castra reliquere. Ea deserta Crucesignati ingressi, non magno commeatu, sed præda reliqua potiuntur. Sultanus ad superiora diuortia aquarum sese recepit. Crucesignati rediere in castra præda onusti, ignauiam AEgyptiorum accusantes. Ex hoc contemptu damnum dedecusque Crucesignatis ortum. Castra hostium rursus petere, atque adeo adoriri Brennus cum milite Franco ausus, ipse igne missili afflatus vix euasit; non pauci ambusti: Valterus ferro ac Milo Meduntensis interiere. Secundum hanc ignominiam placuit tantum obsidione premere Damiatam, & prohibere omni spe auxilii. Arctiore facta obsidione, fame coacti clausi, omni alia spe deplorata, noua inibant consilia: ac ad Crucesignatos in castra eorum aliquot clam transiuere, indies transituri plures erant; cum eorum duces iusserunt portas obstrui; muris vulgus arcere, ne exire, ne demittere se vlli possent ipsi Volones, quos Mamaluchos dicebant, omnia circumibant, asseruabantur, frumenti quod reliquum erat, exigue metiebantur, parce diuidebant inter se vulgus necessitate coacti, nullo genere cibi abstinebant, concessis illi Genti, illi superstitioni simul, & vetitis, fandis, nefandis, salubribus, ancipitibus, fœdis etiam nullo discrimine vescebantur, vitam producebant: ad miseriam indignitatemque animam trahebant. Humanis necessitatibus impares, diuina etiam ira petebantur.

II. c *Æmil. in Philippo.* DAMIATA A CRVCESIGNATIS POST ANNVAM OBSIDIONEM FAME ET PESTE DOMINANTIBVS OCCVPATVR.

Pestilentia, cuius vis primum lenita, postea & sublata apud Crucesignatos fuerat, in vrbe atrocissime sæuiebat, ac populabatur. Indies lues illa eousq; augebatur, vt tandẽ deessent ægris nõ modo q. viserent, q. assiderent, qui opẽ ferrent, qui oculos contegerent, sed qui efferrent, q. sepelirent, qui domos corporibus exanguibus liberarent, qui mortuos à viuis secernerent. Viæ, vici pleni cadaueribus, tetrum spiritum exhalabant; nullus cuiquam locus vacuus à peste, nullus à mortis ante oculos obuersantis exemplo, à dira specie receptus ostendebatur, nisi ab hoste infestissimo remedium extremi mali peteretur. Iam circumactus annus erat, ex quo assidere cœperant Damiatæ, ignorantes quid rerum intus ageretur, & an fame, an vero aliquo alio incommodo vrgerentur; cum aliquot Crucesignati paulo propius muris hostium succedere ausi, primum insolito silentio moti substitere, deinde ingressi in castra ad Duces rem detulere. Dolus hostilis metui poterat, ne in insidias præcipitarentur, experiri tamen placuit. Copiæ velut aduersus vim acerrime propulsaturos hostes eductæ, atque scalæ admoueri iussæ. Ingenti alacritate conscensum in mœnia, nemine propugnante. Cum in vrbem descensum esset, parua vis à barbaris, qui perpauci numero in armis reliqui erant, facta. His paruo certamine cæsis, portarum obices disiecti, inędificationesque quibus obstructæ fuerant, euersæ, signaque frequentia illata. Ingredientibus teter grauissimusque odor occurrit, conspectaque noua inauditaque vrbis facies, stratæque tabo corporibusque viæ, ac miseranda hosti etiam solitu

do. Parati venerant Crucesignati ad cædē faciendam, implendamque cruore vrbem, irati malis, irritati diuturnitate obsidionis, strinxerant ensem, non erat in quod sæuiretur, ipsi etiam parietes ædificiaque adiri non poterant, nisi per humana cadauera tabemque, & quosdam adhuc animam agentes. Ex septuaginta millibus tria tantum millia puberum (nam infirmior ætas ac reliqui omnes fame pestilentiaque absumpti, iacebant insepulti) inuenta, & hi affecti quoque, vita donati ea lege, vt vrbem purgarent. Is fuit exitus plusquam annuæ Damiatæ obsidionis ipsis Nonis Nouembris. Præda ingens parta auri, argenti, gemmarum, margaritarum, pretiosæ vestis suppellectilisque. Eam victoriam cum Honorio Pontifici significassent Crucesignati, *a* potestatem fecit Pelagio Legato diuidendi omnia acquisita inter illos. Pelagius capta Damiata præcipuam ex Maschitis, ritu solenni in basilicam Diuæ Deiparentis consecrauit. Vrbem Ioanni Hierosolymorum Regi assignauit, reliquam autem prædam inter Crucesignatos diuisit; *b* Pontifex autem eidem Ioanni Regnum Armeniæ confirmauit.

a *epist. 664.* b *epist. 662.*

III.

Eodem Anno Pontifex Honorius, Raynerium ex S. R. E. procancellario Patriarcham Antiochenum, Archiepiscopum Mediolanensem, & Episcopos Linconiensem, atque Narniensem inunxit: *c* Ecclesias Sancti Stephani, & S. Bonifacii Confessoris & Episcopi Viterbij manibus proprijs consecrauit: Alexandriam Liguriæ Ciuitatem in tutelam Sedis Apostolicæ receptam, ne cuiquam alteri præter Romano Pontifici sacramento fidelitatis se obligaret, cohibuit: Comitem Montfortium contra Albienses & Tolosates pro fide Catholica depugnantem, Biterris, Carcassonæ, & Albij Ciuitatum Dominum esse iussit, adeoque iura omnia eidem confirmauit: *d* Regi quoq; Seruiæ & Diocliæ benedictionem Apostolicam & cōfirmationem Regnorum postulanti concessit: deinde pacem inter HENRICVM Angliæ Regem & Ludouicum Philippi Galli primogenitum Londoni stabilitam roborauit. Valdemaro etiam Regi Daniæ, ne Crucesignatos contra Paganos Liuones expeditionem parantes impediret, sub anathemate præcepit, datis ad eum Viterbij IV. Cal. Nouembris literis. Cæterum *e* cum etiam recens baptizati Borussionum aliqui sibi à Gentilibus timerent, illos in tutelam Sedis Apostolicæ Honorius recepit, seque velle eos ab iniurijs vindicare illis ipsis perscripsit.

c *ep. 643. & 403.* d *ep. 21. & 681.* e *ep. 733. & Crom. lib. 7.*

V. PRVSSI AD FIDEM DVCVNTVR, ET PRIMVM EPISCOPVM ACCIPIVNT.

Per id enim temporis, Prussi Gentiles, Cristino Palatino Plocensi, homine rerum in Poloniæ regno potente defuncto, animis resumptis adeo audaces euaserant, vt non tantum suos prouinciales, verumetiam cōterminos Chelmenses & Masouios infestarent, ferro & igni longe lateque grassantes. Quibus cohibendis cum Conradus Dux Masouiæ par esse per se ipse non posset, Crucesignatos milites in auxilium contra Barbaros, Christiani monachi Cisterciensis opera vndequaque euocauit. Inter quos facile principes erant Lescus Poloniæ & Henricus Barbatus Silesiæ Duces, complures Episcopi, & multi è nobilitate Polonica. Quorum ope cum Culmensem & Lumbauiensem tractum, Masouiæ superiori tempore à Prussis detractum in potestatem suam redegisset, Christianum ibi primum Episcopum Pontificis Maximi Honorij authoritate, quo per eum barbari ad religionem Christianam adducerētur, constituit, eique & successoribus ipsius Episcopis Prussiæ (sic enim tunc appellati sunt, qui deinde Culmenses dicti sunt) partem ditionis Culmensis & in reliquo territorio Culmensi dimidiam partem ducalium prouentuum, & in arce ius curiā sibi & fratrū suorū collegio construendi ipsi concessit. Diploma eius cōcessionis annis post hæc duob. scilicet annis millesimo ducentesimo vicesimo secundo Louiciæ datum est, à Conrado Duce Masouiæ, Gedeone Episcopo Plocensi, Lesco Poloniæ & Henrico Silesiæ Ducibus, Vincentio Archiepiscopo Gnesnensi, Cracouiensi, Posnaniensi, Vratislauiensi, Lubussensi, & Cuiauiensi, Episcopis subsignatum. Vnde licet colligere, Archiepiscopum quoque ac cæteros Episcopos Conrado contra barbaros adfuisse. Nec tamen ab illo Crucesignato exercitu perdomari Prussi potuerunt; propterea Conradus inito cōsilio, & missa ad Albertum Archiepiscopum Rigensem legatione Sodales siue Fratres militiam Christi professos, qui rubri ensis imaginem cum Cruce in pallio insutam gestant, è Liuonia euocauit, eisque Dobrinensem tractum inter Camenizam & Culmenizam riuos attribuit, vt sibi contra Prussos præsto essent. Verum ij quoque vno prælio, quod biduo durasse memoratur, obtriti à Prussis Paganis ac deleti sunt, ita vt quinque soli euaderent, qui & ipsi Dobrino repudiato in Liuoniam sese receperunt.

PRVSSI VINCVNT CRVCESIGNATOS.

VI. B. DOMINICVS FAVENT. ORDINEM SVVM MIRACVLO INTRODVCIT.

Hoc anno D. Dominicus, Ord. Prædicatorum in Æmilia felicissime per miracula propagabat. Insigne est, quod *ex Annalibus Cœnobii Fauentini* accepimus.

Fauentiam reuersus S. Dominicus, ab Episcopo Ciuitatis perbenigne acceptus est. Ibi in quodam cubiculo, in episcopali palatio plurium dierum spatio permansit, vna cū socio. Cum autem, vt consueuerat, nocte surgeret ad matutinas, visi sunt aliquoties duo pulcherrimi Angeli, in ipsa hora, luminaribus accensis, ad ostium cubiculi illius accedere, & B. Dominicum, cum socio, ianuis penitus obseratis, extra episcopatum comitari, ac post aliquantulum spatium etiam redire. Eam rem ex inspectorib. quispiam, Episcopo nunciauit. De quo cum ille stupens hæsitaret, voluit cum ipsis obseruans idipsum visu potius experiri. Dum itaque matutinali hora prædictos iuuenes, cum ardentib. cereis, euidenter aspexisset, foresq; diligenter omnino obfirmatas agnosceret, facto mane ad sanctum Dei pergens, sic illum allocutus est: Dilectissime pater: scio te optime nosse, quod scriptum sit: Quoniam secretum Regis abscondere bonum est; opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum. Quapropter, oro, insinues, qui sunt illi iuuenes, qui nocte cum lumine inde te ducunt, atque reducunt. Ad hæc Beatus pater rem subticens, ne eam videretur agnoscere, dixit: Heu reuerende Domine: de quibusnam iuuenib. percontamini? Cui Præsul: scientes, inquit, vidimus duos iuuenes vos inde cum cereis comitari, simulq; vobiscum reuerti. In nomine ergo Iesu Christi, precor, qui sint, & quo pergatis, vt declaretis. Ea obtestatione motus vir Dei Dominicus, humiliter ait: Domine: vt ego id quod à me quæritis explicem, vos meam petitionem excipite. Quo annuente, sic est proloquutus: Noueritis plane, Reuerende Pręsul, omnes vitæ meæ labores, tum pro salute proximorum, tum pro Ordinis mei dilatatione instantissime adhiberi. Eam ob rem nunquam quietus, Hispaniam, Gallias, Italiam, & omnes fere prouincias Occiduas, cum anxietate perambulans, omni studio vt Fratres Ordini, & Fratribus loca multiplicentur, inuigilo. Hic autem aliquantulum demoratus, si Fratribus meis idoneam mansionem DEVS præparasset, cum orando inquirerem, duos istos Angelos, quos sciscitatus es, sub iuuenum specie ad me misit, qui matutinali tempore ad Ecclesiam sancti Andreæ inter vineas sæpius me perducentes, ibi matutinis cum deuotione persolutis, & Domino adorato etiam huc reducebant. Hoc autem ideo DEVS vobis innotescere voluit, vt locum ipsum pro dedicando Conuentu Fratribus meis confidentius expeterem. Supplex ergo, vt mihi concedatur, elaboretis deprecor. Episcopus cum hęc audisset, D. Dominicum complexus, Rectores ciuitatis mox euocauit, illisque tota re exposita, Ecclesiam S. Andreæ & locum pro ædificando Cœnobio obtinuit, Diuoque Prædicatorum conditori addixit. In eius rei perpetuam memoriam, extat Fauentiæ cathedra, quam tunc temporis in via publica, D. Dominico concionaturo Episcopus erexit: populus autem viam illam, qua Sanctus Dominicus ad Ecclesiam Sancti Andreæ præcedentibus Angelis incedebat, viam Angelorum nuncupauit.

VII. VITERBIENSE COENOBIVM DOMINICANIS ERIGITVR.

Fere eodem anno, neque sine prodigio, Viterbij Cœnobium eidem Ordini Prædicatorum, ad Gradus, titulo Diuæ Deiparentis, à Cardinali Capoccio erectum est. Abest Viterbium, nobilis Hetruriæ vrbs, quadragesimo lapide ab vrbe. In ea basilica est Diuæ Deiparenti sacta, ad Gradus nuncupata, quod ad eam gradus plures lapidei scandendi sunt. Eam Raynerius Capoccius Viterbiensis, tituli S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, dignitate cōspicuus, & vitæ sanctitate clarissimus, post hanc visionem erexit. Consueuerat sanctis precibus frequenter vacare. Nocte igitur quadam orationi incumbens, somno oppressus obdormiuit. Visa est autem ei dormienti fœmina de-

cora, & valde formosa, quæ ardentem cereum tenens, Cardinalem manu apprehendit, ducereque videbatur ad nemus, seu inter arbusta, vbi nunc Ecclesia est, cereoque illo herbas arbusculasq; comburere, toto eo ambitu, quo nunc Ecclesia ad Gradus protenditur. Expergefactus Cardinalis, quod viderat recogitare & expendere cœpit. Nesciens autem, quid sibi vellet visum, quod tamen diuinitus factū non dubitabat, mane ad monachum nomine Album, vere Monachum, qui montem, qui nunc S. Martini dicitur, solitarius incolebat, accessit, eum consulturus. Solebat enim sæpius illum inuisere, & de arduis sibi occurrentibus negotiis consilium exquirere. Namque is Deo vacabat, & vt vir spiritualis diuina ac humana nouerat iudicare. Venit ergo ad eum, & totam visionis seriem monacho narrauit: Is statim Cardinali respondit; Maria; mulier illa est, quæ ibi eo spatio & loco Ecclesiam à te sibi ædificari exposcit. Quare, vt cœlesti Reginæ auscultes, etiam atq; etiam hortor. Ea enim est, quæ tibi propterea maxime propitiari, & adesse poterit, & toto itinere ad cœli altissima deducere. Quid multa? Cardinalis, Eremitæ verba læto & alacri animo accepit, & Mariæ obsequi paratus, à monte descendēs, ad visum locum contendit, & incendii vestigia, vt dormiens viderat, oculis vigilans aspexit, neq; distulit Mariæ monitis obtemperare. Nam non prius pedem è loco mouit, quam accitis fabris murarijs, Clero & populo Viterbiensi astantibus, & gaudentib. Ecclesiæ fundamenta iacere cœpit: quam iuxta designatum ignium spatium breui absoluit, & Mariæ Virgini perpetuo dicauit. Eadem autem nocte Monachus ille viderat, eo in loco, vbi nunc maximum sacellum est, Mariam regio cœlesti solio residentem, suadentemque Cardinali qui astare videbatur huiusmodi Ecclesiam ædificare. Eam cum breui absoluisset Cardinalis, D. Dominico, ac Ord. Prædicatorum designauit & addixit. *Annal. Cœnobii Viterbiensis.*

VIII. PRÆDICATORES DVO DVOBVS SOLIBVS DESIGNANTVR.

Obsunam Lemouicens. diœcesis, antequam Fr. Prædicatores venissent, Gregorius de Cardalhaco tunc Prior, sed postmodum Abbas Ord. Cisterciensis, qui religionem Prædicator. institutam quidem à sede Apost. confirmatam acceperat, nondum autem quemquam eius instituti aspexerat, cum in dormitorio meridiaretur, vidit in visione duos soles claustrum Abbatiæ prædictæ subito ingredientes, & tum ipsum claustrum, tum vniuersum Monasterium, atque adiacentem viciniam radijs suis illustrantes. Cum autem ex aspectu tam nouæ & insolitæ lucis admiraretur, signo facto ad Nonam, euigilans, visionemque in animo versans, cum de dormitorio descendisset, duos Fratres Prædicatores vidit in claustro, sc. Fr. Gregor. alumnum Lemouicens. & Fr. Ioann. Balistarij, laude conuersationis bonæ, & prædicationis facundia insignes, dixitque & mox spiritus: Ecce isti duo soles, & vera mundi lumina. *Stephanus Salanachus de rebus gestis FF. ord. Præd.*

IX. AB HONORIO PRÆDICATORES IN AFRICAM HISPANIASQVE DESTINANTVR.

a *Flamin. in vita S. Dominici.*

Per eadem tempora, Honorius Pontifex Diuis Dominico & Francisco author fuit, vt multos Fratrum suorum ad conuertendos in Hispaniis & Africa Saracenos, instruendosque Christianos residuos transmitterent. In tanta multitudine Religiosorum S. Dominici, erat aliquis qui eam missionem detrectaret, & quendam Eremitam sanctimonia vitæ insignem precaretur, qui pro se Deum oraret, ne ire cogeretur. Nocte quæ secuta est, orauit Eremita, & vidit ingens flumen, per cuius angustum pontem numerosa omniū religiosorum multitudo ad vlteriorē ripā læta transiret, Prædic. vero ipsum ingressos flumen cum singuli singulos traherent currus multitudinem vtriusque sexus conuehentes ingentem, maximo cum labore traijcere videbātur, & si qui forte in traiectu deficerent, erat præsto Dei genitrix, quæ laborantib. opem ferret. Sic amne transmisso, videbat illos in amœnissimum quendam locum peruenire, cum læta multitudine lætos, quod tanto discrimine ac labore superato ad quietis locum peruenissent. Hæc vbi timidus ille ab Eremita audiuit, continuo seipsum accusans, & factus animosus alacriter profectus est cum aliis. Horum opera, cum plurimi Saracenorum ad lumen veritatis Christianæ adducerentur, & à Miramolino tyranno ritu Christiano viuere non permitterentur. Honorius Pontifex hoc anno scripsit Miramolino, suo iure obsecrans, vt eos more Christiano & sacris operari, & conuersari tolerarer.

X. INITIA ORD. D. DOMINICI AB DIABOLO OPPVGNANTVR.

Quod Prædicatorum Ordinem attinet, crescebat ille numero virorum, sanctitate ac fama illustris. Istud autem cum cerneret hostis antiquus, atq; satis intelligeret, quantum Ecclesia lucrum, ipse vero iacturam facturus esset, ad suas conuersus artes labefactare, atque diruere, totis viribus surgens ædificium conatus est, Bononiæ præsertim & Parisiis, quibus in locis varie quidem & grauiter ab eo vexati sunt Cœnobitæ; dum alios terreret ignea forma supra caput ardescente, aliis flammiferos dracones obiiceret, aut asinos terribiliter cornibus armatos; alios aliis diris vexaret imaginibus, nec fineret quiescere vniuersos, adeo vt necesse fuerit nocturnas adhibere per vices quiescentibus excubias. Istud cum longe lateque grassaretur, Patres Diuam Deiparentem sibi implorandam esse censuerunt, eamque publica processione, & antiphona Salue Regina salutandam constituerunt. Factum: ludificationes cessauere: & obsessi à dęmone (nam aliquos inuaserat) liberi euasere. Dum autem Salue Regina à Fratribus Prædicatorib. sæpius concineretur, conspexere, quibus hoc datum est, cœlo delapsam Angelorum Dominam vultu admodum placido astitisse canentibus, & ad illa verba, O dulcis Maria, leniter caput submisisse, quemadmodum illi solent, qui aliquem salutare consueuerunt: recedentibus vna illis de loco, in cœlum remigrasse. Massiliæ, mulier quædam, sanctitate vitæ illustris, cum die quadam in æde Prædicatorum adesset Salue Regina ex more canentibus, repente corporeis ablata sensibus mira quatuor vidit, non tacenda. Primum istud. Dum canerent, spes nostra salue, vidit delapsam continuo Dei matrem, vultu admodum blando canentes illos resalutantem. Alterum est. Dum recinerent: Eia ergo aduocata nostra, flectentem ante filium genua, & pro canentibus orantem. Tertium erat, dum dicerent: Illos tuos misericordes oculos, mitissime eos respicientem. Quartum autem, dum canerent; Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende; illam quasi puellaribus restitutam annis, tanquam lactentem Iesum singulis ostendentem.

SALVE REGINA GRATVM B. VIRGINI.

XI. D. FRANC. AD SARACENOS ET SVLTANVM IN ÆGYPTVM ABIT.

b *Apud Surium 4. Oc. tom.*

CATALOGVS VIRTVTVM EIVS.

Cæterum non solus D. Dominicus in eam curam incubuit, vt Fratribus ad conuertendos Saracenos submissis, plurimos Gentilium Christo adiungeret; eundem quoque laborem *b* Diu. Franciscus suscepit, & cum innumerabiles Fratrum suorum tum in Hispanias, tum in Africam transmisisset, ipse in Syriam nauigauit, & Babylonem penetrās, Sultanum eius gentis adijt, si quo modo Christianam veritatem ei persuaderet. Coram eo adductus, cum rationibus necquicquam proficeret, factis fidem volens comprobare; si, inquit, hæsitas legem Mahometi propter Christum dimittere, iube copiosum accendi ignem, vt ego cum tuis sacerdotibus eum ingrediar. Quem ille non vsserit; eius fides vera esto. Sultano autem hanc viri fiduciam magis magisque stupente, & nemine conditionem subire volente. Quin igitur, inquit Francisc. solus ego flammas subibo, si modo spondere velis, te ad sanctiss. CHRISTI sacra transiturum, si ego illæsus flammas euasero. Non admisit conditionem Sultanus, & Franciscum à suis emigrare præcepit. Reuersus porro ille in Italiam, supra quam dici potest admiranda sanctitate vixit. Famem enim & sitim nonnisi pane & aqua: somnum, nuda humo: voluptatis titillū quandoque vrticis, quandoque autem glaciali frigore, vel disciplinarum acerbitate excludebat. Orationum illi tantus feruor, vt præ lachrymarum defluuio pene lumen amiserit. Prohibenti medico, ne in momenta fleret, respondit: Non est, frater Medice, ob amorem luminis quod commune habemus cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Humilitatem vero, quæ omnium virtutum custos est, tanta contentione sectabatur, vt frequenter omni seposito pudore, suos ipse defectus populo reuelaret, seque omnium peccatorum maximum pronunciaret. Reprehendenti alicui, ne istud affirmaret, respondisse fertur: Immo, inquit, si quantumcunque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosequutus, arbitror sane, quod multo sane quā ego, Deo gratior esset. Laudantibus vero eum, dicere solebat; Filios & Filias adhuc habere possum; nolite laudare vt securum. Nemo laudandus, cuius incertus est exitus.

Et ista quidem laudantibus. Sibi vero hoc frequenter inculcabat; Latroni, si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce. Obedientiam autem tam sancte coluit, vt socio imperanti obtemperauerit perlibenter. Quærenti alicui, quis esset verus obediens iudicandus: corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit: Tolle, inquiens, corpus exanime, & vbi placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta sed ima respiciet. Si purpura induatur, duplo magis pallescet. Sic verus obediens; cum & cur moueatur, non diiudicat: vbi collocetur, non curat; vt transmutetur, non instat. Euectus ad officium, solitam tenet humilitatem: plus honoratus, plus reputat se indignum. Porro paupertatem extremam Francisc. complexus, illam virtutum Reginam appellabat, dicebatque, ideo Fratres Minores pauperrimos nouissimis temporibus esse à Christo submissos, vt in eis vox illa Iudicis ad beneficos Christianos dicta compleretur: *Quamdiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:* Charitate autem erga Sacramentum Dominici corporis tam ardenter flagrabat, vt & sæpius, & deuotissime communicauerit, adeo, vt quasi spiritu ebrius in mentis raperetur excessum. Deiparam Virginem, Angelicos spiritus, denique sanctos omnes summo venerabatur amore. Saluti animarum nihil præferendum dicebat; eo maxime probans, quia vnigenitus Dei filius pro animabus liberandis Crucem subire voluerit. In oratione, tam feruenter æstuabat, vt in extasim raperetur. Visus est aliquando orans manib. ad modum Crucis protensis, toto corpore à terra subleuari, & nubecula quadam fulgente circumdari, vt illustrationis mirabilis interioris, mira circa corpus perlustratio testis foret. Et quidem ad tantam mentis serenitatem, ex orationis frequentia & virtutum exercitio peruenerat, vt quamuis nullam sacrarum literarum per doctrinam haberet peritiam, æternę tamen lucis irradiatus fulgoribus, scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim purum ab omni labe ingenium mysteriorum abscondita, & spiritus eius superno illustratus lumine futura præuidebat, cordium contuebatur occulta, absentia quoq; haud secus ac præsentia cernebat, & se pręsentem absentib. mirabiliter exhibebat. In concionib. verbo ignito, corda frigentia vehementissime inflammabat, & veritatem prædicationis contra plurimos tum morum, tum fidei, perditos, miraculis insolentib. confirmabat: atq; hac ratione obduratos animi ad saniorē mentē reducebat.

XII. QVINQVE FRANCISCANI MARTYRES MARROCHII PASSI.

Nec ipse tantū, sed & fratres vniuersi, quos à disciplina sua ad animarum lucra destinabat. Horum nobilis quinarius ex Roman. Martyrologio hoc An. ad XVII. Cal. Febr. recitatur, his ipsis verbis. Marrochij in Africa, passio sanctorum Martyrum Ordin. Minor. Berardi, Petr. Accursii, Adiuti & Othonis. Miserat illos D. Franciscus in Africam, vt Miramolini subditos luce Euang. collustrarent. Columbriam Portugalliæ primum illi delati, Orachæ Reginæ spiritu prophetico prædixerant, se non multo post martyrio defungendos, & reliquias post mortem Colimbriam deferendas, in Africam transfretantes, cum verbi diuini semina in quadam Mesquita dispersissent, à Saracenis in vincula coniecti, ad Miramolinum perducti, & ab eodem sententia capitali damnati, propemodum tunc occubuissent, nisi eius nothus, naturali affectu permotus neci ad præsens subtraxisset. Didicit hæc Miramolin. & iterum productos in nomine Mahometi deierare iussit. At illi: Age, dixerunt, corpora eripere potes, animas autem siderea loca detinebunt. Stat nobis firma promissio: pro præsenti morte, immortalitatis dono potiemur. Marrochium deinde transferri, quamquam Petr. infans Regis Portugaliæ Fr. copiarum Dux, eos tutelæ suæ commendatos haberet, non tamē tantum poterat, vt illos tueretur. Miramolin. enim quoddam verbum pro concione ab vno ex illis dictum, in iniuriam cōuertens, à sanguine quidem temperauit: Cæterum Marrochio excedere atque deportari, imperauit. Reuerterunt illi Marrochium, & christiana dogmata intrepido animo prædicarunt. Quamobrem in custodiam dati, & ex ea educti, flagris laniati, feruenti oleo & aceto perfusi super testas acutiores tota nocte volutati, quanquam insolito lumine è cœlis delabente illustrati essent, atrociora tamen euadere non poterant. Nam iterum è carcere ad Regiam ductos verberibus conciderunt: speciosas meretrices quæ pudicitiam tentarent induxerunt: sputa in contumeliam Mahometi spuentes innumerabilibus tormentis excruciarunt, blanditias & munera interim obtulerunt, si qua ratione infractos animi delinirent. Cum non possent; capita singulorum in quatuor portiones disciderunt, & sacrata eorum corpora extra vrbem canibus & volucrib. lanianda proiecerunt. Cumque christiani colligerent, ex eorum manibus erepta, in pyram accensam coniecerunt. Mirum visu. Reliquiæ flammis traditæ, nulla omnino iniuria affectæ: imo è capitib. vnum, iterato in pyram iniectum, integrum exiliuit, vt suo etiamnum capillitio ornatum demonstretur. Tunc demum Saraceni miraculo moti collegerunt, atq; eas christianis vendiderunt. Mirum visu. Ab aliquo libidinante, qui tangere voluerat, in aera se sustulerunt, & quasi effugerent lasciuiam hominis designarunt. Colimbriam delatę, honorifico mausoleo apud S. Crucem collocati sunt; postmodum à Xisto IV. sub anno Domini 1481. sanctorum martyr. rubeo colore signati.

XIII. CANONICI POENITENTIS, SED NON CONTRITI DAMNATIO.

Horrendum quiddam fere hoc anno accidisse narrabat Cæsar. istis verbis. Parisiis in Eccl. Sanctæ Mariæ Canonicus nuper obiit, qui multa habens stipendia delicatissime vixerat. Et quia ex delitiis, maxime his quæ ad gulam pertinent libido enascitur, enata nutritur, & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem iuuenis tunicam carnis suæ valde maculauit, & tam illo, quam aliis suis peccatis, iram Dei in se prouocauit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis confessionem fecit, peccata defleuit, emendationem promisit, viaticum accepit, inunctus est, hominem posuit. Cuius corpus, vtpote viri nobilis ac diuitis, cum magna pompa sæcularis gloriæ tumulatum est: & erat in die illa tanta serenitas, vt ipse aer eius exequiis famulari videretur: adeo vt dicerent homines ad inuicem: Deum multa bona illi homini contulisse, nihilque ei defuisse eorum quæ Christianus homo habere debuit: vtpote qui Dominicis sacramentis munitus, magna gloria, aere etiam ipso serenato sepultus fuisset. Sed homo videt in facie, Deus autem cor intuetur. Post paucos dies cuidam valde sibi familiari apparens, dicebat se esse damnatum. Cumque ille miraretur, & expauesceret, pœnitentiam eius, & confessionem, sacram etiam communionem & inunctionem commemorans; respondit defunctus: vnum bonum mihi defuit, sine quo nihil horum quę enumerata sunt, mihi potuit prodesse. Quod est illud? inquit. Respondit mortuus; *Vera contritio; Licet enim DEO promiserim, consilio confessoris mei, continentiam, siue alia quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia: quia si conualueris, obseruare non poteris, & quia cor magis declinabat ad transgressionem, quam ad voti obseruationem, nullius peccati merui remissionem. Nam DEVS requirit fixum propositum pœnitendi.* Itaque huius hominis pœnitentia sera fuit & ficta; nec tamen fuisset sera, si fuisset vera. *Cæsarius lib. secundo cap. 15.*

XIV. VIRI CLARI EX ORDIN. PRÆD. IACOB. DE VITRIACO, VINCENT. EPISC. BELVACENSIS, ET GVILEL. EPISC. PARISIENSIS.

Per id temporis floruit Iacobus de Vitriaco, Episcopus Achonensis, & postea SS. Eccles. Roman. Cardi. Episcopus Tusculanus, vir in diuinis scripturis eruditus, & sæcularium literarum non ignarus, moribus & vita spectabilis. Is in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenii fuit, & Crucem contra Albigenses hæreticos magno cum fructu prædicauit, multosque fideles contra eos Apostolica authoritate signauit: atque nomen suum, per lucubrationes quamplurimas ad posteritatis memoriam transmisit. Non illo doctrina aut eruditione inferior Vincentius Gallus natione Burgundus, ex Ordinis Prædicatorum per id temporis Episc. Beluacens. vir in sacra Theolog. plurimum exercitatus, veterum lectione diues, ingenio felix, & sermone admodum compositus. Is tantum literis studium adhibuit, vt ab earum cultura, nullis vnquam laboribus, vigiliis vel occupationib. potuerit euocari, quin semper aut legeret, aut scriberet, aut ad populum verba faceret. Fere omnes alios sui temporis post se reliquisse videtur, si lucubrationum quæ scripsit multitudinem & grauitatem æqua lance expenderis. Namq; postulante, & sumptus in operam rege Francorum ministrante, ingentis doctrinę volumina, tituli speculi doctrinalis, moralis, naturalis & historialis scripsit in quib. plurimam eruditionem demon-

demonstrauit. Præter hæc reliquit alia non contemnendæ eruditionis opuscula: de Gratia Dei, de Laudibus S. Mariæ, de laudib. S. Io. Euang. de institutione liberorum, epistolas ad diuersos; & nonnulla alia singularia. Duobus istis viris doctiss. adiungit se, Guilelmus Episcop. Parisien. patria Aluernus, vir in Diuinis scripturis eruditus, & sæcularis Philosophiæ nō ignarus, subtilis ingenio, apertus eloquio, neque minus conuersatione quam sciētia venerandus. Composuit plurima maximæ eruditionis opera, in quib. cum & doctrinam & deuotionem non obscure indicasset, nominis sui famam immortalitati consecrauit. Catalogum eorum quæ scripsit, habet *Trithemius, in catalogo Ecclesiastic. scriptorum,* quibus Guilelmum accensuit.

XV. MARTYRIVM S. ANGELI ORDINIS CARMELIT. MIRACVLA ITEM EIVS AC FRATRIS IOAN.

Eodem anno *Panormi in Sicilia martyrium accidit sancti Angeli presbyteri Ordin. Carmelitarum, qui ab hæreticis ob defensionem Catholicæ fidei trucidatus est.* Habuit Angel. parentes, Hebraicæ superstitioni ïnutritos, Hierosolymis ex stirpe Dauidica superstites. Nomen patri Iesse, matri Maria. Hi frequentius Patriarcham Hierosolymitan. Nicodem. conuenientes, nonnihil mysteriorum fidei Christian. eo docente perceperant. Quę cum serio contemplarentur, in animum induxerant cilicium induere, solemniaq; ieiunij ac orationis assumere, neq; è terra à precib. exurgere, donec eis Deus reuelaret, num certa essent, quæ Nicodem. de Messia assereret. Neq; multum temporis intercessit, cum D. Virg. Mar. Angelorum cætu stipata vtrique apparuit, & quænam esset reuelauit, Deique matrem se dixit, atque ea quæ Nicod. eis de Christo Messia renunciauerat, vera esse asseuerauit. Monuit porro, vt in Ecclesiam properarent, sacro baptismate se initiari paterentur, arcanis fidei christianæ fidem adhiberent: & in præmium illius gemellam prolem masculam, alterum Ioann. futurum Patriarcham, alterum Angelum pro Christo martyrem expectarent. Templum ingressi, sacroq; baptismate abluti, cum sacris operaretur Nicodem. & diuinam hostiam super calicem eleuaret, viderunt ambo Christum ea ætate perfecta qua in cruce affixus pependit, visibiliter apparentem. Ex his natus Angelus, cum iam à disciplina Nicodemi Patriarchæ, ad perfectionis vitā conaretur, Eremum montis Carmeli expetijt, inque ea solitudine cætui Eremitarum adiunctus, breui temporis decursu non tantum tyrones, verumetiam veteranos prætergressus est, adeo vt miraculis quamplurimis effulgeret. Ferunt etiam Ioan. eius Fr. pari gratia & sanctitate præditum, 4. mortuos suscitasse, 20. paralyticos, leprosos 10. & 9. persanasse, cæcis 5. lucem reddidisse, & multos alios corporis ægros sanitati restituisse: ac vtrumq; vna cum innumerabilis populi multitudine Iordanem sicco vestigio transiuisse. Istud quoque memorant, Angelum, pallio suo superimposito, septem mortuis, & præter hos cuidam puero Bethleemitano defuncto, oratione præmissa vitam restituisse. Huic deinde CHRISTVS cum ingenti sanctorum multitudine visibiliter apparuit, vtque Alexandriam, ad sacras Diui Ioannis & aliorum sanctorum reliquias inde accipiendas accederet, & inde in Siciliam ad palmam martyrij properaret, admonuit. Erat per id tēporis in ea insula Berengarius Comes, qui duodecim annis integris sorori suæ carnali Margaritæ nomine consueuerat, & ex ea tres filios susceperat; nec quicquam admonitiones Sacerdotum, vtpote ab hæreticis seductus, & in reprobum sensum datus, admittebat. Eum vt ab hæresi, & à consuetudine illa incæstuosa Angelus auerteret, monitu diuino, in Siciliam nauigauit. Cumque & secreto, & propalam Berengarium sceleris redargueret, & ad sanam mentem reuocare cuperet, ille odio habens correptorem, & correptionem, aliquot vulnerib. sancto illatis, per martyrii palmam illum ad cœlos transmisit, anno Domini 1220. Totis 8. diebus quibus insepultus iacuit, quam plurimi surdi, cœci, paralytici, leprosi, & reliquis morbis afflicti, ab eius contactu beneficium sanitatis adepti sunt. *Roman. martyrol. die 5. Maii & Enoch in vita MS. Vatic. num. 3813.*

XIV. D. FRANCISCVS AB S. ANGELO CARMELITA MONETVR DE STIGMATIS ACCIPIENDIS DIVINITVS.

Romam aliquando Angelus profectus, cum loca sacra inuiseret, SS. Francisc. & Dominic. qui ad vrbem venerant, vidit, & allocutus est. Cumq; illi martyrium vterq; prædixisset, illum quoque Sancto Francisco stigmata prædixisse ferunt. Eam rem Baptista Mantuanus his versibus expressit.

Ad tua Franciscus sese vestigia flexis
Prostrauit genibus, sacris dedit oscula plantis:
Insuper adiecit: salue pater Angele montis
Incola Carmeli: te mors manet inclyta, Christi
Testis eris: Tibi Rex Diuum decus annuet istud.
Te quoque, Francisco memorant responsa dedisse
Talia, soluendæ tanto pro munere grates.
O Francisce Deo sed erit tua gloria nusquam
Inferior: tibi Christus enim sua vulnera quinque
Imprimet, & fies Christi patientis imago.
Dominicus, Hispanis qui tunc veniebat ab oris,
Forte aderat tam mira notans præsagia Patrum.

XVII. S. FRANC. BONONIÆ PRÆDICAT ET MIRACVLVM FACIT.

Hoc anno Diu. Francisc. iam singulari vitæ asperitate atq; innocentia clarus Bononiam venit. Is cum esset facie haud liberali, breui statura, crasso & obsoleto amiculo tectus, quib. rebus eximia excellentis viri ferme minui expectatio solet: tamen tanta hominum eius visendi cupidorum concursione exceptus est, vt per vias incessus eius esset ablatus, vt vero in forum peruenit, ciuibus & scholaribus in vnum conuocatis, concionem tanta spiritus magnitudine habuit, vt non homo loqui, sed Angelus putaretur. Adeo vero animos omnium flexit, vt non solum plerosq; ad pœnitentiam agendam impulerit, sed etiam scholares duos è Picæno ad res humanas relinquendas, & disciplinam suam addiscendam adduxerit: quorum vtrumque, nempe Peregrinum Falseronum, & Rixerium à Mucia habitum postulantes vestiuit. Quin etiam multa inde sanctitatis documenta dedit, vt oculum iuuenis, qui perpetua obducta macula sensum aspectus amiserat, vno crucis signo illato sanarit, quo facto illum deposcentem in societatem accepit. Extat scriptum quoddam Thom. Archidiac. Spalatens. qui tum studiorum causa in vrbe affuit, ad hāc historiam valde pertinens, quod ad rem illustrandam inserere adlibuit. Referebat. Cum essem in studio Bononiæ ego Thomas ciuis Spalatensis, & Archidiaconus eiusdem ciuitatis Cathedralis Ecclesiæ Anno 1220. in Die Assumptionis Dei Genitricis, vidi S. Franciscum prædicantem in platea ante palatium paruum, vbi pene tota ciuitas conuenerat. Fuit autē exordium sermonis eius: Angeli, homines, dæmones. De his autem spiritibus rationalibus ita bene & distincte proposuit, vt multis literatis qui aderant fieret admirationi nō modicæ sermo hominis idiotæ, non tantum ipse modum prædicantis tenuit, sed quasi concionantis tota verborum eius materia discurrebat ad extinguendas inimicitias, ad pacis fœdera reformanda, & sordidus erat habitus eius, persona contemptibilis, & facies indecora: sed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, vt multos nobilium, quorum furor immanis multa sanguinis effusione fuerat debacchatus, ad pacis concordiam simul deduceret. Erga ipsum vero tam magna erat vniuersorum deuotio, vt viri & mulieres in eum cateruatim currerent: & beatum se putabat, qui saltem posset, vel fimbriam vestimenti eius contingere. Hæc ille. Cum autem Diuus FRANCISCVS scholam Theologiæ Bononiæ instituere cuperet, ac virum inter cæteros eminentem scientia quæreret, neminem habuit, quem ANTONIO Vlyssiponensi præferret, qui postea Patauij mortuus, atque inter sanctos relatus Patauini cognomen accepit. *Carolus Sigonius libro secundo de Episcop. Bononiens.*

XVIII. FRIDER. II. DOMAT SARACENOS IN APVLIA.

Eodem Anno Fridericus Imperator in Apuliam diuertens, multa cum finitimis Saracenis bella commisit, & plurimis interfectis, reliquos suo dominio esse subiectos coegit. *Chron. Hirsaug.*

XIX. QVINDECIM MILLIA PAGANORVM BAPTIZATA.

Porro hoc eodem Anno Robertus Vesprimiensis ad Strigoniensem Archiepiscopatum euectus, Cruceque insignitus, ad XV. millia Comanorum sacro fonte tinxit. Princeps gentis, filium & duodecim Proceres miserat, qui Robertum ad id officij euocarent: postquam iam satis doctrinam Christianam à FF. Prædicatoribus & Minoribus didicissent.

XX.

Eodem tempore cuidam Monacho S. Galgani Iacobo nomine, viro religioso & simplici, cum quodam die Missam celebraret, inter Crucem & Calicem, nebula apparuit: cumque ab oratione, quæ dicitur: *Supplices te rogamus,* caput eleuasset, in eadem nebula lumen in modum candelæ ardentis lucens, & ex nebula & lumine, manum quæ se

ſuper corporale expanſum extenderet, multaq; in eo ſacro linteo, ad correptionem generis humani deſcriberet, non ſemel, ſed in quatuor ſacrificiis aſpexit. *Ex Magno Chronic. Belg.*

XXI. CARDIN. COLVMNA, VICTOR DAMIATÆ, COLVMNAM AD QVAM CÆSVS CHRISTVS ROMAM DEVLIT.

Hoc tempore Romæ vixit Ioannes Columna Cardinalis, qui ab Honorio Pontifice Chriſtiani exercitus & ingentis claſſis Legatus, in AEgypto ad Peluſium Nili oſtium, Æliopolim, quam Damiatam vocant, validiſſimam vrbem expugnauit: ſæpe & diuerſo quidem euentu cum Saracenis acie conflixit, captuſque demum & ſolutus, & victor ex ancipiti periculo laboreque honeſtiſſimum ſacrato viro triumphum Romam detulit, Columnam ſcilicet, in qua Chriſtus Saluator Hieroſolymis deligatus, & flagris cæſus fuit, quam in ſanctæ Praxedis templo ſupra Suburram ad exquilias hodie veneramur. *Iouius in Pomp. Colum.*

XXII. ROBERTVS SALVTATVR IMP. ORIENTIS.

Robertus etiam Petri Imperatoris filius Conſtantinopolim veniens, Imperatoris nomine ab omnib. eſt ſalutatus: cum ante ipſum Ioanna relicta non totis duobus annis imperium adminiſtraſſet.

XXIII. SACRILEGIVM PVNITVM.

Hoc anno Deus ſeueram vindictam exercuit, in quendam violatorem ſacrorum. Is erat miles, Curto nomine, qui tuttim Capellæ Vngherſeimenſis in Alſatia ſuperiore deſtruxerat, & caſtrum ex ea extruxerat. Non impune: eodem enim anno, morbo frenetico correptus interijt. *Chron. Colmarienſe.*

IESV CHRISTI
Annus 1221.

HONOR. PAP. III. 5. FRIDER. II. IMP. 2. ROBER. IMP. 2.

I. CRVCESIGNATI ÆGYPTO EXEVNT, ET DAMIATAM PERDVNT.
a *Æmil. & Nauclerus.*

AD octauum diem Septembr. Cruceſignati in Æpypto Damiatam amiſerunt, atque vniuerſa Ægypto magna cum ignominia Chriſtianorum exceſſerunt. Ita ceſſit. *a* Pelagius ſedis Apoſtol. Legatus, ſpe euertendæ barbaræ ſuperſtitionis concepta, aduerſus Sultanum Babyloniæ caſtra moueri, Cairumque ſeu Memphim accedere omnibus præceperat. Initio detrectabat Ioannes Brennus Rex Hieroſolymitanus: dicens exercitum non ad Ægyptum ſubiugandam, ſed ad Palæſtinam vindicandam conſcriptum eſſe. Cæterum cum Pelagius & ſuaderet, & vrgeret, & iure ſacroſanctæ poteſtatis imperaret: & qui dicto audiens non foret, eum ſe execrari minaretur, tandem mouit. Iuerunt metu dirarum ad 70. hominum millia Idibus Quintilibus, & Cairo appropinquarunt. Ibi Sultanus copijs ſuorum diuiſis, viarum aditus, per quos Cruceſignati tranſierant occupauit, adeoque vias obſtruxit, vt ad exercitum Chriſtianorum, nec victualia ex Damiata deferri poſſent, nec ei ſuccurri aut ſubueniri. Stetit aliquibus diebus quaſi immotus exercitus; vnde & victualia cæperunt deficere. Tentatus ſæpe hoſtis, ſæpe ad prodeundum in aciem prouocatus, necquicquam pugnandi copiam fecit: ſed pauore ſimulato, per dies ſingulos maiorem perniciem in Chriſtianos machinabatur. Nilum amnem, cum Babylonem Cairumque præterlapſus eſt, vndique coercent ripæ, elatiores alicubi pro ſoli neceſſitate, alicubi depreſſiores: cataractæque certa ſpatiorum proportione in regionibus ſunt diſpoſitæ, de quibus agri conſtituto tempore inundantur. Poſtquam igitur Chriſtiani duos in caſtris reſederant menſes, occaſio diu expectata hoſti obuenit. Nilus in ſummas ripas eſt ſolito citius tumefactus, qua fretus occaſione Sultanus cataractas vbique non magis amoueri, quam ripas ad amnis fundum defodi curauit: cooperueruntque ilico regionem aquæ, vt Chriſtianorum caſtra, niſi vbi ſolum natura aut congeſta terra eleuatius erat, cubiti altitudine ſuperarent. Iumentis vero inprimis ſublata paſcendi facultas, & quod in caſtris paratum erat, deſtructum eſt ſtramentum, nec aliquid fuit ſaluum, quo mortales potuerint vel triduo ſuſtentari. Vnde chriſtiani in eam adducti ſunt difficultatem: vt nec remanere, nec redire, hoſte in omnibus locis vias occupante poſſent. Sed nec reſiſtere aggredientibus volebant.

SVLTANVS MISERETVR CHRISTIANORVM IN NILI AQVIS EXPOSITORVM.

Mirabile dictu, cum noſtri iam ab infidelibus quaſi capti tenerentur, Sultan. ad regem & Legatum miſſis nunciis, de pace mentionem fecit, & poſt multas, pro tempore vtriuſque partis allegationes, in hunc modum deſcenderunt, vt Chriſtiani vrbem Damiatam Saracenis reſtituerent, & Sultanus partem Crucis Dominicæ, quam ab Hieroſolymis aſportauerant Chriſtianis redderet, & captiuis viciſſim liberatis, chriſtiani Acam Tyrumq; redirent, quib. vrbib. & eorum opib. pax 8. annis eſſet cum Turca Saracenoque ſeruanda. Præterea Sultan. chriſtianorum calamitatib. compatiens, cum audiſſet illos fame confici miſeranda, victualia illis gratuito exhibuit, quouſq; Damiatam redirent, vt cum reliquis reb. & perſonis ſimul excederent. Recuſabant aliqui vrbem deſerere: veruntamen cum alii Acam vrbem vellent tradere Saracenis, in qua illi vxores, liberos, familiam & opes reliquerant, deliberauerunt exire, & exercitum liberare. Die Natiuit. D. Deiparæ Damiatam reliquere, & iuxta fluuium in tentorijs conſedere. Cui multitudini in Palæſtinam deuehendæ, cum naues minime ſufficerent, Sultan. ſuas ſuppeditauit, & dato filio obſide, ſecuros à periculo eſſe iuſſit: inſuper reliquis per deſertum arenoſum ire volentibus ductores conceſſit: his vero qui res ſuas nec mari, nec terra tunc poterant deferre, ad illas auehendas vnius anni ſpatium permiſit. Chriſtianorum autem Duces, cum in Ægypto nihil poſſe efficere perſpicerent, conuaſatis omnib. in Italiam redierunt, quos Ioan. Brennus Hieroſolymitanus Rex diſpoſitis vt poterat reb. ſubſecutus, perbenigne ab Honorio ſuſceptus, magniſq; munerib. ornatus eſt. Frider. Imper. proinde male audiuit, nec potuit inuidiam euadere, quod publice diceretur, per ipſius cunctationem ſeu negligentiam ſtetiſſe, ne Cruceſignati reliqua Ægypto potirentur.

II. FRIDERICVS REGNO SICILIÆ SE ABDICAT, FILIO DAT, PRIVILEGIA ROM. ECCL. CONFIRMAT.
b *Inter ep. an. 5.*

Amiſſa Damiata à Cruceſignatis, *b* Honorius Fridericum admonuit, vt in ſubſidium Terræ ſanctæ transfretaret. Sed ille nouas ſemper occupationes cauſſatus, nihil plane mouit: niſi quod Principibus Imperij impoſuit, vt quamprimum traijcerent; & Sedis Apoſtol. Legato, Hugolino Oſtienſi Epiſcopo, in omnibus obtẽperarent. Honorius enim metuens, ne Saraceni viribus coniunctis Cruceſignatos in Palæſtina opprimerent Legatum, milites, & pecunias in auxilia ſubmiſerat. Iſtud quicquid eſt boni Fridericus hoc anno præſtitit. Regno Siciliæ ſe abdicauit, & annuente Pontifice Honorio filio conceſſit: quem etiam diademate Regni Romanorum Aquiſgrani inſigniuit, & Margaritam Leopoldi Archiducis Auſtriæ filiam ei in matrimonium collocauit, Ludouicumque Bauariæ Ducem ex Ægypto reuertentem Curatorem ei præſtitit. Quod Eccleſiam attinet; cum illum Honorius admonuiſſet, vt priuilegia & iura Romanæ ſedis confirmaret; vt terram Comitiſſæ Mathildis & reliquas Eccleſiæ poſſeſſiones reſtitueret, & in manus Nuncij reſignaret; vtque aliquid dignum Imperiali maieſtate contra hæreticos ſtatueret atque decerneret, auſcultauit. Namque iuramentum ante duos annos Hannoniæ præſtitum, & priuilegium eodem loci datum, menſe Ianuario huius anni innouauit: Terram Comitiſſæ Mathildis & reliqua ablata reſtituit; ſuos Baliuos & Iudices, ne Beneuentanos iniuria diuexarent, literis datis inhibuit: contra Hæreticos plura ſanxit: & ne perſonæ Eccleſiaſticæ ad iudicium traherentur ſæculare, interdixit, dato diplomate, quod ſequitur.

†

FEDERICVS DEI GRATIA ROM. IMP. ET SEMPER AVGVSTVS, MARCHIONIbus, Comitibus, cunctiſque populis quos clementiæ noſtræ regit Imperium ſalutem & gratiam.

c *epiſt. 486. edita A. D. 1220.*

c IN *die qua de manu Sacratiſſimi Patris noſtri Summi Pontific. recepimus Imperii diadema, curauimus ad Dei & Eccleſiæ ſuæ honorem, edere quaſdam leges, quas in præſenti pagina iuſſimus annotari, per totum noſtrum Imperium publicandas, per Imperialia vobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eas quiſq; litteras in ſuo diſtrictu irrefragabiliter, & inconcuſſe ſeruet, & ſunt hæ leges.*

Ad decus & honorem Imperii, & laudem Romani Principis nihil omnino magis videtur accedere, quam vt expurgatis quibuſdam erroribus, & iniquis quorundam ſtatutis penitus deſtitutis, de cætero Eccleſia DEI plena quiete vigeat, & ſecura gaudeat libertate, ſane adeo infidelium quorundam & iniuſtorum iniquitas abundauit, vt non dubitent contra Apoſtolicam diſciplinam, & Sacros Canones ſtatuta ſua confingere contra Eccleſiaſticas perſonas, & Eccleſiæ libertatem. Cum ergo, diſpoſitione Diuina fauente, nihil velit Eccleſia quæ nihil debet præter bonum appetere, quod nobis eodem concurſu & eadem non placet voluntate. Nos Federicus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, hac edictali lege irritamus & irrita nunciamus, omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ Ciuitates vel loca, Poteſtates, Conſules, vel quæcunque aliæ perſonæ contra libertatem Eccleſiæ vel Eccleſiaſticas perſonas edere vel ſeruare aduerſus Canonicas, vel Imperiales ſanctiones præſumpſerint. Et ea de Capitularibus ſuis mandamus infra duos menſes poſt huius publicationem edicti penitus aboleri. Et ſi de cætero ſimilia attentauerint, ipſo iure decernimus eſſe nulla, & eos ſua iuriſdictione priuatos, ſuperiori protinus applicanda. Necnon locum vbi deinceps talia præſumpta fuerint, banno mille marcarum præcipimus ſubiacere. Poteſtates vero, conſules, Rectores, ſtatutarii, & ſcriptores dictorum ſtatutorum, nec non, & Conſiliarii locorum ipſorum, qui ſecundum ſtatuta vel conſuetudines memoratas iudicauerint, ſunt ex tunc ipſo iure infames. Quorum ſententias & actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quod ſi per annum huius noſtræ conſtitutionis inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum noſtrum Imperium, mãdamus impune ab omnibus occupari. Saluis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis.

Item nulla poteſtas, vel perſona, publica vel priuata collectas ſiue exactiones, angarias vel parangarias Eccleſiis vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere aut inuadere bona Eccleſiaſtica præſumat. Quod ſi fecerint & requiſiti ab Eccleſia vel ab Imperio, emendare contempſerint, triplum refundant, & nihilominus banno Imperiali ſubiaceant, quod abſq; ſatisfactione debita nullatenus remittatur. Item quæcunq; communitas vel perſona per annum in excommunicatione facta propter libertatem Eccleſiæ perſtiterit, ipſo iure Imperiali banno ſubiaceat, à quo nullatenus extrahatur, niſi prius ab Eccleſia abſolutus fuerit.

Item ſtatuimus vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel ciuili, trahere ad iudicium ſeculare præſumat contra conſtitutiones Imperiales & Canonicas ſanctiones. Quod ſi fecerit actor à iure ſuo cadat & iudicatum non teneat, & Iudex ſit ex tunc iudicandi poteſtate priuatus. Statuimus etiam vt ſi quis Clericis vel perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumpſerit, tertiò requiſitus, ſuam iuriſdictionem amittat.

Gazaros, Patarenos, Leoniſtas, Speroniſtas, Arnaldiſtas, Circuncifos & omnes hæreticos vtriuſq; ſexus quocunq; nomine cenſeantur; perpetua damnamus Infamia, diffidamus atq; bannimus: Præcipientes vt bona taliũ confiſcentur, nec ad eos vlterius reuertantur, ita quod filii eorum ad ſucceſsiones peruenire non poſsint cum longe grauius ſit æternam quam temporalem offendere Maieſtatem. Qui .a. inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles (niſi ad mandatum Eccleſiæ iuxta cõſiderationem ſuſpicionis, ac qualitatem perſonæ propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint) tanquam infames & banniti ab omnib. habeantur. Ita quod ſi ſic per annum manſerint, ex tunc eos ſicut hæreticos condemnamus.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt Poteſtates, Conſules, ſeu Rectores, quibuſcunq; fungantur officiis, pro defenſione fidei præſtent publice iuramentum quod de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis, vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro iuribus exterminare ſtudebunt. Ita quod à modo quandocunq; fuerit quis in poteſtatem ſiue perpetuam vel temporalem, aſſumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin nec pro poteſtatibus, nec pro conſulib. habeantur, & eorum ſententias irritas ex tunc decernimus & inanes.

Si vero dominus temporalis, requiſitus & admonitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore admonitionis elapſum terram illius ipſis exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, abſq; vlla contradictione poſſideant, & in fidei pietate cõſeruent. Saluo iure domini principalis, dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat. Eadem nihilominus lege ſeruata contra eos qui non habent dominos principales.

Credentes præterea receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus, firmiter ſtatuentes, vt ſi poſtquam quilibet talium fuerit ab Eccleſia excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerint infra annum, ex tunc ipſo iure ſit factus infamis, nec ad publica officia ſeu conſilia, vel ad eligendum aliquos ad huiuſmodi, neq; ad teſtimonium, admittatur. Sit etiam inteſtabilis vt nec teſtandi liberam habeat facultatem; nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ei ſuper quocunq; negotio is id ipſe alius reſpondere cogatur. Quod ſi forte Iudex extiterit, eius ſententia nullam habeat firmitatẽ, nec cauſæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, inſtrumenta per eum confecta, nullius penitus ſint momenti. Nauigia quocunq; locorum peruenerint, ſi quo caſu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram peruenerint, tam nauigia, quam nauigantium bona illis integre reſeruentur, ad quos ſpectabant antequam nauigium illud periculum incurriſſet. Sublata omnium locorum penitus conſuetudine, quæ huic aduerſatur ſanctioni. niſi talia ſint nauigia quæ piraticam exerceant prauitatem aut ſint nobis vel Chriſtiano nomini inimica.

Tranſgreſſores vero huius noſtræ conſtitutionis, bonorum ſuorum publicatione mulctentur. Et ſi res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum noſtrum modis aliis compeſcatur.

Omnes peregrini, & aduenæ, libere hoſpitentur vbi velint. & hoſpitati ſi teſtari voluerint de rebus ſuis ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcuſſa ſeruetur. Si qui vero inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil perueniat, ſed bona ipſorum per manus Epiſcopi loci, tradantur hæredib. (ſi fieri potiſt) vel in pias cauſas erogentur. Hoſpes vero ſi aliquid de bonis talium contra hanc conſtitutionem noſtram habuerit triplum Epiſcopo reſtituat, cui viſum fuerit aſſignandum, non obſtante ſtatuto aliquo, ſeu conſuetudine, ſeu priuilegiis, quæ hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra præſumpſerint, eis de reb. ſuis teſtandi interdicimus facultatem, vt in eo puniantur, in quo deliquerint, alias prout culpæ qualitas exegerit puniendi. Agricultores, & circa ruſticitatem occupati, dum villis inſident, dum agros colunt, ſecuri ſint quacunque parte terrarum, ita vt nullus inueniatur tam audax, qui perſonas, vel boues, agrorum inſtrumenta, aut ſi quid aliud ſit, quod ad operam ruſticalem pertinet, inuadere, capere, aut violenter auferre præſumat. Si quis autem huiuſmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumpſerit, in quadruplum ablata reſtituat, infamiam ipſo iure incurrat, Imperiali aduerſione nihilominus puniendus.

III. ÆMVLI HONORIVM INTER ET FRIDER. II. DISCORDIAS SEMINARE CONTENDVNT.

Non deerant tunc æmuli, qui Fridericum Honoriumq; committere contendebant. Et quidem Frider. Capuæ Comitio indicto, edixerat, vt ſinguli quicunq; priuilegia aliqua à parentib. ſuis obtinuerant, illa intra certum temporis ſpatium oſtenderent: nam multi quam plurimis priuilegiis confictis, vt ille narrabat, ac vbiq; vulgatis, multa Regno Siciliæ detraxerant. Hinc plerique Pontificem in eam opinionem induxerunt, vt is exiſtimarit, quaſi Frideric. ea quæ pro Eccleſiaſtica libertate conceſſerat, irritaſſet: & q̃ plurimas ſanctiones, in eod. Comitio, quod Roma in Siciliam reuertens, Capuę indixerat, cõtra ſedem Apoſt. euulgaſſet, omniaq; hactenus conceſſa, & tum iuramento, tum literis confirmata, reuocaſſet. Excuſabat Frider. quæ Capuę ſtatuerat, nimirum, quia nihil contra iura & priuilegia Roman. Eccl. aut Eccleſiaſticæ libertatis atq; immunitatis decreuiſſet: neque ſemel conceſſa ac tranſacta abrogaſſet, aut repetiſſet: præterquam quod falſa illa & fictitia diplomata, à maleferiatis quibuſdam hominib. diuulgata oſtendiſſet, pariterq; condemnaſſet. Proinde conſtantem ſuam erga Ro. Eccl. volũtatẽ aſſeuerauit, data ad Honoriũ epiſtola, ſcripta apud Tranum die 3. Menſis Martii Indictione 9.

IV. HISPANIARVM REGES AD SARACENOS IVDÆIS INTERNVNCIIS VTVNTVR, QVOS EXCOMMVNICANDOS SVSCIPIT HONORIVS.

Hoc An. in Hiſpaniis regnabant, Legione quidem Alfonſus, apud Caſtellam Ferdinandus, in Aragonia autem Iacob. Petri F. His varia intercedebant negotia cum Miramolino Marochionarum Sultano, cum quo & Saracenis Hiſpaniarum ſæpe ſæpius decertabant. Cæterum cum internunciis non quidem Chriſtianis, ſed Iudæis vterentur, qui conſilia Chriſtianorum Saracenis aperiebant, eoſq; in perniciem Chriſti fidelium inſtruebant, non diſſimulandũ putauit Honorius, quin ſingulos admoneret, ne perditorũ conſortio rem in diſcrimen adducerent. Poterant tergiuerſari Reges, ne intermitterent eas miſſiones. Cæterum Honorius vt vel inuitos compelleret, Legionenſi & Zamorenſi Epiſcopis vt Alphonſum: Archiepiſcopo Toletano, & Burgenſi atq; Palentino Epiſcopis, qui Ferdinandum: Archiepiſcopo Tarraconenſi, atque Epiſcopis Barchinonenſ. & Iſterdenſ. qui Iacobum à ſententia & ab Hebræorum conſuetudine per cenſuras ſi opus foret dimouerent. Scripſit literas Laterani II. Non. Nouembr.

Cæterum cum Alphonsus Portugalliæ Rex iniquiore animo erga Bracarensem Archiepiscopum, plurimis iniuriis eum afficeret, adeoque persequi non desisteret, illum quidem Honorius reuerentiæ & benevolentiæ admonuit: verumtamen Palentino, Austricensi & Tudensi Episcopis iniunxit, qui in persecutorem crudelem, anathema distringerent. In eandem rem Alfonso Legionensi Regi scripsit, vt Archiepiscopatum acerbissime ab impio Rege diuexatum, atque Ecclesiam, bona & clerum Bracarens. in tutelam susciperet, eumque ab iniurijs vindicaret. Dedit epistolas Laterani XI. Cal. Ian.

V. IOAN. FILIVM MATER ISABELLA PERSEQVITVR, ET AB HONORIO REVOCATVR.

In Anglia Isabella IOANNIS Regis relicta, pietatis maternæ oblita, filium Regem Henricum comparato exercitu persequebatur, adeo vt eius Seneschallum in vincula coniecerit, & multis castris per vim ereptis, Sacramentum fidelitatis à subditis regiis extorserit. Mouit ea immaniras Honorium Pontificem, qui causam Regis suam esse existimans, Isabellam hortatus est, ne pupillum, orphanum, Roman. Eccles. clientem, Crucesignatum & filium tanta crudelitate afficeret. Quod si sequire non desisteret, Sandonensi & Lemouicensi Episcopis præcepit, vt immanem illam à cœtu fidelium separarent, & Prouinciæ interdicto Ecclesiastico subijcerent. Dat. apud vrbem veterem VII. Calen. Octobr.

VI. *Laterani 2. Non. Decē. & 16. Cal. Decemb.* SEPTENTRIONALIBVS REGNIS PROVIDET HONORIVS.

Eodem anno Septentrionales Ecclesias diuersæ necessitates premebant, vt ab Honorio Pontif. auxilia postularent. Quibus vt ille consuleret. Gregor. Crescen. Romanus tituli S. Theodori Diacon. Cardinalem Legatum à Latere, in Poloniam, Boemiam, Daniam & Sueciam destinauit, & Lesco Polono, Ottocaro Boemo, Valdemaro Dano, Henrico Sueco scripsit, qui benigne illum reciperent, virum (vt memorabat in literis) qui per se ac suos magnum locum in vrbe obtineret, & grata vicissitudine omnib. posset respondere. Cæterum cum non deessent plurimi, qui regnum Daniæ infestarent, recepit illud in tutelam Honor. omnibusque & singulis, ne illud distraherent aut perturbarent, sub anathematis sententia edixit.

VII. *epist. 504.* AD SARACENOS CONVERTENDOS SVBMITTI AB EPISCOPIS VVLT PRÆDICATORES HONORIVS.

Conuersionem quoq; Gentilium, & Saracenorum non intermisit Honorius, sed ad eam procurandam v niuersis Europæis Episcopis iniunxit, vt ex singulis Prouincijs, quatuor, aut ad minimum duos Prædicatores, scientia literarum, & integritate morum conspicuos, ad sedem Apostol. destinarent, quos ipse ad diuersas Gentes transmitteret. Multos eorum vtraque religio, nimirum Sancti Dominic. & Sancti Francisc. subministrauit, quibus volupe fuerat barbaras gentes filei splendore illustrare, & ad vitæ melioris cultum traducere. Sane eos nihil à suscipiendis laboribus deterrebant mortes aliorum: licet audirent variis in Prouinciis quamplurimos enecari. Nam hoc anno apud Septam Mauritaniæ septem viri Franciscani, Daniel, Samuel, Angelus, Domnus, Leo, Nicol. & Hugolinus, à Saracenis occisi fuere. Penetrarant illi Septam, vt populos illos à barbara cœcitate, ad veræ lucis visuram adducerent. Cumque triduo apud Pisanos mercatores, Genuenses & Massilienses in vico extra vrbem christianis mercatoribus assignato, strennam Diuini verbi operam nauassent, tandem Gentilibus prædicare decreuerant. Præsumpto itaque sacro pane, & ad exemplum Christi prælotis sibi mutuo pedibus cinere capitibus insperso, fidenter in Ciuitatem ingressi, palam Christum Iesum nunciare, & certam viam salutis indicare cunctis voluerunt. Cumque in mediam vsq; ciuitatem progressi, gentilium cœcitatem intrepide arguerent, illi in eos manibus furore & amentia bacchantes, ad Regem suum eos protraxerunt, conuitijs interim non modo onerates ac proscindentes, sed impositis plagis haud lenibus ad necem petentes. Porro Rex conspicatus rasa capita, & horrida vestimenta, ratus eos cerebro laborare, vinctos iussit octiduo custodiri, & eorum constantiam variis afflictionib. tentari. Octauo vero die productos in suum conspectum, cum promissis & blanditiis, tum minis ad Saracenorum impietatem inuitauit. Illis vero nefarium hoc scelus execrantibus, & constanter asserentibus in vno IESV CHRISTO tantum, veram salutis rationem positam esse: Iudex Arbaldus ira inflammatus, sententiam capitalem in eos edixit. Hanc illi alacri animo exaudientes, cum ad supplicii locum aduenissent, submissis cernicibus, coronam martyrii adepti sunt. Sacra autem illorum capita comminuta, & corpora à pueris & Saracenis misere discerpta, tandem à Christianis collecta, atque in Hispanias illata sunt.

MARTYRIVM 7. FRANCISCANORVM IN MAVRITANIA APVD SVEIVM IX. OCTOB.

VIII. *Epist. 699. & 762. & Flamin in vita S. Dominici.* PRÆDICATVRA DOMINICANIS SACRA MILITIA CONTRA HÆRETICOS.

In Galliis Tolosates hæretici omnia miscebant, neque verbis, neque armis cohiberi poterant, quo minus Catholicos infestarent. Cum autem Crucesignati neque perpetuo, neque vt par erat contra perfidos decertarent, Honorius Tertius, vt castrorum acies promptas & expeditas contra eosdem instrueret, religiosis sancti DOMINICI iniunxit, potestatemque plenariam dedit vt sacram militiam, quæ de pœnitentia diceretur, aduersus hæreticos instituerent: Conuenit multitudo ingens, & huic sanctæ Sodalitati nomen dedit, sumpto pullo pallio super alba veste: & præstito sacramento, in tutelam fidei Orthodoxæ.

IX. MORS ET HEROICA FACTA S. DOMINICI, ITEM MIRACVLA.

Factum est istud statim à morte Diui DOMINICI, qui hoc Anno octauo Idus Augusti ad cœlestem gloriam emigrauit, vir plane Apostolicus, Orbis lumen, Euangelii tuba, hæreticorum antagonista, sanctitatis & miraculorum magnitudine præclaris. Auctor fuit HONORIO III. vt officium Magistri sacri Palatii instituerer. Cum enim cerneret quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibus eorum Clericos & ministros in Aula Palatina, in vanis deambulationibus ac nugis tempus deuorare, indoluit, ac Pontificem conueniens, Turpe esse dixit, illos omnem honestatem professos, indecora committere, sacrosque illos parietes indignissimis scurrilitatibus contaminare. Sibi videri vtile fore, si tantisper dum Cardinales cum eo in negotiis Ecclesiæ occupentur, quispiam doctus vtile aliquid publice interpretaretur. Placuit consilium Honorio: & illi ipsi qui consuluerat, id negotium commisit. Is vero quotidie, Pauli Apostoli epistolas, in numerosissimo auditorum conflessu, maxima dicendi copia interpretari cœpit, adeoque res Pontifici & Ecclesiæ placuit, vt deinceps institutum fit, vt ex Ordine Prædicatorum ad hoc munus aliquis eligeretur, & Magister sacri Palatii diceretur. Illustrauit doctrinam miraculis Dominicus. Romæ ex quadam matrona septem impuros spiritus eiecit: Theodoram, Teidamiam & Nymphan sanctimoniales febrientes, sola iussione, dicens: *I, ac singulis meis iube verbis, ne vltra fabricitent*; ianuit: Patera vim sibi porrecta, liquorem miraculose adeo multiplicauit, vt ex eo centum virgines & triginta cœnobitæ sitim expleuerint, neque tamen pateram plenam imminuerint: exulceratum cuiusdam matronæ pectus, à cancro incurabili sola oratione curauit: aquam aliquando in meracum vinum solo præcepto mutauit: quendam puerum ex altissimo domus solario deciduum, ex membrorum contusione iamiam morientem, patentibus fanum dedit: aliaque quamplurima admiranda verbo egit. Cum aliquando Florentiam peruenisset, mulierem audiuit quandam prope monasterium habitantem, à dæmone vexari; quod illi quidem acciderat, quia delitiis præter morem Christianum indulserat. Vbi ad hanc Diuus Dominicus venit, primum quidem sacra exomologesi illam expurgauit; deinde malum hospitem illum ex corpore eius eiecit: adeo vt toto Anno nullam amplius molestiam ei exhibuerit. Accidit, vt sanato corpore mentis ægritudo reuersa sit, ac pruritus carnis atq; libidinis intolerabile incendium illã inuaserit. Hęc ad B. cõfugiens Dominicũ, q̃d sibi accidisset, quidne pateretur, explicauit. Is porro cũ intelligeret, quo in discrimine versaretur, eam, an ad priorem calamitatem redire vellet, interrogauit. Respondenti, se Deo permittere, vt quod magis expediret sibi cõtingeret; commisit: hoc optaret, hoc rogaret. Oranti illa, nec multo post diabolus eam inuasit, & illa per cruciatus corporeos, mentis anxietates atque cogitationes libidinantes euasit. Alteri à Satana infestæ mulieri, orationem SS. Rosarii commẽdauit. Quam cum illa frequentius repeteret, ex pronunciatione nominis Mariani, in vexatione dæmoniaca, non modicum leuamen sentiebat. Tandem ab impuro liberata, tantam gratiam à Deo promeruit, vt multa recondita illi Deus reuelaret. Hæc die quadam, cum B. Dominic. sacris operaretur, vidit illum Christi sacris vulneribus & spinea corona insignitum, cœliq; Reginam præsentem atque assidentem. Post vero sacræ hostiæ consecrationem, ipsum, superaltari

per altari Christum magna in Cruce extentum, suo cruore ex omnib. partib. corporis effluente respergentem Eodem momento temporis Dei genitricem virginem, particulam ex Eucharistia sibi sumentem ac edentem; similiter partem sanguinis de calice bibentem, & alio quodam tempore præclara sibi documenta dantem.

X. ADMIRABILIS CONVERSIO CVIVSDAM MERETRICIS ROMANÆ.

Istud Romæ contigit, quod sequitur. Erat ibi formosa & magni nominis prostituta, cui Catharinæ fuit nomen cognomento Pulchræ; ad quam propter elegantiam morum & formæ, & exquisitum corporis cultum frequens iuuentus confluebat. Hæc licet eorruptis moribus quamplurimos corrumperet, Diuum tamen Dominicum concionantem libens audiebat, & orationem SS. Rosarii ab eo edocta, frequentissime in Ecclesiam veniens recitabat. Die quadam per vrbem circumeunti, iuuenis quidam venustus obuiam factus; ecquid circumiret, & num domum non haberet, inquisiuit. Respondit illa quod ex re erat, & ad domum primo, deinde ad congressum inuitauit. Cum cœnam apposuisset, mirum visu, omnia quæ iuuenis tangebat, sanguis inficiebat. Stupuit illa, & quid rei esset interrogauit. Ibi ille; An, inquit, ignoras Catharina, non debere verum christianum quicquam esse aut bibere, quod non sit Christi sanguine tinctum? Tunc meretrix: Putore, ait, quempiam esse venerabilem virum. Cui ille: Qui sim non ignorabis, vbi cubiculum intrauerimus. Intrauerunt ambo, prior illa lectum insiliit, atque iuuenem inuitauit. Tunc ille repente in alium mutatus, confossum quinque vulneribus, & flagris laceratum corpus, caput vero corona spinea oneratum, brachia autem cruce oppressa ostendit, atque Catharinam extorritam compellauit; Adhibe dicens, tandem ô infælix tuæ lasciuiæ modum, & finem facito insaniendi. Aspice me & vide, quam dira pro te supplicia sim passus. Interim hæc dicens tanquam sol resplenduit, & ex quinq; vulnerib. emisso fulgore hæc ait: Define ô Cathar. define iam insanire; & quæ vidisti, mente recondere: atq; tandem ad meliorem mentem redi. Hæc audiens & aspiciens illa, libidinari desiit: & castitatis proposito assumpto, ad tantam perfectionem euasit, vt aliquando Diua Deiparens, vna cum S. Cathar. martyre ei apparuerit, & modum pœnitentiæ præscripserit. Cum autem hæc miraretur Dominic. quod tam proiecta paulo ante meretrix, ad tantum sanctitatis gradum & excellentiam peruenisset, D. Virgo se illi obiiciens; An ignoras, inquit, fili mi, me Aduocatam peccatorum esse? An vero non consideras, meum dulcem natum, omnibus sincere pœnitentib. ad mea vota indulgere? Ista tibi satis esto ad exemplum: ne quis perditorum vnquam desperet; si modo meo patrocinio sese commiserit, atq; piam hanc orationem non labiis tantum sed imitatione & opere expresserit. Insinuabat SS. Rosarium, cuius magnæ vires, vel ab hoc vno vnico indicio, quod narrabo.

XI. MORTVÆ RESVSCITATIO PER D. DOMIN.

In regno Aragoniæ fuit quædam puella, nobilitate generis atque formæ præstantia, cui nomen Alexandræ. Eam in sodalitatem SS. Rosarii adscriptam, contigit, sæpe sæpius propter coæqualium puellarum conuersationem, & corporis cultum plus nimium orandi præscriptam formulam intermittere. Duos riuales habebat, qui eam deperibant; & cum potiri non possent; in singulari certamine sese occiderant. Aliquis consanguineorum alterius adolescentis, ægre ferens, propter vultum puellæ, interemptum esse illum, noctu Alexandram inuaserat, & confiteri postulanti cernices præciderat, atque caput recisum in propinquum puteum deiecerat. Quinq; menses abierant, cum Diuus Dominicus à SS. Deipara admonitus puteum accessit, Alexandramque vocauit. Miranda res secuta est. Puellæ caput, multis, qui ad spectaculum conuenerant, præsentibus, vitæ restitutum ab imo puteo sursum ascendit, adeo recens habens vulnus, ac si eadem hora recisum esset, & oculis in B. Dominicum intentis, ait: Cupio Pater mea delicta confiteri. Facta non solum eiusce rei, sed sacræ etiam Eucharistiæ compos, mira admiranda renuntiauit, biduo superuixit; quintodecimo deinde die Diuo Dominico apparens in claritatem stellæ sese efformatam obiecit, & legatione se eorum qui expurgatoriis cruciantur pœnis fungi dixit, vt moneret superstites, qui in hanc sodalitatem nomina inscriberent: cum & Angeli mirum in modum recrearentur, & Regina cœlorum Maria vehementius exultaret, à tam pio orationis instituto.

XII. POENA TH DIGNE COMMVNICANTIS.

Paulo antequam D. Dominicus moreretur, istud insigne miraculum in sacra Eucharistia ab eius manib. patratum est. Cuidam vsurario sibi mentienti institiam, & petenti Eucharistiam, sacrã hostiam porrexerat. Hęc vero mox, quasi carbo ignitus eius palatum adurere videbatur, vt Mulciber ignis qui puerorum viscera refrigerauit, Chaldæorum autem nequitiam combussit. Vnde compunctus conuersus est, ac vniuersa quæ male acquisierat restituit. *Humbert. in Chron. Ord. Prad.*

Alia plura à scriptorib. vitę S. Dominici recẽsentur, quæ ille gessit. Tandem Bononiæ morbo correptus, cum corporis illibatam virginitatem se semper seruasse testatus esset, & Fratres complorantes ad charitatem mutuam, ad humilitatem profundam, ad paupertatis & castimoniæ amorem, atq; religionis recens institutæ propagationem, & reliquas virtutes admonuisset, seque eis post mortem magis præsto affuturum promisisset, sacris ex more Christiano susceptis, ad cœlum euolauit.

XIII. BREVIS RÉPETITIO VITÆ S. DOMINICI.

Porro hæc est breuis anacephalęosis vitæ eiusd. 1. Antequam nasceretur, porta catuli faculam accensam ore baiulantis, & vniuersum mundum eadem illustrantis & inflammantis, præsignatus præmonstratusque est. 2. Natus & sacro fonte ablutus, stellam fronte gestare visus est. 3. infans ex culla exiliens in duram humum membra eclinabat. 4. ad os pueri aliquando apes consolauere & fauos attulere. 5. Palentiæ dans operam studijs, tempore famis omnia sua diuendidit, pretiumque egenis distribuit. 6. E manibus Didaci Oxonienſis Episcopi canonicorum habitum induit. 7. cum Didaco & duodecim Abbatibus, omni pompa & equitatu dimisso contra Albigenses profectus, multos eorum conuertit. 8. Libello fidei Catholicæ ter in flammas iniecto, totiesque illæso exiliente fidem Catholicam confirmauit. 9. Irrisiones & mortem ab hæreticis intentatam forti animo sustinuit. 10. In prælio contra hæreticos cruce prælata, & ipso quidem illæso, illa iaculis confossa Crucesignatos mirum in modum animauit. 11. Matronis hęresi infectis, Dęmonem cui seruierant, in horribili forma ostendit. 12. Nautæ naulum importune exigenti nummum cœlitus demissum impendit. 13. Postulans Ordinis instituti ab Innocentio III. confirmationem, Lateranensem sustinens Basilicam apparuit. 14. Christum peccatorib. iratum, & minas Orbi intentantem, Diua Virgine illum & Sanctum Franciscum ostendente placauit. 15. A D. Petro baculum, à S. autem Paulo librum apertum iturus ad prædicandum accepit. 16. A Deiparente Reginaldo apparente habitũ noui Ord. susceptit. 17. Diuam Virginẽ duabus sanctis puellis comitatam Fratres dormientes aspergentem aspexit. 18. Eandem cœli Reginam multitudinem Fratrum & fororum sub pallio suo latentium ostendentem vidit. 19. Ab eadem institutum SS. Rosarii quindecim mysteriorum redemptionis nostræ obtinuit. 20. Tres amplissimos Episcopatus sibi oblatos, humilis DEI famulus respuit. 21. Quadraginta circiter naufragantes peregrinos à morte eripuit. 22. Vnicum cuiusdam Viduæ Romanæ paruulum à morte suscitauit. 23. Architectum quendam ruina oppressum suis precibus ad vitam reuocauit. 24. Cardinalis nepotem ex equo deiectum & interfectum multis inspectantib. suscitauit. 25. Centum fratribus panes, Angelorum manibus ministrari promeruit. 26. Signo Crucis edito à se & socio imbrem repulit, atq; circumcirca pluuio cœlo siccus ambulauit. 27. Dæmonem in forma Simiæ sibi apparentem, ad tenendum candelam coegit. 28. In aera orans eleuatus, è tecto grandem à Satana in se deiectum lapidem euasit. 29. Cinctus catena ferrea, ter in singulas noctes proprium corpusculum castigauit. 30. Angelo reuelante extremum vitæ diem cognouit. 31. Ab hac vita emigrans, in splendido throno ad cœlum efferri visus est. 32. Vita functus, multis miraculis sanctitatem vitæ demonstrauit.

XIV. ANNIVERSARIA FESTIVITAS S. DOMINICI QVANDO.

Eius autem anniuersaria festiuitas, ab Ecclesia vniuersa pronunciatur *ex Rom. Martyrologio*, his ipsis verbis: Bononiæ, S. Dominici Confessoris, Fundatoris Ord. Fratrũ Prędicatorum, viri sanctitate & doctrina clarissimi: qui virginitatem perpetuo illibatam seruauit, & ob singularẽ meri-

torum gratiam tres mortuos suscitauit, cumque prædicatione sua hæreses compressisset, ac plurimos ad religiosam & piam vitam instituisset, octauo Idus mensis huius in pace quieuit; eius tamen festiuitas ex Constitutione Pauli Papæ Quarti hac die celebratur. Statim à morte D. Dominici, Sarcophagum illius maxima populorum deuotione frequentari cœpit, propter ingentium miraculorum magnitudinem plane ineffandam: ita vt necesse habuerint cœnobitæ, paucis post annis sacrum illius corpus exhumare, & honoris gratia in alia sepultura collocare. Cui rei, cum veterem perfodissent, tantus odor ex virgineis Dominici mẽbris exhalauit, vt aromatum Apothecam æstimarint, qui odorem odorarunt.

XV. FAMES ET TRIENNII PESTIS IN POLONIA.

Hoc anno densi atque continentes per totam æstatem imbres ingenti aquarum inundatione vehementer Poloniam afflixerunt, plurimos pagos atq; vicos abripuerunt, atque euerterunt; segetes vernas & hybernas vastauerunt, sementemq; hybernam fieri passi non sunt. Consecuta est mox hyems acris & horrida. Inde fames & pestis postea totum triennium sæuientes, maximam vim pecudum, iumẽtorum atque hominum absumpsere. In his tantis malis, Iuonis Cracouiensis Episcopi beneficentia egentibus passim exposita, permultis saluti fuit. Et sane mirum est tunc longe minores, quam nunc sunt, eius Episcopij, suffecisse tamen pio & benefico Episcopo in tot tantosq; sumptus, in cultum diuinum & subleuationem egentium, vt par fuit collatos. Verum diuinæ benignitatis fuit, vt liberaliter seminanti vber messis proueniret. Moderati vero ac temperantis Episcopi, vt paruo contentus, dispensatorem se non dominum esse meminisset, neque greges parasitorum, helluonum, & pene dixerim, non hostium aluisset. *Cromer. lib. 7.*

XVI. LIBERALITAS IN PRÆDICATORES DIVINITVS COMPENSATA.

Eodem anno Diuus Dominicus, paulo antequam rebus humanis excederet, Fratres Prædicatorum Ordinis in Angliam, Scotiam, Scandinauiam, Groenthlandiam & Hungariam destinauit. Mirum valde miraculum in Hungaria tunc accidisse, *Theodoricus in vita S. Dominici* memorabat, istis verbis. Ea tempestate duo Fratres, in eadem prouincia Hungariæ, ad pagum quendam ea hora venerunt, qua solet populus Christianus ad audiendam Missam conuenire. Ea celebrata, cunctis ad sua recedentibus, & custode Ecclesiam occludente, soli fratres in atrio remansere: neque erat qui officium humanitatis eis exhiberet. Vidit autem eos quidam piscator pauper; & licet misericordia moueretur erga illos, non tamen ausus fuit eos ad suas inuitare ædes; eo quod non haberet, vnde eos reficeret. Domum nihilominus propere abiens, indicauit vxori animum suum propensum, dixitque: vtinam nobis suppeteret, vnde duos illos fratres alere possemus. Non mediocriter enim animum meum torquet, quod ij peregrini, à nemine inuitantur. Respondit mulier; Non nisi parum milij habeo, quod apponam. Iussit autem vir eius, vt marsupium excuteret, in quo præter omnem spem duos nummos reperit. Itaque mirifice exhilaratus homo; Abi, inquit, celeriter, & altero nummo panem, altero vinum eme. Deinde milium & pisces para. Fecit mulier, vt iussa erat, vir autem eius abiit ad templum, & eodem quo reliquerat Fratres loco stantes inuenit, secumq; lætus ad suas duxit ædes. Qui posteaquam in paupere mensa charitatis fercula sumpsissent, gratias hospiti suo agentes abierunt, vt Dominus ei retribueret deprecantes. Reddidit autem illi Dominus mercedem pro humanitate quam ijs impenderat; ita vt ab illo die non defuerint ex crumena eius nummi duo, quibus domui suæ necessaria coemeret. Simul enim atque duos expendisset nummos, mox alios duos sibi redditos reperiebat. Locupletatus est igitur agris & opibus, ad eum modum, vt pro eius statu sufficerẽt, quo tẽpore, ea gratia illi substracta est.

XVII. TRANSLATIO CORPORIS S. OSVVALDI REGIS.

Hoc tempore translatum est in cœnobio Sancti VVinnoci corpus Diui Osualdi Regis, corpusque Idabergæ Virginis, filiæ Pipini quondam Regis, ab Adamo Episcopo Morinorum. Interfuere Abbates Ioann. Bertinicus, VVilhel. Capellicus, VVilhel. Andriensis, Rogerus Taruannicus, Ioan. Alchiacensis. Præpositi autem VVilhelmus Vatinensis, Ioan. Formoselensis, Ægidius Loanus, Ioannes ab Euersham, vna cum Ioanna Comite. *Annal. Flandriæ lib. 8.*

XVIII. CONCILIVM PROVINCIALE OXONIENSE.

Hoc anno, Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis, celebrauit apud Oxonium prouinciale Concilium; in quo multa fuerunt statuta, ad reformationem status Anglicanę Ecclesiæ, atque monasticæ disciplinæ. Paucis ante diebus, comprehensus fuit quidam impostor, habens in corpore & membris, scilicet in latere, manibus & pedibus, quinque vulnera Crucifixionis, & in eodem Concilio, simul cum eo, alius nebulo vtriusque sexus, eiusdem erroris fautor repræsentatus, vnaque cum eo conuictus & confessus, iudicio Ecclesiæ punitus est. *Matthæus VVestmonasteriensis in Flor. Histor.*

XIX. TRANSLATIO CORPORVM SS. VITI ET MODESTI.

Cæterum hoc eodem anno corpora SS. Modesti & Viti, quæ in æde Sancti Andreæ in Lauent, miraculis claruere, Eberhardo Archiepiscopo Saltzpurgensi, Carolo Secouiensi, & Rudigero Chiemensi Episcopis præsentibus, Iuuaniam, cum magna solẽnitate & frequentia populi auecta sunt. *Metropol. Salzburg.*

IESV CHRISTI
Annus 1222.

HONORII PAPÆ III. Annus 6. FRIDERICI II. Imper. 3. ROBERTI Imper. 3.

I. a *Iacob. Bosius in hist. Melitens.* REGINAM ET FILIVM CYPRI CLERVM OPPRIMENTES, VINDICAT LEGATVS PONTIFICIS.

PELAGIVS *a* Apostolicæ sedis Legatus hoc anno ab Ægypto reuertens, Cypriorum Regni controuersias authoritate Pontificis audiuit & determinauit. Isabella Regina cum filio Henrico & reliquis Principib. contra Archiepiscopos & Episcopos iniquior, decimarũ ius, atq; bonorũ immobilium possessionẽ Ecclesiis adimere conabatur. Id vero cum omni diuino atque humano iuri aduersaretur, erat quod Archiepiscopi & Episcopi, pro immunitatib. priuilegiisque Ecclesiarum insurgerent. Partibus in Concilio 18. Septembris auditis, Pelagius secundum Clerum decreuit, & cum Reginæ, tum Henrico & Proceribus sententiam excommunicationis ostentauit, si res vel personas Ecclesiasticas violare præsumerent. Aderat cum Legato Frater Guerinus Montaiutus Vrsinus Templariorum Magister, is qui in expugnanda Damiata, & primum in profligãdis Saracenis in Palæstina egregiæ fortitudinis signa dedit. Hæc pro æquitate Cleri Legatus Honorij apud Cypriotas: Ista vero pro iustitia sæcularium Honorius apud Lusitanos.

II. HONORIVS IN LVSITANIA SÆCVLARES AB AVARITIA PRÆLATORVM VINDICAT. b *inter ep. an. 6. 323.*

Episcopus Vlyxipponensis, & ab eius exemplo reliqui Prælati, auaritiæ sordib. dignitatem suam polluebant, statuerant, vt singuli Christi fideles moribundi, tertiam bonorum vel certam aliquam partem Ecclesiis relinquerent. Si qui dicto non paruissent, non eos sacramentorum participatione dignabantur, neq; sepultura Ecclesiastica dignos esse iudicabant. Non potuit eam rei indignitatem, summamque iniustitiam tolerare Honorius. Quamobrem *b* Fratrum Ordinis Prædicatorum & Minorum, & de sanctis militiæ Sancti Iacobi Priorib. diœcesis Vlyxipponensis commisit, vt authoritate Apostolica tantam iniquitatem extirparent, per censuras Ecclesiasticas inhiberent, & Prælatos cum Episcopo auaritiæ coarguerent. Scripsit omnibus literas Anagniæ XI. Cal. April. Cæterum qui auaritiam cleri in Lusitania castigauit, eiusdem iura & priuilegia in Regno Siciliæ vindicauit.

III. c *Nauclerus* IN SICILIA CONTRA FRIDERICVM CLERI PRIVILEGIA DEFENDIT.

Per hæc enim tempora, *c* Fridericus Imperator, spreta iurisiurandi religione multa & quidem enormia aggressus, ditionem vexabat Pontificiam, Pontifices & Archiepiscopos in Ecclesiis ad libitum instituebat, electiones liberas violabat, institutos vel confirmatos à Pontifice Romano expellebat, collectas ab Ecclesiis exigebat, pædagia & vectigalia Ecclesiasticis imponebat, priuilegiaque super Ecclesiis vsurpabat. Auersanum enim Episcopum rite electum expelli, & alium loco eius intrudi curauit; atq; in vniuersa Metropoli Salernitana libertatem electionum violauit. Ecclesia quoque Capuana, ab eius temeritate non immunis fuit, cum in eius Archiepiscopi electionem manus imposuit. Indoluit vehementer HONORIVS, & scriptis ad eum decimo septimo Calend. Septembris literis, missoque Priore monasterii Sanctæ Mariæ Nouæ, iusiurandi

Inno-

Innocentio primum, deinde sibi tum Hannoniæ, tum Romæ, dati formulam, ipsi repræsentans, eum illius admonuit, & ingratitudinis atque periurij reprehendit, quod is in gremio Ecclesiæ enutritus & manu Romani Pontificis ad supremam dignitatem euectus, tam contumeliose matrem Romanam Sedem haberet, & auum Fridericum multoties impietatis damnatum imitari studeret, & tam turpi perfidia, Imperialis sui nominis maiestatem temeraret. Proinde monebat, orabat, & ad extremum præcipiebat, vt sacramenti quod præstiterat memoriam haberet, Pontifices legitimos Ecclesiis reuocaret, sacra electionum secreta ne violaret, Episcopis suum honorem exhiberet, personas Ecclesiasticas aut ipsas Ecclesias ne contributionibus iniquis opprimeret: & in summa, iura, priuilegia, immunitates, libertatesque Ecclesiæ, quas iuramento confirmauit, omni ratione integerrima conseruaret. Se enim nullo modo posse aut debere, adeo insignes iniurias impune tolerare: cum sibi promptum sit omnem inobedientiam & iniustitiam gladio spirituali vindicare. Mouit ea res ex parte FRIDERICVM, vt postmodum Verulis agens, omnibus & singulis Regni Siciliæ administris *a* scripto edicto mandauerit, ne Clericos, Ecclesias, & quascunque Ecclesiasticas personas, exactionibus vel quouis alio modo prægrauarent, sed eisdem omnia priuilegia omnino illibata conseruarent, atque libertatibus & immunitatibus longe ante concessis, & iuramento roboratis vti & frui permitterent, non secus atque olim tempore Guillelmi Secundi Regis Siciliæ fruebantur. Ex eadem occasione Honorius eundem Fridericum Imperatorem pactorum conuentorum admonuit. Conuenerat inter eos, vt statim atq; diademate Imperij ornaretur, ad subueniendum Palestinæ traijceret. Differebat & vnum post aliud inani cauillo excusabat. Quamobrem voluit eum adhortatione excitare, & præcepto Apostolico compellere, vt omni cunctatione postposita, rebus Crucesignatorum deploratis succurreret.

a *extat inter epist. Honorii anni 6.*

IV. b *Bernard. in Chron.* MORITVR RAYMVNDVS COMES APOPLEXIA, ALBIGENSIVM PATRONVS. c *epist. 383.*

In *b* Gallijs hoc Anno Raymundus Comes Tolosanus Albigensium hęreticorum fautor, & Regni Galliarum turbator, iusta numinis vindicta extinctus est. Subitaria enim apoplexia correptus, & linguæ officio destitutus interijt. Is quod anathematis vinculo toties illigatus, nunquam eo exsolutus esset, sepultura, quam sacra scriptura vocat, asini sepultus est. Successit ei eodem nomine, eademq; tunc impietate filius, qui cum Catholicis infestior esset, neque ab eorum iniurijs sibi temperaret, *c* Honorius Pontifex vindex Catholicæ libertatis Philippum Augustum Gallorum Regem hortatus est, vt hæreticos armis sumptis ab vniuerso regno expelleret. Causabatur is non sibi sufficere sumptus in stipendia, & in commeatus militares. Quamobrem idem Honorius vigesimam partem redditũm pro subsidio Terræ sanctæ in Gallijs impositam tandem illi cõcessit, in clientelam sedis Apostolicæ illum & vniuersum Regnum suscepit, & pares indulgentias & immunitates Crucesignatis contra Albigenses militaturis indulsit, quẽadmodum Palæstinis. Itaque in eam rem vniuersis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Ducibus, Principibus, Magistratui & popularibus scripsit, vtque contra hæreticos insurgerent, hortatus est. Datum Alatri. 2. Idus Maij.

V. SANCTITAS CONRADI BAVARIÆ DVCIS, CARDIN. ET EPISCOP. PORTVENSIS.

In eam rem, hoc ipso anno, misit in Galliam & Germaniam, cum plena Legati à latere potestate, CONRADVM HENRICI Bauariæ Ducis filium, Episcopum Cardinalem Portuensem, olim Monachum & Abbatem Cisterciensem, virum doctrina & sanctitatis laude insignem. Non iniucunda sunt, quæ fide digni auctores de eodem reliquerũt. *Cæsarius Dial. 3. cap. 33.* hæc de illo refert. *Tempore illo, quo Dominus Conradus, nunc Episcopus Portuensis Cardinalis nouitius fuit in Villario, contigit F. Simonem cum VValthero monacho nunc Abbate Vilariensi, & aliis quibusdam monachis & Conuers. Ord. Cisterciensis, in quadam Ecclesia sæculari Missam audire. Infra canonem vero eiusd. missæ vidit idem Simon spiritum iam dicti Conradi corpore satis à se remoti, coram se stare, & coronam auream in capite gestare. Vidit & cogitationes cordis eius, atque orationes in quib. tunc in Vilario versabatur. Finita Missa secrete locutus est VValthero, dicens: Cum videritis Nonnum: (ita seniores se appellant) Conradum nouitium Vilariensem, dicite ei, vt caueat sibi; quia huiusmodi tentationes patietur hoc anno. Tales enim cogitationes, talesque orationes iam habuit in Missa; & sciatis, quia magna persona erit in Ordine. Postea, cum idem VValtherus vidisset nouitium, cœpit per ambages illum interrogare, quid infra Missas soleret orare, quidue cogitare. Respondente illo; sic & sic orare consueui, adiecit: Rogo etiam, vt dicatis mihi quæ fuerit oratio, qualisue cogitatio vestra die illa Dominica infra Missam. Cui cum diceret Nouitius: Cur tam diligenter inuestigatis de cogitationibus meis? Respondit; Dicite mihi quod quæro, & ego vobis postea causam exponam. Tunc recitans ei Nouitius per Ordinem quid orauerit, vel cogitauerit infra Missam, quia nec in vno verbo discrepauit à verbis Fratris Simonis, mox ei insinuans, quid de illo viderit, simul & modum tentationis monuit, vt cautus esset, nec forte sub specie boni, à diabolo deciperetur. Mira res: Cum satis idem Nouitius admonitus, satisque præmunitus esset, non tamen euadere potuit tentationem prædictam, quin satis ab illa eodem anno vexaretur. In eo ordine ad eum modum sublimis euasit, vt primo factus fuerit Prior, deinde Abbas Vilariensis, & postea Claraualensis, & subinde Cisterciensis: & ad extremum ab Honorio III. Pont. Cardinalis Portuensis.*

Thomas Cantipratanus addit, lib. 1. cap. 9. §. 2. Quod is licet in administratione prælationis suæ mirabili sagacitate vigeret, nihilominus tamen deditus erat contemplationi diuinæ, quotiens sibi soli poterat vacare. In tanto enim rerum moderamine, animum spiritui seruire coegerat, vt ad libitum nunc causis sæcularibus, nunc spiritualibus omnino deditus, ex hoc in hoc libere transiens inclinaret. Guilhelmus Vilariensis Abbas, probatissima veritate de illo referebat, quod digiti manuum eius, quos in consecrationem corporis Christi extendebat, ad studium & inspectationem literarum, vel librorum, nocte instar candelarum in tenebris relucebant, quod idem ipsum, de facie, & manibus, Beatæ Idæ de Nouella, commemorabat Coluenerius, in hunc Cantipratani locum. Is ipse, *Cantipratano referente*, cum Legatus in Alemaniam, à sede Apostolica mitteretur, Parisium veniens, cum vidisset Fratres Ordinis Prædicatorum, qui de nouo illuc aduenerant, visitauit eos. Dubium autem quid gerens de eis in corde, orauit Dominum, vt sibi, ad quid Ordo iste venisset, ostendere dignaretur. Neque mora; oblato & aperto libro; ad quid Ordo Prædicatorũ venisset, responsum est cogitationi eius; *Laudare*, scilicet, *benedicere & prædicare*, qui statim effusus in laudem Christi, coram omnibus dixit; Licet alterius professionis sim habitu, frater tamen vester ero, quamdiu in vita subsistam, neque vlla vnquam à vobis aduersitate diuellar.

VI. PRÆDICATORVM FVNCTIO PER VISIONEM OSTENSA CONRADO, SCIL. LAVDARE, BENEDICERE, PRÆDICARE.

Proinde idem Cardinalis postea tempore Gregorij IX. verbum memorabile respondisse fertur cuidam in Colonia sacerdoti. Illo enim Synodo præsidenti, quidam sacerdos Parochialis conquestus est dicens: Ecce Fratres Ord. Prædicatorum, qui in damnum nostrum Coloniam intrauerunt, falcem mittunt in messem alienam; Subditorum nostrorum Confessiones audiunt, & per hoc homines in fauorem suum attrahunt. Cui mox Conradus Legatus respondit; Quis est numerus hominum in Parochia tibi subditorum? Et ille; Nouem millia, inquit. Tunc consignans se Cruce Legatus dixit; Quis es tu miserrime, qui tot millibus solus sufficis debitam gubernationis curam impendere? Nescis hominum perditissime, quia in illo debes tremendo iudicio ante Tribunal Christi de his omnibus respondere? Et tu si tales habes vicarios, querularis, qui onus tuum gratis releuent, sub cuius pondere nescius conquassaris. Quia igitur ex hac querela indignum te cura omnimode iudicasti, ideo priuo te omni beneficio pastorali. Hoc facto publicauit auctoritatem, qua à sede Apostolica Fratribus Ordinis Prædicatorum, specialib. priuilegiis prędicare populis, & confessiones audire per sanctissimos Patres Dominum Innocentium III. Dominum Honorium III. Dominum Gregor. IX. commissum est, & iniunctum. *Subdit Cantipratanus*, de eod. Conrado; quod cum is existẽs in partib. Brabantiæ, tumulum Beatæ Mariæ Oegniacensis sedulus visitaret, intempestæ noctis silentio cum oraret, vidit in spiritu ipsam Dei famulam flexis genibus pro se Dominum exorantem, & post orationem eius labores & solicitudinem dulciter consolantem. Is itaq; in Gallias contra Albigenses missus, id munus Legationis, etiam in Hispania & Germania pro Terræ sanctæ subsidio obiuit. Nã ei summus Pontifex iniunxit, vt Crucesignatos ad sacrã militiam excitaret,

taret,

taret, & Prædicatores, qui ad sacrum bellum omnes hortarentur instituere. Ex his vnus eximius habitus est, Frater Ioannes Argotoralensis Ord. Prædicatorum, qui quod perutilis esset vniuersali Ecclesiæ, atque à capitulo Bizuntino in Archiepiscopum electus fuisset, Pontifex prohibuit, ne eum honorem susciperet. *Ciacconius in Honorio III.* Porro de Conrado ampliora *Cæsarius in vita S. Engelberti apud Surium tomo 6. die 7. Novemb. & Ioannes Molanus in Indiculo SS. Belgii, die 20. Iunii.*

VII. FR. IACOB. CIST. VIDIT B. VIRG. ASSISTERE CONCIONANTIBVS PRÆD.

Pene præterieram, quod per id temporis Dominus, in beneficium FF. Ordinis Prædicatorum reuelauit. Narrat *Humbertus Generalis lib. 1. de vitis FF. cap. 5. §. 5.* rem maxime memorabilem, hunc in modum.

Fuit quidam Monachus Cisterciensis Ordinis in Tuscia, in Monasterio S. Galgani prope Senas, magnæ simplicitatis, & gratiæ, & famæ: propter quam ad Curiam Romanam frequenter vocabatur. Cui Dominus frequenter apparuit, atque multa reuelauit. Contigit autem duos Fratres venire ad locum prædictum, qui eum rogaueruut, vt pro se & toto ordine FF. Prædic. Dominum exoraret. Cum igitur nocte post matutinas Dominum oraret, & vt simplex ac deuotus, quid potissimum pro Fratribus oraret, nesciret: apparuit ei Dominus, vt sibi videbatur, dicens: Fr. Iacobe, accipe istas orationes, & sic pro Prædicatoribus ora in Missæ sacrificio.

Oratio.

Corda famulorum tuorum, Domine illumina sancti Spiritus gratia, & ignitum eis eloquium dona: & qui tuum prædicant verbum, largire virtutis augmentum. Per Dominum.

Secreta.

Famulis tuis DOMINE *verbum tribue gratiosum, & munera oblata sanctificans, corda eorum in salutari tuo, quæsumus, visita. Per Dominum.*

Post communionem.

Conserua Domine famulos tuos vnigeniti tui corpore & sanguine suscepto: & tuum nunciantibus verbum, largitatem tribue gratiarum. Per eundem Dominum.

Has orationes Dominus Papa approbauit, & concessit, vt in Missa dicerentur. Secutus est fructus vel maximus, cũ primum eæ orationes recitarentur: præsertim (quemadmodum iterum idem Fr. Iacob. vidit) cum beatissima Virgo patrocinio suo Prædicatores iuuaret, neque semel illis concionantibus adesset. Aliquando enim visa est coram quodam Fratre concionante librum apertum tenere: alias alteri euipiam verba salutis ad aurem dictare. Propter quæ idem Frater Iacobus frequenter sequebatur Fratres, & sollicite pro eis orabat.

VIII. CVMAN. PP. CONVERTVNTVR CVM DVCE.

Eadem tempestate (quemadmodum *Theodoricus in vita S. Dominici* refert) Fratres Prædicatores, cum non essent immemores deuotionis & zeli B. Patris Dominici, quodque ille Cumanos (Marius Niger septem castra, seu Transyluaniam, sed falso putat) adire constituisset, quosdam spectatæ virtutis fratres ad eos miserunt. Sed illi miris modis, & penè supra quam credi possit, ab ea gente afflicti, atque etiam repulsi, sine fructu coacti sunt ad suos se recipere. Attamen sancto eos inflammante Spiritu, & zelo animarum incitante, denuo ad eos profecti, per multa itinerum discrimina, ad flumen eius regionis, quod Dneps vocant, peruenere. Sed rursus crebro, fame, siti, & multifaria persecutione vexati sunt: alii abducti in captiuitatem, duo interfecti. Qui autem illic superfuere incolumes, in cœpto concionandi studio constanter perseuerarunt: donec tandem piissimus Deus labores eorum & constantiam respexisset, præstitissetque, vt homines barbari illos audirent. Baptizatus est ante omnes Baitus Dux eorum, cum quibusdam è familia sua, qui post aliquot annos, in veræ fidei confessione perseuerans, in Domino obdormiuit: cum prius peccata sua confessus esset, & more Christiano sacram Communionem à fratrib. recepisset. Sepultus est in Beatissimæ Virginis Mariæ sacello, quod fratres illic degentes, vt quandoque ibi se colligerent, ædificarant. Post hæc vero nobiliorem Ducẽ Bembrochum cum mille ex familia eius conuerterunt, quem è sacro Baptismatis fonte, non absque ingenti gaudio Andreas Hungariæ Rex suscepit. Is paulo post, cum supremum traheret Spiritum, dixit ad fratres, qui morienti adstiterant: Discedant à me omnes Cumani, à fide Christi alieni. Video enim circa illos, dæmones teterrimos. Soli fratres maneant, & Cumani baptizati. Conspicio enim apud me Fratres martyrio affectos, qui me expectant, vt secum ad gaudia perducant, quæ prædicauerunt. Atque his dictis, cum ingenti lætitia spiritum tradidit, humatusq; est in sacello memorato. Ita nimirum profecerant Fratres in illis regionibus, concionib. suis tum hæreticos, tum gentiles, conuertendo, Domino cooperante, & sermonem signis efficacibus confirmante.

IX. MARTYRIO AFFECT. PP. APVD CVMANOS.

Addit, *Bernardus Guido in Chronico.* ea quæ subiungo. Post multos autem labores Fratrum, cœpit Deo cooperante ibi esse conuentus, & inceperunt inter Cumanos prædicare confidenter. Numerum autem eorum, qui ad fidem Domini nostri IESV Christi, de die in diem conuertebantur, Dei solius est computare. Cæterum cum hæc sic agerentur, & in dictorum paganorum conuersione Fratrum zelantium animas feruor magis ac magis augeretur, occulto DEI iudicio superuenit Tartarorum persecutio, quę non solum dictam prædicationem Fratrum nostrorum impediuit, sed multos ad regnum cælorum festinanter ire compulit, vt circiter nonaginta Fratres Ord. Præd. alij gladio, alii sagittis, alii lanceis interfecti, alii ignibus concremati, ad Beatitudinem transierint. Tunc intermissa est dictorum Paganorum prædicatio, donec ipsi Cumani, post prædictã Tartarorum persecutionem: de diuersis Græciæ, Bulgariæ, & Sueuiæ, aliorumq; vicinorum regnorum partibus, in quibus erant dispersi in Regnum Hungariæ, ad Regẽ pro maiori parte conuenirent, & Fratres salutis eorum zelatores, decem Fratres, ex communi consilio, ad iustitiam Regis & Reginæ, eis submisissent. Hi cum eis die noctuque in officio prædicationis perseuerantes, multa millia ex eis baptizarunt, & complures ad fidei vnitatem aggregarunt. Interfectum tunc vna cum aliis, Fratrem Paulum Hungarum, qui ipse inter Duces verbi erat, Antonius Senensis, Castillus & alii annotarunt, sed ea sub annum Domini 1241. acciderunt: quando Fratres Prædicatores vexillum confessionis fuso sanguine, primi apud Cumanos erexerunt, initiaque nascentis religionis, quo solidiora in omne æuum subsisterent, mirifice consecrarunt.

X. IN BOSINA ET DALMATIA REDVCVNT HÆRETICOS.

Cum autem Bosina & Dalmatia, hoc anno, (*vt Leand. lib. 3. de viris illustr. Ord. Præd. recenset*) maximis agitarentur erroribus, populos hæreticis educentibus, à summo Pontifice Honorio Colonien sis Antistes Legatus illuc missus est, vt vel suasionibus, vel crucesignatorum armis, ad sanam mentem eos redire compelleret. Sed cum neque verbis, neque armis, ab erroribus possent auelli, rem prorsus desperatam iussu Pontificis Max. Legatus Prædicatoriæ familiæ commisit, qui Pontificis mandata diligenter & intrepide perficientes, cœperunt disceptationibus Litterariis, & Concionibus assiduis hæreseos labe inquinatos tam acriter vrgere, Colomano Rege assistente, vt plures coegerint è tenebris ad verum fidei lumen redire. Plures ex Fratribus, dum fidem Christi constantissime tuerentur, martyrio coronati sunt, sub initium prædicationis. Tandem pede firmato, multos errorib. implicitos, in sua perfidia obstinatos, igni exusserunt: suaque opera, templa olim destructa, spinisque fruticibus ac virgultis oppleta, instaurarunt.

XI. DESCRIBITVR HÆRESIS IN ILLYRICO REGNANS ANTIPAPAM STATVENS.

Cæterum quænam fuerit hæresis, quæ ad eum modum nobilissimas Illyrici Prouincias, eo tempore defæduerit, *Matth. Paris. in Histor. Anglic.* anni subsequentis 1223. memoriæ prodidit, istis verbis.

Circa dies istos hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam, in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ cuius nomine Bartholomæus quidam Carcassonensis vicariam sibi potestatem vsurpabat, à quo in illis partibus error iste adeo inualuit, vt etiam Episcopos, & alios multos regionum illarum, ad suam allexerit prauitatem. Contra quem Conradus Portuensis Episcopus, & in partibus Galliarum Apostolicæ sedis Legatus, Rothomagensi Episcopo scripsit in hæc verba. *Venerabilibus Patribus Dei gratia Rothomagensi Episcopo, & eius Suffraganeis Episcopis salutem in Domino Iesu Christo. Dum pro sponsa veri crucifixi vestrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus & plorare. Ecce quod vidimus loquimur, & quod scimus testificamur. Ille homo*

homo perditus, qui extollitur supra omne id quod colitur, aut dicitur Deus, iam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcham, quem hæretici Albigenses Papam suum appellant habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, iuxta Vngarorum nationem. Ad eum conflunt hæretici Albigenses, vt ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcassona oriundus, vices illius Antipapæ gerens, Bartholomæus hæreticorum Episcopus, funestam et exhibendo reuerentiam, sedem & locum concessit, in villa, quæ Polos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomæus literarum suarum vndique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio intitulat, in hunc modum: Bartholomæus seruus seruorum sanctæ fidei, tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat Episcopos & Ecclesias per fide ordinare contendit. Rogamus igitur attentius, & per aspersionem sanguinis Iesu Christi propensius obsecramus, auctoritate Domini Papæ qua fungitur, in hac parte districtè præcipientes, quatenus veniatis Senonis in octauis Apostolorum Petri & Pauli proximè futuris, vbi & alii Prælati Franciæ, fauente Domino congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto: & cum aliis qui ibidẽ aderunt prouidere super negotio Albigensi, alioquin inobedientiã vestram Domino Papæ curabimus significari. Data Planium VI. Non. Iulii. Dum hæc contra Bartholomæum Carcassonensem in Galliis ageret Legatus, eundem tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminauit.

XII. COMES TOLOSANVS SE SVBMITTENS, RECONCILIATVR ECCLESIÆ.

Interim etiam (quemadmodum *Antoninus 3. par. hist. tit. 19. c. 6. ex vetustis scriptoribus* refert) Comes Tolosanus Raymundus, qui erat fautor & defensor hæreticorum, & alii Albigenses, missis Romam ad Honorium Pontificem Legatis, spoponderunt se Romanæ Ecclesiæ stare mandatis. Quare Honorius Papa anno sequẽti 1223. mandauit Narbonensi Archiepiscopo, vt dictum Comitem cum suis adhærentibus audiret ac omnia sibi in scripto referret. Qui conuocatis totius Prouinciæ Episcopis, atq; Prælatis, ipsis præsentibus, iuram ẽtum ipsius Comitis, quod staret mandatis Rom. Eccl. recepit, accepit post eum, & ab omnibus Baronibus qui de fauore hæreticorum erant suspecti. His iuramentis susceptis, mandauit sub virtute præstiti iuramẽti, vt terras suas securas, & Romanæ Ecclesiæ obedientes redderent: Clericis redditus suos integros restituerẽt, illisq; pro illatis vigintiquinq; millia marchas auri darent, eamq; pecuniam intra tres annos consignarent, & quod de hæreticis confessis, vel conuictis iustitiam facerent, & pro posse eorum hæreticam prauitatem ab illa Prouincia extirparẽt. Recruduerunt tamen non semel errores Albigenses.

XIII. a *Ep. 374.* b *Ep. 68.* c *Ep. 22.* SANCTITAS ET GLORIA MIRACVLORVM BEATI FRANCISCI.

Eodem anno Honorius, *a* Patriarcham Constantinopolitanum, non exæquo & bono Ecclesiam administrantem, redarguit: Archiepiscopum Beneuẽtanum, & Episcopos Nordicensem, Hortanum & Belluacensem consecrauit: *b* in vitam arq; miracula S. Hugonis Abbatis inquirere iussit, *c* Episcopis Poloniæ, vt Rutenos à ritibus Græcorum auerterent, & matrimonia inter Neophytos inita ne dissoluerent præcepit: Fratribusq; Ord. Præd. & S. Francisco vna cum Fratribus Ord. Minorum, ne Ecclesiastico tenerentur interdicto, sed eodem in vniuersum promulgato, vt ipsi in Ecclesiis suis causis, & excommunicatis seu interdictis exclusis, bona fide sacris operari possent, indulsit: dato Anagniæ diplomate: Prædicatoribus quidem, IV. Nonas Martias: Sancto autem Francisco IV. Calend. Aprilis. Erat, cur summus Pontifex Sanctum Franciscum, à sacris Ecclesiis non excluderet. Eas enim ille mirum in modum splendore sanctitatis & miraculorum gloria illustrabat. *d* Aliquando in quadam Ecclesia apud Ciuitatem S. Seuerini vidit illum F. Pacificus concionantem, duobus gladiis ignitis cælitus in formam Crucis supereum descendentibus, & coeuntibus insigniri: quorum vnus à vertice capitis ad pedes, alter transuersim à manu ad manum extentam tendebatur, alias etiam intuitus est frontem eiusdem sancti signo Thau miraculosè insigniri. Fr. quoq; Monaldus aspexit eundem in aere sublimem manibus in modum crucis expansis, Fratribus bene precari. Aliquando etiam ipse D. Franciscus, ante imaginem Crucifixi in Ecclesia S. Damiani prostratus, cum lachrymosis oculis in crucem aspiceret, vocem ab ipsa cruce delapsam audiuit, ter iubentem. Francisce, vade & repara domum meam, quæ vt cernis tota destruitur. Illo quoque tempore, cuidam sacerdoti ciuitatis Assisii nomine Siluestro, honestæ conuersationis viro, quædam à Domino fuit ostensa visio non racenda. Cum enim modum, & vtam Francisci, Fratrumque suorum humano spiritu abhorreret ne periclitaretur pro temeritate iudicii, respectu supernæ gratiæ fuit visitatus. Videbat namq; in somnis totam Assisii ciuitatem à magno dracone circumdari, præ cuius magnitudine nimia, rota regio videbatur exterminio subiacere. Contuebatur post hoc crucem quandã auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas cœlos tangebat, cuiusque brachia protensa in latũ, vsq; ad mundi fines videbantur extendi: ad cuius etiã aspectum præfulgidum draco ille teter & horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, diuinum esse existimans oraculum, viro Dei & fratribus suis per ordinem enarrauit, ac non multo post tempore mundum relinquens, vestigiis sic perfectè adhæsit, vt vita ipsius in ordine authenticã reddiderit eam, quam in sæculo habuerat visionem. Alio quoq; tempore, mirandum in modum fratribus suis apparuit. Venerat Assisium, prædicaturus mane diei Dominicæ, vt moris erat in Ecclesia Cathedrali. Cumq; in quodam tugurio sito in horto canonicorum in oratione more solito pernoctaret absens à Fratribus: ecce fere media noctis hora quibusdam ex eis quiescentibus, quibusdam perseuerantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se conuertit, super quem globus lucidus residebat, qui solis habens splendorem, noctem illustrauit & clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, & excitati simul & exterriti dormientes: & non minus senserunt claritatem cordis quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri cõscientia nuda fuit. Intellexerunt namq; omnes concorditer videntibus inuicem vniuersis in cordibus singulorum, Sanctum Patrẽ absentem corpore, spiritu præsentem, tali transfiguratum effigie: supernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus in flammatum superna virtute in cutru splendente simul & igneo, sibi demonstrari à Domino, vt tanquam veri Israelitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, vt alter Helias factus fuerat à Deo currus & auriga. Credibile, quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces S. Francisci, vt magnalia Dei aspicerent, qui oculos quondam aperuerat puerilis videndum montem plenũ equorum, & igneorum curruum in circuitu Heliæi. Regressus autem vir sanctus ad Fratres, cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, cõfortare illos ex visione illa mirabili, & de progressu ordinis multa futura prædicere. Contigit etiam ipsum aliquando Aretium deuenire, cum tota Ciuitas intestino bello quassata propinquam sibi minabatur exitium. Hospitatus vero in suburbio, vidit supra Ciuitatem exultantes dæmones, ac perturbatos ciues ad cædem mutuam succedentes. Vt autem seditiosas illas effugaret potestates, Fratrem Syluestrum columbinæ simplicitatis virum quasi pręconem præmisit dicens: Vade ante portam ciuitatis, & ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, vt absedant sine mora. Mirum dictu. Cum ille iuberet: Ex parte omnipotentis Dei, & iussu serui eius Francisci procul hinc discedite dæmones: expulsa dæmonum furibunda caterua, redit ad pacem continuo ciuitas, & ciuilitatis vincula inter se vniuersi reformarunt. Hæc & alia quam plurima D. Franciscus faciebat: propter quæ dignus Honorio visus est, ne à sacris excluderetur.

d *S. Bonaventura in vita S. Francisci.* ORDINEM AB INTERDICTO LIBERAT.

Pari priuilegio Honorius ornauit Fratres Prædicatores, à morte D. Dominici magna sanctimoniæ & doctrinæ laude Ecclesiam illustrãtes. *e* Non postremus ex eis fuit F. Reginaldus de S. Ægidio, è Decano Aurelianensi, quem sacra Virgo Maria suis manibus inunxit, & à deplorata valetudine sanitati restituit, & cui habitum Ordin. Prædicatorũ demonstrauit. Hic cum olim in sæculo diues & opulentus esset, vitæq; molli & delicatæ assuetus, & post ea laboriosum & graue ordinis institutum susceptisset, atq; ab his qui eum prius nouerant interrogaretur; num magna afficeretur molestia: respondere solebat ex animo: Atqui scitote ita mihi hæc omnia iucunda, & suauia videri, vt sæpe ex animo doluerim, quod nimis molliter viuerem, & certe nullum me in hac vita meritum consequi arbitrarer.

XIV. e *Chronic. Ord. Præd.* PARI PRIVILEGIO DOMINICANI GAVDENT, ET CONVERSIO REGINALDI DECANI AVRELIANENSIS.

Proximus huic Rolandus, non minus sanctitate, quam doctrina illustris: qui exinde occasionem vitæ in melius commutandæ sumpsit. Cum festum diem totum solemnibus epulis, lusibus, & choreis, & reliqua eius generis vani-

CONVERSIO ROLANDI.

tate consumpsisset, ipse nouis insuper vestibus ornatus, splendidis ac sumptuosis, tandem vespere ad se reuersus ita cogitauit: Hem, vbi nunc est festum, quod egimus? vbi tota huius diei lætitia quæ iam abiit? Itaque perpendens secum, vt dies ille transierat, sic transituram vitam cum sua felicitate, nihilque permansurum præter pœnitentiam & dolorem, postero die religionem D. Dominici ingressus, cum vitæ probitate, & docendi munere exornauit. Coæqualis ambobus fuit Monetus, is in cuius cubiculo D. Dominicus vitâ æternam præsumpsit. Magnus & clarus fuerat in sæculo doctrina, nec nisi cœlestium bonorum amplitudine ad religiosam vitam illectus. Cum enim Reginaldus, magno hominum concursu & approbatione verbum Dei prædicaret, Monetus primo de industria illius congressum & sermonem fugere consueuerat, multum sibi metuens ab eo, tamè in Stephani Martyris natali, ad eius concionem comitum importunitate pertractus, primis statim verbis captus est, cum illam vocem exponeret: *Ecce video cœlos apertos.* Ita enim differebat, nunc quidem cœli portas ad beatitudinem patere, ita vt quinis ingredi possit, qui autem negligentes essent, & qui DEO cor suum clauderent, iis vicissim cœlos claudi, vt deinde intrare non possint. Nec pluribus opus fuit. Statim enim corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à religione, religionis voluntatem concepit, finita concione Reginaldum adiit, animum exposuit, eumque voti etiam vinculo adiuncto confirmauit. Coætanei istorum fuêre Petrus Guarinus, & Guericus. Erat Petrus Guarinus insigni sapientia & authoritate. Is cum olim cogitaret Prædicatoribus se adiungere, & nonnihil cunctaretur, quadam die in Ecclesia præsens audiuit illud Psalmi: *Quamdiu ponam consilia in anima mea?* Ex quo versu ita commotus, in lachrymas prorupit, vt plorandi finem, eundemque versum repetendi non faceret, donec sacra Prædicatorum veste induerentur. Guericus autem præclarissimus Theologus exinde vitæ melioris initium sumpsit, cum in Ecclesia recitari audiisset, illud ex sacra historia: Adam vixit annos nongentos ac triginta, & mortuus est. Ab hac enim moriendi necessitate, adeo illi cura & cogitatio insedit, vt mox ipse quoque omnibus relictis Prædicatoribus se dederit, & vna cum superioribus ad sanctitatis fastigium euaserit. Par eis Gualla Brixiensis Monasterii Archiecœnobita, is qui Diuo Dominico vita functo: secundum somnium vidit cœlum aperiri, & ab eo duas scalas in terram demitti, & vni IESVM, alteri MARIAM Virginem inniti; per vtram que autem Angelos ascendentes & descendentes, D. Dominicum cathedræ ornatissimæ insidentem ad cœlos attollentes. Non inferior huic Raon, qui & ipse eo tempore cum Diuus Dominicus humanis rebus exemptus esset, sacris pro eo decumbenie (nam mortuum non sciebat) operatus, corporeis ablatus sensibus vidit eundem sanctum aurea insignitum corona, miro splendore fulgentem, extra muros Ciuitatis Bononiæ inter duos venerabili aspectu viros via mirificè ornata gradientem. Annumerantur iisdem superioribus minores sanctitate, quos adiungo. 1. Frater Ioannes Vincentius sanctitate & miraculis clarus, cui concionanti Angelus ad aures sæpius astare visus est. 2. Frater Laurentius Anglus, dono prophetiæ, vitæ integritate & miraculorum gloria insignis. 3. Frater Manis Hispanus, Frater Germanus Diui Dominici, morum puritate & miraculis conspicuus. 4. Frater Dominicus Hispanus, qui illud memorabile sanctitatis & miraculi plenum exemplum posteris reliquit, quod à petulanti fœmina ad libidinem prouocatus, vltro se in ardentem rogum immisit: En inquiens, lectus, in quo nos commisceri oportet; sicque in igne etiam vestibus & capillis intactis, illæsus aliquamdiu decubuit. 5. Frater Iacobus Huton Mediolanensis, quem Creta insula miraculis in vita & post mortem florentem suscepit. 6. Frater Ioannes Vincius tantæ poreſtatis, vt decem mortuos suscitasse, & multa alia miranda patrasse referatur. 7. Frater Volandus Prior Conuentus Argentinensis, in cuius post obitum pectore Crux pulcherrima ossium cõpactu efformata, reperta est. 8. Frater Bertrandus, is in cuius præsentia Diuus Dominicus magnum signum fecit. Iter ambo habebant, cum eos ingens pluuia in itinere deprehendit. Ibi Sanctus Dominicus cum aerem pluuium signo salutiferæ Crucis signasset, aquam supra se & socium adeo continuit, vt continuo tanquam tentorio quodam tectos ne gutta quidem ambos attigerit. 9. Humbertus quoque Burgundus his se insinuat, cui sanctioris vitæ ista occasio fuit. Lutetiæ Parisiorum Parochialem suam Ecclesiam accesserat, & Defunctorum, quod vocant, officio intererat. Ibi Parochus eum percontatus; num meminisset eorum, quæ DEO pollicitus in Baptismate foisset; illique minimè recordanti, suggessisset: *Renunciasti Sathanæ & pompis eius*: atque ex ea occasione plurima de mundi vanitate commemorasset, nec quicquam suasione profecisset; Iordanus officio Diuino intentus, cum audiret illud cantari: *Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea. Quid faciam miser? vbi fugiam, nisi ad te Deus meus?* adeo exhorruit, vt statim relicto sæculo ad Diui Iacobi Monasterium accesserit, & Prædicatorum cõsortium expetierit. Requirentibus plerisque, quid de ea vitæ mutatione, præsertim in varia ætate hominum censeret, narrare solebat: religiosum quemdam vita functum apparuisse aliquando de nocte fratri, socioque suo, magno splendore collucentem: cumque eum ex cella eduxisset ostendisse magnum numerum hominum candida veste, mirabilique luce micantium, qui pulcherrimas cruces humeris deferebant. Erat autem omnium iter in cœlum. Postea modico intervallo alius sequebatur ordo, isque multo pulchrior, multoque lucidior, quorum quisque ornatissimam Crucem, non iam humeris, sed manibus gestaret. Deinde tertius ordo longè omnium splendidissimus & speciosissimus, quorum item Cruces forma & pulchritudine reliquorum Cruces superabant, neque eas ipsi portabant, (sed suus, qui singulos præibat, Angelus, vt ii alacres & ludibundi sequerentur. Quod spectaculum cum ille miraretur, expositi ei ferius, primos illos esse, qui prouecta iam ætate religiosam vitam amplexati fuissent: Secundos, qui in virili, postremos autem, quos adeo expeditos hilaresque vidisset, eos esse qui in iuuentute. Floruit etiam tunc temporis 10. opinione sanctitatis longe clarissimus Nicolaus Iuuenacensis, cuius familiæ posteri Spinularum appellatione in varias Italiæ Ciuitates traducti, magna & præclara pro Christiana Republica & tulêre & gessêre. Huic Nicolao attentè cogitanti, an translationem corporis Diui Dominici aliquo insigni miraculo Deus illustraturus esset: aliquis ignoto habitu secundum visionem sese obtulit dicens. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo saluatori suo*: Æquales Nicolao fuere, Ventura Veronensis, Guillelmus Montiferrateusis, Amizus Mediolanensis, Bonusius sacerdos, Ioannes Hispanus, Rudolphus Faventinus, Stephanus Prouincialis Galliæ Cisalpinæ, Paulus Venetus, Rogeriusque Pennensis, omnes nouem alumni Diui Dominici, fide, religione, ac vitæ sanctitate conspicui, ex quorum oculari rerum à sancto Dominico gestarum testimonio, post aliquot annos Gregorius summus Ecclesiæ Antistes, cum sanctum Dominicum diuis adnumerauit. Dignissimos enim ille censuerat, quo vitæ & conuersationis illius non tantum æmulatores, sed & testes exaudiret, & ex eorum relatione de sanctitate Diui decerneret.

Omnibus his superior fuit Beatus Iordanes Saxo, hoc anno in Comitio Generali Prædicatorum Bononiæ, collecto, datus Diuo Dominico successor. *a* Natus est oppido Botergæ, apud Saxones. In sæculari adhuc habitu, vitam mitem, sanctam & sanctissimam duxit. Huiusceque modi consuetudinem habuit, vt egeno, qui primus summo mane eluescenre occurreret, eleemosynam largiretur, licet non posceti. Consueuerat intempestæ noctis silentio, cum Parisiis studia excoleret, in Ecclesiam conuenire, & exmore sacra audire. Dum autem pro more aliquando, falso ratus iam signum ad sacra peragẽda datum, iter, vnica veste amictus, sine pecunia, balteo argenteo latera cinctus arripuisset, obuium egenum in itinere offendit. Cui quod daret, cum aliud non haberet, balteo illum donauit. Tandem templum aliquanto post ingressus, vidit CHRISTI simulachrum Cruci affixum, balteo paulo ante egenti dato præcinctum. Cuius spectaculo plurimum motus, togam religionis Prædicatorum à Beato Reginaldo sumpsit. Alicui viro sacris initiato visus est fons in templo Parisino, lacebo

ITEM MONETI.

PETRI GVARINI ET GVERICI.

ITEM GVALLÆ BRIXIENSIS.

ITEM RAONIS.

ITEM ALIORVM SANCTORVM ISTIVS ORDINIS.

HVMBERTI EX VISIONE CÕVERSIO.

XV.

a Surius die 13. Febr.

D. IORDAN. SECVNDI PRÆDICATORVM CONVERSIO.

cobo Apostolo dedicato, mox oriri, & tam subito exsiccari, & in eo loco alter maior suboriri, cuius riuulis triuia, & quadrinia, & plateæ, & exinde tota Prouincia irrigabatur, vsque ad mare decurrens. Præsagium fuit, quod euentu postmodum comprobatum est, Iordanem loco Reginaldi insurrecturum, cuius doctrina & sanctitate, totam rigaretur Ecclesia. Sane fidem Catholicam tum in Galliis, tum in Italia maiorem in modum amplificauit, & vindicauit. Hæreticorum quamplurimos expugnauit, & exussit: fautores eorum erroris admonuit, & ab errorum ereptos tenebris, ad Ecclesiæ Romanæ putissimam Catholicamque lucem adduxit. Restrictæ sunt ab illius prædicatione fœnerantium cupiditates, in vsum quotidianum restituta consuetudo confitendi, & sopitis dissensionibus pax & amicitia reducta. Huius præclara facinora & eximiæ virtutes effecêre, vt hoc anno ex Prouinciali Lombardiæ, totius Ordinis Prædicatorum Generalis, & primum Diui Dominici successor, omnium Patrum suffragio crearetur.

XVI.

a Vitæ virisque.

SANCTI HYACINTHVS ET CESLAVS, FRATRES ET DOMINICANI.

Ex discipulis quoque Sancti Dominici nobile par fratrum, Comites Odrouantii, Poloni, *a* Sanctus Hyacinthus, & Beatus Ceslaus non vlicato genere sanctimoniæ florebant. Certe Sanctus Hyacinthus tam acerbo & immani odio prosequebatur flagitium vt quoties in mentem irrepsisset, toties illam insigni sceleris contagione maculari censeret. Si itaque aliquid vel leuiusculè admisisset, vel omisisset, statim sacra exomologesi & lachrymis expiabat. Multoque diligentius ille animum ab omni labe tuebatur, quam qui pretiosis vestibus ornatus, via lutulenta incedens, indumenta speciosa ab insperſione cœni immaculata conseruat. Namque neminem sibi præponi passus est, in expurgandæ animæ diligentia, & in morum honestatis vigilantia. Iam humilitatis virtutem quod attinet, Hyacintho Odrouansio nemo in sensu modestior fuit. Huius omnes gradus ille pererrauit. De se enim nihil sentire, vilis & abiectus audire, vilibus obsequiis & personis mancipari, & ad superiora semper conari, cum in supremis virtutibus esset, conabatur. Illi quoque nihil magis consuetudinarium fuit, quam cœlestia frequentare mysteria, sacra meditari patimenta, Crucem suam arripere, Christianæ Crucis mortificationem in suo corpore circumferre, & totis viribus CHRISTVM Cruci affixum & in Diuo Dominico expressum induere. Is per hæc tempora in Poloniam reuertens, Frisaci Carinthiorum, tanto cum fructu diuinum verbum prædicauit, vt plane omnes viderentur repente studio pietatis inflammati in cœlestes euasisse. Omnes enim peccatorum suorum sordes coram illo expurgare conabantur: alii à contagiis mundi sese explicabant, diuitias reiiciebant, voluptates exhorrebant, & cœlestem viuendi rationem inibant. Necessum fuit, vt Hyacinthus precibus Frisacensium victus semestri spatio apud eos commoraretur: donec cœnobium ædificiis amplissimum, & Fratrum numero præstantissimum ipso conditore erigeretur: reliquit Frisacensibus socium Hermanni, ipse per Styriam, Austriam, Moraviam & Silesiam repedans, quocunque accederet, doctrinæ & sanctitatis ingentia specimina dabat. Cracouiam autem ingressus, donec in palatio Episcopi Iuonis patrui in quadam ædicula hæreret, & in æde principe, conciones frequentes, non minus quam feruentes haberet, pietatem accendebat pietate, torpentes excitabat, corruptelas demoliebatur, duritiem pectorum, vel frangebat, vel mollichat, corporum & animorum castimoniam, institiæ cultum, abnegationem suipsius, cæteraq; omnia fidei ornamenta, quæ fraude sua nequissimus animorum hostis aut extinxerat, aut ad minimum obscurauerat, non interruptis concionibus disseminauit. Adhærebant lateri dicentis numerosissimi conuentus nobilium, ciuium & populorum, mellitis eius declamationibus recreati: quæ non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis ita ab eius ore manabant, vt cuiusq; cor lapideum licet, vel frontem licet ferream trãsfuerberarent, & abdita energia liquefacerent, disponerentque, ad suscipiendam formam virtutum. Is Boleslaum Principem Poloniæ cognomento Pudicum, & vxorem eius Kunegundem, in ipso ætatis flore, in cam impulit mentem, vt voto castimoniæ concepto, toto illo tempore quo simul vixerunt, præter amoré virgineum, & honorem intemeratum, sibi deuincirentur mutuo, nec vero quidem vel impudicis oculis contuerentur.

Non impar huic Beatus Ceslaus, natalicio frater, disciplina socius, & sanctitate æqualis. Hic iuxta nomen suum (nam Ceslaus, ex Polonico interpretatum, gloriæ & honoris, vel studiosum, vel plenum significat) Deo & sibi, ex incorrupto bonę conuersationis odore & omni sanctarum virtutum venustate, honorem & gloriam exambiens, non solum Odrouansiorum familiam, verum etiam vniuersam Poloniam, atq; circumvicinas regiones illustrauit. Teneris adhuc annis innocenter decursis, ac Theologiæ iurisque diuini & humani scientiam assecutus Bononiæ, inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis, pietatis exemplo vna cum D. fratre Hyacintho aliis præluxit. Vna cum eodem fratre, in monasterio Sanctæ Sabinæ Romano religionis Prædicatorum togam indutus, sub B. Dominici Patriarchæ disciplina tantum profecit, vt in vigiliis, ieiuniis, carnis macerratione, orandi studio, piis meditationibus, altissima contẽplatione, ac demum in humilitate profunda, in prædicatione feruenti, inque ardentissima erga Deum & proximos charitate, verus esse timinator D. Dominici. Pragam à D. Hyacintho dimissus, Gregorium Crescentium tituli S. Theodori Diaconum Cardinalem Honorii 3. Pont. Max. Legatum hoc anno ibidem agentem inuenit, & tum auctoritate atque intercessione ipsius ac Andreæ Episcopi Pragensis, per id temporis ab vrbe reducis, tum beneficentia Præmislai Ottocari Regis Boemiæ, Ecclesiam S. Clementis, & Monasterium Ord. Præd. acquisiuit. Silesiam appellẽns, in eius Metropoli Vratislauia, Ecclesiam S. Adalberti munifica liberalitate Laurentii Episcopi (eius qui postea ex rosarum odoratione mortuus est) suscepit, eique conuentui, ex quo sanctitatis eius fama vniuersam Silesiã pernagãte, multa Monasteria Ord. Præd. constructa sunt, cum summa dignitate prælatus fuit. Miraculis innumeris, viuens & vita functus, Ecclesiã illustrauit, & vitæ sanctitatem declarauit. Viuens puerum quendam, aquis ab octiduo immersum, & tres alios mortuos vitæ restituit. Tartarorum Silesiam ferro flammisque vastantium innumerabilẽ phalangem, orationibus ab Vratislauiẽsi ciuitate profligauit. Nam globum igneum super caput orantis apparentẽ, hostes aspexerunt. Alii deinde globos igneos in castra sua iacientem & viderunt & senserunt, & ab obsidione recesserunt. *b* Cromerus grauis author referebat, quod Ceslao iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam, & præsentis periculi depulsionem implorante, columna ignea cœlitus apparuit, & statiua Tartarorum, omneq; territorium, ingenti atq; terribili fulgore collustrauit: quo miraculo Barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionem soluerunt. Clauit insuper Ceslaus spiritu prophetico, ex cuius afflatu multa ventura prędixit, multa occulta patefecit. Turgentia quoq; flumina, cappa vestibus supposita siccis traiecit vestigiis. Hominibus languidis multam opem tulit, & optatæ sanctitatis beneficium per miraculum concessit. Religionem prædicatoriã per vniuersam Boemiam, Silesiam, Lusatiam, Pomeraniam, & circũ adiacentes Prouincias disseminauit. Fidem Catholicam apud Barbaras nationes inter Pomeranos, Prussos, & Liuones asseruit: Tandem vitæ cursu sanctissimè transacto, laborum suorum coronam & præmium lætus aspiciens, beato fine quieuit Vratislauiæ, anno S. 1242. statim à morte visus est cuidam sanctæ Moniali, in Apostolorum choro conspicuus. Nostra quoque ætate, dum Vratislauia ignibus conflagraret, inter globos flammarum volitantium visus est à plerisque in aere apparens, & Cœnobium S. Adalberti, quod viuens condiderat ab incendio defendens.

b lib. 9. hist. Polon.

XVII.

Hoc anno, *c* Constantia Friderici Imperatoris vxor, mortua est Catanæ in Siciliæ. *d* in cuius locum, sed nonnisi post duos annos, superduxit Iolem Ioannis Brenni Hierosolymorum Regis filiam, iure materno Hierosolymitanam Reginam. Cui cum nomine dotis illud Regnum contulisset, ex eo tempore Reges Siciliæ, Hierosolymitani quoque appellari cœpêre.

c Surita in Chronic.
d Æmil. lib. 6.

VNDE SICILLÆ REGES DICTI SINT REGES HIEROSOLYMORVM.

Eodem quoque tempore obiit *e* Theodorus Lascaris, qui contra Latinos Imperatores Constantinopolitanum Imperium vsurpabat. In eius locum cum per factiones et-

c Niceph. Greg. lib 2.

MORS THEODORI LASCARIS TYRAN. ORIENT. SVCCEDIT IOANNES DVCAS.

iam Latinorum, Ioannes Ducas, qui filiam Lascaris duxerat suffectus esset, Robertus Imperator Constantinopolitanus plurimos hostes domesticos expertus est his diebus, qui Græcis adhærentes contra eum non tantum consilia, sed & arma conuerterant. Eos omnes a Honorius Papa diris detouit: Huberto autem Comiti Blandiratæ, atque reliquis omnibus in auxilium Imperatoris properantibus, illa omnia priuilegia concessit, quæ proficiscentibus omnibus in subsidium Terræ sanctæ solent indulgeri.

a *Lib. Epist. Anni 6. pag.* 154.

XVIII.

Hoc eodem anno Gregorius Crescentius Cardinalis Legatus Pragæ agens, controuersias inter Præmislaum Ottocarum Boemiæ Regem, & Andream Pragensem Episcopum audiuit, cognouit, & decreuit. Præter ea quæ superius commemorauimus, erant plurima alia, quæ authoritatem Pontificiam exposcebant. b Cum enim pietas Præmislai Ottocari, hactenus probata de cætero frigere cœpisset, calore religionis illum deserente, sacra cultumque diuinum nunc intermittebat, nunc fastidiebat, nunc plane contemnebat. In ægritudinem interim inciderat, & Andreas Episcopus eum conueniens pro officio pastorali eum ad sacrorum expiandam negligentiam hortabatur. Rex interim illum vel alia dicere, vel à se abire præcepit, adeoque odio habere cœpit, vt in sacerdotes multa mala promanarint, Rege iniurias eorum dissimulante, quas à nobilitate aut vulgo per conuitia, perspolia, & aliquoties per verbera accipiebant. Reperta que in eodem tunc fuit iniquissimæ exactionis singularis improbitas. Nam vbi ab Hebræo vnus vectigalis nomine exigebatur nummus, ibi à sacerdote decem, mox viginti nummi extorquebantur, frustra Andrea Pontifice aduersus impotentiam querente. Atque ea causa fuit, cur Andreas ex Boemia in Austriam secesserit, vt videlicet ex tuto loco Regem vna cum nobilitate percutere posset. Istud porro cum perfecisset, Romam migrauit, & angustias Ecclesiæ Boemorum Honorio exposuit. Tanto autem arrocius exinde quam prius lupi in gregem Dominicum Pastore absente desæuiebant, iam cum pabulis caulas quoque & stabula illi adimentes, ac præcipue cœnobitarum possessiones inuadentes, illasq; diripientes. Quæ cum Honorius intellexisset, Gregorium Crescentium Rege quoque deposcente destinauit: qui controuersiis partium auditis finem optatum imposuit, atque Episcopum Præmislao conciliauit. Cæterum non diuturna fuit ea concordia. Mortuus interim fuerat Wladislaus Regis frater, vir si quis alius in orbe erga Ecclesiasticos munificus. In huius obitu, cum Andreas vna cum eo, vnicum sacerdotum præsidium intercidisse dixisset, Rex quasi contumelia irritatus desæuire cœpit, multaq; partim ipse inferre, partim conniuere ad illata cœpit, donec Andreas exemplum Diui Adalberti antecessoris secutus Romam iterato confugeret. Vbi tandem ex animi ægritudine extremum diem clausit. Caput eius sacerdotes Pragam referri, & in sacello D. Venceslai super aram recondi curarunt, dignum esse iudicantes, vt caput illorum libertati natum in loco obuio ac maximè celebri reponeretur.

b *Ioan. Dubron. lib. 25. & Hageccon Chron. Boem.*

DISCORDIA INTER BOEMIÆ REGEM ET ANDREAM EPISCOP. PRAGENSEM COMPONITVR.

ANDREAS ROMÆ MORITVR.

XIX.

Eodem anno in Anglia c Stephanus Canthuariensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus apud Oxonium Synodum Episcoporum pro reformatione Cleri & populi celebrauit. Et quidem in primis, eos qui malitiosè Ecclesias suo iure priuare præsumunt, aut per malitiam & cõtra iustitiam libertates eorum infringere vel perturbare contendunt: deinde seditiosos Regni turbatores, periuros in causa matrimoniorum testes, aduocatos in iisdem cauillatores; calumniatores, & clauium Ecclesiæ contemptores anathemate damnauit. Deinde plurima in rem Christianam constituit videlicet.

c *Tomo 4. Concil.* CONCILIVM OXONIENS. IN ANGLIA ET EIVS STATVTA.

1. *Vt prælati singuli eleemosynarios honestos habeant. Vtq; ipsi sint iuxta Apostolum hospitales, & vt horis competentibus ad pauperes audiendos, & iustitiam exhibendam in publico præsentiam suam exhibere procurent: & confessiones interdum audiant: & confessores discretos ciuitatibus submittãt, vt in Ecclesiis cathedralibus resideant: vt formam suæ professionis in sua consecratione prolatam bis in anno coram se legi faciant diligenter, vt tanto melius professionis suæ recordentur, quanto sæpius eorum auribus fuerit inculcata.*

2. *Ne ab his quibus beneficia contulerunt, vel renunciarunt, aliquid sibi retineant, vel in collatione aut renunciatione quippiam reconiuncant.*

3. *Festa ab Ecclesia designata iubeant obseruari: vigiliasque & ieiunia ieiunari.*

4. *Parochi oues sibi commissas, vt pabulo verbi pascant, vtq; Ecclesiarum ornatum procurent.*

5. *Decani rurales non sibi vsurpent cognitionem causarum matrimonialium.*

6. *Archidiaconi in visitatione Ecclesias non aggrauent: & sacerdotes de canone Missæ & de Sacramento altaris examinent, videant quoque ne possessionibus vel iure suo Ecclesia defraudentur: nouas exactiones Ecclesiis non imponant.*

7. *Ordinarii non ferant sententias excommunicationis in aliquem, vbi non est excessus manifestus, nisi admonitione canonica præcedente.*

8. *Iudices non impediant bonum pacis inter partes, vbi causa recipiat compositionem ad suggestionem præconis.*

9. *Clerici habitu decenti induantur, cappis clausis vtantur, comam non nutriant, concubinas non teneant, non vendant nec impignorent Ecclesiam suam consanguineis: fructus Ecclesiæ in laico feudo non reponant.*

10. *Religiosi possessionati singulis annis dati & accepti rationem reddant: pro receptione vel ingressu alicuius nihil accipiant, in vno dormitorio pariter dormiant & quiescant, singulis personis singulis lectis assignatis: in communi viuant: nec singulis denarii pro eorum vestitu tribuantur, sed hæc per certas personas ad hoc deputatas expediantur. Cumque eis noua vestimenta tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in vsus pauperum vel alias necessitates conuertantur. Silentium obseruent, domo sine licentia superioris non egrediantur, in cubiculis ne comedant: testamenta ne condant: sensoribus suis obtemperent.*

11. *Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati decretæ, in synodis Episcopalibus vna cum istis legantur, & diligenter obseruentur.*

12. *Ad præstandas decimas laici suadeantur, & si opus fuerit per censuras Ecclesiasticas compellantur.*

XX.

PSEVDOCHRISTVS IN SYNODO CANTVARIENSI SESE OSTENTAT.

In synodo autem Cantuariensi seu mauis Oxoniensi hoc anno in Anglia celebrata, Pseudochristus quidam, qui se Christum, vemisseque, vt errores, qui in Clero & populo grassarentur, emendaret, audebat afferere, & signa quædam quasi Christi crucifixi manibus, pedibus lateriq; impressa, ad maiorem populi circumuentionem ostendebat, vt vanus & perfidus nebulo in Crucem quam meruit, cum Hermaphrodito quodã aflecta sublatus est, in qua & Diaconus quidam desecratus flammisque exustus, quod ad Iudaicam perfidiam nefariè profugisset. *M. S. Vatic.*

Apud inferius Traiectum hoc anno, quanta pœna violatores sacrorum sequatur, Deus demonstrauit. *Sacrarium in Ecclesia S. Martini fures effringentes, quosdam thesauros, vna cum Cruce pretiosissima gemmis & auro decorata, asportauerant, qui cum essent plures, duobus Crucem committentes, ipsi cum thesauris abierunt. Mane cum tantum sacrilegium ad notitiam Episcopi atque Canonicorum peruenisset, dolentes valde, maximè de Cruce, ob portionem ligni Dominici, milites per diuersas vias miserunt, qui fugientes insequerentur. His vero qui Crucem portabant, per stratam publicam apertè incedebant, ad quos cum peruenissent milites, nihil mali de eis suspicantes pertransierunt. Christus vero, in quem peccauerunt, fures à sensu alienauit, gressum fixit: ita vt à stratis declinantes paludem intrarent, nec tamen motis pedibus procedere possent. Altera vero die, prædicti milites reuersi, cum eos penè in eodem loco, & maximè lutũ calcando vidissent, mirati dixerunt. Isti sunt quos heri hic dimisimus. Ad quos cum vnus clamasset: Boni homines, male incediti, quare non ascendistis stratam tritam? Respondentes illi: Benè incedimus, non vos solicitet iter nostrum. Tunc vnus ex militibus, Deo inspirante, dixit ad socios: Aliquid istud portendit, sortiemur rei sint, teneamus illos. Ad quos cum descenderunt, illi Crucem paludi immerserunt. Interrogati de furto, responderunt. Nos crucem tulimus: vbi sit scimus: sed nisi certi de vita simus, nunquam illam vobis ostendemus. Quid plura? Ducuntur ad Episcopum gratia Crucis: promittitur immunitas: Crux ostensa reportatur, extra prouinciam conducuntur. Et quia iustus Iudex nullum peccatum relinquit inultum, & sæpe peccato punit peccatum, permisit, vt sequenti die iterum Ecclesiam effringerent: in qua capti sunt, & in patibulo sustensi.* Cæsarius lib. 10. cap. 21.

XX.

EPITAPHIVM CONSTANTIÆ

Hoc anno ad diem 23. Iunii mortua est Constantia Imperatrix, Ferdinandi IV. Castellæ Regis filia, Friderici vxor, cui Panormi sepulcræ, inscriptum est.

Hoc est corpus Constantiæ III. Romanorum Imperatricis semper

IMPERATRICIS.

XXII.

NORS IOANNIS SVECIÆ REGIS PII.

Augustæ & Reginæ Siciliæ vxoris D. Imperatoris Friderici & Siciliæ Regis, & filiæ Regis Aragonum. Obiit autem anno incarnationis M. CC. XXII. 23. Iunii X. Indict. in Ciuitate Catanię.

Raptus est etiam eodem anno Ioannes Rex Sueciæ, cognomento iuuenis atque Pius, quibus elogiis adolescentem, tum propter ætatem, tum propter indolem ostendebant. Raptum dixi: nam præmatura ætate obiit, ne malitia mutaret cor eius. Successit ei Ericus cognomento Balbus. Is cum à Sanctorum Regum progenie, videl. à S. Erico Abauo, à Canuto Auo, & Erico patre descendisset, talem se in omnibus suis temporibus exhibuit, vt nullus omnino inter proceres & plebeios inueniretur, qui non summo desiderio ferretur, vt ipse in auitum Regnum sufficeretur. Quãuis enim im peditioris linguæ & claudi incessus esset, tamen hos naturę defectus tanta morum probitate compensabat, vt à Deo donatus potius, quam per humanam electionem assumptus videretur. Iustitiam cum clementia ita temperabat, vt in dubio relinqueretur, instior ne an clementior esset, quippe vt neminem impunè permisit innocentiam opprimere, ita neminem clementia dignum seueritas castigauit. Aliquot post annos, cum in contemptum propter defectus, & virtia corporis veniisset, & tum victus à seditiosis, tum victor eorum paulo post extitisset, nihil seueritas in rebelles egit, nisi quod quosdam suscitatæ rebellionis authores in aliorum terrorem occidi præcepit. Eorum tamen principem Holingesum, qui maiore sua imprudentia quam malitia inciderat, capite plexum honestissima sepultura decorari præcepit. Quo facto visus est pius Rex nobilissimi viri casum dolenter sustinuisse: estque à pluribus creditũ, hunc Holingesum magis ob alienam, quam propriam culpam periisse, & ob id miracula ad eius sepulchrũ, in testimoniũ innocentiæ actæ vitæ, aliquãdo increbuisse *Olaus lib. 19. c. 14.*

CLARENT FR. STEPHAN. LVSIGNANVS CYPRIVS ET BROCHARDVS

XXIII.

TERRÆMOTVS COLONIÆ, IN CYPRO, ITALIA, ETC.

Eodem quoq; anno, tertio Idus Ianuarii, mane hora prima diei, Coloniæ, & circa, terra tremuit, & multa ædificia subuertit. In Cypro etiam Insula, duæ Ciuitates, eodẽ anno, ex terræ motu, multis extinctis hominibus corruerunt in Italia, & præsertim in Lombardia, homines desertis ciuitatibus, in tentoriis habitarunt, ipsa die Natiuitatis Dominicæ, & duabus hebdomadibus seqq. semel ac iterum diebus singulis terræ motus, ædificia & Ecclesias fortissimas euertit, ac homines cum sacerdotib. oppressit: Brixiam ferè totam cum populo subuertit, rupes à montibus auulsit, castra deiecit, ac multa millia hominum occidit. Romæ, terra sanguine mixta pluere visa est. *Chron. Hirsaugien.*

XXIV.

VARIA ANNI HVIVS PRODIGIA.

Hic dem sannus variis Prodigiis insignis fuit. Stella crinita visa: Luna defectionem memorabilem passa: inaudita aquarum inundatione, pecora, tecta, arboresq; cõsumptæ: terra nõ solum ingenti motu cõtremuit, sed altissimo quoque mugitu concussa personuit: quo factum est, vt montium iuga natauerint: domus ac templa multa corruerint, cãpanæ nullius hominis impulsu crepuerint, flumina cursus suos naturales retorserint, atq; ad ipsos vnde manabant fontes recurrerint: multi homines vbiq; fœda ædium ruina collisi sint, præcipuè Bononiæ præter cæreras ædificia, ipsa D. Petri Basilica magna ex parte procubuit. Brixiæ autem, cum vrbs vno permota impetu ruere videretur, amplius duo hominum millia ipsis parietinis attrita sunt. Hæc in ipsis Domini Natalitiis, diuinis perfectis officiis, euenerunt. *Sigon. de Regno Italiæ lib. 7.*

XXV.

PRÆDICATORES IN PALESTINAM MITTVNTVR.

Hocanno, Fr. Prædic. Patrisius ad Comitia generalia congregati, Fr. Brochardum Argentinensem, religione conspicuum, & cum Theologiæ, tum iuris Pontificii, aliarumque disciplinarum scientem, plurimis ei adiunctis sociis, in terram sanctam, ad Euangelium Christi annunciandum destinarunt. Referebat Humbertus (verba eius sunt) quod cum incumberet aliquos Fratres mittere ad Prouinciam Terræ sanctæ, & Iordan. Magist. Fratribus in ipso Capitulo dixisset, quod si aliqui parati essent bono animo illuc ire, vt significarent ei, vix verbum impleuerat, cum vix fuit aliquis in maxima multitudine, qui non statim faceret veniã cum fletu & lachrymis, petens mitti ad terram illam, Saluatoris sanguine consecratam, ita vt Fr. Petrus Rhemẽsis tunc Franciæ Prouincialis, cum hoc vidisset, surrexerit, & facta venia cum aliis, locutus fuerit Magistro in hunc modum: Bone Magister aut charissimos FF. istos nostros mihi dimittatis, aut mittatis me cum eis, quia ego paratus sum cum eis ire ad mortem. Ante hos omnes perrexerat in Palestinam Apostolus Fr. Xuronus Mediolan. vir multæ sanctitatis. Hic prædicatione sua, multum populum Domino acquisiuit, & Conuentus nonnullos indidem erexit. Reliqui autem cum Brochardo profecti, Hierosolymis, Damasci, Bethleemi, Nazarethi, & in aliis partibus ordinis Conuentus extruxêre. Decẽ & octo Cœnobia numerabãtur, quę illo tempore in Palestina religiosi Prædicatorum, in sola autem Insula quadraginta & sex condidêre. Inter alios, qui eam Insulam doctrina & sanctitate illustrarunt, fuit Fr. Stephanus Lusignanus Regũ Cypri sanguine ortus. Hic quod religione præstantissimus esset, atq; doctrina polleret, Rempublicam Christianam maiorem in modum scripris, prædicatione & exemplis iuuit. Scripsit historiam de rebus Cypriis; quemadmodum Brochardus, qui fere nonagenarius vsque ad annum Domini 1283. vixit, descriptionem Terræ sanctæ: cuius præter veustiores, Masius, Ianfenius, Genebrardus, Ortelius, Baronius, & alii recentiores meminerunt. *Anton. Senensis in Chron. Ord. Prædic. Humbertus de reb. Prad. S. Antonin. 3. p. hist. lib. 23. c. 10. §. 1. & alii.*

XXVI.

COLONIÆ VBIORVM EXTRVITVR MONASTERIVM PRÆDICATOR.

Eodem anno, Coloniæ Vbiorum, Fratribus Prædicatoribus cœnobium extructum est, ex hac causa, quam *Cæsarius dialog. lib. 9. c. 56.* referebat his verbis.

Coloniæ in Ecclesia S. Andreæ Canonicus quidam extitit, Ordine Sacerdos, arte medicus, Petrus nomine. Cum die quadam ex eius canonicis infirmus eo præsente esset communicaturus, & ei Sacerdos diceret: Credis hoc esse verum Corpus Dominì, quod natum est ex Virgine, & pro te passum in Cruce? Illeque respondereat; Credo: præfatus Petrus verorumque verba notans expauit. Postea solus commanens Euerhardum Scholasticum Ecclesiæ, qui & ipse communioni interat, ait: Interrogauit Sacerdos infirmum illum bene? Et respondit ille: Etiam benè, inquit & qui aliter credit, hæreticus est. Tunc Petrus eiulans, pectusque tundens, exclamauit dicens: Væmihi misero Sacerdoti, quomodo hactenus Missas celebraui? Nam vsque ad hanc horam, putabam speciem panis & vini, post consecrationem tantum esse Sacramentum, id est, signum & repræsentationem Dominici Corporis & Sanguinis. Ad huius itaque deletionem ignorantiæ, quæ nimis erat crassa, in honore B. Mariæ Magdalenæ, in Stolgingasse, & Capellam, & hospitale, in quibus nunc habitant Prædicatores, ædificauit.

XXVII.

SANCTITAS ET ORTVS VERDIANÆ VIRGINIS FLORENTINÆ.

A pud Castrum Florentium eodem hocanno spiritum Deo reddidit, Sancta Verdiana Virgo, Ordinem Vallis Vmbrosianam professa. Hæc in eodem castro Florentino humili loco nata, à pueritia orationibus, & abstinentiæ dedita, ciliciumq; duodennis induta, duriorem vitam amplectens miraculis fulsit. Ciui cuidam in seruitutem addicta, cum pauperibus fabas continuo erogaret, & propterea Herus illis in arca non repertis, in Verdianam ira exactus esset, hæc lachrymis à Deo ope implorata, arcam fabis plenã reperit, ac si ex iis nihil accepisset. Istud cum Herus comperisset, illam maiorem in modum venerari, & humaniter tractare cœpit. Verdiana porro, cum à peregrinatione Compostellam in patriam reuertisset, in eremo, in ipso iuuentutis flore inclusa, in assiduis vigiliis, orationibus & ieiuniis vitam vixit. Semel tantum circa Solis occasum cibum sumebat, uno semper abstinebat, humi, ferreo cingulo, ciliciooque præcincta cubabat. Sæpissimè Dominicam Passionem meditando flebat. Sibi data omnia, nihil in crastinum reseruans, pauperibus distribuebat. A colloquiis & visitationibus sic abhorrebat, vt vocata, maximè vero in solemnitatibus, perque Aduentum & Quadragesimam, neque responderet. Cum vexari ad Sancti Antonii imitationem cuperet, binas serpentes habuit, quæ maximum horrorem illi facerent, eamque caudis verberarent, maxime cum illis cibum non porrigeret, aut ex eodem vase vt comederent non sineret. Eas serpentes, cum Ardingus Episcopus Florentinus, qui ad Sanctam Virginem visitandam aduenerat, expellere vellet, illa ne tali exercitio patientiæ priuaretur orauit, abscissasq; illis caudas oratione & signo Crucis restituit. Altera earum ab incolis interempta, cum altera amplius non comparuisset, diem sibi extremum imminere Verdiana intellexit, seque ad mortem ampletẽdam præparauit. Cum itaque annos triginta in Eremo inclusa vixisset, ac Psalmos pœnitentiales recitaret, ad cœlos euolauit. Eius mortem, campanis sponte sonantibus, lætitia aliquis infans patefecit. Corpus per dies XV. inhumatum

suauissimum odorem spirauit, multisque ægrotantibus sanitatem restituit. Clemens VII. Summus Pontifex vita & miraculis illius examinatis, vt officio Ecclesiastico illâ venerarentur, concessit. Ferunt illam aquam in vinum conuertisse. Cum enim quidam ex proximo puteo aquam hausiam Virgini per fenestram porrexisset, vinum effectam sensit, eamque idem qui hauserat, & aliis gustandam porrexerat, gustauit & tradidit. Pueri quoque cuiusdam genu & brachium fractum, signo Crucis sanauit, & palma, oculis cæcis cuiusdam mulieris admota, eidem lumen restituit. *Sylua Raz. de SS. Hetruria.*

IESV CHRISTI
Annus 1223.

HONORII PAP. III. Annus 7. FRIDERICI II. Imp. 4. ROBERTI Imp. 4.

I. *a inter epist. Honorii III. ann. 7.* RETVNDITVR TYRANNIS BERTOLDI DVCIS SPOLETANI FILII.

IN Italia nonnihil turbarum.[a] Bertoldus filius Conradi Ducis Spoletani viribus Gonselini dapiferi Imperialis fretus, Raynerium Capocium tituli S. Mariæ in Cosmedin Cardinalem quamplurimis iniuriis affecerat: & à subditis Romanæ Ecclesiæ in Marchia Anconitana & Ducatu Spoletano, & præsertim à Fulgineis, Eugubinis, atq; Lucerinis iuramentum fidelitatis extorserat, Summumque Pontificem dominio exuere conatus est. Percusserat eum anathemate Honorius, & milite conscripto temeritatem ipsius vlcisci properabat. Id cum Fridericus didicisset, pro eo supplex Honorio fuit, insolentiam illius redarguit, vtque errata corrigeret, atque à Sede Apostolica clementiam posceret, admonuit. Deinde ad vniuersas & singulas ciuitates scripto diplomate, iuramenta illa extorta irritauit, omnia à Gonselino & Bertoldo perrentata condemnauit, vtq; omnes & singuli ditionum illarum populi Summo Pontifici tanquam heredi obsequerentur, seueriore comminatione edixit. Pergrata fuit ea res Honorio; verum hæc ingrata, quod Fridericus Sacras electiones Episcoporum violabat. Nam Capuanæ & Auersanæ Ecclesiæ id perpetiebantur. Monebat eum Honorius, vt à Sacris manus contineret, & in vnitate Ecclesiæ Romanæ perseueraret.

II. *b epist. 202.* SOLEMNIS SVPPLICATIO IN EPIPHANIA AB HONORIO INSTITVTA.

Eiusdem anni initio, ad diem Dominicum, in quo Euangelica de aqua in vinum mutata narratio recitari cõsueuit, Honorius Pontifex supplicationes publicas in Basilica S. Spiritus instituit: vtque Summus pro tempore Pontifex vna cum cætu Cardinalium & Prælatorum interesset, & in mille pauperes eleemosynam erogari curaret, constituit, ea intentione, vt anni vertentis auspicia, orationibus, sacrificiis, operibusque misericordiæ consecraret, atque felicem successum rebus Christianorum, in totum annum à Diuina clementia imploraret. Interaliam processionis publicæ pompã decreuerat, vt effigies Christi cruci affixi præferretur, qui tandem de cœlis calamitates fidelium aspiceret & iuuaret. Multis hoc anno premebantur in Palæstina. Saraceni enim audientes nonnihil diffidii exortum fuisse inter Honorium & Fridericum audaciores facti atque potentiores, Christianos vehementius persequebantur. Mouit ea res Honorium Pontificem. Itaque vt illis auxilia submitteret, qui duram seruitutem vel metuebant, vel tolerabant, Imperatorem iurisiurandi admonuit, atque Reges Galliarum, Angliæ, Hungariæ, Norucgiæ, Sueciæ, Scotiæ, Daniæ, Nauarræ, Boemiæ, cæteroſque Principes Europæos hortatus est, vt quamprimum in subsidium terræ Sanctæ properarent. Dedit in eam rem ad vniuersos & singulos literas, Laterani scriptas 3. Idus Aprilis. Cæterum cum nerum belli pecuniam deesse aspiceret, iisdem omnibus iniunxit, vt collectam pecuniarum subditis suis imponerent: nimirum vt quælibet domus seu familia, singulis mensibus ad vsque tres annos proximè sequentes, certum nummum tribueret. Turonensem iudicabat PHILIPPO Gallorum Regi data ad eum epistola septimo Calendarum Iunii. Non modico quoque impedimento fuerat, discordia inter Philippum Gallum & Henricum Anglum, quo minus numerosiores copiæ & pecuniæ mitterentur. Curauit Honorius misso Conrado tituli S. Rufinæ Episc. Portuensi Cardinali Legato, si quo modo pax inter illos componeretur, vel saltem inducia statuerentur, vt viribus simul iunctis in Saracenos se conferrent. Plurimi tunc Crucesignabantur, maximis priuilegiis & indulgentiis ab Honorio inuitati. Nam inter alia Regibus omnibus author fuerat Honorius, ne pedagia vel tributa alia à Crucesignatis in Terram sanctam euntibus exigerent, aut extorquerent.

III. REX PHILIPPVS MORITVR, SVCCEDIT LVDOVICVS FILIVS.

Per id temporis Rex Philippus Ferdinandũ Comitem Flandriæ in vinculis habuerat. Monebat eum Honorius vt captiuum liberaret, cautione fidelitatis ab eodem recepta. Porrò ne is libertati restitutus, quicquam in Regẽ moliretur, Rhemẽsi Archiep. & Syluanectensi Episcopo potestatem authoritate Apostolica faciebat, eum anathemate damnandi, & sacrorum vsu eius prouinciis interdicẽdi, si post liberationem pactis non staret, & regnũ perturbaret. Scripsit epistolam v. Id. April. Honorius, Philippus autem hoc anno pridie Id. Iun. è viuis excessit, anno ætatis nono supra quinquagesimum, regni autem quinto supra quadragesimum. Augustum posteri nominarunt, alii Deodatum vocitarant; quod obsecrationibus eum pater tertia tandem ex vxore ipse magnus natu impetrasset. Is morieus, Ioanni Brenno Hierosolymitanorum Regi, & duobus magistris Templariorum Hospitaliumq; sexagena millia aureorum ad sacri belli necessitates moriens leganit: filioq; præcepta dedit rei Christianæ iuuandæ, sacriq; belli gerendi, ac pacis domi colendæ. Idem ipse legem tulit aduersus histriones, vt regni finibus excederent, quod id genus hominum reipublicæ perniciosum existimaret. Aliam etiam sanxit de Iudæis ad coercendam in mutuo dando exigendoque fœnore securitæ gentis improbitatem. Eius tempore Lutetiæ florebant literarum studia, eoq; ex omni Europa auditores confluebant, nõ tam propter loci amœnitatem, & omnium rerum copiam, quam multo magis propter honorẽ, quem Philippus earum professionibus exemplo patris Ludouici deferebat. Ludouicus cognomento Leo patri succesit, & ad octauum Idus Augusti regium insigne sumpsit, Rhemis operante Guilelmo ciuitatis Antistite sacris regiis initiatus, annos iam egressus, sex & triginta. Scripsit ad eum Honorius consolatoriam, pars propter mortem parentis, pars propter diadema regium, quod vt pro dignitate gestaret, eum ad deuotionem & obedientiam erga Romanam Ecclesiam hortatus est, data epistola VIII. Calend. Nouemb. Cæterum quod sciret, recens inauguratum decem millia marcharum à Philippo patre in eleemosynas pauperum relicta, in subsidium belli contra Albigenses facti impendere decreuisse, aliam epistolam Idibus Decembr. ad eum dedit, in qua zelum eius fidei collaudabat, & ad hæreticos totis viribus extirpandos monebat.

Scripsit & aliam XVII. Calend. Decembr. in negotio Isabellæ Cypri Reginæ: Prætendebat illa se ius habere in Comitatum Campaniæ, & interim in vrbe coram Ecclesiastico Iudice, notam natalium per cõtrouersiam partium depellebat. Monebat itaque Ludouicum, ne illam tantisper ex parte Comitatus Campaniæ quiritantem audiret, donec à Iudice Vrbano causa natalium ipsius definiretur, ex æquo & iusto.

IV. IACOBVS CRESCENTIVS NEPOS APOSTOLICI LEGATI IN POLONIA FIT PRÆDICATOR.

Eodem anno, vt refert Dlugossus, Gregorius de Crescentia, Honorii III. de latere Legatus venit in Poloniam, & tam à Lescone Albo, Principe, quam Iuone Episcopo, & vniuersis ordinibus Cracouiæ magno honore susceptus est, vbi & pluribus diebus immoratus, quosdam Clericorum rescidit abusus, & nonnullas edidit pro eorum regimine Constitutiones. Sub eius præsentia Iacobus eiusdem Cardinalis nepos Secretarius natione Romanus, Ordinem Prædicatorum in Monasterio Sanctæ Trinitatis Cracouiæ assumpsit sæculo renunciando, familiaribus eiusdem Cardinalis ingressum suum fletu & lachrymis prosequentibus. Diem exprimunt notæ diariæ Cathedralis Ecclesiæ Cracouiensis festum Annunciationis Diuæ Deiparæ, quo sanctus Hyacinthus Odronansius primulum ad ædem SS. Trinitatis introductus, Iacobum Crescentium habitu religionis amiciuit.

V. MISERABILIS MO-

Porrò quæ causa fuisset Honorio Gregorium mittendi Legatum, non piget recensere, vt virtus Crescentii vtriusque

REALIVM PARTIVM FACIES DESCRIBITVR.

que ampliusilluceſcat. Res est. Cum inquies atque indomitum quorundam Septentrionalium ingenium, in certamine libertatis aut dominationis versaretur, & ex voto vniuersa haberet, secundis rebus oriri consueta mala in Ecclesia illorum Christiana pullulabant, mentis libido, animi importentia, & hinc dira rerum inconcessarum cupido, ambitio, discordia, auaritia, ventris vitæque licentia, cæteræque pestes quasi contagio omnes & omnia inuadentes latius sæuiebant, miscebant ac fædabant illa florentissima Regna. Indidem enim Principes contra sacros Antistites, Toparchæ contra se inuicem, Ciues contra Ciues consurgebant, Sacramenta moris & amoris variabant, viros & robora militiæ alternis conscribebant, sub signa cogebant, in aciem educebant, per vulnera & cædes mutuas nihil quærentes quam commune exitium. Ardebat omnis Polonia, Boemia & reliquus Boreas ciuico incẽdio, sacra prophanaque temerabantur, tuta omnia intuta, Ciuitates & asyla vastata, plebis innoxiæ sedes patriæ à satellitibus occupabantur pro mercede scelerum, sepulchra maiorum infecta ciuili sanguine innabant, gentes paci destinatæ martialibus animis excitatis efferebantur, ab iis præcipue, qui pacarii audire debebant. Ad Christianorum dissensum barbari intenti, Caluam rapuêre. Prutheni, Liuones, Rutheni, Cremani, & præsertim Scythæ latrociniis à puericia sueti, Christiani nominis odio deflagrantes, certam eorum regnorum perniciem & cogitabant, & intentabant. Præfractam istam Ottocari contra Andream Episcopum Praganum, Procerum Poloniæ contra Lescum, Barbarorum contra Christianos, Schismaticorum contra Orthodoxos contentionem, vidit Honorius III. Romanæ Sedis Antistes, & in hoc prostrato Ecclesiæ illius & piorum statu, in remedium tantorum malorum Arbitros, Pacarios, Tutelaresque Crescentios submisit. Diuinitus opportune datos omnes credebant. Gregorius enim Cardinalis consscio & consultore Iacobo subnixus Pragam cum veniisset, Ottocari Regis audacem temeritatem fregit; Andream Episcopum Praganum iusta indignatione commotum ad lenitatem placauit, & Præmislao conciliauit: pacem publicam inter proceres Boemiæ dissidentes postliminio reduxit, eosque insolubili fœdere connexit: Cleri carcinomata, quibus turpem in modum multi deformari putebant, persanauit, Ordinemque sacratum sanctiore disciplina reformauit: Religionem Prædicatoriam in templum Diuo Clementi dicatum, & ab Ottocaro oblatum, inque Regnum illud augustissimum inuexit: Conditorem religionis Beatum Ceslaum genti illi reliquit, qui animos Bohemorum, Lusatiorum, Moranorum, Silesiorum, Saxonum aliorumq; circumuicinorum populorum vel luxuria molles, vel cupiditate efferatos, præuitate temperaret, imbueret modestia, continentia fulminaret. Ita tunc Zecchi innumerabilis soboles, quæ nec ingenium agreste admodum colere, nec virtutis honestatem ardentius appetere quicquam pensi habebat, Sapientiæ & virtutis intritam ingressa est, Gregorio & Iacobo prætentante. A Boemia Cracouiam Poloniæ Metropolim cum appulisset Gregorius, eodem Iacobo cooperatore Principes concordiæ catena deuinxit, Lesco Albo dignitatem authoritatemque Monarchæ restituit, Ecclesiarum iura à pseudopoliticis tutatus est: populares Sarmatiæ Marte natos, qui nihil nisi domi militiæque intenti armis vel vicinos lacessere, vel suos fines tueri aut inuadere, postremo omnia dominatus propagandi causa facere pulchrum & glorioſum iudicabant, ferociam deponere, sacris intendere, Musicæ assuescere, pietate innutriri, studio moderationis, decoris & candoris oblectari perdocuit: coadiutore Iacobo, & adiutore S. Hyacintho Religionis S. Dominici in Septentrione propagatore, quem Legatus nomine Honorii III. in templum vrbis primarium SS. Trinitati sacrum, & ab Iuone Episcopo, Lesco Albo Principe annuente, Ord. Prædicatorum concessum, introduxit.

VI. IACOBI CRESCENTII VITA IN ORDINE ET MORS.

Placuit Iacobo Crescentio mira populi Cracouiensis, in suscipiendo Hyacintho alacritas: placuit & flagrantissima Hyacinthi in Deum pietas, quam operante sacris Cardinali, primas plantas in augustissimum Templum, non sine miraculorum operatione ille inferens ostendebat, & iste oculis vndantibus vsurpabat. Iraque meliore spiritu afflatus, à latere Cardinalis patrui aræ sacræ astantis sese subducens, mox Hyacinthi pedibus aduolutus, sacro eius syrmate amiciri depoſcebat. Mirabatur Cardinalis, Episcopus, Lescus: & non nemo viri in Aula Romana Principis subitariam mutationem. Pars familiarium, dissuadebant, pars impedire conabantur. Frustra. Iam intrauerat animum eius Diuinæ gloriæ cupido, quam amplificare & illustrare, partes suas esse putabat. Sacra Prædicatorum toga à S. Hyacintho Iacobus indutus, in ipsius oculis per omnem religiosarum artium cultum, probationis annum exegit, incredibili diligentia ad æmulationem paternæ sanctitatis se componens. Inprimis sui & contemptus contemptorem animum assumserat. Mox ad obsequendum maioribus, mentem, aurem, manus & pedes parauerat, tum demum quicquid præclari facinoris aut sanctæ honestatis in Hyacintho suspexisset, patrissare nitebatur. Corpus ei quemadmodum & Hyacintho patiens inediæ, vigiliæ, laboris, sudoris, algoris, supra quam cuiquam credibile est fuerat, ieiunia xerophagiorum terna in singulas hebdomadas ieiunare perpetua consuetudo. Corpus tam acriter flagellare, vt sanguinis elices vberrime educti terram circumpurpurarent, diaria singulis noctibus disciplina. Orationis studium tam intentum, vt integras noctes vel altari alicui in templo, vel piæ imagini in cubiculo affixus perannaret. Lectionis S. Scripturæ tam studiosus, vt oculos à codice numquam fere subduceret, doctus impallescere chartæ à qua melior, & ad vitæ casus instructior, pallens licet, callens tamen rerum Diuinarum, victoriæ sui, moderationisque rerum exurgebat, Cruci affixi Iesu simulachro præcipue oblectabatur, quod ab isto magno exemplari profundam humilitatem, pietatem inflammantem, mansuetudinem moderatam, cæteraq; animi diuina ornamenta, tamquam è diuite fauissa colligeret, inque suum monile gemmarum adaptaret. Præter hæc mentis emblemata, omnia alia ei abunda acciderant, industria, præbitas, integritas, animus in arduis crescens, Romano Ciue dignus, sanctitatis ingens, libidinis & cupidinis victor, teriæ fortunarumque despector, Cœli tantummodo auidus cupitor sublimis, erectus, pulchritudinem ac speciem nonnisi excelsæ virtutis vehementius quidem, at caute apperens. Tyro adhuc secum expendebat: Vita mea breuis est! Flatu vel minimo prosternitur, aut opprimitur! par est memoriam factis longam prolongare, atque iter regium ad regna sydera per virtutis lineam decurrere. Ignauia neminem immortalem fecit, Virtute summa claritudo paratur. Hæc Iacobus quotidie. Sacro vero motsu professionis adstrictus, maior seipso indies crescebat, esse, quam videri, sanctior volebat, in cõuersatione, cum strenuo, virtute; cum modesto, pudore: cum innocente, continentia certabat. In rebus aduersis ipso se celsior, in secundis vero ipso se demissior in facinoribus tam magnificus, vt aliquando facta quam fama ferebantur maiora fuêre. Probitas ei tam integra, vt apud vniuersos maximus & clarissimus prædicaretur. Sacra omnia & infesta inuenerat, apud Boream supra æuum. Pro pudore, pro modestia, pro abstinentia, licentia, improbitas, audacia volitabant. Ornamenta bona mentis petulantiæ carpo detracta, libidini, ambitui, cæterisque dehonestamentis locum concesserant. Itaque Iacob. theatrum exercendæ virtutis nactus, quâ Saluat. Iesu hostiam incruentam cottidiana manu litare, quâ suauiloquenti suada ad sanctitatem exhortari, quâ virtutis exemplo ad summam perfectionis præire perseuerabat, his in inuia via. Omnia in eo prope diuina recensere, iniuria sanctitatis foret. Labores atque discrimina pro animarium salute, & religionis amplificatione suscepta, cum eo communicabat Hyacinthus, cui & vniuersis Patribus Prouinciæ, cum propter animum magna pro Christo ambientem probaretur, meruit, vt tertius post ipsum Prouinciæ Poloniæ præferretur. Abnuebat. Sed humilitatis monela suscipere persuadebat onus. In administrationis porro vsu, inprimis res in gubernatione dissociabiles suaui temperamento commiscuit, grauitatem & facilitatem, seueritatem & lenitatem, prudentiam & prudentiæ dissimulationem. Omnia scire, non omnia exequi, sed plurima sustinere. Corrigere vel corripere, non perdere, aliis non sibi indulgere, nec semper pœna, sed sæpius pœnitentia contentus esse, parvis peccatis veniam maioribus

seueritatem commodare. Terrere lubricantes: & vbi satis terruerat, parcendo rursus illectamenta clementiæ ostentare promus erat. Animorum Poloniæ sciens, per aliena experimẽta clauum regiminis sinuabat. Promptos igitur laudabat, segnes excitabat. Bonis comis, placidus infirmis, conantibus prædux, errantibus hermes, omnia denique omnibus factus. Virtutes tam excelsas, adeo serenitate vultus ornabat, vt eo ingresso statim vulgaretur: Discere religionem, discere disciplinam: Iacobus est. Ex eius aspectu, immane est, quantum animi Sarmatarum ad culturam sanctioris vitæ exarserint. Ipse enim agmen Fratrum, quo cæteris par animus similibus facinoribus esset, anteibat lætus lubens ad virtutem: nec quicquam aliis iniungebat, quod non præegisset. In deposcendis pro Fide, Ecclesia, & Religione periculis & arduis rebus perpetrandis alacris ei promptitudo. Lucellum vel obellum alius respexisset: sed ipse ad magna omnia non ambitione, neque aliqua cupidine, sed bonæ conscientiæ pretio, & commodandi studio ducebatur: Ita prudens, negotiosus, iuris Diuini & humani custos, tanto in censu apud omnes fuit, vt & ipse quoque, licet alieno cœlo natus, amor & delitiæ Poloni generis cẽseretur. Greg. eo nomine IX. Hon. III. successor virum ad ingentia natum summopere admiratus, maxima ei negotia Ecclesiæ committebat: quæ tam alacri animo suscepit, tam felici successu perfecit, vt maiorum gloriam adæquarit, sibi vero æternitatem meruerit. Prouincias quas sceleribus impiatas adinuenit, candore puritatis candidatas dereliquit. Crucis Christi vexillum inter Barbaras nationes erexit. Ruthenos ab Ecclesiæ corpore præcisos, vnitatis spiritu redanimauit. Danielem Romanouicium Russorum Ducem Eccl. Cath. concorporauit, regioque & nomine & diademate dignum fecit: Archiepisc. & Episcopum primum Roxolanis à principe Pastorum obtinuit: Tartarorum impetus ferales non semel supplicationibus repressit: Principes Poloniæ contra eos & Prussenos communes hostes, vna cogitatione profligandi animauit: Toparchias Voliniæ, Podoliæ, Pedemontii, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Lituaniæ, diuiniore spiritu informauit: Religionem Prædicatoriam cis montem Carpathum, adusque Pontum Euxinum & sinum Balthicum, simul cum Sancto Hyacintho propagauit, aliaque in imposita sibi dignitate gessit, & suggessit, vt ampliore quam sustinebat, dignus haberetur. Cumq; ætatem & vires in solis lucidioris itinere exegisset, tandem morbo correptus, familiari edulio Sacrosanctæ Eucharistiæ refici, & sacro vnguine inungi postulauit. Morbo ingrauescente, à sacris canonicis recitandis reuocari non poterat. Cum Fratres circa morientem complorarent: Honeste vixi, ait: Honeste moriar. Mei nulla vos habeat cura. Ad eum propero, qui vitæ meæ arbiter, explorator, exactor, & munerator munis. Ad extremum defixis in Iesum stipiti defixum luminibus: Mea, ait, spes, meum mellinium, me non desere, ne relinque. In manus tuas, ô Iesu mi, meum tibi spiritum trado. In his verbis sanctam syderibus intulit animam, vere Cynthius, vere Crescentius, virtutum omnium, Romanique ingenii.

VII. HONORIVS EPISCOPOS CONSECRAT. *pist.* 146.

Eodem anno Honorius Pontifex in die Natiuitatis Domini, Archiepiscopum Tarantasiensem, Episcopos autem Niuernensem, Anicien sem, Mutinensem, Pistorien sem, Soanensem, Verulanum & Rapolanum consecrauit: Christianos dispersionis Marochiæ ad virtutẽ & patientiam per literas datas admonuit: Beatrici Reginæ Castellæ castra & villas à Ferdinando Rege nomine dotis concessas, ad eius postulationem confirmauit, diplomaque huic rei 10. Cal. Sept. misit.

Acriora sunt, quæ contra Iacobum Aragonum Regem egit. Garsiam Sancti Iacobi militem, voto depugnãdi toto vitæ tempore contra Saracenos illigatum præter ius & fas adeo vehementer persequebatur Iacobus, vt edixerit, ne aliquis ei quippiam diuenderet, eo quod ipse Rex cum Saracenis inducias pepigisset. Præcipiebat Honorius Pontifex Regi Iacobo, vt legem latam antiquaret, & ad communem societatem Garsiam admitteret, vt liceret ei coemere, quibus opus fuit. Quod si recusaret, Archiepiscopo Toletano, Episcopis vero Cæsaraugustano & Seguntino auctoritem committebat, vt in contumacem animadverterent, & anathemate condemnarent. Exemplar epistolæ scriptum est Laterani 10. Calend. Decemb.

Hoc anno pestilentia pecorum permaxima, ab Vngaria in totam Germaniam & Galliam peruasit, & toto triennio durauit, & ex ea tertia pars pecorum interiit. *Chron. Hirsaug.*

VIII. PESTIS PER GERMAN. VNGAR. GALLIAS.

Eodem anno, ad diem 11. Martii mortuus est Henricus Comes Veringensis Episcopus Argentinensis. Eam ille dignitatem ante vnum & viginti annos adeptus, nihilominus optimis literis inuigilauit, atque nullo Vicario constituto, ipse omnia munia Episcopalia absoluit. Hinc factum, vt centum quatuordecim Sacerdotes, trecentos octuaginta sex Diaconos & inferioris Ordinis, vno die solemniter inaugurarit. Hos etiam ipse met examinauit, atque suo exemplo ad pietatem & doctrinam adhortatus est. Vt autem literæ commodius in sua diœcesi docerentur, ipsos Dominicanos in vrbem suscepit, atque eis habitationem concessit. Cum autem multi hæreticorum eo tempore verbo Diuino contraria docerent, ipsos erroris conuicit, atque officii admonuit. Verum cum pertinaces essent, octuaginta vno die comburi iussit. Magna gloria, cum Ecclesiæ suæ viginti & vno annis præfuisset, pie mortuus, in Cathedrali sepulturam accepit. *Anon.*

IX. HENRICVS COMES VERINGENSIS EPISCOPVS ARGENTINENS. MORITVR: EXEMPLAR EPISCOPOR.

In Aragoniæ Regno Hispaniarum hoc anno initia iacta sunt, Ordinis S. Mariæ Deiparentis, pro redemptione captiuorum. Maurorum gens, Christiano nomini infesta, Hispanias infestabat; & quos Christianorum trucidare non poterat, in captiuitatem adducebat. Contra hos Iacobus cognomento Debellator, Rex Aragoniæ, non minore ardore, quam fortitudine depugnabat; vt Saracenorum perfidiam reprimeret, & miserè detentos, ex manibus eorum liberaret. Non infelici marte, prælia suscepit, ac gessit. Nam pleraque regna, è manibus Maurorum eripuit, inque eis duo millia basilicarum partim instruxit, partim instauranit, vt ibi vexillum Crucis exaltaretur, vbi ab impiis fuerat conculcatum. In eam curam cum Iacobus incumberet, atque Nehemiæ exemplo, altera manu muros Hierusalem diuinioris construeret, altera vero ensem & gladium vibrans, populum Christianum ab improba seruitute vindicaret, semel in oratione defixum, circumfulsit splendor, quasi Solis in medio die, inque ipso lumine Mater sacratissima illi apparuit, à qua audire promeruit, quanti apud Deum æstimabatur religionis zelus, qui in eo splendebat, cum non solum Saracenos & infideles debellaret, verum etiam captiuos Christianos, crudeliter, à Mauris deuinctos liberaret. Dixit hæc Regina Angelorum, eumq; subinde admonuit, vt religionem tir. Deiparæ Virg. de Mercede redemptionis captiuorum institueret, cuius præcipuum munus esset pretia in redemptionem captiuorum vndequaque conquirere, inque eam solam Christianorum eliberationem erogare. Audiuit hæc Iacobus, & lachrymis à suauitate dulcedinis perfusus, se cum primis fundatorem & protectorem Religionis fore, ad miseros captiuos redimendos, promisit. Eadem reuelatio facta est hoc ipso anno, Petro Nolasco, primo postea huius instituti Generali Magistro. Nam cum ille, in toto vitæ suæ decursu, in misericordiæ operibus explendis tempus consumpsisset: potissime vero in Christianis captiuis à barbarorum acerba seruitute eruendis, multas opes insumpsisset: etiam ipsi ardentissime oranti, Sacratissima Virgo Deipara, cœlesti splendore circumfusa, visibilem se obiecit: monuitq; vt in liberationem captiuorum, omnia sua bona prorsus erogaret. Istud enim operis filio suo Seruatori nostro, longe gratissimum, & inæstimabilis meriti esse, affirmauit. Adiunxit D. Virgo, vt ordinem nouum excitaret, ex cuius societate & familia fratres professi, in fide Christi, in charitate & dilectione Dei, & in spe æternæ salutis, eius exemplo, filii sui ipsius Iesu Christi vestigiis inhærerent: qui sicut humanum genus sacratissimo suo sanguine à diaboli potestate redemit, & à sinu Abrahæ, Patriarcharum iustorumque animas ibidem detentas, secum eduxit: sic pariter religiosi fratres noui Ordinis instituendi, fideles Christi captiuos, qui in potestate Saracenorum detinebantur liberarent, & redimerent. Ea visione perterritus Nolascus, cum Apostolici præcepti de spiritibus probandis probe meminisset, animo angebatur, ne forte aliqua maligni illusio foret, cum exemplo D. Virgo iterum comparauit, dixitque: *Ego sum Deipara Virgo, & Redemptoris Iesu Christi mater. Robustus esto & fortis, nec vlla ratione dubites hanc esse Diuinam reuelationem. diuina prouidencia & voluntate*

X. ORDO S. MARIÆ INSTITVTVS PRO MERCEDE CAPTIVORVM. PER VISIONES DEIPARÆ PETRO NOLASCO S. RAYMVNDO ET IACOBO ARAGONVM REGI FACTAS.

factam, vt sub meo nomine is instituatur ordo, qui fideles Christianos à potestate Saracenorum eliberet. Ea assueue ratione D. Deiparentis, cum Nolascus in pietatis officio confirmatus fuisset, nihil aliud noctes diesque animo volueba t, quam vt pie monenti obsequeretur. Res ardua videbatur, neque sine arbitrio alicuius viri spiritualis aggredienda. Quamobrem cum in ea cogitatione versaretur, inquirebat, cui propositum cordis renunciaret, & à quo tum consilio, tum opera iuuaretur. Opportunum aderat Barchinone, B. Fr. Raymundus Penniafortius, Ord. Præd. magna cum sanctitatis laude professus. Huic quod Nolascus conscientiæ secreta, in sacro pœnitentiæ foro aperiret, virumque eum magni apud Sum Pont. Rom. & apud Iac. Regem esse nominis non ignoraret, existimauit, inprimis D. Virg. apparitionem, deinde consilium nouæ religionis instituendæ non ita pridem conceptum significare. Itaque ad eum magna cum alacritate profectus, rem quemadmodum aspexerat, audierat, proposueratque reuelauit: cum etiam Raymundus, eandem sibi apparuisse, idemque studium sibi commendasse retulisset. *Ex Chron. Ord. S. Mariæ Redempt. Captiuor.*

Verum quo totius rei actæ series & ordo plenius cognoscatur, paulo altius repetendum est ex variis, qui tam de vita S. Raymundi, quam de rebus gestis Iac. Regis scripserunt, auctoribus. Narrant itaque quia per hæc tempora erat Barcinone quidam Petrus Nolascus, natione Gallus, ex diœcesi S. Populi, quæ est inter Carcassonem & Tolosam, homo opibus amplis, zelo fidei præstans, ac insigni charitate conspicuus, multisque virtutum ornamentis egregie excultus. Hic cum nullos haberet filios, facultates suas liberaliter in pauperes erogabat, atque in redemptionem captiu. mirifica quadam animi propensione afficiebatur. Vehementer enim eum angebant calamitates Christianorum, qui ab Africanis Mahometanis piraticam exercentibus capti, & in Africam perducti, miserabili iugo seruitutis premebantur. Abducebantur enim plerumque fœminæ, quæ sexus imbecillitate, & fidei, & pudicitiæ dispendium pati cogebantur. Pueri quoque captiui in nefanda Mahometis hæresi peræ tatis errorem educabantur: imo & viri ipsi validi & robusti, captiuitatis malis fracti, tandem in nefariam sectam trudebantur. Hæc tanta Christianæ religionis ludibria atque dedecora, cum grauissimo animarum periculo & exitio coniuncta, Petri Nolasci animum acerbissime discruciabant, diesque ac noctes toto mentis conatu in eam curam incumbebat, vt omnes cogitationes suas, studia, actiones, vires, facultates, opesq; in id potissimum conferret, quo miserabiliam apud Saracenos captiuorum liberationi consultum esset, tantisque malis opportunum aliquod remedium adhiberetur. Rex quoque ipse Iacobus, cum Carcassone in potestate Comitis Simonis Montfortii detineretur, iam pridem voverat, si in libertatem paternumque Regnum restitueretur, se in honorem B. Mariæ Virginis Ordinem Redemptionis Captiuorum instituturum. Ergo hoc anno Domini 1223. Calend. Augusti, cum Iacobus Rex Barcinone, in secretiori Oratorii sui parte se ad orandum collegisset, intensiusque à Domino postularet, vt tot captiuis Christianis, in terris Saracenorum miserabili seruitute oppressis opem ferret, simulque nefandam Mahometis gentem magnam adhuc Hispaniæ partem occupantem, à Christiana prouincia exterminaret, manifesto in lumine se illi conspicuam ostendit gloriosissimma cælorum Regina, quæ illum ad bellum aduersus Mauros strenue gerendum incitauit, iussitque vt in sui honorem, ac sub tanto nomine ordinem nouum instituteret, cuius ea præcipua cura esset, captiuos à Saracenorum crudeli tyrannide redimere. Eadem nocte apparuit quoque Sancta Deipara Beato Raymundo, Iacobi Regis à confessionibus audiendis ministro, & de ordine S. Mariæ de mercede Redemptionis captiuorum fundando ipsum admonuit, atque hæc ipsa quæ Iacobo Regi edixerat, proposuit. Sed & Petro Nolasco, qui nihil magis aut frequentius animo versabat, quam modum aliquem inuenire, quo miserandæ Christianorum apud Saracenos captiuitati subueniret, illa ipsa nocte etiam sacra virgo se in visione manifesta demon-

strauit, vota eius & destinata probans, oblatam occasionem, qua in tam sanctum piumque institutum opes suas conferre posset: sibi gratum acceptumque fore fundari Ordinem Religiosorum, qui Christi exemplo vnici ac primarii humani generis Redemptoris ac vindicis, homines tetra Saracenorum seruitute oppressos, quibuscumque modis possent liberarent, atque in patriam religionem asserterent. Has eorum futuras in posterum primarias partes, & præcipuum religionis propositum. Nihil itaque hæsitaret, sed bono animo huic nouo condendo Ordini vires omnes & studia admoueret; adfuturum Deum felicibus euentis. Ea visionis maiestate attonitum Petrum, ac perturbatum, Diua virgo egregie confirmauit, ac dimisit, reliquum autem noctis Petrus Sanctis orationibus & meditationibus transegit, cum lachrymis multis & suspiriis rationem diuinæ visionis, & rerum in eo negotio agendarum secum reputans. Vt vero primum diluxit, Nolascus festine se ad S. Raymundum Confessorem contulit, rem totam narrauit, consilium postulauit, & modum quo præclarum votum impleri queat, sibi exponi rogauit. Sanctus Raymundus vicissim sibi eodem tempore oblatam visionem cœlestem demonstrauit, vehementerque lætatus est id quod sæpius ipse cum Petro Nolasco tractauerat, de ratione redimendi captiuos, tandem diuino consilio approbari. Ergo perfusi lachrymis ingentes Dei Genitrici gratias reddiderunt, simulque deliberarunt, quid ea in re ipsis statuendum foret. Mox Regem Iacobum adeuntes, cuncta aperuerunt, ac vtrique diuinam reuelationem de fundando Mercenariorum ordine retulerunt. Rex ingenti admiratione defixus, sibi quoque eandem de cœlo ostensam visionem dixit atque constanter asseuerauit. Stupentibus ergo Dei seruis, & perspicuum Dei consilium in eo opere cernentibus in ore duorum triumque stante Dei verbo, Iacobus nihil cunctandum ratus, vereque æstimans se ad rem perficiendam administrum diuinitus eligi, cum viris Dei communicato consilio Berengarium de Palatiolo Episcop. Barchinensem, vtbisque Præfectos, quos Consiliatios, seu Iuratos vocant, accersiuit, eisque votum suum & institutum proposuit. Illi Regis animum, sanctumque studium, probare, laudare, hortari denique vt rem peragat reipublicæ Christianæ apprime salutarem. Communi autem consilio ac consensu, S. Raymundo ea cura demandata fuit, vt ipse Regulam, cæterasque viuendi formulas & constitutiones illis præscriberet, quibus instituendus Mercenariorum ordo, regi, conseruarique posset, ei potissimum fini congruentes, ob quem is ordo præcipue fundaretur. Cunctis igitur rite paratis, nouæque Religioni condendæ, die 10. Aug. sacro Laurentio Martyri dicata, designato, in Cathedrali Ecclesia S. Crucis Barchinonensis Rex Iacobus cum aulæ proceribus, & cætera nobilitate, atque frequentissimo populi concursu adfuit. Episcopus interim, cum vniuersis Ecclesiasticis ordinibus solemnem supplicationem instituit, in qua sacræ litaniæ deuotissimo animo sunt ab omnibus decantatæ. His finitis, astante Rege, Episcopo & infinita populi multitudine, S. Raymundus ex editiore suggestu disertissimam concionem habuit, qua diuinarum visionum, Regi, Petro atque sibi in fundando nouo ordine factarum seriem explicauit: id scilicet velle Deum, cordique esse SS. Dei Genitrici, institui ordinem Religiosorum hominum, quorum id esset præcipuum officium, vt Christianos captiuos à dura Saracenorum & infidelium seruitute redimerent, simulq; rationem omnem & modum, quo ordo is fundandus esset accurate declarauit, tantaque pietate, facundia, & efficacia vir Sanctus cuncta disseruit, vt omnium audientium animos mirifica cordis lætitia, & deuotione compleuerit. Post Concionem Episcopus Berengarius magnifico apparatu Missam exorsus est. Dicto Offertorio, S. Raymundus Petr. Nolascum ad se venientem, præsente Iacobo Rege, Episcop. & vniuerso populo, Sancto Religionis habitu solemniter induit: Ordinem sub nomine S. Mariæ de misericordia; seu de mercede Redemptionis captiuorum fundauit Regulam & Constitutiones,

quibus is vti deberet, summarie explicauit, ipsumque Petr. Nolascum primum Fratrem ordinis Generalem Magistrum creauit: cuncta quæ legitima ratione haberi voluit, quousque suprema Rom. Pontif. auctoritas facta probaret. Habitus autem, quem S. Raymundus ordini Mercenariorum dedit, is ipse est quem nunc iidem Religiosi deferunt; nempe alba tunica, cum cappucio & scapulari candido, itemque cappa alba, atque insignia Regum Aragoniæ, nempe in clypeo rubras, croceasque virgas, cum Cruce candida ante pectus in cappa seu scapulari. Regulam porro S. Augustini & nonnullas Constitutiones à FF. Prædicatoribus mutuatas eis præscripsit. Vndecimo nonnisi anno à fundatione ordinis, Gregorius IX. Pontifex Max. idem institutum probauit & confirmauit, *vt Natalis Gauer Mercenarius lib. de Ord. Mercenariorum scripto anno Domini* 1468. affirmauit.

XI. VITA PETRI NOLASCI ET OBITVS.

Fuit Petrus Nolascus à pueritia castitatis amantissimus adeo, vt virginitatem in cõtaminatam ad extremum vsque vitæ spiritum conseruauerit, charitatis eius in Deum, vel hoc potissimum argumẽtum est, quod pro amore Redemptoris, pro captiuorum redemptione, & ipse se deuouerit, & religionem instituerit, in qua Fratres profiterentur in hæc verba: *& in Saracenorum potestate, in pignus (si necesse fuerit ad redemptionem Christi fidelium) detentus manebo.* Hanc autem profitendi formulam, quam Nolascus sanxit, ipse prior amplexus, crebro ad infideles commeabat: neque semel in salutis discrimen veniebat, cum vt alios periculo eximeret laborabat. Eius præcipue persuasionibus excitatus Iacobus Rex bellum contra Mauros Valentiam occupantes suscepit, adeoque feliciter gessit, vt illos vrbe eiecerit, & Crucis Christi trophæum in ea erexerit cum pugnantibus vtrisque species D. Georgii martyris in aere apparuisse. Mirandum tunc accidisse memoratur. Iuxta arcem oppidi Puchensis, 7. stellas micantes, pleriſque diebus à cœlo ad terram descendentes viderunt plurimi, super locum, in quo altius terra effossa imago D. Deiparentis reperta est, ingentium miraculorum operatrix: quæ tunc noui Ord. Fratribus, magna eorum consolatione iuxta ac gloria, concessa, apud eosdem perseuerat. Is porro vir sanctus, cum recens institutum Ordinem sancte administrasset, & tum viris ad eum receptis illustribus, tum doctrina & precibus exornasset, sacris Ecclesiæ Sacramentis ex more Christiano procuratus, in illis verbis Psaltis: *Redemptionem misit Dominus populo suo*, spiritum exhalauit, anno Domini 1249. *Francisc. Salazar. in Chron. Mercenar.*

XII. INVENTA IMAGO B. VIRGINIS MIRACVLOSA.

Quod templi ædificationem, & imaginem D. Deiparentis attinet, *Bernardus Gomesius* affirmat, fuisse ex arce abiis, qui noctu excubias agebant, conspecta multa lumina accensorum instar cereorum, quæ cælitus in eam partem, quæ fuerat ad templum erigendum designata descendebant; ac sese in terram magno cum splendore immittebant. Quibus Duci & aliis custodibus patefactis, dum opera excauandis fundamentis nauarentur, sonitus valde tinniens auditus est; atque eousque defossum, quoad contactis parietibus, templum, vt apparebat, magnum, sed terra obrutum fuit inuentum. In quo dum profundius excauaretur, ligone æs ictum personuit. Vnde rastris purgato loco, magnum quoddam tintinnabulum retectum est: quo elato, reperta quoque subtus marmorea quædam tabula altitudine duorum cubitorum, latitudine vero sesquialtero, in qua insculpta erat imago sacræ Virginis Dei matris, vlnis filiolum gestantis. Qua tabula & tintinnabulo, aliisque annotatis vestigiis, pro comperto habitum est, fuisse olim Gothorum tempore constructum ibi templum, in honorem SS. Virg. eiusque diuinum cultum frequentatum, à religiosis Benedictinis, qui eo tempore floruerunt, postea vero Saracenorum in vniuersam Hispaniam irruptione, templum diutum, atque à religiosis imaginem cum tintinnabulo in profundo templi relictam, delituisse quingentis & decem annis, vsq; ad Iacobi Regis tempora, qui imaginem in nouo supra vetus erecto templo, ad altare maius reponi curauit: vbi & miraculis claret, & magna vrbis totiusque Valentini regni ab omnibus reuerentia veneratur. *Gomes. lib.* 10.

IESV CHRISTI
Annus 1224.

HONORII PAP. III. Annus 8. FRIDERICI II. Imp. 5. ROBERTI. Imp. 5.

I. ROBERTVS A GRÆCIS LATINIS QVE AFFLIGITVR. a *Cæsarius. in Roberto.*

DVo sunt quæ Roberti Imperatoris Constantinopolitani fel licitatem interceperunt: alterum à Latinis, alterum à Græcis. *a* Inprimis enim in maximum famæ & nominis periculum ex coniugio inciderat, ac inuidiam vnius ex purpuratis suis senserat, quum sese alioqui optime gereret. Virginem siquidem insignis formæ Græcam, nobili ortam progenie ac diuitis matronæ filiam, sibi despondit vxorem: haud ignarus prius eam vni purpuratorum proceri Burgundo, qui ordines in Latinorum ductabat exercitu, à matre puellæ esse desponsatam. Prior itaque sponsus contumeliæ impatiens, ira atque furore accensus, impotens animi, amicos, clientes, domesticos, commilitones atque suæ factionis homines coegit, noctuque facto impetu, in regiam irrupit, puellæ palatium effractis cubiculi foribus ingressus est, dehonestatamque naribus puellam cecidit: genitricem autem, quæ noui connubii autor erat & conciliatrix, vi domo abstractam, in mare præcipitauit. Nec est ausus Imperator ad iniuriam mutire quidem, Latinis omnibus iniustitiam eius & Burgundionis audaciam pari indignatione contumaciaq; damnantibus. Grauiora sunt quæ à Græcis. Paulo ante annum Ioannes Ducas Theodori gener imperium vsurparat. Eam rem cum indigne tulisset Alexius & *b* Isaacius Comneni, inuidia & æmulatione æstuantes, quod successores Imperii designati non essent, Imperatorio sanguini coniunctiores, quam per affinitatem ascitus Ioannes, ad Robertum sese contulerunt: & largitionibus ac pollicitationibus coacto exercitu, quantus Roberto tum erat, Ioannem deiecturi forsitan imperio, idque sibi vendicaturi, bello petierunt, sed infelici exitu pugnarunt. Ibi acti prælio victis Roberti copiis, Græci superiores facti, infestiores esse Roberto cœperunt. Sciuit eam Roberti calamitatem Honorius, & *c* tum ipse auxilia ei promisit, obtulitque, tum Blancæ Gallorum Reginæ scripsit, orauitque, vt Ludouicum Regem induceret, ad suppetias Imperatori consobrino ferendas. Dedit ea in re literas 13. Cal. Iun.

b *Nicephor. Greg. lib.* 2.

c *epist.* 249. *ann.* 8.

II. d *inter epist. ann.* 8. NVPTIAS EX DISPENSATIONE HONORII CELEBRAT FRIDERICVS CVM FILIA REG. HIEROSOLYMORVM.

Hoc anno *d* Honorius Pontifex authoritate Apostolica indulsit Friderico Imperatori, vt Ioannis Brenni Hierosolymorum Regis filiam, quarto consanguinitatis gradu sibi propinquam, in matrimonium acciperet. Nuptiis in vrbe celebratis Fridericus in Apuliam rediit, ibique aliquot leuioribus præliis Saracenos repressit. Hortabatur eum Honorius, vt ad subsidium Terræ Sanctæ properaret. Nam per id temporis Alexandrinus Patriarcha Honorio significauerat, res Christianorum in summum discrimen adductas fuisse. Porro Fridericus cunctabatur, nec nisi Prædicatores Crucis mitti in Palæstinam ab Honorio deposcebat. Interim autem iura Ecclesiarum in electionibus violabat. Namque proximis mensibus ad Ecclesiam Brundusinam Ioannem quemdam suum Notarium intrudebat, & à Pontifice confirmari postulabat. Cæterum Honorius nequicquam voluit præstare: quin potius ne se electionibus Pontificum immiscere, vtque ordinationes à sede Apostolica inter Ecclesiam Messanensem & Monasterium S. Saluatoris de lingua Fari factas obseruaret, suo iure expostulauit, adeoque præcepit.

III. c *Papyrius in Ludouico Leone.* LVDOVICVM AB ANGLO IN ALBIGENSES ARMAT HONORIVS.

In Galliis hoc anno turbæ, contra Anglum. *e* Angli in ea Aquitaniæ parte quæ inter Ligerim & Garumnam est, oppida aliquot nobilia tenebant quibus facile posse exui videbantur, si Ludouicus ea inuaderet Henrico Rege Angliæ absente, & per ætatem rerum suarum ignaro. Præerat illis oppidis Sauaricus Malleonensis, summo inter Aquitanos loco natus. Ludouicus in eum duxit, & aliquot castra recepit. Distrahebat istud prælium vires Christianorum, ne contra Saracenos & Tolosanos hæreticos iungerentur. Quamobrem Honorius Ludouico præcepit, vt saltem inducias cum Henrico statueret, & interim contra Albigenses educeret. Futurum enim sibi pollicebatur, si ille vniuersum

sum exercitum Crucesignatis adiunctum Raymundo Tolosati hæreticorum patrono oppositurum esset, hic ad potentiam regiam perterreretur, & spiritus atq; arma deponeret. Monebat subinde Ludouicum vt Conradum Portuensem huic rei missum à Latere Legatum Cardinalem cum honore reciperet, inque omnibus eidem fidem & aurem daret. Dedit literas Laterani, *a* alteras 10. Calend. Maii, alteras 2. Calend. Aprilis, tertias 10. Calend. Mart. in quibus pariter monebat, vt Ferdinandum Comitem Flandriæ iam liberum, sine fraude abire permitteret, recepta ab eo fidelitatis cautione; cui si Comes non staret, anathematis gladio à Rhemensi Archiepiscopo percuteretur. Cæterum cum Rex Ludouicus, non tam facile sibi à persequendo Anglo temperaret, præsertim tum cum Sauaricus proditionis à suis Anglis accusatus, ex manibus eorum elapsus in Aquitaniam rediisset, ac deinceps se Francorum clientem professus, res moueret, ideo tertio Nonas Augusti, Honorius Ludouicum secundo hortatus est, vt milites reuocaret, vt arma omnia deponeret, ne Henricum infestaret, neve impedimento Crucis signaturæ esset *b* sed arbitros controuersiæ à Sede Apostolica expectaret, qui pacem componerent.

a *inter epist. ann.* 8.

IV. b *inter epist. ann.* 8. EPISCOPVM BRACARENSEM CONTRA SANCTIVM 2. LVSITANIÆ REGEM DEFENDIT.

Apud Lusitanos Alfonso Rege defuncto, Sanctius Vecundus filius succesſit. Is pari immanitate atque pater, Bracarensem Episcopum hostiliter persequebatur. *b* Dolebat Honorius, quia paterna vestigia sequeretur: monebat, vt Episcopo reconciliaretur. Quod si ab infectando illo non desisteret, Archidiacono & Magistro Scholæ Aurienſis potestatem faciebat, vt eum per censuras compellerent. Eodem tempore aliqui proditores nepotem & Aulæ Præfectum Episcopi Vlyxipponensis occiderant, & in castrum Alanguerium sese receperant. Hortabatur Honorius Terasiam & Sanctiam Reginas, ne sceleſtos reciperent, neue patrocinio eorum sese contaminari sinerent. Priorem ad Regem dedit Laterani Honorius XVII. Calend. Febr. posteriorem die antecedenti. Cæterum quod Ferdinandus Rex Legionensis multam operam posuisset in tuendo Episcopo Vlyxipponensi pro Ecclesiastica libertate contra Regem Sancium decertanti, ei quam maximas habebat Honorius gratias, eumque admonebat, vt eum atque Prælatos ipsius defendere non intermitteret, neque causas Clericorum alibi quam coram subſelliis Episcoporum cognosci, aut decerni toleraret. Dedit literas Honorius 2. Id. Ian.

c *ann.* 8. *epist.* 261.

d *epist.* 208.

Eodem anno *c* 3. Cal. Decemb. Honorius Pontifex Diuo Francisco scripsit, eiusque Regulam & viuendi institutum authoritate Apostolica approbauit. Hoc pariter anno *d* sanctum Guillelmum Monasterii sancti Thomæ in Dania Abbatem in Diuorum numerum ascripsit: Episcopos vero Conuentrensem, Viterbiensem, Esculanum, Parisiensem, Miniatensem, Forosempronensem, Tridentinum, Firmanum & Lunensem consecrauit.

V. BRENNVS REX HIEROSOLYMORVM VENIT TOLETVM. e *Surit. lib.* 1.

Hoc anno *e* Ioannes Brennus Hierosolymorum Rex Toletum veniens à Ferdinando Rege pompa regia exceptus, postea Compostellanum Diui Iacobi sepulchrum inuisit, qua peregrinatione peracta Berengariam Ferdinandi sororem in matrimonium assumpsit: ex qua postea Martham filiam suscepit, quam Balduino secundo Imperatori desponsauit.

VI. ANDREÆ II. HVNGARIÆ REGIS PROLES 4. INTER QVAS ET S. ELISABETHA.

In Hungaria regnabat adhuc Andreas, secundus Rex, cui vxor fuerat Gertrudis Ducis Moraniæ, Carinthiæ & Istriæ nata: & huic soror Heduuigis Henrico Barbato Principi Silesiæ nupta, quæ propter insignem Sanctitatem Sanctorum numeris ascripta est. Ex illa sua coniuge tulit Andreas quatuor liberos, Belam, Colomannum, Andream, Elizabetham. Andreas ex his regni expers, ob nascendi ordinem in Italiam & Venetias venit, fortunam sibi aut suis facturus, atque ibi ducta prædiuite vxore consedit, filium Marcum reliquit, qui largus opum & honorum auidus, in Galliam florentissimum tunc regnum migrauit, atque ibi dignum stirpe regia coniugium & proles repperit, fundauitque Croyorum familiam, nunc quoque opibus & honoribus florentem. Elizabetha Ludouico Turingiæ Lantgrauio nupta, puella, vxor, vidua, mira pietatis laude celebris fuit. Hæc filiæ Sophiæ Henrico Marchioni Misniæ in matrimonium collocatæ, quatuor statuas D. Deiparæ reliquit: ex quibus vna insignis, apud Hallas Hannoniæ, miraculis ingentibus celebrata: de quibus suo loco memoria, ex Lipsio qui exscripsit, refricanda. Bela natu maior, inuito parente, sed sciente, volenteque Honorio Pontifice susceperat vxorem. Quod matrimonium cum illi grauem apud Andream Regem Patrem inuidiam, persecutionemque commouisset: nam in Austriam eiecerat, & intolerandis iniuriis afficiebat: ideo Honorius Præmislao Ottocaro Boemiæ Regi commisit, vt apud Andream pro Bela intercederet, ne eam tam immaniter haberet, sed & locum in quo pro dignitate Principis maneret, & redditus quo se suamque familiam commode sustentaret, designare vellet. In eandem rem Duci Carinthiæ perscripsit, Archiepiscopo autem Colocensi & Suffraganeis ipsius Episcopis iniunxit, qui in contumacem aduerterent.

VII. HENRICVM ANGLVM MANV TENET HONORIVS.

In Anglia aliqui procerum contra Henricum Regem conspirarant, & matrem illius Reginam contra irritarant. Monebat Honorius ne quicquam contra mouerent, vt que Reginam matrem desererent, & Henrico adhærerent. Quod si nollent; comminabatur grauissima, atque adeo censuras Ecclesiasticas Baronibus ostentabat, si pergerent commiscere. Et cum intellexisset Henricum licet ætate præmatura, tamen sapientia admiranda Regnum administrare, illi gratulatorias scripsit & ad perseuerandum hortatus est. Cæterum cum nonnullis suis subditis per occasiones belli Aquitanici, aliqua bona abstulerat, monebat eum ne retineret, neue ea ratione seditionem popularium in se excitaret. Dedit literas XII. Calend. Decemb. alteras II. Id. Martii.

STIGMATA ACCIPIT D. FRANCISC.

Hoc anno viuebat adhuc D. Franciscus, atque Ecclesiam miraculis illustrabat. Mos erat viro Sancto nunquam ociari à bono: quin potius instar supernorum spirituum in scala Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximos. Nam tempus sibi concessum ad meritum ita prudenter partiebatur, vt aliud lucris proximorum laboriosis impenderet, aliud contemplationis excessibus dedicaret. Ad montem Aluernæ perductus, cum ibi ad honorem Michaelis Archangeli Quadragesimam ieiunare cæpisset, & Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, quodam mane circa festum exaltationis S. Crucis, vidit virum ex Seraphinis de cœlorum sublimitate descendere, sex alis non minus ignitis quam splendidis corruscantem. Porro inter alas hominis Cruci affixi apparebat imago, duæ alæ super caput illius eleuabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Istud spectaculum cum aspexit, vehementer obstupuit, mixtumque mærore gaudium cor illius incurrit. Ea autem visione disparente, mirabilem protinus in corde sensit ardorem, viditque statim manus, pedes & latus suũ sacris stigmatibus signata. Cupiebat occultare; verumtamen & sanguis qui abunde effluebat, & miraculorum frequentia, quæ subsequebantur, rem prodebant. Cæpit tunc S. Franciscus vehementiorem in modum Christi passi mysteria apud populos prædicare, & incredibili ardore animarum salutem procurare. Cumque propter excrescentes in pedibus clauos ambulare non posset, corpus emortuum per ciuitates & castra circumuehi curabat, vt voce & exemplo ad Christi Crucem ferendam vniuersos animaret. Vt autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, cæpit tam vehementibus, iisque continuis excruciari morbis, vt consumptis iam carnibus sola cutis ossibus cohæreret. Cum vero grauius dolorum vrgeretur aculeis, duro casu debilia humi collidens ossa, exclamabat: Gratias tibi ago Domine Deus pro hisce cruciatibus, teque ex animo precor, vt centuplum si placet, addas. Nam tua mihi voluntas summo est gaudio atque solatio. Admirandum hoc erat fratribus spectaculum, virum sanctum tanquam alterum Iob acerbissimis passionum doloribus excruciatum, cernere in succrescente carnis dolore, maiorem mentis sumere vigorem, & Deum multo ardentius dilaudare.

VIII. *Epist.* 419.

Eodem anno Honorius Pontifex cõtra hæreticos quoscumque Constitutionem sanxit, vt loco hostium haberentur, & ab omnibus Christi fidelibus euitarentur.

IX. MORS B. BENEDICTI

Ad secundum Cal. Septemb. apud Aretium Etruriæ ad cœlos emigrauit B. Benedictus Aretinus Diui Francisci institutum professus. Hic cum per omnes gradus sanctitatis

incess-

ARETINI FRANCIS.

inceſſiſſet, & ab Antiochenæ Prouinciæ adminiſtratione reuertens, digitum Danielis Prophetæ Aretium detuliſſet, Sancto fine quieuit: hoc Epitaphio illuſtratus.

Aretii Benedictus ego Sinigardia proles,
Vates, & ſacra religione minor.
Aſſyrii patres mihi iam paruere miniſtro,
Hinc digitum, Daniel quem dedit, ipſe tuli.
Nunc viuo in cœlis patria & mea membra reſeruat,
Inque meis aris thurea dona fero.

X. MORS S. GVALTHERII CONFESSORIS.

Vndecimo Cal. Auguſti huius anni, ex humanis exceſſit S. Gualterius Confeſſor Laudenſis. Is Laudæ à parentibus ſterilibus precibus à Deo impetratus, iiſque orbatus, re familiari pauperibus diſtributa, apud Placentiam ægrotis in Xenodochio miniſtrauit. Deinde poſt biennium in patriam reuerſus, in noſocomio S Bartholomæi extra vrbem idem præſtitit: aliudque Xenodochium cum Sacello prope laudem, in via, quæ Mediolanum ducit, extruxit: quod poſtea ab Henrico Septara Mediolanenſi Archiepiſcopo auctum, prius Miſericordiæ, deinde S. Gualterii dictum eſt. Is ſui exemplo multos vtriuſque ſexus, ad vitam Eremiticam traduxit. Nudis pedibus incedebat; paruo cibo vilique veſtitu contentus, carnem aſſiduis ieiuniis affligebat: in orationibus ſæpiſſime flebat. Multis ſuſceptis peregrinationibus plura pauperum hoſpitia conſtruenda curauit. Vercellis, Derthonæ, Cremæ, & Melegnani ea domicilia cura illius extructa viſebantur: in quibus pauperes ſæpe ſolebat inuiſere, ac confratres, qui ea curarent, præficere. Denique piis hiſce laboribus perfunctus, graui morbo correptus, annum 40. agens in Domino obdormiuit: multis ægrotis & infirmis ad funus illius mirabiliter ſanatis. Eius corpus, cum ex Xenodochio Miſericordiæ, in quo plures annos iacuerat, clam ad Eccleſiam S. Blaſii non ſine maxima aeris perturbatione delatum fuiſſet, vbi in proximam S. Pauli ædem deductum fuit, mox tempeſtas ſedata eſt. Statimque in locum priſtinum ſolemni pompa ciuitatis relatum, aliquot à morbis, præſertim podagræ liberatis. In eo loco tamdiu fuit, donec in Eccleſiam Cathedralem translatum, in ea honorifice conditum eſt. *Ex monum. Eccleſ. Laudenſis.*

IESV CHRISTI
Annus 1225.

HONORII PAP. III.	FRIDERICI II.	ROBERTI
Annus 9.	Imp. 6.	Imp. 6.

I. BELLI SACRI EXPEDITIONEM VRGET HONORIVS APVD FRIDERICVM, ET GALLVM: ITEM CRVCESIGNATVRAM CONTRA ALBIGENSES.

NOn alia res magis angebat Honorium Pontificem, quam Terræſanctæ liberatio, atq; Eccleſiaſtica libertas. a Negligentia Friderici Imperatoris ſteterat, ne ſubſidia tanta quantis opus fuerat mitterentur: & contumacia eiuſdem acciderat, vt priuilegia Eccleſiarum & ſedis Romanæ temerarentur. Vtraque de re expoſtulauit cum eo Honorius. Cumque is in biennium operam, arma & viros ad ſacrum bellum polliceretur, ea tamen conditione. Si Pontifex ſyngrapham petitionum ab eo miſſarum ſubſcriberet, nonnihilque iuris in rem & perſonas Eccleſiaſticas recens electas, vel in poſterum eligendas concederet: Honorius miſit ad eum Pelagium Albanenſem Epiſcopum & Guallam Iacobum tituli S. Martini Cardinales Legatos, qui in poſtulata inquirerent, & quicquid ex iuſto & æquo eſſet decernerent. b Celebrauit tunc circa medios dies Maii Henricus Rex conuentum Principum Francofordiæ, pro negotiis Regni ſui, & vt Pontifici Romano, Crucesignatorum auxilia expoſcenti gratificaretur. Nam eodem anno huic rei Honorius Conradum Portuenſem Epiſcopum Cardinalem in Germaniam deſtinarat, & is Coloniæ Agrippinæ regni Germanici Principibus diem quo conuenirent, indixerat. Miſſi Francofordiam ab Imperatore Friderico Nuncii cum literis, pronunciabant ipſum ex Apulia in Germaniam venturum, atque pro recuperatione Ciuitatis Hieroſolymorum ac totius terræſanctæ Concilium habiturum. Miſit etiam hoc anno Honorius, Romanum tituli S. Angeli Diaconum Cardinalem in Gallias Legatum: qui in Raymundum Comitem Toloſanum, & in hæreticos

a *inter epiſt. anno 9.*
b *Naucler. generat 41.*
Papyrius lib. 3.

Toloſates atq; Albigenſes, militiã Crucesignatorum conſcriberet. Romanus Cardinalis conſilium Epiſcoporum Galliæ Biturigibus habuit, cui Almericus Montfortius, & Raymundus Toloſanus interfuere. Ille auxilium implorabat, hic ne arma contra ſe ſumerentur ſupplicabat. Legatus Rexq; Ludouicus petitionem Raymundi minoris fecere, quam donationem Simoni Montfortio olim in Lateranenſi Concilio ab Innocentio Pontifice factam, & à Philippo Auguſto probatam. Ludouicus tamen negabat ſe iturum ad ſacrum bellum, niſi Pontifex ſummo iure Anglis præciperet, vt interim arma deponerent. Præcepit vtriſque: Gallis quidem vt ciuitates ablatas reſtituerent, Anglis autem vt arma ſocialia in damnatos erroris conuerterent. Innumerabiles itaq; copiæ ad id bellum iere. Romanus enim qui Regem, Archiepiſcopos, Epiſcopos, magnates, Comites & Barones Cruce ſacra ſignarat, vniuerſis apud Pariſienſem vrbem imperarat, vt qui arma ferre poſſent, aduerſus Raymundum velut Albigenſis ſectæ propugnatorem vna cum Rege proficiſcerentur. Auenio primum tanto exercitui tranſeundi facultatem dare recuſauit, ſed poſt alterum obſidionis menſem portas aperuit. Ea propter mænibus nudata, foſſæ impleri iuſſæ, priuatorum ædes trecentæ ſolo æquatæ, maiori Francorum quam Ciuium damno. Nam peſtilentia in caſtris fœde exorta eſt, quæ in omnem poſtea Galliã ſeſe effudit. Is morbus ex inopia commeatus originem traxit. Siquidem Raymundus aduentum tanti exercitus præſentiens, annonam ex agris in munitiora oppida importari, nouoque doli genere prata vbique arari præceperat. Auenione in poteſtatem redacta, magnis itineribus Volcarum Prouinciam emenſus eſt, receptis fere omnibus oppidis præter Toloſam, quam peſtilentiæ periculo Franci proceres obſidere noluerunt. Appamea recepta, Romanus Legatus Concilium Epiſcoporum coram Ludouico & Principibus habuit, in quo complurima neceſſaria, pro honore diuino, proque libertate Eccleſiaſtica, maxime contra contemptores clauium Eccleſię conſtituit, inque eos ex diſciplina Eccleſiaſtica animaduertit, promulgato decreto, cuius eſt mentio in Narbonenſi Concilio inſequenti Quadrageſima celebrato.

3. Non. Feb. & epiſt. 175.

Bernard. Guid. in Chron.

II. COMES FERDINANDVS FLANDRIÆ POST ANNOS 12. & 5. MENSES CAPTIVITATIS LIBERATVR.

Hoc anno Pontifex Honorius, nihil intentatum reliquit, vt Ferdinandum Sanctii Luſitaniæ Regis filium, Ioannæ Balduini Imperatoris filiæ matrimonio iugatum, è manibus Ludouici Galliarum Regis liberaret. Interceptus is fuerat in prælio, & in cuſtodia habitus. Itaque Ioanna Princeps, per Honorium Pontif. perque Epiſcopos Tornacenſem, Cameracenſem, & Morinorum, omnibus viribus laborauit, Ferdinandum virum in libertatem aſſerere. Iurauerat Rex, ſe viuo nunquam liberatum iri. Blancha tamen Regina, ſanguinis neceſſitudine Ferdinando coniuncta, multis apud Regem maritum precibus tandem obtinuit, vt de illo liberando aliquæ ſaltem ederentur conditiones. Leges itaque hæ dictæ. Vt ſi rurſus Ferdinandus à Rege defeciſſet, ipſe motus per Pontificem Rom. piorum communione, regno expelleretur: Flandriæ per Epiſcopos Laudunenſem & Syluanectenſem Sacrificiis interdiceretur: Duacum oppidum aliquot adhuc annos remaneret in manu Regis: omnis nobilitas præfecturæque Flandriæ, ſi in poſterum Comites hanc pacem violaſſent, ſe Comites deſerturos, Regiſque tutaturos partes, donec per XII. Megiſtanes Galliæ pax foret compoſita. Quod ſi quiſpiam forte nobilis hunc in modum ſe obligare detrectaſſet, Comes illum Flandria expelleret, bona eius omnia in fiſcum cogeret, neque eum vnquam reduceret, niſi per gratiam & voluntatem Regis. Ad hæc Comitibus Flandriæ oppida ſua cis Scaldem reſtituere, aut nouas alicubi munitiones educere, niſi aſſenſu ac voluntate Regum liceret. Hæc præſente Apoſtolicæ ſedis Legato Melodii acta menſe Aprili. Sed quia efficere nequiuit Ferdinandus, vt nobiles ac Præfecturæ Flandriæ in eas conditiones iurarent, manſit adhuc in cuſtodia, vſque quo Diuus Rex Ludouicus ſuſcepit Principatum. Hic enim interuentu præcipue Blanchæ matris, Ferdinandum Comitem ſobrinum ſuum vinculis ſoluit, poſt annos duodecim ac quinque menſes, quam fuerat captus: poſtquam ipſe vxorq; in leges pacis, à Romano Pontifice laudatas religioſe iuraſſent. *Annal. Fland. lib. 8.*

III. Eodem anno Honorius eundem Sancium Portugalliæ

Regem

SVMMARIVM GESTORVM HONORII. *11. Cal. Nou. 15. die Iul. ep. 363. epiſt. 129. & 144. epiſt. 385.*

Regem contra Saracenos dimicantem, in ſedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit. 2. Hoſpitalariis in Hiſpania, vt Alfonſo à Mauris in Caſtro Albuquercii obſeſſo ſuccurrerent, præcepit. 3. Hieroſolymitano Patriarchæ, vt in alienis Eccleſiis pallium circumgeſtaret indulſit: 4. Legatum Epiſcopum ad prædicandum Gentilibus in Liuoniam deſtinauit, atque Epiſcopos creandi poteſtatem commiſit: 5. Fr. Dominico Priori FF. Prædicatorum & Fr. Martino in Marocio Africæ authoritate Apoſtolica prædicantibus, adhortatione ſua calcar addidit, eoſque multis priuilegiis, & præſertim contra hæreticos, ſi qui emergerent, puritatemque Euangelii contaminare vellent, exornauit. 6. Legatos Henrici Regis Cypri audiuit, atque ad eorum petitionem eundem Regem puerum Magiſtro Hoſpitalariorum commendauit: 7. Comitem Tripolitanum bona militum S. Ioannis Hieroſolymitani vſurpantem anathemate percuſſit, eiſque contra eum arma ſumendi poteſtatem fecit.

Boſſius lib. 9. de milit. Melitenſ.

Tom. 4. Concilior.

IV. STATVTA CONCILII COLONIENSIS.

Eodem etiam anno, Quarto Idus Decembris, Conradus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis & Apoſtolicæ ſedis ad inclytam Alemaniæ nationem Legatus, in Concilio Coloniæ habito multa pro reformatione Chriſtiani Cleri conſtituit, & morum corruptelam reformauit: perque omnem Germaniam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, & Archipresbyteris præcepit, vt eas Conſtitutiones in Conciliis annis ſingulis celebrandis promulgarent, atque obſeruari procurarent. Summa earum eſt quæ ſequitur.

1. *Clerici caſte viuant, quatenus in conſpectu Dei omnipotentis puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare.*

2. *Clerici concubinarii beneficio & officio priuentur, anathemate feriantur, & ad pœnitentiam intra clauſtra detrudantur.*

3. *Clerici qui in cenſuram inciderint, & in ea attrectare ſibi interdicta myſteria præſumpſerint, ab officiis & beneficiis deponantur, & infames & inteſtabiles ſint: & de cætero ad beneficia Eccleſiaſtica non admittantur, niſi per pœnitentiam approbatam & conuerſationem laudabilem ſedis Apoſtolicæ gratiam meruerint obtinere.*

4. *Sacerdotes qui coram excommunicatis celebrarint, à communione fidelium ſeparentur.*

5. *Excommunicatos Epiſcopi denuncient, quod ſi negligentiam in eo admiſerint, à Canonicis euitentur.*

6. *Patroni, clericos ad Eccleſias ſimoniace præſentantes, anathemate feriantur: clerici autem ſimoniace præſentati, officio beneficioque vſque ad ſedis Apoſtolicæ beneplacitum priuentur: Epiſcopi vero & Archidiaconi, qui talibus ſcienter curam animarum commiſerint, ab inſtitutione & collatione perpetuo ſint ſuſpenſi.*

7. *Eccleſiæ non per Mercenarios, ſed per Paſtores aut ſaltem Vicarios adminiſtrentur.*

8. *Violatores pudicitiæ ſanctimonialium ſeueriſſime puniantur. Quicumque pudicitiam ſanctimonialium cuiuſcunque habitus, auſu ſacrilego ſolicitare præſumpſerit, ab officio, ſi clericus fuerit: ſi laicus, à perceptione corporis Domini nouerit ſe ſuſpenſum. Qui vero ſacrilegium, vel temerarium carnis commercium cum talibus habuerit, ipſo facto excommunicationis ſententia ſe nouerit innodatum. Sanctimonialis vero ſeu canonica, quæ huiuſmodi crimen flagitioſum perpetrauerit, vlterius ad officium aliquod in monaſterio nullatenus admittatur: ſed in ſignum iniquitatis ſuæ, vltima tam in clauſtro maneat, quam in choro.*

V. CÆDES S. ENGELBERTI ET MARTYRIVM. *Apud Sur. 1. Nouemb.*

Eodem tempore Sanctus Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis, pro defenſione iuſtitiæ glorioſa morte occubuit. Succeſſerat Adolpho in dignitatem illam reſtituto, & ex dignitate Pontificia Eccleſiam illam adminiſtrabat. Illius tempore erat Fridericus Comes de Iſenburg quondam Eccleſiæ Colonienſis Canonicus, & è Clero ad Comitatum illum euectus, & poſtremo Eſſendienſis Eccleſiæ patronus conſtitutus, qui commiſſum ſibi munus ex auaritia & inſatiabili diuitiarum ſiti metiens, acerbiſſimis exactionibus Eccleſiam illam exhauſerat, adeo vt Sacræ Veſtales hominis inſolentias ſuſtinere non amplius poſſent. Admonitus ab Honorio Pontifice & Friderico Imperatore Engelbertus, medicam manum admouere cæpit. Quod vt perditus ille intellexit, aliquot ſatellitibus precio conductis, ſanctum Epiſcopum ad conſecrationem Eccleſiæ Suuelmenſis euntem inuaſit, atque trucidari præcepit. Crudeliſſimum in modum cerebro exciſo, totoque corpore vulneribus conciſo ſanctus Engelbertus pro iuſtitia occubuit: cuius ſanctitatem ingentibus miraculis Deus poſt mortem illius illuſtrauit. Aliquis ſanctitati beati martyris obtrectans, in amentiam incidens, infelicem animam exhalauit: Fridericus porro parricida anno euoluto captus, intolerandis ſuppliciis extinctus eſt: cum in iiſdem pœnitentia correptus, miſericordiam Diuinam & peccatorum veniam vſque ad extremum ſpiritum imploraret. Proculdubio, S. Martyre pro interfectore ſuo orante.

VI. SVPPLICIVM ILLIVS SICARII COMITIS.

Porro Comes Fridericus, qui Engelbertum Colonienſem Archiepiſcopum occiderat, primum à Conrado Portuenſi Epiſcopo diris deuotus, & poſtea à quodam milite captus, & Henrico Engelberti ſucceſſori traditus, rotæque extra muros Colonienſes implexus, pœnas ſacrilegii dedit. Huic mater ſub rota aſſiſtens, inter ploratus & eiulatus muliebres confeſſa eſt, ſe olim, dum Fridericum in vtero geſtaret, ſecundum quietem vidiſſe, à coruis dilacerandum aliquando. Friderico autem ad eum modum mulctato, mox miracula ad tumbam S. Engelberti fieri ceſſauerunt. *Chronicon Spanheimenſe.*

VII. CONSTITVTIO FRID. II. CONTRA HÆRETICOS.

Hoc ipſo anno Fridericus Imperator in Germaniam deſcendens Patauii Conſtitutionem contra hæreticos edidit, cuius poſtea Innocentius IV. & Bonifacius VII. Pont. Max. in ſua decretali meminit, digna plane vt hic inſeratur. Ita habet.

Federicus Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, dilectis Principibus ſuis, Venerabilibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis Eccleſiarum: Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Poteſtatibus, Scultetis, Burgrauiis, Aduocatis, Iudicibus, Miniſterialibus, Officialibus, & omnibus per totum Imperium conſtitutis præſentes literas inſpecturis, fidelibus ſuis, gratiam ſuam & omne bonum.

Commiſſi nobis cælitus cura regiminis imperialis, cui dante Domino præſidemus, faſtigium dignitatis, materialem quo diuiſim à ſacerdotio fungimur gladium aduerſus hoſtes fidei, & in exterminium hæreticæ prauitatis exigunt, vt vipereos perfidiæ filios contra Dominum & Eccleſiam inſultantes, tanquam materni vteri corroſores in iudicio & iuſtitia perſequamur: maleficos viuere non paſſuri, per quorum ſcientiam ſeductricem mundus inficitur, & gregi fidelium per oues has morbidas grauior infligitur corruptela. Statuimus itaque ſancientes, vt hæretici quocumque nomine cenſeantur, vbicumque per Imperium damnati fuerint ab Eccleſia, & ſeculari iudicio aſſignati, animaduerſione debita puniantur. Si qui vero deprædictis poſtquam fuerint deprehenſi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei vnitatem, iuxta Canonicas ſanctiones, ad agendum pœnitentiam, in perpetuum carcerem detrudantur. Præterea, quicumq; hæretici reperti fuerint in Ciuitatibus, oppidis, ſeu aliis locis Imperii, per Inquiſitores ab Apoſtolica ſede datos, & alios Orthodoxos fidei zelatores: ſi qui iuriſdictionem ibidem habuerint, ad Inquiſitorum & aliorum Catholicorum virorum inſinuationem, eos capere teneantur: & eos captos arctius cuſtodire, donec per cenſuram Eccleſiaſticam condemnatos, damnabili morte perimant, qui fidei ſacramenta & vitæ damnabant. Simili quoque pœna plecti cenſemus omnes, quos ad fouendum hæreticorum errorem, callidi hoſtis aſtutia ſuſcitat aduocatos, vel parat illicitos defenſores: maxime cum facinus quos inquinat, æquat, niſi monitione præmiſſa deſtiterint, & eorum vitæ duxerint conſulendum. Eos præterea, qui conuicti in vno loco fuerint de hæreſi, & ad alia loca ſe transferunt, vt cautius poſſint effundere virus hæreticæ prauitatis, debitam cenſemus ſubire vindictam: niſi ſuper hoc per viros ab eodem errore conuerſos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæreſi conuicerint (quod & in hoc caſu concedimus licite faciendum) eorundem teſtimonium habeatur. Item mortis ſententiæ ducimus adiiciendos, ſi quos hæreticorum ad iudicium tractos, in extremo vitæ periculo hæreſim abiurantes, poſtmodum de falſo iuramento conſtiterit, & fide mentita conuinci, ac eos contigerit eiuſdem morbi ſpontaneam incurrere recidiuam, vt ſibi damnabilius iniquitas ſit mentita, vt pœnam debitam mendacium non euadat. Omne inſuper proclamationis & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem penitus amouemus: volentes vt de finibus noſtri imperii, in quibus ſemper exiſtere debet vera fides, hæreticæ labis germina modis omnibus deleantur. Cæterum quia quanto maiora diuinæ nutu miſerationis accepimus, & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tanto debemus deuotiora obſequia gratitudini conferentis: Si quando igitur in noſtri nominis contemptores excandeſcit auctoritas: ſi reos læſæ maieſtatis, in perſonis eorum, & ſuorum liberorum exhæredatione damnamus, multo fortius iuſtiuſque contra Dei blaſphematores nominis, & Catholicæ detractores fidei, prouocamur: eorundem hæreticorum, receptatorum, fautorum & aduocatorum ſuorum hæredes & poſteros, vſque ad ſecundam generationem, be-

neficiis cunctis temporalibus, publicis officiis & honoribus, Imperiali auctoritate priuantes: vt in paterni memoriam criminis continuo mœrore tabescant: vere scientes, quod Deus est zelotes, peccata patrum in filios potenter vlciscens. Nec quidem à misericordiæ finibus duximus excludendum, vt si qui paternæ hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam reuelauerint, quacunque reatus illorum animaduersione plectantur, prædictæ punitioni non subiaceat innocentia filiorum. Ad hoc notum fieri volumus fratres Prædicatores de Ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus Imperii nostri contra hæreticos deputatos: ceteros quoque qui ad hæreticos iudicandos accesserint & venerint, nisi aliqui eorum ab Imperio sint proscripti, eundo, morando & redeundo, sub nostra & Imperiali defensione speciali recipimus: & quod apud omnes, sub ope, & recommendatione fidelium Imperii esse voluerus inoffensos: vniuersitati vestræ mandantes, quatenus quocunque, & apud quemcunque vestrum peruenerint, benigne recipiatis eosdem: & personas eorum ab incursu hæreticorum eis insidiantium conseruantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis. Hæreticos vero, quos ostenderint ipsi vobis, in iurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post Ecclesiasticæ damnationis iudicium, pœnam subeant quam merentur: sciturí, quod in executione ipsius negotii, gratum Deo & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperii nouam & insolitam hæreticæ prauitatis infamiam, opem & operam, vna cum eisdem fratribus præstiteritis efficacem. Et si quis forte exinde negligens & remissus, inutilis coram Domino, & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. Datis Paduæ XXII. Februarii.

VIII. ALTERA FRID. CONSTITVTIO, QVA NATVRAM ET MORES HÆRETICORVM DEPINGIT.

Præter hanc Constitutionem, edidit aliam Fridericus Imperator, istis verbis: quibus naturam & mores hæreticorum delineat.

Fridericus Dei gratia, &c. Inconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio sentientes, quod significationem diuisionis enuntiat, & in ipsius indiuisibilis fidei vnitatem nituntur inducere sectionem, & oues à Petri custodia, cui pascendæ à Pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinseus, eo vsque manfuetudinem ouium prætendentes, quousque ouile possint Dominicum subintrare. Hi sunt Angeli pessimi. Hi sunt filii prauitatum, à patre nequitiæ, & fraudu auctore, ad decipiendas simplices animas destinati. Hi sunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi sunt serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine virus euomunt: vt dum vitæ cibum ministrare se simulant, à cauda feriunt, & mortis poculum velut quoddam dirissimum aconitum immiscent. Horum sectæ, veteribus non sunt notatæ nominibus, vel ne in publicum prodeant, vel (quod est forte nefandius) non contentæ, vt velut ab Arrio Arriani, vel à Nestorio Nestoriani, aut à similibus similes nuncupentur: sed in exemplum martyrum, qui pro fide Catholica martyrum subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Huiusmodi miseri Patareni, à quibus abest sancta credulitas Trinitatis æternæ, sub vno contextu nequitiæ in simul tres offendunt: Deum videlicet, proximos & seipsos. Deum, dum Dei filium & fidem non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsis sub specie spiritualis alimoniæ hæreticæ prauitatis obiectamenta ministrant. Crudelius etiam sæuiunt in seipsos, dum præter animarum dispendium, corpora denique sanæ mortis illecebris, quam per agnitionem veræ fidei possent euadere, vitæ prodigi, & necis improuidi sectatores inuoluunt: & (quod est ipso dicto durissimum) superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales igitur, Deo & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ in eos vltionis gladium exeramus, & tanto ipsos persequamur instantius, quanto in euidentiorem iniuriam fidei Christianæ prope Romanam Ecclesiam, quæ caput omnium aliarum Ecclesiarum iudicatur, superstitionis suæ scelera latius exercere noscuntur. Adeo quod ab Italiæ finibus, & præsertim à partibus Lombardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam amplius abundare, iamque vsque ad Regnum nostrum Siciliæ, suæ perfidiæ ritiulos derinarunt. Quod acerbissimum reputantes statuimus inprimis, vt crimen hæreseos, & damnatæ sectæ cuiuslibet, quocumque nomine censeantur sectatores (prout veteribus legibus est inditum) inter publica crimina numerentur: imo crimine lasæ maiestatis iniuriam noscitur attentatum, quamuis iudicii potestate, alterum alteri non excedat. Nam sicut perduellionis crimen personas admisit damnatorum, & bona: & damnat post obitum etiam memoriam defuncto rum: sic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur per omnia volumus obseruari. Et vt ipsorum nequitia, qui (quia Deum non sequuntur) in tenebris ambulant, detegatur: etiam nemine deferente, inuestigari volumus diligenter huiusmodi scelerum patratores & per officiales nostros, sicut & alios malefactores inquiri: ac inquisitione notatos, etiam si leuis suspicionis argumento tangantur, à viris Ecclesiasticis & prælatis examinari iubemus. Per quos si inuenti fuerint à fide Catholica saltem in aliquo deuiare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosis Diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepti constantia perseuerent, præsente nostra legis edicto damnatos, mortem pati Patarenos, aliosque hæreticos quocumque nomine censeantur, decernimus, quam affectant, vt viui in conspectu hominum comburantur, flammarum, commissi iudicio. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo pœnam solummodo, nec fructum aliquem alium consequuntur errores. Apud nos pro talibus nemo intercedere præsumat. Quod si qui fecerit, in ipsum nostræ indignationis aculeos non immerito conuertemus. Datum Paduæ XXII. Febr.

IX. TERTIA IN EOSDEM ET RECEPTATORES.

Item in eosdem & alios eorum receptatores.

Patarenorum receptatores, & complices, & quocumque modo fautores, qui vt à pœna possint alios eximere, de se velut improuidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos esse in perpetuum censemus. Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur, sed infamiæ perpetuæ notæ laborent: vt nec in testes, nec in causis quibus repelluntur infames aliquatenus admittantur. Si tamen aliquis de filiis fautorum huiusmodi detexerit aliquem Patarenum, de cuius perfidia manifeste probatur, in fidei præmium quam agnouit, fame pristinæ de Imperiali clementia, restitutionis beneficium in integrum consequatur. Hactenus Fridericus in complices.

X. CAPITVLA CONTRA EOSDEM.

Addidit insuper Capitula contra eosdem & principales, in hunc qui sequitur modum sancita.

Catharos. Patarenos, Speromistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos. Iosepinos, Garatenses, Albanenses, Francischos, Begardos, Commissos. Valdenses, Romanolos, Communellos, Varinos, Ortulenos, cum illis de Aqua nigra, & omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes, vt bona talium confiscentur, nec ad eos vlterius reuertantur, ita quod filii ad eorum successionem peruenire non possint. cum longe sit gratius æternam, quam temporalem offendere maiestatem. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiæ, iuxta considerationem suspicionis qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur, ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt potestates & consules, seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publice iuramentum, quod de terris iurisdictioni suæ subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebūt: ita quod amodo quandocumque quis fuerit in perpetuam potestatem, seu temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare: aliquin neque pro potestatibus, neque pro consulibus, seu consimilibus habeantur: eorumque sententias extunc irritas decernimus & inanes. Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, post annum à tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam: qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure Domini principalis: dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege seruata, contra eos qui non habent Dominos principales. Credentes, præterea, receptatores, defensores & fautores hæreticorum bannimus: statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consimilia, vel ad aliquos eligendos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus ei præterea super quocumque negotio respondeat, sed ipse aliis respondere teneatur. Quod si iudex exiterit, eius sententia nullam obtineat roboris firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, eius instrumenta confecta per manum eius nullius penitus sint momenti. Adiicimus insuper, quod hæreticus per hæreticum conuinci possit: & quod domus Patarenorum, defensorum, & fautorum, seu vbi docuerint, siue vbi alibi manus imposuerint, destruantur, nullo tempore restaurandæ. Dat. Paduæ XXII. Febr. Hæc in causa fidei quam vocant Theologicæ Fridericus Imperator: quæ sequuntur in causa fidei Ciuilis definiuit Ioanna Belgii Princeps, digna quæ legantur.

XI. FICTVS

Fuit Balduinus Octauus Flandriæ Hannoniæq; Comes, & idem grandi ausu progressuque Orientis sue Byzantii Impe-

BALDVINVS REDVX AB IOANNA STRANGVLATVR. *Lipsius in monit. ex Paulo Æmilio.*

Imperator. Dum illic res gerit, in prælio contra Bulgaros cadit: nec ambigua res erat, donec quidam Bernardus Rainsus, Campania Gallię oriundus, & specie religionis iuxta Valentianos in silua quadam Anachoreta; donec, is inquam, vulgaret, fingeretq; post annos XX. reducem & rediuiuum se Balduinum esse. Impulsus à nobilium quibusdā creditur: & ætas, forma, astus, atq; etiam audacia erat ad fallendum. Igitur rebus in Hannonia motis, in Flandriam ipsam cū hac fama venit: & rata quadā oris gravitate commemoratione rerum hominumq; priorum, stemmatis totius notitia etiam sagaces cautosque inducit. Desciscunt, & adhęrent passim, fastidio etiam & contemptu fæminei Imperii: quod Ioanna, id temporis, Balduini filia, rebus præsidebat. Quin ipsa profligata, & propemodum in Querceto oppido interempta, præsidium & refugium ad Ludouicum Octauum Galliæ Regē habuit: qui subuenit, sed cum prius à Senatu Ioannæ examinatus inquisitusq; planius ille esset. Eius enim Præses sic dixit, rogauitq; : Tu quocumq; nomine appellandus, si re vera Balduinum iactas, cur Imperium orientis deseruisti, ad hoc minus properasti! Cur apud notos atque optime de te meritos Duces, morrem simulasti, vitā dissimulasti? Quæ commenti causa, aut merces? An nunquid ii oderant? etiam nunc resument, si verus es Augustus. Quid ad nos potissimum venisti, tot lustra non visus, nisi vt inter ignotos ignotus falleres? Viginti anni iam sunt à morte illius, quem te dicis: quibus tenebris, & qua causa, tā curiose te occuluisti, sic vt nec aura famæ de te spirauerit! Passi multa mala fuimus, & id ob te mortuum. Mederi vna voce, vno scripto poteras, *Viuo*, cum non feceris: ego etiamsi viuis, viuum te habebo? Impietas tua non meretur, abi ingrate à patria, cuius charitatem exuisti, à Principatu, cuius curam abiecisti, à ciuibus, quos obliuione sepelisti. Dixerat Quæstor: at ille, mirū quia confidentia, & ex ipsa fidem præstruēs: Domi, inquit, inclementiores Ciues, quam foris hospes, repperi. Tu me Flandria, mater & altrix reiicis, quem Græcia, Macedonia, Thracia aduenū excepit, coluit: ipsa Barbaria maiestatem verita, seruauit. Atenim vbi delitui? Audite, & casuum humanorum miserescite, si quid humani in pectoribus istis habetis. Captus prælio ad Hadrianopolim à Bulgaris, ab iisdem in custodia habeor fatis lenta & remissa: vsq; eo vt effugium etiam patuerit, & animo isto ac Deo ducibus me liberarim. Cum ad meos propero vagus & erro, in alios barbaros incido, ignaros fortunæ meæ, & ab his in Asiam trahor & vendor. Heu miseriam! pudet: sed vos narrare cogitis: Syri me habent, & in ergastulum rusticū damnār. Ego Balduinus, Comes, Imperator, qua manu sceptra tenui rastra tractaui, plures per annos donec à Germanis mercatoribus casu transeuntibus, quibus me aperui, pretio liberarer. Ii me domū remiserunt: vos expellitis? Ingrati, immemores veterū beneficiorum, quibus aut vestri, patres, etiam tu atq; ille, à me affecti estis. En senium & hanc caniciem, quo reseruati sumus? post tot fluctus, scopulum repperi, vbi portum putabam: ipsa mea filia, mea Ioanna, patrem nō agnoscit, ne Comitem agnoscat. Hæc & plura opportune differens, magnitudinē suam vel fallaciam tuebatur: vario animorum motu, & plerisq; ad illum inclinatis, adeo, vt nobilium populariumque bona pars statim adhæresceret, Comitē & Augustum salutaret, donec re iam in præcipiti, Joanna ad Regem Ludouicum supplices Legatos mitteret, vt Balduini, auunculi quoque sui magnam sanctamq; memoriam, ab impuri nebulonis contage tueretur. Suscipit negotiū Rex, diem homini dicit: venit ille magno comitatu, solitaq; fiducia & astu. Vestis erat purpurea, alba in manu virga, barba promissa, à qua vulgo Peregrinus Longobarbus vocabatur: sistitq; se Regi Peronæ. Ille oritur, succinctus nobilitate & Senatu: Flandria in fide, & clientela mea est, ne miteris te huc vocatum: quod iure, non ambitione aut vsurpatione factum. Siue iniuria afficeris, à me vindicandus es: siue afficis, puniri debes. Vtinam Deus & cælites facerent, vt tu sis ille Balduinus, mihi auunculus, amitinæ meæ pater, nec vno nomine Galliæ meæ illigatus. Vtinam! inquā. Sed famæ tot annorum tam constanti quid faciam! illa te iugulat. Credere me abnuis, & vnus tot millibus contradicis: sed fidem ex humano genere tollis: si consensui mortalium non vltra credimus. Tamen effare, faueo si quid habes quo famā redarguas, quo Balduinum te asse-

XII. B. IOAN. SALERNITAN. PRÆDICATORIS, VITA ET OBITVS.

ras, quo veterem meum cognatum, aut potius parentem à mortuis restituas. Si ille es, breuiter ad hæc respondere, & statim, potes. Quæro, Tene Pater meus Flandriæ Comitem dixerit, iura dederit? quo loco, tempore, teste, ritu? Balteonete & insigni militari donarit? Quæ mulier ex Fiācica nobilitate, quo conciliante, quo auspice, loco, cætu nupserit? Quid hæres! Hæc ignorate de se verus Balduinus nō potest. Ista Rex: tamen audacia illa velut deprehensa hærebat, & spatium cogitandi recolligendique sui petebat. Inde pro impostore haberi, & contemptim dimitti, dimitti tamen, quia sub fide publica venisset. Nec diu post in Burgundia captus, ab equite gentis Chastenaiæ, Ioannæ offertur: quæ conuictum confessumq; laqueo strangulauit, non tamen sine plebeculæ rumoribus, quæ patrem ab improba filia in ligno suspensum, tunc & diu post dissebat.

Hoc fere anno ad cœlos emigrauit, B. Ioannes Salernitanus, Ord. Præd. apud Florentinos Conditor, à D. Dominico destinatus. Multa sunt præclara, quæ de eo perhibentur. Primo tyrocinii anno, cum quendam Apulum iuuenem D. Dominicus habitu Religionis induisset; cæterū ei Sodales ex sæculo molestiores essent, ignauū hominem, ingenioq; vecordem asserentes: & tū formæ eius præstantiam, tum vitæ sæcularis illecebras, tum parentū & cognatorum desideria & amores illi in memoriā reuocantes: deinde status regularis paupertatē, vigilias, labores, ieiunia, probra, austeritates; reliquas sub oculos proponentes, eumq; frustra se his excarnificare velle, dicentes: ille à sententia reuocatus, togam Prædicatoriā exuens, sęculares vestes à Fratribus popposcit. Sed vix induit, cū orante pro eius salute D. Dominico, maximis clamoribus clausti tū impleuit, sæpius inge minans: Heu heu, quis me ignis exurit? aut quæ flamma vitam mihi extorquet? Hanc abiicite à me vestem, fratres. Hunc sæculi habitum remouete, qui non ad solatiū aut corporis honestatem, sed ad interitū meum æternamq; combustionem mihi à vobis restitutus est. Illum vero mihi afferte, qui & corpus hoc tegat, & tanquā indumentum mihi salutis, & nuptialis lætitiæ vestis existat. Resumptis itaq; iterum ordinis indumentis Apulus ille, Ioannem Salernitanū adeo ad perfectionis desiderii exemplo suo inflammauit, vt breui tempore tantus euaserit, vt eum D. Dominicus Florentiam dimiserit, qui Religionem prædicatoriā nuper conditam depangeret. Nam ab eo tanta fuerat diligentia educatus, & ita eius mores, doctrinam, sanctimoniamq; apprime imbiberat, vt qui hominem intuerentur, veluti exemplar quoddam virtutis & probitatis, suspicerent. Nā licet ætate iunior haberetur, senectus tamen in eo venerabilis, tantaq; grauitas & in conuersatione benignitas apparebat, vt totius virtutis domicilium videretur. Cibi ac potus parcissimus fuit: diurnis atque nocturnis orationibus magna deuotione intentus; nihil que apud eum potius videbatur existere, quam vt contemplationi & diuinarū rerum meditationi incumberet. In his autem ita Spiritu absorbebatur, vt non solum humanorum omniū, sed & sui ipsius obliuiscereturc. Curis hominum exsolutus, confestim se aut lectioni, aut orationi reddebat; nec morulā quidem temporis elabi sineret, quin in ea diuinis rebus intenderet. Ceremoniarū vero quæ religionum sunt ornamenta, ita seruantissimus fuit, vt ea rum penitus prætermitteret nullam, quin potius negligentes, & ad earum obseruantiam tardiores suæ virtutis exemplo ad earum custodiā prouocaret. In administrando officio, maxima illi prudentia, zelus, benignitas, commiseratio, vigilantia, vt non immerito à D. Dominico electus ad id muneris esse iudicaretur. Plurimos viros illustres permouit Florentiæ, vt spreta huius vitæ labentis miseria, ad religionis præsidia se conferrent. In his Boninsegnam Virum constantissimum ad ordinem suscepit, qui paulo post pro fide cum nonnullis aliis Antiochiæ occisus est. Ambrosius quoq; qui Ariminēsi, Morandus qui Fanensi, Aldobrandinus Caualcantes qui Vrbeuetanæ Ecclesiæ prælatus est, inter discipulos Ioannis numerātur: quos ille ad S. Mariæ Nouellæ Cœnobium Religioni aggregauit, præsertim cum sanctitatem vitæ illius, miraculis illustratam homines aspicerent. Aliquem enim ex emigranea freneſi laborātem, manus impositione sanauit: alium ex vulneribus morientem sanitati oratione, restituit. Nam is qui decumbebat, secundum quietem se vidisse testatus est lectulo assistentē Ioannem, qui ei

dicere videbatur, eum omnino sanitati restitutum, atq; euigilans ita esse vt audierat, reipsa cum ingenti omniũ admiratione & gaudio comprobauit. His & aliis quamplurimis, quanquam Deus Ioannem illustraret, ipse tamen nulla ratione efferebatur. Sed quo maiora per eũ Dominus efficeret, eo humilius & apud semetipsum abiectius se gerebat. Cumq; esset Fidei Catholicæ tenacissimus, eius turelã aduersus hæreticorũ insultus magno & constanti animo peragebat. Quaptopter zelo domus Dei accensus & irrideri, & cõtumeliis, iniuriisq; affici, & lancinari minime recusabat, dummodo fides ipsa dilataretur & cresceret. Fuit Ioannes in cõsulendo liber, in loquẽdo parcus, in admonitione suauis, in corripiendo mediocriter seuerus, in oratione assiduus, in quemlibet actionibus ex sanctimoniæ præscripto compositus. Cum autẽ aliquot annis Prædicatoriam togam admirandis factis ornasset, mortem, quam longe ante præuiderat, maxima cum deuotione lætus aspexit, miraculis postmodum clarissimus. *Leand. lib. 5.*

XIII. S. RAYNALDI EPISC. NVCERINI SANCTITAS ET MIRACVLA ET OBITVS.

Nuceriæ in Vmbria, celebris fuit hoc anno sanctus Raynaldus Episcopus. Is ex Vidri Comitis Alemani, qui territorium inter Nuceriã & forum Flaminii ab Imperatore obtinuerat, stirpe progenitus, ab ineunte ætate humanis & sacris literis eruditus, sæculi huius diuitiis & pompis cõtemptis, sese in eremũ Monasterii fontis Auellanæ contulerat, vbi vigiliis, orationibus, piisq; meditationibus aliquamdiu exercitus, ad eam vitę spiritualis perfectionem peruenit, vt Hugone Episcopo Nucerino defuncto, illi (licet inuitus) successerit. Maxima fuit in pauperes, pupillos & viduas benignitate; quibus omnia necessaria ad victũ ministrabat. In iis puerum alebat, quem sibi, & clericis secum accumbentibus eleemosynã quotidie petere iusserat, quo sic magis pauperũ recordaretur. Magna in se vitæ austeritate, noctes insomnes integras ducens in orationibus & meditationibus perseuerabat. Somnũ, eo correptus, modicum super nuda humo capiens parcissimoq; victu contentus, Facundinum Episcopum prædecessorẽ, qui asperam in solitudine vitam ducens apud ciuitatem orando migrauerat imitatus. Nunquam ridere, siue tristari visus est. Tandem senio confectus cum in Episcopatu annos tres tantũ vixisset, ex hac vita anno isto migrauit. Corpus eius in templo maiori Nuceriæ conditũ est. Multa edidit miracula. Viuens enim leprosum sibi obuiam factũ, oculatus sanauit. In cubiculo cũ sanctis colloqui à clericis audiebatur. Ab equitibus quibusdam, quod ad illius apparitionẽ equi turbati eos deiecissent, percussus, cum illi immobiles diuinitus constitissent, abeundi facultatem illis impetrauit. Cũ Archidiaconus pauperem, contra quam iusserat, vestire differret, propriam exutus illi donauit. Quare veste tandem ab Archidiacono empta parua indutus, cum inter celebrandũ brachia nuda in Eucharistiæ eleuatione appareret, ab Angelo aurea argenteaque veste contegi visa sunt. Multos à dæmonibus obsessos liberauit. *Ex Monumentis Ecclesiæ Nucerinæ, & vita MS.*

XIV. FRIDER. CORAM LEGATIS APOSTOLICIS PROMISSA REDINTEGRAT.

Hoc anno in Apuliam profecto Friderico, ex patrũ purpuratorum consilio, summus Pontifex Cardinales duos, Pelagium Episcopum Albanensem, & Guallam presbyterum tituli S. Martini ad vetera cũ eo confirmanda sacramẽta Legatos misit. Qui cum ad S. Germanũ venissent, ipsum pridie Idus Iulias præsentibus omnibus suis ex Germania Principibus promissa redintegrare iusserunt. Ille vero sacris Euangeliis manu tactis iurauit, se intra biennĩ mense Augusto in Orientem sine vlla recusatione properaturũ: centum milites ibi suo stipendio pro subsidio per duos annos habiturum: centũ millia auri vnciarum expensurũ: centum chelẽdras & quinquaginta triremes vltramare ducturum: ac duobus millibus militum Crucesignatis ad traiectionẽ elargiturum; in animam suam iurare iubens, se hæc singula completurum: & sponte consentiens, in se & regnum suum sententiam ferri, si qua horũ conditione temere decessisset. Hoc facto, Cardinales in conspectu Principum, ac populi circumstantis, anathema in eum auctoritate Apostolica protulerunt, si officio defuisset. *Sigonius de regno Italiæ lib. 17.*

XV. F. MARTINVS EX FANO IOVIS FIT PRÆDICATOR.

Hoc eodem anno Prędicatorum Ord. exornauit, F. Martinus ex Fano Iouis. Præerat is antea rebus Bononiæ Ciuitatis: cumq; in iustitiæ administratione integerrimi iudicis partes exequeretur, & nec amore, nec timore à castigandis flagitiis moueretur, non tamen integrũ sibi esse existimauit, in eo statu diutius perseuerare. Itaq; desiderio quietioris vitæ inflammatus, Prædicatorum religioni nomen dedit, inque ea per omnium virtutum gradus, ad perfectionis fastigium euasit. *Michael Pius lib. 1. de viris Illustriß. Ord. Præd.*

XVI. ITEM BONAVISIVS PLACENTINVS.

Cœnus illi Fr. Bonuisius Placentinus, à D. Dominico in ordinem prædicatorum ascriptus, eiusq; virtutum non tantum spectator, sed etiam imitator. Placentiam ab eodem Patriarcha missus, cum inscitiam literarum excusaret, doctrinæ perfectionem ab obedientiæ promptitudine accepit. Meruit, vt aliquando inopia laborantibus Fratribus, in cœnobio quod erexerat Placentino, Angeli apparentes panem & ficus ministrarint. *Idem qui supra.*

XVII. TERRÆ MOTVS IN ALPIBVS.

Hoc præterea anno, terra adeo grauiter in Alpibus in Saluiorum gente mota est, vt quina hominum millia sint ædificiorum ruinis obtrita, ex lateribus montium molibus auulsis, atque in subiectas valles cultu frequentes, cum pernicie hominum & pecorum prouolutis.

IESV CHRISTI
Annus 1226.

HONORII PAP. III. Annus 10. FRIDERICI II. Imp. 7. ROBERTI Imp. 7.

I. FRIDER. EXCOMMVNICAT HONORIVS OB VSVRPATAM IVRISD ECCLESIÆ. a *inter epist. anno* 10.

ANnus vertens satis funestus fuit vniuersæ Italiæ, à Friderici Imperatoris præfracta temeritate. *a* Cum enim Honorius Pontifex amplius ferre non posset, diuturnam Ecclesiarum Capuanæ, Salernitanæ, Brundusinæ, Consanæ & Auersanæ viduitatẽ, eo quod Fridericus contra iurisiurandi formulam electiones Pontificum misceret hominesque ineptos & indignos obtruderet, Honorius ex decreto Concilii Card. atque Prælatorum, Antistites illis Ecclesiis authoritate Apostolica præfecit, ac Friderico scripsit, ne ferret ægre. Se enim committere vel permittere non potuisse vt oues numerosæ sine pastoribus desererentur, & quamplurimis periculis orbatæ exponerentur. Insuper se tolerare non æquũ esse, vt sibi, Ecclesiæ, & sibi Imperatori, id quicquid & negligẽtiæ, & ex negligentia plurimorũ criminum imputaretur. Pupugit ea res Frid. Quamobrem impotens animi, contumeliis plenas Honorio scripsit, eiusq; indignationem iustam in se concitauit. Respondit Honorius, iuxta sententiam Prouerbii stulto iuxta stultitiam suã. Cumq; illi beneficia ab Ecclesia Romana liberaliter collata commemorasset, & sacramenti formulam in mentem reuocasset, tum deinde contumaciã illius redarguit, ad mãsuetudinem Christianam, & erga Romanam sedem obedientiam hortatus est: exerens censuræ Ecclesiasticæ virgas & fasces, si authoritatem Ecclesiæ contemneret, & iura illius violaret. Nõ larebant hæc omnia Ciues Longobardiæ, qui *b* cum Friderico iniuriæ à Bononiensibus, Mutinensibus & Veronensibus olim in reditu ad Germaniã receptæ memorem, & vindictæ cupidum esse intellexissent, siue vt seipsos, siue vt Ecclesiam ab ipsius impotentia vindicarent, fœdere sociali sese coniunxerunt: vt communibus consiliis, viribus & armis Friderico resisterẽt. Conabatur Fridericus Mediolanenses à Societate aliorũ dissociare. Cæterum illi perfidũ deprehensi, pacis mentionẽ facienti perfidiam obiectarũt, & exterminium Ciuitatis minitantẽ itriserant, & amicitiã oblatã contempserunt. Ex hoc tempore Imperator, Mediolanensibus & Marchioni Estensi, palã se inimicũ esse professus est: & contra Confœderatas Ciuitates, Ezelinum Patauinum rerum tunc temporis in Marchia Teruisina potentẽ opposuit. Accidit interim quod Fridericũ magis exacerbaret. *c* Fauentini enim quendã Principũ Imperii in Germaniã reuertentẽ, comprehenderãt, & Imperatorem esse censentes interfecerant. Quæ res in publicum vulgata, animos Friderico accendit, & Confœderatis ciuitatibus maiorem metum incussit, archioribusque exinde vinculis inter se coniunxit. Ea coniunctio Lombardiæ Ciuitatum contra Imperatorem, per multos annos sub nomine confœderationis Longobardorum appellata perseuerauit: maximo impedimento Imperat. qui vniuersam Italiam miscebat, nec nisi exitium Ecclesiæ & ciuium quærebat. Tancredo totius improbitatis auctore familiarius vrebatur, tum in consiliis, tum in cõsiliorum executione. Nam & huic satellitium innumerabile addiderat, omnesque viarum exitus obsernare præceperat: quo minus libere Ciues illi inter se de re communi

b Chron. Bossian. & Naucler. generat. 41.

c Isid. de temporib.

muni conferre, inque commune arma & viros congregare possent. Istud cum primum intellexisset Honorius, vniuersis Episcopis potestatem fecit, qui illum die Cœnæ Dominicæ in primis, deinde festo Ascẽsionis Saluatoris, & Templorum dedicationis, publice coram vniuersis populis anathemate damnatum renunciarent. Ea seueritate, vt etiam Fredericus deterreretur, & ad officium reuocaretur, eidem Honorius perscripsit; Regem Cypri Henricum eius tutelæ commendauit, seque non posse Comitem Tripolitanum, quamdiu possessiones Hospitalariorum S. Ioannis Hierosolymitani detineret, ad communionem Ecclesiæ admittere significauit, eundemque ad subueniendum Terræ sanctę inuitauit: ac si proficisceretur, & morem Ecclesiæ gereret, vna cum filio in clientelam sedis Apostolicæ recepit.

II. HONORIVS ACCIPIT SVB PROTECTIONEM S. PETRI GELBERGAM FRANCIÆ REGINAM.

Hoc anno Pontifex Honorius, Gelbergam quondam Gallorum Reginam in protectionem S. Petri suscepit: & pacta ab ea cum Fratribus S. Ioannis Hierosolymitani, in Capitulo eorum Generali apud Cerassas anni superioris mense Iunio stabilita, approbauit, potestatemque eidem fecit, vt in Ecclesia Corbolien. XIII. Fratres collocare possent: qui ex redditibus ab ea assignatis viuerent, & noctes diesque diuino cultui vacarẽt. Cæterum cum accepisset, quia Ludouicus Rex edicto promulgato recens statuerat, ne Episcopi vnius regni in altero quicquam dignitatis aut iuris atque bonorum obtinerẽt: & proinde interdixerat, ne Archiepiscopus Burdegalensis possessiones suas ingredi auderet: quinimo permiserat, atque toleruerat, vt omnia eidem eriperentur; ideo vehementius illum hortatus, vt ea edicta antiquaret, Archiepiscopum benigne haberet, eique omnia ex integro restitui iuberet. Dedit literas Ludouico Laterani XI. Calend. Iun.

III. MORITVR LVDOVICVS, SVCCEDIT LVDOVICVS SANCTVS. *Papyr. lib. 3.*

Non multum superuixit Ludouicus, ex quo sanctos Domini violare cœpit. Dum enim in citeriorem Galliam rediret: 7. Idus Noue. pestifero morbo consumptus, ac tota funus prosequente Lutetia in templo Dionysii sepultus est. Successit Patri in Regnum Ludouicus cognomine Sanctus: atq; die 1. Dominica Aduentus, Rhemis ab Episcopo Suessionensi solemni ceremonia inunctus est. Annum duodecimum ætatis agebat tunc Ludouicus, cuius tutelam cum Rex decessor Blanchæ vxori supremis tabulis mandasset, illa omnem operam in eo collocauit, vt à sanctissimis viris Prædicatorum & Minorum ordinis disceret pie Numen colere, & boni ac iusti studium amplecti.

IV. IN ANGLIA PRIVILEGIA DANTVR SACERDOTIBVS. *Polydor. hist. lib 16.*

In Anglia hoc anno iubente Henrico Rege Concilium Principum habitum est: in quo de Regis pariter ac Principum sententia, non parua nec pauca priuilegia Ordini sacerdotali irrogata sunt. Ottho quoque Cardinalis Diui Nicolai in carcere Tulliano, vir summa integritate & doctrina, missus ab Honorio Pontifice Romano ad Henricum Regem sacerdotum Conuentum celebrauit: in quo complurima ad reformationem, correctionemque sacerdotalis dignitatis constituit. Decimas quoq; sacerdotiorum, quas pro bello contra Saracenos gerendo petierat, non difficile impetrauit.

V. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI HONORII. *inter epist. anno* 10.

Eodem anno Honorius III. 1. Regi Scotiæ, vt quandam viduam Regno eiectam reuocaret, seuere præcepit: 2. Henricum Sueciæ Regem in tutelam Romanæ Ecclesiæ suscepit: 3. V Valdemaro Regi Daniæ, vt Comitem Zuaricensem ab ergastulo liberaret, & in succursum Terræ sanctæ ire permitteret, iniunxit: 4. Duci Venetorum nisi iconam Episcopo Bethleemi restitueret excommunicationis sententiam ostentauit: 5. Sanctum Laurentium Archiepiscopum Dublinensem, & S. V Vilhelmum Archiepiscopum Eboracensem Diuis ascripsit: 6. Contra offensores & violatores S. R. E. Cardinalium Constitutionem, in corpus iuris relatam, promulgauit: 7. Pro electione Patriarchæ Antiocheni plurimum laborauit: contra hæreticos sanctionem salubertimam constituit: 8. Regi Anglorum, vt hæreticos extirpare curaret, diligentius mandauit: 9. Archiepiscopo Toletano, vt & Episcopos creare, & Prædicatores in Africam ad Miramolinum mittere posset, facultatem concessit: 10. Fratribus ordinis Prędicatorum & Minorum in regno Marochitarum, authoritate sedis Apostolicæ laborantibus, indulsit, vt nõnulla ordinis statuta, quæ conuersioni Gentilium impedimento essent, non obseruarent, scilicet, vt barbam & comam nutrirẽt, habitum religionis ne deferrent, carnes & lacticinia esitarent: & reliqua intermitterent, quæ ex puris statutis offendiculũ Euangelio præstarẽt. Eisdem amplissimam potestatem fecit in tota Africa docendi, baptizandi, exomologeses excipiendi: à censuris, etiã sedi Apostolicæ reseruatis, absoluendi: contra hæreticos si qui emergerent sententiam excommunicationis decernendi: omniaque & singula agendi, per quæ Euangelium vel propagaretur apud infideles, vel à perfidis defendi posset.

† Quod ad S. Laurentii Episcopi apotheosin attinet, istud est diploma eius canonicationis.

HONORIVS PAPA III. VNIVERSIS Christi fidelibus in Rothomagen. Prouincia constitutis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Edita A. D. 1226.

INestabilis prouidentia Dei congruentia singulis quibusque temporibus ordinace dispensans in splendoribus sanctorũ, Ecclesiam suam quasi ex vtero genuit, dum eos in exordio ipsius nascẽtis Ecclesiæ crebra miraculorum coruscatione mirificãs & in ipsorum miraculorum fulgore obstupefaciens gentes, ac prædestinatos in fide generans Iesu Christi, in cuius hæc fieri nomine ac virtute videbant, ipsos filiorum adoptionis numero aggregauit.

Deinde crescente fidelium numero & multitudine, populi vocati de tenebris, ambulantes iuxta ipsius vaticinium in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator inpluuiam fulgura sua fecit, dum signis siue miraculis, quæ non erãt iam fidelibus necessaria, intermissis, super nouos populos, Pastores qui eos pascerent scientia & doctrina, sicut per os Hieremiæ promiserat suscitauit. Doctores Ecclesiæ scilicet, qui terrã cordis fidelium imbre doctrinæ complerent, & extirpatis sentibus vitiorum, eam ad proferendum virtutum germen, & fructum huiusmodi operis fœcundarent.

Cæterum quia charitate frigescente ab exercitio huiusmodi boni operis torpet Catholicus error denso abducente delirat hæreticus, cæcutit velamine adhuc super cor permanẽte, Iudeus, & in tenebris ambulat fidere lucis nondum sibi oriente paganus, misericors Dominus qui neminem vult perire, signa interdum innouat & mirabilia miseratus immutat, ex numero illorum, quos in Ecclesia triumphante glorificat, aliquorum fidem & meritа in militante miraculis declarando. Vt per ea Catholici, mentis torpore discusso, ad boni operis exercitium iustitiam, hæretici errore dimisso, ab inuio reducantur ad viam, Iudei atque Pagani, vero lumine cognito, de tenebris, & vmbra mortis, currant ad Christum, lucem, viam, veritatem, & vitam.

Sanctæ igitur mem. Laurentio Dublinens. Archiepiscopo apud Ecclesiam S. Mariæ de Augo Rothomagens. Diœces. vbi corpus eius feliciter requieuit, claris diuino numine coruscante miraculis, Venerabilis frater noster Archiepiscopus, & dilecti filii Capitulum Rothomagens. vna cum Abbate & conuentu Ecclesiæ supradictæ, multisque aliis Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus, & religiosis viris, eius venerabilis vitæ insignia & coruscantia miracula suis nobis literis intimantes, humiliter supplicarũt vt ipsum sanctorum Catalogo ascribere curaremus quatenus auctoritate Apostolica, dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sic claris signis & euidentibus argumentis apparet honoratus in cœlis.

Licet igitur quos diuina honorat dignatio, humana deuotio prompto affectu debeat honorare; volentes tamen in huiusmodi negocio, secundum consuetudinem Apostolicæ sedis cum digna maturitate procedere, præfato Archiepiscopo & N. Decano, & N. Thesaurario Rothomagen. dedimus in mandatis, vt super dicti viri vita & miraculis inquirerent diligentissime veritatem, & eam nobis fideliter intimarent, vt ea plane compertа pio supplicantium desiderio securius annuere valeremus.

Ipsi autem mandatum nostrum cum diligentia exequentes, quia de præfati viri conuersatione, ac vita per homines de partibus illis certificari nequibant, eo quod per partes illas transitum faciens in ecclesia prædicta correptus infirmitate decubuit & infra octauum diem abbac luce migrauit, scripsere venerabili fratri nostro Archiepiscopo Dublinens. vt veritatem super hoc inquisitam, eis per suas literas intimaret. Qui citra mare Hibernicum Illustris Regis Anglorum negociis occupatus, non valens inquirere id per se ipsum, Venerabilibus Fratribus nostris Parens. Episcopo suffraganeo suo, ac Priori sanctæ Trinitatis Dublinens. commisit in huiusmodi negocio vices suas. Ac demum, eorum literas sanctitatẽ vitæ conuersationis, sæpedicti viri plenius continentes suo & ipsorum sigillis munitas destinauit eisdem. Quas vna cum depositionibus testium super miraculis receptorum, nobis sub sigillis propriis transmisere.

Collegimus autem ex ipsarum serie literarum, quod sæpedictus vir

Regis & Reginæ Hyberniæ filius extitit, & ab infantia sacris literis eruditus, senilem gessit in iuuentute grauitatem, & mundanarum illecebras vanitatum, à se vltra quam ætas illa soleat, abdicauit.

Deinde in Archiepiscopum Dublinens. assumptus sic in virtutem de virtute profecit, vt in oratione assiduus, austerus in maceratione profusus, se totaliter Domino dedicarit.

Per depositionem vero testium prædictorum, constitit euidenter sanctam vitam eiusdem esse tot sequentibus miraculis comprobatam, quod non paruam texet historiam, qui volet ea singula scribere seriatim. Sed vt prætereamus quod claudi gressum, cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi mundationem, & variis afflicti languoribus sanitatem ad inuocationem eius nominis receperunt, & hac sola quæ inter cætera emicuere miracula referamus.

Idem sanctus, imo Dominus ob ipsius merita gloriosa, septem mortuos, quorum vnus triduanus erat, mirifice suscitauit.

De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, diuinumque secuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis, eundem Beatum virum catalogo sanctorum adscripsimus, & annumerandum decreuimus sanctorum collegio Confessorum, ac inter eos à Christi fidelibus venerandum.

Statuentes vt eius veneranda festiuitas de cætero annis singulis Octauodecimo Calend. Decemb. solenniter celebretur. Monemus autem vniuersitatem vestram & hortamur in Domino, quatenus Deum deuotis mentibus collaudantes, & studentes proficere tantæ virtutis exemplo, eiusdem glorioßimi Confessoris apud Dominum suffragia humiliter imploretis.

Nos autem de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad præfatam Ecclesiam in die solennitatis eiusdem glorioßimi Confessoris, vel infra octauas cum deuotione accesserint eius orationum suffragia petituri, viginti dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Reate, 3. Idus Decemb. Anno Decimo.

VI. EPISC. VVORMATIENS. VRBEM INTERDICTO SVPPONIT.

Vangionum Antistes Henricus, eodem anno pro defensione libertatis Ecclesiasticæ dissensionem non modicam cum suis ciuibus habuit, qui cum eius mandato obedire contempsissent, Ciuitatem interdicto suppossuit, ac diuina celebrari interdixit. Cumque nec sic perficeret, omnem clerum de Ciuitate exire præcepit, præter paucos admodum Parochialium Ecclesiarum curatores, qui morientibus sacra ministrarent. Nullus tunc Ecclesiasticæ tradebatur sepulturæ, nullus ad communionem Ecclesiasticorum permittebatur intrare: donec arbitris intercedentibus pacem componerent. *Naucler. gener. 41.*

VII. VENETI ET PATAVINI DISCORDES.

Inter Venetos & Patauinos per id temporis tumultuatum est, leuissima de causa. Taruisini longa pace florentes, cum ludis & lasciuiis oblectarentur, castellum media in vrbe pellibus murorum loco munitum, virginibus tuendum tradiderunt. Adolescentes nobiles arcem oppugnabant, missilia quibus vtrinque vtebantur poma, pira, similiaque id genus, in pilarum speciem destinauerãt. Ad id spectaculum non pauci Veneti & multi Patauini inuitati confluxerunt, & cum ad loci oppugnationem omnium animi intentiessent, Veneti primum in castellum irrumpentes signa erant illaturi: quod cum Patauini quidam conspexissent, Venetorum gloriæ inuidentes, vexillum cum Diui Marci effigie, à signifero captum turpiter infregerunt, continuoque ad arma concursum, fuissetque non sine cruore dimicatum, nisi Iudorum Præsides, soluto spectaculo certamen diremissent. Iratis animis vtrimque discessum. Pugnatum postea in inuasione Bebianæ turris: capti quadringenti Patauini Venetias missi, & pace postmodum ab Aquileiensi Patriarcha conciliata, alii viginticinque, qui in Teruisino spectaculo primi iniuriam intulerant, in carceres conjecti sunt. *Petrus Marcellus in Hist. Veneta.*

VIII. ORIENTIS TYRANNVS ANGELVS A THEODORO OCCIDITVR.

In Oriente turbarum non minimum. Imperium Constantinopolitanum Angelo Theodoro sibi sed infeliciter vsurpante, Thessalonicam & plurimas alias ciuitates Roberto eripuerat, & ab Archiepiscopo Bulgariæ, Regia insignia acceperat. Quod cum minime sibi ferendum putaret Ioannes primi Asanis filius qui his temporibus Bulgaris imperitabat: nam ne Bulgaricis quidem rebus Angelum velle abstinere cernebat, Scythicis auxiliis accersitis acre cum illo prælium commisit, illique victo & capto oculos effodit, vindicta tandem illum adepta, tum ob ludibrio habitam Imperatoriam Maiestatem, cuius nomen sibi vsurparat, tum quod populares suos Bulgaricis impressionibus afflictos, & deplorandis malis affectos adeo non miseratus fuerat, vt etiam calamitates calamitatibus, cædes cædibus cumularet. *Niceph. Gregor.*

IX. S. FRANCISC. MORITVR. *S. Bonauent. in vita.*

Hoc anno, quarto Nonas Octobr. Sanctus Franciscus Ordinis Minorum institutor, in Cœlos emigrauit. Cum enim multis fuisset pœnarum angustiis excoctus, tandem obitus sui haud ignarus, ad S. Mariam de Portiuncula se portari popposcit, vt vbi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Eo mox perductus, vt ostenderet sibi nihil cum terrenis cupiditatibus esse commune, nudum se in nudam prostrauit humum, vt in extrema illa hora nudus cum nudo hoste luctaretur. Itaque tota mente ad res diuinas animo recolendas conuersus: cum præclare multa de patientia, & paupertate, & fide Romanæ Ecclesiæ seruandis ad fratres dissereret, tum Sacrosanctum Euangelium cæteris institutis anteferendum cunctis edixit: ac postremo benedictione peramanter ac pie impartita, omnibus aliis cogitationibus abiectis, locum Ioannis, quo Christi passionem exponit, sibi legi fecit. Qua lectione, cum mirum in modum oblectaretur, tandem voce qua poterat, in Psalmum 141. erumpens, versu illo: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi*, suauiter prolato, ex ergastulo corporis ad cœlũ euolauit. Ad eius sepulchrum, præter cæcos, surdos, mutos, claudos, aliisq; necessitatibus afflictos, ipsius meritis curatos, complures mortui sunt suscitati.

X. EPISTOLA D. FRANCISC. FRE REVERENTIA SS. EVCHARISTIÆ AD SACERDOTES.

Inter alia non possum omittere, quin hic inseram aureã illam Diui Francisci Epistolam, quam is ad sacerdotes sui ordinis, de treméda erga corpus Christi reuerentia scripsit: digna plane quæ ab omnibus religiosis legatur. Ita habet:

In nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Reuerendis & multum diligendis Fratribus vniuersis, Generali ministro Ordinis minorum Domino suo, & cæteris Ministris Generalibus, qui post eum erunt, & omnibus Ministris, & Custodibus, & Sacerdotibus Fraternitatis eiusdem in Christo humilibus, & omnibus simplicibus & obedientibus, primis & nouissimis, Fr. Franciscus homo vilis & caducus, vester paruus seruus, salutem in eo, qui redemit, & lauit nos in sanguine suo.

Quoniam ideo misit vos Deus *in vniuerso mundo*, vt verbo & opere detis testimonium voci eius, & faciatis scire omnes, quoniam non est Omnipotens præter eum, in disciplina & obedientia perseuerate: & quæ promisistis ei, bono animo & firmo proposito adimplete. Tamquam filiis se offert nobis Dominus Deus. Deprecor itaque omnes Fratres cum osculo pedum, & cum charitate qua possum, vt omnem reuerentiam & omnem honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, in quo quæ in cœlis, & quæ in terris, sunt pacificata & reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes Fratres meos sacerdotes, qui sunt, & erunt, & esse cupiunt Altissimi, quod quandocumque voluerint Missam celebrare, puri & pure faciant, cum reuerentia, verum sacrificium sanctissimi Corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: sancta intentione & munda: non pro vlla terrena re: neque timore vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus: sed omnis voluntas, quantum adiuuat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur: & soli ipsi DEO summo tantum placere desideretis: ipsi soli operaturi, sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*: si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur. Recordamini Fratres sacerdotes, quoniam scriptum est in lege Domini: Quoniam transgredientes in corporalibus sine vlla miseratione per sententiam Domini moriebantur: quanto maiora, & peiora meretur pati supplicia, qui Filium DEI conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus, & conculcat Agnum DEI. Quoniam sicut dicit Apostolus: non diiudicans, nec discernens panem Christum ab aliis cibariis, vel operibus indignis, indignus manducat. cum Dominus dicat per Prophetam: *Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter: vel fraudulenter.* Et propter sacerdotes, qui nolunt ponere super id cor in veritate condẽnat nos dicens: *Maledicã benedictionibus vestris*: Audite, Fratres mei. Si B. Virg. Maria honoratur, vt dignum est, quia Deũ portauit in sanctissimo vtero suo: si B. Io. Baptista cõtre-

muit,

muit, & non audebat tangere Domini verticem: si sepulchrum, in quo per aliquod tẽpus iacuit, sic veneratur: quãtum debet esse sanctus, & iustus, & dignus, qui nõ iam moriturum, sed in æternum victurum, & glorificatum, *in quem desiderant Angeli prospicere*, contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis ad sumendum præbet? Videte dignitatẽ vestram Fratres sacerdotes, & estote sancti, quia ipse sanctus est: & sicut super omnes propter hoc mysterium honorauit vos Dominus Deus, ita & vos super omnes propter hoc mysteriũ diligite eum, reueremini & honorate. Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiscat, & cœlum exulter, quando super altare in manib. sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admirãda altitudo: ô stupenda dignatio: ô sublimitas humilis, quod Dominus vniuersitatis Deus & Dei filius sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat. Videte Fratres humilitatem Dei, & effundite corã illo corda vestra, & humiliamini, vt vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum. Moneo præterea & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur Fratres, vna tantum celebretur Missa in die, secundum formam Rom. Ecclesiæ. Si vero in loco fuerint plures sacerdotes, sic sit per amorem charitatis alter contentus celebratione sacerdotis alterius: quia absentes & præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus: qui licet in plurib. locis reperiatur, tamen indiuisibilis manet, & aliqua detrimẽta nõ nouit: sed vnus verus, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre, & Spir. S. Paracleto, in sæcula sæculorum Amen. Hactenus D. Francis. pro reuerentia in SS. Eucharistiæ sacramentum. *Thoßimian. lib. 2. Histor. Franc.*

XI. PORTIO SS. CRVCIS OPERATVR MIRACVLA.

Eatempestate in Anglia Bromhameæ cœnobium, licet alioqui obscurum prius, cœpit inclarescere, propter illustria beneficia ex portione Crucis Dominicæ in qua mundi delicta Christus exhausit, quã eo ab Hierosolymis quidam recens illi societati ascriptus, quiq; Regi Hierosolymitano à sacris fuerat, attulit, qui vt illud Dominicæ Crucis frustum fuisse, sacrosanctæ religione cõtestabatur, quaque ratione illud sit consecutus significauit: ita non fuisse vanum hominis tam sanctum iuramentum, insignia miracula ibidem edita, quibus cæcis visus, claudis gressus, morbo afflictatis sanitas, atque adeo mortuis etiam vita reddebatur, tantum non voce edita clamabant. *MS. Vatican.*

XII. DE SARISBVRIENSIS COMITIS SANCTITATE ET OBITV IN ANGLIA.

Per id etiam temporis, quando Sarisburiensi Ecclesiæ in Anglia præerat Richardus Episcopus, Comes Sarisburiensis obiit, de quo memoria quædam digna feruntur. Transmissurus aliquando in Angliam, in immanem tempestatem, quæ omnem nauigantibus vitæ spem præciderat, incidit. En vero repente in summo malo, visus est ardẽs cereus, cui iuxta astabat miri decoris puella, quæ illius nauim à pluuia & ventis obrui non patiebatur. Quod spectaculum cum omniũ oculis obiiceretur, in bonam illos spem salutis erexit, quæ nec eos fefellit. Occultum vero cerei illius mysterium solus Guillielmus cognouerat. Is enim quo primũ die militari zona & dignitate ornabatur, cereum quẽdam curauit ad Missam accendi, quæ in honorem D. Mariæ Virginis celebrabatur, dedit q; redditus ad illud lumen quotidiè eo tempore perpetuandum. Neq; ita diu post reditum superuixit. Cumque lecto affigeretur Sarisburiensem Episcopũ accersiuit, vt sacra Eucharistia exitum suum præmuniret, qui cum cubiculum ingrediebatur, è lecto Comes prosiluit, colloq; laqueo inserto, obuiam Episcopo ꝓgressus, & in terrã prostratus, multo cum gemitu & profusis lachrymis misericordiam Diuinam implorauit, nec prius se loco mouit, q̃ pectus sacra exomologesi purgasset, & sancta mysteria percepisset. In funere vero ad veterẽ Sarisburiam, à Castro mille passibus distantem, cum Cruce, & thuribulo, & cereis elatus, istud quasi præsagium salutis animæ promeruit, quod nec pluuiæ demissione, nec ventorũ vlla violentia, cereorum lumen fuerit extinctum. *MS. Vatican.*

XIII. NOVVM MONASTERIVM VENETIIS ÆDIFICANT

Hoc anno FF. Prædicatores, Venetiis ex Oratorio S. Danielis ad SS. Ioannis & Pauli Cœnobium, neq; sine prodigio præcedente, cõstruendum, translati sunt. Iacobus Tepulus Venetiarum Dux, pietate, prudẽtia, religione, & aliis virtutibus cumprimis clarissimus, nocte quadam per quietem aspiciebat Oratorium S. Danielis cum area illi coniuncta, rosis, aliisq; diuersi generis fragrantissimis floribus, vndique plena. Aduolarunt etiam complures candidissimæ columbæ, Cruces aureas in summo capite gestantes, quæ inter flores illos colludebant. Interim duo Angeli de cœlo allapsi, aurea thuribula in manibus habentes, perq; Oratorium & aream discurrantes, suauissimis odorib. omnia implebant. Dum hæc Tepulus attentissima cõsideratione inspiceret, audiuit vocem dicentem sibi: Hic est locus, quem elegi meis Prædicatoribus. Somno discusso, visio abiit. Princeps autẽ stupore & admiratione plenus, rem omnem seriemque visionis postero die publicè in Senatu Patribus narrauit. Exinde omnes Dei *consilium arbitrati, communi* cõsensu decreuerunt, vt Fratribus quadringenti pedes nouisitus contribuerentur, quo Ecclesiam & Monasterium in amplissima forma construerent. Cæpitq; tunc ædificari Basilica nomine Sanctæ Marię, & Beatorum Martyrum Ioannis & Pauli dicata. Eius prænarratæ visionis superest, præter historicos, ad hanc vsque diem insigne & perspicuum monumentum. Nam idem Princeps Tepulus, qui moriens se in eadem Ecclesia SS. Ioannis & Pauli sepeliri iussit, sepulchro suo insculpi iussit, Oratorium ipsum Sancti Danielis, cum adiuncta area, omnia floribus respersa, Angelos quoque cum thuribulis locum odoribus suffumigãtes: columbas item candidas cum aureis crucibus in capitibus: vt tantimiraculi memoria, ad posteros, etiam lapidibus testantibus, melius transfusa in sempiternum maneret. Extat hodie ea sepulturæ sculptura, in fronte Ecclesiæ forinsecus, ea parte, qua Pacis Oratorium respicit, omnibus conspicua. *Flaminius lib. 2. vitæ S. Dominici, & Castillus lib. 1. c. 55.*

PRÆDICATORES.

IESV CHRISTI
Annus 1227.

GREGORII PAP. IX. Annus 1. FRIDEICI II. Imp. 8. ROBERTI Imp. 8.

I. MORITVR HONORIVS TERTIVS. a *Onopr. in Gregor.*

DIe XVIII. a mensis Martii Honorius Tertius Romanus Pontifex, postquam Ecclesiam sanctitate vitæ adornasset, & decem annis, mensibus VII. diebus XIII. inter varios turbines feliciter administrasset, humanis rebus exemptus est. Is à rebus externis quietus, Basilicam & cœnobium S. Laurẽtii extra vrbis mœnia, & S. Bibianæ Ecclesiam reparauit: celebre Oratorium quod Sancta Sanctorum vocant, honorifico sumptu apud Lateranum instauravit: Boemos in fide & obediẽtia sedis Apostolicæ perseuerare promittentes multis beneficiis auxit: vniuersum Scotiæ regnum sub protectionem suam susceptit, & supremam exercens potestatem pacta inter Angliæ & Scotiæ reges per Legatum indicauit.

II. CONVERSIO PVELLÆ IVDAICÆ.

Eius etiam tẽpore puella quædam Hebræa, à cultu Deiparæ mirabiliter ad fidem Christianam, & ad virginitatis seruandæ propositum inducta est. Hæc Rachel vocata Coloniæ quinquennis, in domo ludæorum parẽtum ad Christianos affici cæpit, & B. Mariæ nomen magna cum lætitia audire gestiebat, ideoq; de mensa pauperum panem latenter surreptum pueris mendicis Mariæ nomen vsurpantibus erogabat. Deinde Louaniũ cum parẽtibus veniens, à quodam presbytero Raynerio fidei Christianæ articulos clam edocta, tãta auiditate eos excipiebat, vt Raynerius & quędam pia mulier vix eius desiderio satisfacere possent. Quod vbi parentes audiissent, eam in Prouinciam transrhenanam mittere, & sponso educandam committere decreuerant. Id puella presbytero indicauit, adiecitque, si eam saluam vellet, vt eadem nocte ipsam raperet, & Christianam efficeret. Mansit ea nocte in domo parẽtum, oblita eorum quæ cum presbytero cõdixerat, cum dormienti SS. Deipara, in veste candida apparuit, virgamq; splendidam illi porrigens præcepit: Surge Catharina, & iter arripe: grandis ti. tibi restat via. Rachel virgam prehendere credens è lecto cecidit, & expergefacta presbyterum adiuit: à quo ad monasterium Sanctimonialium Ord. Cistercien sis, quod Pratum Dominicum dicebatur, dimidia leuca à Louanio diiunctum adducta, baptizata, nomen Catharinæ à Dei ma-

tre sibi impositum, & habitum Monialium assumpsit. Egerunt parentes apud Leodiens. Episcopum & Honorium summum Pontificem, vt ad duodecimum vsque annum in domo eorum educaretur. Cæterum ipsa septennis coram Episcopo causam suam ita sapienter & constanter egit, vt aduersarios omnes cõfuderit, & ad monasteriũ reuerterit. Submiserant parentes Iudæum quendam adolescentem, qui simulato fidei Christianæ desiderio baptismum susceperat, peieratq; vt cum ea quasi cognata de rebus fidei liceret disserere, at illa fraudem subodorata, subdolum impostorem contempsit, neq; aspicere voluit: illud ad imaginem Deiparæ, cui adgeniculabatur sæpius prolocuta: Ego paupercula, pupilla, & indigna, ad te Dominã meam & cognatam accedo: Tu sola præ omnibus esto mihi refugium & solatium. His tentationibus ope Diuæ Deiparæ depulsis, in eodem cænobio sanctam vitam, sanctè duxit. *Thomas Cantipratanus lib. 2. c. 29. p. 14.*

III. ELECTIO GREGOR. NONI, NEPOTIS INNOCEN. III. SCRIBIT AD FRIDER. HORTATORIAM. *a 16. Calend. April.*

Altero die ab eius etiam obitu Honorii, in Pontificatum successit Gregor. eo nomine nonus, patria Anagninus, gente Signia ex Comitibus natus, & ab Innoc. III. Pontifice patruo, inter purpuratos olim cum Hugolinus diceretur ascriptus. Is statim atq; insignia Pontificatus accepit, *a* Fratrem Guilelmum Ordinis Prædicatorũ cum potestate Legati de Latere ad Fridericum Imperatorem misit, litterasq; ei suæ assumptionis indices ex vsu antiquo scripsit, & quidem inprimis eum fidei & obedientiæ erga Ecclesiam Romanam, deinde officii erga Imperium vniuersum admonuit, documentaq; præclara ex insigniis quæ ante Imperatorem solent deferri illi præscripsit, nimirum, vt gladio in tutelam Ecclesiæ, & in vindictam malefactorum: sceptro vero in correctionem populorum, & in rectitudinem iustitię vteretur: manibus vero clementiæ & beneficentiæ, cunctos Christianos placide, quod pomum Crucesignatum significat, amplecteretur. Hortatus est eum insuper, & sub anathematis pæna præcepit, vt primo quoque tempore, recuperandæ à Saracenis Hierosolymæ causa, in Asiam cum exercitu proficisceretur.

IV. *De regno Ital. lib. 17.* GREGOR. IX. CRVCESIGNATOS IN PALÆSTINAM EVOCAT, QVOS SVO EXEMPLO REVOCAT FRID. FVGIENS.

Sigonius totius rei summam complexus, hæc omnia ad eum modum successisse memorabat, quod Gregor. Pontifex statim atq; electus fuisset, sacrum bellum omnino prosequendum esse, eamq; curam ad Imperat. Fridericum potissimum pertinere existimans, statim eum admonuit, vt quod sæpius Honorio concepta in se religione spoponderat, neque vnquam præstiterat, aliquãdo tandem expleret: atque hanc gratiam à se atq; ab omnibus Christianis iniret, vt sanctum Christi sepulchrum ex impiorum manibus extorqueret. Huius monitis repugnare Fridericus nesciens, nec tamen iter suscipere volens, expeditionem comparare in speciem cæpit, ac Crucesignatos omnes Brundusium ad diem Assumptionis B. Marię Virginis conuenire, missis circumquaq; nunciis iussit. Hi mense Iunio frequentissimi ex omnibus Prouinciis Occidentalibus confluxerunt: Siquidem ex solo Anglorum regno sexaginta se amplius millia commouerunt. Horum alacritatem atq; animorũ studium conspicatus ex alto Christus, ipse se in vigilia B. Ioan. Baptistæ è cœlo luce clarissima clauis ac lancea perforatum, atq; atro cruore perfusum ostendit, nihil aliud innuens, quã se promptis eorum studiis affuturum. Cæterum, cum sæuientibus æstatis caloribus in terra Calabria versarentur, plerique graui tentari valetudine cæpti sunt: ex quibus magna pars æstu, morbis, siti, atque omnibus incommodorum generibus periit, inter quos Episcopi Andegauensis & Augustanus, & Lantgrauius (sed hic veneno vt fama erat) Thuringiæ emicuerunt: pars vero grauiter affecta domum repetens, in campis & syluis strata interiit. Reliqui nauigandi potestate accepta, in festo Assumptionis soluerunt, pro explorato habẽtes, Imperat. secum esse nauigaturum. Ille vero cum modico comitatu conscendit: verum per triduum in mare prouectus cursum conuertit, ac se neq; maris iactationem, neq; incommodam valetudinem pati posse, asseruit. Quare comperta XL. amplius millia, iisdem quibus transuehebantur nauibus in Italiam redierunt. Quod vbi Gregor. audiit, incredibili dolore vna cum omnibus Christianis exarsit: cum videret, mirificos rerum omnium apparatus ad nihilum, vnius Imperat. crimine recidisse, ac spes animosque omnium Christianorum in perpetuum hac ratione debilitatos, ac fractos esse: neq; spem vllam recuperandæ terræ sanctæ amplius superesse. Quare doloris acerbitate compulsus, ex consilio Cardinalium, Fridericum in eas execrationes, quas illi, nisi paruisset, Honorius intentarat, incidisse pronunciauit, atq; in eum hanc sententiã protulit, atq; ad omnes Principes misit. Imperatorem Fridericum, qui nec transfretauit in tempore constituto, nec illuc in taxatis passagiis præscriptam pecuniam destinauit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad suum stipendium pro subsidio Terræ sanctæ ibidem, sed in tribus articulis manifeste deficiens in descriptæ excommunicationis laqueum vltroneus se ingessit, excommunicatum quanquam inuiti publicè nunciamus, & mandamus ab omnibus arctius euitari, contra ipsum, si contumacia eius exegerit, grauius processuri. Confidimus tamen adhuc fore, vt recurrat ad matrem Ecclesiam, per humilitatem debitam, & satisfactionem congruam salutis remedia recepturus. Hac re accepta Fridericus, contumeliæ loco anathema in se prolatũ existimauit, ac protinus litteras ad eosdem Principes destinauit, in quibus causam omissi officii in aduersam valetudinem referens, in Gregorium Pontificem aliosque Romanos Antistites grauissimè inuectus est. Res erat, cur ad eam expeditionem non properaret.

V. FÆDERATAS ITAL. VRBES, ET FRID. GREGOR. COMPONIT.

Dolebat vehementius Friderico, obiectam suæ potentiæ, potentiam Ciuitatum Lombardiæ confæderatarum, præsertim cum & Fauentini quendam per ignorãtiam existimantes Fridericum esse occidissent, & Mediolanenses pacis mentionem ab eo iniectam non solum contempsissent, verumetiam multis iniuriis eum offendissent. Qua ex re cum nonnisi ingens seditio oriretur, Gregorius Fr. Guillelmo commisit, qui pacem inter Imperatorem & Fæderatos componeret. Brixiæ in aula Episcopali cõuenerant Rectores Ciuitatum, cum ad eos Guillelmus venisset. Quibus cum mandata sedis Apostolicæ renunciasset, atq; multa incommoda ex bellico successu exorientia, non minus eloquenter, quam candidè commemorasset, in eam mentem suasione eos impulit, vt rem arbitrio illius permitterẽt, cõditiones pacis à Gregorio missas susciperent, & Imperatoris amicitiam deposcerent. Scribens Greg. Guillelmo, narrabat se eius litteras recepisse, & hac de re secundo Rectoribus ciuitatum scripsisse, quos ille hortaretur, vt litteras & conuentiones pacis Imperatori missas iterato scriberent, sigillis suis munirent: atq; interim inter se partitionem facerent, vt quadringentos milites, quos suis sumptib. in subsidium Terræ sanctæ, Friderico in biennium promiserant, quamprimum submitterent. Ipse vero quamprimum negotio sibi commisso finem imponeret, Romam reuerteretur, vt transactorum rationem sedi Apostolicæ exhiberet. In eodem negotio Gregor. Frider. Imperatori scripsit, significauitq; Rectores Ciuitatum Fæderatarum pacis cõditiones per sedem Apostolicam inter ipsum & illos interpositas suscepisse. Nam omnes Rectores, impulsore Guillelmo, & præsentibus in camera Episcopi Brixiensis Fr. Rugerio ordinis Prædicatorũ, Azone Archidiacono, & Lanfranco Archiepisc. pluribusque aliis, summo Pontifici perscribentes, eas conditiones à sede Apostolica interpositas sibi maximopere placuisse significauerant, & quadringentorum militum subsidia in duos annos insequentes Imperatori obtulerant, dat. litteris anno 1227. Indict. 15. die Lunæ 3. exeunte Martii. Brixiæ in camera Episcopi.

VI. CONVENTVS PRINCIPVM PER HENRICVM FILIVM FRIDERICI APVD AQVISGRANVM PRO TERRA SANCTA. *b Naucler. generat. 41.*

Fuit alia causa, cur Pontifex Gregor. Friderico Imperatori, sed aliquantum acerbè scripserit, & censuras Ecclesiasticas ostentarit. *b* Henricus filius Friderici Germanorum Rex, conuentum Principum ad Dominicam quæ vocatur Passionis apud Aquisgranum, iussu patris vocauerat, omnesque Principes & populos ad subueniendum Terræ sanctæ inuitarat. Interfuere ei Comitio pene omnes principes, Sifridus Moguntinus, Theod. Treuirensis, Henricus Coloniensis Archiepiscopi, Saliburgens. quoq; & Magdeburgens. cum Bremensi Archiepiscopi atq; vniuersi eorũ Suffraganei Episcopi, aduenere & Duces plurimi, sc. Austriæ, Bauariæ, Carinthiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Henricus Palatinus Rheni, Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ, Ferdinandus Dux Flandriæ, is qui duodecim annis Parisiis à Philippo Rege Gallorum in vinculis retentus tandem saluus euaserat.

Ex eo-

VII. FRID. AVARITIA DESCRIBITVR. *a Ioa. Villã. lib. 6. c. 15.*

Ex eorum decreto, ad preces Gregorii ingens multitudo dum conflueret, Fridericus Imperator vt speciem pietatis vindicandi cupiditati studiosæ prætẽderet, *a* Rugerium Comitẽ Celanum, & Reginaldum Auersanum, quos impensius persequebatur, vel inuitos Crucem accipere, & in Palæstinam traiicere præcepit, vt per eorum absentiã licentius in fortunas eorũ grassaretur. Vnicus erat Celano filius, q Friderici auaritię & crudelitati obsistere videbatur. Quãobrẽ & hunc in vincula coniecit, & inedia pædoreq; ergastuli nimis acerbius excruciauit. Præter hæc multa alia indigna cõtra legem diuinam & pietatem Christianam commisit: Ecclesias, viduas, pupillos, orphanos, & Romanæ Ecclesiæ in Regno Siciliæ subditos spoliauit, violauit, temerauit, atq; nouis impositis exactionibus aggrauauit. Propter hæc & alia iusto zelo inflammatus Gregor. Apostolico pectore dignas ad eum scripsit, impietatem exprobrauit, temeritatisq; & sæuitiæ redarguit, quod is in Regno Apostolicæ sedis, talia perpetrare auderet, qualia ne in suo quidem cogitare deberet. Proinde eundem monebat, vt ab his iniuriis sibi temperaret, vt Celani filium libertati restitueret, vt Celanum è Palestina reuerti iuberet, vtque omnib. quos aliqua ratione violarat, satisdaret, alioquin sciret penes Apostolicam Ecclesiam disciplinæ Catholicæ fasces esse, quas in eum, si perseueraret promptum sibi foret exercere. Dedit has literas XVI. Calend. Decemb. Laterani.

VIII. *Polydor. lib. 16.* IN GALLIA MOTVS CÕPOSITI ET ALBIGENS. SVBACTI.

In Galliis nouæ turbæ. Cum enim S. Ludouicus sub cura Blanchæ matris ab optimis præceptoribus honestissimis disciplinis erudiretur, & ipsa interim regnum administraret, factum est vt Theobaldus Campaniæ, Hugo Marchiæ Comites, & Petrus Britannorum Dux, facta coniuratione, à Ludouico defecerint. Coacto exercitu, Blãcha in Britannum mouit. Theobaldus rebus diffidens, veniam petiit & impetrauit: Hugo propositi tenax, ad Henricum Anglię Regem suum priuignum (nam Isabellam eius matrẽ duxerat) desciuit, & in Galliæ regem, per speciem recuperandi ea quæ de patre suo Ioanne Philippus tulerat, commouit. Ludouicus in vtrumque mouens, plurima Anglo cepit. Istud porro cum Gregorius intellexisset, Ludouico iniunxit, vt cum Anglo pacem vel inducias componeret, aut statueret, interim autem ne bona illius occuparet, sed occupata restitueret. Insuper omni ratione impediret, ne fratres sui filias Britanniæ Ducis & Marchię Comitis, in matrimonium assumerent: præsertim cum gradu propinquitatis excluderentur. Cæterum cum necdum Albigens. hæreticorum audacia satis repressa esset, & is præter auxilia Crucesignatorum, milite conscripto opus haberet, confirmauit ei Gregor. concessionem decimarum à Romano Legato in Concilio Bituricens. trib. Prouinciis, Rhemensi, Turonensi, & Rothomagensi impositarum: non obstante contradictione interposita à Capitulorum Prælatis. Sane teneram Regis Ludouici ætatẽ dilexisse superi videbantur, postquã eo arma in hæreticos mouente, secta Albigens. momento concidit, quæ nullis armis extingui potuerat. Raymundus enim vexatus ab Imberto Belliiocensi Regio Legato, tandem pacis conditiones eas accepit, quas Rex & Romanus S. Angeli Cardinalis Legatus præscribere voluerunt.

Lateran. 8. Id. Iun. 7. Cal. Iun. & Idib. Noue.

Papyrius li. 3. in Ludouico.

IX. LVSITANIÆ REX SANCIVS BONORVM ECCLESIÆ APPETENS. *Lateran. 3. nor Maii.*

In Lusitania, Sancius, secundus eo nomine Rex, Ecclesias, præsertim vero Portugallensem opprimebat. Erat ea ciuitas iuris Episcopalis, non tantum in re Ecclesiastica, verum etiam ciuili. Nam inter hæreditarias censebatur. Ibi Rex siue Ecclesiasticorum odio, siue rei augẽdæ studio Ciues exactionibus emungere, oneribus grauare, & tandem carceribus affligere perseuerauit: neque destitit, licet sæpe sæpius moneretur. Dolebat Gregorius hominis tum contumaciam, tum impietatẽ, ac proinde monebat, ne dignitatem suam ea indignitate contaminaret, alioquin sciret à Commissis suis Episcopo, Decano, & Cantore Zamorensi, anathemate esse plectendum.

X. IN ITALIA GREGOR. EPISCOP. REFORMAT ET SANCTIMONIALES. *Anagn. 2. Id. Iul.*

In Italia Episcopi & Archiepiscopi per id temporis negligentiores fuerant aliquantum in exercendo officio pastorali. Eos itaq; vt muneris sui admoneret Gregor. vniuersis Archiepiscopis & Episcopis Lompardiæ præcepit, vt diligentiores essent in cura pastorali administranda, & in Ecclesiasticis ouibus dirigendis, quod tanto facilius illis esse scribebat Pontifex, quanto maiora auxilia haberent à Fratribus prædicatoribus submissis ab eodem, ex quorum, aiebat, approbata religione magnus in Ecclesia Dei fructus iam prouenisse dignoscebatur. Cæterum cum Sanctimoniales Diœcesis Patauinæ, Veronensis, & Teruisinæ, non vsquequaque ex formula à sanctis Patribus præscripta viuerent, earum curam suscipiens Gregorius, Fr. Ioachimo S. Mariæ, & Fr. Iordano Prioribus, & Fr. Gandulpho Patauino ordinis Præd. commisit, vt ea trium Episcopatuum monasteria S. Benedicti monialium exempta, & Canonicas Regulares cuiuscumque ordinis vel professionis, exceptis Cistercien. & pauperum Monialium inclusarum, singulis annis vsque ad beneplacitum Apostolicæ sedis visitarent, corrigerent, informarent. Dedit hac in re litteras 2. Nonas Septemb.

XI. IN HVNGARIA RELIGIONEM PROMOVET GREG. *anno 1. epist. 94. & 139.*

In Hungaria quoque negotia fidei non neglexit Gregorius, nam sorori Regię diligentissime commisit, vt Syrmianorum Græcorum cum Ecclesia Romana vnitatem quam maxime procuraret. Strigonensi quoque Archiepiscopo potestatem fecit Comanos circumuicinos docendi, baptizandi, inungendi, atque in eorum Prouincia Ecclesias ædificandi. Nam per id temporis Fratres Prædicatores à D. Hyacintho & reliquis conditoribus eius religionis vltra montes, submissi, multam operam posuerant in conuersione eius gentis.

XII. THEVTONICI IN PRVSSIAM VOCANTVR CONTRA BARBAROS. *Cromer. li. 7* *Ann. 1. epist. 74.*

Per hoc tempus Prussis Masconiam vehementer vexantibus & vastantibus, inops consilii Conradus Dux, habito conuentu suorum, tandem Christiano Episcopo suggerente & suadente, fratres siue sodales Theutonicos, & ipsos piã contra barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professos, Roma acciuit: Chelmnensemq; seu Culmensem tractum, & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram, atque Peruantiam flumina eis tradidit: his legibus vt contra Prussos sedulò & summis viribus bellum gererẽt. Vbi verò eos domuissent, Culmensem quidem tractum redderent, cætera vero quæcunque de barbaris cepissent, arbitrio bonorum virorum ex æquo secum, seu cum suis posteris partirentur: Polonis ne quam vim aut iniuriam facerent, neue hostes eorum receptarent, aut vllo fauore prosequerentur: contra Barbaros autem, & à religione Christiana alienos, vt ipsis, cum opus fuerit, præsto essent. Si quid horum transgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratos est ex iure gentium, subiacerent: hoc est beneficia accepta remitterent. Hæc ita inter Conradum, & supra memoratos fratres Crucigeros, quorum tunc Hermannus de Salza summus Magister erat (sic illi Ducem suum appellabant) conuenere, & à Gregorio Pont. Max. approbata fuere. Multos illi tunc siue terrore armorum, siue prædicatione Fratrum Prædicatorum à S. Hyacintho submissorum, ad fidei veritatem adduxerãt, quos recens conuersos, data ad eos Epistola, in protectionem sedis Apostolicæ recepit. Cumque in eodem Poloniæ Regno, contentio inter Episcopos de prærogatiua loci exorta fuisset, Episcopo Cracouiensi primum ad dexteram Archiepiscopi Gnesnensis Gregorius assignauit. *epist. 43.*

XIII. ANGLVM ET ANGLIAM TVETVR GREGORIVS. *6. Cal. Iun. & 14. Cal. Iun.*

In Anglia Henricus Rex vehementius dolebat, sanctum Ludouicum in protectionem sedis Apostolicæ fuisse receptum. Existimabat enim sibi quicquã detractum iri, eundemque, à Gregorio armari per eam tutelam. Excusabat Gregorius, certioremq; Henricum reddebat se iusta ratione Ludouico id quicquid est beneuolentiæ præstitisse, eo quod contra Albigens. strenuam operam nauaret. Cæterum nihil illi alieni iuris ab ea protectione concessisse, vel concedere velle, quin potius diserte præcepisse, ne Angliæ iura aut bona inuaderet, vsurparet, detineret, sed ablata restitueret, & pro iniuriis satisdaret. Metuebat præterea Hẽricus, ne Roman. Cardin. Legatus, in Ludouicum propensior, quicquam grauius in eum decerneret. Quamobrem illi Gregorius per litteras tunc interdixit, ne censuras Ecclesiæ in Henricum vel Comitẽ Pictauię fratrẽ eius distringeret, nisi à sede Apostolica id in specie obtineret. Cæterum cum in Henricum Simon Langettonius Subdiaconus Apostolicus & Archiepiscopi Canthuariens. frater, multa indigna commisisset, & intercedente Legato veniam deprecatus esset, significabat Henricus Gregorio, crimen maiestatis se illi remisisse, potestatemque & bonorum & patriæ eidem fecisse, si reuerti voluisset, & per sedem Apostolicam ei licuisset. Permisit Gregorius vt rediret, ea que de re Regem per litteras admonuit.

Ibidem

XIV. ARCHIEPISC. CANTVARIENS. PER GREGORIVM CONSTITVITVR SEDE VACANTE.

Ibidem in Anglia post Stephani Cantuariensis Archiepiscopi obitum, Monachi elegerant quendam Waltherum Hamesehamum, virum ex sua societate. Cum autem ea electio Regi & Episcopis non placeret, ad sedem Apost. prouocauerunt. Itaque Waltherus electionem suam vrgens Romam profectus est: quo & Rex Alexandrum Stanisbeium Coltrensem & Henricum Stanfordium Roffen. Episc. cum Ioanne Hocosio Archidiacono Bedefordien. ablegauit, qui optioni & electioni se opponerent. Congestæ sunt igitur aduersus eum Regis & Episcoporum nomine variæ accusationes. Pont. Gregor. Cardin. quibusdã causæ cognitionem delegauit, qui de doctrina Waltheri periculum facere volentes, cum quædam illum interrogassent de Christi descensu ad inferos, de matrimonio per infidelem cõtracto, de Rachele quæ mortua diceretur filios suos elugere, ne que vlla cõsolatione leniri potuisse, deq; re Eucharistica & aliis: eam ab eo retulerunt responsionem, quæ arguebat tenuem quandam acieiunam viri in re Theologica cognitionem. Qua re ad Gregor. Pontificem relata, omnem ille eam optionẽ, Monachorumq; suffragia infirmauit & enertit: Richardumq; Linconiensis Eccles. Cancellarium, quem multi Card. probẽ norant, quemq; Legati Regis ob singularem doctrinam & pietatem magnis laudibus efferebant, Canthuarien. Ecclesiæ ex suæ auctoritatis magnitudine præfecit, qui deinde Cantuariæ per Roffensem, Londinens. sede vacante consecratus, pallium postea recepit, eoque ornatus, Rege Episcopisque præsentibus, sacra mysteria Cantuariæ obiuit.

XV. PVELLA ANGLICA SEPTENNIO NON NISI SS. EVCHARISTIA NVTRITVR.

Per id temporis in Anglia fuit puella quædam, quæ se apud Lecestriam pietatis diuinæq; meditationis ardore ita incluserat atque abdiderat, vt nunquam foras prodiret. Cui illud admirabiliter accidit, vt toto septennio, quod obitum proxime anteuerit, nihil omnino aliud gustarit, nisi Dominicis tantum diebus SS. Eucharistiam. Quod cum primum audisset Hugo Episcop. vt vanum eousq; respuebat, donec missis quibusdam eo presbyteris, qui quindecim eam dies accuratè obseruarent, rem certo didicisset, quę toto tamen eo tempore faciem habebat instar lilii candentem, rubore tamen roseo perfusam.

XVI. PÆNA FALSIS IVDICIBVS ET MALIS IRROGATA.

Tristius est quod iam referam. Est in Lindesci a superiori cænobium quod Marchbeium dicitur, opimis pecorum pascuis tam cænobio olim, quam vicinis communibus abundans. Sed cænobitæ impotenti cupiditate abrepti, tota sibi pascua vendicare conabantur, vicinosq; extrudere. Fit res tandem litigiosa Londini, & 12. viri de more patriæ selecti, qui litem finirent. Hi pro cænobio pronunciant: illi mox partem illorum agrorum aratro proscindunt: nec ita multo post duodecim illi viri, quibus gratia & lucrum veritate sanctiora fuere, sensim è vita subducti: & cum eis Alanus Horostius, qui pro cænobio hanc procurabat. Id vero ad omnium stuporem accidit, vt in ea parte agri quam aratrum recens subibat, viderentur defuncti illi, medio claroque die, & ea præsertim hora, qua sententiam illam pronunciarant, igneum quoddam aratrum ducere, nequam spiritibus eos ad opus vrgentibus, atque hoc opus facientes, multi & viderunt, & alloquuti sunt, qui nulla alia se ratione hac pœna eximi posse aiebant, nisi vicinis damnum illatum resarciretur. *MS. Vatic.*

XVII. FOVET GREGOR. ARAGONVM REGEM ET ROBERTVM.

Eodem anno Gregor. Iacobo Aragonum Regi, ne à quoquam alio, præterquam à Romano Pontifice vel Legato, anathemate damnaretur, vel à sacris aceretur, indulsit: Roberto autem Constantinopolitano Imperatori, in maximo periculo amissionis Imperii posito, vt id quicquid pecuniarum fuerat illi à Manuele Patriarcha, subsidii nomine, ad tempus concessum, posset adhuc ab Ecclesiis & Ecclesiasticis exigere concessit. Dedit litteras ea de re VII. Id. Aprill.

XVIII. SEX PRÆDICATORES MARTYRES CAPITA FERENTES.

Per id temporis inter Catholicos & hæreticos bello gliscente in Galliis, in Tolosana Prouincia sex Fratres ordinis prædicatorum ab hæreticis capite imminuti sunt, de quibus illud est memorandum, quod singuli caput abscissum manibus gestantes ad Conuentum redierint.

XIX. FLORET F. ROBALDVS PRÆDIC.

Hoc etiam tempore floruit Fr. Robaldus, quem D. Dominicus habitu sacro Bononiæ induerat. Is cum morum honestate, & miraculorum gloria eluceret, quidam irrisor hæreticus ab eo postulabat, vt sibi signum Crucis imprimeret, quo à febribus quas mentiebatur, liberaretur. Huic vir Dei respondit: Dominum rogo, vt si febribus laboras, tui misereatur: sin minus, illas sentias: ac statim febris acerrima hæreticum inflammauit.

XX. *Plautus li. 2. cap. 33. ex Humberto.* FLORENT S. PETRVS VERONENSIS, ET B. ALBERTVS MAGNVS, ET QVAM ADEPTVS SIT SCIENTIAM.

Æquales tempore, sed meritis Robaldo superiores in eadem Prædicatorum familia viuebant sanctus Petrus Veronensis, & B. Albertus Magnus Sueuus. Præclara sunt, quæ de eorum in iuuentute gestis, historiographi eius Ordinis scripserunt, & de Alberto quidem, quod is sextodecimo ætatis anno in eum Ordinem ingressus, cum in litteris pene nihil proficeret, eo quod ingenio ac memoria esset tardiore, tanto affici cæpit tædio, vt etiam de religiosa vita deserenda tentaretur. In fluctuatione dum hæreret, visum est ei nocte quadam, cum scalis ad monasterii muros admotis abitum pararet, apparere matronas quatuor venerabili admodum vultu, quarum vna, deinde altera semel iam atque iterum scandentem manu impulsum deturbaret, cum autem certio idem conaretur, interrogatum esse à tertia, quidnam ageret, & qua de causa, qua exposita, monuisse illam, vt opem potius à quarta matrona, quæ Dei mater cœlique Regina esset, exposceret: se vero cum reliquis deprecatione adiuturam. Paruit ille, & benigne acceptus à Virgine, insuper etiam interrogatus est, vtra in scientia excellere mallet, Diuina an naturali. Tum adolescens, qui pro ætate nihil aliud altius gustasset, cum Philosophiam dixisset: Fiat, inquit illa, quod petisti. Sed tamen quia scientiam hanc filii mei scientiæ prætulisti, extrema vita omnem perdes doctrinam, & in hanc ipsam, quam nunc exues, hebetudinem reincides. Nec mora, viso dilapso, statim se mutatum sensit: quicquid audiret, quicquid legeret, facilime capiebat: aut si quid paulo difficilius incidisset, cum se ad virginem deprecandam, quasi promissum efflagitans, conuertisset, illico consequebatur. Quare cum tantus talisq; vir euasisset, & postea multos annos tum docendo tum scribendo consumpsisset, denique triennio antequam è vita migraret, dum publice è cathedra aliquid interpretaretur, repente omnem sibi memoriam rerum omnium quas tenebat funditus excidisse sensit. Tum ille coram omnibus, qui astabant, quid sibi adolescenti accidisset enarrauit, ac professus si quid postea sibi eueniret, se fidei articulos ex animo amplecti, inq; eorum confessione emori velle, descendit è suggestu, & vitæ reliquum magna in simplicitate egit, nullum religiosi officium prætermittens.

XXI. DE S. PETRO MAGIS MIRABILE EST. *Flamin. in vita.*

Magis admirandum, quod accidit Petro Veronensi. Agebat ille tyrocinium Bononiæ magna puritate, innocentia atque sanctitate. Istud cum hostis generis humani non ferret, occasionem sumpsit, atq; aliquibus dedit eum denigrandi, adeoque affligendi ex hac quam narrabo occasione. Aliquando in cubiculo oranti, tres virgines cælitus delapsæ illi apparuêre, & sermonem tam soni è cum eo habuêre, vt aliqui transeuntium audierint, & subintroductas impudentes esse Archicænobitæ detulerint. Deceptus is, rẽ ad Patres à consiliis retulit, Petrum criminis reum fecit, redarguit, & procul à cænobio exulare iussit. Ibi Petrus grauiter suffusus nec fassus est, nec negauit, sed se peccasse, & veniam petere pronunciauit. Ad monasterium Esinum relegatus, dum suum dedecus animo agitaret, & nocte quadam in Ecclesia ante Christi in Cruce pendentis effigiem de hac quereretur, ac diceret: Quare Domine Iesu permisisti, vt tanta ignominia seruus tuus innocens afficeretur? imago Crucifixi facta vocalis respondit voce clarissima: *Et ego quid feci, vt tot, ac tantis onerarer opprobriis, & morte turpissima condemnarer? Ex me Petre (si nescis) disce opprobria & ignominiam patienter ferre.* Ab hac voce lætabatur, quia dignus esset Christo in passionibus consociari, & aliquid iniuriæ propter cælitum amorem supportare. Erat Petro exinde mortificationis sui ipsius incredibile studium, cui quod carnis macerationem summopere conducere videbat, eam ieiuniis, vigiliis, orationum frequẽtia, verberibus, cilicio, lecti duritie edomabat. Tam asper in se porro ac rigidus fuit, vt breui tempore ex intoleranda austeritate vitæ in difficillimam inciderit ægritudinem: ex qua contractis neruis sic illi dentes obstricti sunt, vt nõnisi per vim aperiri ac nonnisi liquidum aliquid ad eum refocillandum porerat infundi. Sanitati restitutus, vix modicum ex illo rigore remiserat: vnde illi tanta mentis & corporis integritas, vt labe nulla

mortifera vnquam fuerit contaminatus. Hoc autem affirmarunt omnes qui exomologesim illius audiêre, viri graues, fide, religione, ac vitæ integritate conspicui, quod eam vitæ innocentiam quam ab vtero materno extulerat adusque extremum exitum conseruarit. Inter hæc mira in eo lenitas, mansuetudo, charitas Dei & proximi, humilitas tam demissa vt vilissima quæque in monasterio obiret officia, atque ægrotantibus præcipue inseruiret. Studiorum porro tanta assiduitas, vt numquam fere ex manibus librum dimitteret, per eas virtutes sese excolebat, tam impense, vt tam magnus quam fuit hæreticorum expugnator euaserit.

XXII.

Hoc anno Londini in Anglia pro reformatione morum celebratum est concilium eius Regni Episcoporum.

XXIII. COMES DE LIPPIA CÕIVGE MORTVA FIT EPISCOPVS, ET DVO FILII.

Floruit hoc etiam anno, Bernardus Comes de Lippia, qui relicto sæculo, primum Abbas, deinde Episcopus Lealhensis, duos filios quos ex iusto matrimonio susceperat, alterum Ottonem Episcopum Vltraiectinum, alterum Gerhardum Archiepisc. Bremensem vidit, cumq; duobus filiis Episcopalia munia egit. Quo etiam tempore S. Odulphus presbyter & prædicator in his locis insignis, & S. Plecheimus, innocentia vitæ claruerunt. *Annal. Episc. Vltraiectin.*

XXIV. SEPTEM FRANCISCANI IN MAVRITANIA MARTYRIO CORONATI SVNT.

Apud Septam Mauritaniæ, eodem tempore Daniel Ord. Minor. Calabriæ Minister, cum sex fratribus Monasterii Castriuillarensis, Samuele, Angelo, Domnoso, Leone, Nicolao & Hugolino, propter fidem Christi martyrio occidêre. Hi voluntate superiorum suorum ad eam prouinciam profecti, cum Mahometanis Euangelium prædicandum suscepissent, Sacramentali confessione expiati, sacraque communione refecti, ablutis mutuo pedibus vrbem ingressi, Christum annunciantes, & sectam Mahometis detestantes peruenerant. Ibi capti, & ad Regem perducti, cum Euangelium prædicare non cessarent, dicerentq; eos solos qui in Christum crederent saluandos fore: iussu Regis quasi amentes ex vestium vilitate habiti, in carcerem coniecti, & octauo post die ante Regis conspectum producti, cum neque promissis, neque minis, quæ aduersus Mahometicam stultitiam dixerant, retractare vellent, nedum Christo renunciare: sed obfirmato animo à solo Christo salutem animarum pendere, Mahometem vero cum omnibus suis sectatoribus damnatum asserrent, capitis damnati, gaudentes ac fortiter dato capite, ad palmam martyrii euolauerunt. *Ex Chron. Minor.*

XXV. LVDOVICVS LANDGRAVIVS THVRINGIÆ S. ELISABETHÆ MARITVS VENENO TOLLITVR. PARENTIS LVDOVICI IMPIETAS ET MEDICI EIVS PRVDENTIA.

Hoc eodem anno in humanis esse desiit Lantgrauius, D. Elisabethæ coniunx (vt fama ferebat) veneno à Friderico Imperatore extinctus. Non illibet narrare modum: Quo eius pater Ludouicus, & specie atheismi, ad superorum cultum & curam reuocatus est, quibusve pœnis postea in inferno addictus.

Is cum esset prædo & oppressor Ecclesiarum multas sibi earum possessiones vsurpans, multisque iniuriis Ecclesiasticas personas afficiens, frequẽtius à viris religiosis corripiebatur, & tum inferorum suppliciis propositis à flagitiis deterrebatur, tum æternæ vitæ deliciis ad amorem iustitiæ inuitabatur. Ridebat atque contemnebat ille monitores: istud solemne perditorum, sæpius inculcans. Si, inquit, prædestinatus sum; nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre. Si præscitus: nulla bona mihi illud valebunt conferre. Addebat & illud ad suam excusationem: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Cumque aliqui pii viri hortarentur, vt animæ suæ parceret: ne Deus procacitate eius prouocatus, illum in peccatis occideret; aiebat: Cum veniet dies mortis meæ, moriar: non illum potero bene viuendo extendere, neq; male viuendo præuenire. Hæc & alia cum blasphemaret, voluit illum DEVS, pro benignitate immensa ad mentem reuocare. Itaque graui ægritudine hominem percussit, vt vel hoc flagro correptus, sapere inciperet. Lecto affixus, medicum vocauit, qui medelam febrienti adhiberet. Adfuit doctus quidam, non tantum corporis, sed animorum curandi gnarus; qui vt Ludouicum ex eius verbis persanaret, Deique metum ei incuteret, his eum allocutus est: Domine; si tibi aduenit mortis hora; non te poterit cura mea liberare. Si vero nondum adest; superflua fuerit medicatio mea. Ibi Ludouicus stomachari, & medicinam in remedium creatam asserere, seque proculdubio emori posse, si illam contemneret. Exinde medicus occasione sumpta, si, inquit, confidis, vitam tuam posse prorogari, à medicina desumpta: ecquid non credis, opera pœnitentiæ, & iustitiæ, quæ antidota sunt animæ, posse tibi conciliare vitam æternam? Dixit medicus; Ludouicus autem ab errore mentis reuocatus fuit: Sane feliciorfuturus, si ea quæ credere incœpisset, vel timore sancto metuisset, vel amore diuino ambiuisset. Non enim impleuit factis, quæ verbis promiserat: sed grauissimis sceleribus obrutus, peior indies euaserat, quousque diuino iudicio æternis suppliciis damnaretur. Aliquis ex clero secundum visionem aspexit, Principem dæmoniorum super puteum inferni sedentem, scyphoq; prolato Landgrauium mortuum his verbis compellantem: *Benè veniat dilectus amicus noster, ostendite illi triclinia nostra, apothecas nostras, cellaria nostra. Sicque eum isthuc reducite.* Eodem porrò adducto, & in locum pœnarum detracto, iterum allocutus est: *Bibe amice de scypho meo:* Cumque is reluctaretur, neque vellet gustare, coactus tandem bibit, atque mox flamma sulphurea de oculis naribusque eius erupit. *Cæsarius de conuersione lib. 1. c. 27.*

XXVI. OMEN CONSEQVENDI PONTIFICATVS GREGOR. IX. PRÆDICTVM.

Eodem tempore quo Gregorius IX. Cardinalis adhuc, vna cum D. Francisco in eremum Camaldulensium se cesserat, Leonardus eremita, super eius caput in consecratione corporis & sanguinis Christi, columbã de cœlo descendere ac requiescere vidit; & explero Missæ sacrificio, ad eius pedes prouolutus, ipsum breui ad pontificatum vniuersalis Ecclesiæ ascensurum prænunciauit. *Augustin. Florentin. Hist. Camaldul. l. 2. c. 33.*

IESV CHRISTI
Annus 1228.

GREGORII PAP. IX. Annus 2. FRIDERICI II. Imp. 9.

I. S. FRANCISCVS CATALOGO SS. INSERITVR AB GREGORIO IX.

QVatuordecimo Calend. August. Gregorius Pontifex Perusii agens, Diuum Franciscum Ord. Fratrum Minorum Conditorem, Catalogo SS. ascripsit, eiusq; festum ad 4. Non. Octobr. instituit. Hæc est formula, ex qua illum esse Sanctum decreuit.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei patris & filii & spiritus Sancti, & gloriosæ virginis Mariæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & ad honorem Ecclesiæ Romanæ, beatissimum Patrem Franciscum, quem Dominus glorificauit in cœlis, venerantes in terris, de consilio Fratrum nostrorum & aliorum Prælatorum, in Catalogum Sanctorum decreuimus annotandum, & festum in die obitus sui celebrari. Diuus Bonauentura narrabat, Gregorium Pontificem ad Sancti canonizationem & si multitudine miraculorum, quæ Diui Francisci obitum secuta sunt, maxime tamen visione quadam sibi diuinitus oblata impulsum fuisse: Cum enim nonnihil hæsitaret, de vulneratione lateris, an illud S. Francisco ad eum modum quo Christo infixum esset, nocte quadam (sicut ipse felix Antistes cum lachrymis referebat) beatus ei Franciscus quadam faciei prætensa dutitie in somnis apparuit, & hæsitationem cordis ipsius redarguens eleuauit brachium dexterum, detexit vulnus, phialamque ab eo popposcit, vt scaturientem reciperet sanguinem qui ex latere defluebat. Obtulit in visione Summus Pontifex phialam postulatam, quæ vsque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex eo tempore erga sanctum propensior, illum inter sanctos Cœlites Ecclesiæ renunciauit.

† Istud diploma, quod adiungere visum, pro apotheosi S. Francisci, vulgauit Pontifex.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ETC.

Edita A.D. 1228.

MIRA CIRCA *nos diuinæ pietatis dignatio & inæstimabilis dilectio charitatis, qua filium pro seruo tradidit redimendo, do-*

na ſuæ miſerationis non deſerens, & vineam dextera eius plantatam continua protectione conſeruans, in illam qui ſalubriter ipſam excolant euellentes ſarculo ac vomere quo Samgar ſexcentos Philiſtæos percuſſit, ſpinas & tribulos ex eadem operarios etiam in vndecima hora tranſmittit vt ſuperfluitate palmitum reſecata & vitalaminibus ſpurtis radices altas non dantibus nec non ſentibus extirpatis fructum ſuauem offerat, & incundum, qui prælo patientiæ defecatus in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profecto velut igni ſuccenſa & frigeſcente charitate multorum in eiuſdem maceriam diruendam, irruentibus Philiſtæis potrone terrena cadentibus voluptatis.

Ecce in hora vndecima Dominus qui cum diluuii aqua terram deleret, iuſtum per lignum contemptibile gubernauit, ſuper ſortem iuſtorum virgam peccantium non relinquens, excitauit ſeruum ſuum Beatum Franciſcum virum vtique ſecundum cor ſuum, apud cogitationes diuitum lampadem quidem contemptam, ſed paratam ad tempus ſtatutum, illam in vineam ſuam mittens, vt ex ipſa ſpinas & vepres euelleret, proſtratis illam impugnantibus Philiſtæis illuminando patriam & reconciliari Deo exhortatione ſedula commonendo.

Qui audita interius voce inuitantis amici, impiger ſurgens mundi vincula blandientis quaſi alter Samſon, gratia diuina præuentus, dirupit, & ſpiritu feruoris concepto aſinique erepta mandibula, prædicatione ſiquidem ſimplici, nullis verborum perſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornata, ſed tamen Dei virtute potenti qui infirma mundi eligit vt fortia quæcunque confundat, non tantum mille, ſed multa millia Philiſtinorum, eo qui tangit montes & fumigant facienteproſtrauit, & in ſpiritus ſeruitutem redegit, carnis illecebris antea ſeruientes. Quibus vitiis mortuis & Deo viuentibus, iam non ipſis quorum pars peſtima periit, exmandibula ipſa egreſſa copioſa eſt aqua reficiens, abluens, & fœcundans lapſos, ſordidos & arentes, quæ in vitam æternam ſaliens abſque argento & commutatione aliqua poteſt emi, cuius riuuli longe lateque diffuſi, vineam irrigant vſque ad mare palmites & vſque ad flumen propagines extendentem.

Hic denique Patris noſtri Abrahæ imitatus veſtigia, mente de terra & cognatione ſua nec non domo patris eius egrediens, iturus in terram quam ſibi DOMINVS *diuina inſpiratione monſtrarat vt expeditus curreret ad bravium vocationis cœleſtis & per anguſtam portam poſſet facilius introire, ſarcinam terrenæ ſubſtantiæ depoſuit, ſe illiconformans, quicum diues eſſet pro nobis factus eſt pauper, eamque diſperſit dedit pauperibus, vt ſic eius iuſtitia in ſeculum ſeculi permaneret. Et in terram viſionis accedens ſuper vnum ſibi monitum demonſtratum, videlicet excellentiam fidei, carnem ſuam quaſi filiam vnigenitam, quæ ipſum interdum deceperat, cum Iepte* DOMINO *in holocauſtum obtulit, igne ſuppoſito charitatis, illam fame, ſiti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis & ieiuniis macerando. qua cum vitiis & concupiſcentiis crucifixa, dicere poterat cum Apoſtolo: Viuo ego, iam non ego, vivit autem in me* CHRISTVS: *quoniam iam non ſibi vixerat, ſed* CHRISTO *potius, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, vt nullatenus peccato vlterius ſeruiamus. Vitia quoque ſupplantans, & contra mundum, carnem & poteſtates aerias luctamen aſſumens viriliter, vxore, villa, bobus, à cœna magna retrahentibus inuitatos penitus abdicatis cum Iacob Domino Iubente ſurrexit, & gratia ſpiritus ſeptiformis accepta, octoque ſibi aſſiſtentibus Beatitudinibus Euangelicis, Bethel. domum Dei, quam ſe ipſum præparauit eidem per quindecim gradus virtutum, qui myſtice in pſalterio commentur, aſcendit: Et ibidem altare cordis Domino conſtruens, aromata deuotarum orationum obtulit ſuper eo, per manus Angelicas in conſpectu Domini deferenda, concinis Angelicus mox futuris.*

Ne vero ſibi ſoli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, ſed ſterili, ad Liæ interdictum deſcendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deferri pro vitæpaſcuis perquirendis, vt illic vbi mannæ cœleſtis dulcedinis reficit à ſæcularium ſtrepitu ſegregatos, cum lachrymarum effuſione ſemina ſua mittens, cum exultatione manipulos, ad æternitatis horreæ reportaret cum populi ſui principibus collocandus corona iuſtitiæ coronatus. Quimirum non quæ ſua ſunt quærens, ſed potius, quæ ſunt Chriſti, & eidem velut apis argumentoſa deſeruiens, nec non quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, ac quaſi luna plena in diebus ſuis, & ſicut ſol in Eccleſia Dei fulgens, lampadem & tubam in manus aſſumpſit, vt lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, & proteruos à noxiis retraheret exceſſibus, dura increpatione terrendo. Acſi virtute charitatis, aſſultus, in caſtra Madianitarum Eccleſiæ iudicium declinantium per contemptum, euiuante, qui dum virginali vtero claueretur, mundum ſuo circuibat imperio vniuerſum. intrepidus irruit, & abſtulit arma in quibus confidebat fortis armatus, atrium ſuum cuſtodiens, & diſtribuit ſpolia qua tenebat eiuſque captiuitatem captiuam reduxit in obſequium Ieſu Chriſti.

Hoſte itaque triplici in terra potius ſuperato Regno cœlorum vim intulit & illud rapuit violenter, & poſt huius vitæ quam pluragloriose certamina mundum triumphans, fœliciter migrauit ad Dominum, multos præueniens ſcientia prædtos ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

Sanè licet eius vita tam ſancta, tam ſtrenua & præclara ſibi ſufficeret ad obtinendum conſortium Eccleſiæ triumphantis, quia tamen militans, quæ ſolummodo videt in facie, non præſumit de his, qui de ſuo foro non ſunt auctoritate propria iudicare vt illos pro vita tantum venerandos aſſumat, præſertim quia nonnunquam Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformat, omnipotens & miſericors DEVS, *de cuius munere venit, quod prædictus famulus Chriſti digne ſibi & laudabiliter deſeruiuit tantam lucernam abſconſam ſub modio remanere non patiens, ſed eam volens ſuper candelabrum collocari, his qui ſunt in domo luminis ſolatium præbituram, vitam eius ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia venerandam, multis & præclaris miraculis declarauit.*

Cum igitur glorioſæ vitæ ipſius inſignia ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio conſtitutis plene cognita nobis eſſent, & de miraculorum coruſcatione multiplici per teſtes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei miſericordiam, nos & gregem nobis commiſſum, eius ſuffragiis adiuuari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cœlis habito fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ipſum adſcribi decreuimus ſanctorum catalogo venerandum.

Statuentes vt 4. Nonas Octob. die videlicet quo à carnis ergaſtulo abſolutus ad æthereæ regna peruenit, ab vniuerſali Eccleſia, natalitia eius deuote ac ſolenniter celebrentur.

Quocirca vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus de prædicto in commemoratione ipſius, diuinis laudibus alacriter inſiſtentes, eiuſdem patrocinia humiliter imploretis, vt ipſius intercedentibus meritis, ad eius mereamini conſortium peruenire: illo præſtante qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen. Datum Peruſii XIV. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

II. FRIDERICVS II. EXCOMMVNICATVR ET IN SYRIAM NAVIGAT.

Hoc anno Gregorius Pontifex, nihil non egit, vt Fridericum Imperatorem, Diuina atque humana iura violantem, ad officium reuocaret. Is enim & iurisiurandi, & maieſtatis dignitatiſque ſuæ oblitus in ſubſidium Chriſtianorum in Palæſtina à Saracenis oppreſſorum, nec ipſe transfretare, nec milites expenſis ſuis ſubmittere, neque pecuniam quam eo nomine à ſubditis & ab Eccleſiis extorſerat numerare aut tranſmittere voluit, deinde Hoſpitalariorum & Templariorum in Regno Siciliæ & Neapolitano poſſeſſiones occupauit: deinde Conradum quemdam militum Præfectum, qui vallem Spoletanam infeſtaret deſtinauit, & Raynaldo cuidam, quem Regni Siciliæ adminiſtratorem conſtituerat, vt Pontificem Eccleſiaſticoſque quibuſcumque modis opprimere poſſet, impetrauit: & is accepta poteſtate Domino ſatisfacturus, Peruſiam perrentauit; Marchiam Anconitanam, Montemulmi, & Maceratam armis occupauit: ipſe demum Fridericus Tarentinum Epiſcopum Sede ſua excluſit, & bona Eccleſiæ illius vſurpauit: pacis conditiones inter Comitem Celani & Raymundum Auerſanum, atque Imperatorem ſequeſtro & arbitro Romano Pontifice ſtabilitas & pro Friderico toties periuro Comitibus à Sede Apoſtolica ſtipulatas violauit, Comitatus, caſtra & ciuitates Rogerio eripuit, neq; filium eius ex vinculis eliberare voluit: Eccleſias Siciliæ, Apuliæ & Neapolitanas intolerandis exactionibus & oppreſſit, & exhauſit; viduas, pupillos, orphanos, populumque vniuerſum vectigalibus nouis & inſolentibus impoſitis & emunxit & grauauit: aulæ ſuæ ſanctam integritatem, atque thori puritatem libidinibus effuſis contaminauit: aliaque multa dignitate Imperatoria indigna perpetrauit. Non ferendam ſibi amplius putauit Gregorius, in Imperatore adeo turpem vitæ licentiam, & in adminiſtrandis Prouinciis, opprimendaque Eccleſia tyrannidem. Quamobrem miſſis ad eum Thomã Capuano tituli S. Sabinæ presbytero, & Ottone Candido Marchione Montiferratenſi tituli Nicolai in carcere Tu-

liano dia cono, Cardinalibus Legatis, eum admonit vt iura Eccleſiæ ſibi non vendicaret, liberas prælatorum electiones relinqueret, quæ Romanæ Eccleſiæ eripuerat reſtitueret, clericos indebitis vectigalibus non grauaret, cenſum Sedi Apoſtolicæ debitum penderet, famam ſuam periuriis, rapinis, ſæuitia, tyrannide, libidinatione & alijs ſcelerib. non polluereret, & ſub anathematis pœna in Syriam cum exercitu recuperandorum Hieroſolymorum cauſa quamprimum traijceret. Quod ſi contemneret, in primis à numine ſeueriorem vindictam, à Sede autem Apoſtolica cenſuras Eccleſiaſticas metueret. Contempſit Fridericus, nec quicquam mandata Pontificia penſi duxit. Quamobrem is ex ſententia Sanctioris Senatus, die Cœnæ Dominicæ anathema in eum ſtrinxit: & in omnibus locis ad quæ diuerteret, ſacris interdixit, inſuper aperte pronunciauit, quod ſi temerario auſu claues Eccleſiæ conculcaret, & diuinis officiis ſe præfracte ingereret, contra eum tanquam hæreticum & clauium Eccleſiaſticarum contemptorem grauius animaduerteret: Si vero in anathematis vinculo obduraret, omnes Imperij & Regnorũ illius ſubditos à Sacramento fidelitatis exſolueret, poteſtatemq; electoribus faceret, alium ad Imperij & Regnorum dignitatem euehendi. Pronunciata in eum excommunicationis cenſura, Regib. Galliæ, Angliæ, Hiſpaniarum, Portugaliæ, & omnibus Septentrionalibus ſcripſit Greg. vt eos ad ſubſidium, tum Terræ Sanctæ tum Eccl. Rom. (nam Feider. militem Crucefignatum contra Pontificem reducebat, Petrumq; Fregepanem & reliquos Principum Romanorum contra eumdem concitabat) euocaret. Dedit eas literas Romæ apud S. Petrum VII. Idus April. Interim tamen duos ex religioſis Ordinis FF. Minorum ad Fredericum Non. Maij, miſit, qui audaciam eius frangerent, & ad pacem hortarentur, qui cum nihil proficerent, N. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Lombardiam ad comparanda contra eum auxilia deſtinauit. Opportune tunc Ioannes Hieroſolymorum Rex cum Berengaria vxore, atque exercitu non contemnendo Bononiam aduenerat, & ciuitates confœderatæ militum numerũ non paruum Gregorio ſubmiſerant. Quorum multitudinem, magis vero diras in ſe prolatas metuens, amicorum etiam precib. & minis Pontificis feſſus, in Syriam traiecit, & menſe Auguſto Aconem copias expoſuit: Nunciosque ad Romanum Pontificem miſit, qui omnia nomine ſuo pollicerentur, vt beneficium abſolutionis ei impetrarent: cum tamen interea filius quondam Ducis Spoletani Rainaldus Siciliæ præfectus, nec quicquam obſiſtente Ioanne Brenno, Eccleſiam infeſtis armis incommodaret, ſciente atque volente, adeoq; iubente Friderico.

op. 6. & 10'

Nauel. Gen. 4.

III. IN GALLIA ALBIGENSES CVM TOLOSANO TVM CONVERTVNTVR, TVM EXTINGVNTVR ET PAX CONSTITVITVR. *epiſt. 48. 49. 50. 51. Comp. hiſtoric. belli adu. Albig. Ioan. Dutel. let. M. S in bibliot. Vatic. & Papyr. Maſſon. in D. Ludouic.*

Gallia adhuc ab Albigenſib. hæreticis trepidabat, quamquam Blancha Regina vna cum Comite Montfortio & reliquis Cruceſignatis, inter quos & Ludouicus adoleſcens Rex militiæ aſſueſcebat, ingentem vim armorum oppoſuiſſent. Huic autem bello vt aliquando finis imponeretur, & blaſphema hæreſis quandoque reprimeretur, GREGORIVS Pontifex Romanum Cardinalem ex Angliæ rerentem ſecundo Legatum in Gallias pacis componendæ, hæreſiſq; extirpandæ cauſa miſit, Regi, Reginæ & Principibus Galliarum Eccleſiaſticis & ſecularibus, tum negotia fidei, tum Montisfortii merita commendauit. Tandem hoc anno menſe Aprili finẽ accepit bellũ Albingenſe Raymundo Comite Toloſano à Rege Galliarum victo, & pacem petere coacto. Pariſios venire compulſus, præſente Romano tit. S. Angeli Diacono Cardinali Gregorij Pontificis Legato hæreſim quam tuebatur eiurauit, tum deinde ſpopondit ſe in poſterum in poteſtate Romanæ Sedis fore, hæreticos eijcere, neq; defendere Ioannam filiam nuptui Regiorum alicui fratri dare. Theologis quatuor, Iuriſconſultis duobus, ſex artium liberalium profeſſoribus. & Grammaticis duobus Toloſæ docentibus annuum ſtipendium numerare, & Cruce aſſumpta totis quinq; annis contra Saracenos & alios Fidei & Eccleſiæ hoſtes, propriis expenſis militare, hæc Lutetiæ pactis ad altare maximum in linea tunica à Legato Romani Pontificis anathematis religione exolutus eſt.

IV. PACIS CONDITIONES NES CVM RAYMVNDO TOLOSANO COMITE INITÆ DESCRIBVNTVR.

Conditiones pacis initę ſunt à Raymundo Comite, cum Rege & Legato Pariſiis menſe Aprili 1228. quibus dictus Comes abſolutus eſt & reuerſus ad vnionem Eccleſ. Rom. Promiſit ſe adhæſurum, & permanſurum vſq; ad mortem in obedientia ipſius, & Regis, ac ſucceſſorum. Se aduerſus hæreticos, eorumque fautores, & ſequaces, bellum geſturum, nec parciturum proprijs conſanguineis & ſubditis. Extirpaturũ hæreſim ex omni ſua ditione, & ſuppetias allaturum ad expurgandam quoque Regis ditionem. Facturum & procuraturum fieri per ſuos officiales abſque vlla mora debitam iuſtitiam de hæreticis manifeſtis. Inquiſiturum, ac diligentiam adhibiturum, vt eos reperiret, eorum que ſequaces & fautores & receptatores, prout legatus ſtatueret. Atque quo facilius ipſi reperirentur, promiſit ſe ſoluturum ſpatio duorum annorum proximorum, duas Marchas argenti, & deinceps in perpetuum vnam Marcham, illi qui aliquem caperet de hæreſi conuictum per Epiſcopum loci, aut alium poteſtatem habentem. Quod ſi plures caperet, totidem pro ſingulis ſe ſoluturum. Quantum ad hæreticos non manifeſtos, eorumq; ſequaces, receptatores, aut fautores, obſeruaturum & curaturum obſeruari, quicquid per dictum legatum, aut Eccl. Rom. ſtatueretur. Præterea conſeruaturum & curaturum obſeruari pacem in terris quas ipſe & ſui occuparent, & opem laturum ad eam quoq; conſeruandam in Terris Regis ditioni ſubiectis. Deiecturum & expulſurum raptarios & violatores dictæ pacis, & debite puniturum eorum receptatores. Defenſurum, & curaturum à ſuis defendi Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, earum iura, libertates, & immunitates conſeruaturum, & iuraturum conſeruare: atque vt deinceps in ipſa terra claues Eccleſiæ non ſpernerentur, obſeruaturum à ſuis & per ſuos obſeruari ſententiam excommunicationum. Se non conueſaturum, nec permiſſurum quenquam conuerſari cum excommunicatis, prout per ſanctos Canones prohibitum eſt. Si aliqui per annum integrum obſtinato animo in excommunicatione permanerent, ex tunc dictum Comitem Raymundum eos coacturum de Eccleſiaſtico mandato reuerti ad ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ, priuationo bonorum tam mobilium quam immobilium, quæ penes ſe retineret, donec plene ſatisfeciſſent de eo propter quod fuiſſent excommunicati, & de damnis quæ in curriſſent occaſione dictæ excommunicationis, & curaturum vt omnes ſui Balliui inſtituri & inſtituẽdi, in ipſo officii ingreſſu iurarent ſe fideliter ſeruaturos omnia ſupradicta, ita vt ſi in his negligentes comperirentur, puniturum ſecundum qualitatem delicti; & qui culpæ conſcij eſſent, eorum bona fiſco adiicerentur. Dictum Comitem inſtituturum Balliuos in ſua Terra, qui Catholici eſſent, non Iudæi, nec vlla hæreſeos ſuſpicione notati, qui recipi non poſſent, ad emendum redditus Ciuitatum, Villarum, Caſtellorum, vel vectigalium. Quod ſi forte fortuna quiſpiam alius per ignorantiam inſtitutus fuiſſet, eum ſe expulſurum, & puniturum quando ad eius notitiam veniſſet. Ex tunc reſtituturum & curaturum à ſuis reſtitui per totam regionem quam ipſe & ſui occuparent, omnia bona immobilia, & iura Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, videlicet ea quæ Eccleſiaſtici tenebant, occupabant, fruebantur ante primum aduentum Cruceſignatorum, aut quibus cognoſceretur eos ab aliis ſpoliatos fuiſſe. Staturum iuri coram iudicibus ordinariis dicto Legato, aut ab ipſo vel ſede Apoſtolica delegatis. Soluturum & curaturum à ſuis ſolui in poſterum bona fide omnes decimas, neq; milites, aut laicos alios, eas percepturos in his terris quas tunc poſſiderent, vel poſtea eſſent poſſeſſuri, ſed omnino reuerſuras ad dictas Eccleſias, prout diſponet dictus Legarus, aut Eccleſia Romana per ſe & ſuos facta dictis Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, in eorum bonis mobilibus, domorum, oppidorum, aut aliarum rerum deſtructione, quam reſtitutione immobilium prout dictum eſt facienda. Dictum Comitem ſoluturum decies mille Marchas argẽti, quæ in manibus fidelium, & idonearum perſonarum deponerentur à dicto legato; vel Eccleſia Romana eligendarum, & conſilio prudentium hominum diſtributurum dictam ſummam bona fide, & ſecundum proportionem diſtorũ damnorum, ita vt dictus Comes aut ſui non poſſint in ius vocari vel inquiri vltra dictam ſummam, pro ipſis damnis

mobilium, vel deuastatione domorum aut vrbium, vt supra expressum est. Præterea soluturum Abbatiæ Cisterciensibis mille Marchas argenti, destinatas emptioni redditus pro refectione Abbatum, & Religiosorum, aut Capituli Generalis. Abbatiæ Clareuallensi quingentas Marchas argenti, destinatas emptioni redditus pro refectione Abbatum, & Monachorum congregatorum in festo Natiuitatis Beatæ Virginis. Abbatiæ Grandisiliuæ mille Marchas. Abbatiæ Bellæperticæ trecentas Marchas. Abbatiæ de Gandelino ducentas Marchas, pro reparationibus dictorum Monasteriorum damnorum ipsis factorum in eorum bonis mobilibus, & pro salute animæ dicti Comitis Raymundi. Qui præterea solueret sexies mille Marchas, destinatas munitioni, fortificationi, & custodiæ Castelli Narbonæ, & aliorum quæ dictus Rex retineret per spatium decem annorum pro sua securitate, & Ecclesiæ prout illi expedire videretur. Soluendæ supradictæ vicies mille Marchæ, intra quatuor annos proxime sequentes, videlicet quinquies mille quoquo anno. Assignarentur præterea per dictum Comitem quater mille Marchæ quatuor Doctoribus in Theologia, duobus in Decretis, sex Magistris Artium liberalium, & duobus Grammaticis, regentibus omnibus in Vniuersitate Tolosæ, & distribuerentur dictæ quatuor mille Marchæ, videlicet cuilibet Doctori in Theologia quinquaginta, cuilibet Doctori in Decretis triginta, cuilibet Magistro in Artibus viginti, cuilibet Grammatico decem, quolibet anno vsque ad decennium. Statim consecuta absolutione sumeret dictus Comes Crucem de manu dicti Legati contra Saracenos pro pœnitentia, ipsemet professionem vltramarinam susciperet proxima expeditione facienda post annum, inchoandam à mense Augusto, illic per quinque annos integros, & continuos moraturus. Non grauaret eos qui steterint à partibus Ecclesiæ dicti Regis, & eius patris, item que Comitis Montfortii, eosque qui ipsi adhæsissent: Verum benigne amicorum more tractaret, ac si nunquam sibi fuissent contrarii, exceptis hæreticis, & qui eis crederent. Idem faceret Ecclesia & Rex his qui aduersum se dicto Comiti Raymundo adhæsissent, & qui cum ipso venirent ad pacem Ecclesiæ & Regis. Qui quidem Rex considerans humiliatem Comitis, sperans ipsum firmiter perseueraturum in deuotione Ecclesiæ, & fide dicto Regi præstita volens illi speciale gratiam impertiri, ex dispensatione Ecclesiastica filiam dicti Comitis vni ex suis fratribus in Coniugem daret, qui Comes teneretur eam tradere dicto Regi. Ex altera autem parte relinqueretur dicto Comiti quicquid est intra Diœcesim Tolosanam, excepta Terra Mareschalli nuncupata, eiusque dominio, quod ad Regem pertineret post mortem dicti Comitis, Ciuitas & quicquid est in Diœcesi dictæ Tolosæ pertineret ad fratrem dicti Regis, qui dictam filiam in vxorem duxisset, & liberis qui ex isto matrimonio nascerentur. Quod si dictus frater Regis absque liberis ex dicto matrimonio susceptis decederet (quod Deus auertat) dicta Ciuitas, & quicquid est in dicta Diœcesi Tolosana, reuerteretur ad dictum Regem eiusque successores, ita vt dicta filia; aut alii filii, filiæ, vel hæredes dicti Comitis, nullum ius in supradictis possent prætendere. Quod si dicta filia decederet sine liberis ex dicto Regis fratre procreatis, ipsa Vrbs, & quicquid est in dicta Diœcesi Tolosana, reuerterentur ad Regem, eiusque successores, ita vt quocunque casu adueniente post mortem dicti Comitis, Tolosa, & quicquid est in dicta Diœcesi, ad Regem eiusque successores reuerterentur, ne alii quiuis possent ius vllum prætendere, præter filios aut filias, descendentes ex prædicti Regis fratre, & filia Comitis, vt dictum est. Relinqueret præterea dictus Rex, dicto Comiti, quicquid est in Diœcesibus Agennensi & Rutenensi, & quidquid est in Diœcesi Albigensi cis flumen Iaon nempe ex parte Gallaici, Ciuitas autem Albigensis, & quæ sunt in dicta Diœcesi trans dictum flumen, versus Carcassonem, remanerent in ditione Regis cum littore & media parte dicti fluminis circa suam portionem: pariter littus, & alia pars dicti fluminis ad dictum Comitem pertinerent, saluis iuribus, & possessionibus aliorum, Regi exhiberentur officia sua in parte, & Comiti in altera. Quod autem attinet ad ea quæ sunt in Diœcesi Caturcensi dicto Comiti relinquerentur, excepta Ciuitate Caduici, Dominio, & alijs rebus, quæ Rex Philippus auus dicti Regis tempore sui obitus in dicta Diœcesi possidebat. Si dictus Comes decederet absq; aliis liberis legitimo matrimonio procreatis, Territorium Vme supradictum, pones dictam filiam suam dicti Regis fratri desponsatam restaret, liberisque ex ea genitis: ea tamen lege, quod dictus Comes, tãquam verus Dñs haberet plenum dominium in dicto Territorio sibi relicto, saluis conditionibus supradictis, tam dictæ Ciuitatis & Diœcesis Tolosæ, quam alterius Terræ superius nominatæ: posset que dictus Comes tempore obitus sui disponere in pios vsus, & eleemosynas, prout moris est communis Baronibus Regni Franciæ. Quæ omnia supradicta per Dominum Regem dicto Comiti relinquerentur, saluo iure Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, vt ante expressum est; & dictus Comes relinqueret dominia Viridis folii, & Pagi des Vaxdes cum pertinentijs suis, iuxta donationes sibi factas per defunctum bonæ memoriæ Regem Ludouicum, Patrem Regis prædicti, ac Comitis Montfortij Episcopo Tolosano, & filio Eudei de Lelers, cum eo tamen onere, quod dictus Episcopus Tolosanus faceret dicto Comiti Raymundo ratione dicti Viridis folii quod debebat facere dicto Comiti Montfortio, & dictus filius Eudei Lelerensis faceret dicto Comiti Raymundo, quod debebat præstare dicto Regi Ludouico Patri dicti Regis, cæteris donationibus per dictum Regem suum factis, vel per Comites Montfortis, nullius roboris existentibus, neque obligationem vllam dicti Comitis Raymundi vel suorum, in Terra sibi relicta patiuntis: De quibus omnibus supradictis rebus sibi relictis ipse Comes Raymundus præstaret dicto Regi, homagium, ligium, & fidele, secundum consuetudinem Baronum Franciæ, ac cederet dicto Regi suisque hæredib. præcise, & speciatim, & absolute in perpetuum, reliquum omne Territorium, quod est circa Rhodanum in dicto Regno, & omne ius, si aliquod ei competebat, poteratue competere, & similiter omne dominium eorum quæ sunt in eius dominatu vltra dictum Rhodanum, cum omni iure habito vel prærento. Item dictus Comes præcise & absolute relinqueret in perpetuum dicto legato nomine Ecclesiæ omnes indigenas exilium passos, ob patrisue ipsius Regis, aut Comitis Montfortii, siue adhærentium secutos: Similiterque ij, qui propria sponte discesserunt, nec tanquam hæretici per Ecclesiam totaliter damnati, in pristinum statum restituerentur. Quantum ad possessiones & cæteras hereditates attinet, extra eas quæ consequutæ sunt titulo donationis à dicto Rege patre suo vel prædictis Comitibus Montfortiis: & si aliquæ personæ habitantes in dicta Terra Comiti Raymundo relicta, nollent se reducere mandatis Ecclesiæ, vel Regis, ipse Comes gereret acre bellum aduersus eas, neque pacem aut inducias cum eis pacisceretur absque consensu Ecclesiæ, vel Regis, si Terras eorum occupauerit, penes eum restabunt, destructis tamen & dirutis munitionibus, & arcis muris, & fossis, nisi prædictus Rex post dictam conquisitionem, vellet eas retinere vsque ad decennium, pro sua & Ecclesiæ securitate. quod posset cum redditibus, vt prouentibus locorum. In totum etiam dictus Comes Ciuitatis Tolosæ muros solo adæquaret, iuxta mandatum & voluntatem dicti Legati, ac similiter triginta Ciuitatum & Castellorum muros diueret, ac fossas cespite adimpleret: nimirum Faniardcensis, Castellinoui Arrii, Labecedensis, Auinionelli, Podrilancenris, S. Pauli de Annata, Vanrensis, Rabasteni, Gaillorici, Montis acuti, Agenni, Condomii, Sauerdum, Altæripæ, Casseneuilii, Pugeolæ Altæuillæ, Villæpuri, Lorace, ac quinque aliarum nutu dicti Legati nec possent restitui, aut fieri, nec extrui nouæ arces vllibi absque voluntate Regis: sed dictus Comes bene posset absque fortificatione vel munimento ædificare ciuitates in Terra sibi concessa, & si aliqua ex dictis Ciuitatibus, Vibibus, aut Castellis, quæ per supradictam conuentionem dirui debent pertinerent ad aliquos suorum, qui eiusmodi dirutionem vel ruinam ferre nollent, teneretur eis acre bellum indicere, neque liceret pacem aut inducias cum eis facere, absque consensu Ecclesiæ & Regis, quin muri essent diruti, & fossæ repletæ. Promitteret & iuraret eidem Regi & Legato, se prædicta

omnia

omnia temper & firmiter bona fide, sine fraude, vel dolo seruaturum: itemque firmiter & bona fide à suis seruari curaturum. Idem iurandum curaret per omnes ciues Tolosæ, & alias personas Terræ sibi concessæ: quorum iuramento adderetur, se omnem daturos operam, vt dictus Comes ea omnia seruaret, atq; si eis, aut vlli eorum contraueniret, hoc solo facto, confestim absoluerentur ab eius Imperio, & à fide, homagio, & qualibet alia obligatione ipsi debita, ac præterea se adhæsuros Ecclesiæ & Regi contra ipsum, si intra quadraginta dies post admonitionem sibi factam non id emẽdasset, aut steterisset iuri coram Ecclesia & Rege, de eo quod ad quemcunque pertinebat dicta omnis Terra sibi concessa caderet in commissum dicto Regi, & foret dictus Comes in tali statu qualis erat, in quantum ad dictũ Regem spectat, tempore excommunicationis, & aliorum omnium contra ipsum eiusque Patrem in Concilio Generali decretorum amplius adderetur iuramento subditorũ, quod opem ferrent Ecclesiæ contra hæreticos, & credentes, fautores, & receptatores, eorum, aliosque qui causa hæreseos, aut contemptus excommunicationum aduersarentur dictæ Ecclesiæ in Terra sibi relicta, & aliis supradictis, in auxilium Regis acre bellum gererent, donec reducti fuissent mandatis Ecclesiæ & Regis. Et vt supradicta omnia melius & plenius perficerentur & obseruarentur, dictus Comes pro securitate dictarum Ecclesiarum, & Regis, traderet Regi Castellum Narbonæ per eum decennio possidendum, muniendum, ac fortificandum, si ita videretur: Itemque ipsi Regi traderet pro dicta securitate capita Castelli noui Arij, & Castelli Vaurensis, Castelli Montis acuti, Xennam, in Prouincia Agenensi Roccam Perusinam, & Castella Cordubæ Verduni, & Villæmuræ, vsque ad decennium tenenda, videlicet quinquennium expensis dicti Comitis, qui dicto Regi singulis annis exolueret pro impensis custodiæ quingentas libras, vltra & præter sex mille Marchas supradictas. Et si dictus Rex vellet quinque vltimis annis dicta loca tenere, custodia suis proprijs impensis fieret: liceret que, si ita sibi & Ecclesiæ videretur, quatuor Castella supradicta destruere, scilicet capita Vaurensis Castelli noui Arij, Villæmuræ, & Verduni: quo casu minueretur dicta summa quingentarum librarum, pro custodia ordinatarũ. Redditus & prouentus Castellorum & aliorum locorum iure dominii Collecti ad dictum Comitem pertinerent: Rexque proprijs sumptibus teneret capita Castellorum & Corduæ, ipse Comes sibi haberet Balliuos non suspectos Ecclesiæ & Regi, ad iustitiam subditis administrandam, & redditus ac prouentus recipiendos. Decennio elapso dictus Rex redderet dicto Comiti capita Castellorum & Corduæ exonerata, saluis conditionibus supradictis, si supradicta omnia quantum ad Ecclesiam & Regem obseruata fuissent, intra primum diem Augusti sequentis, dictus Comes traderet dicto Regi Xennam Albigensem per eum decennio possidendam cum aliis Castellis, & si eam non posset intra dictum tempus recuperare, ex tunc curaret obsideri, & acre bellum geri, ne fierent inducia vel pax cum eo qui eam teneret, quousque dictus Comes eam assecutus esset, nec esset ob id remorata expeditio vltra mare superius constituta. Si autem eam traderet dicto Regi intra annum diei primum sequentis computandum, ipsa existeret eiusdem conditionis cum cæteris Castellis: scilicet, quod dictus Rex eam redderet cum illis. Sed si intra annum tradere non posset, extunc dictus Comes eam daret in eleemosynam perpetuam Templariis, aut Hospitalariis, vel aliis Religiosis, saluis dominiis pertinentibus ad eos qui stant pro parte Regis, arbitrio Legati, vel Ecclesiæ Romanæ possidendam ea lege quod non possit eam alienare, vel dimittere, aut in ipsum Comitem arma mouere, nisi ex Ecclesiæ præcepto. Et si aliqui Religiosi non reperirentur, qui vellent eam acceptare: in totum destrueretur: nec posset, nisi voluntate Ecclesiæ Romanæ, Regis, & dicti Comitis, reædificari, & donec fuisset data dicto Regi, Templariis, Hospitalariis, vel aliis Religiosis vt dictum est, Rex prædictus teneret eius vice obligatam sibi Xennam, & Castellam Narbonæ. Si intra dictum annum, dictus Comes non daret dictis Templariis, Hospitalariis, vel aliis Religiosis, dictus Rex si ita sibi videretur, teneret per decennium dicta duo Castella superius memorata suis sumptibus, tanto tempore, quanto dilata fuisset habitatio Xennæ Albigensis, & si non esset conquisita intra dictum decennium, dictus Rex teneret dicta duo Castella post dictum decennium, donec Xennam Albigensis supradicta reddita fuisset, sibique tradita, absolueret, & cederet dictus Rex, quantum in se esset, Ciues Tolosæ & alios subiectos terræ, dicto Comiti relictæ, à iuramentis & aliis obligationibus sibi factis, & Patri suo, Comitibus Montfortiis, aut aliis eorum nomine, & à pœnis, damnisque, quibus se obstrinxerunt dicto Regi, eius Patri, Episcopo Tolosæ, aut aliis Prælatis, & Comitib. Montfortiis, in casu quod reuerterentur sub dominatione dicti Comitis Raymundi & eius Patris saluis in omnibus, & per omnia, conditionibus prædictis. Dicto pacis tractatu transacto, & firmato per literas patentes, expediras in forma authentica, consilio & præscripto Comitis Theobaldi de Campania, huius nominis sexti, electi arbitri, traditi fuerunt à dicto Comite Raymundo dicto Regi, viginti ciues Tolosani, nominati & recepti obsides, donec quingentæ murorum Cannæ dictæ ciuitatis fuissent subuersæ, ac tot fossarum terra oppletarum, in ea parte qua vellent dictus Rex & Legatus. Sic temperatum fuit decretum dicti tractatus de tota ruina murorum, & oppletione fossarum dictæ ciuitatis habiti.

V. CONSTITVTIO LVDOVICI SANCTI ADVERSVS HÆRETICOS.

Pace stabilita Rex Ludou. eam quæ sequitur Constitutionem contra hæreticos sanxit.

Ludouicus Dei gratia Rex Francia, omnibus suis Baronibus, Vasallis dilectis fidelibus Balliuis & bonis ciuitatibus Prouinciarum Arelatensis, Narbonensis, Arcensis, Rutenarum, Catturcensis, Agennensis, & Albiensis salutem & dilectionem. Nos cupientes in ipsis primordiis nostri regni illi inseruire à quo recognoscimus regnum: & quicquid fumus ad ipsius honorem esse, qui nobis sublimitatem honoris dedit, volumus Ecclesiam Dei, quæ in vestris partibus longo tempore afflicta fuit & tribulationibus vniuersis agitata honorari, & fideliter in nostra dominatione gubernari. Idcirco ex consilio magnatum & prudentum virorum statuimus, vt Eccles. & personæ Ecclesiast. in dictis terris constitutæ vtantur libertatibus & immunitatibus quibus Ecclesia Gallicana vtitur. Et quia hæretici variis modis matrem Ecclesiam inficientes venenum in vestris partibus late disperserunt, statuimus vt omnes à fide Catholica deuiantes cuiuscumque fuerint nominis, postquam ab Episc. vel ab aliqua alia persona Ecclesiastica fuerint hæretici iudicati, confestim & sine mora pœnis debitis puniantur. Ordinantes, ne quis eos recipere vel tueri, aut eis credere vel fauere præsumat. Quod si ausus fuerit deinceps ad testimonium nullomodo admittatur, neque testamenti conficiendi potestatem habeat, omnis successionis sit incapax, & bona eius fisco addicantur, neque vnquam ei aut posteris ipsius restituantur. Omnibus autem Baronibus præcipimus, vt vigilantes sint in extirpandis hæreticis, neque ab eis condemnandis metu, gratia, vel amore abducantur. Quicumque aliquem hæreticorum ceperit, à balliuo nostro duas marchas argẽti accipiat. Qui in contemptum clauiũ vno anno in excommunicatione insorduerint, bona eorum fisco applicentur. Et quoniam habitantium malitia, diuturno tempore decimis Ecclesia defraudata est. statuimus & ordinamus ipsas Ecclesiis restitui, neque amplius à laicis detineri. Vt autem omnia hæc inuiolabiliter ab omnibus seruentur, mandamus Baliuis, Baronibus, Vasallis, & vniuersis ciuitatibus, vt intra mensem iurent publice se omnia supradicta seruaturos.

VI. CONSTITVTIO RAYMVNDI COMITIS TOLOSANI RESIPISCENTIS IN HÆRETICOS, ET ARTICVLIS EIVSDEM.

Et quidem hæc omnia Ludouicus sanxit: huic autem sanctioni Raymundus Comes subscripsit, aliam quæ amplissimam ex nomine suo suis omnibus subditis anno Domini 1233. Calend. Martij præscripsit, digna quæ in lucem proferatur.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Ad exaltationem Fidei Christianæ, & ad extirpandã hæreticã pranitatem, & ad conseruationem pacis, & ad bonum statum terræ conseruandum, & in melius reformandum, nos Raymun. Dei gratia Comes Tolosæ, de consilio & assensu Episcoporum, & aliorum Prælatorum, Comitum & Baronum, militum, & aliorum virorum prudentium terræ nostræ, matura deliberatione habita, & diligenti studio præcedente, hæc statuta salubria in terra nostra duximus ordinanda: cum sit de nostro firmo proposito, vt terram nostram & subditorum nostrorum purgemus hæretica pranitate.

1. De hæreticis capiendis.

Statuimus, vt in persequendis, inquirendis, capiendis hæreticis, nos Barones, milites, balliui, & cæteri homines nostri cũ a vigilẽ & sollicitudine adhibeat diligentẽ, sicut à nobis pace facta Parisijs est promissum.

2. De Marchis soluendis pro hæreticis capiendis. *Item statuimus, quod vbicunq; in terra nostra seu districtu nostro hæretici fuerint inuenti in ciuitatibus castris & villis, intus vel extra in tenumentis, homines illius Ciuitatis villæ, seu castri, in qua vel in quo, seu in cuius tenumento inuenti fuerint, soluant marchas illis qui hæreticos ceperint, sc. pro singulis hæreticis marcham vnam.*

3. De Inquisitionib. faciēdis, cōtra illos, qui persecutores hæreticorū interficiunt. *Item statuimus, vt sine dilatione fiat legitima inquisitio contra illos, qui persecutores hæreticorum interfecerunt, vel forte, quod absit, interficient in futurum: & de omnib. illis tam hominibus quam villis, debita iustitia fiat. Et hoc tam per nos quam Barones & Ballinos nostros volumus fideliter obseruari.*

4. Ne suspecti de fide balliui fiant. *Item statuimus, vt Seneschalli vel Balliui suspecti in fide non instituantur, & si forte eos institui contigerit, sine dilatione remoueantur.*

5. De domib. diruēdis in quib. hæretici fuerint inuenti. *Itē statuimus quod oēs domus in quib. à tempore pacis factæ Parisiis, hæreticus inuentus fuerit vitus vel sepultus, sciente & consentiente domino domus existente legitimæ etatis, diruantur, & omnia bona tunc ibid. inhabitantium confiscentur, nisi sua innocentiam, & iustā ignorantiam probare potuerint. Manifeste in ipsis inhabitantes capiantur, pœna legitima puniendi: & omnes cabanæ suspectæ à communi habitatione castrorum remotæ & spelunce infociatæ, & clusilla in locis suspectis & diffamatis destruantur, vel obruentur. Nullus de cetero in prædictis locis audeat tales facere mansiones, aut in iisd. habitare: in quib. si quis fuerit deprehēsus post edictū nostrū, omnia bona ipsius mobilia cōfiscētur. Domini vero castrorū in quorū dominio post edictū no strū tales mansiones cōtigerit inueniri, in 25 libris Tolosanis puniatur.*

6. De hæreditatib. & bonis hæreticorū confiscandis. *Item statuimus, quod oēs hæreditates eorū, qui hæreticos se fecerunt vel facient in futurū, confiscentur & occupentur. Sic quoad liberos eorū vel ad alios successores, qui ab intestato eis debent succedere, si fuissent Orthod. fidei, per venditionē, aut donationem, aut alio modo, bona prædicta non valeant peruenire. Et si talib. prædicta bona reddita fuerint, vel ab eisd. aliter detineantur, ab ipsis penitus auferantur. Domus. a. illorū, qui à tempore dictæ pacis hæretici facti sunt, vel de cetero fient, quæ ipsi eo tempore inhabitabunt, sine omni misericordia destruātur.*

7. De pœnis infligendis illis q. captionē hæreticorū impediuerint. *Itē statuimus, quod omnes qui villas, vel domos, vel clusella, vel nemora, Inquisitorib. hæreticorum prohibuerint, vel hæreticos inuentos defenderint, vel captos abstulerint, vel ipsis Inquisitorib. auxilium in capiendis hæreticis præstare noluerint, cum inde ab ipsis super his fuerint requisiti, vel clamantib. non succurrerint, vel in custodiendis quos ceperint, auxilium non ministrauerint postulatum, aut in commenda sita recepcos abire permiserint, maxime si fuerint de hæresi suspecti, tales quipotestatem habeant custodiendi, per omnium bonorum suorum confiscationem puniantur, & nihilominus persona eorum aliis pœnis legitimis subiiciantur.*

8. De iuramento præstando, pace & fide Cathol. à suspectis de hæresi. *Item statuimus, quod si qui de hæresi suspecti fuerint inuenti, iurent pacem & fidem Cath. omnem hæresim abiurantes. & si fidem Cath. iurare noluerint, & hæresim abiurare, pœna contra hæreticos edita puniantur. Si vero post Sacramentum præstitum, receptores, fautores, consiliatores hæreticorum, vel in aliquo cum ipsis participantes inuenti fuerint, pœna simili puniantur.*

9. De domib. hæreticorū diruendis. *Item statuimus, quod si quis post mortem detectus fuerit fuisse hæreticus, & coram Episcopo loci probatum fuerit legitime, bona illius omnia confiscentur, & domus illorum, qui post pacem factam Parisiis hæretici facti sunt, vel in posterum fient, diruantur.*

10. De bonis hæreticorū illorūq. Crucē non portauerint occupandis. *Itē statuimus quod bona eorū qui fuerint hæretice vestiti, licet recesserint sponte ab hæreticorū obseruantia nisi de reconciliatione sua literas testimoniales ostenderint, vel per alias personas Cath. & honestas illud ostenderint, vel, pbauerint confiscētur. Et etiā si de reconciliatione cōstiterit, nisi Cruces super hoc à suo Episcopo admodum ad portandū assumpserint, aut autoritate sua propria deposuerint aut cū exteri⁹ super vestes extraq; partē pectoris anteriꝰ pminētes portare debeāt eas celare inf. vestes deprehēsi fuerint, pœna simili puniatur.*

11. De alienationib. illorū, qui se faciunt hæreticos, reuocandis. *Item statuimus, quod intelleximus, quod credentes hæreticorum, cum proponunt se facere secundum vitam eorum detestabilem, hæreticos perfectos, ante præcedens tempus possessiones suas & hæreditatem in fraudem fisci vendunt, vel donant, vel pignori obligant, aut modis aliis alienant: huiusmodi contractib. in irritum reuocatis, non obstantib. prædictā bona confiscentur, si consideratis circumstantiis dictorum contractuum & ipsorum contrahentium, nobis fuerit visum dicta bona translata causa fraudis extitisse.*

12. De fictione hæreticorum. *Item quia intelleximus, quod quidā hæreticorum sub specie mercatorum vel peregrinationis se trāsferunt ad hæreticos, vt sub tali absentia eludant fiscum, vt subtrahant bona sua si coram Episcopo loci, qui super hoc propinquos, vel eos qui bona huiusmodi absentium tenent, monuerint & requisierint, & ab iisd. propinquis vel tenentib. bona eorū infr. annum computandum à tēpore monitionis eius. Epīsc. probatum non fuit legitime, illos absentes iusta causa & rationabili abfuisse, & tamen abesse: statuimus, vt si alias suspecti fuerint, contra ipsos tamquam contra hæreticos præsumatur, & eorū bona omnia confiscentur. Si ipsi vero vel successores eorū, vel qui bona eorum tenent, post confiscationem bonorum vel ante, iustā & probabilē causam suæ absentiæ vltra prædictū tempus probare potuerint. bona illa eis legitime relinquantur, vel restituantur.*

13. De pœna excommunicatorum. *Item quia nolumus, quod claues Ecclesiæ contemnantur in terra nostra, statuimus vt si quis in excommunicatione permansit per annum contumaciter, per occupationem bonorum redire ad sinum matris Ecclesiæ compellatur, sicut in pace facta Parisiis plenius continetur.*

14. De expulsione Ruptariorū. *Item statuimus, vt tranquillitas pacis in terra nostra plene & inuiolabiliter obseruetur, & quod ruptarii, faiditi, prædones, latrunculi, & fatores, à tota terra nostra expellātur, & receptatores eorum d. animaduersione debita puniatur.*

15. De violatorib. pacis. *Item statuimus, quod quicunq; pacem de cetero violauerit, si monitus à nobis vel per certū nuncium nostrū: nō emendauerit inf. terminū sibi assignatū, omnia bona ipsius occupentur. Nos. n. bona illa quæ à nobis tenebunt, occupabimus, & Episcopos & Prælatos terræ nostræ, in feudis eorū similiter occupandis inuabimus bona fide, cū ab eis fuerim⁹ requisiti. Quæ bona tā diu detinēātur quousq; de fractura pacis & dānis datis sit nobis, & damnū passis plenarie satisfactum & persona violatoris nihilominus animaduersione debita puniatur. Et quicunq; violatores pacis receptauerit in castro, vel in domo, vel in villa cum ipsa præda, postquam eis fuerit denunciatum, vel eis equitaturam, vel alia necessaria ministraurit, vel eisdem prædam aut aliam capturam præparauerit, vel machinatus fuerit, pœna simili puniatur.*

16. De damnis emendandis. *Item statuimus quod occulta & clandestina maleficia de cōmunitate castrorum, ciuitatū & villarū, in quib. vel in eis vel in earum tenementis fuerint perpetrata, de nocte vel die per incendiū, siue per incisionem arborum, aut vinearum, vel segetum, vel occisionem animalium, vel effusionem liquidorum, vel dispersionem aridorum, aut alio modo, exceptis furtis damna passis resarciantur, damni æstimatione declaranda per sacramentum illius, qui passus est dampnum, taxatione legitima præcedente. Per hoc enim & voluntas nocendi plurimum refrenabitur, & cuiuslibet loci vniuersitas maiori solicitudine tales maleficos persequetur. Et quia super huiusmodi maleficiis fiat inquisitio diligens, sine morā: & reperti, pœna violatorum pacis, & aliis pœnis legitimis torqueantur.*

17. De custodia domorum religiosarum. *Item statuimus, vt nullus sit tanta temeritatis, quod domos religiosas & præcipue Cisterciensis Ordinis offendat in aliquo, in reb. vel personis, palam vel occulte. Et si quis contra hoc fecerit, bona ipsius occupentur, de quib. passis damna plenarie satisfiet, & persona ipsius animaduersione debita puniatur volentes & mandantes contra huiusmodi maleficos diligentem ac peruigilem celeremq; inquisitionem fieri, non obseruata nimia iuris subtilitate, & reperti seu conuicti in huiusmodi maleficiis, prout culpæ enormitas exegerit, puniātur, vt alii exemplo perterriti, contra domos religiosas delicta similia committere per horrescant.*

18. De domib. religiosis nō albergandis. *Item statuimus, ne Barones, milites, & alii homines nostri, Abbatias grangias, & alias domos religiosas nimia importunitate albergandi opprimere præsumant. Et si quis contra voluntatem custodum nostrorum, quos in singulis domib. ad requisitionem ipsarum ponemus ibi continue moraturos, qui iurati nobis suo ministerio autoritate nostra huiusmodi albergatores repriment importunos, & domos prædictas qui albergauerit, si eques in quinq; solidis Tholosanis, si pedes in duobus solidis puniatur. Volentes vt custodes, huiusmodi transgressores sub iuramento præstito denuncient nominatim.*

19. De recipientib. latrones. *Item, quia sicut intelleximus, tanta est quorundam malignitas & insolentia, quod licet ipsi latrones foueant vel raptores, nequaquam à vicinis suis, qui bene nouerint eos manifeste istud eis improperari audeat vel opponi, nisi forte illorum aliqui in se iras exacuant speciales, nos illorum malitiam reprimendam ducentes studio cautiore statuimus quod contra aliquem Baronem, militem aut quemlibet alium, qui publica fama laborauerit, quod*

quod ipse sit receptator, aut guldator, adiutor vel consiliator latronum aut prædonum, aut aliorum malefactorum, de quorum maleficiis solent aliquas accipere portiones, contra tales diligens inquisitio fiat, & si probatum fuerit legitime contra ipsos, tamquam conuicti de maleficiis, pœna contra violatores pacis supra edita puniantur.

20. De pignorationib. non faciendis. *Item statuimus, ne aliquis autoritate propria audeat pignorare vel marcham facere. Et si quis contra fecerit, compellatur in continenti pignorator, & sacramento pignorati declaretur, taxatione legitima præcedente.*

21. De pedagijs de nouo nō instituendis. *Item statuimus, ne in terra nostra noua instituantur pedagia, & omnia à 30. an. citra instituta remoueantur. Hæc. a. præmissa statuta facimus sine præiudicio Domini Regis Franciæ & Ecclesiæ & salua Pace Parisiensi.*

Acta sunt hæc Tholosæ 12. Cal. Martii An. Domini 1233. & vt hæc prædicta semper inuiolabiliter obseruentur, & robur habeant plenissimæ firmitatis, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Hoc Raimundi edicto, & Episcoporum vigilantia Albigensium secta breui extincta est, qua in re Blancha Regina, quæ in Regni procuratione erat, multum laborauit, vt viderentur Albigenses vnius fœminæ auspiciis victi, ad officium redijsse.

VIII. SVECIÆ REGEM IMPLORAT GREGORIVS *Leand. lib. 2. de viris illustribus Ord. Prædicat.*

Eod. An. 1228. Gregor. Pontifex Simonem Sedis Apostolicæ Subdiaconum ad Henricum Regem Sueciæ internuncium misit, qui facta Henrici Imperatoris impia ei renunciaret, præsentes Ecclesiæ necessitates exponeret, & auxilia postularet.

VIII. *Epist.* 20. B. CONRADVS MARTYR.

In Germaniam quoque B. Conradum Theutonicum Ord. Prædic. destinauit, qui res fidei contra Hæreticos defenderet, atque miraculis quæ patrare solebat illustraret. Is porro cum in foro publico in frequenti populo contra eos intrepide concionatus fuisset, ab ipsis corona martyrii coronatus, veritatis orthodoxæ quam viuens asseuerarat causa multis ac ingentibus mirandis statim ab ipsa cæde effulsit: primus in Germania fidei censor, seu quem vocant inquisitor.

IX. In Gallias quoq; hoc an. Theologis Parisiensib. Gregoscribens, vt à nouitatib. verborum, per quæ plus vitib. naturæ, quam efficaci gratiæ concedere videbatur, abstinerent, authoritate Apostolica mandauit.

X. In Anglia Berengariam Reginam in protectionem Sedis Apostolicæ recepit, compositionemq; inter eam & olim Ioannem Regem maritum ab Innocentio III. approbatam, & nunc recens cum Henrico Rege filio initam & ab Honorio III. stabilitam diplomate Apostolico confirmauit, Perusii III. Non. Martij.

XI. NASCITVR CONRADVS EX IOLE FRIDERICO.

Hoc Anno Iole Imperatrix Friderico Conradum partūriuit, ex quo Conradinus, nec multo post ipso.

XII. MORITVR IOLE IMPERATRIX. ETVRINGIÆ LANDGRAVIS VENENO PERIT.

Hoc an. defuncta ead. Iole Imperatrix, filia Ioan. Brenni Regis Hierosolymorum vxor Frider. II. male, vt aiunt, ab eo habita, & tum calcib. violata, tum in carcerib. pædore & fame confecta, cum antea Fridericus eius pedissequam seu consanguineam constuprasset, & multis libidinib. promiscuis in coram ea sese contaminasset, atq; vinculum matrimonij eadem indigne ferēte dissoluisset. Iolem secutus est Lanthgrauius Thuringæ, neque sine veneni suspicione, à Friderico porrecti. Namque non sine causa, ille Brundusio profectus, statim reuo lauit omnemque eius supellectilem diripuit: nec quicquam quiritante D. Elizabetha eiusdem Landgrauii coniuge.

XIII. PRODIGIVM IN CÆLO.

Voluit tamen Frider. facinus operire, maturata iterum in Syriam profectione, quam insigne prodigium in cœlo præostensum illustrauit. Namq; hoc anno, omnib. Crucesignatis & aliis quamplurimis, Christus plagis circum vulneratus, & sanguine circumfusus apparuit, claro cœlo. Erant aliqui, qui, ad commiserationem Christianos velle mouisse, interpretarentur: nimirum, vt illi, Terræ eius sanguine respersę, & animarum eod. cruore redemptarum misererentur, & è manib. Saracenorum eriperent, atq; vindicarent. Acuiores, Christum à Friderico sceleribus plagatum, confixum & cruentatum diuulgabant. *Carol. Sigon.*

XIV. REGES BOHMIÆ A MOGVNTINO CORONARI VOLVNT

Eod. an. Ottocarus & VVenceslaus Boemorum Reges, ptiuilegio subsignato, se & successores Boemorum Reges obligarunt, ne à quoquam alio, præterquam à Moguntino Episcopo inungerentur, aut inaugurarentur: Ita habet diploma Ecclesiæ Moguntiæ datum.

In nomine Domini Amen. Ottocarus & VVentzlaus Reges inclyti, vniuersis Christi fidelib. præsens scriptum inuentib. salutem perpetuam. Confitemur & publice protestamur, quod tām nos, quam omnes successores nostri consecrationem Regalem & diademat ù impositionem, de sacrosanctæ sedis Moguntinæ Archiepiscopo, terra nostra Metropolitano, in perpetuum tenemur recipere. Si vero idem Archiepisc. requisitus pro motu animi sui subtraxerit, alteri Episcopo, quem nos vel successores nostri postulauerint, vicem suam ad id exequendum cōmittat. Vt. a. hoc ratum & inconuulsum permaneat, hanc paginam de consensu venerabilium Pragensis & Olomucens. Episc. sigillorum nostrorum appensione firmauimus. Datæ Pragæ an. Dominicæ Incar. M.CC.XXVIII. Indictione 1. *Chron. Spanheimens.*

XV. MIRABILIS VOCATIO AD ORDINEM DIVI FRANCISCI IOANNIS PARENTIS ORDINIS MAGISTRI.

Per id tempus Ord. D. Francisci administrabat B. Ioan. cognomento Parens, vitæ & doctrinæ præstantia insignis: ex hac occasione institutum religionis Minorum complexus. Ciuitati Castellanæ, quam nonnulli Veiorum olim fuisse vrbem arbitrantur, cum potestate Iudicis præfuerat Ioan. ciuis Romanus, legum & iuris sciens. Contigit suo tempore, vt subulcus post porcorum pastiones, cogeret eos in antrum quoddam. Ex ijs vnus tantopere renitebatur, cauernam intrare, vt neq; clamoribus, neque fustigationibus pōsuerit impelli. Doctus erat à quodam impostore subulcus, aliqua carmina, ad porcos cogendos, & ab incursib. luporum defendendos. Cogendorum in spelæum istud erat: *Intret iste porcus in antrū, sicut Iudices causarum intrant in infernum.* Iraq; cum animal illud reluctaretur ingredi, is impatientia fractus, quemadmodum ab alio fuerat edoctus, carmen, cæteris audientib. dixit. Ea res per iocum memorata, cum ad aures Ioannis Parentis venisset, adeo animum eius perculit, vt statim officio sese abdicauerit, & religionis Minoritanæ habitum induerit, in quo tantum profecit, vt & proxime à D. Francisco ei ordini præfici meruerit, & viuens signa atq; prodigia multa ediderit. *Thoßmian. lib. 2.*

XVI. *Annales Flandriæ lib.* 8. Alicuius definitionis de pluralitate beneficiorum hoc anno meminerunt. Habent enim hęc quæ adiungo. Lutetiæ Parisiorum in Capitulum FF. Dominicanorum, habita est disputatio, de pluralitate sacrorum ministeriorum: diffinitumq;, neminem cum salute animæ posse tenere duo ministeria, quorum alterū valeret in annos singulos 15. libras Parisienses. Hoc Guillel. Episc. Parisiensis, & Fr. Hugo Ord. Dominicani, postea Rom. Eccl. Card. hoc Fr. Gnerricus, & Fr. Godofridus eiusd. Ord. FFr. Item Ioan. ab Rupella Ord. Francisci, aliique quamplures Theologi definiunt & tenendum censent. Duo tamen ex tanto numero, Magister Philip. Cancellarius Parisiensis, & Magister Arnol. postea Episc. Ambianens. contradixerunt, aliorumq; sententiæ non accesserunt, tradunt q; M. Philippum Cancellarium æterna damnatione punitum. Siquidē apparuisse Guillelmo Episcopo media nocte eunti ad Ecclesiam, sub tetra & tenebrosa vmbra, splendente Luna, illiq; retulisse, se à Deo factum alienum, & morte æterna dānatum, quod de fructib. sui ministerij nihil pauperib. distribuisset: quodq; Theologorum de pluralitate ministeriorum sententiæ obstitisset, & quod longo tēpore, cum graui offendiculo, in carnali libidine impudicus vixisset. Sunt qui narrant, cum ægrotaret, admonitum, & oratum fuisse ab Episcopo, vt opinionem suam de ambitu illo reuocaret: sed mordicus in sua hæresi perstitisse, ac se velle experiri, an talis simoniacus damnaretur respondisse. *Ista in Flandriæ Annalibus.*

XVI. DEFINITIO PARISIENSIVM PP. CONTRA PLVRALITATEM BENEFICIORVM ET PÆNA CVIVS DAM PLVRALIS.

IESV CHRISTI
Annus 1229.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 3. BALDVINI II. Imp. Orient. 1.

I. FRID. TVRPEM PACEM IN PALÆSTINA IGNAVSINIT CVM SVLTANO ÆGYPTIO ADHVC EX COMMVNICATVS.

TOtis septem mensib. Frider. Imper. de ses hæsit in Syria, nec quicquam dignum viro gessit. Saracenis eminus cominusq; illum vellicantibus ad eum modum, vt gladio, hasta, & clypeo missis Saraceno, non minus sibi turpem quam toti Christianitati propudiosam pacem, turpissimis conditionib. impetrarit. Sultanus. n. ita ei, id quicquid inter Hierusalem & maris littora aduſque Ptolomaidem, interiacet, vna cum castris Ioppen, Sidone, Cæsarea, Toro ne, Nazareth, & cum ruinis ac vestigiis Hierosolymorum euersorum reddidit, vt quod sanctissimum esse sciebat re-

tineret Domini Deique ſepulchrum relictis in eo Mahumetanæ impietatis non cuſtodib. tantum, ſed etiam præconib. & ſacrificijs Mahometo litantibus. Huic ignominiæ neque Patriarchæ neq; Templarij ſubſcribere voluerunt, maxime quod ſcirent Fridericum Summi Pont. autoritate diris deuotum: nihil non agere, vt eiuſd. Pontificis maieſtatem deprimeret. Certo etiã certius intelligebat, Sultanum Damaſci, Hieroſolymorum iura ſibi aſcribentẽ nolle conſentire ijs, quæ in pactis ſtatuerant Frider. & Sultanus Ægyptius. Ita Frideric. nonniſi Saracenis comitatus ad diem 17. Martii quæ in Sabbatum inciderat, Hieroſolymam ingreſſus die Dominico inſequente, coram Archiepiſcopis Capuano & Panormitano, & populo frequenti in Baſilica ſepulchri Sancti conuocato, pro Concione ſe excuſauit, ſc. quod ipſe Aquiſgrani crucem ſuſceperit, omneſque conatus adhibuerit, vt pecunias, commeatus, arma, viros & reliqua bello gerendo neceſſaria compararet, & quamprimum in Palæſtinam traiiceret: cæterum cum grauia & ardua Imperii atq; Regnorum negotia impedimento ſibi eſſent, ne tam cito quam volebat transfretaret, & Gregorius Pont. dies ſæpius deſignatos ſibi prorogaret, nihilominus tamen ille in nihil merentem (ita proloquebatur) ſententiam anathematis magno cum ſuo probro pronunciaſſet, & contra ſe Regib. Europæis, ſeptentrionalibuſq; ſcripſiſſet, & auxilia ab eis poſtulaſſet euocaſſetq;, atq; pacis mentionem aliquoties iniectam reieciſſet. Ad eum modum de Pontifice queſtus, pollicebatur ſe in omnib. ſedi Apoſtolicæ obtemperare velle, omniaq; præſtare quæ ad honorem Eccleſiæ & Romani Imperii pertinerent. Dixerat & plura alia, atque diadema Regni Hieroſolymitani, quod ex coniugio Iolantes ad ſe ſpectare oſtendit, ritu ſolenni ſibi ab aliquo Antiſtitum imponi orabat. Cum nemo eſſet, qui execrabilem conſecrare, & diris deuotum caput corona Regia ornare vellet, aut auderet: ipſe ad aram maximam accedens inſignia Regia manib. propriis ex altari detraxit, enſem accinxit, caput diademate operuit, & reliqua temerarius & impudens impudenter & temerarie rapuit potius q̃ accepit, & è veſtigio ipſo eodem XVII. Martii die litteras, ad Pontificem Maximum, ad Regem Francum, & ad omnes proceres pios miſit, gratulationis lętitiæque inanis plenas. Die Lunæ, qui ſecutus eſt, Patriarcha Hieroſolymitanus miſſo Archiepiſcopo Cæſarienſe, Eccleſiam Sancti ſepulchri & reliquas interdicto ſuppoſuit, & in omnibus locis ſacris interdixit. Offenſus ea re Fridericus nuncios qui Archiepiſcopum vocarent miſit: & Patriarchæ, ſi offendiſſet, ſatisfacere promiſit. Is porro venire contempſit, minas & pollicitationes inanes ſpreuit, & vna cum Patriarcha, & Magiſtro Templariorum Summo Pontifici Gregorio omnia ex fide perſcripſit. Fuere enim tunc à FRIDERICO muri Hieroſolymitani integris fundamentis reſtituti, ex eiſdem cominus ſtratis rediuiuiſq; lapidibus refecti: quædamque ædes ſacræ eadem ratione de integro extructæ, vbi ipſe Sanctæ Ciuitatis infulas coronamque ſuſcepit. Nazarethum quoque & Ioppen tradente Sultano accepit, reſtituit, firmauit, id quod inter Ptolomaidam & Nazarethum erat, atque totam Torronis terram, Sidonem, Cæſaream, & domum Sanctæ MARIÆ Theutonicorum in monte Accon ex pacto recepit, hæcque omnia Hieroſolymis datis litteris Pontifici ſignificauit. Pontifex oſtentationem iactationemque eam eſſe ratus: conſiliaque Friderici (quod erat) regi circumagique Sultani amicitia, litteras ad Magiſtros militarium Ordinum dedit, cauerent nomini Chriſtiano inſidias, à perditiſſima Friderici ſimulatione. Nec vana ſuſpicio viſa. Arabibus AEgyptiiſque æquior inueniebatur Fridericus, quam Chriſtianis: Prætores Conradum & Raynaldum in Italia reliquerat, qui Pontificis res agerent, atque eriperent. Picenus Ager inprimis euaſtatus, vallis Spoletana infeſtata. Alios deinde decedens in Syria reliquit, qui ſancius fœdus Sultani ſeruarẽt, quam pios tutarentur: quorum plerique à militibus ipſius omnibus rebus exuti, aliquot etiam interempti: ita vt non melioris conditionis res Chriſtianorum ſub Friderico eſſent, quam ante ſub Saracenis fuiſſent. Interim autem Gregorius rebus Eccleſiæ non defuit, ſed miſſo Ioanne Brennenſi Hieroſolymorum Rege & Ioanne Columna tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Legato, & Pandulpho gente Sabello ſui cubiculi Præfecto, vna cum copiis tum ex vrbe Roma omniq; terra Eccleſiæ contractis, tum à Belluacenſi atque Clareuallenſi Epiſcopis ex Gallia contra Fridericum adductis, quicquid eſt à Caſtello Caſſinate vſque Capuam, & plurimas Ciuitates Apuliæ, ſiue recepit, ſiue etiam cepit. Ea cum Fridericus non ignoraret, metueretque ne Regno Siciliæ & Imperio exueretur, in Apuliam reuolauit, & Epiſcopum Meſſanum vna cum Magiſtro militum Theutonicorum miſit, qui pacem & abſolutionem æquis conditionibus à Gregorio Pontifice impetrarent.

II.
Æmil. lib. 7.
BALDVINVS II. DVCIT MARTHAM FILIAM REGIS BRENNI.

Conſtantinopoli per id temporis Roberto Imperatore defuncto, filius Balduinus ſucceſſit. Is vt Imperium ſibi atque Latinis ſtabiliret, IOANNIS cognomento Laſcaris affinitatem ambiebat. Diſſuaſere Burgundi, iſtud primum inculcantes: caueret Balduinus ne Francica facilitas arte caperetur Græca. Petrum auum Balduini, dum ſe Theodoro Græco credit circumuentum, notam improuidi hominis, ſocordiſque reprehenſionem infamem ſimplicitate ſubiuiſſe. Sanctiores nuptias Franco circumſpiciendas: Socerum quærendum, vnde nullus metus, nulla ſuſpicio. Brennum Regem Hieroſolymorum eſſe Ducem veteranum, patrem vnius adhuc reliquæ pulcherrimę Virginis Marthæ nubilis, quæ eadem ſoror ex parte fuerit Iolis Auguſtæ modo Friderici vxoris: Brennum perſpectæ fidei virtutiſque virum, animum paternum, ſi ſocer adſciſcatur, erga Balduinum geſturum: talem virum Pontico Adrianopolitanoq; tyrannis opponendum, ei & generum, & res generi, & curam omnium ſalutemque committendam. Nec variarum ſententiis. Placuit Brennum euocari Imperiique adminiſtratorem dici. Profectus is Conſtantinopolim, filiam Auguſto adoleſcenti collocauit, & ex Gregorii ſummi Pontificis præſcripta formula Imperium Orientis ſuſcipiens ordinauit. BALDVINVS vero adoleſcens IOANNIS hortatu, ad opem ab Regibus Latinis implorandam veteremque patriam reuiſendam, atque res in ea componendas in Italiam, atque inde adorato Pontifice in Galliam venit, ſuaſq; res in Francia & in Flandria recepit.

Epiſt. 5.

III.
IACOBVS REX ARAGONVM REPVDIAT VXOREM, ADMITTIT FILIVM, SARACENOS SVBEGIT ET VICIT.

Eodem anno Ioannes tituli Sanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis à Gregorio IX. Pontifice Legatus de Latere ad Iacobum Regem Aragonum, magnis de rebus tractaturus venit. In eius præſentia Zeitus Valentiæ Rex Saracenus de Chriſtiamis ſacris ſuſcipiendis conſilia agitauit, idque fraudi fuit, cum res eſſet indicata. Turiaſoni Rex, Legatus Rodericus Toletanus, Aſpargus Tarraconenſis, Frater Petrus Prior Ordinis Prædicatorum, Cæſar Auguſtanus, & Frater Raymundus de Pæniafort Legati Apoſtolici pænitentiarius, aliique ex vtraque natione Epiſcopi magno numero ad 3. Calend. Maii conuenerunt, deque Regio matrimonio, quod Rex conſanguinitatis Lege vitioſum eſſe aiebat, coram Legato diſceptarunt. Erat ex eo coniugio, Regi natus filius nomine Alfonſus, quem in ſpem regni pater educandum curabat. Difficile itaq; fuit matris cauſam à filio ſecernere, eumque legitimum Regni hæredem futurum pronunciare, coniugio repudiato. Lite conteſtata, & tum proteſtatione, tum declaratione Regis intercedentem, quod is Alfonſum & natum legitime, & regnaturum fore iuridice, ex ſua voluntate, ſecundum Regis deſiderium ſententia ceſſit Reginam dimittendam videri, filium patri in regno ſubſtituendum. Eleonora Regina, cum in præſentia Toletani & Tarraconenſis Archiepiſcoporum, & Burgenſis, Calaguritani, Segobienſis, Seguntini, Oxomenſis, Baiomenſis, Tiraſonenſis, Oſcenſ. & Ilerdenſis Epiſcoporum ſententia pronunciata eſſet, non inuita ad Berengariam ſororem iuit, oppidis dotalibus quæ in Aragonia habebat retentis, multaque ſuppellectile, auro, gemmis & veſte pretioſa ſecum apportata. Conuentu ſoluto, claſſeque parata, Maioricam vrbem de Saraceno armis cępit, & inter captiuos Regis filium, tredecim annos natum, comprehendit, cui poſtea Chriſtianis ſacris imbuto, Iacobo nomen fuit. Quo die non Chriſtianorum modo, ſed Saracenorum qui aderant teſtimonio comprobata fama fuit, in prima equeſtri Chriſtianorum acie, equitem quendam fulgentibus indutum armis, equoq; & ephippiis ſplendentem albis conſpectum fuiſſe, eiuſque aſpectu, & pugnandi ardere, Saracenorum animos maximo conſternari timore

APPARET S. GEORGIVS IN PRÆLIO.

cæpiſſe

cæpiſſe: quem creditum eſt (regia teſtante hiſtoria) B. Georgium fuiſſe, qui Patronus, ac defenſor Regnorum Aragonum, in eo conflictu, ſuis contra Saracenos adfuit militibus: iis præſertim, qui eius inſigne, purpuream ſc. Crucẽ Domini gerebant. Ea quippe captaphracti ſpecie & figura, cum in hac pugna, tum alijs multis in præliis, cum in prima acie, ſæpe cum illo inſigni victoriæ fuit vſus. *Bernard. Gomeſ. lib. 6.*

Fernandez. lib. 1. c. 29.

In eodem prælio comitatus eſt Regem Iacobum Fr. Michael de Fabra Caſtellanus, is qui à Diuo Dominico Ordini Prædicatorum aſcriptus, Lutetiæ Pariſiorum & Valentiæ Ordinis eiuſdem auctor fuit. Is diuini verbi concione ac virtute, vſque adeo in ea expeditione profecit, tantamque ſanctitatis opinionem apud milites conſecutus fuerat, vt non ſolum auctoritate, ſed etiam imperio quodam gubernaret. Nam ſæpe quidem milites, quos neq; Rex, neq; Duces ad ſubeunda pericula commouere poterant, eoſd. Michael præſentia & adhortatione ſua, nullo negotio permouebat. Eius itaque tanta authoritas in exercitu apud omnes fuit, vt Maricam captam nonniſi D. Deiparenti atq; ipſius orationibus acceptam ferrent. In Valentiæ quoque vrbis oppugnatione, ipſi Mauri eius ſpeciem diuinitus apparentem in aere, habitu ordinis amictum & gladio plures hoſtium occidentem, aſpexere. Viuens & vita functus ſanctitatem ſuam multis miraculis illuſtrauit. In ſepultum eius cadauer cœlitus lumen delapſum, maximum teſtimonium ſanctimoniæ illius dedit.

IV.
IACOBVS REX DICTVS FORTVNATVS.
9. Epiſt. 5. Cal. Maii.

Iacobus porro Rex Ioann. Buccados nuncium ad Gregorium Pontificem miſit hoc anno, qui deſiderio illum teneri coronæ Regiæ ex manu Pontificis recipiendæ ſignificaret: atque adeo iſtud officium ab eo poſtularet. Laudauit Gregorius Iacobi erga Romanam Eccleſiam fidem atque deuotionem: cæterum quod diadema regium attineret, pollicitus eſt, ſe, quãprimum Romana ſedes à fluctuationibus quieuiſſet, illum hoc munere exornare: Fuit Iacobus ob res magnifice ſancteq; geſtas Fortunatus appellatus: qui vt nonnulli volunt genitus fuit diuinitus. Nam cum pater eius multarum mulierum (quemadmodum ſuperius dictum eſt) amore teneretur, & à Marię coniugis cõſortio abſtineret: illa prolis cupida egit cum Regii cubiculi Præfecto, vt eam in locum alicuius pellicis noctu introduceret ad Regem. Introduxit ille: Rex eam matrem fecit: cumque aliquam pellicum eſſe arbitraretur, & ante diem dimitteret. Non à te, inquit illa, diſcedam chariſſime coniunx niſi nos prius in lecto coniunctos aliqui viderint, quibus in poſterum ſi pepererim, ex te concepiſſe poſſim probare. Deluſus Rex, teſtes vocauit: Regina autem ſtato tempore filium parturiuit, & ad Eccleſiam Diuę Deiparentis illico præmiſit. Cum autem nomen infanti eligeretur, iuſſit Rex duodecim cereos albos eiuſdem longitudinis, ponderis & craſſitudinis accendi in honorem DEI Matris & duodecim Apoſtolorum, quorum nomina ſingulis cereis inſcripſerat, voueratque, vt illius Apoſtoli nomen imponeret, cuius cereus reliquis extinctis & conſumptis ſolus diutius perduraſſet. Iacobus fuit renunciatus, eo quod cereus Iacobo Apoſtolo inſcriptus, reliquos virtute ſuperarit. Iacentem in cunis, aliqui ſuffoſſa teſtudine, & lapide pręgrandi in foramine leuiter ſupra cunam ſuſpenſo occidere voluerant. Sed Deus innocentium cuſtos, decidens ſaxum, à cunis auertit, & infantẽ liberauit. A Simone poſtmodum Montfortio educatus, poſt mortem Patris Regis authoritate Summi Pontificis, qui Legatum deſtinarat, Aragoniis reſtitutus, feliciſſime regnum illud adminiſtrauit.

Lucius Marineus de rebus Hiſpan. anno 10.

V.
8. Cal. Iunii.
SVMMARIVM GESTORVM GREGORII IX. HOC ANNO.
Epiſt. 46. 2. Non. Iun.

His ipſis diebus Gregorius. 1. Pariſiis agens, Sanciæ Reginæ Caſtellæ caſtra quædam à patre, marito, & Egea nutrice relicta confirmauit: eam in protectionem Beati Petri ſuſcepit, vtque in locis interdictis ſacris intereſſe poſſet, ex formula ſolita conceſſit. 2. Contra reliquias Albienſium & reliquorum hæreticorum in Gallis deliteſcentium, cenſuras Eccleſiaſticas die cœnæ Dominicæ promulgauit, & primos fidei inquiſitores Diui DOMINICI inſtitutum profeſſos, contra eos in Gallia deſtinauit. 3. PETRI Infantis Portugalliæ promptitudinem erga Sedem Apoſtolicam commendauit, & vt quamprimum cum militibus ſuis in auxilium Eccleſiæ contra Fridericum properaret, inuitauit. 4. Iudæo cuidam recens ad fidem conuerſo, vt filium quadriennem poſſet in fide Chriſtiana inſtituere aſſignauit, neue à matre in Iudaica perfidia perſeuerante inficeretur, ab illius cura eum ſeparauit. 5. Turpiſſima Friderici in Syria facta omnibus Principibus diuulgauit, vtque omnes Eccleſiæ ab eo oppreſſæ ſubuenirent, ſubſidia poſtulauit. 6. Gaufridum de Caſtillione tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem Legatum, & Fratrem Guallam Ordinis Prædicatorum inquiſitorem Mediolanum ad extirpandos hæreticos miſit. Hi porro coram Epiſcopo comitiis S.P.Q. Mediolanenſ. indictis duodecim viros, quorum terni & terni cum duob. Fratrib. Prædicatoribus, & totidem Minoribus ad quatuor portas vrbanas ſubſelliis collocatis hæreticos inquirerent, atq; iudicarent, elegerunt, plurimaq; contra hæreticos decreuerunt.

Epiſt. 13.
epiſt. 19. & ſequen.
Bernard. Cor. p. 2.

VI.
FRANCISCANI IN BELGIVM PRIMVM INDVCTI. SANCTITAS ET AMOR FRANCISCANORVM IN ACHAS PVERO QVINQVENNI.

Fere eodem tempore, Minoritana Religio, in Belgium inuecta eſt. Vix conſpecta eſt, & iam ſummo omnium deſiderio excepta: adeo vt etiam paruuli ſummam felicitatem percipere ſe exiſtimarent, ſi eius inſtituti lacteam dulcedinem perguſtarent. Inter reliquos pueros, Achas quinquennis, parentibus honeſtis apud Torothios natus præſiliit. Hic primo viſis Minoritis, ſtatim, vt eorum habitum indueret, à parentibus flagitauit, Parentes aliquid puerilis deſiderii Achaſo aduenïſſe exiſtimantes, induerunt, & riſerunt. Cæterum Achas ſerio cæpit conſuetudines Ordinis obſeruare, nudipes incedere, durum funem geſtare, aurum, argentum & pecuniam non velle attingere, nuda in humo dormire, Eccleſiam frequentare, diuinis laudibus intereſſe, & in ſumma omnia inſtituta Ordinis exequi, ac ſi ei religioni ſacro vinculo illigatus eſſet. Accidit ſemel vt quidam negotiatores ad eius patris hoſpitium diuertentes, ea de puero audierint, & explorare voluerint. Non poterant aperte, itaque in vaſis vinarii fundo aliquot nummos poſuerunt, & puero id quicquid erat vini bibendum porrexerunt. Ignarus fraudis puer vinũ quidẽ ebibit, verumtamen cum pecunias aſpexiſſet, vas proiecit, & in cœlum manibus ac oculis extentis dixit: Tu noſti Domine, quod neſcius ordinem meum violaui, moxque pallere, ac deinde liuere, & in mortem cadere cœpit: niſi à circumſtantibus ſublatus, reuocatuſque fuiſſet: Neque quieuit, donec ſacerdos veniſſet, eumque confitentem abſoluiſſet. Porro fama eius diuulgata, puer maior ſeipſo in dies euadebat, adque eam perfectionis formulam cæteros inuitabat. Nam in platea ſedens, alios pueros docebat, mores dyſcolorum arguebat, bonis paradiſi gaudia, malis inferni ſupplicia proponebat. Orationi eos aſſuefaciebat, ſalutationem Deiparæ frequentius inculcabat, quin & ſenes meliores faciebat. Patrem quoque proprium, ſi quandoque vel iraſcentem, vel iurantem vel temulentum, vel leuem in actionibus vidiſſet, cum lachrymis arguebat, dicebatque: Nonne Concionator in templo minatus eſt, qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt? Vidit aliquando matrem purpuram indutam in Eccleſia orare, & in imaginem Cruci affixi digitum intendens; Intuere, & vide CHRISTVM in cruce nudum, ſanguine rubentem, & tu te in eius conſpectu, in eius contumeliam, veſtibus purpureis adornaſti? Caue mater, ne pro rubore veſtium, ignem æternum mereare. Tanti admonitio fuit, vt illa veſtem pretioſam exuerit, & viliorem in poſterum induerit. Admiranda ſunt alia quæ puer ille ſuper ſenes intelligens & dixit, & geſſit. Placuit DEO rapere illum ex hoc ſæculo iniquo, ne malitia mutaret cor eius. Nam ſeptimum annum natus ex humanis exceſſit, cum prius confeſſione facta, ſacramentum Euchariſtiæ poſtulaſſet. Quod cum Paræcius puero dare non auderet, ille in oratione. Tu, ait, noſti Domine IESV CHRISTE, quod ſummum deſiderium meum eſt te habere. Petiui te, feci quod debui, ſpero quia tua præſentia me dignaberis. In his & aliis verbis diuinæ laudis expirauit. Sed mox ex corpore illius veſtis Franciſcana diſparuit. Clerus quoque cum ſuper mortuum, Pſalmum, De profundis recitare incepiſſet, perficere non potuit. Eo tumulato, Pater Diui Dominici, mater vero Ciſtercienſium monialium, inſtitutum profeſſus eſt. *Thomas Cantipra. lib. 2. c. 28.*

Septimo Calendas Nouembris huius anni ad præmium

cœleſtis

VII. MORS FVLCONIS EPISCOPI PARISIENSIS EX MENDICO.

cœlestis vitæ assumptus est Sanctus Fulco Episcopus Parisiensis. Is olim adolescens, natione Scotus, relicta patria in Italiam veniens, Placentiæ subsedit: vbi cum litteris operam daret, tanta rerum inopia laborabat, vt propterea victum, vestitumq; mendicare cogeretur. Istud cum quadam die ad mercatoris cuiusdam domum faceret, & ancilla illius panem Fulco porrigens diceret. *En do panem, vt nunquã tamen Episcopus fias*: is manum retraxit, ne panem ea conditione acciperet. Ea re ab hero domus cognita, accersito statim Fulco ei cibum quotidianum & perpetuũ domi suæ contulit. Vnde Fulco liberius in literarum studijs occupatus, cum magnos in ijs cum pietate progressus fecisset, factus Canonicus Regularis, Lutetiam Parisiorum missus, ibi Theologiæ operam nauauit, Placentiam reuersus, iuncta cum eruditione summa animi demissione, vitęque sanctitate demortuo præposito Sanctæ Euphemiæ nondum annos natus triginta subrogatus fuit. Eius constitio Grimerius Episcopus, in multis & grauissimis Ecclesiæ negotijs vsus, fidemque illius, prudentiam & integritatem expertus, illum Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, deinde Archipresbyterum curauit. Huic vita functo, anno salutis millesimo octogesimo decimo, ab vniuerso Clero Episcopus suffectus est. Cum vero Ecclesiæ Placentinæ sex annis singulari prudentia & sanctitate præfuisset, mortuo Rodobaldo Episcopo Papiensi ad eam Ecclesiam regendam Honorio III. Pontifice Maximo volente translatus, in ea administratione præcipue viduarum, pupillorum, virginum & miserorum omnium curam gessit: ita vt communi voce, cõmunis omnium parens diceretur. Quotidie quindenos ad mensam suam pauperes adhibebat: totidem studiosos egentes cum eorum magistro alebat. Septem quoque ciues nobiles, sed egentes, apud se sustentabat. Denique cum Ecclesiam Papiensem annos XIII. summa pietate administrasset, assiduis vigilijs, piis laboribus, & crebris ad populum concionibus confectus, mundo relicto, cœlum conscendit. Corpus in templo Cathedrali conditum. Anno 1567. repertum, non sine admiranda odoris suauitate, ab Hippolyto Rubeo Episcopo decentiore loco conditum est. Honorius III. Pontifex Maximus monasteria omnia, & plures alias Ecclesias in alijs diœcesibus existentes ei subiecerat, datis ad eum Apostolicis literis. *Ex monument. Eccles. Papiens.*

VIII. MORITVR ADAM EPISCOPVS MORINORVM.

Hoc anno Adam Morinorum Episcopus, vir omni vita laudabilis, confectus iam ætate, præsulatu se abdicauit professusq; est Monasticen in Claraualle, subeunte in eius locum Petro Flandriæ Archidiacono. Perrus autem cognomento à Collemedio, factus est Antistes Ecclesiæ Diui Audomari, vir conspicua religione, magnaque literatura, genere Italus, Pontificis Romani contra Albigenses Legatus. *Annal. Flandriæ lib. 8.*

na vncias auri centum & viginti millia sedi Apostolicæ numeraret, vt priuilegia & iura eiusdem Ecclesiæ Romanæ in Regno Siciliæ, integra esse sineret, vt electiones Pontificum & aliorum Prælatorum, in Regnis Neapolitano & Siculo liberas esse permitteret, neque administrandis Ecclesijs sese immisceret. Vtque Anagniam ad Pontificem supplex accederet, iuramento & diplomate omnia quæ pollicitus fuisset stabiliret, & beneficium absolutionis ex more obtineret. Stetit pactis conuentis Fridericus, & pollicitus quidem per literas datas Cesperani loco obsidum in manus Magistri Theutonicorum, plurimis castris, quæ ille nomine Romanæ Ecclesiæ expensis Imperatoris, in cautionem obseruandæ pacis retineret, Anagniam venit, ad pedes Pontificis venerabundus accessit, & anathemate exsolutus, mensę Pontificiæ assedit. Eam concordiam vt vniuersus orbis gratulatione summa exciperet, Gregorius Pontifex Sancto Ludouico Gallorum, aliisque Christianorum Regibus significauit, datis Anagniæ literis, quinto Calendas Septembris. FRIDERICVS porro Imperator dignitati restitutus, monente Gregorio, multa contra hæreticos edixit, & plurima contra eosdem gladio districto vindicauit. Nam eorum plurimi Regnum Siciliæ, Neapolim, Auersam, & fere vniuersam Italiam infecerant. Dedit ea de re Pontifici literas, scriptas Tarenti ad diem vigesimum octauum Februarij Indict. IV. Cæterum cum is fideiussoriam cautionem, quam in pactis ad octauum mensem præstare spoponderat, nondum Ecclesiæ præstitisset, declarauit Gregorius id conditionibus concordiæ non præiudicare. Se tamen vehementer cupere, vt ea quæ iuramento confirmasset, etiam fideiussoria cautione approbaret. *Epist. 166. Inter Epist. Greg. 131.*

Cum vero intelligeret Gregorius in discrimen adductas esse res Christianorum in Syria monuit Fridericum, vt subsidia in pactis promissa Crucesignatorum & pecuniarum submitteret: vtque Templariis & Hospitalariis, quorum armis & viribus Terra sancta defendebatur, bona in Sicilia & Apulia ablata restitueret, & à vexatione illorum abstineret. Ex hac occasione Frid. vindicare se de his q cõtra se Ecclesiæ olim adhæserant, desiderãs, plurimos eorũ ad Crucem sumendam compellere dicebatur, vt hac honesta exilij specie illos vulctaret. Monebat Gregorius, ne vim cuicumq; ex ijs inferret, neue quem quam illorum cogeret, præcipue vero vt ab iniurijs quas Ciuitatibus Capitaneatus, & inter alias Sancti Seuerini, Fori, Casalis noui, hominibus inferebat, abstineret. Omnia abunde promisit Fridericus datis apud Sanctum Germanum literis, die xx. Iunij. *Epist. 100. Epist. 97. Epist. 110. Epist. 114. Epist. 71.*

IESV CHRISTI Annus 1230.

GREGOR. PAPÆ IX. FRIDERICI II. Annus 4. BALDVINI II. Imp. secundo 1. Annus 2.

I. FRIDERICVS CENSVRIS ET ARMIS FŒDERATORVM FRACTVS RECONCILIATIONEM PETIT ET OBTINET. *Ad 26. Iulii.*

Hoc anno Fridericus siue censuris Ecclesiasticis, siue armis confœderatorum fractus, missis Messanense Episcopo, & Theutonicorum militum Magistro, Pont. Gregorio supplex fuit, & tum absolutionem à sacro vinculo, tum pacem in tanto dissidio postulauit. Non abnuit Pontifex, sed Ioannem Sabinensem Episcopum & Thomã Capuanum tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum, Cardinales Legatos misit, qui cum Commissis Friderici conuenirent, pacis rationes inuenirent, concordiam stabilirent, & Imperatorem ad satisfactionem arbitrariam inducerent. Apud Sanctum Germanum cum Legatis consederunt, Bertholdus Aquileiensis Patriarcha, Eberhardus Episcopus Salzburgensis, Siffridus Ratisponensis Episcopus, Leopold⁹ Austriæ & Styriæ, Bernardus Carinthiæ, & Otto Meraniæ Duces. Auditis precibus Imperatoris & Patriarchæ Hierosolymitani, conuenit, vt Fridericus omnia Ecclesiæ Romanę, & omnib. aliis erepta restitueret, vt ob illata damSalzburgensis Archiepiscopi nonnullis cõmisit. 12. Priori

III. MIRACVLVM DE VERITATE SANGVINIS CHRISTI IN EVCHARISTIA.

S. Matthæi Ordin. Præd. Rothomagensis, visitationem & reformationem S. Audoeni Ordin. S. Benedicti iniuxit. 13. Ordinem B. Matiæ redemptionis captiuorum confirmauit, aliaq; plura egit.

Hoc anno, die 30. Decembr. Florentiæ in D. Ambrosii Ecclesia, aliquis sacerdotum nomine Hugocio, cum sacrosanctum Missæ sacrificium celebrasset, nonnihil sanguinis Christi in sacro calice per negligentiam reliquit. Postridie reuertens, eas vini species, in verum, viuum, purumq; cruorem conuersas aspexit, populo renunciauit & ostendit, populus Episcopo retulit, Episcopus autem maxima cum reuerentia crystallinæ ampullę infudit, & inter sacras reliquias recondidit. *Ioan. Vilanus lib. 6. c. 8.*

IV. CÆDES EPISCOPI CATHANESII ET PÆNA INTERFECTORVM.

Per id temporis in Scotia, vltus est Deus cædem Adami Cathanesii Episcopi crudeliter interempti. Comes Cathanesius innocentem occiderat ad hunc modum. Decimas more cõsueto forte à popularib. exigebat Adamus ac quũ non persoluerent, diris, vt mos est, consecrationibus eos deuouerat. Hi porro Comite incentore, correptum domi suæ Episcopum flagris prius fœde cæsum, in propria ipsius culina immaniter concremarunt. Quod flagitium vbi ad Alexandrum Regem perlatum est (is tum Iedburgi erat) contractis quibusdam paucis copiis, illuc extemplo ipse proficiscitur, ac statim comprehensis sceleris auctoribus, qui supraquadringenti erant, omnes supremo affecit supplicio: filios vero eorum impuberes (nam puberes eundem cum parentib. exitum habuere) testiculis priuauit, ne hominum sceleratorum proles successione multiplicata, diu superstes esset. In cuius rei signum certissimum, exrat in hunc diem locus, vbi proiecti testes erant, nomine rem ipsam referẽs. Testiculorum enim appellatus est collis. Comitem vero Cathanesium, quod nec tulisset auxilium inuocanti Adamo, nec trucidato de homicidis supplicium mox sumpsisset, Comitatu priuauit. Cum autem postea, pecunia mulctato, comitatum restituisset, impunitatem hanc ab homine concessam, haud inultam Deus dimisit. Nam famuli eius, quod eos asperius æquo tractasset, post paucos annos noctu trucidatum, ac in grabatum impositum (quo facinus occultum maneret) accensis ædib. concremarunt. Periit igitur ille eodem genere supplicii, vt diuinitus factum videri possit, quo Adamum Episcopum afFecerant, cuius in mortem ipse haud dubie consenserat. *Hector Boethius lib. 13. Hist. Scot.*

V. ALBERTVS COMES FALCHEMBVRGVS FIT PRÆDICATOR.

Eodem anno Albertus Falehembergensis Comitis filius, & Ludouico Regi Gallorum affinitate coniunctus, adolescens, religionem Prædicatoriam ingressu suo exornauit. Missus is Lutetiam, vt cum filiis Ludouici senioris, & præcipue cum sancto Ludouico educaretur, ad cœlestem militiam animum adiecit, eamque in Prædicatorum ordine aggressus est, quod vt ad patrem perlatum est, etsi iam natu grandis, tenere se non potuit, quin Lutetiam cum magno suorum Comitatu aduolaret, omnesque machinas, & omnes conatus ad filii (erat enim illi vnicus) voluntatem expugnandam intenderet. Sed frustra, cum Dei amor in iuuenile pectus aduersus carnalem amorem, paternasque blanditias obdurasset. Illustrior autem fuit eiusdem congressus cum Theodorico consobrino, qui dolore ardens omnia videlicet attulit ad illud consilium labefactandum aptissima, lachrymas, preces, argumenta, matris denique commemorationem, quam præ animi ægritudine, aut iam mortuam esse aut moribundam decumbere affirmabat. Confederant autem è regione iconis cuiusdam, inqua CHRISTVS vt pingi solet, inter matrem & Ioannem discipulum in Cruce pendebat. Tum Albertus oculos ac digitum in eam tabulam intendens. *En*, inquit, *DEI filius cum matrem & consobrinum, vtrumque sibi tam carum, doloris gladio confossum videret, tamen è crucis patibulo quod facile poterat descendere noluit, sed in ea cum suo & illorum cruciatu vsque ad mortem permansit. Quare ne ego quidem hanc religiosæ vitæ Crucem, quam semel conscendi, vnquam deseram: quamuis & matrem quam narras, & te consobrinum ad pedes meos exanimes iacere viderem. Quin tu potius in hanc eandem crucem mecum conscendis, teque mundi huius laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo?* Quid plura? Tantum valuit hic adolescentis sermo, vt eum permouerit ad idem institutum, seculo relicto complectendum, mirante, & obstupefcente tota Ciuitate, eo magis, quod is antea mundanis nugis, atq; omni vanitate valde obligatus tenebatur. *Platus libr. 3. ex annal. Prædic.*

VI. *Antoninus 3. tit. 24. cap. 9. §. 7.* DIVERSORVM DIVERSÆ VOCATIONES AD FAMILIAM FRANCISCANAM ET EXITVS.

Fere per idem temporis aliud mirabile accidit, cum in eadem vrbe Lutetia quidam insignis doctor, Franciscanæ familiæ se addixisset, matrem eius (Antoninus cõmemorat) quæ inopia haud mediocri premebatur, idque ad alia beneficia addiderat, quod illius literarium otium suarum laboribus manuum sustentarat, multis lachrymis & clamoribus suam morbitatem ac paupertatem lamentari cœpisse, ac tum filium, tum illius ordinis Patres omnes tanquam inhumanos & iniustos etiam accusare. Quibus cum ille commotus iam in proposito nutaret, & ante crucifixi imaginem oraret, quasi veniam petens ab eo discedendi ad matrem subleuandam, vidit è Christi latere perfosso manantem cruorem, simulque hanc vocem audiuit: *Ego te carius nutriui, quam mater tua, quare non me deserere debes, propter matrem tuam.* quo ille & stupefactus, & ita roboratus est, vt deinceps maternas omnes vel blanditias, vel querelas facile contemserit. Terribile est illud quod sequitur in eodem Diui Francisci instituto. Cum quidã aliquando Franciscani Ordinis votum suscepisset, postea vero mutato consilio factus esset Canonicus, post paucos menses incidit in morbum lethalem. Admonitus à suis de anima per confessionem expianda, respondit: nihil esse opus: quoniam sibi ostensum esset, se esse damnatum: quare ne amplius sibi molesti essent, quia non posset confiteri. Apparuit enim, inquit, mihi Dominus iratus, dicens: Vocaui, & renuisti, ideo vade ad pœnas inferni: quo dicto expirauit. Tristis sane ac miserandus huius exitus: Melior alterius in simili periculo, qui cum adhuc iuuenis Cistercienſe in stitutum sequi decreuisset (neq; se tamen voto obligarat) dum de die in diem differret, cœpit intepescere. Quare cum ex Compostellana peregrinatione domum rediisset, eadem ipsa nocte apparuit illi Christus Dominus cum duobus Apostolis, Petro & Iacobo Petrus autem pulcherrimum librum tenebat coram Domino apertum, in quo adolescentis nomen, Ioannes, descriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum; Dele, ait, istum de libro meo. Iacobus vero supplicare cœpit pro suo, vt appellabat, peregrino: insuper etiam illius emendationem promittere. At Ioann. hoc de se agi videns pauebat & tremebat, nouamq; vitam in futurum pollicebatur. Dominus autem quasi illius inconstantiæ minus credens, fideiussorem illius voluntatis postulauit, quem se obtulit S. Iacobus. Inter quæ cum iuuenis excitatus esset, secumque hæc admirans rursum obdormisset, iterum est illi ead. species, idq; amplius quod in libro apparuit eiusmodi inscriptio ex Canticis: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Ille igitur & hoc iniuncto promisso inuitatus, & illis minis exterritus, nulla mora interposita Cistercium se contulit, vbi magnis in virtute progressibus factis primum Abbas Bonæuallis, deinde etiam Valentiæ Episcopus factus est.

VII. B. F. MICHAEL BENNAZARVS PRÆDICATORII ORDINIS, MIRACVLIS CLARVS.

Hoc Anno Fr. Michael Bennazarus vir sanctitate & miraculis conspicuus vixit, de quo pauca quædam quæ sciri potuerunt ex priscis memoriis reponimus. Fuit hic gente & religione Maurus, qui iam ætate adulta, capta, & in potestatem redacta à Iacobo Rege Insula, ad Christiana sacra animum adiecit, susceptoque sancto Baptismo, vitæ perfectionis desiderio, in religionem Dominicam nomen dedit. Habitum ordinis in Maioricensi Conuentu primis eius initiis de manibus, vt creditur Frattis Michaelis Fabræ, à quo etiam nomen Michaelis desumpsisse videtur, accepit. Facileque existimari potest, hunc vnum fuisse de primis illis Mauris Balearibus Christianis redditis post Insulę expugnationem, qui constanter asserebant, sanctam Mariam & fratrem Michaelem eepisse Maioricam, quem & amore Christianæ pietatis, & admiratione virtutum Fr. Michaelis Fabræ, cuius laudes ita prædicaret, incensum verisimile est ad Ecclesiam è Maurica superstitione transeuntem, sese Fr. Michaeli optimis moribus imbuendum & efformandum tradidisse: & ab eodem fortasse & sacro Baptismo initiatum, & commune nomen accepisse, saltem in Prædicatorum Ordinem admissum. In quo positus, mirum dictu, quantum vitæ sanctimonia, doctrina, officio prędicationis promouerit. Habitus est ia tota Insula, virtu-

tum quoddam exemplar eximium, vt totius religionis ac probitatis præclarum specimen, verbo, exemplo, consilio, mirifice omnes iuuabat, cunctis documenta salutis impertiens. Per Insulam frequenter discurrebat, verbum Dei vbiq; disseminans, populosq; ad vitiorum fugam, virtutum amorem, vehementer accendens. Omnes vt patrem, vt doctorē, vt vnicum animarum solatium venerabantur. Cum semel diuersa loca Insulæ peragraret, quo eleemosynas à Christi fidelib. colligeret, ad fratrum alimoniam, qui Maioricam ad Capitulum Prouinciale conuenturi erant (nam eo anno indictus fuerat Prouinciæ Conuentus in Cœnobio Maioricensi) vidit per viam simul venientes vigintiquinque Prædicatores Fratres. Conuersus ad socium, ecce, inquit Fratres iam veniunt ad Capitulum. Illisque cum gaudio occurrens, salutauit benigne, felicemque aduentum gratulatus est. At illi responderunt: Nos quidem ad cœleste Paradisi Capitulum pergimus. Nam à fluctibus absorpta, qua vehebamur, nauicula, corporibus iam exuti, & liberi à mundanis periculis transimus ad gaudia cœli sempiterna, quæ sine fine durabunt. Hoc dicto, simul omnes momento euanuerunt. Et Fr. Michael Bennazarus in genu procumbens, immensas Deo gratias reddidit pro gloria Fratrum suorum. Remque totam ordine postea enarrauit. Ergo post multa virtutum egregia opera, multis annis in religione Prædicatorum strenue laborans, vir Dei ad præmia æterna euocatus, migrauit in cœlum. Cæterum tempus obitus ignoratur. Corpus eius in Ecclesia Dominicanorū Maioricensi, in sacello Sancti Ioannis, quod est familiæ Verinorum, vnde fuit insignis ille Poeta puer Michael Verinus ab Angelo Politiano, Iulio Scaligero, aliisque tātopere celebratus, in sepulchrum circulo ferreo munitum, conditum fuit. Ex circulo illo ferreo, sex virgæ aut prominentiæ assurgebant, quibus deuotus populus venerationis ergo candelas & cereos accensos olim affigere cōsueuerat. Post multos annos elapsos, ex eo sepulchro Beati viri ossa extra, in Sacristiam securioris custodiæ causa illata sunt: Sed ne tanta lux in angulo delitesceret, rursus anno salutis 1598. in priorem locum restituta fuere. Nec ad illustrandam gloriam serui DEI diuina defuere miracula: Nam Raphael Auella ciuis Maioricensis cum Panormum Siciliæ nauigaret, coorta horribili ac fœda tempestate, suprema iam vitæ pericula pauidus expectabat. Sed cum illi in summa rerum trepidatione B. Michael Bennazarus in memoriam incidisset, eius opem ex intimo corde poposcit, factoq; voto, subito quieuit tempestas, in portumque incolumis nauis euasit. Tantique miraculi monumentum conseruat hodie tabula ad sepulchrum viri DEI appensa. Quam idem Raphael in accepti beneficii gratam memoriam adfigi iussit. Hi sint supremi flores, quos sanctissimi viri monumento spargimus, neque de eo plura scire licuit: Hæc vero pauca collegimus, *ex Balthazare Sorione, libello de viris illustribus Prouinciæ Aragoniæ, & Francisco Diago libr. 2. Histor. Prædicatorum Aragoniæ c. 42.* quę ipsi ex vetustis certisque monumentis optima fide accepere.

VIII. *Apud Sur. 13 April.* DESCRYPTIO VITÆ B. ÆGIDII COMITIS S. FRANCISCI ET DICTORVM MEMORABILIVM.

His ipsis diebus inter Fratres minores viuebat Beatus Ægidius, Diui Francisci comes. Is vbi primum è ciuibus suis Assisinis intellexit, Bernardum eius vrbis virum primarium, ac Petrum summæ ædis ibidem Canonicum reb. suis in pauperes erogatis sancti Francisci institutum amplexos esse, octiduo post, diuino instinctu permotus, ad eos quoque se aggregauit. Porro Franciscus nouo milite gauisus, cum vt eum donaret habitu, ad comparandum pannum abiret, atque mulierem, stipem infimis precibus mendicantem, obuiam haberet: ait Ægidio: *Quin tu optime frater, huic pauperculæ pallium, quo indutus es, largiris?* ÆGIDIVS autem prompto animo mulieri id obiecit, simulque ex ea eleemosyna tanto est gaudio cumulatus, vt cœlos plane sibi apertos existimaret. Hinc toto vitæ suæ tempore, nihil vno charitatis officio antiquius habuit, nihilque maiore cum alacritate perfecit, quam pauperum necessitatib. consulere, cunctisque cum corporis, tum multo magis animæ cibos subministrare. Aliquando peregre profectus vt loca sancta visitaret, pauperi obuio cum aliud non haberet, cucullum seu caputium ei dedit, & ipse interim incredibili tolerantia totos viginti dies aperto capite ambulauit. Ocium summopere fugiebat, tum vt pauperibus aliquid operando lucraretur, tum ne panem gratis manducare videretur. Cum quandoque à Cardinale Tusculano benigne ad eius mensam esset vocatus, ille ne tanti Principis auctoritatem negligeret, adfuit quidem, sed duos panes quos iustis ante laboribus acquisiuerat secum tulit: asserens nequaquam sibi licitum esse, alienis vesci sudoribus: quin potius beatum esse eum, illique bene fore, qui manuum suarum labores manducaret. Carnis domandæ tantum studium illi fuit, vt & ieiunia diebus totis continuaret, & noctes in oratione duceret insomnes, & totum corpus flagris continuis affligeret. Vnus ex fratribus, grauissima quandoque tentatione afflictus, remedium ab eo postulauit. Cui Ægidius; Dic mihi, inquit: quid faceres cani te mordere volenti? Ego, respondit ille, verberibus illum abigerem. At Ægidius: Idem facito huic tentationi, & tandem liberaberis: nam nemo sine certamine, de minimis etiam hostibus victoriam obtinere potest. Vnde ipse fuit corporis domitor egregius. Quamquam autem alii in eo corporis castitatem mirarentur, eamq; facerent plurimi, ille tamen multo magis ad animi puritatem attendebat, inque eo vel maxime laborabat, vt suam cum diuina sociaret arctissime, nihilq; admitteret, quod vel tenui nubecula splēdorem illum obfuscaret. Cum multa frater quidam de castitate eum prædicantem, cunctisq; virtutibus præferentem audiret, quærebat: Anne potior esset charitas? Cui Ægidius subridens respondit: Ecquidnam est charitate castius & purius? Quid nos magis DEO commendat, charosque reddit, nisi illa mentis castitas quæ sensus omnes diuinæ gratiæ custodit, & amoris indissolubili vinculo ei coniungit? Ea itaque virtute maxime delectatus, ad eam perfectionem euaserat, vt summos quoque viros præcelleret. Incredibile est, quam familiares ei fuerint mentis in Deum excessus. Post susceptum vitæ sanctioris institutum, anno sexto, quadam nocte piis intentus precibus, adeo diuini Spiritus suauitate absorptus est, vt putaret animam plane à corporis coniunctione diuellendam esse. Nec multo post, raptus in spiritu ad cœlestia arcana contemplanda, tanta lætitia affectus est, tātaq; repletus dulcedine, vt deinceps, quotiēs vel ipsius Dei, vel gloriæ cœlestis, vel paradisi fieret mentio, toties oppressis sensibus humi decideret, spirituque exultans, cœlestia regna peragraret. Hinc pueri & opiliones ab aliis docti, eo viso clamabant: Paradisus, paradisus. Quo audito, protinus corpore deficiens labebatur, & interim cum incredibili mentis gaudio, de cœlesti gloria cogitabat. Triduo ante CHRISTI natalem in Tuscia eo loco quem Sethonam vocant, postquam diebus quadraginta continuis (vulgo id ieiunium sancti MARTINI appellāt) in ieiunijs precibusque perseuerasset, nocte CHRISTVS Dominus ei apparuisse fertur. Ex cuius conspectu, tantam hausit animi voluptatem ac spiritus dulcedinem, vt deinceps hominum familiari consortio repudiato, vnicum vitæ solatium solitudinem appeteret, ac nocte dieque sola cœlestium rerum meditatione frueretur. Fuit autem in omni vita sua perquam iucundus & hilaris. Præcepta Ecclesiæ & ius Pontificium magna cumprimis reuerentia prosequebatur, eaque aliis commendare non desinebat dicens: Nos sanctæ matris Ecclesiæ bonitatem minime agnoscere, quæ non intermittit viam salutis nos docere, mirabilique ratione ad sempiternam gloriam dirigere. Venerunt quandoque ad eum Cardinales duo, vt eius sapientiæ, quæ miro præconio celebrabatur, experimentum aliquod caperent. Qui cum à familiari eius colloquio discederent, precibusque ipsius sese commendarent, dixit illis: Quin potius, inquit, vos me precibus vestris commendatum habetote, qui maiore fide ac spe præditi estis. Illis autem sciscitantibus, quinam id fieri posset: ÆGIDIVS respondit: Vos diuitijs, honoribus, omnibusque mundi prosperitatibus affluentes, haud dubiam vobis salutem promittitis: cum ego miser in extrema mendicitate, & rebus duris atque asperis, damnationem insuper vehementer reformidem. Aliquando etiam cuidam sæculari literato, argute exprobrauit auaritiam, & in pauperes immanitatem. Cum enim ab eo quæsiuisset; Credisne magna esse præmia, quæ DEVS præparauit diligentibus se, & seruientibus sibi? isque respondisset; Credo: Atqui ego, inquit, ostendam te non credere. Quantum valent

posses-

possessiones tuæ? Mille, ait ille, aureos. Si hos ergo ita collocare posses, vt subito centum mille conficerent, nonne statim eos exponeres? Ergo cum non exponas, manifeste apparet, te non fidem habere Christi promisso. Sciscitanti etiam cuidam aliquando, qua ratione puras, & charitatis igne inflammatas DEO posset offerre preces, cum cor suum nimio torpore oppressum sentiret: respondit AEgidius: Si Rex aliquis duos ministros, alterum armis egregie tectum, alterum inermen in prelium mitteret, certe armatus inperterritus ad certamen ibit, inermis vero subsisteret, neque ita intrepide vt alter, pedem in hostem inferret. Verum enimuero si is, solo Regis amore, omni contempto periculo, in medios hostes graderetur, eosque omni contentione, quamuis multis saucius vulneribus, repelleret, numquid merito is alteri præferendus, maiorique laude ac præmio dignus haberetur? Ita etiam & is qui ad certamen orandi absque deuotionis gustu fidenter accedit, & cum mentis ariditate, solo Christi amore, aduersus animarum nostrarum hostes luctatur, nō modo suo fructu & præmio non frustrabitur, sed maiore etiam gloria, in cœlesti regno coronabitur, quam is, qui in hac vita plenus spiritus delicijs nullo aut paruo cum certamine impugnantem hostem fugat, ac perpetua fruitur mentis tranquillitate. Quodam illum consulente, num relicta mundi vanitate, in Monasterio se Deo consecrare deberet: sic respondit; Si quis extrema rerum omnium inopia laborans, reconditum in agro thesaurum sciret, putasne quęsiturum illum ab aliquo, an eum thesaurum effodere deberet? Quanto ergo magis omnib. nobis properandum est, vt æternæ vitæ thesaurum reperiamus? Rogauit aliquando Aegidium frater quidam, vt pro ipso Dominum deprecaretur. Cui Aegidius: Tu vero ora, inquit, pro teipso. Quid enim alium pro te mittis, & tu interim desides, cum possis ipse iter conficere? Illo dicente se peccatorem esse; Aegidium vero Dei amicum, atque ea causa posse, Dominum & sibi, & aliis propitium reddere: Aegidius respondit: Frater mi, si omnes omnium plateatum anguli, auro argentoque redundarent, ac proclamatum esset; licere cuilibet pro voto illud auferre, alium ne pro te nuncium ablegaturus esses, qui tuo nomine id tolleret? Puto equidem teipsum iturum, neq; satis confisurum alteri. Ita nimirum cum Deus omnes ad se inuitet, *Ioan. Mariana lib. 12. cap. 15.* thesaurosque nullo vnquam tempore deficientes liberaliter promittat, neminemque ad se venientem spernat, quid est quod alium pro te mittas? quin potius ipsum adito, causamq; tuam ei exponito, ac multo facilius per te, quam per alium quod desideras obtinebis. Plurima alia eius dicta feruntur, digna laude atq; obseruatione.

IX. DESCRIBITVR VITA ET CONVERSIO ET CONVERSATIO B. ÆGIDII RODERICI VALLADARII PRÆDICATORIS.

Fere etiam hoc tempore florebat Beatus AEgidius Rodericus Valladarius Ordinis Prædicatorum, natus ad confluentes Vagi & Zelæ fluminum in oppido Vaozella Visensis Diœcesis in Lusitania. Parentes eius iuxta sæculi dignitatem, & genere nobilissimi, & moribus religiosissimi fuere, fortunarum amplitudine inter primos Lusitanię proceres clari. Pater eius Rodericus Pelagius Valladarus, arcis & vrbis Conimbricensis præfectus dicebatur quem fuisse summæ apud Regem Portugalliæ auctoritatis, historiæ produnt: Nam Sanctio primo Regi fuit à consiliis, & Regiæ aulæ Præfectus, quem Maiordomo appellant. Mater vero Donna Tazaria Aegidia ex Athaidorum & Attaugiæ Dynastarum familia, fuitque cognata Donnæ Ioannæ Togure, cuius dominii oppidum Voazella censebatur, quæ postea capellam construxit, vbi nunc corpus B. Aegidii requiescit in Conuentu Santaranensi. Post Grammaticam & Philosophiam, medicinam est sectatus, in qua vsq; ad nominis famam profecerat. Verum intra pubertatem Ecclesiarum Bracharens. ac Conimbricens. Igedetanæ Canonicus, Ecclesiarum item D. Irenes Scallabitanæ Priorem egit, sicut Cherulciensis Rectorem: quæ omnia beneficia patris opera, qui tum gratia & fauore apud Regem pollebat, consequutus creditur. Inter hęc miserabilis iuuenis totum se vitiis permisit, effrænis in voluptatibus ruebat, cuncta prodigere, omnia pro sensu carnis & libidine agere, nullo Dei respectu, nullo timore. Erat illi cordi Medicinæ ars, haud quidem vllo bono fine, sed vt per eam vanissima curiositate, absurda quædam & inconcessa rerum experimēta captaret. Igitur Parisios adire decreuit, vbi tunc celeberrima variarum disciplinarum gymnasia frequentabantur, vt eruditionem rerum naturæ experientiam adeptus, famosior euaderet. Iter ingressus dæmonem obuium humana in specie habuit, seque illi nequam spiritus vię comitem adiunxit. Sermonib. vltro citroq; habitis, cæpit à noto sibi sed ignotus paulatim varia quærere. Vt audiuit profectionis consilium: si meum capis, inquit, ô iuuenis, mirabilem artem, adeptu facilem, & vsu præcipuam demonstrabo, qua tibi ad summos honores, dignitates, voluptates, & quæcunque cupieris, amplissimam viam pares; vt præ ista, Medicinæ arcana plane sordescant: & si hanc quoque haurire penitus optas, mea ista, quam indicabo, Medicinæ summa perfectio est. Necromantiam dico, qua pleriq; ad summa rerum fastigia euasere. Aegidius insano quodam impetu curiosa experiundi abreptus, facile se à dæmone in manifestam perniciem abduci passus est. Ducitur amens iuuenis à diabolo in vastam specum pro Toletana vrbe, ibi occurrere læti, excepereque venientem multi viri, dæmonesque in humana effigie: eunt omnes in profundam speluncam, vbi horrendæ artes prælegebantur: proponuntur imperatæ leges omnibus, qui eo in loco Magicas disciplinas ediscere vellent; adolescens traditus iam in reprobum sensum, totusque à dæmone possessus, nefando ritu CHRISTI fidem abiurat; nec tantum secreti, sed & legis fidei seu homagij nefario sacramento se diabolo addicit: chirographumque proprio cruore descriptum, & subscriptum promit. Septennio illic tetris artibus, & caliginosa scientia imbuitur, post Lutetiam profectus, breui in medicina magnos progressus fecit, & Doctoratus lauream adeptus, solutissimæ vitæ licentiam, posthabita boni & æqui ratione, exercere cæpit, flagitia flagitiis addens, per omnia vitiorum genera præceps ferebatur: incertum fama eruditionis an nequitię infamia maior haberetur. Cum autem placuit ei, qui eum segregauerat ex vtero matris suæ in seruum sibi, contigit quiddam magnopere mirabile: Erat adhuc Lutetiæ, quadamque die solus in Bibliotheca sua, clauso ostio meditabatur quippiam de arte sua, & ecce oblata est ei species terribilis armati viri, facti quantum videbatur ex lapide marmoreo, equo similiter marmoreo insidentis, qui lanceam manu vibrans, ac misero intentans, irato vultu, minacique voce inclamauit: Muta homo, vitæ tuæ statum, muta inquam vitæ tuæ statum. Et his dictis euanuit. Aegidius subito terrore concussus, visa secum reputabat, & ex scelerum conscientia pauefactus, de mutando vitæ instituto cogitare cæpit: sed paulatim abeunte terrore, bona illa mens resipiscendi elanguit. Paucis interiectis diebus, adfuit iterum armatus ille, consimili apparatu, sed habitu oris longe terribiliori, & admisso in eum cum impetu equo voce horrenda: Muta inquit homo, muta, muta statum tuum, alioquin te interficio. ÆGIDIVS exemplo Pauli totus pauore horrens, celeriter respondit. Mutabo DOMINE. Quem vt ferox ille equus ista promittentem audiuit, lanceæ mucrone leuiter illi pectus circa cor pupugit, ac protinus abscessit. At ille ita punctus, existimabat vulnus in cor intimum descendisse, quare flens magnis clamoribus cæpit vocare famulos, quibus introgressis, aduertit vulnus non corporis sed cordis esse, illique diuinitus tacta præcordia, vt reiecto impurissimo illo vitæ genere, ad cor rediret. Igitur imperat famulis, vt statim abitum adornarent, velle enim ab ea terra quamprimum discedere, atque in patriam reuerti. Accenso mox igne copioso, libros omnes Magicæ superstitionis combussit, clamque è Lutetia discessit, magnis itineribus contendens in Lusitaniam. Dumque esset in via, ex mæstitia, inedia, & lassitudine, quartanam febrem incurrit, propter quam tamen profectionis contentionem nunquam intermisit, vtpote corde saucius, & semetipsum fugiens. Palentiam interim deueniens, qua illi iter in Lusitaniam erat, vidit Fratres Prædicatores in ea vrbe nuper exortos, magno labore nouum monasterium ędificare, atque ipsosmet religiosos in opere laborantes, cementariis ac artificibus reliquis sedulo ministrare. Mirabatur viros sanctitate & eruditione claros, quosdam etiam nobiles, viribus & ætate defectos, delicate quondam nutritos, absque vllo sanguinis, gradus, aut scientiæ supercilio, calcem subigere, lapides parare, ligna deferre, onera humeris

portare

portare summa lætitia & alacritate. Motus diuino impulsu Ægidius, optauit ex animo illis se fratribus iungere. Priorem adijt, petijtque anxie, vt eius exciperet confessionem: cumque eatenus actæ vitæ labes, recensque propositum aperuisset: religiosus Pater lucrifaciendi eius cupidus, de consensu fratrum Aegidium in societatem Prædicatorum recepit. Qui veniens ad ostium Cœnobij, famulis ex eo facto consternatis, multumque plorantibus, valedixit, omni inter illos diuisa supellectili, atque literas ad Patrem dedit, quib. quæ sibi contigerat, enarrabat. Postquam autem ordinem est ingressus, in carne sua pristinam indulgentiam puniens, totum se ieiunijs & pœnitentiæ operibus dedit, & ad tantam sui humilitatem, demissionemque est redactus, vt ad abiectissima quæque ministeria vltro se offerret. Victu vtebatur parcissimo, ferreo cingulo quatuor diffracto internodiis, sub cilicino sacco, super nudam carnem se cinxit, ita fibulato, ne facile diffibulari posset. Id ad hanc vsq; nostram ætatem pro sacra reliquia religiose asseruatur in Cœnobio Sanctarenensi. Postquam Religionis vota solenniter professus est, iussu Fratris Gomerii Sueuij Prouincialis, missus est in Patriam, ad Conuentum Scalabitanum seu Sanctarenensem, qui tum regulari disciplina, & magna virtutum fama vigebat. Vbi mira se afflixit vitæ asperitate. Grauiter aut ẽ Ægidium angebat, fœdus pactum cum dæmone, & chirographum illud detestabile, quod suo sanguine scriptum illi reliquerat. Quare abundanti lachrymarum fluuio, Christum vt sui misereretur, anxie deprecabatur. Dei tamen Genitricem peculiari veneratus affectu, in ea magnam collocauerat fiduciam, vt eius meritis impia syngrapha sibi redderetur, aut certe deleretur. Itaq; Reginam misericordiæ ardentibus & continuis in sui opem precibus implorabat, nocteque ducebat insomnes, à lachrymis & suspiriis vix intermittens, solotenus prostratus, ante altare Beatæ Virginis in sacello, in quo pendebat demissus à turri per foramen funis, quo cymbalum pulsabatur orabat. Inter hæc autem, dæmonum grauissimas patiebatur sycophantias & iniurias, eum ad desperationis barathrum pertrahere molientium. Nam sicut ipse postmodum cum ad tentationum tolerantiam iuniores hortaretur, referebat, varios insultus diaboli perpessus est, modo illi immane chaos, & horribiles tenebras, modo in æternis ignibus ardentes, cum corporibus animas, ostendentes. Aliquando se nequam hostis in amplissimæ testudinis specie obiiciebat, nonnunquam trucis sagittarii imagine formidolosis eum sagittis impetentis, iamiamque emissurę similis, ob oculos se ponebat: interdum vero vt qui esset confusus, probrosis vituperationibus & maledictis eum proscindebat: Vt asseueraret postea, malle se millies capitalem subire sententiam, quam in spectrorum talium fœdam imaginem iterum incurrere. Ad quorum territamenta, multimodasque illusiones, & ex præteritorum conscientia formidolosus, querula anxietate, magis ac magis ad pientissimæ Genitricis confugiebat asylum, nec illum spes ea fefellit. Nã post septem fere à sua conuersione annos, nocturna quadam peruigilatione afflictius & importunius oranti, adfuerunt dæmones clamoribus validis, nihil illum agere subinde obstrepentes: meminisset religionis Christianæ pro nihilo habitæ: nullum iam quantæuis pœnitentiæ relictum esse locũ: meminisset vt pessimo se inferis auctorarat facinore: meminisset pacti suo sanguine confirmati: frustra se afflictare, frustra precibus fatigare, occlusum sibi omnino cœlum. Hæc & his similia cum iactarent, quo de constantiæ gradu deiectus, desperationis extremo scelere se afflictus animus præcipitaret: Aegidius ad Virginis imaginem quæ erat in ara, paulisper erectus, inter acerbissimos singultus, qua voce potuit; Pientissima inquit Regina, reuera cum mea mecum scelera expendo, digna omnia meis factis quæ obiiciunt isti, egomet agnosco, sed cum omnipotentiæ, cum misericordiæ, cum placabilitatis filii tui, cum pietatis quoq; tuæ recordor, non possum spem magnam non resumere, non possum meliora quam mereor non sperare. Ostende eos virgo sanctissima iuxta filii tui sententiam, & mendaces esse, & mendacii patres, & famulum tuum maxima te cordis ac spiritus anxietate adorantem, ad hanc aram tuo signo venerandam confugientem, tuum cœleste numen afflictim implorantem, spe bona, & qua potes ope consolare. Quid multis? Inter superbe intonãtium & comminantium voces cõsternatus præangustia & terrore, supplex Aegidius, parum aberat, quin animam efflaret. Ecce autem Chirographum infælicis pacti, ante altare Virginis apparuit, demissum ab improperantibus, & vim sibi factam à beatissima Dei genitrice conquerentibus. Inter alia dæmon, cum acerbissimis conuicijs Ægidio, præsertim sibi fidem, acceptaque beneficia exprobrasset, hæc minaciter tunc adiecit. Faciam huius te Monachismi, & violentię, quæ me tibi syngraphum hanc restituere cogit, nunquam satis pœniteat. Non poterit vlla humana eloquentia pro dignitate explicare lætitiam, lachrymas, gratiarum actiones, sanamque pro diuinę matris dulcedine insaniam, quibus Ægidius afficiebatur: cui noua lux oculis cœlitus oblata est, vt intelligeret non displicere benignissimo Patri reuertentis filii seriam pœnitentiam. Multum tamen illi in beatissimam Virginem auctus est affectus, & ab illa vicissim speciali cura custodiebatur. Pro septennio enim illo perseueranti vrgentium tentationum patientia exantlato, altero septennio Beatæ Virginis gratia remuneratus à Deo est, quo perpetuo lucem quandam in modum accensæ lãpadis, vbique adesse sibi conspiciebat, quasi certum & præsens aduersus nefarias potestates amuletum: donec tandẽ posita fœdorum spirituum formidine, ne minimum quidẽ ad eorum aspectum terrebatur, sed illis ipse erat terrori. Verum humani generis hostis, vt se Fide liberaret, & quod Ægidio antea minatus fuerat, opere compleret, variis eum exercebat tentationibus, dabat operam modis omnibus, vt in odium & indignationem aliorum Religiosorum incurreret. Assumebat plerumque Monachi qui in eodem degebat Monasterio similitudinem, & Ægidio passim factus obuiam, nihil non quod excogitari inter domesticos posset molestiæ, viro sancto inferebat, cõuicia, maledicta, risum, contemptum, & quæuis cruenta verborum scommata in eum iaciens: sed vir Dei patientiam illibatam semper conseruabat. Cæterum cum indies augeretur malum, vir Dei cedendum ratus, & vt illi, quem fratrem esse putabat peccandi occasionem adimeret, cum Subpriore cõuentus de mutando monasterio, causa etiam exposita, serio egit. Subprior qui sanctum virum summe diligebat, ægre tulit tantam iniuriam illi irrogari, & accersito fratre qui omnium insciis & innocens erat, vehementer expostulauit ita ab se inhumane & crudeliter seruum Dei tractari. Ille stupens persancte iurabat, nihil tale neque per cogitationem à se attentatum, sibi maximo honori esse Aegidium, & plurimum illum reuereri & obseruari. Vir Dei facile intellexit, fraudem esse antiqui insidiatoris, nec locum mutare constituit: Dæmon artes suas deprehensas agnoscens ab infestatione cessauit. Vt autem Ægidius studio Theologiæ quod ardenter arripuerat expeditius vacaret, missus est à Prælatis Lutetiam iterum, ibique toto tempore, sumptus ei liberalitate Sancij Regis Portugalliæ abunde suppeditati sunt. Redeunti ex studiis post promotionem ad Doctoris culmen, in suam prouinciam, cum alio religioso socio: contigit, cum ad terram Pictauiæ deuenissent, & à mane vsque ad horam sextam iuissent afflicti, & fessi, esurire cæperunt. Erat autem prope villula, in qua pauci homines & pauperes morabantur. Frater autem qui amplius erat fessus, volebat vt ibi cibum quærerent ostiatim; alius autem qui magis esuriebat, monebat vt ad meliorem, sed ad magis distantem villam irent, ne si minus comederent, postea deficerent in via. Tunc qui lassus erat valde volens alium consolari, ait: Frater, nonne Dominus potens est in villa paupercula sufficiens nobis præstare conuiuium? Cui alter; Scio, inquit, quod potest, sed non consueuit. Tunc alius ait: Noli timere charissime, quia in hac villa modica Dominus nobis necessaria ministrabit. Cum sic loquerentur, ecce Castellana S. Maxentij, diues & nobilis fœmina cum filio suo & multa familia superuenit. Quæ videns fratres admodum fessos, affectuosissime præcepit filio suo dicens: Fili descende, & amore Dei & mei fratres illos Prædicatores repansa. Qui descendens, pastillam optimam piscibus bonis farsitam, quæ suæ matri erat parata accepit, vinum, caseum, vuam, panem quoque recentem, & alios pisces obtulit fratribus abundanter, frequenter inuitans vt oblatum cum gaudio susciperent, quia pauperes Dei erant,

& multum laborare debebant, & in aliis locis vix aliqua inuenirent. Postquam autem mirabili affectu cum multis iuuenibus ministrauerat eis, dixit Aegidius socio: Oremus Dominum vt iuuenem istum qui nobis tam deuotè seruiuit, Christus custodiat, & ad vitam beatam perducat, flexis ergo genibus dicto *Veni Creator*, &c. cum Pater noster & oratione; valedicẽtes iuueni, & eum sæpius Domino commendantes, abierunt. Aliquando autem transacto tempore alter eorum veniens Patrisios ad Capitulum Generale, supradictum iuuenem iam factum fratrem inuenit. Cui cum reduceret ad memoriam qualiter eos ad iussum matris pauisset. *Bene*, inquit, *recolo, & Deo gratias ago, quia orationibus vestris Dominus ad istum ordinem me adduxit. Ex Annalibus Prædicat.*

X. MORITVR FR. BERTRANDVS A GARIGA COMES INDIVIDVVS S. DOMINICI.

Hoc Anno rebus humanis exemptus est Frater Bertrandus à Gariga, comes indiuiduus D. Dominici Prædicatorum Conditoris. Tanta huic fuit compunctio lachrymarum, pro peccatis quæ commisisse se aiebat, vt Sanctus Dominicus illi, ne amplius ploraret, inianxerit. Causam quidem ille, pro obedientia, sed non lachrymas mutauit: tum exitus aquarum ex oculis, pro peccatis alienis quotidiè circumduxit. Solemne illi fuit pro viuis tantum, nõ pro mortuis immolare. Causam interrogatus, quod hi certi in purgatorio, illi incerti in mundo salutis suæ essent, & ideo hi magis quã illi suffragiis indigerent, respondit. Tam diu autem in hac sententia perseuerauit, donec vnus mortuorum eidem apparuisset, & loculum repositorium in eum, quasi obruere niteretur, præcipitare voluisset. Tunc enim opinione deposita, pro pie defunctis etiam interpellauit, donec ipse multis pro Christo exantlatis laboribus, cursum vitæ per patientiam impleuisset. *Michael Pius lib. 1. de viris illustr. Ord. Præd.*

XI. VITA B. NICOLAI DE IVVENATIO STVPENDA ET OBITVS.

Par huic ætate & professione Nicolaus Iuuenatius: cuius vitæ summam etiam placuit hic inserere. Beatus Nicolaus de Iuuenatio natus est in eadem Vrbe, quæ est in Terra Darii Prouinciæ Apuliæ, ex nobili familia de Palea, Patre Blasio, Matre Catharina. Cum ad octauum peruenisset annum, cæpit sanctus puer mirabili proposito abstinentiam exercere, interdicto sibi penitus omnium carnium vsu. Id cum animaduertisset Præceptor eius Presbyter quidam nomine Lucas, qui Patris eius erat Capellanus, quadam die in schola ipsa, quæ erat in Ecclesia Beati Apostoli Iacobi extra oppidum Iuuenatii, grauiter puerum reprehendit, quod in tenera ætate ita carnes dimisisset, vt nec in ipso Natalis Domini Festo illis vesceretur. Nicolaus flexis genibus, aperto capite, & brachiis in modum Crucis conformatis, ante præceptorem, inquit: Domine Magister, cum essem aliquando in paterna domo, venit ad me pulcherrimus iuuenis candore & forma eximius, suauissimum spirans odorem, qui me mirabiliter in sui amorem rapiebat, dixitque mihi. Fili obedientiæ hunc à te morem seruari diligentissimè volo, vt à carnibus abstineas, quia eius instituti futurus es, in quo nullus erit carnium vsus. Togarelligiosorum Sancti Dominici in breui indutus, cum aliquando alijs nouitijs comes vrbem Canusiam pertransibat, forte fortuna extra Ciuitatem occurrit mulier brachium aridum omni prorsus sensu priuatum habens: Sanctus Nouitius misericordia motus dixit ei; optima fœmina quid habes in brachio? Reliqui nouitij illum cæperunt obiurgare, quod cum nouitius esset, silentio rupto, cum sæcularibus loqueretur, quod constitutionibus Ordinis vetabatur. Ille vero se id tantum amore pietatis & charitatis rogasse asseruit. Et conuersus ad fœminam, dixit illi; Mulier confide in Domino, vt tibi gratiam sanitatis tribuat. Et mulier; Scis inquit, id pro certo Pater? Tum ille, fides ait tua te saluam faciet, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Atque ita mulieri statim brachium sanum, cum naturali motu & vsu, perfecte restitutum est, cunctis qui aderant magnopere mirantibus. Cum aliquando intraret vrbem Iuuenatii cum socio suo Fratre Masulio de Venetia, ecce ingens multitudo hominum confluxerat ad triste spectaculum: nam mulier quædam quæ venerat hauire aquam ex proximo puteo, dum operi intenta minus curat infantem filiolum septemdecim dierum, quem secum detulerat: is inopinato casu in puteum prolapsus & mersus, animam exhalauerat: quem è puteo extractum exanimem, mater miserandum in modum deplorabat. Vir Dei Frater Nicolaus, tanto mulieris dolore & infortunio ad commiserationem impulsus, cum mortuum sibi portari iussisset, dixit mulieri: Confide in Domino, nam filium viuum & sanum recipies. Mulier ingenti fide Fratrem Nicolaum rogabat, vt precibus suis vitam filio à Deo impetraret. Ille cum tantisper Dominum deprecatus esset, dixit mulieri: Quod est nomen filii tui? quæ cum respondit, Andreas: Sanctus vir adiecit: Deinceps vocabitur Nicolaus. Et egregiè fisus in Domino, clara voce exclamauit. Nicolae surge in nomine Domini IESV. Exemplo renouatus est in vitam qui fuerat mortuus, vixitque postmodum 44. annis. Aliquando obdormiens pauxillum post matutinum, videbatur quod dixisset fratribus in Capitulo hæc verba. Fratres propositum Patrum nostrorum, qui hunc ordinem fundauerunt, fuit, non discedere ab eo, nec propter tentationes carnis, quæ blandæ sunt, nec propter tẽtationes mundi quę vanę sunt, nec propter turbationes dæmonũ vel hominum, quæ graues sunt, sed omnia superare propter amorem Christi. Ea die qua factus fuit Prouincialis Romanæ Prouinciæ, cum moneret Fratres vt sibi alterutrum à turbatione cauerent, hoc exemplum eis dixit. Cum frater quidam me turbasset, & post paucos dies decessisset, me non pacato, quadam die apparuit mihi in somnis, & cum peteret à me veniam, & recordarer defunctum esse, dixi: Vade frater, & pete veniam à Domino Iesu, in cuius manu es. Qui recedens à me, cum peteret veniam à Christo, respondit ei Dominus: Non cõcedo tibi veniam, nisi prius impetres eam ab eo, quem offendisti. Vnde rediens eadem nocte ad me, & verba Christi mihi renuntians, iterum veniam petiit, & accepit. Et dixit mihi. Vide Frater Nicolae, quantum malum est offendere fratrem, & quàm graue sit non placare. Fuit infirmus Neapoli nouitius quidam, cui apparens diabolus transfigurans se in Angelum lucis, persuasit vt nulli de cætero loqueretur. Habebat autem in memoria quoddam peccatum, quod nunquam fuerat confessus. Cum ergo nollet horas dicere, nec alicui de aliquo vellet respondere, animaduertentes eum esse seductum, adduxerunt ad eum Fratrem Nicolaum de Iuuenatio, virum sanctum & literatum. Qui rationibus & exemplis ostendit infirmo illud quod tacebat, seductionem esse diaboli, qui sic eum illaqueabat, vt eum secum pertraheret ad infernum. Tandem igitur rationibus & orationibus fratrum de faucibus Diaboli eruptus, loquutus est, & confessus, & diaboli fraudem detexit, & post modicum in sancta confessione decessit. Collecta eius soror germana filium habuit quindecim annorum qui mutus natus fuerat, per hunc misit B. Viro Nicolao panem recentem & calidum. Vir sanctus accipiens panem, quæsiuit à puero, quis illum misisset, & statim soluto vinculo linguæ puer apertè respondit. Mater mea: & exinde cæpit liberè & expeditè loqui meritis Beati Nicolai. Prædicabat aliquando vir Dei in Ecclesia Maiori Brixiæ magno populi concursu, erant in auditorio duo iuuenes, qui lasciuis & inhonestis signis gestibusque, mutuo se ad libidinem prouocabant. Id per spiritum vir sanctus intelligens, exclamauit. O iuuenes attendite ad verba mea. Cumque de supplicio æterno libidinosorum multa dixisset, & impudici illi ab incepto nunquam desisterent, maiori voce iterum exclamauit. O æterne Deus, verba tua contemnuntur, & verba profana libenter audiuntur. Quo dicto Ecclesiam egressus, in sublimi loco positus, auiculas in nomine Christi ad verbum Dei audiendum inuitauit, postquam homines ita indurtuissent, vt illud repellerent. Mira res, aues omnes quæ circa vrbem erant innumerabili multitudine protinus adfuêre, & magno silentio quasi auscultabundæ concionantem attentius intendebant. Tanto miraculo stupentes homines, Deum in sanctis suis mirabilem prædicauêre. Finita concione, & data benedictione à viro Dei, aues in loca sua discessêre. Ante obitum Frater Rao Romanus vir religiosus ac feruens, qui diu ante obierat, apparuit illi, dicens. Frater charissime Nicolae, Beata Virgo mandat tibi vt sis paratus, quia corona gloriosa tibi parata est. Et infra paucos dies, narratis his fratribus suis charis, cum multa deuotione defunctus est. Sepultus Perusiæ. *Ex Annalibus Prædicat.*

XII. VISIO B. LEONIS SOCII FRANCISCI.

Eodem quoque tempore viuebat Leo, vnus ex sancti Francisci familiaribus, & quidem intimus permaximè. In Franciscanis Annalibus legitur, ipsi visionem huiusmodi aliquando fuisse obiectam. Erat magna planities, & in ea species quædam iudicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo: Angelorum tubæ personabant; denique binæ scalæ è summo cœlo vsque ad terram demissæ, altera candido colore, altera purpureo. Huic autem purpureæ imminens visebatur ex alto Christus, vultus habitu seuero atque subirato. At Franciscus paulo infra ipsum fratres suos euocabat, vt fideuter ascenderent: Nam Dominum ita velle, eosq; inuitare. Cum autem illi se per scalas audenter efferrent, alius de tertio, alius de quarto vèl de decimo, alii de superioribus, ac pene iam vltimis gradibus procidebant. Qua suorum clade magnopere commotus Diuus Franciscus, eos voce magna admonuit, vt ad scalam alteram candidam accurrerent; illic nihil fore periculi. Itaque cum ad eam accessissent, Mariam ei incumbentem videbant, quæ eos blandissime intuens, studiose etiam iuuaret, exciperet q; singulos, ita vt nullo negotio ad vnum plurimi in cœlum euaserint.

XIII. Non absimilis est alia visio cuidam Franciscano nouitio ostensa. Is enim cum ita religionis onetibus premeretur, & præterea ita à dæmone oppugnaretur, vt iam vix sustineret, & de sæculo repetendo indignas ageret cogitationes, hoc vno cœlesti remedio sanatus est. Nocte quadam dum in templo ante venerabilem Eucharistiam pertinaciens, adorandi causa genu corpusque inflexisset, illo ipso momento raptus, ac defixus est in eiusmodi visione. Aspiciebat longum agmen multorum hominum ordine procedentium, eodem habitu, eademque forma. Omnibus erant vestes candidæ, vultus autem & manus & pedes, quæ corporis partes è veste prominebant, ita splendidæ ac radiantes, vt cum ipsa solis claritate certarent. Omnes autem nescio cui tanquam hospiti recens aduenienti obuiam ire, eumque cum festiua gratulatione amplecti, atque etiam cum honore deducere videbantur. Hæsitans, quiesset; ab vno eorum, Franciscanam esse familiam cognouit, quæ ad suum quendam, qui tum è vita migrarat, in cœlum comitandum prodiisset. Viuere autem omnes illos in cœlo fælices cum accepisset, in proposito remanendi confirmatus, numquam amplius vacillauit.

XIV. MAVRI AB LEGIONENSI REGE VINCVNTVR.

Eodem Anno Alfonsus Rex Legionens. paulo ante mortem insignem victoriam de Mauris tulit: sed non sine ope Diuûm. Opinio fuit Iacobum Apostolum, & plerosque alios cœlites in veste candida visos inter acies, Christianorum animos confirmasse Maurorumque audaciam fregisse. Præterea Zamoræ Dini Isidori visam quibusdam speciem renunciasse, ad auxilium Christianorum se, aliosque cœlites festinare. Ex eventu dictis accommodata fides est. Emerita recepta, cæsi fugatique Mauri, strages tanta hostium fuit, vt præmetu pleraque eo tractu oppida deserrent.

XV. VITA, OFFICIVM ET OBITVS ROGERII EPISCOPI LONDINENSIS. *MS. Vatican.*

Hoc Anno, die sacra Conuersionis Apostoli Pauli, cui Princeps Ecclesia, Londini, dedicata est, istud accidisse memoratur. Cum Rogerius Episcopus sacris vestibus, sacra celebraturus, altari in magna populi cõcursantis frequentia adstaret, tenebris totus repente aer obductus est, adeo quidem vt vix proximum quemq; quisquam discerneret. Intonuerunt deinde horrendo modo tonitrua, nec minus formidanda fulgetra emicauerunt. Quid? quod fœtor quidam non ferendus naribus hominum aspersus est, nihilque aliud iam homines quam aut mundi, aut suum certè interitum expectabant, passimq; & tumultuarie è templo profugientes, in terram præcipites corruebant. Solus ex omni multitudine Rogerius cum vno quodam Diacono ad altare animo magno & forti permansit, expectans quid Deus statueret, paulòque post illa omni cœli perturbatione euanescente, cœloque sereno reddito, rediit populus, & Sacra Rogerius absoluit. Manifestis hisce signis Deus indicabat se vehementer sceleribus humanis subiratum esse. Abundabat inter alia hoc tempore Londinum præsertim veteratoriis & callidis quibusdam Mercatoribus exteris, quos Camsinos appellabant, qui sub prætextu mutui, vsuris populum, viros præsertim Ecclesiasticos præter fas expilabant, quos cum Rogerius pietate huc productus anathemate alligasset, tantum illi per amicos quos Romæ habebant, negotii facessebant, homini iam ætate morbis confecto, vt cogeretur dissimulatione totam rem regere. Multis etiam Ecclesiasticis hoc tempore beneficiis Romani in Angliam venientes insidebãt, quod cum multi ægre ferrent, coitione inita, armisque muniti, capitibus velatis obambulantes, ad Romanorum horrea irrumpebant, & frumentum illorum suo arbitrio distrahebant. Ii Regias literas sigillumque ementientes, imprimis grassabantur. Hi Cuitium Romanum Paulinum Londini Canonicum in itinere, atque alios apprehensos secum abduxêre: nec nisi post quinque menses, sed iam pecuniis emunctum dimisêre. Cum hæc Rogerius audisset, indigne ferens licentiam eorum qui Cuitio vim intulerant, atque literas Regias adulterauerant, anathemate denouit. Vixit Rogerius in Episcopatu totis XIII. annis, quibus nihil ei magis cordi fuit, quam pro immunitate & libertate Ecclesiastica, omni contentione decertare. Ecclesiamque suam doctrina, vitæ sanctitate, exornare. Ferunt post mortem miraculis claruisse. Parmenses autem, qui ex vrbe reducem spoliauerant, mœrentes ab eius execratione diuinam vltionem, tantumdem pecuniarum, quantum eripuerant ad sepulchrum illius, vna cum donariis quamplurimis transmisisse.

Hoc ipso Anno, in Belgio, mirum mirandum in admirando Eucharistiæ Sacramento accidit, propter quod postea Vrbanus Papa Quartus festiuitatem SS. Corporis, vt in Diœcesi Leodiensi publicam esse iuberet, morus est. Rem his verbis narrabat R. P. *Ioannes Diesemius Blerus Prior S. Iacobi Leodunsis,*

XVI. FESTVM V. SACRAMENTI HOC ANNO S. IVLIANÆ VIRGINI OSTENSVM FVIT, VBI CAVSA INSTITVTIONIS PROPONITVR ET CELEBRATIO FESTI APVD LEODIENSES PRIMVM FACTA.

ARTICVLVS I.

Circa Annum Domini 1230. in Episcopatu Leodiensi, iuxta Ciuitatem Leodij in hospitali Leprosorum, quod vulgariter vsque hodie, locus Cornelii monte dicitur, fuit virgo omnium virtutum flore renitens, nomine Iuliana. Hæc ab inenute ætate ibidem nutrita, gradatim ad virtutum ac etiam scientiarum culmen per Dei gratiam ascendit. De cuius virginis humilitate, obedientiæ, deuotione, atque orationum instantia, multi libri scripti sunt, in quibus inuenitur crebro in cœlum per mentis excessum fuisse rapta, atque spiritu prophetico euidentissime claruisse, adeo vt proximorum cogitationes, atque cordium intentiones proderet. Hæc luctabatur cum Diabolo, loquebatur cum Apostolis, fulgebat miraculis. Itaque cum hæc sancta Virgo à primis infantiæ annis semper sese orationi inuenciparet, crebro vidit, & quasi semper suo aspectui inter orandum ingeri mirabile signum, scilicet lunam quasi in suo splendore, cum aliquanta tamen sui orbicularis corporis fractione. Et videns mirabatur, & timebat, nesciens quid hoc significaret. Vnde nitebatur totis viribus præfatum signum amouere, nec valuit. Tandem cum nulla sua, vel aliorum fidelium precibus amouere posset, capit cogitare, ne forte mysterium aliquod in præfato signo lateret. Tum didicit diuino responso significari in Luna præsentem Ecclesiam, & in eius fractione defectum vnius solemnitatis, quam Deus in Ecclesia ad augmentum Sacræ fidei voluit celebrari. Accepit proinde præceptum cœlitus, vt hanc solemnitatem inchoaret, & celebrandam mundo nuntiaret. Illa vero ad hæc obstupescens, sese non posse respondit. Cæterum quotiescumque orationi vacabat, à Domino monebatur, vt præceptum iniunctum perficeret, quam ad hoc præ mortalibus cunctis Deus prælegisset. Sed illa paruitatis suæ conscia, quæ mentis gressum fixerat in humilitatis fundamento dixit: Domine, dimitte me, & rem hanc arduam Clericis committe. Et respondit Dominus; Per te omnimodis oportet inchoari, ac deinceps per personas humiles promoueri. Instabat ergo humilis Iuliana continuis ad Deum precibus, vt aliam personam ad hoc opus eligeret; & vice quadam audiuit sibi cœlitus pro responso dici: Confiteor tibi Pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea parvulis. At illa nec sic acquiescens respondit: Excita Domine temetipsum; excita, & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte. Et facta est rursum vox ad eam dicens; Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Iustitiam non abscondi, veritatem tuam, & salutare tuum. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à Concilio multo.

ARTICVLVS II.

Igitur Iuliana Christi Virgo humilis à tempore prædictæ visionis

per cursum annorum viginti precibus & gemitibus inenarrabilibus institit apud Deum, quatenus alteri personæ præfatum negotium cœli conditor committeret. Verum quantum ipsa plus se tanto negotio indignam asserebat, eo magis humilitatis amator hanc dignorem iudicauit. Acquiescens igitur tandem Virgo sancta, totum ordinem præfatæ legationis Domino Ioann. de Lansenna Canonico sancti Martini Leodiensis, quem pro suæ sanctitatis excellentia plurimum diligebat, patefecit, & rogauit, vt de his omnibus sermonem haberet, cum his qui clauem scientiæ in Dei Ecclesia tenerent. Obtemperauit ille, & cuncta proposuit Domino Iacobo de Trecis tunc Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis, viro fideli & docto: qui pro eruditionis & vitæ præeminentia postmodum meruit supra multa constitui. Siquidem postea factus est Episcopus Verdunensis, de hinc Patriarcha Hierosolymitanus, demum vniuersalis Ecclesiæ Pontifex electus, dictus est Vrbanus Quartus. Proposuit etiam præfatus Ioannes duobus magnis luminaribus, quæ tum Leodii vita & scientia præfulgebant cunctis mortalibus: scilicet Domino Hugoni Prouinciali Ordinis Prædicatorum, postea Cardinali, & Domino Guyardo Præsuli Cameracensi. Proposuit insuper Cancellario Parisiensi, Lectoribusque Prædicatorum, & multis aliis personis, scientia & vita clara præfulgidis. Qui omnes auditis intellectu & diligenter examinatis præfatis reuelationibus, vno spiritu pronunciarunt, efficacem rationem in lege Diuina inuenire non posse, quare præfata festiuitas fieri non deberet. Insuper, & dignissimum fore, & ad Dei honorem cedere, & ad profectum, gratiamque electorum pertinere asserebant, si memoriam institutionis tanti sacramenti solemnius, ac specialius singulis annis mater Ecclesia celebraret. Quorum sententiæ concordiam, cum Christi Virgo cognouisset, gratias egit Deo, quod voluntatis suæ responsum, in tantarum personarum ore posuisset.

ARTICVLVS III.

Verum cum ancilla Christi multo affectu desideraret, vt quæuis aliæ persona haberet nomen, nouæ solemnitatis instituendæ, personamque habere cuperet, cum quæ super his crebro conferret, & ea quæ ei cœlitus pandebantur, & ex quadam abundantia celari non poterant, audiuit percelebrem famam sanctimonialis cuiusdam Isabellæ nomine Hoii commorantis, quam ad perfectionis culmen prius Dom. per multas tribulationes & flagella prouexit. Quapropter Christi Virgo Iuliana hanc in sororem montis Cornelii recipi procurauit. Quam vbi cognouit in multis illuminatam, tentare voluit, an quid arcani cœlestis de institutione nouæ solemnitatis agnouisset, & didicit, quod ea de re Isabella cognoscere nihil. Mox ergo Isabella perpendit, quod Virgo Iuliana propter hoc multum angustiaretur: ideoque toto illo Anno deuotis apud Deum precibus institit, vt in hoc intelligentiæ suæ oculos luminis creator aperiret. Quo temporis spatio euoluto, contigit Isabellam adire consecratam Deo Virginem, Euam, reclusam Ecclesiæ Sancti Martini in Leodio: & intrans in Ecclesiam, primum ante Crucifixum se prostrauit: vbi mox in Spiritu edocta est cœlitus, quod hæc festiuitas Diuinæ Eucharistiæ festiuitas semper fuerat in secreto summæ Trinitatis: quodque iam tempus aduenerat, quo hominibus, in quos fines sæculorum deuenerant, palam declarari deberet. Videbat enim in mentis excessu, omnium cœlestium ordinum exercitus, cernuis Dominoprecibus supplicantes, vt nunc tandem, ad confirmandam Ecclesiæ militantis fidem, periclitanti mundo hanc festiuitatem patefacere festinaret. Hac benefica visione, Domina Isabella intantum profecit, vt ex abundantia spiritualis ebrietatis, diceret se laboraturam pro hac solemnitate instituenda, etiam si mundus obsisteret vniuersus. Audiuit hoc Iuliana, & exultauit in spiritu: quod & alia testis diuinæ reuelationis, pro noua solemnitate instituenda, inuenta esset. Et factum est, vt deinceps hæ duæ sanctæ mulieres, audentius & familiarius, super hac noua solemnitate instituenda ad inuicem sæpe conferrent.

ARTICVLVS IV.

Post hæc Virgo Iulianæ cupiens componi officium de ipsa solemnitate, cum non haberet ad manum viros multa scientia præditos, à quibus id agi deposceret, elegit humilem suæ domus clericum, parum literatum: & vt hoc opus aggrederetur, rogauit. Retinebatur ille valde, quod & ætate iuuenis, & in sacrarum literarum eruditione pusillus esset. Tandem tamen post multum renisum, victus authoritate Virginis, hac conditione assensum præbuit, vt quoties ille ad scribendum se daret, illa orationi vacans pro eo Dei clementiam inuocaret. Itaque intra paucos dies totum officium completum est, & tanta suauitate verborum, atque dulcedine cantus resonabat, vt etiam ex lapideis cordibus deuotionem extorqueret. Hoc tamen officium à prædicto Clerico compositum, & à Iuliana correctum, antequam in publicum daretur, præfatis magnis Theologis ad corrigendum exhibitum est, quorum omnium vox vna respondentium fuit: opus hoc non ab homine, sed à patre luminum descendisse.

ARTICVLVS V.

Interea diuulgatum est verbum de instituenda nouæ solemnitate venerabilis Sacramenti per totam Leodiensem Diœcesim. Et factum est verbum hoc in ruinam, & resurrectionem multorum, & positum in signum cui contradiceretur. Multi siquidem Ecclesiastici viri vehementer ex aduerso insurrexerunt, & valido conamine eam impedire conati sunt dicentes: vt quid perditio hæc? Nonne huius Sacramenti solemnitas in Missarum solemniis quotidie recensetur? Verũ enimuero, venerabilis Hugo magnis Theologis non impar, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis dignissimus, vnus Epistolæ propugnaculo omnium aduersantium rationes valide elisit, & tam verbo quam scripto palam coram omni populo hanc solemnitatem Deo honorificam, atque Ecclesiæ fore vtilem, luculento sermone declarauit. Quibus de causis Reuerendus Pater Dominus Robertus Leodiensis Antistes in Generali Synodo, solemni edicto decreuit, ipsam solemnitatem per omnes suæ Diœcesis Ecclesias, cum proprio officio à Clero celebrari, atque in ea ab omni seruili opere debere feriari. Sed morte præuentus, obedientiam subditorum extorquere non potuit. Nam sola Beati Martini Canonia hanc iussionem, cæteris omnibus dissimulantibus adimplere curauit. In qua siquidem Sancti Martini Ecclesia, habitauit in tempore illo quædam sanctimonialis fœmina, nomine Eua, Angelicam habens conuersationem: quam prædicta Iuliana per Euangelium Domino genuerat, propter hoc crebro ad eam veniebat, & de secretis cælestibus cum ea conferebat. Quæ Eua pro suæ vitæ merito, tantam apud Canonicos præfatæ Sancti Martini Ecclesiæ meruerat gratiam, vt ad eius monitionem, solemnitatem nouam de venerabili Sacramento primi celebrandam susciperent, infinitis infinitorum hominum latratibus ritè contemptis.

ARTICVLVS VI.

In diebus illis, missus est à Latere Summi Pontificis ad Alemaniam, Dominus Hugo Cardinalis: qui dum in minoribus esset officiis, videlicet Prouincialis Prædicatorum, præfatam solemnitatem iure posse solemnizari dogmatizauerat, post peragratas Alemaniæ Prouincias, etiam Leodium venit. Quo iubente, diuulgatum est per totam eam Ciuitatem, quod is qui aduenerat Cardinalis apud Sanctum Martinum celebraturus sacra, ac sermonem facturus foret de festo venerabilis Sacramenti. Quò conuenit multitudo magna, & ipse Cardinalis intra Missarum solemnia, in editiori loco, Apostolico eloquio conionatus ad astantem fidelem populum, de multiplici fructu nouæ solemnitatis, & vt per singulos annos celebraretur, instanter admonuit, diligenter instituit, & Apostolicæ authoritate præcepit. Tum maioris Ecclesiæ Canonici, ad Cardinalis exhortationem atque præceptum, quamdiu ipse Cardinalis in his partibus agebat, præfatam solemnitatem in sua Ecclesia celebrauerunt. Verum id non ex deuotione, aut obedientia: sed vel ex simulatione, aut timore, vt exitus probauit, fecerunt. Siquidem vbi Cardinalis sese in vrbem recepisset, præfati Canonici ipsam solemnitatem fieri prohibuerunt: sed non impunè. Hi enim omnes adeo miserabiliter hac ex vita abrepti sunt, vt eorum interitus laicis verteretur in opprobrium. His tamen non obstantibus, Sancti Martini Ecclesia, à concepta deuotione non recessit, quinimo quidam à Canonicis cælitus inspiratus, notabilem annuum censum, ex suo patrimonio, pro hac solemnitate singulis annis, perpetuo celebranda ad instar Paschalis festi cum proprio officio, & decenti luminari, suæ Ecclesiæ delegauit. Alius autem Canonicus ad extrema vitæ vergens, suæ domus medietatem contulit, ad hoc vt cum plena octaua præfata solemnitas singulis annis ageretur. Prædicta autem Eua, quamquam miro modo super deuotione Ecclesiæ in spiritu exultaret, tamen multum angebatur animo, quod alia Ecclesia ab hac deuotione se reddèrent alienas, auersas, atque rebelles, & vehementer timebat, ne fluxu temporis, conceptæ solemnitatis memoriam oblivio deleret. Iuliana autem ei respondit: Ne timeas, inquit, Domina Eua: profecto enim hæc solemnitas per omnes Ecclesias ad profectum omnium electorum exaltabitur. Verum humani generis aduersarius conabitur ex aduerso: sed proficiet nihil.

ARTICVLVS VII.

Ingresso igitur Domino Roberto Leodiense Præsule viam vniuerse

carnis, Beata Iuliana incidit in varias tribulationes, & peregrina obiit in domo Cantoris Fossensis Anno 1257. in Aprili, & in Monasterio Villariensi sepelitur. Vnde factum est, vt nulla Ecclesia præter Canoniam Beati Martini præfatam solemnitatem celebrare curauerit. Verum quoniam (quemadmodum Beata Iuliana dicere sæpe consueuerat) hæc solemnitas fuerat in abscondito consilio summæ Trinitatis, placuit Altissimo illis diebus manifestum signum facere, quod ad sui Vicarii, hoc est Apostolicæ sedis Præsulis, & omnium astantiũ notitiam perueniret. Igitur Sacerdos veniens Bolsenam (quod est oppidum non longe distans ab vrbe veteri, in qua Papa Vrbanus Quartus tunc cum Curia residebat) dum celebraret Missam, inter verbe consecrationis, dubius in fide, vidit carneis oculis hostiam in forma pietatis, & de ea sanguinem fluere in calicem. Quo territus, dum conaretur occultare, & cooperire, de Corporali apparuit mox forma pietatis in singulis partibus Corporalis: & ita coactus est populo assistenti miraculum præfacere, quod vti populus comperit, ad vrbem veterem properans, summo Pontifici mirabilia, & stupenda quæ viderat nunciauit. Stupente autem Curia, per summum Pontificem (qui necdum oblitioni tradiderat, quæ in Leodio approbauerat, dum adhuc apud S. Lambertum residerè) intercedente consilio & assensu Dominorum Cardinalium deliberatum est, quod festum Corporis Christi per vniuersam Eccl semel in Anno solemniter feria quinta, post octauas Pentecostes, in toto terrarum orbe celebraretur, & vocato Beato Thoma de Aquino, qui tum præsens aderat præceptum fuit, vt officium de tali festo, secundum vsum omnium Ecclesiarum componeret. Thomas autem diuinarum scripturarum, cuius mẽtem obedientiæ, & omnium virtutum decor collustrauerat, præceptum hoc libenter, breuiter atque insignissime compleuit. In cuius rei testimonium in foribus Ecclesiæ Bolsenæ depictum est miraculum Sacerdotis celebrantis, depictus est etiam Beatus Thomas, sedens & scribens tanquam Doctor in cathedra, circumstante Curia, depictus est insuper Crucifixus alloquens S. Thomam, coram se super genua adorantem, & dicens: Benè, de me scripsisti Thoma.

ARTICVLVS VIII.

Dominus vero Vrbanus IV. volens præfatam deliberationem ad effectum perducere, plures Decretales desuper confecit, & ad Præsules Ecclesiarum totius orbis destinauit: & recordatus sanctæ diuinæq; reuelationis atq; instantiarum sanctarum mulierum, de quibus Leodii multa viderat, & audierat: accersitis Clericis, qui tum de Leodio ad Curiam venerant didicit Dominam Euam adhuc apud S. Martinum viuere, & cum magno desiderio super instituenda solemnitate Dominum continuis precibus exorare: Quapropter Dominus Apostolicus, Dominæ Euæ, prædulcem epistolam misit, in qua suas preces exauditas esse declarauit. Est autem exemplar epistolæ Pontificis quod sequitur.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Euæ recluſæ S. Martini Leodiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Scimus ô filia quod magno desiderio desiderauit anima tua, vt solemne festum sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in Ecclesia Dei, à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem Catholicæ fidei digne duximus, statuimus, vt de tam mirabili sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipso Ecclesia facit, specialior & solemnior memoria celebretur, cartum ad hoc designantes diem, videlicet feriam quintam proximam post octauas festi Pentecostes proxime sequentes, vt in ipsa feria quinta, deuotæ fidelium turmæ propter hoc ad Ecclesias affectuose concurrant, sit que dies illa vniuersis christicolis noua festiuitate iucunda, & ampla iucunditate festiua, prout in literis nostris Apostolicis, quas per vniuersum orbem super hoc direximus, plenius continetur. Et scias, quod nos huiusmodi festum cum omnibus Fratribus nostris S. Romanæ Eccl. Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis tunc apud Apostolicam sedem commorantibus (ad hoc, vt videntibus, & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo: quia viderunt oculi tui salutare tuum, quod parauimus ante faciem omnium populorum. Latare insuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudauit te cælestis gratia plenitudo. Et quia quaternum in quo totum habetur ipsius festi officium, tibi sub bulla nostra per præsentium latorem destinamus, volumus, & Apostolico scripto tibi mandamus, quatenus, quaternum ipsum cum deuotione recipias, & eius copiam personis illam petentibus, liberaliter & libenter exhibeas. Et

instes libenter deuotis supplicationibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de seipso reliquit in terris, vt nobis tribuat ex alto gratiam, commissam nostro regimini Ecclesiam suam regendi vtiliter, ad laudem & gloriam nominis sui, & salubriter gubernandi. Datum apud vrbem veterem sexto Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno quarto. Christi 1264.

ARTICVLVS IX.

Verum quamquam Apostolicæ mandata omnibus Ecclesiis directa fuissent, super celebranda noua de venerabili sacramento solemnitate, non omnes tamen Ecclesiæ statim illud celebrare inceperunt. Ecclesia sane Leodiensis, cum primum Apostolicum nuncium cum bullis decretalibus ac officio apportatis honorifice suscepisset, tanquam deuota filia mox quam celerrimè obediuit: reiectoque officio illo quod virgo Iuliana componi curauerat, officio quod D. Thomas Aquinas doctissime confecit, vti capit. Itaque ab aduentu præfatarum bullarum tota Leodiensis diœcesis præfatam solemnitatem singulis annis celebrauit, vsq; ad tempora Ioannis Papæ vigesimi secundi, qui floruit Anno Domini 1315. qui omnes Constitutiones Clementis Quinti publicauit, & ad vniuersalia studia transmisit, & vltra illas ordinationes Vrbani Quarti Clementinæ constitutionibus insertas; nouas indulgentias concessit, atque processionem solemnem ordinauit. Ex tunc igitur & deinceps solemnitas hæc per totius orbis Ecclesias deuotissimè recepta est, maximo populorum vtriusque status & sexus gaudio, & confusione hæreticorum, quorum illud vnicum semper fuit studium gloriam Iesu Christi, in super adoranda Eucharistia obumbrare. Sed de institutione eiusdem sacræ solemnitatis suo loco inferius magis abundanter.

XVIII. MIRACVLVM IN ETRVRIA PATRATVM PER CRVCEM DOMINICAM.

Per id temporis, in castro Felsino, agri Senensis, Diœcesis Volaterranæ in Etruria, miraculum ingens patratum est, à Cruce Dominica. Gibellinorum infestæ acies circumquaque volitantes, ad Felsinum quoque depopulandum feralibus odiis irruêre. Populus eius castri, aduentus hostilis præmonitus, vna cum supellectili pretiosiore in Ecclesiam castro vicinam sese recepit; Sacerdotemque, vt sacris operaretur admonuit: fore existimans, vt loci maiestate & sacrificii ceremonia, hostiles animi percellerentur, indidemque supplices velut apud sanctissimum asylum seruarentur: Sacerdos solemnem pompam induxit, diuinam hostiam litabat, cum Gibellini cædes & rapinas spirantes, Felsinum aduenerant, atque in templum iamiam penetrabant. Ibi populus promiscuus axis aduolutus, non nisi à Pastore rei diuinæ intento opem & tutelam seperabat, atque poscebat. Sacerdos ab altari ad eos supplicantes conuersus, cum vniuersis auxilia à DEO statim affore prædixisset, Cruce argentea cui simulachrum CHRISTI patientis affixum ex eodem metallo fuerat, accepta, aduersum armatos processit; vt preces apud illos pro populo interponeret, ne in innocentium fortunas & capita sæuirent. Limen templi pede premebat Sacerdos cruce onustus, cum aliquis Gibellinorum lanceam ferro cuspidatam, pectori eius adeo alte infixit, vt vna cum sanguinis profluuio, animam quoque pia charitate pro populo flagrantem eduxerit. Cæsus Sacerdos cum in terram proueret, forte fortuna in ostium templi ligneum, Crucem quam gestabat, impegit. Secutum est miraculum. Cruci affixi imago in ligno duriſſimo, adeo examussim vestigia sua impressit, vt velut à manu accurata artificis alicuius vel depicta, vel insculpta, vel impressa esset. Ea Crux ligneo ostio diuinitus impressa, ad hæc vsque nostra tempora, propter miraculorum frequentiam seruatur & colitur in Ecclesia sanctæ Crucis, eius miraculi nomine à fidelibus ædificata, in quam & ipse Presbyter occisus, post annum Ducentesimum, illatus est, sed non sine miraculo seu prodigio. Alicui famulorum, homini mira innocentia, & mira simplicitate prædito, cui Dominico nomẽ fuerat, sæpe sæpius, non secundum quietem tantummodo, sed & luce diurna olim occisus Sacerdos, Cruce onustus apparuerat, monuerat que vt è loco, in quo Ecclesiam olim Gibellini euerterant, eundemque indidem fideles sepelierant, se exhumari, & in templum titulo Crucis quam moriturus gestauerat, ædificatum trãsferri curaret. Eam visionem admonitionemque Dominicus aliquoties neglexit, tandem importunitate Sacerdotis apparentis victus, Præsidi eius Castri quicquid vidisset

renunciauit, atque explorare volentem, ad locum sepulturæ duxit; tum alibi fodientes, non illic esse conditum Sacerdotem, admonuit; moxque in cespite propinquo, roseto & cardui surculis repertis istic, nec alibi locorum, & quidem capite ad rosetum, pedibus vero ad carduum quatuor vel quinque à superficie terræ esse sepultum, positumque dixit, neque falsus fuit. Statim enim atque suffodere cæpissent, ossa plurima mortuorum repererunt, quæ tamen Dominicus nõ Sacerdotis esse indicauit, sed altius fodiendum esse dixit. Foderunt Vespillones, & vt ille indicauerat, indicia repererunt: cæterum ne qua fraude veteratoris, à quo Dominicum insessum fore suspicabantur, seducerentur, illum ad proximum Diui Guillelmi Eremitæ, virtute peculiari ad energumenos eliberandos præstantis Oratorium duxerunt, illumque tum sepulchro sancti admouerunt, tum exorciſſandum Sacerdoti obtulerunt. Cumq; non ab immundo spiritu correptum, sed mente diuinitus mota, illum omnia ea renuntiasse certis argumentis didicisset, rem Episcopo Volaterrano significarunt. Is porro Dominicum inprimis ex præscripto iuris de omnibus facti circumstantiis inquisiuit: mox Vicarium suum ad rem certius inuestigandam misit. Is autem iuit, hortulum in ruinis templi olim diruti consitum, inque eo sub roseto & carduo, vt Dominicus indicauerat, Sacerdotem cæsum reperit, ossa illius in loculum indidit, atque maxima populorum frequentia in Templum sanctæ Crucis intulit, omnibusque veneranda per aliquot dies reliquit: ac tandem magno cum honore in eodem templo recondidit, cum ex earum veneratione quidam manibus pedibusque contractus sanitatem recepisset, multaque alia ingentia miracula patrata fuissent. Ista omnia ad eum modum Anno Domini 1469. reperta, datis die 3. mensis Maii literis, Gregorius Serphilippius de Cantonibus Vicarius Castri Belfortis, Magnificis & excelsis Dominis Prioribus, Gubernatoribus & capitaneo populi ciuitatis Senensis, ex fide publica *(quod nos in originali epistola, apud Illustrem Dominum Aemilium Fei Equitem S. Stephani amicum singularem vidimus)* significauit.

XIX. OBITVS B. VILLANII EPISCOPI EVGVBINI.

Nonis Maii, huius Anni, obdormiuit in Domino Beatus Villanius Episcopus Eugubinus in Vmbria. Hic pauperum amantissimus fuit, mira continentia atque temperantia inter cæteras præditus virtutes. Indulgentiæ perpetuæ sanctæ Mariæ Angelorum Assisii, siue Portiunculæ ad 12. diem Augusti percipi solitæ, adsuit publicationi. Eo Episcopo Ecclesia sancti Bartholomei Abbatiæ Camporegianensis Gregorii IX. Pontificis Maximi iussu extructa est. Fontem, qui adhuc extat, fonsque Beati Villanii nominatur, ad Carbonam vicum è saxo mirabiliter excitauit. Vixit in Episcopatu annos fere 25. meritis ac miraculis clarissimus. Eugubini epitaphium illi istud inscripsêre.

Diuo Villanio Eccles. Eugub. Præsuli, egregia bonitate, mira temperantiæ, singulariqueintegritate prædito. Anno ab Orbe redempto M. CC. XXX. vera fuit vita. Annos LXX. nato. Ex Monument. Eccl. Eugubinæ.

XX. SANCTITAS B. HELENÆ PADVANÆ ORDIN. D. FRANCISCI INTEGRITAS CORPORIS EIVS ET MIRACVLA.

Eodem Anno in humanis esse desiit Beata Helena Paduana, institutum Diui Francisci professa. Ea nobili Henselminorum familia Patauii orta, & ab ineunte ætate Deo dicata, in Monasterio veteris Cellæ paupertatem, castitatem & obedientiam humiliter professa est: & quod ore vouit, re ipsa fæliciter comprobauit. Assiduis laboribus, ieiuniis, orationibus & vigiliis intenta, diuinum nunquam intermisit officium. Nulla sane in rebus domesticis obeundis vel promptior, vel feruentior: nulla in aduersis tolerandis constantior. Siquidem cum ad menses quindecim febri & pleuritide angeretur, patienter æquoq; animo dolores ferebat. Interim accidit, vt cum semel extrema ægritudine laborans hymnos decantaret, apparuerit ei Beatiss. Virgo Dei mater. Morti propinqua, cum etiam tentatorem adsistentem aspexisset, multorum que capitum monstrum Monialibus interrogantibus se vidisse dixisset, Sacramenta Ecclesiæ maxima cum alacritate poposcit, cumque ingenti effusione lachrymarum suscepit, & tandem post tres menses, quibus sine vsu linguæ ac sine cibo & potu superuixerat, vrgente obitus die, dum legerentur sacra Passionis IESV CHRISTI mysteria, lachrymis perfusa, amisit oculorum lumen, & contractis pedibus, doloris expers ad Dominum migrauit. Secundo Non. Nouembr. ætatis Anno XXIV. Corpus illius adeo integrum hucusque conseruatur, vt in eo nihil sit diminutum præter nasi extremum. Ad lineam corpus iacet, in crucis modũ Christiano more cõposita brachia, oculi dormientis in modum clausi, sed non ita clausi, vt habere nihil albedinis ac luminis videantur. Aspectus deuotus, facies iuuenilis, & macilenta, dentes niuei ac solidi, tonsi capilli & vngues recisi, renascuntur, membra integra, iuncturæ membrorum quasi nuper diem obiisset mobiles ac firmæ, vt sine læsione, si vrgeat occasio, moueantur. Illud quoque sæpe accidit, atque tunc vel maxime, cum ciuitati vlla clades immineat, quod se se, quasi futura prædicet, multo cum strepitu moueat. Hoc namque prodigio non raro est diuinitus præmonita Padua, vt sibi caueat: ne *belli*, aut pestis, aut rerum nouarum ingens immineat clades. Visa plurima per somnium patiebatur viuens Beata Helena. Sed cum ei aliquid appareret, se Crucis signo repetitis vicibus muniebat. Hæc res cum traxisset in admirationem Moniales, interrogantibus quid hoc esset, respondit: se sæpius spiritum videre, cæterum cum illi dubium foret, an ex DEO esset, ideo signo Crucis se se munire, vt eum probaret. Aliquando dixit se videre templum, in quo erat diuina Maiestas. In vigilia sancti Michaelis, vidit viam lacteam, & viros quinque, nimirum Angelos per eam properare. Cum nocte quadam cogitaret, quid esset Deus, apparuerunt ei tres Angeli colloquentes: primus dicebat, pondus: secundus, & pondus: tertius, & supérpondus. Primus, mensura; secundus, & mensura; tertius, & supermensura. Primus repetebat, finis; secundus, & finis: tertius, & sine fine Primus, gloria; secundus, & gloria: tertius, & super gloriam. Primus, principatus: secundus, & principatus: tertius, & super principatum. Aliquando cum Sancti Francisci merita contemplaretur, audiuit vocem cœlitus dicentem: Potens fuit Franciscus in terra: potentissimus in cœlo est. In die commemorationis defunctorum, dum diuina persolueret, vidit animas in purgatorio exultare, & Deo gratias persoluere. Multa alia præclara de B. Helena narrantur. *Thoßnian. Hist. Francisc. lib. 1.*

XXI. TEMPESTAS ET INVNDATIO IN FRISIA, INAVDITA.

Hoc Anno ad decimum diem Februarii, orta fuit maxima tempestas ventorum, procella fulgurum, coruscatio & fragor tonitrui, quæ passim multas ædes, vel incendit, vel subruit. Insuper tanta maris inundatio suborta est in Phrysia, quanta à Noe temporibus non est visa, quæ inuoluit omnem terram maritimam Phrysiæ & Hadeleriæ, & omnem terram limosam atque palustrem. Albis & Visurgis submersi. Tunc perierunt hominum multa millia, & sine numero iumenta. Diuites ac potentes eius loci, cum secure deliciis ac voluptatibus indulgerẽt, subita tempestate correpti atque absumpti sunt, cum tempestas omnes aggeres manufactos disrupisset, & maris intemperiem in mediterranea infudisset.

XXII. CAVSA NARRATVR TEMPESTATIS.

Porro causam tantæ plagæ, ad perpetuam rei memoriam, scriptis commendauit Cælarius; his ipsis verbis.

Friso quidam arte pugil in eadem Prouincia Frisiæ extitit, qui quoties ebrius de taberna rediit, totiens vxorem verberibus & plagis satis tribulauit. Tempore quodam, timore mariti, infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, Corpus Dom. sibi dari postulauit. Venienti sacerdoti, pugil cum scypho cereuisiæ ebrius occurrens, vt biberet, monuit, & cum ille respõderet: Corpus Domini porro, non modo bibam: iratus Friso pyxidem percussit, & omnes sacras hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Matronæ vero, quæ consolationis gratia conuenerant, super singulas hostias, tanquam stellas radiantes viderunt: quas Sacerdos gemens & dolens in pyxidem recollegit & abiit. Friso vero à Decano Prouinciæ citatus, excommunicatus est: sed inprimis nihil curauit: deinde tandem ad hoc compulsus est, vt Cruce, pro tanto sacrilegio signatus, cum iam dicto Sacerdote, etiam Cruce signato, Romam veniret, cui Dominus Honorius Papa, culpam confitenti, propœnitentia iniunxit, vt mare transiret, ibique tribus annis in armis Christo deseruiret. Quid plura? Mare ambo transierunt, & ante Damiatam ambo mortui sunt. Quibus defunctis, cum anno eodem Dominus prouinciam terribili inundatione plagasset, & causa plagæ populum lateret, matronæ cuidam valde religiosæ, Domino in ieiuniis, orationibus, vigiliis & eleemosynis seruienti, materteræ videlicet Domini VVitboldi Abbatis Sancti Bernhardi, Beata Dei Genitrix Maria, lachrymis eius motæ,

populiq, miserta, apparens sic ait: Propter iniuriam filii mei in sacramentum eius factam, submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur. si condigna pœnitentia non fuerit subsecuta. Moxque adiecit mater misericordiæ: Leua oculos tuos contra mare. Quod cum illa feciſſet, contemplata est pyxidem à pugile percuſſam, in ſummitate fluctuum natantem: quæ cum in tantum approximaſſet, vt poſſet agnoſci, ait: Ecce corpus Filii mei, in loco enim vbi diſperſum eſt, ædificanda eſt Eccleſia: & debet ei tanta exhiberi reuerentia, quem admodum ſepulchro Dominico. Hoc etiam noueris, quod ambo mortui ſunt, pugil ſcilicet & ſacerdos. Sed pugil, eo quod ſine contritione obierit, ſepultus eſt in inferno: ſacerdos vero adhuc in purgatorio detinetur. Hac viſione cognita Dominus Theodoricus Epiſcopus Monaſterienſis, ad cuius Diœceſim maxima pars Friſiæ pertinet, miſſis literis ſuis per Ididam S. Bernardi Cellerarium, ſolemnem prouincialibus pœnitentiam iniunxit. Quæ cum inſufficiens fuiſſet, anno ſubſequente poſtèa denuò punita eſt Friſia, multis millibus per aquarum inundationes ſubmerſis. Matrona porro quædam prædiues, ex ſuprà dicti pugilis domo Eccleſiam ædificauit. Cæſar lib. 7. c. 3.

IESV CHRISTI
Annus 1231.

GREGOR. PAP. IX. 5. | FRIDER. II. IMP. secundò 2. | BALDVINI II. IMP. Orient. 3.

I. *Bonfinius dec. 2. lib. 7. & ster. 19 Nouemb.* OBITVS S. ELISABETH. ANDREÆ HVNGARIÆ REGIS FILIÆ ET BREVIS VITÆ EIVS SYNOPSIS.

DIe decima nona menſis Nouembr. S. Heliſabeth Andreæ Regis Hungariæ filia, Ludouici Thuringiæ & Haſſiæ Lantgrauii vxor, ad cœlos emigrauit. Hanc aiunt tam præcoci religione fuiſſe, vt quintum vix annum nata, præ nimio ſedulæ orationis affectu, aris amoueri non poſſet. Inter ludendum cum puellis, procidere ſæpe ſimulaſſe, vt Deum, quem præ oculis ſemper habebat, in horas illa ſupplex adoraret. Luſiſſe annulis & lapillis, vt facto lucro pauperculis opitularetur: harpagatam è parentibus vaſre pecuniam, miſerabilibus piè erogaſſe. Coniectis in aram Apoſtolorum nominibus, cum citatæ comites eorum ſuffragia ſortirentur, hanc Ioan. Euangel. nomen fuiſſe ſortitam: cuius patrocinio ita exhilarata eſt, vt nihil eius nomine quiſquam incaſſum eam exoratit. Perhorruiſſe veſtimentorum luxum, delicias muliebres. Diuinarum rerum contemplationi aſſiduò incubuiſſe, audiuiſſeq; prædicationibus in ſacris Euangelia, & ſalutarem inſpexiſſe hoſtiam, inceſſiſſe nudis pedib. ſupplicationum diebus, miſeriſq; rogatoribus, ſubridentibus ſæpe ancillis, lauiſſe caput: ac nullum auſteritatis & abſtinentiæ, item pietatis & miſericordiæ prætermiſiſſe genus. Cum vir eius Landgrauius Cremonam ad Imp. Frid. viſitationis officio proficiſceretur, ſæuiente annonæ charitate, coactam eſurientium turbam, exinanitis horreis aluit. Regiam miſerabiliũ multitudine compleuit. Maritus explorata ſanctitate coniugis inflammatus, & liberam poteſtatem diſtribuendarum rerum ei dedit, & ipſe certatim charitate chriſtiana cum illa certauit, & ipſius monitis excitatus diuini cultus ardore Hieroſolymam profectus fuit, vbi in itinere deceſſit, non ſine venenatæ potionis ſuſpicione, à Frider. Imp. propinatæ: qui omnia Landgrauii relicta ab inſtituta nauigatione reuertens manu rapaci diripuit. Hæc dicit quodam cum ornatu & comitatu Regio Eccleſiã ingreſſa, ſtatim atq; Crucem vidit, Chriſtumque in ea pendentem, cæpit in lachrymas ſolui, & dolore acerrimo torqueri, ob hanc intimam cogitationem, quod cum Deus & Saluator ſuus in patibulo moreretur, ipſa gemmis, auro, purpuraque fulgeret; illius caput ſpinea corona cruciaretur, ſuum aurea ornaretur: ille ab amicis & diſcipulis deſertus, vndiq; à deriſoribus circumſeptus eſſet, ipſi autem multi famuli adeſſent, omneſq; eam colerent atq; ſuſpicerent. Quare cum ſe propterea infælicem, & miſeram, ac propemodum damnatam appellaret, quæ tam male ſuum imitaretur creatorem, tantum in ea valuit hæc meditatio, vt exanimis in terrã ſit collapſa, vixq; multo labore & opere ad ſe reuocari potuerit. Fuit in ea præcipue admirãdum pauperib. benigne faciendi ſtudium, quo omnium incommoda ſubleuare, & pauperes tanquam proprios filios fouere non deſtitit. Quo tempore Princeps maritus in Apulia apud Fridericum mãſit, ipſa explendæ pietatis occaſionem nacta, primo collectum omne ſuæ ditionis frumentum pauperibus largiſſima manu erogare cæpit, deinde cum aduerteret plurimos egenorum præ aduerſa valetudine aut membrorum incommodis eleemoſynæ cõmunis manere expertes, quod aſcenſu montis, in cuius vertice arx ſita erat, præpedirentur; inſigne quoque Xenodochium loco humili ſub arce quamprimum conſtrui curauit. In eo vero Xenodochio eos potiſſimum fouebat pauperes, quos vel morborum vexabat iniquitas, vel membrorum debilitas inſigni dehoneſtamento notabat, quos ipſa quotidie per ſe paſcere, è ſtrato ſuo tollere, geſtare brachiis, fœtoremque ſingulorum perferre non grauabatur. Duodetriginta vero pauperes ita in Xenodochio illo diſpoſuerat, vt ſtatim defuncti cuiuſpiam loco alius potiretur. Nongenti autem mendici quotidie ſub eius oculis alebantur: exceptis quos per latiſſimam ditionis ſuæ prouinciam, abſens paſcebat, apud quos tanta indefeſſæ humanitatis exercuit beneficia, vt non raro redditibus iam erogatis, corporis ſui ornamenta diſtraheret, ne Chriſti membra fame tabeſcerent. Viuo adhuc marito, aliquando panes aliquot in veſtis limbo pauperibus ferebat. Interrogata ab eo, quid ferret: Flores & roſas ſe geſtare affirmauit. Limbum deinde ad importunitatem Ludouici retexit, & non niſi flores & roſas, ex panibus ſcilicet apparentes Ludouicus aſpexit. Poſt viri autem mortem, velut diſſipatrix & prodiga, maritique defuncti prouinciis calamitoſa, à nonnullis electa, magna animi cõſtantia eam calamitatem tulit. Bambergenſ. Epiſc. eius auunculus, honeſte illam retinuerat, vt alteri quoque viro coniugaret, numquam tamen pudiciſſima conſtantiſſimaque matrona propoſito amoueri potuit: quippe quæ, ſi qua vis nuptiarum gratia ab illo inferretur, naſum ſibi ipſa potius adimere decreuerat, vt fœdato turpi vulnere vultu, ſecundum coniugium euitaret, quam auunculo obtemperaret, & in humanam libidinẽ victa decideret. Dum in his verſaretur anguſtiis, inſtantiſſime Deum orabat, vt humanarum rerum, & imprimis liberorum contemptum, item contumeliarum patientiam, & conſtantiam in miſeriis inſpiraret, quo expeditius toto corde & animo ſalutatorem ſuum coleret & amaret, nihilque antiquius duceret ſui Ieſu charitate. Sanctimoniæ ſuæ præceptorem Conradum, virum, ea tempeſtate religioſiſſimum adhibuit. In ſanctimonialium D. Franciſc. cœnobio, cui ſe indiderat, non modo nendo & lanam texendo vitam humilem traxit, verumetiam ſordidiſſima quæque miniſteria in humilitatis obſeruantiam exercuit. Dicere ſolitam ferunt, deſpectiorem, ſi inuenire poſſet, ſe vitam optare, vt Deo placeret. Id tandem vitæ ſanctitate & contemplationis vehementia conſecutam affirmant, vt ſe cœlum apertum vidiſſe, ſereniſſimum conſolantis Dei vultum ſuſpexiſſe, fuiſſe cum eo collocutam, & arcana multa ſpectaſſe, exorata quãdoq; fateretur. Et cum prætextatum ſpectaſſet adoleſcentem, mox percontata, anne oratione ſua ad ineundum ſalubriorem viuendi modum adiuuari poſſet? Cum ille voluntati preces adieciſſet, ſic pro eius ſalute Deum exorauit, vt diuino ſtatim ardore ſe correptũ intelligeret. Quinquies mille argenti pondo, quod pro dote ſuſceperat, partim in pios pauperum vſus erogauit, partim in hoſpitalis diuerſorii ædificationem impendit: in quo ipſam memorant ægrotis pedes lauaſſe, tabifica vlcera curaſſe, ſubiiſſe ſæpe ſulloniæ officium, languentibus calceos exuiſſe, lectos ſtrauiſſe, ſordida pauimenta verriſſe, & nulla charitatis officia perhorruiſſe. Inter hæc ſæpe cum ancillis gratulabunda dicere: O quam bene nobiſcum agitur, quando Dominum noſtrũ ſic lauamus & tegimus! ad poſtremum, cum pro contemptu terreni iam cœleſtia mereretur: Chriſtum ſibi in ſomnis apparuiſſe ferunt, ſuaui adhortatione confirmantem, dicentemque; Veni dilecta mea Eliſabetha, & præparata tibi tabernacula ſubi. In febrem ſubinde cadens, inter contemplandum ſæpe exhilarari viſa, dum media nocte animam ageret: iam tempus inſtat, inquit, quo clementiſs. Deus, illos qui amici eius ſunt, ad cœleſtes nuptias euocabit, dumque hæc diceret, in Domino obdormiuit. Quatriduo ſuperfuit corpus eius, antequã humi reconderetur, fragrantiſſimum odorẽ aſpirans, deinde ſepulchro condítum, haud multo poſt oleum emiſit, in adminiſtratæ

ſtratæ pietatis & miſericordiæ teſtimonium. Eam 4. poſt mortem anno, iugentibus miraculis illuſtr. Gregor. IX. in Sanctorum albo ſcripſit.

II. *Apud Sur. 33. Iun.* OBITVS S. ANTONII DE PADVA, ET ADMIRABILIVM GESTORVM EIVS CATALOGVS.

Eod. an. Idib. Iun. in cœlum abiit S. Anton. Ord. Fr. Minorum Confeſſor. Hic Vlyxippone hõneſtis parentibus natus, & pie educatus, admodum adoleſcens mũdi ſpretis illecebris, Canonicorum S. Aug. inſtitutum religioſe ſuſcepit. Verum quo tempore corpora Beatorum quinque Martyrum Fratrum Ord. Minorum, qui pro Chriſti fide apud Marrochium paulo ante paſſi erant, Conimbricam magna Regis populique religione transferebantur, martyrii deſiderio inflammatus, Abbatis ſui tandem voluntate, à Canonicorum Auguſtinian. ſodalitate, ad Franciſcum tranſiit: muratoque Ferdinandi nomine, Antonium ſe vocari petiit appellatione loci, in quo habitum ſuſceperat, qui S. Anton. nuncupabatur. Martyrii autem ſpe indies ardentius inflammatus, ad Saracenos, cum primum facultatem habuit, ire properauit. Sed infirma valetudine, quæ illum diutius afflixerat, in patriam redire coactus, cum ad Hiſpaniæ littora nauem appellere putaret, ventorum impulſu in Siciliam venit, Dei prouidentia ad plurimorum ſalutem reſeruatus, quos variis in prouinciis è peccatorum ſordibus ad ſalutares pœnitentiæ fructus reuocauit. In Italiam veniens, inimicitias, odia, fœnora, furta, rapinas, libidines, aliaque peccata ſuſtulit, atque hæreſes vndique profligauit. Porro operæ pretium eſt initia & progreſſus virtutum Antonii narrare. Is in Æmiliam à Fr. Gratiano Prouinciali miniſtro poſt capitulum Aſſiſii celebratum abductus, venia impetrata, ad eremum montis Pauli, quietem animi captare volens, ſeceſſit. Perſtitit illic vir ſanctus in precibus & vigiliis, tantaque inedia carnẽ maceravit, vt hora refectionis ad fratres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate ingreſſu, ſeipſum interdum ſuſtentare non poſſet, nec deerant illi crebræ dæmonum infeſtationes, quas mirabili conſtantia, ſpei ſuæ anchora in cœleſtibus ſolidiſſime defixa, elidebat. Accidit interim, vt fratres ſacris Ordinibus initiandi ad forum Liuii, quæ eſt Æmiliæ ciuitas confluerent: inter quos cum Anton. adeſſet, & miniſter inſtante collationis hora ſingulos vigeret, vt ſalutis monita depromerent, & illi recuſarent, iuſſit tandem Ant. de cuius eruditione nihil comperti habebat, quicquid ſpiritus Dei ſuggereret, in medium proferre. Et certe cum tantus ille eſſet, vt memoria pro codicibus vteretur & myſtici eloquii gratia mire afflueret, peritior tamen apud fratres habebatur abluendorum culinæ vtenſilium, quam ſcripturæ S. myſteria explicandi. Verum enimuero cum miniſtri voluntati, & omnium precibus parere cogeretur, primo quidem cum timore Domini, ſimpliciter ad eos orſus eſt dicere, ſed in orationis progreſſu, tanto verborum ſplendore, tanta myſticarum ſententiarum altitudine vſus eſt, vt omnes in ſummam admirationem adducerẽtur, nec dubitarẽt affirmare, eiuſmodi ſermonem ſe numquam antehac audiuiſſe. Nõ diu poſt huius rei fama ad aures miniſtri perlata, illius voluntate compulſus eſt, rupto diuturno ſilentio in publicum prodire, & diuini verbi ſemina vbique diſpergere. Igitur ex eremi cultore factus Dei præco, ad conciliãdam proximorum ſalutem totum ſe contulit: eam in cõcionibus ſuis iuſtitiæ adhibens æquitatem, vt ſiue magnis ſiue paruis loqueretur, veritatis iaculis indifferenter omnes feriret, qui enim iam ante paſſionis calicem ſicienter concupierat, nulli mortis diſcrimini pro veritate cedebat, ſed mirabili ſtrenuitate, etiam potẽtium tyrannidi ſeſe opponebat. Videbatur quaſi alter quidam prodiiſſe Elias zelo Dei feruens, qui ignitis ſermonibus tepida auditorum accendebat corda. Perſonas quaſdam ſublimes reprehenſione dignas, tanta nonnunquam ſeueritate obiurgauit, vt plerique alii celebres concionatores, ad intrepidam illius conſtantiam trepidarent, vultuſque ſuos quodam puſillanimitatis rubore perfuſi obtegerent. Circumibat per vicos, caſtra, vrbes, & agros, & plurimos quotidie è fœcibus peccatorum, ad ſalutares pœnitentiæ fructus reuocabat. Arimini cum multos nefaria hæreſi correptos inueniret, conuocata concione, verſuta eorum dogmata luculenter confutauit. In quibus Boniuillum hæreſiarcham, triginta annos tenebris errorum occæcatum, ad lucem adduxit Catholicam. Poſtea vero priuato quodã negotio vrgente, à miniſtro Ordinis Romam miſſus eſt: vbi ore tam facundo ſcripturæ myſteria depromebat, vt Pontifex Maximus eum arcam Teſtamenti appellarit, nec immerito hoc illi à Pontifice fuit aſcriptum. Ita enim vtriuſque Teſtamenti paginas memoriæ plane affixas habebat, vt inſtar Eſdræ potuerit, ſi ſic res poſtulaſſet, omnes ſcripturas diuinas in integrũ de ſua memoria, eriã omnibus codicibus abolitis, reſtituere. Primus omniũ ſui Ordinis, Bononiæ in Theologica facultate ſuis præfuit, & ſacras ſcripturas è cathedra profeſſus eſt. Prophetiæ quoq; ſpiritu præditus, multa prædixit futura. Cũ in ciuitate Podienſi, Guardiani, vt vocãt, miniſterio fungeretur, erat illic Notarius quidã omnino lubricus, carni & mundo totus addictus. Eum ſibi obuiũ vir Dei magna ſolebat veneratione proſequi. Ille vero exiſtimans ſe ludibrio appeti, eamque venerationem in ſui deriſionem fieri, quodam die admodum exacerbatus dixit Antonio: Profecto niſi diuinũ numen reuereretur, iſtud ludibrium quo me afficis, ferro vindicarem. Tum Antonius: Equidem libens, inquit, Deo me martyrem obtuliſſem, ſed ego ea gloria dignus nõ ſum. Tu vero præclara martyrii corona ornatus cœlos conſcendes. Oro itaque, vt vbi ad iſtud agonis peruẽeris, mei quoque memor eſſe velis. Hoc audiens, riſit ille. Sed non multo poſt Hieroſolymam cum Epiſcopo profectus, cum eumdem Epiſcopum Saracenis prædicantem, aliquanto frigidius rem vigere aduerteret, ipſe exemplo Vincentii Leuitæ facibus amoris diuini accenſus, Antiſtitem increpans, multo cũ feruore Saracenorum impietatem redarguit, & Mahumetem Satanæ filium eſſe conſtanter aſſeruit. Qua hominis libertate pariterq; conſtantia irritati Saraceni, toto triduo variis tormentis excarnificatum, ad cœlos tranſmiſerunt. Porro concionandi ſtudio vel maxime Antonius incumbebat, nam ex eo non modica animarum lucra recipiebat. Fuit autem eius præcipuus conatus, vt peſtilentes hæreticorum ſectas internecione penitus deleret. Tanta autem virtute, fraudes & verſutias eorum detegebat, tantiſq; viribus impios eorum conatus retundebat, vt paſſim ab omnibus hæreticorum malleus diceretur, nec fuit ſine fructu labor viri Dei, pleriſq; hæreticis cum ipſorum fautoribus, ad veritatis agnitionem & obedientiam ſanctæ matris Eccleſiæ reuertentibus. Cum aliquando in partibus Toloſanis in hæreſi arcam quemdam inſigniter perfidum incidiſſet, qui veritatem corporis & ſanguinis Chriſti, in Euchariſtia pernegabat, multis eum rationibus & variis ſcripturæ locis ita preſſit, vt plane victus veritati accedere cogeretur. Tandem vero poſt multa & varia, per quæ elabi nitebatur argumenta, in hæc verba prorupit: Omiſſa verborum contentione, ad res veniamus. Tu ſi miraculo teſtatũ facere potes, verum corpus Chriſti in Euchariſtia contineri, omni perfidia abiurata, mox ceruices meas Catholicæ fidei iugo ſubmittam. Tum hæreticus iumentum quoddam triduana inedia maceratum, in conſpectum populi adduxit, & ex vna quidẽ parte pabulum ei propoſuit, ex altera vero virum Dei cum ſacroſancto illo pane conſiſtere voluit, aitq; ſi iumentum poſthabito pabulo ſuo, properauerit ad adorandum illum Deum tuum, veſtræ fidei decretis totus accedam. Aſſenſit vir ſanctus, & ingenti Catholicorum frequentia ſtipatus, hæreticorum etiam caterua cõcurrente, peracto Miſſæ ſacrificio, cũ corpore Domini foras egreditur. Tum imperato ſilentio, bruto animali cum fiducia præcepit: *In virtute & nomine Creatoris tui, quem manibus indignus geſto, tibi præcipio, vt confeſtim huc accedas, & eam, quam par eſt, illi reuerentiam exhibeas: vt hinc perſpicue intelligat hæreticorum peruerſitas, omnem creaturã ſuo creatori ſubditã eſſe, quẽ dignitas ſacerdotalis in altari contrectat.* Necdũm Chriſti ſeruus dicendi finẽ fecerat, & ecce iumentum illud neglecto pabulo, ad poplites vſq; ſubmiſſo capite acceſſit, & coram vniuerſo corporis ſacramento genua curauit. Perfudit ea res Catholicos ingenti lætitia: hæreticos autem maximo pudore confudit. Vnde hæreſiarcha ille abiurata coram omnibus perfidia, ex animo catholicæ fidei nomen dedit. Cum Patauii ageret vir Dei, Olyſſipone duo ciues implacabili odio laborantes, mutuo ſibi necem machinabantur. Accidit autem vt alter alterius filium hora veſpertina per ſummã crudelitatẽ iugularet, & intempeſtæ noctis ſilentio, in horto parentũ viri Dei, facta fouea ſepeliret. Mane facto, cædis auctor, & cadauer diligẽter quæſitũ eſt, ac tandẽ in horto Martini inuentũ. Itaq; pater viri ſancti

cum tota familia in vincula coniectus tamquam cædis reus habitus est. Eius rei vt per spiritum Patauii certior factus est vir Dei, eadem nocte magno miraculo Olyssiponem perductus est: & proxima luce ad Iudicem se conferens, petiit vt insontes è vinculis dimissos, domum abire paterentur. Illo modis omnibus recusante, petiit cadauer perempti pueri ad se deferri. Quo allato, iussit defunctum edicere: Num parentes illius cædis eius rei essent. Res stupenda, puer defunctus corpore se erigens, respondit, illos cædis eius prorsus conscios non esse. Mansit toto illo die cum parentibus suis, magno cum honore ab omni suspicione cædis absolutis; & mane sequenti Angelico ministerio Patauium reductus est. Cæterum ad eum audiendum tãta hominum multitudo concurrebat, vt cum templa, quæ ad hoc ipsum deligebantur amplissima, capere non possent, suggestus in campos vel plateas latissimas deferretur, vbi etiam ad occupandum tempestiue locum adeo ab omnibus certatim properabatur, vt cernere esset, nobilissimos viros, atque matronas, antequam luce sceret concurrentes, & ad multas horas vocem illam, quasi de cœlo venturam præstolantes, illo autem loquente, cum sæpe ad millia hominum ttiginta adessent, tamẽ non strepitus, non murmur, non etiam exercatio audiebatur, tantum erat omnium silentium & attentio. Eius extremo vitæ tempore, scilicet ante annum vel vltra, in partes diuisa Italiæ pars Lombardia bello intestino feruebat. Marchio Montisferrati & Comes Sabaudiæ, aliquas ciuitates Lombardiæ sibi, contra Mediolanenses, & reliquos Lombardiæ Principes, scilicet Comitem Sancti Bonifacii Estensem, & Mantuanum adiunxerant: & bello cædibusque omnia complebant atque fœdabant. Montferratensis & Sabaudus, Imperatoris, Mediolanenses & Confœderati alii, Pontificias partes tuebantur, & vtrimque pugnabant. Illi Fridericum in suum auxilium euocarant: hic vero tum ipse aduolauit opem partiariis suis laturus, tum Ezelinum Ezelini Alemanni filium Comitem Romaniam incitauit, auxilia Mediolanensibus à Comite Sancti Bonifacii, Estensi, & Mantuano submissa dissipaturus. Habuit Ezelinus Theutonicum auum, qui sub Ottone tertio in Italiam duxit ordines, & in Tarisina prouincia sede constituta opibus & filiis ex matrimonio auctus, finitimis terrorem incusserat. Antequam hic Ezelinus grassaretur, aliquis religiosus in extasim raptus, vidit Christum in aere Angelis dicentem; *Quomodo possum vindictam sumere de peccatoribus Marchiæ Tarisinæ?* Huic autem vnus respondit: *Ecce Ezelinus vir paratus flagella super sceleratos augere*, & statim productus fuit Ezelinus, cui Christus gladium tradidit dicens: *Vade, & fac vindictam de hostibus meis.* Ab hac visione ille religiosus ad se reuersus, cum ad Ezelinum rerum iam potientem venisset, illumque aspexisset; *Hic est ille vir diabolicus*, inquit, *quem in aere vidi Christo astare. Væ, væ Marchiæ Tarisinæ.* Neque ex vano fuit prædictio aut visio. Ezelinus enim validioribus copiis à Frid. Imp. acceptis, Tarisium, Patauium, Veronam, Vicentiam vi subegit, & Comitem S. Bonifacii Veronæ cepit, & stupris, cædibus, rapinis, omnia compleuit. Itaque eo tempore, quo sis Italiam cæde atque incendiis vastabat, Antonius ad eum accedens, his verbis compellauit: *Saeue ac crudelis tyranne, quando tandem humani sanguinis effundendo finem facies?* Cui exordio cum reliquam orationem congruentem adiecisset, commemoratis illius rapinis, cædibus, direptionibus ciuitatum, Deique iram ac pœnas imminentes denunciasset, hæc audientes satellites, nihil expectabant aliud, quam bai bari illius pro eius more nutum, vt tam molestum monitorem confoderent. At ille contra, cingulum collo imponens, atque ex lupo agnus effectus, & in genua procidens, humillime peccatorum veniam precatus, insuper etiam pollicitus est, quicquid pœnæ iniungeretur, libenter subiturum. Idem tamen paulo post in flagitia relapsus, decreuit sancti viri virtutem hoc pacto explorare. Misit ad eum quosdam ex suis, cum præclaris muneribus quibus ita mandauit, vt precibus & omni importunitate id ageret, vt ea acciperet, quod si faceret, illico eum obtruncarent, si non acciperet, patienter ferrent, quicquid ab eo diceretur. Illis igitur ficta humilitate instantibus, multumque orantibus, vt munus illud Domini sui admitteret, Anton. voce libertrima; *abite*, inquit, *quamprimum cum vestris impiis donis, ne vel ruente tecto, vel dehiscente terra, nos quoque vestro exitio inuoluamur.* Itaque illis dimissis, Ezelinus re cognita semper illum deinceps vt hominem sanctum veneratus est. Namque is ipse sanctus plurimis admirandæ virtutis insignibus claruit. In vltima vero ætate, cum signis minime dubiis, terminum vitæ cognosceret propinquare, ab hominum turbis plane recessit, & arcta solitudine se conclusit, vt spiritum ab omni rerum terrenarum contagione repurgaret, & sic demum lætus ad cælestia regna concederet. Tandem infirmitate correptus, facta prius confessione, atque sacra vnctione percepta, sublatis sursum oculis Christum Iesum vidit, eiusque conspectu mirifice exhilaratus, cum psalmos pœnitentiales perlegisset, inter adstantium manus, dormienti similis, leniter expirauit, quem Gregor. Papa IX. An. subsequente inter Sanctos scripsit, atque his literis omnes fideles ad cultum illius prouocauit.

Bernardin. Cor. p. 2.

Platus lib. 2. c. 6.

†

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERuorum Dei Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis præsentem paginam inspecturis.

Edita An. D. 1232.

CVm dicat Dominus per Prophetam; Dabo vos cunctis populis in laudem, & gloriam & honorem & per se pollicetur, quod iusti sicut Sol in conspectu Dei fulgebunt; pium & iustum est, vt quos Dominus merito sanctitatis coronat & honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris; cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula & in sanctis. Vt enim suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & nostræ salutis causam misericorditer operetur, fideles suos, quos semper coronat in cœlo frequentet & honoret in sæculo; ad eorum memorias signa faciens & prodigia, per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides catholica confirmetur fideles mentis torpore discussio, ad boni operis excitentur institiam, hæretici depulsa in qua iacent cæcitatis caligine ab inuio reducantur ad viam, & Iudæi atque Pagani vero lumine cognito, currant ad Christum, lucem, viam, veritatem, & vitam.

Vnde nos carissimi, etsi non quantas debemus, quantas tamen possumus gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod diebus nostris ad confirmationem catholicæ fidei, & ad confusionem hæreticæ prauitatis euidenter innouat signa & mirabilia potenter immutat faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde, quam ore, nec non & opere roborantur. De quorum numero sanctæ memoriæ Beatus Antonius de Ordine fratrum Minorum, qui olim degens in sæculo magis pollebat meritis, nunc viuens in cœlo multis coruscat miraculis, vt eius sanctitas certis indiciis comprobetur.

Cum enim dudum venerabilis frater noster Episcopus & dilectus filius N. Potestas & communitas Paduana nobis per nuntios suos & literas humiliter supplicassent, vt cum Dominus eidem sancto tantam contulit gloriam, vt ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis ipsius & experimẽtum euidens de secunda, sepulchrum eius tot & tantis daret coruscare miraculis: quod eius inter alios sanctos non inuocari suffragia est indignum, de ipsius miraculis testes recipi mandaremus.

Nos attendẽtes, quod licet ad hoc vt aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante sola sufficiat finalis perseuerantia, iuxta illud: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: ad hoc tamen vt sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc & illa sibi ad inuicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sed cum merita sana præcedunt & clara succedant miracula certum præbeant indicium sanctitatis vt nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus & signis subsequentibus exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Euangelistæ plenius colliguntur; illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, eidem episcopo & dilect. fil. fratri Iordano sancti Benedicti, & I. Sancti Augustini Prioribus Ordinis fratrum Prædicatorum Paduan. receptionem testium de miraculis eiusdem sancti duximus committendam.

Nuper autem tam per relationem prædictorum Episcopi & Priorum, quam per depositiones testium super hoc receptorum de ipsius virtutibus & miraculorum insignis certiores effecti, & experti aliquando per nos ipsos sanctitatem vitæ, & admirabilem conuersationem ipsius, vtpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter conuersatus,

eisdem.

eisdem Episcopo & Potestate & communitate prædictu per solennes nuncios suos & literas, nobis cum instantia denuo supplicantibus, quod eundem fratrem sanctorum Catalogo ascribere curaremus, vt auctoritate sicut conuenit Apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sicut claris signis & euidentibus argumentis apparet, honoratur in cælis. Ipsum qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cælestibus, ne illius honori debito, & gloriæ detrahere quodam modo videremur, si glorificatum à Domino permitteremus vlterius humana deuotione priuari, de fratrum nostrorum consilio, & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostol. existentium, catalogo sanctorum duximus adscribendum.

Cum igitur secundum Euangelicam veritatem nemo accendat lucernam, & ponat eam sub modio, sed super candelabrum vt omnes qui in domo sunt, lumen videant & prædicti sancti lucerna sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam iam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari, vniuersitatẽ vestram rogamus, monemus, atque hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium ad venerationem eius salubriter excitantes festiuitatem ipsius Idibus Iunii annis singulis celebretis, & faciatis eadem die solenniter celebrari: vt eiusdem precibus Dominus exoratus gratiam in præsenti, & gloriam vobis tribuat in futuro.

Nos autem cupientes sepulturam tanti Confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, illud in festiuitate ipsius vsque ad octauum diem, annis singulis cum reuerentia debita visitantibus de Omnipotentis Dei misericordia & Beatorum P. tri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, annum vnum de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Spoleti Calend. Iunii, Anno sexto.

Anton. Quærengus mihi propter doctrinæ, virtutis & dignitatis Ecclesiasticæ præstantiam reuerendus, Patauinæ vrbis ornamentum, istud melos quod adiungo, suæ vrbis Tutelari concinebat.

Diuo Antonio Patauino Confess. Sacrum:

Dignis ad astra vocibus
Laudes feramus Maximi
Antoni, & vrbis inclytam
Nostræ canamus gloriam.
Hic ille natus vltimas
Tagi qui ad vndas nobili
Domo, paternis commodis
Mendicitates prætulit.
Qui Christi amore fauidus
In mille se discrimina
Coniecit, vt cœlestium
Choro adderetur martyrum.
Hic singulari præditus
Linguæ eloquentis munere
Quamcunque adiuit vrbium
Mores fugauit improbos.
Orci fugauit agmina
Infanda, & agris artubus
Salubre robur indidit
Pacemque in orbem restulit.
O nostra salix ciuitas
In qua supremis vocibus
Confessor almus clarust
Et sancta membra condidit.
Sit Trinitati gloria,
Summoque patri & filio
Simulque sancto flamini
In sæculorum sæcula.

III. *Naucler. gen. 42. ex Blondo & Platina.* ROMANI ABSENTE GREG. FACTIOSOS SENATORES HAVD ÆQVOS GREGORIO ELIGVNT, AD ARMA CONCVRRVNT, SED SVBIGVNTVR PESTE ET CENSVRIS.

Per hæc tempora cum Gregorius Pont. Perusium ad cõponendos motus quorundam ciuium sese contulisset, Romæ seditio permaxima exorta est. Cæperãt paulo ante Romani exploso consulum magistratu, Senatores quandoque vnum, quandoq; binos creare annuos, qui ius populo dicerent, & custodiæ vrbis curam haberent: dato imprimis Sacramento Pontifici. Itaq; per absentiam Pontificis, Hannibalem Hannibalda familia natum, & Greg. parum æquum elegerant, præsertim hi qui partes Friderici Imperatoris sequebantur. Inter quos cum plurimi hæreticorum censerentur, aliquos etiam Sacerdotum eadem labe infecerunt, & à Gregorio separarunt. Hi porro Pontificem formidantes, cũ senatore Hannibaldo populũ facile mobile ad rebellionem concitarunt: atq; deinde exercitu collecto, in Viterbienses Gregorio addictos promouerũt. Occasionem arripuit Fridericus res nouandi, & se de Greg. vlciscendi. Per speciem enim defendi illius aduolauit, & Romanis animos contra Viterbienses adiecit: cumq; promisisset (ita Greg. S. Ludouico Galliarum Regi scribebat) terram Ecclesiæ perditam in pristinum statum reducere, & ipsam pro viribus in Tuscia defendere, non modo nihil fecit, sed insuper & recuperationem castri quod modico labore reduci poterat, impediit, & cum hostibus Ecclesiæ, vt ex consequentia facti & literis deprehẽstrati poterat, fœdus pepigit, vt ipso certo die exinde recedente, illi ad arma consurgerent, & B. Petri patrimonium occuparent. Facile postmodum Gregorius copiis armatis, Petro Capoccio Ductore audaciam Romanorum repressit, & agrum Sabinum, & reliqua patrimonii S. Petri recuperauit, Deo vlciscente tumultuarios ciues quorũ vix decima pars superfuit à cõtagione pestilẽtiæ, qua vrbs post inundationem Tyberis laborauit. Reuersus in vrbem Greg. Hannibalem factionis Principem grauiore anathemate damnauit, & Ioan. Poli senatorem vrbi præfecit: sacerdotes autem & Clericos hæresis conuictos beneficiis priuauit, dignitatibus exuit, & aliis censuris ex Ecclesiastica disciplina castigauit: populum vero largitione pecuniarum recreauit, atque vrbem ab aquis interraneis putẽtem expurgauit. Interim autem cum intellexisset Confœderatas Lombardiæ Ciuitates contra Fridericũ Imp. omnia tentare: ab ipso autẽ Friderico, alteras Capuæ 4. April. alteras datas apud mõtem Falisc um die 4. mensis Septembr. anni superioris, literas accepisset, in quibus potestatem arbitrariam Pontifici permittebat inter ipsum & prædictas Ciuitates fœderatas, omnes discordias vertentes componendi: misit hoc anno Cardinales in Lombardiam Legatos, Iacobum de Pecoraria Episc. Prænest. & Ottonem Blancum tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum: qui Bononiæ comitio indicto, nihil non egerunt, vt pacem inter Imperatorem & Mediolanenses atq; reliquos confœderatos restituerent. Hi enim ante biennium die 2. Decemb. quæ in primam aduentus Dominicam incidebat, Mediolani in palatio Archiepisc. præsente Enrico Settara Archiepisc. & Godofr. seu is Apostolicæ Legato, & F. Gualla Ord. Præd. Commissario Apostolico, sodalitatem initam contra Fridericum instauraverant, & sacramento sibi & Ecclesiæ dicto, pro iuribus Ecclesiæ, & libertate Italiæ arma assumpserant. Ezelinus Patauii tyrannus, non tantum ferro & igni, verum etiam hæresi omnia hoc anno fædabat, Eccles. spoliabat, Sacerdotes & Clericos persequebatur, bona & possessiones eorũ diripiebat, subditos & quoscunq; alios violabat, & reliqua tyrannidis in omnes promiscue exercebat. Contra eum scripsit Greg. Ciuibus Patauinis, summopere eorũ erga fedẽ Apostolicam deuotionẽ dillaudans, & monens, vt pro posse suo Ezelinũ ab hæresi, & à persecutione Ecclesiasticorũ, & defensione hæreticorum dehortarentur: atq; ad veritatem inprimis fidei Catholicæ, deinde ad mansuetudinem pietatemq; Christianã adducerent. Quod si contemnerer, commisit electo Mantuano, & Brixiensi, Regiensi, Mutinensiq; Episcopis, vt processum contra eumdem ex diligenti inquisitione factum, populis renunciarẽt, & anathemate damnatum declararent. Cæterum cum Fridericus bona omnia Templariis & Hospitalariis in Regno Siciliæ erepta, necdũ restituisset: quinimo eos domiciliis propriis eiecisset: illi autem sedem Apostolicã interpellantes, auxilia à Gregorio Pontifice postulassent: misit ad eũ Gregorius Mutinensem Episcopum, & tũ 3. Cal. Maii Laterani, tum Idib. Iun. Reate ei scripsit: admonens, vt eis ablata omnia restitueret, vel saltem in manibus Magistri militum Theutonicorum tantisper deponeret, donec de iure decerneretur, quis, quid ex æquo & iusto habere deberet. Quod vt sine omni fraude fieret, præscribebat Fridericus, vt ab eo, & ab illis, duo arbitri eligerentur, qui tertiũ iudicem compromissariũ designarẽt, quod si tertiũ non possent eligere, rem totã sedi Apostolicæ & Romano Pontifici permitterent, vt is tertiũ aliquem iuris gnarum & iustitiæ amantẽ deputaret, qui totam controuersiam dirimeret, & quod sui cuiq; est assignaret. Et quia ex literis Patriarchæ Cõstantinopolitani intellexerat, Persarum Regem ingenti exercitu comparato, in Palæstinam velle proficisci: vt Christianos è possessione Terræ Sanctæ eiiceret, monuit Fridericum Imperatorem, vt opportuna auxilia submitteret, neque pateretur Terram Christi sanguine irrigatam, pedibus prophanorum conculcari. In eandem rem Regi Galliarum S. Ludouico, & Regi Anglorum Henrico scripsit Laterani VII. Cal. Maii, orans vtrumque, vt arma in se comparata deponerent, & in hostes Crucis Christi conuerterent: vel saltẽ inducias inter se stabilirent, ne per bella ciuilia quæ inter se gerebant, impedimentũ daretur Crucesignatis colligendis, & in Syriã transmittendis.

Cæcocm. in Greg. & Bern. Cor. p. 2. anno 231. FRID. INGENIVM NOCENDI ECCLESIÆ NON MVTAT.

Epist. 119.

IV. *Epist. 25.* STVDIA ACADEMIÆ PARISIENS. PROMOVET GREGORIVS.

forum

sorum, domorum elocationem honesto pretio decerneret, atq; omnia pro reparatione collabentis studii faceret, maiorem in modum admonuit, & ad extremum Abbati S. Victoris & Priori Fratrum Ord. Præd. Parisiis potestatem fecit absoluendi & Magistros & discipulos à censura, in quam ex Statuto Roberti Cardinalis Legati in Concilio Parisiensi decreto, inciderant, occasione lectionis quorundam librorum naturalium, in eodem Concilio interdictorum. Priores ad Regem literas scripsit Laterani XVIII. alteras autem XII. Calend. Maii.

V. GREGORIVS NONVS GRÆCAM ECCLESIAM CVM LATINA VNIRE NITITVR SCRIPTA AD PATRIARCHAM AVREA EPISTOLA. a *Epist.* 65.

Nihil tunc poterat gratius accidere Gregorio, quam audire & aspicere Orientales in sinum Catholicæ Ecclesiæ inclinare. Nihil enim magis in votis habuit Gregorius Papa, quam vt aliqua ratione Græcos dissidentes, ad vnitatem Eccles. reduceret. Sed vel solus primatus Romanæ sedis, illos remorabatur. Hunc itaq; vt illis demonstraret, auream quæ sequitur Epistolam Germano Patriarchæ Constantinopolitano *a* scripsit. Ita habet.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscopo Græcorum salutem & Apostolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ literis nobis & Fratribus nostris per tuum nuntium præsentatis, qua decuit benignitate receptis, earumque tenore plenius intellecto, disposuimus viros religiosos vitæ laudabilis & probatæ scientiæ ad tuam præsentiã destinare, qui verba vitæ deferent, & nostram & Fratrum nostrorum plenius voluntatem exponent. Verum quia de comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo, ne ex ore leonis mortui non sine rubore scribentis à Patre fauus exhibitus contemnatur, quædam duximus rescribenda: ne videantur scripta despici, si contigerit non rescribi, quia audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Licet autem Christus iuxta quod tuæ series Epistolæ retexebat, primum sit & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non potest: secunda tamen & secundaria fundamenta legimus Apostolos & Prophetas, quia fundamenta Ecclesiæ in montibus sanctis, & ciues supernæ Hierusalem, supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum superædificati leguntur. Inter quos primus & præcipuus B. Petrus non sine causa, sed ex prærogatiua speciali à Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput, vt sicut in capite sensuum plenitudo consistit, à quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tanquam à fonte riuulus deriuatur: sic tres fidelium ordines in Ecclesia, Noe, Daniel, & Iob, Prælati videlicet, continentes & coniugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione saluandos, à Petro Petra, super quam non domum saltus Libani, non porticum columnarum, nec domum filiæ Pharaonis, sed Ecclesiam suam ædificauit Dominus fidelibus, velut de omni genere piscium in eius rete conclusis, tamquam à primate primatum, qui de fonte dominici pectoris fluenta potauit, & suæ salutis debent postulare remedia, & cum omni patientia & doctrina non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, à mentis suæ tenebris dubietatis scrupulos remoueri. Nec obstat, quod asseris si tempora locumque distinguas, Paulum Petro in faciem restitisse, cum dispensatiue ab Orthodoxis partibus factum esse legatur: dum Petrus legem Mosaicam profitendo, Iudæos, & Paulus circumcisionem euitans, totis viribus lucrifacere studuerit ex huiusmodi simulatione Gentiles. Alioquin & Paulum perambulantem Syriam & Ciliciam cum peruenisset Derbem & Lystram, ex eo argues, quod Timotheum ex Patre Gentili ortum fidelis viduæ filium circumcidit. Secundo autem & tertio, vel se vel Paulum reprehendes, qui cum nauigasset Syriam, & cum eo essent Priscilla & Aquila, & caput timore Iudæorũ totondisset in Cenchris, quia comam quam ex voto nutriuerat, quod Nazaræi, qui secundo vouerant, iuxta præceptum Moysi facere consueuerant, ibidem totondit ex lege. Si Fr. charissime dignitatis mysterium & auctoritatis officium pleno intellectu distinguens, & Petri & Pauli zelum consideres, qui animas tantum sitiebant: eos nec in morte quos eadem fides & passio vere fecit esse Germanos, nec dum viuerent in doctrina inuenies esse discordes. Licet enim Petrus pro duræ ceruicis Iudaico, & Paulus pro gentili populo lac paruulis & escam prouectis exhibens, diuersis linguis & ritibus laborarint, cum iam plenitudo temporis aduenisset, vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, & alios fidei articulos secundum gratiam sibi collatam à Domino, in vno eodemque spiritu prædicauit vterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini, Petro & cæteris Apostolis vniuersaliter sic dicentis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, cum Petro mysterium dignitatis exercens, & ex verbis eiusdem auctoritatis, singulariter Petro propositis. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, in Petro auctoritatis officium recognoscens, & ideo ad eum

tamquam primatem & Euangelii Dominici fontem venit Hierosolymam, & postmodum cum ipso & aliis secundum reuelationem contulit Euangelium, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccauerit, non tantum septies, sed etiam septuagies septies præcipitur dimittendum, ipsi soli oues suas indistincte committens, qui tam spirituali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis & grabbatis positi ad vmbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dictum est: Duc in altum, & pluraliter subinfertur: Laxate retia in capturam. Si ergo Petrus propter excellentiam fidei, qua in vno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit: Tu es Christus filius Dei viui, claues regni cœlestis in terris solus accepit: cum vnus sit Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monstrosum, & sine capite acephalum censeretur: restat vt ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, quam ipse cum Paulo & cæteris de Gentibus Græcis, Latinis, Barbaris congregauit, caput eiusdem. suumque Dominus per ea quæ præmissa sunt, manifeste ostenderet successorem. Præuidens autem Dominus, quod Ecclesia Dei conculcaretur à tyrannis, laniaretur ab Hæreticis, & à Schismaticis scinderetur, ait: pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos. Ex quo colligitur euidenter, quod ad sedem Petri omnis quæstio fidei sit referenda: sed quod dolentes referimus, vt Epistolæ tuæ verbis vtamur, præsumptuose quidam non per manus militum, sed Ecclesiasticarum personarum sensus, veri Ioseph talaris tunica & inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videat? Cum enim Græcorum Ecclesia à Romanæ sedis vnitate recessit, statim priuilegio caruit Ecclesiasticæ libertatis, & quæ fuerat libera, facta est sæcularis potestatis ancilla, vt iusto Dei iudicio, quæ noluit diuinum recognoscere in Petro primatum, toleret inuita sæculare dominium. Sub quo non modica contemnens paulatim decidens, fidem informem profitens, & à fraterna charitate tepescens, licentius per campum licentiæ non refrenatæ discurrit, vt sine alicuius reprehensione, licitum sub illicito palliaret, & à templo Petri recedens, à Domino quasi attritum foris eiicitur, quod virga sua Ioannes prohibente Domino, non metitur, quoniam datum est illud Gentibus, & hoc iam cognoscis visibiliter consummatum. Quod Samaria, quæ à templo Domini & à Iuda, ac veræ fidei confessione recedens facta idololatra præfigurans, bellorum gladiis continuatis attrita, & peccatorum grauata pondere: licet Elias & Elisæus, tamquam magna luminaria ibi velut in loco caliginoso resulserint, data est Gentibus proiecta foris in vltionem fornicationis, & idololatriæ, quibus se à Domino separauit. Quod si Paulum Græcorum Ecclesia se habere proponit exhibeat vel à successore Petri etiam vicario Iesu Christi in Apostolorum basilica, quæ à Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii & notauit mysterium, licet literis tuis, quasi sub forma responsionis insertum fuerit, quod Petrus ab ostiaria ter commotus ad galli cantum excitatus: factus est ostiarius paradisi: vt videlicet, qui præesse debuerat pati sciret & compati, & ex auctoritatis officio, cui ter dictum est singulariter, pasce, & non pascite: oues meas non alienas, ad successores transmisso veri pastoris exemplo, subditorum excessus ad vnitatem Ecclesiæ redeuntium in spiritu lenitatis corrigeret, & cultum Christiani nominis sponte professos, ab Ecclesia oberrantes ex gente contumacia, iuxta verbum Apostoli, tradendo huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ad ouile reduceret, vel inuitos. Si vero ex compassionis affectu ad Apostolicæ sedis primatem & iudicem tamquam verus Israelita recurris, & super contritione Ioseph de scissura tunicæ inconsutilis, motæ sunt tuæ pietatis viscera, passioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum Apostolo condolemus, eique ad grates assurgimus, qui aperuit oculos cæci nati, humiliter postulantes, vt qui per collirium ex felle piscis, Tobiæ illuminauit oculos, Ecclesiæ Græcorum corda cum tuo illuminet, & nostris tuisque temporibus ad vnum ouile vnumque pastorem prouidentia diuina reducat. Librum igitur de quo dictum est Ioanni in Apocalypsi, accipe Frater charissime, ac deuora illum, & si amaricare faciat ventrem tuum propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt, tamen in ore tuo erit dulcis tamquam mel, cum sonus confessionis aduenerit dulcis ad instar mellis, iuxta verbum sponsi dicentis in Canticis: sonet vox tua in auribus meis, vox tua dulcis & tuæ prudentiæ conscientiam sine aliqua superstitione regyra, & illuminatus inuenies, quod Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum caput est & magistra, in speculo proposito, Euangelii videlicet & epistolarum & doctrina aliorum Doctorum, nihil contrarium inuenit, quod interpretatiue vel dispensatiue secundum statuta sanctorum Patrum in vnitate Fidei & Spiritus non concordet. In cuius libri apertione inuenies, quod Romanus Pontifex omnibus omnia factus, vt omnes salui fiant, non turpis lucri cau-

sa, vel

sa, vel voluntarie, sed à fratribus suis diuina inspiratione vocatus, statim seruus seruorum Dei effectus murum pro Fratribus & Coepiscopis suis, eorumque subditis contra Hæreticos, Schismaticos, & Tyrannos, ad tuitionem Ecclesiasticæ libertatis, cum suis Fratribus se opponit. Et licet aliqui latenter surrepant, publice tamen quasi ab omnium incursibus modernis temporibus Ecclesia Romana respirat. Sed si Græcorum Ecclesia patienter sustineat, vt tuis verbis vtamur, verba quæ mordeant, præter animarum pericula, quæ ex eorum scissura prouenerunt hactenus & proueniunt, satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo Ecclesiasticus per aduersas Orientis nationes in diuersa partitus confunditur, Ecclesiastica libertas deprimitur, & sacerdotalis dignitas conculcatur, nec est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: quia tamquam acephali, ad caput Ecclesiæ recurrere contentempserunt. Reuertere igitur Sunamitis reuertere, reuertere, vt intueamur te: quia tunc recte poterit frater à fratre iuuari: si filius qui omnia consumpsit dissolute viuendo, à Domino inspiratus surgat & dicat. Pater peccaui in cœlum & coram te, &c. Tunc enim Pater non vt mercenario, sed vt filio reuertenti occurrens, primam stolam proferet, occudetque vitulum saginatum, & generale conuiuium faciens, vniuersis Christi fidelibus cum exultatione annuntiabit & gaudio, quod & frater & filius qui mortuus fuerat iam reuixit, & drachma quæ perierat, est inuenta, & sic te in gremio matris Ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifeste videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina seruat in fidei vnitate, quæ non recipit maculam, neque rugam. Dat. Reate VII. Cal. August. Anno 6.

VI. *Plat. de bono stat. relig. lib. 2. ex Chron. Seruit.* INCHOATVR HOC ANNO FLORENTIÆ ORDO SERVORVM DEI.

Hoc anno ortum habuit Florentiæ, Ordo seruorum Beatæ Mariæ. Septem, ferunt, homines nobiles ac locupletes, voce cœlesti admonitos in propinquum montem secessisse, seculoque relicto se ad vnius Dei obsequium contulisse: retento semper Beatæ Virginis famulatu, cui iam pridem in sodalitate quadam sese deuouerant, & cuius Assumptionis sacro die, dum preces & laudes ei persoluerent, vocem cœlestem audierant. Seruitarum nomen ideo ab iis acceptum, quod se Beatæ Virginis matris seruos esse profiterentur. Narrant pariter, quod Dei mater nocte quadam singulis separatim per quietem apparuerit, cum magno & illustri Angelorum exercitu, vna manu pullam tunicam, altera librum apertum tenens, iubensque eos deinceps illa veste vti, & illa regula, quam Sancti Augustini esse aiebat. Itaque simul ac illuxit, congregati Patres, alter alteri visionem suam exponentes, cum magno gaudio decreuerunt omnia exequi, quæ Cœlestis Regina præceperat.

VII. ORIGO SERVITARVM COPIOSIVS DESCRIBITVR, CVM DIPLOMATE GREG. XIII.

Longe copiosius hæc & alia de Origine Seruitarum narrauit, Archangelus Gianius Florentinus, in eo quem de initiis eiusdem ordinis scripsit libello, in eo tantum diuersus, quod in annum Domini 1233. reiicit originationem eius instituti. Hæc sunt, quæ ex prolixa eius scriptione eruebam.

Florentiæ, *inquit*, Confraternitas Laudensium Beatæ Mariæ Virginis nuncupata, anno reparationis nostræ 1183. *instituta fuit. In ea septem nobilissimi Ciues Florentini, Bonfilius de Monaldis, Bartholomæus de Amideis, Ioannes de Manectis, Benedictus de Antella, Gherardinus de Sostineis, Ricouerus de Vgutionibus, & Alexius de Falconeriis, præ cæteris aliis Diuæ Virginis Deiparæ cultui operam dantes, Confraternitatem exemplis pietatis ornabant. Desiderium eos interim cepit, votis fatigare bonorum omnium largitorem Deum, vt eis formam viuẽdi aliquam reuelaret, habitumque peculiarem ostenderet, in quo tribus solemnibus Ecclesiæ vinculis sese illigarẽt, ac Dei Diuæque matris obsequio peculiari sese manciparent. Plurimi menses effluxerant, cum nihil aliud precibus ardentissimis deposcerent, donec die festo Assumptionis Virginis, in eodem oratorio in precibus incumbentibus, Anno Domini 1233. repentinus diuinæ vocationis splendor cunctis in momento illuxisset, mentemque singulorum mouisset, vt ipsi Virgini sanctissimæ famulatum præstarent. Expletis diuinis eo die laudibus, domum ab Oratorio reuersi, cum intra se vnusquisque eorum radium benignioris lucis & aspexisset, & expendisset, tandem in commune congregati, quid cuique nuper acciderit aperuerunt. Ibi Bonfilius cæteris ardentior: non procrastinandũ esse, neq; diuinæ voluntati amplius obluctandum, ait. Proindeque Sodales admonuit, sæculo & carni renunciarent, familiam & rem familiarem relinquerent, & quo iuberet amator castimoniæ Deus properarent. Dixerat hæc & alia Bonfilius: reliqui non surda aure audierunt, sed eundem loco Parentis & Conditoris elegerunt: quo auctore constituerunt ad vsque festum natiuitatis Beatæ Deiparæ finem negotiationi imponere,*

vxoribus vt inter sanctimoniales se recipere vellent persuadere, vel etiam necessitatem illis cœlibatus imponere: ac tandem relicto sæculo, ex voluntate Ardinghi Episcopi Florentini, ad præscriptum vocationis cœlestis genus vitæ solitariæ non tantum deligere, sed inire. Intellexit Episcopus votum illorum: cumque diligentius, an diuina vocatio, an vero diabolica illusio esset inquisiuisset, ac rem ex inspiratione melioris spiritus profectam esse perspexisset, propositum laudauit, vxores singulorum volentes inter sanctimoniales reclusit, filiorum quos illi relinquebant tutelam suscepit, & Camortiam in solitariam domunculam secedentes tum benedictione Pontificia dignatus est, tum præcepta vitæ illis præscripsit, tum Iacobum Senensem sacerdotem illis concessit, qui eos sacra exomologesi expiaret, & sacro pane Eucharistico reficeret ipso illo die natiuitatis Deiparentis, quo arctiorem viuendi formulam amplectebantur. Depositis eodem die sæcularibus vestibus, cilicio corpora nuda operuerunt, & insuper tunicas laneas natiui coloris desuper induerunt: donec illis aliquanto post, Deipara Virgo apparens, & habitum pullum ostendisset, & nomen seruorum suorum sodalitati coalescenti cœlitus imposuisset. Miraculum miraculo probatum est. Quo enim primum die septem viri Florentiam squalentes introiuissent, & populum promiscuum in sui admirationem excitum aspexissent, infantes è brachiis matrum pendentes, quibus adhuc per ætatem loqui non erat concessum, mirabile dictu, illico dicebant: Hi sunt Beatæ Mariæ serui. Hæc cum protulissent, quasi officio perfuncti, iterum obmutuerunt, nec prius loquendi vsum acceperunt, quam per ætatem licuisset. Mutata viuendi ratione, septem viri, nomina quoque immutauere. Nam Bartholomæus de Amideis Frater Amideus de Amideis vocatus est: Ioannes de Manectis, Frater Bonaiuncta: Benedictus de Antella, Frater Manettus, Gherardus de Sostineis, Frater Sosteneus, Riccouerus de Vguccionibus, Frater Vguccionius: Alexius Falconeriis, Frater Allexius appellari desiderauit. Genus vitæ solitariæ illis fuit, Præpositus Frater Bonfilius Monaldius, officii diuini recitandi formula ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ: Regula ad quam mores conformarent, Sancti Augustini, ab Ardingho Florentino Episcopo, qui institutum Seruitarum laudauerat, proposita: sacramentorum frequentia assidua propagatio instituti à numerosa tum venientium, tum locorum multitudine præter omnium expectationem, cum principes illi septem viri exemplo virtutum omnibus præirent, & reliqui perpetuo consectantes, assidui essent in orationibus & meditationibus, in ieiuniis quotidianis, in diuinis officiis noctu ac interdiu recitandis, in pauperibus excipiendis ac recreandis, in erronibus ad viam vitæ reuocandis, in discordiis conciliandis, inque reliquis virtutum actibus exercendis. Montem Senarium, paulo post ab institutione sua concesserunt. Dissitus est hic nono lapide à Florentina Ciuitate. In eo dum hærerent, & illos quos diximus, radios sanctitatis longe lateque in subiectos colles & valles diffunderent, quamplurimis miraculis illustrari meruere. Semel aliqui eorum Florentiam descenderant, stipis quærendæ causa, cum infantes vberibus matrum affixi, præter naturæ consuetudinem, iterum hos esse Beatissimæ Virginis Mariæ seruos, proclamarunt: vtque parentes eorum misererentur, obsecrarunt. Inter eos fuit Philippus Bonitius, nondum annum egressus, qui matri auctor loquendo fuit, vt seruis Beatissimæ Mariæ Virginis eleemosynam tribueret, is postmodum institutum Seruitarum professus, magnos in sanctitate progressus fecit. Diuus quoque Petrus Martyr, non nisi per miraculum motus est, ad institutum eorum laudandum, atque promouendum. Sub annum millesimum ducentesimum quadragesimumquartum, Innocentio Quarto Pontifice Maximo iubente Florentiam accesserat, vt demolientes vineam Domini vulpeculas inuestigaret, atque castigaret. Ibi non defuere aliqui, qui segregatos à consortio hominum seruos Deiparentis, nouarum rerum molitores esse denunciarent. Visum est Diuo Petro inquisitori, in eam rem ex propinquo inquirere. In qua cogitatione cum versaretur, secundum quietem visus est sibi quoddam amœnissimum variisque floribus inspersum pratum pererrare: in quo Diua Deiparens cœlitus delapsa deliciaretur, & Angelis circumquaque occursantibus ac coronas plexas offerentibus, aliis quidem eas omnes promiscue largiretur, sibi vero nullam earum reseruaret. Mirabatur Petrus rei nouitatem, cum in momento aspexit, septem lilia candidissima fragrantissimaque Virgini ex eo monte oblata, in quo septem viri nouam plantationem complantassent: quæ eadem Deipara lymbo vestis condidisset. Intellexit vir sanctus, Florentinos illos septem seruos liliorum symbolo designari, qui odore famæ, & candore innocentiæ Deiparentem oblectassent. Quamobrem & ipse eos complexus, propositum vitæ illorum laudauit, Episcopo Ardingo commendatos fecit, Diui Augustini regulam illis consectandam proposuit, formulas quasdam arctioris vitæ illis præscripsit, atque adeo si non Conditor, neque Auctor, fautor tamen & adiutor nouellæ seruorum Deiparæ

soda-

sodalitatis fuit. Istud quoque non est omittendum, quod in monte Senario, quem Seruitæ ad incolendum elegerant, illis nocte diei Dominicæ antecedentis festum Annunciationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo, orantibus, vitis recens ab illis plantata, præter consuetudinariam germinandi rationem, tempore insolenti, per totam fere montis planitiem sese dilatauit, ac versus quatuor mundi plagas, in modum coronæ ramos produxit, pampinis eos vestiuit, mox floruit, ac deinde eodem modo vuas germinauit, tanta copia, quanta vix autumno ipso sperari potuisset: index profecto propagationis spiritualis, quam ea religio Diuæ Deiparenti dicata, paulo post generaret. Hoc vero omnibus modis longe dignissimum est, vt memoriæ commendetur. Nacti erant Patres Seruitæ locum extra muros Florentiæ, quem nunc mœnis inclusum titulo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis templum augustissimum occupauit. Cupido eos tenuerat, aliquam eius mysterii imaginem eodem loci habere: à qua CHRISTI fideles in amorem benignitatis Diuinæ, tanto acrius inflammarentur. Pictor designato in pariete loco tabellæ imaginem delineabat, reliqua corporis ac vestium, vltimo loco, vltimam manum vultui virgineo effigiando daturus. Dum in ea cogitatione versaretur, & Patres opus perurgerent, non prius faciem depingere disposuit, quam sacra exomologesi conscientiam expiaret, & pane Eucharistico sese dignum efficeret. Sacris ad eum modum procuratus, cum ad picturam accessisset, & vt extremam manum operi imponeret penicillum accepisset, in extasim raptus & obdormienti similis factus, visus est sibi videre faciem Diuæ Virginis opere perfecto effigiatam. Neque vana visio fuit. Cum enim ipsissimo natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis die, quo hæc acciderant, propius picturam vt dicebam accessisset, velum quo reliquam picturam contexerat reuelasset, mirum dictu, vultum Beatæ Virginis diuinitus expressum reperit, tanta venustate, quanta etiam cœlites ipsos in amorem accendere, tantaque maiestate, quanta etiam inferioribus spiritibus terrorem venerationemque incutere possit. Obstupuit Florentia, ad non manufactæ speciei virgineæ aspectum: & ab eo tempore adeo in amorem sacrosanctæ Deiparæ exarsit, vt fere omnibus aliis Italiæ ciuitatibus inuidiam excitare videatur, propter deuotionem, quæ vniuersis Florentinis à frequentia miraculorum, ab eadem imagine, ad hæc nostra vsque tempora productorum. Diuæ etiam Deipara, eosdem septem viros sub annum Domini millesimum ducentesimum trigesimum nonum aspectu suo dignata est. Nocte concubia eius diei, qui Parasceue dicitur, orantibus ipsis, & intimo cordis affectu passionem CHRISTI, MARIÆQVE dolores contemplantibus, adfuit illa Angelis circumsepta. Hi instrumenta Dominicæ passionis deferebant, illa vero cœlesti lumine refulgens, pullam tunicam, lilium hians, & librum apertum manibus gestans, hunc esse habitum ordinis illorum recens instituti, beneque de incrementis sperare iussit. Ab ea hora tunicam vsque ad talos promissam, scapulare eidem æquale, & pallium pulli coloris, caputio ceruices & humerorum fines tegente, induerunt, ac Diuæ Mariæ Virginis benignitati, ob eiusdem dolorum & viduitatis memoriam habitum assumptum, acceptum retulerunt. Propter hæc & alia miracula cœpit propagari Seruitarum institutum ex lectissimis viris: inter quos etiam dedit nomen sacerdos ille Senensis, qui initio sacramenta illis ministrauerat.

Ad hunc modum Religio Seruitarum instituta fuit à septem viris, nihil minus quam de sodalitatis alicuius institutione cogitantibus. Eius tum initia, tum incrementa, tum instituta sanctissima, varii pro tempore Romanæ sedi insidentes Pontifices, non tantum laudauere, sed & diplomatibus Apostolicis approbauere, quorum omnium Gregorius Papa XIII. memoriam ab iniuria vindicauit, in ea quam religiosissimo huic ordini dedit Epistola, quæ ita habet.

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad vberes, quos sacri mendicantium ordines in agro Dominico quotidie faciunt fructus, attenta mente respicimus, & diligenti indagine perscrutamur, quam mirabilem sese Deus ostendat in illis per voluntariam paupertatem, mundum, vigiliis carnem, & orationibus dæmonem acerrimum humani generis hostem superando, non possumus omni fauore, & spiritualibus gratiis & thesauro Domini, cui diuina prouidentia præsidemus, eosdem benigne non prosequi, ac locupletare. In quorum numero cum Ordo Seruorum Beatissimæ MARIÆ Virginis sub felicis recordationis Gregorio Papa IX. Spiritu Sancto inspirante, & Beata Genitrice operante initium sumens, & deinde ab Alexandro quarto, Vrbano Quarto, Clemente Quarto prædecessoribus nostris connumeratus, approbatus & confirmatus, & variis priuilegiis facultatibus, indultis & gratiis iam pridem decoratus, quotidie in vinea Domini verbo, & exemplo, ieiuniis & orationibus, vigiliisque plurimum laborat, paterna charitate amplectendum à nobis & specialibus, spiritualibusque gratiis, tam temporalibus, quam spiritualibus, nec non indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum relaxationibus ac remissionibus prosequendum esse censemus, vt antiquis exemptionibus, indultis, immunitatibus, libertatibus, & gratiis eidem Ordini Seruorum olim concessis, nostra accedente authoritate confirmatis, approbatis, sublatis quibuscumque impedimentis possint seruire Fratres, & singuli etiam Christi fideles statutis diebus eo, & libentius ad Ecclesiam Seruorum conuenire, & orationi feruentius incumbere, & reliqua Christianæ fidei opera sedulo exercere, quo se cælestis gratiæ dono conspexerint vberius esse refectos.

Qua de re dilectus filius Iacobus Tauantius Florentinus sacræ Theologiæ Professor, ac nostra authoritate eiusdem Ordinis Seruorum Generalis Prior supplex ad pedes nostros postulauit, vt præmissa omnia confirmare & approbare, ac indulgentias & peccatorum remissiones, & relaxationes Christi fidelibus propositas, in quibus clausula porrigendi manus adiutrices, ac elargiendi eleemosynas continebatur, pridem reuocatas citra eam clausulam Christi fidelibus alia forma eadem consequendi perscripta reualidare, approbare, & confirmare Apostolica benignitate dignaremur: Nos igitur eundem Ordinem Seruorum specialibus fauoribus & gratiis prosequendum, ac eundem Fratrem Iacobum Tauantium, eiusdem Ordinis Priorem Generalem, & dicti Ordinis singulas personas, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluendos & absolutos fore censemus, ac exemptionum, priuilegiorum, indulgentiarum, libertatum, indultorum & gratiarum quarumcumque eidem Ordini concessarum, tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habendum, huiusmodi supplicationibus inclinati omnia & singula priuilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, indulta, libertates, dicto ordini illiusque Ecclesiis, ac domibus, ac ab illo dependentibus locis concessa, quatenus sint in vsu, & sacris Canonibus ac Concilio Tridentino non contraria, Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque perpetuæ inuiolabilisque firmitatis robur addicimus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: indulgentias vero per infra scriptos Romanos Pontifices, vel à sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatis, cum dicta clausula porrigendi manus adiutrices, aut eleemosynas concessas, & per felicis recordationis Pium Papam Quintum etiam prædecessorem nostrum reuocatas, dempta ea clausula: ita tamen quod hi Christi fideles, qui illas consequi voluerint, Ecclesias visitando, sint contriti, confessi & communicati, ac loco eleemosynæ prædictæ, iuxta prædecessorum nostrorum voluntatem erogandæ, septies orationem Dominicam, itidemque salutationem Angelicam recitent, vel vesperas pro defunctis, aut ante sanctissimum Domini nostri IESV CHRISTI Corpus terram osculentur, ac pro hæresum extirpatione, sanctæque matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumque Principum pace & vnione pias ad Deum preces effundant, & alias iuxta prædecessorum nostrorum literarum seriem orent, aliaque peragant in pristinum & eum in quo ante reuocationem huiusmodi erant statum restituimus ac reualidamus. Summarium autem indulgentiarum sequitur, & est huiusmodi.

Clemens Papa Quartus, visitantibus Ecclesiam Annunciatæ de Florentia Fratrum Seruorum, concedit quadraginta dies Indulgentiarum.

Latinus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Hetruriæ, concessit visitantibus omnes Ecclesias Hetruriæ Fratrum seruorum, quadraginta dies Indulgentiarum.

Nicolaus Papa Quartus, visitantibus Ecclesiam Diuæ Annunciatæ de Florentia Fratrum Seruorum in solemnitatibus Beatæ Mariæ Virginis, in die Sancti Augustini, cum septem diebus sequentibus cuiuslibet festi prænominati, & in die dedicationis eiusdem Ordinis, in solemnitatibus Beatæ MARIÆ Virginis Sanctæ Annæ, Sancti Blasii, cum septem diebus sequentibus, & in secunda die Veneris Martii, centum dies Indulgentiarum.

Ioannes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Legatus Tusciæ, audientibus conciones Fratrum Seruorum, concedit quadraginta dies indulgentiarum, & centum quadraginta dies visitantibus eorundem Ecclesias in Tuscia.

Innocentius octauus cõcedit Fratribus Seruorũ, vt semel in vita, & semel in morte possint eligere sibi confessarẽ, dummodo sit ex approbatis ab ordinario, à quo plenariã suorum peccatorũ remissionem recipiant.

Leo Decimus, visitantibus sacellum Diuæ Annunciatæ de Florentia Fratrum Seruorum concedit qualibet die Sabbathi mille annos, & totidem quadragenas, & singulis festiuitatibus Beatæ MARIAE Virginis, & Natiuitatis Domini IESV CHRISTI, Veneris & Sabbathi, maioris hebdomadæ, duo annorum & quadragenarum millia de iniunctis pœnitentiis Apostolica authoritate, relaxat: visitantibus vero dictum sacellum Diuæ Annunciatæ, vel per se, vel per alium, si fuerint impediti à primis vesperis, & die tota Natiuitatis Beatæ MARIAE Virginis plenariam indulgentiam elargitur: & Priori illius Monasterii pro tempore existenti, ac confessoribus per illum constitutis, qui debent esse ex admissis ab ordinario, concedit per totam octauam dictæ Festiuitatis, vt possint pœnitentes absoluere ab omnibus prædictis, exceptis his, quæ continentur in Bulla cœnæ Domini, & posse etiam quæcunque vota commutare, exceptis quatuor maioribus, vt in Bulla continentur.

Idem Leo Papa Decimus concessit, quod vniuersi & singuli Fratres Mendicantes Moniales, tertiique Ordinis vtriusque sexus personæ, & familiares eorum duntaxat, possint gaudere omnibus, & singulis Indulgentiis & gratiis per prædecessores suos, & per ipsum domui Beatissimæ Mariæ de populo de vrbe concessis, & concedendis, perinde ac si ipsi dictam domum de populo personaliter visitarent, illis etiam diebus, & festiuitatibus, in quibus indulgentiæ huiusmodi concessæ sunt, ac fuerint.

Antonius de monte tituli Sanctæ Praxedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & totius Ordinis Fratrum Seruorum Protector, dum Ecclesiam Diuæ Annunciatæ de Florentia Fratrum Seruorum consecraret, ex mandato dicti Papæ Leonis Decimi Florentiæ existentis, viuæ vocis oraculo quotannis in ipsa die consecrationis dictam Ecclesiam visitantibus, plenariam indulgentiam indixit.

Decernentes præsentes literas, sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut derogationibus similium, vel dissimilium priuilegiorum, gratiarum, indulgentiarum, & aliarum quarumcumque concessionum, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptos esse, censerique debere, ac de subreptionis vel obreptionis vitio, & intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari non posse, sed præsentes validas semper, & efficaces existere, ac perpetuo suffragari, sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscunque Iudices & delegatos, quauis authoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolorum auditores, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere, irritumque & inane, quicquid secus super his, à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: quocirca venerabilibus fratribus Maceratensi, & Amerinensi Episcopis dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi & quando opus fuerit, ac quotidie pro parte dicti Iacobi Tauantii Prioris Generalis, vel Fratrum dicti Ordinis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra Iacobum Tauantium Priorem Generalem, Ordinemque prædictum, & alios quos dictæ nostræ literæ respiciant confirmatione, approbatione, reualidatione, aliisque præmissis iuxta præsentium continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere, non permittentes eundem Iacobum Tauantium Priorem Generalem, & alios quoscunque indebite molestari, perturbari, & inquietari, contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis se opponentes, vel non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus similis memoriæ Bonifacii Papæ Octaui, & Concilii Generalis de duabus dictis, dummodo vltra tres aliquis vigore præsentium, ad iudicium non trahatur, ac quibusuis Apostolicis in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, Generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, Priuilegiisque, & indultis quibusuis in contrarium concessis confirmatis, & innouatis.

Quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica & expressa, non autem propter clausulas generales, idem importantes, mentio aut quæuis alia expressio habenda esset, illorum tenore præsentibus pro expressis habendis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscunque, aut si aliquibus cõmuniter vel diuisim, ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: cæterum, quia & difficile foret præsentes literas circumferri, volumus præsentium etiam impressis manu Notarii Publici scriptis, ac dicti Ordinis Generalis Prioris, vel Ordinis sigillo obsignatis eandem prorsus fidem in iudicio, & extra haberi, quæ præsentibus exhibitis vbique gentium & locorum adhiberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima Aprilis, 1578. Pontificatus nostri Anno sexto.

VIII. *Surita lib. 6.* PRÆDICATVR CRVX IN ARAGONIA CONTRA MAVROS

Eodem Anno Montione in Aragonia, Crucis prædicatio contra Mauros promulgata est, quam Gregorius Pontifex sacro bello obeundo indulserat. Rex Iacobus Aragonum & Sancius Nauarreorum multique Proceres, Duces & Militares sacro insigni decorati, & à Mediterraneis ac Montosis locis ad Mare digressi, versus Addetanam Regionem Regni fines protulerunt, & Mauros fere tota Hispania aut eiecerunt, aut tributarios & vectigales reddiderunt.

IX. *Roderi. Santius p. 3.* IVDÆVS EX INVENTA PROPHETIA DE CHRISTO CREDIDIT.

Hoc ipso anno istud mirabile ad nostræ fidei Catholicæ confirmationem atque defensionem accidisse fertur. Nam cum apud Toletum quidam Iudæus gratia ampliandæ vineæ, suam rupem comminueret, in medio saxi reperit concauitatem, in qua erat liber ligneis foliis compactus tribus linguis, Hebræa, Græca & Latina descriptus. Scriptura vero quasi vnius psalterii videbatur. Hic liber de triplici mundo differebat, ab Adami principio initium sumens, vsque ad tempora Antichristi. Tertii porro libri primum caput à CHRISTO exordiens, ita differebat: In tertio, inquit, mundo filius DEI in mundo nascetur ex Virgine MARIA, patieturque pro salute hominum. Quod cum Iudæus ille perlegisset, & nonnisi Diuini alicuius Prophetæ manu ea descripta credidisset, statim cum vniuersa sua stirpe ex sacro fonte renatus est.

X. FERDINANDVS REX LEGIONIS ET CASTELLÆ MAVRORVM DOMITOR.

Regnabat tunc temporis in Hispaniis Ferdinandus, eo nomine tertius Rex Castellæ, cui sub ipsa prælia contra Mauros suscepta, in ore ille propheticus versus semper resonabat: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Is aliquando interrogatus, cur supra maiores suos Regni fines felicius propagasset, fertur istud sempiterna memoria dignum respondisse: Patres, inquit, mei fortassis animo gerebant Principatum terrenum exaltare potius quam fidem plantare, augere sibi populum multum, sed non stabilire diuinum cultum: ideo decepti sunt in adinuentionibus suis. Itaque in ipsa acie solebat ad Cœlum attollens oculos orare & testari: Tu DOMINE qui scis corda & renes hominum, nosti quia non meam sed tuam gloriam requiro, non tam caducorum Regnorum, quam fidei Catholicæ, Christianæque Religionis augmentum desidero.

Denique semper illud confitebatur, quia non propter eius merita, sed propter infidelitatem hostium ei omnia prospere successissent. Nam eo anno, Regno Legionis & Castellæ in vnum corpus monarchiæ restituto, Hispalim, Cordubam, Vandaliam & Bæticam à Mauris recepit, Regemque Granatensem tributarium effecit.

XI. SVMMARIVM GESTORVM GREGORII NONI HVIVS ANNI.

Hoc ipso Anno GREGORIVS. 1. Constantiam Boemiæ Reginam in protectionem sedis Apostolicæ suscepit, bonaque omnia dotis nomine à Rege illi relicta confirmauit. *1. Epist. 16.*

2. Tarasiæ Reginæ, ac Sanciæ & Blanciæ Sororum, cum Sancio Portugalliæ Rege compositionem post varia discordiarum discrimina & pericula bellorum factam, approbauit, easdemque in tutelam Diui Petri ascripsit. *2. Epist. 261. & 165.*

3. Anglorum Regi, ne proceres & magnates extra Regnum ad iudicium tradi per quascumque literas possent indulsit. *3. Reate 13. Cal. Aug.*

4. Rectores Ecclesiarum Anglicarum ad residentiam stricto iure coegit. *4. Ep. 131.*

5. Abusus quarundam Portugalliæ Ecclesiarum rescidit & reformauit. *5. Ep. 147.*

6. Controuersiam de præcedentia Cleri diffiniuit, vtque primum locum Presbyteri, secundum Diaconi, tertium Hypodiaconi obtinerent constituit. *6. Ep. 61.*

7. Ne quis Ecclesiam sibi commissam debitis aggrauaret, ordinauit. *7. Ep. 189.*

8. *Ep.* 113.

9. *Ep.* 99.

10. *Ep.* 184.

11. *Ep.* 184.

12. *Later. VI. Cal. Maii.*

XII. *Polyd. li. 16.* CONTRA ANGLIÆ REGEM ET COMITEM PRO CANTVARIENSI ARCHIEPŌ. IVDICAT GREG. NONVS.

8. Soldanum Babyloniæ, vt Anconitanos captiuos eliberaret, admonuit.

9. Regem Ruthenorum more Græcorum viuentem, vt ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuerteretur, hortatus est.

10. Iacobo Cardinali Episcopo Prænestino, Apostolicæ Sedis in Hungariam Legato, inquisitionem in vitam & miracula Sancti Lucæ Strigoniensis Archiepiscopi commisit.

11. Priuilegium Sancti Stephani Regis Vngariæ, Monasterio Sancti Martini in Monte datum, confirmauit.

12. Regem Hungariæ Andream, vt bona & castra militibus Teutonicis, per eum olim Anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo, Regni vero eius anno octauo donata, & per Apostolicam sedem confirmata, nunc vero per eundem Regem erepta illis restitueret, præcepit.

Per istos ipsos dies, grauis lis orta est, inter Richardum Cantuariensem antistitem, & Humbertum Comitem Cantii in Anglia. Is enim occupauerat arcem Tumbrigiensem, cum pago ac nonnullis possessionibus, quæ Cantuariensis Pontificis sine controuersia erant. Quapropter RICHARDVS de huiusmodi iniuria apud Regem conquestus, cum videret nihil proficere, quod ipse HENRICVS eam prædam vt suam repeteret, pro tempore remedium adhibens, sua authoritate declarauit publice impios illorum locorum occupatores, anathemate damnatos, insuper prouocans ad Gregorium Pontificem, Romam è vestigio perrexit. Miserunt eo procuratores suos Rex & Comes, iudiciumque Pontifici permiserunt, qui litem cognosceret, atque terminaret. Gregorius cognita diligenter causa, secundum Cantuariensem Pontificem iudicauit. Richardus postmodum ab vrbe reuertens, in itinere diem extremum clausit: post cuius mortem, quicquid Pontifex Romanus Cantuariensi adiudicaret, irritum euasit: cum sede vacante, nullus esset, qui negotium curaret. Fellicius cessit Petro Vintoniensi Antistiti negotium, quod illi cum Henrico Rege erat. Sublatis in Anglia partim ciuilibus, partim externis bellis. Rex habito Principum Concilio exposuerat se rei bellicæ causa, factis permultis hactenus sumptibus indigere, proinde orabat, velint sibi in dissolutionem æris alieni pecuniam suppeditare. Negarunt omnes, suam ac populi inopiam multis rationibus excusantes: cum interim Petrus Vintoniensis Antistes, in quo omnium vno multum dicendi salis erat, palam Regem admonuit: vt populo assiduis tributis exhausto parceret: sed si egeret, possessiones quas ab initio ipse adolescens parum considerate suis donauerat, ab illis reciperet, simulque rapacissimos quosque qui ampliores Præfecturas gerebant priuaret, cogeretque rationem reddere, vt scilicet illis pro spongiis vteretur, quod antea sic eos perfudisset, vt nunc madidos possit exprimere, quod olim Vespasianus facitasse fertur. Ita demonstrauit Petrus Henrico, eum per hunc modum, ex suo satis abundaturum. Rex non grauate Petro ita admonenti aures dedit, eiusque consilium secutus, protinus cum suis quæstoribus rationem accepti & expensi habuit: cumque bonam eorum partem reperisset plus pecuniarum acceptum retulisse, quam tulisse expensum, non sine multo fænore sibi satisfacere eos coegit. Item de Magistratibus iudicium exercendum curauit, quorum multos repetundarum damnauit: & ex his Hubertum Cantiani Comitem, illum, qui Cantuariensis Ecclesiæ bona surripabat, cum satisfacere recusasset, in carcerem coniectum acriter mulctauit. Pontifici deinde supremo supplex fuit, vt id quicquid inuenis per metum, qui in virum etiam constantissimum cadere poterat, ex Regiis bonis & iuribus alienasset, & ne illa quandoque repetere posset, iureiurando sese astrinxisse: exsolutus sacramento, vtpote iniquè extorto, posset repetere, atque per iustitiam recuperare.

XIII. FRID. DA VARIÆ DVCEM OCCIDIT PER SARACENVM CVRAT.

Hoc tempore Fridericus Imperator subornato Vetulo de Montanis Saracenorum Principe sibi fœderato, Ducem Bauariæ è Syria redeuntem occidendum curauit. Is autem ad hoc facinus perpetrandum, Seruum percussorem misit. *Chron. Hirsaugiens.*

XIV.

Eodem Anno Alisanda & pia matrona Odelonis Castelli Comitis relicta, Gregorium Pontificem maximum, atque Ecclesiam Romanam scripsit Hæredem castri Carleæ agri Interamnatis, quod ipsa à filio Henrico Castello receperat. *Cinc. Camer. in libr. Cens. Eccles. Rom.*

SCRIBITVR HÆRES ROM. ECCL. CASTRI CARLEÆ.

XV. ROFFENSIS EPISC. VIDET IN CÆLVM IRE RICHARD. REGEM A PVRGATORIO CVM ALIIS.

Hoc Anno Roffensi Ecclesiæ prælatus est, Henricus Stanfordius, vir ingentis sanctitatis. Is cum aliquando in Sacerdotum apud Sittinburgum initiatione, IOANNE Cantuariensi designato, magnaque Cleri & Populi præsentia frequenti, concionem habuisset, ingenti fiducia palam asseruit, Richardum Regem, Stephanumque Cantuariensem Archiepiscopum, cum vno sacerdote, qui Stephano erat à sacris, vno eodemque nuper die, ab expiantibus pœnis, quibus post mortem peccata eluuntur, solutos & liberatos, in Cœlum emigrasse. Id quod sibi & alii cuidam ter repetita patefactione ita commonstratum narrauit, vt nullum sibi vel aliis ea de re scrupulum in animo debere residere asseuerarit. *M. S. Vatican.*

XVI. S. ANTHO. DE PADVA OLYSSIPONENSI INNOCENTEM PATREM A MORTE LIBERAT.

Istud quoque non minore admiratione dignum est, quod Antonius patrauit. Cum duo Cines Vlyssipone (viro Dei Patauii commorante) odio capitali se mutuo prosequentes, necem alter alteri machinaretur, vnus alterius filium per summam crudelitatem (clam tamen) iugulauit, eumque noctu in horto parentum S. Antonii sepeliuit. Mane corpus inuentum, incerto cædis patratore à iudice visitatur, ac Martinus (id erat nomen Patri viri Dei) cum tota familia in vincula coniicitur: quasi cædis reus. Cuius rei per spiritum factus certior Antonius, eadem nocte Vlyssiponem in Lusitaniam diuinitus delatus, mane iudicem adiit, cadauerque pueri interempti afferri petiit: quo allato, in Dei nomine, vt ediceret, si Martinus aliquisve ex eius familia se interfecisset, omnibus audientibus imperauit, statimque (res admiranda) puer corpore se erigens illos cædis conscios non esse testatus est. Eo miraculo pater cum suis liber dimissus, Antonius vero Angelico ministerio Patauium restitutus est.

XVII. HÆRETICI OCCVLTI IN GERMANIA EXTIRPANTVR.

In Germania hoc anno, facta est persecutio contra hæreticos hostes fidei, veritatis inimicos, quorum multitudo maxima latitabat in populo Dei, in ciuitatibus, oppidis & villis subuertentes, & in errorem mittentes, quos poterant de Ecclesia Orthodoxa. Horum plures comprehensi, & in præsentia Cleri & populi conuicti fuerunt. Inter cætera nefandi erroris sui flagitia confessi sunt, quod etiam ab esu carnium in Quadragesima non abstinerent, & quod annualem censum transmitterent Mediolanum, vbi diuersarum hæresum primatus versabatur. Fr. Conradus Marpurgens. Ord. D. Dominici professus, in conuictos sceleris, ex præscripto canonum animaduertebat. *Ex fragmento historico anonymi auctoris.*

XVIII. EPISCOPVS BRVGENS. FERT CONSTANTINOPOLI BRACHIVM S. ANTONII.

Eodem anno Lantbertus Antistes Ecclesiæ B. Mariæ Brugensis, retulit domum ex Constantinopoli partem brachii D. Antonii: cum etiam ante XIII. annos Andræas Rex Vngariæ ex Syria retulisset, Protomartyris Stephani, Margaretæque Virginis capita, dextrasque Apostolorum Thomæ ac Bartholomæi, atque vnam ex hydriis, quibus aquam in vinum Christus in Chana Galilææ commutauit. *Annal. Fland. lib. 8.*

IESV CHRISTI
Annus 1232.

GREGORII PAP. IX. FRIDERICI II. BALDVINI II.
Annus 6. Imp. secundo 3. Imp. 4.

I. *a Inter ep. Gregorii an. 6. ep. 259. 258. & 259. scripsit Friderico Imperatori & Rectoribus ciuitatum.*

TAndem post multas vtrimque tergiuersationes, ad diem XIII. Maii, Fridericus Imperator, Patauium veniens, præsentibus & decernentibus Iacobo Prænestino Episcopo & Ottone tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diacono, Cardinalibus Legatis, in gratiam cum ciuitatibus Lombardiæ confœderatis rediit, & conditiones pacis à Gregorio Pontifice confirmari postulauit. Anno superiore Legati Laudam Pompeiam destinati vtrique diem dixerant, vt inter se de concordiæ rationibus disceptarēt. Conuenerant,

PAX INTER FRIDER. ET CONFŒDERATAS CIVITATES STATVITVR ET CONFIRMATVR A GREGORIO.

II. *a In vita Ezelini Petri Gerardi lib. 3. & M. S. Vatican. vita eiusdē. b Leander de viris il. lust. Ord. Prad. lib. 5.* B. IO. VINCENTINI PRÆDICATORIS SANCTITAS.

ueneranᵗ, tractauerant, neque tamen quicquam stabiliuerant, eo quod Procuratores Ciuitatum non plenam omnino à Rectoribus Societatis potestatem transigendi obtinuissent. Inde ad III. Cal. Octob. deinde ad Calen. Nouemb. Romam à summo pontifice euocati, cum neque imperiale nuncii Benedictus & Petrus de S. Geminiano, neque oratores Rectorum Societatis omnimodam authoritatem habuissent, Gregorius eis diem, ad diem XIV. post Festum Resurrectionis assignauit, & ram Imperatoti quam rectoribus, indicta trium millium argenti marcarum pœna, vt comparerent: sex millium vero argenti marcarum alia pœna statuta, ne quidpiam interim nouarent, neue armis rem amplius turbarent, præcepit. Ezelinus enim turbulentus omnia miscebat, & multa impedimenta conciliandæ pacis in momenta præstabat. Itaque Patauii ad præscriptum diem in Palatio Episcopali confederunt, & authoritate Pontificia pacis conditiones stabilierunt, die Iouis XIII. Maii Indictione V. præsente tunc ipso Imperatore Friderico, & Legatis Gregorii supra nominatis, vna cum Frat. Iordano Priore, & B. Ioanne Vincentio Ord. Prædicatorum.

Hunc enim Gregorius Summus Pontifex sciens fuisse virum mellifluæ facundiæ, & integerrimæ sanctitatis, Bononia exire, & ad Ciuitates confœderatas ire, Commissariumque suum esse iussit, in negotio pacis inter Imperatorem & Lombardos componendæ. *a* Fuit Ioannes vir sanctimonia mirabili ornatus, & verbi Dei Concionator insignis. Patauii à Diuo Patre Dominico togam religionis Prædicatorum sumpsit, & in ea sacris initiatus, maximos virtutis progressus fecit. Tam vehemens autem in concionando fuit, vt cum aliquando in frequenti populo Bononiæ contra vsurarios acri vultu & sermone inuectus esset, communi omnium consensu ium sit in Landulphum quemdam publicum fœneratorem: quem non tantum domo, verum etiam vrbe eiiciendum esse existimarint. Is Bononiam maximis factionibus agitatam, ad concordiam reuocauit. Luxuriosum mulierum ornatum cohibuit. Vrbis instituta meliora fecit, vt occurrentes se in nomine Domini nostri Iesu Christi salutarent edocuit, multos ægrotos visitans signo Crucis sanctitati restituit: decem homines à morte ad vitam reuocauit. Aliquando oranti, omnibus conspicientibus, Crux in fronte semel, semel aurem super caput eius apparuit: apparuit etiam sidus fulgentissimum super eum, & aliquando Angelus ad aurem ei loqui visus est. In Galliam autem Cisalpinam iussu Gregorii profectus, cum ab occurrente multitudine Ciuitatum exciperetur, ingentes fructus animarum vbique locorum faciebat. Nam omnes fere ciuitates partium, tum Ezelini & Imperatoris, tum confœderatorum Rectorum adibat, & cum præ oculis illud propheticum haberet: *Beati pedes portātes pacem*: nonnisi pacem omnibus suadebat, inculcabat, & contra violatores illius maledictiones instar illarum Mosaycarum ex Deuteronomio denunciabat. Constituerat aliquando, vt omnes Lombardiæ ciuitatum populi, quarto à Verona lapide, in planitiem cui Riquare nomen est, mense Augusto conuenirent. Confluxerat innumerabilis multitudo, quam vix campestria illa capiebant: aderant & Rectores & Proceres, & Principes Ciuitatum: Inter quos Ioannes suggestum conscendens, cum pro Concionis præloquio. *Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis*, pronunciasset, & longiore, docta, & facunda oratione eos ad concordiam monuisset, lachrymas omnibus excussit, & odia ex cordibus eradicauit: præsertim cum pro miraculo reputarent, in tanta multitudine, quanta haud poterat numerari, vocem concionantis non tantum exauditam ab omnibus, sed probe intellectam esse. Ita suasu Ioannis, depositis odiis & priuatim inter Ciues, & publice inter ciuitates & Imperatorem, magno Dei beneficio, & maximâ vtilitate Italiæ stabilita concordia fuit Patauii. Solus Ezelinus obsurduerat, neque Comitibus S. Petri reconciliari voluerat. Ioannes porro autoritate Apostolica, pro Concione extrema, anathemate maranatha omnibus comminatus est, & cum vineis, tum hortis, campestribus, frugibus, animantibus, arboribus, filiis, vxoribus, cunctisque quæ haberent maledictionem imprecatus est, si quis eorum pacem stabilitam temerare auderet.

III. Eodem anno Gregorius Pontifex sollicitus qua ratione laborantibus in Syria Christianis subueniret, & quomodo Terram Sanctam à Saracenorum incursibus vindicaret, *b* Patriarcham Hierosolymitanum & Magistros Templariorum & Hospitalariorum atque Teutonicorum militum Romam euocauerat, vt vna cum eis conferret quamplurima ad conseruationem partium illarum spectantia. Cæterum cum Fridericus Imperator multis iniuriis eos milites afficeret, quibus iam ferendis pares non essent, monebat illum Gregorius, vt ab eis sibi temperaret, caueretque ne aliquod impedimentum ab eo præstaretur adeo sancto Consilio, & tam necessariæ expeditioni. Erant qui vulgarent, Imperatorem Saracenis conniuere, & in gratiam illorum, hæc incommoda Templariis & aliis inferre. Nam per id temporis Nuceriam Apuliæ eisdem Saracenis concesserat: & illi insolentiores facti Ecclesiam quandam in Barigio Foietan. tituli Sancti Petri, ad monasterium Sancti Laurentii apud Auersam pleno iure spectantem diruerant, lapidesque & ligna pro suis ædificiis construendis Nuceriam transtulerant. Quod cum in maximam contumeliam Redemptoris, & in ingens opprobtium Christianorum, præsertim Imperialis fauoris consensu esset factum, non potuit, prout non debuit ferre Gregorius, quin acrioribus *c* literis Fridericum argueret, simulque per interminationem vltionis diuinæ moneret, vt imprimis honori diuino satisfacere curaret, tum deinde diligentius prouideret, ne barbarorum temeritati impune esset, vel Ecclesiam diruisse, vel grauiora tentare. Præcipiebat insuper, vt Saracenos modis omnibus compesceret: cum eorum nimia libertas, quam illis indulsisse visus esset, non modica damna Christianis inueheret. Correxit errorem Fridericus, & hoc anno præter alia, aureum diploma pro libertate Ecclesiastica vulgauit.

c Epist. 184. dat. Anag. 3. Non. Dec. d. inter epist. Greg. 268.

IV. *d Epist. 79. dat. Anag. 3. Non. Septemb.* IN GERMANIA GREG. PER PRÆDICATOR. EXTIRPAT SODOMIAM.

Per id temporis Friderico Imperatore, & Andrea Rege Hungariæ, de Austria & præcipue Vienna digladiantibus, externo milite in Germaniam introducto, Germanicæ cōtinentiæ candorem niueum, suligo fauillacea à Pentapolitano incendio denigrauerat, adeoque infecerat: vt *d* Gregorius Summus Pontifex, Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum in Austria constitutis, necesse habuerit committere, vt contra temeratores naturæ, quorum peccatum in Alemaniæ partibus supra modum inualuerat, & pro Concionibus, & pro iudiciario officio insurgerent: & tum comminationibus horribilium inferni pœnarum, tum ostentatione atrocium ex lege ciuili suppliciorum, auctoritate Pontificia, eos à tam pudendo flagitio deterrerent: nominaque contra naturam delinquentium descripta ad Romanam Curiam transmitterent: vt in ipsos tanquam in Christi perfidos inimicos, vltionis gladius exereretur: vtque ipsi tandem ab omnibus tanquam hæretici vitarentur, & vt imperii occidentalis non secunda pars, tam atro facinore infamis, illo expiato atque exterminato, ad castitatem vel coniugalem continentiam reuocaretur. Dedit ea de re duas Epistolas Fratribus Prædicatoribus, Anagniæ 3. Non. Septembris signatas.

V. *e inter epist Greg. an. 6. epist. 19.* VNIONEM APPETIT CVM LATINIS GERMANVS.

Hoc anno Germanus secundus Patriarcha Constantinopolitanus e nuncium & literas ad Gregorium summum Pontificem misit, neque obscure significauit, sibi in votis esse, vt aliquando diffidiis positis Ecclesiæ Orientales Romanæ vnirentur.

VI. *Flamin. in vita.* IN ITALIA FIDES CATHOLICA DEFENSA CONTRA CATAROS PER S. PET. VERONENSEM.

In Italia hoc anno fides Catholica non modica incrementa sumpsit, à doctrina, sanctitate, miraculis & diligentia Sancti Petri Veronensis Ordinis Diui Dominici. Vigebat tunc in Lombardiæ vrbibus pestifera ac fœdissima Catarorum hæresis, quam olim pueriam impugnarat. In eam itaque cum Petrus inueheretur, tanta multitudo auditorum ad eum audiendum Mediolani præsertim confluebat, vt esset illi plerumque periculum, ne innumerabili concursu ac hominum studiis eliderētur. Propter quod Mediolanensis illi populus extruxit lecticam, in qua per confertam multitudinem humeris hominum illæsus gestaretur. Præueniebant autem concionatorem illum, & loca præoccupabant, seque ille felicem putabat, qui & spectare propius Sanctum virum & audire posset. Fructus autem hi de illius concionibus sequebantur. Diu pertinaces in suis flagitiis resipiscebant, & ad rectum salutis iter dirigebantur. Inueterata odia in amicitias vertebantur: iræ, rixæ atque discor-

Bernard. Corp. p. 2.

diæ ponebantur: vſuræ, pupilli ac viduæ fouebantur, pauperes ac infirmi recreabantur. Hinc ſua ſenibus grauitas reſtituta, modeſtia iuuenibus, matrimoniis fides, ſolutis continentia, viduis integritas, errantibus via. Plurimi enim hæreticorum, repudiatis tenebris veræ fidei lumen admiſere. Mediolani id temporis, ex ſanctione Gregorii Pontificis, in Cataros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Ioſepinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & id genus hæreticos anathema promulgauerat, atque plurima ſaluberrime tum conſtituerat, tum pro concionibus edixerat. Inter quæ cum illi quodam die diſputatio cum quodam Catarorum Epiſcopo eſſet, & ad ſpectaculum multitudo ingens tam Hæreticorum, quam Catholicorum adueniens, per ſummos calores æſtatis vreretur, Epiſcopus ad Petrum inſultans ait: Quid tu Petre, ſi fides iſta quam prædicas tam vera & tam ſancta eſt, Deum non rogas, vt ſtulti huius populi, quem tuis fallaciis in laqueos trahis, in tanto æſtu miſereatur. Tunc B. Petrus: viſne infelix, inquit, ſi hoc impetrauero, tuas iſtas exire tenebras, & verum ſolem intueri? Quod ſi velis, paratus ſum præſtare, quod poſtulas. Exhorruit in hoc promiſſo turba fidelium, verita, ne in re tam inſigni iacturam aliquam diu receptæ ac confirmatæ opinionis fides Catholica incurreret, contra vero exultabant hæretici, non minimum præſumentes, non poſſe fieri, quod ſanctus vir promittebat: proinde hæreſiarcham hortabantur, vt ſe in verba Petri obligaret, & quod ille petierat, ſe facturum promitteret: ſed noluit. Cæterum Petrus ad eum & ſectarios conuerſus: vt ſciatis, inquit, vera eſſe quæ prædico, & errorem tandem veſtrum atque cæcitatem agnoſcatis, & certo prædiſcatis experimento, Deum eſſe opificem non inuiſibilium tantummodo, ſed & omnium, quæ oculis ſubiiciuntur, ſupplex illum rogo, vt eadem potentia, qua fecit omnia, ſolem & æſtum ab hoc populo auertat. Peracta concione, cum aerem ſigno Crucis ſignaſſet, ſereno cœlo nubem extemplo Deus ſuper populum tanquam tentorium quoddam extendit, denſam quidem & penitus ſolaribus imperuiam radiis, quæ fideles Chriſti obumbrauit, & in tanto æſtu repentinam temperiem tulit. Maius & fere incredibile eſt quod narrabo: non tamen incredibile iis, qui ex doctrina Pauli ſciunt Angelum Satanæ ſe transfigurare in Angelum lucis. Ibat frequenter vir ſanctus ad caſtella agri Mediolanenſis, vt ea hæreticorum impietate infecta expiaret. In quodam ex iis, vir quidam nobilis, cum benigne Sanctum Dei reciperet, magnum hæreticorum odium incurrit. Excogitata demum ab iis ratio eſt, qua putarunt fieri poſſe vt hoſpitem illum à Sancto viro prorſus alienarent. Erat inter eos quidam magicis pollens artibus, qui huiuſce rei negotium ſibi deſumpſit, ſi modo illi ad Eccleſiam ſuam eum perducerent. Perduxerunt. Ibi magus in hæc fere verba locutus: magnam cæcitatem mortalium in eo verſari aſſeuerauit, quod creatorem bonorum omnium totiuſque bonitatis fontem exiſtimarent eſſe opificem viſibilium, à quibus ille aiebat eſſe perniciem certam. Multa ad iſtud ſuadendum adduxit: & tandem ad aram proſtratus: Oro te Domine, vt cæci huius illuſtres mentem, vt verum tandem videat lumen. Mirum viſu, vix finem fecerat, cum ab arte magica, ſubitus Eccleſiam ſplendor illuſtrauit, ac repente in ara, dæmon in effigiem magnæ Deigenitricis paruulum Chriſtum in vlnis geſtantis ſe transformauit, & ad Chriſtianum illum, ex nomine eum compellans, ait: Quamdiu impius in me, ac in filium meum futurus es, & fidelibus hiſce ac cultoribus meis non adhærebis? non à Petro te ſeparabis? Dixerat iſta & alia dæmon, & is metu perculſus, dictis & viſis fidem adhibens, partiariis erroris ſe addixerat, & à Petro paulo poſt veniente vultum auertebat. Mirabatur Petrus repentinam hoſpitis inhoſpitalitatem, & cum fraudes hæreticorum ſubeſſe putaret: ecquid omnino vultum & animum erga ſe mutaſſet, interrogauit. Narrauit ille: Petrus & ipſe dictis atque viſis ſe commotum eſſe fingens, ad Eccleſiam in qua portentum apparuerat duci poſtulauit: dixitque, vt ſi forte falſa & ipſe opinione deceptus eſſet, illam deponeret, & ad clarum lumen accederet. Renunciauit iſta hoſpes hæreticis: illi die condicta magno numero conuenerant, Petrum in ſuis caſtris fore futurum ſperantes: cum interim ille in Catholicorum templo re diuina facta, alteram quam conſecrauerat hoſtiam in ſinu recondens, ad Eccleſiam à maligno profanatam acceſſit. Adfuit & Magus, atque execratione potius quam oratione præmiſſa, dixit: Tu Domine qui cœcas mentes ineffabili tuo ſplendore illuſtras oro, vt Petro Veronenſi, qui nunc ad recipiendum verum lumen ad te confugit, omnem caliginem adimas: vt relicto veteri errore, te tandem agnoſcat, & ſequatur. Dixerat Magus, & ecce ab arte ſua idem fulgor totam illuſtrauit Eccleſiam, & Satan ſub eadem effigie in altari ſe oſtendit, & ſe Dei matrem eſſe voce clara profeſſus, Petrum vt Catholicam fidem relinqueret admonuit. Tunc ſanctus vir: Si, inquit, vera es Chriſti mater ſicut præ te fers, vt tibi credam, filium tuum hunc adora. Iſta dixit Petrus, hoſtiam ſinu delatam dæmoni oſtendit, dæmon illam videre non ſuſtinens euanuit, & tum locum fætore intolerando impleuit, tum parietem templi à ſummo vſque dorſum diuiſit, tum hæreticis maximum terrorem ſimulque pudorem incuſſit. Hoſpes porro fraudibus illorum deceptus, ad priſtinum lumen reuerſus eſt, maxime quod viderat S. Petrum miraculis illuſtrari. Per eos enim dies, puerum quendam mutum decennem, indito ori eius pollice vocalem effecerat: Hæreticorum quendam loquaciſſimum, mutum ſolo verbo reddiderat: Gaufridi Leoneſi Comitis filium Henricum angina laborantem ſolo tactu veſtis ſanauerat: è Gaufridi ipſius pectore, vermem bicipitem illum enecantem eodem veſtimento eiecerat: Cariſiam Virginem ſeptennio & alium quemdam quinquennio paralyſi reſolutum, ſolo Crucis ſigno & Imperio erexerat: aliaque ingentia miracula ediderat.

VII. HÆRESES REPVLLVLANT IN GALLIIS FAVORE COMITIS TOLOSANI.

In Galliis, hæreſeon monſtra repullulabant, & ſacerdotalis ordinis contemptus reſurgebat. Raymundus enim Toloſatium Comes iuriſiurandi formulam quam in Pariſienſi comitio præſtiterat oblitus, hæreticis impenſe fauebat, eoſque atque de hæreſi ſuſpectos nondum à latere ſuo ſubmouerat. Ex hoc impietatis nido illi proſerpentes, reliquam Galliam inficiebant, adeoque ferociebant, vt & Stephanum priorem Charitatis multis iniuriis affecerint, & Petrum Cancellarium Pariſienſem in choro ſuæ Eccleſiæ, coram tremendo ſacramento orantem, quidam Gerardus miles Seneſchallus Veromanduenſis inuaſerit, lacerarit, & pene ſuffocarit. Monebat Gregor. Pontif. Ludouicum Regem, vt hæreticos ex Galliis eiiceret: vt Comitem Toloſanum ad eiiciendos illos induceret: vt Eccleſiam & Priorem Charitatis commendatum haberet, vt de illo milite ſupplicium deſumeret: vtque Comiti Tholoſano de conſilio Narbonenſis Archiepiſcopi atque ſuffraganeorum ipſius & conſiliarios adhiberet, qui eum in fide ac moribus inſtruerent, & ab eorum conſortio ſepararent, per quorum familiaritatem conuerſatio illius corrumperetur.

Ep. 340. dat. Anag. 2. Cal. Maii. & 346. data ibid. Nonis Martii.

VIII. *Epiſt. 383.* EPISCOPVS VICENSIS SVSPECTVS DE HÆRESI.

Apud Aragonios, Epiſcopus Vicenſis, male de fide ſentiebat. Contra eum, cum Gregor. Pont. F. Petro Caderitæ Ord. Prædic. officium inquirendi commiſiſſet, iniungebat Iacobo Regi, ne quouis modo illum, vel eos quorum conſilio aut auxilio vſus fuiſſet, iniuria affici permitteret, dedit literas ea de re Anagn. V. Calend. April.

IX. INQVISITORES ACCIPIENDOS CONTRA HÆRETICOS IMPERAT, TARACONENSI GREGORIVS PRÆSERTIM PRÆDICATORES.

Cæterum cum Taraconenſis etiam Prouincia ab hæreſi infecta eſſet, poteſtatem fecit Gregorius Pontifex Archiepiſcopo Taraconenſ. & Suffraganeis ipſius, Inquiſitores ex Ordine Prædicatorum contra hæreticam prauitatem inſtituendi, dato diplomate in hæc verba.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Taraconenſ. & Suffraganeis ſuis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Declinante iam mundi veſpere ad occaſum, & hominum malitia excreſcente, corrupti ſæculi corruptelam, non ſolum ſentiunt elementa corrupta, verumetiam digniſſima creaturarum ad imaginem & ſimilitudinem condita creatoris, priuilegiata priuilegio dignitatis præ volucribus cœli & beſtiis vniuerſæ terræ, teſtatur. Peccat enim ad extremum homo miſerrimus, & qui in ſui creatione in paradiſi medio conſtitutus, vt operaretur & cuſtodiret eundem, ac de omni ligno quod in eo erat, excepto ligno boni & mali ſcientiæ, veſceretur, manere non potuit in eodem: circa fines

ſæ-

ſæculorum degenerat & variis ac variis quæſtionum nexibus ſe innectit. Ecce namque peccatis exigentibus oua aſpidum ſunt rupta, & telas araneæ texuerunt. Quia miſeri & infelices hæretici falſum & hæreticum intellectum, quem mente conceperant, parientes, in aures ſibi credentium infundunt. Sed qui de ouis eorum comederit morietur: quoniam eorum doctrinæ ac conſiliis inhærentes, internis incendiis aſcribantur. Ecce de radice colubri egredietur regulus: quia ſicut hic flatu venefico, ſic hæc peſtis flatu felleo aues volantes interficit, à ſerpente non degenerans primæuo, qui primos parentes circumueniens interemit. Non eſt etiam diſſimilis Baſiliſco, qui viſu necat quos aſpicit, quia hoc reptile venenoſum aſpectu ſeducit, & perimit minus cautos. Ecce iam ventus oriens qui indiuiſam & inconſutilem Domini tunicam & deſuper contextam per totum, per fruſta diſcerpit. Ecce etiam noua ſub nouo teſtamento Achan progenies, quæ de anathemate iniquo regulam auream palliolumque furatur. Abiron quoque Dathan & Chore ſoboles deteſtanda nouis thuribulis fermentatum thymiama nouis volunt altaribus adolere, dum nox nocti ſcientiam indicat, dum hæreſes pullulant, & vulpes demoliri vineam Domini moliuntur. Hi ſunt namque caupones, qui aquam vino commiſcent, qui virus draconis in aureo calice Babylonis propinant, qui iuxta verbum propheticum arcu rem amaram intendunt, vt ſagittent noxios in occultis: ita quod niſi botrus in flore lædatur, fructum non ſolum amarum, ſed etiam peſtiferum germinabit. Ecce ſiquidem (quod dolentes referimus, & referendo dolemus) hæreticæ labis morbus ſerpens paulatim vt cancer, quædam loca Tarraconenſis Prouinciæ iam infecit. Cum igitur ex iniuncto nobis Apoſtolicæ vis officio aduerſus hæreſes inuigilare propenſius teneamur, & moneamur etiam voce ſponſi capere vulpeculas paruulas demolientes vineam, ne per licentiam inualeſcant & tractu temporis coaleſcant in maioris roboris firmitatem, fraternitatem veſtram monemus, & hortamur attente per Apoſtolica verba ſcripta ſub diuini atteſtatione iudicii diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus per vos & Fratres Prædicatores, ac alios quos ad hoc idoneos eſſe noueritis diligenti ſollicitudine percipiatis de hæreticis, & etiam infamatis. Et ſi quos culpabiles vel infamatos inueneritis, niſi ex animo velint abſolute mandatis Eccleſiæ obedire, procedatis contra eos iuxta ſtatuta noſtra contra hæreticos nouiter promulgata: quæ verba ſub bulla noſtra tranſmittimus incluſa; in receptores, defenſores & fautores hæreticorum, ſecundum eadem ſtatuta nihilominus proceſſuri. Si vero aliqui hæretici labe penitus abiurata ad Eccleſiaſticam voluerint redire vnitatem, ipſis iuxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendatis & iniungatis eis quod talibus conſueuit iniungi: Attentius prouiſuri, ne qui videntur reuerti ſub fallaci ſpecie pietatis impietatem committant, vt Angelus Sathanæ in lucis Angelum ſe transformet. Propter hoc ſtatuta quæ ſuper hoc duximus promulganda inſpicere poteritis, & ab eorum inſidiis ſecundum diſceptationem vobis datam à Domino præcauere. Dat. Spoleti VII. Cal. Iunii Pontif. noſtri Anno VI.

Ad præſcriptum diplomatis iſtius fuere plurimi ex FFr. Præd. ab Epiſcopis inſtituti Inquiſitores, inter quos enituit S. Raymundus Peniafortius Barcinonenſis, qui cum formulam, ex qua errores abiurarent, hæreticis ſcripſiſſet, habuit poſtea Gregor. Pont. anno Pont. ſui nono, Guilel. electo Tarracon. reſcribere, in hæc verba: *Et ſuper deprehenſis in hæreſim, & carceribus quid ſit tenendum, habeas, inquit, notam F. Raymundi, quam hic ponimus, quæ incipit Credo.*

X. *Epiſt. 137.* REX PORTVGALLIÆ FELICITER PVGNAT CONTRA SARACENOS. INIQVE DATA AB REGE ANGLIÆ ET HVNGARIÆ REPETI IMPERAT GREGOR. EXCEPTIS QVÆ AD CAVSAS PIAS.

Sancius Rex Portugaliæ hoc Anno contra Saracenos feliciter pugnabat. Cui expeditioni ne quiſquam impedimentum præſtaret, indulſerat illi Greg. dat. Anag. ad XIII. Calend. Nouemb. diplomate, ne à quoquam ſine ſedis Apoſtolicæ expreſſa voluntate, cenſuris Eccleſiaſticis grauaretur, quamdiu Sanctum bellum depugnaret.

Cæterum cum Henricus Rex Angliæ, & Andreas Hungariæ, contra iuſiurandum in coronationis ſolennitate datum, quam plurima, per metum iuſtum ex iuribus & bonis regiis imminuiſſent, donaſſentque, & inſuper coacti à quibuſdam ſacramento, ne ea repeterent, ſeſe obligaſſent: vtrique Gregorius præcepit, vt iniuſte conceſſa repeterent, neque iuramentum ſecundum, quod priori repugnauerat, metuerent: exceptis his, quæ Eccleſiis, locis piis, & Eccleſiaſticis conceſſiſſent. Priores ſcripſit 4. Idus Iunii: alteras 2. Calend. Febr. Anagniæ. Receperat tunc Andreas Viennam de Friderico Imperatore, & anathema ab aliquo Epiſcoporum metuebat. Iſto metu eum exemit Gregorius Pont. indulgens, ne à quoque percelleretur, præterquam à Romano Pontifice.

XI. *Epiſt. 230. & 270.*

XII. *Epiſt. 67. dat. Anag. II. Cal. ep.* IN DVCAT. POLONIÆ SVBIECTIS FIDES CATHOLICA PROPAGATVR PER HYACINTHVM ET PRÆDICATORES.

In ducatibus Regno Poloniæ nunc ſubiectis, Ruſſia Volinia, Podolia, & apud circumuicinos Cumanos Ponto Euxino imminentes, negotium fidei Catholicæ, & vnionis Eccleſiarum feliciter per ea tempora promouebatur, per D. Hyacinthum Odrouanſium & alios Fratres Ord. prædicatorum, eius in conuerſione gentilium, & informatione Schiſmaticorum cooperarios & ſocios. Ei enim in primis Gregorius ſummus Pontifex commiſerat, vt Fratres zelo Dei inflammatos dirigeret ad conuerſionem Ruthenorum Schiſmaticorum, & aliarum gentium idololatriæ adhuc deditarum. Cæterum, vt is, cum reliquis Fratribus, ampliore cum authoritate res fidei promoueret, datis Anagniæ Idibus Martii hoc anno literis. *Dilecto filio Priori Prouinciali Poloniæ & FF. Ordinis Prædicatorum commorantibus in Ruſſia*, quarum initium eſt: *vt fidei noſtræ puritas*: conceſſit vt omnibus qui ad ſolemnem prædicationem eorundem acceſſiſſent, poſſent quadraginta dies indulgentiarum, de iniunctis pœnitentiis relaxare, & pauperes, debiles, infirmos in Ruſſiæ partibus conſtitutos, qui propter incendium, vel violentam inuectionem manuum in Clericos ſæculares vel regulares in canonem latæ ſententiæ inciderunt, nec ad ſedem Apoſtolicam accedere poſſent, dummodo damna & iniurias paſſis ſatisfacerent, facultatem abſoluendi. Et quia idem Gregorius intellexerat, plurimos Clericos Apoſtatas magno iiſdem Fratribus inter gentes prædicantibus impedimento eſſe, iiſdem Prouinciali & fratribus conceſſit authoritatem contra tales procedendi, datis eodem tempore & loco literis, quarum initium eſt: *Ex parte.* Plurimos tunc ad fidem atque vnionem iam reduxerant FF. prædicti. Ideo Gregorius recreatus conuerſione illorum, datis ad eos Reate 5. Id. Iunii anno 6. literis, miris laudibus extulit promptitudinem obedientiæ fidei Ruthenorum. Et quia ſupplices Gregorio fuerant, vt eis recens conuerſis, aliquem Antiſtitem, vitæ ſanctimonia, & Eccleſiæ adminiſtrandæ prudentia inſignem, præficeret: ea propter Gregorius Iacobo Creſcentio Prouinciali, & F. Domaslao Ordinis prædicatorum prouinciæ Poloniæ commiſerat poteſtatem inquirendi ſtatum, circumſtantiaſque regionis & nationis Ruthenorum, cæteraque omnia quæ ad inſtitutionem Epiſcopi pertinere videbantur. Dedit ea de re vtrique literas Interamnæ IV. Cal. Maii, Pontif. anno 6. quarum initium eſt: *Significante dilecto filio Gneſnenſi electo*, &c. Hi porro re diligentius ex commiſſione Apoſtolicæ ſedis conſiderata, omnibuſque ad Epiſcopi inaugurationem, & Diæceſeos diſtinctionem pertinentibus exploratis, totum ſummo Pontifici retulerunt. Is porro Fratris B. Gerardi, nuper prouincialis Poloniæ probitate & dexteritate perſpecta, eum genti Ruthenorum recens conuerſæ, primum præfecit Epiſcopum, cum antea Prouinciali Poloniæ ampliſſimam facultatem contuliſſet: cauſas matrimoniales in Ruſſia emergentes diſcutiendi: ne Catholicæ Ruthenis nuberent inhibendi: matrimonia non rite contracta dirimendi, inhibendi, diſpenſandi: Græcos & Ruthenos ſuper forma baptiſmi tolerandi: atque omnes & ſingulos à caſibus & cenſuris ſedi Apoſtolicæ reſeruatis abſoluendi, datis literis Anagniæ 6. Cal. Mart. Pont. anno 6. quæ incipiunt: *Quæque nobis erronea diſplicent.* Perceperat deinde Gregorius, ipſos Duces Poloniæ Chriſtianos, inter ſe digladiari, ſocialiaque arma in inuicem exerere, aduocatis in auxilia Saracenis & Ruthenis, inimicis Eccleſiæ Catholicæ, qui Eccleſias diruebant, & horribilius quam deceat exprimi SS. Domini corpus contaminare non verebantur. Ideo monebat Prouincialem Poloniæ Ordinis Prædicatorum, vt prædictos Duces ad pacis & concordiæ gratiam reducere ſatageret, neque illis permitteret, eiuſmodi ſubſidia reuocare. Sin pergerent odiis & armis certare, Sarracenoſque & Ruthenos vocare, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, omni appellatione remota, eos caſtigarent. Initium Epiſtolæ eſt: *Sibi graues & moleſti proximis eſſe Duces Poloniæ referuntur.* Anagniæ 3. Calend. Martii Pont. anno 6. Fuerunt eæ concertationes inter Conradum Maſſouiæ, & Henricum Vratiſlauiæ Duces, occaſione tutelæ Boleſlai pueri cognomento Pudici, quem Conradus vna cum matre, per ſpeciem colloquii euocatum, Ciſcum aſportarat, ac de necando illo cogitabat.

Epiſt. 14. & 324. *Cromer. lib. 8.*

XIII. *Polyd. lib. 6.* ECLYPSIS IN ANGLIA.

Hoc anno in Anglia ſole eclypſante, medio die obſcuritas immenſa incubuit, ita vt nox tenebroſa appareret, de-

inde

inde cœlum assiduis flammis coruscauit, turres & templa de cœlo tacta, grandine omnia obruta, fame & peste laboratum.

X I. SVLTANVS BABYLON. TENTORIVM ARTIFICIOSVM MITTIT FRID. IMP.

Eodem anno Soldanus Babylonię Friderico Imper. tentorium mirabile quinque millibus Florenorum æstimatum misit, in quo imagines Solis & Lunæ artificiosę motæ, cursum suum certis & debitis spatiis peragebant, horasque diei ac noctis citra errorem indicabant. *Chron. Hirsaug.*

IESV CHRISTI
Annus 1233.

GREGORII PAP. IX. FRIDERICI II. BALDVINI II.
Annus 7. Imp. secundo 4. Imp. Or. 5.

I. MITTIT GREG. APOCRISIARIOS CONSTANTINOPOLIM AD PERFICIENDAM VNIONEM.

REceperat in se Gregor. Papa mittere Apocrisiarios in vrbem Constantinopol. qui negotia Fidei atque vnionis curarent. Præstitit istud hoc anno, misitque Hugonem & Petrum ex Prædicatorum, Aymonem vero & Rudolph. ex Minorum Ord. viros virtute atque religione conspicuos, morum honestate præclaros, & scripturarum sacrarum scientia eruditos. Per eosdem Germano eius nominis secundo Patriarchæ Constantinopolit. scripsit eas quæ sequuntur pro vnitate Ecclesiæ, ac de duplici gladio Ecclesiæ, deque vsu vtriusque spirituali actemporali.

EPISTOLA PROVNITATE.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscop. Græcorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum iuxta testimonium veritatis occasio sit errorum ignorantia scripturarum, cuncti expedit illas legere vel audire, quia quæ in eis inspiratio diuina reposuit pro doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit moderatorum. Sane sub Ieroboam, qui peccare fecit, vt legitur, Israelem, præsumpta diuisio tribuum patenter signatur schisma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ, diuersas hæreses multitudinis à veneratione veri Templi Domini Romanæ videlicet Ecclesiæ reuerentia separatæ. Quod Chrysostomus Nazianzenus, Magnus Basilius, & Cyrillus emicuerint in catu dissentientium, eadem fuit cœlestis altitudo consilii, qua degere voluit inter idololatras, Heliam, Helisæum & filios Prophetarum. Nunc igitur quia in aliis literis, quas dudum tibi remisimus, latius hanc & alias authoritatum & omnium, quæ pro Romanæ primatu Ecclesiæ faciunt, materias explicauimus, illud tamen adiicimus, quod vtrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Euangelica lectione tenemus. Etenim loquente Iesu discipulis de acquisitione gladii spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet spiritualis & corporalis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potestatem temporalem: attende quod in Matthæi Euangelio Dominus dicat Petro. Conuerte gladium tuũ in locum suum, dicendo, Tuum, materialem signauit gladium, quo percusserat ille seruum principis Sacerdotum. De spirituali nemini venit in dubium, cum ei, id est Petro, per cuiusdam specialitatis apicem ligandi & soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur gladius Ecclesia tradituer. sed ab Ecclesia exercendus est vnus, alius pro Ecclesia manu saecularis Principis eximendus, vnus à sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus à milite. Propter hoc ergo & alia quæ post diligentem veritatis indaginem, ordinatam te faciant sentire charitatem, latores præsentium Hugonem & Petrum, de Prædicatorum, Aymonem & Rudolphum de Minorum Ordinibus fratres, viros virtute, religione conspicuos: morum honestate præclaros, & scripturarum sacrarum scientia præditos. iuxta quod sibi per memoratas literas intimare curauimus, ad te duximus destinandos: vt si cum eis de omnibus, quæ in quæstionem veniunt tractare fideliter & socialiter conferre decreueris: in rota quæ in frarotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui; & in mari vitreo speculari, quod vnus Adam collocatus ad opus & custodiam paradisi, vnam est sortitus vxorem, vnum Dominum Iesum Christum in iustitia & veritatis sanctitate creaturin, & vnicam sponsam eius Ecclesiam præfiguraus, quod Lamech qui humiliatum sonat dum vxorem vnam diuisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit, quod alia præter vnam arca non legitur, quæ cuncta vastante diluuio sub vnius Patriarchæ regimis potentatu, paucas animas sub perfectionis numero reseruauit: quod legem secundo Dominus dedit, non alteram sed eandem: quod duorum Cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorsum versi, sed respicientes erant vultus vnius ad vnum. Et vnam Ioseph tunicam fuisse talarem, & nostri Saluatoris inconsutilem vestem vnam. Verumtamen si dubietatis sensum circa Eucharistiæ sacramentum, vester diuersus à nostro ritus inducit: attende quod non sit aliud, nec diuersum vnius Domini nostri Iesu Christi prius in assumpta propter nos carne passibilis, post sicut à morte sic ab omni passibilitate prorsus immunis, à Græcis pariter & Latinis nostræ salutis mysterium frequentatur. Græcus ad fidam cum discipulo iuniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus compassus miseriæ humanæ homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam constituit offerri fermentatam: vt Apostolo dicente, quod ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante resurrectionem corpus Dominicum subiacere potuit, ostendatur. Latinus vero cum Petro seniore secutus literæ monumentum, de qua procedit spiritalis sensus, prior introiuit, & linteamina posita, quæ Sacrosanctum corpus quod Ecclesiam signat, inuoluerant, separatumque sudarium quod fuerat super caput aspexit, sacramentum glorificati corporis celebrare mirificentius in azymis sinceritatis elegit. Sed vtique panis simplex ante sacrificium panis est. Transsubstantiatione vero facta per verba Dominica panis non est: & ideo nec fermentatus, nec azymus dici potest. Sed ille potius creditur esse panis vitus, qui descendit de cœlo, & tribuit vitam mundo. Hæc & his similia docuit Petri sedem vnctio spiritus & sanitas intellectus. Vtinam & tu tandem aliquando inmorem discipulum qui vidit & credidit secutus introeas, vt omnibus intellectis nobiscum vere psallas illud Dauidicum: Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. Dat. Lateran. XV. Calend. Iun Pontif. Anno VII.

Hæc per Apocrisiarios suos Gregorius Romanus Germano Constantinopolitano Patriarchæ.

Porro illi hominem conuenientes viuis rationibus efficacissimisque Sanctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum autoritatibus, id quod Caput erat negotii, nimirum, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, demonstrarunt; eamque fidei definitionem vniuerso Orienti reliquerunt, digna quæ ad schismaticos conuincendos adscribatur. Ita habet ex M.S. Vaticano.

II. DIFFINITIO ARTICVLI FIDEI, QVOD SPIR. S. A PATRE ET FILIO PROCEDAT CONTRA GRÆCOS.

DEFINITIO APOCRISIARIORVM Gregorii Papæ,

Quod spiritus Sanctus à Patre Filioque procedat æqualiter.

Pater perfectus Deus est in seipso. Filius perfectus Deus, à Patre genitus. Spiritus Sanctus perfectus Deus à Patre & Filio procedens. Procedit autem ex Filio quidem immediate, at ex Patre mediante Filio. Quod enim Spiritus Sanctus à Filio procedit, id Filius habet à Patre. Propterea quicumque non crediderit, Spiritum Sanctum à Filio procedere, in via perditionis est. Vnde Sanctus Athanasius, dum in partibus Occidentalibus exulabat, in expositione fidei quam Latinis verbis reddidit, sic ait: Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Idemque Athanasius in expositione fidei, quam Græcis verbis declarauit, sic ad verbum, inquit: Spiritus autem Sanctus processio est est Patris, omniaque portantis Filii, per quem impleuit omnia. Vnde & Sanctus Gregorius, qui iure dicitur Thaumaturgus, seu mirabilium effector, Neocæsareæ Ponti Episcopus, in expositione Fidei, quam per reuelationem à Beato Ioanne Euangelista, mediante Dei genitrice accepit. sic apertissime exclamauit dicens: Vnus Deus Pater verbi viuentis, sapientia subsistentis, & potentiæ ac characteris sempiterni perfectus perfecti genitor, Pater Filii vnigeniti, vnus Dominus, solus ex solo, DEVS ex DEO, character & imago Deitatis, verbum operatiuum, & reliqua. At hic de Filio loquens, dicit. Solus ex Solo. Non ergo Spiritus Sanctus ex solo est: ergo ex Patre & alio, cum sit ab aliquo. Cæterum dum dicimus ex Patre & alio, non dicimus ex alio quoad substantiam, at secundum Hypostasim seu subsistentiam. Quod enim Spiritus Sanctus immediate ex Filio sit, ex Patre autẽ mediante Filio testatur Gregorius Nyssenus ita dicens: nos qui diuinam naturam differentia variationisve esse confitemur expertem, eam quæ circa causam & causatum consideratur differentiam non inficiamur: per quod solum comprehendimus alterum ab altero discerni, nimirum eo quod credimus, aliud quidẽ causam esse, aliud autem ex causa, & ex eo quod ex causa est. Quin & aliam rursum differentiã considera mus: Nam aliud quidẽ cõmuner ac sine medio ex primo est, aliud vero per id quod immediate & continenter ex prima causa est. Cum illi, quo aliqua differunt, vtrumque conuenire sit impossibile: quare continenter & immediate ex primo esse, aut solum Filio, aut solum Spiritui Sancto conueniat necesse est. Quod si (vt Sancti Patres asserunt) inter Patrem & Filium, non sit dare medium: erit igitur solus Filius ex Patre immediate, cum & secundum communem sententiam atque intellectum, id quod est ab aliquo, ab eodem sit immediatè. Sed cum Spiritus Sanctus sit ab aliquo, ab aliquo immediatè erit: at non est à Patre immediatè, sicut nunc ostensum est: erit igitur immediate à Filio. Sanctos itaque hos Patres & inter alios Beatum Ambrosium Episcopum Mediolanens. Beatum Augustinum Ciuitatis Hipponens. Episcopum, Beatum quoque Hieronymum fortissimum peruersissimorum Hæreticorum oppugnatorem, secutus Beatus Cyrillus, & cum eo vniuersa sancta Oecumenica Tertia Synodus perspicuè scriptum reliquit, Spiritum Sanctum ex Filio esse. Vnde quisquis eius verba oppugnat, non Orthodoxus est, sed à Fide aberrans. Affirmat enim manifestissime in sua ad Theodosium Regem de recta fide expositione, Spiritum Sanctum ex Filio esse. Hisce verbis: Præterea virum dicens, qui mox affuturus & videndus erat, ipsum dicit baptizare in igne & Spir. Sancto. Non quod alienum his qui baptizantur immittat spiritum, seruilem in modum & quasi ministrum, sed vt Deum secundum naturam cum suprema potestate, quia ex ipso & per ipsum, &c. Quid en testimonio clarius? Siquidem hic manifestissime de filio dicit, quod Spir. Sanctum his qui baptizantur immittat ex seipso, ac proprium eius. Quin & hoc ipsum ipsiem verbis Hernia scribit B. idem Cyrillus, in sermone ad eundem Herniam, cuius inscriptio est De incarnatione vnigeniti, & quod Christus vnus, & Dominus secundum scripturas. Illudque ipsum ab eodem Cyrillo in declaratione nouæ anathematismi dicitur. In eodem quippe Anathematismo proprium esse Filii Spiritum inquiens, eundemque nouum Anathematismum declarans, quo sensu proprium suum esse Spiritum dixerit, aperuit dicens. Cum homo factum sit vnigenitum Dei verbum, etiam sic tamẽ Deus mansit, omnia existens quæ Pater, solo hoc dempto, quod ille Pater est, & proprii habens quod ab ipso est. Et essentialiter ipsi inhærens Spiritus Sanctus & reliqua. Vbi rursus Spiritum Sanctum ex Filio esse, clarissime Sanctus Pater affirmat. Quare nemini debet esse dubium, quin eundem hic sensum sanctus aperuerit, quem tenuit, quando anathematismum exposuit. In eodemque sensu anathematismum hunc cum omnibus aliis Sancta & Oecumenica Tertia Synodus suscepit, in quo illum Sanctus declarauit. Certum namque est Sanctos Patres in prædicta S. Synodo congregatos, totam tertiam iam dicti Patris epistolam ad impium Nestorium Constantinopolitanum scriptam, absque vlla hæsitatione irrefragabiliter suscepisse. Nouimus autem prædictos duodecim anathematismos in postrema dictæ Epistolæ parte contineri. Porro si quis tanquam legitima tueri conatus fuerit impientissima Theodorici Cypri Episcopi verba, quæ ipse aduersus dicti S. Patris duodecim sacra capita, licenter nimis ac temere euomuit, noverit ea à Quinta Sancta, generalique Synodo prædicti Theodorici blasphemias damnatas esse: quippe qui aduersus Beati Cyrilli verba, quibus ei respondit, nil præter calumnias dicere nouit, ait enim Quinta Sancta vniuersalis synodus in actione 8. ad hunc modum: Condemnamus & anathematizamus cum quibuscunque aliis hæreticis, qui damnati & anathematepercussi sunt à dictis quatuor Sanctis Synodis, & ab Ecclesia Catholica & Apostolica, & Theodorum qui fuit Episcopus Mopsuestiensis. impiaque eius conscripta: & qua impiè à Theodorito conscripta sunt aduersus rectam fidem, ac contra duodecim Sancti Cyrilli capita nec non contra tertiam sanctam generalem Synodum Ephesinam, & quæcunq; ad defensionem Theodori, ipsiusq; Nestorii scripta sunt. Ex quibus perspicuum euadit illa, quæ Theodoritus aduersus XII. Sancti Cyrilli capita scripsit, damnata esse, impietatisque plena. Et quisquis ea vt vera & legitima tenet, tueturque, inimicus existit fidei. Scribit enim Beatus Cyrillus ad Acacium Melitensem Episcopum, post concordiam ac pacem sanctarum Ecclesiarum sic inquiens: Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, omnino nemo nobis, vt non recte scripta dicamus, persuadebit. Quid quod & ad Dynatum Episcopum eodem modo scribit, vbi ait: Quæ scripsimus, recte scripsimus, verè & inculpate patrocinantes fidei, neque quidquam omnino nostrorum scriptorum sumus negaturi: cum neque quidpiam vt illi referunt, sit dictum temere, verum vbique nos rectitudini adhærere fidei, veritatisque virtute consentire oportere. Ex his itaque longe clarissimum existit, Beatum Cyrillum eorum nihil inficiari, quæ dixit: sed in eodem sensu quo hæc ab eo dicta sunt, citra vllam correctionis notam perstitisse: cum neque ipse solus corrigi potuisset, licet etiam (quod tamen à Sancto absit) voluisset, in his quæ vniuersa sancta Synodus absque vlla ambiguitate, irrefragabiliter, consideranterq; accepit, accepit autem in eo sensu sicut dictum est, quo exposuit, cum prima Synodo hæc suscipienda repetens. Siquidem illam S. Synodum omnes sancti Patres in Concilijs post sequentibus venerantur, eademque cum illa credunt, quin & S. Patres, qui hanc ipsam antecesserunt, eadem cum illa sensere. Hanc fidem tenemus. sic credimus, sentimus & profitemur.

Subscriptiones.

Hanc fidem teneo ego Rudolphus ex Fratrum Minorum Ordi. domini Papæ Gregorii veteris Romæ Episcopi Apocrisiarius, sic subscribo. & ita credo.

Hanc fidem ego Ammonius Ord. Fratrum Minorum Apocrisiarius Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Episcopi, habeo, sic credo & ita sentio.

Hanc eandem fidem & nos Hugo & Petrus Præd. Ord. ac Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Episcopi Apocrisiarius ample ctimur, sic credimus atque ita sentimus.

III. S. HYACIN. IN RVSSIA, ET CONTERMINIS EVANGELIVM PRÆDICAT THAVMATVRGVS.

Non minora officia præstitit in Russia S. Hyacint. Odronansius Ordinis Prædic. in cõuertendis Gẽtilibus, & Schismaticis tunc cum Commissarium Gregorii Pontificis ageret. Iactant Russi se fidem Christi à Sanctis Thadæo & Bartholomæo Apostolis accepisse. Guagninus à Sancto Andræa Apostolo videtur asserere, & Annales Russorum habent, illum ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Boristenis fluuii, Gentilibus Dneps, & inde aduerso flumine vsque Kiouiam Metropolim Russiæ peruenisse, atque ibi omnem terram Russiæ benedixisse: baptizasse complures, signumq; Crucis illuc defixisse. A Kiouia vero, aiunt, eum ad fontes Boristenis Dnepriscæ dictos penetrasse; inde in Nouogrodiam magnam, & hinc ad mare Baltheum, & eo Romam vsque præterue ctis Galliis & Hispaniis nauigasse, Moscisque, Liuonibus, Scythis, Samagitis, & Prutenis Euangelium prædicasse. Eam fidei Christianę puritatẽ, vt Pruteni, Liuones & Samagitæ, ita Rutheni, Moschi & Scythę deferentes, sæpe & in maiori parte idolis, igni, arboribus, lucis, serpentibus, adeoq; dæmoniis in dies demorantibus, & per ea vel in eis oracula pandentibus sacrificabant. Quibus autem scintilla lucis diuinæ non fuerat extincta, ii ab vnitate Ouilis Ecclesiæ schismate nefario se sæpius præscindentes, extra mysticam Christi caulam misere periclitabãtur, & peribant, omnis lupi præda. Indoluit istud Hyacintho vehementer. Quamobrẽ à Gregorio Pontifice mandatis acceptis totum se cum Fratribus Prædicatoribus ad reducendos schismaticos ad vnitatem Ecclesiæ, & ad adducendos errantes ad veritatẽ Euangelii impendit. Et Haliciam quidẽ veniens Colomanũ & Salomæam Principes cõiunges, voto emisso castitatis astrinxit, summoq; Pontifici parere docuit: Leopoli & Kiouiæ in vniendis Rom. Ecclesiæ Ruthenis totos quatuor annos laborauit, coloniasq; Religionis Prædicatorum in eisdem & alias eiusdem Russiæ Ciuitates deduxit. Inde ad Cumanos, Scythas & Moschos excurrẽs, magnos ibi fructus animarũ ex seminio Euangelii deportauit. Contentione. n. illius, apud eas Gentes, aræ dæmonũ dæmolitę, ignes sacri extincti, luci exusti, serpẽtes exanimati, statuæ comminutæ, dæmones è delubris pulsi fugatiq; sunt. A prædicatione eiusdẽ Diui & aliorum sociorum è mẽtibus illarum gentiũ errores sublati, impietas impudicitiaq; cum cæteris vitiorum monstris profligata, furor & amentia eunusa, summę sapientiæ, probitatis, iustitiæ, candoris immaculati, cæterarum q; virtutũ cœlestiũ semina inserta: vexilla & trophæa Crucis vinificæ, in mediam barbariem inuecta: Sacrorum sanctiorũ frequẽs vsus introductus, diuinarum desiderium & cultus venerandus excitatus, aræ vni Trino Deo erectæ, templa domiciliaque virtutum, nempe monasteria plurimis in locis Prædicatoribus ædificata, tres Præsules Beati ex Ord. Præd. B. Gerardus primus Ruthenis, B. Vitus primus Lituanis, B. Meynardus Liuonibus, Prælati sunt. Præter alia S. Hyacinthi in cõuersione Gẽtium opera memoratur memoranda expulsio dæmonis, quem in medio insulæ Boristenis, incolæ coluerant. Motatio excretioq; fluminis egesserat alicubi Insulam non modicam, arboribus proceris densisq; annorum decursu cõsitam. In ea Gentiles arborẽ cæteris altiorẽ craffioremq; impulsu dæmonis in ea habitãtis delegerãt, cui diuinitatis titulum affinxerant, honoresq; diuinos tribuebant. Ea re plurimum Satanas impurus oblectabatur: nam exinde grauioribus amentiæ stimulis agitatos homines, acerbissimis ærumnis obruebat, & intolerandis suppliciis æuo

Vita S. Hyacinthi

sempiterno cruciandos sibi præparabat. Angebat Hyacinthum perditio tot gentium, quæ ad idolum venerandum confluebant. Cogitabat succurrere, & in Insulam penetrare, at istud impedimento fuerat, quod ripæ vastissimi gurgitis nullo substrato ponte iunctæ, nō facilem accessum præbebant. Eo tamen Hyacinthus detineri non potuit: sed licet arduum & difficile videretur traiicere ad adyta illa, quid tamen diuina ope efficere posset, cupiebat experiri. Cruce igitur Christi Boristhene consignato, speq; in eo qui sicco vestigio vndas calcauit defixa, plenus ardore, se dedit flumini rapidissimo altissimoque. Sustinuit dorso suo fluuius vorax, sicca vestigia Hyacinthi. Per hunc n. ac quondā Saluator, intrepidus vdo pede incessit. Ingressus lucū dæmoniis deuotum, plurimos ibi abominandis sacris se satanæ nuncupantes reperit, stipiti querno adgeniculantes. Tum ad eos: Eia, inquit, quæ vos vesania cepit mortales? Quis stupor vestram peruasit mentem? Truncum, sensus, & rationis expertem, absit dixerim diuinitatis comparticipem, poplite inflexo venerari? exhorrere opem ab inope & impote flagitare? quodque grauius, à mendaciorum parente, veritatis oracula explorare? ab eo qui in vestrā perniciem dies, horas, & momenta intentus, munera beneficētiæ deposcere? Deo creatori & reparatori fidem debitam eiurare? Age sumamus periculum Deitatis quernæ. Si potis est, se à meo quem defero scipione vēdicare, ei diuinitatis cultum impendite. Si ad instar stipulæ, illi cædenti cedet: credo non vos amplius dementiæ vestræ hostias illi offeretis. Conditione ab infidelibus accepta, Hyacin. dedit ictum scipione, arbori crassissimæ. Ea quasi fulmine percussa, inque partes & sarmenta extemplo diuisa, dedit casum. Mox ex illa decussa, Dæmon exiliens, profugus per Boristanem se recepit, specie exhorrenda. Fugientem illum insecutus est, siccis item plantis Hyacinthus: pedoq; illo suo in ringentem inuectus; Si, ait, consistant aduersum me castra, in hoc ego signo Crucis, (quod baculo prominebat) sperabo. Ad eum modum, fallacem illum spiritum deuicit, finibusque illis eiecit. Hinc ad stupentes barbaros regressus, occasione dicendi à lucta illa accepta, de idolorum vanitate, Satanæ truculentia, Fidei Christianæ veritate, Christi iugo suauissimo, de inferorum suppliciis, cœlitumq; lætitia sermonibus institutis, innumeros ad summū & amplissimum sapientiæ gradum prouexit, altaria noxio sanguine illita subruit, lucumque illum opacum igne copioso incendit.

IV. *Eandem de viris illustribus Ord. Præd.* MARTYRES PRÆDIC. IN SCYTHIA.

Nouellam hanc fidei apud Cumanos, & Scythas & Illyrios plantationē, aliqui ex fratribus Prædic. sanguine pro Christo effuso irrigarunt, ex quibus numerātur infrascripti.

B. Berengarius Cracouiensis Episcopus designatus, lancea dextrum latus, pro Christi fide, apud gētiles confossus. B. Bernardus Archiepiscopus Haliciæ serra dissectus; & in ignem coniectus, exustusque est à Scythis. B. Adrianus Magister vna cum sex & viginti fratribus, ab iisdem Christiani nominis hostibus, palis infixi, martyrium tolerarunt. Bosnæ triginta & duo fratres, Polonico qui & Sclauonico persimilis est idiomate concionantes, in flumine ab inimicis crucis Christi hæreticis submersi, passionem degustarunt. Ad eorum gloriam ostēdendam, quolibet anno & die passionis eorum, triginta duo luminaria cœlitus demissa, radiare consueuerant, in loco vbi fuerant demersi.

Ad Boristenem fluuium B. Albertus & B. Dominicus à Tartaris occisi, alii in captiuitatem abducti. Ibidem alio die nonaginta fratres, alii gladio, alii sagittis, alii lanceis interfecti, alii ignibus propter fidem concremati, ad regnum cœlorum transierunt.

V. *Annal. Prædicat.* TRANSLATIO CORPORIS S. DOMINICI.

Facta est hoc anno Indictione VI. Pontificatus Gregorii Noni 7. IX. Kalendas Iunii, feria tertia Pentecostes, S. Dominici translatio. A fælici transitu eius transactis 11. annis, mensibus nouem, diebus decem & septem. A confirmatione vero ordinis eius elapsis sexdecim an. mēsibus quinque, duobus diebus: Magisterii autem ordinis B. Iordanis II. anno expleto, & duodecimo inchoante, in quarto decimo Generali ordinis Capitulo. Cæterum tantæ rei gestæ vt memoria firmior esset, & in posteros sempiternis monumentis propagaretur, Magister Iordanus, qui præsens interfuit, totam sacræ Translationis historiam, datis publicis & patentibus circularibus literis ad omnia Cœnobia ordinis, accuratissime exposuit. Datæ sunt eæ literæ mox vt apparet à Canonizatione S. Dominici, quæ facta est mense Iulio anni sequentis. Extant adhuc ad hanc vsq; diem conseruatæ, dignæ quæ nostros illustrent Annales, quod verè historicæ sunt: Sic autem habent.

Dilectis in Dilecto Dei filio fratribus Ord. Prædicat. vniuersis, F. Iordanus eiusdem Ord. humilis Magister & seruus salutem, & gaudium sempiternum. Solet diuina bonitas sua indagabili sapientia plerumque bonum differre, non vt auferatur, sed vt dilatum surgat vberius in tempore opportuno. Siue igitur Deo Ecclesiæ suæ melius prouidente, siue diuersis diuersa sentientibus, quorum quidam viam simplicitatis absque prudentia sectantes, immortalem memoriam serui altissimi Domini Ordinis qui Prædicatorum dicitur Institutoris S. Dominici, fatebantur sufficere notam esse apud Deum, nec curandum fore vtrum ad hominum notitiam perueniret. Nam quædam caligo vt supra dictum est, fratrum corda obtexerat, vt vix esset qui diuinæ gratiæ condigna gratiarum occurreret actione. Expergefacta est siquidem post obitum viri Dei reuerentia populi, occurrentibus nullis qui diuersis infirmitatum quarumcunque premebantur molestiis: ibique permanentibus diebus ac noctibus fatebantur omnino percepisse se remedia sanitatum. Vnde curationum suarum testimonia deferebant, suspendentes ad tumulum B. Viri cereas oculorū, manuum, pedum, cæterorumq; membrorum effigies, prout varia eorum infirmitas fuerat corporum. siue rerum multifariè reddita valetudo. Enimuero vitam quam in cœlis possederat, in terris miraculis declarabat. Visum est autem plerisq; non debere receptari miracula, ne sub specie pietatis, notam quæstus incurrerent. Frangebant itaq; allatas imagines & deiiciebant. Et dum propriam opinionem inconsiderata celare cupiunt sanctitate, communem Ecclesiæ neglexere profectum, & gloriam sepeliere diuinam. Alii etiam aliter sentiebant, tamen pusillanimitatis depressi spiritu, his non obuiabant. Sicq; factum est, vt B. Patris Dominici gloria absque omni sanctitatis veneratione per annos fere duodecim sopita maneret. Iacebat nempe thesaurus absconditus, carens vtilitate, & subtrahebantur beneficia desuper à virtutum largitore. Iustitiæ etenim æquitas exigebat, iis gratiam subtrahi, qui gratiā Dei, & gloriam occultare nitebantur. Nec enim granum in fructum prodiit, si quando prodierit sæpius conculcetur. Prodibat sæpius virtus Dominici, sed suffocabat eam incuria filiorum. Patiens & multum misericors, patienter expectabat, sed cum vox non esset, neq; sensus de debito honore S. Dominici cogitans, adiecit Deus occasionem, qua fratrum segnities excitaretur. Crescente deniq; fratrum numero apud Bononiam, necesse erat domos, & Ecclesias dilatari. Nouis succedentibus vetera diruuntur, & corpus Dei famuli sub dio remansit. Quis rationis capax dignum existimaret puritatis spectaculū, castitatis vasculum, virginitatis sacrarium, S. Spiritus organum, sic humili tectum loculo permanere, qui tota vita sua, vt eius vltima duodecim adstantibus fratribus confessio declarauit, mortalis culpæ macula ipsum dulcem hospitem animæ nunquam à suæ animæ hospitio eiecit? Ad cor igitur quidam è fratribus reuersi, conferebant intra se vt ad locum decentiorem transferretur. Sed nec hoc absque Romani Pontificis licentia fieri volebant. Vere in multis perpenditur, humilitatis virtutem, exaltationem promereri. Poterant siquidem per se Patrem sepelire fratres, & filii: sed dum in hoc maioris auctoritatem requirunt, cessit in melius, vt non solum simplex, sed canonica fieret Translatio gloriosi. Neglectum tamen est & hoc diutius, fratribus interim de decenti sarcophago ordinantibus, & aliis summum Pontificem Dom. Gregor. adeuntibus, vt prædictum negotium eidem intimarent. Ille verò vt erat vir magni zeli, & fidei, durissime illos corripuit, qui tanto Patri debito honore neglexerant famulari. Subiunxit autem: Noui virum totius Apostolicæ regulæ sectatorem: quem in cœlis non ambigo sanctorum ipsorum Apostolorum gloriæ copulatum. Rauennati igitur Archiepiscopo scripsit, vt quia multis præpeditus ipse personaliter adesse non poterat tantæ translationi cum suis suffraganeis interesset. Volens ita omnipotens Deus consilio vniuersalis Ecclesiæ, Pastoris segnitiei nebulas detegere, aperuit & ipse manum suam de alto, & miraculorum fragore intonuit de cœlo. Vt manifestè daretur intelligi, totam illam cœlestis Ierusalem curiam immensa tunc lætitia exultare, & congratulari, gloriam sui magni conciuis terrigenis declarari Sancti namque inuidiæ fomite excluso, & diuini amoris gremio amplexati, suæ benedictionis abundantiam omnibus voluit esse communem. Cæcis visus, claudis gressus, paralyticis sanitas, mutis loquela, dæmonibus fuga, febribus conualescentia, & diuersis languoribus exilium indicitur: & Dominici sanctitas luculenter omnibus demonstratur. Salientem vidimus Nicolaum Anglicum diu paralyticum in hac solennitate. Morbus vici incurabilis voto emisso cessit, apostemata fugiunt, & multa alia in ipsius Canonizatione coram summo Pōtif. & Dom. Cardinalibus, & vniuersis adstantibus perlecta & exposita clarissime

patuerunt

patuerunt. Nec mirum si cum Deo regnans hæc facere potuit, qui mortali theca vestitus, librum fidei ab igne illæsum rehabuit, Virginē matrem infirmanti fratri adesse persensit, pluuiam signo dominico repulit, prece candelam in luto accendit, nouitium à stupendo vestium ardore eripuit, dæmonem cruce expulit, duobus mortem corporis, duobus animæ prænuntiauit. Duobus Romæ vitam restituit. Christum se vocantem in morte vidit, in Canone existenti discipulo coronatus apparuit, aliis candidis à Virgine Maria, & eius filio in throno gloriæ eleuatus ostensus fuit. Testantur Dom. Greg. Papæ de ipsius Canonizatione literæ plurima miraculorum ipsius insignia, & virtuosæ vitæ fastigia gloriosa. Adest igitur dies celebris, vt translatio eximii doctoris celebretur: adest innumerabilis diuersarum literarum populi deuotio: adsunt & Bononiensium cateruæ armatæ, ne sanctiss. corporis patrocinia ipsis auferantur. Sunt fratres anxii, pallent, & orant timidi, illic trepidantes timore, vbi non erat timor; ne scilicet S. Dominici corpus, quod pluuiis & æstui tanto tempore vili reconditum loculo, sicut aliis qui inter mortuos computabantur, patuerat, vermium scateret voragine fœtore horrido præsentium odoratum grauaret, & sic tanti viri deuotio fuscaretur. Ignorantes ergo quid agerent, hoc solum habent residui, vt totos se Deo committant. Accedit pia Episcoporum deuotio, accedunt & alii: instrumentis fabrilibus lapis duriori cæmento sepulchro compaginatus aufertur, & erat desubtus capsa lignea terræ suffossa, sicut Venerabilis Papa Gregor. Ostiensis tunc Episcopus sacrum corpus humauerat, in qua paruulum foramen eminebat. Ablato siquidem lapide cœpit odor quidam mirificus ex foramine exhalare: cuius fragrantia astantes attoniti, mirabantur quid esset. Remoueri iubent capsæ tabulam, & ecce apotheca vnguentorum, paradisus aromatum, hortus rosarum, campus liliorum & violarum, ac omnium florum suauitas victa perhibetur. Bononia quondam, quod plaustra ingredientia tetrum odorem reddant, adueniente rota, fœtore perfunditur, dum gloriosi Dominici sepulchrum panditur, odore omniū aromatum suauitatem vincēte, purificata exhilaratur. Stupent qui aderant, & stupore perterriti cadunt. Hinc ruunt dulces fletus, miscentur & gaudia, timor & spes in campo animæ consurgunt, mouentq; bella mirifica, mirifici odoris suauitatem sentientes. Sensimus & nos huius odoris dulcedinem, & quæ vidimus, & sentimus, hæc testamur. Nunquam enim, licet diutius iuxta corpus eloquii portitoris S. Dominici studiosè steterimus, poteramus tanto dulcore satiari: dulcor ille fastidium expellebat, deuotionem ingerebat, miracula suscitabat. Si manu, si cingulo, si aliqua re tangebatur corpus, per tempus prolixum odor ille permanebat. Delatum est corpus ad monumentum marmoreum, cum propriis aromatibus ibidem recondendum. Spirabat odor mirificus ex corpore sancto, ostendens cunctis lucidè, quam bonus Christi odor hic esset. Celebrantur Missarum solennia ab Archiepiscopo: Et quia tertius dies Pentecostes enituit, Accipite iucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocauit; In introitu Chorus intonat. Quam vocem de cœlis sonantes fratrem in sua iucunditate susceperunt. Tubæ concrepant, innumeram Cereorum multitudinem populi erigunt. Processiones etiam honestæ fiunt. Benedictus Iesus Christus vbique resultat. Acta sunt hæc in Ciuitate Bononiensi IX. Kalend. Iunii, An. Gratiæ 1233. Indictione VI. Romanæ sedi Gregorio Nono Præsidente, & Imperii sceptra Friderico II. gubernante. Ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & B. Dominici serui sui fidelissimi.

VI. *Io. Villan. lib. 6. c. 9.* BELLVM INTER SENENSES ET FLORENTINOS.

In Italia hoc anno, non vsquequaque omnia pacata. Florentini & Senenses inter se tumultuabantur, occasione Montis Politiani, quem per id temporis Florentinis fœderatum, Senenses inuadentes, armis occuparant, atq; muris discinxerant. Florētini porro exercitu comparato, ad quadraginta tria castra Senensibus eripuerant, & sanguine fædauerant. Sed nec in Lombardia res plane erant quietæ. Quamquam enim an. superiore Imp. Frider. cum Rectoribus Ciuitatum Confœderatarum Pataui coram Legatis sedis Apostol. Iacobo Prænestino & Ottone tituli S. Nicolai Cardinalibus comparētes, atq; eis tamquam Compromissariis electis & arbitris rem totam permittentes, ex sedis Apost. arbitrio omnes controuersias composuissent, atq; concordiæ conditiones stabiliuissent, tamen cum Gregor. Pontif. datis ad Fridericum literis, ab eo deposceret, vt Lombardis ciuibus iniurias acceptas remitteret, vt pacta & conditiones pacis diplomate publico confirmaret, vt easdem pacis conditiones obseruaret, vtq; filium Henricum ad confirmationem obseruationemque eorum induceret; nonnihil Henricus tergiuersabatur, & pactis stare cunctabatur, studio, vt ferebatur, miscendæ contra Pontif. & Eccles. Rom. Italiæ. Facile enim sibi pollicebatur, in perturbata Italia se posse iura Ecclesiarum & Maiestatem, authoritatemque pontificiam imminuere. Quamobrem factionibus Italiam studiose impleuit, nominibus longo temporis interuallo repetitis.

ep. 146. Later. Nō. Iun.

VII. *Paul. Æmil. in Ludouico lib. 7.* VNDE GVELFI ET GIBELINI ORTI.

Auorum memoria Siculus Rex Rogerius veritus ne si Conradus tertius Augustus in Italiam veniret, Regno ab eo pelleretur, Cæsarum armis Siculorum dominatui semper infestis, missis in Germaniam Oratoribus hostem Guelfonem Bauariæ Ducem in Cæsarem concitauit, belloq; ibi conflato, ex Italia Duci & suo, & vt viribus sanctitatis speciem adderet, Pontificis Maximi, cuius se beneficiariū profitebatur nomine, ingentia misit auxilia. Cum his signa cōtulit Hēricus Cæsaris filius in oppido Gibellino natus: quo etiam memoria natalium velut gentilitio cognomine gaudebat. In hac igitur acie, Io. Gibelline: in altero, Io Guelfo, clamabatur. Eo bello exemplum memorabile coniugalis fidei mulieres ediderunt. Victor Cæsar cum oppido capto in viros statuisset durius consulere, emigrare iussit mulieres rerum suarum iure concesso, quantum quæque humeris posset efferendarum. Flagrantissimus amor, & menti consilium, & infirmitati robur dedit. Viros exportarunt. Hoc egregio dolo se captum delusumq; Cæsare non indignante, victor etiā victum Ducem, in gratiam, positis armis recepit. Nomina tamen mansere; ac ex ea die seruatum, vt Guelfi Pontificum, Gibellini partes Cæsarum dicerentur.

VIII. *Inter epist. Greg. an. 7. ep. 268.* HOS IN ITALIAM REVOCAT FRID. II. ET INTER EVM ET FÆDERATOS PAX COMPONITVR.

Sed iam memoria prope exoleuerat; Frider. Imper. restituit, ac immortales pestes eas effecit, quibus Italia & vniuersa, & singulæ prope ciuitates laborarent. Itaque cum Greg. Pont. Frider. Imp. perurgeret, vt Lombardos in gratiam reciperet, vtq; filii sui & suo nomine diploma subscriberet, scripsit quidē Frider. Gregorio, agnoscens pacem inter ipsum & Confæderatos, intercedente sedis Apost. authoritate esse compositam: cæterum etiam insinuauit, se in proximo Militum Theutonicorum Magistrum ad sedem Apost. velle mittere, qui ea ipsi & vniuersis Cardinalibus referret, quæ aliis committenda non esse existimaret. Erant ea quæ Raynaldo Episcopo Cardinal. Ostiensi, pro veteris amicitiæ confidentia, confidenter scripsit, scil. quasi non ex iuris & iustitiæ rigore, honori imperiali à Lombardis imminuto satisfactum esset, proindeque oraret, vt is summo Pontifici auctor esse vellet, qui ea quæ pro honore & suo & Ecclesiæ forent, auctoritate Apostolica decerneret. Dedit vtrasque literas Siracusis die 12. Iul. VI. Indict. Porro conuenerat vtrimque vt Lombardiæ ciuitates nomine iniuriarum imperio illatarum, quingentos equites in subsidium Terræ sanctæ sumptibus propriis submitterent. Qua conditione cum sibi Fridericus non esse satisfactum quereretur, & alias pœnitentiæ indicationes exposceret; reuera autem factionibus Italiæ vires distrahere conaretur, Gregor. Pont. datis ad eum Anagniæ secundo Idus August. literis, ita ei satisfactum esse pleno iure ostendit, vt nihil supra fieri potuisse demonstrauerit. Cæterum vt omnem criminationis occasionem ei præriperet, in rescripto adiecit: Si, ait, de prouisione prædicta te grauatum propriis vel alienis motibus arbitraris, super hoc nobis præcise tuam resera voluntatem, quia credimus negotium in statum pristinum posse reducere iure vtriusq; partis integro remanente. Has vbi primum Fridericus accepisset, dato apud Castrum Ioannis die 14. mensis Augusti An. Dom. 1233. diplomate approbauit, spopondit que se seruaturum compositionem pacis factam à Legatis inter se & Ciuitates Confæderatas.

ep. 269.

IX. *ep. 69.* FLORENT. F. IO. VINCENTIN. MITTITVR: QVEM NOLVNT BONONIENS. DIMITTERE. EIVS SANCTITAS DESCRIBITVR.

Ad eum modum confirmata pace Lombardiæ, à bellis aliquantum cessatum est, etiam in Tuscia. Nam ad sedandos motus, qui inter Florentinos & Senenses occasione Montispolitani gliscebant, hoc an. Greg. Pont. Laterani 4. Cal. Maii, Fratri Ioan. Vincētino Ord. Præd. Bononiæ tunc agenti, negotium commiserat, vt in Ethruriam se ad componenda ea dissidia conferret. Ægre ferebant Bononienses, tanti viri præsentia priuari, qui cum sanctitate, tum miraculis, illorum ciuitatem exornabat. Quamobrem interdixerant, siue adeo detinuerant, ne ab eis emigraret. Cumque Pontifex vrgeret, vt quantocyus illum Florentiam dimitterent, illi pia contentione impediebant, ne pedem efferret. Itaque necesse habuit Gregor. omnibus Archiepi-

scopis

ſcopis & Epiſcopis poteſtatem cõmittere, anathema aliaſque Eccleſiæ cenſuras pronunciandi in Bononienſes, qui F. Ioan. Vincent. impedire, quominus ad officium ſibi iniunctum exercendum proficiſceretur, auderent. Proinde

ep. 219.

illi & vniuerſis Bonon. 4. Cal. Iul. ſecundo ſcripſit: illi quidem vt ſine cunctatione pergeret: iſtis vero vt quamprimum dimitterent eum, ad tam neceſſariam pacem conficiendam.

ep. 130.

Maximis eo tempore florebat miraculis Ioan. quæ cum frequẽtiſſima eſſe Gregorius Pont. intellexiſſet, poſtquam eum epiſtola data VII. Calend. Iul. Laterani dillaudaſſet, hæc adiunxit: *Quapropter ad orationum vota conuertimur, & adorantes ſuper faſtigium virgæ eius qui percutit & medetur, fideliter petimus, vt gratiam quam magnificauit facere tecum in mirabilibus ad laudem ſui nominis & ſalutem fidelium animarum augeat & conſeruet, quo cum iuſtorum vitam in humilis patientiæ ſeruitute ſeruaueris, eorum morte pretioſa in conſpectu Dom. moriaris.* Et quidem iſta Greg. Vincent. cui vt maiorem authoritatem conciliaret, concefferat poteſtatem eos anathemate exſoluendi,

ep. 160. dat. Anagn. Nõ. Auguſti. & ep. 241.

qui in clericos manus violentas inieciſſent, dummodo neque membro mutilaſſent, neq; vita exuiſſent, multas quoque indulgentias erogabat idem Gregor. his qui Conciones Ioan. audiuiſſent.

X.

PRÆCLARA GESTA F. IOAN. VICENTINI PRÆDICATORIS ET VIS CONCIONANDI PACEM: ITEM VARIA CIRCA EVM PRODIGIA ET MIRACVLA.

Quod labores F. Ioannis Vicentini, & res ab eo præclare geſtas attinet, eas Carolus Sigonius in ſummam contractas memorabat, quod is vrbem ingreſſus, atq; cõcionibus populum erudire aggreſſus, adeo homines mira doctrinæ & ſanctitatis ſpecie cepit, vt breui vniuerſam ciuitatem in poteſtate habuerit. Nam vrbani, agreſtes, artifices, militeſq; cũ vexillis & crucibus religionis pleni vulgo eum ſequebantur, ei vni ſe dabant, in eius vnius arbitrio ſe eſſe profitebantur: nullaque lis erat, quæ non per eum facile dirimeretur: nulla diſcordia, quæ non ſedaretur. Neq; vero ſolum priuati homines vltro ſuas ad eum controuerſias deferebant: ſed ciuitas etiam ipſa, & Epiſcopus, cum diu inter ſe contendiſſent, de capitali iuriſdictione in caſtris exercenda, ipſum totius controuerſiæ arbitrum adegerunt, ſeque haud quaquam ab eius ſententia receſſuros mille drachmarum auri ſacramento XIII. Cal. Maii compromiſerunt.

Lib. 17. de Regno Ital.

Quin etiam idem carcere patefacto obæratos omnes, ipſo non ſolum patiente, ſed etiam annuente magiſtratu, dimiſit; nouas tabulas æquiſſimis creditorũ animis intulit; egregia inſtituta multa in ciuitatem induxit: quorum memorabile illud, vt in omnibus ſalutationibus familiaribus ſalus à Deo nunciaretur: vt matronæ limbos aureos, & ſerta laſciuiora, & redimicula pretioſiora dimitterent, atq; capite velato prodirent. Itaq; leges ciuitatis cõſenſu ipſius correxit. Pridie Idus Maii ſupplicationem per vrbem ſolemni cum pompa agens, vniuerſam ſecum ciuitatem nudis pedib. incedentem traxit. Poſt biduum cum in Concilio ſtaret, atq; ibi verba de ciuium concordia faceret, viſus eſt è fronte lumen effundere: quod diuinitatis argumentum multo magis auctoritatem eius adauxit. Alio die pro concione, cum in fœneratores agere cõſtituiſſet, ita vehementia atq; aſperitate orationis ſuæ populum incitauit, vt mox tumultu facto ad ædes Landulfi cuiuſdam fœneratoris inſignis aduolarit, eaſq; malum Landulfo imprecans, diſturbarit. Cum oſſa B. Dominici humili atque obſcuro in loco recondita, haudquaquam eam ſedem tenerent, quæ creditæ de homine ſanctitati conueniret; auctor fuit, vt inde eruerentur. Ea vero res geſta eſt in hunc modum. Ante diem 10. Calend. Iunias, Iordanes, qui B. Dominicum Ordinis Magiſter exceperat, aduocato Archiepiſcopo Rauennate, Bononienſi, Mutinenſi, ac Brixiano Epiſcopis, atque vna cum Prætore, ipſis procerib. ciuitatis, ac multis fratribus (nam Generalis ex more habebatur Conuentus) acceſſit ad locum, vbi cõditum corpus fuerat, atq; egeſta terra, capſam inuenit tanto odore fragrantem, vt omnes ſtupore ac religione perculſi, ſtatim ſe humi Deum collaudãtes abiecerint: atq; illa aperta cum naribus odor multo adhuc ſuauior afflaretur, ſacra inde oſſa in aliam tranſtulit, eamque clauis, vt prior fuerat obfirmauit. Poſt octo inde dies eadẽ Prætori & multis honeſtiſſimis ciuibus, qui tranſlationi non affuerant, indicauit, ac præterea ſancti oſculandi capitis copiam fecit. Inde VII. Calend. Iulii in Conſilio Generali & ſpeciali, Conſulibus Argentariorum, & Magiſtris artium & armorum aduocatis, arbitrium aduerſus Epiſcopum ſecundum ciuitatem pronunciauit. Poſtremo fruſtra à Concilio retinendi cupido rogatus vrbe diſceſſit, atq; inter Caſtrum Francum & Caſtrum Leonem longam de pace concionem ad milites vtriuſq; loci præſidiarios habuit. Cumq; interim Gregorius Pontifex infinita mala indies magis in ciuitatibus ex ſuſceptis factioſorum certaminibus gliſcentia contemplatus, omni ſibi ratione prouidẽdum exiſtimaret, vt huic peſti omnia quæ poſſet remedia admoueret: pacem, q̃ multorum Cardinalium auctoritate haud præſtare potuerat, ſibi procurandam ſuſcepit per Fratres Prædicatores & Minores, hac tempeſtate doctrina atq; integritatis opinione pręſtantes, ne ſi Fridericus, quod vulgo iactabatur, in Lombardiam armatus iniiſſet, diſſidẽtes, atq; odiis inter ſe flagrantes, ciuitates nactus, facilius eis iugum ſeruitutis imponeret. Præcipue autem Fratrem hunc Ioannem Legatum in Marchiam deſtinauit, quod ſummam eius eloquentiam, atq; incredibilem apud populos auctoritatem accepiſſet. Nam multa etiam ab eo in Chriſti nomine edita miracula, Pariſius auctor eſt. Itaq; ille Bononia Patauium ac Veronam progreſſus, pacem demum hac ratione confecit. Inprimis Patauium aduentãti populus cum carocio obuiam longe extra vrbem proceſſit, atq; ipſum carocio exceptum in vrbem prope triumphantem induxit. Hic, qua erat dicendi copia præditus, multas de pace cõciones cum ingenti approbatione populi habuit, illa verba frequentans: *Beati pedes pacem portantes.* Præcipuè autem omnibus Marchiæ principibus aduocatis, longam in Pratouallis orationẽ inſtituit, qua pacis bona & belli detrimenta, & diuina mandata complexus facile omnes ad concordiam ineundam induxit. Quod vt ſibi ex ſententia proceſſiſſe vidit, Lombardos ac Marchiones omnes cum Epiſcopis, & Clericis, Prętoribus & Rectoribus ciuitatum, certa proximi Auguſti die inermes adeſſe in campis Veronenſibus imperauit. Inde Mantuam progreſſus, ibi quoq; homines eodem pacis ſtudio inflammauit. Tum perſpectis partis Sanbonifacię animis haudquaquam à compoſitione auerſis, Veronam acceſſit. Ibi ſummo quoque honore exceptus, pacem, quanta maxima contendere eloquentia potuit, in foro perſuadere perrexit: atque ita omnes oratione ſua permouit, vt Ezelinus etiam, qui omnes homines morũ immanitate hoc ſæculo ſuperauit, vna cum Vidone Rectore Ciuitatis manantibus lachrymis promiſerit, ſe arbitrio eius ſtaturum de omnibus controuerſiis, quæ inter ſe & Richardum Comitem intercederent. Quod idem Richardus quoq; in vrbem fide publica reuerſus, ſe ſeruaturum eſſe iurauit. Duodecimo inde Cal. Auguſti, idem carocium Veronenſe conſcendit, ac de integro de conciliatione cõcordiæ tanta cum approbatione omnium diſſeruit, vt à populo Dux & Prætor acclamaretur. Quem cum ille honorem iniſſet tantum, ſexaginta homines hæreſeos conuictos cremauit. Interim ad diem dictam conuenêre omnes populi cum Carrociis, Epiſcopis, Prætoribus, Legatis & Procerib. ſuis, in quibus erant etiam Bononienſes, quibus ille Hoſtiliam cuſtodiendã reliquit, numerum, qui inierunt, ad 40. millia fuiſſe aſſerunt. Tum altiorem quendam ſuggeſtum inter ciuitatum carrocia excitatum conſcendit, atque ita diſſerere cœpit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Inde multis verbis de pacis & concordiæ ſanctitate atq; vtilitate ſubiectis, pacem nomine Ieſu Chriſti, & Vicarii eius Greg. Pont. omnibus commendauit, laudans eos, qui illam amplexi ſeruaſſent; ac deteſtans, qui in cõtraria ſententia permanſiſſent, ac poſtremo hoſtes Eccleſ. qui Imp. parti ſtuderent, enunciauit. Quibus rebus tantum omnibus ſtudium religionis iniecit, vt præ gaudio lachrymæ audientibus pleriſque manarent. Qua oratione abſoluta inde pacem inter duas partes tranſactam pronuntiauit, legibuſque illius promulgatis ipſam oſculis vtrimq; oblatis cõfirmari iuſſit, tum matrimonium inter Rinaldum Azonis Areſtini filium, & Adeleidem Alberici à Romano filiam, vnde vinculum magnum concordiæ ſperaretur, indixit. Quibus de rebus gratulatione ingenti inter omnes celebrata, domos ſuas vniuerſi repetiuerunt. Hæc res vna omnium maxime memorabilis vniuerſis viſa eſt.

Fuit Carrocium currus ingens, rotis grandioribus atque axibus firmioribus fultus, purpurea pariter veſte vndique

conſtra-

conſtratus. In quo contabulatio quadratæ turris inſtar locabatur, in medio vero eximia proceritate malus excitatus erat, multis à faſtigio rudentibus ipſi contabulationi ad nautici mali ſimilitudinem alligatus: in ſummo Crux aurea, infra Crucem antenna magna ſuſpenſa, vnde vexillum explicabatur. Hunc currum excellentis formæ boues, candida veſte inſtrati trahebant. Cura eius clariſſimo & genere & virtute viro committebatur: qui vt venerabilior eſſet, inſigni lorica, enſe & aureo baltheo, & publico ſtipendio donabatur, vt munitior, cohorte militum lectiſſimorum ſepiebatur. Cum eo vero aderant etiam Sacerdotes, cum diuinę rei cauſa, tum vt eſſent, qui lethifero vulnere laborantibus, ſacra, ſi opus eſſet, ritu Chriſtiano ſubminiſtrarent. Præterea ſex tubicines, cum totidem militaribus equis, quibus ciuitas tentoria & ſtipendia procurabat. Cum hoc vexillo, quo quaſi ad ſacram aram acie pulſi refugerent, atque inde ferociores in hoſtes procurrerent, Herebertus Archiepiſcopus Mediolanenſis primus inuentor, contra Conradi I. Imp. fautores ad bellum progreſſus eſt. *Sigonius lib. 8. Regni Ital.*

Præter hæc, quæ de Beato Ioanne Vicentino retulimus, *Thomas Cantipratanus libro ſecundo capite primo*, cum aſſeruiſſet, illum ſeptem mortuos ad vitam reuocaſſe, alia quoq; eius miracula narrat, iſtis verbis: Cum dictum venerabilem Fratrem Ioannem miraculorum gloria, & opinio ſolemnis hominum extuliſſet, populus innumerabilis prædicationem eius quotidie ſequebatur, ita quod pedes ambulare non poſſet, cum fere vnuſquiſque eum tangere, vel partem veſtimentorum pro benedictione rapere niteretur. Ergo cum in quadam villa congregato innumerabili populo prædicaſſet, & pedes nullatenus exire potuiſſet, mandauit cuidam Præpoſito vicino, vt ei equum ad transeundum in villam aliam tranſmitteret. Remandauit ergo ei dictus Præpoſitus, quia nullum equum haberet, niſi illum, qui neminem ſeſſorem reciperet, niſi ſe proprium dominum, vel eum, qui equi curam gereret, ex antiquo. Vt vero nuntius hæc retulit ſancto Fratri, renuntiauit ille Pręposito, vt equum ſibi quantumcumque tranſmitteret inſolentem. Tranſmiſit itaque equum Præpoſitus, ferè omni bellua crudeliorem. Neque mora: ſtatim enim atque Beatus vir vidit frementem acerbius, fronti illius Crucis characterem impreſſit dicens; Mitiget te CHRISTVS Princeps pacis. Mira res! Mox ſpectante omni populo, equus in manſuetudinem verſus, flexit genua & dorſum habilitauit aſcendenti. Mirante populo aſcendit Frater, & omnibus valedicens properauit ad optata, equumq; Præpoſito remiſit, ſed manſuetiſſimum velut agnum. Præpoſitus vero, cum interim fama vulgante percepiſſet rei factum, ſtatim equum remiſit dicto Fratri, dicens: Abſit à me, vt ego indignus equum aſcẽdam vlterius, in quo Deus tantum miraculum demonſtrauit, vos autem illo, vt vobis libet vtimini. Ex illo ergo die vſque in longum tempus, & annos plures ſanctus Frater equo vſus, nunquam illum aſcendit, quin equus genua flecteret aſcenſuro. Quodam tempore moram fecerat dictus Frater in proxima regione, prædicatione ac miraculis villas & ciuitates illuſtrans. Vt autem ciuitas Bononienſis approximantem audiuit, occurrit ei nobilium, & magnorum ciuium, ac populorum innumerabilis multitudo; qui neſcientes aliquid maioris honoris ei impendere, pannum ſericum in quatuor haſtis ſupra ſanctum virum in magno laudis iubilo deportabant. Neque erat reniti facto, neq; ea facientibus inhibere: cum frequenter in talibus ratione careat obſtinata multitudo. Hæc vidit diabolus & inuidit, inſtigauitque quendam nefarium, qui hæc Gregor. Papæ velociſſime nuntiaret, addens, quia ſe Fr. Ioan. pro Apoſtolico gereret, qui equo albo incederet, & ſuper ſe pannum ſericum permitteret deportari. Mox Papa quantocius verbis credens, demandauit Cardinalibus & Prælatis, qui tunc aderant in vicino, vt ad Curiam conuenirent. Quibus præſentibus retulit Apoſtolicus quæ audiuit, voluitque in dictum Fr. Ioan. excommunicationis ſententiam promulgare. Aderat autem tunc ſanctus Mutinenſis Epiſcopus, qui Domino Papæ coram omnibus dixit: Non decet, Pater ſancte, in talem virum accelerare ſententiam, niſi prius ea quæ narrata ſunt diligentius fuerint inueſtigata, & probata. Cum autẽ Gregorius Pontifex omnia ſibi conſtare affirmaret: Epiſcopus poſtulauit coram omnibus ſibi textum Euangelicum exhiberi, poſitiſq; tribus articulis ſuper textum dixit; Iuro in hæc ſancta verba quod propriis oculis vidi, dum Fr. ille Ioann. de quo ſermo eſt, prædicaturus in populo exedram aſcendiſſet, quod Angelus Domini deſcendens de cœlo, Crucem Auream fronti prædicantis infixit, & addo, quod hæc nulli hominũ reuelaſſem, niſi ad euitandam verecundiã Domini Papæ, & S. Curiæ Romanæ, & ad demõſtrandam viri ſancti innocentiam, caſus iſte tam neceſſarius ſe obtuliſſet. Addidit idem *Thomas Cantipratanus*; Venerabilem Reginaldum Abbatem quondam Bleſenſem audiui narrãtem, quod dictus Fr. Ioan. oppidum quoddam intrauerat, & occurrit ei, ac ſequebatur infinita hominum multitudo, quem vt tranſeuntem vidit mulier, quæ in cellario ſtabat, & vinum è dolio trahebat, epiſtomium in manu oblita, in plateam cucurrit, & auidis oculis ſanctum virũ non modico ſpatio properantem inſpexit, vt autem ad ſe oculos retraxit, inuenit epiſtomium in manu ſua, recurrenſque ad dolium, totum vinum per cellarium effuſum aſpexit. Conſternata ergo vltra quã credi poſſet, quia virum ſuum crudeliſſimum exhorrebat, cucurrit poſt ſeruum Dei, & apprehenſo pede eius, cum clamore valido & lachrymis narrauit euentum caſus, & quantum ſibi proinde à crudelitate viri periculum immineret. Tum Fr. compatiens mulieri, benedixit illi & præcepit, vt reuertens in Domino ſecura mente confideret. Magnum miraculum! Domum reuerſa mulier, & cellarium ingreſſa, dolium totum repletum inuenit, ſiccam aream cellarii, nec vel ſola vini gutta ſolotenus humectatam. Ad euidentiam autem tanti miraculi, ipſum dolium in fronte Eccleſiæ dictus Abbas, ſuſpenſum vidit. *Subdit Cantipratanus.*

Idem qui ſupra Abbas venerabilis, aliud mihi retulit, q̃ ipſe vidit. Ruſticus in agro aquilam eminus in ceſpite vidit quieſcẽtem, &, Expecta, inquit, expecta ô aquila, adiuro te per Fr. Ioa. & te captam ſancto viro, ſtatim reducto aratro, præſentabo. Nec mora; ruſticus reducto aratro expectantẽ aquilam accepit, & ſancto viro quaſi manſuetiſſimam præſentauit. Hanc aquilam dictus venerabilis Abbas ſequentem Beatum virum, vbicumq; locorum ibat, & de villa ad villam poſt eum per aera volitantem vidit. Vbicumque in populo editiori loco ſtans conuenientibus prædicabat, aquila iuxta eum locum captabat, & finito ſermone, mox vbi populo benedixit, alas aquila cum mirabili tripudio eleuabat, & frequentibus motibus aera concitabat, quaſi per hoc ſuo modo benediceret creatorem.

Neque vero ſolus Frat. Ioannes hoc tempore, ſacro hoc concionandi, ac pacificandi munere floruit, ſed multi etiam alii ex his familiis in aliis ciuitatibus extiterunt, qui labentes populos ſuſtinerent, erranteſq; ad pœnitentiam ingentibus atq; aſſiduis clamoribus reuocarent. Siquidem non deerat grauis materia popularium actionum, ſc. nouæ populorum diſſenſiones; inaudita factionum certamina; corrupta in omni genere vetus Chriſtiani nominis diſciplina; quæ indiſertiſſimũ quemq; eloquentiſſimum reddidiſſent: præſertim vero cum hæc Deo ipſi improbari, ſignis manifeſtiſſimis è cœlo editis appareret, quibus ſuſpenſæ mortalium omnium merito mentes erant. Satis enim cunctorum opinione conſtabat, terræmotus, diluuia, peſtilentiam, penuriamque in Lombardia, nulla vnquam ætate grauiora fuiſſe, ex quibus nihil aliud peti declarabatur, quam pœnitentiam hominum, & emendationem peccatorum. Quare cum hæc homines religioſi, mortalium auribus, ſingulari dicendi grauitate ac copia identidem intonarent, facile eos conuertebant ad vota ſuppliciter facienda, pro Diuini Numinis ira concilianda. Itaque eorum etiam vocibus matutinis & pomeridianis plurimi incitati, atque tacita quadam religione perfuſi, in vrbibus, caſtris, agriſque omnium ætatum, ſexuum, ordinumque homines laudes diuinas per vias incedentes canebant, ac gratias Deo agebant, Cruces & vexilla proferentes ac ramos & cereos accenſos tenentes, ex quo hic annus vulgo Generalis deuotionis annus eſt appellatus, atque ab hoc initio, cum ſacræ laicorũ ſodalitates ad diuinas laudes celebrandas inſtitutæ, tum ad pacificandas ciuitates nouus militum ordo, qui ſanctæ Mariæ glorioſæ vocati ſunt, factus:

auctore

auctore Fratre Bartholomæo Vincentino Prædicatorii instituti, qui postea ad Episcopatum Vicentinum ascendit.

Mediolani plurimis hæreticis indies magis furentibus, Frater Petrus Veronensis, qui postea Sanctus Petrus nouus Martyr appellatus est, eo accessit, Inquisitionis auctoritatem adeptus; ac cum multas conciones vtiles in maximo concursu populi habuit, tum plurima contra hæreticos decreta seueriora stabiliuit. Mutinæ autem Frater Gerardus Rangonus Ordinis Minorum, & aliquando socius Sancti Francisci, ciues pariter inter se capitali odio dissidentes reconciliauit, atq; omnes quacumq; de causa public exulantes, reducẽdos curauit. Vir fuit tanta prudentia, vt proterea à Parmensibus Prætor ascitus, & dominatu ciuitatis fuerit affectus: tanta sanctitate, vt post mortem multa signa ediderit.

XI. *Bern. Luxemburgensis in Catalogo hæretic.* DEFVNCTVS HÆRETICVS EXHVMATVR ET EXVRITVR.

Hoc Anno in Italia, Germania, & Galliis, ab hæreticis non omnia pura. In agro Brixiensi, ante aliquot annos quidam hæreticorum vixerat, tanta vitæ integritate & asperitate, vt viuentem Ioannis Baptistæ in locum successisse affirmarent, & mortuum summa veneratione prosequerentur. Non diu tamen passus est Deus simplicitatem errantium seduci, aut fidem orthodoxam irrideri. Nam Fidei Inquisitor, à testimonio fidelium doctus, illum hæresi infamatum, extra communionem credentium defunctũ diem obiisse, consulente Episcopo cadauer illius exhumandum, & igni tradendum esse decreuerat. Mirum tunc accidit. Cum enim populo circumstante ossa seminuda hæretici illius in ignem essent coniecta, affuere dæmones, & exigne illa rapientes, in aere suspensa tenuêre, inq; admirationem vniuersos pertraxêre. Pene titubabat Episcopus, maxime cum aliqui accusarent, adeoq; cum suis necãdum clamitarent, quod virum tantum exurere præsumpsisset. Cæterum Episcopus suggerente Inquisitore, Sacrum de Diua Deipara celebrauit, & hoc miraculum in testimonium fidei orthodoxæ Deus fecit. Cum enim ille sanctam hostiam eleuasset, dæmones in aere exclamarunt: O Guido de Lacha, te hucusque quantum potuimus defendimus: sed cum maior nobis adsit, amplius nec possumus, nec debemus. Moxque ossa in ignem cadentia exusta sunt.

XII. Apud Vmbros quoque cum Regni Interamnates Castelli, hæreticorum complures in castro Mirande non tantum reciperent, verumetiam tuerentur: Honor. Pont. anathemate eos percussit, atque bonis omnibus priuos fecit.

XIII. CONDORMIENTES HÆRETICI IN GERMANIA VT NOSTRI ANABAPTISTÆ *ep. 179. dat. Later. 3. Id. Iun. ep. 311. Ann. 12. Cal. Nouem & 346. Anag. 2. Calen. Nouemb. ep. 186. & 388. & 471. inter epist. Gregor. ep. 243. ep. 4. Later. 3. Cal. Maii.*

In Germania Condormientium hæreticorum species pullulabant; qui præ nimio amore noui Euangelii viros & fœminas, iuuenes ac virgines vno in loco concludentes, nocturnam quietem promiscuis congressibus & peccatis enormibus conturbabant, adeoq; fœdissima obscœnitate sexum & ætatem contaminabant, vt Gregor. Pont. necesse habuerit Frider. exhortari, ne tantam Dei iniuriam sustineret, sed ad eos perfidos extinguendos, sese, vt veri Dei cultorem & zelatorem decebat accingeret. In eandem rem Archiepisc. Mogunt. Episcopo Hildesemensi, & F. Conrado Ord. Præd. Prouinciali Teutoniæ scripsit, monuitq; vt in profanos illos consurgerent, & ad eos extirpandos, omnes fideles Christianos excitarent. Sane Greg. grauissimas pœnas in eos constituit, & Fridericus Imper. multa supplicia in eosdem sanxit: vt vel saltem metu seueritatis Ecclesiasticæ & ciuilis ab impudentia deterrerentur.

In Galliis quoq; reliqui Tolosanorum Albigensium q; hæresi omnia contaminabant, & super alia castra, villam Charitatens. infecerant. Præcepit F. Roberto Ord. Præd. Greg. vt ad eradicandos illos perfidos sese accingeret, & operam auxiliumque Regis Ludou. imploraret.

XIV. BOSNÆ DVX PER FF. PRÆD. CVM FILIO CONVERSVS. *ep. 293. & 294.*

Apud Bosnam Prouinciã Hungariæ, lætiora. Dux enim regionis illius Nicoslaus, opera FF. Præd. per id temporis hæresim eiurauerat, & in fide orthodoxa se perseueraturum sancte spopõderat, dato filio obside in manus eorundem Præd. cui vehementius metuebat, ne à Rege Hungariæ feudi iure exueretur. Consuetudo enim Regni obtinuerat, vt Rex Hungar. eiusmodi iura hæreticis abrogaret, & recens ad fidem conuersis pro voluntate sua cõcederet. Cum autem Nicoslaus multis argumẽtis fidem suam Ecclesiæ probasset, scripsit Gregor. Regi quidem, vt ex ea laudata consuetudine benignæ se erga Ducem atq; filium in feudo cõcedendo seu conseruando haberet. Fratribus autem Præd. vt filium eius obsidem patri restituerent, cum de eius fide nulla dubitatio amplius remaneret. Vtriusque deinde literas Anagniæ VI. Id. Octob.

In Italia quoq; nõ infeliciter cessit Greg. & Frider. conuersio Saracenor. Plurimi eorum in Prouincia Capitanatæ Nuceriam incolebant, & idioma Italicum non mediocriter callebant. Interesserat Frider. Imp. apud Gregor. vt ad eos instruendos, Fratres Præd. authoritate sedis Apost. destinaret. Misit ille quamplurimos, & tum eos vt benigne Frid. haberet commendauit, tum vt is Saracenos ad eos audiendos cõpelleret admonuit. Hi itaq; cum primum Nuceriam appulissent, sancto lumine mentem illorum gentilium illustrarunt, & errore extirpato fidem Christianam non tantum apud illos, sed & alios circumuicinos in Apulia & in Regno Siciliæ Saracenos propagarunt. Quod cum Frider. Imper. Gregorio Pontifici renuntiasset, summa illum affecit lætitia, datis literis apud Buterras III. Decemb.

XV. IN ITALIA CONVERSI SARACENI PER FF. PRÆDICI *epist. 310. Anag. 6. Cal. Sept.*

Neq; segnius in conuertendis Pruthenis, iidem FF. Prædicatores militibus Theutonicis collaborarunt. Eam enim prouinciam Sanctus Hyacinthus peruagatus, splendore doctrinæ, sanctitatis & miraculorum collustrauit, coloniasq; religionis non ita pridem institutæ, Gedanum, Culmam, Caminum, Montemregium, & alia in loca inuexit. Prædicandi Euangelii causa, cum forte ad eam Prouinciam se conferret, ac propterea ad Vandalum flumen, Vissogradum Masouiæ Vrbem, redundantibus aquis præterfluens, aliquando peruenisset: nullo nauclero, nulloque nauigio quo transamnem veheretur ad illius ripas conspecto, Diuina ope implorata, & Crucis signo communitus, comites ad iter per medios fluctus alacriter prosequendum, hortari hunc in modum cœpit: Eia, inquit, Filii. Sequimini vestigia mea in nomine Christi. Quo dicto, statim in flumen siccis vestigiis se immisit. Verum sociis, præeuntem illum sequi metuentibus, extenso pallio aquam tegens: Agite, inquit Filii charissimi. Sit iste nobis pons Iesu Christi, per quem in nomine eius transeamus. Itaque flumen illud altissimum simul ac rapidissimum, vna cum sociis incolumis traiecit.

XVI. CVM THEVTONICIS MILITIBVS IIDEM CONVERTVNT PRVTHENOS.

Dum autem Gregor. Pont. alibi idololatriam, alibi hæreses extirparet, Dux Veneziarum Iacob. Thepolus, plurimis ex senatu & nobilitate in sententiam suam pertractis, multa contra libertatem Ecclesiasticam edixerat, auctorq; fuerat, vt res & personæ Ecclesiasticæ non minimis iniuriis afficerentur. Non potuit Gregor. Pontifex Duci & Communitati istam præfractam animi impotẽtiam non exprobrare, eumque atq; singulos & vniuersos adhortari, vt admissa contra Ecclesias & personas sacris addictas emendarent, neue permitterent in suo dominio libertates Ecclesiasticas aut imminui, aut violari. Cæterum si vel ille, vel illi alii eo siue iubente, siue adeo conniuente præsumerent, Episcopo Vicentino, & Prioribus de Monte Crucis & de Monte Silicis committebat Gregorius, vt in facta diligentius inquirerent; & quicquid alicui vel aliquibus iniuriarum illatum esse intellexissent, sedi Apostolicæ renunciarent: à qua ille & illi, si non emendassent, vindictam Ecclesiasticam expectarent. Dedit eas literas Gregorius Laterani secundo Nonas Maii.

S. HYACINTHVS CVM SOCIIS FLVMEN TRANSIT MIRACVLOSE. *In Bulla Canonizationis à Clemente Michou. lib. 3. c. 32.*

XVII. GREGOR. IX. VENETOS OB VIOLATAM ECCLESIASTICAM LIBERTATEM REDARGVIT. *epist. 91.*

Egit præter hæc & alia authoritate Pontificia non indigna Gregor. 1. S. Ludouico Regi Galliarum, vt Margaritam filiam Comitis Prouinciæ sibi quarto cõsanguinitatis gradu propinquã, in matrimonium collocaret, indulsit. 2. Eidem & Blãchæ matri Reginæ, ne quispiam, excepto Rom. Pontif. capellas Regias interdicto Ecclesiastico supponere posset, concessit. 3. Inter eundem & Henricum Angliæ Regem, vt pacem componerent, authoritatem suam interposuit, inducias q; fieri voluit, vt Episcopi vltro citroq; intercurrerent, quo concordiam inter eosdem stabilirent, cui rei perficiendæ, Archiepiscopum Senonensem, & Episcopos Parisiensem, Vintonien sem, Oxonien sem, Sarisberien semq; cum plenaria potestate destinauit: qui vtrumq; regẽ ad pacem hortarentur, & quicquid siue sperarent, siue effecissent, sedi Apostolicæ nunciarẽt. Scripsit ea de re Anglo quidem secundo Idus Febr. Laterani: S. Ludouico autem 2. Id. Maii: Prælatis vero vtriusq; Regni secundo Id. Febr. Cæterum cum Reginæ Cypriæ super natalibus ipsius controuersia coram Ecclesiasticis iudicibus ventilata, nec dum plene cognita esset. 4. Obsecrauit Ludouicum Greg. ne lite pendente eam consilio vel auxilio contra Comitem Campaniæ collitigatorem adiuuaret: sed interim sententiam diffinitiuam expectare iuberet. 5. Henrico Anglorum Regi, vt iustitiarium Regni è vinculis liberaret, rationesq; administratæ dignitatis paratum reddere audiret, atque ad gratiam regiam admitteret, admonuit: eidemq; recens electum Cantuarien s. eiusq; Ecclesiam commendauit. 6. Ad preces Ferdinandi Castellæ & Legionis Regis, vt Fr. Tho. Apostolicus Cubicularius, Magistrum militiæ S. Iacob. vsurpatorem castri Toraf, ad sedem Apostolicam pertinentis, à censuris Ecclesiasticis absolueret, conceſſit. 7. Petro infanti Portugaliæ & Regi Maioricarum, vt Clerici fœcularesad prædicandum Dei verbum, vel ad ministranda sacramenta in insulam Maioricam transeuntes, quamdiu ibi Ecclesiis subseruirent, possent plene gaudere fructib. Ecclesiarum suarum, ac si in ijsd. residerent; distributionibus duntaxat quotidianis exceptis, ad totos tres annos permisit. 8. Archidiacono Bononien si, Priori S. Marię de Reno, & F. Palmerio Canonico de Campagniola, vt in vitam & miracula D. Dominici Prædicatorum Conditoris, inquirerent, commisit. 9. Sanctum Virgilium Saltzburgen sem Archiepiscopum in album Ecclesiæ scripsit. 10. Quibusdam, vt in res gestas & miracula Dien sis Episcopi vestigarent, potestatem fecit. 11. Miramolino in Africa, Christi fideles, atque fidem Christianam commendauit. 12. Ne Iudæi Christianis cohabitarent, constitutionem sanxit. 13. Ne filii hæreticorum, in bona paterna, vel materna succederent constituit. 14. Episcopatum Pomezanen sem in Prussia erexit. 15. Fridericum Imp. ad subueniendum Terræ sanctæ hortatus est.

XVIII. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI GREGORII NONI. *2. ep. 441. Later. 4. Non. Ian. 2. p. 432. & 433. ibid. & die eod. 3. ep. 545. & 207.*

XIX. VOCATIO TANCREDI VNIVS EX PROCER. FRID. II. PRÆDICATOR FIT PER B. VIRGINIS VISIONEM.

Per hæc tempora, in Ordine Præd. florebat Tancredus, magna sanctitate vitæ illustris. Is in sæculo inter Friderici Imperatoris Palatinos non postremus, cum genus vitæ quod ducebat secum expenderet, & beatam Deiparẽtem, vt se in viam salutis dirigeret, deprecaretur, secũdum somnium apparuit illa Diua, dicens: *Ad meam familiam cito accede.* Expergefactus, cum seriem somnii non intelligeret, & Reginam cœli interim precaretur, iterum obdormiscenti, duo viri Prædicatoria toga induti, in somnis apparuere: ex quib. senior: En, inquit, à Beata Deipara desideras in viam salutis dirigi. Ad nostros itaq; declina, & saluti tuæ consulueris. Secundo excitatus, cum ad Missam audiendam iret, obuium habuit Richardum Bononien sis cœnobij Præfectum, cum socio exeũtem. Hunc cum num quam antea vidisset, & somnii circumstantias expenderet, obstupuit, & ex effigie, illum ei similem quem per quietem viderat esse cognouit. Igitur reb. suis consulens, vestimenta sanctę conuersationis accepit & nobilitatem generis, nobilitate instituti, atq; vinendi sanctimonia illustrauit.

XX. ITEM CONRADVS F. GERMANVS TANCREDI.

Par huic Conradus secundus gente & moribus Germanus, germanus eiusd. religionis frater. Plurimos ille labores pro Christo in peccatorib. conuertendis susceptit, & fœliciter consummauit. Cum autem Magdeburgi in extremam ægritudinem incidisset, & fratres super agonizantem Psalmos graduales recitarent, ad versum illum 131. Psalmi. Hęc requies mea in sæculum sæculi, Iesum sibi apparentem, digito in cœlum protenso indicauit, atq; ore iucundo & facie serena spiritum efflauit. Ex mortui corpore tantus odor diffusus fuit, vt pro more illud lauantibus, mira fragrantia per multos dies inhæserit.

XXI. VICTORIÆ HISPANORVM REGVM ET VENETOR. DE GRÆCIS ET MAVRIS HENRICVS FILIVS FRIDER. SPONDET ROM. PONT. OBEDIENTIAM.

Hoc Anno, Ferdinandus Dux Flandriæ, postquam mundo valedicens, sanctioris vitæ gratia in Monasterio quodã Syriæ sese concluisset, ex hoc mundo excessit. Ferdinand. Castellæ, Iacob. Aragonum, Sancius & Theobaldus Nauarræi Reges, insignem victoriam de Mauris: Venetiautem de Græcis Constantinopolim obsidentibus retulere. Henricus sextus Friderici Imperatoris filius, Augustæ Vindelicorum Comitio ad quartum Idus Aprilis celebrato, se in potestate Pontificis Romani futurum, iuramento coram Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus præstito, spopondit.

XXII. *epist. 390.*

Gregorius Pontifex Principi Achaiæ, vt in locis Ecclesiastico interdicto suppositis, sacris interesse posset, concessit, datis ad eum literis Laterani 4. Idus Decemb.

XXIII. In Lombardia gelu omnia adeo riguerunt, vt à faucibus Padanis, vsque Cremonam per glaciem Pado flumine onustissima plaustra commearent, & vina etiam generosissima in doliis gelarent. Vude non modicum hoc anno à fame laboratum. Nam etiam molæ gelu impeditę cessabant, vites ac reliquæ arbores frigore adustæ, homines in lecto rigentes inuenti.

HYEMS PRODIGIOSE FRIGIDA. *Chronica Bissiana.*

XXIV. PAROCHOR. COLONIEN. QVERELA IN PRÆDICATORES REFVTATVR.

Per id temporis Conrado Cardinali, Gregorii Pontificis in Germania Legato, aliqui Sacerdotes Parœciis præpositi, contra Fr. Ord. Præd. & minorum conquesti sunt, quasi illi in messem alienam mitterent falcem, & tum concionibus faciendis, tum confessionib. excipiendis, iuri Ecclesiarum præiudicarent. Conuicit vnum eorum nimiæ temeritatis, inquirens Legatus; Quot animarum curam haberet. Cumque Parochus, nouem millia nume rasset; Conradus in stuporem versus, signo Crucis sibi impresso. Et quis tu es miser, inquit, qui tot millibus, solus sufficias, ad ea quę sunt salutis ministranda? Nescis hominum perditissime, quam in tremendo Dei iudicio ante Christi tribunal debes rationem pro iis omnibus reddere? An potius, non eis summas gratias habere te pareſt, qui tibi vicariam operam in pascẽdis recreandisq; animab. gratis prestant? Dixit Legatus, homine m ingratum ineptumq; gradu mouit, Priuilegiaq; iis Ordinib. ab Innocentio III. Honorio III. & Gregor. IX. hactenus concessa, apud omnes diuulgauit. *Thomas Cantipratan. lib. 1. c. 9.*

XXV. VARIA PORTENTA ET PRODIGIA.

Hac tempestate multa prodigia futuras calamitates portenderunt. Magna pestis in homines pecudesque inxta debacchata est. Vniuersa flumina gelu constiterunt acuto, vernoque demum calore soluta, casas, horrea, pontes, mœnia, arbores subuerterunt. In Rathstadio oppido in Alpib. Noricis, quas Taurum incola vocat, infans cornutus natus est: vagitus eius atque ploratus, quatuordecim ante dies quam ederetur auditus. In agro Fruxinen sium meridiem versus murium agrestium ingẽs vis, examen subito natum messes populatur, segetes, herbas, fœnum radicitus depascitur, inde fugatis accolis exec ratum locum mutare, auitos lares deserere agricolæ coacti sunt. Tertio Nonas Iulii, *Sol* interuentu Lunæ duas horas continenter occultatus est. Luna sex angulis, versus Orientem protensis visa est. Pridie quoque Nonas Octobr. rursus Solis radios Luna interpositu suo auferente terræ, meridie, stellæ quasi noctu colluxere. Pleraque alia huiusce modi prodigia, in annales fastosque relata sunt. Factiones, fraudes, scelera, cædes, bella ciuilia, quib. omnia diuina humana commixta, Respublica Christiana discordiæ malis confusa, prædæ paucorum libidini facta est, consequuta sunt. *Annal. Boiorum.*

XXVI. GVIDO ORDIN. MINORVM FLORET ET MORITVR.

In Etruria floruit tunc temporis etiam Sanctus Guido Confessor, Ordinis Minorum. Is Gortonæ in Hetruria piis parentibus natus, à pueritia pietatem & castitatem coluit. Cum aliquando Sanctus Francisc. in eam ciuitatem venisset, sic eius prædicatione commotus est, vt omnibus relictis in illius societatem ascribi voluerit, seque in locum solitarium, qui Celle dicitur, receperit: vbi humili domicilio ex piorum elecmosynis extructo, cum aliquot aliis in ieiuniis, orationibus, aliisque piis exercitationibus vitam duxit. Sacris ordinibus initiatus Assisii Prædicationis officium à B. Francisco sibi iniunctum exercere cœpit. Postmodum in Ciuitate Cortonensi, doctrina, sanctitate, atq; miraculis claruit: quoad sexagenarius die mortis triduo ante præuiso, sacris munitus migrasset ad Christum, magno populi concursu ibidem tumulatus. Cum autem Aretinis Cortonam inuadentibus & diripientibus, Sacrista caput Beati Guidonis linteo inuolutum, in puteum occultandi gratia demisisset, triennio post, cum ciuitas, & Ecclesiæ ab Aretinis vastatæ reficerentur, ingens è puteo illo splendor egrediebatur. Ifiud cum toto triduo perdurauisset, Clerũ & populum ad inquirẽdum quid hoc esset, excitauit. Quare indicta solemni processione, ad puteum accedentes, atque aquam haurientes, cum illa caput Guidonis inuolutum minime madefactum, cum scripto sui nominis extraxerunt. Eius officium Ecclesiasticum Gregorii XIIII. Pont. Max. concessu recitatur.

Chron. Minor.

IESV CHRISTI
Annus 1234.

GREGORII PAP. IX. FRIDERICI II. BALDVINI II.
Annus 8. IMP. secundò 5. IMP. Orient. 6.

I. GREGOR. IX. SANCTORVM ALBO S. DOMINICVM INSCRIBIT. a epist. 142.

TERTIO Idus Iulij, Gregorius Summus Pontifex fama miraculorum Diui Dominici Conditoris Prædicatorum excitatus, præmissa ex more inquisitione, eum Albo Sanctorum adscripsit, inque huius rei testimonium, has quæ sequuntur dedit, dignæ quæ pro tanti Patriarchæ gloria ab omnibus legantur. Ita habent.

a *Gregorius Episcopus Seruus seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus & Prioribus, Archidiaconis, Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ peruenerint: salutem & Apostolicam benedictionem. Fons Sapientiæ Patris Dominus noster IESVS Christus, cuius natura bonitas, opus misericordia: redimens & renouans quos creauit, qui vineam quam de Aegypto transtulit vsque ad consummationem sæculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innouat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat, dum in Ecclesiæ nascentis exordio post obitum Moysi videlicet finem legis, ascensurus equos in Euangeliorum quadrigis, quæ vere sunt sanitas arcu sacri eloquii, quem donec Iudæus infirmetur intenderat, & iuramentis quæ in Patribus nobis disposuerat suscitatis confidentiam Hiericho, gloriam mundi quem prædicationis fremitu obstupefactis gentibus vicerat calcaturus viam equis suis in mari faceret, & in Rahab salutem latitudinis gentium signo coccineo figurarent. In prima quadrigarum quatuor egredientium in Zacharia de medio duorum montium æreorum protulit equos rufos populorum Principes fortes terræ, qui per obedientiam fidei DEO Abraham Patris credentium in fundamentum noui fœderis adhærentes, ad ducis instar, tinctis de Bosra, id est, tribulationis angustia vestibus cuncta suæ signa militiæ rubricarunt, vt pro futuræ gloriæ gaudio præsentem gladium non timentes effecti martyres, id est, testes nouæ legis libro confessionis voce subscriberent, & forinsecus miraculorum signis ad stipulationum robur appositis, librum & tabernaculum quod Deus & non homo fixit, ac Euangelicæ vasa mysterii non brutorum, sed rationabilium hostiarum sanguine tingeret, & in vniuersam spaciosi maris faciem sagenæ prædicationis expansa multiplicatam super numerum de cunctis quæ sub cœlo sunt nationibus Ecclesiam congregarent. Sed quia præsumptio multitudinem & malitia subsecuta est libertatem, in quadriga secunda sub colore qui lugentibus ac pœnitentibus congruit, equestrem cuneum deputauit, qui ad claustrale desertum ductus per spiritum sub noui Israelis auriga sanctissimo Benedicto velut sub altero Heliseo filii prophetarum communis vitæ bonum occasione multitudinis perditum in iocundæ cohabitationis grata societate restituit, & sic vnitas scissum rete restituens ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, vnde omne malum panditur proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros viuis & contritis corde quiescere, qui dedignantur in corpore subdito peccatis habitare. Post quos quasi lapsum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, Fratribus Cisterciensis ordinis & Florensis, velut tonsarum greges geminæ charitatis fœtib. vberes de pœnitentiæ lauacro fecit ascendere, Sancto Bernardo ariete ouium in virtute Spiritus qua ex alto indutus extitit, & in abundantia frumēti vallium præeunte, vt transeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant castra Dei exercituum super mare. Noto igitur Israele his tribus agminibus turmis totidem quas Philistiim fecerant occurrente hora vndecima cum dies iam declinasset ad vesperum, & propter iniquitatis abundantiam charitate plurimum frigescente vergeret iustitiæ radius ad occasum: quia vineam ad quam Paterfamilias operarios diuersis temporib. denarii conductos conuentione præmiserat, & quam sua dextra plantarat, non solum vitiorum vepres & spinæ peruaserat, sed iam propemodum vulpeculæ demolientes conuertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant aduersus infestissimam multitudinem militiam aduunare voluit promptiorem, & sicut in præsentiarum cernimus post trium signis differentium tyrocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios & robustos Prædicatorum & Minorum Fratrum agmina cum electis Ducib. simul in prælium directurus Spiritum Sancti Dominici suscitauit, & ei velut equo suæ gloriæ præbens fidei fortitudinem & feruorem Diuinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo eius. Qui gerens à pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens viuere, vitæ requisiuit auctorem: & DEO dedicatus, ac in Nazareum sub Beati AVGVSTINI Regula consecratus sedulum circa Sancti SAMVELIS imitatus obsequium, in castigatione desiderii piissimum Danielis continuauit affectum: Iustitiæ semitas & Sanctorum vias strenuus athleta custodiens, & vel ad momentum de tabernaculo DOMINI de militantis Ecclesiæ magisterio ac ministerio non discedens carnem spiritui & sensualitatem subiiciens rationi, & factus vnus cum DEO spiritus totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & sobriæ compassionis studiis à charitate proximi non recessit: quo sagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultauit. Aetate crescente creuit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum ad eloquia dedit animum, & per Euangelium CHRISTI multos generans in conuersione tam strenuæ multitudinis Euangelicæ dignitatis officium profitentis nomen & opus in terra meruit obtinere maiorum: Pastor & Dux inclytus in populo DEI factus, nouum Prædicatorum Ordinem instituit meritis, ordinauit exemplis, nec miraculis confirmare desiit euidentibus & probatis. Nam inter opera sanctitatis & signa virtutis quibus in carne positus claruit diuersorum curatis languoribus, loquelam mutis, visum cæcis, surdis auditum, gressum paralyticis, & sanitate pristina multarum generibus inualetudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in eiusdem sanctissimi gleba corporis habitauit. Cum igitur ex multa familiaritate quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides: Nos cum commisso nobis grege Domini confidentes eius posse suffragiis per DEI misericordiam adiuuari, vt cuius in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, eius in cœlis potenti patrocinio gaudeamus: ipsum de Fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium tunc apud Sedem Apostolicam consistentium Prælatorum, Catalogo Sanctorum ascribere decreuimus: statuentes firmiter, ac vniuersitati vestræ præsentibus iniungentes, vt Nonis Augusti ante diem quo posita carnis sarcina diues meritis penetrauit in sancta similis sanctorum factus in gloria, eius natalitia celebretis & faciatis solemniter celebrari: quatenus eius precibus Deus quem viuens coluit exoratus gratiam in præsenti sæculo, & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos vero tanti Confessoris venerabilem sepulturam, quæ miraculorum fulgoribus Generalem illustrat Ecclesiam cupientes dignis Christianæ deuotionis honorib. frequentari, vere pœnitentibus & confessis illam in festiuitate præfata annis singulis cum deuotione ac reuerentia debita visitantibus, de Omnipotentis misericordia, & BB. Petri & Pauli Apost. eius auctoritate confisi, annum vnum de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Reate lib. 3. Idib. Iul. Pont. nostri anno 8.*

II. b *Flamin. in vita S. Dom.* MIRACVLA D. DOMIN. CANONIZATIONEM SVBSECVTA.

Eam b Diui Dominici apotheosim, quemadmodum & mortem subsecuta sunt ingentia miracula. Namque in remotissimis etiam Prouincijs, ad quas vel nominis Diui Confessoris notitia penetrauerat, vel aliquanta reliquiarum illius particula fuerat, muti loquelam, surdi auditum, cæci visum, contracti robur, ægrientes sanitatem, intermortui denique vitam receperunt, & quod longe præstantius, meliorem vitam plurimi ab inuocatione & ope illius siue inchoarunt, siue conseruarunt. Vnicum narrabo. Iuuenis quidam deliciis innutritus, recenter fuerat in Ordinē Prædicat. admissus. Paucis post diebus indoluit, quod prioris vitæ iucunditatem reliquisset, & austeritatem monasticæ amplexus esset. Magna tamen veneratione & cultu præcipuo Diuum Dominicum coluit, & die simul ac nocte aram illius frequentauit: licet in momenta acerrime vrgeretur, vt ad sæcularis vitæ molliciem reuerteretur. Decreuit tandem non amplius sustinere, sed ad sæculum remeare. Noctem itaque vnam, qua sine arbitris egrederetur, elegit: clauesque Ecclesiæ furtim surripiens, iam ire perrexit: prius tamen ad Christi Cruci affixi imaginem, & ad Diui Dominici alteram, quasi veniam abeundi postulaturus, accessit. Cum autem orasset, & ad ianuam Ecclesiæ perrexisset, Christi effigiem quam modo adorauerat, ante ianuam prostantem, & cœnobitam nescio quem sequentem se vidit. Plenus admirationis retrocessit, & in suum locū Christi imaginem esse restitutam cernens, se falsis imaginib. delusum existimauit: iterumque ad ianuam Ecclesiæ reuertit. Sed eandem ibi effigiem, ac sequentem se cœnobitam obstupescens, aspexit. Pertinax tamen in sententia sub Christi brachiū sese submittens egredi voluit. Sed id brachium,

imagi-

imaginis in ianua prostantis, diuinitus de cruce auulsum, grauem pertinaci colaphum incussit, ex quo iuuenis diuinam voluntatē intelligēs, ne initam nuper vitam relinqueret, in Monasterio non tantū permansit, sed & sanctè vixit.

III. CONCILIVM ROMÆ CELEBRAT GREGOR. PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM.

Eodem anno Gregorius Pontifex recuperationi Terræ Sanctæ intentus, Concilium Romæ celebrauit. Intererant, cum Imperatore Friderico & Archiepiscopis atq; Episcopis, Patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus & Hierosolymitanus: Ex omnium iudicio, decreta est expeditio generalis, ad subueniendum rebus Syriacis. Huic sacro negotio præpositus fuit Theodoricus Archiepiscopus Rauennas, cum potestate Legati de Latere, quem vt omnes debito honore prosequerentur, & in rebus agendis illi obtemperarent, ex sententia Concilii Gregorius omnib. Archiepiscopis & Episcopis in regno Hierosolymitano scripsit, Spoleti VI. Aug. Fridericus autem Imp. vniuersis Baronibus militibus & populo præcepit, datis Reate literis anno Dominicæ Incarnat. 1234. mense Aug. Indict. 7. Concessit tunc Gregorius Theodorico, & subiunctis illi Episcopis, vt omnis pœnæ peccatis debitæ remissionem iis authoritate Pontificia indulgerēt, qui in Hierosolymitanam expeditionem aut ipsi exirent, aut pecuniam militesve submitterēt. Iniunxitq; Episcopis, vt Cruce insignire eos possent, qui in eo sacro bello militaturi accederent. Adhæc renouauit execrationem Concilii Lateranensis, in eos qui ad Sarracenos ferrum efferrent, datis literis Theodorico Archiepiscopo VI. Id. Nouembr. Perusii, quo se Gregorius contulerat, vt exules compesceret.

IV. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI GREGORII NONI. 1. *epist.* 244. 2. *epist.* 202. 3. *epist.* 43. & 101. 4. *epist.* 423. 5. *epist.* 232. 6. *epist.* 21. 7. *epist.* 194. 8. *epist.* 167. 9. *epist.* 451. 10. *ep.* 288. & 229.

Item eodem anno Gregorius. 1. Inquisitionem vitæ & miraculorum S. Helizabethæ quibusdam Prælatis iniunxit. 2. contra hæreticos plurimas sanctiones constituit. 3. Fratribus S. Helenæ diœcesis Castellanæ, & Monialibus Cæsaraugustanis Regulam viuendi præscripsit. 4. Religionem S. Mariæ sub titulo redemptionis captiuorum à Iacobo Rege Aragonum & D. Raymundo Ord. Prædic. recens institutam, priuilegiis roborauit & auxit. 5. Neophytos Pruthenos in tutelam Sedis Apostol. recepit: vtq; militibus Theutonicis in rebus ad fidem spectantibus obtemperarent, præcepit. 6. Regem Galliarum, vt Iudæos iuxta legem suam viuere permitterent Christiani, admonuit. 7. Ne possessiones & prædia Ecclesię Romanæ alienarentur, constituit. 8. Senatorem & Consiliarios Romanos, quod apud Montem altū turrim quamdam ædificare præsumpsissent, à cætu piorum segregauit. 9. Ab Henrico Rege Angliæ, pro libertatibus Ecclesiarum priuilegium accepit. 10. Militibus Theutonicorum in Prussia fidem Christianam propagantibus priuilegia multa cōcessit, eosq; Conrado Massouiæ Duci commendauit, & in clientelam D. Petri ascripsit.

V. 11. *epist.* 385. CRVCESIGNATI MILITIÆ CHRISTI IESV IN HÆRET. FLORENT. PVGNANT ET VINCVNT. a *Flamin. in vita S. Petri Mart. Ord. Præd.*

11. Etiam Crucesignatos militiæ Iesu Christi, ad strenue pugnādum contra hæreticos animauit, eamq; operā in extirpandis hæreticis non frustra nauauit. a Erat Florentię nō paruus numerus illorum, qui Deum nō esse creatorem visibilium asserebāt. Hos D. Petrus Veronensis magnus sanctę fidei propugnator, modis quibus poterat persequebatur, exagitabat, ac delere studebat. In illos igitur, auctoritate Greg. Pont. Christi fidelium multitudinem concitauit, & nobili Rubeorum familiæ, cui præcipue negotium hoc demandatū fuit, vexillum Cruce insignitum dedit: quod ad præclarum certamen ituri Christiani sequerētur. Collecta itaq; ingenti multitudine armatorum, itum aduersus hęreticos est, & orto acri certamine citra Arnū, in loco, qui puteus aquæ dicebatur, vltra fluuium illos profligarunt, & in platea S. Felicitatis prostrauerunt, reliquos a. ex vrbe fugauerunt. A recenti victoria D. Petrus collegium militiæ Iesu Christi apud Florentinos instituit, & Sacrosanctum illud vexillū ei pro magno munere reliquit: quod hactenus Florentiæ seruatur, & in festiu. eiusdem Diui ostentatur. Ibid. Florētiæ, cum in foro, quod vetus appellant, D. Pet. in magna frequētia populi cōcionaretur, & Satanas forma equi nigerrimi & ferocissimi assumpta, cursu concitatissimo in forum irrumpens, terrore populis incusso, concionem perturbare, & fructum animarū impedire voluisset: ille fraudem maligni agnouit, atque vnico signo Crucis opposito malignantem effugauit. Extat in eodem foro pictura, quæ miraculum: alibi autem in columna eminet Diui statua, quæ victoriam de hæreticis attestatur.

VI. FRIDER. PACEM CVM FOEDERATIS FACTAM PROMITTIT SERVARI. ET GREG. ILLOS ARMAT IN TERRAM SANCTAM. b *inter Gregor. epist.* 47. c *ep.* 90. 91. *& seq. Lateran.* 13. *Cal. Iun.*

Hoc ipso anno 1234. Indict. VII. Gregorius Pontifex, à Friderico Imperatore datas Capuæ mense Aprili b literas publicas accepit, in quibus ille liberrimè profitebatur, spōdebat, & affirmabat, se iudicio Summi Pontificis & Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalium decreto quantum ad conditiones pacis inter ipsum & Rectores Ciuitatum Confœderatarū attineret, velle obtemperare: nihilq; eorum vmquam violare. Ceterum cum Alatinus Iconii Saladinus, Pontificem, periculorum Terræ Sanctæ ab aliis Saracenis imminentium admonuisset, & in pactis constitutū esset, vt Imperator quantas posset copias colligere, in auxilia periclitantium pariter cum Lombardis ciuibus submitteret: suspicio autem vehemens aliquos vrgebat, ne exercitum specie subueniendi rebus Syriacis Imperator in perniciem aliquorum Confœderatorum educeret: ideo Gregorius Pontifex c Duci & Senatui Venetiarum, Rectoribus Ciuitatum Confœderatarum, & in his præcipue, Prætoribus & Consulibus Ferrariensibus, Brixiensibus Mantuanis, voluntatem Imperatoris publicis literis expressam significauit, monuitque vt milites Teutonicos liberè transire permitterent: recepta tamen à Centurionibus & præfectis copiarum iuratoria cautione, quod neque in eundo, neq; in statione, neque alicubi locorum, quemquam aut iniuria, aut damno afficerent. Sin secus facerent, promptum esse, aiebat sibi Gregorius, omnem eam siue contumeliam, siue iniuriam modis omnibus vindicare: maxime, si sub prætextu expeditionis in Terræ Sanctæ subsidium, Imperator aliquem violare auderet. Tanti erat Gregorio negotium Palæstinæ, vt militem satis à se insolentem, & rebus Italiæ dies noctesque inhiantem, intra viscera tamen Italiæ admiserit: nihil magis cogitans, quam vt Terram Christi sanguine irrigatam, Christianis assereret.

VII. d *ep.* 304. *Perus.* 8. *Id. Nouembr.* REGES GALLIÆ, ANGLIÆ, HISPANIÆ, GERMANIÆQVE DVCES VARIOS IN TERRAM SANCTAM EVOCAT GREGOR. e *epist.* 395. *Perus.* 5. *Calend. Decembr.*

Huic rei ex Concilio Romæ per hos dies celebrato d S. Ludouico Galliar. & Henrico Anglor. Regi scripsit, & quidem cum antenatorū vtriusq; erga Rom. Eccles. deuotionem, & in propaganda fide Cath. zelum commemorasset, miseriasq; quibus in vniuersa Syria premerētur Christiani, narrasset, ambos obsecrauit, vt ipsi cū copiis ex Regnis suis collectis, ad designatum ab Eccl. Rom. diem & locum sine omni cunctatione aduenirent, viros Christianæ religionis amātes sese ostenderent. & priuata dissidia publicæ vtilitati & decori postponerent. Neq; n. hactenus in concordiam coierant isti Reges. Quibus conciliandis, Gregor. Pontif. Archiep. Senoniensi, Episc. Parisiensi, Carnotēsi, Syluanectensi, Roffensi, Cācellario Leodiensi, F. Roberto & Priori Parisiensi Ord. FF. Præd. onus imposuit. Vt autem maiora auxilia Crucesignatis, periclitantibus transmitteret, e Regibus Aragonum, Castellæ & Legionis, Nauarræorum, & Boemiæ, Ducibus Austriæ, Saxoniæ, Lorenæ, & Bauariæ, Landgr. Thuringiæ, Marchion. Misniæ & Brandenburgi, atq; reliquis Principibus Imperii & Regnorum Europæorum, Dynastis, in meritum virtutis iniunxit, vt ad defensionem Terræ Sanctæ, vna cum Imperatore properarent.

VIII. HORTATVR LVDOVICVM VT RELIQVIAS ALBIENSIVM IN GALLIIS INSOLENTES REPRIMAT. f *ep.* 66. *Lat.* 6. *Nō. Maii.* g *epist.* 223. *Reat.* 15. *Cal. Iul.*

In Galliis non deerant, qui reliquias Albigensium excitarent, neq; pensi ducerēt illas à Comite Montfortio promulgatas contra hæreticos leges. Quamobrē & Inquisitores, cæterasq; personas ad directionē seu defensionem Fidei Cathol. à Sede Apost. destinatas intolerandis malis opprimebāt, & Tabulas Montfortianas pro extirpādis, hæresibus scriptas conculcabant, & bona, possessiones, castra, cęteraq; peculii Ecclesiastici inuadebant, rapiebāt, vsurpabant. f Monebat itaq; Gregor. S. Ludouicū Regem, vt audaciam grassatorum reprimeret, vtq; aliquem prudentię & iustitiæ laude insignē virum Archiep. Viennēsi adiungeret: q cognoscerēt, quid Ecclesiastici, quid Regii, q̃d reliquorum iuris esset. Blācham quoq; Reginā hortatus est, vt filio persuaderet, ad tam iustum opus perficiendum. Inter eos quos manus rapax in Galliarū regno molestabat, numerabatur Comitis Augii relicta. Quæ cum patrocinium Apostolicæ Sedis implorasset, g Gregor. Pont. Regem Ludouicum admonuit, vt illam, & bona atque castra illius, quæ in Regno Franciæ possidebat, ab iniuriis tueretur.

IX. TORAF DOMINIVM ECCLES. ROM. IN

In Hispaniis castrum erat Toraf, inter propria Ecclesiæ Romanæ. Istud, cum multam occasionem dissidiorum in dies exhiberet, inter Sedem Apostol. & Reges Legionis atque Castellæ: petiit Ferdinand. Rex Gregorium, vt sibi

illud

FEVDVM ACCIPIT FERDINANDVS REX LEG. ET CASTEL a *epist.* 134. *Route 6. Calend. Iul.*

illud iusto aliquo censu in feudum concederet, atque confirmaret. Non abnuit Greg. ea conditione, si Rex scripto publico, Regia manu subscripto, & sigillo regni munito, Dominium Eccl. agnosceret, censum designatum in annos persolueret, & noua aliqua emergere occasione illud ipsũ Eccles. restitueret, militib. S. Iac. nomine Sedis Apostol. custodiendum. Recepit in se ista omnia Ferdinan. & dato diplomate spopondit, decedentib. vel religionem intrantib. vel aliam recompensationem ab eo recipientibus Sancia & Dulcia sororibus, ipsum castrum Toraf Apostolicæ Sedi restituere. Dat. literis 4. Octob. æra 1272.

X. B. AGNES REGIS BOHEM. SOROR S. CLAR. AVSPICIIS MONASTERIVM ERIGIT PRAGÆ IN HONOREM S. FRANCISCI

In Boemia, Venceslaus Præmislai Ottocari Fr. vna cum Cunegunde vxore, non ita pridẽ more regio inũctus, Agneti sorori Pragæ amplissimũ latifundiũ, ad monasterium & Xenodochium ædificandũ, vna cum possessionib. opulentis, in honorẽ D. Fran. cõtulerat, multisq; priuilegiis illud ornauerat. Istud *b* cænobiũ Greg. Pont. in protectionẽ Sedis Apost. recepit, & tam Agneti, q̃ reliquis virginitatem professis sanctimonialib. multa priuilegia cõcessit, eamq; donationẽ, & erectionẽ, & immunitates & gratias, à Rege & Episco. Pragano concessas confirmauit, dato Spoleti diplomate 3. Cal. Sept. Hæc Agnes, Venceslai Boemiæ Regis soror, à Frider. Imp. in matrimoniũ expetita nulla persuasione adduci potuit vt ei coniungeretur, sed virginitatẽ perpetuam Deo consecrauit, inq; sodalitio Vestalium à D. Clara instituto Pragæ habitare perseuerauit. Alienum vero eã animum à Cæsare habuisse, propter summã illius intemperantiã fertur, per quã Deus ab illo proritatus tradiderat illum in cupiditates ignominiæ, ita vt more Regum Ethnicor. greges aleret pellacarum, quarum ipse deuorato omni pudore, velut admissarium agebat manifestum. Contra ipsa Agnes inter sodales virgines, dum non aliud cogitaret, quam vt esset sancta corpore & spiritu, hãc sanctitatis gloriam adhuc superstes emeruit, vt signa & miracula nuper ederet, quæ D. Clara edebat. Porro Greg. Pont. eius cænobij quod Agnes condiderat, curam commiserat Fr. Ioanni Ministro Prouinciæ Saxoniæ, & Fr. Thadeo Custodi in Boemia, datis vtriq; literis 2. Cal. Sept. Spol.

XI. REX HALICIÆ CVM CONIVGE VIRGINE, REM FIDEI PROMOVENTES, ITEM BELA REX HVNGARIÆ. d *ipst.* 252. *& seq.*

In Hungaria res Fidei atq; Eccl. Cath. non neglexit Gregor. Cum. n. Coloman. Rex Haliciæ in conuertendis Slauoniæ hæreticis, debellãdisq; hostib. Christi nominis plurimam operã poneret, *d* eum admonitione sua ad perseuerandum excitauit, & in protectionẽ Sedis Apost. tã ipsum, quam Salomeam virginẽ virginis vxorem (nã vterq; à persuasione S. Hyacinthi voto perpetuæ continentiæ sese deuinxerant) recepit: neve tam ipse, quam Salomea, à quoquam præterquam à Sede Apost. censuris Ecclesiast. afficeretur; & vt vterque in locis interdicto Ecclesiast. subiectis, Diuinis interesse possent, indulsit. dat. Perus. literis 17. & 16. Cal. Nou. Cum. a. F. Prædic. ex Polonia & Hungaria ad conuersionem Cumanorum, vna cum Diu. Hyacintho Odrouansio, & F. Paulo Hungaro excurrentes, magnos profectus Fidei Christianę apud Barbaros illos fecissent, *e* monebat Greg. Pont. Belam Regem Hungariæ, vt ad imitationem maiorum suorum, recens conuersis Cumanis & Episcopo eorum nuperà Sede Apostolica prælato, Ecclesiam aliquam in Episcopalem Cathedram erigendam designaret, ædificaret atq; prouentib. assignatis diuitaret. Cæterũ cum Valachiæ populi, hactenus Episcopo Cumanorũ subiecti, eo contempto, sacramenta à Græcis reciperent, *f* monebat Greg. Belam Regem, ne idipsum permitteret, quoad ipse Episc. Valachis, qui eid. Cumanorum Episcopo obseqũtes essent præficeret. Proinde eid. Belæ Regi in mẽtem renocabat sacramentum, quo se tempore inaugurationis coram Legato Sedis Apostolicę Romanæ obstrinxerat Ecclesiæ, vt populos regimini suo subiectos ad obedientiam Sedis Apostolicæ compelleret, vt omnes & singuli ritibus Græcorum abiectis, Episcopo illi obaudirent, quem authoritate Apostolica Cumanorum Episcop. eis præficeret.

e epist. 282. *Perus. 8. Calen. Nou.*

f ip. 313. *Perus.* 18. *Cal. Decemb.*

XII. SCOTOS AD HOMAGIVM SIBI PRÆSTANDVM VRGET ANGLVS.

Apud Anglos diuturna consuetudo obtinuerat, vt Scotorum Reges & Proceres Regi Anglo iuramentum seu homagium præstarent. Istud cum aliqui Scoti recusarent, Rex autẽ ex vi sacramenti ad illud & præstandum, & ad cõpellendum teneretur, admonuit eum *g* Grego. Pont. ne quippiam contra iusiurandum prætermitteret, neue bellorum inter se & Anglos materiam ministraret. Id vero si negligeret, Archiep. Eboracensi & Episcopo Carleolensi iniunxit, qui per censuras Ecclesiasticas refractarios compellerent.

g ep. 387. *Perus.* 1 *Non. Ian.*

XIII. DEFENDIT ABREGE NORVEGIÆ HAMERENSEM EPISC. ET ECCLESIAM GREGORIVS. *h epist* 256. *Perus. Non. Octobr.*

Noruegiæ Rex, Hamerensem Episcopum & Ecclesiam ipsius sibi designauerat, in quam auaritiam & rapinas exerceret. Nam bona illius inuaserat, & Episcopum ad Sedẽ Apostolicam prouocantem insigni contumelia affecerat. *h* Indoluit Greg. Pontifex, & impium Regẽ pietatis admonuit, vt à persecutione desisteret, & iniuriam passo satisdaret, quæve Ecclesiæ rapuerat, restitueret. Quod si contemneret, Archiepiscopo & Archidiacono Londensi, necnon Abbati Hermadensi potestatem fecit, in refractarium anathema distringendi.

XIV. *i ep.* 11. *Non. April.* INCIDIT IN CANONEM ACVRSIVS QVOD HÆRETICOS ALLOCVTVS FVERAT. *k ep.* 327 9. *Cal. Decem.*

Eod. an. Greg. *i* Priori & FF. Ord. Præd. Pisanis, vt Monialib. S. Cerbonii Lucanæ diœcesis ord. S. Benedicti, habitum ord. Cisterciensis conferrent, iniunxit; & Priori autẽ & Fr. Roberto, & reliquis Fratribus Præd. Parisiensium, ne Acutium filium Aldobrandini Ciuis Florentini, authoritate Apostolica, à censuris Ecclesiasticis, per Fr. Raymundum Peniafortium Sedis Apostolicæ Pœnitentiarium, exsolutum, in quoquam vel molestarent, vel molestari tolerarent, aut iuberent, præcepit. In canonem Acutius inciderat, quod in Galliis agens, hæreticos fuerat allocutus. Sacrum enim tunc censebatur, si quis contra Apostolica instituta, vel vnicum Aue eis edixisset.

XV. F. RAYMVNDVM PRÆD. PÆNITENTIARIVM FACIT GREG. *l Ciacon. in Gregor. 9.* REDIGIT IN VNVM CORPVS DECRETA SVMMORVM PONT. *m extat ep. in principio Decreta. & epist.* 218.

Cæterum Fr. Raymund. de Pennafort Barchinonensis Ordin. Præd. Romæ per id temporis viuebat, scribebat, & Pontificia auctoritate Pœnitentiæ sacro munere fungebatur *l* ab Ioannis Episcopi Cardinalis Sabini Apostolicę Sedis in Aragonia ante aliquot annos Legati fuasu, & iussu Gregorii Pontificis in Vrbem adductus. Is quod iuris Diuini ac humani scientissimus esset, Greg. Pont. Capellani & Pœnitẽtiarii nomine & officio eiimposito, iniunxit, vt Decreta Summorum Pontificum in vnum corpus ad cõmunem omnium vtilitatem redigeret. Perfecit istud opus Fr. Raymundus tanta facilitate & felicitate, vt eo libro titulo Decretalium insignito, Ecclesiæ vniuersa in controuersiis cognoscendis, decernendisq;, tanquam regula certissima & via sit & vtatur, præsertim cum *m* Gregorius Pontif. hoc anno & Bononiensibus, & Parisiensibus, & adeo vniuersis legem siue discentibus, siue scientib. authoritate Apostolica præceperit, vt hac tantum compilatione vterentur in iudiciis & in scholis, neq; quisquam præsumeret aliam facere absq; authoritate Sedis Apostolicæ speciali. Porro operæ pretium est originem, educationem, vitæ progressum, merita & admiranda operum Diu. Raymundi, paulo fusius enarrare; ex ea, quam pro canonizatione eius Sanct. Clemens VIII. Pontif. Max. edidit decretali. Nam ea narratione nihil certius, nihil verius inuenitur de hoc Diu. Ita habet:

XVI. ORIGO, EDVCATIO, MERITA ET ADMIRANDA OPERA S. RAYMVNDI PRÆDICAT.

B. Raymund. Barcinonensis ex nobili familia, de Peniafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Christianæ rudimentis imbutus iam magnum aliquid portendere videbatur, cum esset eximia corporis & animi indole, & naturæ quodam instinctu ad virtutem & pietatem in dies magis propenderet. Adolescens humaniores literas tam auide arripuit, vt exiguo tempore maximos progressus fecerit, ac eas artes, quas plane didicerat, Deo adiuuante, summa cum laude Barcinone plurimos docuerit. Atq; vt tẽ talentis sibi à Domino concreditis lucrum faceret amplissimum, Bononiam, velut ad cõmune bonarum artium domicilium, & disciplinarum emporium profectus est, vbi tẽpus sibi ad negotiationem sapientiæ datum, non insumpsit in vanis & carnalib. desideriis, quib. ætas illa iuuenilis à studio virtutis abripi sæpe solet, sed pietatis officiis, ac Pontificio ciuiliq; iuri toto pectore incubuit, ac tandem Doctoris laurea, cæteris q; doctrinæ insignib. decoratus, sacros canones publice magna cum hominum admiratione absque vllo stipendio est interpretatus, cui postea cum Senatus Bononiensis ob præclaram eius eruditionem honorarium ex ære publico decreuisset, ipse labores suos Domino sanctificans, datæ sibi à Senatu pecuniæ, omnium q; rerum, quas sua industria comparasset, DEO inprimis ac suo Parocho Decimas fideliter offerebat. Quo in munere docẽdo, cum aliquot annis egregiam operã nauasset, & iam eruditionis eius fama per Italiam increbuisset, Berengarius Barcinonensis

nensis Episco. eius virtutib. ac scientia permotus Romam ad suam Ecclesiã rediens Bononiam iter instituit, vbi B. Raymundum conuenit, ac multis vltro citroq; sermonib. habitis, Berengarius virum admiratus, ac secum ipse reputans eum ingenti Ecclesiæ suæ ornamento & vtilitati futurum, vehemẽter institit, vt secum ad Ecclesiam Barcinonensem vbi educatus fuerat, reuerteretur, quod tandem magnis ab eo precib. obtinuit, quem etiam aliquanto post eiusd. Ecclesiæ canonicatu, & quadam Præpositura addita ornauit. Hoc beneficio, & dignitate auctus, omnibus canonicis & vniuerso illius ciuitatis populo, integritatis ac doctrinæ splendore præfulgebat: eratq; tanta eius in omni gestu motuq; corporis modestia, & totius vitæ consuetudine suauitas, vt omnium ętatum, atq; ordinum homines in amorem sui raperet & admirationem. Deiparam Virginem singulari pietatis affectu venerabatur, eiusq; honorem & cultum pro virib. semper auxit. Nam cum festus Annunciationis eiusd. Virginis dies ea in Ecclesia minus celebris haberetur, ipse ab Episcopo & Capitulo impetrauit, vt duplici ritu, solenniter perpetuo coleretur, atq; ex Præposituræ suæ redditib. censum annuum attribuit Canonicis in distributiones erogandum, qui sacris officiis eo die interessent. Magnam hac ratione apud omnes auctoritatẽ & sanctitatis opinionem sibi conciliarat, totiusque ciuitatis oculos, animosque omnium, ac præcipue Prælatorum & Principum in se conuerterat, cum inanem mundi gloriam instar freni aresc entis decussio flore marcescentem apud se ipse contemnens, ad sublimiorem vitæ statum aspiraret.

Venerant tunc in eam vrbem recenter Fratres ord. Prædicatorum, qui Apostolicum in morem Euangelio Christi prædicando populum docebant, & ad cultum Dei, studiumque pietatis incitabant: quorum vsu & consuetudine primum delectari B. Raymũdus, deinde etiam ad idem vitæ institutum amplectendum vehementer cœpit inflammari, neq; anceps ea, difficilisue cogitatio fuit. Nam inclinatum eius animum, & in via salutis ambulantem speciosi illi pedes euangelizantium, pacem, in montem Domini, perfectionis nimirum Euangelicæ apicẽ facile deduxerũt. Itaq; iam matura ætate annũ circiter quintum supra quadragesimum agens, abdicatis honoribus, spretisq; omnib. diuitijs, assumpsit pennas vt columbæ, atque in requiem Domini euolans, in Ordine Fratrum Prædicatorum solemnem professionem emisit. Quod vt omnibus admirationi fuit, hominem genere nobilem, doctrina præstantem, affluentem bonis, dignitate & fama celebrem, suscepto religiosæ vitæ instituto, spontaneam paupertatem opibus suiq; contemptum honorib. & commodis prætulisse; ita eius exemplo complures literati, ac studijs doctrinisq;editi nobiles viri eundem ordinem sunt amplexi: ac propterea magnum ea religio in dicta ciuitate suscepit incrementum. Hic iam nouus Christi miles aduersus humani generis hostem fortiter dimicare apud se statuens, acturrim æternæ salutis ædificans, vt sapiens architectus, humilitatis religiosæ, quæ cæterarum est parens custosq; virtutum, fundamẽta iacere decreuit. Itaq; etsi omnib. eruditione & prudentia antecellebat, hoc tamen ipse demissus sentire de se, aliis omnia sibi nihil tribuere, singulos honore debito prosequi, denique libentius delitescere, quam in lucem prodire consueuerat, cuius ille virtutis tenacissimus in omni vita fuit. Et quoniam obedientia humilitatis vita est, ad hanc tuendam atque conseruandam exemplo Mediatoris & Saluatoris Domini nostri IESV Christi, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, vir iustus die ac nocte meditabatur obedientiam: ac sepulto propriæ voluntatis arbitrio, mortuus huic sæculo vitam cum Christo in DEO absconderat, ac totus à superiorum nutu pendebat. Beatam paupertatem Regni cœlorum præmio dignam & Christi ore laudatam toto pectore amplexus est ac eam veluti fraternæ pacis fundamẽtum, mundiciam vitæ curarum huius mundi abdicationem, proximam denique & quasi compendiariam ad Deum viam studiosissime semper coluit, ac semetipsum tamquam aurum igni probatum in camino paupertatis expurgabat. Castitatis, quæ cœlestis & Angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac præcinctus lumbos, & lucernam boni operis in manibus habens, eam in fictili corporis sui vase in sanctificatione & honore portans, incorruptam & integram vsque ad extremum vitæ diem conseruauit: & qua erat in Dei matrem & intemeratam Virginem Mariam pietate, in cuius fidem & clientelam se iamdin ante cõtulerat, nullum firmius ad dæmonis vires conterendas, quam eiusd. Virginis præsidium inueniri posse certum exploratumq; habens, eius patrocinium assidue inuocabat: ac tantus erat eius in oratione feruor & perseuerantia, vt ex variis occupationibus se ipse frequenter colligens sederet solitarius, & leuans se super se diuinæ contemplationi vacaret: in qua cœlestes plane spiritus hauriebat, & de fontib. Saluatoris aquas sapientiæ salutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitæ suæ actiones irrigabat, vt flumina aquę viuæ de ventre eius in aliorum vtilitatem promanarent.

In pauperes, ac præcipue captiuos dura seruitute ab infidelibus detentos propensissimus erat, nullumque officii genus vmquam prætermisit, quo eos liberari posse existimaret; quorum, hoc etiam maiorem curam & solicitudinem gerendã esse censebat, quo in grauiori periculo Christianæ fidei abiurandæ & amittendæ salutis æternæ versarentur. Cum itaque eius hortatu Petrus Nolascus natione Gallus, cuius confessiones B. Raymundus audiebat, vir opibus florens, & insigni pietate præditus, ad inopes alendos, & maxime ad captiuos ex Barbarorum vinculis redimendos, suas copias & opes magna cum alacritate ac libẽti animo conferret, egregium pii ac liberalis animi officium, pro sua infinita bonitate gratum Deus habuit. Nam proxima nocte insequente Beatissima Virgo DEI mater eid. Petro, qui sanctis meditationib. & orationi vacans cogitabat, qua ratione calamitatib. Christianorum in captiuitate degentium succurri posset, serena fronte se conspiciendã dedit, & acceptissimum sibi ac vnigenito suo filio fore dixit, si suum in honorem institueretur ordo religiosorum, quibus cura incumberet captiuos è tyrannide Turcarum liberandi, ac illa ipsa nocte eadem Virgo sanctissima B. Raymundo, & Iacobo primo Aragoniæ Regi apparuit, idipsũ de religiosis admonens. Quare hi collatis inter se consiliis, & consentientib. animis, ordinem B. Mariæ de misericordia, seu de Mercede redemptionis captiuorum fundauerunt, cui B. Raymundus certas viuendi leges præscripsit, ad istius ordinis vocationem accommodatissimas: quarum approbationem aliquot annis posta fel. rec. Gregorio IX. Summo Pont. impetrauit & dictũ Petrum, qui eid. ordini omnia sua prompte dederat, primum etiam Generalem ordinis Magistrum suis ipse manib. habitu eod. indutum creauit. Hæc B. Raymun. quæ ad vnius DEI gloriam, & proximi vtilitatem gesserat, etsi occultissima esse volebat: tamen ardentem illius in egenos charitatem & vitæ sanctitatẽ iam vbique fama vulgauerat, & sanctæ eius doctrinæ odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem bonæ me. Ioann. Cardinalis Episco. Sabinensis, eruditionis & pietatis laude clarissimus ab eod. Gregorio IX. in Hispaniam ad Crucem aduersus Saracenos prædicandam, aliaq; Sedis Apostolicæ negotia pertractanda Legatus de Latere missus, multorum sermonibus singularem eius integritatem intelligens, eum sibi legationis accepit adiutorem. Quo in munere B. Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate & charitate versatus est, vt omnib. esset bonus odor Christi ad vitã. Nã etsi honestissimo loco natus esset, & iam ętate puectus, multisq; virtutib. cumulatus magna apud omnes auctoritate polleret, in hoc tamen longinquo & difficilimo itinere nullis vmquam ab eo precibus obtineri potuit, vt eo veheretur: sed verus Christi discipulus calceatus pedes in præparationem Euangelii pacis, & assumpto spiritus gladio quod est verbum Dei, iter suis comitatus sociis pedibus faciebat, & Cardinalem quo erat venturus præuertens, quasi viam ante faciem eius in benedictone præparans, Euangelio Christi prædicando per multos adiuuante Domino, ad arctam salutis semitam, à via lata & spatiosa traducebat, & confessiones audiendo, à censuris & à peccatorum nexib. liberabat. Quodq; omnib. mirum fuit, toto illo itinere nihil vmquam de solita ciborum abstinentia, vigiliis, ieiuniis, precationib. totiusq; religionis seueritate remisit, sed observantissimus Constitutionum sui ordinis, ne latum quidem vnguẽ ab illius statutis & legib. discedebat. Quare suscipiebant ipsum vniuersi, colebant omnes: Ioannes

Cardinalis summo opere diligebat, qui perfunctus Legatione ad vrbem rediens, cum B. Raymun. vna secum adducere decreuisset, nunquam id tamen ab eo potuit impetrare. Sed cum ad eumd. Greg. IX. de rebus Legationis referret, tam multa eaq; præclara de huius Beati viri virtutib. dixit, vt idem Greg. IX. illius videndi desiderio incensus, eum ad se confestim euocarit, cuius ille dicto audiens, quamquam religiosæ quietis auidissimus Romam venit.

Excepit eum amanter & benigne prædictus Gregor. ac breui perspectis, & exploratis eius animi dotib. summisq; virtutib. Capellani sui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc est cauſarum Palatii Apostolici Auditorũ, & Pœnitentiarii dignitate ornauit, ac tanti semper fecit, vt nonnisi adhibito eius consilio grauiores causas tractaret: quem cum etiam à sacris sibi confessionib. præfecisset, is, qua erat in egenos charitate, pœnitentiæ loco illi iniungebat, vt inopum preces & iustas petitiones statim audiret, eorumq; negotia expediret, & quam citissime conficeret, quare ab eod. Gregorio IX. Pater pauperum est appellatus. Decreta Romanorum Pontificum, quo quæque tempore condita erant, diuersis in epistolis & Conciliis sparsa, quæ obscuritatem & incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium, & maxime studentium vtilitatem, in ordinem & compendium redigi iamdiu omnibus fere placuerat; sed tanto operi vir idoneus quærebatur. Itaque Greg. B. Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit: quod tandem ipse ingenti labore trium annorum spatio feliciter absoluit, quemadmodum in ipso Decretaliũ proœmio grauissimo eiusd. Gregorii testimonio est comprobatum. Hisce lucubrationibus, & assiduo humilitatis studio, quamdiu Romæ vixit, contra otiosam mentis euagationem, & inanis gloriæ cupiditatem se ipse diligentissime tuebatur. Reliqua operum quæ gessit Raymundus, ad vitæ eius calcem enarrabo.

XVII. *a Bernhard. o. p. 2.* MIRACVLOSVS LAPIS APVD CREMONAM GLACIALIS.

Hoc an.*a* apud Cremoniam in Monasterio Sancti Gabrielis, lapis grandis glacialis cecidit, habens signum Crucis & imaginem Christi expressam: desuper autem aureis litteris sculptum fuit: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hoc lapide liquefacto vnxerunt oculos monachi cæcutientis & visum recepit.

XVIII. *b 25. Aug. apud Sur.* LVDOVICI S. NVPTIÆ CVM MARGARETHA COMITIS PROVINCIÆ FILIA, ET VITA EIVS SANCTITAS.

Eod. ann. *b* S. Ludouicus in Francia, Regni administratione suscepta, duxit vxorem Margaritam, Comitis prouinciæ filiã. Reliquæ Margaritæ sorores nupsere, vna Henrico Regi Anglo, altera Richardo eius fratri, tertia Carolo Andeganensium Comiti, fratri Regis Sancti, posteaq; Regi Siciliæ. Porro Ludou. ab educatione matris Blanchæ, ad eam virtutis perfectionem euaserat, vt vitam ab omni mortiferi peccati contagione puritissimam exegisse diceretur. Eius sanctitati mater Blancha congratulans, non raro illi ferebat dixisse: Equidem malim, charissime fili, te extinctum cernere, quam lethali alicui peccato obnoxium. Quæ mater is verba adeo tenaciter pii iuuenis menti inhærebant, vt omnes peccandi occasiones cane peius & angue vitabundus odisset. Erat itaq; apud omnes propter vitæ innocentiam in maxima opinione sanctitatis. Corporis domitor egregius, sextis quibuslibet feriis, in ieiuniis & lachrymis precibusque, Christi pro nobis in Crucem acti memoriam recolebat. Sacro vero Quadragesimali & Aduentus tempore, omni penitus non modo piscium, sed & fructuũ esu sibi interdicto, vitam sanctissime transigebat. Multo tempore intimam vestem gestabat cilicinam; quam cum præcepto Confessarii propter nimiam corporis exhausti imbecillitatem deponere cogeretur, libens diebus singulis quadraginta solidos Parisienses clanculum in pauperes erogabat. Quolibet Sabbato, aliquot pauperum suis ipse manib. in loco secretissimo pedes abluebat, lotos tergebat, tersos exosculabatur. Crebro etiam 120. pauperib. qui eius beneficio quotidianam in aula annonã percipiebant, atq; certis quibusdã dieb. & solennib. vigiliis, ducentis pauperib. ipse ieiunus cibos ministrabat. Præterea quotidie tres confecta ætate inopes mensæ suæ cõuiuas habebat, eisq; cibos ipse apponebat. Ex ea vere pauperum consuetudine ac familiaritate, præcipuam animi voluptatem hauriebat; præclare secum illud Christi reputans: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec ijs tamen beneficiis in pauperes contentus, decreuit ipse sanctæ panperratis formam suscipere, & septem annorum spacio peregrini instar loca sancta visitare. Ad matrimonium contrahendum, nonnisi summa Matris & totius Regni Procerum voluntate, accessit. Tantum enim maternis præceptis deferebat, vt pleriq; maleuolentes, exinde occasionem habuerint, illum nota abiecti animi inurere. Cæterum tantæ obedientiæ, & reliquarum virtutum ei auctores fuere FF. Prædicatores & Minores, quorũ educationi Blancha Ludouicum cõmiserat.

XIX. *Polydor hist. lib. 16.* IVDÆI CHRISTIANVM PVERVM CRVCIFIXVRI DEPREHENDVNTVR.

Hocan. Nordouici in Anglia, Iudæi quemdam puerum Christianũ furto abstulerãt, & totũ an. integrũ nutrierant, vt aduentãte festo Paschatis, q. noui nostræ religioni dedecoris imprimendi causa Cruci affigerẽt. Sed deterrimi carnifices paucis ante dieb. quam sanguinem innocentẽ effunderent, tanti criminis conuicti, meritas pœnas tulerunt.

XX. CONTRA STADINGENSES HÆRETICOS BELVM CATHOLICORVM FELIX IN FINIBVS FRISLÆ ET SAXONIÆ.

Eod. an. Greg. Pont. contra Stadingenses hæreticos, in confiniis Frisiæ & Saxoniæ inuijs paludib. & fluminib. circumcinctos Crucẽ prædicauit: eo quod dudum à sede Apost. excommunicati, & interdicti, claues Ecclesiæ contẽnerent. In eo prælio quod aduersum eos gestum est, plusquam duo millia ceciderunt, reliqui ad vicinos Frisios fugerunt, & confœderationem contra Ecclesiam reliquerunt. *Chron. Hirsaug.*

Mira res tunc accidit, quam de seipso Fulco Gandauensis, Canonicus Insulensis denarrauit.

Iacobo Vitriaco, Pont. commiserat, vt contra eos & Albigenses hæreticos, per vniuersum Belgium, Crucis militiam prædicaret. Is quod sciret magnæ authoritatis, atq; insignis doctrinæ Fulconem, in societatem iniuncti muneris inuitauit. Recusauit iste: quamuis Iacob. non semel postulasset, quin etiam auctoritate Pontificia, in nomine Domini Iesu Christi, & in remissionem peccatorum, ei iniunxisset istud negotium. Cum vero nec quicquam apud pertinacẽ propositi Fulconem orando, monendo, præcipiendo proficeret, tandem dixit: *Etsi iure merito possem in te, potestate Apostolica, anathema distringere, reg; propter contumaciam inobedientiam omni beneficio Ecclesiastico pstuare: abstineo tamen. Rogo interim Deum, omnium cordium inspectorem, cuius negotium contempsisti, siue neglexisti, vt te & ad illud, & ad omnia alia efficia impotem ineptumque efficiat.* Vix hæc dixit Iacobus cum quartana febris, & diarrhœa, Fulconem correptum lecto affixit, & totis 25. annis, vsque ad mortem afflixit. Cumq; talis ac tantus vir esset, vt ei Dominus Iesus Christus, ante mortem, quasi recenter in Cruce extensus apparuisset, & proximo Augusto obitũ illi reuelasset, non tamen illi pepercit, quin pro inobedientia, & neglectu tam pii operis, quantum erat hæreticorum extirpatio, in hoc sæculo castigaret. *Thomas Cantipratanus, qui hæc à Fulcone audiuit, lib. 1. c. 22.*

XXI. S. FVLCO PVNITVR QVOD NOLVERIT PRÆDICARE CRVCIS MILITIAM.

Annales Flandriæ istud habent *libr.* 8. de Fulcone, cognomento Vtenhoue, patria Gandensi viro sapientia percelebri. Quod cum is nullis posset modis impelli à Iacobo Vitriacensi Innocentii Pontificis Legato, vt sacram cõtra Albigẽses expeditionem concionaretur, idoneum se esse negans, subito seu vindice irato numine grauissima correptus fuerit hæmorrhoide: quam xxiv. per annos tam forti infracto; tulit animo, vt Christum Seruatorem ante mortem (vt aiunt) videre, diemq; obitus præscire meruerit. Canonicus erat Insulanus. Condidit Gandaui domum hospitalem pro egenis, cui nomen est Biloka.

XXII. IDEM DE FVLCONE REPETITVR EX ANNALIBVS FLANDRIÆ

Hocan. in agro Oldensacio, victoriæ Crucesignatorũ, contra hæreticos Stadingos, partæ, memoriam recolit Ioan. Molanus, in Natalitiis Belgarum. Huius sacri belli primarii duces fuerunt Henr. Dux Brabantiæ, & Floren. Comes Hollandiæ. Erant. a. Stadingi, vt habet Ecclesiastica Historia Hamburgensis, populi palustres ad fluuiorum ripas, in Archiepiscopatu Bremensi accolentes: qui libertate Ecclesiæ conculcata, nulli parcebãt sexui vel ætati, responsa dæmonum quærebãt, errones Phythonissas consulebãt, & viaticum salutis æternæ horribilius quam deceat exprimi pertractabant: religiosos & Clericos impie tormentis lacerabant: & quos poterant, maxime infinitam rusticorum multitudinem, in fouea suæ perfidiæ trahebant. Quæ cum Gregorio IX. Pontifice Maximo per varios Episcopos innotuissent, contra eos tanquam infideles crucem iussit prædicari. Quam mox supradicti Dux & Comes, multiq; eorum subditorum hilariter susceperunt, amore religionis, & plenariæ indulgentiæ. His diuinæ patientiæ inuasoribus, ordinata acie obuiam processerunt, ac in virtute Domini Sabbaoth eos inuadentes ita hastis, gladiis, ac equorum pedibus oppresserunt, vt breui spatio sex millia ex eis interirent: plurimi fugientes in foueis & Wisera submersi sint: aliqui autem qui euaserant, dispersi, cum ex exercitu Dei neminisi Comes Oldenburgius, cum nonem solis peregrinis cecidisset. Eam victoriam miraculose partam fuisse memorabant, nam in acie Clerus pro Crucis honore supplicabat. *Ioan. Molanus lib. de Natal. SS. Belg.*

XXIII. DVX BRABANTIÆ ET COMES HOLLANDIÆ ALIQ. CONTRA STADINGENSES ET ALBIGENSES HÆRETICOS VICTORIAM OBTINENT.

XXIV. TOLOSÆ HÆRETICA MORTVA ET COMBVSTA

Eodem hocanno GREGORIVS Pontifex, Inquisitores contra hæreticam prauitatem, in Comitatu quidem Tolosano Fratrẽ Guilelmum Arnaldi, & Fratrẽ Petrum Seilanum, apud Insubres vero Fr. Rolandum Cremonensem Ordinis Prædicatorum instituit. Non abs re fuerit, si ea retulero, quæ hoc anno Nonis Augusti, quo primum festum S. Dominici celebrabatur acciderunt, *Fr. Stephanus Sanctus in tractatu, de quattor in quib. Deus Ordinem Præd. insignivit*, ita refert.

Anno quoque Canonizationis ipsius Beati Dominici, scilicet 1234. in primo festo ipsius, post Missam, antequam sederemus ad mensam, reuelauit Dominus pudenda mereticis magnæ hæreseos in Tolosa. Cum enim Dominus Gregorius Papa Nonus commisisset Inquisitionis officium in partibus Tolosanis Priori Prouinciali Fratrum Prædicatorum & Fratribus, per totam Terram Comitis Tolosani; dictas Comes Raymundus fraudulentis promissionibus, & virulentis inductionibus retardauit eos, & distulit per biennium, vel circa. Cumque tandem Frater Guillelmus Arnaldi Inquisitor vellet procedere, ita conregebant se, & obuoluebãt, sicut de pinnis & squammis Leuiathan scriptum est, quod ex nulla parte poterant perfodere parietem, quatenus abominationes monstruosissimas, & horrendissimas, penetrarent. Erat autem celebrata Missa à Domino Raymundo Episcopo Tolosano: qui cum iam lotis manibus sedere vellet ad mensam in Refectorio, nuntiatum est, quod quædam Matrona Tolosana stipata filiis, fratribus & amicis, moriebatur in manibus hæreticorum, & hæreticata, prope domum Fratrum Prædicatorum. Cucurrit quam citius, & rem ita inuenit per confessionem hæreticæ eligentis, & perentis in fide hæreticorum mori & saluari. Quam mox hæreticam condemnauit, & Curiæ seculari reliquit. Officiales autem Curiæ mox eam ad ignem deferri in lecto in quo ægrotabat fecerunt, & hilariter cõbusserunt. Episcop. interim prudenter cauens illud, quod poterat contingere, ad aulam suam abiit, & comedit: ac licet post prandium prædicaturum se populo promisisset, tamen super sedit. Cumque post nonam quasi infinitus populus conuenisset, Prior FF. Prædicatorum Fr. Pontius de S. Ægidio, ex improuiso, surrexit, & in his quæ Dei sunt animosus, proponens illud Ecclesiastici 48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum eius quasi fascula ardebat:* & adaptans festo, & sancto, ac præsenti negotio verba sua, conuertit se nutu & gestu, ad orientem, & occidentem, ad Aquilonem & meridiem, quanta voce poterat contra quamlibet partem clamans, & sæpius iterans: Ex parte Dei, & B. Dominici serui sui, diffido ab hac hora hæreticos, & fautores, & credentes eorum. Iterumq; clamabat: Adiuro ex parte Dei Catholicos, vt depositio timore testimonium perhibeant veritati, & tacuit. Post hanc Conionem, infra septem dies, multi venerunt, quibus meditantibus, aperta est via Inquisitorib. ad abscondita tenebrarum; quorum alii hæresim abiurabant, alii alios detegebant, & se detecturos tempore opportuno promittebant.

XXV. PLACENTINI INQVISITORES INTERFECTI FVERVNT.

Porro in Italia, *quemadmodum Frater Cyprianus Viberti Inquisitor Vercellensis, in Indice Inquisitorum Ord. Præd. ex Vmberto Locato in historia Placentina, & veteribus monumentis affirmabat*, cum Fr. Rolandus Inquisitor, Placentiæ, in platea Ecclesiæ maioris, in maxima hominum frequentia, quæ confluxerat, prædicaret, ingentiq; spiritu aduersus hæreticos, ex scripturis sacris, & Patrum sententiis disputaret, id non ferentes hæretici, adiuncto sibi assassinorum & grassatorum cuneo, impetu facto, eundem sanctum virum ex vrbe pepulerunt.

XXVI. CRVCESIGNATORVM PVGNA ET VICTORIA DE STADENSIBVS ET ALBIENSIBVS HÆRETICIS.

In Germania cum ijdem Albigenses hæretici, multo grauiora committerẽt, expulsi hoc anno, pœnas impietatis dedere. Seriem eius rei gestæ, ex oculato auctore *Alberto Abbate Stadensi*, hic intexere visum. Is ergo *in Chronico* istud scribit. Anno Domini 1234. Henricus Dux Brabantiæ, & Florentius Comes Hollandiæ, Bremæ existentes, contra Stadingos hæreticos viriliter se accinxerunt, tanquam contra inimicos manifestos Ecclesiæ. Nam sicut probatum est super eos, & per Mindensem, Lubicensem, Ratisburgensem Episcopos, Papæ auribus intimatum, ipsi doctrina matris Ecclesiæ penitus vilipensa, ipsius libertatem conculcauerunt, nulli parcentes sexui, vel ætati. Quæsierunt responsa dæmonum, simulachra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas phythonissas: & quod deterius est omnibus, viaticum æternę salutis, horribilius quam decet exprimi pertractantes. Clericos etiam, & Religiosos impie lacerantes, cruciabant omni genere tormentorum. Nec propria eis sufficit perditio: sed omnes quos poterant, & maxime rusticos, in foueam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur, sicut Lucifer lucis æternæ lumine destitutus, caduca superbia procurante, cœlo contineri nequiens: eo quod perpetuæ cæcitatis tenebras incurrisset, cum sit perditus, & minister perditionis effectus, ne ademptas sibi delitias sempiternas, possit conditionis humanæ dignitas adipisci (quia soleat miseri prosperitate felicium cruciari) illam in profundum perfidiæ, ab altitudine fidei deiicere nititur, vt secum in lacũ suæ miseriæ deducatur, existimans per hoc suæ damnationis cumulum minorari: cum soleat afflictis quoddam adferre solatium, grata miseris societas miserorum. Ita miseri & miserabiles Stadinghi, sibi omnino Deum contrarium, suis persuasionibus, & malis exemplis grauiter infecerant populum Christianum; ita vt infinita rusticorum multitudo, tam in remotis, quam in vicinis Prouinciis constituta, verbotenus eos defenderet: & si se opportunitas obtulisset, prompto animo proteruię eorum auxilium attulisset. Sed Deus misericordiarum Dominus suis fidelibus inspirauit, vt ad prædicationem Crucis se viriliter accingerent, ad exterminium tam reprobæ nationis. Illa gaudentes indulgentia, illisque priuilegiis, quę accedentibus in Terræ sanctæ subsidium, conceduntur. Itaque Bremensis Archiepiscopus, Dux memoratus, & Comes, peregrinorumque non modica multitudo, VI. Calen. Iulij, die Sabbati processerunt vnanimiter contra ipsos, tamquam diuinæ potentię & patientiæ abusores, parati occumbere; vel ipsos cum eorum nefandis operib. ad honorem & gloriam Iesu Christi, & Ecclesiæ, penitus abolere. Illi è conuerso, tamquam ferinis vberibus enutriti, adhuc crudelius sæuiebant, & in suo Asmodeo confidentes, non diffidebant se posse resistere potenti brachio Domini Sabbaoth, & tantæ multitudini signatorum, & mira, & miseranda pertinacia obstinati, non cessabant adhuc claues Ecclesiæ scelestis labiis turpiter blasphemare. Bolekæ de Bardenflete, Tammo de Hunthorpe, Thedmarus de Aggere, & alii pessimi maleſuadæ ipsorum, vt vitam & patriam fortiter defenderẽt. ipsos fortiter hortabãtur, dicentes; quod ipsos oporteret, aut turpiter succumbere, aut sicut canes rabidos insanire. Transierunt. a. medio tempore peregrini Othmundum fluuium, pontem de nauib. facientes; & cum transierant, sapienter suas acies ordinabant. Stadingi porro vt amentes effecti, ac quadam insania vẽrilati, non timuerunt signatorum multitudinem; nec spiritualem, nec temporalem gladii potestatem, sed ordinata quidem acie, inordinata autem mente, tanquam furibundi canes processerunt obuiã peregrinis. Dux Brabantiæ, & Comes Hollandiæ, primo congressu, pestilentes illos super agrum Oldenesche, vbi conuenerant, viriliter inuaserunt: sed ipsi summo conamine se defenderunt. Statim Comes de Cliuo, cum suis à latere irruens super illos, ipsorũ aciem dissipauit. Clerus, qui eminus adstans, rei exitũ expectabat, *Media vita*, & alia miserationis carmina, cum mœrore cecinit, & *p.* Crucis victoria supplicabat. Nec mora, illi insipientes & maligni euanuerunt in cogitationib. suis: quia ab exercitu Dñi oppressi iacuerunt hastis perfossi, & gladiis percussi, & equorũ pedib. conculcati, & ita manus Dñi inualuit sup eos, vt in breui spatio VI. millia interierint: plurimi a. ex eis fugæ præsidium postulantes, in proxima fouea, & in VVisera se submerserunt: sed qui euaserant, sub quatuor ventis cœli dispersi sunt. Sic pertinacia eorum facta etiam coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum.

XXVII. IN IMMISERICORDES IN PAVPERES DIVINA VLTIO.

Rarum & insigne hoc sæculo in Diœcesi Oxoniensi apud pagum Alboldesteium, contra homines nimis sordidos, & auaros, & erga pauperes immites, exemplum accidit. Fame, & ex ea graui etiam peste laboratum est, cum q; fames quotidie ingraue sceret, iamque Iulius mensis aduenisset, qui vix vitalem spiritum præ famis magnitudine ducebant, fruges licet adhuc immaturas, in agro illius pagi manibus conuellebant, granumque quo præsenti necessitati consulerent, excutiebant, quod rustici agrorum illorum coloni perspicientes, magnopere iracundia accendebantur, adieruntque sacerdotem vrgentes, vt anathema in miseros illos homines intonaret. Ibi vero quidam ex illis vir pius interesset, ne id fieret: nullaque ratione consentire se velle affirmauit, vt tam dira sententia ob id factum, quod necessitas extorserat, percellerentur. Sacerdos tamen cum à cæteris premeretur, anathema pronunciauit, & mox tam tremenda tempestas cum immani tonitru, & horrendo fulminum iactu exorta est, vt omnem prorsus illius pagi segetem euerterit atque corruperit. Et vetus interim illud inter Iudæos & Ægyptios quodammodo spectaculum repræsentatum est, cum veri huius Israelitæ leges in tanta vicini vndique fundi calamitate, ab omni damno & detrimento fuit prorsus ad omnium stuporem diuinæq; prouidentiæ laudem integra atque illæsa.

XXVIII. MALEDICTIO SVPER CAPVT ARCHIEPISC. ABSCONDENTIS FRVMENTA.

Aliud quoque non minus terribile accidit. Waltherus Graius Eboracensis Archiepiscopus, in eadem frumenti inopia & peste, magnos frumenti cumulos apud pagum Regionensem toto quinquennio nimis sordidè & immaniter conseruarat, quod cum vrgentibus ministris, qui vetustate prorsus alioqui periturum asserebãt, agrorum suorum colonis, à quibus proximo autumno nouum acciperet pro eo frumentum tradi mandasset, neque quicquam pauperibus erogare voluisset, accedentibus ministris ad illud aperiendum, horrendi se serpentes ostenderunt, qui illos præcipites in fugam propellebant. Cumque alii postea accederent, fumus inde & odor teterrimus, cuiusmodi nunquam eorum naribus prius afflatus erat, & diræ quædam contra Waltherum voces prodiere: ita quidem vt totum illum aceruum Vulcano committerent.

XXIX. AVARVS SACERDOS DIABOLO DEDITVS LIBERATVR.

Ad hæc etiam tempora fuit quidam eiusdem Diœcesis Sacerdos, qui vt mundi opibus per Diabolum augeretur, ante 20. annos pacto conuento mancipium se illius constituit, qui tamen pœnitentia se tandem ex Dei benignitate expians, graue illud iugum mirabiliter excussit. *MS. Vatican.*

IESV CHRISTI
Annus 1235.

GREGOR. PAPÆ IX. FRIDERICI II. BALDVINI II.
Annus 9. Imp. secundo 6. Imp. 7.

I. GREGOR. LONGOBARDOS ET NICOLAITAS HÆRETICOS EXTIRPAT. *a Chron. Hirsaug.*

ETsi Gregorius summus Pontifex maximam operam in extirpandis hæreticis posuerit, non tamen eos omnimode potuit eradicare. Itaque etiam hoc anno Longobardorum hæresis Italiam infestabat. *a* Nicolaitarum secta profitebantur, erantque eis omnibus matres, vxores & filii communes. Singulis annis ex Alamannia, Gallia, Italia, cẽsum annuum Mediolanum, vbi diuersarum hæresum & errorum primatus agebatur, transmittebant. Certis signis circa ianuas domorum, vel supra tecta, peregrini circumeuntes, complicum suorum habitationes reperiebant. Manichæorũ quoq; blasphemias euomentes, Deum non esse visibilium omnium creatorem, blatterabãt. *a* Iter aliquando Petrus Veronensis Ord. Prædicatorum per agrum Mediolanensem habebat, & in duos agricolas qui vicina prædia seminabant, incidérat. Horum alter erat hæreticus, alter Christianus. Et hic quidem dum semen spargeret, Deum inuocabat, vt suum semen ad vberem fructum perduceret; Hæreticus vero diabolum, quod crederet visibilium curam agere, implorabat. Audiens hæc D. Petr. infremuit: & subsistens, hæretico dixit: Tu quidem multum erras, qui semen & agrum tuum Diabolo commendas. Quam rectius tuus iste vicinus facit, qui rerum omnium conditorem inuocat? Cæterum ne falsis persuasionib. deceptus, errorẽ tuum errare pergas, prædico tibi futurum, vt vicini tui, qui Deum verum imploratuit, ager vberrimus, tuus qui dæmonem adiurasti similis sterilissimo fiat. Dixit sanctus: promisit se fore Christianum, si ita eueniret, hæreticus. Euenit: & is malo suo prudentior factus, veteri errore damnato, Christi fidem iurauit. Horum itaq; hæreticorum cum non modica seges, præsertim in agro Mediolanensi esset, Gregor. Pont. hoc anno contra eos Constitutionem sanxit: necessaria quæ inferatur. *c* Ita habet.

c Director Inquisit.

II. TENOR CONSTITVTIONIS GREGOR. IN HÆRETICOS.

Incipiunt capitula contra Patarenos edita.

Excommunicamus & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alias quibuscumque nominib. censeantur: facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati vero per Ecclesiam seculari iudicio relinquantur, animaduersione debita puniendi; clericis prius à suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter iudicamus. Item receptatores, defensores & fautores hæreticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere: firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, à sua super hoc non curauerit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis: nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quisi forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti, & in similibus idem præcipimus obseruari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animaduersione debita puniendi. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatem q; personæ propriam innocentiam, congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsq; ad satisfactionem condignam ab omnib. euitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes, & appellationes huiusmodi personarum minime audiantur. Item iudices, Aduocati, & Notarii nulli eorum officium suum impendant: alioquin eodem officio perpetuo sint priuati. Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentib. Ecclesiastica sacramenta: nec eleemosynas aut oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarii & Templarii ac quilibet regulares: alioquin suo priuentur officio ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis Apostolicæ speciali. Item quicumq; tales præsumpserint Ecclesiastica tradere sepulturæ, vsq; ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manib. publice extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel priuatim de fide Catholica disputare, qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos studeat indicare Confessori suo, vel alij per quem credat ad prælati sui notitiam peruenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Filii autem hæreticorum, receptatorum, & defensorum eorum, vsq; ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum officium seu beneficium admittantur, quod si secus actũ fuerit, decernimus irritum & inane. Datum Viterbii VI. Idus Nouemb. Pont. nostri anno nono. Hactenus Grego. Pont. contra hæreticos; eorumq; assecl as constituit.

III. CONSTITVTIONIS SVÆ EXECVTORES PRÆDICATORES GREGORIVS DELIGIT.

Cæterum cum multum interesset, reperire viros qui legis rigorem contra perfidos exercerent, eam quæ sequitur Prouinciali Lombardiæ Ord. Præd. anno Pontificatus XI. scripsit, dignam quæ pro gloria Principis in eodem Ordine Prouinciarum, & veræ Fidei Catholicæ hucusq; vigilantissimæ Custodis ascribatur. Ita habet. Greg. Episc. seruus seruorum Dei, dilecto filio Priori Prouinciali Fratrum ordin. Prædicat. in Lombardia salutem & Apostolicam benedictionem.

Ille humani generis pernicax inimicus, omnium malorum incentor, quem de supremis ad ima, superbia sua prostrauit: non contentus quod sue fraudis nequitia hominem perduxit ad casum, erumnis & miseriis applicandum, callide eum nititur pestiferis retibus irretire: astute sibi parans insidias ne resurgat, locum à quo ceciderat obtenturis. Nouissime autẽ diebus istis, fidem nisus perfidia depranare per ministros suos iniquitatis operarios venena spargit mortifera: seditiose considerans, quod familiaris hostis sit efficax ad nocendum, qui quasi dulcia permittentes, cauda pungunt vt scorpio, in aureo tandem calice Babylonis virus pestilentiæ infusuri. Licet enim hæretici hactenus diutius latitantes sicut cancer serperent in occulto, & velut vulpes latarentur vineam Domini Sabbaoth demoliri, iam tamen peccatis exigentibus, in aperto, quasi equi parati ad prælium, præsumunt manifeste insurgere contra eam, in quibusdam locis publice prædicando, quærentes in cibum simplices, & in prædam indoctos: ac illaqueare nihilominus fideles quoslibet suis circumuentionib. cupientes, facti magistri erroris qui nunquam fuerunt discipuli veritatis. Vnde expedit quod insurgant viriliter contra eos, vt eorum omnino hæresi confutata, per totum vigeat fides Christi: nam corona sequetur præmii, tentationib. resistentes. Cum igitur dudum resplenduerit in partib. Lombardiæ fida fides, ac per hoc formidemus ibi potius animalia venenosa ne forte simplices ipsorum callidis seductionibus circumuenti, & astuti prauis circumuentionibus periculose decepti in profundum detinerint peccatorum, sicque violetur ibid. fidei firmamentum: nos qui circa horum vndecimam, inter operarios, imo verius supra operarios vineæ Dominisumus à patre familias Euangelico deputati, monitis voce sponsi capere vulpes paruulas, quæ demolirivineam Domini moliuntur, & tacti dolore cordis intrinsecus, non valentes sustinere tantam contumeliam creatoris, ac volentes tot animarum periculis obuiare, discretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta sub diuini obtestatione iudicii districte præcipiendo mandantes, quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commissis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc esse noueris idoneos, ad partes tibi secundum tuum Ordinem limitatas transmittas, qui Clero & populo conuocatis generalem prædicationem faciant, vbi commodius viderint expedire: & adiunctis sibi discretis aliquibus ad hæc solicitius exequenda, diligenti perquirant solicitudine de hæreticis & etiam infamatis: & si quos culpabiles vel infamatos repererint, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesiæ obedire, procedant contra eos iuxta statuta nostra, contra hæreticos nouiter promulgata: in receptatores, defensores, & fautores hæreticorum secundum ead. statuta nihilominus processuri. Si vero aliqui hæretica labe penitus abiurata ad Ecclesiasticam redire voluerint vnitatem, ipsis iuxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendant, & iniungant eis, quod talibus consueuit iniungi. Attentius prouisuri, ne qui videntur reuerti, sub palliata specie pietatis impietatem committant, & Angelus Satanæ in Angelum lucis se transformet. Propter quod statuta, quæ super hoc duximus promulganda, inspicere poterunt, & ab eorum insidiis secundum discretionem eis traditam à Domino præcauere. Adhæc vt super premissis omnibus officium sibi commissum liberius possint & efficacius exercere omnibus qui ad prædicationem eorum accesserint in singulis stationib. viginti dies: illis vero qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores & defensores eorum, in munitionibus & castellis, vel alias contra Ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium præstiterint, vel fauorem, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tres an. de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis omnium peccatorum de quibus corde contriti ac ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus. Ne vero aliquid fratrib. ipsis desit ad prædictum negotium prosequendum, in contradictores & rebelles Ecclesiasticam proferendi censuram tenore præsentium, liberam eis concedimus facultatem. Prædicatores quoq; quæstuarios, quorum interest charitatiua tantum subsidia simpliciter petere ac indulgentiam si quam forsan habent exponere, à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi censura simili, eisd. nihilominus licentiam indulgemus. Datum Viterbii XIII. Cal. Iun. Pontif. nostri anno XI. Et quidem istam creandi Inquisitores in Lombardia potestatem Prouinciali eius. Congregationis Gregorius post biennium concesserat. Cæterum ipse hoc anno Priori S. Mariæ ad Gradus & Fr. Radulpho Ord. Præd. Viterbii, officium Inquisitionis commiserat: sc. vt ex aliis Ciuitatib. venientes hæreticos inquirerent, & hæresim iurantes à censuris exsoluerent atq; Ecclesiæ reconciliarent. a Dedit ea de re ytrig, litteras Perusii secundo Idus Augusti, Pontif. anno nono.

a epist. 187.

IV. PRÆDICATORES HÆRETICÆ PRAVITATIS INQVISITORES IN PARTIBVS TOLOSANIS AB HÆRETICIS EXPELLVNTVR. *Leander de viris illustr. Ord. Prad. lib. 2.*

Instituerat etiam Gregorius Nonus in Galliis aliquot ex Fratrib. Prædicatorib. contra hæreticam prauitatem Quæsitores, vt hæreticos ex eodem regno eradicarent. Quod cum perfidi illi cognouissent, continuo illis acerrimũ bellum indixere: adeo vt abiecta omni modestia atque humanitate, illos innumerabilib. afficerent iniuriis: & præcipue in partib. Tolosanis. Raymundus porro Toparchus Tolosanus omnib. ciuibus consortio Fratrum Prædicatorum interdixit. Neque his contentus, positis ad ianuam cænobii custodibus vetuit, ne quis cibum intro conclusis inferret. Volebat siquidem omnes inedia conficere. Verum vt perspexit Patres in fide Catholica, at q; Romanæ Ecclesiæ deuotione intrepide persistere, neque ab ea precibus, aut minis posse abduci, iussit publico edicto exinde abire. Quod vt Patres acceperunt, ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine Christi & obedientia Romanæ Ecclesiæ contumeliam pati. Igitur rebus omnib. exuti, & fere seminudi, bini & bini per mediam ciuitatem Cruce prælata exeuntes, ingenti voce symbolum fidei concinebant: *Credo in vnum Deum.* Addiderant & Antiphonam illam ab Hermanno Contracto compositam, *Salue Regina mater misericordiæ.* Non multo post, Narbonense Cænobium eiusd. Ordinis à furentibus hæreticis solo æquatum, Fratres capti & multis iniuriis affecti, libri sacri partim lacerati, partim exusti, sacra fidei sacramenta & symbola conculcata, indignissimumq; in modum profanata fuere.

V. OFFICIVM INQVISITIONIS IN REGNO ARAGONIÆ FF. PP. OLIM COMMISSVM IN SVAM ECCLESIAM ETIAM INVEXIT MONTEGRINVS.

Hoc ipso anno Gregorius Pont. Max. Guillelmo Montegrino, electo Tarraconensi Archiepiscopo, in causis fidei nonnulla præscripsit. Sanctum Inquisitionis officium, Fratribus Prædicatoribus, à sede Apostolica, in Regno Aragoniæ, olim commissum, & à Petro Episcopo Ilerdensi magno cum fructu introductum, in Ecclesiam quoque suam Montegrinus inuexerat. At cum dubia nõnulla, ac difficultates, vt initiis maximarum rerum cõtingere solet, emergerent, quib. se non facile explicaret Guil. de his consulendos tibi litteris existimauit Gregorium Pontificem, & S. Raymundum Peniafortium, in Curia Romana commorantem. Itaq; Pontifex geminas Apostolicas litteras è Perusia, hoc anno, pridie Calend. Maii, ad præfatum Archiepiscopum dedit, omniaq; illius dubia expediuit. S. quoque Raymundus, cum ad reliquas, tum vero ad reliquas duas difficultates, breui tractatu composito, adeo luculenter respondit, vt eund. tractatum Gregorius Pontifex voluerit suis litteris inserere, Archiepiscopoq; præscribere, vt in omnibus his sententiam Raymundi sequeretur. Ita habet Gregor. ad finem Epistolæ.

DVBIA QVÆDAM SOLVIT GREG. PER SCRIPTA S. RAYMVNDI CONSVLTATIONIBVS ARCHIEPISCOPIS PROPOSITA.

Et super deprehensis in hæresi, & carceribus, quid sit tenendum, habeas notam Fratris Raymundi, quam hic ponimus, quæ incipit Credo. Sequitur q; in litteris Tractatus S. Raymundi, huiusmodi.

1. Credo, quod deprehensi in hæresi, secundum statuta Domini Papæ debeant incarcerari, in carcere de muro forti, & quantum fieri potest, in loco non suspecto debeant retrudi, ita caute, quod habeant custodes fideles Catholicos, & securos per quorum munus prouideatur eis in necessariis, & illorum solicitudine mediante. Per viros religiosos confortentur interdum, & moneantur, ad pœnitentiam, & patientiam: vt alii, maxime simplices, vel suspecti nullo modo possint habere aditus loquendi ad ipsos.

2. Item: Vtrum autem coniunctim, vel separatim ponantur in vno vel diuersis carceribus: dummodo masculi cum mulieribus vel conuersi taliter ab hæresi, cum aliis captis in aliis facinorib. deprehensis, in eodem carcere non ponantur, non credo referre. Taliter etiam prouidendum est in qualitate carceris, & vitæ necessariis, quod non mortem eorum propter nimiam asperitatem, sed potius vitam, sicut viri Euangelici in spiritu mansuetudinis & pietatis quærere videamur. Quia sicut ait Pater noster Augustin. *siue plectendo, siue ignoscendo, hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur.*

3. Credo, saluo meliori iudicio, quod si vxor esset eiusd. conditionis cum viro, id est, ab hæresi pariter cum ipso conuersa, debeant simul, & separatim ab aliis in eodem carcere poni. Si autem ipsa non fuit hæretica, nec est celebratum diuortium, per carnalẽ vel spiritualẽ fornicationẽ ab Ecclesia inter ipsos, ad instantem petitionem vxoris Catholicæ, si alias diligẽter admonita nõ potest induciad cõ-

tinentiam, debet, si fieri possit sine periculo, vxori fieri interdum copia viri sui, vt ei adulterandi occasio tollatur.

4. Credo, quod quicumque sit Inquisitor à sede Apostolica constitutus, potest rogare & monere Episcopum cum debita reuerentia, vt taliter deprehensos in suo Episcopatu incarceret, vel incarcerari faciat secundum Domini Papæ statuta, & incarceratos custoditi faciat diligenter, licet forsitan posset dici, quod bona talium valeant confiscari. Inquisitori satis videtur sufficere, quod de dictis bonis, in carceribus constituendis de vitæ necessariis prouideatur eisdem.

5. Ille quoque qui non sponte, sed metu confitetur in iure hæreticorum errorib. credidisse, eosd. errores multipliciter exprimendo, asserit tamen se à quinque annis, vel plurib. à prædicto crimine emendatum, quod probare nõ potest nisi per famam, nec aliud contra ipsum à prædicto tempore valeat probari, an conuersus, an hæreticus debeat reputari: licet prima facie forsitan dici posset, quod hæreticus est censendus: tamen quia in re dubia, certa non est facienda sententia, vt eos dubie tam super metu, quam super periuriis, nec non & quibusdam aliis casum præsentem scripsistis, elegi tutius de ipso casu non respondere ad præsens.

6. Si quis citatus in iure, confitetur sponte, id est, non metu probationum, vel tormentorum, se olim hæreticis credidisse, dicit tamen se de crimine emendatum, & in cõfessione secreta absolutum seu reconciliatum: & paratus est probare per suum Confessorem: si crimen occultum erat, ita quod præter Confessionem aliæ probationes non habentur, videtur quod ei sufficiat quantum ad hoc, testimonium Confessoris, si tamen discretus sit, & bonæ opinionis. Si autem non sponte, sed metu facta esset talis confessio, vel crimen non esset occultum, videtur vlterius secundum discretum iudicantis arbitrium procedendum; præsertim si secundum Confessoris cognitionem, & probationes contra ipsum inuentas conuinci valeat aliquos in Confessione sua tacuisse errores: habita semper consideratione, vtrum per malitiam, vel simplicitatem hoc videatur fecisse.

7. Quod factum est canonicè, à iudice præsertim, qui habet auctoritatem inquirendi à sede Apostolica non solum circa homines Prouinciæ sibi deputatæ, sed etiam circa extraneos, qui in ipsa inueniuntur Prouincia: credo, quantum ad hunc articulum, alius Iudex de cuius Prouincia erant ipsi extranei, sine reprehensionis nota posset habere ratum: nisi appareret ex gestis illos, vt Inquisitionem euaderent fraudulenter fugisse, & alii iudici veritatem sui erroris non simpliciter expressisse: vel nisi quando recessit, esset iam inchoata inquisitio contra ipsum, vel nisi alias consideratis alijs circumstantiis, ex tali processu facto in alia Prouincia, negotio Fidei vel animarum saluti periculum immineret.

8. Si quis recepit aliquando VValdenses, credens illos esse bonos homines, licet sciret quod Ecclesia persequeretur eos, & Principes seculares igni traderent cremandos, non tamen per confessionem eius vel aliam probationem habeat, quod alicui errori crediderit speciali, credo, quod si talis scit vel credit, quod Ecclesia dictos VValdenses propter hæresim persequitur, vel condemnat, indubitanter est hæreticus iudicandus: nisi constaret ipsum adeo fatuum & insanum, quod nescirét, quid esset hæresis, vel error: nec subterfugit, quominus super his doceretur, & esset paratus credere, secundum quod Ecclesia doceret eum. Si autem ignorat causam persecutionis huiusmodi, credens eos esse Catholicos: licet prima facie violenta præsumptio habeatur contra ipsum, cum debuerit approbare quos approbat Ecclesia, & reprobare quos reprobat, non videtur, præsertim in foro Confessionis hæreticus iudicandus.

9. Si plures testes contra aliquem producuntur, & vnus dicit, quod vidit Martinum adorantem R. hæreticum, Romæ in hyeme: alius vero dicit, eundem Martinum prædicasse hæresim Bononiæ in vere: tertius dicit, eund. Martinum vidisse adorantem T. hæreticum Parisiis in æstate: credo, saluo meliori iudicio, quod cum tales sint in suis testimoniis singulares, non potest contra eum sententia condemnationis proferri: nisi infamia contra ipsum, & facta opinio talium testium, & alia consimilia adminicula suffragentur. Tali tamen videtur canonica purgatio indicenda.

10. Licet dubitationes vestræ essent per se apertæ, vel per viros Religiosos & peritos, quorum credo vos habere copiam, terminandæ: vt tamen mea debilitas vestræ non videatur nolle satisfacere charitati, vtcumq; debiliter quãtum in me est ad præsens satisfacere procurau, rogans, & supplicans, & consulens, vtà bonis & peritis nihil ominus super his ad cautelam consilium adhibeatis. *Hæc, & alia plura Raymundus, ad consultationes Archiepiscopi.*

VI. ROMANI REBELLES AD OBEDIENTIAM R. ECCLES. PER LEGATOS REVOCANTVR.

Eodem an. Domini, M. CC. XXXV. missis ad Romanos, Romano Episcopo Portuen. Ioanne Columna tituli S. Praxedis & Stephano tit. S. Mariæ Trans Tyber. presbyt. Cardinalibus Legatis, Gregorius Pontifex, Vrbem Romanæ Ecclesiæ non satis obedientem, ad obsequentiam reuocauit. Ante quadragesimum septimum annum, Clemens III. Pontificatu inito, primum omnium Romanam controuersiam, propter quam Lucius Vrbanus & Gregorius ab vrbe prope in exilio abfuerant, satis feliciter composuerat, ea conditione proposita de qua vtrinque conuenerat, vt Romani Patricium subrogarent: Senatores autem & Præfectum vrbis ita crearent, vt à Pontifice per mandatum inuestituram acciperent. Ad eum modum tum seditione sublata, hi quibus Imperatores in animo erant, partim obtrectabant, partim occasionem rerum mundanarum expectabant. Ea se obtulit id temporis Friderico contra Gregorium irritante. Itaq; noua rebellone vrbis obsorta, cum Lucas Sabellus & Angelus Malabranca Senatores, Romanis rebus inuigilarent, Legati à Gregorio missi, ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ Romanos reuocarunt, & in Basilica S. Stephani in monte Cœlio Sacramentum fidelitatis & obedientiæ dicentes audierunt; præsente viro principe Matthæo Rubeo Vrsino, Petro Sarraceno de Andriottis & aliis: ad diem XVI. Maii. Pont. Gregor. an. IX. Indict. VIII. *ex Registro Greg. IX.*

VII. ITERVM GREG. INQVISITORES DELIGIT IMPERAT, IN HISPAN ET GALLIA, ET GERMANIA.

Hoc ipso anno, Gregorius Pont. XVII. Calend. Iunii *a* Episcopo Vicensi, Priori Barchinonensi, & Fratri Guilelmo de Barbarano Ordinis Prædicatorum, vt contra hæreticos in Prouincia Taraconen. inquirerent, & iuxta præscriptum canonem procederent iniunxit: & in vniuerso Regno Galliarum, Fratrem Robertum eiusdem Ordinis Prædicatorum, contra hæreticos Generalem Inquisitorem constituit, iussitque vt ad eum modum in causis sibi commissis procederet, ne innocentia periret, & iniquitas ne remaneret impunita. Extat eius commissionis diploma, *b* datum Perusii 10. Calen. Septemb. Pontif. anno nono. Quo etiam, *c* modum pœnitentiæ eiurantib. hæresim imponendæ præscripsit, *d* & plurima alia contra hæreticos sanxit, *e* & Prouinciali Teuthoniæ Ordinis Prædic. author fuit, vt viros idoneos ex vniuersa Alamania eligeret, qui vbiq; locorum verbum Crucis contra hæreticos & Saracenos prædicarent.

VIII. CRVCESIGNATI IN PALESTINA TYMVLTVANTES PER GREG. COMPRIMVNTVR.

Nam etiam à Saracenis, non minimum periculi rebus Christianorum imminebat in Palæstina præsertim digladiantibus inter se ipsis Crucesignatis, & contra Fridericum Imperatorem, Ptolemaidis ciuibus, & regni Hierosolymitani Proceribus, multas turbas mouentibus. Erat cur obtemperare recusarent. *f* Cum enim ante aliquot annos Ptolemaida in Italiam reuertens Fridericus Imperator, alam militum Teutonicæ gentis, sub signis Richardi Augerii Alemanni, in præsidium Christianorum reliquisset, hi vero corradendis pecuniis, temulentiæ, & libidinationi intenti, non Saracenos quidem, sed Christianos, quorum tutelæ fuerant relicti, maiorem in modum afflixissent, non ferendam sibi putarunt eam contumeliam atq; iniurias cõplures Christiani, ideoq; contra Præfectos à Friderico datos tumultuati sunt. Re ad Summum Pontificem delata, & Friderico ab eo postulante vt is authoritatem suam in sedando tumultu, negotioq; componendo interponeret: vt cũmq; in concordiam redierant: curãte pacis conditiones Patriarcha Antiocheno Apostolicæ sedis Legato, & Fr. Bertrando Texi Magistro militum S. Ioannis Hierosolymitani, quib. istud negotii Gregor. commiserat. Cæterum cum

Teutonicus miles nequicquam pactis staret, & tum à depilandis, tum à violandis Christianis, etiam commilitonibus S. Ioan. Hierosolymitani & Templariis nec quicquam sibi temperaret, Fridericus secundo Pontificem interpellauit, vt pacis conciliatores aliquos in Palæstinam destinaret, qui dissidentes in gratiam reducerent, & pericula à Saracenis ex dissensione Christianorum emergentia auerterent. Non defuit Pastorali officio Gregor. sed misso Theodorico Rauennate Archiepiscopo Legato, Prolemaidis ciues Imperatori rebelles compescuit: Confœderatos contra Imperatorem reliquos Proceres, nobiles & milites regni Hierosolymitani, qui duce Ioanne Hibellino rerum in Syria potente societatem sub nomine S. Iacobi Apostoli inierant: & Theutonicis militibus, ope Templariorum & Hospitaliariorum non modicum negotium facessebant, inter se & Imperatori conciliauit: atq; pacis & concordiæ conditiones vtrimque propositis, receptas, & stipulatione firmatas, *a* Friderico, ad XVIII. Calen. Octob. datis Assisij litteris misit, quas cum Imperatoris calculo & sigillo approbatas accepisset, *b* eundem postmodum hoc anno, ad Nonum Cal. Mart. admonuit: Ciuib. autem Ptolemaidis, Baronibus regni Hierosolymitani, Magistris Templariorum, S. Ioannis Hierosolymitanorum, & S. Mariæ Theutonicorum militum, Episcopo Ptolemaidis, Comestabulo eiusdem vrbis, Bernardo Domino Sydonis, & vniuersis tum militibus, tum populis præcepit, vt pacis conditiones stabilitas sancte obseruarent, neque discordiis occasionem Saracenis darent, in rem Christianorum sub finẽ inducia-rum intentis. Cæterum cum etiam Henrico Regi Cypric, nec non ipsius Regiis ministris, illi ipsi Theutonici infestiores essent, *c* monebat Gregorius Imperatorem, vt vel pacem cum Henrico componeret, vel saltem indicias interponeret: ne ex vellicatione mutua, Orientis dominia in discrimen adducerentur.

IX. ITALIA IN TVTA.

In Italia, non omnia vsque adeo tuta. Quamquam enim Fridericus Imperator, cum Lombardiæ ciuitatibus confœderatis in gratiam redijsset, Mediolanens. tamen potentiam ferre non poterat, quin ex occulto alias ciuitates contra eos incitaret. Vnde dissidia, & nouæ occasiones tumultuum inter ciuitates fœderatas. In his enim diuidendis, cõfœderationeq; abroganda, totum studium sibi esse ponendum Imperator decreuerat. Huic fauillæ extinguendę, miserat in Lombardiam Gregorius Petrum Magistrum Apostolicum scriptorem, qui Rectoribus atque ciuitatibus author esset, vt Curatores plenariæ pacis in vrbem destinarent. Fridericum quoque admonebat, vt pro parte sua Magistrum militum Theutonicorum dirigeret, quo cum omnia matura transigeret, dedit ea de re *d* litteras FRIDERICO & Magistro militum. Assisij nono Calendas Octob.

X. EXCIDIO CONSTANTINOPOLI, A BVLGARIS INTENTATO OCCVRRIT GREGOR.

Constantinopoli satis calamitatum, contra Ioannem Brennum, curatorem pro Balduino secundo, Imperii Orientalis. Ioannes enim Asanes Rex Bulgarorum cum Vatacio, comparato exercitu, cum Gallipolim, omnibus in ea trucidatis, in potestatem cepisset, Constantinopolim quoque obsidione circumdederat, & magnum terrorem obsessis tum Latinis, tum Græcis incusserat. Eruptione facta Constantinopolitani, etsi Bulgarorum exercitum effugassent, illi tamen viribus receptis & obsidionem cõtinuabant, & ferro ignique omnia circumpopulabantur, spe & victorię, & imperii potiundi. Quamobrem *e* Gregorius Belam Hungariæ & Theobaldum Nauarræ Reges, Balduinũ Imperatorem in Galliis agẽtem, Comitem Campaniæ, Erardum Cathenaium, Colomannum Regem Haliciæ, consanguineos Ioannis Brenni, Archiepiscopos Senonensem Strigoniens. & Colocensem, & Episcopum Geurien sem admonuit, vt auxilia socio, vicino, agnato, consanguineo, Catholicoq; Principi submitterent, ne is & imperio & vita excideret. Tanti autem faciebat Gregorius periculum Ioannis, vt quadringentos equites in subsidia Terræ sanctæ destinatos ex Galliis detraxerit, Constantinopolimq; eos ire præceperit, datis litteris Fr. Guilelmo sedis Apostolicæ in Galliis pœnitentiario.

XI. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS

Eodem anno Gregor. Pontifex 1. Iolem Andreæ Regis Hungariæ filiam, Regi Aragonum desponsam, in protectionem S. Petri recepit, & illa, & marito rege postulante, doris nomine quædam bona sibi assignata confirmauit. 2. Belæ Regi Hungariæ, & Theobaldo Regi Nauarræ, & Comiti Campaniæ, ne à quoquam præterquam à sede Apostolica à cœtu fidelium separati, toto eo tempore quo piam militiam vel contra Saracenos in Terra sancta, vel contra Bulgaros in Oriente militarent, possent, indulsit. 3. Regibus Galliarum & Nauarræ, vniuersis Principibus Franciæ, Comitib. Montisfortis, & Comitissæ Flandriæ, præcepit, ne Crucesignatos in adiutorium Terræ sanctæ proficiscentes, toto triennio Creditores exactionib. debitorum diu exerent in eorum dominijs. 4. Colomano Haliciæ & Slauorum Regi, vt pacta inter eum & milites Templi in Hungaria & Slauonia, ex parte restitutionis quorundam bonorum eisdem Templariis stabilita seruaret præcepit, quod si recusaret, vt per censuras Ecclesiasticas eum compellerent, Varadiensi Abbati & Præposito Quinque Ecclesiensi, potestatem fecit. 5. Inter Comitem Cornubiæ & Pictauiæ fratrem Regis Angli ex vna, & Isabellam Glouerniæ ducis relictam ex altera, matrimonium in gradu prohibito contractum dispẽsauit. 6. & quia Alfonsum Iacobi Aragonum Regis filium, ex Eleonora filia Ferdinandi Regis Castellæ, propter matrimonium in gradu prohibito contractum, & authoritate Apostolica ante aliquot annos solutum, aliqui in periculum successionis adducere volebant, quod is ex matrimonio inconcesso natus esset: 6. Grego. Pontifex authoritate sedis Apostolicæ eund. Alfonsum legitimum esse ideo declarauit, adeoq; posse in regnum paternum succedere pronunciauit, quod eo tempore natus Iacobo fuisset, quo bona fide credebatur ab omnibus illud matrimonium legitimum fuisse. 7. Gregorius Beatrici Reginæ Castellæ: Legionis & Toloti, admiranda vitæ D. Elisabethæ perscripsit, eamq; ad imitationem illius hortatus est. 8. D. Elisabetham Sanctorum Catalogo ascripsit. 9. Concordiam inter Henricum Silesiæ & Vladislaum Poloniæ Duces, Fulcone Archiepiscopo Gnesnens. & Paulo Posnanien si Episcopo authoribus anno superiore 1234. die SS. Mauritii & sociorum factam, confirmauit. 10. Regem Galliarum vt quædam statuta contra Ecclesiasticam libertatem reuocaret, seuerius admonuit. 11. Episcopo Portugallens. terminum visirandi limina SS. Apostolorũ à biennio in triennium prorogauit. 12. Super diuisione atque vnione Episcopatuum Raualensis & Vironiæ multa salubertima cõstituit. 13. Decano Rothomagens. & Fr. Alexandro de Noiohim Ordinis Prædic. vt quosdam Monachos dyscolos ex S. Andorni Monasterio Rothomagensi eiicerent, alios q; religiosos in locum eorund. introducerent, commisit. 14. B. Fr. Iordano Magistro Generali Ord. Præd. vt Fratres militiæ Iesu Christi Parmæ congregatos salutarib. institueret disciplinis iniunxit: eisdemque Fratribus militię, præcepta viuendi præscripsit: 15. Episcopo Regiensi, Prouinciali Lombardiæ & Fr. Iacobo de Castro Alquadra Ordinis Prædicatorum, vt Ecclesiæ Mantuanæ viduatæ Episcopum præficerent potestatem dedit. 16. Romanos quosdam Ciues libertatis gentilitiæ satis auidos in ordinem redegit, & ne in posterum quicquam nouare auderent, ex communi omnium consensu plurima capitula pro salute publica constituit, deq; ijs Imperatorem certiorem fecit.

† *Quod ad S. Elizabetham catalogo cœlitum ascriptam spectat, dedit hoc anno ea de re literas Pontifex hoc tenore:*

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Presbyteris, Decanis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint.

Edita A. D. 1235.

GLoriosus in Maiestate sua Patris æterni filius, Redemptor noster, Dominus Iesus Christus, de cœlorum summitate prospiciens cõditionis humanæ gloriam multo concursu miseriæ, cui primi parentis culpa dedit initium deformatam ineffabili dispositione prouidit vt & virtutem suam sedentibus in vmbra mortis exponeret, & in exilio positos ad libertatis patriam reuocaret. Igitur quia nulli potius quam sibi suæ factura redempto competebat (eo quod artifici sit, & derens & debitum, vt quocunque casu depereat quod pulchrius finxisse dignoscitur in flatum pristinum suæ virtutis studio reflaretur) in exile vas culum, si tamen sit exiguum quod recepit hospitem super omnia spatiosum, scilicet in aulam Virginis refertam omni plenitudine sanctitatis, de regali throno se conferens, opus inde cunctis visibile protulit,

ANNI GREGOR.
1. *epist.* 185. *Perus.* 5. *Id. Aug.*
2. *epist.* 216. *Perus.* 2 *Cal. Sept.* & 156. *Roate Iaib. Ital.*
3. *epist.* 24. *Perus.* 14. *April.*
4. *epist* 348. *Viterb.* 8. *Cal. Febr.*
5. *epist.* 108. *Perus.* 17. *Cal. Iul.*
6. *epist.* 28. *Perus.* 12. *Cal. Mai.*
7. *epist.* 120. *Perus.* 7. *Id Iun.*
8. *epist.* 91.
9. *epist* 133. *Perus.* 6. *Cal. Iul.*
10. *ep.* 384.
11. *epist.* 260.
12. *epist* 369.
13. *epist.* 50.
14. *epist.* 62. *Perus.* 15. *Cal. Iun.* & *epist.* 63. & 76.
15. *epist.* 403. *Viterb.* 4. *Non. Mart.*
16. *ep.* 13.

per quod propulso tenebrarum principe de sui redemptione plasmatis triumphauit, certa relinquens instituta fidelibus, per quæ ipsis ad patriam redderetur transitus expeditus.

Huiusmodi quidem pietatis seriem Beata Elisabeth, ex regali orta progenie, & Thuringiæ Landgrauia gratiosa solerti meditatione considerans, & iam dicta eligens instituta continuis obseruare studiis, vt dignam perceptione se redderet perpetuæ claritatis, quasi ab ortu vitæ vsque ad occasum, virtutum vacando cultui, nunquam desiit in charitatis amplexibus delectari. Nam in confessione veræ fidei vitæq; dedita sanctitati, cœlesti, cœlestis Reginæ diligendo filium, per quem dulcedinem consequi posset cœlestium nuptiarum, ita dilexit & proximū, quod amœnum sibi constituens illorum familiarem habere præsentiam quam eorum inimica corruptio cunctis suggerit effici peregrinam, se in multis sibi reddidit inopem, solicitam sore pauperibus, multipliciter affluentem. Quorum ab ætate tenera, tutrix esse desiderans & amatrix, eo quod sciret perennis vitæ præmium dilectorum DEO acquiri meritis egenorum, adeo conditionem ipsorum gratam sibi constituit quam naturaliter secularis elatio vilipendit, quod etiam licitis sibi delitiis quas offerebat status ex cellentia coniugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum & tenerum reddebat assiduæ parsimoniæ studio maceratum, tanto sibi meriti quantitate proficiens, quanto quod sponte geritur, maiorū gratia præmio muneratur. Quid vltra? Quæque iura sanguinis in supernæ desiderium transferens voluptatis & imperfectum quid æstimans si iam viri destituta præsidio, sic residuum vitæ decurreret quod se ad iugum obedientiæ (cuius sub lege posita maritali absque ipsius præiudicio amplexatrix extiterat) non arctaret, religionis habitum induit, sub quo Dominicæ pastionis in se celebraret mysterium, vsque in diem vltimum non omisit. O felix mulier! O matrona mirabilis! O dulcis Elizabeth dicta Dei saturitas, quæ proreflectione pauperum panem meruit Angelorum. O inclyta virtutum fœcunda sobole, quæ studens ex gratia consequi, quod à natura non poterat indulgeri, dirus animæ hostibus per scutum fidei, loricam iustitiæ gladium spiritus, salutis galeam, & hastam perseuerantiæ debellatis: sic amabilem immortalis sponso se præbuit, sic Regina virginum se dilectatione continua conligauit, suum deprimendo dominium, in ancillæ humilis famulatum: sic sanctis Elizabeth antiquis processibus conformem se reddidit dum in mandatis & iustificationibus Domini sine querela simpliciter ambulauit, Dei gratiam secreto mentis per affectum concipiens, & eandem per effectum pariens ac nutriens assidue per profectum, quod salus omnium in se sperantium, & exaltatio quorumlibet in humilitatis & innocentiæ vallibus positorum, in promissa suis præmia retributionis exurgens, ipsam mortis nexibus expeditam prouexit ad solium luce inaccessibili luminosum.

De cuius stupenda & inexplicabili claritate procedit, quod illius spiritus, & in superni fulgoris abyssо rutilat, & in huius profundo caliginis, multis coruscat miraculo gloriosis, quorum virtute catholicis, fidei, spei & charitatis augmenta proueniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confusionis multæ materia cumulatur, dum stuporis turbine obuoluti, quod dictæ sanctæ meritis, quæ dum carnis clausa carcere teneretur pauper spiritu, mitis mente, propria vel potius aliena peccata deplorans, iustitiam sitiens, misericordiæ dedita, munda corde, vere pacifica, attrita persecutionibus, & opprobriis extitit lacessita, vita mortuis, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis, cœlesti dextera conferuntur: partes Teutoniæ spatiosas, quas mortis dogmate gestiebant inficere, in doctrina cœlestis amplexibus cernunt multipliciter exultare.

De huiusmodi quidem & aliis eiusdem sanctæ miraculis quæ mentis inspectæ oculis vberiorem lætitiam proferunt quasi diffusis distinctæ literis viderentur, facta nobis per testes idoneos tanta plenitudine fidei sicut debetur, & competit colendæ per omnia veritati.

Nos quorum deposcit officium his cōtinue desudare studiis, per quæ augeatur gloria Redemptoris, dictam sanctam quam sibi ad intuitum placitis suæ mansionis assumere, de fratrum nostrorum consilio & assensu ac Venerabilium fratrum nostrorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum omnium qui tunc apud sedem Apostolicam existebant, sanctorum Catalogo duximus adscribendam.

Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiēdo mandantes quatenus 13. Calend. Decemb. die videlicet, quo eadem mortis absoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem superna prodit voluptatis, festum eiusdem prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis solenniter celebrari, vt id nobis de thesauris cœlestib. eius pia intercessione proueniat, quod ipsa præstante Christo percepisse dignoscitur, & possidere perpetuo gloriatur.

Ceterum; vt vniuersitati fidelium inuisibilis Aulæ consequendi delitias ex concessa nobis potestate desuper propitiante Domino sit facultas, quinimo, & vt nomen exaltetur Altissimi, si sponsæ suæ venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus honorari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui se illuc annis singulis deuotionis aromata, & sinceritatis insignia deferentes in memorato festo & vsq; ad octauas ipsius contulerint, de Omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies, de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusij Calend. Iunij, Anno nono.

XII. INGRATITVDO RAYMVNDI COMITIS BARCINONEN. IN QVENDAM SVVM PRÆFECTVM.

Hoc anno *a* Isabella soror Henrici Regis Angliæ, Frederico secūdo Romanorum Imperatori in matrimonium data est. Per id temporis Raymundus Berengarius Barcinonæ Comes, erga quendam familiæ suæ præfectum insigniter ingratus fuit. Narrat *b* Villaneus, peregrinū quēdam Compostella reuersum in aula Raymundi consedisse, hominem modestum, prudentem, grauem, ob quas virtutes processu temporis tam charus Berengario fuit, vt eius consiliis omnia priuatim ac publice gererentur. Redditus Domini sui triplo auxit liberalitate in omnes vsus, nihilominus grandem in ærarium fisci pecuniam intulit, effecitque industria sua & honestis largitionibus, vt Domini nomen apud omnes finitimas gentes in pretio esset. Quod caput est, affinitatis cum Regia Francorum ineundæ author fuit, & primæ nuptiæ secundas, ac secundæ ceteras breui conciliarunt. Tantis rebus gestis superare inuidiam non potuit. Siquidem Raymundus adulatorum hortatu persuasus est, vt pecuniæ publicæ rationes ab eo exigeret, quas vbi summa fide reddidisset, discedendi è prouincia facultatem petijt: nec vllis Domini, & procerum atque amicorum precibus retineri potuit. In aulam inops cum baculo & pera venerat; ead. instrumenta ceteris facultatib. dimissis discessurus resumpsit: nec vmquam, quis, aut vnde esset, aut quonam se recepisset, cognitum est.

a *Polydor. li. 16. hist.*
b *Ioan. Villan. lib. 6.*

XIII. c *Cromer. lib. 8.* OPPRESSOR INOPVM, VIDVARVM ET PVPILLORVM MIECISLAVS POLONIÆ PRINCEPS A MVRIBVS CORRODITVR. FELICIOR DVX HENRICVS BARBATVS

Per hæc etiam tēpora, cum Miecislaus *c* Cuiauiæ in Polonia Princeps, cui Cossisconi cognomētum fuit, eum dominatum à Patre accepisset, & inopum, viduarum, ac pupillorum bona diriperet, indeque quodam tempore conuiuium multis inuitatis præberet, ab ingenti multitudine murium inuasus, fustraq; naui fugiens, murib. etiam per aquas eum persequentibus, miserabiliter periit: exemplo futurus posteris, ne se rapinis, iniuriis & sanguine miserorum hominum locupletent. Felicius Henricus cognomento Barbatus, ab admonitione Diuæ Heduigis suæ coniugis, Prouincias Cracouiensem Sardomiriensem & VVratislauiensem administrauit. Cum enim Boleslaum pupillum cognomento Pudicum, Cracouiæ & Sandomiriæ Principem è manib. Conradi Ducis Massouiæ in libertatem vindicasset, eo tempore quo reglones illas nutu suo (præmeditata, Ducis Cracouiæ & Sandomiriæ abstinuit titulo) administrabat, recte vtiliterq; multa de consilii sententia cōstituit: leges, quasdam improbas & pestilentes, quæ auxiliares, virginales & viduales dicebantur, sustulit: meliores nonnullas sanxit: Ecclesiarum immunitates confirmauit: Magistratus bonis & industriis viris mandauit: in malefi cos & calumniatores seuerè animaduertit. Optauiam vero oppidum cum sexdecim pagis, amotis inde Templariis, in quorum ditione fuerat, Lutusseli Episcopo, assentiente Boleslao, iure sempiterno addixit, quin & in Silesia Borcum oppidum & territorium, & in maiore Polonia postea Casimiriam, cum quatuordecim pagis atq; decimis, eidem Episcopo donauit.

XIV. d *vita FF. Prad.* OBITVS TRIVM SOCIORVM S. DOMINICI VIDELICET B. MONETI B. LAVRENTII ANGLI ET B. DIDACI LOMBARDI

Hoc an. *d* in humanis esse desierunt, Bononiæ quidem, B. Monetus: Parisiis autem, B. Laurentius Anglus, & B. Didacus Lombardus, ex primis cooperarijs Diui Dominici Conditoris Ord. Præd. De B. Moneto certum est, quod is contra liuius temporis hæreticos in Lombardia grassantes, plurimum verbo & scriptis laborauerit: & tum ex studiorum, tum ex plorandi pro peccatoribus assiduitate visum amiserit, atq; reliquum vitæ admiranda patientia & innocentia transegerit. De Beato Didaco illud ferunt, quod is in principio & fine conuersionis suæ, nominis Iesu memoria adeo delectaretur, vt fere nihil aliud vel cogitaret, vel proferret. Intermedio enim tempore, quadam ægritudine grauissima conflictatus, aliquantulum inclinauerat: Sed tamen per intercessionem aliorum patientiæ robur receperat. Qua tandem resumpta, cum animam ageret, in his

verbis excessit: *O dulcis* IESV, *libera animam meam miseram ex hoc carcere, vt confiteatur nomini tuo.* Beatus Laurentius Anglus tantæ perfectionis à D. Dominici conuersatione fuit, vt Angelicam potius quam humanam consuetudinem præ se ferret. Spiritu Prophetico multa prædixit. Cœco lumen solo tactu restituit. Ab energumena quadam, sola iussione Sathanam eiecit. Aliquando cuidam iuueni suadebat, vt odium contra proximum quendam conceptum deponeret. Cum autem is recusaret, furibundo dixit: *Scio te lubenter velle pacem cum illo inire; veruntamen dæmon quem pectore conclusum gestas, non permittit.* Iratus iuuenis discedebat; multa conuicia & maledicta imprecatus Laurentiō, cum interim dæmon debacchantem inuasit: nec prius diuexare intermisit, donec Laurentius increparet, adiuuaret, eiiceret. Fere iisdem temporibus florebat Iuo Anglus, ex eodem instituto. Aliquando post matutinas preces in Ecclesia oranti, quidam Frater Ordinis Præd. ad Purgatorii pœnas destinatus apparuit, habitu nigro ac sordido. Interroganti quis esset, & quod genus tormentorum sustineret: cum ad quindecim annos, se iis pœnis addictum asseruisset: se tamen posse precibus illius adiuuari, subiunxisset: Iuo summo mane sacris operatus, sacra hostia in manus sumpra, hæc verba ferunt dixisse: Dulcis Iesu: si Babylonis vel Ægypti Tyrannus, aliquem captiuorum, ab aliquo familiari, cuius consuetudinem & officia totis viginti annis probasset, postulari audiret: ecquid illum liberaret? Cæterum, non tu dulior Saladino, nec ego apud te minor mancipio, nam tibi iam pluribus annis, operam & patientiam meam dico. Oro itaque, & supplico, miserere, & huic quem Purgatorio carcere tenes, libertatem ac refrigerium indulge. Orauit, impetrauit, Fratrem illum è Purgatoriis suppliciis liberauit.

IESV CHRISTI
Annus 1236.

GREGORII PAP. IX. FRIDERICI II. BALDVINI II.
Annus 10. Imp. secundò 7. Imp. Or. 8.

I. OBITVS B. HERMANNI COLONIENSIS CANONICI STEINFELDANI. a *apud Sur. 24. Maii.*

IN Steinueldiensi Monasterio, Diœcesis Colonien sis, florebat adusq; annum præsentem, Beatus Hermannus, Coloniæ, Catholicis parentibus natus, & ab eis licet pauperrime, innocentissime tamen educatus, & postmodum religionem Præmonstratensium in eodem cœnobio professus. Præ cæteris virtutibus quibus polleb at, in cultu Beatissimæ virginis Deiparæ oblectabatur. Quamobrem cum aliquando seruitiis Fratrum deputatus, à contemplatione illius distraheretur, atque ideo vehementius angeretur, illa eidem apparuit, dixitque: *scias nihil tibi perinde ex debito faciendum incumbere, quam vt ex charitate fratribus tuis alacriter deseruias.* Meruit tandem sæpius eius præsentia consolari, idque propter virginitatis candorem, quam immaculatam vsque ad extremum vitæ conseruauit. Tandem spiritu Prophetico plenus, & multis virtutibus ornatus, cum & diem mortis & locum sepulturæ sibi præsignasset, ad cœlos euolauit, non sine relicta fama sanctitatis.

II. OBITVS B. IORDANIS PRÆDICATORII ORDINIS MAGISTRI GENERALIS ET VITA AC SANCTITAS. b *apud Sur. 13. Febr.*

Eodem anno prope Ptolemaidem, *b* Hierosolymam nauigans B. Iordanes Magister ordinis Prædicatorum, naufragium passus, ex mundi istius salo, ad portum felicitatis æternæ emersit. Totis quatuordecim annis quibus religioni præfuit, maximis accessionibus eam auxit, tum propter facilitatem & felicitatem in persuadēdo, tum propter sanctimoniam & admiranda actionum in viuendo. Plusquam mille adolescentes, ipse sacro habitu Prædicatorum amicuit: & in sanctam sodalitatem admissos, suauitate persuasionis, & orationum efficacia, perseuerantes fecit. Tedal dum quendam delicatulum iuuenem receperat. Cæterum cum is ad priorem vitam reuerti cuperet, ab etymologia nominis ipsius sumpta dicendi occasione, Tendaldum, id est, tendētem ad altum, cum explicuisset, ad summam perfectionis illum adduxit. Aliquando Parisiis, viginti numero iuuenes sacra toga indururus, in Capitulum descenderat. Quibus cum se vnus supranumerarius, toties ab eodem propter ætatem immaturam reiectus, vt sanctæ conuersationis habitu indueretur admiscuisset: animaduertens illud Beatus, subridens ait: Est vnus vestrūm, qui nostræ religionis tunicam sancto furto aufert. Aliquando cum nonnisi vnum vnicum induceret, & verba ad circumstātes alios faceret, sumpta occasione dicendi, à cœna opiparè præparata, ad quam non nemo inuitari cuperet, neque vnum vnicum ire sustineret ipse quoque inuitatus, in tantum permouit auditores, vt illico vnus se comitem religionem ingredienti exhibuerit: plurimi autem non multo post secuti fuerint. Præsertim propter miracula quæ Iordanes patrabat. Namque semel panem miraculose multiplicauit: tactu manus fabrum quendam ferrarium, trigesies per diem & per noctem sanguinem stillantem sanauit: Sacerdotem quendam quartana febri laborantem, & alium quendam oculis captum valetudini restituit: scipsum, à quodam maligno, cultro lethaliter vulneratum, illico ex ablutione calicis sacri post sumpram Eucharistiam gutture, à periculo mortis exemit, & cicatricem vulneri obduxit, & alia multa admiranda gessit. Dicta quoque eius grato sale respersa, plurimos ad perfectionem vitæ traduxerunt. Aliquando in Comitio Generali à Patribus penes quos summa rerum esse solet, pro more Ordinis reprehēsus cum moneretur vt se excusaret, si vellet cum posset: respondit: Numquid latroni excusanti se creditur? Aliquando in ægritudine incidērat, & ex ea oculo vno captus fuerat. Quo amisso, conuocatis in Capitulum fratribus dixit: Eia fratres, agite Deo gratias, eo quod hostem vnum amiserim, sed & Deum rogate, vt alterum, si sibi placuerit, mihiq; expediens fuerit, conseruare dignetur. Accessit aliquando ad Fridericum Imperatorem secundum, & post datam acceptamque salutationem, cum inter considentes ambos ortum esset silentium: Iordanus eo fracto tandem dixit. Plurimum Cæsar miratus sum, quod abs te minime de his quæ dicuntur per diuersas Prouincias fuerim interrogatus: cum scias nos continue per omnem fere Christianitatem diuagari, & rumores qui de te sparguntur, famamque percurrentem audire. Respondente Cæsare, se habere cursores, veredarios, nuntiosque per orbem terrarum, & in Curiis principum exploratores, ex quibus omnia ad amussim cognosceret: dixit Iordanes: CHRISTVS Orbis terrarum Dominus, licet omnia adhuc in humanis agens sciret, tamen à discipulis, de se quærebat, interrogans: Quem dicunt homines esse filium hominis? Tu quidem Imperator homo es, & multa quæ de te dicuntur ignoras, quorum cognitio tibi Imperioque tuo plurimum conduceret. Fertur enim per Prouincias, quod bona Ecclesiarum velut tua temerarie exigis: cum que sint sacris initiatorum & pauperum, tu tamen temere contrectas, & pro libito exponis. Iustas ac rectas sententias contemnis: procuras auguria: Iudæis ac Saracenis plurimum faues: optima tuorum consiliariorum aspernaris consilia; Pontificem maximum, Christi Vicarium, Petri Apostoli legitimum successorem, totius Reipub. Christianę moderatorem, omniumque nostri parentem, tibi ac omnibus Principibus præsidentem, contemnis. Hæc Iordanus Imperatori in Gregorium Pontificem ante octo annos contumelioso. Accidit vt pius pater tunicam dederit cuidam petenti, egenum & debilem se simulanti. Qua is accepta, ad tabernam meritoriam diuertens, eam vendidit, & in epulis præcium consumpsit. Frater quidam hoc videns, Iordani dixit: Ecce, pater, cui vestem tribuisti, iam is in taberna meritoria eam liguriuit. Ad quem venerandus Pater: Malo me amisisse tunicam, inquit, quam pierarem. Quod enim egi, id pietas suasit, putans eum illa indigere, cum crediderim illum inopem & ægrotum: Itaque eius inopiæ & miseriæ succurrere volebam. Instituerat aliquando Gregorius Pontifex, quorundam Ordinis Cistercien s. & Cluniacens. Monasteriorum, Fratres aliquot Ordinis Præd. censores. Qui accepta authoritate censoria, non seruatis iuriūm ordinibus, licet id iustè fecerint, sententiam mox protulere, & quosdam Abbates suis officiis ac dignitatibus priuauere. Id cum Pontifex cum Cardinalibus accepisset, ad preces eorum qui facinoribus occultandis iniustè se damnatos quiritabant, cupiebat sententias rescindere. Cæterum Iordanes superueniens, faceta hac parœmia reuocauit

Gregorium: ne faceret. Dixit enim: Pater sancte, mihi hoc sæpe accidit, vt dum volo ad aliquod Cisterciensis Ordinis Monasterium declinare, & aduerto consuetam viam in longum protrahi: per tramites autem, inter prata, semitam aliquam compendiosius ducere, hanc persequor, illa derelicta. Quæro itaque: si tunc ianitor me interrogaret, qua via venissem, & intelligeret per tramites: an non seuerior videretur, si me ad consuetam viam remitteret, neque me ad Monasterium introire permitteret? Sic igitur Pater sancte, licet per iuris viam fratres non incesserint, quæ forte nimis longa illis videbatur ad Abbatum istorum depositionem: cum tamen eam censuram meruerint, prout vestra sanctitas de facili potest cognoscere, sustineatis rogo quod factum est, licet per quamcumque viam eo fuerit deuentum.

Nonnunquam causam reddebat, quare citius Philosophi quam Theologi & Iurisperiti, ad religionem conuolarent. Dicebat enim: Facilius bono rustici inebriãtur vino, velut insueti, qui aquam iibare soleant, quam nobiles qui vina optima & fortia non timent, eo quod in vsu habeant. Philosophi quidem tota hebdomada Aristotelis & aliorum Philosophorum aquam epotant: vnde cum in diei Dominicæ sermone, vel festi, Christi Iesu verba & seruorum eius dulcia & vehementia hauriunt, mox inebriati mero S. Spir. capiuntur, & non tantum sua, sed & se ipsos Deo largiuntur. Isti vero Theologi sæpe huiusmodi verba audierunt, & ideo eis sicut rustico æditluo contingit, qui ex assiduo ante aram Dei transitu irreuerenter se habet, & ad illam nonnunquam terga vertit, cæteris inclinantibus reuerenter.

Semel fratres admonens, vt à leuitatibus abstinerent, dixit: *mihi & aliis præsidentibus sicut opilioni accidit, qui magis vnius hirci custodia affligitur, quam centum ouium. Sic vnus insolens magis præsidentem grauat, & domum exturbat, quam alii centum fratres, qui oues sunt, quæ pastorem suum sequuntur, & sibilum eius noscunt.* Semel Parisiis concionans, & sceleribus obnoxios adhortans ad Deum properare, & acta improba relinquere, illaque per sanctissimam confessionem diluere, in illa verba scripturæ, in quibus peccatum inferorum porta denominatur, incidens ait: si quispiam hodie, & cras, & postridie, & pluribus diebus ad cænobium veniens præ foribus aliquem continue sedere adolescentem animaduerteret, nonne de facili ipsum ordinem ingredi velle putaret? Quomodo igitur non est credibile, quod intrent in infernum, qui tamdiu sedent in porta? Aliquando apostatam quendam reducere cogitauerat, & sententias Fratrum rogauerat. Cumque vnus eorum magnitudinem delicti, & promptitudinem ad maiora audendum illis exponeret, Iordanes respondit: Certè, frater, si tu pro isto tantillo viro vnam duntaxat sanguinis guttam fudisses, sicut CHRISTVS Dominus pro ipso sanguinem suum, aliter responderes: Dixerat hæc Iordanes; Frater autem ille in se reuersus, se humi prostrauit, & opinioni reliquorum æquo animo cessit. Semel in conuentu fratrum, quidam frater delatus est, quod mulieri dexteram porrexisset. Cum autem delatus diceret, mulierem illam sanctam esse, tunc Iordanes dixit: *Pluuia bona est, & bona terra: tamen ex eorum commixtione fit lutum, quo cætera fœdantur. Sic & manus viri licet bona fuerit, similiter & mulieris, ex mixtione tamen illarum nonnunquam cogitatio vel affectio mala consurgit.* Plura alia ab eo, non minus arguté, quam sanctè dicta referũtur ad salutem mortalium, quam summopere curabat etsi modis aliis innumeris, tamen vel maxime à deuotione erga Diuam Deiparentem, quam omnibus inserebat. Contigit exinde ab ea istud admirandum. Nobilis quædam & elegantis formæ puella, à patre sub patrui custodia derelicta, dum ab eo tutelam speraret, incidit in corruptelam. Nam vir improbus, bis ipsam grauidam fecit, eoque suadente misella abortum procurauit. Tertio, dum non auderet patruo repugnare, prægnans facta est. Misera in se reuersa, cum nulli facinus manifestare auderet, se ferro occidere annisa est. Gladium enim adeo valide in ventrem infixit, vt ipsum proscinderet: non tamen vt voluerat, è vita excessit. Diro igitur vulnere sauciata, à Dei misericordia visitatur. Cæpit crimen tam enorme miro cordis dolore detestari, & ad pietatis matrem conuersa, lachrymis illam deprecari, vt solita benignitate sibi succurreret, ne saltem anima cum corpore interiret. Mox benignissima misericordiæ parens ei adstans, & corporis conferens sanitatem, iussit vt se totam Iordanis consiliis, qui paulo post erat venturus, subiiceret, id quod ipsa deuotissime expleuit, quippe sancto viro suadente, Ordinem Cisterciensem ingressa, vsque in finem vitæ in sancto proposito perseuerauit.

Tandem Iordanes desiderio visitandi sepulchrum Dominicum, cum Ptolomaidem appelleret, naufragio subtractus est. Dum eius & aliorum ipsius sociorum corpora ab vndis in littus eiecta iacerent inhumata, (vt testabantur qui ab illo naufragio euaserant, quique illos sepulturæ tradiderant) luminaria de cælo super eos singulis noctibus effulserunt, atque multæ cruces à plurimis super eos visæ sunt. Ad quod miraculum loci incolæ confluentes, tanti odoris fragrantiam hauserunt, vt iuxta testimonium eorum, qui tres numero manibus propriis sepelierant, post decimum diem odor nimius ab eorum manibus non euanuerit. Per circuitum autem sepulturæ Beati Iordanis, odoris suauitas latius emanauit; quousque fratres Ptolemaida aduenissent, eumque in suam Ecclesiam transtulissent. Secuta sunt miracula mortem Beati viri, quem plurimi in cælum receptum aspexerunt.

III. OBITVS B. VLRICI FRISACENSIS PRÆDICATORIS ET SANCTITAS. *a Leand. de viris illust. Ord. Præd.*

Hoc ipso anno, *a* ad cælos emigrauit Beatus Vlricus Frisacensis, D. Dominici institutum, in Monasterio Frisacensi professus. In eum Ordinem, à prædicatione Sancti Hyacinthi, Odrouansii, manu eiusdem allectus, præter alias virtutes, quarum exemplar in eodem Diuo Hyacintho expressum imitabatur, contemplationi atque orationi fuerat intentus. Huius suffragio, eas quas non poterat prædicatione curas, circa animarum salutem supplebat: quosque nequibat verbi proloquio, lachrymarum profluuio, à peccatorum voragine abducebat. A Diuinarum rerum contemplatione, sensuum vsu & ministerio destitutus, extra se rapiebatur. Quadam dierum feruentius orans, tanta suauitate perfusus fuit, vt sui oblitus, tædere atque gaudere, & velut nix à solis radiis, ita ille à diuinis fulgoribus liquefieri videretur: ita vt illud quoque, quod olim sponsa repeteret: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, & quia ignis charitatis exæstuans, mea viscera depascitur. Fuit incendium cordis eius tunc adeo in corpus ebulliens, vt plane moriturum reliquerit. Ita ille nulla febre exustus, nulla paralysi dissolutus, nulla denique ægritudine prostratus à solo diuino amore in lectulum mortalem prostratus fuit: exinde animæ & corporis nexu soluto, igneo charitatis curru in Cælum ferendus. Mirabantur Fratres tam citam mortem Vlrico imminere; mox vero poscenti, sacrum Eucharistiæ sacramentum, postremamque vnctionem ministrarunt, quam cum ille summo cum ardore recepisset, in extasin abreptus est. Sine officio sensuum decumbenti, illico facies splendore admirando effulsit. Obstupuerat ad hęc superior, qui solus in cubiculo remanserat. Cumque vrgeret, vt quid sibi accidisset ediceret, narrauit Hulricus: Conspexi, ait, sanctum Paulum Apostolum, vna cum Diuo Patre Dominico, me ad suum consortium inuitantes. Hi mihi dixerunt, me crastina luce, hora tertiarum ab hoc corpore migraturum. Cæterum efflagito, nemini hæc retuleris, donec per Dei benignitatem euenerint. Mane subsequente, vocauit Vlricus fratrem seruitio infirmorum deputatum, quem rogauit, vt quam diligentissime exornaret cubiculum, pro aduentu, inquit, magnæ auctoritatis hospitum quorundam. Obediuit ille: & fratribus quæ audierat nunciauit. Adfuerunt illi hora designata, cum Vlricus: Date, ait, locum saluatori meo Iesu, nunc nunc tecta hæc subintranti, date, ait, & sanctissimæ virgini Deiparæ, sancto Ioanni Præcursori: Sancto Paulo, & aliis sanctis (quos singulos nominibus propriis salutabat) me miserum inuisentibus. Date denique & Sanctæ Agneti, S. Catharinæ, S. Agathæ: huic & alteri sanctæ quas nominabat. Hæc dum Fratres in terram prostrati audirent, ad signum Tertiarum, ab Æditiuo datum, Vlricus è vita mortali ad immortalem excessit, magna sanctitate vitæ illustris.

IV. ITEM B. ARNOLDI TREVERENSIS. *a Leand. vbi sup.*

Non impar huic natione, professione, & pietate *a* B. Arnoldus Treuerensis, is qui nuper defunctum Beatum Iordanem, inter Apostolos elatum aspexerat. Angebatur vehementius, & assidue orabat, vt aliquo certo iudicio cognosceret; num & ipse cælitum consortio dignus esset. Cui oranti Christus apparuit, & è sinu suo manu eductum librum porrexit, vtque in eo nomen suum scriptum legeret, admonuit. Pro certo argumento, illum esse descriptum in vitæ libro. Ea visione confirmatus Arnoldus, sanctam vitam viuere vsque ad mortem perseuerauit.

V. FRID. TVRBAT ITAL. PROHIBENTE GREG. ET FILIVM REGEM ROMAN. IN CARCERE MORI COEGIT. *b MS. Vat. de reb. Ezelini.*

Hoc anno in Lombardia, noui ex veteribus, inter Fridericum Imperatorem, & ciuitates cõfæderatas tumultus: *b* res turbante Ezelino Comite Romano. Quibus componendis, cum Imperator in Gregorii Pôtificis arbitrium inclinasset, is vero tum Magistrum Theutonicorum militum, tum Procuratores ciuitatum Fæderatarum, ad dies festiuos Natiuitatis Dominicæ, ad quos Imperator negotium trãsactum esse volebat, Romam euocasset: & Magister quidem Theutonicorum in vrbe pro die designato comparuisset, hi vero neglexissent: Imperator, Fridericus Magistrum à se missum reuocauit, in Italiam cum exercitu descendit, ac Vicentiam sese dedentem cepit. Interim Nuncii Lombardiæ Ciuitatum inopinato Imperatoris aduentu exciti, Romam aduolarunt, auxilia à Gregorio postulantes. Is porro *c* Friderico scribens postulauit, vt Magistrum militum Theutonicorum in vrbem ad tractandam pacem remitteret, neq; ex tàm leui causa Italiam misceret, & negotium Terræ sanctæ, omnibus Principibus Christianis iam commendatum, impediret. *d* Dedit ea de re litteras secundo tum ipsi Imperatori, vt pacis consilia ne sperneret: tum Magistro militum, vt venire properaret: tum Archiepiscopis Moguntino & Treuerensi, tum Episcopo Ratisponensi Imperialis aulæ Cancellario, & Episcopo Ildesemensi, vt Fridericum ab armis in Lombardos auerterent. Cessit nonnihil Fridericus Gregorio admonenti, cumque Romam ire disponeret, vt in itinere obuias sibi aduersarias ciuitates subiiceret; Cremonam diuertit, seditionemque inter confæderatas vrbes artificio excitauit. Cremona, Bergomum, Parma, Vicentia, Regium Lepidi & Mutina pro ipso dimicabant. Inter confæderatos numerabantur, Mediolanenses, Brixienses, Mantua, Bononia, Fauentia, Patauium, Taruisium, Marchio Atestinus, Comes S. Bonifacii, atque Verona, quæ postmodum suasu Ezelini ad Imperatorem transiuit. *e* Fama erat quasi Mediolanens. Henricum Friderici filium, iampridem Romanorum Regem à patre renunciatum & inauguratum, sed à patre propter grauissimas iniurias animo alienatum, in adiutorium vocassent, & illi diadema Imperii promisissent, quem tamen Fridericus pater præoccupauit, & catenis oneratum in Apuliam misit, inque carcere teterrimo inedia & pædore mori coegit.

c ep. 1. Viterb. 12. Cal. April.
d epist. 103. dat. Interamnæ 4. Id. Iun.
e Chron. Bossian.

VI. FRATER REGIS TVNETANI PER PRÆDICATORES CONVERSVS ET A SICVLIS SPOLIATVS. *f epist. 122.*

Hoc ipso anno Regis Tunetani in Africa nepos per Fratres Prædicatores ad fidem Christianam conuersus, Romam properabat, vt à summo sacramentorum administro, aqua baptismatis ablueretur, & in sacris fidei mysteriis cõfirmaretur. Eum Siciliam prænauigantem, cum Siculi intercepissent, rebus spoliassent, & in custodia habuissent, grauiter Gregorium Pontificem offenderunt. Qui vt catechumenum in libertatem vindicaret, Fridericum Imperatorem admonuit, inq; Siculos seueriores censuras se velle exercere testatus: *f* datis tum ad illum, tum ad istos mandatis Interamnæ nono Calend. Iul.

VII. COMES BRITANNIÆ CRVCESIGNATOS IN ORIENTEM PRO BRENNO DVCIT. *g epist. 254. Reat. 10. C. Nouemb.*

In Orientem, Comes Britanniæ magnas Crucesignatorum auxiliares copias adduxerat, vt Ioanni Brenno Curatori Imperii Constantinop. opem ferret. Eum Brenus, Patriarchæ Constantinopol. authoritate fretus, & Venetorũ armis aliquantum contra eum potentior, ad quædam inæqua cõpellere volebat, iusq; iurandum ab eo extorquebat. Questus ea de iniuria apud Gregor. Comes obtinuit, *g* ne quicquam contra animi sententiam concederet, neue sacramẽto per vim à quopiam apud eum extorto, teneretur. Illud enim ipsum authoritate Apostolicæ sedis Greg. abrogabat, & Balduino Imperat. serio iubebat, ne Comitem aliqua iniuria hoc nomine afficeret. Cæterum cum in Constantinop. Imperio, clerus tum sæcularis, tum regularis, à sanctiore viuẽdi formula hoc tempore deflexisset, volens ad rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ vtrumque reformare Greg. Id negotium Prouinciali Romaniæ, seu Orient. Prouinc. commisit, data ei plenaria sedis Apostol. authoritate, *h* Viterbii 10. Cal. Maii. Porrò ad subsidium Imperio Constantinopol. periclitanti Theobald. Nauatræus & Petrus Maioritarum exiuerant: simul vbi bellum istud cõfecissent, in Palæstinam contra Saracenos arma crucesignata traducturi. Intercesserãt interim nõnullæ discordiæ inter Theobald. & Regem Castellæ atq; Legionis Ferdinandum: quæ in apertum Martem, vel saltem litem intentatam erumperent. Eius rei gratia Gregor. *i* Ferdinãdum quidem admonuit, vt pacem aut saltem inducias interponeret, ne Orientis & Terræ sanctæ negotiũ impediretur: *k* Theobaldo autem concessit, ne eo tẽpore quo sacram militiam depugnaret, à quoquã, excepto summo Antistite, diris deuoueretur.

h epist. 54.
i epist. 339. Interamnæ 3. Cal. Febr.
k epist. 158. Reat. 2. Id. Iul.

VIII. GREG. DISPENSAT IN GRADV CONSANGVINITATIS CVM FRATRIB. S. LVDOVICI ET FILIABVS COMITIS BRABANTIÆ ET TOLOSANI.

In Galliis Robert. Comes Atrebatens. & Alfons. fratres Ludou. Regis, ille quidẽ Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, hic a. Comitis Tolosani filiam, in matrimoniũ postulabãt. Cum autẽ impedimẽto esset sanguinis propinquitas, Gregor. authoritate Pontificia, vt ducerent, dispensauit, datis *l* Roberto literis Interamnæ 14. Cal. Febr. *m* Alfonso vero 6. Cal. Iun. Cæterum cum Tolosanus Comes, iurisiurandi, quo se Ecclesiæ obstrinxerat, parũ memor, pacta inter se & Ecclesiam stabilita violasset, atq; Episcopũ, clerum vniuersum, & Fratres Præd. per summum scelus vrbe eiecisset, bonis exuisset, & pessimis modis tractasset: monuerat *n* Greg. Ludouicus, vt Comitem cõpelleret, ad pacta inter ipsum & sedem Apostolicam stabilita obseruanda: atq; omnia libertati Ecclesiast. contraria edicta rescindenda. Fecit satis Tolosanus, & conditiones pacis innouauit, statuta iuribus Ecclesiæ contraria abrogauit: Episcop. Clerum, & Fratres Prædic. summo cum honore restituit: hæreticos introductos eliminauit: proq; pœnitentia facinorũ Cruce se signari in subsidiũ Terræ sanctæ tolerauit: atq; beneficiũ absolutionis ab Apostolica sede, per Fr. Raymundum Peniafortiũ Barcinonensem Gregorii Pontificis Capellanum & summum Pœnitentiarium recepit. Nam istud muneris ei Gregorius *o* iniunxerat, vt Comitem Ecclesiæ recõciliaret. Eodem pœnitentiarii officio Fratrem Raymundum defungi voluit, erga *p* Regem Aragonum, & Comitem Roncilionis. Nam Rex in canonem inciderat, eo quod electum Cæsaraugustanum, Tarraconam pro conferratione ituriẽtem, Ciuitatis Oscensis introitu exclusisset: Comes autem propter hæresim in carceres coniectus, iis effractis effugisset, & in castrum quoddam munitissimũ sese recepisset. Verumtamen cum spiritu diuini amoris tactus in se rediisset, atque ad eosdem carceres è quibus profugerat libere reuertisset, atque pœnitere se suorum criminum non obscure significasset, absolutionis beneficium promeruit, ea tamen cautione, vt si in hæresim relaberetur, bona illius omnia fiscus regius obtineret.

l epist. 315.
m epist. 86.
n epist. 14. & 359.
TOLOSAN. REDIT AD GREMIVM ECCLES. EX HÆRESI.
o epist. 342.
p epist. 338. Interamnæ 7 Id. Febr.
q epist. 341. & 355.

IX. CRVCESIGNATI GALLI IN ORIENTEM NON ABEVNT, SED IVDÆOS TRVCIDANT QVOD VETAT GREG. *r epist. 213. Reat. Non. Septemb.*

Eodem anno in Galliis, Crucesignati ad succurrendum Orientalibus Christianis collecti, per Andegauensem, Pictauens. Cænomanorum, Turonum, & Briocensium Prouincias discurrentes, arma quę cõtra Paganos deuouerant, in Iudæos conuerterant, & bis mille quingentos ex eis diuersi gradus & sexus, occiderant. Causam prætendebant, quod recusarent, Christi fidem suscipere. Offendit ea cædes Gregorium Pontificem. Quamobrem Ludouico Regi *r* præcepit, vt audaciam malezelatorum reprimeret; homicidas illos quicumque fuerint castigaret, Iudæisque ablata restitui omnia indiceret; Insuper omnes eos secundum legem suam viuere permitteret.

X. OTTO CARDIN. LEGATVS IN ANGLIAM MITTITVR AD COMPONENDOS SCOTIÆ ET ANGLIÆ REGES. *s epist. 201. & 369.* *t epist. 65.*

Ex Anglia, ab Rege Henrico Nuncios ad sedem Apostolicam destinatos, *s* Magistrum Simonem Estelandium, & Nobilem Petrum Saracenum Ciuem Romanum Gregorius in pleno Cardinalium Senatu audiuit. Postulabant illi à Latere mitti aliquem Legatum, qui controuersias inter ipsorum & Scotiæ Regem dirimeret, atque cleri quosdã abusus rescinderet. Excusabat in principio Gregorius, ne mitteret. Præsertim cum non multo ante Rex Legatum petiisset, & ne destinatus adueniret, perscripsisset. Misit tamen Ottonem tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, quem vt Henricus benigne reciperet, haberetque, suo iure postulabat. Interim tamen *t* Regem Scotiæ admonuit, ne quid contra iusiurandum Regibus Angliæ ex more recepto datum moliretur, neue proceres

a *epist.61.& 229.*

ab iuramento ligii Anglo præstitum seduceret. *a* Regi autem Angliæ omnia priuilegia capellis Regiis concessa confirmauit, & ne homines Insulæ Olleroniæ, in iudicium, extra Insulam, vltra sex quas vocant *dietas* traherentur, indulsit.

XI. ARMATI IN CÆLO VISI IN ANGLIA.
b *Polydor. lib.16.hist.*

Hoc ipso anno *b* Calendis Maii, præcipuè in Anglia, visæ sunt in cœlo variæ hominũ formæ velut instructis aciebus dimicantes. Istud portentum immensi imbres secuti, omnia aquis oppleuerunt, & multa millia hominum demerserunt.

XII. VRBEVETANOS ET FLORENTINOS COLVMNA CARDINAL. COMPONIT CVM PISANIS ET SENENSIB.

Initio huius anni Iacobus Columna Cardinalis Prænestinus vrbem veterem à Pontifice missus adiit. Vnde Politianum citatim profectus, Florentinis veteribus vrbeuetanorum sociis ad se petitis: diuturno bello, quod cum Pisanis, ac Senensibus gesserant finem imposuit: coadiutore Fr. Ioanne Vicẽtino Prædicatore, cuius indefesso labore ad pacis studium potissima *Hetruriæ* pars conuersa est. Franciscus Baudimontius.

XIII. EPISC. MÕTIS FALISCI ARMATVS RIDICVLE CVM SVIS DOMVM REMITTITVR.

Ridiculum quiddam hoc anno accidisse memorant. Nam Theobaldus Montisfalisci Præsul, vbi per Nuncios diu à Volsiniensi populo contendisset, vti se eius diœcesi submitterent, atque hac ratione nihil proficeret, per vim ad id compellendos ratus est. Itaq; mediocri equitatu instructus Vulsinum accessit, sed à Vulsiniensibus per iocum exceptus, hoc præter repulsam assequutus est, vt præcisis omnium equorum caudis, nihil satius duceret, quam magno dedecore accepto, ad suos reuerti. *Idem qui supra in Chron.*

XIV. PŒNA NON IGNOSCENTIS PROXIMO.

Per id etiam temporis mirandum quiddam in Belgio accidit, venerabili Iacobo Vitriaco, sacram Crucis militiam, pro Terræ sanctæ recuperatione, indicente. Erant inter duos mortales inimicitiæ, quas pro Concione Vitriacus, deponere suadebat. Cumque docendo nihil proficeret, ad eius qui iniuriam passus fuerat, pedes, semel, iterum & tertio, præsente populi multitudine accessit, rogauitque vt inimico indulgeret. Cum etiam nihil impetraret, conuersus ad populum dixit: Contestor vos, quia qui nos spernit, *spernit & illum qui nos misit.* Proinde Dominum orate, vt aliquo signo ostendat, obstinatum hominem in suam animam hostiliter se gessisse. Nec mora, vbi vir sanctus cum populo orationem expleuit, miser ille euersis oculis, semel, iterum & tertio in terram corruit, oreque cruorem ac saniem despumans, horrendum populo spectaculum exhibuit. Vidit istud populus, & vt hominis misereretur exorauit. Tunc Iacobus fusa oratione prostratum erexit, sospitatiq; restituit: is vero ad genua inimici prouolutus, benigne omnia indulsit. *Thomas Cantiprat. lib. 2. cap.* 18.

XV. TRANSLATIO S. ELISABETH VIDVÆ IN MARPVRG CELEBERRIMA.

Eodem anno, in die Calend. Maii, S. Elizabeth, vidua, in Marpurg, per Archiepiscopos Moguntinum & Treuerensem, & Episcopum Hildesheimensem Commissarios Apostolicos, de tumba subterranea, eleuata est in præsentia Friderici Imperatoris, & multorum Principum, Episcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorum, nobilium & ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æstimatus. Ibi facta sunt coram omni populo infinita miracula ad sancti eius nominis inuocationem. Imperator primum lapidem de Sarcophago leuauit, & productam ex thesauris suis coronam auream, sacro capiti sanctæ viduæ reuerẽter imposuit. Corpus illius in tumba aurea repositum est, statim atque à Gregorio IX. Pontifice sanctis adnumerata esset. *Chron. Hirsaug.*

XVI. IVDÆI CHRISTIANOS PVEROS OCCIDENTES DAMNANTVR.

Ipso isto anno Iudæi, in oppido Fuldensi commorantes, quosdam pueros Christianorum, vt sanguinem eorum elicerent, in quodam molendino clam occiderunt. Corpora puerorum, Imperatori, apud Hagenouiam repræsentata, & *ibidem quasi martyrum magno cum honore sepulta sunt.* Iudæis quampluimis ad incendium postulatis, atque damnatis. *Chron. Hirsaugiens.*

XVII. FRID. IMP. DE HOMICIDIS IVDÆIS SENTENTIA.

Idem ex anonymo auctore sic describitur latius. Apud Fuldense monasterium, Iudæi quoque quosdam pueros Christianorum, in quodam molendino, vt ex eis sanguinem ad suum remedium elicerent, peremerunt: Propter quam crudelitatem, ciues eiusdem ciuitatis multos ex Iudæis occiderunt. Cum autem puerorum corpora in castrum Hagenoue delata, & ibidem venerabiliter tumulata fuissent, Imperator, tumultum, qui tunc contra Iudæos ortus est, aliter sedare non valens, multos viros potentes, magnos & litteratos ex diuersis partibus conuocans, diligenter à *sapientibus inquisiuit: vtrum sicut fama communis* habet, Iudæi Christianum sanguinem in Parasceue necessarium haberent; firmiter proponens, si hoc ei de vero constaret, vniuersos Imperii sui Iudæos perimendos. Verum quia super hoc nihil certi explorari poterat, seueritas Imperialis propositi, accepta tamen à Iudæis magna pecunia, acquieuit. Ad eum modum Christus, in paruulis suis, pretio venditus, sub ære sacrilego sanguinem copiosum secundo effudit. *Ex fragmento historico anonymi auctoris.*

XVIII. SODOMITÆ COMBVSTI IN FLANDRIA.

Eodem anno in Flandris & Atrebatasio, hæretici, seu vt scribunt quidam, Sodomitici plures combusti sunt, per quendam Fratrem Robertum Ord. Præd. Hos Albigenses, seu Stadingenses fuisse existimo: quod vtrique auersos congressus non illicitos, neque infandos esse assererent. *Annal Fland. lib.* 8.

IESV CHRISTI
Annus 1237.

GREGOR. PAPÆ IX. Annus 11. FRIDERICI II. Imp. secundo 8. BALDVINI II. Imp. Or. 9.

I. FRID. MEDIOLANENS. INFESTVS EOS CÆDIT. GREG. EVM HORTATVR VT IN SYRIAM ABEAT.
c *MS. Vatic. vita Ezelini.*
d *Chron. Bessian.*

ET Occidentale, & Orientale Imperium, hoc anno, variè iactatum est. Fridericus nobiliorem partem Occidentis Lombardiam distrahebat, atque diuexabat, siue ab Ezelino, *c* contra quem Patauini XVI. Prætores creauerant, *inflammatus, siue noua iniuria* ab Mediolanensibus recepta irritatus, *d* Elephantum, quem Cremonam transmittebat, illi interceperant. Qua contumelia Fridericus excitatus, cum apertis armis non posset, ex insidiis nobilem partem exercitus eorum adortus, multos cepit, multos in fugam conuertit, atque Cremonam se recepit. Pronocati clade suorum Mediolanenses, hæc Imperatori scripserunt. Arma nos, Imperator, vindicaturi bello scelus tuum, non per insidias vt tu, sed aperto Marte in te, reliquosque tua signa sequutos mouemus. Proinde si sufficit animus, si vires superant, descende in aciem, confer si audes manum. Iam scies aliud esse virorum more decernere, aliud abditum syluis latrocinantium ritu in improuidos irruere. Nihil nos nisi atrox atque immane in te, gratissimosque tibi Cremonenses cogitamus. Si tanta est quantam iactas virtus tua, repelle quæ tibi afferimus incõmoda. His Mediolanensium verbis lacessitus Imperator, relicta Cremona, Laudem Pompeii quæ à Mediolanensibus stabat, obsedit, & tandem post varia certamina tertio mense cepit, deuastauit, spoliauit, & primores Laudensium captiuos in Apuliam misit. Cum autem Mediolano immineret, incendioq; bellico omnia flagrarent, ad restinguendum tam infame incendium *e* Gregorius ad Fridericum destinauit à Latere Legatos, Raynaldum Episcopum Ostiensem, & Thomam Capuanum tituli S. Sabinæ præsbyterum, Cardinales, cum plenaria potestate controuersias cognoscendi atque dirimendi. Significauit istud Friderico, vt is tandem agnosceret, non minus pacem Italiæ, quam honorem Imperatoris, sibi atque sedi Apostolicæ cordi esse. Proinde obsecrabat, vt illos beneuole aspiceret, exaudiret, & totum negotium arbitrio eorum permitteret. Paulò post misit quoque ad eundem Fridericum, *f* Fratrem Thomam Monachum ex S. Anastasii ad tres fontes cænobio: qui cum eo ad deliberandum de traiiciendo in Palæstinam Crucesignatorum exercitu, deque designando die descenderet: post quam tempus induciarum efflueret, & res Christianorum non turpem pacem, sed iustum bellum postularent: atque Crucesignati ex omnibus Europæis Prouinciis magno labore euocati, summo desiderio quam primum transfretare properarent. Ne itaque pii illi milites, maximo cum damno & suo, & Syriæ expectantis, amplius detinerentur, sed quantocius expedirentur monebat Imperatorem, ne diem ex die, quod antea, differret.

e *epist. 28. Viterb. 10. Cal. Iun.*
f *epist. 284. Later. Non. Nouemb.*

II.

Orientale quoq; Imperium, hoc anno ab Asano Domi-

no Blan-

ORIENTALE IMPERIVM PER BVLGAROS TVRBATVR.
a *Petrus Marcel. in Iacobo Tepulo.*

no Blanchorum & Bulgarorum, atq; Ioanne Vatacio non modice turbatum est. Hi enim animis ab Ioanne Brenno Curatore Imperii, & à reliquis Romani ritus Catholicis alienati, *a* totis viribus arma parabant ad Constantinopolim oppugnãdum. Eam non multo postea obsessam, magna virtute ab hostibus liberauère Venetorum primarii. In classem enim aduersariam inuecti, paruo temporis momẽto, quatuor & viginti hostiles triremes, reliquis in mare disiectis oppresserunt, vrbemq; obsidione liberatam ingressi sunt. Classe Venetias deducta, non diu hostium conatus quieuere. Vatacius namque quinque & viginti triremium classe comparata, Ioannes autem Asanes terrestribus copiis conscriptis, iterum Constantinopolim obsidere properabant. In discrimen itaque omnibus Latinis Constantinopoli adductis, conabatur Gregor. Pontifex opem ferre. Et quidem *b* cum Balduino Imperatori per id temporis in Galliis hærenti, pericula renunciasset, admonuit, ne quam plurimos auxiliarios transmittere negligeret. Cæterum si quid iuris in Bulgariæ Regno prætenderet, vt illud in manus sedis Apostolicæ deponeret. Namque Pontifex hoc anno *c* Episcopum Perusinum Legatum ad Asanem miserat, tentatum, si forte id quicquid controuersiarum intercesserat, authoritate Apostolica dirimeret. Cui negotio, ne impedimento esset illud quod Balduinus in regno Asanis iure ad se pertinere putauerat, admonuit, vt totum in arbitrium sedis Apostolicæ remitteret. Facile siquidem poterat inter eos Legatus pacisci, si Balduinus abdicabat se eo, quod siue ex æquo, siue ex iniquo vsurpabat. Quod si per contumaciam Asanis pax non poterat confici, facile erat Gregorio Belam Hungariæ Regem circumuicinum, ea ratione contra Asanem animare, atq; ad iustum bellum suscipiendum impellere, si illi omnia Balduini in regno Bulgariæ iura & bona in præmium militiæ ostentasset. Namq; Belam Hungarum, inter cæteros Greg. magis idoneum, siue paci conficiendæ, siue bello contra hostes Latinorum gerendo designarat, quem *d* scriptis hortaretur, vt Episcopum Perusinum ad Asanum properantem benigne haberet, atq; consiliis adiuuaret, tum deinde vt Bosnæ Episcopo iniungeret, si qua ratione Ioannem à schismate Græcanico, ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & à bello contra Latinos suscepto ad pacem & concordiam adducere posset. Quod si Asanus barbara peruicacia vtrumq; contemneret, vt & ipse arma contra eum susciperet, & Cruce signatis quorum ingentem numerum ex Galliis, Britannia, & aliis Prouinciis, conscripserãt pij viri, per Hungariam transitum ea qua par erat facilitate concederet. Scripserat quoque Gregor. *e* Vatacio, admonens vt à vexatione Imperii Constantinopolitani desisteret, neue sibi periculum aliquod vitæ aut fortunarum accerseret: cum sibi promptum foret, tantam insolentiam, si censuras Ecclesiasticas contemneret, etiam armis vindicare. Confidebat Gregorius & merito in virtute & numero Crucesignatorum, quorum ingens multitudo voto se astrinxerat, ad subueniendum illis à latronibus obsessis *f* Solus Comes Britanniæ duo millia equitum & decem millia peditum conducebat: cæterorum innumerabiles copiæ videbantur, quas Prior Parisiensis & F. Guilelmus Oleronius Ordinis Prædicatorum, authoritate Apostolica à Gregorio Pontifice *g* commissa, ad exsoluendum se votis sponsis, in subsidium Imperii Constantinopolitani exciuerant.

b *epist. 374. Lat. 6. Cal. Febr.*
c *epist. 96. Viterb. 12. Cal. Iun.*
d *epist. 97. Viterb. 12. Cal. Iun. & epist 373 Later. 6. Cal. Febr. & ep. 448. Lat. 4. Id. Mart & ep. 110. Viterb. 2. Cal. Iun.*
e *epist. 95. Viterb. 12. Cal. Iun.*
f *ep. Greg. 351 dat. Later. 2. Id. Iun.*
g *epist. 288. Lat. 3. Cal. Nouemb. & ep. 296. Later. 5. Id. Nouemb.*

III. INNVMERÆ COPIÆ CRVCESIGNATORVM AD LIBERANDVM ORIENTEM. TIMET EAS FRID. II.
h *epist. 447. Lat. 4. Id. Mart. & ep. 413. Lat. 4. Cal. Mart.*

A tanto numero Crucesignatorum cum Germaniæ timeret Fridericus Imperator, neque eos per Prouincias Imperio subiectas trãsire permitteret, habuit illum Gregorius Pontifex *h* monere, misso ad ipsum Guilelmo Subdiacono Apostolico & Notario, qui hortaretur, ne impedimẽto esset piis viris, ne toleraret reliquias Latini nominis in oriente interire, ne in extremum discrimen Constantinopolitanas Ecclesias adduci fineret, ne se schismaticis fauere ostẽderet, neue eo modo, auxilia etiam in Terram sanctã submissa, auerteret, cum facilius sit terrestri itinere Hierosolymam proficisci, Cõstãtinopoli ab obsidione hostili liberata. Quod si contemneret, neque Crucesignatos transire fineret, sciret profecto Ecclesiam Romanam ista conniuenti oculo aspicere non posse: quippe cum istud cedere videatur in vilipendium sedis Apostolicæ, & totius Christianitatis ruinam, Porro tanta erat multitudo Crucesignatorum, vt Gregorius & Britanniæ Comiti iniunxerit, vt ex suis illis signatis nonnisi mille quingentos equites, & sex millia pedites duceret: & *i* Balduinum Imperatorem in Galliis subsistentem, qui primo Martio Constantinopolim reuerti ex voto decreuerat, voto sacro tunc exsoluerit, eiusque reuersionem in Augustum subsequentem distulerit; quod eius præsentia non tantum in Oriente, quantum in Galliis necessaria videretur. Non difficile vero fuit tantum numerum sub signa congregare. Namq; Gregorius omnes Crucesignatos à molestiis Creditorum & vsuris fæneratorum tantisper exemerat, quantisper sacram militiam militarent, inque eam rem *k* S. Ludouico Regi, relictæ Philippi viduæ Reginæ, Duci Burgundiæ, Comitibus Niuernens. Montfortio, & Vindocinensi, Comitissis Flandriæ, Bononiæ & Drocensi, atque vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & principibus Galliarum scripsit, admonens, ne à Creditoribus regni sui Crucesignatos exactionib. vel vsuris, vel aliis modis molestari permitteret, donec in ea pia militia fuissent occupati, vel de morte alicuius eorum certissime cognoscatur. Ad eandem piam militiam sumptibus iuuandam, Gregorius Pontificem *l* Fr. Guillelmo, Oleronio Ordinis Prædicatorum iniunxerat, vt omnia à Christi fidelibus in subsidium Imperii Constantinopolitani relicta, vel codicillis legata colligeret, & Comiti Britanniæ assignaret: qui se ad defensionem Imperii accingebat.

i *epist. 290. Lat. 2. Cal. Nouemb.*
k *epist. 106. Viterb. 6. C. Iun.*
l *epist. 350. Lat. 6. Id. Ian.*

IV. MASSILIA DEFICIT AD TOLOSANVM A COMITE PROVINCIÆ.
m *epist 101. Viterb. 13. Cal. Iu.*
n *epist. 254. Viterb. 2. Non. Oct.*

Per id temporis Ciuitas Massiliensis, à fide Comitis Prouinciæ, ad Tolosanum Comitem desciuerat: qui eum non ita pridem armis vexauerat. Monebat Gregorius *m* S. Ludouicum Regem, Blancham reginam, Comites Britanniæ & Marchiæ, & vniuersos Archiepiscopos & Episcopos regni Galliarum, vt Comitem Tolosanum, ad satisfaciendum Comiti Prouinciæ inducerent, siue compellerent. Forte ex hac occasione Prælat. Galliarum nimis liberaliter sententiam excommunicationis, etiam in non participantes in crimine promulgabant. Iniecerat ea res scrupulum S. Ludouico. Quem vt à pio illius pectore Gregorius eximeret, *n* declarauit posse illum & suos quoscunque excommunicatis communicare; non tamen in crimine, propter quod diris deuoti.

V. OTTO CARDIN. IN ANGLIAM VENIT, REGVM CAVSAM COGNOSCIT, SACERDOTVM MORES ET DISCIPLINAM CORRIGIT.
o *ep. 2. Viterb. 2. Cal. April. & ep. 49. Viterb. Idib. Maii & Polyd. hist. lib. 16.*

In Angliam & Scotiam, Otto Cardinalis tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Legatus à Gregorio Pontifice destinatus venit, qui discordias inter Reges illos coram cognosceret, componeret, atque pacem stabiliret. *o* Vtrique Regi Gregorius eum per litteras commendatum fecit. Iniunxit etiam Pontifex Ottoni, vt sacerdotalis ordinis statum recognosceret, ac quatenus opus esset, corrigeret. Is porro Legatus, Antistitum aliorumque Sacerdotum Conuentum Londini celebrem fecit: in quo post longam consultationem, de Patrum sententia, leges plurimas sanciuit: quæ deinceps sacerdotalem dignitatem maxime conseruarunt. Post hæc causa iuuandi Asiatici belli, imperandas sacerdotibus decimas omnium sacerdotiorum curauit. Per idem temporis Rex collocauerat Alleonoram sororem, Guillelmi Glocestriæ Comitis relictam, Simoni Comiti Montisforris. Edmundus Cantuariensis Antistes, volebat istud matrimonium diremptum esse, quod à Glocestriæ Comitis morte Eleonora votum castitatis concepisset. Cæterum cũm Gregorius Pontifex illam voto exsoluisset, Edmundus præter odium Regis Henrici, ex controuersia mota, nihil lucratus est.

HENRICI REGIS ANGLIÆ SICARIVS DEPREHENSVS OCCIDITVR.

Parum aberat, quin hoc anno Rex Henricus à quodam milite per insidias occideretur. Insigni quadam iniuria, illum Rex affecerat. Quam cum vindicare cogitaret, destinauit in animo, noctis silentio cubiculum penetrare, atque Regem obtruncare. Et vt sine suspicione, tempus & locum edendi facinoris liberius obseruaret, amentem se simulauit. Erat per eos dies Rex in Vodestocano suo, quibus ille tale facinus animo versabat, qui postquam omnia accurate explorasset, nocte intempesta per fenestram cubiculum insiliens, ad lectum regium rectà contendit: & læua manu remotis stragulis, ferro puluinar frequentibus ictibus percussit, arbitrans, se Regem fodere: quia ea nocte, vt forte accidit, cubiculũ mutauerat. Cognita re ab vna puella Reginæ cubicularia, quæ vigilabat, excitatus fuit clamor, Sicarius comprehensus, & ad supplicium datus. Ita nihil fuit propius factum, quam vt Rex trucidaretur: exem-

VI. GREGOR. NEGAT POSTVLATVM EPISCOP. OXOMENSEM AD LEGIONENSEM CATHEDRAM TRANSFERRI.

a *epist.* 249. *Viterb* 12. *Cal. Oct.*

b *epist.* 310. *Later.* 2. *Nō. Decemb.*

VII.

c *epist.* 381. *Lat.* 5. *Cal. Febr.* PERMISSV GREG. DANVS CANONICOS, EP COLLEGII SINGVLOS IN CŌSILIARIOS ASSCISCIT

VIII. ECCLESIAM VRATISLAVIENS. AB HENRICO DVCE LI BERAT.

d *epist.* 372 *Lat. id. Ian.*

IX. SVMMARIVM GESTORVM GREG. IVSSV ANNI.

e *epist.* 81. *Viterb.* 4. *Id. Mait.*

f *epist.* 446. *Lat.* 4 *Non. Mart.*

1. *pag.* 2.
2. *pag* 93.
3 *pag* 225.
4. *pag.* 19.
5. *pag.* 19.
6. *pag.* 77.
7. *pag.* 121.
8. *pag.* 70. & 173.
9. *pag.* 63.

X. ALIQVOT EX ORDINE D. DOMINICI SS. B. VOLANDVS ARGENTINENS.

g *Luitfran. in Chron.*

XI. B. LANFRĀCHINVS IANVENSIS.

plo futurus omnibus, vt à contumelia etiam in infimos abstineant, si capitis periculum euitare desiderant.

Eodem Anno Gregorius Pontifex Regi Castellæ Ferdinando *a* concessit, vt in locis quæ manibus Saracenorum eriperet in posterum, posset rectores Ecclesiarum prima tantum duntaxat vice ad arbitrium suum electos præsentare Episcopis. Cæterum cum per id temporis Regni illius Cancellarius Episcopus Oxomensis, ad Ecclesiam Legionensem postulatus fuisset, atq; Ferdinandus eam postulationem à sede Apostolica confirmari, eumque postulatum ad cathedram Legionensem transferri oraret, Gregorius denegauit, quod videret Ecclesiam Oxomensem multum posse incommodari ex translatione postulati: qui vir maximi consilii & dexteritatis audiebat. Excusauit factum suum Gregorius *b* datis litteris Ferdinando, ac vtriusq; Ecclesiæ collegio.

Hoc ipso anno Gregorius Papa, *c* Regi Daniæ potestatem fecit, vt ex qualibet Cathedrali Ecclesia Regni sui, vnū Canonicum, quem existimaret pro suis necessitatibus & Regni vtilitatibus opportunum, eligeret: qui quidem lateri Regio à Consiliis esset: & nihilominus fructus Ecclesiarum, solis quotidianis distributionibus exceptis, perciperent, in quæ vsus proprios conuerterent.

Cæterum cum hoc ipso anno, Dux Siliesiæ Henricus, Ecclesiam Vratislauiensem magnis calamitatibus afflixisset, *d* monuit illum Gregorius, vt ab iniuriis abstineret. Quod si negligeret, porectarem Abbati Andreiouiens. & Canonico Cantori Cracouiensi dedit, vt per censuras Ecclesiasticas refractarium compellerent.

Hoc quoque anno Gregorius *e* Prouinciali Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, facultatem visitandi & reformandi Monasteria Cistercien sis Ordinis, in Lombardia, Æmilia & Marchia Tersisina vniuersa cōmisit. *f* Vniuersis Fratribus Prædicatorib. & Minoribus in Prouinciis vltramarinis in conuersione Paganorū occupatis, priuilegia Crucesignatorum concessit. 1. Inquisitionem vitæ & miraculorum Beati Benæuenuti, 2. & B. Ioannis de Monte mirabili fieri præcepit. 3. Festum S. Eduardi Regis Angliæ celebrari. 4. & S. Franciscum in maiore veneratione haberi mandauit. 5. vt Patriarcha Aquileiensis nouum Episcopatum erigeret, permisit. 6. ne Sacerdotes Prouinciæ Nidrosiensis matrimonia contraherent, inhibuit. 7. vt Clerus Insulæ Corsicæ ad Ecclesiasticam disciplinam reuocaretur ordinauit. 8. Super ritu conficiendæ Eucharistiæ, & Sclauorum baptismate Patriarchæ Hierosolymitano multa præscripsit. 9. Examen vitæ atque miraculorum B. Hildegardis Abbatissæ, aliquibus commisit, aliaque innumerabilia ex re Ecclesiarum plurimarum magna cum laude gessit.

Ferè hoc anno, Cælitibus, adiunctus est, ternarius Beatorum, ex Ordine D. Dominici. *Volandus* eorum vnus fuit, patria Argentinensis, gente Germanus: & verè germanus, atque vel è volandus. *g* Tanta illi morum simplicitas erat, tantus vitæ candor, vt ex illo Apostolico præscripto, Quasi modo genitus infans nonnisi vel lac ex vbere vel cruorem è latere Dominico perforato, sitiret: sed sine dolo. Nam tanta illi passionis Dominicæ cupido, vt ore nihil aliud efferre, & pollice nihil aliud signare posset, præter Crucem & passionem Iesu, quam pectori suo impressam esse perpetuo testabatur. Non fefellit eos, quibus dixit. Post obitum enim, cum pectoris eius ossa exesa considerarent, viderunt qui viderunt, eadem in modum Crucis, mirum in modum compaginata. Nam tota latitudo ossis clypeata erat: superiores Crucis extremitates in lilia desinebant: inferior autem cuspidato mucrone figebatur: color crucis cæruleus videbatur.

Non impar Volando, *Lanfranchinus* Ianuensis fuit. Dici non potest, quanto desiderio teneretur cōtemplandæ Dominicæ passionis. Eo tempore cum religiosi corporis necessitatibus nonnihil concedunt, ad commune Refectorium accedentes, ille ad Ecclesiam exiliebat, & Cruci affixi Iesu imagini aduolutus expostulabat: Ecquis tam immane scelus ausus est, vt te mi Iesu vulneraret! Ecquid istæ plagæ in medio volarum tuarum! O scio, scio, me, ô, me te plagasse. Alia plura, piæ compassionis verba miscebat, & Christum Cruci suffixum in suo corpore exprimebat: neq; solatium aliquod admittebat, donec à superioribus pia contentione extorsisset permissionem, Terram Christi cruore insperſam visitandi.

XII. B. ROBALD.

Quam cum attingere properaret, extinctus est. *Beatus Robaldus* eiusdem instituti apud Mediolanenses confessor, cum ex more religionis pro anima defuncti Lanfranchini sacrum missæ officium offerret, & inter mortuorū memoriam aliquantulum moraretur, aspexit Diuam Deiparentem, in brachiis, animam Lanfranchini multo plus sole lucidiorem sibi semel & secundo & tertio exhibentem, dicentemque. Ecce anima amici, pro quo tu sollicitus sacram hostiam litasti.

XIII. B. FRVGERIVS PENNENSIS.

Tertius se his adiungit Beatus Frugerius Pennēsis, is qui Gregorio Nono testimonium perhibuit de sanctitate vitæ Diui Dominici. Non illibet afferere, quæ ille affirmabat, istis ipsis verbis: *h* Reginaldus me in ordinem Prædicatorum admisit, & his, inquit, vestibus induit, ac vota in illius verba professus sum. In hac vrbe, & in aliis postea cum D. Domin. fui. Nam quocumq; iret, illum comitabar; & cum eo, dum ederet, biberet, oraret, aut officia diuina peragereret, & de Deo loqueretur, familiariter versatus sum, cuius etiam confessiones audiui. Erat ille vir, siue in monasterio esset, siue in itinere, in orationibus suis, religione, attentione, & assiduitate mirabili. Sermo illi aut cum Deo, aut de Deo semper erat. Numquam scire potui, vbicumque essemus, illum in lecto dormisse. Dormiebat autem vel innixus parieti sedens, vel humi iacens, quandoq; autem in paleis. Ea refero, quæ vidi. Aderam crebro sacrificium Missæ facienti, in quo semper faciem illius madidam lachrymis videbam. Numquam illum proculisse verbum, quod esset inane, aut quod vllo pacto reprehendi posset, vel ego sciui, vel ex alio quoquam audiui. Salutem animarum tam optabat ardenter, vt pro salute infidelium ad illos se conferre, & pro illis sanginem effundere voluerit. Hoc desiderium crebris adhortationibus, etiam in suis excitabat. Corpus suum durissime ieiennis, vigiliis, verberibus & aliis quibuscumque modis poterat, macerabat. Ieiunia vel ab Ecclesia, vel ab ordinis sanctionibus instituta, adeo constanter seruabat, vt illa sibi nec in itinere quidem remitteret, nec ante constitutam ieiunantibus horam pranderet; cum tamen suos eodem tempore comites ieiunare non sineret. Vna sola per æstatem, ac per hyemem tunica vtebatur. Erat præterea summus paupertatis amator & cultor, & ad eam obseruandam suos quam maxime admonebat. Quamobrem & amplas possessiones abdicauit, & ædificiorum amplitudinem redarguit, & simul alia multa initio ordinis in Fratribus castigauit. Verumtamen tanta illi erat verborum in castigando suauitas, vt quamquam aliqui grauius multarentur, ab eo tamen non multam sed beneficium se accepisse testarentur. Nullam præterea in eo mortalem culpam ego deprehendi, cum sæpius mihi confitentem audierim. Hæc & alia quamplurima de Diuo Dominico Frugerius referebat: quæ à D. Dominici exemplo idem ipse in seipso, sancta æmulatione expresserat.

a *Thom. Fazell de reb. sicul. lib.* 8.

b *ep.* 129. *Later.* 3. *Non. Iun.*

II. VENETOS ET GENVENSES CONFŒDERAT GREGORIVS METV FRID.

c *Blond. lib.* 7.

III. TRANSITVM CRVCESIGNA-

IESV CHRISTI
Annus 1238.

GREGOR. PAPÆ IX. Annus 12. FRIDERICI II. Imp. secundo 9. BALDVINI II. Imp. Or. 10.

I. IMPIETATES EZELINI ET FRIDER. II. IN ITALIA.

IN Italia, si alias aliis temporibus, isto anno omnia ferro & flammis vastabantur, ab Ezelino tyranno, & Friderico Imperatore. Is enim exercitibus admotis, *i* Patauium sub iugum misit, & vrbi præsidium, atque præfectum Comitem Simonem imposuit, libertatis iuribus violatis. Brixiam postea Mediolanensium sociam tribus mēsibus & octo diebus obsedit: Papiamque sui iuris fecit. Taruisium quoque quod hactenus Lombardiæ confœderatis ciuitatibus adhęserat, à sociis dissociauit. Insuper Ferrariam & alias quasdam terras ac villas in Lombardia ad ius Ecclesiæ spectantes eripuit, atque Sardiniæ insulæ, quæ in Diui Petri patrimonio fuerat, Hentium suum nothum Regem imposuit:

i *M. S. Vatic. de Ezel. & Chron. Bessiana.*

cum

cum è contrario Mediolanenses eruptione facta Papiā recepissent, Brixiam ab obsidione liberassent: Bergomatium agros, bona, villas, oppidaque inuasissent, diripuissent, atque diruissent. Vtrimque igitur cum cædibus & sanguine omnia fœdarētur, Gregorius Pontifex officio nō defuit, sed missis Nunciis tum ad Imperatorem Fridericum, tum ad fœderatas Ciuitates, incendium Italiæ restinguere conatus est. Frustra tamen laborauit, Æthiopemq; Fridericum lauit. Nam is Pontificia authoritate neglecta, solius Ezelini crudis consiliis obaudiens, ex eaque occasione se posse de Ecclesia vlcisci confidens, nec quicquam ab armis sibi temperabat. Quos enim partium *a* Gregorii capiebat, crudelissime in eos sęuiebat. Crudelitatem quoq; in Prælatos exercebat, quorum multos Archiepiscopos, Episcoposque partim occidit, plures carceri addixit, nonnullos exilio mulctauit, in quibus fuerunt Cephaledensis & Catanensis, cuius fuerat alumnus, Episcopi. Hi omnes Romam profugi, Pontificis aures rumoribus impleuerunt, subsidiumque imploraruntHos vt in libertatem assereret Gregorius, Friderico Imperatori scripsit. Templa etiam plura, propter belli necessitates Fridericus depilauit, ædemque Diuæ Mariæ Admirati Panormitanā, omni auro sacro & argento spoliauit. Nummos ex corio militibus distribui iussit: quos cum illi expendere non possent, per vim omnia vendentibus rapiebant. Saracenos ad id bellū ex Africa euocatos in summo honore apud se habuit, magistratus per Siciliam & Italiam eis distribuit; eosq; lege lata adeo saluos esse voluit, vt Christiani, qui se illis opponebant, impune occiderentur. Adeo autem furiis inuectus in vrbes Italiæ ferebatur, vt maxima pars ciuium eius aduentu præaudito fugam è patria quæsierit, & vel montibus inaccessis se abdiderit, vel in alia regna commigrarit. Contra Gregorium quoq; iterum Ioannem Cencium, & aliquos Romanorum ciuium, excitauit, & vt per seditionis tumultū vel occideretur, vel contumelia saltem aliqua insigni afficeretur, curauit. Cumq; Rex Angliæ Henricus, eiusdem Friderici affinis, Legatos ad Sedem Apostolicam per id temporis misisset, ille vnum ex eis, Petrum Saracenum Andreotium Ciuem Romanū intercepit, & contra ius gētium in carcerem coniecit. Forte enim sibi metuebat, ne eo operam interponente, Rex Angliæ auxilia tam ciuitatibus Lombardis, quam sedi Apostolicæ submitteret. *b* Misit hoc anno Gregorius ad eum Florentinum Episcopum Legatum, qui illum oraret, ne iura Gentium violaret, vtque Petrum captiuū eliberaret: tum deinde vt arma contra Ciues confœderatos deponeret, remq; iudicio Ecclesiæ permitteret: tertio vt ea in Saracenos cōuerteret, Terramque Sanctam ne amplius in manibus Saracenorum relinqueret, neve pacis aut inducianum fœdera secundo cum illis iniret. Quod si Apostolica mandata contemneret, nonnisi grauissimam Ecclesiæ manum expectaret. Hæc omnia surdo ingerebat Gregorius.

Quamobrem, cum etiam de rebus fidei, non ex pietate Catholica illum sentire doctus esset, magna vsus prudentia, *c* Venetos Genuensesque timore belli potius & suspicione, quam bello inuicē exosos, ad solida pacis fœdera perducere curauit. Vocatis Romam ab vtraq; parte Legatis, pacem nouem annis continuis duraturam inter eos his conditionibus constituit: bella vterque populus susciperet gereretque communia: nec pacem, amicitiam, bellum ve alter sine altero, cum quouis, & præsertim cum Vatacio Græco Imperatore habere aut inire posset, & vtriusque populi naues, & militares copiæ amborū simul deferrent insignia. Decreuit insuper Gregorius vt, qui primum contra eius pacis conuenta aliquid efficeret, anathemate damnaretur, sacrisque eius prouinciæ ipso momento interdiceretur. Faciebat Gregorius, vt vires confœderatarum vrbium contra Fridericum augeret, cōfirmaretque. Nam in animo habuit in contumacem, arma spiritualia & sacerdotii propria exercere. Et certe ea pax alioquin laudabilis, vel ea ratione maxime fuit necessaria, vt hi præpotentes Italiæ populi, & Friderico in Lombardia, Campania, Picæno, Samnio, Siciliaque, & Græcorum Imperatori Latinos apud Constantinopolim opptimenti possent resistere.

Istud vnicū boni Fridericus fecit, quod ad Gregorii preces Crucesignatos in subsidium Constantinopolitani Imperii euntes, libere per prouincias Imperii transire permisit: *d* literasque salui conductus, & securi transitus, aurea bulla, ad diem septimū Decembris, Indictionis vndecimæ, apud Cremonam signatas, illis omnibus & singulis misit. Nam hoc anno reliqui Crucesignatorū, vna cum Balduino Imperatore Comite Namurcensi ex Galliis & Britannia discesserant, & Constantinopolim properabant. Inter Crucesignatos post Imperatorem præcipui numerabātur, Theobaldus Nauarræ Rex & Campaniæ Comes: Comites, Hēricus Barensis. Petrus Britāniæ, Aimericus Montfor. Richardus frater Regis Angliæ, Anselmus de Insula, & alii. Obsecrabat Gregorius *e* Colomanum Regem Ducem Sclauoniæ, vt Balduinum Imperatorem per terras suas vna cum Crucesignatis proficiscentem benigne susciperet, & absq; omni noxa transire sineret. Cæterum cum Balduinus de fide Friderici Imperatoris & reliquorum principum dubitaret, ne per vim aliquid ab eo in itinere contra iura Imperii Constantinopolitani extorqueret: *f* indulsit ei Gregorius, Pontificia authoritate, vt si vel in Germania, vel in Hungaria, vel alibi locorum, in animæ suæ periculum, & graue aliquod Imperii Constantinopolitani præiudicium, etiam iureiurādo interposito, sed per necessitatem itineris extorto, aliquid alicui concessisset, illud nullius roboris ac momenti esset: ac ipse nullo sacramento per metum exacto teneretur: cum ipse imperii iura illibata teneretur & seruare, & armis vindicare. Cumque etiam metueret, ne prætextu diplomatum Sedis Apostolicæ, à quoqam, coram aliquo Legatorum à Latere, vel delegatorum à Romana Sede conueniretur, & per iudiciarios iniquiores processus in discrimen censurarum Ecclesiasticarum, & exinde in periculum dignitatis & diadematis adduceretur, *g* concessit eidem Gregorius, ne prætextu quarumcunque literarum vel Commissionum Apostolicæ Sedis posset conueniri, in quibus nomine proprio Balduini Imperatoris Constantinopolitani non exprimeretur. Ne autem sumptibus auxiliaris destitueretur, *h* scripsit Greg. Regibus Galliæ & Angliæ, Richardo Comiti Cornubiæ fratri Regis Angliæ, Reginæ Blanchæ matri S. Ludouici, Ottoni Cardinali Apostol. Sedis Legato, Vniuersis Archiepiscopis, Episcopis & Prælatis Regni Galliarum & Angliæ, & Prouinciali Galliæ Ordinis Prædicatorum, vt tricesimam partē fructuum Sacerdotiorum contribuerent, exigerent, & in subsidiū Imperii Constantinop. atq; terræ Sanctæ transmitterent. Priori quoque Parisiensi Ord. Præd. Greg. iniunxit vt indulgentias & remissiones peccatorum prædicaret illis, qui in Orientem Cruce insigniti proficiscerentur.

Præcipue enim Imperium Constantinopolitanum periclitabatur, à morte Ioannis Brenni Hierosolymitani Regis, & eius Imperii Curatoris. *i* Nam is per hos dies sanctè obierat, in extremo vitæ institutum D. Franc. vt aiunt, amplexus: Fertur, quod S. Franciscum clarè inter orandum vidisset, suum sibi habitum offerentē, quare vocato statim confessario, habitū illum induit, nec multo post febre correptus, quasi vndecima hora adueniens, denarium tamen accepit. Porro periculum Latinis in Imperio Constantinopolitano imminebat, ab Asano Domino Bulgarorū homine hęretico atq; schismatico: qui vna cū Ioanne Vatacio, seu Duca, qui Imperium Orientis iam à sexdecim annis sibi vsurpabat, viribus coniunctis Latinos rerum hactenus potentes ex Oriente eiicere, siue etiam delere cogitauerat. Contra vtrumque hostem cum Balduinus properaret, hoc anno, scripsit *k* Greg. Duci & Senat. Venetorum, vt illum adiuuarent, neq; Imperium ei eripi sinerent, donec is cum exercitu aduenire: post quam etiam rei Venetæ id maxime interesset, si Imperium Constantinopolitanum à Latinis administraretur. *l* Scripsit in eandem rem Belæ Regi Hungariæ, vt arma in Asanum schismaticum & hęreticum susciperet, quæ autem ex eo caperet, ea sub iure retineret. Scripsit & Prouinciali Hungariæ Ord. Prædicat. & Ministro Ord. Min. Prouinciæ Strigoniens. vt vota Crucesignatorum pro subsidio Terræ Sanctæ facta, in eā contra Asanum expeditionē susceptam commutarent, & contra eundem piam militiam Christi signo insignirent. Cæterum cum aliqui ex Crucesignatis cōquererentur, negotiū Terræ Sanctæ impediri: habuit Gregorius datis literis *m* Regi & Crucesignatis Nauarræis ostēdere, subsidiū Palęstinæ cordi esse. Verumtamē non se posse omittere, quin Imperio Constantinopolitano succurreret.

d *literæ* TIS INDVLSIT PER SVAS PROVINCIAS ERID SALVO CONDVCTV.

d *inter Greg. epist.* 360.

e *ep.* 314. *Later.* 6. *C. Decemb.*

f *ep.* 322. *Later.* 6. *Id. Decemb.*

g *epist.* 347. *Lat.* 5. *Idus Decemb.*

VARIA INDVLTA CRVCESIGNATIS AB GREG. DATA.

h *epist.* 311. *Lat.* 8. & 7. *Cal. Decēb. & Later.* 11. *Cal. April. ep.* 7.

IV. MORITVR IO. BRENN. INSTITVTVM DIVI FRANCIS. AMPLEXVS VNDE IMPERIVM ORI. PERICLITATVR.

i *Platina lib.* 2. *c.* 26.

k *epist.* 324. *Lat.* 6. *Cal. Decemb.*

l *epist.* 321. *Anag.* 5. *Id. August. &* 213. *ibidem.*

m *epist.* 330.

Præsertim cum exinde facilius auxilia subministrarentur, ad adiuuandos Christianos in Syria laborantes. Cum etiam intellexisset, Richardi Comitis Cornubiæ, fratris Regis Angliæ, iam in procinctu ad transfretandum existentis, præsentiam maximopere in Anglia necessariam esse, facile concessit, vt pro negotiis Regni eius remaneret: eo quod salus Regni Angliæ ab eius consilio & authoritate penderet. Dedit ea de re literas *a* Regi Angliæ Gregor. ipsi Richardo Comiti, Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, atque Episcopo Lincolniensi. Qui Rex Angliæ, quod suadente Ottone Cardinali Legato inducias, cum Ludouico Galliarum Rege, licet ad breue tempus sanxisset. *b* Vtrique gratulatorias Gregorius scripsit, & ad longiores easdem inducias statuendas hortatus est.

a *ep.* 40. *Lat.* 12. *Cal. Maii.*

b *Anagniæ Non. Octob.*

V. SVMMARIVM GESTORVM MVIVS ANNI GREGORII. I *Lat.* 6. *Id. Iun.*

Eodem anno Gregor. Papa 1. Iacobo Card. Episc. Præneſtino Legato conceſſit, eaque de re Ludouico Galliar. Regi ſignificauit, vt Comitem Toloſanum toties periurum, anathemate exſolueret, ſi modo is pœnitentiæ & deuotionis ſigna oſtenderet, & Eccleſ atque damnum paſſis ſatisfaceret, atque in ſubſidium Imperii Conſtantinopolitani & Paleſtinæ deſignato tempore traiicerer. 2. Robertum Comitem Atrebatenſ. Lud. Regis fratrem Ducem & rempub. Venetorum, Richard. Comitem Cornubiæ, & Iolantem Reginam Aragoniæ, *in* protectionem Sedis Apoſt. recepit, vtque à nemine, excepto Rom. Pontif. cenſuris Eccleſiaſt. notarentur, indulſit. 3. Reginæ Nauarræ, vt cum honeſto matronarum comitatu monaſteria quædam ſanctimonialium Campaniæ bis in anno ingredi poſſet, permiſit. 4. Conrad. Ducem Maſouiæ & alios Polon. Principes ne Eccleſiaſt. libertatem violarent, neue clerum exactionibus & vectigalibus prægrauarent, cõminatione excommunicationis ab Archiep. Gneſnenſi ferẽdæ deterruit. 5. Duci Pomæraniæ, vt filiã Regis Daniæ quarto gradu conſanguinitatis propinquã in vxorẽ duceret, conceſſit. 6. Matrimonium inter Simonem Comitem Montf. & Eleonoram Regis Angliæ ſororem, Comitis Gloceſtriæ Guill. relictam, ratum eſſe iuſſit. 7. Colomanum Ducem Sclau. ad extirpandos ex regno Boſniæ hæreticos & ſchiſmaticos hortatus eſt. 8. Prouinciali Poloniæ & Priori Pragenſi Ord. Præd. vt monaſterium virginum, S. Franc. inſtitutum Pragæ profeſſarum viſitarent, reformarentque commiſit. 9. Priori Herbipolenſ. Ord. Præd. vna cum duobus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis vt in vitam & miracula B. Brunonis Epiſcop. Herbipolenſ. inquirerent iniunxit. 10. Priori & Fratribus Ord. Præd. Diœceſ. Quinque Eccleſienſis, vt in ædificatione Cathedralis Eccleſiæ Boſnenſis, & in propagatione atque defenſione Fidei Cath. Eccleſ. Epiſcop. Boſnenſi aſſiſterent præcepit. 11. Cenſum ex Regno Sardiniæ, iure optimo Eccleſ. debitum, à Iudice Calaritano poſtulauit. 12. ne Clerici vxorati priuilegiis & immunitatibus Eccleſiaſticis fruerentur, conſtituit, aliaque complura in vtilitatem Eccleſiarum expediuit.

1. *ep.* 249.

6. *ep.* 84. & *Polyd. lib.* 22.

7. *ep.* 355.

8. *epiſt.* 51.

9. *epiſt.* 56.

10. *ep.* 357.

11. *epiſt.* 191

12. *ep.* 298.

VI. CONSECRATALTARE MAIVS IN ECCLESIA S. SABINÆ GREGOR.

Eodem anno Gregorius Papa, altare maius in Eccleſia S. Sabinæ conſecrauit, eiuſque rei memoriam marmori inſcripſit his verbis:

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum Eccleſia B. Sabinæ de Monte Auentino in vrbe, & in ipſa quatuor Altaria per Venerabiles Fratres noſtros, Præneſtinum, Oſtienſ. & Alatrinum & Cephaludenſ. Epiſcop. tertia die ante octauam B. Martini fecerimus conſecrari: nos ipſi eadem die aſſiſtentibus nobis Fratribus noſtris, & venerabilibus Biſuntino & Meſſanenſ. Archiep. & quampluribus Epiſcop. & aliarum Eccleſiarum Prælatis, Sacroſanctum altare maius ipſius S. Sabinæ propriis manibus duximus conſecrandum, conceſſa indulgentia vnius anni & 40. dierum omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, de iniuncta ſibi pœnitentia, qui annuatim in dedicatione eiuſdem Eccleſiæ, & vſque ad octauam ipſius dictam Eccleſiam viſitauerint. Dat. Laterani 10. Cal. Iulii, anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti 1238. *Pontificatus noſtri anno* 13.

VII. HENRICVS BARBATVS SILESIÆ DVX PIE MORITVR.

Hoc anno Henricus Sileſiæ Dux, in extrema ægritudine ſacris myſteriis rite peractis, diem clauſit extremum. Cuius corpus ad Trebnicenſe monaſterium ab Henrico filio, cui Pio cognomen datum eſt, elatum, honorifice ſepultum eſt. Nam Heduigis vxor in illo ipſo monaſterio degens, neque ægrotum viſere, neque mortui funus deducere, aut obuiam ei prodire voluit, ne quo rerum humanarum commercio animus eius diuinis auocaretur, quin etiam cæteris, viris ac mulieribus iuxta plangentibus & lamentantibus, ſola moderate coniunctiſſimi mariti mortem tulit, impium eſſe diuinæ voluntati aduerſari, dicens: ac ne viuentem quidem illum ſæpe adiit, niſi forte vt egenis & iniuria affectis opitularetur. Communi enim conſenſu totos fere triginta annos diſiuncti & continentes vixere. Ex quo tempore Henricus barbam promiſit, atque inde Barbatus vocitatus eſt. *Crom. lib.* 8.

VIII. PLVRALES IN BENEFICIIS TERRIBILITER PVNIVNTVR.

Eodem anno, cum Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, ex communi omnium Doctorum decreto, conſtitutionem contra plura beneficia Eccleſiaſtica obtinentes ſanxiſſet, & reliquis in eam ſententiam euntibus ſolus Philippus Cancellarius ſcholæ Pariſienſis, & Arnoldus Magiſter, poſtmodum Epiſcopus Ambianorum contradixiſſent, acciditi ſtud tremendum. Non multo poſt, graui ægritudine percuſſus Philippus decubuit. Officii pietatis cauſa ad agonizantem venit Guillelmus, & ſummis precibus poſtulauit, vt opinionem ſingularem de licite retinendis pluribus beneficiis deponeret, vtque plura quæ poſſederat, excepto vno, libere dimitteret, quod ſi egere, dum ſanitati redderetur, metueret, promittebat Guillelmus ex ſuo abunde illi omnia ſupplere. Nihil eorum facere voluit Philippus, ſe velle experiri in futuro ſæculo dicens: An damnationi obnoxius eſſet, quicumque plura beneficia retineret. Expertus eſt ſua noxa, ſuæque damnationis Guillelmum Epiſcopum admonuit. Hic enim cum aliquando à matutinis precibus in Eccleſia oraret, vidit inter ſe & lumen lampadis ante aram ardentis, hominis vmbram ſeu ſpeciem nimis tetram. Præſignata fronte Crucis, Ecquis eſſet, quidve vellet, inquiſiuit. Cancellarium Philippum æternis pœnis inferni damnatum ſe eſſe reſpondit: treſque cauſas damnationis per ordinem explicauit. Prima, quia excreſcentes annuos fructus pauperibus non diſpenſaſſet. Altera, quia contra ſententiam plurimorum, de pluralitate beneficiorum quaſi ea licite poſſideri poſſent, opinionem temere aſſeruiſſet, & in hoc mortalis culpæ noxam admiſiſſet. Tertia, quod in abominando luxuriæ cæno, in ſcandalum multorum, multo tempore iacuiſſet, neque vnquam emaculari ab hac ſorditie voluiſſet. Hæc dicens vmbra ab oculis Epiſcopi euanuit. *Thomas Cantipratan. lib.* 1. *cap.* 19.

IX. S. REINOLDVS MARTYRIO CORONATVR, MONACHVM PROFESSVS COLON. IN S. PANTHALEONE.

Eodem anno ad cœleſtem patriam commigrauit S. Rainoldus. Hic præclariſſimo natus ſtemmate, propter Chriſti amorem & animæ ſuæ ſalutem omnia hæc terrena in florenti fortuna poſthabuerat, & ex ſtrenuo milite verus monachus effectus fuerat. Coloniæ in monaſterio D. Panthaleonis, vitam cœnobiticam tum profeſſus eſt, tum duxit arctiſſimam. Cumque in toto corde Dominum quæſiuiſſet atque coluiſſet, maxima ab eo gratia exornatus eſt. Eius ſanctitatem cum aliqui impii exoſam habuiſſent, interfecerunt, & vt facinus celaretur, in puteum præcipitarunt. Cæterum crebris miraculis indicatus, & propter multas reuelationes diuinitus factas inde extractus, Tremonienſibus pro tutelari collatus eſt. *Annal. Epiſcop. Colonienſ.*

X. *c Mariana lib.* 12. REX IACOBVS ARAGONIVS REGN. VALENTIÆ MAVRIS EXTORQVET.

Eodem tempore Iacobus Aragonum Rex, contra Mauros dimicans Valentiam cepit ex pacto. Conuenerat inter eum atque illos his legibus: Rex Maurus vrbem Valentiã arces & oppida citra Sucronem omnia Regi Iacobo tradito. Ciues Culleram atque Dianium Aragoniæ fide tuti abire permittuntor. Iis fas eſto, nemine excutiente ſarcinas, aurum, gemmas, veſtem pretioſam, ac omnino quicquid efferre poſſint aſportare. Reges inter induciæ in 8. annos ſunto, eæque optima fide ſeruantor. Rebus perficiendis, vrbeque dedenda 5. dies deſignati: Antequam id tempus elaberetur, Mauri agmine facto vrbe egreſſi numero quinquaginta millia promiſcui ſexus & ætatis: regio exercitu in armis circumfuſo, præſidii cauſa ex abeuntibus nullus impune violatus, cum dedititios tueri ad ſuam dignitatem fidemque Rex pertinere iudicaret. Pridie eius diei, qui menſe Sept. Mich. Archangeli memoriæ ſacer eſt, Chriſtiani in vrbem Valentiam inuecti, regnoq; nobiliſſimo aucti ſunt, luſtrata ciuitas: expiata templa: Ferrerius ex Prædicatoria familia Epiſcop. datus, nouæ vrbis indigenis magna ex parte Catalauuis, ac ferme ex Gerunda, Tarracone, Derтuſa. Ager ſuburbanus æquis partibus diuiſus inter Præſules, procereſ, nobiles, atque Ciuitatum Conuentus, qui Re-

pem

gem eo bello iuuarunt. Templariis militibus & Hoſpitalariis ſua præmia fuere. Nouæ leges, nouaque ſcita abs Rege facta.

XI. a *Polyd. lib.* 16. *hiſt.* NASCITVR HENRICVS ANGL. EDVARDVS.

Hoc anno *a* Henricus Angliæ Rex, ex Eleonora vxore filium ſuſcepit: Otto Cardin. Legatus eum ſacro fonte tinxit, & Edouardum appellauit. Sub eius ortum apparuit ſtella immenſæ magnitudinis, quæ per aliquot dies ante Solis ortum, per longum cœli tractum veloci crebroque curſu ferebatur, modo ignẽ præ ſe ferens, modo poſt ſe fumum relinquens. Quo ſane oſtento futura Eduardi patris amplitudo, ac Edouardi filii exiguitas, vanitaſque velut ex oraculo quodam dicitur pronunciata. Solis quoque eclipſis inſolentiſſima viſa eſt 3. Iulii die, eodem anno, quæ futuram Eccleſiæ calamitatem à Friderico impendẽtem portendebat.

XII. b *Annales Prædicator. Ferdinand. Caſtell. ex Leandro.* MORITVR LEODATVS ORD. PRÆD.

Agathopoli *b* in Galliis, in viuis eſſe hoc anno deſiit, B. Leodatus Ord. Præd. maximæ erga Deipar. deuotionis. Huic in extrema ægritudinis Regina cœli apparuit, &: Nũ ſecum ad cœlos venire vellet, interrogauit. Cum autem is perquireret: Quæ illa eſſet: Diua autem, ſe Mariam Dei matrem renunciaſſet: Leodatus; & vnde hoc mihi, ait, vt adeo ſublimis Heroina, ad me vilem, peccatiſque deformatum, & mille ſuppliciis digniſſimum delabatur? Porro ſi meam indignitatem non deſpicis, peccatorum indulgentiam mihi à Filio obtine: tum deinde de carcere iſto carneo exime, atq; tecum eſſe iube. Obtinuit illa quod petiit, de certa ſalute fiduciã ei fecit, & tandem rebus humanis exemptum, gaudentem, iubilantemque in paradiſum introduxit.

XIII. c *Genebrar. in Chron.*

Hoc anno *c* Guillelmus Epiſcopus Pariſ. ſolemni habita diſputatione, plura ſacerdotia poſſidentes damnauit.

IESV CHRISTI
Annus 1239.

GREGORII PAP. IX. Annus 13. BALDVINI II. Imp. Or. 11.

I. GREGORIVS FRID. EXCOMMVNICAT. d *Albert. Krantz. Saxonia lib.* 8. *& Metropol. lib.* 7.

NOlebat Gregorius Pontifex, in Fridericum Imperatorem præcipitare ſententiam, ſed *d* Gregorium Montelongum Sedis Apoſtol. protonotarium ad illum miſit, orans obteſtanſque, vt ſi pacem Eccleſiæ, ſi ſuam ipſius benenolentiam tanti faceret, quanti ſane Chriſtianus princeps facere deberet, conſtituta cum Lombard. fœdera, impleret. Et quum aſſenſum præſtare Frid. videretur, miſit Pontifex vnum, in breui poſt tres Cardinales Legatos, qui re infecta, ſeu potius exaſperata, Viterbium ſunt reuerſi. Pontificem namque magis quam Lombardos Fridericus anhelabat deprimere. Priuſquam autem Cardinales Lombardia diſcederent, Frid. in Montemclarum duxit Brixianorum oppidum, & expugnatum direptumque incendit. Duxit poſtea exercitum in Mediolanenſes, qui cum vario marte certaſſent, tandem Frid. præſenti exhorta antique ſeſe armis depoſitis permiſcere in quibus Veneti Ducis filium Mediolani præfectum cepit, & in Apuliam miſſum in carcere mori coegit. Hęc & alia cum Fridericus perpetraret, & in vrbem exercitum ducere diſponeret, Pontifex arma ſpiritualia in illum diſtrinxit, excommunicatione in illum ad diem cœnæ Domini promulgata, & omnibus iureiurandi religione ſolutis, qua Imperii regnique ratione tenerentur aſtricti.

II. FORMVLA EXCOMMVNICATIONIS.

Exhac formula excommunicat. ſententiam pronunciauit.

Excommunicamus & anathematizamus in nomine Patris & Filii & Spir. S. & BB. Apoſt. Petri & Pauli & noſtra, Frid. dictum Imperat. pro eo quod contra Rom. Eccleſ. ſeditionem mouit in vrbe, per quod intendit Pontif. & Fratres à ſua Sede repellere: & contra priuilegia dignitatis & honoris Apoſt. Sedis, & libertatem Eccleſ. contra iuramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſ. temere veniendo. Item pro eo, quod venerabilem Frat. noſtrum Præneſtin. Epiſcop. Apoſt. Sedis Legatum, tse in ſua legatione procederet, quam in Albienſ. partibus pro corroboratione Cath. fidei commiſimus, per quoſdam fideles ſuos impediri mandauit. Item pro eo, quod non permittit quaſdam Cathedr. Eccl. & alias vacantes in regno reparari, & hac occaſione periclitatur libertas Eccl. perit fides: quia non eſt qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente paſtore. Item quod in Regno clerici capiuntur, incarcerantur, proſcribuntur, & occiduntur. Item quod in regno, Eccl. Domino conſecratæ, deſtruuntur & prophanantur. Item quod non permittit Seranas Eccleſ. reparari. Item pro eo quod nepotem regis de Tuniſi, venientem ad Rom. Eccl. pro ſuſcipiendo baptiſmate, detinet, nec venire permittit. Item pro eo quod Pet. Saracenum ciuem Roman. ex parte regis Angliæ ad Sedem Apoſt. venientem cepit, & detinet carceri mancipatum. Item pro eo, quod terras Eccleſiæ, ſcilicet Ferrariam Pingnogomam, Bondoniam, Ferrarienſ. diœceſim & Bondonenſ. Lucanenſ. & terras Sardiniæ occupauit, contra iuramentum, quo ſuper hoc tenetur Eccleſ. temere veniendo. Item pro eo, quod terras quorumdam nobilium de regno, quas Eccleſ. tenebat, ad manus ſuas occupatit & deuaſtauit. Item pro eo, quod quoſdam Eccleſ. Cathed. fere bonis omnibus ſpoliauit. Item pro eo, quod multæ Eccleſ. Cathed. & aliæ, ac monaſteria de regno, pro iniqua inquiſitione fuere pene bonis omnibus ſpoliata. Item pro eo, quod Templarii in regno & Hoſpitalarii, mobilibus & immobilibus ſpoliati, non ſunt iuxta tenorem pacis integre reſtituti. Item pro eo, quod exactiones contra pacis formam ab Eccleſiis & Monaſt. per ipſum extorquentur in regno. Item pro eo, quod in regno Prælati Eccleſiarum & Abbates Ciſtercienſis, & aliorum Ordinum, compelluntur dare certam ſummam pecuniæ per ſingulos menſes, pro conſtructione nouorum caſtrorum. Item pro eo, quod contra tenorem pacis, hi qui adhæſerunt Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati, exulare coguntur, tamquam proſcripti, vxoribus & liberis captiuatis. Item pro eo, quod ipſe impediuit negotium Terræ Sanctæ, & recuperationem imperii Romaniæ. Omnes autem qui iuramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab eiuſmodi iuramenti obſeruatione decreuimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſeruent: diſtrictius inhibentes, quamdiu fuerit vinculo excommunicationis aſtrictus. Super oppreſſionibus vero & grauaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliorum de regno, pro quibus quidem idem Frid. iurauit ſtare mandatis Eccleſiæ, ipſum intendere, amouere: & in ipſo negotio, dante Domino procedemus, ſicut fuerit procedendum. Porro pro omnibus & ſingulis ſupradictis, ſuper quibus dictus Fridericus fideliter à nobis fuit admonitus & frequenter, nec pacẽ curauit, eumdem Fridericum excommunicationis & anathematis vinculo innodamus. Proinde quia idem Fridericus de tam multis ſeis factis, multis & fide dignis clamantibus per vniuerſum quaſi orbem, quod de Catholica fide rectẽ non ſentiat, eſt grauiter infamatus, nos, dante Domino, ſuo loco & tempore procedemus, ſecundum quod requiſierit ordo iuris.

Hactenus formula excommunicationis in Fridericum II. die cœnæ Dominicæ ex more Eccleſiaſtico vulgata. Quam ne aut Fridericus, aut orbis vniuerſus ignoret, miſit exemplar eiuſdem Gregorius Balduino Imperatori, Regibus Hiſpaniarum, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Noruegiæ, Daniæ, Sueciæ, Boemiæ, Hungariæ, ac reliquis Ducibus, Principibus, Comitibus & populis. Interim etiam omnibus Sedis Apoſtolicæ in diuerſis Regnis à Latere Legaris, atque vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, etiam exemptis, & in primis Ottoni in Septentrione Legato, & Archiepiſcopo Remenſi Rothomagenſi & Colonienſi datis literis mandauit, & ſingulis exemplar anathematis trãſmiſit, vt illud coram populo ad ſacra ſolemnia congregato promulgarent, populos ab iuramẽto ei dato exſolutos renunciarent, Terras Eccleſiaſtico interdicto ſupponerent, atque omnia ex præſcripto mandati Apoſt. facerent, quæ ſolent contra execratos, dedit eas literas Later. 7. Id. Apr. Pontif. anno 13.

III. *M.S. Vatic. de geſt. Zelini.* FRIDER. AGENS PATAVII EA FAMA PERCELLITVR.

Agebat tunc Patauii Fridericus Imperator, & forte ad Diuæ Iuſtinæ cœnobium, ab Eccleſia Cathedrali, in qua pro tertia feſtiuitate Paſchali Miſſæ Sacrificio coronatus intererat, maxima cum pompa rediens, cunctis ſe coronatum oſtendebat, cum expertus eſt in ſeipſo illud ſolemne, quod *diuina potentia ludit in rebus humanis, & tempus vnius horæ vix continet certam fidem.* Nam in momento rumor certus ex incerto diſperſus eſt, Romæ in baſilica Vaticana, ipſo die Cœnæ Dominicæ à Gregorio Summo Antiſtite, Fridericum Imper. II. anathemate damnatum, diriſque omnibus deuotum fuiſſe.

IV. FRID. PER CANCELLARIVM COMITIO INDICTO SE DEFENDIT, ET PONTIF.

Perculit ea fama Fridericum, moxque in continenti in Palatium Patauinum reuerſus, Comitio cõuocato, Petrum de Vineis, hominem ſatis facundum, verba ad populum in coram ſe, in regio throno conſidens, dicere iuſſit. Is dignam ſe profano oratore, dignam & Friderico, diuini humanique iuris contemptore, orationem facturus, non ab aliqua ſacræ ſcripturæ ſententia, ſed ab authoritate Ouidii ſermonem orſus prorupit:

Leniter

ACCVSAT, SCRIPTORESQVE SVBORNAT SVI SIMILES.

Albertus Kranz. Metropol. lib. 7. in fine ponit exemplar literarum ad Cardinales.

V. RESPONDET DIVINE GREGORIVS PERENCYCLICAM.

Leniter ex merito, quicquid patiare, ferendum est:
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

His versibus prolatis, panegyricum in laudes vnius Friderici dixit, Gregorium satis procaciter accusauit, & illum omnis æqui & honesti contemptorem Fridericum excusauit. Ea procaci dictione Fridericus irritatus, in contumelias Pontificis & Ecclesiasticorum satis indecore prosiliit, & tum verbis cotam, tum epistolis primo ad Cardinalium cætum, deinde ad omnes Imperii & regnorum principes, iniquitatis & præuaricationis Gregorium postulauit. Apologeticum quoque lædotiis contrà Pontificem refertum, vbique terrarum vulgauit, & quamplurimos Scriptorum prece & pretio corrupit, alios autem meru suppliciorum adegit, vt calamum in eumdem atque Eccles. Rom. stringerent, suæque iniquitati velum obtenderent, culpa iniquitatis in Greg. reiecta.

Petrus de Vineis Friderici Cancellarius, & Matthæus Paris Anglus parum Ecclesiæ æquus, ac nonnulli Germanorum, Friderico turpissime seruierunt, vt æthiopem illum candidarent: quem toto corpore & pectore inatratum, melioris notæ scriptores in Solis faciem eduxerunt: præsertim à Gregorii Pontif. rescripto, quod hoc ipso anno Calendis Iulii per Orbem vulgauit. Cum enim videret Fridericum nihil aliud conari, quam Sedem Apostolicam per infamias turpes aspergere, ipse quoque memor præcepti Salomonis: *Responde stulto, iuxta stultitiam suam, ne sibi Sapiens videatur*: Non immemor etiam illius: *Responde criminatori: ne silendo, crimen agnoscere videaris*: ipse quoque encyclicam composuit, in qua vitam, mores, ingratitudinem, immanitatem, impietatemque Friderici, ab ipsis pene incunabulis, non minus vere, quam grauiter & modeste insinuauit: causasque expressit, propter quas Sedes Apostolica, post multam cunctationem, ad vindictam tandem faciendam, vel sero, serio tamen surrexerit. Eam encyclicam Balduino Imperatori, & Regibus Galliæ, Hispaniarum, Angliæ, Hungariæ, Daniæ, Norwegiæ, Scotiæ, Sueciæ, tum deinde vniuersis Catholicæ Ecclesiæ Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis, ac deinde omnibus Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Proceribus, Baronibus, Nobilibus & populis misit, atque Prælatis Ecclesiarum, quibus eam, vna cum edicto excommunicationis in Fridericum prolatæ destinauerat commisit, vt pro debito officii publicarent. Ita habet, ea quæ est Suffraganeis Ecclesiæ Hierosolymitanæ scriptâ, digna quæ pro innocentia Gregorii, & Sedis Apostolicæ legaturi

VI. ENCYCLICA GREGORII NONI.

Gregorius Papa Suffraganeis Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Ascendit de mari bestia blasphemiæ plena nominibus, quæ pedibus vrsi & leonis ore desæuiens ac membris formata cæteris sicut pardus, os suum in blasphemias Diuini nominis aperit: tabernaculumque eius qui in cœlis habitat, similibus impetere iaculis non omittit. Hæc vngulis & dentibus ferreis, cuncta confringere, & suis pedibus conculcare desiderans, ad diuendum murum Catholicæ Fidei occultos olim comparauit arietes, ac etiam nunc apertas machinas & instrumenta ex Ismaelitarum gymnasio instruit, & in Christum humani generis Redemptorem cuius Testamenti tabulas stilo prauitatis hæreticæ nititur abolere, fama testante consurgit. Igitur admirari desinite omnes, ad quos, ab hac bestia, contra nos pertinunt obloquia, & blasphemiæ: si nos Deo omni seruitute subiecti, detractionum sagittis impetimur: cum nec ab his opprobriis immunis Dominus relinquatur. Admirari desinite si iniuriarum mucronem exerit, qui ad perdendum nomen Domini de terra iam surgit: sed potius vt eius resistere, aperta veritate, mendacia, ac ipsius confutare fallacias, puritatis argumento postis, caput, medium, & finem huius bestiæ Frid. dict. Imp. insplicite, & in eis duntaxat abominationes venientes, & scelera, contra ipsius dolos, sinceros animos scuto veritatis armate, attendentes qualiter sinceritatem Apostol. Sedis & nostram literis per diuersa climata mundi transmissis, pollutis nisis est maculare narrationibus dictus Frid. figulus falsitatis, modestiæ nescius, & pudoris ignarus, nec confusus, nec aliquo rubore profusus mentitur, quod nos ipsum, nobis in minori officio constitutis amicum pristinum fidem, & amorem, adepto Apostol. atus officio, relinquentes, quia sicut pristino sacramento per latam in ipsum sententiam excommunicationis præfixo tempore in terræ Sanctæ succursum nouitate prohibente transire non potuit, vinculo excommunicationis astringere, postulant ab ipso sanitate resumpta beneficium absolutionis denegare, ipsumque in dictum transeuntem subsidium, per literas, & Legatos nostros, & Nuncios nostros, processui suo contrarias mittentes impedire curauimus, vt sic esset spe regni Hierosolymitani recuperatione contenta frustratus, regnum Siciliæ quod Raymundus olim filius Ducis Spoleti, præter illius conscientiam terram inuasit Ecclesiæ, nos iniuste & violenter intrasse, ac ipsius homines pronocasse ad Imperium falso conqueritur, seque in Assyriam & in Apuliam redeuntem illatæ iniuriæ omisisse vindictam, acceptasse concordiam, & rediisse ad matrem Eccl. gloriatur. Licet autem hæc figmenta publica notitia reprobet: quia tamen nonnumquam rectitudinis fidem velatam, occupat in aure sincera mendacium, apud quam se veritas non inuenit aduocatam, nec in corda nostra falsitas quacumq; posit fraude surrepere, digne voluimus vos rei per nos gestæ modum & ordinem non latere, qui dictum Frid. ante & postquã aperte nostros subiecimus humeros seruituti, sub vulpe latentem omni curauimus gratia prosequi donec spe quæ Patri de filio solet innasci subiata, idem Frid. fremens in magnitudine sua & ex adempta fortitudine infrunitus, Matri Eccles. mala pro bonis retribuit, & in eam quam fucatis deliniuit aliquando verborum fallaciis, virus effundere caudæ aculeo more Scorpionis incepit. Nam cum olim terræ Sanctæ necessitas, prædicta sententia, & iuramentum, ac præfixus terminus transitum eius exposcerent, & idem multa millia Crucesignatorum ipsum Brundusii expectantium cum instantia postularet, idē dictos Crucesignatos inibi, donec sub mari aeris intemperie diuersis lugendæ mortis casibus perirent detinuit, & periurium, ac excommunicationis sententiam gratis incurrens, infirmus fide, sed sanus corpore, vt nobis mentiretur, & Deum, & Eccl. falleret, omisso prædicto passagio in lecto ager diebus aliquibus simulatis recubuit, ac terram Sanctam incursibus hostiũ Christi exponere minime dubitauit, ex eo nullo dolore percussus, quod ibi claræ memoriæ Turingiæ Lantg. (vtinam non veneni poculo, sicut mundus clamat) extitit interemptus. Cumque de conficta agritudine & aliis præmissis nobis per literas Prælatorum ibi morantium constitisset, ne disciplinæ virga tanto subtracta facinoris nos & Apost. Sedes redderemur inde notabiles, Crucesignatorum mortem & terræ S. periculã deplorantes, & cupientes salũ in altero Eccl. lacrymas dextera debitæ cõsolationis astringi, ipsum latæ in eum excommunicationis de consensu suo auctoritate bo. m. Honorii prædecessoris nostri sententiæ denunciauimus subiacere, summo præstolantes desiderio, vt cum postmodum emendationem tantorum & talium damnorum optatam patrare operam audiremus, literis nostris offerentes eidem, quod impertiremur sibi iuxta formam Eccl. absolutionis beneficium, quam cito iter arriperet in prædictã terrã succursum. Sed ipse, in cuius erat super his pectore causa minor, claues Eccl. parupendens, non absolutus in Syriam transiit, vbi cum Soldano solis sibi Ierosolym. mœnis restituto, & illigrandi ad impugnationem Christianor. transmisso equorum & armorum xenio, fœdus facicus & templum Domini. ibi laudes exclamantium Mahometi curæ relinquens ex defensore mutatus in hostem, Venerabilem Fr. Patriarcham Ierosolymit. & Templarios pro viribus impugnauit. Illud autem non debet ad sanæ mentis credulitatem accedere, quod in recuperatione Regni Ierosolymit. nos vel Legati nostri, cum ad hoc multo labore fudauerit, grandiumque Eccl. subierit onera expensarum studuimus impedire. Sed illud in notitiam omnis terræ prouenit, quod idem Fridericus, sicut in Syriæ partibus in propria persona persequebatur Eccles. circa mare, ipsam diuersis tribulationibus dicti Raym. ministerio quẽ contra consilium nostrum, in regno Vicarium cõstituerat, affligebat, cuius terram cum literis aurea bulla munitis & vasallos ipsius Frid. prædictus Raym. inuadens nonnullos Sacerdotes & Clericos suspendere, mulctare, ac fustibus cadere, nec non statu nostro turbato Perusii, partem ipsius terræ occupare præsumpsit: quem licet fideles & deuoti nostri non valentes id vlterius sustinere aperte è terra prædicta, Christo sponsa sua indulgente victoriam, eiecissent: quia tamen idem Raym. nequaquam ab incepta persecutione cessabat, consultius extimantes si originalis malitiæ venas incideret, quam quia iam exsiccati torrentis impetus nouis repletos riuulis expectarent, dictum Regnum Siciliæ quod est speciale patrimonium Eccl. (ne inde nos perculerent iacula, vnde potius erat expectandũ subsidium) intrauerunt, multique de ipsius Regni habitatoribus obedientes Apost. Sedi, nequaquam ob id reputari debent periurium incurrisse, cum à iuramento fidelitatis eidem Frid. redeuntis de partibus transmarinis ad sinum matris Eccl. reuertentipietatis aperuimus Apost. gremium, ipsique ad petitum inclinati absolutionis beneficium curauimus impertiri. Ad hoc idem mendacii filius falsitates falsitatibus cumulãs, vt quo mendaciorum vetia fuerit orditus, eo plura grauioribus se doleat periculis irretitum, de nobis mandat scripturas pronunciatque ea vt Lombard. pacificus vt irretitus intraret promittentes quod asperasibi conuerteremus in plana, & pro sua confusione & nõ permisimus abire Nuncios, & literarum nostrarum intentionis suæ metam attingere, ac demum quia sibi potentia non suffragabatur armorum in Regnum redire coactus ad instantiam nostram Romanos tunc impugnantes Vi-

terbium diffidasse & in Viterbien. subsidium stemma misisse militiam se falso asserit, nosq; scripsisse Romanis id prater conscientiam nostram fieri, & cum eis eo irrequisito reformasse concordiam in querelam addunt, nouo sibi blandiens mendacio quod diffidantibus iterum ab Eccl. pace Romanis idem non vocatis, cum Conrado nato suo quem vobis obtulit obsidem præsentia matura personaliter veniens, & arbitrio nostro dirimendam inter ipsum & Lombardos discordiæ causam exponens, terram sedis Apost. occupatam eius iuri restituit, & libertatem Eccl. in statum pristinum & debitum reformauit. O vtinam iste falsidicus Eccl. vir habens spiritum & tunc huiusmodi negotium quod venerabilem filium nostrum Ron. Rauennatem Archiep. de restituendis ei & dicto Conrado iuribus ipsius in regno Ierosolym. subtractis ordinatum fuerat, nec quam cito delata potuit numerata pecunia detraxisse fidelibus suis quos non sine Eccl. incendiis & hominum stragibus hostilis deuastabat insultus ipsius interdixisse succursum & ob id nos Nuncium noluisse vel literas destinare contrarias veritati conqueritur, ac Ciuitatem Castelli contra formam pacis & Fratrum nostrorum consilia in sui iuris subsidium detineri à nobis fuis extrahere literis stilo mendacij non veretur. Quamquam autem his figmentis modica veritas in terra ista aliquid coloris adducat, vt tamen intelligatur apertius quod totam huius commenti seriem non modica falsitatis adiectio decolorat, pro certo scitote, quod sicut nunc ex ipsius euentu conuincitur discrete mentiri, verisimilius videretur ipsum de Lomb. suum potius consequi propositum potuisse, si se illis quos populor. numerositas profunda sque vallorum, armorum copia & murorum reddit altitudo inuictos, pietatis paternæ exhibuisset & clementia Dominum quam si trementibus per culpã impositam subditis vltionis exerto mucrone terribilis in cuneis occurreret armatorum, cui nos qui bona pacis procurare tenemur bona fide suasimus, vt armata militia omisso terrore sub indictarum omissione pœnarum & benefic. oblatione illos ad Imperii deuotionem deduceret, quam in Lombard. famulis stipatus militaribus accesserat, quia tamen fidelis consilii oblitus in partes Cremonen. cedens factus est schismaticus, scissamque in discordiam Lombard. fortius scindere & Mediolanens. à se terroribus & minis abicere studuit, quos cum ab aduersa parte ad vnitatem potius trahere debuit funiculo charitatis, non est quod nostræ imputetur innocentiæ, si sæpe spe frustratus rediit in Apuliam ipso spei conceptæ interitum procurante. Post hæc super tuitione libertatis Ecclesiast. super extirpanda hæretica prauitate nostris beneplacitis paratum se obtulit, ad quam currens litera nostra respondit, quod cum in regno suo vbi nullus manum vel pedem absque ipsius mouet imperio in fidem Catholicam hæresis potius & latius venena diffunderet, & libertas Ecclesiæ quasi conculcata iaceret, non credebatur capiti salutis adhibere remedium, qui pedem suum reddiderat contractum morbosum, sicque responsum huius lapsu modici temporis approbante, audito quod quidam paruo seducti consilio terram intrare volebant Ecclesiæ quasi fuga capta, ne rupta promisio eum falsitatis argueret, protinus abiit ac contra illos verbo vel opere in aliquo non processit, nobis improperans quod reuertentes ad vrbem Romanorum filios speciales Ecclesiæ ad matris dilectionem paterna curauimus diligentia reuocare. Idem insuper intellecto, quod illos ab Ecclesiæ charitate seiungere quidam iniquitatis filius nitebatur, & excogitato quod facilius habeat & ipsos opprimeret, si prædictam charitatem acerbius fronte solita vulneraret, nobis tunc Reate præsentibus ad Sedem cucurrit Apostolicam etiam non rogatus, vbi sub multa humilitate promittens quod terram Ecclesiæ perditam in pristinum statum reduceret, & ipsam pro viribus defenderet in Tuscia, ad quam vires suas contulit in recuperatione cuiusdam Castri quod ad ius Ecclesiæ modico reduci labore poterat, impediuit. Et cum adhuc manus tradentis nobiscum esset in mensa cum hostibus Ecclesiæ sicut ex consequentia facti & literis suis quæ nobis in tanta proditionis testimonium reseruantur aperte conuincitur, hoc signo dato. Inde Vicarius pepigit, vt ipso certa die exinde recedente illi ad arma consurgerent & beati Petri patrimonium occuparent. Videte igitur quæ nobis sub pardi varietate modus iste pestifer deuotionis obsequia præstitit. Attendite quales Ecclesiæ simulatus occultus hostis intendit, qui in Ecclesiasticum non erubuit famulum transformari, vt nobis efficacior fieret ad nocẽdum, pro firmo tamen vos tenere cupimus, quod nos his sub dissimulatione præteritis ipsum adhuc non permittentes mutari affectum Apostolicæ puritatis per dictum Archiepiscopum commisso sibi Legationis officio iuxta ea & prædicto Conrado in eodem regno Hierosolymitano mandamus subtractæ restitui, qui licet id fecerit, quia tamen formam sibi datam excedẽs propter quod abeo ad nos exiit appellatum, excedens terram Sanctam quod non est auditum à seculo post appellationem huius sententiæ suppositi interdicto, attendentes nos quod ob id in maximum eiusdem Terræ periculum peregrini ex ipsa recederent, & alii inceptos ad illam transitus retardarent, dictam sententiam, quæ vtpote lata est post appellationem legitimam ipso iure nulla fuerat, in omnibus aliis prædicti Archiepiscopi intacto remanente processu sufficienti ab Ordinibus, Nobilibus, & Comitibus Regni prædicti, cautione recepta in omni sinceritate de Fratrum nostrorum consilio duximus relaxandum. Quod ergo de nobis ipse labiis pollutis ob huiusmodi obloquitur vestri animi non turbentur cum sit vas repletum vitiorum spurcitia, quæ ipsius infecerunt animum, putat in aliis crimen desæuire in tormenta, ex quo cum malorum opprobria cladem, laudes quoque opprobrium resonent à viro cuius fere omnis lingua clamat infamiam famæ sigillatione impeti eligimus multo fortius quam laudari. Sed forsan maculam opinionis suæ his credit abolere conuitiis, qua Sede Viterbii moraretur insciens à facie hostium non verecundus aufugit, & ad defensionem suorum fidelium quos ipsius hostes in oculis eius obsederant, & obsequiorum terram nulle prohibente vastarant, affirmans suum per nos ad illum interdici progressum Imperialis honoris prodigus sed timore prohibitus non accessit, ex eo innocentiam nostram accusans quod ad euitanda guerrarum huiusmodi dispendia Nuncium à Latere nostro non misimus. Sed nec mirum, cum eo tempore status Ecclesiæ multiplici fuisset persecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad Ciuitatem Castellanam cuius ciues se illi violato sacramento fidei Ecclesiæ ignoranter prodentes nullum ius ei per hoc in seipsis acquirere, nullam nobis etiam possessionem cum interdictione ciuitatis & ciuium posse ideret quasi Ecclesiæ prodendo potuerit præiudicium generari, quia illi à quibus vlterius alteri potius quam sibi possidentibus non requirentibus possessionis incumbit, vel initium possessionum leges euertere & extraneis iura conferre nequeat possessorum, nec non quod de reddendis possessionibus Ecclesiæ Romanæ ad eum prouenientibus pluries iuramentum præstiterat satis impendit, satis improuide videtur à nobis repetere quod non poterat absque periurio retinere: nec credi debet in hoc nos sibi omnimodam, coram arbitris, vel alio modo iustitiam exhibere paratos Fratrum nostrorum destexisse consilium, quod Nuntiis ipsis inceptum iudicium recusantibus consequi non fuerat requirendũ quin potius habeat peccatum ea duntaxat fraude intentasse proponitur, vt sic eadem obloquẽdi de Ecclesia & pace inter ipsam initam occasio præberetur. Illud quidem quod super facto Imperii inter cætera sua detestabilis fraus testatur epistola nostris edisserit his literis calamus, vt quo pluribus eius fictio cognita fuerit, eo fortius vt sua maneat commento confusus, de nobis obtrectat, qui ad nostram translato notitiam eum ad recuperanda iura imperii cum multis bellatorum millibus Lombardorũ in nos præcise compromitteret Apostolico scripto mandamus, vt illud perpetuo suspẽdere, vel ius imperii libere sussocare posse mus cõtra ipsum venerabilem Fratrem Iacobum Prænestinum Episcopum per quẽ eius vacuaremus propositum transmutatis sibi impedimẽtis clandestinis per Legatos & literas nostras per orbem vndiq; procuratis. Iste vero cui nec veritatẽ fateri aut enarrare possit iudicium ad vnum forsan est indignatione negatiũ sicut obtrectationes personæ nostræ non verecundatur ex falsis assumere, nec etiam excusationes suas ex similibus propositionibus non veritus ordinare se per Nuntios suos Ven. Fratrem N. Panormitanum Archiepiscop. & quosdam alios ad Sedem Apostolicam missos, deuotionem omnimodam super Ecclesiastica libertate & reformandis Ecclesiæ iuribus obtulisse, nosque id acceptantes & expectantes à cuiuslibet ipsius impedimento cessare nuncijs suis ad eum redeuntibus dilecto filio GREGORIO *de Monte longo Notario nostro in suorum exercitionem fidelium legationis officium commisisse asserit, ipsoque nihilominus ad nos præfatos Archiepiscopum & alios Nuncios suos ad Sedem Apostolicam remittente & satisfactionem omnimodam offerente, nos eum contradicente saniori parte Fratrum nostrorum contra traditiones Sanctorum Patrum & solemnem morem Ecclesiæ iniuste falsæ excommunicasse concludit, pro sua confusione subiungens se nos Beati Petri Vicarium non habere, quasi velit asserere non concessam Principi Apostolorum, & nos carere clauium potestate. Quæsumus igitur libram rationis assumite, & in ea perpetratis per dictum Fridericum contra Ecclesiam excessibus & beneficiis quæ ab Ecclesia recepit appensis clarius luce videte quod licet draco iste qui ad illudendũ nobis formatus & in Æthiopũ escam populo Æthiopũ datus extitit, vel existit, aquas persecutionũ in subuersionem Ecclesiæ ex ore quasi flumen miserit, Apostolica tamẽ Sedes nequitiæ eius inæstimabili beneficiorũ numero superauit. Nã olim cũ ab annis teneris illorũ morsibus qui terrã eius & sanguinẽ sitiebant in via cõfessionis exposita, parentum & amicorum solatio pene nudã videns mater Ecclesia protinus circa ipsum nutricis officium & baiulemisericorditer executa illum pallio Apostolicæ protectionis operuit, de laqueo venantium eripuit, multis sudoribus, multis laboribus & expensis ad Regni solium & coronã Imperii sublimauit, insuper hoc ei facisse modicũ reputans & sibi Regnum Hierosolymitanum subiici, & illum vbiq; per orbem exaltari*

procurans, licet ab eodem multiplici læsam se afflictione doleret: à paucis tamen retroactis temporibus sibi contra HENRICVM *natum eius qui partem non modicam Alemaniæ eius iurisdictioni subtraxerat potenter astitit, & inflictorum sibi per eum oblita vulnerum ipsum quasi de nouo in Imperatorem erigens Theutoniam Apostolicis literis ipsius desiderio reformauit. His & aliis quæ non sufficimus recordari beneficiis conferens munimenta decoris. Sed iste baculus impiorum terræ malleus vniuersæ conturbare terram, regna concutere & orbem desertum ponere cupiens libertatem Ecclesiast. in dicto Regno Siciliæ in opprobrium seruitutis extremæ adducens, & Ecclesias quas vt eorum teneritudine ventrem suum impleret quasi iam penitus exossasset sordidis oneribus & angariis opprimens eas bonis sacris vsibus dedicatis spoliat, personas Ecclesiast. mancipat carceri, ipsasque in examine vetito accusationes suscipere, talias soluere, & bona Ecclesiast. se à vexationibus redimãt exhaurire, & postremo exulare coartat Ecclesias pastorum solatio denudatas non permittit sibi sponsum eligere, viduitates deponere, donec alicuius adulterinis amplexibus per impressionem extiterint copulatæ, de Christianorum habitaculis construens Babylonis; & ædificia in quibus diuinum nomen excolitur illic transferens, vt Mahometus perditus adoretur, turbas vndecumque collectas Crucifixi fidem & nomen publice in eodem regno prædicari prohibuit, recuperationem terræ Sanctæ & negotium Crucis impediens ad eius consummationem subsidium suorum conferri fidelium interdixit, contra iuramentum pristinæ pacis inter ipsum & Ecclesiam reformatæ nobiles priuatos castris & aliis bonis suis, vxoribus & liberis captiuatis loca sita proscriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre Coloniam, in croceis nutritos amplexari stercora, & ad extremam coegit inopiam deuenire, nec non de afflictione comprimit pauperes famulari, id tanto fortius Deo displicere putamus, quanto ipsos verius credimus innocentes. Quid plura? Baronibus, militibus & aliis nobilibus, hominibus eiusdem Regni Siciliæ ad formam & conditionem seruorum inaudita crudelitate redactis, iam pro maiori parte ipsius Regni habitatores non habent de proprio vnde stramine vili quiescere, nuditates suas rudi sacco contegere, ventrem possint pane misiacio saturare. Cumque vlulatus ac clamores dictarum Ecclesiarum & hominum à tempore dicti Honorii prædecessoris nostri Ecclesiæ aures continua deploratione pulsassent & iam vix possemus eas absque læsione conscientiæ sub dissimulatione transire, ipsum supra dictorum scelerum non semel sed pluries nunciis & literis nostris monuimus ac longa patientia temporibus expectauimus retroactis, si forsan oculos suos ad Cælum erigeret, exutus veterem hominem, nouumque indutus, manus suas à tanta perpetratione facinorum cohiberet, de petita insuper emendatione, dubii adhuc, nolentes statum eius processu prospero gratulari, eo cum armis Lombardiam intrante mandauimus, vt in locis pro quacunque causa interdicto subiectis ipso præsente interdictum minime seruaretur, eundem Fridericum literis nostris admonentes, vt ne Crucis negotium quod ad vtilitatem Ecclesiæ & totius populi Christiani fuerat ordinatum impediri valeret præcise in nos compromitteret, ne si contra Romanos armata manu procedens tantam daret exempli perniciem præsumeretur à pluribus, quod cæteros Ecclesiæ fefellisset. Cæterum quia recuperare scissuras schismatis nostræ incumbit officio seruitutis pro sedanda Imperii & Lombardorum discordia tantum Prænestinum Episcopum commisso sibi Legationis officio illa consideratione prouidimus destinandum, vt sibi à quibuslibet discordantibus minori haberetur ratione suspectus, quo suis actibus minus sæuiendi odii vel amoris ingereret, quod à mundo & carne ex susceptione sacræ religionis astrictus in diuini amoris altitudinem euolasset. Noster igitur detractor respondeat, quid ex hoc nobis & eidem Episcopo poterit imputari, si Placentiæ inter Patres & filios, affines, consanguineos & germanos ordinata concordia eo præsente & protestante, quod id saluis honore & iuribus Imperatorum & Imperii & quorumlibet aliorum fieret consummatam accipit. Quinimo recte blasphemus intelligit sibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipsius & nunciorum suorum instantiam Venerabilem Fratrem Ostiensem Episcopum, & dilectum filium Thomam S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem pro pace iuxta formam conceptam ab eisdem nunciis inter Lombardos & Imperium reformanda ad partes easdem transmisimus, idem dictis Legatis petita & ampliora adimplere pacatis, & delusis nobis reformationem pacis noluit acceptare. Ecce nunc intelligite qualiter Imperii iura conculcauimus ex præmissis aduertite qualiter hic à nobis fuerit impeditus, qui longo & inani labore suos & suorũ, humeros decreuit potius contra quam passus extiterit per nos iura Imperii reformari. Propterea illatis Ecclesiæ non cõtentus iniuriis datæ quibuslibet rebellibus nostris à nostra sede repulsis & concusso fidei capite quod superædificauit Dominus impulsu eiusdẽ Firderici Ferrariam & alias quasdam villas & terras in Lombardia contra iuramentum præstitum veniens temere occupauit. Super quo & aliis nos credens detinere verbis inanibus dictos Panormitanum Archiepiscopum & alios nuncios suos cum literis de credentia ad nostram duxit præsentiam destinandos. Quibus offerentibus nobis satisfactionem super præmissarum offensarum emendatione verbalem ante & post ipsorum à Curia nostra recessum Sardiniam & Messanam occupare ad Romanam pertinentes Ecclesiam non omittens ipso facto ne vltra eius correptionem expectaremus edocuit, ac non deberi sibi fidem vel suis nunciis adhiberi operis euidentia demonstrauit. Ex quo id solum in conscientia sua legens quod cor eius ad conterendum Ecclesiam & Catholicam fidem dirigit de nobis quibus se iam quocumque fraudis vellere occultare non potest, non immerito suspicatur quod ipsius pœnitentiam habentes iusta ratione suspectam, cum melius sit occurrere quam post inflicta vulnera remedium inuenire, ad auertendas suorum progressuum semitas officium Legationis dicto Notario commisimus quod nequaquam iuxta ipsius suspicionem id fecimus, sed vt per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obuiare possemus. Ex præmissis igitur & aliis nequeuntes de ipsius correptione sperare, & dolentes nos eius promissionibus toties fuisse delusos prædictum Fridericum de Fratrum nostrorum consilio excommunicationis sententia duximus innodandum. Qui quamquam ex hoc perditum intellectum resumere & coram Deo potius humiliari deberet, eo tamen amplius furens quo iam suam confusionem agnoscens veretur fortius, vt Ecclesiæ obstetricante manu educatur coluber tortuosus nos experientiæ nostræ meritis indignos asserens qualibet officii auctoritate publice populis per nos prædicta legari sententia minime potuisse suis præsumptuose literis asserit, & nos qui temporibus nostris patrimoniũ Ecclesiæ per Dei gratiã non modicũ ampliauimus super dilapidatione bonorum Ecclesiasticorum inordinato dispositionum processu, receptione munerum & auri auiditate redarguit, ac contra illum ex illo quod contrahentis inter neptem nostram & Henricum eius naturalem filium sponsalibus petitis subtraxit assensum prouocari falso confingit, illud apertius mentiens, quod Lombardis contra eum & imperium corporale præstitimus iuramentum, sed quod totius orbis decimas Terræ Sanctæ vtilitatibus reseruatas conseruare promisimus in eius compendium, si arbitrio nostro negotium exponeret Lombardorum. Fatemur enim nos defectu meritorum nostrorum indigne esse vicarium Christi Iesu. Fatemur nos oneri tanto insufficientes existere, quod humana conditio non valeret absque diuino suffragio supportare: nihilominus tamen vices nobis commissas prout melius nostra permittit fragilitas exequentes, secundum quod locorum, temporum, personarum & negotiorum qualitas ac natura requirunt disponendi disponimus, & cum excellentibus personis primo & secundum* DEVM *cum necessitas id exposcit de nostræ potestatis plenitudine dispensamus. Verumtamen non est dolor qui sic profundo gladio eius feriat animum sicut quod dum terminos Regum transgreditur non potest aggredi officia sacerdotum propter quod idem qui auri fame dictum Siciliæ Regem iam redegit in cinerem: credens ex se, quod omni tempore vitæ suæ pluribus non iustitiam precii venalitate corruptus exhibuit, qui in pera sua resuscitans magum Simeonem luto temporalium maculare posset Ecclesiæ puritatem, vt sic in spiritualibus grassari etiam in suis permitteretur sordibus remanere murum integritatis Ecclesiæ multis modis & specialiter oblatione castrorum ac parentela inter suos & nostros contrahenda, pro qua nos per quosdam magnos prælatos & nuncios suos pluries requisiuit, tentauit infringere. Nunc vero quia id nulla instantia nulloque ingenio sicut est in curia nostra notorium à nobis potuit obtinere, quin potius cum suis perditioni relictum artium suarum fallaciis proficere iam agnoscit, quasi nesciat vltra quid faciat, seipsum mendacio suo in aliorum detractione deturpat more meretricis Ægyptiæ, quæ Ioseph inuitauit & ab ipso contempta apud virum suum accusauit eundem. Vnum quidem est, de quo & si pro homine perdito sit dolendum lætari non modicum. De Deo regratiari debetis, quod volente Domino qui diutius occultari non patitur vmbram mortis, iste qui se gaudet nominari præambulum Antichristi non expectans propinquum suæ confusionis iudicium manibus propriis effosso suarum abominationum pariete per dictas literas eius suarum produxit in lucem opera tenebrarum, in eis constanter proponens, quod per nos tanquam Christi vicarium vinculo excommunicationis astringi non potuit, sicque affirmans non esse apud Ecclesiam à Domino Beato Petro & eius successoribus ligandi atque soluendi traditam potestatem dum hæresim asserit primo argumento sibi concludit consequenter ostendens quod male sentiat de cæteris fidei Catholicæ articulis, dum Ecclesiæ per quam fides fundata existit auferre nititur concessum verbo Dei priuilegium potestatis. Sed minus bene ab aliquibus credi potest quod non illaqueauerit se verbis oris sui probationes in Frider. victoria sunt paratæ, quod iste Rex pestilentiæ à tribus*

barattoribus vt eius verbis vtamur S. Iesu Christo Moyse & Mahometo totum mundum fuisse deceptum & duobus eorum in gloria mortuis Iesum Christum in ligno suspensum manifeste proponens, insuper dilucida voce affirmare vel potius mentiri præsumpsit, quod omnes sunt fatui qui credunt de virgine nasci Deum qui creauit naturam & omnia potuisse hanc hæresim affirmans quod nullus nasci potuit cuius conceptum viri & mulieris coniunctio non præcessit, & homo nihil debet aliud credere nisi quod potest ratione naturæ probari. Hæc & alia multa quibus verbis & factis Catholicam fidem impugnat suo loco & tempore sicut decet & expedit manifeste poterunt comprobari. Quocirca curate, ne dictus Frider. corda fidelium fallacibus verbis subuertere vel contagione sui possit quomodolibet gregem Domini maculare Clero & populo subditis supradicta vobis plene & fideliter exponatis. Dat. Later. Nono Iulii, Pont. nostri anno XIII.

VII. SCELESTISSIMA FACINORA FRIDERICI PER ITALIAM PATRATA ET HÆRETICÆ CRVDELITATES.

Cum his literis Gregorius Pont. Legatos, fere in omnes orbis Prouincias misit: qui animos Regum & Principum contra Fridericum sollicitarent. Namque is nihilo melior factus omnia vastabat, atque pessumdabat. Inprimis enim Venetos, Gregorio addictos, vehementer oppressit, ac maximis calamitatibus afflixit, eorum fines velut phanatico præceps furore, tumultuose inuadens. Ab his subito impetu auersus, & tum aquis omnia excludentibus impeditus tum nouis ab vrbe auxiliis superuenientibus, prohibitus cum recessisset alia tentauit. Verumtamen omnibus ciuitatibus Transpadanis conspirantibus, Duce Greg. Montelongo Bononiensis ciuitatis Legato, Ferrariã, Salingnero viro fortissimo eam acerrime aliquamdiu defendente, amisit, & Pisam, Genuensibus qui cum Venetis consenserant infestam accedens, factionibus Guelphorum & Gibellinorum discernendis vacauit. (*Krantzius in Saxon. lib. 8. c. 9.*) Inter quos cum aliquos Guelphorum Pontificiæ factionis reperisset, nonnullos è vestigio interfici, quosdam effossis oculis in Apuliam relegari, quosdam per diuersa cruciatuum genera ad mortem vsq; fecit laniari. Et Pisani interea præsentia Friderici animati, tanto fauore animis tumefacti, nihil æque annisi sunt, quam vt Genuenses Venetorum socios aliqua insigni clade afficerent. Frideric. autem Pont. & Ecclesiam fatigabat, eo quod in Francia, Anglia, Dania, & Hispaniis, atque in meliore parte Italiæ, sine timore, tanquam excommunicatus pronunciabatur, & Crucesignati contra eum sub signa cogerentur. Romam properabat, vt Pontif. in potestatem suam redigeret, properanti, amplissimo exercitu Crucesignata cohors se opposuit. Ad cuius conspectum adeo territus, & in furorem vesaniamque commotus est, vt captos ad se viuos perduci Crucesignatos, in prima ipse pugnans acie exclamauerit. Inde perductos ad se aliquos, partim quaternis ad Crucis formam perfodit vulneribus, partim caput in Crucis modum quadrifariam scidit, partim fronte eadem ferro cruce reddidit insignitos. Clericos vero detunsam in vertice coronam, ferro cæsim in crucem vulneratam (vt dicebat) iussit ornari. (*Blond. li. 7.* SVPPLICATIONES GREGORIVS FRID. OPPONIT, ETIAM NVDIS PEDIBVS.) Quorum vnus inflictum vulnus nimis patienter tolerare visus in palearum cumulum funiculo est pertractus: & quum benedicere ac laudare Deum perseueraret, igni supposito crematus est. Pont. autem in difficultatem omnium periculosissimam adductus, ab eo in quem sperabat præsidia protectionemque inuenit. Cardinalibus enim & Clero & populo in processionem deductis, ipse capita Apostolorum pretulit, & à Laterana basilica ad Principis Apostolorum templum nudis pedibus ingressus, suggestu conscenso, flens & lachrymans, tum diuorum intercessionem, tum populi ad seditionem commotioris auxilia implorauit. Mirum est quod accidit. In momento mutatis animis Romani Frid. detestari, inque eum arma comparare cæperunt, cum primum Gregor. decretum promulgasset sacrosanctum, gloriæ salutisque æternæ præmia illis pollicitus, qui aduersus scelestissimum Dei & Ecclesiæ suæ sacrosanctæ hostem Frider. pugnaturi crucis charactere insignirentur. Eo tempore quo Fauentiam obsidebat Frideric. & FF. Prædic. authoritate Gregorii Pontif. excitati, crucem contra periurum vbique locorum promulgarent, illis infensior Fridericus, scripsit deprecans & admonens, vt à concionibus contra se abstinerent, vtque cæteros sibi obedientiores efficerent. Cæterum cum Fridericus populi Romani pro Gregorio contra se constantiã vidisset, tertio quam aduenerat die mærens frendensque, & omnia vrens ac deuastans in itinere obuia, in Campaniã transiuit. Vnde breui post Beneuentum duxit, quam vrbem partim dolo, partim vi captam deceptamque mænibus nudauit, & in Picentes Marchianos delatus, Asculum obsedit, agrumque eius vastauit. Inde in Æmiliam seu Romandiolam ducere cupiens Entium filium Regem Sardiniæ, agitandis sibi de Piceno aduersantibus subigendisque dimisit, à quo adolescente patri simillimo direptiones vbique, incendia, & vastitates sunt commissæ, vt quicquid ausum est resistere, ad calamitatem maximam sit perductum. In Regno quoque Siciliæ per suos Præfectos raro auditas crudelitates exercuit in Ecclesiasticos præsertim, quorum plurimos partim occidit, partim carcere detinuit, partim relegauit. In nullum autem sacrum locum Friderici satellites magis desæuierunt quam in celebre S. Benedicti Monasterium Cassinense, cuius aurea & argentea vasa fregerunt, inque nummos conflauerunt, & Monachis eiectis illud ipsum insederunt. Per hoc etiam tempus Gora, Samnitum quondam vrbs, ad Lyris fluuii fontem sita, quod oppidani exactionibus non sufficerent, incendio ferroque vastata est. Par quoque Friderici satellitibus cura fuisse est visa, Hierosolymorum Templi ac hospitalis loca subuertere: tamquam in illos accurate desæuientibus, quos nouerant in Asianos Saracenos depugnare. Et quidem Saracenos adeo fouit Fridericus, vt eos mercede conductos, magis quam cæteram è Christianis militiam charos haberet. Nam & mulieres forma præstantiores per Italiam vniuersam & Siciliam, virgines quoque ab eis concupitas ditiores, à parentum sinu, matronasque à virorum complexu, rapi, & passus fuerit, & curauerit à Saracenis. In eo autem itinere, quod ab Asculo in Æmiliam fecit Fridericus, multo maior, quam Regiones illæ vmquam à barbaris sint passæ, vastitas est commissa. (*Cuspinian. in Frid. 2.*) Dum autem hæc ageret, interim à conuitiis in Pontificem non cessauit. Nam inter alia ei fertur scripsisse.

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Cui Pontifex ita rescripsit.

Niteris in cassum nauem submergere Petri,
Fluctuat, ast numquam desinet esse ratis.

Non potuit ferre Fridericus modestam Pontificis responsionem. Quamobrem nõ minus stupide quam stolide lusit.

Fata volunt, stellæque docent, auiumque volatus:
Quod Fridericus ego, malleus orbis eo.

Reposuit Gregorius Pontifex, id quod fuit ex vero.

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur:
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

†

Præter hæc Gregorius Nuncios in Germaniam pro sedis Apostolicæ authoritate destinauit, vtque hæc quæ adiungo Principibus renunciarent commisit.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERuorum Dei, dilectis filiis Magistris Alberto Archidiacono, & Philippo de Assisio Nuncio nostro in Alemania commoranti, salutem & Apostolicam benedictionem.

(Edita A. D. 1239.) *RAtionalis Spiritus exulanti extra suos terminos naturæ compatitur, & à naturali potentia, frequenter rationis excidiũ deploratur. Sed cum hæc duo deformationis vulnera sentiunt, de illatis sibi passionibus ad inuicem conqueruntur. non quod rationi, vel naturæ possit inesse deformitas, à qua creator creaturam suam in creando facit penitus alienam, sed quod actiones proprias toties intentio praua deformet, quod iam corruptelæ vitium videatur naturæ priuilegiis insignitũ. Vnde turbatur ratio, merito natura conqueritur, nisi ius ab iniuria prouocet, ab iniustitia vox innocentis appellet, ad tribunal recurratur supremi Iudicis, vbi affectus noxii iustitiæ limitibus coercentur.*

Quare Apostolica sedes iustitiæ languenti succurrere, sæuientis iniquitatis occursibus obuiare . . . . rigore Ecclesiasticæ reprimere disciplina. Hinc est quod dolentes audimus, quod quidam Friderico dicto Imperatori (qui sicut Herodes Christianam religionem, & in pectore fidelium Iesum Christum conatur extinguere, & fidem Catholicam, & Ecclesiasticam libertatem totis molitur viribus conculcare) contra Deum & Romanam Ecclesiam, consilium & auxilium, atque fauorem impendant. Iisque (quod dolentes referimus)

praua mente, Imperio cuius iura, & honores ac Principum conseruari volumus & optamus illæsa, perniciose incumbat, & incumbit decorem ipsius Imperii, & horem Principum, Imperii lege contempta, & Principum priuilegio cancellato, quosdam de ipsorum maioribus, quod actibus suis illicitis consentire renuunt, incarcerando, proscribendo, & proditoriæ necis gladio feriendo, ac paganorum, qui Assisini vocantur (quod inauditũ est, de quolibet Principe Christiano) gladiis exponendo deturpat. Nonnullos Episcopos, præcones Christi, rectores fidei, pastores ouium, medicos languentium animarum, spoliatis bonis Ecclesiasticis & mundanis, de regno quod & B. Petri patrimonium Episcopale, aliisque terris Rom. Imperio subiectis, proscriptione damnabili exulare compellit, sacrosanctas Ecclesias sacrilega temeritate profanans, religiosos (quorum vnum de Ordine Fratrum Minorum, absque iuris ordine, & debita causæ cognitione horribili crudelitate combussit) pupillos, orphanos, pauperes & viduas, tegmine vili nudatas, quasi sublatis desuper carnibus exossauit.

Excommunicationis quoque ac anathematis latam contra se à nobis sententiam, contemptis Ecclesiæ clauibus vilipendit, solenniter publice sibi faciens celebrari, vel potius profanari diuina, nec non laqueo damnatæ hæresis se suspendens, eandem sententiam prædicat non seruandam.

Verum cum ex hoc subsidio consilii, & fauore fidelium populorum dictus Fridericus reddiderit se indignum, venerabiles Fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, ac dilectos filios Abbates, Priores, Præpositos, & alios Ecclesiarum Prælatos, nec non nobiles viros, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & vniuersos alios Christi fideles per Alemaniam constitutos, rogandos duximus attentius & monendos, sub debito fidei Christianæ, quo tenentur D. Iesu Christo, districte præcipiendo mandantes vt præfato Friderico consilium vel iuuamen opera vel operam aliquatenus non impendant.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos qui contra præscriptum mandatum nostrum venire præsumpserint, per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, à præsumptione huiusmodi compescatis. Constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani 8. Kalend. Octob. Pontificatus nostri Anno decimotertio.

VIII. *Nauclerus generat. 42.* ITEM SALVE REGINA, AB HERMANNO CONTRACTO SCRIPTVM IN HONOREM B. M. V. VT IN MATVTINIS ET VESPERIS CANERETVR. *Platus lib. 2. c. 23.*

Interim cum & scriptis, & armis Friderici Gregorius exagitaretur, decreuit, vt illa præcellens & dulcis Hermanni Contracti Monachi Antiphona, Salue Regina, certis diuinæ rei horis adderetur, & campanæ ad Christi corporis & sanguinis confectionem pulsarentur, & laudes Virginis Mariæ speciali oratione in matutinalibus celebrarentur, & salutatio eiusdem Deiparentis, tum diluculo, tum crepusculo, dato signo campanæ, ab omnibus genuflexo ter repeteretur, & indulgentia plenaria à Crucesignatis contra Fridericum euntibus obtineretur. Quod Contractum attinet, scriptum est hunc in Sueuia ex nobili Comite ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuisse, atq; ob eam causam nomen Contracti, sed tamen scientiam diuinitus accepisse. Cum enim Monachus factus esset, multis precibus Beatam Virginem rogare instituit, vt ipsum eo morbo liberaret. Illa vero clara luce se ei visendam præbens, optionem obtulit, vtrum è duobus mallet, sanus ne fieri fieri, sed vt erat rudis & indoctus permanere, an perseuerare in morbo, & omnibus scientiis insignis euadere. Cum autem Hermannus, vt debebat, hoc posterius prætulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere literarum facere cœpit, adeo, vt neminem in his superiorem, vix etiam æqualem habere crederetur, ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam, ita calleret, ac si in iis natus esset. Scripsit inter alias lucubrationes, illud Melos, *Salue Regina*, Diuæ Virgini dicatum: Super cuius fere singulis verbis, ego quoque ante decem & octo annos, Quadraginta Conciones composui, & post biennium Venetiis typis datas, Clementi VIII. Ferrariam recuperanti, & dicaui, & obtuli.

IX. *Bossius lib. 9. Mariana lib. 12. & Platina in Greg. 9.* RES CRVCESIGNATORVM ADVERSÆ IN PALESTINA, TAM EORVM QVI CVM REGE NAVARRÆ QVAM ANGLI REGIS FRATRE EO PROFECTI SVNT.

In Palestina hoc anno, fere omnia infausta Crucesignatis euenere: propterea quod Frid. vt nihil Gregor. Pontifici deferret, induciarum inter se & Saracenos tempus præstitutum, vlterius prorogasset, neque occasione bene gerendi vti voluisset, cum & designatum fœderis tempus expirasset, & innumerabiles Crucesignatorum copiæ opera Gregorii sub signa coactæ, ad auxilia properarent. Enimuero cum Theobaldus Rex Nauarræ, atque reliqui Crucesignati, Germania Hungariaque longis itineribus superata Constantinop. aduenisset, & Bosphoro Thracio transmisso, in Cilicia ad Tauri montis angustias Turcis magno numero circumfusi magna pericula obiuissent, & vix tertia parte incolumi, illuuie & squalore deformes Antiochiam tenuissent, inque hostilem terram ingressi, & Ioannis Hibelini atque Templariorum copiis adiunctis adiuti, Gazam vsque omnia terroribus impleuissent, certam victoriam quam sperabant amiserunt, quod Reginaldus Bauarus Friderici in Syria præfectus, nequaquam contra Saracenos mouere voluisset, quod inducias Friderico cum Saracenis iterum pactas prorogatasque sciuisset. In eo prælio, quod ad Gazam, cum Saracenis, toto biduo gesserant, à superueniente multitudine Saracenorum superati, pars cæsi, pars profligati sunt, solo Theobaldo Rege superstite, qui veredarii velocissimi cursu euasit, sed postea inuentus nonnisi conditionibus iureiurando interpositis, vna cum Petro Comite Britaniæ, sepulchro Dominico visitato, rebus omnibus amissis, in Europam reuersus est. Initiis & mediis expeditionis exitus consentaneus fuit: aduersa fortuna sæpe pugnatum: auersa à Crucesignatis diuina benignitate. Monuit ea res Greg. Pont. vt iterum Crucis prædicatores, ex Ord. Prædic. atque Minorum per vniuersam Europam disperserit, & Richardum Cornubiæ Comitem ad piam militiam suscipiendam incitarit. Mirum dictu, ex vna vnicæ Angliæ Insula, quadraginta millia pugnatorum numerata sunt, qui per Gades mare Mediterraneum ingressi sunt: sed præter Sardiniæ Insulam vastatam, & Pisanos repressos, nihil præclari gesserunt classe eorum disiecta, demersa, & ad paucas naues redacta, adeo vt Richardus rebus infectis domum reuerterit, cum videret Bauarum Friderici Præfectum Saracenis nihil mali cupere, & ne pedem quidem mouere. Gregorius Pontif. id quod in eo fuit, Richardum Crucesignatum in clientelam sedis Apostolicæ recepit, & ne in illum aliquis, excepto Romano Pontifice, virgam disciplinæ Ecclesiasticæ exercere posset, dato Laterani XV. Calend. Decemb. diplomate indulsit.

X. *Epist. 221. Later. 4. Id. Febr.* CONSTANTINOPOLI OMNIA PACATA REDDVNTVR, ADVENTV BALDVINI.

Constantinopoli post Balduini & Crucesignatorum aduentum, res aliquanto quietiores, Vicario represso, & ad vnionem Ecclesia Romana inclinante. Summa lætitia affecerat Greg. Pont. Rex Bela Hungar. cum istã Vatacii promptitudinem illi significasset. Cæterum quum conditiones pacis & circumstantias negotii nequicquam præscripsisset, postulabat Belam Gregorius, vt ei ad amussim omnia renunciaret. Interim tamen Balduinum Imperatorem in tutelam S. Petri Gregorius ascripsit, omniaque ei abunde promisit, si modo pacem cum Vatacio stabiliret.

XI. SVMMARIVM QVODDAM GESTORVM HVIVS ANNI GREGORII. *1 Epist. 111. 2. Ep. 160. 3. Epist. 112. 4. Ep. 89. 5. Ep. 155. & 177.*

Interim etiam alia plurima pro Ecclesia transegit, & inter hæc 1. Principi Achaiæ, vt Teutonicis militibus ex Hospitali Andreuillæ exclusis, illud FF. S. Ioannis Hierosolymitani restitueret, præcepit. 2. Daciæ Regi, vt sex Clerici in diuinis mysteriis ei deseruientes, duo quæ vocant compatibilia beneficia retinerent, indulsit. 3. Erico eius filio, vt Iuttam Saxoniæ Ducis filiam quarto gradu sibi propinquam duceret, concessit. 4. Gubernatores Regni Nauarræ, toto tempore quo Theobaldus Rex piam militiam militaret, in protectionem Romanæ Ecclesiæ suscepit, neue quis eos anathemate percuteret præcepit. 5. Ferdinando Alphonsi Regis Portugalliæ filio, qui cum Alphonso filio Regis Castellæ & Legionens. contra Mauros depugnabat, indulgentias Crucesignatorum dedit, vtque Saracenis erepta, eisdem, exceptis lignis, armis & ferro vendere posset, potestatem fecit. 6. Rogerium nepotem Regis Angliæ naturalem, vt sacros ordines non obstante natalium defectu susciperet, dispensauit. 7. Colomanum Ducem Slauoniæ ad extirpandos hæreticos & schismaticos hortatus est. 8. priori Frisacensi Ordinis Prædicatorum, vt causam inter Bauariæ Ducem ab Episcopo Frisingens. excommunicatum cognosceret commisit. 9. Prouinciali Hungariæ vt Fratres sui Ordinis Prædicatorum ad prædicandũ Schismaticis & Hæreticis Bosnensibus mitteret, mandauit. 10. Prouinciali Galliarum eiusdem Ordinis, vt votum à Crucesignatis Terræ sanctæ, in subsidium Imperii Constantinopolitani commutaret, permisit. 11. Inquisitionem vitæ & miraculorum B. Ambrosii Ordinis Minorũ aliquibus commisit. 12. Cancellario Parisiensi, vt statuta à Remensi Archiepiscopo & Suffraganeis ipsius in Prouinciali Concilio contra liberta-

6. Ep. 152. 7. Ep. 176. 8. Ep. 17. 9. Ep. 175. 10. Ep. 136. 11. Ep. 14. 12. Ep. 80.

tem

13. Ep. 109. 14. Ep. 260. 15 Ep. 256.

tem Ecclesiasticam facta reuocaret, & abrogaret, præcepit. 13. Auximanam Ciuitatem Episcopatu priuauit. 14. Albensem Ecclesiam in Hungaria, quod maximam reuerentiam sacrosanctæ Eucharistiæ cum ad infirmos defertur, populi eius exhiberent, laudauit. 15. Contra hæreticos, præsertim Italiæ quamplurima saluberrima edixit atque inquisitoribus hæreticæ prauitatis nonnulla præscripsit. 16. Fridericum Ferdinandi Regis Castellæ filium, & Guillielmum S. Facundi Abbatem eiusdem Regis nuncium publice audiuit. Dolebat Ferdinandus Prouinciam Friderici Imperatoris, quem Gregorius Anathemate damnauerat, simulque operam suam Gregorio offerebat, si qua ratione contumacem inflectere, atque ad obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adducere posset. Dedit in eam rem literas Pontifici, Quarto die Decembris.

XII. *Mariana lib. 13.* ECLIPSIS OBSCVRISSIMA.

Hoc anno tertio Nonas Iunii, qui dies Veneris fuit, Solis defectio contigit hora sexta, densissimis tenebris luce commutata: quæ defectio solis omnium quæ vnquam visæ sunt obscurissima fuit.

XIII. *Cromer. lib. 8.* POLONIÆ PRINCEPS B. BOLESLAVS CVM CVNIGVNDE CONTINENTIAM VOVENT PERPETVAM. *Ex Bulla Can. in vit. S. Hyacit.* MIRACVLA S. HYACIN.

In Polonia Boleslaus Princeps, Belæ Hungariæ Regis filiam Cunegundem, puellam moribus & sanctimonia vitæ nobilem, in vxorem duxit. Tali autem coniuge Beatus Boleslaus, tamen ne primis quidem nuptiarum diebus eam attigit. Inde confirmata postea consensu mutuo religione, ambo perpetuam continentiam deuouere. Hinc Boleslao Pudico cognomen datum. Ad eam vitæ perfectionem ambo aspirauere, ab exemplo & sanctitate Diui Hyacinthi, qui per id temporis in eo Regno miraculis Ecclesiam illustrabat. Aliqua insigniora narrabo.

Et quidem inprimis cuiusdam Petri ex villa Paosouii oriundi, resuscitatio proponenda occurrit: quem rapidi fluminis impetu ex equo deiectum, & in aquis omnino submersum, cum eius corpus altera die iam latens, inexpectato ex ipso flumine prodiisset, Deus propter merita & preces eiusdem Beati Hyacinthi, statim ad vitam reuocauit. Eiusdem quoque sanctimoniam, mulier quædam Iudith nomine egregie ostendit, quã cum paralysis morbi vis elinguem prorsus ac mutam reddidisset, nullaque ratione vocem emittere vllam posset, tandem Beati viri intercessione assequuta est, vt lingua & sermone libere vteretur. Quodam tempore etiam, cum per agros villæ cuiusdam, diœcesis Cracouiensis, inopum ac pauperrimorum hominum segetes, iniuria grandinis læsas passim ac disiectas videret, non prius sibi ab oratione temperauit, quam easdem incolis intactas atque integras reddidisset. Altera quoque vice in mortem vsurpauit potestatem. *In vita S. Hyacinthi.* Pribislauia quædam nobilis, sanctitate Hyacinthi cognita, desiderauit, vt pro festo sancti Iacobi Apostoli, Titularis Ecclesiæ villæ Sernisci illic adesset verba ad populum facturus, & sacra confessione noxis multorum expiaturus. Miserat filium Vislaum, qui Hyacinthum ad solemnitatem inuitaret. Is autem dum iret, & flumen Raba aquis intumescens vadaret, abreptus, demersusque fuit. Adfuit paulo post Hyacinthus, & super cadauere ex aquis educto, orans, cum dixisset: Fili Vislae, Dominus Iesus Christus, cui omnia viuunt, ipse te viuificet: & ego quoque tibi præcipio, viue, surge, & ambula: Vislaum certo mortuum, ad certam vitam reuocauit. Altera vice dum in Cathedralem Cracouiensem properaret, verba pro die & laude S. Stanislai dicturus: Vitoslana nobilis gemellos filios sed ab vtero cœcos ei obtulit illuminandos. Orauit ille, manus cœcis imposuit, lumen integrum vtrique donauit. Hæc & alia innumera cum Diuus Hyacinthus patraret, sanctitatẽ vitæ maximam illustrauit, atque vitæ innocentia, omnes in sui admirationem excitauit. Namque eam viuendi rationem, quam à S. Dominico instituti prædicatorum Auctore, tanquam è purissimo fonte hauserat, vbique locorum & semper ad extremum vsque diem vitæ, sancte & religiose seruauit. *Ex bulla Canon.* Siue enim Christianæ humilitatis species ante oculos proponatur: eo nihil erat dimissius, nihil modestius, siue castitatis ac virginei pudoris imago pulcherrima desideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit. Si denique veræ in Deum & proximos charitatis forma exquiratur, illius charitate nihil potuit absolutius, nihil perfectius exoptari. Quanta porro in corpore castigãdo, atq; ad seruitutem redigendo illius fuerit seueritas, singulę noctes indicio fuerunt, quibus sese vsq; ad sanguinis profusionem affligebat. Qua vero continẽtia & moderatione in omni victu fuerit, præter ferias sextas, B. etiam Dei matris Mariæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum vigiliæ, ad vnam omnes declarant, quibus excepto pane & aqua, nihil omnino gustabat. Diuini autem numinis propitiandi tanta cura, tantaque solicitudine tenebatur, vt totas noctes in Templo fundendis ad Deum precibus insomnis persæpe consumeret. Et si quando inedia ac sopore fessis & cadentibus membris, somnum capere cogebatur: aut stans, lapidi tantum altaris innixus, aut iacens, humi scilicet prostratus quiescebat. Et quoniam nihil magis quã otium, homini præsertim religioso, vitandum esse sentiebat: idcirco quicquid temporis vacuum illi ab oratione supererat, id omne partim colẽdis sacris studiis, partim habẽdis concionibus, partim confessionibus audiendis, partim ægrotis inuisendis, partim denique Deo & proximis seruiendo impendebat. Cuius quidem singularem susceptæ vitæ rationem qua cœlestis potius, quam humanus vir merito reputabatur, frequens multorum, qui se eius precibus & orationi commendabant, ad eum concursus, atque adeo noua indies rerum ab eo gestarum præstantia, & pleraque miracula, minime obscura declarant. Reliquit Hyacinthus aliquot discipulos sanctitatis suæ æmulos, quorum nonnulli hoc anno diem obierunt.

XIV. *Leander in vitis Præd.* DISCIPVLORVM HYACINTHI OBITVS.

Non postremus eorum *B. Helgherus*, sanguinis nobilitate, honoris & diuitiarum pridem in sæculo abundans, Comite illustri natus sed ad amplissimam felicitatem ex religionis ingressu destinatus. Dedit ei nomen in Conuentu Frisacensi, sub disciplina S. Hyacinthi primum ex vrbe reuertentis. In hac progressibus innumeris factis, per virtutum gradus nexusq; iter sibi ad cœlitum fauorem & beatitudinem præstruxit. Humilitate, modestia, continentia, probitate, abstinẽtia, ieiuniis, vigiliis, disciplinis, maceratione carnis, se ad eum modum excoluerat, vt omnes viuum exemplar virtutum illum suspicerent. Harum virtutum exercitio, laboribusque confectus, migrauit ad Dominum, non sine miraculorum operatione.

Non minoris meriti in eodem conuentu, eodem anno excessit è viuis *B. Conradus* ad patriam cœlestem translatus, qui in vita sua tres mortuos legitur suscitasse. Par eis B. Salomon, qui cum Patriam suam Theutoniam, doctrina, sanctitate, & miraculis illustrasset, in eodem Prædicatorum instituto ad annum præsentem perseuerans, præmium cœleste recepit. Non inferior superioribus *B. Gualterus* Germanus quondam bonarum literarum in Vercellensi gymnasio professor. Is cum discipulos & reliquos alios à Concionibus B. Iordanis Magistri Ord. Præd. auerteret, dicens illum instar meretricis lenocinio verborum omnes decipere, adque institutum suum pertrahere, ipse primo verbis Iordani captus, sanctæ religionis iugũ suscepit, virtutibus ornauit, & vsque ad extremum spiritum, quem hoc anno Deo reddidit, portauit. *Eiusdem generis alter Gualterus*, patria Meisenburg. cælitum numerum hoc anno auxit. Adolescens non maior sexdecim annis in Ord. Præd. admissus, innocentia vitæ tãtam gratiam promeruit, vt vnico verbo dæmonibus imperaret. Austriaci Principis Friderici filiam ad sanctæ virginitatis propositum aliquando alliciebat, cum in momento aspiceret, Satanam à dextris puellæ astare, eamque à sancto instituto reuocare. Titillata illa à dæmone, persuasiones Gualtheri deridebat, adeoq; fastidiebat: is vero frustra se laborare perspiciebat, donec ad solemnia arma conuersus, dixit: *Benedictus Iesus fructus ventris tui*, dęmonem fugauit, virginiq; virginitatẽ persuasit. Aliquando à quodam Principe Alemanno, vt eius crimina in confessione exciperet, inuitatus: & præcedente nocte à dæmone visibiliter apparente inuasus solo verbo: *Benedictus Iesus fructus ventris tui*, malignum à se profligauit. Hoc vnum contra perturbatorem generis humani flagrum esse potentissimũ testatus, quo ipse frequentius felici cum victoria vsus fuisset. Non minores superioribus integritate vitæ, *B. Ægidius & Otto* Belgæ, qui etiam hoc anno, coronam laborum, quos in Ord. Præd. pro salute animarum, & pro fidei propagatione sustinuerant in Belgio morientes, recepere. *His se adiungit B. Cristinus* eiusdem instituti, hoc anno ad cælos elatus, cuius tanta sanctitas fuit, vt à circumstantibus sæpissime visus fuerit, in aere altius quam vno cubito eleuatus.

Platina lib. 1. c. 31.

Non minor istis Adulphus, hoc anno ad Ord. Minorum S. Francisci institutum admissus. Reliquit ille Comitatum Halsatiæ, quem rebus feliciter gestis aduſque maturam ætatem administrarat, & honoribus maximis apud Imperatorem Frid. fuerat perfunctus. Is cum sanctam & humilem in illa familia vitam egisset, moribundo astitit communis omnium religiosorum Patrona ac mater D. Deipara, innumerabilium Angelorum comitatu stipata eumq; trepidantem ita confirmauit. Quid habes fili? Quid times? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni fecurus, quoniam filius meus, cui fideliter seruisti, tibi coronam gloriæ dabit. Quibus ille virginis verbis, & aspectu adeo recreatus est, vt omnis horror mortis in ingentem lætitiam fuerit conuersus. Narrant, quod cum Monasterium sui Ordinis in oppido Kyl erexisset, & ibi operarii non haberent, quo per æstum inter laborandum reficerentur, lac ostiatim emendicauit: Cumque aliquando filios suos Ioannem & Gerhardum inter quos Holsatiam diuiserat, obuios habuisset, sublimes in equis more Comitū vectos, passus est humanitatis aliquid, vt rubore cœperit perfundi, sed mox robur mentis aduocans, cum adhuc in cōspectu essent filii, hydriam lacte plenam & leuatam super caput euertit, & sese totum à vertice lacte perfundens dixit: Infelix, erubuisti Christi pauperiem, baiulare lac in manibus, nunc vel in capite ostende quid portaueris.

XV. *Cromer. lib. 1.* MASSOVIÆ DVCIS POLONI MIRA CRVDELITAS IN SVVM CANCELLARIVM.

Per id temporis in Polonia, Conradus Dux Massouiæ, in Ioannem Gaplam, Vladislauiensem & Plocensem Canonicum, & suum Cancellarium, diram crudelitatem exercuit. Erat Conrado filius Casimirus, Henrico Silesiæ Duci affinitate coniunctus. Is Vratislauiam profectus, vt sponsam & affines suos inuiseret, captusq; consuetudine sponsæ, diutius ibi, nequiquam reuocante patre, commoratus est. Suspecta ea res Conrado, vt est fere suspicax & sollicita tyrannis, esse cœpit, vetito ne quod filius cum Henric. Socero, contra se, & fratres suos cōsilium iniret. Erat cum Casimiro Io. Cancel. custos & moderator adolescenti à patre datus. Cum igitur Conrad. quasi conscium, siue adeo authorem Consil. filii literis reuocauit, caprumque, causa non cognita in carcerem coniecit, ac mox quæstionibus subiectum, eodem furore in patibulum egit. Cuius caduer cum Dominicani Fratres (quos Plosicum Conradus ante aliquot annos, condito eis Monasterio, induxerat) depositissent, & Christiano ritu funus deducerent, Agathia Conradi vxor mariti furori suffragata, ereptum, & in plaustro duobus bubus contumeliæ causa vectum, noua furca ad id ex tempore ad ædem atq; monasterium Dominicanorum ex aduerso Basilicæ erecta, iterum iussit appendi, neque tamen deterriti sunt Fratres Dominicani, quo minus iterum id deponerent, atq; honorifice sepelirent. In quo quidem euidenter diuina iustitia apparuit, sceleſta ac sacrilega tyranni manu ad vltionem patrati pijus à Ioanne illo sceleris vsa: propterea quod is iniustæ & nefariæ Christierni Palatini necis author (quem Conradus paulo ante occiderat) aut saltem incentor fuisset. Et sane huiusmodi fere sunt susurronum ac delatorum, quibus aulæ & aures Principum patent, exitia & exitus. Hoc vero Conradi facinus, & patratum in Dei sacerdotem parricidium, Andreas Plocensis Episcopus, Marci Palatini Cracouiensis filius, vindicare ausus non est, ne quid & ipse à tyranno pateretur. Cæterum Petrus Archiepiscopus Gnesnensis re cognita maiore animo vniuersæ Plocensi diœcesi sacris interdixit. Propter quam rem excanduit quidem primum Conradus, verum post ad se reuersus culpam agnouit, & Lencitiam ad Archiepiscopum, vt ille iusserat, venit, de admisso scelere eius arbitratu satisfecit, Louiciamque villam cum circumiacentibus syluis sane quam vastis Archiepiscopo Gnesnensi olim ereptam, pleno iure ex integro, siue donauit, siue restituit.

XVI. ANGLICORVM ABBATIS ET DECANI MODESTIA IN DECLINANDO EPISCOPATV.

Hoc anno Conuentriæ in Anglia Nicolai Fernamii Abbatis, & Guillelmi Decani modestia ad exemplum apparuit, digna, quæ hic enarretur. Inter Canonicos & Monachos diuturna altercatio fuerat, in Episcopo sufficiēdo Monachi Nicolaum, Canonici Decanum exoptabant. Ibi Decanus cum has altercationes audiſſet, vir modestus, & minime ambitiosus, clamare, se tanto magistratui ineptum & parum accommodatum, quare vltro secedere, suffragiumque suum omne in Nicolaum, qui ad eam functionem idoneus erat, transferre. Hęc tanta viri modestia effecit, vt coniunctis iam animis & suffragiis vtriq; tam Monachi quam Canonici mirifice ad ornandum Nicolaum conspirarent. Mittunt igitur qui significet, omne iam dissensionis impedimentum, quod obiiciebatur, sublatum, quique rogaret magnopere, vt communi, & quasi diuinitus immissæ opinioni & ipse suum consensum accommodaret. Ille porro, cum amplas illis ob tantam in se beneuolentiam gratias egisset, non posse tamen illorum desiderio satisfacere aiebat, obfirmasse enim se animum, ne illi se muneri immisceret, quod tantam tamque accuratam tot animarum Deo reddendarum rationem secum ferret. Præclare secum actum arbitrari, si facili & expedita, vel de animabus, quarum iam curam gereret, ratione apud Deum, aliquando vti posset, nolle se maiores sibi in id genus functionibus difficultates accersere. Præclarum sane & rarum in vtroque modestiæ exemplum visum est: cum neuter dignitatem oblatam suscipere voluisset: *M. S. Vatic.*

XVII. OLEVM MANAT EX TVMVLO ROBERTI EREMITÆ.

In Anglia etiam, Knareburgiis, Diœcesim Eborien sem ad hæc tempora nobilitarunt miracula apud tumulum Roberti quondam Eremitę patrata. Inter quę oleum ex eodem tumulo manauit, multisque ægrotis salutare. *M. S. Vat.*

XVIII. ECLIPSIS PRODIGIOSA.

Eodem anno III. Nonas Iulii ab hora sexta vsque ad nonam sol tanta obscuritate obductus est, vt meridies omnibus speciem intempestæ noctis afferret: quippe cum stellas in cœlo perinde ac nocte ipsa nudaret, quare in religionem versa vulgo homines ita perculsi sunt, vt multi instare finem seculi arbitrati, ad peccata sua per confessionem expianda, & pœnitentiam agendam confugerent: alii vero in gratiam cum inimicis suis, veteribus iniuriis condonandis redire contenderent. *Sigon. lib. 18. de regno Ital.*

XIX. MIRA CASTITAS CONIVGATÆ MATRONÆ.

Insigne castitatis exemplum, per id temporis, ex Beato VValtero Ordinis Prædicatorum se audiuisse memorabat *Thomas Cantipratanus*, dignum quod eius verbis narretur: Ita habet *lib. 2. c. 30.*

In partibus Sueuiæ, quas Alemannia continet, mulier quædam deuotissima erat & nobilis, pulcherrima etiam secundum carnem, inter omnes patriæ fœminas reputata. Ad hanc videndum cū multi nobiles & potētes sæpius cōuenirent, & illa pro visitatione huiusmodi grauiter sæpius turbaretur, ne scilicet curiosę videntibus occasio scandali præberetur: quia secundum Philosophum, *magno cum periculo custoditur, quod multis placet*: Oratorium suum sola semel ingressa, fusis ad Dominum lachrymis dixit: Mi Iesu, video mihi ex carne qua induisti me periculum imminere. Licet enim animum meum fortiter fixeris, vt nulla prorsus vanitate commouear, tamen non modicum pertimesco, dare me posse causam debilibus, vt tentationum cupidine aliquatenus agitentur. Rogo ergo te misericordissime Domine, vt speciem meam, in tantam fœditatem commutes, vt sit carnis miseræ turpitudo in horrore potior, quam pulchritudo fuerat in honore. Hoc dicto statim lepra fœdissima contabuit vultus illius, eruperunt pustulæ, oculi tumuerunt, os lacerum inepte patuit, nasusque gibbosa deformitate contortus, alienam penitus faciem demonstrauit. Nec mora, egrediente illa occurrit maritus, vixque eam tamen per habitum cognoscens, quæsuit si ipsa esset, & ea dicente: Ego sum: Mox ille totus inhorruit, familia vero vniuersa exclamauit, inque planctum conuersa est, demirans, quid tam subito dominæ suæ contigisset. Turbatis itaque omnibus & præcipue amicis & parentibus, cum Medicos, quid agendum foret consuluissent, illis respondent: incurabilem esse lepram, nihilque aliud esse consilii, nisi vt extra habitationem hominum collocaretur. Quod vt factum audiuisset Fr. Ordinis Prædicatorum, qui eius confessiones excipere solebat, venit ad illam, & misę gaudentem inueniens quæsuit causam subitarii & inopinati morbi. Quam cum illa per ordinem enarrasset, Frater ipse perturbatus, increpauit illam dicens: O stultissima & miserrima mulierum, quæ in contumeliam & periculum viri tui, opus Dei in te destruxisti, parentesque tuos & amicos qui Deum laudauerunt, ad blaiphemandum coegisti. Age nunc charissima, insiste precibus, & ad contrarium rei gestę diuinam clementiam interpella. Hoc dicto recessit Frater. Illa autem totaliter in lachrymas resoluta, orauit Dominum dicens: Domine Pater & Dominator vitæ meæ: vt libertio-

liberiori mente, & puriori spiritu tibi seruirem, hoc in me flagellum lepræ à tua bonitate fida supplicatione postulaui. Sed quia audio à Patre meo spirituali, cui me tota deuotione commisi, contra salutem meam hoc à te omnium Domino petiuisse, rogo te per tuam benignissimam charitatem, vt in me tuum plasma restituas, secundum quod tuæ placuerit voluntati. Mira res? Vix verba compleuit, & in tanta claritate curis & elegantia formæ subito facies eius restituta est, vt in ea nec vnius rugæ vestigium, vel tenuissima saltem macula remaneret. Quo viso, exultauit miles, & vxorem reputauit sibi redditam quasi rediuiuam. Vix tamen anno dimidioille superuixit: Hæc autem non immemor bonitatis Christi, cum vnica quam habebat filia, & possessionibus vniuersis ad Monasterium sororum Ordinis Prædicatorum Lincberchense transiuit, & in eodem, auctore Deo, religiosissime conuersabatur.

DENIÆ FILIVS FRID. NOTHIA PVD PISAVRVM TRIREMIBVS PRÆLIO NAVALI VINCIT, ET ILLOS INCARCERAT.

IESV CHRISTI
Annus 1240.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 14. BALDVINI II. Imp. Orient. 12.

I. *a Cisacen. Blondus Kranzius, Ricordan. Platina & alii.* GREGORIVS INDICIT LATERAN. CONCILIVM OB FRID. TYRANNIDEM.

CVm Fridericus secundus tot facinoribus sese obstrinxisset, scilicet, Longobardos Ecclesiæ Romanæ *a* filios & vectigales contra ius fasque oppressisset, ferroque & flammis vastasset: tum deinde Pontificem pacis & concordiæ auctorem contempsisset, Legatorum sedis Apostolicæ salubria consilia spreuisset, Cardinalium animos & Romanorum affectus à Greg. alienare tentasset: in vrbe contra Pontificem non semel seditiones excitasset, extra vrbem apud Interamnam prælio cum Guidone Castello pro Ecclesia Romana Vicario eiusque filio Iacobo conserto, vtrumque occidisset, censum Regni Siciliæ perdere negligeret: Clericos omnes & Ecclesias grauissime affligeret: FFr. Minoribus Prædicatoribus, Hospitalariis & Templariis, Monach. & Episcopis Regni Siciliæ, intolerandas calamitates inferret; & alios quidem eorum combussisset, alios alio genere mortis interfecisset, & ex Episc. aliquot relegasset, aliquot proscripsisset, alios sacerdotiis exuisset: multa Rom. Eccle. coppida, ciuitates & arces occupasset: in vitam Greg. conspirasset, Apost. sedis honorem & dignitatem abrogare niteretur: In Christum Deum virulentissima iaceret conuitia: per Italiam denique immanissimi more latronis baccharetur, agros vastaret, oppida diriperet, ciuitates ad arma contra Ecclesiam sollicitaret, factionibus & dissidiis Tusciam, Vmbriam & reliquas Prouincias misceret: gladium & ignes in omnia sibi obstantia explicaret: non sexui, nō ætati vlli parceret, sed cædibus ac sanguine omnia compleret, adeoque se non Imperatorem, sed tyrannum populorum, non aduocatum & defensorem sed hostem & perduellem Ecclesiæ factis assereret, neque anathematis gladium quicquam æstimaret: Gregorius vt Ecclesiæ & rebus publicis Imperii & Regnorum consuleret, apud Cryptam ferratam Cardinalium suffragio habito, Concilium generale, pro festo Dominicæ Resurrectionis, Romæ apud Lateranens. Basilicam celebrandum indixit: *b* literasque Indictionis Concilii, priores quidem 5. Idus August. secundas autem Idibus Octob. Larerani anno Pontificatus sui XIV. Balduino Imp. Regibus Franciæ, Angliæ, Boemiæ, Scotiæ, Sueciæ, Norvegiæ, Portugalliæ, Aragoniæ, Castellæ & Legionis, Hungariæque, Ducibus, Poloniæ, Venetorum, Slauoniæ, & reliquis: tum inprimis vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac Prælatis scilicet ipsis, qui ad diem designatum præsto in vrbe essent, ad subeundum rebus Ecclesiæ deploratis.

II. LEGATOS CARD. EMISSOS, ET PRÆLATOS CLASSEGENVENSIVM ADVCENTES ENTHIVS REX SARDINIÆ FILIVS FRID. NOTHUM QVEM SARDINIÆ REGEM CREAVERAT, CVM PISANORVM CLASSE 40. TRIREMIVM SVB COMITE HUGOLINO LEGATIS & PRÆLATIS OPPOSVIT, QVI PUGNA NAVALI APUD MEORIAM INITA, PER IGNAVIAM & CONTUMACIAM OBRIACI GENUENSIUM CLASSIS PRÆFECTI GENUENSIBUS VICTIS CARDINALES & OMNES PRÆLATOS AD CONCILIUM VELIFICANTES IN POTESTATEM REDEGIT, COMPREHENDITQUE, & PARTIS FRIDERICI IUSSU GALLOS QUIDEM & ANGLOS PONTIFICES EORŪ REGUM ORATU DIMISIT, LEGATOS AUTEM MELPHI, ITALOS AUTEM PER APULIÆ OPPIDA DURIS CARCERIBUS INCLUSIT: IN QUIBUS PLERIQUE EORUM PÆDORE & CARCERIS INCOMMODIS PERIERUNT. CAPTI FUERE PRÆTER DUOS CARDINALES, TERTIUS LEGATUS ALIUS GREGOR. DE MONTELONGO NON CARDINALIS: ITEM ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS, BURDEGALENSIS, BISUNTINUS, EPISCOPI CARCASSONENSIS, AGATHENSIS, NEMANTENUS, TERDONENSIS, ASTENSIS, PAPIENSIS & ALII PERMULTI. FERUNT FRID. CUM POST BIENNIUM IACOBUM CARDINALEM DIMITTERET, MULTIS DONIS ORNATUM ROGASSE, VT SUI RATIONĒ HABERET, & IN EIUS AMICITIA PERSEVERARET, HOC À CARDINALE AUDIUISSE. *Libentissime fecero, si tu tantum in Ecclesiæ obedientia perstiteris, & pacem Italiæ, sidi Apostolicæ iuræ, Pontifici supremo reuerentiam præstiteris, sin secus, ego nihil mutabo, teque diris omnibus deuouebo.* Prælati Hispaniarum eam cladem Prælatorū Gregorio denunciarunt, & de clade Cruce in Syria signatorum dolenti dolorem super dolorem addiderunt: Constantissime tamen Greg. eam calamitatem tulit, neque animum abiecit, quin Ecclesiæ & Orientis negotia procurauit. Nam hoc eodem anno Pontificatus sui anno 14. multos Crucesignatos in Palestinam submisit, & Patriarcham Hierosolymitanum Legatum illis præfecit, omnibusque Baronibus, militibus & populis, vt ei dicto obedientes forent præcepit, datis *c* ad vniuersos & singulos literis Later. Cæterum cum populus vrbanus cum præfecto & reliquis proceribus castellis, graues inimicitias exerceret, Gregorius Pontifex authoritatem suam interposuit, ad quæ mutuam concordiam dissidentes reduxit cum pacta conuenta decreto probasset, & ad perpetuam rei memoriam in Castello S. Angeli tabulas eius pacis initæ, conseruari mandasset.

c Epist. 99.

Aliquid ridendum hoc anno renunciatum est Gregor. Pontifici. Quidam Germanorum sacerdotum, recens natum infantulum, non aqua simplici, sed cereuisia baptizauerat. *d* Decreuit Pontifex, non esse rite baptizatum, qui eiusmodi liquore perfusus fuisset.

III. *d Epist.* II. GERMANI SACERDOTIS RVDIS GREGOR. BAPTISMVM CEREVISIA FACTVM IMPROBAT.

Hoc anno *e* Ferdinandum Rex Castellæ Burgis, quo se Toleto contulerat, animo ad pacis artes conuerso, Palentinam scholam ab Alphonso auo constitutam, Salmanticam transtulit loci commoditate inuitatus. Erat enim Musarum otiis idonea ciuitas, præterlabentique Torme amne salubris pariter & amœni fecessus. Præterea eo beneficio cupiebat Legionensium erga se amplius conciliare voluntates. Alfonsus quidem Legionensis Rex superioribus annis, ne subditis necesse foret eruditionis causa in Castellam abire, nouæ scholæ fundamenta Salmanticæ posuerat, exigua & inchoata. Cæterum Ferdinandi Regis pro eo studio, quo literas amplectebatur, cura & liberalitate vsque eo auctum est illud gymnasium, nullibi vt maiora virtuti præmia, neque artium professoribus stipendia vberiora sint proposita.

IV. *e Marian. lib. 12.* FERD. CASTELLÆ REX SCHOLAM PALENTINAM SALMANTICAM TRANSFERT.

Hic ipse *f* annus non Castellæ modo faustus extitit, sed etiam Aragonis religiosus celebrisque prodigio, quod ad Chum arcem ostensum est, corporalibus quibus sacrificatum erat, sex hostiarum sanguine delibutis. Ea corporalia Daroca magna religione seruantur. Præstat eam rem ipsam fusius enarrare.

V. *f Mariana lib. 13. c. 1.* CORPORALIA SANGVINE IMBVNTVR.

In Valentiæ Regno hoc anno 1239. maximus barbarorum exercitus aduersus mille Christianos qui in parvo oppido erant, aduenerunt. Cum autē ipsi viderent se tam paucos esse, fieriq; non posse humana ratione, quin superarentur à tā numeroso exercitu, nisi præcipuo miraculo defenderentur, decreuerunt omnes sacra exomologesi peccata expiare, & sacro Eucharistiæ sacrosancto sese contra hostes præmunire. Vnum impedimento, quod nec sacerdotes fo-

VI. NARRATVR HISTORIA TINCTIONIS ILLIVS PROLIXE.

rent, nec tempus supperet, vt omnes desiderio suo satisfacere possent. Delegerunt itaq; sex viros ex præcipuis ducibus, qui pro totius phalangis nomine sacris rite procutati, & misericordiam diuinam implorarent, & in aciem primi aduersus Saracenos descenderent. Iam sacerdos peccata eorum audiuerat, & sacrificii maiore parte absoluta, sex hostias pro sex viris, consecrarat, cum datum esset signum, barbaros iam adesse, ac oppidũ oppugnare. Omissa sacra communione, ad arma accipienda prouolarunt, & Sacerdotem ad aram reliquerunt. Hic porro maiore qua posset celeritate, sacras hostias findone, quod corporale vocant, inuoluit, & sub quodam saxo recondidit. Deus autem cum illorum fidelium tam Procerum quam populi bonam voluntatem suscipiendi Sacramenti respexisset, nec non confidentiæ atque orationum haud modicam rationem habuissent, ita eos & eorum causa reliquos alios milites animauit, vt breui temporis interuallo Saracenos profligassent, & plurimos quidem eorum occidissent, reliquos autem in fugam coniecissent. Victoria potiti de barbaris, ne tanti beneficii ingrati viderentur, ad Ecclesiam, vt erant armati, reuertentes sacram Eucharistiam à Sacerdote cõsecratam postularunt. Tunc Sacerdos, vt inditas corporali formas exprimeret se contulit: cumque in altari sacram findonem explicaret, hostias sanguine aspersas cum que corporali coniunctas aspexit. Quo mysterio declarato, & corporali reuoluto, in magnam admirationem omnes concitari, ingentes gratiarum actiones, cum lachrymarũ profluuio, Deo obtulerunt. Interim barbari vires suas collegerunt, & omnes vicinos suos in armis esse voluerunt, iterumque in oppidanos illos se contulerunt. Ipsi autem beneficio accepto corroborati, sacerdoti, vt in loco eminentiore, in quo omnes milites sacras hostias corporali inuolutas possent aspicere, sese collocaret, suggesserunt. Ostentante itaque illo sacram cum hostiis Eucharisticis syndonem, tanto ardore animorum in barbaros eruperunt, atque depugnarunt, vt longe lateque patentes campos eorum cruore infecerint, cadaueribus instrauerint.

VII. ALIVD MIRACVLVM CIRCA EASDEM HOSTIAS.

Aliud miraculum tunc accidit. Debellatis Saracenis, deliberabat vbinam locorum Sacra illa pignora deponerent. Placuit Ducibus rem sortibus explorare. Mirum: tribus vicibus Darocæ oppidi nomen exiuit, vnde erat Sacerdos ille qui hostias consecrarat. Neque hoc fuere contenti, sed mulam mitem, quæ numquam per tetras Christianorum incessisset, ex manubiis Saracenorum quæsierunt, eique sacris hostiis impositis, ire quo vellet permiserunt, nimirum, vt quo loci illa constitisset, ibi esset locus pretioso deposito. Mula præibat, Sacerdotes cum cereis accensis, ac post illos Duces & populi agmina tim sequebãtur. Mirum, mula nullibi licet herbæ & fœna esurienti apponerentur, consistere voluit, donec Darocam peruenirent. Ibi quandam Ecclesiam iuxta Xenodochium ingressa, genua in terram fixit, ac mortua est, scilicet, vt, quę diuinis vsibus seruierat, non amplius humanis obsequiis deputata esset.

VIII. HOSTIÆ ETIAM NVM INTEGRÆ PERDVRANT.

Mirum est & istud. Sacræ hostiæ adeo integræ, & sanguine rubentes, vna cum corporali, ad hæc vsque tempora conseruantur, ac si recenter consecratæ, & sanguine nunc nunc imbutæ fuissent. *Ludou. Granatens. lib. 2. de Christianæ religionis præstantia.*

Per hæc tempora Gregorius Nonus Pontifex Max. Guillelmum Episcopum Mutinensem in septentriones Legatum destinarat, qui clericis mores informaret, schismaticos ad Ecclesiasticam vnitatem reduceret, & Principibus contra Paganos decertantibus assisteret, siue vt Pugnatores benedictione Apostolica dignaretur, siue vt victos barbaros ad fidem Christianam instrueret. Eo in Suecia agente, Rex Suecorum Ericus, cognomento balbus, contra Tauestos nõ infeliciter dimicauit. Commissa enim pugna, Sueones victoriam non incruentam assecuti, legem victis præscripserunt: vt, si pagana superstitione abiecta, Christi fidem acceptarent, nec in vita, nec in bonis periclitarentur: alioquin neque vita, neque bonis deinceps potirentur. Assumpta est conditio à compluribus, qui non solum Christi fidem integro pectore admiserunt, sed regno Sueciæ fidelem subiectionem iureiurando promiserunt, eamque hactenus tam in corrupte præstiterant, vt & optimi Christiani, & fidelissimi erga Sueciæ Principes semper fuerint æstimati: digni profecto, vt à Regiis præfectis, & terrarum dominis minus, quam modo fit, grauarentur. Guillelmus porro Legatus maximam laudem promeruit, quod in Concilio Scheringensi, pro restituendis moribus fidei Christianæ, tam ipso Rege ac proceribus præsentibus, quam Iarleo Archiepiscopo Vpsalensi cum omnibus coepiscopis suis, ad omnia consentientibus, saluberrima decreta ediderit. Prima intentio, & cura Cardinalis Sabinensis in eo Concilio erat, reuocare Suecos & Gothos à schismate Græcorum, in quos presbyteri & sacerdotes ductis publice vxoribus consensisse videbantur: effecitque, cooperantibus Rege Erico & Birgero Duce, vt abiuratis coniugibus, & concubinis, cœlibatum ample ctерetur. Transgressores vero huius statuti omnibus prouentibus, dignitatibus, priuilegiis, ac libertatibus clericali ordini annexis priuauit, grauibusque pœnis & censuris, ac iudicio sæculari subiecit. *Olaus lib. 19. cap. 15.*

CLERVS A CONCVBINIS LIBERATVR.

Hoc anno in Saxoniæ syluis Daniam versus, in deserto nemore, quædam animalia capta sunt monstrosa, fere in omnibus habentia hominis figuram. Ex his fœmina quidem mortua est canum morsibus ac venatorum vulneribus. Masculus autem captus est, & factus domesticus, super pedes interdum erectus gradiebatur. Didicit loqui imperfecte valde & non multa verba: habuit vocem exilem sicut capreolus. Rationem nullam habuit: de secessu atque egestione ac aliis talibus vèrecundabatur. Mulierum congressum vehementius appetens, quas potuit consequi opprimebat. *Albert. Magn. hist. animal.*

X. SYLVESTRIS HOMO CAPTVS IN SYLVIS SAXONIÆ.

Eodem Anno Berengaria Ferdinandi Regis filia, Olgis Deo virginitatem sacrauit. Ioannes Oxomensis Episcopus, velum sacrum capiti de more imposuit.

XI. FERDINAND. REGIS FILIA VIRGINITATEM VOVET.

Hoc anno Hermãnus de Saltza Ordinis militiæ Teutonicorum in Brussia Magister, vir fortis & magnanimus, rerumque præclare gestarum laude celebris, postquam ordini triginta annorum spatio præfuisset, eidemque plurimas arces & bona in Armenia, Italia, Vngaria & Germania adiecisset, obiit in Apulia die 24. Iulii, sepultus Barletti.

XII. HERMAN. DE SALZA ORD. TEVTON. IN PRVSSIA MAGISTER MORITVR.

Ipso eodem anno, mortuo Germano secundo Patriarcha Constantinopolitano, successit Methodius secundus, sed post tres menses obiit, Manuelque secundus ei successit.

XIII. MANVEL II. SIT PATR. CONSTANT.

Eodem anno fuit indictus Syluanectæ Conuentus Episcoporum Prouinciæ Rhemensis: vbi Iacobus Episcopus Prænestinus, Romani Pontificis Legatus, petiit obtinuitque vigesimam omnium reddituum Ecclesiarum, in auxilium Pontificis contra Fridericum decertantis. *Annal. Fland. lib. 8.*

XIV. VIGESIMAM IN PROVINCIA RHEMENSI IMPETRAT GREGOR. CONTRA FRID.

Circa hoc tempus vixit Odo Neuariæ natus. Is Carthusiensium ordinem professus, tãtum in religiosa vita profecit vt sanctitatis eius fama diuulgata, electus fuerit in Abbatem monasterii ciuitatis Iaderæ, in Prouincia Sclauoniæ. Quo cum peruenisset, ab Episcopo & Diœcesano locilius tot passus est opprobria, vt paci ac tranquillitati consulens honori & oneri cedere eligeret. Quare ad Clementem 3. Pont. Max. accedens, officium prædictum, eo quod persecutiones Episcopi supportare non posset, vbi illud debite exequi vellet, in manibus eius renuntiauit. Ex Romana curia discedẽs, Taliacorum venit, ibique aliquantulum itinere confectus, quiescere cupiens, ab Aduhisa religiosissima fœmina, quæ SS. Cosmæ & Damiani monasterii Abbatissam agebat, hospitio est receptus: cumq; post paucos dies discessum patarer, Aduhisa inspecta senis probitate, quiete, humilitate, ac pietate, considerataque vtilitate, quam præsentia viri sancti monasterio conferre poterat, precibus humillimis eum aggressa est, ne inde recederet, sed in dicto monasterio vitam degeret. Quod cum Odo institutum proprium sibi non permittere diceret, Aduhisa accersito nepote suo, D. Berando de Taliacoro, cum ad Clem. 3. Pont. Max. (cui sanguine iuncta erat) misit vt ab eo Odoni, quem vitæ sanctæ exemplum sibi præsens optabat, licentiam manendi in suo monasterii, impetraret: Romam ergo profectus, literas sigillo plumbeo munitas, id concedentes, à Pont. obtinuit, eidemque detulit. Aduhisa itaque desiderii compos, cellulam paruam, iuxta placitum Odonis, ad latus monasterii extruxit, in qua vir Dei

XV. CANONIZATIO. ODONIS NEVARIENSIS CARTHVSIANI, SANCTITAS AC MIRACVLA.

lectum

lectum ligneum instar craticulæ, & stratum de vili sacco, sarmentisque asperis confecit, ibique vitam sanctissimam duxit. Vestimẽta lanea aspera portabat, desuper stramineo Cilicio ad nudam carnem cõtinuo vtebatur. Carnem nunquam gustauit. Omni tempore, præterquam diebus Dominicis ieiunabat in cibo quadragesimali, ac pluries tantummodo parũ panis sumebat. Tempore quadragesimæ quotidie, exceptis Dominicis, corpus suum disciplinis affligebat. De cellula tantum ad Ecclesiam exibat, in qua factis Missæ solemniis deuotissimè & cum lachrymis peractis, prædicabat. Venientes ad se, admonebat, & animabat in bono. Si quid temporis supererat, quantum senilis ætas patiebatur, illud in manualibus exercitiis consumebat, vnde etiam calli in iuncturis manuum eius apparebant. Miraculis pluribus claruit. Nam Ioan. Barthol. de Taliacoro scrofulas ex vtraque parte gutturis passus, viro S. supplicans, ab eo signo crucis est liberatus. Cum aliquando Presbyter Nicolaus de Monacha Odoni aquam propinasset, vt biberet, statim ac eam recepit, in vinum conuersam sensit. Siluaticus quidam dolore hemicraneæ continuo afflictus, cum nullam sibi medicinam prodesse expertus esset, accedens ad Odonem, supplex petiit medelam, cui vir S. respondit. *Quid me tentas frater, hominem peccatorem, putridam carnem gerentem? recede à me, sanet te D. I. C. filius Dei viui.* Quibus dictis, cum lachrymari cæpisset, Siluaticus sanitatem obtinuit, Deumq; in Sancto benedixit. Fere centenarius, cum debitum naturæ persoluere cogeretur, 13. Ian. conuocato clero, eum ad amorem Dei admonens, subiunxit. *Cras in hac hora migrabo à sæculo, rogo vos ex parte Dei, nullũ mihi mundanum conferte honorem, sed tantum in vili sacco quem me nunc portare videtis, corpus reponite & crucem hanc ligneam* (quam propriis manibus confecerat) *ad caput meum in tumulo collocate.* Postera itaque die, cum hora, qua moriturum se prædixerat, aduenisset, summa cum deuotione orabat dicens, *expecta me Domine, ecce venio ad te.* Interrogatus autem à circumstantibus clericis, cuinam hæc diceret, respondit. *Iam regem meum video, iam in conspectu eius assisto*, protigendoque manus sursum, erectus de strato, migrauit è vita, nunquam aliqua carnis pollutione inquinatus. Tempora transitus eius, Nicolaus quidam, cuius guttur scrofulæ occupauerant, accurrens ad Odonem morientem, deducta illius manu, scrofulas tangens, eas fugauit. Post mortem innumeris miraculis Deus sanctitatem viri testatus est. Nam cum ante fores Ecclesiæ SS. Cosmę & Damiani, clerici corpus eius sepulturæ traderent, in tumulo, in quo reponi debuit, alterius cuiusdam mortui ossa dispersa iacebant, statimque ac corpus B. Odonis illuc delatum est, ossa illa per se cedendo locum, semet in vnum collegerunt, & cumulauerunt in angulo monumenti. Cumque pene 40. annis ibi quieuisset, Archipresbytero Oderisio apparuit, monens eum, vt præciperet Abbatissę quantocius corpus suum in locum honestiorem transferre, quod Oderisius fantasticis delusionibus adscribens, mandatum exequi neglexit: sed secundo ac tertio eidem sanctus apparens, feuerius admonuit, ne desiderium suum contemneret. Quare Oderisius Abbatissæ visionem iteratam retulit: quæ congregato clero castri, corpus eius in Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani transferri curauit. Dum autem clerus ad debitas ceremonias peragendas se præpararet, plebs moræ impatiens, variis instrumentis ligneis ac ferreis tumulum ex quo corpus transferendum erat, aperire tentauit, quod tamen sine miraculo facere non potuit, donec clero accedente, aqua benedicta conspersus tumulus, ac thure suffumigatus, absque aliqua difficultate ab eisdem discoopertus est, statimque odor suauissimus, mentes hominum ad deuotionem excitans, ex corpore B. spirare cæpit, corpusq; illud integrum, & vt aliqui ex iis, quibus in vita notus erat, asserebant, nec colore quidem deperdito, inuentum est; ad quod accedens Palumba vxor Ioannis de Montescianens. priuata lumine oculi dextri sexennio, sanata est; idemq; filiæ suæ euenit. Nicolaus quoq; Blasii, à scrofulis tũc liberatus est. Sepultus est itaq; honorifice prope altare SS. Cosmę & Dam. His autem quæ in translatione eius contigerant, diuulgatis, infirmitatibus oppressi, atq; auxilio in quibusuis necessitatibus destituti, vndiq; ad tumulum S. confluentes, gratiam per intercessionem eius obtinebant. Maria de Tibure dæmoniaca 18. annis, mordens noxiè homines, ac in facies omnium exspuens, adducta ad tumulum B. exclamans, *Senex cur me affligis?* plures spiritus malignos (vt ipsamet fatebatur) euomuit. Alia quoque mulier de territorio Celanens. 30. annor. à natiuitate dæmoniaca, liberata est. Nobili virgini filiæ Berin de Pilio, caduco morbo intantum afflictæ, vt tribus diebus veluti exanimis absque loquela maneret, B. in somno apparens, eam signo crucis signauit, monens vt ad sepulchrum eius accederet, quo facto, conualuit. Filiam quoque Nicolai Raii de Sorbo per 7. annos contractam, ei apparens, sanauit. Matia de Cellis lumine sinistri oculi 20. annis priuata, asthma 7. annos passa, in inguine fistula tribus annis cruciata, ad tumulum B. viri liberata est. Martinus ex eodem loco manibus & pedibus contractus, surdus ac mutus, visitans sepulchrum D. viri, sanus domum reuersus est. Theodorus Ioan. Potrei, & Rogerus miles de Luculo, ambo surdi: Ioan. quoque Girandus de Talacozio, duobus an. lumine oculi dextri priuatus, contactu Crucis ligneæ, quæ ad sancti caput in sepulchro inuenta erat, liberati sunt. Monachus quidam Cryptæ ferratæ, podagra & chiragra afflictus, audita virtute Odonis, cum nonnihil de pannis illius accepisset, & sanctum inuocasset, pristinam sanitatem recuperauit. His & aliis plurimis miraculis Gregor. IX. sum. Pont. permotus, hoc an. M. CC. XL. Pontificatus sui XIII. 4. Id. Decembr. Abbati Turanens. Reatinæ Diœcesis & F. Petro Custodi FF. Minorum Masicano, Marsicanæ diœcesis commissi inquisitionem vitæ & miraculorum eius Diui, ex quorum instrumento publico, nobis ab Illustr. & R. D. Paulo de Angelis Abbate, & SS. D. N. Pauli V. propter virtutes & doctrinam familiari ac cõmensali, cõmunicato exscripsimus.

IESV CHRISTI
Annus 1241.

GREGORII PAP. IX. 15. — BALDVINI II. Imp. Orient. 13.

I. TARTARI BATTO ET PETA DVCIBVS POLONIAM ET HVNGARIAM CÆDIBVS ET INCENDIIS VASTANT.

ANnus præsens toti Christianitati funestus, funeribus omnia, sed præcipue Poloniam, Hungariam, Orient. & Occident. implenit. Tartari enim, Ducibus Batto & Peta, bipertito diuisi, Poloniam & Hungariam cædibus & incendiis vastarunt. *a* In Poloniam sane, cum magnis agminibus sese infudissent, & ferè neminem, vel paucissimos sibi obsistentes repetissent, nemini pepercerunt, sed in conspectu parentũ & coniugum liberos & vxores eorum omni contumeliæ genere affecerunt, & postea vel miserabiliter trucidarunt, vel in fædã seruitutem abduxerunt, villas atq; penates incenderunt, religiones sanctiss. atq; templa Deo dicata, sanguine sacerdotum, & libidinib. promiscuis cum his quæ ad ea tanquam ad certissima asyla cõfugerant polluerũt, Christi Iesu Dei & hominis corpus cœlitibus venerandum, impurissimis pedibus conculcarunt, necnon Diuorum reliquias igni exusserunt, & sactas iconas vel mutilarunt, vel fregerunt, vel quã indignissime habuerunt. Monasteria plurima virorum atq; virginum diripuerunt & in eis magnam agrestium & nobilium multitudinem refugientem, vna cum monachis & sanctimonialibus trepidantibus violarunt, vel occiderunt.

a *Cromer. lib. 8.*

II. VVRATISLAVIAM DEFENDIT ORATIONE B. CESLAVS ODROVANS.

VVratislauiam Silesiorum Diuus Ceslaus Odrouanius Ordinis Prædicatorum ad D. Adalberti cœnobium Prior miraculo defendit. Eo enim iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cœlitus apparuit, & statiua Tartarorum vrbem obsidentium, omneque territorium ingenti atque terribili fulgore collustrauit. Hoc miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati obsidionem soluerunt, præsertim cum alii (qui postea ad fidem conuersi, habitum Ordinis Prædicatorum susceperant, & diserte testabantur) super caput Ceslai super murum orantis globum luminis cœlitus descendentem aspexissent, alii globos igneos in castra Tartarorum ab eius orantis manu miraculosè iaculatos, castra incendere, & vidissent, & probassent.

III. *a Vita S. Hyacinthi.* HYACINTHVS THAVMATVRGVS IN RVSSIA ET POLON. CONTRA TATTAROS.

Kiiouiæ *a* tunc agebat Hyacinthus mœrore tabescens, cum Tattari Russiam & Voliniam iusta Dei permissione populabantur. Cumque iusto Dei iudicio immissas phalanges cogitaret, nō tamen siccis oculis immanitatem barbarorum audire poterat. Ergone, dicebat, hæc contagiosissima pestis, non modo in fortunarum direptionem, atque hominum perniciem erumpet, sed in sancta quoque penetrabit? In aras Domini sanctissimas irrumpent profani? Sacra sanctissima spurcissimis pedibus sanguinariæ belluæ conculcabunt? Tantam impietatem capiet mens perditissima hominum, vt Domino Deo vniuersorum bellum indicat? proruat in eius sacratissima templa? vrgeat eius reuerendissimas mensas? appositissimum illud sacrificium, quin & ineffabilem eius maiestatem, illam quam cœlites omnes reuerentur, sacrilegis manibus fatigabit? Diuinum decus prosternet? Honorem cœlitum despiciet? Christiana secreta profanabit? Heu quia nimius dolor integrascit, & mea præcordia tota in cruciamenta abeunt. Mene his ipsis oculis aspicere regificum epulum, porcis atque canibus proiectum? Mene intueri lectissimum illud, quod vnice adamo, simulachrum æthereæ matris sacrilegis manibus attingi, atque humi prostratum ignominiose tractari? Inuisum sit illud mihi, & vbi coagmentatus vndique dolor, tristissimam hanc lucem mihi nequit exsorbere, prodibo in campum: contra infestas furiarum harum acies stabo solus & inermis: & saltim sancta sanctorum impudentissimis eorum ausibus subducam. Aut certe, si Mægereas eorum faces & frameas, hoc quam peruoluntario meo sanguine, piissimus ille pater me modo constituit irroraturum, pro cœlesti hoc holocaustomate, pro icona MARIÆ Virginis illa mihi dulcissima, extremam huius lucis vsuram libentissimè obibo. Dixerat hæc Hyacinthus, & vbi ex Diuina permissione Kiiouiam diripiendam sciuit, Tattarosque aduentantes audiuit in Ecclesiam sui Ordinis, quam ante aliquot annos condiderat ingressus, & oraculo Diuæ Virginis MARIÆ, cuius imago ex alabastro candido efficta in altari prostabat vocalis ad Sanctum Hyacinthum, tertio admonitus: Ecquid, aiebat imago, Hyacinthe me hic solam relinquis? Cur ludibrio Barbarorum exponis? Ecquid tecum me & mei filii Sacramenta non effers? His inquā vocibus admonitus, pompamque sacerdotalem indutus, prehensauit manu dextra sacram hostiam, sinistra autem prægrandem Deiparentis ex alabastro sculptam imaginem, & septentriones versus aduersam Boristeni ripam obambulans, versusque Seueriensem tractum traiicere disponens, neque nauigium inueniens, Boristeni se commisit, siccoque vestigio, ingentis ponderis icona onustus flumen profundissimum traiecit. Ferunt sanctum Hyacinthum exinde per Moschouiæ extimos fines, Senerienses, Lituanos, Liuones, Samagitas, & Prutenos adiisse, & Gentilitatis errore detentis verbum Domini annunciasse, Fratres diuinis studiis Dantisci iam intentos roborasse: Masouiæ fines peragrasse, miraculisque illustrasse: & inde Cracouiam reuersum, pretiosissima illa sarcina citra laborem delata, inque SS. Trinitatis Templo posteritati relicta, de submittendis Fratribus inter gentes operariis, deque Polonia à Tartarorum incursione liberanda serio tractasse. Sanè Gregorius Pontifex, cum primum calamitatem Poloniæ intellexisset, bellum sacrum contra Tattaros reliquiis Polonorum indixit, Crucem suscipere contra barbaros coegit, & indulgentiarum largitione omnes ad tam piam expeditionem inuitauit.

IV. *Niceph. Greg. hist. Rom. lib. 2.* MORES TATTARORVM SEV SCYTHARVM DESCRIBVNTVR.

Quod Tattarorum seu Scytharum gentem attinet, populosissima est, & polo Arctico magis quam alii subiecta. Hos lactiuoros, & inopes, & mortalium iustissimos olim appellauit Homerus. Apud eos enim neque coquorum cupediæ sunt, neque superuacaneæ mensarum delitiæ. Vinearum autem agrorumque cultum, ne per somnium quidem vnquam viderunt, victum illis facilem & expeditum præbent, sponte natæ terrâ herbæ, & sanguis atque carnes iumentorum, aliarumque pecudum ferarumque & volucrum venatus, vestem nulla arte confectam, animalium pelles. Argentum vero, aurum, margaritæ, cæteræque gemmæ, non pluris fiunt quam puluis. Nulli ibi solemnes ludi, nulla ambitiosa spectacula, nullæ disceptationes de naualibus, trierarchis & legibus agrariis: sed quod hæc quidem attinet, pacata omnia & vita seditionum expers. Vt enim febres quæ humana corpora infestant, è materia oriuntur, ac tamdiu vigent, quamdiu illa præsto est: cum vero & inedia diuturna, & potionibus medicorum praui humores fuerint consumpti, statim & febris desinit, & vires paulatim corpori redeunt: sic etiam apud illam gentem, cum eæ res non sint, è quibus lites & contentiones oriuntur, mutuæque insidiæ & cædes suscipiuntur, neque iudiciis, neque curiis, neque legum recitationibus est opus: ac ne eloquentia quidem verborumq; argutiæ, ac perplexæ inuentiones locum habent: sed innata quædam iustitia illos regit, & haud inuidenda libertas.

V. QVÆNAM TARTARIA SEV SCYTHIA, ET QVALIS.

Quibus de causis, & Homerus eos mortalium iustissimos nominauit. Cymbros, Cymmerios, Teuthones, Scythas aliqui appellarunt: qui torrentis instar, in Romanas prouincias irruentes, alias alio loco occuparunt. Vt enim terrores de cœlo sæpe hominibus à Deo incutiuntur, vt fulmina, incendia, & crebri imbres: sæpe è terra vt telluris hiatus & quassationes: sæpe ex aere, vt typhones & nymbi: ita hi à Deo asseruantur, Septentrionales & Hyperborei terrores, vt pro alia pœna, quando & quibus prouidentiæ visum fuerit, immittantur. Horum aliqui patriis sedibus relictis, multas prouincias vastarunt, plurimasque gentes iugo seruitutis subdiderunt: non secus ac magni maris sinus per decliuia effusus, omnia ad quæ pertingeret, inundaret atque prosterneret. Cæterum cum inde nudi atque inermes exierint, mutata victus ratione, mores eorum imitantur, apud quos consederint, quemadmodum è maximis orta montibus flumina, quæ in mare influunt, potabilem suam aquam non statim in littore in salsuginem conuertunt: sed in longo tractu maris naturam suam retinent, donec copiosioribus vndis victa eam mutarint: sic ii, qui proxime veterem Scythiam consederunt, nomen pristinum inuiolatum conseruant. Nam & ipsi Scythæ appellantur, & terra quæ eos alit, Scythia appellatur. Cuiusmodi sunt, qui cum vltra Tanais fontes, & ad ipsum Tanaim olim habitassent, in Europam effusi, Meotidis paludis latera ad occasum spectantia insederunt. Deinde multis sæculis post alii, vt ex amplissima regione prima Scythia auulsi, in duas partes sunt diuisi, quarum vna Sarmatis Asianis euersis, ad Caspium vsque mare excurrit: qui patrii nominis etiam obliti, Sarmatæ, Massagetæ & Melanchæni à nigro vestitu, atque Amazones vocabantur: quæque singulæ ab eis domitæ gentes nomina sortitæ fuerant, eadem & illi assumpserunt, propter illarum mores & ritus ascitos. Alteri vero versus Europā profecti, & omnē Oceani oram peruagati, Sarmatarum & Germanorum nomina sibi vendicarunt. Deniq; in Galliam quoq; impressione facta, eaq; subacta, Celtæ & Galatæ siue Galli sunt appellati, vt Cimbros & Theutones taceam, qui multo post Alpibus superatis, cum innumerabili multitudine, vxoribus & liberis etiam adductis, Italiam ingressi, vix illi quidem, sed tamen cæsi sunt à Romanis exercitibus, Caii Marii, & Luctatii Catuli Consulum ductu atq; auspiciis. In ipsam quoque Africam sæpe penetrarunt, & Herculeo freto traiecto, Hispanos subegerūt. Nam quibus arma inferunt, eos plerumque vincunt, & alienis regionibus dominantur. Eorum vero patriā Scythiam, nemo vmquam ab omni æuo domuit. In causa est, quod delicatam & luxu diffluentē vitæ rationem ab initio perosi, nec frumentum edunt, nec vinum bibunt. Quamobrem neque terram arant, neq; vineam vmquā coluerunt, neq; alias fruges serunt, vnde interioris orbis incolæ viuunt, quæ cum Scythis, quippe assuetis, minime grauia, ac potius iucunda sint: hostib. eorū acerbissima essent, impedimēta plura quam arma adducentibus, & vbi castra metati sunt, mercatum omnis generis requirentibus, ne quid vel ipsis, vel iumentis desit. At illi expeditæ ac tenui vitæ assueti facile quouis tempore bella suscipiunt, ac tridui iter sæpe vno die volucrum instar conficiunt: & alias atq; alias, ante famam aduentus sui terras occupant, nihil quidem secum adducentes, sed iis rebus omnibus instructi, quibus victoria facile paretur, eæ sunt multitudo eorū pene innumerabilis, agilitas corporum, ac celerrimæ progressiones, & (quod hæc supra) mortis contemptus, & ferarum more in aduersum hostem impetus rectus ac certus.

Ex his

VI. *Dubrau. hist Boem. lib. 16. & Bonfin. decad. 2. lib. 8.* CÆDES ET INCENDIA BATTI IN HVNGARIA, ET ENORMES CRVDELITATES CVM C. MILLIBVS TARTARORVM. INFÆLICES PVGNÆ BELÆ REGIS VNGARIÆ, ET EXERCITVS EIVS.

Ex his Pætus fuit, qui Poloniam infestauerat: Battus autem Scytha centum millia Tattarorum in Hungariam inuexerat, eamque non minus quam Peta Poloniam & Russiam cæde & flammis vastabat. Bela Rex id temporis in Pannonia regnabat, non admodum charus subditis Regno, propterea quod difficiliorem illis superbioremq; ad se aditum, quam Cumanis, quibus tunc infestissimi erant Hungari, præbebat. Ergo cum iam agri ferro & igne à Tattaris vastarentur, prædæque agerentur, ac crebra per partes, & aduersa prælia intercederent, aliquamdiu per contumaciam mala perferre, quam in medium consulere malebant: odiose vociferantes; Veniant Cumani, proque sui Regis salute, nunc cum opus est, fortiter dimicent. Hæc ab Hugolino Colocensi Archiepiscopo audita, stomachum ei ita commouerunt, vt se continere non potuerit, quin populares suos libera voce perduellionis argueret, tamquam illi omnes de numero perduellionum censendi essent, qui regiam maiestatem offenderent, quiue communem regni salutem auxilio ei detracto proderent. Acerrime itaque contendebat, vt Rex omnes Hungarorum copias ad oppidum Pesthum in ripa Danubii è regione Budæ positum contraheret. Nam eo primum agminatim Tattari conuolarant. Ibi inprimis infæliciter ab Hugolino Colocensi Metropolita pugnatum, cataphractis illius temerè incursantibus, à leui armatura Tattarorum in lacum cedere coactis, & plane ad vnum demersis, vix ipse Vgolinus cum tribus quatuorue euasit. Vaciam postea Tattari, Dominica quæ Passionis dicitur, Rege fugam arripiente, primo impetu expugnarunt, thesaurum & aurea vasa diripuerunt, phanum sacris vestibus & suppellectili spoliarunt, sacerdotes, ciues, & ingentem ex proximis pagis numerum hominum, vna cum basilica incenderunt. Pesthum deinde reuertentes, Pesthanos cum liberis & vxoribus partim igni ferroq; perdidere, partim fugam agitantes demersere Danubio. Exercitus quoque à Rege & Colomanno cæterisq; desertus, à fera gente ad internecionem cæsus est. Cæsorum numerus fidem exsuperat. Ex his Principes inprimis commemorant, Matthiam Strigoniensem Metropolitam, Vgolinum Colociēsem Archiepiscopum nobilissima prosapia editum, qui maxima quæque negotia gerebat, non minus nobilitatis quā plebis amator, moderatorque, item Georgiū Iauriensem Antistitem, virum illa tempestate doctissimum, & Reinaldum Transsyluanum Episcopum: Episcopum quoque Nitriensem, summa probitate præditum. Adiicitur his Nicolaus Scinicensis Belæ Vicecancellarius, qui, vt aiunt, antequam occumberet, ne inultus obiret, ingentem Tattarum obtruncauit: item Herodius Archidiaconus Bacchiensis, & Albertus Strigoniensis Sacerdos, Pontificii iuris consultissimus. Sacrorum hactenus facta mentio, prophanæ multitudinis haudquamque fieri potest, quæ partim demersa paludibus, partim telis incendioque absumpta. Diffusa passim cadauera, trunca, & in frusta dissecta cernebantur. Qui per pagos in Diuorum templa confugerant, ibidem concremati. Per duorum dierum iter, prostrata corpora, & cruore imbuti campi videbantur: neque secus quam pecorum greges longe lateque per campos dispersi, ita iacentia passim cadauera spectabantur.

VII. SIGILLO REGIO PENES SECRETARIVM OCCISVM INVENTO FALSAS LITERAS CONSIGNANT, VT DOMI MANEANT RELIQVI VNGARI.

Sigillum regium ad Secretarii cadauer inuentum, læti Tattari abstulere, rati ad obsignandas in Vngarorum perniciem adulterinas litteras id fore accommodatissimum. Nam hunc astum plusquam barbarum commenti sunt. Quosdam iuuenes, quos in bello seruarant, adulterinas Hungaricè literas Belæ regis nomine scribere coegerunt, quibus in vlteriore Pannonia vniuersos populos hortaretur, ne domos vllo pacto desererent, Tattarorumq; feritatem non pauerent. Nam quamuis nonnullorum imprudentia impedimenta amiserint, perbreui tamen cuncta recuperare speraret. Proinde hortari ac iubere, vt omnes domi tutò versarentur, Deumq; exorarēt, vt prophanæ multitudinis cito victoriam consequatur. Hasce literas Belæ sigillo obsignatas, cum per Hungariam barbari dispersissent, cæteros qui superfuerant, quum literis credidissent, pari immanitate trucidabant. Nam & si quotidie crebras hostium incursiones, rapinas & incendia sentirent, opinione tamen literarum verarum amoueri non poterant. Quare prius ab illis vsquequaque circumuenti sunt, & ad internecionem cæsi, quam elabi potuissent. Hac arte Varadinenses incautos oppressēre, & sagittarum imbribus repugnātes cōfecere, Sacerdotes ac nobiles ibi deprehensi, partim cæsi, partim à murorum ruinis lethali vulnere confecti sunt. Matronæ, puellæ, ac cæterum imbelle genus, in basilicam confugerant, ratæ in Sacrario tutiores quam in prophano loco futuras, confirmabat spem omnium, munitissimum templi ædificium. Huic autem barbari ignem iniecerunt, & innumerabiles ibidē exusserunt. Nec aliis quidam phanis pepercere, in quibus nihil est prophani facinoris & feritatis, quod sexus vterque subire non cogeretur. Nobilitas, equestris ordo, & plebs omnis, cum collegio Sacerdotum, ad vnum omnes pro mænibus iugulati: violata Diuorum monumenta, confracta simulachra, sanctæque reliquiæ conculcatæ omnes & pessum datæ: Inaudita in templis commissa piacula, sacræ vestes direptæ aurea argenteaque cōminuta. Viri cum mulieribus, postquam satis ludibrio fuêre, necati: eodemq; modo tum Strigonienses tum reliqui Hungarorum ab hoste non tam auri quam sanguinis Christiani sitientissimo tractati.

VIII. QVANTAM IMMANITATEM AB DVCE AVSTRIÆ PASSVS SIT BELA REX VNGARIÆ.

Interim Rex Bela, maiorem quoq; immanitatem à Friderico Duce Austriæ suo affine perpeti coactus est. Is ante profligatum exercitum cum paucis elapsus, in syluas Poloniam versus fugam intenderat, quin & fines Austriæ studebat attingere, vt Reginam, quam ibi dimiserat, alloqueretur. Dum ibi aliquantulum curandi corporis gratia substitisset, somnumque exutis armis captaret, ecce Dux Austriç, qui se ad officium venisse simularet, occurrit. Rex è somno statim excitatus, viso Duce, quem iam sibi antea offensum reconciliarat, admodum recreatus fuit. At ille dissimulata inimicitia & odio quo flagrabat, ad traiiciendum Danubium Regem hortatus est, vt propius ad tutiora loca confugeret. Offerebat illi sua oppida atque castra, in quibus securum semper fore pollicebatur. Rex innocentiæ suæ conscius, quæcumque ille obtulerat, quando tempus ac res ita postulabat, lubenter accepit. Hinc ad proxima quędā castella peruenere, vbi diebus aliquot peramicè vtrimque versatum. Deinde Dux, vt conceptum animo facinus perpetraret, hinc sumpsit initium: à Bela quandam pecuniā repetebat, quam sibi ab eo iniustè olim extortam querebatur. Rex intellecta facinorosi hospitis audacia, vt maiora incommoda declinaret, quamcumque in numerato ære habebat, exsoluit: cæteram datis vasis aureis argenteisque rependit. Et vt illius libidini cumularius ipse satisfaceret: Tres regni Comitatus Austriæ finitimos adiecit: vasa gemmata multo pluris æstimata, pro bis mille pondo argenti, ab ipso recepta sunt. Nonnulli dena millia pondo tunc ab eo exacta fuisse referunt, aliqui pauciora, hæcq; pacta adiecto Sacramento vtrimque munita.

IX. AVXILIA PETIT BELA REX AB GREGORIO IX. ET FRIDER. II.

Trini Comitatus possessionem continuè Dux accepit, & aduersus impetum Tattarorum subito muniuit: Bela autem ad Reginam, quæ haud procul aberat, properauit, qua secum accepta, mox Stephanum Vaciensem Episcopum ad Romanum Pontificem & Frideric. Imperio deiectum misit, vt legitima ab vtroque auxilia mitterentur, ne obruta à prophanis Hungaria, cætera res Christiana periclitaretur. Indoluit Gregorius Pontifex, ad tantam cladem religiosissimi nobilissimique Regni. Cumq; & ipse calamitate quam maxima à Friderico premeretur, nec tanta, quanta deberet & opus erat, auxilia posset submittere, consolatorias Belæ, & Colomano, quem superstitem esse putabat, scripsit, eos sub protectionem sedis Apostolicæ recepit: pro eis, eorumq; Regnis atq; prouinciis pugnantibus vel pugnaturis indulgentias Crucesignatorum concessit, Prædicatoribusque vt Crucesignatos armarent, commisit: Interim etiam addidit: si Fridericus Imper. contrito & humili corde assumpto, pænitudinis spiritu ad manum sedis Apostolicæ rediret, & ea quæ ad honorem Dei, augmentum fidei Christianæ, quietem populi Christiani, & Ecclesiasticæ libertatis immunitatem pertinere videntur reformare vellet, pacemque Ecclesiæ, regnis & imperio restitueret, facile sibi foret, etiam alia subsidia Regno Hungariæ submittere.

ep. 79. Laterani 16. Calend. Iul. an. 15. & epist. 108. Later. Calend. Iul. eod. an.

X. *Bonfin. decad. 2. li. 8.*

Fama fuit, Belam iusta Dei vltione à Tattaris, & à Friderico Duce castigatum esse propter libidines Cumana-

rum

CAVSÆ CLADIVM VNGARICARVM.

tum pellicum, quibus se miscuerat: & propter scelera Cumanorum, quę in Hungaria impune patrabant. Cum enim illi deditionem Belæ fecissent, præter seruitia, quadraginta eorum millia in Hungariam regis impensis introduxit, & Hungaris permiscuit. Hi quocumque per Hungariam iter facerent, greges & armenta abducebant, iumenta abigebant, vineta atque sata affligebant. Cum autem pagos & oppida ingrederetur, nulla hospitalis iuris habita ratione, humilium virgines passim violabant: audebant etiam, occasionem nacti, nobilium thoros incæstare. Dum autem graues vltro citroque inferrentur iniuriæ, si quis Hungarus deferebatur, continuo supplicium expendebat: si Cumanus, præsentanea criminis impunitate elabebatur. Si quis regiam iustitiam ex Vngaris incusasset, indicta causa mox ad supplicium trahebatur. Fuere & alia Belæ delicta. Namque Andrea patre mortuo, quum Antistitum principumque consensu, Albæ (vt moris est) à Strigoniensi Archiepiscopo coronatus esset, in Proceres, qui patri aduersus eum fauerant, immodice desæuiit, quando alios in exilium, in carcerem alios coniecisset. Quin altius quoque fæuiens, Dionysium Palatinum excæcarat: Edictis seueritatem adauxerat: prætextu, vt regnum sceleribus expurgaret. Ad coercendam procerum iracundiam, exceptis Principibus, Metropolitis & Episcopis, sedendi in præsentia facultatem edicto inhibuerat, sellasque procerum inuentas concremarat. Nemo quoque regem, nisi per supplicationem alloqui poterat. Magistri precum pro libidine sua causas expediebant, & quemq; extollebant, deprimebant-ve, sicut odium, gratia, & largitio cogebat. Itaque sæpe illud vulgo exclamatum: Non vnum, sed plures Hungaros esse Reges. Cumanis non item. Cumano cuique vel minimo patebat semper Regis aditus: petebat, dicebat, supplicabat, quæcumq; vellet, præferebatur vndiq; Hungaris ac perbenigne tractabatur: cum Hungaro Regis aditum & colloquium interdici, per precum tantum formulas Regem interloqui, & pro mancipio tractari solemne esset. Erant pellices & scorta, quorum mollitie victus Bela tot sceleribus se obstrinxerat, eaque honesta ratione prætegebat, quasi gentem hactenus idololatriæ cultibus deditam, Christiana sacra suscipere curaret. Proindeque nec omnia ab eis admissa vindicaret, & benigniorem se eis ostenderet, vt ea clementia barbarorum animos emollitos ad Christi fidem traduceret. Quo autem maior species rei obduceretur, religiosos Comites Cumanis adiecerat, & Genti Episcopum præficiendum curauerat, & plurimos sacerdotum addiderat, qui eos & ad fidem publicis concionibus hortarentur; & aliquantum primis rudimentis imbutos, sacro baptismate abluerent.

Bessius lib. 9.

XI. *Æmil. lib. Platina.* ORIENS IN FÆLIX SPINEA CORONA DOM. MITTITVR A BALDVINO CÆSARE PARISIOS.

In Oriente quoque, non multum omnia læta. Crucesignati in Palestina, infelici marte depugnantes, tandem turpissimis conditionibus inducias pacti, Saracenos nec quicquam incommodauere. Balduinus Constantinopolim à Crucesignatis introductus, hoc vnico felix fuit, quod siue ex pacto, siue ex rapto, sacrosancta passi Domini monumenta, in quibus sertum spineum præeminebat, Constantinopoli extulerit, & Lutetiam Parisiorum intulerit. Etiam nunc sacrum illud Dominici capitis diadema ex sentibus compactum, magna populorum reuerentia, Parisiis adoratur. Hæc tamen qualis qualis pietas, Balduino, vt sanctam venerationem inter Latinos addiderat, ita apud Græcos Latinorum inuidiam adauxerat; quod quæ monumenta sanctitas sua tot deinceps sæculis intacta inuiolataq; seruasset, quorumq; nullum commercium esset, ea loco mouerentur, è templis asportarentur, & tam procul transferrentur. Hæc cum indidem agerentur, & Patriarcha Constantinopolitanus, qui per id temporis maximos sumptus ad defensionẽ Imperii fecerat, fere ad extremam inopiam esset redactus, ac propterea iustitiam administrari sibi à sede Apostolica postulârat: Greg. Pont. paulo ante quam rebus eximeretur humanis Archiepiscopo & Priori Oreinis Prædicator. Thebano, & Archidiacono Nigropolitano commisit, vt Ecclesias Cathedrales Metropolitanorum & Episcoporum, tum deinde omnes alias Prælatorum & Cœnobiorum, siue Græci, siue Latini ritus, siue deniq; quocumque modo exemptorum, ad decimandum censerent, & ad soluendum ex vniuerso Patriarchio compellerent. Dedit eas literas Laterani, 4. Calend. Iun. Pontificatus anno XV.

epist. 60.

XII. REGE NORVEGIÆ DEFVNCTO CVNCTATVR PRÆFICERE GREG. FILIVM EIVS NOTHVM.

Per hæc tempora, Noruegiæ Regi defuncto, Henricus Nothus filius, succedere, cum alius legitimus non superesset, cupiebat: & diadema ex manu Grego. Pontif. postulabat. Non præcipitauit sententiam Gregor. sed prouinciali Norvegię Ord. Præd. & Abbati S. Michaelis Bergensi commisit, vt super defectu natalium Henrici inquirerent, & voluntatem Principum Norvegiæ explorarent, & mores atq; rationem viuendi Henrici inuestigarent, & quicquid explorato inuenissent, sedi Apostol. per literas, & solemnes nuncios renunciarent: vt Summus Pontifex decerneret, an Genti legitimis natalib. glorianti, spurius præficeretur: defectumque natalium, virtutis, pietatis, & prudentiæ ornamentis explerer. Commisit istud negotii ambobus Laterani, 8. Id. Iulii, Pontif. an. XV.

epist. 112.

XIII. MORITVR GREGOR. PONTIFEX EX ANIMI DOLORE.

In Italia & reliquo Occidente, ex occasione Friderici omnia fusdeque miscentis, adeo omnia turbulenta, vt Gregorius Pontifex dolori ferendo par non fuerit, sed ad decimum Calend. Septembr. animi afflictione decesserit: dignus longiore vita & Pontificatu; vtpote qui pro libertate Ecclesiastica depugnans, constantię exemplar sub secuturis Pontificibus in se expressérit: & non modo vrbis ornatum, verum & vniuersæ Ecclesiæ decus, & Pontificiam maiestatem amplificauerit.

† *Hæc è anacephaleosi vitæ & actionum Gregorii, in summam contracta, ex MS. Vaticano, numero* 3938.

Ex MS. Vatic. 3938.

GRegorius Nonus Anagninus, ex Comitibus Signiæ, Innocentium III. tertio consanguinitatis gradu attigit. In primo ætatis flore, cum perspicacis ingenii & fidelis memoriæ esset, præter liberalium artium & iuris vtriusque peritiam, eloquentiæ Tullianæ, & doctrinæ Theologicæ summam feliciter attigit: Sacrarum literarum Doctor, fidei Zelator, religionis custos, castitatis amator, solatium miserorum, iustitiæ cultor, & totius virtutis atque sanctitatis exemplar. Ab Innocentio patruo, tituli S. Eustachii Ecclesiæ Cardinalis creatus, non multo post Ostiensem cathedram conscendit. In eo gradu cõstitutus, cum Diuos Franciscum & Dominicum per id temporis duarum maximarum religionum Conditores familiares haberet, multa arctioris sanctimoniæ exempla ab eorum conuersatione traxit: ac plurimis vtriusque sexus personis, vt sublime genus vitæ, sub disciplina tantorum Patrum deligerent, author fuit. S. Claræ virginibus institutum professis, in vibe, in Æmilia & Etruria, aliquot Cœnobia attribuit, & opibus locupletauit. Florentinis cœnobitis duo monasteria apud Anagniam & præterea aliud quod Mirtesum appellabant, necnon Xenodochium pauperum extruxit ac ditauit. Ostiam Ecclesiæ Romanæ à manibus prædonum vindicauit, & tum mœnis cinxit, tum turritis propugnaculis muniuit. Graues Romanorum discordias, à quibus multorum excidia timebantur, maturo consilio conciliauit: hisque artibus viam sibi ad Pontificatum aperuit.

Die Diuo Benedicto Sacro, summa omnium lætitia Pontificiæ cathedræ à Cardinalibus impositus, qua ratione Fridericum Imperatorem iam in Ecclesiam minas & cædes spirantem authoritate Apostolica reprimeret, Anagniæ (quo per æstus æstiuos concesserat) cum Patribus deliberauit. Ex eorum arbitrio, ipso S. Michaelis festo pompam Pontificalem indutus, de more assistentibus Cardinalibus, Archiepiscopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, sermone præmisso super illis verbis Saluatoris, *necesse est vt veniant scandala*, tanquam Archangelus de dracone triumphos designans, Fridericum ad frequentes monitiones obduratum, & promissa Apostolicæ sedis exequi recusantem, excommunicatum publicè nunciauit. Namque is sententiam excommunicationis, ab Honorio III. cui se sponte submiserat, latam incurrerat, quod voluntariè signo crucis assumpto, in terræ sanctæ subsidium, die quem ipse coram Petro Albanen. & Gualtero tit. S. Marci Cardinalibus Legatis, apud S. Germanum designauerat, & iureiurando sese astringens, nisi obtemperasset, censura Apostolica se dignum fore edixerat, quemadmodum æquum fuerat non transiuit.

Romam

Romam reuersus, religiosos, orphanos, viduas, & omnis generis egentes liberalitate profusa recreauit. Deinde Prælatorum Italiæ Concilio conuocato, post sermonem, cuius initium erat: *Quis mihi tribuat auditorem*, &c. ex voto omnium nonnulla aduersus Fridericum contumacem decreuit, turres & palatia quorundam Romanorum, quę Lateranensi palatio & prospectum adimebant, & periculum aliquando creare poterant, nemine contra hiscente, solo æquauit. Inter hæc autem & alia Pastoralis curæ officia, grauis eum calamitas, à perditis quibusdam ciuibus, Friderici pecuniis & promissionibus corruptis excepit.

Anno secundo Pontificatus ineunte, feria 2. Resurrectionis Dominicæ, in Vaticana Basilica, supra aram Principis Apostolorum, sacrum missæ sacrificium offerebat: cum nonnulli pretio & pollicitationibus seducti, celebrantem clamore valido vel latratu potius, additis comminationibus incesserunt, Factum, vt dum per manus innoxias sanctissimi Præsulis, in altari vetus Dei filius immolaretur, inter mystica verba consecrationis, crucifixoribus Christi non dispares, ferinos mugitus ad cœlum darent, contra illum voce & manibus tonantes; Crucifige. Constantiæ Sacerdos, nequicquam tunc pertimuit, sed Apostolicum pectus erga pertinaces ostendens, postquam sacram hostiam consummasset, virgam pastoralem in reos strinxit. Ibi Satanæ ministri, & perditionis hæredes, non minus terrenam quam diuinam eius potentiam & authoritatem veriti, ad sedis Apostolicæ mandatum, cum satisfactione solenni, non absque infamiæ nota, illius cui male seruierant, redierunt.

Per id temporis Friderici iurisiurandi religione, & censura Apostolica contempta, Crucesignatorum copias ingentibus Ecclesiæ & piorum sumptibus collectas, simulata ægritudine, Brundusii in Apulia morti exposuit. Tam vehementes sunt ardores illius cœli, vt etiam solida metalla ab iis ferè colliquescant. Ibi maior pars exercitus, aeris & aquarum contagione, & in his Ludouicus Lanthgranius, non sine opinione publica veneni, interiit. Eius spoliis auctus Fridericus, reliquiis copiarum collectis in Palæstinam traiecit, & collusione cum Saladino Ægyptio facta, sanctam ciuitatem & sepulchrum Dominicum Mahometanis prostituit: cum ante discessum, Siciliæ Vicarium præfecisset Raynaldum Corradi Ducis filium, odii quo in clerum flagrabat executorem & administrum: qui acceptis à Friderico literis, si quos Romanæ Ecclesiæ filios & deuotos inueniret, ad crudelem lanienam postularet. Hic, vna cum fratre suo Bertholdo viro apostata, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos & clericos plurimos, in contemptum Pontificæ maiestatis, luminibus effossis, furcis appendit: Ecclesias sacra suppellectile spoliauit: bonis Ecclesiasticos exuit, sepulturas non ignobiles violauit, ac insuper blasphemus, coram missam se pariter suspendisse, in maxima gloria propudiosus reposuit. Deinde Friderici vrgente nequitia, Marchiam Anchonitanam quæ in dominio Romanæ Ecclesiæ ab antiquo est, non minus potenter quam nequiter ingressus, montem de Vlmo, Maceratam, & quasdam alias ipsius Prouinciæ terras, incolarum volęte perfidia occupauit. Patrimonii quoque & Ducatus Spoletini fideles Ecclesiæ, & inter hos Perusinos etiam, prætio & muneribus collatis corrumpere molitus est. Quos vt in fide Gregorius contineret, & miraculorum famam quæ mortem S. Francisci subsequebantur exploraret, Assisium profectus, quarto Nonas Octobris, Pontificatus sui anno secundo, post Concionem, cuius exordium ab illis verbis: *Quasi stella in medio nebulæ*, adsumpserat, miraculis ingentibus enumeratis, Diuum Franciscum catalogo sanctorum inscripsit.

Perusium reuersus, Corradum Friderici anteambulonem, quod vallem spoletanam ingressus, Fulginum ciuitatem sedi Apostolicæ detraxisset, & Raynaldum ad reliqua ditionis Ecclesiasticæ loca occupanda præmisisset, anathematis gladio de Petri authoritate percussit, & Fulginates in potestatem redegit. Deinde Ioannis Brennensis Hierosolymitani Regis, quem Fridericus contra iustitiam publicæ honestatis Regno deiecerat, & in sinum Apostolicæ sedis confugere compulerat, studio exercitum conscriptum, sub signis Ecclesiæ Romanæ, Ducibus Ioanne Columnio tituli S. Praxedis Presbytero Cardinale, & Pandulpho Capellano, in Marchiam ire iussit, ac in primo limine Castrum Insulæ recepit, iustitiarium Regni munitissimo Cassineri monasterio, & frequentibus Agarenorum copiis frerum deuicit, montem Cassinum, & plures ciuitates, castra & oppida vsque ad Capuam obtinuit, & hac ratione Corradum è Marchia discedere coegit: cum CXX. millia auri vnciarum, in sumptus belli, pro libertatis Ecclesiasticæ defensione appendisset.

Redierat ex Palæstina Fridericus, & ad cornonnihil reuersus, gratiam Pontificiam exambiebat, missis Messanensi Archiepiscopo, & Theutonicorum magistro, qui veniam erratorum postularent, & omnia abunde promitterent. Nullus erat qui pro fædifrago vades daret. Itaque ex pacto, ciuitates quasdam & castra nonnulla Fridericus Pontifici pro cautione dedit: quæ hic postea iure beneficiario illi concessit, & sub autumni tempus Anagniæ subsidens, aliquantum pœnitentem Fridericum ad osculum admisit, & non tantum colloquio eum dignatus est, sed & mensæ adhibuit, & epulo solenni excepit.

Quarto Pontificatus anno, Perusinos tumultuantes, misso Ioanne Columnio tituli S. Praxedis Cardinale Legato, obtemperare & quietos esse docuit: ing; eam paulo post ciuitatem, Romanis inter se omnia miscentibus, quasi dato repudii libello Romanæ vrbi concessit: neque prius reuerti voluit, quam illi inundatione Tyberis insolente, & pestilentia ex delata ingenti multitudine serpentum castigati, crimen in Pontificem admissum agnouissent, & missis Legatis Cancellario & Pandulpho de suburra, veniam ad pedes prostrati Pontificios promeruissent.

In vrbem reuersus, frontispicium Basilicæ Vaticanæ, imaginibus ex musiuo opere ornauit, campanam mirandæ magnitudinis Principi Apostolorum dicauit. Pontem S. Mariæ, Tyberina alluuione demolitum, restauravit. Annibaldo Senatore præsente, ante Basilicam S. Mariæ minoris, multos presbyteros, clericos, & vtriusque sexus laicos, per absentiam Pastoris contagioso morbo hæreticæ prauitatis infectos, tum testibus, tum propria confessione damnauit: & Presbyteros quidem ac clericos sacris indutos, spectãte populo, vniuerso sacro apparatu spoliauit, à sacroque ministerio perpetuo amouit: Laicos vero contumaces ignibus addixit. Viterbienses Romanis infestos, missis Ostiensi & S. Sabinę Cardinalibus Legatis, conciliauit.

Anno insequente, Dominus Castri Mirandæ, fautores hæreticorum, viarum subsessores, litterarumq; Pontificiarum falsarios, in custodiam dedit: & sex millium librarum multã ex eis receptam, in orphanos & viduas miserabiles distribuit. Romanorum exercitum in Campaniæ exterminium properantem, trium Cardinalium quos ad eos destinauerat obsequio reuocauit. Diuos Dominicum & Antonium Patauinum sanctis annumerauit. Castrum Palliani, Montisfortini, Serronis, & Tumonis, Ecclesiæ Romanæ vindicauit. Romanos, iterum res nouas molientes, aduentu suo repressit. Senatorem vrbicum, qui in libertatis Ecclesiasticæ exitium, & enormem sedis Apostolicæ læsionem nonnulla statuerat, edita sanctione anno Pontif. VII. castigauit: nonnullosque Tusculanis & Sabinis populis graues tyrannos, seuerè vltus est. Fridericum Imperatorem, quem ad domandos Romanos destinarat, & is artibus eorum deceptus nihil operæ prætium fecerat, quin potius eosdem in Pontificem animauerat, detestatus, Romanorum quoque audaciam fregit. Diuam Elizabetham Andreæ Regis filiam Catalogo sanctorum adscripsit. Sultani Iconii, & Vatazii Græcorum nuncios, fidem Christianam & vnitatem orthodoxam flagitantes audiuit: ac proculdubio plenum gaudiũ ex promptitudine illorum principum exultasset, nisi Fridericus versipellis sese interposuisset. Octauo anno, multa pro pace Lombardiæ egit. Subsequente, Petrum Frangipanem à Friderico contra se excitatum, perdomuit. Ioannem Beneuentanum hæreticum, & multos eius complices, Viterbii, hæreseos conuictos, populo assistente ignibus addixit. Fridericum Imperatorem, anno XI. iterum Romanos mouentem, commination anathematis deterruit. Crucem autem, & alteram argenteam ingentis ponderis, & multam suppellectilem

lem

lem prætiosam, Vaticano templo obtulit. Vt feria VI. à vesperis, *Salue Regina mater misericordia*, & nocte subsequente à matutinis; *Beata Dei genitrix Maria*, secuta oratione, *Deus qui de Beata Maria*, ac reciteturr instituit.

Inter hæc Fridericus, Cathaniensem Episcopum Regni Siciliæ Cancellarium, suum à iuuentute tutorem, extremo proscripsit exilio, eaque paupertate damnauit, vt viuentem vita repelleret, & mortuo mors ipsa funeris denegaret impensas. Archiepiscopum Tarentinum & Cephadulen. Episcopum, maxima sibi familiaritate coniunctos, ministerio priuauit, & extra regni limites iniqua temeritate proscripsit. Aliphanensem Episcopum, à patriis laribus exulem, captiuatis quoque fratribus, miserabilis vitæ cursum exilii compulit paupertate finire. Calinensem Episcopum regno eiectum grandi oppressit inopia, fratre ipsius laqueo enecto. Eandem calamitatem pati Soranum & Naphtanum Episcopos coegit: multos ex fratribus minoribus, quorum vitam ipsa etiam Paganorum barbaries admiratur, flammis exussit. Milicensem Decanum, leui ex suspicione, in mari demersit. Archidiaconum Neapolitanum, Archipresbyterum Montorii, Thomasium Cantorem Messanen. longa carceris maceratione interemit. Magistrum Nicolaum Messanensem Subdiaconum ignibus vstulauit. Beraldum Pontificis Notarium & Salernitanum Archidiaconum, atque alios innumerabiles ex clero bonis exuit, & in exilium abire iussit. Monasterium Cassinen. Ecclesiæ Romanæ nullo mediante subiectum, depulsis Monachis occupauit, & prædonum contagiis deputauit: qui templum in prostibulum conuerterent, & vasa sacro ministerio deputata, in profanos vsus conuerterent, aliaque conflarent. Accidit hinc mirum mirandum. Aliquis impudentium, quemdam Monachum improuise incedentem, vrinæ profluuio impudice perfuderat: cum statim post Diui Benedicti à Monacho imploratum præsidium, lepra horribili diuinitus percussus, carnibus, quasi gladio reciderentur, continuo decidentibus conciderit. Præter hæc, Fridericus, in sancto Germano castro iurisdictionem Romanæ Ecclesię sibi vsurpauit. Castrum Atini, Roccambantre, Roccam Guillelmi, Castrum Malueti, eidem sedi Apostolicæ ademit. Monasterio Turris maioris castrum & villam, Ecclesiæ Malphien. villam Troianæ, Casale S. Laurentii Auersanæ, duo castra Salernitanæ, castrum Olibabani Tarentinæ, Caputaquensi castrum Polycastren. Militen. Cathanien. Siracusanæ, & Monasterio S. Euphemiæ plura castra abstulit. Hospitalariorum militum nobiles domos in crucis euertit iniuriam, Nuceriam, eiectis Christi cultoribus, Saracenis inhabitandam dedit. E dimidia parte Cathedralis Ecclesiæ, palatium inimicis Crucis Christi extruxit; & vbi altaris titulus extiterat, in quo filius Dei pro peccatis mundi imolabatur, ibi cloacam ventribus exonerandis substituit. Ad XII. millia Christianorum è Nuceria abire coegit, nec nisi paucos ibi reliquit, in quorum sanguinem Saraceni impunè sæuirent; & quos nullis etiam existentibus culpæ indiciis ad supplicium deposcerent. Regni Siciliæ & Apuliæ Comites & Barones, sedis Apostolicæ subditos, alios dãnauit exilio, alios ferro peremit, quosdam famis inedia consumpsit, quosdam carcere tenebroso exhausit, nonnullos mari demersit, plures igne decoxit. & si patres in suspicionem alicuius criminis adducerentur, filios quoque etiam paruulos, insuper & fœminas ac virgines tenellas nullo non crudelitatis supplicio affecit: aut vænum Saracenis, vel pyratis exposuit. Rem etiam nummariam nouus falsarius vitiauit, nec nisi coriaceos tenui superinducta argenti cuticula nummos percussit, monopolia omnium rerum vænalium instituit, prætia rerum imminuit, valorem coriaceæ pecuniæ intollerabilem auxit, vt vna cum sanguine fortunas quoque miserorum exhauriret. Beneuentanam vrbem Romani Pontificis peculiarem, adhibitis portarum excubitoribus adeo oppressit, vt nemini exire vel introire, vel vænum aliquid inferre, aut agros colere, aut Ecclesiæ implorare auxilium licuerit. Vacantibus Ecclesiis, non passus est Pastores præfici, vt bona earum prædaretur, & animas perire innumeras videret. Regis Tuneti fratrem, ne ad sedem Apostolicam baptismate initiaturus accederet, diuturna detentione prohibuit, adeoque Saracenos ad fidem Christianam sponte ruentes ab ea auertit. Episcopum Prænestinum sedis Apostolicæ Cardinalem pro pace Legatum, grauissimis interiectis obstaculis ne accederet impediuit. Ciuitatem Soranam contra pacis formam spreta iuramenti religione combussit: neque permisit Ecclesias crudeli sæuitia cum sanctorum corporibus exustas reparari. Ferrariam, Sardiniam & alia bona Ecclesi. Romanæ eripuit: & supra id quod dicitur Deus, impiè eleuatus, monentẽ Pontificem nõ tantum contempsit, sed etiam literis per orbem dispersis, & sermonib. contumeliosis proscidit, perque imposturas & calumnias in odium Christi fidelium adducere conatus est. Iam gladium Ecclesiasticæ disciplinæ, anathema, sacrilegus risit; diuina mysteria quæ prius nec aspicere sustinebat, frequentare in cõtumeliam Põtificis & præsumpsit, & præcepit. Astris inspiciendis assuetus, ex Arabum consuetudine, id insigne flagitii retulit, vt omnia constellationibus tribueret, & blasphemo ore, tres impostores in delusionem hominum præcessisse, sc. Moysen, Christum, & Mahometum assereret: decerneretque, Apostolicæ sedis, ad illudendos (ita impius blatterabat) homines commẽta diuturnis temporibus à simplicibus tollerata cum sua superstitione delere. In literarum vero serie, venena detractionis & calumniæ affundens, inter alia mentiebatur, Pontificem nõn aliam causam in eum furoris habere, nisi quod Cæsar recusaret, neptem illius suo spurio collocare: cum tamen Messanen. & Panormitanus Archiepiscopi, Theutonicorum Magister, & Petrus de vineis istud ipsum à Pontifice postulantes, nequicquam obtinere potuerunt: quod Gregorius nobilissima Comitum familia ortus, indignum iudicaret, suum sanguinem generosum spurio misceri. Propter quam repulsam Fridericus irritatus minabatur, sponsam Iesu Christi Ecclesiam Romanam in prostibulum detrahere, & venerandam Principis Apostolorum Basilicam in stabulum conuertere iumentorum: necnon ex summa ara repositorio Petri & Pauli sacrorum pignorum præsepe efficere equorum. Quod vt facilius exequeretur, turrim Petri Frangipanis sumptibus datis reparari curauit, vt ex ea Petri Apostoli sedem inconcussam euerteret. Accidit, vt semel in peruigilio Assumptionis Beatissimæ Virginis, Populus Romanus auertendis calamitatibus publicis supplicatione indicta per vicos & plateas, imaginem eiusdem Deiparentis in processione deferret. Non deerant à Friderico submissi, qui blasphemis vocibus conclamarent: *Ecce Saluator: veniat nunc Pontifex, nec quicquam ab Imperatore metuat*. Cumq; prætereuntes instrumentũ, Frangipaniam turrim, istas geminarẽt blasphemias, quasi illa Saluatoris & Deiparentis non sustineret iniurias, funditus mox euersa, blasphemantium multitudinem indicio diuinæ vltionis oppressit. Neque tamen obduratum animi Fridericum ea res quicquam mouit. Namq; is deterior seipso factus, Liguriam, Etruriam, Æmiliam, Insubriam, Flaminiam, & quicquid reliquum est in Italia miscuit, omnia fere ditioni Ecclesiasticæ & Romanæ sedi subiecta bona detraxit: vt Gregorius Pontifex omnibus fere exutus necesse habuerit, prælatis in solenni supplicatione capitibus Apostolorum & ligno viuificæ Crucis, sacram Crucis militiam in tyrannum edicere. Ibi Fridericus immane furens crudelissimum proposuit decretum, quo Crucis gestantes characterem pœnis subiicerentur atrocibus. Factum in momento, cum alii candentis ferri stigmate, ad modum Crucis in fronte signarentur, alii membris mutilarentur, Sacerdotibus sacra corona amputaretur; nonnulli flammis exurerentur, alii clauis cruci affigerentur. Ex his Sacerdos vnus, detracta Crucifixi imagine, eidem Cruci confixus, & igne lento supposito vstulatus, inuicta cõstantia hymnum Ambrosianum decantans, inter modulationem illius versiculi, *Te martyrum candidatus laudat exercitus*, martyrii coronam promeritus expirauit. Earum calamitatum Gregorius Pontifex satur, fatis decessit: Sanctitatis & Zeli Pastoralis ingens.

CÆLESTINI PAPÆ IV. ANNVS I.

XIV. *Platina & Ciaccon ex Bernardo.* SVFFECTVS CÆLESTINVS IV. 18. DVNTAXAT DIEBVS VIVIT, VACAT SEDES ANNO VNO ET MENSIB. OCTO.

TRigesimo, à Gregorii Pontificis parentalibus, die, Cardinales in vnum congregati, Pontificatum, Gaufrido Castillioneo Mediolanensi, Cardinali Sabino detulerunt: quod esset gente nobilis, vita integer, doctrina insignis, & prudentia in reb. gerendis admiranda. Cælestinum Quartum salutarunt: sed non diu eius Pontificatu lętati sunt. Decimo. n. octauo die, postquam assumptus fuisset, Pontificium cum vita reliquit: tum senio, tum ægritudine, tum animi mœrore confectus. Nam & ipsi, Ecclesiæ, & Italiæ, à Friderico illatæ iniuriæ, dolebant. Quas vt auerteret, Fridericum tum literis, tum nunciis demulcere, adq; sensum reuocare conatus est. Octauum Idus Octobris morte sua insigniuit; & Ecclesiam vniuersam ingenti mærore repleuit; quod omnes homines sperarent se eius Pontificatu fælices futuros. Ab ipsius morte, vacauit sedes anno vno & mensib. fere octo; Nam hi qui tum in Ecclesia auctoritate pollebant existimarunt, neminem in Pontificem eligendum esse, quousque Cardinales à Friderico in carcere detinerentur. Aliqui in Cardinales carceribus conclusos causam reiiciunt, quod ii electionem futuri Pontificis minus ratam Ecclesiæ, & minus gratam Friderico existimarent, si suffragia sua in eam non contulissent. Id vero prætexebãt, siue vt se ergastulis excluderent, siue vt Friderico gratificarentur ea ratione.

XV. *Annal. Prædicat.* DVO SS. IVLIANVS PRÆDICATOR, ET B. GERARDVS FRANCISCANVS CÆLVM INTRANT.

Hoc Anno cœlum splendore suo illustrarunt duo Beati rebus humanis exempti, alter Beatus Iulianus Ordinis Prædicatorum, alter Beatus Gherardus, primum Sancti Ioannis Hierosolymitani, deinde paulo post S. Francisci instituti. Iulianũ, Fauentia Æmiliæ Metropolis ꝓpagauit: Papia, morientem, cœlis dedit. Constans fama est, illum à Priore mortem ægroto renunciante, tanta alacritate nuncium audiuisse, vt præ lætitia exiliret, & voce, manu, gestu, vultu, totiusq; corporis motu præ se maxime tulerit, velle quamprimum dissolui & esse cum CHRISTO. Dicebat. Veni ô DOMINE IESV, & noli tardare, ecquid moraris? ecquid animam hanc misellam ex hoc corpusculo non educis? Interim Diuum Marcum Euangelistam, candidatis innumerabilibus stipatum descendentem aspiciens, Fratribus circumstantibus vt locum eis facerent iniunxit, atque spiritum Sacramentis munitum exspirauit. *Bossius li. 9.* Beatus Gherardus Meccati, vico villa magna Florentinæ diœcesis natus, primum inter familiares Sancti IOANNIS Hierosolymitani Cruce insignitus, deinde maioris perfectionis ardore succensus, Ordinem Fratrum Minorum tertii habitus professus ingentem sanctitatem mũdo demonstrauit. Nam & genuum vestigia cuidam saxo impressit miraculo, eo tempore cum secretum eremi petens super genua ad montem quendam præruptum reptaret: & cerasa miraculose tempore verno impetrauit, alia tempestate, dum infirmus decumberet. Cum enim appetitum omnium ciborum perdidisset, & omnes valetudinem eius proiectam fuisse conclamassent, ille sorori ministranti iniunxit: Vade ad illud arboretum, & cerasa mihi defer, ea quæ indidem decerpseris. Phrenesi laborantem soror putauerat, & in mentis vesania loqui dicebat. Nam gelu omnia arboreta riguerant, atque pruina algoreque albescebant, cum Gherardus à sorore cerasa deposceret. Tandem illa iuit, arboretum cerasis onustum adinuenit, manu carpsit, & detulit; atque ægrotantem refocillauit. Corpus defuncti Gherardi incorruptum multis annis perseuerat, in signum futuræ incorruptionis, quam mortalia nostra corpora in die resurrectionis superinduent.

XVI. *Vita S. Petri Mart.* S. PETRVS VERONENSIS IN ITALIA CLARET VIVVS MIRACVLIS.

Per idem temporis Sanctus Petrus Veronensis Ordinis Prædicatorum, maximis laboribus & miraculis Italiam illustrabat. Rauennam aliquando ingressus, & mane sequenti prædicaturus, nocte antecedente prodigium totam vrbem obstupefecit. Nam ingens fanale miraculose accensum, in vertice turris campanariæ illius Ecclesiæ conspectum est, & quod magis miraculi rationem adauxit, neque niuib. abunde cadentib. vmquam extinctum. Accurrerant complures rei nouitatem inquirentes: cæterũ presbyteri, ad quorum Ecclesiam Petrus diuerterat, cum se nihil scire faterentur, tandem in eam sententiam venerunt, vt faterentur, Deum hoc lumine, lucem maximam Ecclesiæ apud se hospitantem velle demonstrare. Cæsenam cum Petrus venisset, manum cuiusdam tuberosam, vnico verbo sanauit. Oleum cuidam instar Eliæ multiplicauit, plures aduersa valetudine laborantes sanitati restituit. Hæreticorum quamplurimos errorem abiurare persuasit, & ad viam veritatis induxit. Fidem Catholicam partim pro concionibus, partim pro disputationib. accerrime defendit, fæliciterq; propagauit.

XVII. *Sur. 2. Iul.* S. VVILHELMI EPISCOPI BRIOCENSIS IN ANGLIA SANCTITAS ET OBITVS.

Eodem anno ex humanis excessit in minori Britannia sanctus VVilhelmus Briocensis Episcopus. Hic à primæuo iuuentutis flore, castitatis operibus vehementer deditus, totis viribus omni voluptate calcata impollutum Deo spiritum seruare conabatur. Cumque non ignoraret vitam hominis militiam super terram esse, multo semper ante contra infesta dæmonibus arma sese muniebat; intentaque semper cura & precibus, ne quæ dæmonum insidiæ improuiso illi obuenirent, excubabat. Verumtamen humani generis inimicus, quo vigilantius eum saluti suæ incumbere cernebat, eo multo magis modis omnibus eum euertere conabatur. Et quidem non semel per mulierum astutias Dei seruum corrumpere tentauit. Cum enim adhuc iuuenis, & corporis elegantia, & verborum facundia, & conuersationis gratia omnium oculis mirifice placeret, tum mulier quædam fornicationis spiritu stimulata, quo cupitis eius amplexibus frui posset, captato noctis silentio, perrexit ad B. adolescentis cubile, procaciterque se ad latus eius proiiciens, libidinis incendio eum inflammare tentauit. At ille ad insolitum mulieris tactum excitatus, non solum scelus exhorruit, verumetiam quasi morsus à serpente de lecto statim exiliit, atque ad orationis præsidia sese recepit. Alio vero tempore, cum iam Pontificali officio fungeretur, quædam nobilis admodum fœmina tam viri quam amicorum auxilio viduata, cum forensibus in Curia Episcopi litibus intricata molestiarum suarum nullum inueniret exitum, inops consilii quid ageret, tandem ex muliebri nequitia statuit polluto amore iudicis gratiam obtinere, aduersariosque per fas perque nefas hoc modo superare. Quadam igitur die fuco muliebri illita atque egregie compta, deductum in partem Episcopum cæpit blandis parum honesti amoris sermonibus pertentare, ac paulatim igneos impudicitiæ suæ radios in ipsum Dei virum vibrare. Sed vir DEI sancto præmunitus spiritu, vt primum ignea impudicæ fæminæ tela sensit, statim cum admiratione vestimenta excutiens: Mulier, inquit, quid? An ignoras me Dei seruum sacerdotem esse? Vide misera, quo te scelere obstringis. At illa increpationis viri Dei stimulis sauciata, & confusione ingenti perfusa, protinus cum festinatione se obduxit, & dubio procul castissimum pectus tacita prædicauit.

Præter hæc autem castitatis insignia, præcipua etiam pauperum illi cura fuit, quos adeo sedulo nutriuit, & ab egestatis malo defendit, vt cunctis sæpe facultatibus in eorum vsus erogatis, ab aliis insuper mutuo peteret, quod pauperibus largiretur. Instruebat ille quidem interdum magnifica conuiuia; sed hospitibus pro dignitate acceptis, ac inde dimissis, mox cuncta pauperibus large admodum pręberi mandabat. Ipse vero pura aqua, vel vino interdum mixta, & tenui sane cibatu vitam sustentabat, animum magis assidua cœlestium rerum commentatione & intenta supplicatione pascens, ne vanis vmquam illecebris ad perituras corporis voluptates abriperetur. Hinc præter consuetum horarum officium, diebus singulis Dauidicum ex integro persoluebat Psalterium, ex quo suauissimas sane animæ delicias hauriebat. Porro, quanto charitatis ardore proximum quemq; dilexerit, nullus explicare potest. Sæpe pro ouium suarum corporali salute, irruentium in Ciuitatem hostium gladiis ceruices suas obiecit: vt damna atque iniurias à sibi commissis depelleret. Sæpe dies noctesque in fletibus & lachrymis peruigil exegit, vt iram diuini numinis hominum sceleribus offensi mitigaret. Cum vero grauis persecutio per tyrannorum malitiam in Britannica Ecclesia excita præualeret, ipse zelo iustitiæ viriliter inflãmatus, ferocitati tyrannicę resistebat, mortem pro suorum libertate obire paratus. Quam ob causam minis & iniuriis multis ab ipsis tyrannis eorumq; cõplicib. exagitatus, cum

nullo modo iniquorum Principum in præiudicium libertatis Ecclesiasticæ vellet acquiescere voluntati, exilio damnatus fuit. Cessit itaque patrio solo, & ad Pictauiensem Antistitem profectus, summa ab eo benevolentiæ significatione exceptus, & in vicariam operam ab eo assumptus, constanter aduersa omnia tulit. Ibi cum aliquot annos magna cum opinione sanctitatis omnia Pontificis officia administrasset, tandem cessante persecutione, ad suam iterum diœcesim honorifice reuocatus, vitæ vltimum actum, multis aliis pietatis & sanctitatis operibus clarum feliciter consummauit. Corpus eius in Ecclesia Cathedrali summo cum honore tumulatum fuit. Cum vero Philippus successor eius duobus post obitum illius annis, Ecclesiæ fabricam vtro sancto inchoatam nouis, magisque magnificis structuris extollere decerneret, eaque de causa VVilhelmi corpus transferri deberet, fuit, mirabile dictu, non modo ab omni corruptione alienum planeque integrum repertum, sed & quasi pretiosissimis fuisset aromatibus conditum, suauissimo odore mirifice refertum. Ibi tum cunctis qui aderant, Deum in Sancto eius laudantibus clarissima protinus miracula coruscarunt, prorsus vt in ipsa non tantum Britannia, sed per adiacentes, & remotas quoque Prouincias plurimi accepta sanitatis beneficia in propriis corporibus circumferrent, aliosq; itid. ad ead. percipiendâ submitterent. Huius Sancti memoriam, ad diem XXIX. Iulii commemorat, ex Martyrologio Romano.

XVIII. *Platina lib. 2. cap. 27.* IOANNA REGIS NAVARRÆ FILIA, ET ISABELLA LVDOVICI S. SOROR FIVNT MONIALES.

Per hæc tempora, Ioanna Regis Nauarræ filia, regnum cœleste cuiuis terreno præponens, in Parisiensi Monasterio Dei seruitium aggressa est, magno suo bono, magna omnium admiratione, quin etiam Isabella Francorum Regis filia, Sancti Ludouici soror, mundo contempto, Christi Crucem in Ordine religioso sustulit, tanto ardore, vt etiam miraculis claruerit, multasq; Virgines ad consecrandam Iesu virginitatem illexerit.

XIX. XX. PRÆLATVS NEGLIGENS ANIMAS A D. PETRO APOST. CASTIGATVR.

Hoc anno in Burgundia mons à monte dehiscens, valesq; coarctans, multa agricolarum millia absorbuit. *Chron. Bosiana.*

Per id quoque temporis, in Belgio, cuidam Prælato à multis annis rem Ecclesiasticam non recte administranti, Petrus Apostolorum Princeps vultu seueriore apparuit, librumque tenens apertum, eam sententiam expressam legere compulit. *Mortificas animas, quæ non moriuntur: & viuificas quæ non viuunt.* Cumque ille pertetritus, nollet vlterius legere, vultumque ac oculos auerteret, Apostolus Petrus institit, & vt glossam ad marginem libri ascriptam legeret coegit. Legit ergo coactus: *Quando reduces animas ex inferno, quas per tuum destituas exemplum aterno supplicio tradidisti?* Cumque ille præ horrore & confusione respondere non posset, experrectus curam animarum reliquit, sæculo valedixit, & in monasterio Camberonum, Cisterciensi Ordini se addixit. *Thom. Cantipra. lib. 1. c. 20.*

IESV CHRISTI
Annus 1242.

SEDIS VACANTIS ANNVS I. — BALDVINI II. IMP. ORIENT. 14.

I. VACAT SEDES APOSTOLICA. *Platina & rel. qui ex Bernardo Dominicano.*

Ecclesiæ Romanæ Sedem, nullus Pontificum insedit hoc anno: Propterea quod aliqui Cardinales, indignum esse existimarent, suffragia ad deligendum Antistitem conferre, Ecclesia vniuersa à Friderici oppressione gemente, cum is tyrannico more Cardinales Legatos in vinculis haberet, & ditiones Apostolicæ Sedis quas rapuerat occuparet: quas vero nondum occupauerat eriperet.

II. *Sabellic. Enead. 9. li. 6.*

Interim Tartari Poloniam & Hungariam populabantur, frustra expectantibus auxilia, à Sede Apostolica promissa tum Polonis, tum Hungaris. Præstat narrare gentis Tartarorum mores & ritus, vt eorum vita cognita sit facilior. Colunt Tartari simpliciter Deum Optimum Maximum, ad cuius prouidentiam omnia referunt. Nulla habent ieiunia, nullas sacrorum ceremonias, nullis vtuntur precibus, quando autem aliquid à Deo impetrare volunt, simplici rogatione expostulant. Hominem apud eos interficere, nullius noxæ est. Si frenum non ademerit is qui quadrupedem misit in pascua, piaculum est. Fornicari ac Venerem quoquo modo exercere, neque probro, nec vitio imputatur. Multiplex connubium in vsu, post patris obitum fas est nouercam sibi matrimonio iungere, fas & quæ fratri nupta fuerit. Regi quicquid libitum est licet, & cuicumque velit, lege permissum est vxorem & omnia quæ velit adimere. Ex rapto plurimum viuunt; aut si hæc desint, venatu, equino bubuloque lacte victitant; vescuntur & equina carne; & ne humanis quidem carnibus abstinent. Fallax ingenium, vinum cupidissime potant; si fiat copia, bibunt & humanum cruorem, pediculos esitant, vxor mariti, amicus amici, illud dictitantes: *Sic Regis hostes eant.* Nuptæ mundum gerunt capitis in cistæ speciem figuratum, circa summum latiorem, sesquipedali altitudine, serico & margaritis ornatâ: puellæ adhuc innuptæ indiscreto fere à viris habitu. Hi pileo caput contegunt, mento subligant. Pilei forma pene plana, veste ad genua fere dimissa, multifariam recisa à pectore, arte magis quam viribus pugnant: gladio vtuntur brachiali longitudine, ab vna parte fastigiato, corio teguntur aut laminis ferreis: equites agiles, sagittandique scientissimi, is omnium fortissimus, qui & imperii obseruantissimus. Sine stipendio militant. Pedites inutiles & insigni tarditate. Gens in præliis & rebus gerendis solers, & ad omnia momenta rerum imperiumque obeundum præsto: nec fuga turpis, si conducibilis sit aut necessaria. Sagittas tanta vi intendunt, vt nullum armorum genus sit illis nõ penetrabile, turmatim pugnam capessunt, turmatim fugiunt, vulnifico sagittarum iactu sequẽtem hostem à tergo conficientes, inde prementium paucitatem conspicati subito in pugnam redeunt, ac tum maxime vincunt, quum victi creduntur. Comiter & benigne colunt hospites: aliena appetunt, sua negligunt, sub tentoriis in aperto agitant, libentius hoc modo quam in oppidis aut vrbibus. Viri à re bellica feriati, aut venantur, aut se luctando exercent: mulieres pelliceas vestes faciunt, ocreas & cætera, quæ ex eadem materia fiunt, trigesimo die luctum finiunt, cum defuncto, si altiore fortuna fit seruum vnum sepeliunt, & phaleratum equum. Socialibus bellis mites vbi inferiores numero sint, alioqui superbi in socios & contumaces. Veritatis studiosissimi: nihil tam capitale turpitérue admittunt, quod expostulati non sponte fateantur. Hi itaq; truces Christianorum hostes, hoc quoque anno Poloniam vastabant: Vitoriensiq; Monasterio exusto, & Sanctimonialib. in eo occisis, Lancicien-

Crome. li. 8.

sem & Cuiauiensem, Siradiensemq; tractum peruertabant: atq; Siles iam infestabant.

III. PRÆLIVM INFELIX HENRICI DVCIS POLONIÆ CONTRA TATTAROS IN QVO ET IPSE DVX CECIDIT.

Cognito eorum aduentu Henricus cognomento Pius, obuiam eis progressus fuit, procurato à Sacerdotibus sacris mysteriis exercitu, eo quidem animo, vt aut vincêret, aut fortiter pro aris atque focis, & pro populo suo dimicans occumberet: non modo non deterrente, sed etiam atque etiam hortante matre Heduuigi, quæ futuri præscia, tamen diuinæ voluntati repugnare nefas esse ducebat. Quinque autem agminibus exercitus eius constabat. In primo erant Crucesignati ex variis gentibus, Summi Pontificis authoritate & cohortatione post cladem superioris anni collecti, cum quibus ordinati erant fossores ex metallis Goltibergensibus, cui agmini præerat Boleslaus Dipoldi Marchionis Morauiæ filius. In secundo erant maiores Poloni & Cracouienses nonnulli, quos ducebat Huislaus Vulodimiri Palatini Cracouiensis frater. In tertio erat Miecislaus Dux Ratiborien sis & Oppolien sis cum copiis suis. Quartum tenebat Pompo Magister Prussiæ cum suis Crucigeris. In extremo erat ipse Henricus cum flore militiæ Silesiæ & Polonicæ, & Mercenariis externis. Totidem agmina Tattari fecerunt. His igitur Henricus sese opponens, exercitu triginta millibus militum instructo, cum iisdem acerrimo prælio congressus est, fortiterque depugnans, gloriosa morte die 9. Aprilis, videlicet die Martis post Dominicam quam in Albis vocant, in cãpo Vuolstat prope Lignicium occubuit. Cadaueri Principis Tattari caput amputarunt, illudque hastæ infixum circumtulerunt. Lignicium vrbs incensa est, sed arx valida est munita præsidio. A quo cum Tattari deditionem postulassent, re-

spon-

sponsum est, pro vno Principe necato sese habere plures Dominos adolescentes, quos non essent deserturi. In hoc prælio præter Henricum, Boleslaus Henrici Amitinus; Pompo Magister cum fortissimis quibusque suorum, aliique complurimi viri militares perierunt, tantaque strages Christianorum edita esse dicitur, vt cum Tattari post victoriam, singulis cadaueribus singulas auriculas præcidissent, nouem ingentes saccos expleuerint. Corpus Henrici ab vxore Anna filia Ottocari Regis Boemiæ, ex sexto digito sinistri pedis agnitum, & Vratislauiæ in templo S. Iacobi humatum est. Cæterum Heduigis mater, quæ monasterii Trebnicien sis munitioni diffisa, Crosnam vna cum grege Monacharum & Anna nuru sub aduentum barbarorum sese receperat, nihil nuncio cladis & interfecti filii commota est, quin monachas & nurum lamentantes comiter consolata, minime de iecto vultu gratias egit Deo, quod eius munere talem filium peperisset, cuius ipsa viuentis pietatem summam in se experta esset, quique ad extremum pro religione & populo suo vitam alacer proiecisset. Fertur. a. cum Henr. exercitum Legnitia contra Tartaros educeret, saxum grande è culmine templi Virgini Christi matri dicati ante pedes eius decidisse, ita vt parum ab fuerit, quin eum extingueret: quæ res infausti ominis vulgo iudicata est. Ferunt etiam, quod Tattaris victoria stetit ex permissione diuina ab arte maga. Erat in extremo illorum agmine, inter alia signa vexillum insigne, cuius pictura X. literæ figuram præ se ferebat: in cuspide vero imago erat tetra nigraq; capitis humani barbati. Id igitur vexillum cum signifer vehementius quareret, fumum, atque nebulam denssissimam & fœdissimam exhalabat. Ea nebula non modo aspectum Barbarorum Christianis militantib. adimebat, verum etiam odore terrerrimo eos enecabat, totumque adeo exercitum nouitate rei stupefactum perturbauit: Incantationib. id quibusdam Tattari effecerant, quib. iuxta ac ariolationib. atq; diuinationib. cæteris cum alias, tum in bello plurimum vtuntur; ex humanis eriam extis de futuris euentib. soliti coniectare. Tunc vero barbari, vbi Christianos trepidare à spectaculo sensissent, cohortati sese mutuo, impressioneq; facta, tantam cædem, quanta fuit, ediderunt. Qua peracta, Ratiborien sem oram repetita excursione vastarũt, Morauiam peruaserunt, & Venceslao Rege in Boemia delitescente, amplius vno mense, vsq; ad Austriæ & Boemiæ fines crudeliter omnia diuexantes, in Vngariam superatis montibus atq; syluis syluis peruenerunt, fuisque coniuncti maiori clade illud Regnum deformarunt.

IV. CONCILIVM TARRACONENSE CONTRA HÆRETICOS CELEBRATVR IN ARAGONIA.

Circa hæc tempora, contra hæreticos Valdenses, in Regnum Aragoniæ irrumpentes, celebratum fuit Concilium apud Tarraconem, in quo præscripta fuit formula illos inquirendi, duniendi, & recipiendi ad fidẽ Catholicã reuertentes, salutaresq; eis pœnitentias iniungendi. Cui, vt maior auctoritas conciliaretur, Raymundum Peniafortium Sedis Apostolicæ Pœnirentiarium, à Magisterio Generali totius Ordinis Prædicatorum quod abdicauerat, Barcinonem reuersum, interesse Episcopi voluerunt. Eius Actorum Concilii aliqua pars se Annalib. inserit; ex qua, disciplinæ Ecclesiasticæ ratio in hæreticos seruata, cognoscatur. Ita habet.

Cum nos PETRVS miseratione diuina Archiepiscopus Tarraconen sis in quisitionem incepram per bonæ memoriæ Berengarium Barchinonen sem Episcopum contra hæreticam prauitatem in ciuitate Barchinonen si vellemus effectui mandare, inter Iurisperitos, qui nobis tum aderãt, dubitationes hinc inde variæ emerserunt. Quare, vt circa factum hæresis, & Inquisitionis de cætero fiendæ in Prouincia Tarraconen si clarius procedatur, collationibus inde factis cum venerabili Fratre Raymundo de Pennaforti Pœnitentiario Domini Papæ, & aliis prudentibus, in processu sententiarum hæreticorum, Fautorum, Suspectorum, Relapsorum, & pœnitentiis eorum secundum discretionem nobis à DOMINO datam, ita duximus procedendum.

Inprimis quæritur: qui dicantur hæretici, qui Suspecti, qui Credentes, qui Fautores, qui Receptatores, qui Defensores, & qui Re apsi: cum ista genera hominum in canone explicentur: & videtur, quod,

Hæretici sunt, qui in suo errore perdurant: sicut Inzabbatati, qui dicunt in aliquo casu non esse iurandum: & protestatib. Ecclesiasticis vel Sæcularib. non esse obediendum: & pœnam corporalem non esse infligendam in aliquo casu & similia.

Credentes vero dictis hæresibus similiter hæretici sunt dicendi.

Suspectus de hæresi potest dici, qui audit prædicationem vel lectionem Inzabbatatorũ: vel qui flexit genua orando cum eis: vel qui dedit osculum eis: vel qui credit ipsos Inzabbatatos esse bonos homines, vel similia, quæ possunt probabiliter suspicionem inducere. Et potest dici suspectus simpliciter esse, qui semel oranit, vel alterum fecit de prædictis cum eis. Si vero pluries audiuisset prædicationem, vel lectionem, vel orasset, vel aliquid aliud de prædictis fecisset cum eis, posset dici vehementer suspectus. Si autem predicta omnia fecisset, maxime si pluries, posset vehementissime dici suspectus. Ista ideo dicimus, vt discretus Iudex purgationem posset grauare, vel moderari, prout magis visum fuerit expedire.

Celatores credimus eos, qui viderunt Inzabbatatos in platea, vel in domo, vel in alio loco, & cognouerunt eos Inzabbatatos, & non reuelauerunt eos cum haberent aptitudinem reuelandi eos Ecclesiæ vel Iustitiario, vel alijs qui possent eos capere.

Occultatores dicimus, qui fecerunt pactum de non reuelando hæreticos vel Inzabbatatos, vel alias procurauerunt, quod non reuelarentur.

Receptatores sunt, qui scienter bis, vel vltra receperunt hæreticos, vel Inzabbatatos in domo sua, vel in alio loco suo. Receptaculum credimus esse domum, vel hospitium, vbi hæretici vel Inzabbatati, bis vel pluries conuenerunt ad prædicationem, vel lectionem: vel etiam vbi hæretici, vel Inzabbatati pluries hospitantur.

Defensores dicimus, qui scienter defendunt hæreticos, vel Inzabbat. verbo vel facto, vel quocunq; ingenio in terris suis, vel alibi, quominus Ecclesia possit exercere suum officium ad extirpandam hæreticam prauitatem.

Fautores credimus omnes suprædictos posse dici secundum magis & minus: & etiam qui alias quocumq; modo eis dederint consilium, auxilium, vel fauorem. Et omnes fautores credimus posse dici suspectos, ita quod debent se purgare, & abiurare hæresim, & omnem fautoriam: & debent sanctæ matri Ecclesiæ reconciliari.

Relapsos dicimus illos, qui post abiuratam hæresim, vel renunciatam, reuertuntur in pristinam credentiam hæresis. Eodem modo dicimus relapsos in fautoriam, illos, qui post abiuratam hæresim, vel fautoriam benefaciunt hæreticis, vel celant eos. Et omnes prædictos dicimus excommunicatos maiori anathemate: exceptis suspectis sine fautoria, si forte inueniantur.

Dubitatio etiam oritur apud quosdam: Vtrum relapsi in Credentiam, & hæretici dogmatizantes, si postquam fuerint deprehensi, voluerint pœnitere, relinqui debeant iudicio sæculari? Et videtur nobis quod Non. Sed in quocunq; casu, tales ad intrusionem sunt condemnandi.

Item si multitudo hæreticorum, seu Credentium fuerit multa, & parati sunt hæresim abiurare, discretus Iudex secundum magis & minus iuxta prouisionem Apostolicæ Sedis, pœnas canonicas poterit infligere talibus, & sic pœnam intrusionis vitare, vel etiam si multitudo non est tanta, circa Credentes discretus Iudex consideratis circumstantiis poterit moderari prout viderit expedire, prouiso tamen, quod Perfecti hæretici, vel dogmatizantes eorum errores, vel Credentes relapsi in Credentiam post abiuratam hæresim, vel renunciatam, in perpetuo carcere intrudantur, hæresi penitus abiurata, & absolutione habita excommunicationis, vt ibi saluent animas suas, & alios de cætero non corrumpant.

Item quæritur; Vtrum ille, qui dedit osculum Inzabbatato, vel hærerico, quem credebat, vel sciebat eum Inzabbatatum, vel orauit cum eo, & celauit eum; vel audiuit prædicationem, vel lectionem ab eo, & credidit talem esse bonum hominem, sit iudicandus credens eius erroribus? Et dicimus, quod non: sed talis condemnetur tamquam fautor, vel occultator, & benefactor, & vehementer suspectus, quod credit eius erroribus: nisi adeo esset literatus, vel

discretus, quod non posset ignorantiam prætendere: quod arbitrio discreti iudicis duximus relinquendum.

Item quæritur, quis ante inquisitionem inceptam fuit confessus Sacerdoti suo de hæresi vel fautoria, & vocatur modo ab Inquisitoribus? In casu isto, credatur Confessori suo: & si inuentus fuerit bene confessus per confessionem Sacerdotis, licet Sacerdos male fecerit, quia ipsum non remisit ad Episcopum; ille tamen confitens per talem confessionem euitet pœnam temporalem; nisi inueniatur in falsa pœnitentia, vel relapsus post pœnitentiam, vel publice diffamatus. Si autem allegat manifestam pœnitentiam, vel reconciliationem: probet per duos testes. Si quos vero constat ante inchoatam inquisitionem, de his fuisse confessos, debent publice abiurare hæresim, & aliam solemnitatem facere, nisi ita sit secretum factum, quod non habeat contra se famam, vel testes: & tamen in vtroq; casu sunt ab omni pœna temporali immunes. Si vero aliqui vocati ab Inquisitoribus, deierant tempore suæ depositionis; & postea ad instantiam Inquisitorum, vel metu potationum disco operiunt veritatem; sed dicunt, quod hæc tacuerunt propter verecundiam vel timorem, tales credimus periuros, quia, qui scienter falsum dicunt, vel verum tacent, periuri sunt & ideo pœnitentia canonica est eis grauior imponenda.

Formæ pœnitentiarum.

Hæretici perseverantes in errore, relinquantur curiæ seculari sine iudicio. Perfecti vero hæretici, si conuerti voluerint, & dogmatizantes, absolutione præhabita, & abiuratione facta, perpetuo carceri intrudantur.

Credentes autem hæreticorum errorib. solemnem faciant pœnitentiam; hoc scil. modo: quod in festo Omnium Sanctor. proxime venturo, & in prima Dominica Aduentus, in die Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Mariæ Febr. S. Eulaliæ, S. Mariæ Martii, & per omnes dies Dominicos Quadragesimæ sint in processionib. ad Sedem, seu Eccles. Cathed. & ibi discalciati in braccis & camisia; præterquam in die S. Mariæ Febr. & in Ramis palmarum, vt reconcilientur in Eccl. Parochiali, in processionib. publice disciplinati per Episc. vel Sacerdotem Ecclesiæ. Item in quarta feria in capite ieiunii veniant simul ad Sedem, & sint eodem modo, & secundum formam iuris discalciati in braccis, & camisia, & expellantur ab Ecclesia, & sint extra Ecclesiam per totam Quadragesimam: sic tamen ad fores Ecclesiæ, quod ibi audiant officium. Et in die cœnæ Domini sint discalceati in braccis, & camisia ante fores Ecclesiæ, & tunc secundum canonica instituta publice reconcilientur Ecclesiæ. Et hanc pœnitentiam de quarta feria, & de stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de die cœnæ, faciant quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus Dominicis Quadragesimæ, facta reconciliatione exeant Ecclesiam, & stent ad fores vsque in diem cœnæ, & portent duas Cruces perpetuo ante pectus, quæ non sint eiusdem coloris cum vestibus: & portent ita, vt videri possint solemniter pœnitentes: ita tamen, quod non abstineant ab ingressu Ecclesiæ in Quadragesima vltra decem annos.

Pœnitentia illorum, qui sunt relapsi in fautoriam, similiter erit solemnis, vt de credentib. proxime dictum est, in dieb. omnib. supradictis: hoc excepto, quod Cruces portare, & pœnitentiam de quarta feria cinerum, & sancto die Iouis faciant simili modo per decennium.

Pœnitentia illorum, qui non sunt relapsi in fautoriam, sed sunt fautores, & vehementissime suspecti, erit eodem modo solemnis in festo Omnium Sanctorum, Natalis Domini, Epiphaniæ, S. Mariæ Febr. per omnes dies Dominicos Quadragesimæ. Et aliam pœnitentiam de feria quarta Quadragesimæ, & de stando extra Eccles. per totam. Quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ, vt supra dictum est, faciant per septennium.

Pœnitentia illorum, qui sunt fautores, & vehementer suspecti, erit solemnis eod. modo in festo Omnium Sanctorum, Natalis Domini, S. Mariæ Februarii, in Ramis palmarum, & aliam pœnitentiam de quarta feria Quadragesimæ, & de stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ, vt supra dictum est, faciant per quinquennium.

Pœnitentia illorum, qui sunt fautores, & suspecti, erit solemnis eod. modo in festo Omnium Sanctorum, S. Matię Februarii, Ramis palmarum; & aliam pœnitentiam de feria quarta quadragesimæ, & stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ faciant per triennium. Intelligitur tamen, quod mulieres vestitæ veniant, & disciplinentur.

Hanc autem pœnitentiam faciant omnes prædicti, in festiuitatibus & diebus præordinatis, in ciuitate ista vel loco, & non alibi, vsq; ad festum Paschæ illi scilicet, qui sunt ciues. Forenses autem faciant eam in parochiis suis, & non alibi: præterquam in feria quarta in capite Quadragesimæ, & in die cœnæ Domini, in quib. veniant omnes ad Sedem, vel ad locum Ecclesiæ suæ. In sequentib. vero temporibus Quadragesimalibus, decennalem pœnitentiam, septennalem, quinquennalem & triennalem, quam debent facere in quarta feria in introitu Quadrag. & in die cœnæ Domini, secundum diuersitatem culparum, vt iam definitum est; faciant omnes tam Ciues, quam forenses in sede Ciuitatis suæ, & non alibi: nisi ex iusta, & rationabili causa, & de speciali licentia Episc. vel Vicarii sui: & tunc in locis, ad q̃s de licentia Episcopi iuerint, faciant corã Episc. illius loci, vel locum eius tenente, eand. pœnitentiam, portantes literas Episcopi vel Vicarii sui, continentes pœnitentiam, quã facere debent. Et reporter etiam ille, qui pœnitentiam fecerit, literas Episcopi illius loci ad N. talis diœcesis, de peracta pœnitentia testimonium continentes. Quod si casu fortuito, sine fraude tamen & dolo, in illis duobus diebus non possent ad Cathedralem Ecclesiam peruenire: cũ redierint in duob. aliis solemnitatibus, assignatis eis iuxta arbitrium Episcopi publice disciplinentur apud Sedem N. secundum formam illorum duorum dierum.

Formæ sententiæ contra hæreticum absolutum.

Si hæreticus pœniteat, & secreto absoluatur, Ecclesiæ iure solemnitatib. seruatis, cum iam non sit hæreticus, formabitur sic sententia. Pateat omnibus, quod per ea quæ in inquisitione inuenta, prodita, & acta sunt, liquido nobis constat, quod talis fuit deprehensus in hæresi, & postmodum reuersus ad Ecclesiæ vnitatem, agentes misericorditer cum eodem, ipsum ad perpetuum carcerem condemnamus secundum canonica instituta.

Alia forma.

Si autem nondum sit absolutus, sic formabitur.

Pateat omnibus, &c. quod talis est deprehensus in hæresi, & vult reuerti ad Ecclesiæ vnitatem, agentes misericorditer cum eodem, &c.

Forma sententiæ contra hæreticum pertinacem.

Si vero non vult pœnitere, sed in errore perdurat, præsente iudice seculari, sententia sic formetur.

Pateat omnib. quod per ea, quæ in inquisitione inuenta, probata, & acta sunt, liquido nobis constat, quod talis est deprehensus in hæresi per Ecclesiam condemnata, & ipsum tamquam hæreticum condemnamus.

Sententia contra fautores.

Contra fautores sententia sic formatur.

Pateat omnibus quod per ea, quæ inuenta, probata, & acta sunt in inquisitione liquido nobis constat, quod talis est deprehensus in fautoria: & denunciamus ipsum excommunicatum & suspectum de hæresi: & si per annum contempserit satisfacere, subiaceat pœnis Concilii Generalis: & si defecerit in purgatione, & in excommunicatione per annum steterit, vt hæreticus, condemnetur.

De forma Purgationis.

Suspectus de hæresi purgabit se publice in hãc modum.

Ego N. iuro per Deum Omnipotentem, & per hæc sancta Dei Euangelia, quæ in manibus meis teneo, coram vobis Domino, N. Archiepisc. vel Episcopo, & coram aliis vobis assistentibus, quod non sum, vel fui Inzabbatatus, Valdensis, vel Pauper de Lugduno, nec hæreticus in aliqua secta hæresis per Ecclesiam damnata: nec credo, nec credidi eorum errоribus, nec credam aliquo tempore vitæ meæ: imo profiteor & protestor, me credere, & semper in posterũ crediturum fidem Cath. quam S. R. E. & Apost. publice tenet, docet, & prædicat: & vos Dñe Archiep. vel Episcope, & cæteri Prælati Eccles. vniuersalis tenent, prædicant publice atque docent.

Qualiter Compurgatores iurare debent.

Compurgatores iurabunt per hunc modum.

Ego N. iuro per Deum, & per hæc sancta quatuor DEI Euangelia, quæ manibus meis teneo, me firmiter credere, quod talis non fuit Inzabbatatus, Valdensis, nec pauper de Ludguno, nec hæreticus, nec credens eorum errоrib. & credo firmiter eum in hoc verum iurasse.

Caueat tamen Iudex, quod ex quo certum numerum compurgatorum duxerit alicui iniungendum, non est honestum, quod postea mutet: ne sic Lateranense Concilium illudatur. Hactenus Concilii Tarraconensis præscriptio. Iuxta cuius formulam, cum aliqui Inquisitores ex Ordin. Prædic. contra hæreticos insteterint, & egerent, habuerunt sanguine suo proprio fidei Catholicæ subsignare, pro qua mortem à perfidis obierunt.

V. *Leand lib. 2. MARTYRES VARII PRO FIDE CATH AB TOLOSA NO INTERFECTI.*

Hoc anno 1242. 4. Cal. Iun. in nocte Ascensionis Domini, apud vrbem Auinionensem Galliæ, in diœcesi Tolosana, in ædibus & cubiculo Raymundi Tolosani Toparchi toties relabentis in oppido Auinionetto, Guilelm. Arnaldus è Montepessulano, vir in iure Pontificio clarus, magna sanctitate præditus, hæreticorum censor à Gregorio IX. institutus, & Bernardus de Rupeforti, Garsias de Aura ex diœcesi Conuenarum, duo Patres Minoritæ, videlicet Stephan. & Raymund. Carbonetii & Prior Auinionetti Monach. de Clusa, Raymundus Canonicus & scriptor Sedis Tolosanæ, Archidiaconus Lesacensis, Petrus Arnaldus à libellis Censoris prænominati, Bernard. clericus Archidiaconi, duoq; viatores clerici, Fortunerius & Ademarus, pro Christi fide & obedientia Ecclesiæ Romanæ, à satellitibus hæreticorum cæsi sunt: cantantes in voce exultationis, Te Deum laudamus. Hos DEVS statim miraculis illustrauit. Nocte vero qua passi sunt, quædam mulier eius diœcesis, sed in alio castro, in partu laborans exclamauit: Ecce video cælum apertum, & scalas inde ad terram demitti, & multũ sanguinem in terra ista effundi. Eumque scalarum claritatem contemplaretur, & per eas ascendentium ruborem ad miraretur, partum enixa est oblita doloris. Eandem cœli aperturam viderunt Pastores in eadem regione vigilantes. Item Iacobus Aragonum Rex cum eadem nocte excubaret in fronte aduersus Mauros, vidit lucem immẽsam è cœlo demitti, & commilitonibus dixit: Scitote, quod hac nocte Deus aliquid magnum operatur. In cœnobio quoque Barcinonens. Prædic. multi fratres ea ipsa nocte cœlum aperiri, & exinde lucem descendere tõtum aerem perlustrãtem, viderunt. Paululum ante passionem eorum cuidam Fratri in cœnobio Burdegallensi visum est, quod sub pedibus Christi Cruci affixi, tres Fratres à multis armatis occisi videbantur depicti. F. Raymund. Carbonerius antequam occideretur, vidit in somnis coronam auream gemmis ornatam micantem super domum, in qua passi sunt, de cœlo demitti cum immenso lumine, ante aliquot dies passionis ipsorum. Qui admirans dicebat: Heu quam miseri sunt homines isti terreni, qui videntes nos pro fide qua æstamus sic coronari, non conuertuntur ad Catholicam fidem! Cuidam etiam Fratri Burdegallensi oranti visus est Christus in Cruce pendens sanguinem copiose ex latere, illumq; à B. Virgine aureo calice recipi, & ab eadem tres Fratres illo ipso sanguine conspergi. Non multo autem post, eosdem Fratres quos secundum visionem sanguine respersos aspexerat pro fide Christi audiuit ab hæreticis interfectos. Pridie quoq; antequam Fratres necarentur, Columbum Patrem venerandum quædam mulier deuota adiit, dicens: Hoc mane cum Fratres sacra facerent, paululum in Templo obdormiens secundum quietem aspexi, quod imago Cruci affixi Christi quæ in medio templo prostat, deponebat brachium dextrum & sanguinẽ stillabat. Audiui etiam Christum mihi dicentem: Vade dic præsidenti cœnobii, vt reliquias in tali loco ponat. Postridie cum corpora Martyrum in Ecclesiam delata fuissent, placuit ea in loco mulieri præostenso magno cum honore sepeliri.

VI. PONTIVS PRÆP. VE-

Eodem anno, Pontius Hispanus Ordinis Prædicatorum à Gregorio Nono Pont. Max. Censor ante aliquot annos factus, apud Vrgellum Cathaloniæ vrbem, veneno ab hæreticis propinato interiit.

NENO SVBLATVS.

Fere per idem tempus, iugulati sunt iussu Comitis Tolosani sex Fratres Præd. F. Nicolaus, F. Petrus, F. Ioannes, F. Robertus, F. Edmundus & alter F. Ioannes, de quibus hoc admirandum memoriæ traditum est, quod capita sua resecta post mortem singuli tulerint, & vsque ad Conuentum detulerint, præcedente singulos lumine cœlitus demisso. Cõtigit illis quod Dionysio Areopagitæ Parisiis, & D. Proculo Bononiæ, qui pari miraculo capita sua longius à loco supplicii detulere, eaque ratione tum veritatem Fidei pro qua occubuerant, tum innocentiam vitę quam Christo per martyrium probauerant, testatam orbi reddidere.

VII. SEX PRÆD. IVSSV EIVS DEM TOLOSANI INTERFECTI, CAPITA PRÆFERVNT.

IESV CHRISTI
Annus 1243.

INNOCENTII PAP. IV. Annus 2. BALDVINI II. Imp. Orient. 15.

SVnt qui affirment, Fridericum Imperatorem, siue Baldouini Constantinopolitani Imperatoris, siue Ludouici Regis Francorum, siue aliorũ Regum & Principum Christianorum precibus & persuasionibus flexum, Cardinales quos in vinculis habuerat, dimisisse: eosque vna cum reliquis Anagniam profectos, electioni noui Pontificis interfuisse. Vtut est, certum est, hoc anno electum fuisse in Pontificem Roman. Ecclesiæ, Sinibaldum Cardinalem, patria Genuensem, gente Flisca, ex Comitibus Lauaniæ. Existimabant Electores, eam Sinibaldi electionem accommodam & tempori & Ecclesiæ fore: quod is acri ingenio, solerti prudentia, reipub. gerendæ dexteritate, ac in primis vitæ integritate præstaret: quodq; non in posterum ponebatur, inter amicos Friderici censeretur. Ad Octau. Calen. Iul. Pontif. renunciatus, Innocentii IV. nomen assumpsit, simulque assumptionis suæ ad Pontificatum, in primis Fridericum, *a* deinde omnes Principes Christianos Ecclesiasticos & seculares admonuit. Ferunt, Fridericum prima fronte non magnopere lætatum fuisse. Nouerat siquidem virtutem atq; animi magnitudinem, electi Pontificis: propter quam præsumebat, id quod euenit, illum sibi nõ multum conniuere velle. Itaq; ainnt eum, malę mentis suæ cõscium, ad primum electionis factæ nuncium, dixisse: Bonum eius amicum Cardinalem Sinibaldum, nunc ad Pontificiam dignitatem euectum, in acerrimum hostem permutasse.

I. DIMISSIS EX VINCVLIS CARDINALE. ELIGITVR INNOCEN. IV. ANTE SINIBALDVS DICTVS COMES LAVANIÆ.

a *ep. r. Ann. g.*

Innocentius porro habitum Pontificium indutus, Romam veniens magno cum honore susceptus est, peractisq; omnibus, quæ de more in consecrandis, coronandisque Pontificibus fieri consueta sunt, *b* tres ex Cardinalibus Legatos ad Fridericum misit, qui pacis articulos illi deferrent, & cum eo de pace tractarent. Beneuenti agebat tunc Fridericus, cum die 26. Iun. Indict. 1. congratulatorias Innocentio recens electo scripsisset, seque pacis cupientem esse renunciasset. Ad eum Legati accedentes, renunciarunt, Pontificem nihil prius magisue curare, quam vt arma à Friderico & Lombardiæ ciuitatibus Confœderatis deponerentur, paxque ab omnibus summopere desiderata, postliminio restitueretur. Cæterum quod sententiã excommunicationis à Gregorio in eum prolatam attineret, significarunt Legati in eo Innocentium esse, vt Fridericũ siue excusantem, siue accusantem patiẽter audiret: & si in quoquam contra debitum iustitiæ illum Gregorius vel Sedes Apostolica offendisset, paratum ei pro debito iustitiæ in omnibus satisfacere: pacemque ei & amicitiam deferre: dummodo Prælatos & Clericos Ecclesiarum, quos adhuc in vinculis detinebat, quosque, nunciis suis ad Innocentium electum missis, eliberare pollicebatur, cum honore dimitteret, Ecclesiæ ablata restitueret, iuribus & immunitatibus Ecclesiasticis Ecclesias & personas Ecclesiasticas sui permitteret, atque amicos & adhærentes Sedi Apostolicæ, & Ecclesiis ad pacis vsutam admitteret. Et quia sciebat Innocent. versipellem & contumacem Fridericũ velle excusare quæ perpetrauerat, dicereque, quia in nullo offendisset Gregorium

II. FRID. CONCILIARE ECCLESIÆ CONTENDIT.

b *ep. 84. Anonim 3. par. tit. 19. c. 5.*

rium aut Ecclesiam: ideo Legatis iniunxit, vt cumprimum audirent illum pernegare, ea quæ gessit, atq; asserere, quasi nō ille Sedem Apostolicam, sed Sedes Apostolica illum offendisset: illi mentionem Concilii volenti nolenti iniicerent, renunciarentq;, Pontificem paratum esse, omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Reges & Principes Christianos in aliquē tutum locum congregare, vt ipsi per se, vel per internuncios suos conuenirent, & ea quæ inter Greg. Pontificem & Frid. intercesserant, cognoscerent, indicarent, decernerent. Innocentium.a. promptum esse, ex consilio Generalis Concilii, & ex formula à Patrib. & Principib. præscribenda læso, si læso Frid. satisfacere, sententiamq; à Greg. latā, si iniusta & si opus foret abrogare, eūque dignitati & honori pristino restituere. Quod si ipse quoq; censuris Eccles. obnoxius, per sententiam eiusd. Concilij, ostenderetur; verumtamen facti eum pœniteret, & ab Eccles. tum erratorum indulgentiam, tum in posterum beneuolentiam, pacem & amicitiam postularet, Innoc. Pontif. brachia clementiæ exporrecta fore, vt eum paterno affectu amplecteretur, benigne admitteret, atq; cum omni mansuetudine, & misericordia, quantum cum honore Eccl. esset, ab eo satisfactionem de iniuriis Ecclesiæ, Eccles. ciuib. & quibuscunq; illatis susciperet. Hæc Innoc. per Legatos Frid. proponebat. *a* In longum vero protracta res, quatuor mensium tempus insumpsit, donec inter eos conuentum esset, vt Pont. ciuitatem Castell. accederet, eoq; loci Imp. operiretur, secum de componēdis reb. sermonem habiturum. In dolo faciebat Frid. sc. vt ex vrbe euocatum Pontif. facilius comprehenderet, ab eoq; in potestatem redacto, quæcumq; vellet extorqueret. Indicium eius rei dederat, nō modicum. Nam per id temporis *b* oēs aditus in Italiam, & in vrbem præcluserat, & custodias ad oēs angustias per quas aliquis erumpere vel irrumpere posset posuerat, dubius ne Rex Galliar. vel aliqui Hispan. ad quos Grego. demortui Legati subsidia postulaturi penetrauerant, eadem contra Frider. submitterent. Ad eum modum Frid. vultu & verbis amicus, animo & manu hostis cum Pontifice & Cōfœderatis agebat: & interim Ezelinum tyrannum, omnia susdeq; miscentem siue tolerabat, siue incitabat, vt armis & igne omnia in Gallia Cisalpina fœdaret: cum neque ipse in Samnio, & Campania, & Sicilia, & Apulia à violandis Eccles. amicis & ciuitatib. sese contineret: atq; Entium Sard. Regem cum Comite Flandriæ, contra Mediolanen. aduocasset, armassetq;, qui exercitu comparato eos diuexarent. Contra vtrumq; hostem, Greg. Montelongus Subdiac. Sedis Apost. Legatus in Lombard. ab Innoc. confirmatus, anathema strinxit, atq: exercitum ciuitatum Confœderatarum benedictione Apost. animauit.

a Platin. in Innocent.

b M.S. Vatic. de Ezelino & Anconin. supr.

III. QVODDAM SVMMARIVM GESTORVM INNOCENT. IV. HVIVS ANNI.

1. epist. 4. 2. epist. 53. 3. epist. 316. 4. epist. 144. 5. epist. 194. Anagn. 2. Id. Octobr. 6. epist. 379.

Hoc eod. an. inter tot turbines, 1. Episc. Parmens. cuius Ecclesiæ se alumnum fuisse fatebatur, Innoc. ab administratione Sacrorum suspendit, eo quod bona Eccl. illius per summam prodigalitatem & luxum dilapidaret. 2. pro reparatione mœnium Hierosolymitanæ vrbis collectam imposuit, & ad subueniendum Terræ S. omnes Principes inuitauit. 3. Contra hæreticos Italiam inficientes quamplurimos Inquisitores instituit, multaque saluberrima constituit. 4. Basilicæ Principis Apostolorum in vrbe Archipresbyterum Cardinalem præfecit. 5. Phil. Regis Castellæ filio in Clerum ascito, vt duos personatus seu duo beneficia Eccles. obtineret, indulsit. 6. ne aliquid pro Eccles. sepultura exigeretur, inhibuit, aliaque multa pro pace & commodis Ecclesiarum egit. Eod. an. Innoc. Pont. Prouincialem Poloniæ, Fratresq; eius curæ subiectos Ord. Præd. pro officio pastorali, ad Ruthenorum & aliarum nationum barbararum conuersionem procurandam hortatus est: multaque priuilegia, gratias, exemptiones, immunitates & indulgentias proficiscentib. inter gentes vel ad schismaticos concessit, datis ad Prouincialem literis. Laterani 11. Cal. Aprilis, quarum initium est: *Patri luminum.*

IV. MORS S. HEDWIGIS DVCISSÆ POLONIÆ.

c Sur. 15. Octobr.

Hoc an. ad Cœlos emigrauit S. Heduuigis Ducissa Poloniæ. *c* Filia fuit Principis Berthol. March. Morauiæ, Comitis Tyrol. Matrem habuit Agnetem non minori generis dignitate illustrem. Fratres illi fuere quatuor; tres sorores: quarum vna Phil. Regi Franc. nupsit, altera Andreæ Hungariæ Regi, cui peperit laudatissimam illam & nunc in cœlis gloriosam Elizabeth Thuring. Landgrauiam. Tertia soror Abbatissa fuit virginum Ordin. S. Benedicti. in monasterio Lutzingensi Franconiæ. Vnus fratrum eius Bertholdus Aquileiensis Patriarcha fuit, alter Elebertus Babergensis Episc. duo reliqui Otto & Henr. militiæ dediti patri in principatu successerunt.

V. BREVIS VITÆ S. HEDWIGIS SYNOPSIS.

Heduuigis vero optimis naturæ adiumentis instructa, à teneris pene vnguiculis in monasterio Lutzingensi, pietati & sacris literis admota fuit, quarum studio & tempus suę iuuentutis vtiliter expendit, atque ex earum intelligentia postmodum internam consolationem & deuotionis gratiam hausit excellenter. Cum.a. annos nata 12. haud vulgare de se pietatis & prudentiæ specimen præberet, præclaro Principi Henrico Silesiæ & Poloniæ Duci collocata est; quem illla instar Saræ ex voluntate maxime parentum coacta est suscipere. Coniugali vero vinculo alligata, ita liberis procreandis operam dedit, vt tamen continētiæ legem, quantum quidem ex mariti consensu liceret, sibi indiceret. Nam simul ac se concepisse sentiret, à viri toro vsq; ad puerperii completionem sese reuerenter abstinuit: editisque in lucem aliquot filijs, deinceps perpetuæ continentiæ se dedit. Vno enim animo pariq; consensu cum Episcopi benedictione, perpetuæ continentiæ votum non multo post emiserunt, in quo 30. circiter annos toro separati vitam duxerunt, castitatis pulchritudine mirifice decoratam. Cæterum quia nouerat, in carne præter carnem viuere, non minoris esse laboris quam meriti, ad complectendam conseruandamq; carnis integritatem & castitatem, quoscumque poterat inuitabat. Eius rei monasterium Trebnicense condidit, in quo multas fœminas pariter & virgines collegit, q̄ Domino in cordis & corporis puritate iugiter seruirent. Huic etiam suam filiam obtulit Gertrudem, quæ illic postea cæteris præfecta, Abbatissæ munus magna cū opinione sanctitatis administrauit. Insuper ipsa quoq;, Christi amore inflammata, eo se cum parua familiola inclusit, marito adhuc viuente: eoque religiosa animi pietate, similiter prope Monacho effecto. Et licet institutum monasticum ibidem professa non fuerit, videlicet vt misericordiæ operib. & consolandis pauperib. liberius posset vacare, habitum tamen Monacharum illarum induit, atq; cum in monasterio existeret, in seruando silentio aliisque monasterii institutis & legib. & vitæ asperitate omnes Monachas præcelluit. Sicq; conscientiæ puritate, bonorumque operum fructu, ita coram Deo & hominib. vtriusq; status vas omni sanctitate plenum apparuit, vt nemo id pro dignitate facile explicarit. Si quis quidpiam molestiarum illi intulisset, nihil ab ea audiebat aliud, nisi: Ignoscat tibi Deus. Ab esu carnium annis plus minus quadraginta omnino abstinuit. Dominica die, tertia & quinta feria, piscibus & lactariis vescebatur: Sabbatho & secunda feria aridis contenta leguminibus: quarto & sexto die panem solum aquamq; gustabat: vino quouis tempore vti nesciebat. In aduentu Domini, Quadragesimæ tempore, & Sanctorum vigiliis alias abstinentias adiungebat. Cæterū quia nouerat, in carne præter carnem viuere, non minoris esse laboris quam meriti, ad complectendam conseruandamq; carnis integritatem & castitatem, quoscumq; poterat inuitabat; corpusculum autem suum ieiuniis attenuatum & flagellorum ictib. liuidum aspero domabat cilicio, è setis equorum cōfecto, cui adiuncta erat similis generis zona nodosa, ad lumbos eius, rigide nimis adstricta. Lectus quidem ei, vt Principem fœminam decebat, præparabatur; at illa non in eo sed in tabulis ligneis, aut pauimento corio instrato cubabat; idque nonnisi somno, post diuturnas preces & vigilias, eam opprimente. Quod si debili & infirmo nimiumque fatigato corpori interdum plusculum indulgere vellet, in straminibus panno crasso opertis sese collocabat: culcitram molliorem, quantumlibet etiam ægrota, semper repudians. Porro cum in templis rebus interesset diuinis, adeo sese à cognitis ad incognita, de terrenis ad cœlestia, deq; visibilib. ad inuisibilia, lachrymarum imbre abūde perfusa transferebat, vt interdum insensibilis appareret. Vnde & diuini splendoris radios tanta quandoque intus copia percipiebat, vt nonnumquam corpus eius clara luce circumfusum è terra in aera sublatum cerneretur. Sciens.a. illa, presbyteros siue sacerdotes tantæ esse dignitatis, vt Dominum cœli & terræ tractent in Sacramento altaris, atq; ea conferant quotidie

sacramen-

sacramenta quibus diuina assistente virtute fidelis sanctificatur, & expiatur anima: Sacerdotes & omnes qui in Clero sunt tum sæculares, tum religiosos multa reuerētia prosequebatur, ac eximio honore afficiebat. Ad sacramentum Dominici corporis percipiendū accessura tam largiter flebat, tantoq; precandi, genua flectendi, corporisq; prosternendi studio occupabatur, vt intuentes non ad deuotionē modo, sed etiam ad lachrymas efficaciter promoueret. Aliquando visa est Cruci affixi imago, dextrum brachium à Cruce auulsisse, & manu protenta illā benedixisse. Habebat.a. permultas Sanctorum imagines & reliquias, quarum aspectu seipsam ad Christi amorem & venerationem Sanctorum excitabat. Inter has sanctissimę Dei genitricis imagunculam quandam præcipuo honore prosequebatur, eamque crebro suis, itura ad Ecclesiam gestabat manib. qua cum languidis interdum benediceret, ilico non sine miraculo, sanitatem consequebantur. Insita ei erat egregia animi clementia, quam cum Christi pietas plurimum augeret, tum matrem se omnium pauperum, & præcipue viduarum atque orphanorum eximiam exhibebat consolatricem, & apud Ducem maritum fidelissimam aduocatam. Non paucas quoque puellas parentibus & amicis orbatas, singulari, apud se humanitate fouebat, singularumque saluti diligenter prouidens, alias matrimonio, alias monasteriis tradebat. Habebat præterea in aula sua tredecim afflicta valetudine pauperes, quos in Christi & Apostolorum eius honorem incredibili charitate tractabat, ita vt discumbentibus non tantum communi officio ministraret, sed & flexis genib. singulis cibos apponeret, verbisq; dulcissimis consolationem pręberet. Pro promiscua vero pauperum turba, singularem culinam & ministros quoq; singulares deputatos habebat, qui egentibus victui necessaria sedulo ministrabant. Miracula admiranda innumerabilia gessit, & spiritu prophetiæ claruit. Imminente mortis hora cœlestium ciuium visitatione ad patriam claritatis æternæ inuitata fuit. Nam in agone constitutæ, SS. Magdalena, Catherina, Tecla, Vrsula, aliæq; nonnullæ multa luce conspicuæ illi apparuerunt; in quarum comitatu sanctissima eius anima, mortalitatis vinculis soluta, ad Christum migrauit. Septimus dies Octob. Id. numerabatur, quo cœlestibus ascripta est. *a* Corpus eius, quod croceum, dum vixit, propter rationem victus duram ac tenuem, assiduaque ieiunia fuerat, post mortem insolito splendore coruscauit, Deo testimonium perhibente pietati & sanctimoniæ illius. Tertio demum & vicesimo anno post, à Clem. 4. Pont. Max. in numerum Sanctorum, examinato bene ac diligenter negotio, relata est.

a Cromerus lib. 8.

VI. FERDINANDVS REX CASTELLÆ GIENNAM, RECIPIT A MAVRIS.

b Mariana lib. 13. cap 3.

Hoc an. *b* Ferdinan. Rex Castellæ, à Granatensium Rege Mauro, Giennam ex fœdere recepit. Solenni supplicatione portas inuectus, muro refecto, temploq; expiato, illud ex ritu Christiano sacrandum curauit. A Guterrio Cordubensi Episcopo perfecta ceremonia, quæ maior religio esset, nouo in ea vrbe Episcopo constituto.

VII. QVAM DVELLA DEO DISPLICEANT, MORTE SPECTATORVM OSTENDITVR.

Eod. an. Deus per miraculum ostendit, quam acri odio prosequatur duellationem, omni iure interdictā. Ad Nussiam nobile oppidum supra Rhenum quam plurimi Duces, Comites & Nobiles conuenerant, & torneamento decertarent. Interfuit inter eos & Comes de Castris, & Fr. Bernardum Ord. D. Dominici insignem per id temporis verbi DEI præconem, cum lachrymis vt arma deponerent monentem irrisit, torneamētumq; primus infelicium inchoauit. Viderunt qui adfuerant, in aere quasi glebam quandā latissimā superferri, ac plures volucres generis coruini circumuolitando crocitare. Creditum est aterrimos spiritus species volucrum assumpsisse, & permissione Diuina homines illos immanes castigasse. Præter trecētos enim, quatuor & sexaginta cæsos, plurimi spectatorum in væsaniam, alii in ęgritudines incurabiles inciderūt, vt nullus tunc ambigeret, ludum illum cruentum, vltione diuina dignum extitisse. Inter eos primus Comes de Castris, qui Fratri Bernhardo monitori cōtradixit, occisus est. Ead. nocte, iuxta Ischam villam Brabantiæ, in speciebus militum armatorum, multa agmina dæmonum apparuisse, lætitiamq; ingentem ex ea clade prę se tulisse, cognitum est. *Thomas Cantipratan. lib. 2. c. 49.*

IESV CHRISTI

Annus 1244.

INNOCENTII PAP. IV. Annus 2. BALDVINI II. Imp. Orient. 16.

I. FEVDVM ACHAIÆ SOLEMNI RITV A BALDVINO CÆSAR. WILLELMO DATVM CONFIRMAT INNOC. IV.

c epist. 636.

SVperiore anno, Nonis Maij, in Castris apud Constantinopolitanam vrbem: & paulo ante Calendis Martii, in Palatio Blachernarum, Balduinus Imperator, VVihelmo Veronensi, & Elenæ eius coniugi, nepoti Demetrii Regis Thessalonicarum, concesserat in feudum illud ipsum Regnum. Ea, quam vocant, inuestitura: vt perpetuo perseueraret, ad preces vtriusque Innocentius Pontifex confirmauit, datis litteris anno præsenti millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, qui adhuc erat Pontificatus primus, *c* Nono Calendas Maii. Quo etiam die confirmauit castrum Pilapremum, vtriq; Principi à Balduino apud Blachernas concessum, & ab his permissum, Francisco, Conrado, Bonifacio & Agneti filiis Helenæ Reginæ Thessalonicæ. Cæterum cum Achaiæ Princeps maximis sumptibus oneratus fuisset, in submittendis auxiliis, Balduino Imperatori contra schismaticos depugnanti, *d* concessit ei Innocentius Pontifex hoc ipso anno scripto Laterani ad XVII. Calend. Iunii diplomate, vt omnes fructus in suo Principatu, ad Imperium pertinentes colligeret, inque vsum suum conuerteret, dummodo centū armatos milites, & mitteret, & aleret, in subsidium Imperii Constantinopolitani. Et ne quispiam ei negotium facesseret, *e* indulsit, ne quis vel ordinarius vel delegatus, vel subdelegatus in eum Ecclesiasticum gladium exerere posset. Insuper Petro Supino scriptori & Nuncio sedis Apostolicæ in Oriente commisit, vt eius Principis magnam rationem haberet.

d epist. 705.

e epist. 616. Lat. 11. Cal. Maii.

II. SVMMARIVM ALIQVOT GESTORVM INNOC. IV. HVIVS ANNI.

1. epist. 10. 2. epist. 637. 3 epist. 638. 4. epist. 372. 5. epist 516. 6. epist. 416. 7 epist. 416. 8. epist. 9. 9. epist. 681.

Hoc ipso anno, 1. Innocentius Colomanno in Bulgaria imperanti, vt schismaticos ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ, missis ad eos doctrina & pietate illustribus viris reduceret, iniunxit. 2. Inter Regem Angliæ & Comitem Prouinciæ concordiam iuramento firmatā approbauit. 3. Reginæ Angliæ ab Henrico Rege marito dotem assignatam, ad vtriusque petitionem confirmauit. 4. Priori Parisiensi ordinis Prædicatorum, vt Comitem Flandriæ à Gregorio Montelongo sedis Apostolicæ Legato, propterea quod cum Entio contra Lombardos militauerat, anathemate damnatum, ab excommunicatione absolueret, potestatē fecit. 5. Fratri Rolando Cremonensi Ordinis Prædicatorum, vt contra Ezelinum de Romano contemptorem clauium Ecclesiæ & Italiæ turbatorem inquisitionem institueret, illumque in loco aliquo vicino & securo coram populi multitudine vocaret, argueret, castigaret, & damnaret, præcepit. 6. Regi Galliarum S. Ludouico, vt Capellæ illius quam pro conseruatione spineæ coronæ Dominicæ magnificentissimo sumptu ædificauerat, Capellanos pro tempore nullus incommodare, aut inquietare possit, indulsit. 7. Archiepiscopo Prussiæ, vt ante se Crucem deferri faciat, concessit. 8. Fratres aliquos Ord. Minorum, ad Principem Tartarorum destinauit. 9.

III. S. LVDOVICO SCRIBIT NE THALMVD IVDÆORVM ET ALIA IN SVO REGNO VVLGARI PATIATVR.

Iudæos in regno Galliarum, ne libros Thalmud & reliquos in probrum Christianæ religionis vulgarent, datis litteris illustri Regi Franciæ, repressit. Ita habent.

Impia Iudæorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum redemptor noster velamen non abstulit, sed in cæcitate, quæ contigit ex parte in Israel adhuc manere permittit, prout conuenit, non attendens quod ex sola misericordia pietas ipsos Christiana receptet, & cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia, quæ stupori audientib. & referentib. sunt horrori. Ipsi.n. ingrati Domino Iesu Christo, qui conuersionem eorum ex suæ longanimitatis affluentia patienter exspectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ suæ, nec reuerentes honorem fidei Christianæ, omissis seu contemptis lege Mosaica & Prophetis, quasdam traditiones suorum seniorum consequuntur, super quib. eos in Euangelio obiurgat Dominus dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei, & irritum fecistis propter traditiones vestras: hominum doctrinas & mandata docentes? In huiusmodi namq; traditionib. (quæ Thalmud Hebraice nuncupatur, & magnus liber est apud eos, excedens textum

Biblia in immensum, in quo sunt blasphemia in Deum & Christum eius, ac Beatam Virginem manifesta, intricabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ) filios suos docent, ac nutriunt: & à legis & Prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos: verentes ne veritate, quæ in eisdem lege & Prophetis est, intellecta, aperte de vnigenito Dei filio venturo in carnem, testimonium perhibente, conuertantur ad fidem, & ad redemptorem suum humiliter reuertantur. Et his non contenti, faciunt Christianas filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei Christiani, cum quib. turpia multa committunt: propter quæ fidelib. est verendum, ne diuinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patientur indigne, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Et licet dilectus filius Cancellarius Parisiensis, & Doctores regentes Parisijs in sacra pagina, de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri tam præclarum abusionis librū, quam alios quosdam cum omnibus glosijs suis perlectis in potestate, ac examinatos ad confusionem perfidiæ Iudæorum, publice coram clero & populo incendio conuremerint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tanquam Catholicus Rex & Princeps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruū & fauorem, pro quo regalem excellentiā dignis in Domino laudib. cōmendamus, ac persequimur actionibus gratiarum: quia tamen nondum Iudæorum ipsorum abusio profana quieuit nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinē regiam attente rogamus monemus & obsecramus in Domino Iesu Christo, qui excessus huiusmodi detestabiles & enormes commissos in contumeliam creatoris & iniuriam nominis Christiani pie incepisti, laudabiliter prosequendo, faciens debita seueritate percelli, tam prædictos abusionis libros, reprobatos per Doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, vbicunque reperiri poterunt, igne cremari firmiter inhibendo, ne de cætero nutrices seu seruientes habeant Christianas, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ, sed tanquam serui reprobati à Domino, in cuius mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectū operis seruos se recognoscant illorum quos Christi mors, & ipsos liberos & illos constituit esse seruos: vt proinde sinceritatis tuæ zelum posterum in Domino dignis laudibus commendare. Laterani VII. Id Maii.

IV. RAYMVND. COMES TOLOS. TOTIES REL APSVS SED RESTITVITVR.

Eodem anno, Raymundus Comes Tolosanus, paulo ante à Ferrario Guillelmo & Raymundo Ordinis Prædicatorum contra hæreticam prauitatem Inquisitorib. propter relapsum & facinora multa commissa, à cœtu fidelium segregatus, & anathemate damnatus, in vrbem venit: & pedibus Pontificis aduolutus, errores admissos summa cum animi demissione agnouit. & Ecclesiæ reconciliari, anathematis vinculo exsolui, sanctorumq; communioni restitui postulauit. Vidit Innocentius supplicis pœnitudinem, & vt erat benignus, sinum clementiæ ille aperuit, Archiepiscopoque Barcensi potestatem fecit, qui eum ad gremium Ecclesiæ reciperet, à sacro nodo absolueret, & sacra communione sanctorum dignum efficeret. Quod cum is præstitisset, eam rem Innocentius S. Ludouico Regi Galliarum significauit, vtque & ipse de peccatore pœnitentiam agente in terris exulet, admonuit. 10. Data Epistola ipsis Cal. Ianuarii Laterani. Quo in loco pariter, omnia priuilegia atque bona Cœnobio Sancti Xisti in vrbe, Monialibus Diui Dominici institutum professis confirmauit, 11. dato diplomate per manus F. Iacobi Ord. Præd. S.R.E. Procancellarii. Cal. Martii. Indict. 2. anno 1244. Pontificatus an. 2. exeunte.

10. ep. 501.

11. ep. 501.

V. PRÆDICAT. MITTITVR IN ORIENTEM INNOC. *Cranzius hist. tropol. lib. 8.*

Hoc ipso anno Innoc. Magistro & Fratribus Prædicatoribus Terræ sanctæ, vt Fratres ad prædicandum Iacobitis, Nestorianis, Gregorianis, Armenis, Græcis, Maronitis, Mosolinis, & aliis nationibus similibus missi, possent illis excommunicatis in verbis, officio & cibo communicare, non tamen in eorum Ecclesiis diuinam rem facere: insuper & ad Ecclesiam Romanam reuerti volentes, vtà censuris Ecclesiasticis exsoluere possent concessit. Scripto diplomate Laterani XI. Cal. April.

VI.

Paulo autem post scilicet 6. Id. Maij, datis litteris, omnia bona Cœnobio S. Mariæ Viterbiensi à Raynerio tituli S. Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinale oblata & donata confirmauit, inq; protectionem sedis Apostolicæ recepit.

Eod. an. F. Adolp. olim Comes Holsatiæ Innoc. Pontificem adiit, rogatum, vt sacris initiari, cum dispensatione Apostolicæ sedis posset. Eam permissione Pontificis à Fratribus Ord. Præd. in hac forma reportauit.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, frater Raynardus & Fr. Gerhardus Domini Papæ pœnitentiarii, salutem in Domino. Noueritis, quod nos audita confessione Fratris Adolphi Ordinis minorum Fratrum, præsentium exhibitoris, eidem super omnibus articulis pro quibus duxerat ad sedem Apostolicam laborandum, & similib. siue minoribus, si quos in obliuionem deduxit, de speciali mandato venerabilis patris nostri Ottonis S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, cui Dominus Papa plenariam super hoc concessit potestatem, beneficium absolutionis impendimus, & vt ad omnes sacros ordines promoueri valeat dispensauimus cum eodem, iniuncta sibi pœnitentia salutari. Datum Laterani X. Cal. Maij. Pont. Innoc. IV. anno 1. Reuersus in patriam idem F. Alphonsus Subdiaconus, gradum Diaconatus à Ioanne Episcopo Magistro Ordin. Præd. presbyterii autem à Ioanne Lubicensi Episcopo adeptus est.

VII. FR. ADOLPHVS MINORVM DVX HOLSATIÆ ORDINIBVS SACRIS INITIATVR DISPENSANTE PAPA.

Per hæc tempora Raceburgensis Ecclesia Pontificem habuit insignem virum Ludolphum. Hic vir perfectus erat, & cunctis virtutibus adornatus, qui pro Ecclesia sua in longa persecutione martyrium fecit sub Duce Saxoniæ Alberto: eo quod vineam Naboth, hoc est Ecclesiam suam noluit dare in hortum olerum, hoc est transferri ad vsus prophanos, & quod domum Dei Curiam videlicet suam Episcopalem Richan noluit fieri spelunca latronum. Antequam per tormenta deficeret, nocte præcedente cœnam Domini, qua diem expectabat extremum, duo ex fratribus ad eum venientes, poculum salutis ei dederunt, quo confortatus viribus receptis, ipso die cœnæ officium suum deuotissime peregit, & vt pie creditur, duo illi fratres qui poculum tradiderunt, antecessores sui Episcopi Euermodus & Godfridus fuere. Nam vnde venerint, quo abierint, vidit nemo. Multis miraculis sanctitatem illius Deus illustrauit, quam etiam posteritas his versibus artificiosis aliquantum expressit:

VIII. DVX SAXO. LVDOLPH. EPISC. RACEBVRGEN SEM MARTYRIO CORONAT. *Cran. sxiiii sup.*

Gemmula pastorum, lux fulgens, regula legis,
Pastorum speculum, iuuenum Dux, senis icona,
Lux iuuenum clara, reparator gloria plebis,
Fulgens dux, reparator cleri, pacis amator,
Regula senis, gloria pacis, formula dulcis,
Legis icona, plebis amator, dulcis adesto.

Eosdem reperies versus, si singulorum dictiones primas iunxeris sit versus primus: inde si secundas singulorum iunxeris, fit versus secundus: & si tertias, tertius, vsq; in finem ita deinceps.

Claruerunt etiam hoc tempore, præter alios tres viri illustres ex Ordine Prædicatorum, Petrus Scendra Cathalanus, Isnardus, Vicentinus, & Gualla Bergomensis. Petrus Scendra tredecim cecis lumen restituit, surdis quatuor auditum, sex claudis gressum, quinq; contractis vsum membrorum, ægrotos deplorataæ valetudinis viginti quatuor solo Christi nomine ad vitam reduxit. Forte aliquando ita casus tulerat, vt in frequenti populo viro Dei concionāte, mulier quædam omni officio membrorum destituta, cupiens virum sanctum adire, vt ex hoc pristinæ sanitati restitueretur (se enim illuc portari fecerat) à multitudine prohiberetur. Expectauit interim donec omnes recederent: & ad locum in quo virum Dei insedisse notauerat accedens, inuocato prius D. virginis patrocinio & nomine viri Dei, corticem salicis detraxit, membrorumq; suorum contractorum iuncturas confricauit. Mirum visu: cæperunt se nerui extendere, ac vsum membris restituere, quorum officium ita mulier assecuta est, ac si numquam calamitatem illam passa fuisset. Isnardus quoque claudis quinque incessum, surdis quatuor audiendi facultatem, mutis duobus loquendi vsum, cæcis tribus lucem, tribus contractis manuum officium, solo tactu manus integrauit. Puerum quoque quendam, de cuius vita iam omnes desperauerant, facto signo Crucis, & Christi nomine inuocato multis videntibus ad vitam reuocauit. Iuuenes nonnullos in amne Pado periclitantes, eiusque patrocinium implorantes, miro quodam modo à submersione liberauit. Paralysi resoluta mulier, eius ciborum reliquias comedens conualuit, atidam cu iusdam manum sola saliua persanauit. Oculo suo sancto hydropicus denuuit. Paralyticum quatuordecim

IX. *Leand lib. 5.* TRES VIRI ILLVSTRES EX ORDINE PRÆDICATORVM ET SANCTI.

annis

annis iacentem in grabbato, inuocatione Christi nominis incolumem dimisit. Dicentib. hæreticis, si Isnardus Martinum à Diabolo obsessum liberauerit, continuo cum Deo gratum esse credemus: Martinum exosculans ab impuro Satana expiauit. Antequam ad cœlum emigraret, cuidam ex Fratrib. cœnobii Papiensis, mortem eius reuelauit. Clerum enim & populum Papiensem ad cœnobium Papiense progredi aspexit: & quēpiam ex Patrib. eius cœnobii in patronum sibi dari, flagitare audiuit. Intellexit Isnardus mortem sibi propinquare. Quam vt læto vultu exciperet, sacramenta Ecclesiastica deuotissime postulauit & suscepit, cum toto tempore vitæ suæ, castitatem illibatam conseruasset, neque vllo crimine se vmquam contaminasset. Vita functus, miracula plura fecit. Par superiorib. Gualla Bergomensis, is quem Gregorius Nonus Pont. Max. Legatum ad Imperatorem Fridericum, & Ciuitates Confœderatas destinarat, & is qui in morte D. Dominici geminas scalas Cœlo demissas, quarum alterum Deiparens, alterum redemptor humani generis sursum attraheret, animamque Dominici assumeret, conspexerat. Aliquot annis Episcopatum Brixianum dicitur administrasse: eaq; dignitate reiecta, sanctam viram in cœnobio duxisse: ac in primis pauperibus, infirmis, peregrinisq; officia charitatis impendisse. Interfuit cum aliis an. Dom. 1233. ei celebritati, in qua D. Dominici sacrum corpus, non sine miraculorum gloria, in aliud sarcophagum illatum est.

X. INNOC. IV. CONTRA FRID TOTIES REBELLEM ECCL. GENERALE CONCILIVM INDICERE COGITAT IN GALLIIS.

Dum autem hi & alii viri illustres, doctrina, sanctitate, & miraculis Ecclesiam illustrarent, Frideric. à persequenda non quieuit. Conuenerat inter eum & Innocentium Pontificem, vt ad concordiæ rationes inueniendas & stabiliendas, apud Ciuitatem Castellanam congrederentur. Aderat Innocentius, & aliquanto tempore in eadem Ciuitate consederat, (indidem enim in Ciuitate Castellana, ad XV. Calend. Iunij Constitutionem edidit, ne Nouitij Ordinis Prædicatorum, ante annum probationis expletum, sacro professionis voto illigarentur) aduentum Imperatoris operiens, & frequentiorib. Nunciis ad eum missis, inuitans ad congressum. Cæterum ille, alteri rei quam paci sanciendæ intentus, ab armis non quiescebat. In Gallia cisspadana Ezelinus censurarum Ecclesiæ contemptor, eius nomine omnia populabatur: Entius Sardiniæ Rex Mediolanensem agrum inuaserat, & vastabat: ipse Fridericus Campaniam, Samnium & reliqua superioris Italiæ cædibus implebat: quoque Pontifici addictos sciret, vel in ergastula coniiciebat, vel morti cogebat. In his Theobaldum, Franciscum & Guillelmum Comites Sancti Seuerini, pluresque alios Proceres, qui apud Neapolin hoc anno 1244. mense Martio ab eo ad Pontificem defecerant, captos, immanibus adscripsit iudiciis, pluresque eorum ardenti flamma exussit. Vxores vero cum infantibus in Palatio Panormitano subterraneis latebris deuotas inedia conteri, ac exinaniri mandauit. Vnde ad multa sæcula adagium ibi inoleuit: *Mulieres, quæ male Panormum venerunt.* quorum eadauera duo, anno Domini 1514. à fossoribus, qui ea ad carceres in arce reficiēdos forte inciderant reperta, integra prope cum vestib. etiam incorruptis maximo cum stupore tota Panormitana ciuitas spectauit. Porro non tantum ista, sed & alia multa Fridericus contra inno centes patrauit, nihilque aliud tentauit, quam vt Innocentium in potestate sua haberet, atque iura & bona reliqua Ecclesiæ Romanæ eriperet. Quodq; maius est, Viterbium sub oculis Pontificis diripuit, Montem Falisc̄um & Aquampendentem occupauit, & alias Latii atque Tusciæ ad Pontificem spectantes ciuitates vexauit. Non itaq; diutius sibi expectandum putauit Innocentius, sed in Gallias ad Ludouicum Regem qui inuitauerat transeundum, vt ibi Concilio Generali conuocato, vniuersis & singulis ostenderet, iuste Gregorium in Fridericum anathema strinxisse, iniuste autem Fridericum in Ecclesiam & Ecclesiæ res & personas coniunctas arma sumpsisse. Terrestre iter non satis tutum Innocentio visum fuit, Fridérico omnia obsidente, omnesq; que transitus & exitus armis custodiente. Quamobrem Genuensium classem apud Ostiam nocte festiuitatis SS. Petri & Pauli Apostolorum, cum 7. Cardinalibus conscendit, prosperaque vsus nauigatione, primum Genuam, deinde Lugdunum Galliæ inuectus est.

Chron. Bos. sian. & Fazellus de rebus Sicul.

Hoc anno assumpto inter Cardinales Octauiano Bononiensi Episcopo, viro multis Legationibus, in Lombardia videlicet, Apulia & Francia pro Ecclesia susceptis clarissimo, successit ad Episcopatum Fr. Iacobus Boncambius, Bononiensis, Ord. Præd. ex Vicecancellario Innocentii Quarti. Hic tanta eruditionis, & facundiæ gratia fuit ornatus, vt ex diuersis Prouinciis plures ob eius nominis celebritatem Bononiam eum audiendi causa accedererit. Maxime in conciliandis animorum dissidiis pollebat tanta authoritate, vt quod Octauianus perficere non potuerat, ipse diligentia est assequutus, vt Ciues capitali inter se iampridem odio dissidentes conciliarit, scpe & Christianæ pietatis, & publicæ saluris admonitos. Is anno 1260. ad III. Non. Decembris mortuus propter eximiam probitatem à suis inter Beatos relatus est. *Carolus Sigonius libr. 2. de Episcop. Bonon.*

XI. OCTAVIANVS BONONIENS. EPISCOP. FIT CARDIN.

Hoc etiam anno, locustarum ingens multitudo Tusciæ agros infedit, omniaq; virentia exedit. Laudę infans gemino capite natus est. Mediolani peste & fame adeo laboratum, vt repletis vrnis ac locis sacris passim per agros charissimorum cadauera indefleta humarentur.

XII. LOCVSTÆ, MONSTRA, PESTIS ET FAMES.

IESV CHRISTI
Annus 1245.

INNOCENTII PAP. IV. Annus 3. BALDVINI II. Imp. Orient. 17.

Lvgdunum aduerso Rhodano Pontificē delatum, Ludouicus Rex summa veneratione excipi curauit. In ea *a* vrbe cum Generale Concilium Innocent. celebrare decreuisset, suæ inprimis consuluit honestati. Quoties enimcumque ad populum sermonem haberet, (habebat autem quolibet solēni die) toties Fridericum alta inclamauit vocę, orans & admonens, vt pacem amplecteretur, vtque Lugdunum se conferret & ad ea responderet, quæ aduersum se prō iuribus Ecclesiæ consequendis habebat. Protestabatur interim, vt si non accessisset, fatisq; postulatis fecisset, ipse patrum vetere instituto Concilium conuocaret. Quumq; orando & monendo nihil proficeret, Synodum Generalem, omnib. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis Patrib. Ecclesiæ apud Lugdunum ad D. Ioannis Baptistæ solemnitatem proxime futuram indixit: eaque de re Imperatorem Balduinum, qui per id temporis Constantinopoli redierat, & conciliando Imperatori cum Ecclesia operam suam Romæ præsens interposuerat: tū Reges Galliæ, Hispaniarum, Angliæ, & reliquos, admonuit simulq; vniuersos & singulos obsecrauit, vt vel coram interessent, vel Nuncios mitterent ad Synodum, in qua de rebus ad fidem pertinentibus, de conseruatione Ecclesiæ, de prouidendo reb. Imperii Romani afflictis, de pacificanda Italia, de reprimendis excursib. Tartarorum in partibus Christianorum, de morū reformatione, & veteris disciplinæ Christianæ tum in clero tum in populo instauratione in cōmune consulerent. Cumque Nunciis & litteris ad Fridericum missis, illum quoq; inuitasset, siue adeo in iudicium Orbis authoritate Apostolica citasset, eam rem omnib. Principibus Christianis, & Patrib. Ecclesiæ significauit. *b* Datis litteris Indictionis Concilii Lugduni III. Non. Ian. Pont. an. secundo nondum expleto.

I. *a Blondus dec. 2. lib. 7.* PONTIFEX LVGDVNVM VENIT ET SYNODVM GENERALEM IBID. INDICIT.

b epist. 3.

Cum autem ex omnibus Orbis Latini partibus Pontifices Lugdunum conuolarent: Innocentius Pontifex, vt sanctioris consilii Patrum numerum expleret, quos Friderico debacchanti obiiceret, quorum que consilio in rebus grauissimis vteretur, duodecim Cardinales ex diuersis nationib. inprimis delegit, eisq; galeri rubentis deferendi potestatem fecit, vt videlicet scirent, capita sua pro Ecclesiæ libertate tuenda offerre ad mortem etiam debere, præsertim illo tempore quo Fridericus contra omnes Ecclesiasticos sæuiret. Non defuit quoque sibi Fridericus, sed cum se ad Concilium vocari intellexisset, Pascha Dominico Capuæ celebrato discessit, & Romam prætergressus, Viterbiensem agrum secundo populatus est. Mox Ameria, Aquen-

12. CARD. CREAT INNOC. ET ILLIS PRIMVS RVBRVM GALERVM ASSIGNAT.

sibus,

sibus,Senis, Pisis,Pontremulo, Parma, Boipallo,pertransitis, Veronam accessit. Ibi Conuentu Principum indicto, coram eis in publico confessu Innocentium Quartum grauiter accusauit,& seipsum excusauit,dicens se duos ex primoribus Aulæ Palatinæ Petrum Vineam Campanum, & Thaddeum Suessanum ad Pontificem misisse, qui omnia honesta & iusta Pontifici exposcenti nomine suo pollicerentur. Neq; his contentum, etiam Imperatorem Balduinum & Raymundum Comitem Tolosanum iterato destinasse, qui pacem & concordiã stabilirent. Cæterum quod ea specie magis,quam animo tractasset, & pacis mentione iecta, Pontifici insidias strueret, neque facile homines posse, aut debere fidem dictis habere præsumeret,ad artes conuersus istud excogitauit.

M.S.Vatic. de Eccelino.

II. FRIDERICVM INSE CELEBRANDVM SCIENS CONCILIVM, DAT ENCYCLICAM, AD ORBIS PRINCIPES PVRGATORIAM.

Præsenserat, imo certo certius ex Nuncijs intellexerat, Innocentium Pontificem eo animo Concilium Lugduni indixisse, vt sibi contumaci Imperium abrogaret. Quamobrem, quod sciret totius Orbis Patres & Principes in deliberationem venturos, omnes præoccupandos esse existimauit. Dedit itaq; ad eos, in modum qui sequitur circulares,à Petro Vinea Iurisconsulto suo conceptas.

*Fridericus Dei gratia, &c. omnibus præsentes litteras inspecturis dilectis fidelibus & amicis suis gratiam suam & omne bonum. Assumpto ad regimen vniuersalis Ecclesiæ isto summo Pontifice, in applausum promotionis & honoris sui misimus ad eum solemnes nuncios & Legatos nostros Archiepiscopum Panormitanum, Magistros Petrum de Vinea & Thaddeum de Suessa magnæ Curiæ nostræ iudices dilectos fideles nostros, quos prædictus summus Pontifex occasione sententiæ dudum latæ contra nos cui ipsi communicabant, & communicauerant non admisit. Demum ne occasione prædictæ pacis tractatus & initium differretur, licet contra nos latam per olim Gregorium summum Pontific. multis & euidentib. rationib. crederemus indubitabiliter esse nullam: nihilominus tamen promisimus per prædictos Nuncios nostros & Panormitanum Archiepiscopum, quod Lombardos, Tuscos in galeis captos & alios omnes occasione discordiæ libere liberabimus, & ab omnibus iuramentis & obligationibus quibus obligassent se nobis post captionem absolutos omnes, tam eos qui liberati sunt, quam qui postea liberabuntur: & super hoc & litteras nostras dabimus fidelibus nostris qui capti sunt vbique per detentores inuicem liberandis. Alios omnes captiuos captos occasione discordiæ prima vel secunda, tam clericos quam laicos libere permittemus & scutre redire ad propria, & permanere secure in possessionibus & rebus eorum, bonis integre restitutis. De discordia autem Romanorum volebamus stare ordinationi Domini Papæ & Fratrum, tam de restitutione damnorum datorum in guerra, quam de aliis, ita tamen quod statuatur de secura indemnitate nostrorum & excepto Castro Ancli, de quo nullatenus compromittere volebamus. De damnis datis per nos, officiales & baliuos nostros prælatis, Ecclesiis tam religiosorum quam secularium, vel aliis de mandato nostro post sententiam latam in nos satisfacere volebamus secundum prouisionem & benignitatem sedis Apostolicæ, quacum parati essemus omnia obseruare, Dominus Papa motus propterea, quod nolebamus in eum super negotio Lombardorum de iuribus scilicet & regalibus nostris compromittere, negat & differt absolutionem nostram. Volentes de manifestis pro quibus excommunicati fueramus ab homine vel canone satisfacere, & emendam præstare, & de dubiis satisdare, dummodo nobis exprimantur ea quæ manifesta, & in causa manifesti esse Dominus Papa dicat. Ad ostendenda præterea maiora deuotionis signa misimus prædictos Magistros P. & T. mandatarios plenissima authoritate generalium & singularium mandatorum & litterarum quas prædicti Nuncii postquam iuerunt de mandato summi Pontificis tribus Cardinalibus ostenderunt, per quæ manifesto constabat, quod super omnibus & singulis Capitulis quæ manifesta erant satisfacere poterant, & volebant, ostendentes etiam solemnes nuncios paratos, quos secum ad Romanam Curiam duxerant mittendos pro exequendis omnibus prædictis per singulas partes Imperii & Regni nostri, mora qualibet & ambiguitate remotis, & cum prædicti Nuncii instanter instarent, vt si qua alia Dominus Papa manifesta haberet & exprimeret, & etiam responderet si sibi placeret in singulis, modus satisfactionis oblatus, neutrum istorum obtinere potuerunt, nisi quod Dominus Papa terram sibi simpliciter postulabat, & alia suo consilio reseruabat: adiiciens quod omnia quæ manifesta erant nesciebat ad præsens, & quod multa manifesta sciebat, quæ tunc dicere non valebat. Quod cum prædicti Nuncii nimis periculosum asserrent, terram s. restituere, & nos quodammodo demunire priusquam pacem per Ecclesiam haberemus, & particulariter satisfacere, & sic diu postea dum aliquis articulus excogitandus superesset, qui manifestus diceretur, in excommunicatione manere, supplicabat instanter, vt de oblatis, & secundum oblatum modum si sufficiens videretur satisfactione recepta, & satisfactione de dubiis super modo & tempore absolutionis nostræ certitudinem responderet, aut quod saltem alicui ex fratribus qui non plus nos absolueret, quam de præsentibus manifestis, aut aliis quæ ad præsens designarentur satisfactio sequeretur, quod ab ea occasione Lombardorum vt dictum est, licet de ea non palam sed clam & per alios faceret mentionem nullatenus potuit obtineri Imperatore Constantinopolitano qui præsens erat, & casum Imperii Romani, & fere totius orientalis terræ miserabiliter causabatur, ner non Comite Tolosano & quampluribus aliis nobilibus & religiosis viris suppliciter instantibus & nequeuntibus obtinere. Medio tamen tempore dum de consummatione pacis vt dictum est cum instantia tractaretur, & nos tam Ciuitati Viterbii quæ cordis nostri nerutum tam amaro dolore pertigerat vt est dictum, quam aliis terris Ecclesiæ pacem mandauerimus exhiberi, subito super securitate pacis ipsius ciuitates & loca quæ terris Ecclesiæ & specialiter Viterbien. contra fideles nostros ipsarum partium hostilem facientes insultum, prout dabatur cuilibet opportunitas succedere multos ex nostris expoliauerunt bonis, manciparunt carceribus, & nonnullos miserabiliter occiderunt, quasi quidam temporis opportunitate captata, quo sub vmbra pacis fideles nostros offenderent in personis & rebus, propter quod ad defensionem nostrorum infidelium ex Imperialis officii debito: quamquam rationabiliter prouocati, non tamen adiicimus super firmitate pacis consummatione tractatus, instantissime re petentes, vt liquidis designatis de quibus ante absolutionem petebatur omnimoda quantitate & qualitate satisfactionem expressus absolutionis nostræ modus nobis & terminus diceretur. Denig, si quæratur, ante sacramentum non fuerunt hæc omnia terminata & specialiter negotium Lombardorum? Respondetur, quod Lombardorum quæstio ante sacramentum tractata extitit & decisa, quamquam Dominus Papæ, si dicere liceat, aliud in corde gereret, quam in voce proferret. Cum enim tractata fuisset contentio de Lombardis, & Papa constanter instaret, vt præcise compromitteretur in eum, sicut in Dominum Gregorium fuerat aliquando compromissum, & responderet ei, quod tunc quando compromissum fuit in Papam Gregorium erat amicus noster, nec nos excommunicatos habebat sicut vos habetis, & quia iam experti sumus periculum, huiusmodi materiæ de compromissione in Ecclesia facienda, per quam nedum quod nihil commoditatis fere per XV. annos haberemus, imo incommodum reportauimus, dum CCCC. milites ad quos pro multis offensis Dominus Honorius, & quia propter Lombardos ex compromisso in eum facto condemnauerat Gregorius contra nos exsilientes pro seruitio Iesu Christi in partibus transmarinis transmisit in Regnum, tandem petiit, vt quia Ecclesia se ad hoc Lombardis obligauerat, quod aliter nobiscum pacem non faceret nisi poneret ipsos in pace, vt Lombardis rebellibus Imperii quos Ecclesiæ adherentes vocabat pacem daremus & liberaremus captiuos eorum, quod cum Nuncii supradicti de datione pacis concederet captiuos, tamen non aliter diceret liberandos nisi prius sacramentis fidelitatis & cautione præstitis per eosdem, quod in Curia nostra & coram paribus prout est omnium regnorum iuris & moris super detentione regalium & ipsorum obuentionibus starent & iuri parerent, Dominus Papa primo de Lombardis conueniendis in Curia Imperii retulit quæstionem, quam Lombardi ipsi nullo tempore ante retulerant, cum ipsos de Imperio & Imperii vasallos esse constaret, perniciosissimum exemplo præteres sæpe dicti Nuncii fore dicebant, si de iurisdictione vasallorum Imperii seu quorumlibet regum per Dominum Papam quæstio seu dubietas aliqua referretur, nihil exinde in manifestam Imperii & omnium fere principum iniuriam potuit obtineri, imo in euidentius nostrum præiudicium & manifestiorem iniuriam, nullis etiam sacramentis fidelitatis præstitis per Lombardos ipsos captiuos restitui postulabat. Quod cum per nuncios nostros foret manifeste negatum, Dominus Papa suam quãdam vtilitatem exdixit, quod verba ista de sacramentis fidelitatis & restitutione captiuorum de tractatu & articulis tollerentur, & haberentur pro non scriptis aut dictis, credens quod sub articulo vel inuolucro potius plenæ pacis quam ex nunc promisetabamus Lombardis dare, comprehenderetur restitutio captiuorum, quam subtilitatem vel potius captionem dum perciperent, protestati sunt, & manifeste dixerunt, quod nolebant, nec intelligebant, quod sub verbis & articulo plenæ pacis captiuorum restitutio comprehendi deberet, ad expressiorem cautelam. Præterea vbi de restitutione captiuorum agitur, expressum est in illo capitulo, quod captiui capti in galeis & occasione præsentis discordiæ liberentur: cum captiui quos tenemus dudum ante discordiam inter Ecclesiam & Imperium in victoria de Mediolanensibus habita capti fuissent. Vltimo,

cum nihilominus ad sacramentum & pacem vt dictum est in Cœna Domini processum fuisset Domino Papa forsitan vel in concepta subtilitate sua post sacramentum præstitum crederet procedere quasi nobis strictius obligatis, vel dum aliud à Nuncijs obtinere forte non poterat formam attentantem prædictam subsequenter à Mediolanensium & aliorum Lombardorum, qui præsentes erant in Curia lachrymas & querelas petitionem suam de compromissione sub negotio præcisè in ipsum & Ecclesiam faciendam denuo repetiuit, quod cum nullatenus Nuncii facere vellent, præsertim cum tantam affectionem ad Lombardos & eorum negotium Dominum Papam habere viderent, tandem ad viam aliam se conuertit, ad petitionem restitutionis terræ sanctæ nulla de absolutione nostra facta certitudine vel promissa. Quod quam periculosum nobis foret, aliis articulis in contentione manentibus, & Domino Papa in huiusmodi voluntate quam pro Lombardis contra nos conceperat persistente, cuilibet sanæ mentis industria manifestissime comprehendit. Demum ne tam desideratum mundo negotium rumperetur, vias omnes & modos inuenire studuimus, quatenus ad consummatam concordiam boni principii procedi valeret, & sicut ex vicinitate corporum posset occurrere vicinitas voluntatum, obtulimus sibi etiam sub hoc dubio non modicam terræ partem restituere; si vellet in Campaniam se conferre, vbi nos circa regni nostri confinia vicinantes, per frequentes internuncios & nos ipsos si rerum vtilitas postularet personaliter in simul conferre possemus, vt tamen nobis interea caueretur de terræ reliquo quæ nostris manibus remanebat contra voluntatem nostram à nobis nullatenus auertendo, quod cum admittere primitus noluisset, tandem post varios tractatus annuit non in Campaniam sed Narniam se velle conferre. Vnde nos Interamne manentes, per quinque tantum milliaria distabamus, nobis demum iuxta conditum expectantibus aduentum ipsius ipse variato proposito vrbem exiens ad Ciuitatem se contulit Castellanam, & vltra procedere recusauit. Veniens autem Narniam Magister Otto Candidus venerabilis Portuensis Episcopus Cardinalis, qui velut variati propositi nescius Papam ibi crediderat inuenire, reiteratoq; tractatu cum Nuncijs super collocutione mutuis, ad hoc peruentum est, quod si latenti morbo, videlicet de negotio Lombardorum medicina non esset apposita, pax omnino procedere non valeret, nos pro bono pacis infrascriptas formas in scriptis dedimus Cardinali prædicto super negotio rebellium Lombardorum, qui videlicet ante ortam discordiam inter Ecclesiam & Imperium rebelles nobis fuerunt, ita dicimus quod compromittere parati sumus in Dominum Papam, ita videlicet quod pro honore Domini Papæ & Ecclesiæ compromissum ipsum public fiat sine conditione & adiectione temporis, sed præcisè. Cauebitur tamen nobis per litteras Domini Papæ, quod id quod præfati Lombardi Mediolanenses scilicet & sequaces eorum obtulerunt nobis in tractatu pacis post obtentam de eis victoriam iubebit eos nobis facere, & non minus. Forma autem prædicti tractatus inferius declarabitur seriatim, vel si ad illud non poterunt forsitan induci Lombardi, iubebit eos facere, quod obtulerunt ante obtentam Victoriam de eisdem, hoc adiecto, quod de obsidibus dandis, quos ipso tractatu Lombardi dare voluerunt, pronunciabit Dominus Papa. Videlicet de tot & talibus obsidibus, per quot & quales Domino Papæ, nobis & Imperio viderit esse cautum, & hæc determinabuntur in certum tempus trium mensium computandorum à die quo ambæ partes cum plana authoritate coram Domino Papa comparuerint, vel earum altera in præfixo termino dato, qui tamen duorum spatium mensium nõ excedat, voluerit comparere. Illud autem quod in tractatibus prædictis primo vel secundo scilicet in contentione erat: & super quo cum Lombardis præfatis concordare non potuimus, excepto de obsidibus sicut dictum est, erit in arbitrio Domini Papæ. Forma autem oblationis in primo tractatu talis fuit: videlicet obtulerunt nobis pro honore nostro & Imperii publice ponere se in mercede nostra, & proiicere vexilla eorum ad pedes nostros. Obtulerunt etiam societates dissoluere & renunciare Constantiæ, super offensis autem vsque ad tempus illud perpetratis obtulerunt emendam iuxta tractatum cum Cardinalibus habitum, scilicet Domino Ostiens. & Magistro Thoma de Capua, de quadringentis, vel vsque ad quingentos milites citra mare & non vltra mare mittendos, & per biennium moraturos, vel danda pecunia pro militibus illis prout ipsi Lombardi eligerent. Specialiter autem Mediolanens. offerebant censum pro septimo, & in antea non solutum soluere à die coronationis nostræ vsque ad diem habiti tractatus, ita tamen quod nos remitteremus eis omne ius quod acquisitum erat nobis & Imperio ex cessatione census pro præterito tempore non soluti, & nouam concessionem faceremus & confirmationem iuxta tenorem priuilegiorum suorum communi Mediolanens. de Comitatibus supradictis. Cremam autem offerebant se reddituros nobis, quam in recommendatione & defensione ab Imperatore Henrico patre nostro recepisse dicebant, vt tamen eis & Cremensibus cautum esset per litteras nostras, ne nos Cremam Cremonensibus tradere vel reddere deberemus. Sed in nostro & Imperii dominio retinere, de Insula autem Fulcerini nullam quæstionem referebant, sed ipsam se dimissuros in manibus nostris simpliciter offerebant. Petebant autem prædicti Lombardi remissionem omnium offensarum per eos contra nos & principes nostros quomodolibet contra Imperium commissarum. Petebant etiam quod nos promitteremus eas conseruare Ciuitates tunc rebelles salvas & integras, muris, portis, & fossatis, & in omni eo statu in quo tunc erant. Super iurisdictionibus autem petebant, quod nos eas ciuitatibus conseruaremus quæ de eis specialia priuilegia post pacem Constantiæ à prædecessoribus habuerunt. Item petebant de omnibus aliis castris, villis, turribus, honoribus, de quibus specialia priuilegia vt dictum est Ciuitates habebant. De his autem iurisdictionibus, terris & iuribus, de quibus specialia priuilegia non habebant, offerebant se stare iuri in Curia nostra & coram Principibus Imperii. Simpliciter autem offerebant restituere nobis quicquid Imperator Henricus tenuerat vsque ad obitum suum. Ciuitatibus autem quæ nobiscum tunc erant & modo sunt, offerebant se restituturos quicquid de iure & pertinentiis ipsarum habebant. Super obsidibus autem altercatio fuit, & nos eos ad cautelam nostram & Imperii petebamus, nec sacramentis tantum volebamus esse contenti, quos ipsi nullatenus se dare velle dicebant, sed alias securitates offerebant. Petebant autem securitatem pro parte sua à nobis sibi per Ecclesiam faciendam. Sed nos per nos, filios nostros & Principes Imperii securitatem faciendam offerebamus. Petebant Mediolanens. prædicti, quod nos promitteremus eis recipere ad gratiam nostram alias Ciuitates quæ tunc Mediolanens. adhærebant, non simul sed semotim & sigillatim prout quælibet ad gratiam nostram pro se venire vellebat. Contra autem eam vel eas ciuitates seu personas quæ vellent in rebellione persistere promittebant Mediolanen. assistere nobis & esse nobiscum sicut fideles vasalli Domino suo assistere tenentur & debent. Super iurisdictionibus autem contentio erat, quia nos eas ab omnibus ciuitatibus simpliciter & præcise habere petebamus, de quibus nostra & progenitorum nostrorum priuilegia non habebant. In secundo tractatu post obtentam victoriam oblata fuerunt omnia & singula statuta, & eis amplius quia Comitatus Seprei & Marchesan. priuilegia ex eis obtenta nõ deuastanda sed cõseruanda in nostris manibus resignare volebant, obsides etiam offerebant, licet de numero quem nos non posse designare tunc temporis dicebamus, & de tempore retinendorum obsidum fuisset altercatio inter partes. De iurisdictione autem quam nos simpliciter sicut quilibet Rex in terra sua habere volebamus similiter contentio fuit: quamquam Mediolanens. se continentes haberent recipere Capitaneum à nobis quem eis dare vellemus, & ibidem ad voluntatem nostram dimittere, qui iurisdictionem & merum Imperium in ciuitate Mediolanense & eius districtu pro parte nostra & Imperii exerceret. Præter priores formas de negotio Lombardorũ obtulimus compromittere in Dominum Papam & Fratres, ita tamen quod prius omnino rumpatur promissio, protectio & qualibet obligatio habita inter eum & Ecclesiam ex vna parte, & Lombardos ex altera, quia non deceret, nec expediret nobis compromittere de negotio Imperii, de quibus est quæstio inter nos & Lombardos in protectorem rebellium Lombardorum & eis super his specialiter obligatum, & hoc saluo iure, & Imperii deducta expressim de compromisso pace Constantiæ, ita quod de ea seruanda Dominus Papa & Fratres nihil valeant arbitrari, cum sit promissum & firmatum per Principes Imperii, quod prædictam pacem tanquam factam in euidens præiudicium iuris & honoris Imperii non debeamus obseruare, ita tamen quod ex compromisso prædicto ad nullas cautiones alias teneremur vel obligaremur, nisi ad permissionem vel obligationem & Principum & communium Ciuitatum & aliorum fidelium nostrorum Lombardis proinde faciendas pro compromisso & pace seruandis apposito termino finiendi arbitrii, prout in superiori forma continetur. Prædictis autem modis in Dominum Papam compromittere volumus, quod si acceptare nollet, obtulimus nos passuros quod Nuncii rebellium Lombardorum venirent ad Curiam Romanam, & quod Dominus Papa tractaret inter nos & eos, & ex tractatu prædicto proculdubio credamus concordiam prouenturam, vt tamen secundum compromissum fiat, siue tractatus simplex vt dictum est prius absoluerentur, quam aliquid de prædicto negotio inchoetur: neque propter tractatum & definitionem absolutio differatur. Petiimus, vt postquam ista fiant declarentur omnia quæ dubia & obscura sunt in forma pacis tractata inter nos & Ecclesiam, & quod mandata facienda per Dominum Papam declarentur & fiant specialiter de hospitalibus faciendis. Similiter & de subsidio militum & pecuniæ pro contemptu clauium faciendo. Volumus etiam declarari & specificari iura nostra quæ habemus & habere debemus in Marchia &

Ducatu, & alia terra quam Ecclesia tenet, videlicet Cabalcata & Parlamento, mercato & procuratione, quæ nos tanquam Aduocati, Patrem & defensores Ecclesiæ habere debemus de terra prædicta, & de quibus in possessione fuimus vsque ad tempus discordiæ, quamquam de modo habendi exercitum & cabalcatam prædictā aliquando contentio fuit inter nos & summos Pontifices Honorium & Gregor. qui ea vt iure nostro, sed ad mandatum Ecclesiæ requisiti de his nos debere recipere & habere dicebant. Hæc ideo dicimus non propterea vt occasionem pacis impediendæ vel differendæ quæramus, sed vt omnibus declaratis & firmiter compositis quæ dissensionem & discordiam inter nos & Ecclesiam excitabant nos seruitiis DEI & Ecclesiæ ac Imperii negotiis possimus in posterum secure vacare. Nec miretur aliquis super eo quod hæc omnia exprimere & declarare prius non potuimus. Nos enim de iustitia & innocentia nostra, quam quia Dominus Papa Gregorius prædecessor istius ob fauorem Lombardorum ruinose damnauerat, nec non de promissa nobis per fide dignissimos & circa nos affectione confisi: hæc ante firmatam pacem & sacramentum præstitum non discussimus. Nunc autem cum verbis & factis ipsius voluntatem experti sumus nos committere metuimus manifestum eius periculo quam fortunæ præsertim cum proprio tantum motu, nec consilio Cardin. prout est approbati iuris & moris Ecclesiæ Romanæ regat & nonnullis Cardin. maximæ authoritatis viris in facie dixerit, quod nec ipsos vellet consulere, nec sequi consultos, ostendit autem vt dictum est motum suum circa nos post firmatam pacem in multis. Inprimis quia cum promiserit nos propalare tractata priusquam à partibus absoluta & in mundum recepta esset, recepta esse bulla Domini Papæ ad cautelam nostram & sigillo Magistrorum Petri de Vinea & Thaddei de Suessa tractatorum ad cautelam Ecclesiæ sigillata, ipsam formam tractatus prædicti multis euidenter vltra & aliter quam dicta & munita fuissent, ea omnibus exposuit de communi, adeo quod apud Lateranum quibuslibet pro sex denariis volentibus emere vendebatur, & de hoc publicum testimonium inuocamus, & specialiter Cardinal. qui de hoc admodum doluerunt. Palam etiam coram Cardinalibus Imperatore Constantin. & Comite Tolosano dixit, quod vno solo articulo satisfactionum si de iniuria prælatorū satisfacere nequibamus pro quadringentis millib. Marcharum argenti, dixit etiam nimis iratus, dum negotio Lombardorum in ipsum præcise compromittere non vellemus, quod adhuc rogaturi eramus de hoc, & ipse non reciperet compromissum. Alias etiam in fauorem rebellium Lombardorum voluntatem suam valde detexit causam ipsorū manifeste defendens de fidelitatib. à Lombardis nobis & Imperio faciendis referens quæstionem. Procurauit præterea qualiter terræ quam tenemus & de qua forma inuenta erat quæ vtrique parti placebat, quando pacis aduentum auerteretur à nobis & circa voluntatem nostram adhæreret eidem, recipiens præfectum & quosdam sequaces suos cum terris eorum, qui omni tempore Imperii fuit, & recepit, & de quo nunquam quæstio fuit per Ecclesiam nobis relata. Imperio etiam Nuncius Regis Franciæ, & deinde coram omnibus Cardinalib. dixit quod si etiam nos absolueret, & Lombardi pacem plenariam non haberent, ipse post absolutionem adiuuaret Lombardos contra nos. Hæc & alia multa sunt quæ nos deterrent, quare nos voluntati Domini Papæ cōmittere metuimus in totum aut in partem satisfacere priusquam simus de absolutione & pace securi. Nihilominus tamen, vt euidenter mundus agnoscat, quod nos pacem desideramus, nec occasionem quærimus qualiter discedamus à pace, parati sumus nos committere duobus Cardinalibus in scriptis, quibus Dominus Papa negotium absolutionis committat, qui etiam satisfactionem recipiant de manifestis, & dubiis cautionem, qui quæ liquida sunt, & de quibus emendæ procedere debet exprimant & designent, quibus factis absoluant nos Papa irrequisito, sed plenam super hoc de consilio Fratrum authoritatem habentes. Super facto etiam Lombardorum quia sine consilio Principum pacem constantiæ non excepta nos alicuius arbitrio committere non debemus nec possumus stabimus libenter vni de formis datis Domino N. venerabili Portuensi Episcopo Cardinali quam ex eis Dominus Papa eligere voluerit. Vocabimus etiam libenter Principes, etsi de consilio eorum processerit, quod plus facere debeamus, plus libentissime faciemus in negotio prædicto, ad hoc vt pax valeat prouenire. Prædictis vero compositis & declaratis parati sumus iuxta condictum terram restituere quam tenemus & Ecclesia possidebat priusquam de Alemania posteaquam de ea discederemus & in regnum intraremus. Obtulimus etiam si Dominus Papa in Cāpaniā ire voluerit ibi morari dū pdicta omnia declarētur & absolutio subsequatur, partē terræ restituere de qua actū est, vt tamē nobis caueatur, quod Dominus Papa per se vel per alium non pcuret vel procurari promittat, aut etiam sine procuratione recipiat terram aliquam seu personam à fidelitate nostra diuertentem & ad Ecclesiam ire volentem vsque ad Calend. Martii proximo futuras. Obtulimus etiam quod si Dominus Papa voluerit in Campaniam ire non recepta parte terræ de qua agitur, nec cessari faceremus à guerra quæ fit alibi contra terram quam Ecclesia detinet, propter tantum etiam bonum consummandum ad plura descendimus ad quæ nullo modo descendere credebamus. Videlicet super facto Lombardorum retentis prioribus formis super declaratione facienda in aliis Capitulis quæ in forma pacis deuenerunt, si Dominus Papa committeret totum negotium absolutionis Portuens. & Alban. Episcopis, nos stabimus dicto & declarationi ipsorum. Super declaratione facienda de iure quod habemus in terra Ecclesiæ petiuimus expresse apponi, de exercitu, parlamento, cabalcata, foro & procuratione, aut si prædicta expreßim designare noluerint contenti sumus quod seruentur nobis ea omnia quæ Principes Imperii habent in terris Ecclesiarum, quarum ipsi sunt Aduocati, & super hoc stabimus testimonio Principum prædictorum. Deinde cum ad procedendum super formis prædictis nobiles viri Imperator Constantinop. & Comes Tolosanus & Magistri Petrus de Vinea & Thadeus de Suessa post collationem super eis cum Domino Papa & Fratrib. habitam vocati per Magistros Ottonem Portuens. & Petrum Albanens. Episcopos Cardin. ad Curiam processissent, cum post diuersos tractatus super restitutione partis terræ vt prædictum est cum processu Papa in Campaniam conuenissent data prædictis Nunciis firma fiducia summi Pontificis cum quo Cardin. prædicti de forma ipsa tractauerant, tandem Papam variasse consilium responderunt, & in Campaniam ipsam procedere nolle dixerunt. Redeuntibus vero prædictis Nunciis ad nos cum varietate prædicta. subsequēter prædicti nobiles Imperator & Comes qui post ipsos remanserant redierunt, & à Cardin. supradictis de expressa voluntate summi Pontificis habuere, quod si nostro beneplacito resideret Dominus Papa Reate libentißime procedebat sub modo & conditionibus quib. processurus in Campaniam petebatur, quod ipsum etiam acceptantibus nobis tandem dum ad complementum indubitatum prædictos viros egregios Imperatorem & Comitem ac prænominatos Iudices nostros remitteremus ad Papam & XXVIII. Iulii secundæ Indictionis occurrit eis procedentibus rumor obiter vltra quam dici valeat insperatus, videlicet quod prædictus Papa & Pater noster præcedenti nocte accinctus gladio in habitu militari Sustrium exiuerat, relictis & omnino celatis Cardinalibus aliis nepote suo Cardinali tantummodo comitatus & se contulerat ad Galeas quas occulte Ianuæ fecerat præparari & occulte simulata prorsus alia occasione venire cum Ianuensibus nobis & Imperio nostro rebellibus subito nauigauit ad Ligures vel ad transalpinas partes vt creditur processurus in nostrum & Imperii si posse quod absit voluntati consenserit nocumentum. Animaduertat igitur industria vestra si pax in puritate nobiscum vel aliter tractabatur, cuius tractatu pendente Galeorum vocationem nobis & Cardinalibus etiam sicut credimus prorsus ignaris de ruptura negotii agebatur occulte. Animaduertat si nobis esset expediens ac securum causam nostram talem & tantam arbitrio talis iudicis committere terminandam.

Hæc quidem Principibus & populis Fridericus in rem suam scribebat. Cęterū cum non ob aliam rem Pontificem euocare conaretur, quā vt vrbe euocatum in potestate haberet, & quod vellet ab eo per vim, atque catenas & vincula extorqueret, ideo Innocentius Pontifex explorata illius voluntate, ne se, & causam Ecclesiæ, atque clientum Lombardorum in discrimen adduceret, vtq; in Orbis theatro tum Imperatori Orientis, tum Regibus Europæis, tum vniuersis Principibus, spiritualibus & secularib. innocentiam suam ostenderet, Alpes transierat & Lugduni Concilium indixerat. Cum autem plurimi Principes Ecclesiastici tum ipsi præsentes, tum reliqui per internuncios, Principes etiam sæculares, Aliqui coram; aliqui per Oratores missos, ad diem designatum conuenissent, & multo tempore Fridericū expectassent, neq; tamen ipse vspiam cōparuisset, sed tantum Legatos, quorum Princeps erat Petrus Vinea, ad tempus extrahendum, & ad Concilium siue illudendum, siue distrahendum misisset: placuit vniuersis rem ad quam venerant aggredi.

III. CELEBRATVR CONCILIVM LVGDVNENSE.

Itaque ad diem designatum, Lugduni Concilio congregato, ex omnium Patrum consensu, Innocentius Pontifex, Friderico, toties diris deuoto Imperium abrogauit: & eam quæ sequitur Epistolam, totius rei & negotii ortum, progressum, exitumque continentem, ipsa teste veritate, ad omnes publicauit, digna quæ pro innocentia Innocentii & Romanæ Ecclesiæ ab omnibus legatur. Ita habet.

IV. INNOC. IV. ENCYCLICA, QVA

Innocentius Episcopus seruus seruorum DEI, &c. Sacro præsente Concilio, ad rei memoriam sempiternam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem licet indigni dignatione diuinæ maiestatis assumpti, omnium

CAVSAM REDDIT ABROGATI IMPERII FRID. ET EXCōMVNICATIONIS.

Christianorum curam vigili sedulaq; solertia gerere ac intimæ considerationis oculo singulorum discernere merita, & prouida deliberationis statera librare debemus, vt quos iustus rigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus fauoribus: quos autem reos, pœnis debitis deprimamus: appendentes semper meritum & præmium æquiualenter, retribuendo cuiq; iuxta qualitatem operis pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ prouincias diutius afflixisset, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem & pacem sanctæ Ecclesiæ Dei, ac generaliter cuncto populo Christiano, ad præcipuum Principem sæcularem huiusmodi dissensionis & tribulationis auctorem à felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios, & magnæ authoritatis viros, videlicet venerabiles fratres Petrum Albanens. tunc Rothomagens. Archiepiscopum & Guilelmum Sabinens. tunc Mutinensium Episcopum, ac dilectum filium Guillelmum Basilicæ XII. Apostolorum presbyterū Cardinalem tunc Abbatem S. Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, ipsi duximus destinandos: facientes sibi proponi per ipsos, quod nos & fratres nostri quantum in nobis erat pacem per omnia secum habere, nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare ac mundo etiam vniuerso. Et quia Prælatorum, Clericorum & omnium aliorum quos detinebat captiuos, & omnium tam Clericorum quam laicorum quos ceperat in galeis restitutio, poterat esse pacis plurimum inductiua, eum vt illos restitueret (cum hoc idem, tam ipse quam sui Nuncii, antequam ad Apostolatus vocati essemus officium, promisissent) rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem: ac proponi insuper, quod iidem parati pro nobis erant audire & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem quam facere vellet Princeps, de omnibus pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus: & offerri præterea, quod si Ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat (quod non credebat) parata erat corrigere, & in statum debitum reformare, & si diceret ipse, quod in nullo cōtra iustitiam læserat Ecclesiam, vel quod nos eum contra iustitiam læsissemus, parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes tam Ecclesiasticos quam seculares ad aliquē tutum locum, vbi per se vel solemnes Nuncios conuenirent: eratque parata Ecclesia de consilio Concilii sibi satisfacere si eum læsisset in aliquo, ac reuocare sententiam, si quam contra ipsum iniuste tulisset, & cum omni mansuetudine & misericordia, quantum cum Deo & honore suo fieri poterat recipere de iniuriis & offensis, ipsi Ecclesiæ suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos sibi adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere, vt numquam hac occasione posset aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis & precum insistere curauerimus lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiam & obturans more aspidis aures suas, huiusmodi preces & monita elata obstinatione & obstinata elatione despexit, & licet processu temporis in die Cœnæ Domini proxime præterita præcedente coram nobis & Fratribus nostris præsentibus charißimo in CHRISTO filio nostro Constantinopolitano Imperatore illustri, cætu quoque non modico Prælatorum, Senatoribus populoque Romano & maxima multitudine aliorum, qui eodem propter solemnitatē Paschæ de diuersis mundi partibus ad Apostolicam sedem conuenerant, quod starent nostris & Ecclesiæ mandatis per nobilem virum Raymundum Comit. Tolosanum ac Magistros Petrum de Vinea & Thadeum de Suessa Curiæ suæ iudices Nuncios & Procuratores suos speciales super hoc ab ipso mandatum habentes præstiterit iuramentum, postmodum tamen quod iurauerat non impleuit: quinimo ea intentione ipsum præstitisse probabiliter creditur, sicut ex factis subsequentibus colligitur euidenter, vt eidem Ecclesiæ ac nobis illuderet potius quam pareret, cum anno & amplius iam elapso, nec ad ipsius Ecclesiæ gremium reuocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis & iniuriis curauit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non valentes absque graui Christi offensa eius iniquitates amplius tolerare, cogimur vrgente nos conscientia iuste animaduertere in eundem. Et vt ad præsens de cæteris eius sceleribus taceamus, quatuor grauißima, quæ nulla possunt celari tergiuersatione commisit. Deierauit enim multotiens, pacem quondam inter Ecclesiam & Imperium reformatam temere violando. Perpetrauit etiam sacrilegium, capi faciens Cardinales S.R.E. & aliarum Ecclesiarum Prælatos & clericos religiosos & seculares, venientes ad Concilium, quod idem prædecessor duxerat conuocandum, de hæresi quoq; non dubiis & leuibus, sed euidentibus argumentis suspectus habetur, plura siquidem eum commisisse periuria satis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus personaliter morabatur, priusquam esset ad Imperii dignitatem electus, coram B. mem. Gregorio sancti Theodori Diacono Cardinale, Apostolicæ sedis Legato felicis record. Innocentio Papæ prædecessori nostro & fratribus nostris Ecclesiæq; Romanæ pro conceßione Regni Siciliæ ab eadem Ecclesia sibi facta fidelitatis præstitit iuramentum, & sicut dicitur, illud idem postquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad vrbem, coram eodem Innocentio suisque fratribus & aliis multis præsentibus, ligium homagium in eius faciens manibus innodauit, & deinde cum in Alemania esset, eidem Innocentio, & ipso defuncto bon. mem. Honorio Papæ prædecessori nostro & eius successoribus, ac ipsi Romanæ Ecclesiæ præsentibus Imperii Principibus iurauit, iura & possessiones Roman. Ecclesiæ pro posse suo seruare, ac protegere bona fide, & quod quacumq; ad manus suas deuenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis & expresse dictis possessionibus in huiusmodi iuramento, quod postmodum confirmauit coronam Imperii iam adeptus. Sed horum trium iuramentorum temerarius extitit violator, non sine proditionis nota, & læsæ crimine maiestatis. Nam contra prædictum prædecessorem nostrum Gregorium & fratres nostros comminatorias eis fratribus destinauit ad dictum Gregorium apud fratres suos ipsos, sicut apparet per litteras ab eo tunc directas eisdem, ac etiam prout fertur per vniuersum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præsumpsit: ac venerabilem fratrem Ottonem Portuensem tunc S. Nicolai in carcere Tuliano Diacon. & bonæ mem. Iacobum Prænestin. Episcopos Apostolicæ sedis Legatos nobilia & magna Romanæ Ecclesiæ membra personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, & per diuersa loca non semel ignominiosè deductos carceribus mancipari. Priuilegium insuper quod B. Petro & successoribus eius in ipso tradidit Dominus Iesus Christus: videlicet: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: in quo authoritas & potestas Romanæ consistit Ecclesiæ diminuere satagit vel auferre. scribens se prædestinati Gregorii sententias non vereri: latam ab eo excommunicationis in ipsum non solum exemptis Ecclesiæ clauibus non seruando, verumetiam per se & officiales suos, & illam & alias excommunicationis sententias vel interdicti, quas idem omnino cōtempsit, cogendo alios non seruare: possessiones quoque prædictæ Ecclesiæ videlicet Marchiam & Ducatum & Beneuentum, cuius muros & turres dirui fecit, ac alias quas in Tusciæ ac Lombardiæ partibus & quibusdam aliis obtinebat locis paucis exceptis occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas, & tanquam ei non suffecerit, quod manifestè contra iuramenta præmissa præsumendo talia veniebat per se vel suos officiales earundem possessionum homines deierare compulit, ipsos à iuramentis fidelitatis quibus Rom. tenebantur Ecclesiæ de facto, cum de iure non posset, absoluens & faciens eosdem fidelitatem nihilominus abiurare prædictam, sibiq; fidelitatis huiusmodi iuramenta præstare, pacis vero violatorem ipsum existere plenè constat: quia cū tempus pacis inter ipsum & Ecclesiam reformare iurasset, corā bonæ mem. Ioanne de Abbatis villa Episcopi Sabin. & Magistro Thomasio tunc S. Sabinæ presbytero Cardinal. præsentibus multis prælatis, Principibus & Baronibus quod staret & pareret præcisè absq; vlla conditione omnibus mandatis Ecclesiæ, super his pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis eiusdem expreßis per ordinem coram eo tunc omnibus Theutonicis hominibus Regni Siciliæ ac quibuslibet aliis qui Ecclesiæ contra ipsum adhæserant, omnem remittens offensam & pœnam: & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret, ipsos pro eo quod Ecclesiæ astiterant præstari in anima sua per Comitem Amacarum faciens iuramentum, postmodum pacem & iuramenta huiusmodi nequaquam erubescens irretiri periuriis non seruauit, nōnullos enim ex ipsis homines tam nobiles quā alios postea capi fecit, & eos bonis omnibus spoliatos; vxores eorum & filios captiuari, ac terras Ecclesiæ contra promißionem quam eisdem Ioanni Sabinensi Episcopo, & Thomæ Cardinali fecerat irreuerenter inuasit, licet in ipsum ex tunc in eum præsentem si contra veniret excommunicationis sententiam promulgarint, & cum iidem Apostolica authoritate mandassent, vt nec per se nec per alium impediret, quin postulationes, electiones & confirmationes Ecclesiarum in regno & monasteriorum præfatorum libere de cætero fierent, secundum statuta Concilii generalis, & quod nullus deinceps in eodem regno viris Ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias vel collectas: quodq; nullus ibidem Clericus vel persona Ecclesiastica de cætero in Ciuili vel criminali causa conueniretur coram Iudice sæculari, nisi super feudis quæstio ciuiliter haberetur, ac Templariis, Hospitalariis & aliis personis Ecclesiasticis de damnis & iniuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter ipse mandatum eiusmodi adimplere contempsit. Liquet namque XI. aut plures Archiepiscopales aut Episcopales sedes, Abbatias quoque & alias Ecclesias ad præsens in Regno vacare prædicto, easq; procurante ipso sicut aperte patet fuisse diutius Prælatorum regimine destitutas, in graue ipsarum præiudicium & periculum animarum. Et licet

forte in aliquibus eiusdẽ Regni Ecclesiis electiones sint à Capitulis celebratæ: quia tamen eiusdem familiares Clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerint liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius Regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit occupari, sed etiam Cruces, calices, thuribula, & alios sacros earum thesauros, pallia seriaca velut cultus Diuini cõtemptor, licet vt dicitur ipsis exacto prius pro eis certo pretio in partẽ fuerint restituta. Clerici quidem collectis & taliis multipliciter affliguntur nec solum trahuntur ad iudicium sæculare, sed vt asseritur coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur, & in patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis. Præfatis autem templariis & hospitalariis & personis Ecclesiasticis non est de damnis illatis & iniuriis eisdem satisfactum. Eum quoq; certum est esse sacrilegii patratorem. Nam cum prædicti Portuen. & Prænestinens. Episcopi & Imperiales Ecclesiarum Prælati & clerici tam religiosi quam sæculares ad Apostolicam sedem pro celebrãdo Concilio quod prius ipse petierat conuocari per mare venirent, viis terræ de mandato eius omnino præclusis: Idem destinato Encio filio suo cum multitudine galearum & personas alias quamplures longe ante præparatas in partibus Tusciæ maritimis insidiis positis contra eos vt grauius posset virus euomere præconceptum ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prælatorum ipsorum & aliis in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis & aliquibus insecutione hostili fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus & de loco ad locum in Regnum Siciliæ opprobriose deductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi miserabiliter defecerunt. Merito contra eum de hæretica prauitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam à prædictis Ioanne Sabinens. & Thoma Cardinali prolatam incurrerit, & dictus Gregorius Papa anathematis vinculo eum innodauerit ac post Ecclesiæ ad Romanorum Cardinalium Prælatorum & Clericorum ac etiam aliorum de diuersis partibus ad sedem Apostolicam venientium captione claues Ecclesiæ contempserit, & contemnat, sibi faciens celebrari, vel potius quantum in eo est prophanari diuina, & constanter asseuerauerit, vt superius est notatum, se prædicti Gregorii Papæ sententias nõ vereri. Præterea coniunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios, munera pluries destinauit eisdem, & ab eis vicissim cũ honorificentia & hilaritate recepit, ipsorumq; ritus amplectitur, illos in quotidianis suis obsequiis notabiliter secum tenens, eorundem etiam more vxoribus quas habuit de stirpe regia descendentibus eunuchos præcipuè, quos vt dicitur serio castrari fecerat non erubuit deputare custodes, & quod execrabilius est olim existens in partibus transmarinis facta compositione quadam imo collusione cum Soldano Machometi nomen in templo Domini diebus ac noctibus publice proclamari permisit. Et nuper Nuncios Soldani Babyloniæ postquam idem Soldanus Terræ sanctæ ac Christianis habitatoribus eius per se ac suos damna grauissima & intolerabiles iniurias irrogaret per regnum Siciliæ cum laudibus ad eiusdem Soldani excellentiam sicut fertur honorifice suscipi fecit & magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis & horrendis officiis contra fideles & ab illis qui damnabili vilipendentes Apostolicam sedem ab vnitate Ecclesiæ discesserunt procurans affinitate ac amicitia copulari. Clare ipsum Ducem Bauariæ specialem Ecclesiæ Romanæ deuotum sicut pro certo asseritur Christiana religione neglecta per assissinos occidi fecit. Vatacia Dei & Ecclesiæ inimico à communicationis fidelium per excommunicationis sententiam cum adiutoribus, consiliatoribus & fautoribus suis solemniter separato, filiam suam tradidit in vxorem. Catholicorum vero Principum actus & mores despiciens neglector salutis & famæ pietatis operibus non intendit, quinimo vt de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit opprimere non curat oppressos misericorditer releuare, manu eius vt decet Principem ad eleemosynas non extenta. Cum destructione Ecclesiarum institerit & religiosas ac alias Ecclesiasticas iugi attriuerit afflictione personas, nec Ecclesias, nec Monasteria, nec hospitalia seu alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hæc non leuia sed efficacia sunt argumenta de suspicione hæresis contra eum, cum hæreticorum vocabulo illos ius ciuile contineri asserat, & latis aduersus eos sententiis debere succumbere, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis tramite detecti fuerint deuiare. Propter hoc Regnum Siciliæ quod est speciale patrimonium Sancti Petri, & quod dictus Princeps ab Apostolica sede tenebat in feudum iam ad tantam in Clericis & laicis imminutionem seruitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus & omnibus exinde fere pro his eiectis illos qui remanserunt ibidem sub seruili conditione viuere, ac Romanam Ecclesiam cuius sunt principaliter homines & vasalli offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod moneram satisfactorum annuam pensionem quam pendere in Regno ipsi Romanæ Ecclesiæ tenetur per nouem annos & amplius soluere prætermisit. Nos itaque super præmissis & quampluribus aliis eius nefandis excessibus cum Fratribus nostris & sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, cum IESV CHRISTI vices licet immeriti teneamus in terris, nobisque in Beati Petri Apostoli persona sit dictum: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: memoratum Principem qui se Imperio & regno omnique honore & dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates adeo ne regnet vel imperet est abiectus, suis ligatũ peccatis abiectum, omnique honore ac dignitate priuatum à Domino ostendimus & denunciamus, ac nihilominus sententiando priuamus omnes qui ei iuramento fidelitatis & fœderationis tenentur astricti, à iuramento huiusmodi perpetuò absoluentes, authoritate Apostolica firmiter inhibendo ne quisquam de cætero tanquam Imperatori vel Regi pareat vel intendat: & decernendo quoslibet qui ei deinceps velut Imperatori aut Regi consilium auxiliumve præstiterint vel fauorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio eligant libere successorem, de præfato vero Siciliæ Regno prouidere curabimus, cum eorundem nostrorum consilio, sicut viderimus expedire. Datis Lugduni VI. Calend. Aug. Pontific. nostri anno III. Hactenus sententia excommunicationis, ex communi suffragio Concilii, lata contra Fridericum.

V. CAVSÆ BREVITER RECENSENTVR, QVAMOBREM CONCILIVM GENERALE INNOC. INDIXERIT, SCIL. FRID. IMMANITAS ERGA RO. ECCL.

Porro ad historiam Cõcilii cognoscendam, operæ pretium est, quasi in summam contrahere, tum simultates quæ inter Fridericum secundum Romanorum Imperatorem, & Innocentium IV. Pontificem, tum alias causas grauissimas quæ Innocentium ad indicendum Generale Concilium permouerunt. Priores ad eum modum se ferè habuerunt. Fridericus Henrici V. Filius, & Friderici primi nepos, maximis est à sede Apostol. beneficiis affectus. Puer enim parentibus orbatus in tutela fuerat Innocẽtii III. eiusdemque Pontificis opera, ad eius dignitatis gradum ascenderat, pulsoque Othone IV. Imperator fuerat designatus. Huic non modo parem gratiam non retulit, sed etiam Ecclesiam Romanam multos annos diuexauit: & arma quæ voto obstrictus, pro salute communi contra Saracenos capere debuit, magno Christianorum omnium detrimento, ingrato animo atque impio, contra ipsos Pontifices cepit. Et quamquam principio tamdiu Innocentio III. & reliquis Pontificibus obsequutus est, quamdiu id suis rationibus conducere putauit; tamen vbi, mortuo Innocẽtio, insignia Imperatoris ab Honorio Tertio adeptus est, statim cum illo graues inimicitias suscepit. Cum enim & Ecclesiarum iurisdictiones, & bona vsurparet, & à Clericis & Ecclesiis tributa exigeret, ac sæpe ab Honorio Pontifice, vt ab incepto desisteret, admonitus resipiscere nollet: ab eodem Honorio Pontifice, fidelium cõmunione priuatus est. Hanc sententiam Gregorius quoque Nonus, qui in Honorii locum successerat, confirmauit. Licet autẽ aliquando in gratiam cum Gregorio Nono Pontifice Maximo Fridericus rediisset, & ab eo admonitus, vt votum, quo tenebatur, persolueret, regnumq; Hierosolymitanum, quod in summo discrimine, expugnata iam à Saracenis Hierosolyma, eo tempore versabatur, in pristinum statum restitueret: ipse adeo ab hac expeditione refugit, vt eam ob causam in omnium fere Christianorum, præsertim vero Gregorii Pontificis offensionem incurrerit. Attulit præterea maximam molestiam eidem Pontifici Fridericus. Cum enim ipsius Regnum quibusdam Pontificis vrbibus, & oppidis finitimum esset, multa quæ ad sedem Apostolicam pertinebant, ausus est occupare, & militum præsidio communire. Qua iniuria commotus Pontifex, vim vi repellere coactus est, & Ecclesiæ patrimonium, ne in potestatem Friderici veniret, armis tueri. Et quamuis longo tandem interuallo, conscripto exercitu, Imperator in Syriam fuisset profectus: tamen cum nullo commisso prælio, statim cum Ægypti Rege, qui Syriam oppressam tenebat, pacem fecisset, & verbo tantum ex pacto Hierosolymam recepisset, non solum Pontificis animum non placauit, verum etiam vehementius exulcerauit. Itaque Fridericus apertas inimicitias cum Gregorio gessit, bellumque illi tam acerbum intulit, vt magnam Piceni & Latii partem in suam redegerit potestatem: Romaque obsessa, si quos interdum Ciues in obsidione caperet, crudeliter trucidaret. Cum autem Guelphorum & Gibellinorum factiones

Ioan. Villa. lib. 5. hist. c. 18. & 36. & lib. 6. c. 15. & seqq.

Vinc. Belluacens. lib. 30. c. 129. & 138. Matthæus Paris hist. in Henrico 3.

eodem

eodem tempore ad Italiæ perniciem erupissent, omnesque fere ciuitates in contrarias partes distraherentur: Ciuesq; ipsi quasi furiis quibusdam agitati, alii alios in exilium pellerent, fortunisque spoliarent, Fridericus, cuius erat flammam nascentem opprimere, illam potius auxit, sibique Gibellinis adiunctis, Guelphos, qui Pontificis defensionem susceperant, bello statim aggressus est. His igitur malis vt mederetur Gregorius, hominisque superbi furore, atque amentia cæci, qui neque cum Saracenis bellum vnquã gerere, neq; cũ Christianis pacem firmam habere voluisset, aut omnino, aut aliqua certè ex parte nefarios conatus reprimeret, Concilium Generale conuocauit, Romamque tum Episcopos, tum alios Patres venire iussit. At cum multi ex Gallia & Hispania dicto audientes Romam nauigarent, Genuensiumque triremibus veherentur, in Friderici classem inciderunt, victisque Genuensibus, capti sunt Episcopi & Cardinales, & ad ipsum Imperatorem perducti. Grauem hunc Episcoporum casum, ita ægrè tulit vir optimus Gregorius, vt præ animi dolore, è vita paucis diebus excesserit: cum quatuordecim annos, menses quinque, summa æquitate & prudentia Ecclesiam administrasset, maximosque labores eius causa pertulisset. Successit Gregorio Cælestinus Quartus, qui cum statim de vita emigrasset, Cardinales vix post XX. menses Innocentium Quartum, virum doctrina & virtute præstantem Pontificem maximum delegerunt. Hic Pontifex statim cum Friderico de pace egit, hominesque grauissimos ad illum misit, qui æquissimas ei conditiones pacis proponerent: & postularent, vt Patres, qui in pugna nauali capti fuerant, vti sæpe promiserat, liberos dimitteret. His Pontificis cohortationibus cum Fridericus obtemperare nollet, nullaque amplius conciliandæ pacis reliqua spes esset: Innocentius vt hominis temeritatem reprimeret, atque aliis Ecclesiæ commodis consuleret, Gregorii consilium secutus, Synodum statim coegit. Verumtamen quia difficile erat Patres Romam venire propter bella, & seditiones, quæ longè lateque diffusa totam iam Italiam occuparant, seipse Pontifex in Galliam contulit, Lugdunumque vrbem clarissimam habendo Concilio delegit. Fridericus igitur ad dicendam causam euocatus, non venit: misit tamen Legatos, inprimisque Tadæum quendam eloquentem virum, atque eruditum, qui aduocati officio fungeretur, dilueretque crimina, quorum ipse postulabatur. Hic Tadæus ita obiit munus suum, vt & acerrimè Imperatorem defenderet, & accusatoribus multa obiiceret, illorumque rationes & argumenta refutaret. Sed tandem in vltima actione causa cognita, diligenterq; perspecta, Innocentius de sententia Synodi, Imperatorem damnauit, eumque è piorum communione eiectum Imperii dignitate, & Siciliæ Regno priuauit.

Vincent. lib. 30. ca. vlt. & lib. 31. c. 1. Villan. lib. 6. c. 24. & seq.

Ex Actis Cõcilii Lugdunens. excerpta.

2. SARACENORVM TYRANNIS CHRISTIANOS OPPRIMENTIVM IN SYRIA.

Præter eam Imperatoris causam, fuerunt itẽm ad Innocent. alia negotia maximi momenti ad Synodum relata: Cum enim omnes Põtifices de Christianis qui Syriam incolebant, essent eo tempore solliciti, inque illis tuendis, & confirmandis, repellendisque Saracenis assiduam curam & diligentiam adhiberent: cumque magnus tunc esset necessariò mittendus exercitus, ne regio illa in potestatem Saracenorum iterum perueniret, Innocentius ne officio suo deesset, omnes ad hanc expeditionem cohortatus est.

3. OB CLADES LATINORVM IN ORIENTE AB GRÆCIS.

Præterea eodem tempore ardebat bello Græcia. Balduinum, qui primus ex Latinis Constantinopolitanus Imperator fuit, quidam Græci Principes iniquo animo in Græcia dominari patiebantur: qui non solum ab Imperatore defecerant, verum etiam & ipsi Balduino, & aliis, qui postea rerum potiti sunt, bellum acerrimum & diuturnum intulerant: & modo aperto Marte, modo insidiis & dolo, ita eos vexabant, vt tandem Imperator, qui eo tempore Constantinop. regnabat, de suo statu amplissimo ferè deiectus, vix nomen Imperat. & maiestatem obtineret. Hoc igitur negotium ad Ecclesiam magnopere pertinere Innocent. existimabat. Cernebat enim animo, si Græci Latinos expellerent, periculum esse, ne tota statim Græcia ad pristinam consuetudinem, moremque relaberetur, & à Rom. Ecclesia dissideret.

Paris in Henrico 3.

Vinc. lib. 31. c. 2. & seq.

Egressi item fuerant paulò ante Tartari, qui olim Scythæ Asiatici nominabantur, extra regiones quas incolebant, & multas Asiæ Prouincias depopulati, tandem Europæ bellum intulerant, magnæq; illius parti incredibiles calamitates importarant: & inprimis Pannoniæ inferiori (quam nunc Hungariam vocant) quam cædibus & incendiis vastatam, in suam redegerant potestatem. Occurrebant itaq; vno eodemq; tempore res magnæ, & vehementer arduæ, quæ sine Generali Concilio vix pro dignitate poterant explicari. Illud etiam accedebat, quod superiores Pontifices ad conuocanda Concilia commouit, mores enim hominũ longè à maiorum disciplina deflexerant, quotidieq; in vitia grauiora dilabebantur. Quare optabat Pontifex, vt Ecclesia pristinum illum, qui hisce morib. obsoleuerat, dignitatis splendorem recuperaret. Hæc autem cura tantopere illum sollicitabat, vt cum reliquæ causæ essent grauissimæ: de hac tamen primo loco in Concilio verba fecerit: & quãquam hæc omnia sint ad Synodum delata: tamen præcipue in omnibus actionibus actum est de causa Friderici Imperatoris. Fuit autem habitum hoc Cõcilium in Templo maximo Lugduni, anno à Christo nato M. CC. XLV. Pontificatus Innoc. IV. anno secundo. Conuenerunt multi Cardinales, Episcopi 140. Abbatesque complures. Accesserunt multi viri clarissimi, & præter cæteros Constantinopolitanus Imperator, qui propè Pontificem consedit. Interfuit Patriarcha Constantinopolitanus & Antiochenus. Hæc est breuis nota eorum omnium, quæ in hoc Concilio gesta sunt. Eam placuit, ipsis verbis Compendiatoris inserere. Ita habet.

4. OB TARTAROS EVROPAM DEVASTÃTES.

Paris vbi sup.

VI. BREVIS NOTA EORVM OMNIVM QVÆ IN HOC CONCILIO GESTA SVNT EX CÕPENDIATORE. *Ext. in Tomo 4. Conc.*

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem Millesimo ducentesimo Quadragesimo quinto. Cum Dn. Innoc. Papa IV. ad partes Galliæ propter multa pericula, quæ imminebant generali Ecclesiæ se transtulisset, Concilium cõuocauit apud Lugdunum, & in vigilia B. Petri Apost. Concilio conuocato, in maiori Ecclesia Dominus Papa, Missa celebrata, locum eminentiorem ascendit. Imperator vero Constantinopolitanus sedit ad dexteram, & quidam alii Principes laici sederunt ad sinistram, & Diaconus Cardinalis, Vicecancellarius Magister Martinus Neapolitanus cum Notario, Auditore & Correctore, Capellanis, Subdiaconis, & quibusdam aliis: inferius vero sic Prælati sederunt. Ex opposito tres Patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Constantinopol. ad dexteram, Antiochenus, Aquilegien. de quo tertiò scandalum est exortum, ex quo, vt alii Patriarchæ dicebant, sedere non debebat iuxta eos, cum nõ esset de quatuor Patriarchis, & destructa esset sedes eius: & tandem vt vitaretur scandalum, de voluntate Dn. Papæ, vt creditur, est refecta. In naui vero Ecclesiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales, Archiepisc. Episcopi post eos, in sedibus a. constitutis in naui Eccles. sederunt aliqui de Episcopis, Abbates, Procuratores Capitulorum, Nuncii Regum, & Imperatoris Friderici. & multi alii erant ibi. Tunc Dominus Papa incepit: *Veni creator Spiritus*, & illo hymno cõmuniter ab omnibus decantato, dixit, Dominus vobiscum, & responderunt omnes: *Et cum Spiritu tuo.* Oremus. Ægydius Cardinal. dixit: Flectamus genua, Octauianus respondit, Leuate, & sic dixit Dominus Papa propriam orationem, qua dicta, Galeatius Capellanus incepit Litanias: quibus expletis, Dominus Papa dixit, Oremus cũ oratione de Spir. S. Deus qui corda fidelium, nec dixit, Dominus vobiscum. Istis peractis incepit prædicare, de auctoritate Prophetiæ: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, &c. incipiens, quod multiplex erat dolor suus: quia quinq; dolores circumdederant eum. *Primus* erat, de difformitate Prælatorũ & subditorum. Secundus erat, de insolentia sacramentorũ. Tertius, de schismate Græcorum. Quartus, de sæuitia Tartarorum. Quintus, de persecutione Friderici Imper. Rediens ad primum articulum, de difformitate Prælatorum & subditorum: quia non erant tales quales consueuerant, & debebant esse: & de eorum excessibus multa dixit. *Postea* de insolentia Saracenorum, referens rumores de iis, quæ tunc acciderant vltra mare, quando Hierusalem occupauerant, & sepulchrum Domini euerterant, & certa sacra loca de partibus illis eripuerant, & Christianos infinitos interfecerant, & quæcumq; per eos ibi fuerant perpetrata. Tertio de schismate Græcorũ, quomodo Vattacius Imperator Græ-

corum cum Græcis schismaticis occupauerant & destruxerant ferè vsq; ad Constantinop. & de ciuitate timeri poterat, nisi è Christianis velocem succursum haberet. Quarto de sæuitia Tartarorum, quomodo terras Christianorũ intrauerant, & Vngariam occupauerant, non parcêtes sexui vel ætati. Quinto de persecutione dicti Imperat. quomodo persequebatur Ecclesiam, & suum prædecessorem Gregor. fuerat persecutus: & in litteris, quas dictus Imperator per mundum mittebat, referebat publicè, quod nõ persequebatur Ecclesiam, sed personam: quod verũ non fuerat, quia in vacatione Pontificatus, eam persequi non cessauit: imo tunc Clerum, & Ecclesiam magis afflixit. Postquã de afflictione plurima dixisset, fecit legi quoddam priuilegiũ aurea bulla munitum ab eodem Imperatore, cum esset Rex; Honorio prædecessori suo concessum: in quo inter alia potissimũ habebatur, quomodo eidem iuramẽtum fidelitatis præstiterat, tãquam vasallus suo Domino, & quoddam aliud priuilegium, in quo ipse fatebatur, quod Regnũ Siciliæ & Apuliæ erat speciale patrimonium B. Petri, & illud ab Ecclesia tenebat in feudũ & concedebat, ac quietabat si aliquod ius habuisset in electionibus Ecclesiarum prædicti Regni: & faciebat easdem Ecclesias liberas, francas, & immunes ab omni præstatione. Item fecit legi plura alia priuilegia, aurea Bulla munita, Ecclesiæ, cũ esset Rex, & postea Imperator, cõcessa: in quibus habebatur, quod ipse quietabat, donabat, & concedebat, & confirmabat totam tertiã à Castro Radicophani vsq; ad castrũ Ceperani, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoleti, Exarchatum Rauennæ, Pentapolim, Comitatum Romandiolæ, & Terram Comitissæ Mathildis: & multa alia erant ibi, quibus dictis, Iudex Tadæus vnus de Nunciis Imperatoris, surgens, fe. è ad singula quæ dixerat Dominus Papa, respondit, & mirabiliter videbatur Imperatorẽ excusare: & asseruit multa mala, quæ fecisse, & procurasse dicebat Ecclesiam contra eum, & ostendit ibi plurima litterarum: & responsio eius fuit multis grata. Sed Dominus Papa respondens ad singula benè, ac si præuidisset, se & Ecclesiam excusando, & sic illius diei sessio fuit terminata.

Secunda sessio fuit, ad octo dies postea: & quo ad sessionem, & officia, idem factum fuit, quod & in prima. His peractis, surrexit Episcopus Calmensis, Cisterciensis Ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter descripsit vitam malã & ignominiosam, & progressum dicti Imperatoris à pueritia sua, & quæ erat sua intentio: quod ad hoc intendebat præcipue, vt Prælati & Clerus, ad illã reuerterẽtur pauperta tem, in qua fuerant tẽpore Ecclesiæ primitiuæ, quod maxime patebat per litteras, quas per mundum contra Ecclesiam & clerum transmittebat. Postmodum surrexit Archiepiscopus de Hispania, qui multũ Dn. Papam animauit ad procedendũ contra Imperat. referendo plurima, quę contra Ecclesiam fecerat, & quomodo tota eius fuit intentio, vt deprimeret Ecclesiam iuxta posse: promittẽs quod ipse, & alii Prælati Hispaniæ, qui multum magnifice & generaliter plusquam aliqua alia natio ad Concilium venerant, Domino Papæ assistere, in personis, & in rebus, iuxta suæ voluntatis beneplacitum. Hæc eadem promiserunt in Synodo, q̃ plures alii Prælatorũ. Tunc surrexit prædictus Iudex Tadæus, & multa grauia proposuit contra dictum Episcopum Calmensem, quod non zelo iustitiæ, sed ex maleuolentia, ex eo quod ipsum, & suos pro manifestis excessibus punierat, talia contra Imperatorem proponere curauit, & sic in secũda sessione nihil aliud factum fuit. Verumtamen dictus Iudex Tadæus supplicabat instanter, quod prorogaretur tertia sessio, pro eo quod Imperatorẽ expectabat, put ipse per certos habebat nũcios, ac ipse ad eum plures alios, qui in ciuitate Taurinẽsi fuerãt, miserat, quod iter arripuerat ad Concilium veniendi. Et quia dictus Papa hęc quamplurimum affectabat, vt posset inter eos pacis fœdera reformare, vsq; ad diem Lunæ, post octauam sessionis secundæ, quæ fuerat in die Mercurii cõtra multorum Prælatorũ voluntatem prorogauit tertiam sessionem, quod non fuit sine tædio multorum Prelatorum, & aliorũ Templariorum, & Hospitalariorum, qui multos armatos ad custodiã Dn. Papæ & Concilii studuerãt destinare: & propter pressuram hominum, & dubitationẽ, quæ in ipsa ciuitate, quæ custodiebatur per armatos plurimos, die ac nocte fortiter affistebat. Et quia procerto Domino Papæ constitit, quod ipse non veniebat, nec cum mandato solemniter facto aliquos Principes destinabat, dicto die Lunæ constituit tertiam sessionem, & peractis officiis vt in prima, post multa dicta, & hinc inde audita, antequã ad sententiæ lationem accederetur, de Natiuitate B. Mariæ virginis gloriosæ ordinauit octauam, sacro Concilio approbante. Deinde Dominus Papa quasdam Constitutiones, quæ pro recuperatione Terræ sanctæ, ac alias quæ pro subsidio Romani Imperii, & etiam alias quæ contra Cataros factæ fuerant, fecit legi. Item postmodum Dominus Papa dixit, quod omnia priuilegia Rom. Ecclesiæ à Principibus mundi, tam ab Imperatoribus, quam à Regibus, concessa fuerant eidem, exemplari fecerat, & in eis apponi fecit, omnium qui aderant Prælatorum sigilla, & volebat, q̃ vigorem haberent, qualem ipsa originalia, quæ ibi lecta erant. Tunc surrexerunt nuntii Regis Angliæ, & pro authenticatione quorundam priuilegiorum concessorũ à Rege Angliæ ipsi Ecclesiæ, quæ asserebantur facta præter consilium Principum terræ, licet priuilegiis illis cõrratium diceretur, ad futurum Pontificem, & quibusdam constitutionibus, quæ pro subsidio faciendo Ecclesiæ factæ fuerunt. Tunc surrexit Iudex Taddæus, præcipiens quod iam securis erat posita ad radicem, pro multorũ priuilegiorum authenticatione: & si contra dictum Imperatorem vellet procedere, appellaret ad futurum Põtificem, & Concilium Generale. Sed quia Dominus Papa respondit humiliter & benignè, quod illud erat Concilium Generale, quia tam Principes sæculares, quam Clerici ad illud fuerant inuitati. Sed omnes, qui in iurisdictione Imperatoris fuerant ad illud eos accedere nõ permisit. Propter quod Papa appellationem non admittebat, sed statim incepit recitare, quantum eum dilexerat, antequam in Papam esset assumptus, & quantum sibi dimiserat postmodum, & etiã postquã fuerat Concilium ordinatum, & eum semper verbis mirabiliter honorando; ita quod vix credebatur ab aliquibus, quod aliquã ferre deberet sententiam contra eum, & statim incepit promere oretenus, & ferre sententiam contra eum, priuans ipsum omni honore, & imperio, & aliis regnis suis, & postmodum sententia in scriptis in ipsa Synodo lecta fuit. Qua lecta Dominus Papa surrexit, & incepit, *Te Deum laudamus*, quo hymno decantato per omnes, fuit concilium dissolutum.

VII. IMPIETATES FRID. POST EXCOMMVNICATIONIS SENTENTIAM IN CONCILIO LATAM, DESIGNATÆ PER ITAL.

Cæterum hanc sententiam tantum abest vt magni penderet, vt etiam contemserit: atq; multa indigna in supremam Ecclesiæ authoritatem non tantum euomuerit, sed etiam attentarit. Nam contra interdicti sententias coram se præcepit sacris operari: recusantes sacerdotes, in vincula coniecit: Ecclesiæ Romanæ terras occupauit: subditos & vasallos ab iuramento fidelitatis absoluit: nihilque non egit, vt clauium Ecclesiæ iurisdictionem in contemptum adduceret, & sacræ fidei titulum aboleret. Quamobrem Innocentius omnem inobedientiam ipsius vlcisci coactus, pro defensione fidei, ac libertatis Ecclesiasticæ tutela signum Crucis contra contumacem assumpsit, & sacrum bellum indixit: atque omnibus qui quocumque modo Ecclesiam contra tyrannum iuuissent, eam peccatorum remissionem & indulgentiam elargitus est, quæ Ierosolymam euntibus in Generali Concilio fuisset concessa. Eam autem Crucis prædicationem sano sanè consilio ininxit: nimirum vt copias paratas haberet, quas Friderico opponeret, si quid ille grauius in Rempubl. Christianam moliretur. Conatus est interim non tantum in illam, sed etiam in Pontificem moliri: sanctumque Regem Ludouicum à respiciendo Pontifice reuocare. Per Oratores parum proficiebat: in congressum colloquiumque inuitauit, velut acturus de summis Christiani nominis negotiis. Conuenerat, vt in Ambaris colloquerentur, Dies composita. Mox vt comperit Regem, cum delectissimo quoque suorum proficisci, tantoque apparatu, vt etiamsi armis res gereretur, par futurus videretur: valetudine excusata non affuit: siue capere Regem, si sui potestatem facturus, inermi incautoque comitatu veniret, constituerit: siue quod cultu æquare magnificentiam Gallorum non posset: siue mutatis consiliis, eo quod audisset per suum discessum, Parmenses, Innocentio Pontifici per multum obnoxios, Entio suo filio, & exercitus reliquæ

Aemil. li. 7.

parti negotium facessisse. Vt vt est, Fridericus reuertens Mediolanenses armis iterum pertentauit: Rauennam, Illustri Petro Trauersario, Andreæ Principis Hungariæ, cognomento Veneti, socero emortuo, Ecclesiæ eripuit, basilicas depilauit, èque Templo S. Vitalis duas Onychinas columnas sacrilegio extulit & in Siciliam misit. Tum deinde plurima alia castra, quæ iuris Ecclesiastici fuerant occupauit, diripuit, iuris sui fecit, Fauentiamque, memor veteris iniuriæ, quod Fauentini quendam Principem apud se, opinione Fridericum, intercepissent, & occidissent, obsedit, atque agrum circumcirca vicinum militari prædæ exposuit, Clerumque inprimis afflixit, & inter reliquos, Archiepiscopum Rauennatem hominem innocentissimum, in vincula coniecit, & per ludibrium populo ostendit. Qua contumelia indignissima Archiepiscopus Rauennas violatus, Innocentio in Galliis agenti, omnes iniurias cum priuatas suæ personæ & Ecclesiæ, tum communes totius Italiæ, & inprimis Æmiliæ per litteras exposuit, eumque ad vindicias sumendas maiorem in modum inflammauit. Intellexerat hæc omnia Fridericus, & resumptis armis infestis Pontificem Lugduni hærentem infestare decreuerat. Sanctus Ludouicus cum Lugduni officii & religionis gratia Innocentio Pontifici præsto fuisset, se vires que Regni sui ac consilium sacrosanctæ potestati turandæ, paratum esse professus, Innocentii causæ dignitatem roburque addidit. Ex hac significatione S. Ludouici erga Pontificem Innocentium, animi quamplurimorum in Italia, hi in Pontificem, hi in Fridericum exarserant. Parmenses præ cæteris Innocentio Pontifici propter affinitates (quatuor enim ex suis sororibus in matrimonium Parmensibus collocarat) adhæserant, & Friderico in Burgundiam iter habenti portas occluserant. Hac iniuria ille exacerbatus, Parmam circumcinxit. Ibique inhæsit, statuens non prius nec vltra progredi, quam Parma expugnata deletaque cæteris terrorem hoc exemplo iniiceret, ne cursum eius remorari vsquam auderent. Ante captam veram veteremque Parmam, vbi castra metatus fuerat, ibi nouæ vrbis condendæ spatium mensus est. Sacris ædibus extruendis locum descripsit, earum maximum, vt felici omine, Diuo Victori dedicauit: cætera publica priuataque ædificia magnifica assurgebant. Vrbem, Victoriam appellauit. Monumentum etiam nota eiusdem Diui Martyris percussum, Victoriatum nuncupauit. Sultanorum Orientis, simul Africæ Regum socius, amicusque, missis ad se elephantis, ac omni genere ferarum, quæ florente re Romana, & iura Orbi terrarum dante, notæ fuerant, sed tunc inusitatæ oculis hominum Latinorum erant, spectacula edidit, muneraque antiquitati comparanda. Ludos fecit, produxit homines inauditis linguis, gentibusque ignotis ac nouo habitu: triumphum, victoriæque (quæ cœli munus est) fructum, ante quam vicisset, exambiens. Cæsarum veterum magnificentiam & rerum splendorem, sed alieno tempore æquare doctus, ad pecuniæ penuriam recidit. Victoriatos, qui antea aurei cudebantur, iam scorteos facere cæpit, cum perparua argentea eius effigie: proposito edicto, vt hi nummo aureo censerẽtur, fiscum suum tantidem illos æstimaturum, accepturumque. Porro ad tantam obsidionem faciendam, venerat, in adiutorium Friderici cum omnibus Marchiæ Teruisinæ neruis Ecelinus tyrannus: aduenere etiam ex Sicilia Apuliaque Saraceni, & millium sexaginta copiis Parma est cincta. Præueneratautem consilio & prudentia furentem Fridericum, etiam priusquam Taurino mouere posset, Gregorius Montelongus sedis Apostolicæ in Lombardia Legatus, quem Innocentius Pontifex Aquileiensi Patriarchatu ornatum apud Mediolanenses Placentinosque iusserat permanere. Eo enim curante, hinc Placentini & Mediolanenses, inde Bononienses, Ferrarienses, Rhegini, Mutinenseque præsidia Parmam immiserant selectissima, vt Fridericus illorum eruptionibus prope quotidianis agitatus, castra remotius cõmunire fuerit coactus, quæ quidã castra in magnum circuitum fossa valloque primum casu & præter intentionem munitissima, in vrbem conuertit, cui victoriæ nomen dedit. Et fuit plane vrbs Victoria vario gentium & rerum inusitatarum commercio ac multitudine frequentata, quod per singulos pene dies ex Africa, Mauritania, Asia, Ægypto, noui homines, noua veste, nouis morib. sunt visi. Animalia etiam vidit vrbs Victoria, quæ post theatrales stantis Romani Imp. ludos Italia non viderat, elephantes, dromedarios, pantheras, leones, pardos, lynces, & ipsos albos. Aues quoq; & rapaces, & cicures, falcones, chiliones, astures, girfalchos albos; atque barbaros bubones. Contraxit etiã eo Fridericus habitas prius, & tunc primum raptas speciosissimas mulieres, quibus à spadonum grege custoditis, viridaria, vineas, hortos, & consitiones cum villis apud Victoriam vrbem curabat. Interea Pontifex Innocentius, apud Lugdunum degens post Concilium dimissum, Ottonem Tusculanum Cardinalem Episcopum ad Regni Franciæ Prouincias Legatum, alios autem ad alia Regna misit, Crucesignatos excitaturum quorum pars cõtra Fridericum proficiscerentur, pars S. Ludouicum in Asiam, traiicere parantem, sequerentur. Namque eam quoque expeditionem in Terram sanctam Innocentius indixerat, ex Concilii decreto.

VICTORIAM VRBEM CONDIT FRID.

VIII. QVÆDAM ADHVC SALVBRITER IN CONCILIO STATVTA.

In eodem Concilio Lugdunensi Innocentius Pontifex plurima alia tum egit, tum saluberrime constituit, præsertim vero ordinem iudiciorum correxit, & Iudicum Ecclesiasticorum præsumptionem circumscripsit. Placet vnum, aut alterum decretum, iis ipsis suggerere. Primum esto istud: quod vtinam omnes Iudices memoriæ tenerent.

I. IN IVDICES, EORVMQVE FORMAM IVDICII. *lib. 6. decr. de sent. & re iudicat. tit. 14.*

Cum æterni tribunal Iudicis illum reum non habeat, quem iniustè Iudex condemnat, testante Propheta: nec damnabit eum, cum indicabitur illi, caueant Ecclesiastici Iudices & prudenter attendant, vt in causarum processibus nil vendicet odium, vel fauor vsurpet: timor exulet: præmium aut expectatio præmii iustitiam non euertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, vt in omnibus quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solũ Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, vt secundum eius Imperium iudicaret. Si quis autem Iudex Ecclesiasticus, ordinarius aut etiam delegatus famæ suæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam & contra iustitiam in grauamen partis alterius in iudicio, quicquam fecerit per gratiam, vel per sordes, ab executione officii per annum nouerit se suspensum, ad æstimationem litis parti, quam læserit, nihilominus condemnandus. Sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter se ingesserit diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet, secundum canonicas sanctiones: à qua nonnisi per summum Pontificem poterit liberari, salnis aliis Constitutionibus, quę iudicibus male iudicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Dignum est enim, vt qui tot præsumit offendere, pœna multiplici castigetur.

Secunda Constitutio Concilii.

2. IN EOSDEM. *De sent. excommun. tit. 11.*

Cum medicinalis sit excommunicatio non mortalis, disciplinans non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat: cautè prouideat Iudex Ecclesiasticus, vt in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero huiusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem si fuerit requisitus: super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas. Si quis autem Iudicum huiusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis nouerit se suspẽsum. Superior vero ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expensas & omne interesse condemnet, & alias puniat animaduersione cõdigna, vt pœna docente discant iudices, quam graue sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare.

IX. SANCTVS LVSITANIÆ REX A PATRE ALPH. REGNO EXVITVR.

Per id temporis Sancio Capello Regi Lusitano Mencia Lupi Hari Viscalæ Reguli filia connubio iuncta fuit, viri vsque adeo potens, vt non Principem se, sed ministrum ageret fœminæ cupiditatis. Apud eam gratia & auctoritate plurimum poterant, quos minime omnium oportebat. Ii

Marian. lib. 13. c. 4.

soli, omnium consiliorum participes erant: sine illis neque domi neq; foris quidquam maioris rei gerebatur. Horum compendio ac libidine honores, Præfecturæ, impunitates, supplicia Rex largiebatur, insciens plerumque & ignarus. Proceres rempublicam ignobilium hominum arbitrio agitari molestè ferebant. Consilio itaque inter se communicato, lege propinquitatis, & quoniam Regina infæcunda erat, id coniugium diuellere conati sunt. Res ad Pontificem Romanum delata. Viri sancti adhibiti, qui Regis animo, alioqui minimè malo, religionem incuterent. Nihil eâ diligentia profectum: cum Reginæ artibus vsque adeo captus esset, vt carminibus & veneficiis amentiam iniecisse vulgus existimaret. Amore captus animus, philtris non eget. Erat Sancio frater ætate proximus, eximia indole, Alphonsus nomine: qui Matildim Bononiæ in Gallia Comitem vxorem duxerat. Episcopi Bracarensis & Conimbricensis, ad Innocentium Pontificem, qui hoc anno Lugduni Concilium congregarat, à Lusitanis Proceribus amandati, cum Pontifici causas Legationis explicassent, vt Sancius Regno pelleretur, non potuerunt impetrare. Id modo concessum fuit, vt Alfonsus eius nomine, dum viueret, rempubl. gubernaret. Extant de hac re ipsius Innocentii litteræ ad proceres Lusitaniæ hoc ipso anno datæ, & in Codicem decretalium repositæ, titulo, de supplenda negligentia Prælatorum. Alfonsus Pontifice primum conuento, Lutetiæque fœderibus cum primoribus Gallorum initis, iuratisque, cum ad eum studia procerum Lusitaniæ inclinassent, & in Rege parum præsidii esset, continuo rempubl. nullo impediente occupauit. Sanctius Rex omni spe depulsus Regni obtinendi administrandique Toleti consenuit, decessitque.

X. ADMIRABILIS FIDES PRÆFECTI CONIMBR. IN REGEM SVVM SANCTIVM.

Magna fides tunc enituit erga Sancium Præfecti Flectii. Conimbricam obsidebat Alfonsus in Sancii fide persistentem, impugnabatque acerrimè. Obsessi ad supremam quamuis inopiam redacti obstinata patientia sustentabant: cum Flectius arci vrbique Præfectus Sancii morte nunciata, neque satis credens tamen, quasi certiora cogniturus, Toletum eundi veniam, ab Alfonso deditionem postulante, postulauit. Dedit Alfonsus non inuitus, interimque ab oppugnatione cessauit. Flectius Toletum delatus aperto Regis Sancii sepulchro, Conimbricensis Vrbis claues defuncto dedit in manus, his vsus verbis: *Quamdiu, Rex, viuere te iudicabam, extrema omnia sum perpessus. Coriis famem toleraui, sitim lotio, ciuium animos consilia de deditione agentium, ad malorum patientiam erexi. Quidquid à fideli & constanti homine, atque in tua verba iurato expectari debuit, præstiti. Mortuo, Tuæ tibi Vrbis clauibus traditis, quod supremum officium est, Sacramento me solutum ciuibus, decessisseque te nunciabo: Alfonso fratri tuo ne amplius resistant te concedente ero auctor.* Dixit, Conimbricam reuertit: Alfonso Vrbem dedit: Vir fidei atque constantiæ omnibus sæculis prædicandæ.

XI. ANTEQVÂ REGNO EXVERETVR SANCTIVS, ECCLESIASTICAM LIBERTATEM RESTITVI VVLT ETIAM PER CENSVRAS INNOCEN. IV. *epist. 439. Lugd. 13.*

Cæterum antequam Innocentius Pontifex Sancium Portugaliæ Regem, regni administratione exueret, & certa significatione perspectum habuisset, per eius conniuentiam, seu ignauiam, Ecclesiæ libertatem in regno Portugalliæ violari, & Ecclesiasticos à sæcularibus indigne tractari, bonis spoliari, claues Ecclesiæ conculcari, matrimonia à Proceribus in gradibus à canone prohibitis quotidie contrahi, & disciplinam Ecclesiasticam eneruari, dolens admonuit Sancium, vt tandem socordia excussa vir esset, & Ecclesiasticas leges, res, atque personas vindicaret. Quod si negligeret, Episcopo & Priori Ordinis Prædicatorum Conimbricensi & Portugallensi iniunxit, vt per censuras Ecclesiasticas eos qui temeratores essent rerum, legum vel personarum Ecclesiæ compescerent, atque Regem vecordem virga censoria officii admonerent. *Calend. April.*

XII. SVMMA RERVM QVORVNDAM GESTORVM HVIVS ANNI INNOC. IV. *1. epist. 285. Lugd. Calend. Febr. Cromer. l. 8*

Eodem anno pariter antequam Concilium celebraretur, Innocentius nonnulla alia egit. 1. Suentopalcum Pomeraniæ Ducem, ante octo annos anathemate damnatum, quod Ecclesiæ claues contemneret, neque ad Ecclesiam redire curaret, & Christianos Crucesignatos, contra Pruthenos Paganos depugnantes male tractaret, redarguit, vtque negotium fidei in Prussia promoueret, & Ecclesiæ reconciliaretur, admonuit. Per hæc enim tempora Prussi, Germanis & Polonis omnibus Christianis, qui vel negociabantur apud ipsos, vel etiam domicilia in Prussia fixerant, constituta die certa trucidatis, munitionibusque omnibus præter Balgam & Elbingam, interfectis vbique præfectis, & præsidiis in suam potestatem redactis, belli ducatum contra Cruciferos detulerant, atque is confestim obsessis terrestribus iuxta ac fluuialibus itineribus, omnes quicumq; Crucigericarum essent partium, siue in Prussiam proficiscerentur, siue inde fugerent, excipiebat & necabat: coactisque celeriter Prussorum atque Pomeranorum suorum copiis, Culmensem tractum omnem ferro & igni vastauerat: vbi ad quatuor millia hominum partim occiderat, partim in captiuitatem abduxerat. Nec integrum quicquam in eo tractu, præter Toruniam, Culmam, siue Chelmnum & Razinum arces, quibus potiri non potuit, reliquerat. Neque eum authoritas Guilelmi Episcopi Mutinensis (qui postea fuit Sabinensis) Legati Apostolici ab incepto deterruit. Qui quidem Legatus Prussiam à Crucigeris eorumque adiutoribus Crucesignatis ad illud tempus subactam, atque etiam subigendam etiam dum, mandato & authoritate Innocentii Pontificis tribus diœcesibus, nempe Varmiensi, Sambiensi, & Pomesaniensi tunc distinxit: Culmensi in suo statu relicta: eamque distinctionem postea Innocentius ipse confirmauit. Theodoricus autem Crucigerorum Magister, collectis copiis, & accito Casimiro Cuiauiæ & Lenciciæ Duce, Zartauiciam Suentopalci in Pomeriana arcem, nocte quadam, quæ est ante tertium Nonas Decembris, cum viginti quatuor armatis, admotis scalis, & custodibus partim interfectis, partim captis intercepit, thesaurum, in quo Diuæ Barbaræ (illiusne Antiochenæ, cuius celebre est nomen apud Christianos, an alterius cuiuspiam, incertum est) corpus erat asportauit, arcem acciro & imposito præsidio suo muniuit, atque Suentopalcum in auxilia suorum aduolantem vicit, fugauit & ad pacem petendum coegit à benedictione Summi Pontificis, quam eius nomine Guilelmus Legatus imprecatus erat. Porro Innocentius Pontifex alia etiam hoc anno egit. 2. Venceslao filio Regis Boemiæ, vt neptem Ducis Austriæ sibi in quarto gradu propinquam in matrimonium assumeret, propter tollendas inter Regem atque Ducem discordias, concessit. 3. Regi Scotiæ, & Reginæ, atque filio eorum Alexandro, Iudicibusque eorum, ne communicantes excommunicatis, scilicet, non in crimine, excommunicatione ab Iudicibus Ecclesiasticis percellerentur, indulsit. 4. Regi Daniæ, contra Paganos, qui in finibus sui Regni neophytos armis violabāt, profecturo, quamdiu in ea expeditione militaret, tertiam partem Decimarum, Regni & Prouinciæ Londonensis, quæ quidem ædificiis Ecclesiasticis designata fuerat, (nam prima pars Episcopo, altera rectoribus & parochis locorum impendebatur) liberaliter cōcessit. 5. Conuentionem inter Robertum Comitem, & Abbatem Monasterii S. Vedasti Attrebatensis, super collatione medietatis telonei eidem Comiti & successoribus illius ab Abbate concessa, confirmauit. 6. Nicolaum Cardinalem Sabinensem in Prussiam

2. epist. 2. Lugd. 6. Id. Decembr. — *3. epist. 525. Lugd. 3. Nō. Maii.* — *4. epist. 345. Lugd. 6. Nō. Mart.* — *5. epist. 595. Lugd. Non. Iun.* — *6. epist. 286. Lugd. Cal. Febr.*

Legatum misit, eiusque Capellano Fr. Henrico Ordinis Prædicatorum, vt venientibus ad eius Conciones in terris Culmensi & Prussiæ Christianis, & omnibus qui milites Crucesignatos contra Paganos pugnantes, in extruendis munitionibus, & custodiendo reficiendoque exercitu Christiano operam suam præstarent, indulgentiam viginti dierum posset concedere indulsit. 7. Christianos in Russia, vt relicto ritu Græcorum ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ redirent hortatus est. 8. Monialibus S. Damiani regulam viuendi præscriptam approbauit. 9. Vniuersitatem & studium in Valentina ciuitate confirmauit, multisque priuilegiis ornauit. 10. Magistro Generali & Prouincialibus Ordinis Prædicatorum, Inquisitores & Commissarios in causis fidei instituendi & remouendi potestatem fecit, dato in hunc qui sequitur modum diplomate.

7. epist. 476. — *8. epist. 290.* — *9. epist. 7. & 8.*

PRÆD. IN CAVSIS FIDEI POTESTATEM DAT INQVISITORES INSTITVENDI INNOC. IV.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Ioanni Episcopo quondam Bosnensi Magistro, & dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Odore suaui Ordinis vestri continue recreati, eum non immerito fauore speciali prosequimur, & ipsius exaltationem plenis desideriis affectamus, quietem ei & alia diligenti procurare solertia intendentes, per quæ semper optatum auctore Domino suscipere valeat incrementum. Hinc est quod nos vestris supplicationibus annuentes, vt tu Frater Ioannes Episcope ac Magister tuique successores Fratres tui Ordinis qui ad prædicandum Crucem vel inquirendum contra prauitatem hæreticā, seu ad alia huiusmodi negotia sunt, vel fuerint à Sede Apostolica deputati, remouere, seu reuocare, penitus transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere cum expedire videritis, licite ac libere valeatis, & in eos si contrauenerint, censuram Ecclesiasticam exercere. ac quilibet Prior Prouincialis eiusdem Ordinis idipsum in sua prouincia circa Fratres ipsius Ordinis, quibus in illa similia contingit ab eadem Sede committi, facere possit, auctoritate præsentium indulgemus. Lugduni Quinto Idus Iunii. Pontif. anno 3.

XIII. AD TATTAROS CONVERTENDOS MITTIT QVATVOR PRÆD. ET DVOS MINORES. *Æmil. lib. 7. Platus lib. 2. Anton. ex Vinc. Belluacens. p. 3. ti. 19. cap. 5. Vinc. lib. 13. cap. 91.*

Eodem pariter anno, ex Concilii Lugdunensis decreto, ad Imperatorem Tartarorum Innocentius Pontifex quatuor ex Sacro Prædicatorum cœtu, Dominicique obseruatione, duos vero ex instituto Diui Francisci Ordinis Minorum lectos, Oratores misit: si gens, quæ domo, horrido cœli cardine, torpentisque naturæ solo profecta, bellum vaga circumferens beatiores regiones vrgebat, imbui posset Christiana pietate, ac ab insita feritate mansuefieri, ne vastitatem orbi terrarum inferret. Prædicatorum nomina fuere, Anselmus, Alexander, Simon, Albertus. Minores vocabantur, F. Ioannes de plano Carpini & F. Benedictus. Isti omnes, quamquam cum magna difficultate terram barbarorum penetrassent, & nonnullos obices Euangelicæ Prædicationi statim in limine offendissent, cunctis tamen superatis, & immensis laboribus exantlatis, innumerabiles gentilium Christo adiunxerunt. Itaque cum in Scythia magnus hominum numerus Euangelium admisisset, paulo post multo plures illuc operarii destinati, monasteria multa instituta, denique res Christiana feliciter prorsus administrata est. Habeo Hagneum auctorem referentem apud Genebrardum, quod Diuo Ludouico, ad Cyprum cum classe anno Domini 1249. appellenti, occurrerint Tartari quidam ab Erchalmo Principe cum literis missi, ex quibus Sanctus Ludouicus cognouit Chamum Tartarorum Imperatorem, Christi fidem anno ab inde tertio, scilicet 1246. recepisse & baptizatum fuisse, cum magnatum & plebis multitudine maxima, instructumque habere militem, quem in hostes fidei educeret. Mouerat porro Innocentium ad eam Legationem mittendam, nonnulla spes concepta, ex recenti conuersione aliquorum in Polonia Tattarorum. Horum enim plurimi, ostento illo apud Vuratislauiam quam obsederant, à Beato Ceslao Odrouansio ostenso, perterriti, (aliqui illum instar columnæ igneæ viderant, alii globum igneum in eius capite aspexerant, alii globos igneos in castra Tattarorum iacientem explorato didicerant, miraculumque istud esse certo certius cognouerant) vna cum regulo quopiam meliore spiritu afflati, Fratribus Prædicatoribus erudiendos se dederant, & Lugdunum ad Summum Pontificem adducti, ab eodem Sacræ Vndæ immersi, Christo redemptori orbis nomina addixerant. Sperabat itaque Innocentius ab opera tum illorum Patrum, tum istorum tyronum, non difficilem fore Tattarorum conuersionem: præsertim cum hi quoque interpellarent Pontificem, vt Gentilibus suis in errore teterrimo versantibus, facem Euangelii accenderet. Anselmus, cum non contemnendam operam, in docendis Tattaris posuisset, cum Fratre Ioanne & Benedicto minoritis, in intima Perfidis penetrans, & Legatione pro Christo defungens, dum idololatras ab idolorum cultu auertit, multis pro Christo perlatis cruciatibus, vitam cum sanguine profudit; duobus sociis illis martyribus comitatus, qui & ipsi Fidem Christianam cruore effuso illustrarunt. Incertum est, quo anno triumpharint, istud certum, quod hoc anno in viuis esse desierint aliqui viri insignes ex Ordine Diui Dominici.

XIV. SANCTITAS HERMANNI PRÆDICATORIS ET MIRACVLOSÂ ERVDITIO. *Henr. bertius in Chron. Ord. Leand. Ferdinand. Lusitan. & reliqui hist. Prædicat.*

Agmen eorum ducat Hermannus, Diui Hyacinthi socius, vna cum ipso Romæ in cœnobio Sanctæ Sabinæ, in omnibus Sancti Dominici vitam regularem professus, & hoc ipso præsenti anno Oppoliæ apud Diui Adalberti vita functus. Hermanni tota exercitatio & opus, cum ab opere externo vacaret, fuit oratio & meditatio, præsertim vero passionis & mortis Christi, in quibus suauiter deliciabatur. Frequentissima illi erat in ore, ea formula ab Ecclesia præscripta, quam ille poplite flexo, multis cum lachrymis frequentissime promebat, dicens: Adoramus te Christe & benedicimus tibi; quia per Crucem tuam redemisti mundum. Eam cum ille semel ex intimo corde eructasset, vidit Saluatorem visibili specie se oculis suis subiicientem. Expauerat ad maiestatem Dei radiantis; audebat tamen adorare, & complecti, cum Christus apparens admonisset eum suis vulneribus, & è singulis manuum, pedum, & lateris fixuris guttas pretiosi sanguinis illi instillasset. Ex hoc mero inebriatus Hermannus, magis quam antea omnia mundi oblectamenta fastidiuit, nihilque amplius quam Deum & hunc Cruci affixum dissuauiare concupiuit. Beatissimæ quoque Deiparentis Mariæ imago, eius semper obuersabatur aspectibus, cuius viscera cœlis capaciora demiratus, illis quod Deum immensum nouem mensium spatio baiulasset; cordi Virgineo, quod supra humanum & Angelicum captum excellentissimis mysteriis fidem præstitisset: vberibus, quæ omnia largiter pascentem pauissent: manibus, quæ amictum lumine fasciis cinxissent, brachiis quæ gestassent, ori quod balbutienti pusioni oscula impressisset, Beatitudinem obuentam gratulabatur, & ad singulorum pudicissimæ Virginis membrorum verecundam contemplationem, salutationem Angelicam pangebat. Ab imagine autem externa pulcherrimæ Virginis, ad longe venustiorem mentis eius ideam transferebatur, & incredibilem fidem, demissam humilitatem, ardentissimum amoris incendium, puritatem supra Angelicam, moderationem animi, iustitiæ robur, aliarumque intus manantium virtutum fulgetra vel potius lumina, nuspiam in alia creatura visa, venerabatur, inque paradiso isto, in quo Trinitatis supernæ præcellentes personæ, sua oblectamenta capiunt, cogitatione castiore expatiatus, ad singulorum mentis Virgineæ ornamentorum nuncupationem, salutationem Angelicam geminabat: adiiciens; Iesu suauissime, dignare me meam & tuam matrem super omnes speciosam ore laudare, corde admirari, & imitatione subsequi. Tantum autem Beatissimam Cœlorum Reginam, eius ardentior deuotio recreauit, vt ipsa quoque se illi visendam, vna die Sabbathorum præbuerit, nouisque charismatibus gratiarum eumdem ditauerit. Istud erat. Præ contemplationis studio, non multum actioni vacabat: totusque in spiritu absorptus, & quasi extra se raptus, aliorum saluti non adeo inuigilare satagebat. Eam ob rem à multis, pro ignauo habitus, non multum æstimabatur. Orationis quoque frequentior vsus quam communis, nonnihil in eo aliis displicebat, hinc despicientia, hinc murmur contra eum oriebatur. Mouit ea res nonnihil Hermannum, & ideo Mariæ Marthā, scilicet contemplationis studio, curam salutis animarum adnectere desiderans, in oratione se prostrauerat. Flagitabat Filium per matrem Reginam, vt illi dignaretur

tantillum delectationis spiritualis ex illo interno mentis delicio detraliere, & tantum intelligentiæ scripturarum remenso dono conferedere: linguam deinde balbam, vt olim Moysis ex visione inuisibilis ardoris dissoluere, & tum ad laudes diuinas perficiendas, tum ad destruendum inimicum & vltorem, tum ad instruendos Cœlitum amicos futuros, præparare, aut aliquo carbone supra mundano perurere. Percussit mox flammeo eloquio, exsoluit, præparauit, ac instruxit DEVS, mentem, fibras & linguam Hermanni ad prædicationem Euangelii pacis, vt scientia diuinitus infusa Theologos, eloquentia vero pone Paulina Oratores innumeros post se relinqueret. Latino, Alemanno, Boemo, & aliis sermonibus promptissimus in dicendo, felicissimus in capiendis ad meliorem frugem hominibus erat. In consiliis efficacia, claritate, & facilitate tanta, vt innumerabiles pene praua iam obiecta, iam tetata abiicere coegerit. Christo plurimis progenitis, sancto fine decessit. Moriente & ad cœlos migrante, Crux aureis radiis pellucida, super Ecclesiam Sole lucente apparuit, insigneque testimonium dedit sanctitati illius, & Cruci Christi ab eo prædicatæ, & in corpore delatæ.

XV. HENRICI PRÆD. SANCTITAS ET MORS. *Leand. lib. 8.*

Fere eodem anno Vratislauiæ in Silesia secutus est Hermannum, Henricus socius, & eiusdem Diui Dominici vna cum eo discipulus. Iste vir Deo deuotus, ad extremam horam deductus, cum iam Eucharistiæ & extremæ vnctionis Sacramenta deuote accepisset, Cruce anteposita conspecta, deficientibus sensim viribus cœpit finem hunc Antiphonæ decantare: Securus & gaudens venio ad te: ita vt & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te. Cumque Frater qui aderat, ab eo inquireret, quid videret, ait: Video Dominum meum Iesum Christum & Apostolos ipsius. Subintulit ille: Num speraret, se illorum consortio adnumerari, cui Henricus respondit dicens: Et omnes qui Patrum nostrorum instituta obseruant, in eorum ordine collocabuntur. Et in Crucem defigens lumina, dulciter ridere, manibusque plaudere cœpit, vultu, oculis, manibusque gaudium immensum præseferens. Deinde post pusillum astantibus Fratribus, & orantibus ait: Adsunt Dæmones, & meam fidem subuertere conantur: sed ego, Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quibus dictis expirauit. His se adiungunt duo Galli cognomines, Petri nomen adepti. Alteri eorum summo diluculo quiescenti, vox audita est cælitus delapsa. *Surge Petre; neque enim amplius tempus superest dormiendi.* Surrexit, sacra confessione animum purgauit, sacrũ Missæ holocaustum maxima cum demissione obtulit, sancto oleo deliniri postulauit, eademque die à leui febricula corpore exuto, ad cœlum emigrauit, in Conuentu Dinensi. Alter horum apud Montempessulanum decumbens, cum Fratres ex more officium Nonarum in Ecclesia recinerẽt, cœlum se vidisse apertum, sibique tum mysterium SS. Trinitatis, tum horam exitus, & salutem certam reuelatam esse dixit, & in his verbis spiritum exhalauit.

XVI. ISS SANGVIS AB HENRICO REGE ANGLIÆ IN VVESTMONASTER. TEMPLO PONITVR

Hoc anno Henricus Rex Angliæ egregium illud VVestmonasterii Sacellum B. Mariæ Virgini extruere cœpit, primumque suis manibus lapidem in fundamentis iecit, quin & veteris templi post 25. annos maiorem partem euerti, illudque laxius & magnificentius extrui curauit, & variis exquisitisque magni pretii ornamentis ornauit. Sed nulla alia re tam memorabili & insigni, atq; illa, præ qua omnes humanæ diuitiæ atque thesauri vilescunt plane, pretiosum & adorandum intelligo Christi sanguinem, qui ad eum ab Hierosolymis transmissus cum literis Magistri Templi & Hospitalis, Patriarchæ Hierosolymitani, multorumque Episcop. & Abbatum, qui contestabantur, verum & genuinum esse Christi sanguinem, quem Rex ipse die Eduardo Regi sacro, cũ præcedentem diem in ieiunio, nihil gustans præter panem & aquam, noctemque in peruigilatione posuisset ab æde sacra D. Pauli suis ipse manibus pedes, & plebeiam tantum vestem indutus, in maxima & celeberrima supplicatione, omniumque ordinum præsentia VVestmonasterium deportauit, quo die concionem habuit Nordouicensis Episcopus, docuitque cum ipsam Crucem Christi tanto omnes vt parerat honore prosequerentur, quam eximiam & augustam ipsi Christi sanguini impendere deberent: cum non sanguis propter Crucem, sed Crux propter sanguinem Christi, quo irrigata est, in honore & cultu haberetur. Et cum, vt sit, scrupulus quidam in quorundam pectoribus nasceretur, qua ratione fieret, vt germanus aliquis Christi sanguis in terra viseretur, quem omnem pro nobis effusum esse credibile est, Christum cum tediuino corpore in cœlũ euexisse: eum omnem nodum docte Linconiensis Episcopus exemit. Et hoc amplius, miraculum quoddam eodem die summo mane per Sacrosanctum sanguinem accidisse memorabant. Eandem autem Henricus ieiunandi atque orandi rationem cum copiosa eleemosynæ largitione in aliis etiam Regis Edouardi vigiliis tenere solebat: in quem singulari ferebatur propensione, quæ eum etiam exciuit, vt auream thecam, quæ sacras eius reliquias contineret, fabricarit, tantisque beneficiis Cœnobium illud adauxerit. In hac capsa cum solemni per Episcopos ceremonia sacræ reliquiæ reconderentur, duo, quos nefarius occuparat, dæmonem beneficio pii Confessoris excussere. *M. S. Vatic. de rebus Anglic. num. 5586.*

XVII. *Krantz. metr. pol. lib. 8.* EPISCOPO MINDENSI DITHMARO DEVS AQVAM IN VINVM MVTAT.

Per hæc tempora Mindensis Ecclesia habuit Pontificem Dithmarum, in vita miraculis clarissimum. Narrabo istud vnum. Cum is esset vir abstinentissimus, multis vtens ieiuniis, die Parasceues misit quemdam qui hauriret aquam, qua sola tum in potu vteretur. Fecit ille quod iussus est: sed vbi venit in manum Pontificis, versa est in vinum. Illusum sibi Pontifex arbitratur, à ministro. Quamobrem seuere præcepit, vt *aquam* illi, *non vinum proferret.* Mirabatur minister, & sancte testabatur, se non vinum sed aquam hausisse. Iussit ille interim iterare ministerium: sed accidit quod prius. Tum vero non credens fidum ministrum: cum ille egressus, intueri voluit, vnde ille hauriret. Cum autem cerneret, de puteo produxisse, quod proferebat; videns aquam mutatam esse in vinum, Dei bonitatem collaudauit, qui veteraergalium miracula renouasset.

XVIII. RES CHRISTIANOR. IN ORIENTE DEPLORATÆ. *Kranz. sup. & Boss. lib. 9.*

Hoc anno circa festum Sancti Michaelis, viderunt quidam intempesta noctis hora in Oriente, surgere lucem clarissimam, quasi solem, & tandem euanescere per aerem, & in colorem rubrum, hominum permixta specie, commutatam, quod prodigii loco habitum, quid portenderet, varii varia dixerunt. Multi extinctam iri Christianorum cohortem in Palæstina diuinabant: cum interim per totam Germaniam INNOCENTIVS Pontifex lugubrem epistolam Principibus Ecclesiasticis misisset, conquerens, quod à gente quadam Saracena, quam Choresinorum populum appellauit, sepulchrum Domini esset enormiter violatum. Adiecere alii, quod eodem tempore fuerint ab eisdem Saracenis ad vndecim Christianorum millia in vrbe Sancta oppressa: in templo autem, & circa Sanctum sepulchrum, sex millia cæsa. Eam cladem Crucesignatorum miseratus, Damascenus Saladinus, Templariis militibus ex pacto & fœdere coniunctus in reliquorum subsidium quatuor millia armatorum auxilia submiserat. Opportune quoque in subsidia aduenerat GVALTHERVS, IOANNIS BRENNI Hierosolymitani Regis germanus. Hi vario Marte imprimis, contra Saracenos sagaces pugnarunt: sed tamen ad extremum cæsi sunt: Fratre Gerino Magistro militum Hierosolymitanorum, & Gualthero Brennio in captiuitatem abductis.

XIX. OPPRESSI IN GALLIIS AB CLERICIS ORDINES MENDICANTIVM VINDICANTVR.

Eadem tempestate, Auinione, Arelate, & in aliis vrbibus Galliarũ, non tam ab hæreticis, quam ab inuidis aliquibus clericis, multam calamitatem passæ sunt Religiones mendicantium. Causa fuit, quod in partem ministerii Ecclesiasticæ hierarchiæ adiuncti, tum concionibus ad populum faciendis, tum confessionibus excipiendis operam maiorem quam illi negligentiores nauarent. Inter hos Carmelitæ, cum Diuæ Deiparentis Mariæ intercessionem implorarent, Priori eorum Generali Diua apparuit, dixitque; Vade ad Innocentium Quartum intrepide, qui iuxta nominis sui interpretationem partem Innocentum fouebit, atque promouebit. Iuit ille, & à Summo Pontifice, quæcumque desiderasset, contra impugnatores obtinuit. *Paleonydorus lib. 3.*

IESV CHRISTI
Annus 1246.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 4. HENRICI BALDVINI II. Imp. Oc. 1. Imp. Or. 18.

I. S. LVTGARDIS VITA ET OBITVS ET MIRACVLA. *Rom. Martyrol. & Sur. 16. Iun.*

ADXVI. Calend. Iul. rebus humanis exempta est Sancta Lutgardis virgo: cuius memoriam Ecclesia recolit, ex Martyrologio Rom. indictam, his verbis: In Brabantia, Sanctæ Lutgardis virginis. Hæc ex illa quondam Tungrorum celebertima ciuitate, patre Ciue, matre nobili, originem trahens, cum & insita quadam naturæ leuitate, & patris simul hortatu vehementer nuptias ambiret, mirumque in modum ornatu vestium delectaretur: mater, quæ tota pietatis studio dedita erat, modo minis, modo blandimentis, ab ea mundi vanitate eam auocare conabatur; hortabaturque assiduo, vt Christo potius, quam mortali sponso nubere in animum induceret. His aliisque piæ matris excitata stimulis, anno ætatis suæ duodecimo, in monasterio S. Catharinæ, prope oppidum S. Trudonis in Hasbania sito, diuino se seruitio mancipauit. Occulto namque diuini spiritus instinctu adeo mouebatur, vt iam tum amatoriæ leuitatis pertæsa, nihil suauius esse crederet, quã mundi vanitate calcata, totum amorem ad Christum transferre. Interim non deerant grauissimæ dæmonum infestationes, per impudicos iuuenum quorumdam amores excitatæ, qui eam sibi sponsam expetebant: sed illa Christi amore iam ebria, mortale connubium plane respuebat. Cumque assiduis precibus & ieiuniis, ad cœlestium rerum amorem indies magis magisque seipsam prouocaret, mirabiliter commiserationis affectu erga pauperes & ægrotos permoueri cœpit: adeo vt nulla re magis, quam miserorum calamitatibus affligeretur. Contulerat autem ei Dominus gratiam curationum sane admirandam, ita vt ad contactum saliuę, vel manus eius, affecta ægritudine membra sanarentur. Igitur vt tantarum gratiarum fulgor omnibus appareret, vno omnium consensu, eodem in monasterio ad Priorissæ officium electa fuit. Sed cum virgo humilitatis studiosissima, grauissima hac in re iniuria se affectam putaret, diuino instinctu, & hortatu Ioannis Lyrani, Leodiensis diœcesis, viri eximia sanctitate præditi, abdicato Priorissæ officio, ad Aquirianum, Cisterciensis Ordinis monasterium se transtulit. Ibi vero cum incredibili spiritus feruore die noctęque Domino seruiret, & ardentes pro omnium salute preces effunderet, vidit nocte quadam meditationi vehementius intenta, Beatissimam virginem Mariam, vultu lugubri, & quasi graui luctu deformatam. Cui compatiens in visione Lutgardis, cum quæ sumisset ab ea, vnde tantus esset faciei squalor, quę alioqui omnis gratię plena esset, Beatissima Virgo respondit: Ecce ab hæreticis & pseudochristianis rursus conspuitur, & crucifigitur meus filius. Tu ergo assume tibi lamentum, & perpetuo septem annorum ieiunio, vniuerso orbi imminentem diuini numinis iram placare stude. Grassabatur hoc tempore sæuissima Albigensium hæreticorum pestis. Itaque Virgo sacra, vt pro suarum virium tenuitate pestem profligaret, & iratum Christi numen ad misericordiam inflecteret, toto septennio tale sibi ieiunium indixit, vt pane & cereuisia contenta, totam se pro humana salute lamentis daret: adeo, vt si aliquando superiorum voluntate coacta, tentaret aliquid pulmenti ore haurire, protinus nauseante stomacho illud reiiceret. Expletis autem septem illis annis, rursus aliud ei pro peccatoribus ieiunium iniunctum fuit: quod mirabili charitate aliis septem annis, solo pane & olere transegit. Porro eo tempore sacratissimum Christi corpus, sub specie panis singulis Dominicis diebus percipiebat: quod cum Agnes Abbatissa, parum cauto vsa consilio, ei interdixisset, pia Lutgardis æquo & tranquillo id quidem tulit animo: sed admonebat illam, Christum eam iniuriam vlturum. Nec defuit dicto fides. Nam Agnes paulo post intolerabili morbo correpta, non prius vel pedibus insistere, vel Ecclesiam ingredi potuit, quam agnita indiscretionis suæ culpa, Lutgardem pristino more cælesti pane frui permitteret. Vt autẽ quarumdam monialium, quę minus de illa digne sentiebant, temerarias iudicia comprimerentur, illiusque meritum clarius claresceret, accidit præclaro sane miraculo, vt die quodam Dominico ad altare pergens, cum præanimia corporis debilitate sub graui casu periclitaretur, Angelico fulciretur ministerio; prorsus vt sacræ Virgines, viso splendore immenso, qui eam circumdabat, timore perculsæ, summa eam deinceps veneratione prosequerentur. Quin & aliorum quorumdam Sanctorum familiari colloquio, Dominus eam in vita consolari dignatus est. Ipsa vero mira solicitudine afflictos & tentatos consolabatur: adeo vt nemo nõ eius sermonibus se refectum gauderet. Vndecimo fere ante obitum suum anno, instar Patriarcharum Isaac & Iacob, ambobus est orbata luminibus: pro quibus cœlestis luminis splendoribus solito clarius perfusa, tandem ad liberas auras supernæ Ierusalem exultans euolauit; innumerabilibus miraculis in vita & à morte illustris.

II. *Sur. 3. April* FLORET S. RICHARDVS EPISCOPVS CICESTRENSIS IN ANGLIA THAVMATVRGVS.

Per idem temporis viuebat & florebat in Angliæ Sanctus Richardus Episcopus Cicestrensis. Is natione Anglus parentes non ignobiles habuit, Richardum & Aliciam; & à primis annis pietati ac morum grauitati deditus omnes coætaneos suos facile, tam eruditione, quam vitæ integritate, antecessit. Porro frater eius tener adhuc in captiuitatem abductus, maturiori æuo ita è custodia dimissus fuit, vt nihil secum in patriam quam nuditatem & extremam inopiam deferret, cuius paupertatem ex animo miseratus Richardus, cum & ipse nihil quo fratri opitularetur haberet, se se in eius seruitutem tradere minime dubitauit, quo grauę paupertatis onus nonnihil subleuaret, fratremque suum opere manuum sustentaret. Quibus sane officiis in tantum sibi fratris beneuolentiam conciliauit, vt is totius terræ suæ eum hæredem inscripserit. Non multo post cognati & amici, nobilem quamdam puellam opibus ac diuitiis præstantem Richardo despondarunt. Quod vbi frater eius sensisset, indoluit, se fundum suum in eum transtulisse. Cui Richardus: Non est, ait, frater charissime, quod te hoc nomine afflixeris. Non tantum fundum tuum tibi restituo, sed etiam sponsam ipsam, quam ego numquam exoculatus sum, tibi lubens cedo: si tamen id illi & amicis eius molestum non fuerit. Dixit, atque omnibus mundi huius rebus abdicatis, sponsaque & amicis derelictis, primum ad Oxoniensem Academiam, inde Lutetiam Parisiorum se contulit. Tanto autem discendi desiderio ferebatur, vt nullam aut paruam admodum corporis curam haberet, omnesque suas cogitationes vsque adeo in literarum meditatione defixas haberet, vt omnia præ illarum amore neglexisse videretur. Degebat tunc temporis cum aliis duobus studiorum sociis, quos vna eademque paupertas affligebat: intantum vt tribus illis vnicum solum capitis operimẽtum, quo lectiones audituri per vices vterẽtur. Cibus illis panis ater cũ oluscullo erat; quo tamen vir Sanctus, numquam se toto vitæ spatio, iucundiores, suauioresque dies duxisse fatebatur. Lutetia Bononiam commigrãs, cum iuri sciendo operam nauaret, tantum beneuolentiæ apud præceptorem obtinuit, propter modestiam & innocentiam vitæ, vt vnicam ei filiam cum omnibus facultatibus tradere præoptarit. Cæterum Richardus, qui diuinos in pectore motus præsentiebat, gratiis submisse datis, in Britanniam reuersus est, vbi in tantum eius existimatio creuit, vt vnanimi omnium consensu Oxoniensis Academiæ Cancellarius creatus sit. Per id tempus Cantuariensis Ecclesiæ Cathedram obtinebat B. Edmundus, qui sancti viri integritate & prudentia delectatus, eum in partem oneris ac dignitatis suæ vocauit, traditoque sigillo præcipua quædam grauioraque totius diœcesis suæ negotia illi demandauit, quæ vir sanctus singulari prudentia atque æquitate administrauit. Mortuo B. Edmundo, & simul cum eo Cicestrensi Episcopo, Richardus, inuito Rege Henrico eius nominis tertio, ei Ecclesiæ à Collegio Canonicorum suffectus, ita eam dignitatẽ contra omnes Regiæ inuidiæ impetus tutatus est, vt non mediocrẽ constantiæ & sanctitatis laudem, ad reliquarum virtutum cumulum adiecerit. Nam cum Regis animum nulla ratione à mendacio ad veritatem inflectere posset: Romam ad Innocen. IV. Pontif. recens electum abierat, vt is pro sua auctoritate electionem factam ratam haberet vel infirmaret. Confluxerãt eo Regis Legati, qui Richardum in inuidiam Pontificis adducerẽt, at Pontifex auditis quæ partes afferebant, solemni sacrarum manuum suarum impositione Richardũ Episco-

pum consectauit, fuisque eum literis contra omnes æmulorum machinationes egregie munuit: quæ res non tam Regem conciliasse, quam nouam quamdam iram & indignationem conflasse visa est. Rex enim, præterquam quod omnes Ciceſtr. Eccleſ. facultates per summum scelus exhauserat, edicto quoque publico, omnes à benefaciendi Antistiti studio auertebat. Quamobrē pauper & inops sub alieno tecto hospes manebat: nec tamen eā propter commissi sibi gregis curam vllo modo negligebat: imo ne quis eum inertiæ aut ignauiæ arguere posset, interdum ad regiam sese conferebat, & ablatorum bonorum restitutionem humiliter postulabat: licet inde cum iniuriis & contumeliis expelleretur. Iam biennium vir sanctus vexationes regias pertulerat, cum Summi Pontificis mandato compulsus, ædes illi ruinosas & vacuas restituit. Postquam vero animo magis libero & soluto sacræ functioni illi incumbere licuit, tum ante omnia attentissimam pauperum curam suscepit, tanta fide ac studio, vt non dubitauerit vasa argentea & aurea, ac magni pretii equum quo vehebatur, ad eorum inopiam subleuandam distrahere. Feruebat vir sanctus incredibili benigne faciendi studio, vsque adeo, vt mortuos propriis etiam manibus sepeliret, & quosuis vera inopia laborantes, ad accipiendam eleemosynam suauissimis verbis inuitaret. Cumque interrogatus esset, quare ipse pauperes ad beneficium accipiēdum inuitaret, rogaretque, cum potius rogari deberē, respondit: Quia scriptum est: Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Itemque: Quia nimis care emitur, quod precibus emitur. Instituit & domum quamdam hominibus senio confectis, aut graui aliqua corporis debilitate oppressis, tutissimum miseriarum suarum perfugium, in qua omnia, quæ ad victum vestitumque necessaria erant, benigne ac liberaliter suppeditabat. Illud quidem valde est memorabile, quod cum quodam die panem vnum pauperibus distribuendum curasset, is idem eius benedictione adeo multiplicatus est, vt ex eo tria hominum millia abunde refecta fuerint, atque insuper fragmenta cētum pauperibus superfuerint cibandis. Cum nemine vnquam inimicitias fouit; quin potius pro contumeliis honorē, pro inimicitiis benevolentiam rependit. Quāuis autem maxima esset animi lenitate præditus, tanta tamen iustitia, tantaque seueritate, in homines grauioris alicuius sceleris contagione pollutos vtebatur, vt nullis vel minis vel blanditiis flecti vel frangi posset. Erant in eius diœcesi Vicarii tres, impudicarum fœminarum consuetudine infames, quos mox vbi resciuit vir sanctus, lata in eos canonica sententia, beneficiis Ecclesiasticis priuauit.

Erat diuitiarum ac omnium humanarum rerum contemptor egregius, prorsus vt cum die quodam domorum suarum incendium, & ingens rerum iactura nunciata esset, nihil animo moueretur: quin potius illud ipsum in nimiam suorum tenacitatem referebat, asserens iusto Dei iudicio hoc factum, quod fortassis in præstandis eleemosynis negligentiores fuissent. Vndē protinus, quamuis res tunc angusta domi esset, manu largiori iussit subueniri pauperibus. Diuinarum rerum meditationibus ac precibus adeo delectabatur, vt venientes ad se religiosos, & homines pietatis studio deditos semper cū osculo susciperet, dicens: Bonum est ea deosculari labia, quæ thymiama sanctarum orationū Deo cum deuotione oblatarum suauiter redolent. Quanto autem studio & diligentia sacras Conciones vir sanctus obierit, & quam clementer contritos corde fouerit, consilia perentibus impertiuerit, & deploratos peccatores ad vitam meliorem & spem veniæ excitauerit, nemo possit pro dignitate explicare. In subsidium Terræ Sanctæ, demandatam sibi à Romano Pontifice Crucis prædicationem cum suscepisset, & per loca maritima ad Cantuariensem vsque Ciuitatem peruenisset, decimo die ante, quam celebrem portum Douernensem attigisset in morbum incidit, neque tamen propterea quidquam ab instituto pietatis cursu remisit, donec vi morbi oppressus, in Xenodochio, quod Domus Dei appellatur, animam ageret. Cumque mortis horam imminere præcognouisset, imaginem Cruci affixi deuotissime complectens, ad vltimum vsque spiritum insignem pietatis significationem dedit, animamque inter orationis verba suauiter exhalauit. Ad eius sepulchrum tres mortui suscitati, abortiuus fœtus animam recepit, & plura alia admiranda facta. Eius viri memoriam recolit Ecclesia, recitatam ex Martyrologio Romano istis verbis. In Anglia, sancti Richardi Episcopi Ciceſtrensis, sanctitate & miraculorum gloria conspicui.

III. TRES VIRI SANCTI EX ORD. PRÆD. PETRVS CONSALVVS, BERNARDVS ET GVILLELMVS. *Ferdinand. Caſtell. in annal. Prad.*

Hoc ipso anno tres viri Illustres Ordinis Prædicatorum, Petrus Consaluus, Bernardus, & Guillelmus, ex hac vita abierunt. Petrus Consaluus, ex hac occasione Religioni Diui Dominici se indidit. Cum Episcopo Valentino nepos esset, & ab eo opima beneficia adolescentulus adhuc ante legitimam ætatem consequutus esset, quibus ille ad delitias & inanem fastum fruebatur, ita contigit, vt quadam die dum in equo vna cum aliquot æqualibus tota vrbe, hic, illic, lasciuiret, in profundum lutum incideret, ex quo cum totus madidus ac cœnosus extractus esset, accidit insuper vt à puerorum manu quæ forte circumstabat, cum risu & scommate multo procaciter exciperetur. Quare pudore perfusus, sibique ipsi iratus, ita secum loqui cœpit; quandoquidem sic à mundo, cui seruierat, tractaretur; se quoque vicissim eum tractaturum vt decebat. Itaque cum eodem momento constituisset se Deo famulaturum, paulo post magna omnium ciuium cum admiratione Prædicatorum familiam aggressus est. In ea ad cæteras virtutes adiunxit humilitatem profundam, obedientiam promptam, & charitatem proximorum salutis cupidissimam. Quocumque ibat, nunquam exibat, donec omnes sacra exomologesi sese expiassent. Huic rei inuidens Satan, tantum quosdam æmulos in Sanctum concitauit, vt innocenti crimen stupri affingerent. Illorum tamen ipsorum probro. Enimuero Deus non passus est integritatem famuli sui, calumnia imposita denigrari. Mintio flumini pontem amplissimum fere miraculo imposuit. Quo enim tempore à manuariis construeretur, & illi quod manducarent non haberent, Consaluus ripæ fluminis insidens, pisces quos volebat vocabat. Illi autem ad nutum enatabant, & manibus præhensantis sese inferebant: donec tanti essent, quot reficiendis artificibus sufficerent. Prophetico spiritu multa futura prædixit, atq; multa intima cordium agnouit. Miraculosè, panem & vinum, sodalibus ex fame deficientibus prouidit: vinicq; liquorem multiplicauit; signo Crucis nubes grandine onustas dispertiuit, ita vt ab vna parte serenum videretur, ab altera vero fulgura, fulmina, procellæ, & reliqua cœli irati meteorica timerentur. Non prius mortem libens aspexit, quàm illam prædixisset. Duos leprosos post mortem emundauit, septem cœcos illuminauit, quatuor surdis auditum aperuit, tribus mutis vsum linguæ restituit, à sex energumenis dæmonia exturbauit. Tudensis quidam Canonicus, statim atq; Petrus mortuus est, cupidus reliquiarum ipsius, cultro educto nitebatur cingulum præcidere. At spina sufflaminans, tanto impetu erupit, vt illum vulnerarit: Aliquis Episcoporum Tudensium, prope sepulchrum Cōsalui, sepulturam sibi elegerat, & inidem in reconditorio sese poni curauerat. Mirum dictu, statim atq; mortuus ille in sepulturam illatus est, statim retro vrna cum tumba recessit, & à mausoleo S. Consalui sese subduxit; siue vt honorem Sancto daret, siue vt non dignum Episcopum, qui propius recumberet arbitrio priuato iudicaret. Nō longe post mortem, 180. miracula perpetrauit: & naufragantibus præcipuam opem tulit. Vnde illi sanctum Petrum cognomento Telmum in Tutelarem designarunt, & auctores Sedi Apostolicæ fuerunt, vt B. Petrum, nón ita pridem, Beatorū Catalogo ascripserit, Prædicatoriæque religioni indulserit, vt in Hispaniis, quacunque Cœnobia eiusdem instituti extarent, Petri Telmi festiuitatem anniuersariam in Ecclesiis suis celebrent, sub eius inuocatione altaria erigant, imagines depingant, Sacrificia incruenta offerant, cæteraq; cultus officia exhibeant, tamquam si solemni ritu Ecclesiæ à Romano Pontifice in tabulas Sanctorum relatus fuisset. Ex eius sepultura aliquoties oleum scaturiuit, ad multas infirmitates curandas.

Ant. Luſit. in Chron. Prad.

Consaluum sequitur F. Bernardus Lusitanus in Conuentu Santareno Ædituus, ingenti humilitatis, patientiæ, benignitatis, prudentiæ & charitatis laude ornatus. Mirum est, quod de eo scriptores rerum S. Dominicanæ religionis reliquerunt. Erant Santareni duo pueri, qui seruiendis Sacris Ecclesiam Prædicatorū singulis diebus frequentabant. Eos Frater Bernardus rudimēta fidei & bonarum literarū,

Sacro Missæ officio exsoluto instruebat: & in Sacello quodam vt discerent reliquebat. Prostabat in eo icona sculptilis Diuæ Deiparentis puerum gestantis aræ impositæ. Coram qua cum pueri frequentius ientarent, & puerili simplicitate, puerulum Iesum in gremio materno effigiatum inuitarent, vt id quicquid domo attulissent, secum comedere vellet: mirum dictu, imago pueri è sinu materno videbatur inter pueros descendere, assidere, comedere, & reuerti. Plurimum temporis intercesserat, quo puer Iesus consuetudine puerorum teneretur, cum vnus interim ex illis, eadem puritate infantili, tum apud Bernardum quiritari cœpit: illos quotidie symbolum conferre, puerum vero Iesum necquicquam à matre portare; partem tamen ientaculi semper velle habere. Intellexit senior, quid esset, & infantibus præcepit, vt ex more venienti puero Iesu dicerent: ô chare puer: eccum nos tecum nostram portionem tanto tempore diuisimus: ecquid etiam nos & nostrum Magistrum Bernardum, in domum Patris tui ad refectionem inuitas? Respondit Iesus, se ambos & Bernhardum inuitare: atque ad diem festum Ascensionis Dominicæ omnes præstolari. Renunciarunt Bernardo pueri, quę audierunt. Is autem sacra confessione noxis expiatis, puerisque comitibus de æterna felicitate instructis, cū hæc secreta senior aperuisset, Sacris designato die operatus, ad eam aram, cui imago Diuæ Parentis imminebat, vna cum pueris sine vllo doloris sensu ad cœleste epulum, statim atque Missæ sacrificium obtulisset, excessit. Vigesimo & nono post anno corpora eorumdem refossa, candida admodum atque incorrupta reperta sunt, ac si eo ipso die obiissent.

Leand. de viris illuſt.

Guillelmus se his adiungit natione Germanus, magni zeli & innocentis vitæ, atque multorum meritorum. Ali quis insolentium adolescentum Concionantem eum auditurus, non modo non audiuit, sed effrenti inhonestate auditorium perturbauit, multisque & inconditis clamoribus Ecclesiam impleuit, obsecrabat, admonebatque insolentem Guillelmus vt taceret, verumtamen ille contempsit, & cachinnis excitatis hominem irrisit. Nihil aliud illi repositi Guillelmus, quam: Vide, ait, quid commiseris. Nam non impune hæc tuleris. Dixerat hæc sacerdos: ille autem dissolutus mox vt è templo exiuit, in phrenesim incidens delirauit: neque ad mentem reuocari vmquā potuit, donec Guillelmus post alterum mensem illo reuersus, pro vesano exorasset, & contactu manuum amentem ad mentē reuocasset.

IV. DVO ALII SANCTI EX EODEM TEMPORE. *Plat. lib. 3.*

Tribus superioribus se adiungunt duo alii Fratres ex eodem instituto, non indigni quorum actiones memorentur. Vnus eorum, ab infernitimore, ad meliorem vitam cōuersus est. Cum enim in sæculo adhuc existens, omnibus deliciis mollem vitam ageret; ac nullum sibi de conuersione verbum fieri pateretur, religiosus quidam comiter eum inuisens, ad extremum in digressu, vnum illi ex Propheta verbum dixit: *Subtus te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes:* qui versus ita eum pupugit, vt iam nihil aliud animo voluere posset, quam vermes illos, & illas tineas, quin etiam cum molestam hanc recordationem variis ludis & æqualium solatiis abstergere conaretur, ita nihil proficiebat, vt potius magis ac magis infigeretur. Quare hoc reputans, si ipsa cogitatio illius pœnæ tam erat intolerabilis, quanto intolerabilior futura esset ipsa pœna? Manus itaque deinde Deo dedit, seque ei in religione dicauit atq; sanctè vixit.

Ant. part. 3. tit. 23. c. 5. §. 3.

In Conuentu autem Spoletano, fait quidam Nouitius, maximæ simplicitatis atque puritatis. Hic cum recitaret hymnum B. Virginis, *Quem terra, pontus, æthera:* & ad illa verba veniſſet: *Mundum pugillo continens*, ad mirabatur & intra se quærebat, qui posset esse vt Deus *mundum pugillo* concluderet. Oranti, secundum quietem visa est multitudo innumerabilis Angelorum, Sedem ingentem portantium, qui cum illam in quodam loco spatioso collocassent, assurēt & alii Angeli, qui aliam sedem detulerunt, & ecōtra statuerunt, tum deinde & alii multo plures Angeli descenderūt, & Christum humeris suis delatum, sed Iudicis vultu subiratum, in prima Sede, in secunda autem Diuam Dei Matrem sedere fecerunt: atque interim omnes Sancti adfuerunt, & singuli iuxta ordinem constiterunt. Tremebat ille à facie tan æmaiestatis: præsertim cum audiret, Iudicem iussisse, vt tam bona, quam mala hominum opera in coram omnibus renunciarentur. Cumque multo plura facinora, quam sancta facta commemorarentur, magis exhorruit ille, cum aspiceret Christum, manu vna vniuersum mundum, quasi globum corripuisse, & ingenti cum impetu allidere atque proiicere voluisse: nisi Diua Virgo ad vocem plorantis dicentisque, S. Maria succurre miseris, occurrisset: atque prece supplici prohibuisset, illud adiungens: Nec accelerauēris filii tam cito, mundum, quem proprio sanguine redemisti, iudicare. Iam enim meos Prædicatores submisi, qui illum ab improbitate ad pietatem reuocabunt, atque sanctitatis præceptis informabunt. Hæc cum primum aspexisset ille, tum demum intellexit Dei magnitudinem immensam, qua mundum vniuersum pugillo ambit, & ad nihilum redigere potest: prouocatus tantis hominum sceleribus: præsertim hoc tempore, cum Fridericus ab Imperio deiectus, omnia diuina humanaque temerabat.

V. INNOC. IV SALADIN. ÆGYPTIVM SVLTANVM A FRIDER. ALIENAT.

Præter alia facinora, quibus Fridericus post clauium Ecclesiæ contemptum se impiauerat, fuit amicitia & consuetudo Saracenorum, quorum multitudine ingenti, Parmam Innocentio Pontifici deuotam (tres enim illic sorores, viris nobilissimis Parmensibus in matrimonium collocauerat) obsederat. In eorum gratiam Principem Saladinum Ægyptium nimis sordide excoluit, atque eius nece stitudinem exambiuit. Is porro quod sciret hominem luxui & libidini bus deditum ludicris oblectari, leones, pantheras, griphos, aquilas, bubones, & reliqua Africana monstra affatim illi ministrauit, & hoc anno misit. Conatus est Innocentius hominem barbarū à Friderico alienare: quod sciret, hominem animi impotentem Saracenis in ludibrium Christianorum, & in perniciem reipublicæ Italiæ, maximo cum probro suo vti. Quamobrem Saladino scripsit, moresque & facinora Friderici iusto calamo expressit. Extat exemplar literarum Soldani, Græca lingua Pontificiab illo remissarum, quod pro rei nouitate libet inserere, in hunc formam.

Kranz. metropol. lib. 8.

VI. EXEMPLAR EPISTOLÆ SALADINI AD INNOCENT. QVARTVM.

Præsentiæ Papæ, nobilis, magni spiritualis, sancti, affectuosi, Tertiidecimi Apostolorum: Vniuersalu loquelæ Christianorum, manutenentis adoratores Crucis, Iudicis populi Christiani, Ductoris filiorum baptismatis Summi Pontificis Christianorum. Confirmet eum Deus, & det illi felicitatem. A Soldano potentissimo regnante super collationum, continentes duas virtutes gladii & calami, possidente duo præcellentissima, scilicet doctrinam & iudicium, Rege duorum martum, Dominatore Austri & Septentrionis, Rege regionis Ægypti, Syriæ & Mesopotamiæ, & Mediæ, & Idumeæ, & Ophir, Rege Tabelbefech aiob, filio Soldani Chamel Heleſmenaphat, Mechmet filii Soldanis Regis Holdal Ioberir filii aiob, cuius regnum Deus diligit.

In nomine Dei misericordis & miseratoris, præsentata sunt scripturæ Papæ magni, affectuosi, sancti, Tertiidecimi Apostolorum, vniuersalu loquelæ Christianorum, manutenentis adoratores Crucis, iudicis Christianorum, Summi Pontificis filiorum baptismatis. Faciat eum DEVS de affectantibus bonum, & facientibus illud, & affectantibus pacem, & perseuerantibus in causis eius: & adiuuet eum DEVS in his quæ decentia sunt ad illos, qui sunt sui cultus siue ritus, & ad alios.

Respeximus illas scripturas studiose, & intelleximus capitula quæ eis inserta erant: & eorum continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos, quem misit Sanctus Papa, & ipsum præuenimus cum honore & dilectione, cum deuotione & reuerentia. Ipsumque vocauimus ad conspectum nostrum, sibi inclinantes. Intendimus autem verbis eius, & fidem adhibuimus ei nuncianti nobis de Christo, super quem sit laus: de quo Christo plus scimus, quam vos sciatis, & magnificamus eum plusquam vos magnificatis. Et de hoc, quod dicitis vos desiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam conuocandi populos ad pacem; similiter & nos desideramus, nec volumus contraire: & hoc semper voluimus, & desideramus. Sed Papa, quem confirmet DEVS, scit, quod inter nos & Imperatorem iamdudum fuit familiaritas, & concordia perfecta, à tempore Soldani patris nostri, quem DEVS ponat in claritate: & inter vos & Imperatorem vestrum, est, sicut vos scitis. Vnde non licet nobis aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consilium & assensum. Et nos scripsimus nuncio nostro, qui est in Curia Imperatoris, pro causis, quas detulit nuncius Papæ, nunciantes & capitula & proposita vestra. Ipse nuncius noster veniet, ad præsentiam nostram, & loquetur nobis: & postquam renunciauerit, faciemus iuxta tenorem responsi. Nec discrepabimus ab eo, quod vtile videbitur vniuersis. Ita quod possumus habere meritum à DEO, hæc vobis annunciamus: & bonum ampliabitur DEO dante, in posterum. Scriptum est hoc

in septima die mensis Macharon, quæ fuit lunatio Augusti iuxta gloſſellam. Laus DEO ſoli, & benedictio eius ſuper Dominum noſtrum Machometum, & ſuper genus ipſius. Ipſe ſit pars noſtra. Hactenus exemplar Epiſtolæ ex Græco Latinæ, à Saladino Ægypti Innocentio Summo Pontifici miſſæ.

VII. *Blondus dec. 2. lib. 7.* IN OBSIDIONE PARMENSI INDIGNA AB FRID. PATRATA.

Fridericus porro hoc Anno obſidionem ciuitatis Parmenſis continuauit, cumque vi expugnandæ omnem omnino ſpem abieciſſet, fame illam in deditionem cogere annixus eſt. Interim multa ab eo truculentiſſime ſunt commiſſa. Captos namque diuerſarum partium Rheginenſes, Mutinenſes, Placentinos, Bononienſes, atque etiam Hetruſcos ante vrbis Parmæ portas, & promuralia truncari, laniatique, & baliſtis maioribus impoſitos in Vrbem ſemiuiuos proiici curauit. Nec à mulierum pudore eſt temperatum, ſi quãdo pauperculæ clam in agrum delatæ, in Saracenorum & Friderici manus incidere. Infanda quoque libidine ſeſe contaminauit Fridericus. Nam in hortis & vinetis inter pellacarum & exoletorum greges verſabatur, poſtera & præpoſtera laſciuia ſe oblectans, poſtquam ſatis vel à vino incaluiſſet, vel à laniena nondum refrigiuiſſet.

PETRVS VINEAIC. MISERE AB FRID. INTERFECTVS.

Inter hos quos ad necem poſtulauit, Petrum quoque Vineam Capuanum, inter Oratores & Iuriſconſultos huius ſæculi non difficile Principem mori coegit. Quod enim is ad Innocentium Pontificem, atque ad Patres Concilii Lugdunenſis miſſus, neque illius conſtantiam fregiſſet, neque iſtos in ſententiam Friderici flexiſſet, neque anathema promulgatum auertiſſet, ab æmulis in inuidiã Friderici adductus fuit, quaſi officio ſuo defuiſſet, & Summo Pontifici ſiue conniuiſſet, ſiue contra Fridericum inflammaſſet. Hunc itaque criminis perfidiæ accuſatum, candenti lance ærea oculis obiecta excæcauit: deinde in Apuliam in tetertimum quendam carcerem coniiciendum, vbi fame & pædore interiret, catenis onuſtum miſit. Aliqui ferunt, quod illi guttur laqueo fregerit: alii quod ipſe Petrus ad indignitatem calamitatis ſuæ reſpiciens, eamque ferre non ſuſtinens, capite parieti illiſo, fractoque interierit. Vtut eſt, non impune illi fuit, quod ante aliquot annos Patauii, pro Concione, linguam contra Pontificem Chriſti Vicarium diſtrinxerit, atque lædoriis ipſum violarit.

VIII. COMMINATORIAS SCRIBIT FF. PR. QVOD CRVCESIGNATOS CONTRA SET SARACENOS CONCIONIBVS ARMARENT.

In his crudelitatibus & libidinationibus dum Fridericus, Parma atque Fauentia per id temporis obſeſſa verſaretur, Otthone Legato, & Innocentio Summo Pontifice exhortantibus, inter reliquos præcipue Fratres Ordinis Prædicatorum, Cruceſignatis, tum contra Imperatorem, tum contra Saracenos congregandis multam operam nauabant, & indefeſſo labore Crucis ſignum prædicabant. Sciuit iſtud Fridericus, & indigne tulit. Cumque intelleXiſſet hoc Anno, viros eius inſtituti Principes ad Comitium Generale ad Vrbem Pariſiorum conuolaſſe, commonitorias eis perſcripſit, in hunc qui ſequitur modum.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Venerabilibus Magiſtris Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum apud Pariſios conſtitutis ſuis in Chriſto dilectis in vero ſalutari ſalutis augmentum & gratiæ.

Gratanter accepimus, quod è diuerſis mundi partibus concurrentes ſitis in vrbe Pariſiis vnanimiter congregati, celebraturi ſolemne annuo more Collegium, ad robur Catholicæ fidei & Apoſtolici dogmatis firmamentum. Quod, ſummo Zelo collegimus æmulantes æmulatione diuina, ſi natura ſpecialiter indulgeret, quod perſona noſtra Imperialis Reipublicæ negotiis occupata noſtram inter vos præſentiam commodaret in conſpectu tam ſanctæ multitudinis, cuius cultu vegetatur & regitur cœlireligio, viua voce proponerem quanta nos angat ab ortu Romano Præſule ſuggerente diſſenſio, quales & quot vias parauerimus præuenire ſecuturæ diſſenſionis originem vt concepta deſiſterent priuſquam illicite generationis tranſducta materia aborſum paſſa fuerit, & in generale mundi ſcandalum licentioſa prodiret. Accederet etiam votis noſtris & id coram vobis ab ore noſtro voce veridica reſonaret, quod ſæpe nimis inſtitimus tanti mali principiis proceſſibus obuiare, niſi noſtrorum zelus infidelium quiplus æquo plus licito mentem exagitant, noſtri Principes Sacerdotum propoſitum & intentionem ipſius in incepto & iam inualente diſidio confirmaſſet. Quod iuſtius reuocare debuerat generalis mundi ruina, quæ ſequitur, quin potius Chriſtianæ tuitio fidei, quæ ſub tanti mole diſcriminis impeditur. Hanc vt innocentia noſtra generaliter pateat, & longanimitas patientiæ noſtræ in aduerſis euidentius comprobetur, circa ſubiungandos nobis & Imperio noſtro rebelles Heſperiæ populos effuſis opimis copiis & fidelium viribus congregatis diuturna nos guerra detinuit: quibus pro maioriparte ſubactis ad fauendum & releuandum obſcuras eorum reliquias Romani Præſulis aſtutia ſe conuertit diſſeminans hinc inde longe lateque zizannias tum per calumnioſas obiectiones blaſphemiæ, tum ex diuerſis operum nocumentis, Legatum cum vexillo ſuo ſuper hoſtium defenſione conſtituens, & à finibus regni noſtri & de corpore Imperii per ciuitates & loca Imperii quæ in hæreditatem ſibi vendicare captabat, noua nobis prælia, noua fidelibus noſtris publici tranſitus inferens nocumenta, niſi ad remouendum de finibus regni noſtri & de corpore Imperii futurum quod minabatur diſpendium feliciter acceſſum noſtrum ad partes illas poſt præuiſa & præmiſſa conſilii noſtri remedia dextera Domini conuertiſſet, quæ ſic vias & ſemitas noſtras iuſtitia præuia præparauit, vt iura noſtra & Imperii nobis ibidem quotidie reformentur, dumque nobis regredientibus per partes Æmiliæ ſuper obſidione Fauentiæ ciuitatis DEO & nobis infideliſſimæ noſter victorioſus exercitus conſediſſet, & ibi felicia caſtra noſtra deliberata per æſtum & hyemem mora firmauerit, vt abinde niſi captæ ciuitate ipſa, cum captioni ſit proxima & digna pro merito reportare, nullatenus recedere proponamus, nouum nocendi genus inuenit ille Romanus Pontifex ſub velamento Concilii, rebelles & hoſtes noſtros vndique conuocando, vt ſi eos præſentes habere poterit in rebellione confirmet, & viam ſcandalis referet æquiperem. Cuius adinuentioni ſicut in iure noſtro confidimus diuinæ iuſtitiæ manus occurret, vt in ſuis conatibus elidatur. Quia igitur in ſacra congregatione veſtra præſentialiter eſſe non poſſumus, præſentem paginam velut omnium gerulam prædictorum vobis duximus deſtinandam: quæ tamen abſentiam noſtram ſuppleat, & aſſignet præſentiam per affatus, per quam tot ſanctorum virorum ſacris Ordinibus nos & ſacrum Imperium commendantes expoſcimus, vt apud Regnorum omnium conditorem, qui Romanum Imperium ad prædicationem Euangelii præparauit, nos in eo quod poſſibilitas noſtra non obtinet, multiplicatis interceſſionibus adiuuetis, vt poteſtatibus, ſubditis, & mundo à ſcandalis ſerenato, ſicut ex diuina prouiſione digniorem arcem aſcendimus, & Imperii ſolio DEO præſidemus auctore, ſic ad tuitionem fidei & ſanctæ matris Eccleſiæ libertatem diuina virtutis potentia glorietur. Caterum quia totius mundi conſcientia in veſtræ religionis honeſtate firmatur, & vagos diſcurſus hominum euangelizando ſalutis & gratiæ documenta dirigitis, nouam mundo conſcientiam de vobis fieri non velitis, quod aliqui fratrum veſtrorum cum literis & legationibus contra nos & Imperium per orbem diſcurrere fugillentur, dicentes, quod ſe DEO in ſalutem animarum ſuarum obſequium præſtare confidant, ſi nobis & Imperio noſtro ſemoleſtos & iniurioſos opponant. Super quo ſacra Congregatio veſtra taliter in præſenti ſacro Concilio deliberet & diſponat, quod huiuſmodi verborum leuitas diſcurſus & opera generaliter à fratribus deuitentur, & vnde poſſunt aſſequi gratiam apud omnes & DEO & hominibus gratis obſequiis iuxta ſolitum complacere non intendant, quod ſacrum veſtrum Ordinem deceat litigiis perſonarum & odiis immiſceri, vt miniſterium veſtrum in omnibus comprobetur. Nos enim Ordini ſacro veſtro potenter aſtare ac efficaciter adeſſe diſponimus verbo & opere, veſtræ religionis cultui & commoditatibus prouiſuri quantum cum honore Imperii fieri poterit, prout noſtra vniuerſalis affectio intentionis noſtræ propoſitum feruentibus erga ſe ſuorum operum indiciis inuitabit. Datæ in obſidione Fauentiæ vigeſimo ſeptimo Februarii, decima quarta Indictione.

Hactenus Fridericus Prædicatorum Ordinis Cœnobiarchis, ne Crucis indictæ prædicationi incumberent: ſed eum in Eccleſiam Romanam bacchari & ſæuire permitterent.

IX. HENRICVM THVRINGLÆ LANTGRAVIVM AB SEPTEMVIRIS ELIGI OPTAT INNOC. IV. *ep. 4 5. 6. an. 124. XI. & X. Cal. Maii Lugduni & Naucler. genera. 42.*

Non amplius ſibi ferendam eſſe cenſuit præfractam hominis audaciam Innocentius Pontifex, ſed cum illum proximis menſibus exauctoraſſet, & habere poſſet, quem illi pro Eccleſia Defenſorem opponeret, Epiſcopum Ferrarienſem ad Septemuiros, alioſque Principes Germaniæ miſit, qui vacationem Imperii per depoſitionem Friderici illis renunciaret, & ad eligendum alium Imperatorem inuitaret. Erat quod commendaret Henricum Lanthgrauium Thuringiæ, Comitem Schvvartzburgenſem. Quamobrem vt eum rebus Imperii deploratis Septemviri præficerent, Regni Boemiæ Principibus Teutoniæ habentibus poteſtatem eligendi, Duci Bauariæ, Saxoniæ, Brabantiæ, Brunſvvicenſi, Marchionibus Brandeburgenſibus & Miſ-

nenſibus, atque inter Eccleſiaſticos Archiepiſcopo Colonienſi, & Epiſcopo Herbipolenſi, præſcripſit. Cum itaque multi Principes Alemanniæ oppoſuiſſent ſe Friderico, eiuſque filio Conrado, propter eam execrationem, in qua contemptis clauibus Eccleſiæ inſordescrat, Francofordiam congregati ad diem Sancti Oſualdi, qui in quintam Auguſti incidit, elegerunt ex mente Apoſtolicæ Sedis, in Regem Romanorum & futurum Imperatorem, Henricum Lanthgrauium Thuringiæ. Sanctus Ludouicus Gallorum Rex miſſo ad Innocentium Syluanectenſi Epiſcopo, conatus eſt partes ſuas inter Pontificem & Fridericum interponere, ſi forte hunc ad humilitatem, illum vero ad benignitatem inflecteret. Pergratum fuit Innocentio officium, quod ex pietate tanti Regis proficiſci videbatur. Cærerum quod optime noſſet Friderici animum obduratum, nulla ratione humana poſſe emolliri, permiſit quidem vt cum eo ageret, ſi forte per manum ipſius DEVS cor illius contereret: verumtamen in vanum Regem laboraturum, quaſi ex oraculo diuinauit. Tantum enim abeſt, vt Fridericus quicquam contumaciæ depoſuerit, aut ab armis & crudelitate ſibi temperauerit, vt etiam longe atrocius ſæuierit, & arma in Auſtriæ Ducem aſſumpſerit, vt eum Principem vita & fortunis exueret, atque armis tam nobilem prouinciam iuris Hungarici atque Boemici ſibi vindicaret. Spe itaque omni de Friderico depoſita Innocentius, Moguntino & Colonienſi Archiepiſcopis, qui Henricum elegerant commiſit, vt recepto ex more ab eo iuramento Fidei Catholicæ, & fideliratis erga Eccleſiam Romanam atque vniuerſum Imperium, ritu ſolemni illum inaugurarent, inungerent, atque coronarent. Principibus quoque Germaniæ vniuerſis & ſingulis ſcripſit, vt deſerto Friderico contumace ac perfido, Henrico tamquam legitimo Regi obſequerentur: præſertim cum ille Sacramento ſe omnibus obligaſſet. Non longe ab Herbipoli primum fuit inthronizatus Henricus, deinde apud Aquaſgrani diademate Regio exornatus: & à Friderici ſequacibus, Rex Eccleſiaſticorum, per contumeliam appellatus.

ep. 32. Lugd. Non. Nouemb.

Krantz. 3. Metrop. lib. 8.

VOCAT ILLVM FRIDERICVS REGEM ECCLESIASTICOR.

X. *Mariana lib. 13. c. 6.* IN ARAGONIA IACOB. ANA THEMATE PERCVSSVS EST OB FIDEM CONIVGALEM PROMISSAM THERASIÆ, NEC SERVATAM: ET COGNITA CAVSA ECCLES. RECONCILIATVS.

In Aragonia hoc Anno Sacrorum Iuſtitium erat: Templis Prouinciæ omnibus clauſis, mœſtum ſilentium: quod iuſſu Pontificum, vindicandis ſceleribus Principum, curandiſque extremum remedium, nonnumquam efficax vſurpari conſueuit: vti tunc accidit. Iacobus Rex Aragonius à Theraſia Vidaura, cuius amoribus iunior addictus fuerat, lege de coniugiis poſtulatus, quaſi datam ipſi fidem iniuſtis nuptiis violaſſet, cauſam apud Romanos Pontifices dixit, idonei teſtes non erant eo coniugio comprobando, quippe nullo, aut clandeſtino. Lite ergo conteſtata, victa Theraſia eſt: ac ſecundum iura ac merita Violantis reginæ pronunciatum. Vnus Gerundenſis Epiſcopus, cui Rex arcano rem omnem reuelaſſe fama eſt, quo id ſtudio, incertum, ſed Pontifici tamen Innocentio Quarto renunciauit: iniuſte Regem facere, qui datam fidem falleret, poſteriori coniugio quaſi vitioſo reſciſſo, Theraſiam iuſtam vxorem loco reddendam videri. Id ipſi Regem arcano confeſſum, neque pati conſcientiam, vt grauiſſima religione illum, ſe, & populum obſtringi ſineret, vnde grauia ſupplicia poſtmodum inſtarent. Id inſolentibus literarum notis renunciare, quo res eſſet occultior. Nihil latere Principes ſolet, aliis proſternendis ſiue veris ſiue falſis criminationibus, multi primum gratiæ locum & potentiæ in aulis Regum aucupantur vaniloqui aſſentatoreſque. Ergo cum Rex cognouiſſet Theraſiæ cauſæ paſſim fauere Romanos, Pontificiſque animum in eam manifeſte propenſum: renunciato indice, ſeu quod res erat ex conſcientia ſuſpicatus, Epiſcopo Gerundenſi in Curiam euocato, atque in regiam ingreſſo, linguam abſcindi coram mandauit. Fædam carnificinam, turpeque facinus, ſcelus ſcelere vindicatum, atque noua impietate antiqua cumulata eſt, tametſi religionis violatæ ab Epiſcopo dolor ſtimulare potuit ſacræ confeſſionis ſecretis retectis, quod nefas ſemper eſt habitum. Id tamen vbi cognouit Innocentius Pontifex, quantum dolorem animo ceperit, quantis iracundiæ flammis arſerit, dicere non eſt neceſſe. Ditione vniuerſa ſacris interdicta, vt fere peccata Principum multitudinis malo vindicantur, Regem diris omnibus deſixum anathematis ignominia damnauit. Is Legato ad Pontificem Andrea Albalato Epiſcopo Valentino ſupplices preces obtulit; pœnitere ſe facti: ſed quoniam mutare non licebat, indignationi ſi non iuſtæ, certe præcipiti veniam Patet & Pontifex daret: parato pœnarum dare, quantum ipſius arbitratu decretum eſſet. Audita Legatione Pontifex Epiſcopo Camerino, & Fratri Deſiderio Ordinis Prædicatorum Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiario in Aragoniam Legatis cauſæ cognitionem permiſit conceſſa poteſtate Regem etiam cum Eccleſia conciliandi modo ad ſanitatem per pœnitentiam redacto. Ilerdæ Conuentus Epiſcoporum & Procerum eſt habitus, affuerunt Epiſcopi Tarraconenſis, Cæſarauguſtanus, Vrgelitanus, Oſcenſis, Elnenſis. His præſentibus Rex verbis grauiſſimis caſtigatus, atque in genua procumbens criminis venia donatus eſt ea lege, ſi Monaſteriũ Benefacianum, quod in Dertuſæ montibus ante viginti annos poſt captum Morellam oppidum inchoatum tardis incrementis ſurgebat, magnis ipſe molibus & cæmentis ad culmen vſque ſuo ſumptu perduceret, Virginis matris nomine ſacrum, argenti pondo centum & quadraginta circiter annua tribueret, vnde Ciſtercienſes in eo Monachi vitam ſuſtentarent. Publicum hoſpitium Valentiæ Diui Vincentii nomine extrui cæperat pauperibus & peregrinis ſuſcipiendis, ei xenodochio maiora vectigalia deſignata ſunt, argenti pondo quadraginta ſingulis annis, vnde pauperes & peregrini alerentur: præterea ſacerdotes aliquot, qui ſacra procurarent, & iuuandis fouendiſque pauperibus præſto eſſent. Additum, vt Gerundæ in templo maximo idoneis reditibus Sacerdos perpetuis ſacris diuinum numen Regi & poſteris propitiarerur. Pontifex Innocentius diploma conceſſit X. Calend. Octobris, anno 1246. quo poteſtas Legatis datur Regem cum Eccleſia conciliandi, quod proximo menſe effectum eſt. Quartodecimo enim Kalend. Nouembris Ilerdæ, ſolemni cerimonia Rex eſt piorum ſocietati, Templiſque reconciliatus.

XI. MAROCHITANIS, TVNETANIS ET RVSSIS ET TATTARIS FIDEI PRÆCONES MITTIT. *ep. 246. 247. & 250.*

Eodem Anno Innocentius Pontifex, Marochitanis & Tunetanis Chriſtianis, Epiſcopum recens ſelectum conſecrauit: eumque & Fratres aliquot Diui Franciſci inſtitutum profeſſos, in Africam deſtinauit. In eorum gratiam, Marochitanorum & Tunetis Regibus ſcripſit, vt tum eos, tum reliquos Chriſtianos benigne haberent, veritatiſque Catholicæ lumen quandoque aſpicere vellent. Vniuerſis etiam CHRISTI fidelibus per totam Africam diſperſis, vnitatem fidei orthodoxæ, & charitatis mutuæ commendauit, datis ad omnes conſolatoriis & paræneticis literis, Lugduni X. Calend. Nouembris exaratis. Colomanno quoque Regi Ruſſiæ & Slauoniæ, Fratrem Alexium & alterum quendam ex Ordine Prædicatorum Boemos, ab eodem maximopere expetitos deſtinauit, qui tum ſchiſmaticos ad vnionem Eccleſiæ orthodoxæ, tum Cumanos & Tartaros circumuicinos, ad puritatem fidei Chriſtianæ inducerent. Hi autem vt vna cum ſociis magis alacrius laborarent, voluit eos largitione gratiarum excitare. Quamobrem iiſdem tantam indulgentiam, & poteſtatem conceſſerat, quantam ex Concilio indulſerat delegatis ad Tartaros. Cæterum cum intellexiſſet Xacquinum Norwegiæ Principem, ingenti Cruceſignatorum conſcripto exercitu, tum expeditionem in Paleſtinam parare, tum vero circumuicinos Paganos ad cultum veri DEI velle traducere, eidem conceſſit inprimis vt in regnum illud poſſit ſuccedere, quamquam ex ſoluta & ſoluto natus eſſet; deinde vt in his Prouinciis quas ſiue armis, ſiue verbis ad Chriſtianiſmum induceret, in quo illis Eccleſias ſiue erigeret, ſiue erectas inſtauraret, ius patronatus in perpetuum obtineret.

epiſt. 482. 5. Non. Maii. ep. 221. 222. 223. Lug 6. 7. 8. id. Nouembr.

XII. *Mariana lib. 13. c. 5.* MORITVR RAYMVN. COMES PROVINCIÆ: SVCCEDIT CAROL. COMES ANDEGAVENS.

Per id temporis deceſſerat Raymundus Prouinciæ Comes, propter amorem literarum & Poetices ſtudium omni laude digniſſimus. Quatuor ei fuere filiæ, diuerſis Principibus in matrimonium collocatæ. Margarita Ludouico Regi Galliæ ſancto nupſit, Eleonora Henrico Anglo Regi, Sanctia Richardo Henrici fratri, Carolus Andegauenſis Comes Beatricem duxit, cum qua tametſi natu minima erat, eximia prouincialium voluntate, & Ludouici fratris ope, defuncti ſoceri principatum obtinuit. Doluit eares Henricum Regem & Richardum eius fratrem, quorum

hic potiori iure ad se Comitatum pertinere arbitrabatur. Qua de re vterque ab Innocentio postulauerat, in primis vt ius in Comitatu prouinciæ sibi competens conseruari iuberet illæsum: deinde vt Legatum à Latere ad Carolum mitteret, qui hominem ab occupando Comitatu, tantisper donec æquitas iuris à sede Apostolica cognosceretur, deque summa rei decerneretur, per censuras & pœnas Ecclesiasticas auerteret: demum vt codicillos Raymundi Comitis pro infectis ac iniustis iudicaret. Respondit vtriqué Innocentius ex æquo & bono se facturum, quicquid in rem vtriusque spectare videret.

op.2.Cal. Martii.

XIII. MORITVR TOLOSANVS COMES SENIOR, TOTIES RELAPSVS. *ep.436.*

Eodem fere tempore, Raymundus Comes Tolosanus senior obierat: quem extremo vitæ suæ tempore, varios indices pœnitentiæ edidisse & ostendisse, plurimi asseuerabant: hi præsertim qui sacra sepultura, & sanctorum communione defunctum impertiri cupiebant. Enimuero multoties, propter multas recidiuas, in anathema relapsus, diuersis excommunicationibus obligatus diem vltimum excesserat. Commisit Innocentius Quartus Summus Antistes potestatem Episcopo Lodouensi, & Fratri Raymundo Ordinis Prædicatorum, vna cum Fratre Guillelmo Brusio Ordinis Minorum, vt veritatem factii inquirerent, & scrutatione in acta relata eam sigillis obsignarent, atque ad Sedem Apostolicam remitterent: vt re maturiori iudicio diiudicata, decerneretur an Ecclesiastica sepultura, & sanctorum participio non omnino indignum fuisse Comes reddidisset.

XIV. ALFONSVS PRIMOGENITVS CASTELLÆ ET LEGIONIS, PETIT A SVM. PONTIFICE DVCATVM SVEVIÆ SIBI DECERNI. *epist.475 5. Non. Maii.*

Hoc ipso Anno Innocentius Pontifex Nuncios Alfonsi primogeniti Regis Castellæ & Legionis audiuit. Postulabant, vt Ducatum Sueuiæ Alphonso Principi decerneret, qui ad ipsum ratione matris Beatricis, Ferdinandi Secundi sororis, iure optimo pertinebat. Respondit Innocentius se petitionem illorum exaudire velle, si modo postulata essent æqua. Cæterum cum Bononiæ Comes Regnum Castellæ & Lusitaniæ infestis armis vellicaret, & ideo tam Alphonsus, quam Portugalliæ Rex opem à Sede Apostolica implorarent, commiserat Pontifex istud negotii Fratri Desiderio pœnitentiario suo, vt de re tota cognosceret, atque si iniuria aliqua Reges à Comite afficerentur, eos armis vindicaret, & insolentiã Comitis castigaret. Hoc eodem Anno, cum Iacobum Aragonum Regem Legatus Ecclesiæ reconciliasset, & anathemate exsoluisset, eidem authoritate Apostolica Innocentius concessit, vt filius ipsius sibi aliquam coniugem, in quarto gradu consanguinitatis propinquam coniungere, & filiam suam alicui alteri in consimili gradu sanguine coniuncto collocare posset.

ep.1.Cal. Martii.

XV. PROHIBET INEPISCOPVM ELIGI PVERVM PRINCIPEM. *ep.219.5.Id. Nouemb.*

Isto ipso anno, Ferdinandus Rex Castellæ, filium suum Philippum Ecclesiæ Oxomensi Cathedrali præficere cogitabat, eam que dignitatem filio ab Innocentio postulabat. Excusauit Pontifex, eo quod Philippus & infra legitimam ætatem nondum adultus fuisset; & non erat æquum, à liberalibus studiis, quibus in Academia Parisina incumbebat, eum auellere: & iniquum arbitrabatur Pontifex infantem Diœcesi illi imponere: vtpote quæ tum temporis non puero sed pastore indigebat. Quamobrem cum Innocentius, Capitulo, & Canonicis Oxomensis Ecclesiæ, iniunxisset, vt ad electionem Episcopi non pueri accederent, Pastoremque non pusionem eligerent; habuit priorem electionem abrogare, & nupertime alium electum confirmare: data spe Philippi Regis iuuenis patri, eum maturiori ætate, ad dignitates Ecclesiasticas euehendi.

XVI. QVOMODO CVM EXCOMMVNICATO COMMVNICANDVM SIT, NOTA. *ep.557.3. Id.Iunii.*

Pisani ciues, Friderico exauctorato adhærentes, cum anathemate percussi, Ecclesiæ claues conculcarent, ab omnibus orthodoxis probro habebantur, eorumque summum in odium incurrentes adeo execrabiles videbantur, vt multi ab eis nec quicquam emere, multi etiam nihil omnino vendere illis præsumerent. In hac rerum extrema perturbatione, cum Fratres Prædicatores versarentur, & fame atq; siti pene conficerentur, concessit ei Pontifex, vt excommunicatis Pisanis, in exemptione & venditione, cæterisque vitæ sustinendæ necessitatibus, communicarent; dummodo ne se in crimine criminoso, per participationem illis commiscerent.

XVII.

Fere eodem Anno, in Polonia, Conradus Dux Masouiæ contra Boleslaum Pudicum Poloniæ Principem dimicans, cæde & incendiis in obuia quæque sæuiebat. Cum autem Episcopi Cracouienses, qui in Boleslai fide permanebat, possessiones crudeliter diripuisset & incendisset, hac iniuria commotus Prendota Episcopus, Conradum velut inuasorem Ecclesiasticorum bonorum, incendiarium & sacrilegum, publice anathemate percussit, atque diris deuouit, quas Fulco Archiepiscopus Gnesnensis cum vniuersa Synodo, ea de causa conuocata comprobauit.

Cromer. lib.8. EXCOMMVNICATVR MASOVIÆ DVX.

Per idem quoque temporis, in Poloniam aduenies Oppisso Abbas Messinensis ab Innocentio Pontifice Legatus pacem inter Suentopelcum Pomeraniæ, & Casimirum Cuiauiæ Lenciciæque Duces, atque Crucigeros redintegrauit, exacto à Suentopelco iureiurando, quod nihil deinceps commune cum Prussis Paganis habiturus esset, quibus factis, à censuris Guillelmi prioris Legati in eum prolatis, ipsum absoluit.

XVIII. SVENTOPELCVS A CENSVRIS ABSOLVITVR.

Eodem Anno Innocentius Pontifex Prouinciali Poloniæ Ordinis Prædicatorum commisit negotium colligendi subsidia ex eleemosynis piorum pro Imperio Constantinopolitano à Saracenis defendendo, cum facultate promulgandi indulgencias, quæ pro subsidio Terræ sanctæ distribui solent. Permisit insuper collectas recipere ex fœnore acquisitis pecuniis, dummodo is non reperiretur, cui restituerentur. Dedit ea de re literas Lugduni alteras 10. Cal. Ianuar. alteras 4. Cal. Octob.

XIX. IMPERAT INNOC. COLLECTAS FIERI IN POLONIA PRO TERRA SANCTA, ET IMP. ORIENTIS.

Hoc Anno Albertus magnæ prudentiæ & pietatis vir ex Canonico Bremensi ad sedem Reginensem euectus, in primis fidei Christianæ propagandæ studio inflammatus cogitare cæpit, quanam ratione Christianam religionem promouere, & idolorum cultores confundere, & vel conuertere, vel exterminare posset. Itaque magno animo in Livoniã profectus, eius loci incolis gentilitatis caligine plurimum damnatis, CHRISTVM prædicauit, & multos tum ipse, tum per Fratres Ordinis Prædicatorum, à vana superstitione ad verum DEI cultum adduxit. Cum autem Proceres gentilium rebelles lumini, in Christianorum recens conuersorum perniciem conspexisse animaduertisset, finitimos Christianos in auxilium vocauit, atque exercitu Crucesignatorum authoritate Apostolicæ sedis conscripto, Paganis fortiter repugnauit. Regiam vrbem Episcopalem primus contra gentiles mœnibus cinxit. Gladiatorum militum sacrum ordinem contra eosdem instituit, tertiam eis partem Episcopalium bonorum concessit, atque multis eos priuilegiis exornauit: multaque præclara in amplificanda fide ac religione orthodoxa tum sustinuit, tum constituit. *Crantz. in Saxon. libro septimo, capit. duodecimo.*

XX. ALBERTVS EX CANONICO BREMENSI, FIT EPISCOPVS REGINENSIS.

Eodem hoc Anno, die XIX. mensis Maii, hora antelucana obiit Beata Humiliana Florentina, ex illustri Circulorum familia, Diui Francisci sanctimonialium vitam complexa. Hæc cum annum suum ad decimum sextum vix attigisset, fuerat cuidam nobili viro in matrimonio collocata. Cum hoc quinque annis viuens, ieiuniis & orationibus vacabat, pauperes infirmos visitabat, eisque largas eleemosynas erogabat. In his autem & aliis pietatis operibus cum se exerceret, etiam diuinis reuelationibus digna erat. Defuncto viro, nunquam induci potuit, vt alteri iungeretur: sed in domus paternæ cubiculo secreto se inclusit, soli Deo intẽta, duce & præceptore Fratre Michaele Florẽtino, viro probo atque religioso. Ibi multas tentationes, multaque spectra ab humani generis hoste acerrimo perpessa, solo Crucis signo eum depellebat. Aliquãdo ab ancilla petulante, dum aquam poscret, vase quod insolens ei in faciem iecerat, percussa, cum ex vulnere inflicto & plaga intumescente fæderetur, eodem signo Crucis diuinitus fuit curata. In oratione dies fere integros absumebat, illa verba frequentius repetens: Deus meus, amor meus à me exoptatus: cupio dissolui & esse tecum. In contemplatione posita, visa est quandoq; à terra miraculose subleuari. Tanta porro abstinẽtia corpus suum affligebat, vt vix consisteret. Languebat stomacho, ita vt frequenter exscreando sanguinem eiiceret. Ad nudas carnes, asperũ cilicium deferebat, lassa membra in sacco straminis ad quiescendum deponebat. Semel quendam admonuit, vt tres gradus conscenderet. Primum

XXI. B. HVMILIANÆ SANCTITAS, ET OBITVS.

vt peccata sua, & tempus amissum deflerer. Secundum, vt pro diuina gratia obtinenda lachrymas effunderet. Tertiũ, vt diuinitatem DEI diligentius contemplaretur. A mortificatione carnis & sensuum, cum vix ossa cuti hærerent, eadem hora qua solebat sacram Eucharistiam desumere, ad æternitatem concessit. *Thoßinian. Hiß. Franc.*

IESV CHRISTI
Annus 1247.

INNOCENTII IV.Pont.5.	HENRICI ELECTI Imp. Occid. 2.	BALDVINI II. Imp. Or. 19.

I. *a Iacobus VVymphelingius cap 28. FRIDER. POST BIENNALEM PARMÆ OBSIDIONEM DE PELLITVR ET CASTRIS EXVITVR.*

IAm *a* in Annum secundum Fridericus Parmam obsidebat, cum Gregorius Montelongus Sedis Apostolicæ Legatus, cum præsidio Sociarum ciuitatum eruptione facta, Fridericum nihil tale metuentem fudit, fugauit, & castris exuit. Sunt qui scribant Fridericum ea clade & diadema maximi precii, & vasa aurea maximi ponderis amisisse, ægreq; ex tanta calamitate ad Cremonenses confugisse, neque tamen vrbem intrare ausum esse, eo quod multi ex Cremonensibus cum Friderico militantes eo prælio cecidissent. Cremona in Hetruriam discedens reparauit tum breui exercitum, Entio filio cum parte copiarum Fauentiæ relicto, vt Rauennam, & proxima in potestate retineret. Nam Foroliuienses, Ariminenses, Vrbinates ac totum Picenum Friderico parebant: in Vmbria præterea defecerant omnes à Pontifice præter Tudertinos, Perusinos, Asinates: Etruria pariter tota præter Florentinos, quorum maior pars factionis Guelphæ: quos certe adeo bello Fridericus vexauit, vt tandem eos coegerit Guelphos ex vrbe pellere, sinereque factionem Gibellinam rerum potiri. Electi pars in exilium abiit, pars vaga & dispersa in Friderici potestatem redacta est, pars in qua nobilitas præcipua fuit Comitem Rudolphum de Vrsaria & Reynerium Bondelmontem secuta, concessit in Vrsariam. Quos insecutus est Fridericus, & castello vi capto Rudolphus in aqua enectus, Reynerius cum nobilibus quibusdam quæ excæcatus, & sub custodia in Apuliam relegatus est. Interim Ciuitates Longobardorum confœderatæ, viribus resumptis militem vndequaque poterant scribebant. Quod cum didicisset Fridericus, fugientis in modum, Etruria relicta, in Apuliam festinauit: vbi aucupio & libidinibus consueris sese occupans, populum spe inani detinuit: quasi Saracenorum auxiliaex Africa exspectaret; vt iusto exercitu comparato in Lombardiam primo quoque tempore reuerteretur, & tum de Parmensibus, tum de reliquis Pontificiis vindicias desumeret. Videbat & scribebat eas Friderici ineptias, Matthæus Spinellus Iuuenatius eius familiæ, quæ originem suam ad Iustini Spinelli, viri in exercitu Belisarii facile Principis, traducem refert, Ciuis, rerumq; à Friderico in Apulia & Sicilia gestarũ spectator. Hic enim ex ea illustriss. familia, ab Iustino Spinello in Calabriam & Apuliam, post Italiæ bellum sub Belisario Iustiniani Imperatoris Duce confectum, inuecta claris parentibus ortus, & cum honestarum disciplinarum scientia, tum artibus militaribus instructus, ordines sequebatur; & quæcumque à Friderico, Manfredo & Conrado gererentur, ex fide publica in annales referebat.

c epist. 365. Lugd. 6. Id. Nouemb.

f epist 22. Lugd 15. Calend. Decembr. an 5.

II. HENRICVS THVRINGVS VLNAM OBSIDENS VENENATA SAGITTA CONFICITVR. *b ep. 25.*

Inter hæc Henricus Thuringus Romanorum Rex electus, Nuncios Comites VValtherum Eistensem & Theodoricum Groningensem, & Henricum Fratrem Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum, ad Sedem Apostolicam destinauit; qui nomine electi Imperatoris omnia Innocentio Pontifici ex more iurarent, priuilegium confirmationis iurium Ecclesiæ auro signatum exhiberent, atque reliqua transigerent, quæ futuræ ad Imperium inaugurationi opportuna atque necessaria essent. Audiuit eos benigne Innocentius Papa, & tum eis coã Senatu Ecclesiæ tum Henrico *b* per literas hoc Anno Tertio Nonas Iulii apud Lugdunum scriptas, omnia quæ postulauerant abunde promisit: cum paulo ante, *c* scilicet Quarto Calend. Februar. eundem Henricum electũ admonuisset, vt Friderico Austriam

c ep. 40.

inuadere & occupare tentãti, totis viribus sese opponeret, neque permitteret potentiam eius ea ratione augeri; maximé cum graui præiudicio Regum Hungariæ, & Boemiæ, quorum iuris Austria censeretur. Non diutumum Henrico Imperium fuit. *d* Cum enim Conradus adolescens Alemanniæ Rex à Friderico genitore prídẽ institutus, regni ingressu & possessione illum primo prohibuisset, & is primum Crucesignatorũ auxilio non infæliciter contra Conradum pugnasset, tandem post obsidionem Francofordianam, in expugnatione Vlmæ vrbis, sagitta veneno illita cõfixus interiit. Procurante deinde Perro Capotio, rituli Sancti Georgii ad velum aureum diacono Cardinale, Innocentii Pontificis Legato, Guillelmus Comes Hollandiæ vicesimum ætatis agens annum, ab Electoribus Imperii, Cæsar electus est, contra Fridericum, quinto Nonas Octobris. Lætante plurimum eo nuntio Innocentio pontifice, atque sperante, vt sub eo Principe Fides Catholica, pax Ecclesiæ, & Orbis tranquillitas vigerent. Huic statim atque electus fuerat, Innocentius Pontifex commisit, *e* vt Episcopum Bambergensem, pro Henrico Rege Romanorum occiso, Duci Moraviæ & reliquis Principibus fideiubentem, à cautione fideiussoria liberaret, eidem quoque concessit, Guillelmo electo, *f* vt Capellani seruitio eius deputari, fructus beneficiorum suorum exceptis quotidianis distributionibus perciperent, quamdiu in sacro officio eius Aulæ deseruirent.

d VVympheling. supra & Naucler.

In Galliis *g* vigesimum iam annum regnabat Sanctus Ludouicus, pace domestica, ætatis robore, matre, vxore, fratribus, liberis, opibus, nomine fælix. Tot proceres, in Syriam, Phœnicen, Ægyptum nauigarant: ipse desidere visus; cum morbo grauissimo correptus pro mortuo deploraretur. Vocis vsu amisso, ac nullis reliquis sensibus, animus eum defecerat; cum omnium miraculo ad se rediens, priimam eam vocem emisit: Crucem sacræ militiæ signum posco. Eam cum à Patrum Pontifice accepisset, atq; ab infirmitate conualuisset; toto animo in eam expeditionem incubuit, & tam cito, quam cito spoponderat traiicere festinabat. Cum autem necdum rebus Regni sui satis prospexisset, neque valetudine confirmata esset, neque Crucesignatorum plurimi tam mature conuenissent, *h* laudauit quidem Innocentius promptam eius voluntatem; prohibuit tamen, ne tam festinanter properaret, sed ad diem à Sede Apostolica designatum præsto esset. Hunc autem ad mensis Mart. proxime futuri initia designarat. Quamobrem Hyldebrando Prouinciali Germaniæ Ordinis Prædicatorum committebat, vt Frisios, Hollandos, Zelandos, & reliquos inferioris Germaniæ Crucesignatos admoneret, & si opus foret, per censuras Ecclesiasticas compelleret, vt ad locum transferationi deputatum, tempore determinato conuolarent. Rex Angliæ postulabat, ne simul cum Gallis traiiceret. Cæterum Innocentius Pontifex tantum abest, vt eum emanere fineret, *k* vt etiam eodem mense præfixo præsto esse iuberet, præsertim cum stipendium pecuniarium ex reditibus Ecclesiasticis in Anglia iam collectum esset. Id vnum Henricus Rex ab Innocentio impetrauit, *l* vt Guido Loxmiacus, filius Comitis Marchiæ, eius consobrinus, qui pridem Gallorum Crucesignatis sese adtrinxerat, iuramento illo exsolutus, classi Anglicanæ præsideret, neque amplius cum Gallis, sed cum Anglis transfretaret.

g Æmil. in Ludouico. S. LVDOVIC. REX GALLIÆ INFIRMVS CRVCEM POSCIT, ET ABIT IN SYRIAM.

h Lugduni 13. Cal. Iul.

i epist. 919. Lugd. 10. Cal. Iulii.

k ep. 5. 3. Cal. Sept.

l ep. 7.6. Id. Aug.

Eodem Anno Innocentius Pontifex. 1. in Galliis Attrebatensi Ecclesiæ & Catalaunensi Episcopos præfecit, eamq; rem regi Galliæ, atque Roberto Comiti, significauit. 2. Priori Bisuntino Ordinis Prædicatorum, vt in Lotharingiam & Burgundiam ad extirpandos hæreticos clam pullulantes, Inquisitores viros idoneos destinaret, præcepit. 3. In Hungaria Regem Belam, ad persequendos hæreticos in prouincia Bosnensi grassantes, laudatione pietatis illius animauit; vtque Ioannem Ducam cognomento Vatacium Imperatorem Græcorum, ad vnitatem Ecclesiæ amplectendam propensum, missis ad eum viris doctissimis induceret, hortatus est: Insuper vt arma in Fridericum Eximperatorem Austriæ Ducatui infestum, assumeret, serio præcepit, auxiliaque in subsidium Terræ sanctæ comparata, si opus foret in perfidum submittere promisit. Cæterum cum Archiepiscopus Colocensis, maximas expensas in eradicandis

IV. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS AN. INNOC. *1. ep.231. 3. Non. Octob. & ep.589. 12. Calend. Mart. 2. ep.370.16. Cal. Decem. 3. ep.37.2. Cal. Febr. & 38. & 39.*

tque conuertendis Bosnensibus hæreticis se fecisse assereret, ac propterea in Episcopum Bosnensem ius Metropolitani prætenderet. [4. ep. 155. 7. Cal. Sept.] 4. Innocentius Episcopo Iauriensi, & Priori Albano Ordinis Prædicatorum, vt eam rem certo certius inquirerent, & Sedis Apostolicæ authoritate Ecclesiã Episcopumque Bosnensem Colocensi subiicerent commisit. [5. ep. 389. 13. Cal. Decem. & ep 377. 4. N. n. Nouemb.] 5. Regi Noruegię vigesimam partem fructuum Ecclesiasticorum, Daniæ autem tertiam portionem decimarum in Terræsanctæ subsidium concessit, vtque eas in Regno Daniæ Archiepiscopus Londonẽsis colligeret, atque Regi numeraret, iniunxit. [6 ep. 129. Id. Iun.] 6. Fratri Ioanni Vicentino Ordinis Prædicator. vt in Lombardia hęreticis sese constanter opponeret, præcepit, eidemque facultatem, eos qui errore eiurato ad Ecclesiam redire voluissent absoluendi, & indulgentias his qui concionibus illius interessent conferendi concessit; nene quispiam eiusdem Ordinis Superiorum Prouincialis vel Magister Generalis eum in officio Inquisitionis impedire, aut ab eo amouere posset, prohibuit. [7. ep. 479. 12. Calend. April.] 7. Berengariæ filiæ Ferdinandi Regis Castellæ, Moniali S. Mariæ Monasterii Regalis Ord. Cisterciensis, vt Abbatissa & Priorissa consentientibus Confessoré, qui eam Pontificia authoritate ab omnibus peccatis absolueret, & illi rigoré disciplinæ Monasticæ nonnihil temperaret, eligere posset, permisit, eamque ad participationem omnium bonorum & meritorum totius Ecclesiæ admisit. [8. ep. 155. & 264.] 8. Inquisitionem vitæ & miraculorum Augustini Nidrosiensis, & Brunonis Herbipolensis, Episcoporum quibusdam iniunxit. [9. ep 537.] 9. Sanctum Guillelmum Ebroicensem Episcopum Catalogo Diuorum inscripsit. [10 ep. 536.] 10. Contra eos qui in Sicilia Fratres Ordin. Prædicatorum vel inquietos redderent, vel damnis aut iniuriis afficerent, censuras interminatus est. [11. ep. 765.] 11. Episcopo Parisiensi, vt contra literarum sedis Apostol. falsarios animaduerteret, mandauit. [12 ep 302. ep. 178. & 606.] 12. In subsidium Imperii Constantinopolitani, exactiones pecuniarias Ecclesiis indixit, à solutione tamẽ decimarum Monasteria Græci ritus, vsque ad tempus Consilii Generalis exemit, & superiorem Cõstitutionem aliquantum temperauit. [13. ep. 505.] 13. Ne etiamsi alter coniugum hæreticus fuerit matrimonium separetur, nisi qui remansit in fide, thori separationem postulet, interdixit. [14. ep. 491.] 14. Metropolitanorum quoq; iurisdictionem, & suffraganeorum leges, Constitutione, quæ incipit; *Romana Ecclesia*; estq; in librum Decretaliũ relata, ex occasione Rhemensis Archiepiscopi, circumscripsit. [15. ep. 393.] 15. Insuper ne hæreticis sepeliendis loca sacra concedantur, Constitutione perpetua sanxit: illo solemni dicto adductus; Non conuenit in locis sacris fidelium, tumulari corpora excommunicatorum: vt quibus viuis Ecclesia non communicauit, non communicet & mortuis.

[V. *a Cromer. l. 8.* CRVCIGERI IN PRVSSIA A BARBARIS TRVCIDANTVR.]

Per id temporis, *a* Crucigeri in Prussia, dum Paganorum terras excursione facta vastarent, & cum præda onusti reuerterentur, in insidias à Barbaris præparatas incidere. Vbi cum propter iniquitatem loci, & circumfusorum Barbarorum multitudinem, neque recipiendi se facultas, neque ex æquo pugnandi copia esset, hostibus sese, frustra dissuadentibus Magistro & Marsalco dedentes, ad vnum omnes trucidati sunt, ii qui Balgæ & Elbingæ in præsidiis fuere. Ea clade vires eorum vehementer attritæ sunt, sed recreatæ non multo post Germanorum Principum auxiliis, atque ita recreatæ, vt nó modo ii reprimerent feroces & exultantes Barbaros, verumetiam perdomarent magna ex parte, vsque adeo, vt quinque Conuentus, nimirum Pomesanus, Erminius siue Varmiensis, Pogesanus, Barthenus, & Nactanginus subacti, Religionem Christianam susciperent. Suentopelcus quoque Pomeraniæ Princeps cum iam senio confectus esset, his Crucigerorum successibus, & authoritate Iacobi Leodiensis Archidiaconi, Legati Apostolici adductus, pacem cum eis confirmauit. Venerat autem tunc is Legatus ab Innoc. Pont. Max. cum ad res Polonicas componendas, tum vt Pontifici à Friderico Eximperatore vehementer exagitato & afflicto aliquid subsidii corrogaret. Itaque conuocata Vratislauiam Episcoporum Synodo impetrauit, vt quinta pars redituum Ecclesiasticorum ex tota Polonia in triennium ei decerneretur. Relaxauit autem tunc Polonis partem ieiunii eius, quod est solemne cunctis Christianis ante Pascha. Nam cum id totis nouem hebdomadis veteri instituto vulgo seruarent, indulsit, vt esset deinceps hebdomadarum sex & dimidiæ.

IESV CHRISTI
Annus 1248.

INNOCENTII IV. Pont. 6. GVILLELMI Rom. Reg. electi. 1. BALDVINI II. Imp. Or. 20.

[I. GVILLELMVS COMES HOLLANDIÆ FIT AQVISGRANI REX ROM. ITEM RITVS ELECTIONIS.]

NOnnisi hoc anno, Calendis Nouemb. à Conrado Coloniensi Archiepiscopo, Guillelmus Comes Hollandiæ, in Regem Rom. inunctus, & inauguratus est apud Aquas Grani. Ritum inaugurationis, scriptor Chronici Hirsangiensis, hũc fuisse memorabat. Mortuo Henrico, VVillelmus Comes Hollandiæ, filius Florentii Comitis, apud villam Vuornich, à quibusdam Principibus contra Fridericum Imperatorem & Conradum eius filium, in præsentia Petri Capotii ad velum aureum Diaconi Cardinalis Apost. Sed. Legati in Regem Romanorum electus fuit. Vltima die mensis Octobr. regiam ciuitatem Aquisgranum cum magna Procerum multitudine intrauit, & sequenti die, id est, in festo omnium SS. per duos Episcopos, Mindensem & Monasteriensem, Archiepiscopo Coloniensi in templo ad benedictioné oblatus est. Venienté duo alii Episcopi, Traiectensis & Leodiensis, in modum Diaconi Dalmatica induerunt. Indutum Archiepiscopus Conradus, cum magna solemnitate in Regem Romanorum vnxit & coronauit. Consecratione peracta, idem Archiepiscopus eum in sede Caroli Magni locauit, dicens: *Super thronum sedis gloriose sedeas, & iudicium & iustitiam in terra facias.*

Christianus Archiepiscopus Moguntinus, cum oleo sanctificato dexteram eius foris inunxit: dicens: *Consecrare te dignetur Omnipotens Deus, in Regem Rom. qui David per manum Samuelis Prophetæ inungi iussit super populum Hebræorum.*

Arnoldus Archiepiscopus Treuerorum, manus super caput eius imposuit, dicens: *Descendat in te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis, & consilii, replearisque spiritu timoris Domini.*

Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Archidapifer Regni, globum aureum in manus illi dedit, dicens: *Accipe globum sphæricum, vt omnes terræ nationes Rom. Imp. subiicias, & Augustus gloriosus appellari valeas.*

Marchio Brandeburgensis, Camerarius Regis annulum in manũ tradidit, dicens: *Accipe signaculum Monarchiæ, vt Rom. Imp. in suo vigore conserues, & inuicta virtute ab omni Barbarorum incursione defendas.*

Dux Saxon. Regis ensifer, gladium ei dedit, dicens: *Accipe sceptrum Regium, vt rebelles seuera correptione, potenter affligas, omnesque beneuolos in tranquilla pace gubernes.*

Rex autem Boemiæ Pincerna Imperii, de consensu Archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti Regis imposuit, dicens: *Accipe diadema splendidum, vt sis virtuosis actibus adeo coruscus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in cælis, Amen.*

His peractis, omnes inferiorum partium Principes & nobiles obedientiam ei præstiterunt, præter quosdam Castellanos Friderico adhuc fideles. *Chronicon Hirsangiense.*

Post octo dies epulando peractos, Proceres Imperii constituerunt, vt ipsi à consiliis essent, eius patruus Episcopus Vltraiectensis, & Henricus auunculus Brabantiæ Dux, atque Lubbertus Abbas Engmondensis eius Vicecancellarius. Deinde profectus Leodium cum Henrico Episcopo, eius fratri Otthoni eius nominis tertio Geldrorum Comiti pignoris loco Nouiomagum Batauorum quondam Regiam vrbem, & quicquid Nouiomagorum iussis parebat, occupandum concessit, vsque dum illi persolueret viginti & vnum millia marcarum argenti.

[II. COLONIÆ AGRIPP. EXCIPITVR GVILLELMVS CONVIVIO, VBI ILLE HYEMEM IN ÆSTATEM VERTIT.]

Inde digressus Coloniam Agrippinam ab Alberto Magno, solemni exceptus fuit epulo, ipso die Epiphaniæ, in Cœnobio Prædicatorum. Hic ramos aliquot fælicium arborum in hypocausto tepenti aqua fouerat, vt iam inciperent florescere, quos cum in triclinio posuisset, atq; auiculæ canoræ ibidem volarét, ignari id factum naturali vi caloris humidi & calidi Hollandi Albertum quasi mirabilium rerum fictoré suspiciebant. Dedit ei tunc Albertus libellũ precationum, quas dietim nocturnis & diurnis horis recitaret. Ad huius petitionem Guillelmus religioni Prædicatorum

Vltra-

Vltraiecti Monasterium extruxit. Metellburgum quoque Præmonstratenses ad occupandum cœnobium paucorum male feriatorum Canonicorum Regularium transmisit, illorumque Monasterium in Nosocomium conuertit.

[MAGIÆ INDE SVSPICIO.]

Alio modo id accidisse narrabat, falso tamen, artem ei illicitam imponebat, *Ioannes de Becka Clericus in Chronicis suis de gestis Pontificum Traiectensium, & Comitum Holland.* hæc referens: Appropinquante Ephiphania Dom. Rex VVillelmus migrauit ad Coloniam, vt ibidem in honore Trium Magorum hostiam laudis solemniter immolaret. Fuit autem illis diebus Regens & legens ibidem Dominus Albertus, Ratisponensis postmodum Episcopus, de Ordin. Prædic. maximus in Theologia, qui Regem rogabat humiliter, quatenus in die solemni, secum discumbere dignaretur. Rex autem petitioni eius consensit, & finitis Missarum solemniis, ad Conuentũ Prædicatorum properauit. Hunc Albertus lęto animo suscipiens, extra domum, in quendam hortum Monasterio contiguum duxit. In hoc horto, ministros miræ pulchritudinis, qui omnia conuiuio necessaria præparauerant inuenit. Erat autem diebus istis hyems asperrimã, & tota superficies terræ niuibus cooperta. Quapropter omnes contra Magistrum Albertum murmurare cæperunt cum Rege existentes, quod in tam horrendo frigore conuiuas suos extra domum sine foco in horto prandere iusserat. Verum postquam Albertus vna cum Rege ad mensam sedisset, locatis singulis iuxta statum suum, atque expectantibus escam inferri, ecce subito omnis illa niuis & glaciei immensa congeries in momento disparuit, & æstiualis calor emicantibus solis radiis feruenter inualuit, produxitque subito terra gramen, & mira venustate flores tam in arboribus quam in gramine ipso apparuerunt. Mira res: vnaquæque mox arbor eiusdem horti fronduit, floruitque, fructumque subito maturum produxit. Vinea florens odorem suauitatis dedit, & recẽs vuas in vbertate magna coram omnibus in instãti procreauit. Multitudo quoque auium diuersi generis visa est, quæ applaudentibus alis vario cantu garriendo cominus lætificabat, vt non Ianuarii, sed Maii potius tempus aut Iunii affuisse putaretur. Mox enim longus algor hyemalis frigiditatis prorsus euanuit, & feruor æstiualis caliditatis in tantum efferbuit, vt nonnulli discumbentium vestes, quibus erant induti, exuere propter calorem nimium cogerentur, & plerique vmbram vario ingenio sibi præparauerunt. Ministri autem erant iuuenes pulcherrimi, alacres & nimium formosi, omnibus considentibus incogniti, qui cibum & potum in multa varietate & copia abundantissime (nesciebatur vnde) cum maxima honestate & disciplina inferebant. Mirabantur omnes cum lætitia magna, cernentes mirabilia tanta, qualia ante non viderunt. Expleto tãdem conuiuio, omnis turba ministrorum subito disparuit, cantus auium omnino siluit, viriditas arborum graminumque subito aruit, copia niuis iterum rediens faciem terræ cooperuit, tantumque confestim frigus inhorruit, vt omnes qui vestes duplices ante deposuerant, præ nimio calore sudantes, nunc frigore nimio correpti resumptis vestimentis ad ignem redire quantocius festinarent. Potuit hæc Albertus sanctitatis magnæ, diuina virtute sibi participata, perpetrare. Namque ei non dubium fuerat, Deum, voluntatem timentium se facientem, solem in gratiam fidelium sistere, vel retro trahere: Angelorum escam populis ministrare, potum è duro silice educere, virgam arentem flore, fructuque onustare, apud hos diem claræ lucis, apud alios vero eodem momento noctem densissimis tenebris obscuram efficere: proque arbitrio suo rebus creatis imperare, ad illustrandam sanctitatem Sanctorum: inter quos non postremus fuit Albertus, virginea puritate, atque mentis integritate, dignus qui à sede Apostolica Ecclesiæ Ratisponensi præficeretur. *Chronicon Spanheimense.*

[III. HÆRETICOS EXTIRPAT PER ARAGONIAM ET NARBONENSEM PROVINCIAM INNOCENT.]

Hoc anno Innocentius Pontifex inprimis expurgandis hæreticis operam impendit. Multi eorum ex vicino Comitatu Tolosano Narbonensem Prouinciam & Aragoniam infecerant. Quamobrem Raymundo Penniafortio Ordinis Prædicatorum Magistro, & Prouinciali Hispaniæ, eam quæ sequitur scripsit epistolam, dignam quæ legatur. Ita habet.

Innocentius Episc. Seruus Seruorum Dei dilectis filiis Priori Prouinciali in Hispania & Fratri Raymundo de Pennaforti Ordinis Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem.

Inter alia desiderabilia cordis nostri specialiter id optamus, & ad illud potissime dirigimus nostræ intentionis affectum, per quod salus prouenit animarum, & nomen Domini gloriosum plenius collaudatur. Quia igitur Deo nõ est acceptabile obsequium absque fide, ad propagationem & corroborationem ipsius & Christianæ religionis augmentum, quanta possumus sollicitudine vigilare debemus, & hoc per nos & alios incessanter verbo & opere procurare, vt diffundatur per orbem latius cultus Dei, & messe agri multiplicata Domini frumentum in cœlestia horrea inferatur. In his autem nobis Fratres vestri Ordinis Dominus specialiter voluit esse adiutores, qui spretis mundi dissoluti blanditiis, sub religionis arctæ rigore in voluntate Christo ad placitum famulantes, de fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare salubria: nec non muniti spirituali pro defensione fidei armatura, eorum laqueis irretitos eripere, ac in regione dissimilitudinis conuersantes ad vnitatem Matris Ecclesiæ reuocare diligentia indefessa procurant, proficientes sibi per vitæ meritum, & aliis verbo pariter & exemplo. Vnde quia in Inquisitione facienda contra hæreticos, eorumdem Fratrum solertiam nouimus plurimum opportunam, ipsis huiusmodi negotium prouidimus specialiter committendum. Ideoque deuotionem vestram monemus & hortamur in Domino Iesu Christo, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad ipsius persecutionem negotii solicite intendentes, aliquos Fratres eiusdem Ordinis de Regno Aragoniæ, quos ad hoc idoneos fore noueritis, Inquisitores hæreticæ prauitatis in Prouincia Narbonensi per districtum tantum charissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonum Regis illustris, auctoritate nostra deputare curetis, iniungentes eisdem vt in negotio ipso secundum formam à bonæ memoriæ Gregorio Papa prædecessore nostro editam, & à nobis postmodum innouatam, iuxta quam siquidem procedunt Fratres dicti Ordinis in ipsa Prouincia, sicut eidem negotio expedire viderint, tam contra hæreticos, & ad ipsos accedentes, & fautores, & receptatores, ac defensores eorum, quam alios ipsi negotio aduersantes, neminem præter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant. Tu vero Prior de consilio seniorum & discretorum Fratrum præfati Ordinis eiusdem Regni Inquisitores huiusmodi authoritate nostra remoueas transferasque, alios substituas vel supersedere facias, cum ex causa rationabili id videris faciendum. Datum Lugduni XIII. Calend. Nouemb. Pontificatus nostri Anno 6.

[IV. *Rubeus lib. 6. Hist. Rauenn.* RECVPERAT BONA ECCLESIÆ EREPTA PER OCTAVIANVM CARDINALEM IN FLAMINIA.]

Sub idem tempus, Innocentius Papa, recuperationi bonorum Ecclesiæ, quæ Fridericus eripuerat, intendebat. Ab eo missus Octauianus Vbaldinus, Cardinalis Legatus, Bononiensibus secum copiis ductis, in Flaminiam venit, vt eam Ecclesiasticæ ditioni iterum adiungeret. Id autem tanta felicitate assecutus est, vt castris ad Forum Liuii admotis, eam primo Ciuitatem, mox Cæsanam ac Rauennam receperit. Nam & Theodoricus Archiepiscopus id maxime curauerat, viamque facilem tentandis, tractandisque popularium animis, parauerat. Itaque ad Roman. Ecclesiæ potestatem, Rauenna, Theodorico Archiepiscopo in vrbem cum aliis, exulibus redeunte, pridie Nonas Maii, reducta est. Quintodecimo post die Fauentia quoque recepta est. Bulgari, Castrogarianique Comites, harum Ciuitatum sequuti exempla, Legati iussis paruerunt. Per hunc modum omnis rediit ad Pontificem Flaminia.

[V. *Surita li. 2.* MORTVO TOLETANO ARCHIEPISCOPO, ALIVM SVBSTITVIT.]

Lugduni tunc agebat Pontifex, administrandis rebus Ecclesiæ intentus. Præcipuam curam habebat, vt Ecclesiis viduatis pastores industrios præficeret. Inter eas Toletana sedes huius anni initio necdum Antistitem videbat. Nam anno superiore ad IV. Idus Iunii Rodericus Simenius, cum Lugduni Pontificem inuisisset, & Rodano flumine in Hispaniam nauigaturus naui veheretur, è vita excesserat, Hortæ cœnobio in ipsis regnorum Castellæ & Aragoniæ confiniis sepultus. In eius locum Innocentius Papa Ægidium Hispanum, tituli SS. Cosmæ & Damiani Diaconum Cardinalem suffecit, [*Epist. 606. Lugd. Cal. Martii.*] eumque Ferdinando Regis Alfonsi primogenito, & Sanctio infanti Archidiacono Toletano, nec non vniuerso eius Ecclesiæ collegio per literas commendauit. Debet Roderico vniuersa Hispania summum beneficium, quod res à suorum temporum memoria per vetustatem abolitas, insigni volumine æternitati consecrarit. [*Surita sup.*] Eodẽ pariter anno Andreas Albalatius ex instituto Prædicatorum, Petri Albalatii Tarraconensis Archiepiscopi frater dissidente Canonicorum Valentinorum cætu, Innocentii Pontificis consensu atque permissu, ab Archiepiscopo Tarraconensi & Archidiacono, & Præcentore sedis

Valen-

Valentinæ ad ſecundum Nonas Decem. in Arnaldi dignitatem ſucceſſit. Is magnæ religionis Antiſtes Cœnobium Carthuſienſium Monachorum in agro Valentino conſtruendum curauit, nomenque illi Portæ Cœli affinxit.

VI.
1. *Ep. 7. 22. 3 Cal. Apr.* SVMMARIVM GESTORVM INNOC. *Chronica B. ſſiana.* 2. *Ep. 528. Lugd. 5. Cal. Febr.* 3. *Ep. 704. 2. Id. Martii* 4 *Epiſt. 854. 13. Cal. Iun.* 5 *Ep. 909. 14 Calend. Maii.* 6. *Ep. 42. 10. Cal. Feb.*

Hoc ipſo anno Pontifex 1. Ferdinandum Caſtellæ Regem & Alfonſum eius primogenitum, vt Eccleſias de manibus Saracenorum recuperatas ornarent, & dotarent admonuit. Nam per id temporis iidem Principes victoria contra Afros & Mauros recepta, Hiſpalim interceperant, & Mamolini Africani vexillum Regium grati animi cauſa ad Diui Petri Mauſoleum in vrbem tranſmiſerant, deque ea victoria Innocentium certiorem reddiderant. 2. Venceslaum Boemiæ atque Belam Hungariæ Regem, vt Auſtriæ Duciſſæ ab inimicis Chriſti atque Eccleſiæ oppreſſæ, auxilia ſubmitterent, admonuit. 3. Regi Scotiæ, ne Quadrageſimali ieiunio teneretur indulſit. 4. Sororiq; illius, vt bis terve in anno, vna cum ſex Matronis illuſtribus, monaſteriũ Dumbranum Ordinis Ciſtercienſiũ Sanctimonialibus à viro eius Comite Roſtochiano ædificatũ ingredi poſſet, permiſit. 5. Fr. Gothofredo Ord. Præd. vt Archiepiſcopo Gneſnenſi, quintam partem redituum Romano Pontifici à duobus annis debitam remitteret, poteſtatem fecit. 6. Alexandrum Suſdalienſem Ducem, ex morte Iaroslai Patris, viri Chriſtianiſſimi & piiſſimi nimis iuſto mœrentem, conſolatus eſt. Paulo enim poſt, quam à F. Ioanne Plano Carpinate, ad conuertendos Tartaros ex Concilio Lugdunenſi à ſede Apoſtolica deſtinato, habitum religionis & pœnitentiæ inſtituti S. Franciſci ſuſcepiſſet, & abdicato ſæculo magnos profectus in diſciplina regulari & ſanctitate feciſſet Iaroslaus ſenex, non minus cito quam feliciter mortis euentus eum de ſæculo nequam ſubduxerat.

VII.
CARMELITARVM REGVLAM CONFIRMAT INNOCENTIVS.

Eodem anno Innocentius Pontifex, Raynaldi & Petri Carmelitarum precibus permotus, regulam vniuerſo eorum Ordini ab Alberto Patriarcha præſcriptam F. Hugoni tituli S. Sabinæ Presbytero Cardinali Ord. Præd. & Guillelmo Anteradenſi Epiſcop. corrigendam dedit, atque per eos correctam, mitigatam, declaratamque, authoritate Apoſtolica approbauit. Lugduni anno Pontif. Quinto, Calend. Septemb. *Paleonydor. lib. 3. antiquit. Carmelit.*

VIII.
Lean. l. lib. 5. SERVATII PRÆD. SANCTITAS.

Eodem anno floruit in Germania Seruatius Theutonicus, qui religionis Prædicatoriæ veſtimenta, Chriſto Ieſu ſub vexillo Crucis militaturus, in cœnobio Louanienſi induerat. Narrabant Patres qui virum nouerant, quod totis quinque & triginta annis quibus in religione vixerat, neminem vnquam verbo, aut facto, ſeu inurbanitate laceſſiuerit. Tantæ autem manſuetudinis atque humilitatis fuerit, vt affirmarent, illi ſimilem haudquaquam ſe vidiſſe. Erga proximos admiranda charitate atque pietate pollebat. Appropinquante vitæ termino, cum tota mente cœleſtibus inhiaret, Fratri interroganti: Ecquid in conſcientia ſua ſecurus ſibi videretur, reſpondit: Pax certiſſima & firmiſſima eſt inter me, & noſtræ ſalutis Auctorem, neque vllo modo diutius ab eius contemplatione detinebor. Hæc verba dixerat, & ad cœleſtem felicitatem ſumma cum fiducia euolarat.

IX.
Æmil. in Ludouic. S. LVDOVICVS MASSILIA IN PALÆSTINAM NAVIGAT ET CYPRVM TENET.

Hoc tempore, in Palæſtinam transfretaturus Rex Galliæ S. Ludouicus, cum vxore, cum duobus Fratribus Roberto & Carolo, ac vtriuſque vxoribus, & Ottone Cardinali Legato Romano Maſſiliam petiit. Nauem conſcendit 8. Calend. Septemb. qui dies eius memoriæ in numerum Diuorum relati poſtea conſecratus eſt. Alphonſum Soceri primum aduerſa valetudo tenuit, deinde mors luctuſque, ne cum Rege ſolueret effecit. Ad vndecimum Calend. Octob. Cyprum Rex tenuit, Inſulam longe omnium opportuniſſimam res Syriæ Ægyptique claſſe tentantibus. Præſto Luſinianus Cypri Rex ei affuit, nullo officii hoſpitalitatiſque genere omiſſo. Cæterum exorta peſtilentia minax magis quam funeſta cogit Regem ſanctum in vrbes Cypri copias diuidere, & valetudini conſulere. Interea à quodam Tartarorum magni apud ſuos nominis Principe Oratores aduenere, epiſtolamque Arabicis exaratam literis attulere. Verſa in noſtram linguam, certiorem Regem ſanctum faciebat, illum ante idololatram extitiſſe, nunc vero religionem Chriſtianam profeſſum, ſacroque lauacro renatum eſſe. Is nuncius ſummo Regis ſancti gaudio exceptus. Viri ſancti Prædicatorum & Minorum inſtituti Concionatores ab Innocentio ad Tartaros Lugduno miſſi, cuius rei gratia iuerant, conſecuti fuerant, vt feritatem gentis lenirent: ne cæteris mortalibus, inprimis ne Regnis Chriſtianis peſti forent: ſe homines natos ſcirent: ſocietatem homini cum hominibus eſſe ſentirent: eſſe numen cui mortalia curæ ſint: eſſe qui ſe ſpectatorem, quique iudicem, qui quæſtorem ſuo cuique tempore præbiturus ſit, dignamque pro meritis mercedem ſtatuat. Qui homo homini conſulat, qui ad cæteros iuuandos mortales ſe factum, creatum, editum in lucem, & ad aliquid in commune conferẽdum meminerit: illum quam proxime ad ſuperos accedere. Chriſtum Dominum, Deum eundemque hominem, ſanctiorem inter ſe hominum conſortionem, ac veluti fœdus mortalium diuinius cum Numine ſe ipſo victima cæſa feciſſe, iciſſe, iunxiſſe, ſanxiſſe: eundem cœleſtia ad humana deduxiſſe, humana ad cœleſtia ſuſtuliſſe. Qui ingentes viri eſſe velint, hunc Ducem ſibi imitandum vnum proponerent; primum omnium ſe animo demitterent: in ordinem, in humilitatem ſe cogerent: diuitias, opes, gloriam, ingens inter mortales nomen, ignobilia, vilia exiſtimarent: ſe nullos ducerent: quæ qui agerent, eos cœli & immortalitatis participes, neque Diuinitatis exſortes. Hæc Innocentius literis teſtabatur, hæc ſancti viri prædicarant. Cum Tartarus ex eis quæreret, quemnam Innocentium, quemnam Pontif. Max. dicerent: reſponderant, Chriſtum ita cœlos repetiſſe, vt ſuos non deſereret: ſtatuiſſe qui vicibus ipſius fungeretur, qui Pontifex diceretur: cui qui Chriſtiano nomine cenſerentur, dicto audientes forent. Tartarus miſſurum ſe igitur ad Pontificem Innocentium Oratores oſtendebat. Etiam atque etiam diſſuadebant, per cauſam, quod illis iter faciendum eſſet per gentes, quas Tartari ferro facibuſque euaſtaſſent: has à recenti memoria cladium minus tutum iter daturas. Sed maior cogitatio pectori inſederat. Multa vidiſſent Tartari, contra atque viri ſancti viſi fuerant collaudandis noſtræ religionis hominibus iactaſſe, ſpopondiſſeque conſpexiſſent bella inteſtina: Cæſarem in Pontificem verſum: Guelphos in Gibellinos, vt nefarios & ſceleratos arma ſacra gerere: Gibellinos iurium Imperii ſpecie gloriantes, ſpecieque partis ſuæ cupiditati inſeruire, nulli nefario ſceleri non prætendi nomen pietatis: animi demiſſionem verbis collaudari, re nullam eſſe: faſtum ſuperbiamque dominari: virtuti nullum locum: diuitias in honore, in pretio, admirationi eſſe. Cypri quoque non multa veræ pietatis exempla contemplari potuere. Inſula duos habebat Epiſcopos, Latinum Græcumque: Latinum imperantem Græco: Græcum quod parere noller, ſolum vertere coactum. Epiſcopis Græcis à Latino Archiepiſcopo re diuina facienda interdictum, ad hoc nobilitatis veteris Cypriæ bonam partem loco impiorum ab Archiepiſcopo habitos, diſtractam Inſulam aliorum aliter de re ſacra iureque Pontificio ſentientium contentione: nullam formam conſentientis germanæque pietatis. Tartari oratores ad ſuos rediere cum muneribus, & literis viciſſim à Rege ſancto ad ipſorum Principem datis, pleriſque ſancta gratulatione ac laude, quod ſpeciem veræ religionis animo concepiſſet: ſimul confirmatione, exhortationeque, vt initia incremento ſanctitatis indies adaugeret. Ante gloria virtutis bellicæ præſtitiſſe: nunc eandem palmam defendendo nomine Chriſti præſtaret. Hæ literæ, Latine ſcriptæ. Polliciti initio fuerant Legati, proxima æſtate ſuos Duces rurſus mediam in Aſiam ducturos, & eam hoſtibus Cruceſignatorum infeſtam de integro facturos. Irrita ceciderunt promiſſa, nimis veris vatibus ſanctis viris, aduentum Oratorum potius offuturum nouæ eorum religionis rudimento, quam Chriſtianis conducturum: inſpectis ſcilicet vitiis hominum, moribuſque ſæculi corrupti. Inter hæc plurimi Saracenorum qui multo ante à Chriſtianis capti fuerant, viſa S. Ludouici ſanctitate, licet ad eam diem abduci ab inſita de Mahumete perſuaſione non potuerint, Chriſtum pectoribus accepere, & ſacra aqua abluti fuere. Per id etiam temporis Romanus Legatus author fuit, vt Archiepiſcopus Græcus ab exilio reuocaretur, & ſacra interdicta inducerentur. Cæterum cum

PRINCEPS TARTARORVM EX IDOLOLATRA CHRISTIANVS FACTVS.

Magiſter Templariorum ex Syria ad Regem Ludouicum ſcripſiſſet, Sultanum Ægyptium miſiſſe ad ſe vnum ex Satrapis ſuis, qui de pace ageret, ſi per Gallos liceret: Rex Luſinianus, qui peritus rerum, hominum, regionum illarum falli non poterat: Cum in Concilio ea de re ageretur, exploratum ſe habere dixit, Templarium ipſum vltro ad Sultanum miſiſſe, euocaſſeque Satrapen, qua ex re maiore animo eſſe factos Barbaros, quod Cruceſignati pacis cupidi, ac cogitare iam de reditu viderentur. Vetuit igitur S. Ludouicus Barbaros à Templariis recipi, audirive, aut commercia ſermonum miſceri.

X.
Surius in vita S. Ludouic. 25. Auguſt. VARIÆ CRVCES IN AERE VISÆ.

Hoc anno, cum iuſſu & authoritate ſummi Pontificis, ampliſſima ſacræ militiæ ſtipendia iis omnibus proponerentur, qui Cruci contra Saracenos militare vellent, in Diœceſi Colonienſi, menſe Maio, ſexta ante Pentecoſten feria, viſæ ſunt tres in aere Cruces, vna candida Aquilonem verſus: altera eiuſdem coloris ad Auſtrum, tertia colore medio, in qua effigies Chriſti, pro nobis ligno affixi cernebatur. Alio vero tempore in Enchuſen Hollandiæ oppido, alia Crucis forma cæruleo ſolem iuxta colore apparuit. In Traiectenſi quoque Diœceſi in Doccum, qui locus S. Bonifacii martyris ſanguine conſecratus eſt, Crux viſa in eiuſdem Martyris feſto die. Hæc autem tam admiranda portenta, cum alias vrbes atque populos, tum inprimis Colonienſis diœceſis incolas permouerunt, vt naues trecentas rebus omnibus ad bellum inſtructiſſimas ſubmitterent.

XI.
S. LVDOVICVS RELIQVIAS MITTIT TOLETANIS.

Ludouicus Francorum Rex, deuotionem Hiſpanorum inflammare erga Sanctorum cultum deſiderans, hoc anno, nonnullas Sanctorum pignorum particulas Toletum miſit hac adiuncta epiſtola.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, dilectis viris in Chriſto Canonicis & vniuerſo Clero Eccleſiæ Toletanæ ſalutem & dilectionem.

Eccleſiam veſtram volentes xenio præclari muneris inſignire per dilectum noſtrum Ioannem venerabilem Archiepiſcopum Toletanum, & ad preces ipſius, de venerandis & eximiis ſanctuariis noſtris, quæ de theſauro Imperii Conſtantinopolitani ſuſcepi, pretioſas vobis particulas deſtinamus, videlicet de ligno Crucis Domini, vnam de ſpinis ſacroſanctæ ſpineæ coronæ eiuſdem Domini, de lacte glorioſæ Virginis Mariæ, de tunica Domini purpurea, qua indutus fuit, de pannis infantiæ Saluatoris. Veſtram itaque dilectionem rogamus & requirimus in Domino, vt prædictas ſacras reliquias in Eccleſia veſtra cum debito recipiatis & cuſtodiatis honore, nec non in Miſſis, & orationibus veſtris benignam noſtri memoriam habeatis. Actum apud Eſtampas Anno Domini 1248. menſe Maio. *Mariana lib. 13. c. 8.*

XII.
CLERICVS A SATHANA QVID DICERE DEBEAT, DOCETVR.

Eodem anno Pariſiis, mirum, mirum valde accidiſſe memoratur. Synodus Epiſcoporum indicta celebratur, & Clericus quidam verba ad Patres facere compulſus erat. Anxio quid diceret, apparuit Sathanas, & iſta, vt iuſſu diuino, in conſeſſu diceret, verbis diſertis aſſeuerauit, & ſigno quodam adiuncto approbauit. Dices eis iſtud, nec aliud. Principes inferiorum tenebrarum, Principes Eccleſiarum ſalutant. Lætitia ſumma perfundimur, & gratias ingentes vobis habemus, quia per negligentiam Eccleſiæ Prælatorum, & ipſi ad inferna deuoluantur, & plures animæ eis ſubditæ damnantur. Hæſitabat Clericus, an referret, cum Sathanas: *Inuitus, inquit, tibi iſtud dico, quod dico, ſed tamen altiſſimi iuſſione coactus dico. Tu ſi quid dubitas, ecce ſignum tibi in maxilla,* (& liuore atrauit) *quod cum concione peracta, luſtrali aqua ablueris, elues ac delebis.* Dixit ea omnia Clericus, & multo horrore, vniuerſorum corda percuſſit. *Thom. Cantiprat. lib. 1. c. 20.*

XIII.
CONRADVS II. EPISCOPVS HILDESHEIMENSIS MORITVR.

Hoc etiam anno in humanis eſſe deſiit Conradus II. Heros à Reyſenberg, Epiſcopus Hildesheimenſis, magnus religionis Chriſtianæ propagator. Is primum Franciſcanis ac Dominicanis in vrbem receptis, vtrique Ordini cœnobium, ac commodiſſimas habitationes condidit. Monialibus quoque Ord. D. Mariæ Magdalenæ, in vicinia ſummæ Baſil. & tria alia virginibus Deo ſacratis monaſteria extruxit. Erat acerrimus cuſtos diſciplinæ Clericorum: Grauiſſimo ſchiſmate inter ſummum Pontificem & Imperatorem exorto, Epiſcopatum renunciauit, & quietioris vitæ ſtudio Prædicatorum Hildesheimenſium cœnobium ingreſſus eſt, in eo reliquum vitæ acturus. Cum autem poſt ſuam reſignationem Capitulares Canonicos in eligendo ſucceſſore diſcordes, & in capitalia odia ſciſſos eſſe videret, in aliud monaſterium receſſit, in que eo bonis operibus intentus, debitum naturæ exſoluit. *Catalogus Epiſcop. Hildesheimenſium.*

IESV CHRISTI
Annus 1249.

INNOCENTII IV. PONT. 7. GVILLELMI Rom. Reg. Ele. 2. BALDVINI Imp. Or. 21.

I.
GVILLELMVS REX APVD INGELHEIM IVRA ROMANÆ ECCLESIÆ FIRMAT.

CALENDIS Martii, Indictionis ſeptimæ, ANNO M. CC. XL. IX. Guillelmus Rom. Rex elect. primo adhuc anno regni ſui, ex Caſtris apud Ingelheim ſcripſit, atque bulla cerea ſignauit, priuilegium, quod Innocentio Pont. atque Rom. Eccleſ. iura ex ſacramento coram legatis dicto, confirmauit. Originarium exemplar Apoſtolicæ ſedi miſſum; hucuſque ſeruatur illæſum; atque incorruptum. Frider. hoc anno, primis diebus Nouembris in Siciliam traiecit, & cum intolerandis exactionibus, tum inſolenti crudelitate, Inſulanos, & maximè Eccleſiaſticos, afflixit. Rapacitatem, ſæuitiamque tyranni certiſſimo portento præceſſerant agmina locuſtarum, quæ etiam frondes in Apulia depaſtæ ſunt. *Spinellus in Annalibus.*

II.
DAMIATAM OCCVPAT LVDOVICVS ET CRVCESIGNATI.

Eodem anno appetẽte æſtate, Cruceſignati qui per hyemem opprimentem in inſulas alii alias diſſipati fuere, Cyprum appulere, vt rectà in Ægyptum traiicerent. Guillelmus Villa genere Francus, idem Achaię Princeps cum claſſe Peloponeſiaca venit, quod ea pars Græcię in Latinorum fide foret, ſimul affuit Robertus Dux Burgundiæ cum ſuæ nobilitatis manu ſatis magna. Coacta igitur Frãcica claſſe, coniunctaque Cypria, Peloponeſiacaq; & claſſe & iuuentute, ſabbato poſt Domini Aſcenſionem, in conſpectum Damiatæ, quam alii Heliopolim vocant venere, inprimis apparuit, pro deſcenſione pugnandum. Parati Ægyptii in littore ſub ſignis ſtabant, cum telis tormentiſque, pro patria ferro ac omni vi decertaturi. Cum autem ingentem telorum vim in claſſem Chriſtianorum torquerent, S. Ludouicus Crucis beneficio confiſus (quam nudam apertamq; in cymba ſuis perpetuo oſtentabat, hortabaturque vt eius virtute conſtanter pugnam inirent) cunctas ſuas copias, nullo prorſus è ſuis deſiderato, non ſine miraculo in terram expoſuit: cum interim tres ex Saracenis Proceres, cum magna ſuorum multitudine ceciderint. Eodem ſucceſſu atque crucis virtute, profligatis Saracenorum triremibus Chriſtianorum triremes fluuii oſtia occuparunt. Supererat vrbs nobilis, & priore bello non capta, niſi plus annua obſidione, ac ne ſic quidem, niſi peſtilentia fameque non hoſtium ferro domita, & poſtea multo etiam magis munita, firmata, inſtructa opere, præſidio, commeatu, telis, tormentis: eaque res debilitare animos Cruceſignatorum poterat, reputantium cum mænibus ſibi, cum flumine, cum viris luctandum. Cæterum Barbari virtute Crucis perculſi, cum in vrbe quod reliquum diei fuit egiſſent, nec dubitarent vbi illuxiſſet, hoſtem mænia aggreſſurum: paulo ante lucem publicis priuatisq; ædificiis iniecto igne, ponte nauali ſe in vlteriorem ripam ex vrbe ſubduxere. Francus relucente flamma excitatus, reque explorata vrbem è veſtigio ingreſſus, quam ciues perdere conabantur, ipſe alienus extincto igne ſeruauit. Ægyptios ſoluto ponte vlteriora petentes inſequi non licuit. In oppido locuplete beatoque copia ingens cæterarum rerum, & inprimis magnus numerus frumenti modiorum repertus. Erant in Concilio qui dicerent, vtendũ victoria: recenti terrore debellari poſſe: antequã barbarus animos reciperet, nouaſq; copias cogeret, arcem rerum Regiam gentis Memphim ſeu Cairum peterẽt, inuenturos cuncta perſonãtia permixtaq; fletu complorationeque virorum atq; fœminarum, nondum colligatis vulnerib. eorum qui ex fuga ſe recepiſſent, quorum aures attonitæ adhuc eſſent, velut etiam nunc obſtrepente ſonitu clamoreq; Cruceſignatorum. Hæc ſententia fortis viſa, ſed illa cautior, ob memoriam ſuperioris belli, ne ante circumactã qua Nilus inflari cõſueuiſſet diem mouerentur caſtra. Hæc mora interiecta, alteram intulit, expectatione noui militis cum Alphõſo Duce. Ad vndecimum

Cal.Nouem.anno huius ſeculi vndequinquageſimo progreſſis Cruceſignatis Barbari cum vniuerſis copiis de ſummarerum decertaturi occurrerunt, leuibus prælijs iaculãdoq; laceſſentes refugiente ſq; ludificabantur. Cruceſignati ſemper ſuperiores diſcedebant, illi cedebant. Multi principes ex Barbaris cæſi, ex Cruceſignatis Robertus Dux Regis ſancti frater occubuit, victoria Gallis alioqui prælio duplici, cedente. Eas ſane victorias, vt alia multa belloꝝ̃ trophæa, non dubitarunt S. Ludouici Regis fidei, & eximiæ eius in Deum pietati aſcribere. Erat n. is Rex apud omnes propter vitæ auſteritatẽ innocentiamq;, ſanctitatis opinione celebris, Corporis domitor egregius, ſextis quibusliber feriis, in ieiuniis, lachrymis, & precibus Chriſti pro nobis in Crucem acti memoriam recolebat. Sacro Quadrageſimali & Aduentus tempore, etiam eſu fructuum interdicto, vitam ſanctiſſime tranſigebat. Multo tempore intima veſte vtebatur cilicina, quam cum mandato cõfeſſarii propter nimiam corporis exhauſti imbecillitatẽ deponere cogerentur, diebus ſingulis propterea, quadraginta ſolidos Pariſienſes in pauperes erogabat. Quolibet ſabbatho, aliquot pauperum ſuis ipſe manibus in loco ſecretiſſimo pedes abluebat, lotos tergebat, terſos exoſculabatur. Crebro etiam 120. pauperibus, qui eius beneficio quotidianam in aula annonam percipiebant, atq; certis quibuſdam diebus & ſolemnibus vigiliis ducentis pauperibus ipſe ieiunus cibos miniſtrabat: Præterea ſemper tres confecta ætate inopes menſæ ſuæ conuiuantes habebat, & alios complures alebat, ſibi à ſaluatore reputans dictum: Quodcunque vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

III. In Lombardia hoc anno Philippus Vgonus Bononiæ Prætor, cæteriq; Bononienſes milites iuſſu Octauiani Vbaldini Cardinal. D. Mariæ in via lata. Pontificii Legati Mutinam circumſederant, qua cum de finibus ad S. Cæſareum decertabant. *Rubeus lib.6.*

IV. HENRICVS REX ANGLIÆ IN ASIAM MILITEM PRÆMITTIT. In Anglia hoc anno, cum à Rege Henrico frequens habitum eſſet Concilium Londini, atq; Rex in eodem de pecunia ſub ſpecie expeditionis in ſubſidiũ Terræ ſanctæ exigenda primum agitaret, ab optimatibus notatus eſt auaritiæ, ingrati animi, atq; violatæ fidei, quod ſcil. ſine ſine pecuniam faciendam curaret, quod ſuos vt plurimum contemptui haberet, ac quod hactenus præ multitudine promiſſorum paucis ſuo populo præſtitiſſet. At ille arbitrans confeſſionem erroris medicinam doloris fore, concitato populo, vt omnibus vno reſponſo ſatisfaceret: ſi quid peccatum eſſet, ſe emendaturum dixit. Ita Principum animis mitigatis, poſtremo tributũ pro bello aduerſus Saracenos cogendo decretum exegit, atq; Guillelmum Longaſpatam virum & conſilii magni & virtutis, cum nonnullis aliis, artis militaris longe peritiſſimis, ac numero militum nequaquam contemnendo, in Aſiam præmiſit. Eodem quoque aliquot Anniſtices Anglivoti cauſa, hoc ipſo perrexerunt. Quo etiam tempore particula quædam ſanguinis Chriſti qui Hieroſolymis ſeruabatur, dono Regi data eſt à Magno Hoſpitalis domus Hieroſolymitanæ Magiſtro, ſiue vt quidam volunt, à Parriarcha eius vrbis, quem ſanguinem poſtea ſeruandum Henricus, Monachis Weſtmonaſterii conceſſit. *Polyd.lib.16.*

V. CIRCVMCELLIONVM HÆRESIS IN GERMANIA. In Sicilia vixebat per hæc tempora Fridericus, Imperio licet deſtitutus, cum per occaſionem eius mirabiles & miſerabiles hæreſes pullularent. Nam quidam Circumcelliones, pulſatis campanis, & conuocatis Baronibus terrarum in Hallis Sueuiæ, ferunturprædicaſſe in publica ſtatione, quaſi Pontifex eſſet hæreticus, omnes Epiſcopi & prælati Simoniaci & hæretici, inferiores quoq; Prælati cum ſacerdotibus, qui in vitiis & peccatis mortalibus non haberent authoritatem ac poteſtatem ligandi & ſoluendi, omnes eſſent hominum ſeductores. Item quod ſacerdotes in mortalibus conſtituti, non poſſent conficere altaris ſacramentum. Item quod nullus viuens, neq; Papa, neque Epiſcopi neque alii poſſent interdicere diuina, & qui prohiberent eſſent hæretici & ſeductores, & ideo permittebant in ciuitatibus interdicto ſuppoſitis diuina peragere, vt populi ſacramenta Eccleſiaſtica liberè perciperent, atq; ipſis perceptis, mundarentur à peccatis. Item quod Fratres Prædic. & Minores falſis prædicationibus peruerterent Eccleſiam, & quod omnes illi Fratres vna cum Ciſtercienſibus & aliis, prauam vitam ducerent & iniuſtam. Item quod nullus eſſet, qui veritatem diceret, & qui fidem iuſtam opere, niſi ipſi & eorum ſocii ſeruarent: & ſi ipſi non veniſſent, priuſquam Deus fidem ſuam periclitari ſineret, de lapidib. alios excitaſſet, qui Eccleſiã Dei vera prædicatione illuſtraſſent. Prædicauerunt, dicebant ad hoc tempus prædicatores noſtri falſitatem, & ſepelierunt veritatem: nos è cõtra prædicamus veritatem, & ſepelimus falſitatem. Adiungebant: Indulgentiam quam damus vobis, non damus fictam vel compoſitam ab Apoſtolico vel Epiſcopis, ſed à ſolo Deo & ordine noſtro. Blaterabant quoque, quod Papa non haberet authoritatem ligandi atq; ſoluendi, & Fridericus atque Conradus eſſent iuſti atque perfecti. Hos enim Conradus Friderici filius in clientelam ſuſceperat, arbitratus ſibi ac patrii iis figmentis cunctos conciliari poſſe. Contra fictores iſtos plurimum laborauere FF. Prædicat. effecerunt que vt plurimi Principum Conrado adhærentes, eum reliquerint, & in partes Guillelmi electi ſeceſſerint. *Krantz.lib. 8. Metropol.*

VI. *Leander de viris illuſtr. Ord.Prad. lib. 5.* VITA ET SANCTITAS F. IOANNIS OR. PRÆD. MAGISTRI. Inter Prædicatores autem maximè ad eam hæreſim extirpandam anniſus eſt Fr. Ioannes Waldehuſenius Saxo, ex Epiſcopo Boſnen. Generalis Magiſter Ordin. Præd. Capellanus & pœnitentiarius Summi Pontificis. Is enim non tantum Conradum, ſed & Fridericum ad tam putidas blaſphemias conniuentes, non minus liberè quam conſtanter reprehendit, nihilque non egit, quam vt ſummo Pontifici, Clero & Eccleſiæ ſuæ dignitas & maieſtas ſtaret integra. Aliquando Fridericus pellicem quandam ſabornauit, vt Ioannem, tantopere in luxuriantes inuehentem, ad commixtionẽ pelliceret, venit illa impudica, & tum vultus venuſtate, tum verborum lenocinio cæpit ignes in hominem iaculari libidinis. At ille manu eleuata, tam fortiter ſcortũ percuſſit, vt in terram proſtrauerit. Obſtupuit Frid. quiab exploratoribus didicerat eam Ioannis caſtitatem. Quamobrẽ virum reuertitus in maximo honore habuit, nec quicquam tamen ab eius exemplo, aut prædicatione à libidinationibus & contumeliis abſtinuit: quamquam Ioannes etiam editis miraculis innocentiam vitæ & prædicationis officium illuſtraſſet. Enimuero coram omnibus ſola manus impoſitione quemdam à lepra mundauit: cæcis lumen, ſurdis auditum, claudis greſſum, ægris ſanitatem, inſeſſis à dæmone libertatem, mortuo denique cuidam vitam reſtituit. Aliquando Baſileæ ad ſacram militiam Aſianam, populos pro concione inuitans, quemdam Canonicum & alium ciuem cruce inſignierat. Ciuis autem illius coniunx, cum factum intellexiſſet, & ægre à marito diuelli tuliſſet, imporsanimi, Sancto imprecari cæpit, vt à tot dæmonibus inſideretur, quot ſolia in arboribus viterent, ſtatim atq; infelix iſta euomuit, inflari oculis, & lepra infici cæpit, nec prius ſanari potuit, quam errorem cõfeſſe, Ioannes manum impoſuiſſet. Alius quoq; eques armatus, ſub Concion. é quam Ioannes contra hæreticos & Saracenos titulo S. Crucis inſtituerat, cum duellare ſingulari certamine cum altero voluiſſet, & adeo concionem perturbaſſet, vt fere omnes in fugam compulerit, & Ioannem placide monentem vt abſtineret, non modo non audiuerit, ſed irriſerit atq; cõtemperit, & propterea in vltionem cõtemptus amentia à Deo percuſſus fuerit, oratione effuſa, & ſigno Crucis impreſſo, illi mentem reuocauit. Quod cum plurimi hæreticorum aſpexiſſent, erroribus eiuratis ad Eccleſiæ gremium non difficile redibant.

VII. F. HENRICVS COLONIENSIS CLARVS. Per idem quoq; temporis pro Eccleſia Catholica multos labores tulit F. Henricus Colonienſis, is qui ab apparitione patrui ſui pridem defuncti, religionẽ Prædicatorum profeſſus eſt. Igne purgatorio ſe cruciari, neque poſſe liberari dixit, priuſquam Henricus terram ſanguine Chriſti imbutam luſtraſſet, & in recens inſtituto prædicatorum nomen Chriſto dediſſet. Iuit ille, rediuit, Prædicatorum togam induit, tantoſque in virtute progreſſus fecit, vt & miraculis claruerit, & plurimos Hæreticorum cõuerterit, auctorq; S. Ludouico fuerit, vt Thalmud Iudaicum exuſſerit; & tum contra hæreticos in Galliis vicinoque Belgio, tum contra Saracenos in Syria arma ſuſceperit.

VIII. VITA ET SANCTITAS ET A- In hunc annum aliqui referunt, D. Edmundi Canthuarienſis Archiepiſcopi, qui ante nouem annos cœlos penetrauerat, apotheoſim, quam ex Tabula Diaria recitare con-

POTHEOSIS S. EDMVNDI CANTHVARIENSIS EPISCOPI ET PARENVM EIVS. *Antonin. 3. p. tit. 19. c. 10.* fuevit Eccleſia Romana his ipſis verbis XVI. Calend. Decembr. Cantuariæ in Anglia, S. Edmundi Epiſcopi, cuius ſanctitatẽ Deus miraculorũ magnitudine declarauit. Natus eſt Edmundus Albendoniæ patre Eduardo, matre Mabilia, hominibus ſanctiſſimis. Hi enim poſtquam tres filios ex matrimonio procreaſſent, cõmuni cõſenſu caſtitare denota, ab inuicem ſeparati præire ad virtutem cõtendebant.

Quo die Edmundus in mundum editus eſt, per totum eundem diem à mane vſque ad veſperam iacuit exanimis, adeo vt ſepulturæ eum mãdaſſent, niſi mater interceſſiſſet. Quod forte præſagium fuit, quod mundo ab ipſa infantia moreretur. Celebre illud de eo cõmemoratur, ꝙ cum adhuc Oxonii Grammaticæ operam daret, & in tantilla ætate firmo animi proposito conſtituiſſet, apud ſe pudicitiã ſuam integram & illibatam ad obitum vſq; conſeruare, ſe B. Mariæ Virgini ſollicitis precibus totum commendauit, eamque ad proſperam & felicem ꝓpoſiti ſui, totiuſq; vitæ ſummam conficiendam non modo inuocauit, ſed & nouo ſtratagemate, eam ſibi immiſſo in digitum imaginis Virginis annulo, cui inſcriptum erat, *Aue*, quaſi deſponſauit. Exactè certe conſtat eum caſtitatem per omnem poſtea vitã conſeruaſſe, & (quod ipſe cum obiret fatebatur) præſentem illum & admirabilem opem B. Virginis in ſummis rerũ ſuarum difficultatibus & anguſtiis ſæpe expertum. Neque mirum. Nullum n. diem præteriri ſinebat, quin eandem Deiparentem pia aliqua ſalutatione aut oratione cõpellaret. In morem perpetuum induxerat, eidem & D. Ioanni Euangeliſtæ, orationem illam ſatis notiſſimam: *O intemerata*, recitare. Die quadam in ſtudio occupatus, nõ tam neglexerat, quam oblitus fuerat debitum votiuum exſoluere. Sequenti nocte B. Ioannes ei apparuit, & vt manum ſuam ei extenderet imperauit. Gerebata. D. Euãgeliſta ferulam, qua velut vltor alicuius criminis deſeuiẽs mirabatur palmã Edmundi percutere. Huic porro viſum eſt per cõminationis magnitudinem, quod ſi eum percuſſiſſet, ab ictu virgulæ mortem obiiſſet. At S. Ioannes mox clementior viſus, erectam manum retinuit, & ne ſuperiorem orationem per incuriam omitteret, imperauit. Iſtud pariter non eſt omittendũ, quod D. Edmundo familiare fuiſſe perhibetur, ſc. tanta in docẽdo ſuauitas, vt ferè omnes ad lachrymas compelleret. Mel enim & lac Euangelicum de ſub lingua diſcipulis colliquabat. Ex his plurimi Doctores, innumerabiles vero religioſi euaſerunt. Nam & ab hoc lacte & melle igneus ardor, qui iter ad lucem ſempiternam vniuerſis monſtraret. Hinc & quadam nocte vidit per ſomnium in ſcholis ſuis ignem fieri copioſum, ex quo ſeptem faculæ ardentes extraherentur, continentes myſterium rei ſecuturæ. In craſtino enim, Abbas quidam Ord. Ciſtercienſis, ſeptem iuuenibus eiuſdem inſtituti futuris fratribus comitatus, ſcholas ingreſſus, quos è ſæculo nequam eripuerat, meliori ſæculo in ſuo Cœnobio conſecrauit, à perſuaſione Sancti Edmundi *M. S. Vatic.*

ADMIRANDA. Eduardus monaſticem profeſſus, vitam feliciter cõſummauit. Mabilia in ſæculo, non ſæculi vitam duxit: præter cilicium nodoſum, duabus laminis ferreis, & ſuper has loricam ferream, ſub veſtimentis viduitatis, ad mortificandam carnem induta. Ea tantam curam Edmundi habuit, vt virginitatem incontaminatam ſeruare docuerit: & cum ieiuniis propoſito præmiolo, tum cilicio ferendo aſſuefecerit infantem. Lutetiam Pariſiorum cum puerum gratia ſtudiorum miſiſſet, inprimis, vt à conſortio prauorum abſtineret admonuit. Is porro matri obſecutus, ſoli Deo placere concupiuit, ludicriſq; omnibus & inſolentib. reiectis, orationi, lectioni, meditationi ſe totum dedit, dignumq; reddidit, cui Saluator mũdi appareret. Aliquando n. animi cauſa pratum quoddam remotis ſodalibus inambulanti, & ſacris meditationibus intento, apparuit puer Ieſus candidus & rubicundus, talis qualem ſponſa in epithalamio depinxit, atque eo ſalutato, num ſe agnoſceret, quæſuit. Cum autem miræ ſimplicitatis Edmundus, ſe illum noſſe negaſſet: Ieſus adiecit. Quî tibi ſum incognitus, ſi tibi in ſcholis aſſideo, & quocunque pergis, me tibi comitem exhibeo? Cum autem hæreret Edmundus: in me, ait Ieſus, reſpice, vultum meum cõtemplare, & quid meæ fronti inſcriptum ſit, lege, mirare. Suſpexit Edmundus, & litteris cœlitus impreſſis in fronte illius legit: *Ieſus Nazarenus.* Hoc, inquit, eſt nomẽ meum, quod memoriale ſit tibi in deſiderio animæ tuæ. Hiſque dictis diſparuit. Ab hac viſione ſummo ardore charitatis inflammatus, totum ſe Redemptori dicare conſtituit. Cum autem voto obligatam virginitatem illi & Reginæ Cœlorum ſummopere placere certo ſciſſet, eam primo flore iuuentutis, coram imagine Diuæ Deiparentis Deo conſecrauit, atq; D. Virginem Mariam inſponſam ſibi delegit, cui in pignus perpetuæ fidei, annulum digito ſuo detractum, illius imagini impoſuit, nouoq; more ſubarrauit. Non defuit Satanas qui caſtitati Edmundi inuideret. Quo enim tempore Edmundus Pariſiis operã dabat litteris, puellam hoſpitis filiam in amorem illius inflammauit, vt dies noctesq; cum ſe opportunitas loci vel temporis obtuliſſet, pudicum adoleſcentem ad iacturam virginitatis illiceret. Refugiebat ille ſtuprum, & impudicam, tum prece, tum aſperioribus verbis à propoſito auertere conatus eſt. Cumq; illa moleſtius infeſtaret, Edmundus faſciculo virgarum flexilium correpto, petulantẽ fugauit, pudoremque illi tantum incuſſit, vt poſthac ſe ab illa moleſtia moleſtiſſima liberarit. Vtautẽ theſaurũ tam pretioſum in vaſe tam fragili, incorruptum ſeruaret, præter cilicium inſtar reticulæ nodoſæ contextum, laminam plumbeam dorſo impoſitam perpetuo geſtauit, ieiuniiſq; cõtinuatis ſeſe caſtigauit. Aliquando dæmones in forma fuliginoſarum auium ſuperuolantes, & animam cuiuſdam recens defuncti ad inferos, in ſpecie cuiuſdam hominis nigerrimi deferẽtes aſpexit & ſocio demonſtrauit, à qua viſione tantum odium erga peccata concepit, vt piaculum maximum ſe admiſiſſe putaret, ſi vel leuis cogitatio menti ſuæ ſubrepſiſſet. Aliquando etiam, ſed iam litteras publicè profitẽti, mater vita functa apparuit, & prehenſa illius dextera tres circulos ſubſignauit, atq; dixit: Pater, & Filius, & Spir. Sanctus: his figuris de cætero, fili chariſſime, intende. His dictis mater diſparuit: ille vero Theologiæ diſcendæ atq; docendę animum apposuit, tanta felicitate, vt parem in prælegendo non habuerit: & aliquando de ſacroſ. Trinitate diſputaturus, aſpexerit columbam niuei candoris cœlitus deuolantem, & ſacrum Chriſti corpus ſibi deferentem: ſtudiis vero incumbens, nunquam Miſſæ ſacrificiũ intermiſit: in Eccleſia frequentius quam domi verſatus eſt: coram imagine Diuæ parentis fere ſemper in oratione perſeuerauit, libros vt pauperes mendicantes recrearet diuendidit: verba ad populum in Cõcione faciens, Cruce prælata lachrymas ſermocinationi permiſcuit: Satanam terribili vultu ſibi apparentẽ ſolo ſigno Crucis fugauit: ſemel in die tantum comedere, ieiunia a pane & aquę ſingulis feriis ſextis, & vigiliis Sanctorũ, atque diebus Quadrageſimæ ieiunare conſueuit. Singulis diebus ſingula Chriſti Cruci affixi membra, ad ſingula verſum illum præferens: Adoramus te Chriſte, genuflexo adorauit: ac præter horarias preces, maiores alias de Sp. Sancto, de Beata Virgine, & officium Defunctorum recitauit: nunquam in lecto, ſed in ſuppedaneo lecti lule honeſte inſtrati, caput laſſum ad dormiẽdum reclinauit. Salisberienſis Eccleſię Canonicus factus, vnico tantum beneficio contentus fuit. Ventilationibus cauſarum & placitis, intereſſe recuſauit, & vt à vexationibus cauſarum eximeretur, litteras Apoſtolicas impetrauit. Crucis prædicationi ardentiſſimè incubuit, iſtudque pium officium miraculis illuſtrauit. Aliquando concionanti ſub dio, nubes nimboſa procellam & pluuias minabatur: quam tamen ille Crucis ſigno oppoſito, dicens. Præcipio tibi maligne Spiritus cum hac cõmotione lõgè abſcedere, nec aſtantem populum ab auditu prædicationis impedire, diſcuſſit, ita vt circũcirca auditorium pluuia denſiſſima deſtillaret, ne gutta autem vna ſuper auditores perpluueret. Aliquando Biblia legenti ſomnus irrepſit, & candela ardens ſuper librum delapſa, arſit, nec tñ illum exuſſit. Sed & cilicium illius veruſtate cõſumptum, & igni iniectum manſit incombuſtũ. Anthrace quoque ipſe pedis laborãs, facto ſigno Crucis ſanitatẽ recepit. Cum in villa Lemeſtrenſi, Crucẽ prædicaſſet, arq; ea quendam iuuenẽ laſciuum inſigniuiſſet, iſtud vero fœmina quędam indignè tuliſſet, & retrahens à propoſito adoleſcentem, diuina vltione, manus contractionem pertuliſſet, eam vir ſanctus eodem ſigno Crucis ſanauit. Aliam quoq; alium Cruceſignatum auertentem oculis miraculo captam miraculoſe illuminauit. Ad Archiepiſcopalẽ ſedem aſſumptus diutiſſimè recuſauit, indignumque ſe tanta dignita-

te dixit, neq; nisi præcepto maiorum coactus, eandem Cathedram conscendit: sed in ea omnibus plane virtutibus enituit. Superioribus reuerentiam & obedientiam, æqualibus pacem atque concordiam, inferioribus charitatem & disciplinam exhibebat. Humilitatis primatum tenebat, sacramenta deuotissimè & tractabat, & populis administrabat. In se rigorem, in alios pietatẽ exercebat, Confiteri volentes ipse audiebat: ægros corporis ipse inuisebat, consolabatur, recreabat. Munera adeo detestabatur, vt diceret, prædere & pendere non differunt, nisi vna litterula. Persecutionem à Clero & à Rege sibi illatam fortissimè sustinuit, cumque quasi ignauiæ argueretur, amicis respondit: finite: An nescitis, quia Dominus noster mortem sibi inferentibus, non restitit, imò etiam pro persecutoribus supplicitèr interce ssit? Cum autem cerneret, disciplinam Ecclesiasticam, tum à Rege, tum à Clero contemni, seque fatigando nihil in ea sancienda proficere, & nihil nisi odium promereri, solum vertere disponens, Pontiniacum in Galliis accessit, inque eo Monasterio, quo suus olim præcessor D. Thomas Martyr, delitescere à tumbine concupiuit. Quo antequam discederet, B. Thomas illi apparuit, & ad patriẽ hortatus est. Voluit tunc Edmundus Diui sibi apparẽtis pedem oscular: at ille subtrahens, propter hoc ciulanti dixit: Ne fleueris. Nam tempus appropinquat, quo me ore ad os oscularis. Pōtiniaci aliquantū commoratus, cum Sole feruescente Solciacum Prioratum adiisset, inq; morbum extremum incidens, corpore Dominico ad se delato, manibus cum deuotione extensis dixit: Tu mi Domine es ille, in quem credidi, quem prædicaui, quem docui veraciter. Tu mihi restis es, quod aliud in terra positus præter te non quæsiui. Sed & nunc nihil aliud quam te ipsum desidero. Itaque fiat voluntas tua, quia omnia posita sunt in tua voluntate. Perceptis autem deuotissimè sacrosanctis mysteriis, lætus ac hilaris migrauit ad Cœlum XVI. Calen. Decembris, multis ac insignibus miraculis clarus. Aliquis Monachorum pro maxima reliquiarum deuotione, qua erga Sanctum ferebatur, annulum è manu illius trahere conatus est, nec potuit: donec ad aurẽ exanimis voce submissa quasi viuentem allocutus fuisset, dicens: Pater sancte peccaui, quia te inuito accipere pertentaui: sed quia ad tuū honorem, & ad salutem fidelium istud facere disposui, ignosce factum confitenti, & concede donum depoſcenti. His dictis ad manum defuncti Pont. accessit, & vbi annulum contigit, summa facilitate & felicitate non detractum, sed prolapsum, secum tulit. Ad eius sepulturam cæci vident, claudi ambulant, detumescunt hydropici, surdi audiunt, muti loquuntur, paralytici in membris consolidantur, à dæmonibus obsessi liberantur, aperiuntur carceres, vincula soluuntur, febrientes sanantur, alii aliis ægritudinibus confecti valetudinem accipiunt: quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum.

IX. SANCTITAS ET MORES S. CONTARDI ATESTINORVM PRINCIPVM GENTILIS.

Bronæ in territorio Ticinensi, XVI. Calend. Maii, hoc anno diem obiit Sanctus Contardus ex antiqua & illustrissima Atestinorum Principum familia natus. Is humana contemnens, & cœlestia appetens, pietatem colere cœpit, & vitæ austeritatem ac paupertatem amplexus, ex voto peregrinationem Compostellanam cum duobus sociis aliquãdo suscepit. Verum in itinere apud Bronam Pagum (qui Blandinona vetеribus dictus est) Placentinæ Diœcesis morbo oppressus, consistere coactus est. Vbi in vicinum collem, qui adhuc Sancti Contardi nominatur, valetudinis recuperandæ gratia conscendit, à Deo postulans, vt si in peregrinatione mori contingeret, ibi moreretur. Ingrauescente morbo, ac sociis eo hortante iter prosequentibus, multis ex febre doloribus, quos tamen patientissimè tolerabat, afflictus est. Cui malum aliud accessit, quod ab hospite, cui erat ignotus, domo eiectus, in vili tuguriolo ex palea compositо cubare vix obtinuit. Vbi quot in cõmoda omni ope hominum destitutus pertulerit, dici non potest. Sed cum doloribus & cruciatibus corporis, crescebat eriam animi fortitudo & patientia, cum acerbissimam Saluatoris Passionem mente frequentius reuolueret. Demum morbo diuturno cõfectus, ac quasi aurum in fornace probatus, cœlum lætus aspexit. Corpus in æde Sancti Petri tumulatum, cum miraculis conscaret, post aliquot annos in honestiorem eiusdem Ecclesiæ locum translatum est. Pauli Quinti Pontificis Maximi concessu, in tota diœcesi Placentina eius festiuitas celebratur. *Ex vita M S.*

X. B. IOANNES BONVS ORDINIS EREMITARVM SANCTISSIMVS ET THAVMATVRGVS OBIT.

Decimo Cal. Nouemb. Anno salutis M. CC. XLIX. in cœlos emigrauit Beatus Ioannes Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, re & cognomento Bonus, Pater illi Ioannes, mater Bona, patria Mantua: Iuuentus, statim à morte Patris, in arte ioculatoria, per varias vibes Italiæ exacta. Dolebat istud vehementer religiosæ matri, quod Ioannes seueriorem disciplinam exhorreret, & per abrupta insolentiæ, se & alios præcipitaret. Quamobrem, quod sciebat Monicæ lachrymis Augustinum olim frugi factum esse, eas quoque pro Ioannis salute Bona mater fundebat, ac orationibus dies noctesque vacabat, quo tandem meliore afflatu aspiraret illum is qui vbi vult spirat. Neque in vanum preces fuere. Graui enim infirmitate subito percussus Ioannes, melius sapere, & prioris vitæ ludibria detestari, melioris autem desiderio ardere cœpit, adeoque religiosæ alicuius sodalitatis instituto se deuouit, si modo sanitatem recuperaret. Ineolumitati quasi per miraculum restitutus, omni mora postposita Mantuano Episcopo cõscientiæ abdita aperuit, & peccatis anteriоribus exsolutus, patria relicta, omnibusque in vsum pauperum erogatis, ad Cæsenæ vrbis imminens eremitorium, accessit, & quandam penitiorem speluncam nactus, in ea se concluſit, atque ieiuniis, orationibus, vigiliis, cilicio, castigarione voluntaria carnis, tum delicta iuuentutis expiare, tum vero ad perfectionem eniti conatus est. Non intermisit Veterator, illius pedibus ad gressum virtutum expeditis laqueos tentationum opponere. In primo enim limine, obiecit eius menti, formam alicuius quam aliquando cõspexerat puellæ: ardentissimamque facem cogitationis in eius pectore inflammauit. Cæterum Ioannes nouo & insueto profluuio, incendium illud ætnæum restinguere volens, fudes arundineas sub vnguibus digitorum vtriusque manus illigatas, ita fortiter ad saxum quoddam impingens, sibi infixit, vt præ dolore in terram ceciderit, & à copiosa sanguinis ex vulneribus digitorum effusione fere exanimis triduo iacuerit. Non illum tamen deseruit Castitatis amator, sed secundum quietem illi apparens, eum persanauit, confirmauitque dicens: Quia benè incepisti, benè perseuerabis, & optimè vitam tuam consummabis. Et quia constanter contra tentationes dimicasti, in posterum nullam earum sustinebis. Experrectus à somno & perfectè se curatum esse aspexit, & mortificando corpori tres in singulos annos Quadragesimas ieiunare constituit. Eam quæ omnibus CHRISTI fidelibus communis est, ad eum modum ieiunauit: Panem trium vnciarum in multas particulas diuidebat, nec nisi vnicam ex eis singulis diebus edebat. Porrò die Iouis sancto id quod ei supererat, per miraculum adeo multiplicabat, vt pro numeroso Eremitarum, quos collegerat, grege sufficeret. Aliam deinde Quadragesimam ab octauis, scilicet Paschalibus, vsque ad sacram Pentecostes festiuitatem, nonnisi diuina hostia in dies singulos sumpta transigebat: cum alias alio tempore quotidiè sacrificium Missæ audiret, & solis Dominicis ac festiuis diebus sacra Eucharistia reficeretur. Aliquis Eremitarum incredulus eum quandoque riserat, quod tam frequenter diuino pane victitaret, neq; enim ille Eremita, aliud sacram hostiam, quam purum putumque panem affirmabat. Tum Ioannes Bonus ductum illum ad quendam fontem, hausto crатere aquæ iussit gustare. Cum vero ille aquam in vinum mutatam degustasset, Ioannes sumpto exinde argumento, incredulitatem illius redarguens: si, inquit, per me miserum homuncionẽ, diuina virtute aqua in vinum tam suaue conuersa est, quanto magis credere debes per verba sacerdotis, quæ sunt verba CHRISTI, panem & vinum conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi? Ea ratione dubitationem, è mente fratris non credentis eduxit, & ipse magis amplius panem cœlestem esurire perrexit. Tertiam porro brumalis temporis Quadragesimam ante festiuitatem Nati Saluatoris, paucis fabarum granis tolerauit: residuo vero tempore, secunda, quarta & sexta feria solo pane & aqua victitauit. Carnes in eremo nunquam comedit, super lignis acutis noctu recubuit, totum tempus orationi & contemplationi dedit, in quibus Christum in forma humana sibi apparentem aspe-

xit: scilicet tunc cum humanitatis Christi mysteria contemplaretur. Cum enim passionis Dominicæ secretа recoleret, Christus in forma Cruci affixi se oculis eius obiiciebat, & vulnera ad osculandum exhibebat. Vulgata sanctitatis illius vbique fama, cum sibi à vana gloria metuens, locum mutare decreuisset, adeoque fugam ab ea eremo arripuisset, tota nocte errauit, neque ab ea solitudine secedere vnquam potuit: fratribus nimirum cum in austeritate retinendis, tum in calamitatibus recreandis. Namque multa ei gratia inerat ad lucra animarum. Aliquis Eremitarum à maligno tentatus, secedere ad sæculum properabat. At Ioannes vel miraculo illum in proposito sanctioris vitæ cõfirmare volens, ad coquinam duxit, & copioso igne accenso, vt nudus pedes incedebat, in ignem infiliit, ac prunas ardentes diutius calcauit illæsus, atque fratri dixit: Talem gratiam concedit Deus his, qui ei addicti, in officio perseuerant, vt nec ignis, nec quippiam eos lædere queat. Titionem deinde pineum è foculo accepit, & vt erat ardens in terram depanxit: qui mox reuirescens pullulauit, & pinearum fructus produxit confirmãdo fratri. Aliquando pluuiam magnam ruentem, sola oratione repressit, atque serenam serenitatem in momento reduxit. Satanam variis formis se terrentem, signo Crucis non semel profligauit: calumniam quandam apud Cæsenatem Episc. passus humili purgatione discussit. Secreta recõdita cordium cognouit & renunciauit: multa futura in posterum prædixit, plurimas ægritudines aliorum verbo persanauit: mortuum viduæ filium Mantuæ suscitauit: ab obsessis dæmonia eiecit: plurimos exemplo & persuasione ad perfectionis fastigium euexit: atque ipse omnibus omnia factus, totum se in aliorum commoda impendit. Tandem vitæ termino appropinquante, cum Angelum monẽtem, vt in terram natiuitatis suæ reuerteretur audisset, & Mantuam reuertisset, sanctis sacramentis summa cum deuotione receptis, datisq; fratrib. plurimis documẽtis in Domino quieuit: multis miraculis in vita & à morte clarissimus. Quorum, vna cum vita Beati vt certa notitia haberetur, inquisitionem eorum omnium auctoritate Apostolica cõmisit.

XI. AB INNOCENTIO COMMITTITVR EPISCOPO MVTINENS. VT IN VITAM B. IOANNIS INQVIRAT.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Alberto Episcopo Mutinensi, & dilectis filiis Priori S. Mariæ, ac Præposito Ecclesiæ Mantuanæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Dignas Domino referimus gratias, quod sicut Venerabilis Frater noster Episcopus, & dilecti filii nobiles viri Bartholomæus & Nicolaus Ambasciatores Mantuani exponere curauerunt recolendæ memoriæ Patrem Ioannem Bonum Eremitam Mantuanum, cum pie vixisset, in hoc sæculo, viam salutis docendo verbis pariter, & exemplis, tandem præsentis vitæ cursu feliciter consummato, multis miraculis Omnipotens Deus decorauit. Vnde cum non deceat tales ac tantos viros sine veneratione relinqui, quorũ miracula & merita eos sanctos ostenderunt: nobis humiliter supplicauere, vt ipsum adscribere Sanctorum Catalogo curaremus. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus per Apostol. scripta mandamus, quatenus de vita & miraculis diligenter & fideliter inquirẽtes super his testes fide dignos accipere legitime studeatis: & de singulis circumstantiis, iuxta interrogationis formam, quam vobis sub Bulla nostra transmittimus inclusam, examinare prudenter, ac ipsorum dicta fideliter in scriptis redacta, & sub propriis inclusa sigillis ad nostram præsentiam remittere procuretis, vt secundum Deum in hoc negotio procedamus. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse: Tu Fr. Episcope eorum altero absente nihilominus exequaris. Datum Ianuæ XV. Cal. Iulii, Pontif. nostri Anno VIII.

XII. PRODIGIA DVO IN MAGNO ET PARVO HOMINE.

Constantinus Laudens. in vita S. Antonini 3. p. tit. 24. c. 13.

Hoc anno ad fines Cambriæ in Anglia admirabile prodigium accidit in infante nondum dimidiatum annum attingente, qui non solum omnes dentes firmos & solidos habuit, sed corporis proceritate adolescentem XVII. annorum æquabat. Ferebatur à matre dæmoni succuba generatus: quæ eo nato, paulo post indies contabescens extincta est. Sed vt iste vsitatum ordinem mensuramq; excessit, ita apud Insulam Vectam repertus est Ioannes quidam ad ea tempora pigmeus plane, quique cum octodecim esset annorum, triumpedum mensuram altitudine sua non attingeret, quem Regina secum ad magnum obtuentium stuporem circumferre solebat. *M. S. Vatic.*

XIII. MIRACVLVM ERDFORDIANVM CIRCA VENERATIONEM ET CVLTVM SS. EVCHARISTIÆ.

Eodem hoc anno Erdfurti in Germania mirabile quoddam accidit, cuius anniuersaria etiamnum hodie memoria illic est. Ipsa rerum capita è Germanico, qui od ibidem Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo editum, schedio libet perstringere. Fures duo, noctu, è Sancti Martini templo hierothecam, in qua consecratæ hostiæ 9. furati sunt, ipso Beatæ Virgini Assumptæ pridiano. Et argentum illi quidem acceperunt, Sacrosanct. vero Dom. Corporis frustula, cum sacro, quo inuoluta erãt, linteolo, in olidam quandam lacunam abiecerunt. Quinto autem vertente mense contigit, sacrilegorum illorum alterum Isenaci extrema conflictari ægritudine, sceleruм pœnitentia tactus, cui de illis confiteretur: bonum è Franciscanorum Ordine sacerdotem vocauit. Is Erdfurti nunquam fuerat. Sed re illa comperta illuc venit, & confessionis arcano seruato, primores è ciuibus ire secum, remque maximam quærere obsecrauit. Annus iam erat millesimus ducẽtesimus quinquagesimus, Ianuarii dies decimustertius post Epiphaniam octauus, tunc temporis Dominicus. Aquæ, pro anni tempore congelarant omnes: illa tamen haudquaquam lacunæ pars, in qua DOMINI Corpus. Et itratus postea pius quidam dixit Diaconus, se perpetuum illic nocturnum lumen crebrius vidisse. Hic igitur Eucharistiam illi quos quæsiuisse dicebam, inuenerunt, & quidem in linteolo integro & sicco. Re tanta cognita, Christianus Archiepiscopus Moguntinus, qui in vrbe fors tunc erat, Clerum, populumque totum, solemni cum processione illuc duxit, augustissimum Domini Corpus sustulit, & in B. Virg. templo venerabundè collocauit. *Serarius rerum Moguntt. lib. 5.*

IESV CHRISTI
Annus 1250.

INNOCENTII IV. PAPÆ 8. GVILLELMI Rom. Reg. 3. BALDVINI II. Imp. Or. 22.

I. a *Æmil. in Ludouic. 9.* S. LVDOVI. ET CRVCESIGNATI FELICITER PVGNANT CONTRA SARACENOS PRIMVM, DEINDE VERO OMNIA IN CRVCESIGNAT. RVINAM CONVERSA, VBI REX ET FRATRES CAPTI, ET TOTVS EXERCITVS FERE MORTVVS.

CRucesignati in Ægypto contra Saracenos castris motis non infeliciter inprimis pugnarunt, sed tandem ad extremum victoriam Saracenis concesserunt. *a* Ad aquarum diuortia, vbi è Nilo riuus instat iusti fluminis deriuatur, in cuius aduersa ripa hostes vniuersi tetenderant, nostri inter duos amnes confedere. Tentarunt primo si vado transitus daretur sed præaltis ripis altus riuus coercebatur. Spes tamen erat euadendi, quod non natiuo discrimine, non vi fluminis naturave locorum, sed manu hominum fossa ducta deriuatam partem Nili existimabant, & eadem arte cogi in vnum alueum vtrumque posse, iactis molibus, & diuortiis, emissarioq; obstructo. Muniebatur via: agger proferebatur, opus assurgebat. Hostes ex aduersa ripa tormentis tela ingerebant, operas prohibebant. Contra Crucesignati ad regendas operas castellum ex materia excitarant: hoc autem hostes missili igne incenderant. Ægyptius quidam è Castris hostium, quo casu, quove consilio non traditur, ad Crucesignatos defecerat: ex quo illi cognouerant, inferiore parte riuum vado transmitti posse, quod latiore alueo in morem stagni placidi diffunderetur. Pars exercitus eo missa transiit, sed egre emersit, quod limosis ripis hærente vestigio, luctanteque pede, firmiter consistere non poterant. Vbi in locum æquiorem tandem euasissent, ad castra hostium contenderunt: acriter pugnarunt, Rubertum Ducem amiserunt, sed tandem Barbaros castris exuerunt, atq; effugarunt. Castris hostium potiti, ex materia quam Barbari munitionis castellorumq; causa cæsam comportauerant, pontem in flumine construxerant, vt reliqua exercitus huic iungeretur. Sed postridiè hostes maioribus copiis adfuere: prælium commissum, Crucesignati edita ingenti cæde, reliquos in fœdam fugam cõiecerant. His duobus præliis clarissimi barbarorũ Duces desiderati: Sultanus Meledinus morbo obiit, cuius filius Melexala iam inde ab amissa Damiata Syrię Dynastas, Arabũ Phylarchas, ac Sultanos cæteros barbaræ religionis adierat: ostenderat deploratas pariter Turcicas Saracenasq; res: omnia ea Prouincias Francorum facta, si expectarent dum Chairo euersio in se procella belli ferretur cui sit anteuertendum. Intercedebant nobiles inter Halapianos Damascenosq; inimi-

citiæ: hæ tamen metu Crucesignatorum sedatæ, atq; dextræ interiunctę. Ægyptii Sultani filio, statim à morte patris, Sultano salutato, egregia auxilia & seruorum & liberorum obtulerũt. Hi etenim ita seruiunt Sultanis, vt illis vnis dicto audientes cæteris imperitent, nobiliam seruitiorũ imperio, & sic apud illos iocundissima seruitute. Tunc longe maximus eorum erat numerus, quod Tartari finitimorum longinquorumq; inuentutem siue trucidarant, siue sub hasta venundarant. His ingentibus copiis repente superueniens Melexala Crucesignatis se ostendit. Franci pugnam deposcebant, vt aut virtute deuincerent, aut cum gloria occumberent. Hostis pugnandi æquo loco copiam non fecit, & apud Crucesignatos paludstribus locis morbi exorti, pedes intumescere, caput grane dine tentari, ingredi per morbum, consistere per hostes non licere. Proceres in primis grauiter afficiebantur. Curæ vigiliarum, stationum, custodiarum, ad humilimum quemque reciderant. Rex Ludoui. grauissime laborans, primum contra mali vim animo pugnauit, deinde superatus fuit, poterat nauicula secundo flumine Damiatam clam ferri, antequã hostes fluminis potentes fierent, vtq; sibi consuleret, Procerum magna pars hortabatur: incolumi Rege rem Frãcicam incolumẽ, facile quantalibet cæterorum iactura. Negauit Sanctus se suos deserturum, vt nec à suis desereretur: se cum suis quamcumq; Deus daret subiturum fortunam. Et antequã castra propter multitudinem ægrorum moueri potuissent, Barbari æquioribus locis naues iunctis plaustris in inferiorem partem fluminis transuexerant, inter Damiatam & castra Crucesignatorum, ne mutuis auxiliis iuuarentur, quædam etiã Crucesignatorũ naues ex Damiata, vim aduerso flumine facere conatæ, partim suppressæ, partim captæ, ab hostium classe: S. Ludouic. corpore tam exhausto erat, debilitatoq;, vt se quantocunq; animo sustinere non posset, qui pauci à morbis adhuc integri erant, aut minus languebant: ii correptis armis hostes ad pugnam progressi prouocarant: Cæterum, cum numero exigui essent, locis iniquis à multitudine hostium circumuẽti, victi sunt. In hoc conflictu fratres Regis, Carolus & Alphonsus cum plurimis capti: perpaucis receptus in castra patuit, reliqui cæsi. Castra ab ægris, ægro Rege iacente, non poterant defendi: Mori sacro bello, sancto Regi, sanctum videbatur, eodem Duce, & reliquis mens eadem. Aiunt, Barbarũ pietate motum, Ludouico, medicum, & ea quæ curando recreandoq; corpori missi, cõditionesq; victo, sed iniquissimas, & plane impia pietate obtulisse: deduceretur exercitus: Damiata cederetur, captiui vtrimque redderentur, induciæ in annos decem fierent, ingens vis auri à Ludouico penderetur: Ludouicus per nomen Mahometi. Barbarus autem Christi iuraret, se has conditiones seruaturum: Sin vter violasset: ille illius, hic istius nomine, & perfidiæ & periurii, & abnegati numinis, culpa non vacaret. Auersatus est carmen istud impium Sanctus Ludouicus: existimans, quod res est, tantum in eo scelus esse, vt vel mente concipi, vel ex dentium vallo erumpere, formulam illam iurisiurandi, scelus scelerum omnium scelestissimum esset. Præsens merces pietatis, persoluta est sancto Regi, cum de perditissimo Sultano pœnas demeritas ipsa religio exegisset. Sultanum enim victorem Francis iura præscribentem, nobilissimum, nobilissimo patre auoque, serui emptitii repentino furore capti, spectante silenteque nobilitate, occiderunt. Exin cruentis dextris, eadem vecordia amentes, in tabernaculum Regis erupere strictis ensibus, madentibusque recenti cæde, eo animo consilioque, vt eum occiderent, vel in quę ipsi nefariæ formulæ verba concepissent, iureiurando adigerent. Conspectus sancti Regis tunc decumbentis, maiestas oris, dignitas vultus, rabiem hominum cohibuit: resediteque sua sponte furor atque vesania. Octo millia pondo auri precium Regis salutisque communis factum. Quatuor millibus solutis, de altera parte obsidem Alphonsum fratrem reliquit: & cum per pacta conuenta procul abire liceret, tamen non ante, quam reliqua solutione facta, discedere sustinuit. Tunc Damiata decessum, deportatus in Syriam exercitus Regius, Sanctus Ludouicus Barbarorum omnes captiuos cum fide, sine recusatione, nulla cunctatione restituit. Barbarus Turceminius nomine, ex Volone Imperator, Regumque Rex effectus, seruili barbaraque fide, ex duodecim millibus Latinorum, qui post discessum Richardi alii alio tempore capti fuerant, quosque omnes dimitti conuenerat, quadringentos tantummodo dimisit. Primum spes cæterorum redimẽdorum retinuit in Oriente Sanctum Ludouicum, deinde cum ea segnius procederet, dulcedo sacrorum locorum, & cupiditas restituendi quæ Barbari diruerant. Ad duo & triginta millia domo in Ægyptum profecti fuerant, ad sex circiter millia fuerũt reduces. Interea S. Ludouicus misit vtrumque fratrem, ad matrem consolandam: ex quatuor eius filiis tres esse incolumes, quartum egregiè pugnantem, quam sæpe votis petierat, martyrii lauream adeptum. Rex Sidonem, Cæsaream, Ioppen restituit, circumsissisque oratoribus, cuiuscunque nationis Crucesignati apud Barbaros in seruitute habebantur, eos gregarim ducenos trecenosq; redimebat, & alia plurima pietatis officia exercebat, nullo sanctitatis munere prætermisso. Nam ossa Crucesignatorum ab impiis cæsorum permultis locis insepulta, manu sua legit, sacroque sepulchro composuit. Vitam ad miraculum vsque barbaris integerrimam duxit, suoque exemplo ad sacrum baptisma plures Barbarorum pertraxit. Quotidie quoque primo diluculo flexis genibus Dauidicum psalterium recitauit & precibus ac lachrymis, optimam regni gubernandi rationem à Domino postulauit. Ad famam circumuenti à barbaris S. Ludouici, ingens in Francia perditorum manus qui se Pastorellos vocabant, specie sacræ militiæ passim vagabantur, fortunas cæterorum agentes ferentesque. Sed dum per Parisios, Aurelianos & Bituriges, cæde, furto, stupris sæuirent, Bituriges Aurelianenses q; vrbes iniuriarum minime omnium patientes, armis communib. correptis, hanc hominum colluuiem, partim occidere, partim ad quotidianum opus faciendum, sanos redegere. Fere quinq; annis in Oriente Sanctus Ludouicus remansit, initio quidem sponte, postea vero precibus Pontificum Maximorum flexus. Hi enim totum nomen Christianum incitabant, vt omnium Christianorum arma in Syriã ferrentur, sub sancti Ludouici signis cõtra Arabes militatura. Innocentius sane quamquam aliis permultis, præcipuè tamẽ a Priori Prouinciali Ord. Præd. & Ministro Ord. Minorum Alemaniæ hoc anno cõmiserat, vt Frisię, Noruegiæ, & aliorum septentrionis Regnorum Crucesignatos, etiam anathematis sententia prolata compellerent, ad transfretandum in Syriam eo die, quẽ mater Regina Blanca designasset. Ea enim, nomine S. Ludouici filii regnum Galliarũ administrabat, atque curam sacrorum subsidiorum, quę Crucesignatis submitteret, vigilantissime gerebat.

a *Epist. 181. Lugd. 3. Cal. Decemb.*

II. S. LVDOVICVS INVISIT ÆDEM LAVRETANAM.

Antequam Sanctus Ludouicus è Palæstina discederet, ne gratuita foret Syriaca expeditio, aliquem inde si nõ belli, at pietatis fructum referre statuit. Ergo sacra illa Palestinæ loca perlustrans, ex Tabore mõte, Nazarethum iter intendit, vt ædem B. Mariæ Deiparæ mysterio Incarnationis verbi illustrem, inuiseret. Vt primum illam conspexit, strenuè equo desilit, procumbit in genua: & venerabundus natalem Virginis domum, ipsamque salutat Virginem. Inde ad templum progressus, Dei filium inibi pro hominibus hominem factum, & simul sanctissimam eius parentẽ enixus veneratur, colitque: Et aderat Gabrielis Archangeli nuncio, Deoque à Virgine concepto sacer ac solemnis dies. Itaque pius Rex (vt eum loci sanctitas, ac sua pietas admonebat) pridie panẽ duntaxat, & frigida ieiunat, cilicio quidem ad carnem indutus. Festo autem die rem diuinam solemni ceremonia, regioq; apparatu celebrari iubet. Sub sacrificium inaugustissima Deiparæ cella, Sacrosanctam Eucharistiam sumit, magna lachrymarum vi, ingentique religione perfusas. Rarum vtique Christianæ pietatis, in Rege præsertim, ad posteros documentum: ex quo etiam coniectari licet maximo in honore, vel hac tempestate fuisse sanctissimæ Virginis Domum, quam hodie apud Lauretum Picæni ciuitatem Orbis melior complectitur. *Iodocus Clichtoueus, sermone de S. Ludouico.*

III. IN HONOREM SANGVINIS IESV CHRISTI, ÆDIFICANTEM RE-

Hoc anno Innocentius Papa, cum audisset Regem Angliæ, in honorem sanguinis Dominici, cuius guttas aliquot Hierosolymis acceperat, templum magnificentissimum apud Westmonasterienses ædificare, & sumptibus plane regis diuitare velle, pietatẽ illius scriptis ad eum litteris summopere laudauit. Cæterum vt alii quoque partem meri-

GEMANGLIÆ TEMPLVM ET DITANTEM LAVDAT INNOCENTIVS.

torum sibi in eo vendicarent, omnib. & singulis, qui quippiam eleemosynæ in structuram Basilicæ contulissent, vnius anni indulgentiam, vere pœnitentibus, contritis, confessis, & sacra communione refectis concessit.

Hoc pariter anno Innocentius I. Eleonoræ filiæ Regis Castellæ, vt quarto gradu sibi propinquo coniugaretur, permisit. 2. & Prouinciali Vngariæ Ordinis Prædicatorum, vt ad schismaticos, in conuicinis Prouinciis, ad gremium Ecclesiæ Catholicæ conuertendis, aliquos viros eruditione præstantes submitteret, præcepit: *ipsis vero vt reduces* absoluerent, potestatem fecit. 3. Episcopo Teruisino, & Priori Ordinis Prædicatorum Mantuano, vt Ezelinum de Romano, Ecclesiasticæ disciplinæ, non semel contemptorem, & in excommunicationibus, toties in se prolatis, insordescentem, ad meliorem sensum reuocarent commisit, quod si is omnino paruipenderet, vt in tota diœcesi Teruisina, & Patriarchio Aquileiensi, velut publicum Hæreticorum publice renunciarent, vtriq; mandauit. Enimuero Ezelinus meruerat, qui toties vindictam sedis Apostolicæ in se vocauerat Namq; *a* omnes Christiani nominis viros crudelitate superauerat, qui circa Teruisium, & in Enganeis exercuit tyrannidem, castrauit pueros, violauit Virgines, matronis ademit mammas, prægnantium vteros exsecuit, partus exsectos in ignem coniecit & bis sena Patauinorum millia, qui secum militabant, audita Patauii defectione, ad vnum interfecit.

I. EZELINVM FACINOROSISSIMVM REDVCI AD RESIPISCENTIAM VVLT INNOCEN. b *Sabellic. lib. 8. c. 3.*

Per idem temporis Innocent. Papa, *b* Legatum ad Regem Ruthenorum, vt eum ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ inuitaret, destinauit, atque Episcopo Scerien si, circa vsum celebrandi diuina, à temporibus Sancti Hieronymi, materno idiomate apud Slauos introducti hunc in modum rescripsit: *c Petitio tua continebat, quod in Slauonia est littera specialis, quam illius terræ Clerici, se à B. Hieronymo asserentes habere, obseruant in diuinis officiis celebrandis, vnde & illis efficaciis conformis, & interræ consuetudine in qua consistit Episcopos imitetis, celebrando diuina secundum dictam litteram humiliter postulastis. Nos igitur attendentes, quod sermo rei, & non res est sermoni subiecta, licentiam tibi dumtaxat in illis partibus, vbi de consuetudine obseruantur præmissa, dummodo sententia ex ipsius varietate litteræ non ladatur, authoritate præsentium concedimus.*

V. REGI RHVTHENORVM VSVM SLAVONICE CELEBRANDI MISSAM IN DVLGET. c *ep. 188. d ep. 753.*

Eodem quoq; tempore Innocentius, *d* Philippum Fontanam Rauennatem Antistitem Legatum Venetias misit, Venetosque ad arma aduersus Ezelinum capienda adhortatus est, diuinis propositis præmiis, qui ad tam piam expeditionem transirent. Quare Veneti copias, comeatus, naues, & quicquid gerendo bello vsui futurum esset Philippo dedere. Et primum expugnatis quibusdam Oppidis, Patauium inde admota castra. Huc Ansedinus Ezelini nepos Patauii Prætor accurrit. Sed Philippus ac Veneti pontem curuum magno impetu adorti, vrbem egressi sunt. Inde ad Altinaris portam, non sine cæde ac cruore concursum: & ex ea quoque parte Ciuitas expugnata est. Ansedinus autem desperatis rebus salutem sibi fuga quæsiuit. Eius au fugio Ciues deditionem fecerunt: arx etiam quarto post die recepta est. Ezelinus interim, qui circa Mantuam consederat, audito de Patauii amissione nuncio, ibi ira incensus, illa quorum mentio facta est, duodecim Patauiorum millia, quos in castris habuisse dicitur, ad vnum necauit.

VI. *e Petrus Marcellus in Marino Mauroceno Duce Vener.* PATAVIVM VSNETI EZELINO EXTORQVENT.

Hic Annus insignis est morte aliquorum illustrium virorum ex Ordine Diui Dominici. Ferdinandus Diaz primatum ducit ex Prouincia Castellæ: vir si quis alius in Hispaniis doctissimus, atque innocentia vitæ præstantissimus. Intellexerat aliquantum Innocentium Pontificem fuisse à maleuolis in Ordines Prædicator. atque Minorum commotum. Quamobrem orationibus, vigiliis & lachrymis, tam diu se afflixit, donec Diuam virginem sibi apparentem audiuisset, Pontificis feruorem desedisse, & illa quæ contra libertatem atque instituta religiosorum ad malas suggestiones sanciuerat, abrogasse. Interim vero dum saluti animarum curandæ totus desudaret, mortem sibi in proximo imminere didicerat, Diua eadem Dei Genitrice reuelante. Quam cum expiato noxis animo, sacramentis Ecclesiæ sumta cum deuotione perceptis expectaret, Christum visibili specie ad se venientem aspexit, & è carne mortali eductus, ad immortalitatis locum emigrauit. Par

12. MILLIA PATAVIORVM OCCIDI IMPERAT EZELINVS.

VII. *Leand. lib. 5.* OBITVS VIRORVM ILLVSTRIVM EX ORD. S. DOMINICI.

Ferdinando Mauritius, in Cœnobio Tolosano regularem vitam professus, vir sermone atque opere promptus, morum honestate ornatissimus: humilitate, mansuetudine, paupertatis amore, & puritatis candore commendatus. Atrox hæreticorum hostis, & indefessus pro Christi fide miles, ac sacri verbi insignis Concionator. Contigit illum aliquando apud Fratres Minores apud Albiam diuertere. Hos cum inueniret inopia aquæ laborare, neque posse venarum scaturiginem, licet in diuersis locis circumcirca fodissent reperire, oratione ad DEVM præmissa, hic fodite, inquit, in DEI nomine, & statim inuenietis. Dixit ille, locum ostendit, illi foderunt, & in momento aquæ dulcissimæ eruperunt. Earum porro vsus ab hominibus deuotis in ægros deriuatus, multis miraculose sanitatem restituit. Hos sequitur Edmundus Mascha Pisanus, nobilitate illustris, sed doctrina & vitæ innocentia illustrior, qui cum religionem Prædicatoriam, multis laboribus feliciter pro Ecclesia susceptis atq; exantlatis, exornasset, ad felicitatis æternæ requiem assumptus. His superioribus se adiunxit nobile par fratrum Petrus & Arnoldus Montepessulani. Gemelli vno partu in lucem effusi, vno die ad studia addiscẽda Lutetiam missi, vno die Philosophiæ addicti, vna hora in Prædicatoriam religionem adscripti, vna pariter die vita functi, pari humilitate, deuotione & sanctitate vixerunt, virtutibusque inter se certarunt. Petrus ad extrema deductus cum sacram Eucharistiam suscepisset, atque extrema vnctione delibutus esset, ad Priorem vna cum fratrib. adstantem dixit: Ecquid sibi iuberet, & quo sibi eundum esset, iniungeret? Cum vero Prior imperasset, vt ad Christum Iesum præstolantem recta iret, quem nunc pridem in sacra hostia percepisset: Petrus vultu sereno respondit: Ita plane properauero, nec alium præter Iesum qui me vocauit, quę fuero. Cum autem is expirasset, & ad Arnoldum iam animam agentem Fratres aduentassent, vnus illorum cæteris sanctior, Vincentius ex nomine; multitudinem innumerabilem Angelorum inter radios immensi luminis, & in medio eorum Diuum Patrem Dominicum facie splendidissima aduenire aspexit, qui Arnoldi Spiritum suscipere t, & in cœlum deportaret: simulque Vincentium admoneret, vt & ipse præsto esset, ad cœlestem patriam migraturus. Non inferior istis Beatus Lambertus Prior Bononiensis, qui admirando exemplo vitæ regularis, illam vrbem exornauit. Aliquando visus est sibi simul esse in vno cubiculo ornatissimo, vna cum Beato Rolando & Rudolpho, ex eodem instituto: atque vna Diuum DOMINICVM in medio consistere, & in quodam libello aureis litteris exarare R. R. L. Intellexit quod reserat, sibi non multo post, vna cum Rulando & Rudolpho Fauentino moriendum.

Eodem anno ex humanis excessit Beatus Albertus Falchenbergius, is qui mira constantia consobrinum sibi ne in religione perseueraret, persuadentem, defixus in imaginem Christi crucifixi & D. Virginis cum Ioanne sub Cruce stantis, reiecit, atque innocentiam quam in religionem intulerat, maximo proposito seruauit & ingentib. virtutibus decorauit.

VIII. *Dubr. li. 16.* WENCESLAVS BOEMIÆ REX LIBERALIS, IDEOQVE INVISVS.

Viuebat etiam id temporis VVenceslaus Rex Boemiæ, pene ad stuporem liberalis. Receperat aliquando ab Imperatore FRIDERICO, millia nummum aureorum viginti, nomine Viennæ redemptæ, quam summam ille confestim inter suos qui aderant, pro sua cuiusque conditione promptissime distribuit, non tam aliqua ambitione ductus, quam ingenita quadam ad liberaliter agendum naturæ suæ inclinatione. Cuius vel hoc aliud specimen insigne fuerit. Attulerat absenti dispensator auri massam, in montibus Giloueinsibus de silice auulsam, totam prorsus auream, magnitudineque & pondere conspicuam: vtpote quæ duodecim pondo pendebat. Hanc cubiculi præfectus acceptam in cubiculum Regis seposuit, oblitus interim præsenti Regi illam præsentare. Iuit Rex cubitum, totamque illam noctem pernigil transegit. Mane palam de insomnio conquerens, iubensque lectulum excutere, si quid inesset, quod somnum adimeret, massam attreatam cubicularii in conspectum Regis attulerant, eamque in lectulo se inuenisse, & præterea, nihil aliud affirmarunt. *En*, inquit *Rex, veneficium adest, quo velut ego incãtatus, insascina-*

tusque dormire nequiui. Auferte hinc malum ab oculis meis, faciteque vt ne amplius in secreta cubiculi redeat, sed foras eliminetur, inter vos distrahendum atque dispertiendum. Eratque ei hoc verbum frequens in ore: *Liberalibus liberaliter omnia adfluere.* Sed cum non satis modum mensuramque liberalitatis teneret, ad profusionem videlicet magis propendens, egere paulatim cæpit, æsque alienum contrahere: deinde cum soluendo non esset, tributa alia super alia indicere, ve ctigalia augere, Iudæos compilare, nec vllum genus exactionum prætermittere. Apud nobilitatem quoque magnam sibi inuidiam conflauit, quod nobilos eorum in carcerem detrusisset, illos præsertim qui contradicere ausi essent. Quamobrem coniuratione in eum facta, Regno exuere conati sunt. Quod tanto facilius effecere, quanto animosiorem Præmislaus eius filium erga parentem perspexissent: cui etiam eadem mens de V Venceslao in ordinem redigendo. Sane à procerib. male persuasus, & à matre Constantia pellectus regium nomen atq; diadema vsurpauit, militem cõtra parentem legit, eduxit, pugnauit, sed infausto fine. Copiis enim suis amissis, & pars quidem cæsis, pars vero turpi fuga dilapsis, à patre victus & profligatus, ex sola patris clementia vitam seruauit. Is enim exhorruit sanguine proprio manus impiare.

IX. REGINA SCOTIÆ MORTVA SANCTA, CVM MARITO SVVM CORPVS QVIESCERE VELLE, MIRACVLOSE DEMONSTRAVIT, ET A NEPOTE REGE ELEVATVR.

Hoc Anno Alexander eo nomine tertius Rex Scotorum, conuocatis ex toto Regno Cœnobiarchis Episcopis ac Baronibus ad Deum fere milem, celebribus ac multis supplicationibus prius habitis ossa Margaritæ Atauiæ suæ in Dinos relatæ, terra effossa, capsulæ argenteæ multis ornatæ gemmis impositi. Quumque ea Episcopi omnium consensu in adytum templi deportare conarentur, ac peruentum iam esset ad Malcolmi mariti eius sepulchrum, repente omnes immobiles constitere. Capsula enim, cui reliquiæ inerant, sepulchro Malcolmi impressa adhæsit, nec vlla vi moueri potuit. Quo miraculo stupefacti omnes, cum haud inuenirent tam nouæ rei causam, venerandus quidam senex Spiritu diuino afflatus sublata voce, vt cuncti eum facile exaudirent, Margaritam, inquit, marito, quam viuo semper exhibuit reuerentiam, eam mortuo denegare nolle. Quamobrem non prius eam sese vestris manib. in adytum deportari permissuram, quam Malcolmus maritus humo quoq; effossus lateri adiungatur. Quod vbi Regis Imperio factum est, tum deniq; sublata cum marito in adytum delata est, atque in hodiernum vsque diem multa populi veneratione vna cum Malcolmo culta. *Hecto. Hist. Scot. lib. 13.*

X. *Mariana lib. 13. c.3.* HVGO DOMINICANVS CLARET SCRIPTIS.

Eodem anno, Hugo ex Dominicanorum Ordine, ab Innocentio Quarto in Concilio Lugdunensi renunciatus Cardinalis, eximia eruditionis opinione clarissimus, Diuinos libros commentariis illustrabat. Bibliorum hic Concordantias, infinitum pene opus Herculea plane audacia primus excogitauit, & quingentorum Fratrum ope adiutus perfecit, incredibili rei litterariæ prouentu. Hugonis diligentiam longo post interuallo Hebræi, Græciq; imitati, vtriusque linguæ studiosorum conatus non minimum adiuuerunt. Scripsit super vniuersa Biblia, stilo quidem simplici, sed pererudito.

XI. *Biblioth. Senens.* ITEM VINCENTIVS BELLVACENSIS.

Coæqualis Hugoni Vincentius Bellouacensis ex eodem Ordine, inexplebili discendi, legendi, scribendiq; cupidine. Scripsit in Hexameron volumen ingens, triginta duobus magnis libris diuisum: quod idcirco speculum naturale inscripsit, quia in hoc vno complexus est, quicquid speculatione, admiratione & imitatione dignum inueniri potest in his quæ in mundo visibili & inuisibili ab initio vsq; in finem facta vel dicta sunt, siue etiam adhuc futura sunt. Scripsit etiam speculum doctrinale, historiale & morale, si morale scripsit. Doctrinale speculum cõtinet libros XVII. & tractat de omnib. scientiis, à Grammatica vsq; ad Theologiam. Historiale speculum tradit historias ab initio mundi vsque ad annum Domini 1244. sed continuauit alius vsque ad Annum Domini milleſimum quadringentesimum nonagesimum quartum. Morale speculum, cum ead. fere contineat, quæ apud Sanctum Thomam in Summa Theologica leguntur, aliqui existimant alicuius alterius Vincentii non Bellouacensis esse. Duos istos viros illustres præcesserunt Alexander Halensis, & Humbertus Burgundus. Ille Ordinis Minorum, hic vero Prædicatorum. Discipulos ille habuit duos, Diuos, Bonauenturam & Thomam Aquinatem: hic vero Ordini Sancti Dominici prælatus innumeros reliquit, tum doctrinæ, tum sanctitatis suæ sectatores. Ille iussu INNOCENTII Papæ scripsit summam Theologiæ, & reliqua multa: hic vero sua sponte composuit pleraque, digna quæ à religiosis legantur.

Bellarmin. de script. Eccles.

Hocanno Bononienses collatis signis cum Hencio Friderici exauctorati spurio, victoriam memorabilem mense Maio retulerunt, atque Hencium in vincula coniecerunt, & tandem mori in carcere coegerunt, quæ res tantum mærorem Friderico attulerat, vt etiam is non multo post obierit.

XII. CÆDITVR A BONONIENSIBVS HENCIVS FILIVS FRIDERICI SECVNDI.

Die enim festo sanctæ Luciæ Fridericus secundus mori coactus est, à Manfredo filio, quem ex nobili concubina susceperat, compresso per vim ore ac spiritu. Datus est in exemplum diuinæ iustitiæ, vt qui Ecclesiam Romanam matrem suam tot modis, per tot annos, tam ne farie persecutus est iniuste, satis iusto Dei iudicio à filio spurio interficeretur. Cum enim Ecclesia Romana illum ab incunte ætate sub tutela sua in Regno Apuliæ educasset, & PAPA HONORIVS Tertius anno Domini milleſimo ducentesimo vigesimo, in Imperatorem vnxisset, postea tamen mortua Constantia matre, quæ ipsum in officio continebat, immemor accepti beneficii, contra ius fasque Pontificiam ditionem vexabat. Propter quam causam à Gregorio excommunicatus, Ioannis Hierosolymirani Regis intercessione, ea lege absolutus & Ecclesiæ reconciliatus est, vt tum res ablatas restitueret, tum ad recuperationem Terræ Sanctæ cum exercitu se conferret. Quas conditiones cum non seruaret, sed egritudine simulata maximam multitudinem Crucesignatorum Brundusii expectantem, ipsumq; Regem Hierosolymitanum, atque adeo Christianos in Asia bellantes deciperet, eaque fraus adeo aperte deprehenderetur, vt ad nuncium mortis Landgrauii Hassiæ statim ad eius res diripiendas homo valetudinarius è Sicilia Brundusium adnauigarit, GREGORIVS Nonus HONORII sententiam prius in Fridericum prolatam, denuo repetiit, & confirmauit. Ea feuerissime perculsus, auri vncias centum & viginti millia Ecclesiæ Romanæ propter damna illata persoluit, pacem impetrauit, ac pro Regno Siciliæ verum Ecclesiæ feudatarium se esse confessus est. Sed cum in Romanos Pontifici resistentes moturum se pollicitus, adeo fidem non liberaret, vt in Germaniam abiens, voluerit milites suos in Italia relictos Romanis Ciuibus in omni re obedire, nec ita multo post in Italiam reuersus tam ipse quam eius nomine Ezelinus socias Ciuitates oppugnaret, factionumque teterrimarum, quæ iam tum Guelphi, tum Gibellini appellati sunt, author esset, Saracenis & Magistratui mandaret, & vrbem (quæ Nuceria Saracenorum dicta est) concederet, Ecclesias & Monasteria spoliaret, Siculos tyrannide grauissima opprimeret, Fratrem Regis Tunisii baptismum Panormi perentem à tam sancto proposito verbo detineret, vias deinde præcluderet, ne Concilium quod GREGORIVS Romæ indixerat, conuenire posset, insuper Cardinales & alios Prælatos in vinculis teneret: INNOCENTIO Quarto post Gregorii & Cœlestini mortem Pontifici creato insidias struxerit, eumque in Franciam proficisci cogerit: deniq; ad Concilium Lugduni congregatum vocatus venturum se promitteret, nec veniret: omnium consensu in eodem Concilio Imperio & Regnis priuatus fuit. His nihilo melior factus tandem in grauem morbum incidit, eumque vitæ finem accepit, quem nefandis excessibus demeruit. Abbas Vrspergensis frustra Æthiopem lauabat, quem fama frequentior, & sensus prope omnium conspirans, nimirum Imperatoris Constantinopolitani, Regumque Angliæ, Franciæ, Daniæ, & Hierosolymorum, & Partium Concilii condemnauit. Antequam moreretur Fridericus, ad decimum tertium diem Decembris Florentini, eius Regionis vico, quam Capitinatam vocant, testamentum condidit, & Conradum filium Hierosolymitani regni consortem adscitum Imperii (vt ipsius verbis vtar) Hæredem, & Siciliæ Regni, omniumque quæ adeptus fuerat, instituit. Huic Hencium, & Hencio Manfredum, filios naturales substituit: Manfredum Conradi absentis procuratorem, atque

Surita li. 2. & Summonius p.2. hist. Neapolit.

atq; gubernatorem Italicis ditionibus, & Siciliæ præcipue regno præfecit, & Tarentino principatu, & vrbe atq; honore S. Angeli donauit. Frid. nepoti, Henrici Regis Germaniæ filio, Aragoniæ Regis consobrini, Ducatus Austriæ & Styriæ, quos à Conrado patruo teneret, attribuit. A relatense præterea Regnum condonauit Hencio: quam quam Manfredus non iusto quoque connubio genitus, neque contentus in spem successionis tanti Regni, à parte se fuisse euocarum, Conrado viuente, Siciliæ Regnum, Bruttios, Calabros, Apulos, Samnium, atque Campaniam omnem interuertisset, atque ad se transtulisset. Itaque FRIDERICVS testamento condito extinctus est. Fuit ille fax quædam funesta, non Germaniæ modo patriæ, sed & Italiæ cõmunis perniciei & totius Ecclesiæ. Istius enim sæculi malorum pernicies, eo opifice atque machinatore, cum Ecclesiastici Ordinis & Sedis Apostolicæ calamitate coniuncta fuit.

XIV. *Cuspinian. & Krantius Saxonic. b.* 8 WILHELM. CORONAM PRIMAM PETENS, AB AQVISGRANENSIBVS PROHIBETVR.

Wilhelmus porro Rex, cum Traiecti aliquot menses mansisset, summo studio contendebat, vt primam Coronam de more obtineret. Cæterum Aquensis Ciuitas Conrado Friderici filio addicta, non permittebat illum intrare, & solemnis Regni Romanorum accipere. Quamobrem Crucesignati eam vehementius oppugnandam suscepere, neque tamen quicquam per aliquot menses profecere: donec Guillelmus Principum Germaniæ conuentum haberet: ad quem conuenientes, Geradus Moguntin. Conradus Colonien sis, Arnoldus Treuirensis, Iacobus Metensis, Abbas Fuldensis, Ludouicus Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, cum viginti quinque nobilioribus Comitibus, & insignioribus Germaniæ vrbibus, inter quas & Aquisgranorum Oratores accessere. In hoc itaq; conuentu tractarunt de stabilienda generali pace, quam omnes Principes & Ciuitates iurarunt, Capitaneosque fœderis crearunt: qui mox arces & castra, in quibus latrocinia exercebantur, deuastabant, atque solo æquabant: raptores & inuasores occidebant: telonea iniusta, quibus homines grauabantur abrogabant: libertatem auream omnibus restituebant, & in Wilhelmi Regis electi fidem iurare omnes astringebant.

XV. OBITVS B. THEOBALDI ACMIRACVLA.

Eodem Anno, animam DEO apud Albam Pompeiam reddidit, Beatus Theobaldus: qui apud montem vici humili loco natus, à teneris annis pietatem coluit. Hic Albam Pompeiam profectus cerdonis artem didicit: sed mortuo Magistro, qui illi filiam, quam vt in matrimonium duceret hortabatur, cum tota domo fidei suæ commendarat, voti soluendi causa Compostellam peregrinatus, cum ab ea peregrinatione reuertisset, & castitatem sibi colendam proposuisset, orationibus, vigiliis & ieiuniis inprimis se exercebat. Vt autem magis carnem domaret, relicta calceatoria arte, onera humeris deferre cœpit, ex lucro duas ex tribus partes pauperibus distribuens. Cum autem farinam, quam ferebat, pauperibus in summa egestate diuisisset, diuino quodam Consilio, saccum arena pro farina repletum, ante fores illius, cuius erat, deposuit: quæ arena in optimam farinam per miraculum conuersa deprehensa fuit. Post hæc in morbum incidens, nunquam, vt in lecto decumberet adduci potuit. Sed super nuda homo, vt consueuerat, iacens, paulo post sacramentis refectus, cum inter Ecclesiam Sancti LAVRENTII, quam semper verrere scopis solitus erat, & Sancti SYLVESTRI humari postulasset, animam in manus creatoris deposuit: sponte omnibus vrbis campanis sonantibus, quæ non ante cessarunt, quam sepulturæ traditus esset. Huius corpus in Ecclesiam Sancti LAVRENTII, vt ibi decenter conderetur, delatum, Episcopo, Clero & populo præsentibus ita immobile factum est, vt non nisi in locum à fede designatum, in quo nouum ex marmore sepulchrum cum luminibus apparuit, inferri potuerit. Tantus autem propter miracula ad tumulum populorum concursus factus est, vt ex eleemosynis non modo Ecclesia cum turri, sed etiam Xenodochium fuerit constructum. In eius vita ad 59. miracula leguntur: inter quæ, tres pueri ad vitam reuocati. & quamplurimi ab insanabilibus morbis curati. *Ex vita M. S.*

XVI. PÆNA DVORVM FILII

Hoc anno apud Castrum Virgiacum Ducis Burgundiæ, in diœcesi Eduensi, insigni vindicta ex duobus sum-

RVMATRO CISSIMA OB INHONORATOS PARENTES.

pta, Deus docuit, quo in honore parentes habendi sint. Vnus eorum bonorum maternorum decoctor, matrem ad tantam iracundiam prouocauit, vt illi imprecata fuerit, vt malo gladio confoderetur, atque in feretro exanimis domum reportaretur. Alter vero parentem correctorem cum manu dextera percussisset, imprecationem patris talem audiuit, vt ei manus amputaretur, & in patibulo ipso suspenderetur. Factum breui. Duo illi iuuenes, diris à parentibus deuoti, cum postero die in taberna aliqua genio indulsissent, ex temulentia cœperunt litigare, & mutuo sese percutere. Hic cui pater imprecatus est, gladio exerto alterum occidit, cumque patrato scelere in syluam proximam effugeret, & se à persequentib. strenue defenderet, manum inprimis gladio abscissam amisit, deinde interceptus, & patibulo affixus, meritas violati patris pœnas dedit. *Annal. Belg.*

XVII. GERARDVS EPISCOPVS VERDENSIS FLORET.

Eodem tempore in Germania florebat Gerardus ex illustri familia Comitum ab Hoyen, Episcopus Verdensis. Erat is Princeps pacificus, multis virtutibus ornatus, atque ad res Ecclesiæ tractandas, amplissimaq; Reipublicæ Christianæ negotia agenda aptissimus. Omnibus erat mitis & benignus, adeo vt nullum à se indonatum dimitteret. Nemo etiam afflictorum ipsum accedebat, qui in lætior ab eo discederet. Vnde ab omnibus loco patris habebatur. Quamquam autem is talis tantusque esset, tamen Ziselbertus Bremensis Antistes eius ditionem & vrbem inuasit, atque multis cladibus affecit, quam ipse iniuriam patienter tulit, atque causæ huius iudicem Deum constituit. *Anonym.*

XVIII. PASSIO B. DOMINICI INNOCENTIS IN HISPANIA.

In Hispaniis eodem Anno passus est Beatus DOMINICVS, Innocens Cæsarauguſtanus, qui *Sancto Dominguito* vulgo nuncupatur. Eius Martyrium ex Tabulario Ecclesiæ Cæsarauguſtanæ refert *Hieronymus Blanca* his ipsis verbis.

Incipit Passio Beati Dominici, Innocentis Martyris, Cæsarauguſtani.

Ad honorem Domini nostri Iesu Christi, Saluatoris ac Redemptoris nostri, qui salus & vita est omnium, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, nec non etiam ad honorem Innocentis Martyris sui, nomine Dominici. Qui apud Ciuitatem Cæsarauguſtanam natus est cum signis mirandis: videlicet cum corona in capite, & Cruce in armo dextro, cuius fuerunt genitores Sanctius de Vall. Tabellio, & Elizabeth vxor eius. Et cum Dominicus haberet ætatem annorum septem, & litteras ediscereret, & tractatus enormis & nefarius inter hostilem & impiam gentem Iudæorum eiusdem vrbis, iniquitatibus vsitatam esset habitus, vt quicunque occulte feraretur, aut raperet paruulum Christianum, & eis traderet, vt mori daretur, esset ab omnibus peytu, ac tributationibus, & impositionibus quibuscunqueper eos soluendis exemptus: exinde Moße Albayzeto Hebræus, mali consilii Iude iniqui proditoris sanissimus imitator, suggestione diabolica, rapuit occulte, & repente Dominicum, & eum ligatum fune Aliamæ tradidit Iudæorum. Qui crudelissime renouantes Christi sanguinem clauis in pariete paruulum confixerunt, & eius latus grauiter lancea perforarunt. Et inde satagentes, ne hoc nefas tam detestabile panderetur, eligentes tempus opportunum, ad lictus flaminis Iberi corpus Martyris occultarunt. Christus autem scrutator cordium, & cognitor secretorum, pro quo sanctus Dominicus passus erat, corpus eius iam voluit reuelari. Itaque factum est, dum custodientes naticulas, quæ erant ad portam prefate Ciuitatis, solicite vigilarent: viderant aliquibus noctibus luminæ cœlica valde coruscantia supra locum latoris, vbi sanctum corpus, vti prædicitur, fuerat occultatum. Admirantes quid hoc esset, cum hoc esset relatum Ciuitati, aliquiex Ciuibus accedentes ad litus prædictum, corpus Martyris absque capite, & manibus ligatum simbus inuenerunt. Clero autem & populo hoc sciturib, fuit inde illud ad supra dictam Ciuitatem ductum, atque positum in Basilica Sancti Ægidii. Ex qua aliquibus diebus elapsis, cum corpus Martyris extraheretur, se quidem miraculose, flexis genibus, absque vllo dubio, ante ostium Ecclesie assistenti populo ostendit. Et audito preconii sonitu generaliter per ciuitatem facto, nec non Episcopo & Clero ad prædictam Ecclesiam cum ingenti solemnitate, & populi celebri deuotione venientibus, miris coruscantibus miraculis, omnium congregatio sancta facta fuit: & per manus Sacerdotum canentium & DEO psallentium, omnibus aliis Dominum in sancto suo deuotissime laudantibus, sol: mni processione vnanimiter ordinata, & ad tam insigne spectaculum ciuibus militibus, nobilibus & cuiuslibet conditionis hominibus,

ac mulieribus, & parvulis occurrentibus, ac cereos albos suis in manibus baiulantibus (vbi dulcissima omnium instrumentorum musicalium melodia, ac tubarum sonora harmonia non defuit) ad Ecclesiam Sancti Egidij primo accersitis, & ibidem deuote receptis, per omnes Ecclesias sanctum corpus alacriter delatum, tandem per portam cignegiam abeuntibus, exinde ad sanctam sedem vrbis prænominatæ fuit solemniter translatum. Moyse Albayhu tandem corde contritus, & relicta via iniquitatis, impietatis & doli Iudæorum, Sacramentum Baptismatis acceptauit. Passus est autem Beatus Dominicus, mense Augusto, Anno Incarnationis Dominicæ M. CC. L. Regnante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu S. viuit & regnat per infinita sæculorum sæcula, Amen. Hiero. Blanca Comment. rerum Aragen.

IESV CHRISTI
Annus 1251.

INNOCENTII	GVILLELMI	BALDVINI II.
IV. PAPÆ 9.	Rom. Regis 4.	Imp Orient. 23.

I. a *Æmil. in Ludouico 9.* EXTINCTO FRIDERICO DVO FILII INTER SE DE REGNIS DECERTANT, CEDIT TAMEN CONRADO MANFREDVS.

STatim atque Fridericus extinctus est, Conradus legitimus, & Manfredus spurius Friderici, inter se de Regno Siciliæ, Neapolitano & Italiæ dominio decertare cæperunt. a Conradus ex Constantia Regis Castulonensium filia, filius, se & Siciliæ Regem iure paterno, & Augustum pariter dicebat, quod eum Frideric. ante sententiam Lugdunensem in Regem Romanorum cooptasset. Vt itaque vtrumque decus retineret, ex Sueuia in Italiam venit, & Venetorum per id temporis à Genuensibus dissociatorum ope adiutus, multos agros prætervectus in Apuliam penetrauit, cum iam Manfredus ex pellice procreatus, & Principatu Tarentino à Friderico donatus, Regnum Siciliæ dissimulanter appetens, seque nihil maius quam Procuratorem Regni dictitans, præsidia quibus locis videbatur, imposuisset. b *Scripserat interim Innocentius tum Siculis*, tum Neapolitanis, ne cuiquã alteri, quam Sedi Apostolicæ, cuius ea regna hæreditaria essent, obedirent: neue alterius, quam eius quem Romanus Pontifex designasset, dominium agnoscerent. Quam Pontificis Maximi authoritatem Aquinates, Neapolitani atque Capuani secuti, Manfredum mænibus exclusere. Ita in præsentia eo vt non processuro consilio deterritus, Conrado ad Piscariam die vigesimo sexto Augusti venienti venerabundus occurrit, Regem eum salutauit, reosque maiestatis Neapolitanos peregit; quod cum se procuratorem absentis profiteretur, vt aduenienti omnia pacata præberet, imperium detrectassent, portasque clausissent. Conradus nouus Rex Manfredi rerum Italicarum periti, animorumque & consiliorum popularium gnari, simul velut bene merentis dictis permotus, ad primum Decembris diem Neapolim obsedit: octauo demum mense fame in deditionem acceptam, direptamq; muris discinxit. Eandem fortunam & Capua tulit: Aquinum etiam incendio fædatum.

b *Iuuenatius in Annalibus.*

II. *Naucler. generat. 42. & Innoc. ep. 15. Lugd 15. Cal. Martii.* GVILLELM. REGEM HORTATVR INNOCENT. VT IMPERIVM COLLAPSVM RESTITVAT.

Cæterum cum Innocentius Papa tum Fridericum decessisse, tum Conradum in Italiam abijsse intellexisset, extemplo Hugonem tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem Legatum in Germaniam cum literis misit, & quidem Guillelmo Regi electo vt vir esset, seque ad capessendum Regni Romanorum diadema, vt par erat, dignum exhiberet, omnesque Ecclesiæ fideles beneuole complecteretur, infideles autem ac refractarios, præcipue vero illos Circumcelliones hæreticos armis persequeretur, perscripsit, officiique sui eum admonuit: Principibus vero Imperii & Regni Romanorum præcepit, vt repudiato Conrado Friderici filio, Guillelmum legitime electum sequerentur. Sciuit istud Conradus, & vt erat feroculus, in Pontificis & Guillelmi sequaces arma conuertit: rebusque in Sicilia atque Apulia, vt poterat, compositis, in Bauariã reuertit, Henrici Soceri auxilia postulaturus. Inter hæc Pontifex, Raynaldum de Comitibus Ostiensem, & Petrum de Colle medio ex Archiepiscopo Rothomagensi Albanum, Episcopos Cardinales Legatos in Campaniam & Apuliam destinauit, qui populos in fide & obedientia Sedis Apostolicæ continerent, & reliqua patrimonii Ecclesiæ in iis prouinciis tuerentur. Fratri quoque Rogerio Lentino, ex Diui Dominici instituto iniunxit, atque vt se in Siciliam conferret, & iam de medio Friderico sublato, curam rerum Ecclesiæ atque regni illius susciperet, omniaque indidem, ad quietem populi ac perfectam regni administrationem pertinentia, perageret, mandauit: datis ad eum litteris, Lugduni, ipsis Nonis Martii. Conradus porro in Germaniam reuersus, contractis cum Henrico socero copiis tumultuariis, Ratisponam primo armis infestauit, & tam Cathedralem Basilicam, quam Sancti Emerammi cœnobium in diuersoria commutauit, sola innocentia pro crimine reputata. Prætextum contra Monachos texuerat, quasi illi neophytum quendam ex hebræo sacris tinctum aquis, omnibus bonis spoliassent, & in rem monasterii conuertissent. Cumque nihil eorum quæ reposcebantur aut restituere possent, aut habuissent, Conradus atque Henricus extortis à ministro monasterii clauibus, omnem Ecclesiæ atque cœnobii supellectilem diripuerunt, atque foras deportarunt. Quartus Calendarum Ianuarii dies vertebatur, quando noctis intempestæ silentio Ratispona vastabatur: cum iniuriam Ecclesiarum & ciuium ferre non sustinens aliquis nobilium, atque veluti alter Phinees, blasphemiam iniuriasque in DEVM & Deo deditos sanctos homines vlcisci cupiens, Conradum hominem impium, Ecclesiæ hostem, & populorum tyrannum, statuisset occidere. Et sane ea nocte quam occultissime interfecisset; nisi aliquis Conradum, vt se è lectulo subduceret, & aliubi dormiret, monuisset. Sciuit Conradus intentatam sibi mortem, cum que de parricida supplicium sumere non potuisset, rursum in Monachos desæuiit, qui vexationem redimere coacti, inprimis pretiosissimos quosque bibliothecæ suæ libros, deinde altare quoddam aureum portatile, pondo marcarum septem & sexaginta, quod à tempore Henrici IV. relictum, vsque ad ea tempora durauerat, distrahere compulsi sunt. Ferre has iniurias Deo & diuinis, cum rebus, tum personis illatas, non potuit Guillelmus: sed copiis collectis Ratisponam contendit, atque ope Crucesignatorum fretus, in tantas augustias Conradum coegit, vt salutem in effugio quæsiuerit. Tantas vero acies militum piorum, Guillelmo Regi electo, collegerat Frater Guillelmus Elka Ord. Præd. eiusdem electi, quemadmodum appellabant, Capellanus: cui Innocentius Pontifex curam dederat, vt Cruce ex vniuersa Alemania tantos quantos poterat contra Conradum signaret, & maiores quam posset cohortes Crucesignatorum colligeret, aduersus mali patris filium nequiorem.

ep. 50. Naucl. supra. CONRADVS PATREM SEQVITVR.

epist. 202. Lugd. Non. Febr.

III. LOMBARDIAM HÆRESIS PERVADIT.

In his mauortiis turbis, Lombardiam pestis hæretica infecerat: neque populares tantummodo, sed maxime illos qui vel diuitiis, vel clientelis præstabant, quique doctiores sibi esse videbantur. Doluit ea res Innocentium Pontificem. Itaque vt manum medicatricem huic vlceri admoueret, præter alios ex Ordin. Prædic. fidei Catholicæ Inquisitores alibi locorum institutos, Petrum Veronensem doctrinæ & miraculorum gloria omnes absque controuersia excellentem, Insubribus præposuit. Non poterant eam rem ferre Manichæi. Igitur quadraginta nummis cuidam sicario persolutis, improbum homicidam, in innocentem Petrum atque Dominicum socium, prece & precio armarunt. Iturus erat Comum, vbi conuentui præfuerat, cum insidiarum ab hæreticis occultarum certos indices audiuit, & moriendum sibi pro Christo fore perlibenter accepit. Nihil ea res mouit sanctum mori pro Christo paratum, namque in assuetudinem illi abierat, quotiescumque sacram Eucharistiam siue eleuasset, siue eleuari animaduertisset, implorare, vt pro Christiana fide mori posset. Octuo Idus Aprilis Como Lombardiæ ciuitate reuertebatur Petrus Mediolanum, nonnisi vno socio comitatus cum illum nefarius carnifex aliquot vulnerib. inflictis cõfecit. Mirandus in eo fidei ardor tunc visus est. Cum.n. animam per sanguinem purpureum effunderet, symbolum fidei, quod infans pene coram patruo olim defenderat, moriens alta voce recitauit, atq; sanguine proprio, vt fama est, terræ inscripsit. Secuta sunt miracula, quæ Innocentium Pontificem permouerunt, vt nondum elapso an. Petrum

MARTYRIVM S. PETRI MARTYRIS DOMINICANI ET MIRACVLA, ET CANONIZATIO.

albo martyrum asscriberet. Placet inserere diploma canonizationis, ab Innocentio signatum: quod ita habet.

IV. DIPLOMA CANONIZATIONIS AB INNOC. DATVM.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus Fratrib. vniuersis Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

epist. 113.

Magnis & crebris declarata prodigiis Christianæ fidei rectitudo iam nouo noui sancti decorata martyrio signorum recentium fulgore coruscat, & multis hactenus roborata portentis, nunc singularum miraculorum insigniis confirmatur. Ecce de instanti & moderno Fidei pugile noua gaudia prodeunt, triumphalia signa innotescunt, vox fusi sanguinis intonat, inclyti martyris tuba clangit, terra non silet sudans aspersione cruoris, resonat regio nobili prædita bellatore, ipsequemet gladius parricida proclamat. Hæc sunt certe certa Fidei sacræ indicia: hæc ipsius idonea testimonia: hæc eius dignissima monimenta: propter quod lætati sunt cæli: & terra pariter in tanti perceptione gaudii exultauit. Grandis adest matri Ecclesiæ causa lætitiæ, multa ei materia iucunditatis aduenit. Habet vnde DOMINO canticum nouum cantet: vnde immensæ laudis hymnum referat DEO suo. Habet plebs catholica, vnde plaudat, leuatis Altissimo manibus, sonoris iubilet vocibus, & lætis animis iucundetur. Habet christiana concio, vnde deuotas conditori concinat cantiones. De horto siquidem Fidei nuper in mensam Regis æterni dulcis allatus est fructus: de vinea Ecclesiæ in Regium calicem affluens nouiter liquor influxit: quoniam fæcundus palmes hostili mucrone concisus, habuit plus humoris, quia propinquior viuæ viti. De Prædicatorum Ordine florido prodiit rosa rubens, quæ Regalibus oblata conspectibus intulit suauitatem odoris. De huius Ecclesiæ fabrica electus est lapis, qui pressura & tunsione politus decenter supernis ædibus est insertus. In cælesti quoque Rosario flos amœnus rubro colore rutilans nunc est natus in mundo, & candido sanctorum Collegio nouum munditiæ lilium est exortum, vnde factum est in cælo magnum gaudium, exultantibus sanctis omnibus, & solemnitatem agentibus tanti festi. Sane Beatus PETRVS de Ordine Fratrum Prædicatorum Lombardus origine prudenter attendens dolosi mundi fallacias & deuia sæculi defluentis, cuius blanditiis qui læditur cum lenitur, cum ab his in adolescentiæ annis prouide declinasset, vitæ semitam eligens tutiorem, vt à lubricis caute pede retracto firmis posset incedere gressibus ad diuina obsequia se totaliter transtulit, in Euangelicæ institutionis obseruantiam cuncta sua studia conuertens, & vniuersas dirigens actiones, rectum & lucidum callem sequens, salubrem videlicet ipsius Ordinis regulam, per quam regi valeret & dirigi, duci etiam & induci ad speratam requiem post laborem: In qua vtique triginta fere annorum spatio fultus caterua virtutum fide præambula, spe astante, comite charitate, sic præualuit & profecit circa ipsius maxime defensionem fidei pro qua totus ardebat, quod contra illius dires hostes mente intrepida feruentique spiritu continuum certamen exercens, suum tandem agonem diutinum victrici superante martyrio fæliciter consummauit. Et sic ipse PETRVS firmus in petra fidei, petræ demum passionis allisus, ad petram CHRISTVM digne laureandus ascendit. Porro, ne sacra suorum actuum vos exempla prætereant, aliqua de vita ipsius ad instructionem & profectum audientium referamus. Ipse namque veritatis filius & bonitatis alumnus, conuersatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulsisse nitore munditiæ, virginitatem integre custodisse, nec mentis habuisse nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contactum firma suorum confessorum assertione monstratur. Et quia seruus delicate nutritus proteruit in Dominum, carnem suam assidua cibi & potus parcitate restrinxit. Ne vero per otii desidiam hostilibus pateret insidiis, in iustificationibus DOMINI exercitabatur assidue, vt eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & à spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna siquidem silentia humanæ deputata quieti post dormitionem breuem decurrebat in studiis lectionum, & somni tempus vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis incumbendo prædicationibus, vel confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticorum dogma pestiferum validis rationibus confutando, in quibus specialis doni gratia noscitur claruisse. Deuotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientia placidus, benignitate suauis, pietate compatiens, patientia constans, charitate præstabilis, & in cunctis morum maturitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat. Feruens quoque amator Fidei cultor præcipuus propugnator ardentior, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quod quæque ipsius verba & opera, virtutem fidei redolebant. Cuius dulcedinem lingua illius velut redundans fauus copiose distillans, semper illius documenta suauia propinabat. Pro hoc autem mortem subire cupiens, hoc principaliter à DOMINO attentis & crebris supplicationibus postulasse probatur, vt non sineret eum ex hac luce migrare nisi sumpto pro illa calice passionis. Vnde quia meruit tantus athleta specialem palmam de pugna tam strenua reportare, ac in cælitum patriam sertis præsignitus roseis introire, cum de Ciuitate Cumana vbi Fratrum sui Ordinis ibi morantium Prior erat, Mediolanum pergeret pro exequenda inquisitione contra hæreticos sibi ab Apostolica Sede commissa (sicut in publica prædicatione prædixerat) quidam de ipsorum hæreticorum credentibus prece illorum inductus & precio in eum iter salutaris propositi prosequentem funestus insiliit, in agnum vtique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, in modestum effrenis, prophanus in sanctum præsumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens diris in ipsum impressis vulneribus, & satiato sanguine iusti ense venerandum illum non diuertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, & cæsoris sustinentem in patientia truces ictus, dimisit spiritu petente superna in ipso loco passionis occisum. Ipso quoque sacrilego percussuras in CHRISTI ministrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, sed sufferens omnia patienter suum DOMINO spiritum commendabat dicens: In manus tuas DOMINE commendo spiritum meum. Symbolum etiam capit dicere Fidei, cuius nec in hoc articulo desiit esse præco, prout ipse nefandus, qui à fidelibus captus fuit, & quondam Frater DOMINICVS, qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus diebus aliquot superuixit, postea retulerunt. Sic granum frumenti cadens in terram, & infidelium manibus compressum & mortuum, vberem consurgit in spicam. Sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam. Sic triticum attritum in area, in Dominicum horreum excussa palea deportatur. Sic aromata pilo contusa odorem plenius circumfundunt. Sic inquam Regnum cælorum à violentis percipitur: sic per fidem à sanctis regna sublimia deuincuntur. O quam insigne miraculum, quod titulus tam gloriosus illustrat. Pro defensione namque ac exaltatione Fidei & obseruatione obedientiæ Romanæ Ecclesiæ, vir ille venerabilis acerbam mortem tulit. Hic in Ecclesia tanquam sydus radians, & lumine fidei, & gratia prædicationis emicuit. Hic iam in cælo quasi luminare conspicuum, & splendore gloriæ, & multorum coruscatione signorum effulget: quia non vult DOMINVS ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto, sed inter lucentia sanctorum candelabra manifestius exaltare, vt omnib. qui in Ecclesiæ domo habitant, proferat clarum lumen. Nam nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum gloria pateret. Cuiusdam etenim nobilis filium præ nimio & horribili totius gulæ tumore nec loqui, nec spirare valentem, leuatis ad Dominum manibus, & Crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam, & infirmo supponentem loco sanauit. Idem quoq; nobilis vehementi postmodum corporis torsione grauatus, credens & metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam quam extunc conseruauerat reuerenter fecit afferri. Qua suo apposita pectori, mox vermem quemdam duo habentem capita & pilorum densitate villosum euomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam iuueni muto immisso digito in os eius suaq; linguæ soluto ligamine beneficium loquelæ concessit. Hæc & alia plura dum viueret, dignatus est Dominus per eum operari. Post mortem vero ipsius lampades ad sepulchrũ eius venerabile dependentes pluries per seipsas absq; omni humano studio & ministerio diuinitus sunt accensæ. Quia conueniens nimis erat, vt quoniam igne ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis & luminis miraculum appareret. Quidam autem dum vesceretur cum aliis, & illius sanctitatem & miracula deprauaret, sumpto quodam sub hac attestatione morsello, quod eum non posset si circa hæc delinqueret transglutire: sensit mox ipsum gutturi suo sic hærentẽ, vt illum educere vel inducere non valeret. Quare illico pænitens, & iam vultus mutato colore quasi sentiens vicinæ mortis euentum, facto intra se voto quod linguam de cætero ad taliam non laxaret, fuit protinus illo euomito liberatus. Hydropica quædam ad locum passionis ipsius auxilio viri perueniens, fusa ibi oratione sanitatem integram mox recepit. Obsessas à dæmonibus longo tempore mulieres, martyr ipse deiectis illis cũ multo sanguinis vomitu de corporib. liberauit. Febres expulit languores curauit plurimos & diuersos. Cuiusdã sinistræ manus digitum ex morbo fistulæ plurium foraminum concauitate defossum, mira consolidatione sanauit. Quidam insuper puer ex casu grauissimo sic oppressus, vt motu & sensu penitus destitutus tanquam mortuus defleretur, mox apposita de terra suo pectori sacro eiusdem martyris cruore contacta, inco-

lumis exsurrexit. Quædam cuius carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis huiusmodi terra vulneribus est curata. Alii etiam diuersis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum eius in vehiculis & aliis sustentaculis adierunt, exindè, postmodum plena incolumitate recepta sine aliquibus subsidiis rediere. Ad hæc magna hæreticorum & ipsorum credentium multitudo, cum tantam fidei aduerterent efficaciam, & ad eam tot certis & apertis signorum indiciis, tanquam quibusdam clamantib. præconibus vocarentur nec possent tam valide illorum instantiæ non parere, ad ipsius lucem fidei de sui erroris nubilo est conuersa. Quid plura? His & quam multis aliis miraculis gloriosis magnificauit Dominus factum suum, & colendum exhibuit vniuersis. Lætetur itaque totus fidelium cœtus, & laudum carmina Deo concinat alta voce, quod à suis tanquam Christi coheredibus mansiones cœlicæ possidentur. Exultet mater Ecclesia, quod palmes suus quem in agro fidei plantauit & coluit, in cœleste plantarium est translatus. Gaudeat & insignis Fratrum Prad. ordo, quod ex eo profiliit stella micans, cuius fulgentes radii in lumen hic peregrinantium diffunduntur. Erubescant fallaces hæretici, Euangelicæ falsarii veritatis, quod sua mendacia commenta vilescunt, & conualescunt Catholica & Apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, & impudentes frontes decidant tam confusæ, cum ille cuius veracem instructionem & salutaria monita renuebant, eutique mortis intrulere supplicium, in cœlo iam regnet inter agmina beatorum. Et mirum cum aperte conspiciant Dei Ecclesiam talibus fulciri columnis, talibus parietib. circumcingi, talibus consurgere incrementis, talibus propugnaculis communiri, talibus defensari patronis, talibus miraculis illustrari, quod nihilominus in noctis tenebris & mortis caligine gradiantur: quodque à suis oculis squamas non abiiciunt cæcitatis, vt verum lumen videant & sequantur. Cæterum quia conuenit, vt quē Dominus in cælo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitæ ac veritate miraculorum ipsius martyris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem studiosam examinationem & discussionem solemnem, plura etiam & maiora de ipso comperimus quam insinuata fuissent, eum de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio & assensu confisi de omnipotentis Dei virtute, authoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius ac nostra, sanctorum martyrum catalogo duximus adscribendum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus III. Kalend. Maii festum eiusdem deuote & solemniter celebretis, faciatis à vestris subditis veneratione congrua celebrari: vt pia eius intercessione & hic à noxiis protegi, & in futura sempiterna consequi gaudia valeatis. Et vt ad venerabile eius sepulchrum ardentius & assluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem martyris colatur festiuitas, omnibus vere pœnitentib. & confessis qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi annum vnum & 40. dies: accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulchrum infra eiusdem festi quindenam 40. dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusii 9. Kal. April. Pontificatus nostri anno X. Hactenus bulla canonizationis D. Petri, data anno sequenti.

V. *Krantz. Dania li. 7.* ERICVS REX DANIÆ AB ABELE FRATRE MISERABILITER TRVCIDATVR.

Hoc anno Danorum Rex Ericus à fratre germano occisus occubuit. Hic Rex cum esset Deo devotus, honore præcipuo excoluit Sanctum Wenceslaum martyrem Boemiæ Ducem, quem Frater eius occiderat. Aliquando autē somno oppressus, vidit per quietem eund. sibi dicentem; Confide frater: adsum quem colis. Nuncius tibi venio, eodem te genere martyrii absumendum quo & ego. Prius tamen volo vt monasterium construas in honorem Dei & nominis mei. Euigilans Rex, certus, non fuisse vana somnia, in terra Reualiensi monasterium cœpit erigere, quod ei sanctus in visione præcepit. Sed priusquā consummaret, morte subtractus est, hoc ordine. Visionem suam duxit in longa tempora consummandam, præsertim confidens, quod nondum expleret cœnobium extruere: & fratri antea diffidenti, anno superiore reconciliatus fuisset. Itaque nihil sibi metuens iuit vt visitaret Abel fratrem. Is veniētem Regem excepit in speciem benigne: verumtamen odium implacabile occultabat in corde, quod nullus fraterni sanguinis respectus, nullus compositionis modus, nulla familiaritas potuit superare. Itaque milites in cubiculum immisit, qui Regem latrunculis seu schachis ludentem interceperunt, & nauigio iniecerunt. Præfuit naui Lago Danus militaris, capitalis regi inimicus, atque mortem illi denunciauit. Audiuit Ericus permodeste, & Sacerdotem sibi accersiri iussit. Quo adueniēte, sinceram ex animo peccatorum confessionem peregit, & absolutione percepta: Sciebam, inquit, mihi à fratre meo mortem inferendam, sed non tam cito, speraui, matutandam. Peccata quidem mea id deposcunt quod patior: sed nec meo fratri, neq; complicibus id erit impune. Dixit ista Ericus: Lago autem orantem securi percussit, & saxo alligatum cadauer in lacu Slya apud oppidum Slesnicense demersit, quod paulo post vna cum capite non plane reciso enarauit. Qui huius necis conscii fuere, omnes male perierunt. Lago executor sceleris in Holsatia obtruncatus est à collusore. Hermanus miles quo cum Rex luserat, cum conscius coniurationis putaretur, à fossoribus rusticis confossus interiit. Innocentius tamen Guidonem Cardinalem Legatum in Daniam misit, qui Abelem fratricidam castigaret, & Daniam vniuersam in vltionem sceleris à sacris arceret.

VI. *Mariana li. 13. c. 8.* IACOB. REX ARAGONIÆ, REGNI PROVINCIAS INTER FILIOS MALE PARTITVR.

Eodem hoc Anno non minores inter patrem & filium in Aragonia turbæ. Iacob. Rex ex Violante vxore, Petrum, Iacobum, Ferdinandum, Sanctium, totidemque filias genuerat, Violantem, Constantiam, Sanctiam, Mariam. Regina viri potens Regi suaserat, vt regni prouincias inter filios partiretur. Consilium id Reipublicæ exitiale videbatur, viribus debilitatis; Alphonso autem inprimis maiori filio, in quem hæc comparabantur, erat graue. Itaq; plerique Proceres eius auctoritatem & partes secuti, à Rege palam defecerant, & in partes scissi, ciuilia arma sumebant, intestino dissidio æstuantes. Eius componendi cura, vnde maiora impendebant mala Alcanicii mense Februario generalis conuentus habiti sunt. Dati in controuersia iudices, viri Principes ex vtroq; ordine, vt filius ad officium rediret, pronunciarunt, nihil tamen ea diligētia profectum, cum Rex in sententia persisteret, prorsus vt Catalaciniæ Principatum Petro viuens donaret. Conata est Regina Innocentii Pontificis authoritate eam donationem confirmari. Verumtamen Innocentius propter eas discordias, quæ inter Iacobum Regem & Alphonsum primogenitum gliscebant recusauit, Reginamq; per literas admonuit ne ægre ferret, sed tantisper expectaret, donec odiis depositis, in concordiam redirent. Permisit interim Pontifex, vt Petrus Barcinonensis Comes, & Sanctia eius soror, ille aliquam, hæc vero aliquem quarto gradu sibi propinquantem, in matrimonium assumerent.

ep. 46. Lugd. 3. Non. Mar.

VII. PATREM ET FILIVM REGES, HVNGARIÆ INNOCENTIVS COMPONIT.

Non minora dissidia inter Belam Hungariæ Regem atque Stephanum eius filium intercesserant, eo quod ille Comanarum consuetudine delectatus, Stephanum neglexisse videbatur. Curauit Innocentius misso nuncio Belam Regem à turpitudine illa reuocare, & filii ei conciliare. Quod vbi fœliciter effecisset, Laureti & Conuersani Comitatum, & Terlize sancti Petri ac Solitæ, & quandā terram in diœcesi Pennensi cum pertinentiis suis, ad sedem Apostolicam hæreditario iure spectantem, Regno Siciliæ in præsentiarum per mortem Friderici vacante Stephano attribuit, non obstante quod prædicta loca à Friderico olim Imperatore & Siciliæ Rege fuissent alteri concessa.

ep. 493 Dan. 3. Calen. Iuni. Regi & Reginæ Aragon. ep. 364 Lugd. 5. Cal. Mart.

VIII. SVMMARIVM GESTORVM INNOCENTII IV. HOC ANNO

Eodem Anno Innocentius, 1. Adematum Capellanum suum Regis Angliæ germanum Ecclesiæ v Vintoniensi præfecit. 2. Ne Rex Angliæ decimas regni Scotiæ à Sede Apostolica iniuste postularet, aut iniustius extorqueret, siue vsurparet, admonuit. Cæterum cum idem rex Angliæ à Pontifice flagitasset, ne sineret regem Scotiæ, inuito se, & sine consensu pro tempore futuri regis Angliæ, inungi atq; coronari, eo quod rex Scotus regi Angliæ sit ligius, atque homagium præstiterit & præstare consueuerit, Innocentius Pontifex importune postulanti istud negauit, & ea qua decebat libertate regē Anglum iniustitiæ redarguit. 3. Ferdinandum regem Castellæ, ad cuius preces Giennensem Ecclesiam in cathedralem erexerat, isq; eam dotare promiserat, neque quicquam hactenus præstiterat, ad eam dotandam serio admonuit. 4. Reginæ Blancæ quæ regnum Galliarum per absentiam S. Ludouici administrabat, vt pro quotidianis Ecclesiarum distributionibus, quas in partem subsidii Terræ sanctæ in duos annos concesserat, aliquam moderatam taxam Ecclesiis imponeret, duosq; viros ad eam pecuniam colligendam deputaret, permisit. Cum autem regiorum prouentuum curatores, Romipetas, Episcopos & reliquos atq; omnes Lutetiæ operam literis nauantes, iniustis prædagiorum, etiam à reb. detritis vetustate, & in vsum quotidianum comparatis, exactionib. iniquis grauarent, seuerius Reginam Innocentius admonuit, ne & honorem & conscientiam suam tam iniusta rapina temeraret, neue mercatorum loco illos haberet, qui vel in sanctiorem sortem vocati fuissent, vel honestiorib. studiis sese dedidissent. 5. Prouinciali Poloniæ Ordinis Prædicatorum, vt Fratres ad conuersionem Pruthenorum & Liuonum mitteret præcepit: Cæterum Prioribus Ordinis Prædicatorum in Liuoniæ prouincia contra Paganos Crucem prædicantibus, & militib. Sanctæ Mariæ Theutonicorum, pecunias in subsidium belli sacri corrogatas numerarent, iisq; tum armis, tum equis ad pugnandum indigentib. subuenirent, imposuit. 6. Fratri Stephano Capellano & pœnitentiario suo Ordin. Prædicatorum, vt in prouinciam Prouinciæ se conferret, atque vna cum Comite & administris illius, ea quæ pro fide Catholica, & pro pace publica stabilienda necessaria viderentur procuraret, præcepit. Porro vt res fidei tanto diligentius contra hæreticos curarentur. 7. Idem Innocentius, Prouinciali Prouinciæ eiusd. Ordinis Prædicatorum, vt ad eosdem perfidos de Comitatu Tolosano, & de terris Pictauiensibus eliminandos, totis viribus incumberet iniunxit, atque potestatem plenariam excommunicandi, absoluendi & reconciliandi concessit. 8. Duci, Senatui, Populoque Venetorum, vt Parmenses à longa obsidione Friderici attritos, adiuuarent commendauit; negotiumque istud Octauiano tituli S. Mariæ in via Lata Legato Cardinali commisit. Ianua Mediolanum diuertens, & inde Laudam accedens, eam ciuitatem in Friderici filiorum partib. perseuerantē, Mediolanensibus conciliauit. 9. Contra vsurarios fœneratores multa saluberrime cōstituit. 10. Florentinos inter se per factiones diuisos, ad concordiā reducere conatus est. 11. Cremonenses ad saniorem mentem, adque mutuam cum Confœderatis ciuitatibus amicitiam reuocauit. 12. Fracto typario, quo Apostolorum Petri & Pauli capita, in diplomatis signabātur, ne quibusdam falsariis antiquatum repræsentantibus fidem adhiberent, vtque recens effictum omnes cognoscerent, vniuersis præscripsit. 13. Græcis in insula Cypri recens ad vnitatem Ecclesiæ reductis Episcopos præfecit, & regulas fidei atq; ceremoniarum præscripsit. 14. In Abulensi diœcesi Clericorum vitia correxit atque castigauit. 15. Contra Mediolanenses hæreticos, cædis D. Petri martyris authores, multa edixit. 16. Clericos Galliarum pressius exemplo duellantes redarguit, istudq; peccatum interdixit. 17. Malefici ad Ecclesias confugientes, ne reciperentur, prohibuit. 18. Inquisitorib. vt etiam pœnas pecuniarias in cautelam iis qui eiurassent, imponerent, sæuerissime præcepit. 19. Inquisitionem vitæ & miraculorum B. Ambrosii Ordinis Minorum, B. Augustini Nidrosiensis Episcopi, & Ioannis Boni Eremitæ diuersis commisit. 20. Reditum suum in vrbem, quem propter grauissima Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ negotia maturabat, omnib. & singulis significauit, atq; ciuitatem Lugdunensem, in qua totos fere annos octo hæserat, tum priuilegiis, tum elogiis singularib. ornauit, eamque titulo nobilitatis insignem, fidei puritate pollentem, pacis vnione concordem, rerum affluentia locupletem, situ loci communem & habilem vniuersis appellauit. Ea ciuitate antequam Innocentius in Italiam excederet, voluit eum rex Angliæ Ericus, & mater S. Ludouici Blancha officii causa inuisere. Cæterum ille præ humilitate non sustinuit: & quidem 21. Erico, aliud tempus magis forte opportunum officio præstando, mutuoque colloquio perfruendo insinuauit: sc. vt conatus auerteret, ne absente Ludouico periissius aduentum pax Galliarum turbaretur: 22. Reginam autem Blancham ab ægritudine ex qua conualuerat vix consistentem, ne sibi nouum periculum ex itinere accerseret admonuit.

1. epist. 399. Lugd. Non. Mart. & Petr. Id. Ian.
6. epist. 28. Lugdun. 14. Cal. Mart.
7. ep. 524. Ianua 15. Cal. Iunii.
8. epist. 61 Lug. 12. Calen. April.
9. epist. 349.
10. ep. 305.
11. epist. 14.
12 epist. 305.
13. epist. 19.
14. epist. 65.
15. epist. 32.
16. epist. 25
17. epist. 187.
18. ep 524.
19. ep. 194. & 225. & 512.
20. epist. 60. & 316.
21. epist. 68. Lugduni. 4. Non. Apr.
22. epist. 60. Lugdun. 15. Cal. Aprl.

IX. PONTIFEX INNOCEN. EX GALLIS IN ITALIAM ABIT.

Ad eum modum cum molestias visitantium commode euasisset, atque Regnum Galliarum tum pace florentissimum, tum exēplo sanctitatis suæ ad virtutes prouocatum reddidisset, classe Genuensium in Italiam reuectus, Genuam Summorum Pontificum colendorū scientem primum ingressus est. Ioannes Giraldelus Prætor cum Mediolanensium Legatis, primus ex Italia aduolauit, qui Pontificis pedes Genuæ exoscularetur, vnaque cum eo in communione consuleret, pœdagiorum, etiam à reb. detritis vetustate, & in vsum quotidianum comparatis, exactionib. iniquis grauarent, seuerius Reginam Innocentius admonuit, ne & honorem & conscientiam suam tam iniusta rapina temeraret, neue mercatorum loco illos haberet, qui vel in sanctiorem sortem vocati fuissent, vel honestiorib. studiis sese dedidissent. 5. Prouinciali Poloniæ Ordinis Prædicatorum, vt Fratres ad conuersionem Pruthenorum & Liuonum mitteret præcepit: Cæterum Prioribus Ordinis Prædicatorum in Liuoniæ prouincia contra Paganos Crucem prædicantibus, & militib. Sanctæ Mariæ Theutonicorum, pecunias in subsidium belli sacri corrogatas numerarent, iisq; tum armis, tum equis ad pugnandum indigentib. subuenirent, imposuit. 6. Fratri Stephano Capellano & pœnitentiario suo Ordin. Prædicatorum, vt in prouinciam Prouinciæ se conferret, atque vna cum Comite & administris illius, ea quæ pro fide Catholica, & pro pace publica stabilienda necessaria viderentur procuraret, præcepit. Porro vt res fidei tanto diligentius contra hæreticos curarentur. 7. Idem Innocentius, Prouinciali Prouinciæ eiusd. Ordinis Prædicatorum, vt ad eosdem perfidos de Comitatu Tolosano, & de terris Pictauiensibus eliminandos, totis viribus incumberet iniunxit, atque potestatem plenariam excommunicandi, absoluendi & reconciliandi concessit. 8. Duci, Senatui, Populoque Venetorum, vt Parmenses à longa obsidione Friderici attritos, adiuuarent commendauit; negotiumque istud Octauiano tituli S. Mariæ in via Lata Legato Cardinali commisit. Ianua Mediolanum diuertens, & inde Laudam accedens, eam ciuitatem in Friderici filiorum partib. perseuerantē, Mediolanensibus conciliauit. 9. Contra vsurarios fœneratores multa saluberrime cōstituit. 10. Florentinos inter se per factiones diuisos, ad concordiā reducere conatus est. 11. Cremonenses ad saniorem mentem, adque mutuam cum Confœderatis ciuitatibus amicitiam reuocauit. 12. Fracto typario, quo Apostolorum Petri & Pauli capita, in diplomatis signabātur, ne quibusdam falsariis antiquatum repræsentantibus fidem adhiberent, vtque recens effictum omnes cognoscerent, vniuersis præscripsit. 13. Græcis in insula Cypri recens ad vnitatem Ecclesiæ reductis Episcopos præfecit, & regulas fidei atq; ceremoniarum præscripsit. 14. In Abulensi diœcesi Clericorum vitia correxit atque castigauit. 15. Contra Mediolanenses hæreticos, cædis D. Petri martyris authores, multa edixit. 16. Clericos Galliarum pressius exemplo duellantes redarguit, istudq; peccatum interdixit. 17. Malefici ad Ecclesias confugientes, ne reciperentur, prohibuit. 18. Inquisitorib. vt etiam pœnas pecuniarias in cautelam iis qui eiurassent, imponerent, sæuerissime præcepit. 19. Inquisitionem vitæ & miraculorum B. Ambrosii Ordinis Minorum, B. Augustini Nidrosiensis Episcopi, & Ioannis Boni Eremitæ diuersis commisit. 20. Reditum suum in vrbem, quem propter grauissima Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ negotia maturabat, omnib. & singulis significauit, atq; ciuitatem Lugdunensem, in qua totos fere annos octo hæserat, tum priuilegiis, tum elogiis singularib. ornauit, eamque titulo nobilitatis insignem, fidei puritate pollentem, pacis vnione concordem, rerum affluentia locupletem, situ loci communem & habilem vniuersis appellauit. Ea ciuitate antequam Innocentius in Italiam excederet, voluit eum rex Angliæ Ericus, & mater S. Ludouici Blancha officii causa inuisere. Cæterum ille præ humilitate non sustinuit: & quidem 21. Erico, aliud tempus magis forte opportunum officio præstando, mutuoque colloquio perfruendo insinuauit: sc. vt conatus auerteret, ne absente Ludouico periissius aduentum pax Galliarum turbaretur: 22. Reginam autem Blancham ab ægritudine ex qua conualuerat vix consistentem, ne sibi nouum periculum ex itinere accerseret admonuit.

Ad eum modum cum molestias visitantium commode euasisset, atque Regnum Galliarum tum pace florentissimum, tum exēplo sanctitatis suæ ad virtutes prouocatum reddidisset, classe Genuensium in Italiam reuectus, Genuam Summorum Pontificum colendorū scientem primum ingressus est. Ioannes Giraldelus Prætor cum Mediolanensium Legatis, primus ex Italia aduolauit, qui Pontificis pedes

Chron Bos. siana.

Rebem li. 6.

X. MONET CENSVRIS IN ORDINEM REDIGI AD FRIDERICO PERVERSOS.

XI. IN SVECIA FILIVS PRÆ PATRE IN REGEM ELIGITVR.

Hoc Anno in Suecia summa certatum est, inprimis ambitione, postmodum pietate. Ericus Rex sine liberis obierat, & Birgerum Ierlium inter primos qui regnum vel ambirent, vel mererentur contra Tauestios cum gloria militantem reliquerat. Eo tamen præterito, regni Proceres, totius rei summam ad Valdemarum illius filium præmortui Regis ex Sorore nepotem, quamuis minorennem detulerant. Indigne id primum tulit Birgerus. Proinde coram conuocato regni senatu, quasi electionem cassaturus, expostulauit, quod se non expectato noui Regis suffectione acceleraſſent. Deinde interrogauit: Cuiusnam audacia effectum esset, vt is eligeretur in Regem, qui nondum per ætatem se ipsum regere potis esset. Ad hæc inquit Iuarus, electionis author: Ego sum huius electionis præses: qui singulari in te beneuolentia vsus, noluit te hominem senio cōfectum, quamuis optime de nostra Republ. meritum, tam graui onere administrandi Regni obruere, quod ego ipse in me collatum recusassem. Attamen si tibi electio, quæ de tuo filio facta est, displiceat, tu tibi recipe filium tuum, tuæque & eius saluti, vti volueris, & portueris, melius consulere perge: & nos facile inueniemus, in quem Regiæ dignitatis honorem, & officium imponemus. Cui Birgerus, nondum deposita spe assequendi Regni, dixit: Certum est, Regnum sine Rege subsistere non posse, quem ergo, cassata filii mei electione, eligetis? De sub hac tunica, inquit Iuarus, qua induor, Regem extrahemus. Quo audito, Birgerus, pietate concepta, consensum factæ electioni præbuit, sibique filium, anteferri passus est. *Olaus lib. 19. c. 16.*

XII. Eod. Anno diem extremum obiit Christianus Secun-

CHRISTI-ANVS MOGVNTIN. ARCHIEPISCOPVS SE ABDICAT EPISCOPATV.

dus, Archiepiscopus Moguntinus, postquam ei dignitati, amore quietioris vitę renunciasset, admonitus aliquoties à Rege Romanorum Guillelmo, vt eum belligerantem iuuaret, comiter sese excusauit, illudque memorabile dixit; Episcopum debere concionari, non belligerari: hocq; innuisse Christum cum Petro iussisset: Reconde gladium in vaginam tuam. Scripsit pro Summo Pontifice historiam exauthorationis Henrici V. Rom. Imperatoris.

IESV CHRISTI
Annus 1252.

INNOCENTII PAPÆ IV. 10. | GVILLELMI Rom. Regis 5. | BALDVINI II. Imp. Orient. 24.

I. REX GVILLELMVS A QVISGRANI INVNCTVS.

AQuisgrani, in presentia Electorum, & Antistitum, Monasterienſis, Mindenſis, Leodienſis, Traiectenſis, & plurimorum Alemaniæ Principum, Guillelm. Hollandiæ Comes in Regem Romanorum solemni ritu Ecclesiæ inunctus, per hos dies Comitio indicto apud Francofordiam, ex voto Principum Imperii, Conradum Friderici filium hæreticorum communione atque perfidia pollutum, nec non Ecclesiæ vniuersæ persecutorem acerrimum, diris iam ab Innocentio Pontifice, & à Ratisponensi Episcopo, cuius arces diripuerat & incenderat, deuotum, atque à sacrorum communione interdictum, Ducatu Sueuiæ atque aliis bonis, quæ in Germania hactenus possederat priuum renunciauit, militemque ad ea occupanda conscripsit. Priuos etiam omnes alios quoscumque iure feudi esse voluit, quicumque intra vnius anni à die coronationis ipsius decursum, feudorum confirmationem neq; postulassent neque obtinuissent. Priorem sanctionem Innocent. Pontif. Sexto Idus Februarii Pontificatus Anno Nono. Posteriorem autem Quarto Nonas Decembr. Pontificatus sui Anno Decimo, confirmauit, executionemque commisit Abbatibus Fuldensi & Sancti Trudonis: qui per censuras Ecclesiasticas, bona quæcumq; feudalia, quæ ad Guillelmum Regem, & ad Regnum Romanor. pertinebant, recuperarent, & Regi legitimo assignarent. Dedit eas literas Perusii, quo ex Galliis reuersus, concesserat, neque enim in vrbem statim properauit, eo quod requisitos nunciis & literis Romanos, vt attributam senatoribus, quos tunc annuos creabant binos, proximam regiæ vel potius tyrannicæ potestatem, vt abrogarent, aut se præsente moderatiorem tolerabiliorem que esse vellent, impetrare nequiuerit. Aderant vero frequentes apud Pontificem Regni Neapolitani & ipsius vrbis Proceres numero potentatuq; plurimum æstimandi, qui Innocentium ad eiusdem & Siciliæ hæreditariam possessionem inuitabant, & vteo se conferret, subditosque à tyrannide Germanorum vindicaret, postulabant.

epist. 146. & 252.

II. CONRADVS OBSIDET NEAPOLIM, ET CAPIT.

Conradus enim ex Germania eiectus, copiis quamplurimis præcipue Saracenorum Friderici patris defuncti amicorum contractis, Neapolim arctissima obsidione terra marique circumdederat: & certam deditionem citamque expectabat: cum ab intus fame grauissima laborarent, & non deessent proditores, qui quæ intra agebantur Conrado significarent, & ad continuandam obsidionem incitarent. Aliquis eorum sagittæ alligatas literas in castra Conradi iaciebat: ex quib. vnam latinis versibus conceptam hic habes.

Mutus regalis latitans in Parthenopeo
Vera referre studet, auxiliante Deo
Parthenope se fessa dabit tibi qui dominaris
Si bene claudantur ostia clausa maris.
Perstа & insista, funda quæ marmora iacit
Nam mora victorem continuata facit.

Fecit quod monebatur Conradus, & quidem triremib. ex Sicilia adductis mare occupauit, custodiisque circa cauernam qua Puteolos ad necessaria conquirenda Neapolitani clam exibant appositis, omnes aditus præclusit, ne quicquam commeatus intra vrbem inferretur. Tanta autem fame laboratum est in vrbe, vt neque à caninis carnibus, neque ab aliis sordidis abstinerent. Contraxerat quidem Innocent. apud Perusium aliquantas copias, quas in auxilium Neapolitanis submitteret Cæterũ cum non tantæ essent, vt opem ferre possent: (nec enim maiores colligere poterat, eo quod Lombardorum vires contra Ezelinum distractæ essent, & Ianuensium vrbs milite in Syriam submisso exhausta fuisset, & Veneti aliquantum nutarent, vel potius ad Conradi partes respicerent) in præsentiarum tentandum sibi putauit, si qua ratione Conradum ad pacem inuitaret. Ad secundum itaq; Ianuarii diem Nuncium cum potestate Legati de Latere ad Conradum misit: qui moneret ne Regnum Neapolitanum Ecclesiæ Rom. hæreditarium inuaderet: ne vrbem in sedis Apost. potestate sitam opprimeret; neue dignitatem authoritatemque Rom. Pontif. contemneret: Cæterum si quid iuris se habere existimaret, id potius benignitati & clementiæ Summi Antistitis permitteret. Risit eam Legationem profanus Conradus, & per contumeliam; vt Innocent. cum rasis verticibus rem haberet; respondit: obsidioneque ad Septemb. vsque continuata, tandem ex pacto vrbem recepit. Veruntamen pactis non stetit. Ciuitatem enim ingressus, non sacris, non prophanis, non ætati, non sexui, non ordini pepercit, sed in omnes promiscue, sacerdotes, clericos, religiosos, vestales, militares, nobilitatem, senes, iuuenes, virgines que impietate, cædibus, stupris, libidinatione, & reliquo contumeliarum genere detestauit: ædes insigniores publicas iuxta ac priuatas euertit, Templa depilauit: insignique Vrbico, quod symbolo equorum æneï & marmorei infrenium in publico prostabat, illudens frena imposuit, distichoque inscripto:

Hactenus effrenus, Dominum nunc paret habenis:
Rex domat hunc equum, Parthenopeus equus.

Multo tempore extabat is equus, vt erat frenatus, apud Neapolitanos. Veruntamen cum vulgus ignarum, à Virgilio Poeta certis sub constellationibus factum, ad infirmitates equorum curandas valere, nimis superstitiose crederet, adeoque sanandos equos ad statuam adduceret, anno qui fuit 1322. ex decreto Archiepiscopi in campanam cõflata est. Dum autem Neapolis obsidione premeretur, Raynaldus de Comitibus Ostiensis, & Petrus de Colle medio Albanus, Cardinales Legati Siciliæ Regnum disponebant. His dieb. præsidente Raynaldo Episcopo Ostiense, ad Ecclesiam Melphiensem electus fuerat Fr. Rogerius de Lentino: dirigente vero Petro Episcopo Albano, ad Parensem, F. Henr. Filangerius, vterq; Ord. Præd. vtriusq; electionem & Sedis Apostol. mandato canonice factam confirmauit, & illum quidem Melphiensi, istum autem Barensi Ecclesiæ Innoc. præfecit, datis literis Rogerio 7. Idus Febr. Henrico autem, 6. Id Maii Perusii.

Blondus dec. 2. lib 7.

Inuentius in Annal.

IMPIETATES CONRADI IN NEAPOLITANOS.

ep. 18. & 162.

In Italia D. Petro martyre occiso, & in numerum Diuorum relato, cupiebat Innoc. hæreticos legibus extinguere. Quamobrem in primis Constitutiones Friderici olim Imperatoris contra eos latas approbauit, & data Inquisitoribus hæreticæ prauitatis Ordin. Præd. in Lombardia, Marchia Teruisina & Romaniola commissione, vt omnes Potestates, Præfecti, Consiliarii, & communitates eam inter sua statuta conscriberent, inuiolabiliterque sub pœnis & censuris obseruarent, præcepit: scriptis literis Perusii V. Kalen. Maij, & alteris II. Id. Maii. Ipse deinde constitutionem, contra eosd. hæreticos edidit, dignam quę hic adscribatur, in hæc verba.

III. INNOCEN. PROBAT CONSTITVTIONES FRIDERICI II. IN HÆRETICOS, ET INSVPER ALIAS ADDIT.

Innocentius seruus seruorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, siue Rectoribus, Consiliis & communitatibus ciuitatum aliorumq; locorum per Lombardiã Romaniolam, & Marchiam Teruisinam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad extirpanda de medio populi christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa licentius his diebus hominis inimico, tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem Catholici seminis peruagari. Volentes autem vt aduersus huiusmodi nequitiæ operarios consurgant stentq; nobiscum Ecclesiæ filii, as ort hodoxa fidei zelatores, Cõstitutiones quasdam ad extirpationem hæreticæ pestis edidimus, à vobis vt fidelibus eiusdem fidei defensoribus exacta diligentia obseruandas, quæ seriatim

inferius continentur. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli Constitutiones easdem conscribi in vestris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem haresim, se aduersus sanctam hanc Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis: alioquin dilectis filiis Priori Prouinciali, & Fratrib. Inquisitorib. hæreticæ prauitatis Ord. Præd. in Lombardia, Marchia Teruisina, & Romaniola, damus nostris literis in mandatis, vt singulos vestrum ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram appellatione remota compellant.

Constitutiones autem sunt hæ.

Statuimus vt Potestas seu Rector qui Ciuitati præest, vel loco alii ad præsens, aut pro tempore præfuerit in futurum in Lombardia, Romaniola, vel Marchia Teruisina, iuret præcise & sine tenore aliquo attendere inuiolabiliter & seruare, & facere ab omnibus obseruari toto tempore sui regiminis, tam in ciuitate vel in loco sui regiminis, quam in terris suæ ditioni subiectis, omnes & singulas tam infrascriptas quam alias Constitutiones & leges tam Canonicas quam Ciuiles eduas contra hæreticam prauitatem, & super his præcise obseruandis recipient à quibuslibet sibi in Potestaria vel regimine succedentibus iuramenta: quæ qui præstare noluerint, pro Potestatib. vel Rectoribus nullatenus habeantur: & quæ vt potestates vel rectores fecerint, nullam penitus habeant firmitatem: nec vllus teneatur aut debeat sequi eos, etiam si de sequela præstanda eis exhiberit iuramentum. Quod si potestas vel rector aliquis hæc omnia & singula seruare noluerit, vel neglexerit, præter notam periurii & perpetuæ incluram infamiæ, ducentarum marcharum pœnam incurrat, quæ irremissibiliter exigantur ab eo, & in vtilitatem communis integra conuertantur, & nihilominus vt periurus & infamis, & tanquam hæreticorum fautor, de side suspectus, officio & honore sui regiminis spolietur: nec vlterius potestas seu rector in aliquo habeatur, aut de cætero ad aliquam dignitatem, vel officium publicum vllatenus assumatur.

Idem quoq; Potestas seu Rector cuiuslibet ciuitatis vel loci in principio sui regiminis, in publica contione more solito congregata, banno ciuitatis vel loci supponat, tamquam pro maleficio omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur, & teneatur bannum huiusmodi à suis prædecessoribus positum confirmare. Præcipiant autem quod nullus hæreticus vel hæretica, de cætero habitet vel moretur aut subsistat in ciuitate, seu loco iurisdictionis, aut districtus eiusd. & quicumque ipsum vel ipsam inuenerit libere capiat, & capere possit impune: & omnes res ipsius vel ipsorum eis licenter auferre, quæ sint auferentium pleno iure: nisi auferentes huiusmodi sint in officio constituti.

Idem quoq; Potestas seu Rector, infra tertium diem post introitum regiminis sui duodecim viros probos & Catholicos, & duos Notarios & duos seruitores vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneatur: quos diœcesanus si præsens extiterit & interesse voluerit, & duo Fratres Prædicatores, & duo Minores ad hoc à suis Prioribus, & si Conuentus ibi fuerint eorund. Ordinum deputati, duxerint eligendos. Instituti a. huiusmodi & electi possint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre & facere auferri per alios, & procurare hoc tam in ciuitate, quam in tota eius iurisdictione atq; districtu plenarie adimpleri, & eos ducere, & duci facere in potestatem diœcesani, vel vicariorum eiusdem.

Teneatur autem Potestas seu Rector quilibet in expensis communis, cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocumque diœcesanus, vel eius vicarii, seu Inquisitores vel inquisitor, in iurisdictione vel districtu diœcesani Episcopi, seu ciuitatis vel loci voluerit illos duci.

Officialibus vero prædictis plena fides de his omnib. habeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur sine aliquo specialiter præstito iuramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, vbi duo vel plures præsentes fuerint ex eisdem. Porro cum officiales huiusmodi eligantur, iurent hæc omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quib. ab omnib. in his quæ ad officium eorum pertinent plenius pareatur, & tam dicti duodecim quam Seruitores & Notarii prætaxati, simul vel diuisim plenariam præcipiendi sub pœna & banno, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Potestas. a. vel Rector teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officii sui fecerint, & pœnas exigere non seruantium. Quod si dictis officialib. aliquo tempore aliquod damnũ contigerit in personis vel reb. pro suis officiis exequendis, à communi ciuitatis vel loci per restitutionem plenariam seruentur indemnes: nec ipsi officiales vel eorum hæredes possint aliquo tempore conueniri de his quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundum quod eidem diœcesano & Fratrib. videbitur expedire. Ipsorum. a. officium duret tantummodo per sex menses: quib. completis, potestas teneatur totidem subrogare officiales secundum formam præscriptam: qui prædictum officium secundum formam eand. in aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

Sane ipsis officialib. dentur de camera communis ciuitatis vel loci quando exeunt ciuitatem vel locum pro hoc officio exequendo, vnicuiq; pro qualibet die 10. & 8. Imperiales in pecunia numerata, quos Potestas vel Rector teneatur eis dare, vel dari facere, infra diem tertium postquam ad eandem redierint ciuitatem vel locum: & insuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum quæ occupauerunt, & mulctarum ad quas fuerunt condemnati, secundum quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti. Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat, vel impedire possit vllo modo officium, vel etiam exercitium compellantur. Nullum etiam statutum conditum, vel condendum, eorum officium vllo modo valeat impedire. Et si quis horum officialium propter ineptitudinem vel inertiam, vel occupationẽ aliquam, vel excessum, diœcesano & fratrib. supradictis visus fuerit amouendus, ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amouere potestas aut Rector, & alium secundum formã præscriptam substituere loco eius. Quod si quis eorum contra fidem & sinceritatem officii sui, in fauorem hæresis deprehensus fuerit excessisse, præter notam infamiæ perpetuæ, quam tanquam fautor hæreticorum incurrat, per potestatem vel rectorem ad diœcesani loci & dictorum fratrum arbitrium puniatur.

Potestas præterea militem suum vel alium assessorem, si diœcesanus vel eius Vicarius, aut Inquisitores à sede Apostolica deputati, seu dicti officiales petierint, cum ipsis officialib. mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam si præsens in terra vel requisitus fuerit, teneatur tã in ciuitate quam in iurisdictione vel in districtu quolibet, dare ipsis officialib. vel eorum sociis consilium & iuuamen, quando voluerint hæreticum, vel hæreticam capere, vel spoliare aut inquirere: seu domum vel locum, aut aditum aliquem introire pro hæreticis capiendis, sub 25. librarum Imperialium pœna vel banno. Vniuersitas autem burgi sub pœna & banno librarum centum: villa vero librarum 50. Imperialium pro qualibet vice soluenda in pecunia numerata.

Quicunque autem hæreticum vel hæreticam, captum vel captam auferre de manib. capientium vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur: seu prohibere aliquem intrare domum aliquem vel turrem seu locum aliquẽ ne capiatur, & inquiratur ibid. iuxta legem Paduæ promulgatam per Fridericum tunc Imperatorem, publicatis bonis omnib. in perpetuum relegetur, & domus illa, à qua prohibiti fuerint, sine spe reædificandi funditus destruatur, & bona quæ ibi reperta fuerint fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inuenti: & tunc propter hanc prohibitionem vel impeditionem specialem burgus componat communi librarum decentarum, & villa librarum centum, & vicinia tam burgi quam ciuitatis librarum quinquaginta Imperialium, nisi infra tertium diem, ipsos defensores vel defensorem hæreticorum potestati captos duxerint personaliter præsentandos.

Teneatur insuper potestas seu Rector quilibet omnes hæreticos vel hæreticas, qui capti amodo fuerint, per viros Catholicos ad hoc electos à diœcesano, si fuerit præsens, & fratrib. supradictis, in aliquo speciali carcere tuto & securo, in quo ipsi soli detineantur, seorsum à latronib. & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum, sub expensis communis ciuitatis vel loci sui facere custodiri.

Si quando q; aliqui vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus fuerint assignati, vel se forsitan assignauerint, prædicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, & hæretici nihilominus redire & assignari cogantur: & qui hunc dolum fecerint, iuxta legem prædictam bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur.

Teneantur insuper Potestas, vel Rector quilibet cum bono & securo comitatu omnes hæreticos, & hæreticas, quocumque nomine censeantur infra quindecim dies postquam fuerint capti, diœcesano vel eius speciali Vicario, seu hæreticorum Inquisitoribus præsentare, pro examinatione de ipsis, & eorum hæresi facienda. Damnatos vero de hæresi per diœcesanum, vel eius Vicarium, seu per Inquisitores prædictos, potestas vel rector vel eius nuncius specialis eos sibi relictos recipiat statim, vel infra quinque dies ad minus, circa eos Constitutiones contra tales editas seruaturus. Teneatur præterea potestas seu rector omnes hæreticos quos captos habuerit, cogere, citra membri diminutionem & mortis periculum, tanquam vere latrones & homicidas animarum, & fures Sacramentorum Dei & fidei Christianæ, errores suos expresse fateri, & accusare alios hæreticos quos sciunt, & bona

eorum, & credentes, & receptatores & defensores eorum sicut coguntur fures & latrones bonorum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia quæ fecerunt.

Domus autem in qua repertus fuerit aliquis hæreticus vel hæretica, sine vlla spe reædificandi destruatur: nisi dominus domus eos ibid. procurauerit reperiri. Et si dominus illius domus, alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur, & bona quæ fuerint inuenta in domo illa, & in domibus illis adhærentibus publicentur, & fiant auferentium: nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et insuper dominus domus illius, præter notam infamiæ perpetuæ, quam incurrit, componat communi ciuitatis vel loci quinquaginta librarum Imperialium in pecunia numerata: quam si non soluerit, in perpetuo carcere detrudatur. Burgus autem ille in quo hæretici capti fuerint, vel inuenti, componat communi ciuitatis librarum centum: & villa librarum quinquaginta, & vicinia tam burgi quam ciuitatis librarum quinquaginta Imperialium, in pecunia numerata. Quicumque vero deprehensus fuerit dare alicui hæretico vel hæreticæ, consilium vel auxilium, seu fauorem, præter aliam pœnam superius & inferius prætaxatam, & tunc ipso iure in perpetuum sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte Iudex exstiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti. Credentes quoq; erroribus hæreticorum, tamquam hæretici puniantur.

Teneatur insuper Potestas seu Rector, nomina virorum omnium, qui de hæresi fuerint infamati vel banniti, in quatuor libellis vnius tenoris facere annotari: quorum vnum commune ciuitatis vel loci habeat, & alium diœcesanus, & tertium Fratres Prædicatores, & quartum Fratres Minores: & ipsorum nomina ter in anno, & in concione publica solemniter faciat recitari.

Teneatur quoque potestas seu rector, filios & nepotes hæreticorum, & Receptatorum, Defensorum & Fautorum diligenter inuestigare, eosq; ad aliquod officium publicum seu consilium nullatenus admittere in futurum.

Teneatur præterea potestas seu rector vnum de assessorib. suis, quem elegerit diœcesanus, si fuerit præsens, & Inquisitores prædicti ab Apostol. sede dati, mittere cum eis quandocunque voluerint, in iurisdictione ciuitatis atque districtu, qui assessor, secundum quod prædictis Inquisitoribus visum fuerit, ibi tres aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam si eis videbitur, iurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciuerint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, vel ad defensores, seu receptatores vel fautores hæreticorum, eos dictis Inquisitorib. studeant indicare. Ipsa autem potestas contra accusatos procedat secundum leges quondam Friderici tunc Imper. Paduæ promulgatas.

Teneatur insuper Potestas seu Rector in destructione domorum & condemnationibus faciendis, & in rebus inuentis vel occupatis consignatis & diuidendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies postquam accusatio facta fuerit, hæc omnia exequi cum effectu: & condemnationes omnes in pecunia numerata infra tres menses exigere, & diuidere illas sicut inferius continetur, & eos qui soluere non poterint, banno maleficii supponere, & donec soluant in carcere detinere, alioquin pro his omnibus & singulis syndicetur sicut inferius continetur, & insuper teneatur vnum de assessoribus suis, quemcunque diœcesanus vel eius Vicarius, & dicti Inquisitores hæreticorum voluerint, ad hæc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore si eis visum fuerit opportunum. Omnes autem condemnationes vel pœnæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, neque per consilium, neque ad vocem populi vllo modo aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari.

Teneatur insuper Potestas seu Rector, omnia bona hæreticorum, quæ per dictos officiales fuerint occupata seu inuenta, & condemnationes pro his exactas diuidere tali modo: vna pars deueniat in commune ciuitatis vel loci: secunda in fauorem & expeditionem officii detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint: tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis diœcesano & Inquisitoribus videbitur reseruanda, & expendenda per consilium eorumdem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos. non obstante huiusmodi diuisioni statuto aliquo condito vel condendo. Si quis autem de cætero aliquod istorum statutorum, aut constitutionum attentauerit delere, diminuere, vel mutare sine authoritate sedis Apostol. speciali, potestas seu rector, qui pro tempore fuerit in illa ciuitate vel loco, teneatur eum tanquam defensorem hæreticorum publicum, & fautorem, secundum formam præscriptam perpetuo publice infamare, atq; punire, in librarum 50. Imperialium in pecunia numerata: quam si exigere non potuerit, eum maleficii banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi soluerit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

Teneatur sane Potestas seu Rector infra 10. dies sui regiminis syndicare præcedentem proximo potestatem vel rectorem, & eius etiam assessores, per tres viros Cathol. & fideles, electos ad hoc per diœcesanum si fuerit præsens & per fratres Prædic. & Minores de omnib. his, quæ in statutis istis seu constitutionib. & legib. contra hæreticos & eorum complices editis, continentur: & punire ipsos si excesserint in omnib. & singulis quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate: non obstante si per aliquam licentiam consilii vel alterius cuiuslibet, à syndicatione fuerint absoluti. Iurabunt autem prædicti tres viri, bona fide syndicare præfatos de omnibus suprad.

Cæterum teneatur potestas seu rector cuiuslibet ciuitatis vel loci, delere seu abradere penitus de statutis vel capitularib. cõmunis, quodcunq; statutum conditum vel condendum quod inueniatur contradicere istis constitutionib. seu statutis & legib. siue quomodolibet obuiare: & in principio & medio sui regiminis hæc statuta, seu constitutiones & leges in publica concione solenniter facere citari: & in aliis locis extra ciuitatem suam vel locum, sicut diœcesano seu Inquisitorib. & Fratribus supradictis visum fuerit expedire.

Porro hæc omnia statuta, seu Constitutiones & leges, & si quæ aliæ contra hæreticos & eorum complices, tempore aliquo, authoritate sedis Apostolicæ conderentur, in 4. voluminib. vnius tenoris debeant contineri: quorum vnum sit in statutario communis cuiuslibet ciuitatis: secundum apud diœcesanum: tertium apud Fr. Prædic. quartum apud Fr. Minores, cum omni sinceritate seruentur, ne possint per falsarios in aliquo violari. Dat. Perus. Id. Maii, Pont. nostri anno 9.

IV. *Perus. 5. Cal. Iun. & Brix. 5. Cal Octo. Pont. an 9.* ALIAM SVAM SANCTIONEM, CONTRA EOSDEM PRIORI PRÆD. LOMBARDIÆ TRANSMITTIT.

Hactenus Innoc. Pont. contra hæreticos, contra quos vt magistratus animaduerterent, concesserat Inquisitorib. per aliam anni superioris sanctionem, vt eos per censuras Ecclesiasticas compellerent: ipsi vero in eosd. ac in eorum complices, diligenter, etiam brachio sæculari inuocato inquirerent, pœnitentes a. reciperent & absoluerent: præsentib. autem suis actib. quos in publico agerent, indulgentiam 20. vel 30. dierum largirentur. Ad eum modum Prouinciali Lomb. scribebat.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Priori Prouinc. Ord. Præd. in Lomb. salutem & Apost. benedictionem.

Tunc potissime Conditori omnium acceptabile obsequium exhibetur, cum sibi pro Catho. conseruatione fidei, cuius est ipse stabile ac perpetuum fundamentum pura intentione seruitur. Digne itaq; in hoc sibi prouidimus studiosum ac placidum impendere famulatum: & præcipue in partib. Italiæ, propter ipsarum vicinitatem, vigilare instantius à validius satagere contra diros hostes eiusd. fidei, vt cultura salubris impensa per vos vicinis agris dominicis, vtilis sit longinquis, & semen diuini verbi fusum in proximis, fructificet etiam in remotis: licet Apostol. sedes tales hostes vbiq; indefessa solicitudine persequatur, nec vnquam ab huiusmodi exercitio cessauerit cura eius. Conuenit namq; (vt quia contra pestẽ hæreticã Inquisitores roborare ac renouare per diuersas sæculi volumus regiones) id agere in Italia maiori opportunitate nunc habita, nullatenus dimittamus: cum quanto nostris propior adest aspectib, tanto iustius possemus argui de neglectu, nisi saluti eius attẽte prospicere studeremus. Ideoq; discretioni tuæ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus huiusmodi negotium quod principaliter residet cordi nostro, in Lombardia, & Romaniola per te, ac fratres tuæ curæ commissos, quos ad hoc videris opportunos affectu prompto suscipias ac feruenti animo prosequaris: ita quod si per Inquisitionem de consilio diœcesanorum dictarum Lombardiæ ac Romaniolæ, cum omni vigilantia & solemni prouidentia faciendã, aliquos in eis de contagio prauitatis hæreticæ culpabiles vel infectos inueneris, aut etiam infamatos, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesiæ obedire, contra ipsos & receptatores, defensores & fautores eorũ, humano timore postposito, iuxta sanctiones canonicas, Apostolica authoritate procedas: inuocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: cõtradictores per censurã Ecclesiasticã, appellatione postposita compescendo. Si vero aliqui hæretica labe penitus abiurata redire voluerint ad Ecclesiasticam vnitatem, eis iuxta formam Ecclesiæ, consultis diœcesanis, eiusd. beneficium absolutionis impendens iniungas eisdem quod iniungi talib. consueuit: prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant frau-

dulenter,

dulenter, & te, imo potius se fallentes, sub agni specie gerant lupum. Verum quia tam salubre negotium super omnia promouere cupimus, propter quod impedimenta quælibet ab ipso intendimus penitus, cum Dei adiutorio remouere: quia si forte, quod non credimus, aliqua ciuitas vel communitas, siue aliqui magnates, vel nobiles seu potẽtes, huic negotio se opponere, aut illud præsumpserint aliquatenus impedire, vt non possit per deputatos ad hoc à nobis, procedi libere in eodem, imo nisi fouerint illud & iuuerint studiose, nos proculdubio ad comprimendam tam superbam & perniciosam audaciam, & omnimodo confundendam, in illos gladium Ecclesiasticæ potestatis acriter extendemus. Et Reges, ac Principes, aliosque Christi fideles siue pro terra Sanctæ succursu, siue alias pro Christi seruitio Crucis charactere insignitos, nec non & cæteros Catholicos inuocabimus contra eos; vt & cœlum & terra aduersus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moueatur: cum non minus expediat, imo magis fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare. Quia enim futura volumus inquantum possumus, (præcipue in supradictis partibus, quas speciali affectione diligimus:) vitare discrimina, idcirco scribimus, quod ista palam exponere & prænunciare procures, populos ipsarum partium diligentius admonens, vt debitum habentes respectum ad negotium memoratum, nullum prorsus promotioni eius inferant nocumentum, sed potius in exequendo illo tibi fauorem tribuant & auxilium opportunum, quia si forsan contrarium agere attẽtauerint, nullatenus dimittimus, quin per Reges ipsos & Principes, aliosque fideles dictum promoueamus negotium, sicut superius est expressum. Vt autem prædicta per te, ac fratres eosdem possint liberius ac vtilius exerceri, tibi ac eis largiendi 20. vel 40. dierum indulgentiam, quotiens opportunum videbitur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad tuam & ipsorum fratrum prædicationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Brixiæ 5. Cal. Octob. Pont. nostri anno 9. salutis anno 1251.

V. *1. ep. 310. 2 ep. 113. 3. ep. 240. Perus. 7. Calen. Decem. & ep. 281. & 331.* QVODDAM SVMMARIVM GESTORVM INNOCEN. IV. HVIVS ANNI. *4. ep. 271. Perus. 14. Cal. Decem 5. ep. 137. Per. 4. Non. Octobr. 6. ep. 52. Assisii, 2. Id Iunii Indict. II. 7. ep. 170. Perus. 3. Id Octobr. 8 ep. 161. ibid. 5. Cal. April. 9. Perus 6. Id. Maii. 10. ep. 6. & 130. 11. ep. 22. 12. ep. 96. 13. ep. 130. 14. ep. 158.*

Hoc anno ab incarnat. Domini 1252. alia quoq; Innocentius Pontifex egit. 1. Inprimis Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham Germanum siue restituit, siue præfecit. 2. Diuum Petrum martyrem Sanctorum catalogo ascripsit. 3. Priori Viterbiensi Ordinis Prædicatorum & Episcopo Sancti Sixti, Inquisitionem miraculorum & vitæ Beati Rosæ Viterbiensis; aliis autem Sancti Stanislai Episcopi Cracouiensis, & Beati Simonis Ordinis Minorum, commisit. 4. Regiæ Noruegiæ, vt, si paganos Sabitas ad cultum veri Dei adduceret, eorum prouinciam sui iuris, sine præiudicio tamen aliorum, faceret, concessit, eiusque priuilegii Archiepiscopum Nidrosiensem, & Episcopos Asloensem & Bergensem conseruatores atque executores esse voluit. 5. Conuentiones inter Castellæ Legionisq; Regem & Saracenos Africanos, in maximam totius Christianitatis vtilitatem factas, authoritate sedis Apost. confirmauit, seruarique ab omnibus mandauit. 6. Ad Carolum Andegauiæ & Prouinciæ Comitem, D. Ludouici Francorum Regis fratrem, Magistrum Albertum Sedis Apost. Notarium Nuncium misit, eidemq; Regnum Siciliæ, per Friderici olim Imperatoris Regisq; Siciliæ mortem, ad possessionem Rom. Eccl. deuolutum, certis conditionibus & pactis, iureiurando per eum stabiliendis in feudum obtulit, atq; ad possessionem illius, vt quantocius accelerarer, inuitauit. 7. Alfonso Pictauiæ & Tolosano Comiti fratri Regis Galliæ, vt in recens extructo quodam portu nouum pædagium imponere posset, concessit. 8. Regem Gallorum S. Ludouicum, vt Matisconensem Baliuum, qui prætextu iniquiore, Cluniacensi monasterio quoddam castrum eripuerat, castigaret, vtque illud castrum restitueret, & de damnis atq; iniuriis illatis satisdaret, seuerissime admonuit. 9. Relictæ Roberti Attrebatensium Comitis, ne à quoquam siue ordinario, siue delegato aut subdelegato censuris Ecclesiasticis affici posset, plenarie indulsit. 10. Conradum Germanum regni Neapolitani inuasorem, ad subsellia Apost. sedis vocauit, adeoque citauit: cum autem nonnullas spes pœnitentiæ ostenderet, diem causæ dicendæ designatum prorogauit. 11. Collationes beneficiorum atq; prouisionum à Legatis in Regno Siciliæ, in præiudicium sedis Apostol. factas & datas, reuocauit, & nullius momenti esse declarauit. 12. Vidoni de Laziniaco fratri Regis Angliæ, vt sibi confessorem deligeret, qui illum ab omnibus censuris exolueret, indulsit. 13. Margaritæ Reginæ Scotiæ, vt in itinere, in Monasteriis Cisterciensis Ordinis hospitari posset, concessit. 14. Episcopum Pennensem, ne consuetudines & constitutiones Ordinis Cisterciensis, ex quo assumptus fuerat transgrederetur, admonuit. 15. Misniensibus Episcopis, vt in festiuitatibus Annunciationis & Purificationis B. Virginis quocumque tempore celebrentur, Gloria in excelsis Deo, & Ite Missa est, in sacrificio incruento, ac Te Deum laudamus in matutinis laudib. decantarent solemniter, præcepit. 16. Duci & Reip. Venetorum, vt non obstante inhibitione sub pœna excommunicationis ab Ottone de Castro Rudolphi Episc. Tusculano Cardinale Legato facta, mercimonia, non tamen lege prohibita in orientem & ad Saracenos mitteret permisit, eosque ab anathemate, si quod propterea incurrerant absoluit. 17. Regnum Lithuaniæ & Regem Mendegonem recens conuersum, in clientelam sedis Aposto. recepit. Is enim hoc anno, Crucigerorum armis debilitatus, & in angustum redact⁹ religioni Christianæ cum suis initiari assensus est, & Samagitiensem, Veisens. Curoniens. & Iazygum siue Polessens. tractũ donaturum se esse Crucigeris promiserat, vt imminenti ab ipsis exitio sese eriperet. Horum etiam opera nomen & diadema Regium ab Innoc. Pontif. adeptus, & à Rigensi Archiepisc. atque Henrico Ordinis Prædicatorum Episcopo Culmensi solenni ritu inunctus. Primus qui tunc Lituanis à sede Apost. datus erat Episcopus, ex nomine vocabatur Vitus Ord. Præd. sanctitate & miraculorum gloria illustris, paulo post cum contumelia vulnerib. affectus & sede sua eiectus. Non. n. multo post stabilitis rebus suis Mendego, neq; Crucigeris præstitit promissa, neq; religionem seruauit: sed & hanc turpissime abiecit, & Christianos variis calamitatibus afflixit, atque exercitu comparato ex finitimis Christianorum regionibus prædas egit.

15. ep. 397. 16. ep. 726. Assisii 7. Id. Iun. 17. epist. 1. Cromer. l. 9.

VI. *epist. 156. epist 144.* FRATREM REGIS ANGLIÆ NATVRALEM AD DIGNITATES HABILITAT. *epist. 294.*

Hoc ipso anno Innocentius Papa S. Raymundo Pennafortio, vt in criminibus grauissimis Pontio Episcopo Vrgellitano obiectis inquisitionem faceret, & quicquid inuenisset ad sedem Apostolicam transmitteret, iniunxit: datis literis Perusii Idibus Martij.

Eod. quoq; tẽpore, sc. x. Cal. Ian. Florentio F. Guillelmi Regis Rom. ne à quoquam anathemate percelleretur, neue Prouinciæ illius interdicto Eccles. supponeretur indulsit. Insuper F. Barthol. Ord. Præd. Regis *Angliæ* naturalem fratrem, vt etiam ad dignitatem Episcopalem ascendere, non obstante illegitima nascitura posset, non inhabilem fecit. Nono Cal. Ian. Perusij.

VII. SALIS FODINÆ IN POLONIA INVENIVNTVR.

Eodem anno cum pacatum iam Poloniæ Principatum Boleslaus Pudicus obtineret, salis metalla apud Bochnam in minore Polonia, quinto à Cracouia milliario inuenta sunt: vnde vberes Principi reditus accessere. Cunegundis vxoris Boleslai pietati & sanctimoniæ, beneficium id, non modo Polonis, verum etiam finitimis populis perutile acceptum refertur. Excinditur autem id etiam nunc altissimis & late sub terra patentibus specubus, superne egesta humo, solidum duritie lapidea, molesq; ingentes trochleis, equorum opera circumactis extrahuntur nonnullę crystalli pene in modum pellucidæ, quin ex eo quoq; columnæ miræ magnitudinis excisæ fornices itidem ex sale excauatos, & contignationes specuum cum omni superiacentis terræ mole, & oppidum ipsum superædificatum, villasque sustentant. Aqua item è puteis illis hausta, in sal candidum excoquitur. Aliquanto post etiam apud Veliscam vno ac dimidio à Crocouia milliario ad eundem modum id excindi & excoqui cæpit.

VIII. EZELINI STRAGES ET SACRILEGIA IN MARCHIA.

Circa finem Augusti huius anni, Ezelinus humani generis inimicus, suggestione dæmonum & malignorum hominum, credens firmiter, contra se omnes milites, & electos populares Marchiæ coniurasse, extraxit mortiferum gladium irreuocabiliter de vagina, incipiensq; à Carnarolo milite Veronensi, quem coniurationis principem asserebat, tam in Verona, quam in Padua, Vicentia, & tota Marchia, inauditam stragem & occisionem hominum perpetrauit. Vbique luctus erat, vbique dolor & tristitia, vbique dira mortis imago. Cateruatim milites & maiores natu in foro gladiis necabantur: membra frustatim præcidebantur, & rursum collecta, & rogis imposita, igne supposito cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, & propriis manibus trucidabat. Istis sceleribus credebat quilibet se obsequium præstare tyranno, & tamen isti qui hoc faciebant, post pau-

cos dies

cos dies in similem mortis gladium seu laqueum incidebant:Filij nobilium & aliorum ciuium oculis priuabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, vbi famis horribili cruciatu moriebãtur. Matronæ nobiles & delicatæ, & virgines speciosæ, fame, peste, iniuriis & afflictionibus inauditis, in custodiis tabescebant. Quotidie diuersis generibus tormentorum, indifferenter, tam maiores quam minores à carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantium in tormentis, die noctuq; de altis palatiis audiebantur, quæ dolorem & horrorem maximum hominibus inducebant, nulluſque publice audebat plorare super his malis, sed quilibet vitã & victoriam, etsi non corde, saltem verbis affectuosis, Ezelino nequissimo tyranno precabatur. Illum iustum, illum bonum, illum sapientem, & amatorem status Marchiæ, omnes adulatorie conclamabant. Nec tamen ista dicentes, ferocitatem eius animi poterant mitigare: sed erat ei sicut populus, sic sacerdos: sicut laicus, ita religiosus: sicut senex & imbecillis, ita puer adhuc balbutiendo in verba prorumpens. Nulli ætati, nulli sanctitati, nulli probitati parcebat. Semper eodem vultu, eodem modo, eadem instantia, nimiæ crudelitatis opera perpetrabat: & quasi semper à capite incipiens, quotidie sine labore, sine conscientiæ remorsione, magna tormenta & inexcogitata, corporibus hominum infligebat. Non remansit in tota Marchia progenies aliqua, generosa vel etiam popularis, quæ ab ipso, vel ex toto, vel ex parte maxima non fuerit crudeliter lacerata. Milites fere omnes sunt gladio & aliis suppliciis interfecti: studiosi, mercatores, Iudices, sapientes, Prælati reuerendi, clausturales deuoti, canonici honorati, speciosi iuuenes & strenui radicitus sunt deleti; substantiis eorum ablatis & dispositis secundum tyrannicam iussionem. Serpens insuper callidus & astutus, omnes pulchras domos & fortes, & loca iuxta portas & pontes in ciuitatibus constituta emere, studiosissime procurabat, & post paucos dies vitam simul & pretium venditoribus auferebat. Ipse etiam bona Episcopatuum, Abbatiarum, Canonicatuum, & fere omnia Ecclesiastica in suis sceleratis operibus consumebat. In diebus eius cessauit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, & fidei deuotio extincta est. Visitare etiam sancta loca publice homines non audebant, nam accusatores ab ipso erant in populo constituti, qui vigilanter & sollicite obseruabant, ne quid in dicto, vel facto, vel aliquo, contra tyrannum pestiferum tractaretur. Accusatus autem à talibus insidiatoribus, etiam de leuissima culpa, in oculeo leuabatur, totaq; eius familia captiuitate perpetua damnabatur. Defensor null⁹ in angustiis apparebat, accusatorum vero erat numerus infinitus. Residere sub Ezelini tyrannide intollerabile; effugere, impossibile videbatur, quod nequissimus dæmon fossatis magnis districtum suum circumdederat, & super ipsas fecerat speculas, quas Marchiani Muras appellabant, in quibus die noctuque erant speculatores, qui nec intrare, nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehensus fuisset, sine audientia, oculis, vel manibus aut pedibus priuabatur, neque aliqua excusatio eum poterat liberare. Talis erat status commorantium in Marchia, tale siquidem fuerat dominium Ezelini. *Monachus Paduan. Chronic. lib.* 1.

IX. *Mariana lib* 13. *cap.* 9. MORITVR FERDINANDVS CASTELLÆ REX, SVCCEDIT FILIVS ALPHONSVS X. SAPIENS, SED INFELIX.

Hoc anno ad 3. Cal. Iunii Ferdinandus Rex Castellæ & Legionis, Hispali extinctus est; vir omnibus animæ & corporis dotib. morum probitate tanta, vt Sancti cognomen tulerit. Fortior, an sanctior, an felicior esset, multi dubitauere. Implacabilis sibi, exorabilis aliis, in omnib. vitæ partibus moderatus, omnes iusti & probi viri partes expleuit. Interrogatus quale sibi sepulchrum extrui, & qualem statuam erigi iuberet, vetuit, illud dicens: Immaculata, vt potui, vita mea acgesta sint mihi sepulchrũ & statua. Alphonsus eo nomine X. Patris Ferdinandi regnum accepit, cuius res illustres quidem euentuum varietate & alternantis fortunæ ludo, plus tamen habentes admirationis quam gloriæ. Is in castris educatus, & armis à prima ætate tractandis assuetus, tantam tamen astrorum, Philosophiæ rerumque gestarum cognitionem habuit, quantam vix otiosi homines in vmbra assequuntur. Extant de astrorum conuersionibus, & de Hispanica historia ab Alphonso edita volumina magno ingenio, incredibili studio. Iis tamen litterarum præsidiis, quæ priuato potuissent summam potentiam cõciliare, neque oblatum ab exteris imperium, neque paternum Regnum potuit tueri. Vidit ea ætas, quod vltimum in libertate atque arrogantia, tanto Rege deiecto: vidit ipse quod vltimum in calamitate erat, motus de gradu. Sapientis cognomen, quod literę pepererunt, aut inimicorum iniuria, aut temporum iniquitas, aut ipse ingenii socordia labefactasse videtur, ea sapientiæ opinione vix sibi cauere sapereque doctus.

X. BLANCHA MATER S. LVDOVICI MORITVR.

Eodem anno Blancha D. Ludouici mater, in viuis esse desiit, raræ fœminæ prudentiæ atque sanctitatis, quæ inter varios rerum turbines Regnum Galliarum felicissime pro Ludouico filio administrauit: Eius morte audita S. Ludou. non sibi diutius in Syria commorandum existimans, profectionem in Gallias maturauit, biennio tamen remanere indidem coactus est.

XI. *Sup. 12 Aug.* S. CLARA FRANCISCANA MORITVR, ET MIRACVLIS CORVSCAT.

Eodem tempore in cœlum emigrauit S. Clara, D. Francisci paupertatem Assisii professa. Eam cum adhuc in vtero mater grauida gestaret, & de partus periculo solicita ante Crucem in Ecclesia oraret, vocẽ sibi audire visa est, quæ diceret: Mulier ne paueas: saluabis enim lumen quoddam parturies, quod ipsum mundum clarissime illustrabit. Hoc edocta miraculo, infanti recens natæ, Claræ nomen imposuit. Hæc porro statim in tenera ætate, mira morum probitate resplendere cœpit. Cibos sibi subtrahebat, quos inter pauperes diuideret. Cilicium asperrimum nudo corpore portauit, quo Virginitatem protegeret. Orandi studio tam dedita, vt globulis innumerabilib. lapideis orationes numeraret. Nuptui puellam cum tradere parentes voluissent, illa recusauit, & Virginitatis voto perpetuo in manibus D. Francisci se astrinxit. Insuper domo paterna clam egressa, in disciplinam se illi dedit, atque habitum vestalium mox induit. Conabantur parẽtes Claram à proposito auertere: verumtamen illa altari aduoluta, caput detonsum denudauit, & Christi se sponsam dixit. Paulo post, odorem sanctitatis suæ tam abunde diffudit, vt multas mulierũ ac virginum, atque Principum fœminarum exemplo incomparabili ad idem vitæ genus traduxerit, & ordinem Clarissarum instituerit: illumq; sanctitate vitæ, miraculorum gloria, necnon aliquibus pro Ecclesia rebus gestis illustrarit. Cum die quodam tempore refectionis, vnicus tantum in monasterio esset panis, iusserat eum Clara diuidi & partem Fratribus pauperibus, partem sororibus erogari. Quinquaginta vestales numerabantur, quib. singulas portiones diuidere præceperat. Obstupuit ad hæc verba Dispensatrix, & antiquiorib. Christi miraculis opus esse dixit: cum Clara iussit; Fac filia secura, quod iubeo. Dixit Clara, hæc autem panem fregit; panis vero parua illa particula, inter manus frangentis creuit, adeo vt 50. sororibus sufficerit. Pari virtute, altero quodã die vacuum vasculum oleo plenum inuentum est. Aliquando in oratione lacrymanti profunda nocte adstitit Angelus tenebrarum in forma nigerrimi pueruli, ipsamq; admonuit, ne tantis lachrymis oculorum lumen amitteret, & cæcitate miseranda aliis ludibrium exhiberet. Cui Clara respondit. Cæcus non erit, qui Deum videbit. Cum Fridericus Imperator infestas Rom. Pontif. Saracenorum copias, per Italiam traduceret, & illorum aliquot alæ ad D. Damiani cœnobium aduolassent, vt sacratas illas virgines Christo desponsas violarent, Clara corpore infirma ad ostium, præcedente sacratissimo Christi corpore sese duci iussit, atq; in oratione prostrata, cum lachrymis Christo suo dixit; Placet ne mi Domine, inermes ancillas tuas, quas amoribus tuis enutriui, manibus tradere paganorum? Custodi precor Domine, has famulas tuas, quas ipsa in præsenti discrimine non possum custodire. Orabat ista Dei sponsa; cum ad eam vox quasi pueruli, de nouæ gratię propitiatorio, inquit: Ego vos semper custodiam. Tunc Clara: Mi Domine, ait, & hanc si placet ciuitatem protegere velis: quæ nos pro tuo amore sustentat. Dominus autem ad eam: Grauamina quamplurima sustinebit, sed tamen munere meo defenderur. Vix hæc verba Christus edixerat, cum Saracenorum agmina, quæ ad violandas sacras Virgines aduolarant, orantis virtute in pauorem versa recesserunt. Alio quoq; tempore, cum Vitalis Auersanus copiarum Friderici ductor, Assisium exercitus admouisset, neque inde discedere terminaretur, donec ipsa ciuitate

potiretur:

potiretur: Clara euocatis ad se sororibus dixit: Multa quotidie ab ista ciuitate suscipimus bona, quare impium est, si tempore opportuno non pro viribus ei succurramus. Iussit itaq; cineres afferri, capita singularũ aspergi, in oratione cum lachrymis incumbere, Deumq; pro liberatione ciuitatis deprecari, quod cum factum esset, sequenti nocte superbus & crudelis exercituum Præfectus timore insolito diuinitus percussus, copias à ciuitate reduxit, obsidionem soluit, pauloq; post interemptus occubuit. Admiranda vitæ austeritate seipsam vehementissime discruciauit. Super nuda humo vel virgultis vinearum dormitauit. Quadragesimali tempore sicco pane & aqua, exceptis diebus Dominicis ieiunauit. Tribus cuiuslibet hebdomadæ diebus, secunda videlicet, quarta & sexta feria omnis cibi expers, diuinis tantum rebus vacauit. Sorores curæ suæ subiectas ad sanctimoniæ culturam raro exemplo prouocauit. Innoc. IV. Summus Pontif. Lugduno in Italiam veniens ęgrotantem illam visitauit, & sacra benedictione impertiuit. Decẽ & septem dies, ante mortem, sine vllo cibo vixit, ac tota mente Deo intenta suam in agone animã his verbis compellabat dicens: Vade secura, quia bonum habes Dominũ itineris ductorem. Vade: quoniam qui te creauit, sanctificauit, & custodiens te semper, velut mater filiam, tenero amore dilexit; te inuitat, te expectat, te glorificare parat. In his & aliis verbis expirauit: Summus autem Pontifex Innocentius, funus eius cũtauit; Deus vero illud miraculis clarificauit. Nam ad eius tumulum Dæmoniaci liberabantur, cæci illuminabantur, claudi curabantur, aliisq; diuersis languoribus alii diuexati, per intercessionem Claræ Virginis sanabantur: testimonium reddente corpusculo illius spiritu diuino, quod olim fuisset impollutum DEI templum.

XII. B. AGNES SOROR S. CLARÆ MORITVR.

Paulo post obitum S. Claræ, excessit ex humanis Beata Agnes eius soror, idem vitæ genus inter sanctimoniales D. Francisci professa. Consanguinei illius ægrè ferẽtes, quod illud vitæ genus amplecteretur, non tantum verbis, sed & verberibus eam à proposito auertere conabantur. Deus vero euidenti miraculo eius constantiam approbauit. Cum enim Monaldus eques eius patruus eam pugno percutere vellet, statim omnibus cernẽtibus manus eius exaruit. Qua re alii perterrefacti, illum seminecem reliquerunt. Illa porro exultans, quod pro Cruce Iesu Christi digna fuisset contumeliam pati, Assisii D. Franciscum tunc hærentem conuenit, seq; diuinis obsequiis sub eius disciplina mãcipauit, ab eodem sacro flãmeo velata. In ea religione ad eum modum in sanctitate profecit, vt digna fuerit reuelationibus & appartionibus admirandis. Semel in festo Natiuitatis Domini, ægra in lecto decumbẽs, matutinali officio in spiritu rapta præsens fuit, Christumq; puerum in cunis aspexit, atq; omnia diuina corporaliter audiuit, & quæ in templo gesta fuerant retulit: cum tamen tam longè posita esset, vt voces cantantium vi naturali audire nequiuerit. A vespere quoq; Cœnæ Dominicæ vsq; ad mane Sabbati Sancti in extasi assumpta, Passionem Dominicam contemplata est, & ad se reuersa, vnius ferè horæ spatio putauerat se dormiuisse. Aliquando etiam ipsa orans, vidit B. Claram per tres horas à terra sublenari. Tandem post virtutis labores, sororem Claram ad æternas delicias subsecuta est: miraculis & ipsa clara, inter quæ ista circumferuntur. Quidam ciuis Assisias in tibia percussus de loco moueri non poterat ad altare vero B. Agnetis delatus, pristinæ sanitati fuit restitutus. Palmerinus pictor ob sanitatem fratris sui accipiendam meritis B. Agnetis, vouit se effigiaturũ eius imaginem cum corona aurea, & statim ille fuit liberatus. Sixtus iuuenis Assisias apostemate in pectore oppressus, & à medicis destitutus, ope B. Agnetis fuit à periculo mortis proximæ erutus. Quædam monialis S. Claræ, sexdecim annos lepra percussa, intercessione B. Agnetis sanata est. *Thoßinian. hist. Seraph. relig. lib.* 1.

XIII. CONRADVS LANTGRA. THVRING. OCCVLTA PECCATA MORTALIA COGNOSCIT.

Per id tempori, in Germania, sub Prouinciali Magistro Henrico Videnſi, Conradus Lantgrauius Turingiæ Ordinem Teutonicorum ingressus est, vir per omnia Catholicus: ferturq; in eius benedictione Spiritus Sanctus in igne super caput eius apparuisse, ex quo tantam consecutus est gratiam, vt peccata hominum mortalia occulta cognosceret. *Naucler. generat.* 42.

Eadem etiam tempestate viuebat & florebat Alexander Ales, magnus sanctitate & doctrina. Is sub initio ingressus Ordinis Minorum, propria fragilitate aliquantum inclinante, cogitauerat finito anno probationis ad sæculum reuerti. Dum itaq; ea tentatione vehementius concureretur, Fratres pro eo soliciti, multas preces ad Deum geminabant. Accidit ergo vt aliquando secundum quietem viderit, vnam scalam, à terra vsque in cœlum porrectam: quam aliquis sanguinolentus, ingenti cruce onustus volebat ascendere, sed pondere nimio grauatus non poterat. Ibi Alexander conabatur conantem iuuare, & crucẽ quam ille baiulabat, aliquãtum eleuare, cum senior indignabundus prohibuit dicens: *Ecquid mecum vis crucem ingentem portare, qui non potes leuem tunicam, pro meo nomine sustinere?* Disparente illo, Alexander experrectus, & ab hac visione Crucis confortatus propositum mutauit, & in ordine suscepto feliciter cursum consummauit, auctore & adiutore S. Francisco, qui apparuerat nutanti. *Anton. 3. p.t. 24. c.* 8. §. 1.

XIV. FLORET ALEXANDER ALES FRANCISCANVS.

Hocanno 15. Cal. April. obiit S. Virgo lutta, olim pedissequa S. Elizabethæ. Hæc S. Virgo multis signis & miraculis tam in vita quam post mortem claruisse perhibetur: vtpote quæ omnium virtutum ac operum Dominæ suæ, non tantum conscia, sed etiam imitatrix studiosa fuisset. *Chron. Hirsaugiense.*

XV. MORITVR S. IVTTA VIRGO, FAMVLA S. ELIZABETHÆ.

Eodem hoc anno in Germania, visi sunt tres soles: sequenti vero, in Altrichichin, duæ caluariæ habentes spissitudinem duorum digitorum inuentæ sunt. Post septem annos, Iudæi in Wissenburg puerum Christianum interfecerunt: mulier vero in Ratsamhusen quatuor pueros, vno fœtu enixa est. *Annal. Colmarien.*

XVI. PRODIGIA.

IESV CHRISTI
Annus 1253.

INNOCENTII PAP. IV. Annus 11. GVILLELMI BALDVINI II. Rom. Reg. 6. Imp. Or. 25.

I. *a ep.* 198. D. STANISLAVS MARTYR, EPISCOPVS CRACOVIENSIS SANCTORVM NVMERO ABINNOC. IV. INSERITVR. b *Cromer. lib.* 9.

AD *a* XV. Cal. Octobr. Assisii Innocentius Pontifex D. Stanislaum martyrem Cracouiensem Episcopum satagente Boleslao Principe & Prandota Episcopo, in numerum Sanctorum retulit. *b* In hac re perficienda cum non minima difficultas esset, propter temporis vetustatẽ; centesimus n. septuagesimus quintus annus vertebatur post Sancti mortẽ, vno atq; altero miraculo edito, omnis dubitatio sublata est. Primũ enim Reginaldus Hostiensis Episcopus, vir grauissimus & summa in collegio Cardinalium authoritate præditus, qui maximè huic negotio aduersabatur, subito grauissimoq; morbo corrept⁹, & aliquot dies nocteſq; afflictus, nocte quadam in lecto vigilans, virum quendam augusta specie, cultu pontificali per quam splendido sibi astantem, nomenq; suum & morbi illius causam edentem cum vidisset audisset que, impetrata venia è vestigio sanitati restitutus est, eodemq;, puncto temporis ad Pontificem cunctis rei miraculo stupentibus profectus visum ei suum, ac tam subitam valetudinis mutationem ordine enarrauit: nempe Stanislaum Episcopum sibi paulo ante apparuisse, & ab eo clementer se obiurgatum esse, quod vnus ipsi maxime aduersaretur: morbumq; suũ subitò depulsum esse, cum de sententia decessurum se esse pollicere tur. Itaque orare atque hortari Pontificem, vt sublata omni comperendinatione Sanctum Episcopum in album Martyrum adscribat. Quo euidenti miraculo permotus Innocentius Pontifex, rem tamdiu comperendinatam randem Assisii in Basilica D. Francisci memoriæ dicata solemni cerimonia peragere statuit. Ea vero die illucescente, cum ipsemet sacris operaretur, ecce in basilicam infertur adolescẽs nuper mortuus, caterua propinquorum & amicorum magno eiulatu funus prosequente. Ibi Pontifex humi prostratus Deum orauit, vt iuuene illo ad vitam reuocãdo sanctitatem sui martyris Stanislai luculentius declararet. Vix pauca elocutus erat, cum viuus atq; sanus exurrexit, quasi de somno expergefactus. Sacris itaque ceremoniis omnibus peractis, è superiore loco ipse Pontifex pro concione grauem & luculentum sermonem habuit de vita ac meritis

Stanislai, eiusq; memoriæ diem anniuersarium ad 8. Idus Maii, quo die cæsus est, dicauit. Deinde anno sequẽti, cum F. Boguslaus Supprior Conuentus Cracouiensis SS. Trinitatis Ordinis Prædic. Procurator canonizationis ex vrbe reuertisset, Prandota Episcopus Cracouiensis sacri corporis eius reliquias solemni pompa de sepulchro leuauit, & hominum venerationi exposuit. Interfuêre vero ei celebritati Archiepisc. & Episcopi Poloniæ, itẽ Fr. Gerardus Russorum & Frater Vitus Lituanorum Episcopi ex Ord. Præd. assumpti. Adfuêre etiã cum Boleslao Pudico, Præmislaus Posnaniensium, Casimirus Lanciciensium atq; Cuiauiensium, Ziemouitus Masouiorum, & Vuladislaus Oppoliensium Duces, & Opisso iterum Legatus Apostolicus. Præterea Sacerdotum, Abbatum, Monachorum, Nobiliũ, & promiscui vulgi non modo ex Polonia, sed etiam è Silesia, Morauia, Boemia, & Vngaria tanta multitudo, vt vrbs non exigua eam non caperet, sed in campis ea sub dio gregatim diuerti cogeretur. Præcessit autem anno vno celebritatem illam ingens aquarum inundatio in tota fere Polonia, ex perpetuis imbribus ab Aprili mense vsq; 25. Iulii delapsis, ita vt campi, agri, syluæque nauigabiles essent.

† Sequitur Bulla canonizationis S. Stanislai Episcopi & Martyris, quam Innocentius Papa scripsit.

INNOCENTIVS PAPA IV. Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis ac Dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1253.

OLim à gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, & ab eorum cordibus, infidelitatis gelidæ hyeme secedente, vernalis ex eo successit amœnitas redolentium florum venustate decora, quod Ecclesiæ prius desertæ ac sterili, filii deuotione præcipui, valloq; constantiæ præmuniti, nascũtur, qui vt flores primæui & diffusam spirãt suauitatem odoris, & vberioris per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis. Sicq; filiorum sibi multitudine proueniente innumera, suique loco à mari vsque ad mare tentorii dilatatio infra ipsius inualuit terminos, vox turturis gemitus ac doloris, dum sæua mitescens tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis ad lamenta pœnitentiæ, suffragante illo, cuius stupenda sunt opera mirifice se conuertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa Ecclesia, quæ probrosæ detrimenta sterilitatis abiiciens salubris incrementa fertilitatis suscepit, ac nuptiali fœdere nunc illi gratiosa cõiungitur, à quo priusquam esset assumpta de gentibus inuenerat se desertam: lætetur igitur, æmulaq; sua de terrestri etiam eiecta Hierusalem Synagoga videlicet, dudum sibi huiusmodi sterilitatis incommoda impingenti secura respondeat, quod iam suæ prolis fœcunditate, cœlestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, & quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipsa suæ vniuersitatis illustrat præsentia fœlici.

Porro ne huiusmodi exuberante lætitia, quisquam in valle miseriæ morientium terra, requiem posset sibi polliceri continuam, cuius vita est aduersus inimicorum ingruentia bella exterorum castra, militia super terrã, ac ne prædicta Ecclesia, quæ Mater est cunctorum fidelium maternæ conditionis expers existeret, si solitas, præsertim in partu quorundam filiorum suorum, matrum parientium molestias nõ subiret, interdum instauratur quodammodo sibi aduersitas oportuna, sicut in passione piæ memoriæ B. Stanislai Cracouien. Episcopi, cuius meritis præfata refulget Ecclesia, patuit euidenter. Cum enim idem in sortem Pontificalis ministerii digne vocatus à Domino super gregis sibi commissi prudenter custodiam vigilaret, hostium sagaciter explorauit insidias, malignantium anticipauit consilia, æmuliq; nostri deprehendens laqueos, ipsius caute retiacula dissoluebat. Hic nempe pro suis ouibus cor suum tradiderat ad vigilãdum diluculo, vt si quem graui forte deprehenderet tentatione concussum, mox vbere consolationis adhibito, eum erigeret desolatum, & quem in bono proficientem aduerteret, eum gratulationis vbere protinus confortaret, vt nõ minus per hoc deficientibus, quam proficientibus subditis, se claris indiciis ostenderet esse matrem. Verum cum non sine internæ mẽtis angustia, Regem Polonorum nomine Boleslaum, in tantum horrendis voluptatibus subiici, carnisq; nefandis illecebris cerneret eneruari, vt in passiones ignominiæ traditus, & inhumanis cõtumeliis afficiens corpus mulierum mamillis, auulsis propriis exinde liberis catulos apponeret miserabiliter educandos ne execrandam fauore malitiam, & iniquitatẽ eiusdem Regis videretur præfatus Põtifex per dissimulationem fouere postquã ipsum à præmissis flagitiis, sedula & paterna correctione euocare non potuit, in ipsum consulte medicinalem Petri gladium exercuit in spiritu lenitatis. Sperans vt percussus dolens, ad percutientẽ se in humilitate rediret, Dominum exercituum suppliciter requirendo.

Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans disciplinæ, imo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla pœnitudine se correxit, verum etiam ad peiora in suæ damnationis cumulum prouocatus, iuxta aram, non ordini, non loco nec tempori deferens iussit Pontificalibus indutum Antistitem per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari.

Sed ipsi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties mansueti sunt prostrati.

Et tunc idem Rex, suæ inseruiens impetuosius tyrannidi, manus in eum conuertit sacrilegas, sponsum è gremio sponsæ, pastorem abstrahit ab ouili, patrem inter filiæ amplexus, & filium in visceribus pene obtruncauit maternis, faciens irritatus atrocitate ferali, ipsius (proh dolor) corpus inhumaniter in frusta cõcidi, velut singulis mẽbrorum partibus pœnæ inflictio deberetur. Sed ille, apud quẽ patientia pauperũ non peribit in finem non solum rutilantibus huius sanctissimi Corporis partes splendoribus illustrauit, verum etiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente vestigio integritati restituens aquilarum suarum præsidio miraculose à ferarum morsibus præseruauit. Gustato denique acerrimo, ob zelum Iustitiæ calice Passionis cum ab eodem Tyranno totaliter putaretur consumptus, ecce vt lucifer oritur, & quasi meridianus fulgor in firmamẽto consurgit, propter quod eius faciem nonnulli in suis necessitatibus deuotissime deprecantur: Ipse quidem defossus seruus dormit, requiescit, & non est qui iam ipsum exterreat. Nec mirum, quia ciuitatem illam honoris & gloriæ corona insignitus inhabitat, vbi est mansio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens quod delectat.

Verum ne militans Ecclesia de tali ac tanto patrono sic atrociter sibi subtracto, inconsolabiliter quasi gemitus singultuosos emitteret, si beneficiorum ipsius affluentia eam non contingeret sæpius dilectabiliter irrigari, ecce gloriosus in sanctis suis Dominus, volens eiusdem patris plenitudinem gloriose indiciis exprimere manifestis, & præstolanti Ecclesiæ grata conferre super hoc recreationis remedia, tot & tantis fecit ipsum famosis miraculis coruscare (de quibus facta nobis & fratribus nostris prout debuit per testes idoneos plena fides extitit) quod eius inter sanctos cæteros implorare subsidium reputauimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis, immundis ab eis eiectis spiritibus, corporum requies, ad eius inuocationem nominis, cœlesti dextera subito conferuntur.

Propter quod, ne huius rutilantem lucernam sub modio periculose abscondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis signis recte disposuit super Ecclesiæ candelabrum honorificè collocari, præsertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur peruersum hæreticorum dogma, & fidelium beata crudelitatis augeatur, Nostrorum fratrum, nec non & Prælatorum tunc apud sedem Apost. existentium communicato consilio, prædictum B. Stanislaum Episcopum digne Sanctorum catalogo duximus adscribendum.

Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus VIII. Idus Maii (die videlicet quo mortis absolutus vinculo victurus perenniter ad fontem supernæ prodiit voluptatis) festum eiusdem prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis solenniter celebrari: vt id vobis de thesauris cœlestibus, eius pia intercessione, proueniat, quod ipse, præstante Christo, percepisse dignoscitur, & possidere perpetuo gloriatur.

Cæterum vt vniuersitati fidelium inuisibilis aulæ consequendi delicias, ex concessa nobis potestate desuper propitiante Domino sit facultas, quin imò & vt nomen exaltetur Altissimi, si sponte suam venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confessis qui ad dictam sepulturam in memorato festo & vsque ad octauam ipsius causa deuotionis accesserint annuatim ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei, &c. vnum annum & quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad prædictam sepulturam infra eiusdem festi quindenam quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Assisii xv. Cal. Octob. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

II. a *Fazellus, Blondus, Nauclerus & Iuuonotius.* CÕRADVS FRIDERICI FILIVS

In Italia, *a* Conradus Frederici filius, sacro spiculo ab Innocẽtio Pontifice percussus, censuras Ecclesiasticas nec quicquam pensi ducens, ad reliqua Regni Neapolitani diripienda atq; depopulanda, post Comitium die 24. Febr. apud Melfim celebratum properauit; & Henricum 12. annorum fratrem ex Sicilia accitum, vt cum thesauris puero à Friderico

FR. HENRICVM DVODENNEM OCCIDI IMPERAT, ET IPSE VENENO PERIT, RELICTO TRIENNI FILIO CONRADINO.

à Friderico relictis, vna quoque & Regno Siciliæ potiretur, Ioanni Mauro Capitaneo occidendum dedit: atque non multo post diebus Aprilis exercitu admoto, Calabriæ, Apuliæ Capitanatæ, & Principatus Tarentini multis ciuitatibus in possessionem acceptis occubuit, veneno in clystere à medico infuso extinctus. Moriturus Conradinũ filiũ triennem, quem ex Elizabetha, Ottonis Boiorũ Ducis filia susceperat hæredem, regniq; successorem reliquit, tutoribus illi Bauaris Proceribus, quos secum ipse Neapolim duxerat, assignatis. Fuit Cõradus Frederico Patri, inclemẽtia, ambitione & malignitate perquam assimilis, sed elegantia & morum facilitate, quam ille artificio quodam prę se ferebat carens, vt prudentia illum vel potius patris astutia destituisse videatur. Mortui cadauer fortuito incendio semiustum indicium dedit, animam eius ignibus perpetuis deputatam esse. Aliquis ei sepulchrale epitaphium inscripsit his versibus:

Funere Conradus caruit, tumuloque: rebelli
Vtraque namque negat munera relligio.
Atque ossa illius mediis dum seruat in vndis
Trinacris, ignis edax intumulata cremat.
Discite vos Reges Diuos non temnere, punit
Vos Natura Dei sæpe ministra reos.

Cõrado extincto, cum ciuitates Regni Neapolitani ab eodem euersæ, sibi à tutoribus Conradini metuerent, & Imperium Germanorum perquam exosum haberent, Mãfredo non illibenter parebant: maximè quod is acerrimo ingenio, apud Pontificios Innoc. partes se agere, apud Corradinianos autem pueri tutelam se suscepisse mentiretur. Cumq; ingentis esset spiritus, & nonnisi ad Regnum aspiraret, testamentum à Conrado factum inprimis suppressit, consciis quibusque veneno sublatis: & populos ad Conradini pueri nepotis sui in Alemania agentis fidem solicitauit: eius tamen extinguendi desiderio inflammatus, veneno infecta nonnulla ei in Germaniam munuscula misit, quæ si nihil efficerent, in Italiam ad capessenda regna inuitauit: vt illic vi aperta, seu dolo malo infantem imbellem opprimeret, atque Regnum vtrumque ad se transferret. Nam eos qui partium pueri fuerant, dubios vacillantesq; videbat, atq; in rebellionem, si qua se offerret occasio, pendentes.

III. a *Rubeus hist. lib. 6.* EZELINVS ROMAM EVOCATVR, ET NON COMPARENS EXCOMMVNICATVR.

In Lombardia, veteres ab Ezelino tyranno, turbæ: *a* Quarto ab hinc anno Innoc. Papa, datis Lug. 5. Id. April. Pont. anno 7. literis, Philippo Rauennatium Archiepisc. & vniuersis eius Suffraganeis, præceperat, vt sentẽtiæ excommunicationis in eundem Ezelinum è Rom. formulam, ab se die Iouis sancto promulgatam, diuulgandam curarent. Namque causæ erant, quas ipse Pontifex tunc perscripserat. Cum enim in eum iussisset inquiri, meritoq; illum habendum de hæresi suspectum comperisset, atque ad Pontificium Solium ad causam dicendam euocasset: is vero non comparuisset, sed per internuncios tantum, coram Episc. Sabinense Cardin. quem causæ cognoscendæ Põtifex præfecerat, iusto iure non fuit auditus: quamquam internuncii iureiurando assererent Ezelinum cum Ro. Eccl. de Deo & Cathol. fide recte sentire. Itaq; cum de tanto crimine, non per nuncios sed coram purgandum esse Ezelinũ Cognitor Commiss. decreuisset, certam Põtifex diem statuerat, ad quam Ezelinus præstitis sibi à Pontifice incolumitatis literis iudicio adesset. Verum cum nec ipse, nec internuncius eius aliquis venisset, dederat ei laxiorem adhuc diem, si ad causam dicendam accedere vellet: ad quam nisi, citatus, respondisset, absens damnaretur. Sed cum id quoq; neglexisset, alterumq; iam annum anathema sustinuisset, renunciauit eum Pontifex piorum communione amotum, nisi ad Cal. Aug. proximas, ad eandem causam apud se dicendam, iussisq; Pontificiis obtemperandum accessisset. Istud quoque cum contempsisset, & indies multo atrociora patraret, tandem hoc anno, eam quæ sequitur in contumacem sententiam euulgauit. Ita habet.

IV. *epist. 36. & 9* SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS IN EZELINVM.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam memoriam rei gestæ. Truculentam vnius hominis rabiem, inhumanam sæuamq; barbariem Ezelini videl. de Romano, quem diræ malignitatis enormitas fecit insignem, & mundo non incognita factorum atrocium multitudo spectabilem, humana societas ad eligendum improba male potentium tyrannidis instituta, indigne forsitan pertulisse videtur. Sed indignius proculdubio noscitur sustulisse. Hic siquidem sub humani vultus effigie bellualem animum retinens Christiani sanguinis sitibundus & viribus rigidus alienis, implacabile aduersus communia humanitatis fœdera bellum gerit. Non enim solum ferali hominum excidio debacchatur in corpora, verum etiam super communem modum, mensuram & numerum exhausti cruoris profluuio non contentus per Cathol. fidei corruptores spiritualis vitæ operatur exitium in interitum animarum. Nimirum si in suis atrocitatibus propria contra infensos sibi exequeretur odia, iam deferbuisset in eo incalescens animi feritas peractæ vltionis refrigerio mitigata, in his quos habere videbatur exosos. Sed eius effera crudelitas sic in omnes excandescit, vt nec fortunæ, nec vitæ pepercerit etiam amicorum: nec sexum miseratus fuerit in quibuslibet vel ætatem: nec alicuius religionis vel ordinis veneratus honorem, necans paruulos innocentes, adultos nequiter perimens, diuersis excogitatis in eis generibus tormentorum, & quod pudorosum est cogitare vel loqui, horrido impiæ sectionis cultro tam feminas vt dicitur eunuchizare quam mares, spem futuræ prolis occidẽs in superstitibus occisorum, vt ex intentione quodammodo fiat eorum etiam quos adhuc de lumbis natura non protulit homicida. Quis ergo dubitet eum in hominib. non tantum personas persequi, sed etiam naturam? Quis ambigat illum quasi non hominem humani generis fore publicum inimicum? hunc ex genere cum publice damnati hæretici filius fuerit, hæreticorumq; cognatus, hunc etiam ex morib. cum eum perfidum esse contraria religioni Christianæq; fidei opera manifestẽt, nos eum publicæ opinionis concurrente assensu, vnam de subdolis præsumpsimus esse, quæ vineam Dom. Sabbaoth demoliri non cessant, testamentum æterni Euangelii corrumpentes, ad hunc autem nequissimæ intentionis effectum eo ingenii sui calle processit, quia in quos potuit vasa sceleratissimæ interfectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, quæ plerumq; cadit in fortes, residuos regionis suæ viros redegit in paruulos, vt eis animorum confidentia libertatis priuilegio, & veritatis oraculo destitutis facile per magistros errorum sub prædicti Ezelini præsidio ad subuertendas fidelium mentes in Marchiæ Teruisinæ partibus emergentes in publicum peruersa infectionis hæreticæ dogmata suggerantur. Execrans præterea commune omnibus gentibus, & magnum in Christo & Ecclesia matrimonii sacramentũ, quod non humanæ volũtatis inuentio statuit, sed diuinæ institutionis commendat authoritas, quod temporaliter orientis ex homine Saluatoris natiuitas honorauit, quod ne cunctis fere animantibus suggerit in eis insitus ordo naturæ, damnabili & de typo abominationis hæreticæ procedente præsumptionis audacia separat contra legis Euangelicæ interdictum legitimæ coniunctionis fœdere copulatos, adeo inter complices suos fœda connubia & adulterinæ coniugia coniungendo, ex quibus spuria vitulamina prodeunt radices altas posteritatis prospere nõ datura. Nos itaq; quos licet immeritos summus fidelium Pastor ad arcendos à redempto Christi sanguine grege ferales impetus salutẽ Christiani populi lædentes & vitam, nec non ad huiusmodi inuestigandas assiduis vigiliis capiendasque vulpeculas Ecclesiæ suæ voluit præsidere, valido clamore Christiani sanguinis quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus Euangelicæ fidei quam molitur euertere periculo excitati, per religiosos viros discernere curauimus & videre, an idem Ezelinus illud circa Fidem Catholicam naufragium pateretur, quod de ipso detestanda nunciabant opera, & vulgata infamia prædicabat. Cum autem ipsi religiosi super his cum diligentia inquirentes, eundemque de fide Christi non recte sentire, haberi debere suspectum veris indiciis comperissent, tandem ipse ad sedem Apostol. nuncios destinauit, quibus bonæ mem. Sabinens. Episcopum concessimus auditorem, coram quo ad iurandum in ipsius Ezelini animã se obtulere paratos, quod idem de Deo & Catholica fide credebat, secundum quod Romana tenet Ecclesia & docet esse credendum. Sed quoniam à dicto Episcopo, vel à nobis huiusmodi purgatio admissa non extitit: cum in tanto crimine non per nuncios, sed per propriam personam præstanda esset purgatio, coram nobis sibi præfiximus terminum, quo Apostolico se conspectui præsentaret, facturus super his, quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate personæ in veniendo & redeundo plenaria cautione. Vnde quia nec in eodem termino, nec post ipsum venire vel mittere procurauit, ipsum qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, & quod de fide Catholica malè sentiret, certa ratione suspectus, anathematis vinculo duximus innodandum: alium ei terminum assignantes, quo in nostra compareat præsentia, super præmissis mandatis Ecclesiæ pariturus, denunciando publice, quod nisi vsque ad terminum ipsum id faceret, ex tunc procederemus grauius contra eum iuxta legitimas & canonicas sanctiones. Cum autem venire seu mittere, licet vltra terminum diutius expectatus obstinatione damnabili despexisset, & non solum per annum, sed per biennium vi-

lipensis Ecclesiæ clauibus prædictum sustinuisset contemptibiliter anathema, nos quia non debebamus vlterius canonicum contra eum differre iudicium, quem tam longum diffugium, & tam dura pertinacia reum tanti criminis ostendebant, præsertim quia huiusmodi iudicii tarditas periculosam fortè aliquibus præbebat audaciam: & quos à malis festinata vnius pœna compesceret, protelata forsitan ad illam laxaret: eundem Ezelinum tanquam hæreticum reputantes, decreuimus ipsum habito fratrum nostrorum consilio promulgatis aduersus hæreticos sanctionibus subiacere: nisi vsq; ad Cal. August. tunc proximè secuturas, coram nobis comparere curaret, nostris & Ecclesiæ pariturus præcise beneplacitis & mandatis: quem siquidem terminum tunc sibi ex multa benignitate Apost. sedis præfiximus, cum eum saluari vellemus, potius quam perire. Ipse vero contra Deum & contra homines collo rebellionis extento, & ad omnem fidei Christianæ inobedientiam spiritu obfirmato, tanquam prolapsus in desperationis abyssum, & humani pudoris, diuini iudicii ac salutaris consilii pertinax aspernator, imminentia sibi discrimina quæcumque contempsit, & perire potius eligens quam parere, nec in termino sibi ex multa Ecclesiæ miserationis lenitate concesso, nec postmodum diutius expectatus venire curauit. Nos autem illius periculo condolentes adhuc voluimus eius duritiam solita sedis Apostolicæ benignitate mulcere, si forte ad suscipiendum salutis remedium aliqua in eo scintilla sanioris consilii remansisset: ipsumque non semel vel secundo, sed pluries, imo multoties adtinere iudicium edictis legitimis euocatum duximus prolixis ad conuincendum inexcusabilem eius malitiam temporum spatiis expectandum. Porro idem sicut aspidis surdissimæ filius, ad omnem monitoris vocem obturans auditum iam per sex annos & amplius vocationis longanimitate & expectationis nostræ patientia est abusus. Nos igitur ex his attendentes, quod diuturnioris erga eundem Ezelinum tolerantiæ pietas, in communem multorum posset redundare perniciem, & vlterior expectatio nihil operaretur in eo nisi contumaciam & contemptum: ne tantum malum in medio Christiani populi diutius toleratum latius peruagetur, de prædictorum Fratrum nostrorum consilio, præsente fidelium populo, qui in die Cœnæ Domini ex diuersis mundi partibus ad Apostolorum limina confluxit, prædictum Ezelinum sicut manifestum hæreticum sententialiter iudicantes, ipsum excommunicatum & anathematizatum cum damnatis hæreticis deputando, ascripta illis damnationis stipendia recepturum, quem si forsitan vsque ad festum Ascensionis Dominicæ proximè venturum, ad præsentiam nostram personaliter venire audiemus, quod de abundantissima Apostol. sedis clementia duximus ad iungendum. Datum Laterani V. Id. April. Pontif. nostri anno XI.

Hactenus in Ezelinum Innocẽtius Papa. Contra quem atque eius complices, vt Iudices atque Magistratus legibus armaret, Principib. in primis & Magistratibus sæcularibus præceperat, vt banno supponerent hæreticos, bonaq; eorum publicarent, quos Inquisitores aut hæreticos aut hæreticorum complices declarassent. Quod si ab Inquisitoribus moniti & requisiti parere recusassent, & auxilium, consilium, vel fauorem præstitissent, dederat potestatem Innocentius Inquisitoribus, vt sententias contra huiusmodi pronunciarent, neque quicquam dubitarent, ne eas Sedes Apostolica ratas atque gratas haberet. Sanxit pariter, vt Constitutiones Friderici olim Imperatoris contra hæreticos latæ obseruarentur: & cautiones pœnæ pecuniariæ exigerentur à complicibus hæreticorum redeuntium, de fide tenenda: & quod neque ad priores, neque ad consimiles redirent errores.

V.
SVMMARIVM GESTORVM HOC ANNO INNOC. IV.
1. epist. 165. Assisii Non. Sept. 2. epist. 202. ibid. 5. Cal. Octob. 3. epist. 236. Lateran. 16. Cal. Nou. 4. epist. 416. Perus. 14. Cal. Febr.

Eodem anno Innocentius Papa alia plurima in beneficium publicum egit, sanxit, dedit. 1. Regem *Angliæ* Henricum in tutelam sedis Apostol. recepit, eundemque ad subueniendum Christianis in Syria laborantibus inuitauit: vtque ei autores ad sacram expeditionem esse vellent, Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, Episcopis autem Batoniensi & Wallensi commisit. 2. Carolo Comiti Prouinciæ, vt filiam suam alicui principi in quarto gradu propinquo in matrimonium collocare posset, potestatem fecit. 3. Alphonso Regis Galliarum fratri Crucesignato, in Palæstina de Republ. Christiana bene merito, vt in feudis omnium Crucesignatorum, qui in sacro bello decessissent, vel ab eo sese subtraxissent, succederet, concessit, omnesque gratias & priuilegia Crucesignatis aliquando concessa, eidem impertiuit. 4. Vniuersis & singulis Fratribus Prædicatorib. apud Cumanos verbum Dei prædicantibus, vt viginti, triginta vel 40. dierum indulgentiam his qui concionib. eorum interessent elargiri possent, indulsit. 5. S. Raymundo Pennafortio, Capellano suo ac pœnitentiario, vt in vitam, mores & qualitates electi Abbatis Monasterii S. Saturnini Tabernetensis, Vrgellensis diœcesis inquireret, præcepit. 6. Priorem Parisiensem Ordinis Præd. lachrymis effusissimis, vt populos Christianos ad quamprimum in Terram sanctam transfretandum, & ad auxilia D. Ludouico vna cum Comite Pictauiæ, atque vniuerso exercitu Christiano periclitanti ferẽda inuitaret, adeoque impelleret, amplissimis illi collatis priuilegiis, obsecrauit. 7. Prioribus & Fratribus Ord. Pręd. in Liuoniæ Prouincia, vt Christianos à commercio Paganorum auerterent, & ad custodiam Castri in finibus Liuoniæ, à Teutonicis militibus, super flumine Duina, sc. ne nauigio victualia & reliqua necessaria gentilibus importarentur, animarent, hortatus est. 8. Alphonso Pictauiæ & Tolosæ Comiti fratri Regis Galliæ, vt bello sacro detentus, à Capellano suo, ab omnibus censuris, si quibus innodatus fuisset, absolueretur, quãdiu in Syria versaretur, indulsit. 9 Ludouico filio Regis Galliarũ, vt Attrebatensem & Beluacẽs. Episcopos, sedis Apost. Cõmissarios contra quosdam Morinensis Episc. inimicos, qui eum multis iniuriis affecerant, & ministros ipsius vulnerarant, adiuuaret, serio mandauit. 10. Inter Portugaliæ & Castellæ Reges, occasione Algarbiorum Prouinciæ inter se dimicantes, authoritatem suam interposuit, vtque ab armis discederent, sed potius controuersiam iudicio sedis Apost. permitterent, inuitauit: neque tamen esse aut fuisse intentionis suæ, per litteras hac in re cuiquam præiudicare velle, Portugaliæ Regi significauit atque declarauit. 11. Prouincialem Poloniæ Or. Præd. vt Fratres ad conuersionem Ruthenorum, Dacorum, Bulgarorum, Cumanorum, Bosnensium, Græcorum, Saracenorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicorum, Iacobitarũ, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Mostelitarum, Indorum, & aliarum gentium paganarum mitteret, hortatus est, datis litteris quarum initium est: *Cum hora diei vndecima*: Assisii X. Cal. Aug. Pont. anno XI. His litteris, & inprimis, vocationis suę memoria permoti Fratres Prouinciæ Poloniæ, quantum pro dilatatione fidei in partibus Orientalibus & Aquilonaribus laborauerint, indicio est primum, quod idem Pontifex, primum Episcopum Lituanis, nõ nisi discipulum S. Hyacinthi B. Vitum, & primũ Ruthenis B. Gerardum ex eadem disciplina cõcesserit. Indicio est deinde, q Fratres Apostolico isto munere, tunc apud Barbaros fungẽtes, amictu peculiari, Cardinalib. S. Ro. Ecclesiæ tunc proprio vtebantur. Idem n. Innocentius Põtifex, qui Ro. Ecclesię Cardinal. pileum roseum concesserat, Fratribus Prouinciæ Poloniæ inter gentes prædicantib. indulserat, vt rubeo quoq; galero, rubeis Sãdaliis, ocreis & chirotecis rubeis, caput, manus & pedes tegerent. Visebantur nostro quoq; tempore, pleræq; Fratrum imagines in Conuentu Leopoliens. ad eum modum depictæ. Nuper etiam in sepultura quadam abditiore eiusdem cœnobii, Frater quidam, ab immemorando tempore humatus, talibus ornamentis rubescẽs imputris repertus est. His enim purpureis ornamentis significabant Legati Apost. Fratres Prædic. Prouinciæ Polonię, mortibus deuota gestare capita, igneq; ardentissimo exæstuare, ad præparationem Euãgelii pacis.

5. epist. 430. ibid. 5. Id. Febr.
6 epist. 5[illegible] ibid. 4. Non. April.
7. epist. 29. Perus. 10. Cal. Sept.
8. epist. 556. ibid. 15. Cal. April.
9. epist. 673. Assisii 3. Non. Mart.
10. epist. 390 Perus. Id. Ian.

VI.
REX ANGLIÆ HENRICVS VIOLATAS ECCLESIAST. LIBERTATES SERIO RESTITVIT.

Eodem anno cum Anglię Rex Henricus antea Ecclesię iniurius, immunitates & libertates Ecclesiasticis rebus ac personis restituisset, & in amplissimo totius Regni consessu, ex omnium consensu veteres leges & magnam chartam renouasset, inque ea sanxisset: *vt suæ Ecclesiis libertates, consuetudines, & prærogatiuæ, sartæ, tectæ atque integræ manerent*: Bonifacius Archiepiscopus Cantuariensis, aliique Episcopi in aula Westmonaster. Pontificiis vestimentis ornati, candelasque accensas manibus gestantes, *anathemate & diris Ecclesiasticis eos execrati sunt, qui easdem leges deinceps violarent.* Extinctas deinde candelas in terram proiecere, campanisque magno clangore sonantibus acclamauere: *sic pereant & extinguantur, qui hoc nostrũ decretum perfide violarint.* Rex vero per fidẽ qua homo homini, & Christianus Deo, & qua se regno cum Principatũ iniret astrinxerat, religiosè promisit, *se decretum illud integrum, inconcussum, & illibatum conseruaturum.* In eodem Principum consessu dictum

est

est anathema, Innocentii Pontif. Max. authoritate innouatum, *in eos qui liberas Prælatorum electiones in Anglia violarent, aut se illis quoquo modo immiscerent.* Matth. Paris Hist. Angl.

VII.
OBITVS ET SANCTITAS IOAN. TEVTHONICI, ORD. PRÆD. GEN. MAGISTRI.

Per hæc tempora vita defunctus est, Ioannes Theutonicus Ord. Pręd. summus Magister, multis miraculis clarus. Antequam toga Prædicatorum indueretur, hunc ordinem puer longè antè præuidit & prænunciauit. Adultior & iam Sacerdos factus, Capellani & Pœnitentiarii officio, apud Summum Pontificem defungebatur. Bononiæ ad Ordinem ante tres & triginta annos admissus, breui tempore eam perfectionem vitæ assecutus est, vt primũ Prouincialis Hungariæ, deinde Episcopus Bosnę crearetur. Quo in officio occupatus, cum non contemnendos reditus possideret (ad octo millia marcarum argenti numerabantur) omnes ferè in egenos erogabat. Fastus præterea sæcularis tam magnus contemptor, vt non nisi vnum asellum circumduceret, qui libros & ornamenta Episcopalia deferret: ipse vero pedes Diœcesim visitaret. Missam postmodum fecit eam dignitatem; quod se imparem viribus, indignumque tanto muneri existimaret. Non tamen effugere potuit, quin communi Patrum Ordinis suffragio, Magistratum supremum Religionis, quanquam reluctans, susciperet. Namq; illi summo studio imponebant, permoti visione cuiusdam fratris, cui eo tempore, quo electores conclaue ingressi fuerant, oranti, secundum quietem visus est Ioannes, ignea quadriga per impluuium (claustrum vulgo appellant) vehi. Aliquando in frequenti populo Basileæ concionatus, tactu manus leprosum sanauit. Regina Hungariæ pro salute filii contra Regem Patrem bellum parantis sollicita, ipsum secundum visionem sibi apparentem aspexit, qui diceret; *ante prandii horam, pacem inter Regem & filium componendam.* Mortuum quoque, aiunt, ad vitam reuocasse, atque multis ægrotis sanitatem oratione restituisse. *Leand. de viris Illustr. lib. 1.*

VIII.
VIRI SANCTI EX ORD. D. FRANCISCI.
Auton. tit. 24. c. 9.

Per hæc tempora, in Ord. D. Francisci, aliqui viri insignes floruerunt. Fr. Bertholdum Ratispon. aiunt, insignem fuisse Diuini verbi præconem: quo semel verbum Dei ad populum concionante, & cõtra vitium luxuriæ vehementius inuehente, mulier quædam prostituta tantum dolorem peccatorum concepit, vt præ contritione spiritum exhalarit. Ibi omnibus ad rei nouitatem obstupescentibus; & iusto Dei Iudicio condemnatam esse dicentibus, Bertholdus vniuersis, vt in oratione se prosternerent, & Diuinam voluntatem circa statum mulieris explorarent, præcepit. Mirum visu. Ea quæ obierat, statim reuixit: & se ad diuinum iudicium propter facinora euocatam, propter magnitudinem autem pœnitentiæ, vt ea confiteri rite posset, ad corpus reuocatam dixit.

In Brabantia quoque Fr. Petrus, eiusdem instituti enituit, maxima vitæ perfectione illustris. Is cum aliquando sacram hostiam offerret, aliquis innocentium puerorum, species panis sacrati, antequam Petrus communicasset, in speciem pueruli elegantissimi, conuersas esse aspexit, cæterisque sodalibus renunciauit: Petrum in altari puerulos comedere.

In Prouincia etiam Prouinciæ apud Clarum montem Fr. Philippus eximiæ sanctitatis & doctrinæ fuit. Is aliquãdo in Castro Riomo ad populum verbis factis, in vsurarium quendam publicum, vt à fœneratione desisteret, & quæ iniustè acquisiuerat restitueret, vehementius, sed sine fructu, inuectus est. Ille enim non nisi pollicebatur: cæterum neq; à fœnerando sibi temperabat, neque ea arte compilata restituere volebat. Paulò post, Philippus cum graui infirmitate apud Montem ferrandum correptus iaceret, multis audientibus ex improuiso dixit: Non possum modò: quando poteram, noluisti. Interrogatus porro, cur ista diceret: respondit: Nunc nunc anima illius feneratoris, à dæmonibus, ad inferni supplicia deportatur, quæ cum à me auxilium imploraret, neque ego possem quicquam impendere: respõdi: Non possum modò, eo quod eo tempore quo poteram, noluisti auscultare, pœnitere, & reuerti. Claruit quoque Tuderti signis & prodigiis Fr. Wilhelmus, qui tres mortuos suscitauit: & in Conuentu Assisiensi multi ex Sociis Fr. Francisci, sanctitate atque miraculis effulserunt.

IX.
OBITVS S. FINÆ VIRGINIS HETRVSCÆ.

Quarto idus Martii huius anni, desiit esse in humanis Sancta Fina virgo Etrusca. Hæc in oppido S. Geminiani in Hetruria nata, in domo paterna, quasi in Monasterio degens, carnem suam crebris ieiuniis, vigiliis, & cilicio domabat; nunquam domo, nisi ad diuina audiẽda egrediens, ac in operibus manuum iugiter occupata, quæ cum esset forma eleganti prædita, ne quo sæculari affectu deprauaretur, adeo graui morbo percussa est, vt vix in lectulo posset volutari. In tabula a. lignea cum accubaret, illa ex carnis tabe computrescebat, vt in illius carne, quam & mures rodebant, à vermibus cõsumpta lata foramina conspicerentur. Nec tamen in tantæ ægritudinis doloribus longum ducens martyrium illa conqueri, aut animum despondere visa est; sed miram patientiam, tranquillamque mentem, & hilarem vultum omnibus aduenientibus ostendebat. Ad tantam calamitatem summa paupertas accedebat. Ante octo dies quam obiret, sanctus Gregorius Papa, quem illa præcipuè colebat, apparens, de morte quæ instaret, illã admonuit. Cum sacris perceptis exisset è vita, & corpus sic tabulæ ligneæ adhæreret, vt vix separari posset, odorem tamen emittebat suauissimum, cum antea grauissimè oleret. Campanas sponte sonuisse ferunt; & quod etiam mirandum est, eum sepulturæ tradenda esset, manum attollere visam, nutricemque suam tactu ab insanabili morbo curasse. Ad eius tumulum non modò dæmoniaci & ægroti sanati sunt: sed & puer defunctus ad vitam reuocatus asseritur. *Ex vita Florentiæ edita, Anno* 1598.

X.
STVPENDÆ EZELINI IMMANITATES.

Hoc ipso anno, Ezelinus, nullas nisi sanguine fuso gaudens habere vias, tam Veronæ quam in Marchia vniuersa vehementer iterum manum ad incarcerandum & occidendum extendit, ac ciuitates & castella multitudine captiuorum, quos fame horribili affligebat, compleuit. Præ famis autem & sitis angustia, proh dolor, quælibet immunda miseri comederunt, ac vrinam cum auiditate inopinabili bibere cogebantur, & non paruum beneficium impendere putabatur, qui vrinæ suæ potum dignabatur sociis impartiri. Fœtor etiam intolerabilis & aer corruptus, calorque nimius & tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ezelini, vt captiui vix potuerint respirare. Propterea multi his de causis spiritum exhalabant. Præterea tãta erat in his hominum multitudo miserabilium, & ad eum modum vnus alium comprimebat, vt nec iacere aliquis poterat, nec sedere: corporis autem debilitas, nullo modo super pedes consistere permittebat. Clamor itaque lugentium, & væ, væ, dicentium, ac percussiones manuum ita horridæ personabant, vt non carceres manufacti, sed ergastula infernalia, & pene inflictus à dæmonibus merito putabantur: quia ibi nulla requies, nulla consolatio, nulla species redemptionis à malis illatis & imminentibus habebatur. Mors ibi summo desiderio quęrebatur, vt tantis malis finem imponeret. Moriens enim in tali statu, viuente felicior credebatur. In mortis verò articulo constituti, confiteri sacerdotibus, & rerum suarum disponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebant itaq; quotidie corpora extincta de carceribus tenebrosis; nec permittebant aliquem sepeliri, nisi prius euidentissime probaretur, quis esset, vel vnde, qui beneficium debebat consequi sepulturæ, & ex hoc custodes carceris faciebant fieri publica instrumenta, vt indubitanter possent tyranno sollicitè omnia inquirenti ostendere numerum mortuorum & viuorum. *Monachus Paduanus Chron. lib. 1.*

XI.
SVBITANEA MORS OTTONIS BAVARIÆ DVCIS QVOD ADHÆSISSET FRID. II.

Hoc anno Otto Dux Bauariæ, iusta Dei vindicta morte insperata interiit, duobus filiis Ludouico & Henrico derelictis. Fuerat is ab Innocentio Pontifice diris deuotus, eo quod Friderico contra Ecclesiam adhæsisset. Ab hac curatoria medicina nec quicquam melior factus, cæpit Clerum persequi, & mala malis adiicere. Conabatur illum F. Berchtoldus Lausuten. Ord. Minorum Conciliator, qua pollebat authoritate, ad obedientiam Ecclesiæ reducere, & erga Ecclesiam atque Clerum mitigare. At ille & monitorem contempsit, & seueritatem diuinam cõtra se prouocauit, quanquam non sine præmonitione Diuina, si forte exaudiret. Quidam enim pauperculus, nocte circa festum S. Michaelis, per raptum aspexit se ductum ad tribunal iudicis cuiusdam, ibidemque audiuit & vidit, quia ad querimoniam sanctorum, sententia mortis data esse in Ottonẽ, & cæteros Principes pacis, & Ecclesiarum ac paupe-

rum turbatores. Asserebat pariter, sibi à sanctis, ex parte Dei fuisse iniunctum, subque pœna mortis præceptum, vt hæc Ottoni & aliis Principibus, vel si eos adire nō permitteretur, aliis renunciaret. Cum non admitteretur Fratri Berchtoldo, aliquot Abbatibus ea quæ vidit aperuit: Otto autem, visionem & monitiones suo malo risit: Nam in Vigilia S. Andreæ Apostoli, cum vespertinum tempus cum vxore & familiaribus valde iucunde exegisset, præsentem vitam subitanea morte finiuit. *Chronic. Hirsaug.*

†

De Ottone isto primi Bauariæ Ducis nepote, huius nominis Duce II. eiusque obitu, alii authores hæc ipsa quæ adiungo tradunt: Chronica August. seu potius Henricus Stero Nideralthahen: Monachus, sub Anno DOMINI M. CC. LIII. refert hanc historiam ex Hermanno Abbate his verbis: Otto igitur Dux, primū seuerus Iudex, & Princeps mansuetus, postea propter fauorem Friderici II. Imp. & Conradi filii eius ab Innocentio PP. & Episcopis, iam diu & sæpe excommunicatus, persequitur Clerum, mala malis addens. Cum in Vigilia S. Andreæ cum vxore, & familia sua valde iucundus fuisset, subito periit. eodem tempore mense Nouembri, Berchtoldus declamator insignis in Landzhuta concionabatur, degebatque in castro cum Duce, nitebatur eum reconciliare Sacerdotibus & Papæ. Forte aduenit tum quidam Agricola, qui asseuerabat se in vigilia S. Michaelis correptum ad Tribunal eiusdam iudicis, vbi audisset & vidisset quod accusantibus sanctis Dux Otto, cæterique Principes pacis turbatores Ecclesiarum & pauperum morte condemnati sunt. Affirmabat præterea se sub pœna mortis astrictum esse, à sanctis, vt hæc Principibus & Duci renelaret. Quod si ad eorum aspectum non admitteretur, aliis visum hunc aperiret. Prohibitus igitur à conspectu Ducis, Berchtoldo fr. rem aperuit, & sexto die ante mortem Ducis, venit ad Altah. & narrauit rem N. Altahen. & Alberto Abbati Metensi, adiungens, quod prohiberetur à conspectu Ducis, Episcopi, Abbates, cum H. Abbate de Ebenperg. rem deferrent ad Ducem, nisi citius monetam nouam aboleret & resipisceret à Pauperum & Ecclesiarum compilatione, breui & subito esset moriturus.

Stero historiam sic concludit: cuius visionis efficaciam sæpedictus Dux (Otto) Conradus Rex. & alii Principes, per mortem insperatam tunc (proh dolor) sunt experti.

Hermanus ita infert; hunc visum non vanum fuisse, exitus probauit, subsecutæque mortes Principum subitariæ; Ducis Ottonis, Papę Conradi Regis, Berchtholdi Episcopi Patauien. Wenzali Regis Boemorum.

Bauarici etiam scriptores in hisce de Ottone Duce literis mandarunt.

Vitus Arenpeik. lib. v. fol. 198. Otto Dux Clericos non audiuit & eis multa mala intulit. Quare & mala morte mortuus est, vt iam dicetur. Anno &c. siquidem CHRISTI M. CC. LIII. Ludouicus & Henricus Duces apud Oetingam militari gladio accinguntur. Eodem anno genitor eorum Dux Otto, cum de sero fuisset lætus cum vxore & familia sua, de mane in vigilia S. Andreæ, subitanea morte percussus, excommunicatus, sine sacramentis diem obiuit, sepultus in Schiria.

F. Andreas f. 67. Otto ille Dux Bauariæ Palatinus Rheni in principio regiminis sui, iudex seuerus & Princeps mansuetus, postea propter fauorem, quem impendere videbatur Friderico quondam Imp. & Conrado filio eius ab Innocentio IV. & Episcopis, iam diu & sæpe excommunicatis, persequi cæpit Clerum, & mala malis addens in Vigilia Sancti Andreæ Apostoli, ANNO DOMINI M. CC. LV. cum in sero cum vxore & familiaribus suis, valde iucundus fuisset, præsentem vitam subitanea morte finiuit.

Auentinus Annal. Bor. lib. VIII. f. 690. Porro Otto, dimisso filio in Vngariā, cum altero filio Ludouico Landzhuram repetit, ibiq; secundo post mense III. Cal. Decembris expirauit Anno Christi 1253. & paulo post, ante sex quam expirasset annos, ab Innocentio P.M. execratus fuit, quod illius partes perinde, &c.

Nihil habent Auentin. Arenpeck. F. Andreas de visione ægrestis hominis, de quo solus mentionem fecit, vel Stero, vel Hermanus.

Kölnerus Secretarius Bauaricus, in sua Genealogia Ducum B. hæc solummodo de Ottonis obitu, Otto, Ratisponensem, Frisingensem, & alios Episcopatus armis & litibus multum vexauit. Quas ob res illi Conradus Episcopus Frisingensis sacris interdixit. Otto igitur Palatinus pridie S. Andreæ, cum vesperum lætus inter suos exegisset, postridie mane nullis expiatus sacris, repente extinctus est, & in Schirensi cœnobio auito maiorum mausoleo sepultus.

D. Laurent. Hochuart. Canonicus Ratisponen. in suo de Episcopis Ratisponen. lib. M. S. sub Episcopo Alberto III. cap. VIII. Henricum Ducem B. auxiliatorem Regis Conradi commemorat, qui tot damna Ratisponen. Episcopo, & aliis intulerit, & tandem concludit. Henricus vero Dux cooperarius eius, non ita diu post iustæ mortis pœnas luit.

Et in formula reconciliationis Regis Conradi cum Monachis S. Emmerani, tenentur insuper Monachi eiusdem Monasterii ex pacto firmæ promissionis habito coram nobis, præsentib. Ottone Com. Pal. Rheni, B. Duce, dilecto socero nostro, & Ludouico filio suo, &c. Datum Ratisponæ Anno Domini 1251. mense Ianuarii.

Ihord. in Metrop. fol. 14. Philippus Archiepiscopus Salisburgen. celebrauit concilium mandato Rom. P. (Innocentii IV.) in oppido Bauarię Muldorf, quod municipium inuauense est, interfuere Episcopi, Frisingensis, Ratispen. Seckouiensis. Huc vocatus Dux Bauariæ, vtroque gladio compelli debebat, vt Rom. P. adhæreret contra Frid. Imp.

Cancellarius Bauaricus, hæc de Ottone ab aliis scripta, conabatur refellere, istis, quæ iubente Sereniss. mo Maximiliano Duce Bauariæ mihi subm isit, argumentis.

Fuit inquit Otto Dux iste, filius Ducis Ludouici, quem anno 1231. interfectum Kelheimii, dolo & insidiis Friderici II. Imp. tum ex Innocen. PP. IV. literis, tum aliunde, & præter cæteros ex Haselpachii annalibus Austriacis M. SS. abunde constat. Quis autem credit filium tum indignam patris cædem non tulisse ægerrime, ac suis partibus non defuisse. Quiuis facile colligere potest, causam hanc fuisse, ob quam Rex (Fridericus II.) cum magno exercitu, tunc Bauariam intrauerit, expugnaturus Ducem, quem tamen arbitro Archiepiscopo Salisburgens. Eberhardo in gratiam recepit, accepto obside, Ludouico filio Ducis paruulo.

Constat de hoc ipso Ottone, quod semper adhæserit Episcopis Bauariæ, & consilium illorum sequutus in bo. fide constitutus fuerit.

Hinc de illo legitur, Otto Bauarorum Dux, Albertum Archidiaconum, quem Roma redeuntem honorifice exceperat, & diu eidem hospitium præbuerat, mutato Episcoporum precibus animo, publico edicto, ex tota Bauarica proscribit.

At non tunc temporis, priusquam animum eius in diuersa flecterent Episcopi Bauariæ, sedem Apostolicam veneratus fuit Otto Dux? an non ex hoc ipso satis euidenter apparet, Ottonem Ducem partes Friderici Imper. (qui patrem eius Ducē Ludouicum, ante annos sex occidi procurauerat.) secutum minime fuisse. Quis vero alius ☞ Episcopi Bauariæ eum impulerunt, vt Pont. Legatum hospitio Bauaria expelleret. An vero Otto Dux, quod Episcoporum precibus locum dedit, impune hoc tulit? minime gentium, nam bonus ille Albertus Bohemus, Patauiens. Archidiaconus (quemadmodum eius describuntur gesta ab Hermanno omnibus Principi & Episcopis inuisus, & qui plurimarum ac grauissimarum turbarum author extitit, & tandem propter demerita sua à Passauiensibus captus & excoriatus fuit) non destitit Bauariam ferro, flammisque infestare; adeo vt nulli mirum videri possit aut debeat, Ducis animum exasperatum, & ad vindicandum tam atrocem iniuriam permotum fuisse.

Tantum abest Ducem Ottonē, Clerum odio persequtum fuisse, aut damna per aliquam iniuriam eidem intulisse, vt ex aduerso plane constet de plurimis bene meritis eiusdem in Clerum, in Ecclesias, &c. de quibus videre est

in vita ipsius Bauariæ historiæ inserta cumulatius. Et extant diplomata eius rei testes certiss. Quin etiā eo ipso anno, quo obiit, ipse Dux Otto dotauit hospitale Monacen: Et Ecclesiam S. Spiritus tunc temporis extincto telonio sub porta Isaræ: Eodem anno 1253. tradidit & donauit hospitale in Burgkrein Monasterio Nidernschönueldt. præterea plurima alia suo loco cognoscenda.

Eberhardus Archiepiscopus Salisburg, & Dux Bauariæ (Otto) anno 1237. concilium inierant, pro pace reformanda, quod Steubingæ (in Bauaria) indixere: sed ob dissensionem sacerdotum & Laicorum nihil profecerunt.

Anno 1242. Dux Bauariæ (Otto) præsentibus Eberhardo Archiepiscopo & aliis Principibus Curiam Ratisponæ celebrauit, vbi pro reformatione status, nec non contra Albertum Boemū, Legatum Apostolicum pro Friderico II. Imp. aliqua sunt cōstituta ac edita. Qua vero fronte dicit quis, Ottonem Ducem tunc temporis, annis vidlicet ante mortem vndecim, aut iuxta nonnullos duodecim Episcopos & Clerum fuisse persecutum, qui cum Episcopis, Clero, & aliis Principibus adeoque his ipsis authoribus & suasoribus omnia peregit.

Haud leuiter à vulgari iniuria Ducem Ottonem vindicat diploma, quod authenticum exrat in Archiuo Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Episcopi Frising. quod totidem verbis hic referre operæ pretium duximus.

Nouerint omnes, quod nos Otto Dei gratia Pal. Comes Rheni, Dux Bauariæ Anno Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo, feria quarta quatuor temporum Decembris, omnia scripta inter Dominum Frisingensem Episcopum Conradum & nos concepta, siue fuerint Originalia, siue sumpta, vel acta quæcunque à principio nostræ distinctionis, vsque ad finem, facta fuerint, tamquā odiosa igne cremauimus, protestantes, & promittentes, quod si qua per iniuriam, siue per minorem diligentiam, siue dolo vel malo ingenio, quod non credimus, siue quocunque casu ignem effugerint, vbicunque de cætero inuenta fuerint, sint vacua, cassa & inutilia, nec aliquas vires habeant, Et qui eis deinceps vsus fuerit, sit à Domino maledictus. Et vt hæc rata remaneant, atque firma, cædulam præsentem sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum apud Landzhuet, præsentibus Magistro Marquardo præposito Maticoni Magistro Berengero Physico, Vlrico Notario nostro Canonico S. Andreæ de Frisinga, & aliis multis.

Facit pro Ottone Duce, quod Hundius refert in Metropol. ipsummet Archiepiscopum Salisburg: Philippum contra Papam insurrexisse, vtique Archiepiscopus, cæteri Episcopi & Principes pro habita causæ discussione Innocentii postulata reprobarunt & hoc factum est vix quatuor aut sex annis antequam vita fungeretur Dux Otto.

Adnotarunt aliqui scriptores domestici Clementem PP. IV. (qui Pontificatum iniit Anno Domini 1263. hoc est annis X. vel XII. post defunctum Ducem Ottonem) scripsisse H. Episcopo Ratispon. Comiti de Roteneck, & Conrado Tölzner Episcopo Frising. vt diligenter inquirerent de signis pœnitentiæ Ottonis, qui ob fauorem Friderici & eius filii Conradi damna eis intulisse diceret.

Posito igitur, quod Otto Dux in interdicto fuerit mortuus, tamen hoc inde constare potest, absolutionem illius à Clemente P. optimo, qualis à Genebrardo aliisque laudatur fuisse peritam & impetratam.

Ad narrationem denique de visione agrestis cuiusdam hominis, quod attinet, occasionem illa procul dubio sumpsit ex eo, quod vel Stero vel Hermannus scripserunt. Anno MCCXLII. Albertus vltimus Comes de Pogen obiit, cum sæuitia incredibili prouinciam vastasset: adeoque fugientibus hominibus deserta pene foret. In parochia Chelzperg. (vt retulit VVilpertus parochus de Chunzen) benedicta fœmina, visa est sibi videre in somnis D. Mauritium iudicio coram Deo accusare Albertum hunc, petiitque vindictam, Mater Dei vsque purificationis inducias impetrauit si resipisceret. Quod cum non faceret, licet sæpius admonitus à fratre suo Ottone Duce Bauariæ, tandem misere periit, magna lætitia suorum & Monachorum.

Fuit Dux Otto frater vterinus Com. Alberti ex matre Ludouilla Boema.

Hanc veram & primam (ni aliquis Alberto Boemo eam adscribere malit) fabulæ huius de Ottonis Ducis morte, originem esse arbitror, cui nemo prudens & cordatus facile assensum præbebit. Ita pro Ottone Cancellarius Bauariæ.

XII. ADMIRANDVM FIDEI CONIVGALIS EXEMP.

Hoc eodem anno, Blanca Scardeonia, Italica matrona, firmo fundatoque erga maritum amore, in exemplar constantiæ, ad stuporem apparuit. Captum Bassianum erat, in agro Patauino municipium, ab Actiolino immanis sæuitiæ tyranno: atque ibi dum fortiter repugnat maritus Blancæ, interficitur: ipsa etiam in armis viribus marito iuncta, & simul pugnans, capitur. Addicta igitur ad tyrannum, & armis exuta, formosissima mulier apparuit: & accensus libidine potius quam amore, potiri statim voluit. Illa abnegabat, precibus, minis & terroribus immobilis: donec ad vim tyrannus se parat, quod intelligens, æstu ad fenestram se subducit, & præcipitem ex ea iecit. Non tamen vel sic obiit, ad aliud facinus superuixit: quod fuit tale. Cum enim sanguine fœdata & semianimis, sublata Actiolini iussu esset, & in lecto reposita, curataque: post dies aliquot iterum tentata recusauit, & eundem animum vitæ potius quam pudicitiæ perdendæ, sibi esse testata est. Ab irato itaque constringi ligarique iussa, violata, non contaminata est (quid enim posset illa castitas) sed tamen dedecori huic superesse noluit: & fortius quam aliqua Lucretia, cum ad maritii sepulchrum isset, alleuato & suffulto lapide, super fœtidum cadauer se proiiciens, atque id amplexa: *Teneote*, inquit, *mi anime. Quis tyrannus vltra audiet? Maneo: Accipe fidam tuam Blancam, corpore & fune nunc iunctam.* Dixitque, & fulcrum reuellens, caput sibi contriuit, & spiritum tenuem & exiturientem emisit: *Ipsius in Monitis.*

XIII. INNOC. IV. DIPLOMA, SVPER COMPOSITIONE ARCHIEPISCOPI NICOSIENSIS IN CYPRO ET SVFFRAGANEORVM EIVS, CVM GRAECIS EPISCOPIS.

Eodem tempore Pontifex Innocentius, ad nonnullas Græcorum & Latinorum in Regno Cypri controuersias componendas, Orthonem Cardin. Tusculanum, Legatum destinauit. De ritibus præcipue dimicabant, cum Græcanicos Latini, & ex aduerso Latinorum Græci suggillarent. Id cum Ioannes didicisset, Cardin. Legato, qui tolerari, vel non tolerari posset referipsit. Placuit diploma, propter Græcos & Ruthenos adscribere. Ita habet.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Tusculano Apostolicæ Sedis Legato.

Sub Catholicæ professione fidei atque cultu consistere, ac proficere vniuersos, cæteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operatiuum salutis præcipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hoc, inquam, vnio, siue connexio cordi nostro, inæstimabili gaudii rorem infunderet, si varias Gentium nationes eiusdem obseruantia Fidei in vnum acceptabilem populum in Christo adunarete. Id vtique anxie nostræ mentis ardorem affluentis latitiæ refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in vnum Catholicum gregem ouile collegit Dominus, cum multi ab eo discesserint, in idem indiuidum collegium vnius Pastoris solidaret Magisterium, & custodia communiret. Osi Orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad Catholicam reduceret vnitatem, vt cum reliquis Orthodoxis, in vnius aulæ collecti gremio, de Matris Ecclesiæ vbere fluenta doctrinæ salutaris haurirent: tunc ipsi Ecclesiæ proueniret magnum & desiderabile salutare: tunc eius vterus sobole geminata concresceret, tunc Orientalibus oriretur superna illuminationis aurora: tunc eis clarescret Lucifer veritatis: tunc per vniuersam Ecclesiam, inundantis gaudii erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia claresceret totus Orbis: quia valde bonum & iucundum existeret Fratres simul in domo Domini habitare, tunc eadem Ecclesia multiplicata lætitia, nouæ iucunditatis canticum personaret. Verum quia nonnulli Græcorum iam dudum ad deuotionem Sedis Apost. redeuntes ei reuerenter obediunt & intendunt, licet expedit, vt mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Romanæ Ecclesiæ obedientia præseruemus: quamquam in iis, quæ animarum periculum parerent, vel honestati Ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Sane inter Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosiensem, & eius Suffraganeos Latinos ex parte vna, & Episcopos Grę-

cos regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam & turbationem forte subortam, & eorundem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, vt melius possemus instrui super eis, plene ac prouide per tuas literas intimasti, sollicite requirendo, vt prouidere super hoc Apostolica diligentia curaremus. Nos autem literis ipsis affectuose receptis, earum seriem, & ipsos articulos ac responsiones easdem, & cætera quæ continebantur in illis, vna cum Fratribus nostris perlegimus, intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes & meditantes ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat. Circa hæc itaque fit deliberatio nostra resedit.

1. VT Græci eiusdem regni, in vnctionibus quæ circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant & obseruent.

2. Ritus vero seu consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel remoueri non potest, cum siue fiat, siue non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur.

3. Nec refert etiam, vtrum in frigida, vel calida aqua baptizent: cum parem vim & effectum in vtraque baptismum habere, asseuerare dicantur.

4. Soli autē Episcopi confignent Chrismate in frontibus baptizatos: quia huius vnctio non debet nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum sactum tribuisse leguntur.

5. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis, in die Cœnæ Domini possunt secundum formam Ecclesiæ Chrisma conficere, ex balsamo quidem, & oleo oliuarum. Nam Spiritus sancti donum in Chrismatis vnctione confertur, & columba vtique, quæ ipsum designat Spiritum, oliuæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius seruare voluerint, videlicet, quod Patriarcha vna cum Archiepiscopis, & Episcopis eius Suffraganeis, & Archiepiscopi cum Suffraganeis suis simul Chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur.

6. Nullis autem per sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ, vnctio aliqua solummodo iniungatur.

7. Infirmis vero iuxta verbum Iacobi Apostoli, vnctio exhibeatur extrema.

8. Porro in appositione aquæ, siue frigidæ, siue calidæ, vel tepidæ in altaris sacrificio suam, si velint, consuetudinem Græci sequantur: dummodo credant & asserant, quod seruata Canonis forma, conficiatur do vtraque.

9. Sed Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam, vsque ad annum, prætextu infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non reseruent: liceat tamen eis pro infirmis ipsis Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio conseruare: ne per diutinam ipsius reseruationem alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate seu volubilitate temporis euanescat.

10. In celebratione vero solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum à Domino expressam, & traditam obseruent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.

11. Sacerdotes autem dicant horas Canonicas more suo: sed Missam celebrare priusquam officium matutinale compleuerint, non præsumant.

12. Promouendi vero ad sacerdotium & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipue de horis Canonicis, & Missarum officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi: vt ad hæc nonnisi digni & idonei admittantur.

13. Cæterum vnusquisque Sacerdos, in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet: habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.

14. Mulieres autem seruire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio omnino repellantur.

15. De ieiunio vero diei Sabbathi Quadragesimali tempore, quanquam honestius & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, vt nec vnico die institutum ieiunium violarent, teneant & seruent pro libito morem suum.

16. Sacerdotes quoque coniugati, & alii, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite ac liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam iniungere pro peccatis: quia cui licet, vel conceditur quod est maius, competit nimirum, nec negari conuenit quod est minus.

17. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, viros alios idoneos coadiutores, & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum: ipsisque in his per eorum diœceses, absque sacerdotum ipsorum præiudicio & grauamine committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem diœceses officium suum exequi per seipsos.

18. De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum: cum, tam fornicarios, quam adulteros, à regno Dei Apostolus asserat alienos.

19. Ad hæc volumus & expresse præcipimus, quod Episcopi Græci, septem Ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant: cum huc vsque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus tolerentur.

20. Quia vero secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, vt nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac vlteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licite ad inuicem matrimonio iungi possunt.

21. Secundo tamen nubentes presbyteri, non benedicantur.

22. Et quoniam apud eos consueuerunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem octauo gradu, qui secundū computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur, ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus: districte præcipientes, vt cum in vlterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari vlterius non præsumant: statuturi in hoc generalis Concilii obseruantes. Illos tamen, qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensatiue permittimus in sic contracto matrimonio remanere.

23. Denique cum veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi, quasdam culpas in præsenti, quasdam vero in futuro posse sæculo relaxari: & Apostolus dicat, quod vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, & cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: & ipsi Græci vere ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui susceptā pœnitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragiis Ecclesiæ adiuuari: Nos, quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo & proprio nomine indicatum; illum quidem iuxta traditiones & auctoritates sanctorum Patrum, Purgatorium nominantes, volumus, quod de cætero apud illos isto nomine appelletur. Illo enim transitorio igne peccata vtique, non tamen criminalia seu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remissa, sed

paruæ

paruæ & minutæ purgantur: quæ post mortem etiam grauant, si in vita non fuerint relaxata.

24. Si quis autem absque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

25. Animæ vero paruulorum post baptismi lauacrum & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transuolant sempiternam.

26. Ordinationes demum, & instituta regularia sanctorum PP. de vita, & statu Monachorum præcipimus ab Abbatibus & Monachis Græcis inviolabiliter obseruari.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati regni seriatim, & diligenter exponi facias: districte ipsis iniungens, vt ea sollicite attendere, studiose tenere, ac efficaciter procurent, & à suis faciant subditis obseruari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi, & eius Suffraganeis Latinis firmiter auctoritate nostra præcipias, vt eosdem Græcos super præmissis contra huiusmodi prouisionem, & deliberationem nostram non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores eadem authoritate appellatione postposita compescendo: non obstantibus, si præfatis Archiepiscopo & Suffraganeis, vel quibuscunque aliis à Sede Apost. sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, plenam & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Laterani II. Nonas Martii, Pont. anno XI.

IESV CHRISTI
Annus 1254.

INNOCENTII PAP. IV. GVILLELMI BALDVINI II. Annus 12. Rom. Regis 7. Imp. Or. 26.

1. MANFREDVS REGNVM SICILIÆ OCCVPARE NITITVR.

COnrado tyranno à Guillelmo Rege Roman. ex Germania expulso, & in Italia à Manfredo versipelle veneno extincto, ipse Manfredus *a* Procurationem Regni Siculi in eo natus educatusque Regno, quod Bauaros, nomine pupilli Conradini superbe auareque regnaturos asseueret, petere à Proceribus Siculis, Apulis, Calabris, Lucanis, Picētinis, Brutiis, Campanis, non dubitauit. Cumq; in Regno tam nobili, tot Regionibus, tot vrbibus & continentiis, & in insula opulentissima, non eadem omnium voluntas esset, neque vnum consilium: quicquid vnquam siue pollicitationibus, siue armis poterat vsurpare, occupauit: cupiditateque Regni se manifeste flagrare aperuit. Non hæc latuere Innocentium Pontificem. Quamobrem inprimis Henricum Regem Angliæ, in auxilium contra Manfredum inuitauit. Cumque Carolus Regnum Siciliæ sibi oblatum hactenus recusasset, *b* misso Ottobone Fliſco sedis Apostolicæ in Angliam Legato, istud ipsum iuniori filio Henrici, Edmundo Comiti Lancastrino in feudum, certis pactis conditionibus concedere designauit: atque ad capiendam possessionem, certam diem ex condicto assignauit. Deinde *c* Manfredum Principem Tarentinum, Fridericum de Antiochia, & Marchionem Houmbergensem, qui infestis armis Regnum Siciliæ cis & vltra Pharum occupare nitebantur, ad Sedis Apostolicæ subsellia vocauit, cumque ad causam dicendam comparere, neque arma deponere voluissent, eos interim anathemate percussit, piorum cœtu interdixit, iure feudorum priuos fecit: atque Guillelmum Regem Rom. admonuit, vt tam ipse bona quæcumque refractariis in feudum concessa recuperaret, quam omnibus Principibus Imperii nomine Pontificio ediceret, vt si qui aliqua feuda illis ipsis contulissent, liberrime illa bona repeterent, atque iure proprio disponerent *d* Legatum etiam in Siciliam præmisit, atque vniuersis Siculis & Calabris, & præcipue Comiti Cathanen-

a Æmil. supra.

b epist. 133.

c Innoc. 4. epist. 41. dat. Anag. 2. Id. Sept. Pont. anno 12. & epist. 212.

d epist. 210. 132 & 183.

si Regni Siciliæ Marescallo atque Generali, nec non Messanensis ciuitatis Vicario & communitati, vt se subditos Ecclesiæ esse meminerint, neque alteri cupiam obedire præsumerent perscripsit. Cum autem vel maxime ea res eius Regni Sedis Romanæ beneficiarii visendas componendasque ex Gallia rediisset, Neapolim iam à ciuibus refectam, ipsorum Legatione inuitatus, cum valido præsidio profectus est. Vbi Manfredus ad suas artes se recipiens, Pontifici summa religione occurrit, seque in fide atque officio & authoritate Sacrosanctæ Sedis esse, permansurumque prædicauit, ac ita dexter omnes simulationis partes, obsequentiæque imitationem obiuit, vt qui antea, quod patris partes ex professo secutus fuisset, piorum cætu motus esset, hostisque Rom. Ecclesiæ atque Pontificum iudicatus, ne vllus honor communicari ei posset: tunc in summam gratiam Innocentii reciperetur, Principatusque Tarentini atque Grauinæ & Tricarici Comitatuum, insili à patre Frederico datum, à Pontifice illi confirmaretur, ratumque haberetur, nouisque insuper honoribus cumularetur, imminuta multis partibus Bauarorum authoritate. Magna tunc pietas benignitasque Innocentii enituit, cum & Manfredum grauissimis censuris dignissimum in gratiam receperit, *f* & in formula sacramenti fidelitatis, quod tunc Neapolitani & Siculi Romanæ Ecclesiæ, & filii, tanquam legitimo eorum hæredi præstabant vt adiicerent, permiserit: *Conradini pueri iure saluo, si quod haberet.* Tandem ætate & ærumnis confectus, ad VII. Idus Decemb. ex hac vita decessit, cum Ecclesiam sanctitate & doctrina ornasset, & multa cum prudentia atque constantia administrasset. Eius authoritate *g* magnus numerus Prædicatorum ad infidelium conuersionem destinatus, multas barbarorum Prouincias peragrauit, in quibus nulla adhuc Christi notitia, nullum lumen erat, idque eo fructu vt ita scriptum sit, iniri non posse numerum animarum ad rectam fidem per eos traductarum, præsertim vero in Cumanorum genre: vnde Benedictus, qui cæteris præerat Fratribus, ad Generalem Magistrum scribens (quæ adhuc extant literæ) hoc narrat multa hominum millia non solum ex plebe, sed etiā ex prima nobilitate baptismum suscepisse. Is porro Innocentius Papa, cum ex aliis Ordinibus, tum potissimum ex Dominicano, tam multos & tam crebro ad Episcopatus administrandos educere solebat, vt omnes mirarentur. Quod etsi erat ordini ipsi, sine dubio perhonorificum, plerique tamen ex ea familia grauissime ac molestissime ferebant, ob multas causas, & ob eam præsertim, quod se præcipuis quibusque, & maxime insignibus patribus orbari videbant. Quamobrem cum Generalis eorum Magister Ioannes Teuto suam hanc, aliorumque querelam Pontifici exposuisset, multumque eum orasset, vt deinceps suos in ea quam professi essent humilitate relinqueret, respondit Pontifex ex illa Domini sententia: non esse lucernam occultandam, sed in publico proponendam vt domum totam illuminet: Itemque seruum, qui talentum abdiderat, esse à Domino damnatum. Accidit autem, vt cum is nescio quibus causis esset in eundem ordinem & Franciscanos, nulla eorum culpa incitatus, & quibusdam etiam edictis eorum priuilegia ac facultates impedisset: ii quidem ad cœleste auxilium implorandum, inter alias preces, litanias etiam quotidianas indixerint, quæ dum Romæ à Fratribus Dominicanis in Ecclesia recitarentur, vni ex ipsis contigit, vt ipsam virginem videret super altari stantem vna cum Filio: ita vt ipso vultu eius familiæ mœrorem, ac lachrymas, quas vberius fundebant, miserari videretur, & ad Filium conuersa hæc verba, vt in Litaniis solet, iterare: *Fili exaudi eos.* Nec multo post ipsum etiam Innocentium ferunt, morte iam imminente, grauiter pœnituisse, illaque verba ex Psalmo protulisse: Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut aranea animam eius: statimque ex hac vita migrasse, tum denique in prouerbium aulæ Palatinæ abiisse: A Litaniis Prædicatorum, libera nos Domine.

Antequam in viuis esse desineret Innocentius, hoc anno vt puritatem fidei ab hæreticis incontaminatam conseruaret, Priori Prouinciali Ord. Præd. in Lombardia dat. Assisii 2. Calend. Iun. literis præcepit, vt Inquisitores fidem Catholicam prædicent, ac per alios faciant prædicari: vt

Cru-

e lib. 1. cap. 34.

f EFFICACIA LITANIARVM PRÆD.

g Platina lib. 2. cap 30. & 29.

II. DVABVS DECRETALIBVS PVRITATEM FIDEI SERVAT INNOCENT. IV. AB HÆRETICIS INTACTAM.

Crucesignatos, qui hæreticos persequantur, recipiant, eisque indulgentiam plenariam à sede Apostolica propterea concessam esse renuncient: vt audientibus suas de fide conciones viginti vel quadraginta dierum indulgentias concedant: vtque Magistratus sæculares, ad Friderici olim Imperatoris leges contra hæreticos latas, seruandas, appellatione remota per censuras compellerent, iniunxit. Cæterum, vt melius scirent, in quos seueritatem Ecclesiasticam exercerent, & quibus limitibus eorum potestas atque iurisdictio contineretur, duas inferius insertas, euulgauit decretales, quarum prima ita habet.

PRIOR DECRETALIS.

Innocentius IV. seruus seruorum DEI, vniuersis Christi fidelibus.

Nouerit vniuersitas vestra, quod Nos ad instar fe. rec. Gregor. Papæ prædecessoris nostri excommunicamus, & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosephinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas adinuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati vero per Ecclesiam sæculari iudicio relinquantur animaduersione debita puniendi; clericis prius à suis Ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendum condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos iudicamus. Item receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere: firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, à sua super hoc non curauerit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti habeat factionem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur, & in similibus idem præcipimus obseruari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animaduersione debita puniendi. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes, aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur. Item Iudices, Aduocati, & Notarii nulli eorum officium suum impendant; alioquin eodem officio perpetuo sint priuati. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas, aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarii, aut Templarii: ac quilibet regulares, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolic. speciali. Item quicumque tales præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuique laicæ personæ liceat publice vel priuatim de fide Catholica disputare; qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium, vita & moribus dissidentes, eos pudeat indicare confessori suo, vel alii, qui quem credat ad prælati sui, & Inquisitorum hæreticæ prauitatis notitiam peruenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Hæretici autem & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos, & quoscunque viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & quæcunque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc priuamus taliter acquisitis: Volentes, vt tales, & habitis perpetuo careant, & ad alia vel similia nequaquam imposterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem, nullius momenti esse volumus, quorum Parentes post emancipationem huiusmodi ad inuicem superstitionis hæreticæ à via declinasse constiterit veritatis. Datum Anagniæ XVII. Cal. Iulii Pontif. anno XI.

III.

Porro vt iidem Inquisitores, crucis verbum contra hæreticos & eorum complices ardenter prædicent, eos qui Crucesignari voluerint recipiant: contra hæreticos eorumque complices, & fautores procedant: Crucesignatos à censuris Ecclesiasticis absoluant: eorum vota commutent: cumque Clericis Crucesignatis super irregularitate dispensent, atque tum hos, tum illos, tempore interdicti generalis ad diuina officia admittant, priuilegium donauit, quod sequitur.

POSTERIOR DECRETALIS. *epist. 37. & 42.*

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus Ordin. Prædicat. Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, præsentibus & futuris in Lombardia & Marchia, Ianuensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Malitia huius temporis in diuersis mundi partibus, & maxime in Prouincia Lombardiæ, peruersorum morum peperit corruptelam, ex quibus lethifera pestis hæreticæ prauitatis abundantius solito noscitur pullulasse. Ad extirpationem igitur eiusdem pestis, iuxta officii nostri debitum ex animo intendentes, volumus aduersus huiusmodi iniquitatis operarios, qui massam Catholicæ puritatis fermento propriæ contagionis inficiunt, fideles vt consurgant, flentque nobiscum pro Euangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis, salubribus adhortationibus incitari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta, districte præcipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in locis vbi contra hæreticos, vobis inquisitionis officium commissum est, curetis singuli opportuna instantia, contra eosdem hæreticos, eorumque fautores proponere populis publice verbum crucis: & eos qui tacti zelo fidei, ad extirpandam prauitatem eandem, votum assumpserint, Crucis charactere consignare. Vt autem vobis de prædicatione huiusmodi, & fidelibus qui eiusdem Crucis ob hoc votum assumpserint, copiosæ mercedis præmium afferatur: vobis & eisdem fidelibus illam indulgentiam, illudque priuilegium elargimur, quæ transeuntibus in Terræ sanctæ subsidium, in Generali Concilio conceduntur. Cum autem huiusmodi Crucis verbum per vos proponi cōtigerit, relaxandi omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad audiendum verbum ipsum deuote affuerunt, Quadraginta vel viginti dies de iniunctis pœnitentiis libera sit vobis & singulis vestrum de nostra concessione facultas. Quod si forte, quod non credimus, aliqua ciuitas, communitas, vel persona cuiuscumque conditionis, vel gradus huic tam salubri negotio se opponere, seu illud præsumpserit aliquatenus impedire, vt per vos, vel per alios auctoritate nostra ad hoc deputatos, vel in posterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem: imo si quicumque requisiti illud fouere neglexerint, & iuxta officium & posse suum studiose iuuare: contra eos, tamquam defensores & fautores hæreticorum, sublato appellationis obstaculo, vos vel vestrum singuli auctoritate nostra intrepide procedatis. Contra quos, prout audacia ipsorum exegerit, Reges & Principes Christianos, necnon Crucesignatos pro Terræ sanctæ succursu, curabimus inuocare: cum non minus expediat, imo magis, fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare. Porro vt non solum inquisitionis vobis super hæretica prauitate commissæ, sed & huiusmodi prædicationis Crucis officium in manibus vestris, congruis fauoribus adiuuetur, absoluendi iuxta formam Ecclesiæ, omnes qui contra prauitatem hæreticam assumpserint signum Crucis, ab interdicti, suspensionis & excommunicationum sententiis canonis, & præsertim ab illis quas pro incendiis, vel effractionibus Ecclesiarum, seu iniectione manuum violenta in personas Ecclesiasticas incurrerunt: & aliis quoque sententiis à nobis vel auctoritate nostra generaliter promulgatis, nisi adeo grauis & enormis excessus fuerit personarum, quod ab his oporteat absolutionis beneficium per sedem Apostolicam obtineri: nec non & ab illis sententiis, quas adhærendo & fauendo contra Ecclesiam, quondam Friderico, se tum pro Imperatore gerenti, seu Conrado nato eius, vel ipsorum fautoribus incurrerunt: Ezelino de Romanis, Vberto Marchione Pelauicino, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectoribusque ciuitatum atque locorum, similibusque personis, qui in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, sæua exercuisse noscuntur, aut eorum bona nequiter occupasse, duntaxat exceptis. Dummodo assumpto Crucis signaculo, votum huiusmodi, qui absoluti fuerint, efficaciter prosequantur; & ipsi caueant, quod de cætero contra Ecclesiam nunquam erunt: & tam ab ipsis, quam ab aliis præmissis, plena de damnis & iniuriis, propter quæ excommunicati noscuntur, satisfactio, vel satisfaciendi sufficiens securitas impendatur. Nec non & dispensandi cum clericis, super irregularitatibus, quas

celebran-

celebrando diuina ligati sententiis Canonis, contraxerunt. Commutandi quoque vota eorundem Crucesignatorum vouentium, & votorum qualitate pensata: Terræ sanctæ vobis, aliisque perpetuis, quæ commutationis non admittunt remedium, duntaxat exceptis. Concedendi quoque Crucesignatis iisdem, quod tempore generalis interdicti, possint interesse diuinis officiis, & Ecclesiastica sacramenta recipere, in locis in quibus eadem ex indulto Sedis Apostolicæ celebrantur, dummodo, si in præmissis casibus Ecclesiasticis tenentur ligati sententiis, prius beneficium absolutionis assequantur, vobis & singulis vestrum auctoritate præsentium concedimus facultatem. Dat. Anagniæ, 13. Calendas Iulii. Pontificatus nostri anno XI. Et quidem supra scripta, pro negotio propagandæ & expurgandæ orthodoxæ fidei Innocentius edixerat.

IV. SVMMARIVM GESTORVM INNOC. QVARTI HOC ANNO.

1. epist. 212. & 20. — 2. epist. 540. Lat. 2. Cal. April. — 3. epist. 10. & 4. & 12.

Præter hæc autem alia complurima curauit. 1. Guillelmum Regem Romanorum misso ad eum Legato à Latere, vt Regnum Siculum, & hæreditaria alia bona Ecclesiæ tueretur, seque ad Imperii Diadema suscipiendum disponeret, hortatus est. 2. Mariæ Ottonis Imperatoris relictæ, Ducis Brabantiæ Materteræ, vt de bonis, quæ in Hollandia & Zelandia possederat, permissu Guillelmi Romanorum Regis testari posset, dummodo primi anni fructus in exsoluendo ære alieno essent atque computarentur, ad eiusdem Regis Romanorum & relictæ Ottonis postulationem, concessit. 3. Periclitantibus in Oriente omnibus Latinis vnaque simul cum Imperatore Balduino quasi in extremum discrimen adductis subuenire cupiens, piam Crucis militiam in eorum subsidium indixit: vtque ea, quæ pii in illud bellum erogarent, Patriarcha Constantinopolitanus colligeret, illi ipsi præcepit: eidemque vt omnes, qui ferrum & ligna & alia iure interdicta, ad Saracenos detulissent, eaque propter Anathemate percussi essent, exsolueret, indulsit.

4. epist. 20. 29. — 5. epist. 570. — 6. epist. 1. — 7. epist. 15. & 448. — 8. epist. 360. & 141. — 9. epist. 20. & 584. — 10. epist. 170. — 11. epist. 134. — 12. epist. 624. — 13. epist. 121. & 70. — 14. epist. 405. & 705. Neap. 8. Cal. Octob. — 15. epist. 35. — 16. epist. 217. — 17. epist. 640. — 18. epist. 10. Anag. Cal. Iul. — 19. epist. 115.

4. Fratres Prædicatorum ad propagandam fidem Christianam ad Saladinum Thraciæ misit, eosdemque illi ipsi Principi, & Prælatis Georgiæ, vt eos benigne haberent, & veritatem orthodoxam amplecterentur, commendauit. 5. Nuncium, ad Reges Boemiæ & Hungariæ, inter se dimicantes, vt eos ad concordiam impelleret, destinauit, eosque ad pacem mutuam reducere conatus est. 6. Proficiscentibus quibuscunque Religiosis ad Saracenorum & Paganorum conuersionem, ingentia Priuilegia concessit. 7. Fratribus Eremitanis in Tuscia dispersis, & habitum, quem induerentur, & sancti Augustini Regulam quam profiterentur, assignauit, eorumque Religionem instar aliarum approbauit. 8. Pro libertate Ecclesiastica in Galliarum & Angliæ Regni Prouinciis multa sanxit, & plurima redarguit, atque castigauit. 9. Legatum in Alemaniam pro negotiis Imperii & Ecclesiæ, misit, eidemque vt Maguntinum Archiepiscopum diris deuotum, absoluere, & ad Regem Boemorum inaugurandum dignum facere posset, commisit. 10. Episcopo Nurembergensi vt in Lithuaniæ Prouincia, Cathedralis Ecclesiæ sedem, in gratiam Mendegonis Regis recens conuersi designaret, iniunxit. 11. Legatum in Lombardiam, pro conciliandis dissociatis ciuitatibus, proque iuribus & bonis Ecclesiæ tuendis & administrandis, delegauit. 12. Ezelini Tyranni bona Alberico eius Fratri assignauit. 13. Regi Danorum Abeli vt ab Ecclesiis opprimendis abstineret, præcepit: Inquisitionemque vitæ & miraculorum Beati Nicolai filii Canuti Regis Daniæ aliquibus permisit. 14. Regem Nauarræorum Theobaldum, multis priuilegiis & beneficiis Ecclesiasticis ornauit, vtque in quarto gradu aliquam propinquam in Matrimonium desumeret, dispensauit. 15. Ad Regem Portugalliæ, Nuncium Fr. Velascum Ordin. Min. Apostolicum pœnitentiarium, quo cum de rebus secretis, quæ literis credi non poterant, conferret, dimisit. 16. Regem Aragonum in tutelam Sedis Apostolicæ recepit: vtque eum ab iniuriis Ecclesiasticorum quorumcunque, Archiepiscopus Narbonensis & Episcopus Barcinonensis vindicarent, iis ipsis mandauit. 17. In gratiam Castellæ & Legionum Regis, Clericis Exercitum eius contra Mauros sequentibus, vt in quinque annos proximos, fructus beneficiorum suorum reciperent, condonauit. 18. Alphonso Pictauiæ & Prouinciæ Comiti, priuilegia Crucesignatis aliis siue imminuta, siue abrogata confirmauit. 19. Salomeæ Lesci Abbi, Sandomiriæ & Cracouiæ Ducis filiæ, Ordinis Sancti Damiani Vestali, vt à Boleslao Duce fratre bona quædam in vsum concessa, tantisper donec ille viueret, retinere posset, concessit, eamque tutelæ Episcopi Cracouiensis commendauit.

20. epist. 160. — 21. epist. 495. & 502. — 22. epist. 148.

20. Archiepiscopo Viennensi, vt ex sua Prouincia Iudæos expelleret, indixit. 21. Discordias Græcorum & Latinorum, Cypriorum auctoritate sua diremit: quæstionesque inter eos de baptismate, Chrismate, Eucharistia, & aliis vertentes definiuit, quidque in singulis siue credendum, siue agendum esset, Legato ad Cyprios misso præscripsit. 22. Ne Episcopatus, in Commendam, quemadmodum vocant, concederentur, aut obtinerentur, saluberrime constituit, multaque alia præclara gessit. Sepulto illi Neapoli in Basilica Diui Laurentii, istud Cænotaphium rudi versu inscriptum fuit. Anno Domini 1315.

SEPVLTVRA ET EPITAPHIVM INNOC. IV. *Ambr. Summon. in hist. Neap. p. 2.*

Hic superis dignus, requiescit Papa benignus,
Lætus de Flisco, sepultus tempore prisco.
Vir sacer & rectus, sancto velamine tectus,
Vt iam collapso mundo temeraria passo
Sancta ministrari, vrbs posset rectificari.
Consilium fecit, veteraque iura refecit,
Heresis illisa tunc extitit, atque recisa
Mœnia direxit, rite sibi credita rexit:
Strauit inimicum Christi colubrum Federicum
Ianua de nato, gaude sic glorificato
Laudibus immensis vrbs tu quoque Parthenopensis
Pulchra decora satis dedit hic tibi plurima gratis,
Hoc titulauit ita Vmbertus Metropolita.

PRIMVS INTER PONT. CARD. PVRPVREO GALERO DONAVIT.

Annibal Capuanus Archiepiscopus nostro tempore, hoc ei elogium elegantius inscribendum, insculpendumque curauit. Innocentio IV. Pont. Max. de omni Christiana Republ. optime merito. Qui natali S. Ioannis Baptistæ Anno M.CCXLIII. Pontif. renunciatus, die Apostolorum Principi sacra coronatus: cum purpureo primus Pileo Card. exornasset, Neapolim à Conrado euersam S. P. restituendam curasset, innumerisque aliis præclare, & prope diuine gestis Pontificatum suum quam maxime illustrem reddidisset, Anno M. CC. LIV. decessit.

Annibal de Capua Archiepiscopus Neopolitanus in sanctissimi viri memoriam abolitum vetustate epigramma R.

V. PRODIGIA.

Terræ motus, eius mortis, & futurorum Italiæ motuum prænuncius, ad diem 26. Nouembris Italiam perterruit: Infans quoque triceps per id tempus enatus, citoque extinctus est.

VI. ELIGITVR A CARDINALIBVS 14. ALEXANDER QVARTVS.

Iustis Innocentio Quarto persolutis, Quatuordecim Cardinales Neapoli sacrum conclaue ingressi, ad XI. Calend. Ianuarii, scilicet decimoquinto post Innocentii mortem die, Raynaldum ex Comitibus Signiæ, Philippo Anagnino Patre natum, ex Ostiensi atque Veliterno Episcopo Cardinali, Summum Pontificem elegerunt, & Alexandri nomine salutatum, ipso die sacro Natiuitatis Dominicæ inaugurarant: Virum sane doctrina, eruditione, & sanctitate insignem: ac propterea dignum ab omnibus iudicatum, qui tantum magistratum acciperet. Erat quod Patres electionem maturarent. Manfredus enim statim atque intellexit Innocentium afflicta valetudine laborare, ne morte quidem Pontificis expectata, Saracenos, Nucerinos exciuerat, Pontificisque copias nihil tale exspectantes, (nam astu Innocentio persuaserat, vt exercitum in hyberna diuideret: quasi, ne Neapolitanis grauis miles esset) ac in hyberna Fogiam deductas adortus, armis, telis, equis, tormentis, comeatu, impedimentisque omnibus exuit: atque Neapolitanos primum, deinde reliquos, ad deditionem solicitauit. Cum itaque mortuo Innocentio, tum sibi, tum vrbi, tum Regno vtrique Cardinales metuerent, assumptionem maturarunt, & Alexandrum Ecclesiæ periclitanti præfecerunt. Is porro mox atque sedem Pontificiam conscendit, inprimis ex more assumptionis suæ omnes per literas admonuit, orationesque omnium, sed præcipue Fratrum Ordinis Prædicatorum quibus impensius fauebat, pro felici administratione Pontificatus, postulauit. *Iuuenat. in Annal.* Deinde Manfredum, misso ad eum Fulginate Episcopo, vt fidem Ecclesiæ Romanæ iuramento pactam seruaret, ad obedientiam Sedis Apostolicæ

rediret

rediret, & quæ mortuo Innocentio rapuerat, restitueret, atque de illatis damnis tum veniam precaretur, tum vero satisdaret hortatus est. Manfredus vero nihil minus quam obedientiam Pontifici, cogitans, sed ad regnorum occupationem totus aspirans, contumeliis & insolentiæ plenam, hinc ad socios latrocinii scripsit. Nec quicquam Pontifici monenti obtemperauit. Titulus eius ita inscriptus est. Manfredus significat quibusdam Baronibus victoriam habitam contra legatum, & exercitum Papalem.

Exultet iam vniuersa turba fidelium, exultet totum collegium subditorum, exultet inter cæteros animus noster, & pro tanta victoria Principes præcipue gaudeatis, nouit enim mundus, nec à vestra notitia peregrinum, quanta supplicationis instantia, quanta subiectionis reuerentia, iam pridem rogauimus summum Pontificem, & Dominum & sanctissimum patrem nostrum, qui contra nos alia occasione potius, quam ex causa de morte Burrelli de Anglona, in qua inculpabiles fuimus, neque conscii, nouit Dominus ad indignationem nostram; sua gratia nos priuauit, apud quem nullam poteramus gratiam, & misericordiam inuenire: velut qui non ex prædicta causa solummodo mouebatur, sed cum liberi Regni dominium sitiebat suffocare, credebat iuxta Regnum, euellere totam progeniem patris nostri. De sua itaque beneuolentia merito dubitantes, ab eo recessimus: & collecto apud Luccrinam exercitu impotenti, vbi Legatus & Papalis exercitus apud Fogiam & Troiam existentes, conati sunt nos multoties impugnare, dum die Mercurii præsentis mensis Decembris, cum quadam parte gentis nostræ, & non cum tota potestate nostra nos contingeret equitare, & in succursum quorundam ex nostris, qui prope Troiam in insidiis latitabant: & eorum mora fuerat ad prædictorum hostium notitiam deuoluta: Ecce sicut Domino placuit, euentu fortuito, vel potius Dei nutu, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, qui deponit potentes de sede, & ponit humiles in sublimi: quasdam inimicæ gentis acies milites nostri viderunt, & statim gradientes protinus ad certamen, sicut Leones ad prædam, aduersarios terga dantes versus Fogiam sequebantur. Nos vero trahentes nostrum exercitum post eosdem, quos relinquere nolebamus, & in campestri conflictu duro dureque arma nostrorum cum armis hostium decertare ex nostrorum lanceis, & gladiis gladios sunt experti: applicantibus nobis videntibus prædictum statum, definitiua sententia lata fuit, tum fractis hostibus, gladio peremptis innumeris, & pluribus captiuatis, ferro aperuimus ciuitatem, & introiuimus violenter. Ibi fuit terribilis strages hominum, & cædes rebellium aspera subsecuta: quorum omnium fuerat Capitaneus Odo Marchio de Hemburg, ac totus noster exercitus eorum spoliis est ditatus, sequenti vero die, cum ad conterendas reliquias hostium, qui apud Troiam remanserant cum Legato, cum magna potestate procedere crederemus, ecce rumor nobis innotuit, quod idem Legatus & alii, relictis omnibus suis, disturbatis turpiter à Troianis se per fugæ subsidium turpiter absentarunt. Hocque Deo dante ad honorem & gloriam illius & non nobis liberauimus patriam, & à iugo soluimus inuasorum. Vos igitur ex his in fide Regia confirmati, mentem & animum roborate, firmiter speraturi, quod totum Regnum in breui dante domino reducemus ad fidem Regiam, ac statum prosperum & tranquillum. Ad eum modum Spurius Castris Ecclesiæ improperabat, cum fraude & dolo simplices & incautos oppressisset. Dedit occasionem diuerbii, quod tum temporis de eo vulgabatur: Manfredus vna collimatione & Scopum, & socium icit, & vicit, cum decepto & ægrotante Innocentio Legatum Ecclesiæ ac exercitum hac illac dispersum vicit.

VII. ORDO CARTHVSIENS. ORITVR ET ESV CARNIVM SIBI IN PERPETVVM RENVNCIAT, RATIONE CVIVSDAM PARISIENSIS DOCTORIS ACCVSATI, IVDICATI, DAMNATI. *Platus lib. 1. c.22. & lib. 1. c. 34.*

Hoc anno Carthusiensium Ordo in perpetuum esui carnium renunciauit. Ortum habuit is Ordo à mirando quodam contingente. Cum enim mortuus esset Parisiensis quidam Iurisperitus, homo doctissimus, & vere etiam hominum opinione optimus, atque in frequenti corona, quæ ad eius exequias conuenerat, ternis deinceps diebus, primum se accusatum, deinde iudicatum, tertio etiam damnatum pronunciasset: Bruno ipse quoque insignis in eadem Academia Doctor, territus, & ad suos discipulos conuersus: Quis ergo, inquit, potest saluus fieri, nisi fugiat mundum! Itaque cum sex sociis in Gratianopolitana eremo, quam fugiendo mundo aptissimam iudicauerat, consedit, quorum quidem consilium Deo gratum esse, Vgoni eius diœcesis Episcopo, demonstratum est, qui per quietem videre visus est, Dei maiestatem in eremum illam descendere, seque ei dignum palatium extruere: deinde septem etiam stellas mirifici splendoris in coronæ modum paulatim à terra sese attollere, aliis longe dissimiles, specie, situ, & motu. Memoriæ proditum est, eam familiam, cum adhuc recens & tenera esset, in Gratianopolitana diæcesi vbi nata est & alita, cum multa, vt fit, instigante Dæmone, aduersus illud institutum vbique iactarentur, absente præsertim Brunone Fundatore, quem Vrbani II. Imperium Romæ retinebat, pusillum illum gregem magna tempestate iactatum esse. Itaque cum ex vna parte vitæ austeritas, loci horror, & vastitas, ipsamet insuper paucitas molesta & odiosa, ex altera interior Dei spiritus stellæ duces, Iuris illius consulti Parisiensis tam dirus exitus, alternantes in eorum animis cogitationes efficerent, aiunt, constitisse inter eos virum quendam senio venerabilem, caluo capite, capillo crispo, qui Omnipotentis DEI nomine polliceretur, Sacratissimam DEI Matrem ipsos in loco illo deserto semper conseruaturam, eisque Aduocatam & custodem futuram, si in eius honorem horarias preces quotidie persoluerent. Quibus dictis cum euanuisset, remansit tamen in omnium mentibus noua lux quædam spei, gaudiique ingentis: nihilque addubitantes, quin Senex ille esset Apostolus Petrus, statim Communi consensu illam Dei, & fidelium omnium parentem sibi Patronam delegerunt, quæ quidem quam fideliter promissa præstiterit, etiam nullo monente res ipsa declarat. Nam ab illo tempore ita semper solitudinem illam tenuerunt, vt etiam magnopere illustrarint, ipsiq; & numero & nomine magnopere aucti, ad eam perfectionem euaserint, vt etiam hoc anno carnium esu æternum sibi interdixerint.

VIII. MENDOCVS LITHVANORVM PRIMVS EX CHRISTIANO PAGANVS, MASSOVIAM ET CRVCESIGNATOS EXHAVRIT. *Cromer. lib. 9. Vita S. Hyacinthi M. S. Pro Canonizatione.*

Eodem anno Mendocus quem Innocentius Pontifex Regem Lithuanorum renunciauerat, abiecta Religione Christiana, quam simulate ad tempus susceperat, infestior indies Christianis vicinis erat, coactoque è suis Lithuanis pariterque Prussis idem sentientibus valido exercitu, in quo triginta millia armatorum censebantur, Masouiam omnem crudelissime vastauit, pagos & oppida quamplurima, & caput gentis Plocẽsem arcem defensoribus vacuam, incendit: & ingenti hominum, pecudum, & iumentorum præda domum remissa, Crucigerorum ditionem eodem furore inuasit, eaque peragrata & exusta, homines quidem captos immanitate barbarica trucidauit, cæteram vero prædam, permagnam abegit. Crucigeri non ausi obuiam tantæ multitudini prodire, munitionibus tunc sese continuere. Eiecit tunc temporis Mendegonus Beatum Vitum Ordinis Prædicatorum, primum Lithuanorum Episcopum: qui Cracouiam propere veniens, Cœnobium sanctissimæ Trinitatis, viuens & vita functus miraculis illustrauit. Vnum eos aliquando cum Diuo Hyacintho reconditorium habuit repositos, ex quo Beatus Zegocius odorem suauissimum persensit. Narrant, quod cum is adhuc secularibus curis & mundanæ conuersationis inuolucro, licet de cleri numero censeretur, esset detentus, quadam die deuotionis causa ad sepulchrum Diuorum exosculandũ accessérat. Et dum nihil minus, quam Religionis Prædicatoriæ ingressum volueret in animo, ex Mausoleo illorum, miram odoris suauissimi fragrantiam redolere, non sine maxima voluptate percepit. Expertus est tunc & internam quandam Diuini spiritus energiam, qua ad valedicendum rebus perituris pelliciebatur, & virtutis inuisæ efficacia impellebatur Annuit ille monitioni supernæ, deditque manus Ordini in eodem Cœnobio Cracouiensi SS. Trinitatis, in quo sæpius consors & compos cœlestium deliciarum, & sanctissimam vitam ducens, laudis & gloriæ summum præmium tulit. Non semel, eandem odoris suaueolentiam illibatis istorum Sanctorum corporibus se sensisse, eademque toties recreatum fuisse, adiecto humili iuramento, pro eorum non sua gloria astruenda, confitebatur. Quod Miracula Beati Viti attinet, placet vnum aut alterum recensere. Anno Dominicæ incarnationis 1277. filia Illustrissimi Sulconis Castellani Cracouiensis ope Medicorum destituta, animam spirituinque vltimum agens, Patre illius vota Sancto Hyacintho, & Beato Vito pro ea fundente, statim sanitati restituta fuit, atque pro testimonio miraculi voce sonora in laudes Dei & Sanctorum effusa, aiebat: Gratias ago Domino Deo meo, & sanctis eius Hyacintho & Vito confessoribus, quia eorum meritis à mea infirmitate mortisque periculo sum liberata. Vislaus quoque Nobilis ex acutissima febre ad

extrema deductus, anno 1280. Cum Diuorum Hyacinthi & Viti patrocinium implorasset, illos in admirando decore aspexit: Alterum quidem Pontificali amictu fulgentem, atque Alterum Religioso Prædicatorum. Dicebant autem illi, Vislae fili, In nomine Domini nostri IESV CHRISTI, curamus te ab infirmitate quam pateris. Surge, & cum Matre tua, ad nostrum sepulchrum vota pro te facta completurus, perge. Dobroslauæ etiam Thomæ Comitis Brezienfis vxori, diuturno pedum cruciatu ex podagra afflictæ, vna cum Diuo Hyacintho simili specie apparuit, anno Domini 1289. in die Sancti Bernardi: eamque in pedes sanam & incolumem erexit.

IX. OBITVS B. VIGOROSI PRÆD. *Leand. lib. 5.*

Hoc ipso anno 1254. ad cœlum transiuit B. Vigorosus Gallus eiusdem Ordinis Prædicatorum, magnæ sanctitatis, & ingentium pro animarum salute laborum. Ægrotanti, cum Prior extremam Peccatorum absolutionem impendisset, ille tamen indulgentiam eorundem ab orbis Redemptore postulasset, apparuit illi semel & secundo Saluator, dixitque: ego te ab omnibus tuis peccatis absoluo, Angelosque in ministerium tibi deputo, qui tibi obsequantur, teque ad vitam meliorem traducant.

Eodem quoque anno, post maximæ pœnitentiæ in religione Prædicatorum, quam patrato facinore ingressus fuerat, argumenta, ad gaudium Angelorum intrauit B. Carinus Mediolanensis, is qui D. Petrum Inquisitorem precio corruptus iugulauit. Ab obitu multis miraculis claruisse illum aiunt: propter quæ è priore sepultura erutus, & in quodam altari conditus requiescit, magno apud Foroiulienses honore.

X. OBITVS FR. S. HELIÆ FR. GEND. MINISTRI. *Ant. 3. p. lib. 24. c. 9.*

Per idem etiam temporis, Cortonæ, obiit Fr. Helias olim quintus Generalis Minister Ordinis D. Francisci. Mirandum est quod de eo scribunt eius religionis Historiographi. Cum in comitatu D. Francisci superstitis esset, non poterat eum sanctus alloqui, aut saltem benignius aspicere. Qua ex re cum Helias vehementissime angeretur, & à Francisco causam auersi vultus sciscitaretur: Franciscus id quod ex reuelatione didicerit; damnandum fore, & extra ordinem illi obeundum renunciauit. Perculsus Helias ea renunciatione, Francisco supplex fuit, vt pro se apud Dominum intercederet, ne ouicula sua à lupis infernalibus deuoraretur. Scio, aiebat, quia Deus nouit mutare sententiam, si peccator mutet vitam: Ora itaque pro me Pater: Quia nihil dubito, quod Dominus comminatoriam reuocabit, & ego mores in melius mutabo. Postulauit Franciscus, Deus sententiam in parte commutauit: neque damnãdum Heliam amplius, reuelauit: extra tamen ordinem moriturum promulgauit: quemadmodum rei euentus comprobauit. Nam ab Innocentio Pontifice, eo quod Friderico Imperatori adhæsisset, anathemate percussus, & habitu Ordinis exutus, Cortonæ multis cum lachrymis pœnitentia peracta expirauit.

XI. S. VIRGO ROSA CLARET MIRACVLIS ET MORITVR.

Viterbii in Italia, ad æternitatem discessit S. Rosa Virgo. Ea indidem nata, cum adolescens conciones in sacra æde Fratrum Minorum frequens audiret, sic mundi spretis illecebris Christo adhærere cæpit, vt corpus suum vigiliis, ieiuniis, ac verberibus etiam affligeret, cibumque sibi subtractum pauperibus præberet. Cum difficilem morbum incidisset, morti propinqua, apertis oculis, cæpit de iis quæ in altera vita fiunt, coram adstantibus, ita ac si ea vidisset disserere: Sorores, quæ multo ante ipsius ortum obierant, propriis nominibus compellans. Quo tempore sanctissima Dei Genitrix illi apparens, vt habitum Fratrum Minorum induta, Deo in domo paterna deseruiret, hortata est. Ex qua visione subito sanata, cœlestibus monitis paruit, officia pietatis maiore animi ardore indies exercens. Cum eam iterum B. Virgo in visu alloqueretur, Domini nostri Iesu Christi speciem, non sine maxima doloris acerbitate & compassionis aculeo aspexit. Circa id tempus vrbs ab iis, qui Friderici II. Imperatoris in Concil. Lugdunen. abdicati partes sequebantur, diuexabatur: quos illa liberrime increpans, manifestis rationibus conuincebat. Quapropter ab vrbis præfecto factiosorum persuasione Rosa cum tota eius cognatione eiecta, difficillimo hyemis tempore Sorianum venit: vbi Angelica visione recreata vrbis liberationem prædixit: quæ breui mortuo Imperatore secuta est. Inde in vicinum Orchianum profecta, ibi cæco à natiuitate visum restituit. Viterbium reuersa, cum veluti rosa inter spinas splendesceret, demum pridie Non. Sept. migrauit ad sponsum. *Ex eius vita Viterbii impressa.*

XII. IN HONORANTES PARENTES CITO RAPIVNTVR.

Hoc anno Ioannes Auenen. Comes Flandriæ ex animi mœrore defunctus, confirmauit raro longæuos esse parentibus iniuriosos. Is ope ac opera Guillelmi Regis Romanorum, sui soceri, adiutus, pertæsus longam vitam Margarithæ Comitissæ Flandriæ, Matris prælio facto ei multum incommodauerat. Margarita porro Ludouici Regis Galliarum auxilio totam occuparat Hannoniam. Sed dum eam prouinciam, vt Gallo restitueret belli sumptus, tributis exhauriret, parum abfuerat à suorum subditorum rebellione. Interim dum Guillelmus nullo iusto precio vellet reddere matri filios captiuos, in Frisiam profectus, interiit deuictus: Ioannes autem tabescentibus fibris extinctus dedit exemplum reliquis, vt honore prosequantur parentes, si volunt esse longæuiores super terram. *Annal. German.*

XIII. PRODIGIA.

In Germania eodem anno Cometa per aliquot menses visus. Ventus præter solitum vehemens, syluas, casas, domos, arbores euertit: mortalibus vniuersis & pecoribus maxima detrimenta inuexit. Cœlo sereno tacta fulmine castra. Cum ad montem Attinum collatis Florentinorum & Pisanorum signis decertatum esset, monstrum in agro Veronensi æditum, ex equa quadrupes fœtus capite humano. Ad huius murmur, vagitum, & confusum humanæ vocis sonitum occurrens ruris illius accola, & nouo attonitus spectaculo, exerto gladio monstrum occidit. Quam ob causam ad iudicium tractus, & de monstruosi partus origine, & de occidendi causis interrogatus, horrore atque abominatione rei tantum se fecisse respondit: omnique periculo se exemit.

IESV CHRISTI
Annus 1255.

ALEXANDRI PAP. IV. Annus 1. GVILLELMI Rom. Regis 8. BALDVINI II. Imp. Or. 27.

I. QVATVOR LVMINA ORD. PRÆD. MORIVNTVR. PET. ET BENEDICTVS A MONTEPESSVLANO, PETRVS DIVIONENSIS ET PETRVS PODIENSIS. *Leand. lib. 5.*

QVatuor lumina, hoc anno, Religio Predicatorum cœlis dedit, Petrum & Benedictum à Montepessulano, Petrum Diuionensem, & agnominem huic, natione Podiensem. Petrus Podiensis postquam vitam per omnium virtutum religiosarum cursum exegisset, & extremum spiritum iam ageret: D. Virg. ad se venientem, & se ad regna syderea euocantem aspexit, demisso capite adorauit, plausu manuum & vocis alacritate salutauit. Fratribus adstantibus illam aduenisse renunciauit, & tandem expirauit. Petrus Diuionensis, cum suum Ordinem sanctitate vitæ plurimum illustrasset, mortem sibi à quodam non longe ante prænunciatam lætus aspexit. Hic enim secundum quietem viderat, se quasi aliquorum candidis amictorum processionem educere. Retulit hæc Petrus alteri amicorum: is porro cito moriturum illum esse prædixit, atque vt se quoque in Paradisi gaudia assumeret obsecrauit. Petrus & Benedictus vterini, eiusdem ciuitatis, instituti, atq; integritatis, eodem plane die infirmitate correpti, eodem die pariter animas Deo reddiderunt. Cum à Petro in altero cubiculo decumbente Prælatus inquisiuisset: Ecquid valeret? Bene, respondit: Nam mihi decretum, ad Dominum Saluatorem discedere. Porro hoc vobis argumenti loco esto: quia Fr. quoque meus Benedictus, hac ipsa die paulo post me sequetur. Benedictum quoque conueniens Prior, cum de valetudine interrogasset: se summa alacritate imbutum, & ineffabili lætitia perfusum dixit; statim ac penitus considerasset, quam bonum esset dissolui à corpore & esse cum Christo. Tandem cum præmortuum Petrum præsensisset Benedictus: Trahe me post te, exclamauit: ô dulcis frater, quos vna religio nutriuit, & sanctitate informauit, vna dies terris eripiat, & cœlis sistat. Dixit, expirauit, ad regnum immortalitatis post fratrem ascendit.

II. *Platus lib. 1. c. 58.*

Totidem per id temporis Sydera Ordinem Minorum inter alios illustrabant. Præit illis Andreas Alexandri IV.

TOTIDEM ORDINEM MINORVM ORNANT, B. ANDR. B. GVILLELMVS ANGL. B. RODOLP. ET S. BONAVENTVRA. *Ant. 3. p. tit. 24. c. 9.*

Pontif. Max. nepos, quem ferunt ab eo Cardinalem creatum, & illi ipsi honori, & cæteræ amplitudini, quam ex tanta Pontificis propinquitate consecutus esset, nuncium constanter remisisse, cum mallet in religiosa humilitate, quam elegerat, permanere, vt suo tempore in Regno Cœlesti caput exaltaret. Proximus huic Beatus Guillelmus Anglus, miraculis longe clarissimus, quæ cum statim à morte, in Ecclesia in qua etiam Diuus Franciscus sepultus est, frequentissima operaretur: & cœnobii præfectus, gloriam D. Francisci propterea obscurari arbitraretur, aiunt, quod ad sepulchrum Guillelmi accesserit, eique iam defuncto maxima confidentia, ne miracula amplius perpetraret præceperit: atque ad nutum illius Guillelmus statim ab eorum operatione destiterit. Rudolphum his adiungunt Episcopum Erefordiensem, qui ex hac occasione Diui Francisci Religionem professus est. Secundum extasim in cœlum raptus, cum mansiones supernorum ciuium perlustrasset, & inter Diuos cœlites, nullum ex D. Francisci disciplina primum aspexisset, tandem Diuam Deiparentem, sibi videre visus est, quæ ipsum duxisset, & sub alis Iudicis supremi Franciscanorum plurimos absconditos ostendisset. Quartus non inferior istis imo sine controuersia superior, D. Bonauentura Balneoregiensis. Sed de isto inferius prolixior narratio.

III. MANFRED. SICILIAM ET ITALIÆ DVCATVM, FRAVDVLENTER OCCVPAT.

Ad Alexandrum reuertor, qui Pontificatum suum, à curis publicis Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ voluit auspicari. Et quidem, cum paulo segnius, res Fidei Catholicæ, ab his quorum intererat, in Lombardia, Æmilia, Insubriaque curari animaduertisset, datis Neapoli VI. & II. Calend. Maii literis, Inquisitores officii eorum admonuit, & nonnullas Constitutiones, contra hæreticos ab Innocentio antecessore editas, siue declarauit, siue correxit: atque ad earum obseruationem omnes quibus negotia Fidei commissa fuerant, censuris Ecclesiasticis astrinxit: Anagniæ V. Idus Augusti, non minus quoque negotia Romanæ Ecclesiæ, in regno Neapolitano & Siculo contra Manfredum Principem Tarentinum curauit. Conscripto enim denuo exercitu, Cardinalem Octauianum Vbaldinum vna cum eo in Apuliam & Calabriam destinauit, atque vltimis diebus Aprilis, Molam, Monopolim, Poliganum, Barium, Malfettam, Tranum, & Barlettam recepit: præsidiaque opportuna imposuit. Non defuit sibi Manfredus, sed ipse quoque copiis vndiquaque contractis, in aciem eduxit, Neapolimque ad deditionem sollicitauit. Vbaldinus viribus multo inferior, prælio decertare non ausus, ac Nuceriam compulsus, cum viribus siue non posset, siue nollet (nam familiæ rationes ad Gibellinos eum inclinasse, dicebatur) consilio se obsidione exemit. Emisit tum Manfredus clam ex vrbe nonnullos, pari atque is ipse erat calliditate: qui cum paulo longius processissent, subornarunt quosdam alios non minori audacia astuque, qui lugentium habitu ex Sueuia cum literis, quas ipsi conscripserant, adulterinoque annulo signarant, venire se dicerent, simulatisque cum lachrymis falso nunciarent Conradinum obiuisse. Res & nunciata, & credita. Captus dolo Legatus vltro soluit obsidionem Nuceriæ, Bauari perinde ac nullo pupillo cuius tutelam gererent, procul è regno Siculo delusi abierunt. Manfredus velut pro defuncto rem diuinam magna religione, amplissimeque faciendam, atratus ipse curauit, iustaque persoluit: gazaque Panormo ad se transferri iussa, ac largitione veteranis sibi cõciliatis, nouoque ex Africa milite barbaro mercede conducto, quasi nulla iam iusta Regiæ Siculæ stirpe, in peruigilio Sancti Matthæi Salernum ingressus, Regis nomine consalutatus, prius Regnum opesque firmauit, quam fieret fides à quoquam viuere Conradinum, animis hominum errore occupatis. Res est. Miserat in Germaniam Manfredus, qui Conradinum aut veneno extinguerent, aut vero clam iugularent. Quod cum Elizabetha mater resciuisset, neque aliter facere posset, Conradinum quidem subduxit, alium autem Sicariis loco illius supposuit, quem illi cum primo frustra veneno petiuissent, cæca nocte trucidarunt, eumque fato sublatum esse in vulgus sparserunt. Porro Alexander Papa non modo vt iniusto Principi, qui nothus in Regnum Ecclesiæ beneficiarium succedere æquum contenderet, sed vt impio, religionisque hosti bellum sacrum indixit, Concionatoresq; circumcirca misit, ad excitanda piorum in eum sacro ære arma. Electum quoque Vulturanensem Episcopum, militiam conscribere iussit: maxime cum ipse, Neapoli, Anagniam secedere coactus fuisset, propter alias res Ecclesiæ curandas. Nihil tamen omisit eorum, quæ vtrique Regno seruando necessaria fore perspiciebat.

Iuuenatius in annalib.

Æmil. in Lud. IX. FINGIT CONRAD. MORTVVM.

IV. QVIB. CONDITIONIBVS ET PACTIS, REGNVM SICILIÆ, ANGLIÆ, REG. FILIO IN FEVDVM DEDERIT ALEXAND. IV. *Codex Columnensis MS. Bib. Vatic.*

Concesserat siue potius obtulerat, Innocentius IV. Pontifex Maximus, Regnum Siciliæ in feudum Edmundo Anglo. Cæterum cum is per infantiam, neque ligium homagium Ecclesiæ Romanæ præstare, neque Regnum administrare posset, Alexander Quartus successor Henrico Regi Angliæ, nomine ipsius Edmundi illud inuestiuit, cum his pactis, ab Ottobone Flisco tit. S. Adriani, Cardinale Legato, apud Londunum cum Rege conuentis, scilicet vt Rex Henricus 1. Ligium homagium & iuramentum fidelitatis Alexandro Quarto & Apostolicæ sedi præstaret. 2. Vt duo millia vnciarum auri, titulo census, annis singulis Romanæ Ecclesiæ solueret. 3. Toto triennio trecentos milites in vsum Ecclesiæ suis expensis, submitteret. 4. Dispositiones Ecclesiarum & beneficiorum spiritualium summo Pontifici permitteret: neque quicquam sibi in res & personas Ecclesiasticas vsurparet. 5. Imperium non exambiret, & si forte ad illud eueheretur, ipso facto iure feudi decideret. 6. Beneuentanam Ciuitatem, liberam Ecclesiæ in omnibus relinqueret 7. Cum primum Edmundus quintum decimum annum attigisset, eum ad iuramentum fidelitatis Romanæ sedi præstandum induceret. 8. Infra spatium vnius anni solueret summo Pontifici expensas, ab eo factas contra Corradinum rebellem. Nisi infra tantum temporis non esset soluendo, anathematis vinculo teneretur, in Regno Angliæ à sacris cessaretur, & ab iure Regni tam ipse quam Edmundus decideret. Ea pacta iuramento, coram Cardinale & Archiepiscopo Cantuariensi Apostolicæ sedis Legatis, præstito, roborauit Henricus, & pactorum conuentorum syngrapham aurea Bulla munitam per Episcopum Erefordiensem] Alexandro Pontifici misit. Cum itaq; electus Vulturanensis Episcopus, vna cum selectorum militum manu, à sede Apostolica in Siciliam missus, multa hactenus in stipendia ex suo atque Ecclesiæ ærario, militibus expendisset, monebat Henricum Alexander, vt pactis staret, & æs Vulturanensi Ecclesiæ atque debitum exsolueret, & tum iurisiurandi meminisset, tum censuras & pœnas ex conditionibus stabilitis metueret: insuper vt quam citissima auxilia submitteret, Regnum Siciliæ de manu Tyranni eliberaret, antequam ille à nouis affinitatibus vires & subsidia acquireret.

Epist 474. Anagn. 9. Id. Iul. Pont. anno 1.

V. MANFREDVS PONT. CONTRANITITVR, AMBIENDO AFFINITATES MAGNA TVM REGIS ARAGONIÆ, ET LEGATI DVCÆ RERVM POTENTIS IN ORIENTE. *Mariana lib. 13. c. 15.*

Per id enim temporis Manfredus molitionum Alexandri haud ignarus, & quanto in periculo res subessent considerans, vndique se munire, subsidiaque comparare studebat, & quoniam propinqua deerant, longinqua auxilia conquirere constituit: Inprimis Iacobi Aragonii Regis, cuius virtutum fama, & rerum gloria pridem celebris esse cæperat, eum sibi affinitate coniungere, salutare iudicabat, commodum, atque honorificum, Constantia filia Petro Aragoniæ iuuentutis Principi in coniugium oblata. Missi Barcinonem ea de re Legati. Regi Aragonio conditio quæ offerebatur, non aspernanda visa est, puella dotis nomine auri duodecim myriades, ingens ea tempestate pretium, & Regni Siculi haud dubiam spem, cum Manfredus mascula spe careret, in Regiam Aragoniam inferebat. Re constituta missus ad Alexandrum Pontificem Maximum Legatus Raymundus Pennafortius è Dominicano Ordine vir prudens, eruditus & sanctus: qui pro ea auctoritate qua valebat maxime Pontificem cum Manfredo in pace poneret. Pontifex eius oratione nihil moueri, sed Manfredo non modo vt iniusto Principi, sed notho, atque impio dira omnia minari, tum alia crimini dare, tum illud expostulare maxime quod legitimi futuri Regis atque propinqui obitu simulato, per fraudes regnum occupasset, & aduersus sacrosanctam potestatem arma corripuisset, Neapolim die Sancti Lucæ, Capuam, Sessam & Fundanum Comitatum, die Sancti Andreæ, reliqua autem aliis temporibus occupasset, terroremque intentaret, nihil est, dicebat Alexander, quod dari possit aut debeat bellum gerenti: erit fortasse quod concedi possit roganti, & supplici. Hoc Regi tuo renunciato, meisque verbis eum admoneto, ne causam suam

cum nefario homine misceat alioqui numinis vindictam, nostramque, qui eius vices in terris gerimus, indignationem vereatur. Ea res ancipitem ac suspensum diu tenuit Aragonii Regis animum. Vicit tamen aliquot post annos vtilitas honestatem: pactaque Nuptiarum Mompellerii in D. Mariæ omni lætitiæ significatione & ludis celebrata anno 1262. Hæc placuit commemorasse, nam exinde magnæ turbæ. Aliam quoque affinitatem Manfredi, collocata sorore Ioanni Ducæ rerum in Oriente potenti, lubet hic recensere, vt intemperantiæ, ita etiam pœnitentiæ & tolerantiæ exemplum, quod Ioannes Ducas ostendit. Post mortem Irenæ solitudinis pertæsus, duxit Annam Alemannam admodum adolescentulam, Manfredi sororem: quam inde nutricis & Magistræ loco cum multis aliis mulieribus comitabatur, Matrona, pulcherrima facie, quæ ex oculis casses (vt ita dicam) ineuitabiles eiaculabatur, nomine Marcesina. Hæc philtris & illecebris amatoriis, ac morum vrbanitate, paulatim etiam Imperatoris oculos in se conuerterat, amoreque sui sic incenderat, vt iam haud dissimulanter Anna præ ea negligeretur. Tandem eo dementiæ redactus est, Marcesinæ amoribus, vt eam Imperatoriis insignibus ornari pateretur, quibus Imperatrici Annæ nihil cederet: eandem vero & amore, & propensione Imperatoris, & subditorum obseruantia & reuerentia longo interuallo superaret: ne dicam sola illis frueretur. Etsi autem prudens erat Ducas, non tamen vitam molestiæ, tristitiæ & angoris expertem egit, sed conscientiam acris instar stimuli pungentem habuit, pœnitentiæ occasionem exspectans, & prauitatis illius correctionem à Deo, id quod ex eo constat. Aiunt Marcesinam aliquando, tum adorandi, tum spectandi causa templum Blemmiidæ sumptibus exædificatum, & piorum virorum exercitationibus dedicatum adiisse, magno cum fastu & splendore Imperatorio, satellitumque comitatu. Sed priusquam vestibulum intrasset, cætum Monachorum templi fores Blemmiidæ præceptoris iussu intrinsecus illi occlusisse. Erat is multis virtutibus insignis, & varia eruditione tum sacrarum, tum prophanarum literarum perpolitus. Nefas enim iudicabat diuinus ille vir, nefariam illam & impudicam mulierculam profanis & conscelerati pedibus sacrum pauimentum calcare. Nec enim hoc fecisse mirum: quippe qui prius etiam dicteriis illam, tam lingua, quam calamo incessere nunquam destitisset. Ea vero se grauissima contumelia afficitata, & tantæ dignitatis fastigio non ferenda, cum per sese ira ardebat, tum ab adulatoribus magis inflammabatur: Vnde ad Imperatorem magna cum indignatione reuersa toto impetu illum ad vindictam incitabat, cam ignominiam in ipsius Imperatoris caput redundare clamans. Accedebant assentatorum voces, oleum igni (quod aiunt) addentium, aucupandæ gratiæ causa. At Imperator subito mœrore affectus ac lachrymis oppletus, cum profundo suspirio: Quî me, inquit, ad virum istum puniendum impellitis! Nam si ego sine probro & ignominia viuere voluissem, Imperii maiestatem inuiolatam conseruassem. Nunc cum ipse, meæ, atque adeo ipsius Imperii contumeliæ causam præbuerim, meritis meis gratia refertur, vt malæ sementis malam messem percipiam. Hæc Ioannes Ducas, raro patientiæ atque pœnitentiæ exemplo: à quo tamen Manfredus auxilia, licet sciret ab eo sororem male haberi, postulare non erubuit. Cum autem nec quicquam monita Alexandri æstimaret, imo spiritum regium aperte præ se ferens, contemneret, mox eum Alexander hostem Ecclesiæ & sacrorum contemptorem iudicauit, anathemate damnauit, & maiores copias contra eum scripsit.

INFELIX CONIVGIVM SORORIS MANFREDI CVM DVCA OB PELLICEM MARCESINAM. *Niceph. Greg. Rom. lib. 12.*

MANFREDVS EXCOMMVNICATVR AB ALEXANDRO.

VI. GVILLELMI REGIS ROMANORVM OCCASVS IN PVGNA CONTRA FRISONES. *Naucler. generat. 4.*

Eodem anno ad Oct. Calend. Iulii Guillelmus Rex Romanorum, Coloniæ, Principum conuentu indicto, profectionem in Italiam, tum pro adipiscenda Imperii corona, tum pro tutela Ecclesiæ bonorum contra Manfredum decreuit, vtque ad Quadragesimæ instantis dies, Augustę Vindelicorum omnes Principes Imperii occurrerent, edixit. Verum dum hæc Coloniæ agerentur, Frisonum gentis admodum leuis & inquietæ, aliqui Conradini tutorum factione, ad regni Germaniæ diuisionem eruptione facta, Hollandiam igni ferroque vastabant, ne autem per suam absentiam maiora molirentur, Guillelmus contra eos exercitu moto, octauo die mensis Decembris infeliciter pugnauit. Namque equo in vliginem aliquantum glacie concretam delatus, cum neque progredi, neque egredi posset, à Frisonibus superuenientibus obtruncatus est: cum paulo ante quodam omine præmonitus mortis fuisset. Nam cum iuxta quandam ciuitatem miro opere exornatum reperisset sepulchrum, & cuiusnam id esset inquireret: Ciues responderant; neminem hactenus illic sepultum, sed quodam occulto fato id reseruari cuidam Romanorum Regi. Occisus, in idem sepulchrum illatus, & post septem viginti annos, à Florẽtino Comite Hollandiæ eius nominis Quinto, Mittelburgum ad Ecclesiam Premonstratensium translatus est. Reuerterant paulo ante, Frisii ad fidem atque obedientiam Guillelmi: & in argumentum obedientię, tam ipsi quam successoribus illius Comitibus Hollandiæ, omnes decimas concesserant: quas Alexander Pontifex, ad eius preces confirmarat, dato diplomate Anagniæ 12. Calend. Octob. Anno 1. Cæterum illi siue ab exactoribus decimarum male habiti, siue ad ingenium reuersi, arma denuo resumpserunt, & Guillelmum extinxerunt.

CVSPINIA. IN GVILLELMO.

epist. 146.

VII. CERTIS RELIGIOSIS, VIDELICET EREMITIS D. AVGVST. CERTVM HABITVM PRÆSCRIBIT ALEXANDER.

Hoc anno, Alexander Pontifex, qui, & quid essent, quemve habitum induere aliqui Religiosi deberent, satis grauissimo decreto renunciauit, quod opportunum visum est inserere, propter incunabula aliquorum illustria admodum, reuelanda. Ita habet, ex authographo descripta.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus vniuersis, Archiepiscopis & Episcopis per Lombardiam & Romandiolam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Recordamur, & liquido memoria retinemus, quod dudum apparuit religio in partibus Lombardiæ, cuius professores vocati Eremitæ Ord. S. Augustini, nunc succincti tunicis cum corrigiis, baculos gestantes in manibus, nunc vero dimissis baculis incedebant, pecuniam pro eleemosynis, aliisque deposcentes subsidiis; & adeo variantes interdum habitus sui formam, vt dilectis filiis Fratribus Minoribus vniformes, in derogationem multiplicem Ordinis ipsorum crederentur, eisdem propter hoc minorem apud fideles sentientibus in suis opportunitatibus charitatem. Sane cum per nos tunc in minori officio constitutos, & bonæ memoriæ Thomam de Capua Tituli Sanctæ Sabinæ presbyterum Cardinalem tunc in partibus illis legatione fungentes huiusmodi variationis præsumptio ad felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri audientiam peruenisset, ipse ne identitas vestium in Ordinibus ipsis confusionem pareret, ac inde scandala grauiora consurgerent, ad vtrorumque quietem statuendum prouidit, vt Priores vniuersi ac singuli Fratres prædicti Ordinis sancti Augustini in exterioribus vestimentis, quæ nigri vel albi debebant esse coloris, quorum altero, videlicet nigro iam electo ab eis, ipsos idem prædecessor voluit manere contentos, largas & protentas manicas, quasi ad instar cucullarum, & desuper ipsa deferrent peramplas corrigias & patenter omnibus apparentes: ita quod omnes cincti deforis eas vestibus nequaquam contegerent, & portantes in manibus baculos quinque palmorum grandium, ac expresse in eleemosynarum petitione cuius sint Ordinis, declarantes, vt adeo suarum vestium longitudinem temperarent, quod à quibuscunque ipsorum calceamenta libere viderentur: vt sic habitus confusione semota, & sublata materia scandali, à prædictorum Ordinum Fratribus posset virtutum Domino liberius & gratius deseruiri. Cum autem dilectus filius noster Richardus tituli S. Angeli Diaconus Cardinalis vniuersas domos & congregationes Eremitarum prædictorum (quarum quædam S. Augustini, quædam S. Guillelmi, nonnullæ autem Fratris Ioannis Boni, aliquæ de Fabali, aliæ vero de Britinis censebantur) in vnam ordinis Eremitarum Sancti Augustini professionem, & regularem obseruantiam, perpetuo, de mandato nostro duxerit vniendas: & nos dicti Cardinalis processum conuenientem cum voluntatis nostræ proposito approbantes, præmissa omnia duxerimus confirmanda: statuentes, vt vniuersi Priores & Fratres in professione prædicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini taliter counititi, nigris duntaxat, & nullis aliis alterius coloris cucullis aliquatenus vterentur. Nos volentes, vt præmissa, quæ de vestimentis exterioribus à sæpedicto prædecessore nostro circa præfatos Eremitanos statuta fuerint salubriter, & ab ipsis vt recolimus acceptata, vbique, & ab omnibus Eremitis vnitis taliter, & aliis vniuersis inuiolabiliter obseruari, fraternitati vestræ per Apostolica scripta, in virtute Sanctæ obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictos Priores & Eremitas, ac alios qui nigras penitus seu albas cucullas non portant, quod vsque ad festum Omnium Sanctorum proxime venturum, nigri prorsus coloris cucullas assumant, abiectis aliis, deferendas: & firmiter prædictum statum de cætero studeant obseruare,

singuli vestrum per suas ciuitates & Diœceses, sublato cuiuslibet appellationis, & contradictionis obstaculo, & literis Apostolicis impetratis, vel etiam impetrandis per eos nequaquam obstantibus, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam districtius compellatis, & in eos qui contrauenerint etiam excommunicationis sententiam promulgetis, quam per vestras ciuitates & Diœceses diebus Dominicis & festiuis publicari solemniter, & eosdem tamquam excommunicatos vsque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, euitari arctius ab omnibus faciatis. Datum Anagniæ XV. Calend. Iul. Pontificatus nostri, anno secundo. Hæc Alexander Pontifex in ædificationem corporis mystici Ecclesiæ, concedens Eremitis habitum nigrum, vt eum perpetuo deferrent, non ob id, quod talis habitus vnquam fuerit Diui Aurelii Augustini, vt aliqui perperam crediderunt: sed quoniam ipsimet Eremitæ eundem sibi sponte elegissent, cum prius varii coloris & figuræ habitum gestassent: nec amplius aut Guillelmitæ, aut Fabalitæ, aut alio nomine, sed titulo Eremitarum Sancti Augustini appellari maluissent: non quod eos Sanctus Augustinus instituisset, sed quia Innocentius Pontifex huius nominis Quartus, Alexandri Quarti prædecessor, ipsis indulsisset, vt viuerent sub Regula Sancti Augustini, & diuinum officium secundum ritum Romanæ Curiæ celebrarent: cum ante illi ipsi Eremitæ, vagi, incertique habitus & Ordinis fuissent: & Gregorius Decimus ipsos non prius eum quam in Concilio Lugdunensi confirmasset, donec de eis alium in modum ordinaret, vt expresse habetur in 6. de Religiosis domibus. C. Religionum. Extat apud Tossignian. Hist. Francisc. lib. 2.

VIII. SVMMARIVM GESTORVM ALEXAND. IV. HOC ANNO. 1. *MS. Vat. de Ezelino.* 2. *epist.* 2. 3. *epist.* 578. 4. *epist.* 144. 5 *epist.* 322. 6. *epist.* 555. 7. *epist.* 768. 8. *epist.* 651 & 721.

Hoc ipso anno Alexander Pontifex, 1. Legatum in Lombardiam destinauit, qui socias Ciuitates contra Ezelinum Tyrannum excitaret. 2. Albericum fratrem Ezelini, vt fratrem crudelitate atque impietate abominandum execretur, Teruisinosque ab eius immanitate euinceret, admonuit. 3. Legato in Regno Siciliæ, ne indidem à ciuibus Romanis pedagium exigeret, imposuit. 4. Castrum Sancti Donati nomine in eodem Regno Siciliæ nuncupatum, Iacobo Neapoleonis Caetano in feudum concessit. 5. Contra clericos in diœcesi Compostellana concubinarios, multa saluberrime constituit. 6. vt ad cathedrales Ecclesias electi, intra sex menses sacris initiarentur, legibus decreuit, 7. ne Iudæi Parisiis ad fidem conuersi, extra ciuitatem ad iudicia traherentur, indulsit. 8. Mineruæ Romanæ phanum, tertiariis mulieribus quæ Repentitæ dicebantur attribuit: iisdem autem ad Sanctum Pancratium translatis, Fratres Diui Dominici in idem plenum ius habere voluit. 9. Boemiæ Regi, ne ipse excommunicari, neve eius Regnum interdici posset, indulsit. 10. Reginæ Scotiæ, vt in locis Ecclesiastico interdicto suppositis sacris interesse posset, permisit. 11. Boleslai Cracouiæ & Sandomiriæ Ducis, Monasterii Vestalium Sancti Damiani, apud Zauichostum oppidum Conditoris, donationem pagorum Venderouiæ, Sauloniæ, Bresanii, Vagrouiæ, Dambeni, Chorovv, Voscenicki, Vimarii, Sobotka, Veseniæ, & Ostrovv: atque aliorum bonorum in priuilegio, Datum apud Zauichostum, Anno M.CC.LV. XIV. Calendas Maii, Indictione XIII. eidem Cœnobio confirmauit: atque exemplar, priuilegii, iisdem suis literis inseruit. 12. Regi Angliæ decimam ex omnibus eius cis & transmarinis pro subsidio Terræ Sanctæ in triennium ab Innocentio quarto Pontifice concessam, approbauit, & in aliud biennium prorogauit. 13. Rege Castellæ & Legionis flagitante: studium Salamantinum priuilegiis quam plurimis exornauit: eundemque Regem ad succursum Terræ Sanctæ inuitauit. 14. Fratribus Prædicatoribus castellum maris Messanæ ab Octauiano Cardinali Legato concessum donauit, & in perpetuum approbauit. 15. Priorem Parisiensem Ordinis Prædicatorum ad inquirendos in vniuerso regno Franciæ & Comitatu Tolosano hæreticos, cum amplissimis facultatibus censorē instituit, vtq; in ferendis sententiis maturos & prudētes viros consuleret, hortatus est. 16. Prouinciali Alamaniæ eiusdem Ordinis, vt Duci Saxoniæ permitteret, filiā Ioanni Brandeburgico in matrimonium collocare, potestatem fecit. 17. Archiepiscopo Bituricensi, & Priori Parisiensi Ordinis Prædicatorum, & Archidiacono Andegauensi, vt capitula concordiæ & pacis, quæ tunc à Rege Galliarum Ludouico, inter Abbatem & Monasterium Turonense ex vna, & Comitem Blesensem ex alia parte stabiliebatur, cognoscerent, & si Monasterio vtilia perspexissent, vt Abbati atq; monasterio licentiam stabiliendi concederent, iniunxit. 18. Sancto Ludouico Regi Galliarum & Carolo Andegauiæ Comiti eius fratri, multa priuilegia donauit: Scilicet: ne quis excepto Summo Pontifice illos anathemate damnare posset: ne quis eodem excepto, Prouinciis illorum sacris interdiceret: ne Clerici eorum ad residendum tenerentur: neve fructibus beneficiorum suorum priuarentur: vtque præsente Rege & Regina, omnes qui concionem audiuissent, indulgentiam centum dierum consequerentur.

9 epist. 494. Anagn. 7. Id. Iul. 10 ep. 157. Neap. 15. Cal. Maii. 11 ep. 572. Anagn. 5. Idib. Aug. 12. epist. 317. Neap. 5. Cal. April. & 10. Cal. Maii. 13. epist. 344. Neap 3. Id. April. & ep 692. Anag. 14. Cal. Nou. & epist. 281. Neap. 8. Id. April. 14. ep. 226. Neap. 15. Cal. April. 15. ep. 245. & 307. Neap. 6. Id. Mart & 17. Cal. Maii. 16. epist. 369 Neap. nono Maii. 17 epist. 735. Lat. 6. Id. Decemb. 18 epist. 349. & seq. Neap. 2. Cal Maii.

IX. *Æmil. in Ludouico 9* S. LVDOVIC. SYRIA SOLVIT IN GALLIAS, ET EGREGIA ORDINAT.

Hæc Sancto Ludouico Alexander indulserat, postquam is obtestatione suorum lachrymisque permotus, cum etiam mater obiuisset, cumque omne pietatis, perpessionis, ac inuicti malis animi præbuisset exemplum, Syria decessisset. Nam per id temporis, neque sine miraculo in Europam reuersus est. Tertia quam soluerat nocte, sæua tempestate orta, nauis eius vi procellæ dorso immanis cautis illata sedit, eam diuinitus non solutam, fractamve, procumbente Rege, numinisque fidem implorante, vt suos milites reduces domum sisteret, creditum est. Domum tanto temporū locorumve interuallo regressus, quod Regii muneris erat, publicæ vtilitati Religionique studebat: vt Prætores caste integreque ius dicerent: ne quid in Prouincia sua coemerent: ne affinitate iungerentur, & quæ veteris Romæ instituta fuerant, repetiuit in libidine sordibusque magistratuum coercendis. Qui eorum secus egissent, de illis ipse causa cognita statuebat, vt quisque meritus fuerat: alios ære multabat, alios in Syriam aduersus barbaram religionem militaturos in certam diem ablegabat. Qui Numinis, Diuinorumve nomen nefarie aut iureiurando aut execrando vsurpabant, eorum fronti candente lamina notam inurebat. Deprecantibus magnis viris pro quodam eius noxæ conuicto, respondit se cupide id monumentum in fronte gesturum, si ea ratione purgari Francia, eo in Deum Optimum Maximum scelere posset. Sacrorum Bibliorum lectione mire delectabatur. Lutetiæ Valetudinarium pro æde Virginis extruxit. Minoribus & Prædicatoribus nondum ad culmen perductas sacras ædes plane absoluit. Cæcis egentibus ædem & domum, Carthusiensibus item ædem & cœnobium, eadem Carmelitis Lutetiæ extruxit, & prouentibus ditauit. Extant & alia alibi pia eiusdem Sancti Regis monumenta.

X. *Cromer. lib. 9.* MENDOCVS REX LITVANORVM RETVNDITVR, ET CRVCIGERI VICTORIA POTIVNTVR.

In Septentrione, Mendocus Dux, seu Rex Lituanorum, abiecta religione Christiana, quam spe regii tituli simulate ad tempus susceperat, infestior indies Christianis vicinis erat. Coactoque è suis Lituanis pariter atque Drussis idem sentientibus, valido exercitu, in quo triginta millia armatorum censebantur, multa damna fecit, cæterum aduenientibus Præmislao, OTTOCARO, Duce Boemorum (necdum enim diadema regium susceperat) Marchionibus, Brandeburgensi & Morauiæ, Pragensi, Olomucensi, & Varmiensi Episcopis, cum magnis copiis, magnaque item multitudine Crucis militiam professa, aucti viribus & animis, vicissim Prussis bellum intulerunt, & illis ad prælii dimicationem nusquam prodeuntibus, ferro & igni in obuia quæque deseuierunt. Quibus malis adacti hi, qui Sambiensem regionem incolebant barbari, in potestatem Crucigerorum venêre, & religionem Christianam suscepêre. Et ne facile ii rursus deficerent, duas ibi arces, scilicet Konixbergam, seu Regium montem, & Brunsbergam Crucigeri condidêre, præsidiisque muniuêre.

XI. SILESIÆ DVCIS FRATRES PACEM INTER SE FACIVNT.

In eodem Aquilone, Præmislaus maioris Poloniæ Princeps, in gratiam Conradi Silesiorum Ducis, in Vuratislauiensem regionem duxit exercitum, & omnem eam oram, quæ est circa Olesniciam, Sytzouiam, Trebniciam, & Cerequiciam oppida, vsque ad Vidauam amnem vno à Vuratislauia milliario, deinde & vltra Oderam vadato flumine depopulatus est: propterea quod Henricus Dux, Vuratislauiensis neque ipse partem Patrimonii Conrado reddebat, neque ad repetendam eam à Boleslao fratre opem ei ferebat. Ad hæc nō soluebat Prēmislao quinquaginta marcas argenti, de quibus fideiusserat pro redemptione cuiusdā Germani captiui. Templis tamē & monasteriis & possessionibus eorum atq; hominibus Ecclesiasticis omnino manus abstinuêre milites, edicto Præmislai. Erat tūc Vuratislauiæ

Opisso Legatus Summi Pontificis, existimabatque contumeliam fieri Sedi Apostolicæ, quod se præsente & pene inspectante Vuratislauiensem oram Præmislaus infestaret. Itaque sacris ipsi & omnibus qui sub ditione eius erant, interdixit. Sed mox postulante Præmislao interdictum illud abrogauit; veritus ne ad Summum Pontificem deferretur, quod intemperanter fines Legationis transgressus fuisset. Pax deinde & concordia interuentu Episcopi Vuratislauiensis inter Fratres Duces Silesios composita est, approbante conditiones illius Summo Antistite.

XII. INFANTICIDIVM IVDÆORVM IN ANGLIA DEPREHENSVM ET PVNITVM.

Hoc anno in Anglia Iudæi piaculum horrendum admiserunt. Puerum enim octennem, Lincolniæ, nomine Hugonem, Christianæ mulieris filium clam quidam Copinus Iudæus abduxerat. Cumque Iudæi qui Lincolniæ habitabant, diem præstituissent, quo puerum mactarent, ad omnes fere ciuitates Angliæ, in quibus Iudæi versabantur, nuncios miserunt, accersitum aliquot, qui illi carnificinæ interessent, qui cum frequentes conuenissent, puerum diris verberibus excruciatum, acutisque telis punctim confossum, corona spinea redimitū, sputis deformatum, multis cachinnis irrisum, felleque eum potantes, dentibus in eum frendentes, eumque Iesum Pseudoprophetam contumeliose & cum insultatione appellantes: Cruci tandem alligarunt, ac lancea latus eius confixerunt: euisceratumque (vt extis & visceribus ad damnatas & magicas artes abuterentur) humi condiderunt. Mira res accidit, cadauer paulo post ab humo eiectum viderunt: ad quod obstupescentes in puteum præcipitarūt. Sed nec ibi potuit diutius latere. Mater enim, quæ omnia vlulatibus & clamoribus compleuit, & apud quam Copinus in aliquam suspicionem venit, subito in domum irrumpens, reperit filii corpus in puteum proiectum. Copinus porro à Magistratu comprehensus, cum scelus confessus, etiam illud quoque adiecisset, Iudæos singulis annis hoc se infanticidio impiare, meritas cum primariis Iudæorum pœnas luit. *Matthæus Paris.*

XIII. OBITVS B. ARNALDI ABBATIS S. IVSTINÆ IN CARCERIBVS CONCLVSI AD OCTENNIVM PER EZELINVM TYRANNVM.

Hoc tempore B. Arnaldus Abbas S. Iustinæ, in carceribus defunctus est. Ante octo annos, & tres menses, Ezelinus Satanæ minister, diaboli carnifex, potator humani sanguinis sitibundus, inimicus Ecclesiæ Catholicæ, hæreticorum refugium, malitięque sedulus adinuentor, hunc virum iustum, honestum, bonis moribus informatum, & clero ac populo attestante plurimum reuerendum, in die S. Bricii, cum fratre carnali comprehenderat, & in carcere tenebroso incluserat, faciens eum quasi proditorem Imperii cum diligentia custodiri. Is itaq; vir deuotissimus, ac religionis monasticæ speculum & exemplar, cum octo annos, & tres menses in eo carcere tenebroso & in vinculis consummasset, circiter septuagesimum vitæ suæ annum, die x. intrantis Februarii, qui tunc fuit primus dies Quadragesimæ apud Estem feliciter ad Dominum migrauit. Imminente vero hora migrationis eius, quæ fuit circa diluculum (sicut Fratres Minores viri deuotissimi fideliter retulerunt) multi in castris imminentibus constituti viderunt manifeste ignea signa ad instar duarum facularum, quæ super carcerem eius tamdiu steterunt, donec illa sancta anima carnis vinculo soluta est. Significatiua sanè, sicut firmiter arbitrabantur, illa duo signa fuerunt duplicis aureolę, qua vir beatus est à Domino in cœlesti curia inter Martyres & Virgines coronatus. Corpore siquidem & animo fuit virgo, sicut sacerdotes, quibus confitebatur, liquido profitebantur: nam neque verbo, neque facto vnquam dehonestauit in vitio lasciuiæ sui animi puritatem. Martyr vero potest dici, quia propter innocentiam patienter sustinuit longam corporis passionem. In ipsa autem carceris angustia constitutus, tam custodum quam se visitantium animos ita quadam lenitudinis mansuetudine attrahebat, vt ab omnibus merito amaretur. Nam cum in eodem anno, quo de hac vita erat exiturus, nullum proprium habuerit seruientem: ab omnibus enim fuerat derelictus propter immanem rabiem sæuientis tyranni, qui præceperat, ne aliquis ei ad manducandum aliquid exhiberet, nisi panem atrum & aquam breuem: nihilominus tamen custodes carceris pietate commoti, omnia ei occulte humanitatis obsequia exhibebant. Ad tanti autem viri venerabiles exequias celebrandas, in die obitus conuenit vtriusque sexus non minima hominum multitudo, & cum reuerentia & honore corpus eius sanctissimum ad Fratrum Minorum Ecclesiam deferentes, sepulturæ deuotissime tradiderunt. Multi vero tam viri quam mulieres pias lachrymas effundebāt, reminiscentes viri Dei dulcedinem & animi lenitatem: multique dicebant, ipsi esse potius congaudendum, quod esset à tantis angustiis liberatus, & paradisi gaudiis frueretur. Post quinquaginta vero dies ab eius obitu, visum fuit Fratribus Minoribus, eius corpusculum in sepulchrum paratum decentius transferre. Procurauerunt autem noctis silentio homines conductitios ad hoc negotium peragendum adhibere, æstimantes corpus putridum & penitus tabefactum odorem intolerabilem exhalare. Aperientes itaque loculum, quo pia membra tenebantur inclusa, & nulla putredinis & corruptionis videntes vestigia, præter quandam albedinem ad modum lanuginis circa palbebras oculorum, admirationem maximam habuerunt, & cunctos de domo ad hoc miraculum conuocantes vnanimiter DEVM laudauerunt, qui in Sanctis suis mirabiliter est gloriosus. *Monach. Paduan. Chron. lib. 2.*

XIV. DE B. ARNOLDI ABBATIS INCVNABVLIS, PROGRESSV VITÆ ET CAVSA MORTIS, ITEM IMMANITATIBVS EZELINI PROLIXIOR NARRATIO.

Iacobus Cauaccius libro secundo & tertio Historiarum Cœnobii Diuæ Iustinæ Patauinæ, ampliorem stylo elegantiore, ex monumentis eiusdem Cœnobii de Arnaldo habet narrationem, quam, cum incunabula, progressum vitæ, & causam mortis vna cum truculenta Ezelini tyrannie egregie commemoret, placuit adscribere, vt inter crebras ex insectatione Tyrannorum calamitates, summum patientiæ ipsius exemplum, oculis omnium quorum interest rem & dignitatem Ecclesiasticam tueri, obuersetur.

Limena vicus olim ædificiis frequentior, nunc pagus est, VI. fere à Patauio milliario, vbi rostrato obice diuisus Medoacus partim in Brachilionem defluit, vt vrbem alluat, partim recta ad pontem vice aggeris ac stratæ pagum fluens, rursus Bachilioni confunditur, Oppidum familiæ nomen indidit, & ex qua prodiit Petrus Limenianus Episcopus Patauinus & alii proceres. Ex Limeniana familia natus Arnaldus anno Domini, M.C.LXXXV. Impensiori cura enutritus fuit, ne quid ornamenti puero deesset, quod egregiis admodum natalibus deberetur. Visa tamen illius mens ad Religionem magis inflecti. Itaque parentes aucti etiam altero filio, liberum Arnaldo sibi consulendi ius faciunt. Si Clericalem dignitatem appetat, non deesse facultates, quibus ipsius splendorem, ac familiæ opinionem sustenter. Si Monachorum institutum malit, Cœnobia non abesse, egregia virtutum & sanctitatis fama. Arnaldus Sancti Benedicti Institutum Clericalibus dignitatibus prætulit, & in Cœnobio Sanctæ Iustinæ attonsus primo sub Dominico Abbate, mox sub Beato Stephano egregium CHRISTO stipendium fecit. Reiecto fastu natalium, nobilioremque humilitatem amplexus, veluti iacto totius perfectionis fundamento, concito gradu virtutes Maiorum Patrum æmulatus est. Carnis illecebras ante vnitum religionis tyrocinium, ac postea ad obitum vsque auersatus, Virginitatis decus Deo deuotum, illibatum etiam cœlo inuexit. Ex acerrimo conflictu, quo carnem edomuit suetam cæteris acrius adolescentium mentes torquere, coniicias etiam alias de hoste victorias. Adiicias assiduitatem orationis, obedientiam, ieiuniorum frequentiam, ac vigiliarum tolerantiam, quæ facile in hominem cadunt, si in ipso ætatis ardore libidinem represserint. Commendabantur Arnaldi mores humilis cuiusdam magnificentiæ, quam nec maiori auctus dignitate, neque indignis affectus incommodis, numquam deseruit. Agebat ætatis annum vigesimumsextum, & cum delatam Abbatis dignitatem pauesceret, Patrum de se iudicium improbabat; quod grauissimam Adolescenti prouinciam committeret, qui nullius experientiæ cogeretur Monachorum regimen, & vastæ familiæ negotia suscipere non toleraturus. Nunc agi ea tempora, quæ hominum charitatem restrinxissent, vt sacras ædes non vt olim ditare muneribus, sed magis collata ab eis veterum dona auferre audeant nequiores. Solere inter procellosos fluctus nauis imperium non iunioribus, sed longo vsu peritioribus committi, & difficillimis rebus prudentissimos præfici: Si vniuersa tranquilla sint, Abbatis se munus non detrectare, sed etiam plurimas eorum suffraganeis debere gratias; Verum si litibus &

iniuriis, vt antea, Cœnobii respessum eant, Vnde consilium? Qui iuniorem Abbatem depoſcunt oneri, humeros ſubiiciant, ipſi conſulant. Quid præceſſorem, Stephanum in eremum adegit? turbatores, ac difficilis pacandi modus. Illum ſanctitate & rerum vſu ſpectatiſſimum virum, vltro dignitati renunciaſſe, ſe longe ab eo diſſimilem virtute, ac ætate, eandem non horrere? Deprecari ſe vt eam his committerent, qui ætate ac rerum experientia præſtarent. Hæc Arnaldi oratio tantum abeſt Monachorum voluntates perſtrinxerit, vt etiam iuberent illum Diuinæ voluntati parere, & ex iurata obedientia Abbatis onus ſubire. Itaque vel inuitus Arnaldus Abbas initiatus, Cœnobii Diuæ Iuſtinæ gubernaculum accepit. In eo munere, ex editiore loco, longe maiora indies virtutum præbuit cæteris incitamenta: neque in ſuis rigidioribus imperiis, ab inſtituta vitæ ſeuerioris ratione diſceſſit. Quapropter ad augendum cultum diuinum, & Monachorum diſciplinam conſeruandam multa præclara effecit. Pro vindicandis Eccleſiæ iuribus, ardua tentauit, & præclare geſſit, hoc tempore quo Ezelinus Honarius fatalis Patauinorum hoſtis diſſimulata vindictæ ac tyrannidis cupiditate, aggreſſus eſt priuata manu firmiſſimam eorum Rempublicam conuellere, conuulſitque.

Genus Ezelini haud vetus inter Italos. Nam proauus item huius nominis prodiit cum Ottone tertio primus in Italiam deſcendiſſe, ab eodem donatus inſigni caſtro Baſſani, & Honariæ, quod familiæ nomen dedit. Huius filius item Ezelinus Balbus, & nepos ab inita religione Monachus appellatus, familiam multis opibus, & affinitatibus pronexerunt. Veteres ambo ſimultates enutriebant aduerſus Campiſamperios, ex ſtupro Cæciliæ Baoniæ ditiſſimæ fœminæ, quam Balbus inique præreptam Gerardo Campiſamperio nepoti ex Cumiſſa ſorore, coniunxerat Ezelino filio, & Gerardus idem iniuriam vltus vitiauerat. Inde rixæ, & occaſiones multæ, donec publica auctoritate, & amicorum opera ab armis temperatum eſt: licet exanimo Ezelinorum iniuria non exciderit. Repudiata Cæcilia Monachus, alteram duxit Adheleidem Tuſcam è familia comitum Manganeorum, quæ Ezelinum hunc trucem à Romano oppido ſuæ ditionis nuncupatum, & Albericum edidit, ambo Cæſarianas partes ſecuti, innumeras ciſalpinis vrbibus calamitates intulere.

Ezelinus apud Veronenſes & Vicentinos maximam nactus auctoritatem, Albericus libero fere iure Tarviſinis potitus. Auxit potentiam Ezelini, Salinguerra, Ferrarienſis tyrannus, & Monticuli Veronenſes Gibellini: quorum viribus fretus, paternas iniurias, nedum ab hoſte Campiſamperio, ſed etiam à Patauina Republica in eundem propenſa acrius repetebat, facile fuit Ezelino tam atrocia audere, defunctis nuper Pontificiæ factionis, & publicæ libertatis propugnatoribus, Azone Areſtino, & Bonifacio San-Bonifaciniano Proceribus. Ab eorum morte, ſub aduentum Friderici Imperatoris, nullo negotio Patauina vrbe per proditionem potitus eſt: Cum eius ſæuitiam, impietatemque, prudentiores quidam portendi exiſtimarent, cum ad portam Tunicellarum vrbem ingreſſurus portam ipſam exoſculatus eſt; Nempe Iudæ exemplo indicans proditam vrbem, & in peſſimam fidem receptam, breui ædium ruinis ac ciuium ſanguine antiquis odiis ſatisdaturam. Secutus eſt præſenſum eorum effectus. Namque Ezelinus vrbe recepta, ex Saracenis à Friderico adductis Prætorianos ſibi fecit, quorum miniſterio vindictæ ac cædium libidinem exſatiaret. Extorres innumeros, ſed Gibellinos magis in patriam reſtituit. Quos partium motus, vel geſtæ alias cum tyranno ſimultates vrbe exegerant, ſimulata earum oblitione, & multa ociorum ſpe, ad necem reuocauit. Cum frequentem vrbem potentioribus, tutamque ſibi Germanorum præſidio vltionem aduertit, alios ſecuri percuſſit, alios perpetuis carceribus mancipauit, quoſdam minus infenſos in exilium detruſit. Horum liberos fere Parentum obſides habuit, eoſque Baſſani, Honariæ, & alibi in vinculis eſſe iuſſit.

Crimen, de quo ciues crudeles pœnas darent, vnicum effingebat, Cæſaris aduerſariis ſtuduiſſe. Idem inſontibus impingebatur, ſi eorum vel potentiam odiſſet, vel diuitias concupiſſet. Augebat etiam viris ſuſpicionem, quod Azoni Areſtino ex affinitate, beneuolentia, ſeu beneficiis plures tenerentur, de quibus auide pœnas ſumpſit. Itaque integras familias deleuit, ædes ac turres (vrbis ornamenta) diruit, & ex his pone templum Diui Thomæ Martyris, arcem vt ea ætas ferebat munitiſſimam ampliſſimamque excitauit. Subterraneos ibidem ſpecus, vinentium Patauinorum ſepulchra, commentus eſt architectus quidam Ægidius Mediolanenſis, qui arbitratus horribili inuento tyranni beneuolentiam acquiſiuiſſe, ab altero Phalari alter Perillus, omnium primus in eos carceres coniectus extrabuit. Ab eodem carceres Ægidiani appellati ſunt, profunda loca, humore madentia, ac perpetuo ſitu hactenus his qui inuiſunt horrenda, in his promiſcui ſexus multa millia pædore & ſqualore, miſere emarcuerunt. Inde defunctorum corpora extuliſſe, ne putreſcentium fœtore alii citius deperirent, tyranni ſumma clementia, ac munus egregium habitum eſt. Quotidie forum ciuium cruore fluxit, & in ſpecus Ægidianos coniecti ſunt innocentes plerique, graſſante palam delatorum licentia, per maximum ſcelus inſeruientium voluptati, quam de cædibus Ezelinus capiebat. Neque funeri quicquam honoris impenſum, cum parentare lachrymis, erectis affinibus rebellio diceretur.

Interea multa cædes atque ædium excidia vrbem complebant, nec aliud apud Tyrannum antiquius, quam Patauinam nobilitatem extirpare. Itaque integræ ab eo familiæ necatæ ſunt, bona in fiſcum redacta, & coactæ matronæ nobiliſſimi generis ſtipem mendicare. Sed inauditum hactenus ſcelus fuit, quo Ezelinus antiquos, ac recentes tyrannos anteiuit. Infantes, qui parentum neci ſupererant, ne vnquam familias noua prole reſtituerent, exſecuit. Id frequens adeo fuit, vt ſemel xxxv. nobiles pueri caſtrati ſint, qui nocte ſecuta interierunt. Fœminis mamillas deſecuit: viros minus noxios egregia clementia membris detruncauit.

Igitur hæc ætas conſpexit nouos Phalarides, Caligulas, Neroneſque: vidit noua genera tormentorum adinuenta: expetta eſt quod nullius hactenus ſæuitia excogitauerat. Neque vero à rebus Eccleſiaſticis Ezelinus abſtinuit, ſed ſacras facultates in fiſcum ſuum addixit: maxime vero Cœnobii Diuæ Iuſtinæ bona diripuit, tunc cum Arnaldus Abbas Areſte apud Azonem voluntario exilio ſeſe relegaſſet. In hunc Ezelinus crimen maieſtatis coram Friderico Imperatore impoſuit. Is autem qua pollebat eloquentia iuxta atque innocentia, fidenter Fridericum conueniens, excuſauit, dixitque: ſe non reſcripto, quod extorrem tueretur, neque armatorum manu, quæ ſibi timentem obfirmaret, ſed ſoli ipſius maieſtati & æquitati fidentem acceſſiſſe, neque enim reus aliquando læſæ maieſtatis alacer adeo ipſum conueniret, quam iure optimo rebelles vbique Seuerum iudicem experirentur, & conſcii vel maxime abſentem horrerent. Abeſſe, vt religioſus vir Cæſaris Imperio aduerſetur, quod DEVS ipſe mortalibus Sanctum indixerit. Abeſſe id etiam à viro, cuius familia, donis ac titulis honeſtata Auguſtis plurimum debeat: Imo cum primum allatum fuiſſet Patauinam vrbem Cæſari adhæſiſſe, eandem non infelicem exiſtimaſſe Friderici nixam Imperio. Hæc & alia multa, cum in rem ſuam dixiſſet, xeniiſque oblatis, Fridericum & Agnetem Imperatores ſibi conciliaſſet, Ezelinum multo magis in ſe inflammauit. Abeunte enim Friderico, Arnaldum Ezelinus Idibus Nouembris, Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto comprehendi, & Aſylum oppidum Tarviſini agri deportari, atque teterrimo carcere includi imperauit.

Cœnobii reſiterunt, ſub id temporis direptæ, prædia reſidua in fiſcum redacta, ædes ſacræ militibus reſtitutæ. Odoricus Arnaldi Germanus, ibidem captus, Aſylum perductus, atque altero haud meliori carceri manciparus. Crimen euulgatum eſt olim perdendis proceribus excogitatum, quaſi aduerſus Cæſarem ſentirent, ac Patauinus extorribus faueret. Arnaldus Abbas carceris anguſtias, in augmentum ſanctitatis vertit, atque eo libentius indignam pœnam tulit, quo acrius inferebatur ab hoſte. Parum namque Ezelino viſum eſt illuſtrem virum, ſummæ apud ciues opinionis, atque excellentis in Eccleſia dignitatis ſqualido ergaſtulo concluſiſſe, ſi quid ſolatii ex Amicorū colloquio

vel

vel commodi ex famulitio accederet. Itaque nobiliſſimo Antiſtiti, iam ætatis annum ſexageſimum ſecundum agenti, nec viliſſimum mancipium permiſit, & nequis aduentaret amicorum prohibuit, eadem ac proditoribus indicta pœna. Commentatienſi iuſſum, vt neceſſaria eidem quantum fieri poſſet minora, detterioraque miniſtraret. Demum maximum ſæuitiæ argumentum fuit, cum anno ipſius vitæ extremo iuſſit eundem atro pane & aquæ minimo enutriri. Duriſſima hæc Chriſtiano animo accepta, abſterſerunt quicquid humanæ noxæ reliquum in Arnaldo poterat ſupereſſe; occaſionem namque exhibuerunt maiore cōtemptu contemnere, id quicquid apud mundum reſplenderet. In eo carcere Arnaldus, quicqd ſanctos Monachos decet præſtitit, iam aſſidua oratione ac diuinarum rerum meditatione cœlo intentus, atque inter Beatorum gaudia admiſſus, donec octauo Martyrii anno carne ſolutus eadem accepit. Tunc neque teterrimi carceris, neque ipſius noctis tenebræ effecerunt, vt Arnaldi mors in cōſpectu Domini pretioſa, etiam inter mortales conſpicua non appareret, & diuina lux non indicaret, quanta Beati viri merita eſſent. Qua nocte deceſſit, viſa ſunt in cœlo bina luminа inſtar facularum prælucere in multam noctē ſuper turrim, qua idem detinebatur. Ea plurimi oppidanorum, & multi ex inſtituto Sancti Franciſci Patres conſpicati ſunt, qui proximum templum curabant. Euulgato cœleſtium facularum oſtento, mane ad carceres frequenter itum eſt: vbi cum extinctum Arnaldum comperiſſent, vniuerſi diuinas faces illius ſanctitatis indicium, atque Dei ipſius erga reliquias Abbatis beneuolentiam exiſtimarunt. Sacrum corpus, quia ſepulchrales pompas tyrannus vetabat, maiori deuotione populorum, quam impenſa elatum eſt in proximum templum Sancti Franciſci. Sed cum humillimum ſepulchrum, quo primum collocatum eſt, Religioſos viros & Oppidanos ſollicitaret, aliud decentius extruxerant. Ab obitu ipſius iam quinquaginta dies effluxerant, & iuxta humani corporis conditiones ſuſpectabatur putridū corpus maxime olere, inde mercede Veſpillones fuerant conducti, qui nocte transferrent. Attamen aperto ſepulchro integrū corpus recēte carne, & incorruptis membris offenderunt, etiam ſuaui odore fragrans: quod priuilegium virginitatis habitum eſt, vt mortales diſcant incorruptam à vitiis carnem mortalem, etiam corruptionē præter naturæ conditiones euadere. In nouum tumulū translatum cadauer Aſyli prope biennium remanſit: inde recepta Patauina vrbe, & exacto tyranno, ad proprium Cœnobium relatum eſt celebri pompa, atq; ſublimi tumulo collocatum. Multis miraculis fulſit, & ex his ſpectata maxime beneficia in eos, qui renum dolore cruciabantur, deceſſit annum agens ſeptuageſimum Comites ad palmam Martyrii nactus, ſexaginta quatuor viros ex inſtituto Franciſcanorum ab Ezelino interfectos: cum etiam tyrannus Archidiaconum & Canonicos plures Cathedralis Eccleſiæ, multos etiam è familia Dominicana in carceribus fame & pædore necauiſſet. *Iacobus Cauaccius ex Gerardo, Valerio Muſchetta & aliis lib. 2. & 3. hiſt. Cœnob. D. Iuſtinæ Patau.*

XV. SVMMARIVM HVIVS ANNI.

Eodem anno Alexander Pontifex, Cathedralem Eccleſiam, quam in inſula Chimenſi, in monaſterio Regularium iubente Innocentio III. Pontifice, Eberardus Archiepiſcopus erexerat, confirmauit, Neapoli Nono Cal. Ianuarii, 2. Archiepiſcopo Liuoniæ, Eſtoniæ & Pruſſiæ, cum hactenus nullam certam Metropolitanam obtineret, ſedem Rigæ aſſignauit: 14. Cal. Febr. 3. Locum Aquilæ in Brutiis in Epiſcopatum erexit, ac Furconenſem ſedem ad Eccleſiam SS. Maximi & Georgii Aquilani propter fidelitatem eius populi tranſtulit. Sed id poſt biennium, ſc. anno 1257. datis literis Laterani x. Cal. Martii.

† Eodem anno Alexander Papa D. Claram Sanctorum catalogo inſcripſit, dato diplomate quod ſequitur.

Edita A. D. 1255.

ALexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis per Regnum Francia conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Clara claris præclara meritis, magnæ in cœlo claritate gloriæ, ac in terra ſplendore miraculorum ſublimium, clarè claret. Clarę huius arcta & alta religio, hic coruſcat, huius ſurſum æterni præmii radiat magnitudo, huius virtus ſignis magnificis, mortalibus illuceſcit. Huic Clarę intitulatum fuit ſummæ primilegium paupertatis. Huic in excelſo rependitur inæſtimabilis copia theſaurorum, huic à Catholicis plena deuotio & honoris cumulus exhibetur, hanc Claram in alto diuinæ lucis clarificat plenitudo. Hanc Chriſtianis populis prodigiorum eius inſignia ſtupenda declarant. O Clara multimodè titulis prædita claritatis. Ante conuerſionem tuam vtique clara, in conuerſione clarior, in clauſtrali converſatione præclara, & poſt decurſum vitæ præſentis ſpatium clariſſima illuxiſti. Ab hac Clara clarum exempli ſpeculum huic ſeculo prodiit. Ab hac inter amœnitates cœleſtes, ſuaue lilium virginitatis effertur. Ab hac in terris manifeſta ſubuentionum remedia ſentiuntur. O admiranda Clarę beatę claritas, quæ quanto ſtudioſius per ſingula quæritur, tanto ſplendidior in ſingulis inuenitur. Emicuit hæc inquam in hoc ſeculo, in religione præfulſit, in domo illuxit vt radius, in clauſtro coruſcauit vt fulgor, emicuit in vita, poſt mortem irradiat, claruit in terra; in cœlo relucet. O quanta huius vehementia luminis, & quam vehemens iſtius illuminatio claritatis. Manebat quidem hæc lux ſecretis incluſa clauſtralibus, & foras micantes radios emittebat. Colligebatur in arcto cœnobio, & in amplo ſeculo ſpargebatur. Seruabatur intra, & extra manebat. Latebat namque Clara, ſed eius via patebat. Silebat Clara, ſed ſua fama clamabat. Latebatur in cella, & in vrbibus docebatur. Nec mirum, quia lucerna tam accenſa, tam lucens abſconda non poterat quin ſplenderet, & clarum in domo Domini daret lumen. Nec recondi poterat vas tot aromatum, quin fragraret & ſuaui odore dominicā reſpergeret manſionem. Inò cum in anguſto ſolitudinis receſſorio alabaſtrum ſui corporis hæc dure contereret, tota omnino Eccleſiæ aula ſanctitatis eius odoribus replebatur.

Sane cum ipſa dum adhuc puella eſſet in ſeculo hunc mundum fragilem & immundum, mundo calle ab ætate tenera tranſiire ſtuderet, & precioſum ſuæ virginitatis theſaurum, illibato ſemper pudore cuſtodiens claritatis & pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod ex ea grata & laudabilis ad vicinos & alios fama prodiret: Beatus Franciſcus audito huius fame præconio cœpit confeſtim hortari eam & ad Chriſti perfectam inducere ſeruitutem. Quæ ſacris illius monitis non adhærens & mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ac ſoli domino in paupertate voluntaria famulari deſiderans, hoc ſuum feruens deſiderium, quam cito potuit adimpleuit.

Quæ tandem cuncta ſua bona, vt vna ſecum quicquid etiam habebat Chriſti obſequio deputaret, in elemoſynas & pauperum ſubſidia diſtribuit & conuertit.

Cumque de ſeculi ſtrepitu fugiens, ad quandam campeſtrem declinaſſet Eccleſiam & ab ipſo B. Franciſco ſacra ibi recepta tonſura, proceſſiſſet ad aliam, conſanguineis eius ipſam exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens altare, pannoſq; apprehendens ipſius crinium ſui capitis inciſura detecta, eiſdem conſanguineis in hoc fortiter reſtitit & conſtanter, quia cum iam eſſet mente integra iuncta DEO, pati non poterat ab eius ſeruitio ſe diuelli. Denique cum ad Eccleſiam S. Damiani extra ciuitatem Aſiſinatem vnde traxit originem, per eundem B. Franciſcum adducta fuiſſet, ei Dominus ad morem & cultum aſſiduum ſui nominis, plures ſocias aggregauit. Ab hac ſiquidem, inſignis & ſacer Ordo S. Damiani per orbem iam longe diffuſus ſalutare ſumpſit exordium. Hæc adhortante ipſo B. Franciſco, huic nouæ ſanctæque obſeruantiæ ſequendum dedit initium. Hæc huius magnæ religionis fuit primarium & ſtabile fundamentum. Hæc huius alti operis lapis extitit primitiuus. Hæc genere nobilis, ſed cōuerſatione nobilior, virginitatem quam prius etiam cuſtodiuerat, ſub hac ſanctimoniæ regula præcipue conſeruauit.

Hanc poſtmodum religionem, mater eius Hortulana nomine pijs intenta operibus ipſius natæ ſequendo veſtigia deuote ſuſcepit in qua demum hac optima hortulana, quæ in horto dominico protulit talem plantam, concluſit feliciter dies ſuos. Poſt aliquos vero annos ipſa B. Clara Monaſterii & ſororum reginem, nimia eiuſdem S. Franciſci deuicta importunitate, recepit.

Hæc vtique fuit arbor procera & eminens longis diſtenſa ramis, quæ in agro Eccleſiæ dulcem fructum religionis attulit, & ad cuius delectabilem vmbram, ſub illius amœnitate fructum huiuſmodi libaturæ, concurrerunt vndique multæ alumnæ fidei & concurrunt. Hæc fuit nouæ mulier Vallis Spoletanæ, quæ nouum aquæ vitalis fontem ad refectionem animarum & commodum propinauit, qui iam per diuerſos riuulos, & in territorium Eccleſiæ derivatus plantaria religionis infudit. Hæc fuit altum ſanctitatis candelabrum, vehementer in habitaculo Domini rutilans, ad cuius ingentem ſplendorem plurimæ properauerunt, & properant ſuas de illius lumine lampades accendentes. Hæc profectō in agro fidei plantauit & coluit vineam paupertatis, de qua fructus ſalutis pingues & diuites colligununtur. Hæc in prædio Eccleſiaſticæ humilitatis hortum conſtituit, multiplici rerum conſertum

inopia, in quo magna virtutum copia reperitur. Hæc in religionis districtu, arcem arctæ abstinentiæ fabricauit in qua larga spiritualis alimoniæ refectio ministratur. Hæc fuit pauperum primiceria, Ducissa humilium, magistra continentium, & pœnitentium Abbatissa. Hæc suum Monasterium creditamque in illo sibi familiam solicite ac prudenter in timore ac seruitio Domini, & plena ordinis obseruantia gubernauit vigil. in cura, in ministerio studiosa, in exhortatione attenta, diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in præceptis, in incompaßione præstabilis, discreta in silentio, in sermone matura & consulta in cunctis, ad perfectum regimen oportunis volens magis famulari, quam dominari, & honorare potius, quam honore sustolli. Huius vita erat aliis eruditio & doctrina. In hoc libro vitæ cæteræ viuendi regulam didicerunt. In hoc vitæ speculo, reliquæ vitæ semitas inspexere. Corpore namque sistebat in terra, sed animo versabatur in cœlo. humilitatis vasculum, armariū castitatis, charitatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis, & familiaritatis communio. mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis & accepta. Et vt carne depressa conualesceret spiritu, quo quisque hoste suo debilitato, fit fortior, nudum solum & interdum sarmenta pro lecto habebat, & pro puluinari sub capite durum lignum vnaque tunica cum mantello de vili despecto & hispido panno contenta. his humilibus indumentis ad operimentum sui corporis vtebatur, aspero cilicio de chordulis crinium equorum cōtexto, nōnunquam adhibito iuxta carnem. Arcta quoque in cibo & in potu districta tanta se in his frenabat abstinentia, quod longo tempore tribus diebus in hebdomada, videlicet secunda, quarta, & sexta feria, nihil penitus pro sui corporis alimento gustauit. reliquis nihilominus diebus, adeo se cibariorum paruitate restringens, quod aliæ de ipsa quomodo sub tam forti districtione subsistere poterat mirabantur. Vigiliis insuper, orationibus assidue dedita, in his præcipue diurna & nocturna tempora expendebat. Diutinis tandem perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam, sororum suarum suffragio leuabatur, & ad tergum eius fulcimentis appositis, propriis manibus laborabat, ne in suis etiam esset infirmitatibus ociosa. Vnde de panno lineo huius sui studii & laboris plura pro altaris sacrificio corporalia fieri fecit, & per plana & montana Aßisii diuersis Ecclesiis exhiberi. Amatrix vero præcipua, & colona sedula paupertatis, sic illam suo affixit animo, sic eam in suis desideriis alligauit, quod semper in ipsius delectatione, firmiter & ardentior in amplexu à districta, & delectabili eius copula, pro nulla vnquam necessitate discessit, nec aliquibus prorsus potuit induci suasibus, ad consentiendum, quod suum Monasterium proprias possessiones haberet, quamquam fel. record. Gregorius Papa prædecessor noster de multa indigentia ipsius Monasterii pie cogitans, libenter illi voluerit pro Sororum eius sustentatione, possessiones sufficientes & congruas deputare.

Verum quia magnum & splendidum luminare supprimi non potest, quin sua radios præferat claritatis, in ipsius etiam vita, multis & variis miraculis virtus suæ sanctitatis effulsit. Nam cuidam de sororibus ipsius Monasterii, vocem quam longo tempore quasi omnino perdiderat restaurauit: Alii, officio linguæ penitus destitutæ loquelam restituit expeditam: Alteri, aurem surdam aperuit ad auditum. Laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistula, & aliis oppressas languoribus liberauit, facto crucis signaculo super eas. Quendam fratrum de Ordine Minorum sanauit ab insaniæ paßione. Cum autem quadam vice oleum in Monasterio totaliter defecisset, ipsa vocato fratre qui erat eidem Monasterio pro colligendis eleemosynis deputatus, accepit vrceum atque lauit, vacuumque iuxta fores ipsius Monasterii posuit, vt illum idem frater pro oleo acquirendo deferret; quem cum vellet ipse apprehendere inuenit eum oleo beneficio diuinæ largitatis impletum. Rursum cum vno die non nisi vnius panis medietas pro refectione sororum in eodem Monasterio haberetur, ipsa medietatem eandem iussit in frusta diuidi & sororibus dispensari, quam inter manus frangentis, ille qui viuus est panis & dat escam esurientibus, multiplicauit in tantum, quod quinquaginta sufficientes factæ fuerunt exinde portiones, & sororibus discumbentibus distributæ. Per hæc & alia signa conspicua, suorum dum adhuc viueret innotuit præeminentia meritorum. Nam, & cum in extremis ageret, candidus Beatarum Virginum cœtus, micantibus coronis ornatus in qua vna ex ipsis eminentior & fulgidior apparebat visus est domum intrare, vbi eadem Christi famula decumbebat, & vsque ad lectulum eius procedere ac circa eam quasi visitationis officium ac confortationis solamen quodam humanitatis studio exhibere.

Post obitum vero eius, quidam qui morbo caduco ruebat, & propter eius contractum gradi non poterat, ad sepulchrum delatus ipsius fuit, ibi crure ipso quasi fragoris sonitum faciente, ab vtraque infirmitate curatus. Curui renibus, membris contracti, præcipites furia & dementi furore ferales receperunt ibidem integram sospitatem. Cuidam sua dextera manus, cuius ipse vsum ex illata sibi vehementi percussione ita perdiderat, quod nihil omnino per eam veluti prorsus inutilem poterat operari, fuit ad actum suum pristinum, ipsius sanctæ meritis plenarie reformata. Aliis qui diutina cæcitate lumen amiserat oculorum, cum ad idem sepulchrum sub ducatu alterius acceßisset, recuperato inibi visu rediit exinde sine duce. His & quam pluribus aliis operibus & miraculis hæc venerabilis virgo resplēduit gloriosis, vt euidenter appareat adimpletum id quod de ipsa mater eius dum esset ex ea grauida & oraret, dicitur audiuisse. Videlicet quod parituræ erat quoddam lumen, quod orbem plurimum illustraret.

Gaudeat itaque Mater Ecclesia quod talem genuit & educauit filiam, quæ tanquam virtutum fœcunda parens, multas religionis alumnas, suis produxit exemplis ad perfectum Christi seruitium pleno magisterio informauit. Lætetur & deuota turba fidelium, quod Rex Cœlorum, & Dominus, sororem ipsorum & sociam quam in sponsam sibi elegerat, ad suum præcelsum & præclarum palatium, cum gloria introduxit. Nam & sanctorum congaudent agmina, quod in superna eorum patria nouella regalis sponsæ nuptiæ celebrantur.

Cæterum, quia congruit vt quam Dominus exaltauit in cœlo, Catholica Ecclesia veneretur in terra, quia de sāctitate vitæ ac miraculis eius diligenti & attenta inquisitione ac examinatione distincta, & solemni discußione præmißis, liquido cōstitit, licet alias etiam & in propinquis & remotis partibus satis essent præcognita lucida eius acta, Nos de communi fratrum nostrorum & Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio & assensu de omnipotentia diuina confisi auctoritate Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra, ipsam Catalogo sanctarum Virginum duximus adscribendam.

Ideoque vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pridie Idus Augusti, festum eiusdem virginis deuote & solenniter celebretis & faciatis à vestris subditis venerabiliter celebrari, vt ipsam habere mereamini apud Deum piam & sedulam adiutricem.

Et vt ad venerandum eius sepulchrum auidius & copiosius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ipsius festiuitas recolatur, omnibus vere pœnitentibus & confeßis, qui ad illud cum reuerentia, in eiusdem virginis festo, vel etiam infra ipsius festi octauas annuatim accesserint ipsius suffragia humiliter petituri, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Anagniæ, sexto Cal. Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

† Sancti quoque Francisci stigmatum impugnatores hoc diplomate euulgato percelluit Alexander.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis præsentes literas inspecturis & audituris, salutem & Apostolicam Benedictionem. *Edita A.D. 1255.*

Benigna operatio diuinæ voluntatis in cœlo potens & innouans singula sapienter & immutans mirabilia super terram, postquam Dei filius victor mortis ad patrem vnde descenderat vehiculo propriæ maiestatis ascendit, mirificæ fortitudinis viros ad consummationem sanctorum diuersis temporibus suscitauit à quibus testimonium spei, gloriæ cum Christo in Deo reconditæ firmaretur & Ecclesiæ Sanctæ ad promissam requiem festinandi in hoc peregrinationis exilio, quod tædiosa desiderii eius dilatione protrahitur, per ipsos consolationis solatium perueniret.

Inter alias autem diebus nostris B. Franciscus almus Christi confessor apparuit signis & virtutibus gloriosus. Qui clarißimus pie viuendi meritis & exemplis sanctam fœcundauit Ecclesiam, & caligantia præsentis ætatis tempora fulgoris sui lampade illustrans viam iustitiæ perfectè præparans in eremo altißimæ paupertatis quam ipse currens & alacriter exultans, contra carnem, mundum, & dæmonem, velut gigas traxit post se de inferni faucibus, & traduxit ad Dominum Populum humilem bonorum operum sectatorem, sicut effusa super faciem orbis terræ copiosa professionis eius religiosa generatio patefacit. Vt autem ad illuminationem gentium, celebris eius memoria, tanquam rutilum sydus in corusco firmamenti mystici æthere seruaretur, multis eum diuina potentia adhuc militantem inter homines, & demum in sanctorum agmine triumphantem dignata est clarificare miraculis, quæ fel. rec. Gregorius Papa prædecessor noster, ne illa vel peruerteret æmula sanctitatis iniquitas, vel obliuionis digitus, qui rebus gestis cito superducitur, abolesceret, solennißimis inquisitionibus in-

dagata

indagata & comperta fidelißimis documentis fecit ad laudem Dei & augmentum fidei & instructionem salubrem tam præsentium quam etiam futurorum munimentis perpetuis commendari eundem Confessorum sanctorum Catalogo adscribendo, sicut in plurimis locis liquido per ipsius prædictas literas apparet, horum seriem explicite continentes.

Porro quia longum esset nedum exarare per singula, verum etiam succincta relatione perstringere clara virtutis diuinæ prodigia, quæ tam in operationibus sanctitatis, quam etiam in aliis mirabilibus argumentis probauerunt, eundem Confessorem tenere cum sanctis soliū gloriæ in excelsis, signanter vobis ante oculos proponere volumus recolenda frequentius & vehementius admiranda illa satis iocunda dominicæ paßionis insignia, quæ in eiusdem sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foueretur manus cœlestis operationis impreßit. Viderunt namq; oculi fideliter intuentes, & certißimi contractantium digiti palpauerunt, quod in manibus eius & pedibus expressa vndiq; similitudine clauorū de subiecto propriæ carnis exercuit vel de materia nouæ creationis accreuit, quæ quidem idem sanctus studiose ab oculis hominum quorum refugiebat gloriam, dum viueret abscondebat. Inuēta est patentius in ipsius defuncti corpore non inflicta humanitus, nec facta plaga vulneris lateralis, quasi aliquando instar lateris Saluatoris, quod redemptionis & regenerationis humanæ in Redemptore nostro protulit sacramentum, quæ quidem plaga sicut quosdam ex fratribus sibi familiariter adhærentib. latere non potuit, propter deflexum humeris, diu ante viruerat in viuente.

Hæc igitur mira & decora nouæ demonstrationis indicia magnæ dicuntur esse deuotionis, diuitiæ Christianis, & inextimabiles religionis deliciæ in spiritualib. communis Ecclesiæ orthodoxæ thesauri. Cum ex his sincera fides accipiat, quod etiā illi fuerint paßionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro eius amore carnem suam cum vitiis & concupiscentiis voluntarie crucifigunt. Sane de præfato sancto, hæc certius asserentes, indoctas fabulas, seu vanæ adinuentionis deliramēta non sequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum, quando videlicet nos in minoribus constituti Confessoris eiusdem familiarē ex munere diuino meruimus habere notitiam, præfati prædecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo.

Cum igitur oporteat cauere prudenter ne tanta patrocinii gratia humano generi cœlitus in memorato Confessore collata, inuacuum assumatur, vniuersitatē vestram rogamus, monemus, hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eiusdem Confessoris preciosa merita & miraculorū magnalia & salutarem memoriā celebritate annua, prædicatione frequenti, & veneratione recensentes, ad ipsius deuotionem & gratiæ diuinæ memoriam subditos vestros celebribus monitis excitetis, vt eo pro vniuerso fidelium populo, ac præsertim pro his qui illum inuocauerint, diuinam misericordiam implorāte, mereantur supplices quod operum poßibilitas obtinere non potest, eius intercessionibus impetrare.

Nemo itaq; eidem sancto audeat de cætero esse molestus in corpore suo Christi triumphalia stigmata præferenti. Si quis igitur spiritu temerariæ præsumptionis insaniens, diuini muneris inuidus, Apostolica iudicia sacrilegus impugnator, præmissa vel alia prodigiorū signa, quibus in Ecclesia Dei sanctitas prædicti Confessoris eluxit, improbe contradictionis morsibus obtrectanda crediderit, volumus & mādamus, vt eum sanæ mentis restituat iudicialis seueritas disciplinæ, ita quod districta proprii Prælati castigatione correctus Dei opera blasphemare dediscat, & fidei Catholicæ fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans non arescat. Nulli ergo, &c. Datum Anagniæ 4. Calendas Nouembris, Pontificatus nostri anno primo.

IESV CHRISTI
Annus 1256.

ALEXANDRI PAP. IV. Annus 2. BALDVINI II. Imp. Or. 28.

I. TRICEPS MŌSTRVM NATVM APVD SAMNITES, TRIVM COMPETITORVM IMPERII SIGNIFICATIVVM. a epist. 353.

Triceps monstrum, siue hoc, siue anno superiore, cuidam Riccæ apud Samnites natū, sed breui extinctum, tres competitores Imperii Romani, fore portēdebat, Corradinum, Richardum, Alfonsum. Et quidem ne Corradinus Friderici nepos, in Regem Romanorum eligeretur, Alexander Papa a datis ad Sigefridum Archiepiscopū Moguntinum literis, summa ope annisus est. Causas habebat: tum quod Fridericus olim Imperator Romanorum, & sui progenitores, ac posteri, erga Romanam omnium matrem Ecclesiam, immanissime se gesserint, & malum ei pro beneficiis susceptis rependerint, omniumq; aliorum persecutorum excedentes tyrannidem, grauioribus iam affecerint iniuriis, & oppressionibus durissimis afflixerint, cum sanguine deriuata malitia: tum quod in hoc genere patrum in filios, sicut carnis propagatione, sic operum & sæuitiæ imitatione natos genitorib. succedere arbitrabatur: tum quod Puer in Regem Romanorum eligi, & inaugurari minime debeat. Quia cum per electionem huiusmodi de Aduocato & defensore Ecclesiæ idoneo deberet, inquit, Ecclesiæ prouideri, & ipse puer Corradinus esset omnimodo ineptus, & inutilis ad talis defensionis officium vel ministerium exequendum: oporteret eandem Ecclesiam, si contingeret dictum puerum eligi, manere diutius non absq; grauibus dispendiis, auxilio & defensione omnimodo destitutā. In omnes igitur electores, qui Corradinum puerum vel nominare, vel eligere, seu in ipsum cōsentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel fauorē vt eligeretur dare præsumpsissent, excōmunicationis sententiam promulgauit.

Placet inserere eam Alexandri Sigefrido scriptam epistolam: quæ ita habet. MOGVNTINO ARCHIEPISCOPO SIGEFRIDO SCRIBIT ALEXANDER, NE CONRADINVS FRIDERICI NEPOS ELIGATVR.

Firma profectò consistit domus, quæ solidis fulcita est columnis, & Ecclesia tunc multo stabilitur robore, cū Prælatorū virtute ac cōstantia cōmunitur. Inter quos quia honore ac potētia eminere dignosceris, conueniens est & debitum, vt fauorabilius & vehementius eidē assistas Ecclesiæ: ac à te ipsa in opportunitatib. præsidia sentiat potiora. Quia si eius augetur status & optatis proficit incrementis, vna tu cum ea suorum profectuum participatione concrescis, & si, quod absit, aliquibus molestaretur aduersis, & sinistris pungeretur euentibus, sua te molestia minime præteriret, sed simul cum ipsa gustares suarū amaritudinem punctionum. Imo sicut locum in ea obtines magis conspicuum, & excelsum, sic plus te illius lætificaret prosperitas, & tribulatio conturbaret, nec ipsa quæ plurimum in tuis congaudet commodis, de tuis posset aduersitatibus grauiter non dolere. Quanto autem affectu te ac alios Alemaniæ prælatos Romana semper prosecuta fuerit Ecclesia, quātisq; vos & Ecclesias vestras studuerit aßidue magnificare, ac præseruare fauoribus, clarè liquet, cum nunquā in beneficiis & gratiis circa vos & ipsas Ecclesias defecerit suæ irriguum largitatis: nec vsquā vobis in neceßitatibus ipsius defuerint auxilia, quæ vestri, tamquam proprii zelatrix honoris indefesse curauit, quotiens oportuit vestris adesse negotiis: sicut promotrix sollicita, & adiutrix per omnia studiosa. Nec immerito quidem, cum & in suis agendis vos inter cæteros promptos cooperatores repererit, & præcipuos senserit Adiutores, propter quod decet, & expedit, vt attentè pro ipsius vigiletis honore, quæ vestris diligēter intendere vtilitatibus non desistit. Sane intelleximus, quod instat tempus electioni, celebrādæ de Rege, in Imperatorē postmodum promouendum: insuper quo tanto propensior adhibenda est diligētia, & cautela, quanto altius & difficilius est negotiū quod geritur in hac parte, quantoq; res, si aliqua in ea interueniret negligentia, seu improuidentia, vel desidia, deteriorē habere posset effectum, & exitum noxiorem. Vnde hic vehementer vigilandum est: hic perspicaciter intuendum, hic considerandū prudenter, hic mature deliberandum, hic aperiendi sunt oculi, hic habendæ sunt aures intentæ: hic mens esse debet non rudis & torpida, sed diligens, peruigil & consulta, vbi de Aduocato Ecclesiæ agitur, de ipsius defensore tractatur; ne pro Aduocato impugnator, & pro defensore assumatur vel eligatur offensor. Quare vndique summæ cogitationis præferenda est acies, & circumquaque districta explorandum indagine, vt talis (cooperante Domino) reperiatur & eligatur, qui fidelis & deuotus existat, & de prosapia processerit Deuotorum, ac idoneus & sufficiens merito reputetur, ad obtinendū tanti honoris culmen & Imperii Regimen exercendum. Qualiter autem quondam Fridericus olim Romanorum Imperii & sui progenitores, & posteri, erga matrem Ecclesiam se gesserint, & qualem ei retributionem de beneficiis ab ea perceptis impenderint, patens est & cognitum toti orbi. Quoniam hi, aliorum persequutorū excedentes tyrannidem, grauioribus eam affecerunt iniuriis & oppreßionibus duriorib. afflixerunt, & velut in exterminium eius intendentes furoris arcum & feritatis gladiū acuentes diris illam vbilibet tribulauere flagellis, & vsque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt. Nam in hoc prauo genere, Patrum in filios cum sanguine deriuata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Ex quo liquido perpendi potest, & coniici, si ex ipso aliquæ posteritatis reliquiæ remanserunt, quid sperandum sit in futurum de illis, quid in posterum exspectandum. Vita namque & gesta prædecessorum peruersa iniquitatem prænunciant successoris, nec horribilis & scelesta illorum memoria, quicquā boni de ipsorum posteritate credere vel sperare permittit. De colubro quidem egreditur regulus, & arbor mala noxios fru-

ctus

ctus profert, prauumque principium numquam bonum pollicetur effectum. Et ideo de Conrado puero, nato quondam Conradi prædicti Friderici secundi filio est præcauendum omnino, nec vllo modo intendatur ad eum, nec nominetur ad hoc, nec aliquatenus eligatur, maxime cum propter infantiam, nimiumque defectum ætatis sit ad ista prorsus inhabilis ac penitus ineligibilis. Puer ipse est, nec ius quod ex lectione prouenire vel consingere consuevit, sibi posset competere, nec in sua cadere, vel retineri persona: cum propter puerilem ætatem quæ discretione caret, & legitimum consensum vel dissensum non habet, electioni, si de ipso fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam vel vigorem. Et ex eo etiam idem puer in Regem eligi vel nominari non debet: quia cum per electionem huiusmodi de aduocato vel defensore idoneo debeat Ecclesiæ prouideri, & ipse puer sit, omnimodo ineptus & inutilis ad talis defensionis officium seu ministerium exequendum, oporteret eandem Ecclesiam, si contingeret eligi dictum puerum, manere diutius, non absque quibusuis, forte dispendiis, defensionis commodo destitutam: Nec per hoc etiam consuleretur amplo & spacioso Regno Theutonico de Rege vel Rectore condigno, cum male possit alios regere, qui non nouit gubernare seipsum: nec bene vel digne aliorum gubernaculo præsse valeat, qui regimine ducitur alieno, & cui propter tot patentes defectus, necessaria est alterius custodiæ & tutela. Propter quod Regnii ipsum longo tempore, non sine multo discrimine sub opportuni regiminis operatione langueret. Ideoque Fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, ac per Apostolicam auctoritatem tibi in virtute Sanctæ obedientiæ, sub debito fidelitatis, quo nobis & Ecclesiæ Romanæ teneris, ac sub pœna excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, districte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Conradum puerum, nullatenus in Regem eligas nec nomines, neque consentias in eundem, ita quod excommunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere vel venire præsumpseris, & eundem Conradum nominaueris, vel elegeris, aut in ipsum consenseris, seu opem vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, impenderis: & etiam si eius electionem non impediueris toto posse, vt si forte ad ipsius electionem vel nominationem processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Aliis vero coelectoribus tuis, tam Ecclesiasticis quam secularibus auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant, nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam, imò nostram inhibitionem venire tentauerint. Ita quod si eum nominare, vel eligere, aut in ipsum consentire præsumpserint, noscant, se prorsus excommunicationis vinculo innodatos: vt ex hoc ipso (si de prædicto puero quicquam in hac parte attentatum fuerit) sic prorsus vacuum, irritum & inane. Mandatum itaque ac præceptum super hoc Apostolicum sic fideliter, sapienter, & efficaciter adimplere studeas, omnem opem, & operam adhibeas, vt aliquis fide clarus, & deuotione syncerus, cui ad hoc suffragentur merita, eligatur, quod ex iis nos & Romana Ecclesia tibi & Ecclesiæ tuæ arctius obliges, nosque lætari possimus, id, in hoc quod intendimus, tuo solerti studio salubriter prouenisse. Ad hæc, nihilominus in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, dare præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus: quam per te, antequam ad nominationem, vel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis coelectoribus præcipimus nuntiari. Quod si non feceris, eo ipso te nouueris laqueo excommunicationis astrictum. Datum Anagniæ 5. Calend. Augusti. Anno Pontif. nostri secundo.

Huc itaque Regni Legionis suffragia inclinabant. Alphonsus quidem apud exteras nationes eruditionis fama celebris, facundus, callidus, belli & pacis artibus peræque instructus esse prædicabatur. Ea res plerosque Proceres Germaniæ impellebat, vt in Imperii Comitiis, vbi de Augusto deligendo atque in Guillelmi Cæsaris locum substituendo deliberatio suscepta foret, Alphonsi ratio haberetur: non tamen vna omnium voluntas, neque consentientia omnium suffragia erant. Nam Coloniæ Præsul suo & Moguntini nomine eius vicarius, & Palatinus Comes Richardum Cornubiæ Comitem Henrici Regis Angliæ fratrem, imperio præficere conabantur: cum tamen Alexander, nonnisi dignum aliquem imperio vt eligerent, flagitaret, nec in illius, aut istius partem magis propenderet. Et quidem ista in Alemannia, pro Imperatore sufficiendo.

Mariana l. 15. cap. 10.

II. *Inuenatius in Annal.*

In Italia vero, hoc anno, maiores motiones, quâ à Manfredo, quâ ab Ezelino. Manfredus enim Regno, aliqua ex parte occupato, & Apulia, Samnio, Brutiis, in suam potestatem redactis, iam se Regem non beneficio feudi, sed iure belli appellabat. Ita enim Elizabethæ Corradini matri per nuncios vtrumque & Neapolit. & Siculum regnum filio per nuncios repoſcenti, ad x. Cal. Martii respondit, quod vtrumque iure belli acquisiuisset, & dum in viuis esset possidere vellet: post mortem forte illud Corradino relicturus, si tamen illum Elizabetha ad ediscendos mores Italiæ impuberem transmitteret. Cæterum tyrannus non educationem, sed internecionem pueri cogitabat. Enimuero Regni Siculi se hæredem scribebat, & illæd daris nomine Aragoniis promittebat Manfredoniam quoque ex suo nomine vrbem, non minore ambitione quam superstitione condidit: aduocatis vndequaque primum Astrologis, qui felicia sydera vrbi condendæ aspicerent atque renunciarent. Campanam insuper ingentis magnitudinis ex ære fudit, atque suspendit, quæ in quinquagesimum vsque lapidem à populis audiretur, eosque ad nutum siue ad concionem, siue ad militiam vocaret. Contra hunc quem amplius obiiceret Alexander, omnibus oculis circumspiciebat. Henricus & Edmundus Angli in subsidia, & ad possessionem Regnorum Siculi & Neapolitani, ex pactis venire obligati, aduentum differebant; cumque ad vltimos dies Septembris adesse deberent, vnius adhuc anni inducias postulabant. Quamquam autem grauissimè premeretur Alexander, atque frustrà ab eis vel exercitum, vel pecunias in stipendia militaria expectaret, vt Regnum Siciliæ à tyrannide Manfredi liberaret: non grauate tamen vsque ad mensem Decembrem anni subsequentis diem illis ad veniendum prorogauit: datis vtriq; literis Anagniæ 2. Nonas Octobr. Pontif. an. 2. Vt verò haberent, qui vtrumq; monerent, Archiepiscopum Tarantasiensium, electum Episcopum Sarisbetiensem & Abbatem S. Vedasti Londoniensis diœcesis monitores Alexander constituit; qui renunciarent Henricum Regem & Comitem Edmundum in anathema incidisse, regnumque Angliæ vniuersum à sacris interdictum esse, si illi pactis non steterent, & ad diem designatum non venissent.

epist. 465.

In Lombardia, per hos dies, Ezelinus à Romanis atrocissime in populos sæuiebat. Triginta sex pueros Patauii exsecuit, quindecim oculos eruit, plures flammis exussit, innumerabiles carceribus conclusos fame & pædore enecauit, non pauciores patibulis affixit; non minores solum vertere coegit. Contra hunc Legatus à Sede Apostolica missus, cruce signatorum exercitu ex Venetia, Patauinis, Ferrariensibus, Rodiginis, & aliis conscripto, cruce prælata, & hymno illo Ecclesiæ solemni, *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium*, præcantato processit, atque Patauium, fuga elapso Ansedisio Ezelino nepote, post aliquàm obsidionem recepit, omnesque qui censuris Ecclesiasticis innodati fuissent, ab eis exsoluit, ad tertium Nonas Iunii. Superuenit tandem Ezelinus ipsis Calendis Augusti, & tum cruce signatis profligatis, tum Patauio, atque Vicentia recepta, atrocissimè in omnes promiscuè, præsertim vero, quos Pontificis partibus fauentes cognouisset, bacchatus est; viribus Alexandri in diuersa distractis.

III. EZELINI IMMANITATES. *MS. de Ezelino in Bibliotheca Vaticana.*

In Lusitania nonnihil turbarum, ab intemperantia Alphonsi Portugalliæ Regis: Nupta illi fuerat Matildis, Bononiæ Comes. Et fidem cum Alphonsus violasset, sesque adulterio commaculasset, dederat occasionem & Ludouici Regis Galliarum patrocinium, & Alexandri iudicium contra Regem, maritum adulterum implorandi. Commiserat Alexander Ludouico, datis ad eum Neapoli anno superiore literis, ne comitissam, lite pendente, compelleret, Alphonso cohabitare. Cum autem controuersiam cognouisset, ex voto Cardinalium decreuerat, vt vterque quantum ad officia matrimonii attineret, thoro abstineret, latem diuiderent, Rex autem Comitissæ dotem integram, & quicquid hactenus recepisset, restitueret. Forte Sanctius Alphonsi antecessor nonnulla causa erat, cur Alphonsus & thorum matrimonii violasset, & hanc sententiam à sede Apostolica in contumaciæ pœnam audiuisset.

IV. ALPHONSVS REX LVSITANIÆ ADVLTERIO ET DIVORTIO POLLVTVS, EXCOMMVNICATVR, ET TOTVM REGNVM INTERDICTO SVBICITVR AD ANNOS XII. VT DICITVR. *epist. 405. Id. Maii. epist. 357. Anagn. 7. Cal. Augusti.*

Quamobrem Matildis Sanctii obitu renunciato, mari in Lusitaniam accurrit, veteris coniugii intra repetitura; si quomodo tandem Alphonsus vir posset à prauamente deduci, ad Cascales oppidum appulsa, tantum non in Olisponis conspectum se dedit. Inde ne facta quidem potestate Regem conueniendi, retro se referre compulsa est. Has tamen ad eum literas dedit.

Mariana l. 13. cap. 12.

Accessissem propius, tuamque improbitatem coram accussassem, qui suscepti laboris fructus esset multo maximus, sed quoniam id facere prohibeor, nostrumque, ingrate & crudelis, conspectum ferre non potuisti, conscientiæ stimulis agitatus scilicet, atque malis incursibus furiatus; non committam, quin absens faciam, orbique vniuerso his literis iusti doloris indicium, acceptæ iniuriæ testimonium, tuæque perfidiæ & impietatis perpetuum monumentum relinquam. Sunt forè acerba morborum remedia, quæ salutaria, ipsa etiam magno hæc cum gemitu scribo; sed egenum tamen, patria extorrem, sine lare, sine spe, hominem penè dixerim barbarum, tecto, thoro, imperioque recepi. O nimiam, meam dicam, an meorum, an vtrorumque facilitatem! Nimirum nostra nos opinio fideique tua falsos habuit, vt plura quam velles, maiora quam sperares, dantes ludibrio haberemur, memini cum non anima, non nobis posse carere iurabas. Enreligio, en constantia. Quid hoc? cum regno vecordia iniecta est animo, in alium virum mutatus, nostri oblitus, beneficii immemor, amoribus nouis indulges eius, quæ pellex vocetur necesse est, priori coniugio constanti, nouo vitioso. Genus, forma, ætas, opes displicuere antea vobis Regibus id sanctum, id honestum est, quod vtile rationibus regnandi? Verum ego superstes sum, eroque, dum principum arma, nationum omnium odia in te concitauero. Omnium telis quasi fera appetita corrues. Certè vindictam diuinam tuo capiti imminere, iamque affore, præsagit animus. Qui nunc scelere ferox atque præclarum nostras lachrymas spernis; breui omnibus tormentis oppressus, nostri doloris, impietatis tuæ iustissimas pœnas dabis. Hac vna spe, vt in malis sustentabor. Quæ aut sublata, aut expleta, vita libens cedam, atque ita cedam, vt perfidia tua iudicio nostro, non virtus aut animus nobis defuisse videatur.

His literis nihil obstinatus Regis animus motus est; sed palam affirmauit nouum se die postero coniugium initurum, si id ex vsu fore regnandi fuerit exploratum. Illa discessit irata Regi, eiusque capiti dira omnia comprecata. De iniuriæ vindicta cum Ludouico Galliæ præsens egit, & cum Alexandro Pontifice per Legatos. In Ludouico parum præsidii erat, ob locorum longinquitatem. Romanus Pontif. Alphonsum mouit, atque obtestatus est, vt redintegrata cum Matilde gratia, ad primum coniugium rediret. Docuit enim, quanto in salutis discrimine versaretur; Neque numina importunis actionibus irritanda esse; Ad has voces Alphonsi aures obturatæ erant, & animus præfractus, cupiditas & ambitio mali consultores oculis officiebant, ne lumen viderent. Ergo obedire recusantem Alexander Pontifex diris deuouit, Lusitaniæque quam longè Regni fines pertinebant, sacrificiis interdixit. Interdictum tenuisse duodecim annos scribunt; Dumque neque Rex mutaret, neque consequentes Pontifices, de iustissima indignatione remitterent, Regiæ improbitatis pœnam innocentes populi sustinuerunt. Sic sunt res humanæ, sic fert conditio mortalium. Et erat alioqui Alphonsus miti & tractabili ingenio, æqui iustique tenacissimus. Latrocinia & maleficia, quæ ex superiorum temporum licentia, & Sancti Regis socordia impunè grassabantur, tota prouincia sustulit; Leges sanxit, iudicia constituit; Summos cum mediis, atque cum his infimam plebem æquabili iure constrictos tenuit. Hæc domi, militiæ autem non minor virtus fuit. Eius enim armis & auspiciis ditionis fines prolati. Farum, Algesita, Aluofera, aliaque in Syluensi tractu oppida Mauris ablata. Extant pietatis monimenta. Olisipone, Dominicano Ordini præclarum cœnobium perfectum per hæc tempora, ad culmenq; perductum. Scalabi Virginum Collegium Sanctæ Claræ nomine eius impensa à fundamentis exstructum, ea in pauperes munificentia; vt exhaustis sæpe thesauris redigenda pecunia domesticam suppellectilem solitus esset oppignorare. Hæc autem decora turpi diuortio defædauit, cum prius adulterio polluisset.

V. *1. epist. 325. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI ALEXANDRI IV. 2. epist. 47.*

Eodem anno Alexander Pontifex I. Postulationes & capitula ad Sedem Apostolicam tempore Innocētii Quarti Pontificis à Calo Ioanne Græcorum per Cyzicenum, & Sardicensem Archiepiscopos, & Angelum Comitem atque Theophylactum magnum interpretem, in negotio vnionis orientalis & occidentalis Ecclesiæ missa recognouit, examinauit, confirmauit, omnesque orientales ad vnitatem hortatus est. 2. Theobaldum Regem & Martaritum Reginam Nauarræorum multis priuilegiis ornauit. 3. Vniuersis & singulis Frattibus Ordinis Prædicatorum in terra sanctum Verbum DEI prædicantibus indulgentias & priuilegia Crucesignatorum largitus est. 4. Episcopo Vratislauiensi, Priori Culmens. Ordinis Prædicatorum, & Fratri Bartholomæo Ordinis Minorum prædicatoribus Crucis CHRISTI in Polonia contra paganos circumuicinos, vt quosdam eorum ad fidem venire cupientes reciperent, & dominio Casimiri Lanficiæ & Cuiauiæ Ducis adiungerent, iniunxit. 5. Contra Ezelinum tyrannum diras & anathemata iterauit. 6. Censum à Iudice Calaritano pro Regno Sardiniæ exegit. 7. Indulgentias proficiscentibus in succursum Liuoniæ & Prussiæ, impertiuit. 8. Pro libertate Ecclesiastica asserenda, & pro simoniæ vitio extirpando in Galliis multa sanxit.

Lat. 15. Cal. Febr. & ep. 239. Lat. 12. Cal. Maii. 3. ep. 23. Lat. 3 Non. Ian. 4. ep. 350. Anagn. Id. Iul.

5. epist. 7. 6. epist. 2. 7 ep. 367.

8. ep. 268.

Hoc anno 18. Ianuarii Ludouicus Bauariæ Dux Mariam coniugem innocentem, adulterii falso insimulatam, indicta causa, contra ius & fas capite plectit. Præfectam Gynæceo tanquam consciam de turri præcipitat, Virginem denique ex Prænebris gentis familia gladio confodit. *Auentinus in Sueuia.*

VI. LVDOVIC. BAVARVS CŌIVGEM ADVLTERII FALSO INSIMVLATAM CAPITE PLECTIT.

† Tandem cognita, quamuis serò, coniugis innocentia, iussus est, pro expianda culpa, ab Alexandro IV. Pontif. Max. religiosis viris cœnobium condere. Condidit ergo Furstenfeldense Monasterium ad tertium ab vrbe Monachio lapidem, quod hodieque viget & floret, cuius causa in fronte Abbatiæ districho expressa est.

Coniugis innocuæ fusi monumenta cruoris,
Pro culpa precium claustra sacrata vides.

Testes historiæ. *Vita B. Mariæ* (sic enim inscribitur) *in cœnobio Werdiæ ad S. Crucem. Historia Erfordiana ex editione Pistoriana, de Lantgrauiis Thuringiæ. pag. 931. Arenbeckius lib. 5. cap. 21. Vitus Elersberg. pag. 84. Andreas Presbyter de Monasteriis Bauariæ.*

Hoc ipso anno quam plurimum controuersiarum intercessit inter Fratrem Anselmum Ordinis Prædicatorum, Inquisitorem Liguriæ, & Magistratum Genuensem: conabatur ille, vt nonnullæ constitutiones tum ab Apostolica Sede, tum ab Imperatoria potestate editæ, contra hæreticos euulgarentur, & inter leges ciuitatis reponerentur. Veruntamen Philippus Turrianus ciuitatis præfectus, siue quod hæreticis faueret, siue quod mandata Inquisitoris flocci penderet, recusauit. Inquisitor porro auctoritate Apostolica fretus, contra Philippum eo nomine de hæresi suspectum iudicium instituit, atque obtemperare, & comparere recusantem, tum illum, tum reliquos, in administranda Republica socios, criminis conscios, anathemate damnauit, & sacris vrbi interdixit. Philippus ea censura notatus, appellationem ad sedem Apostol. interposuit, Legatosque ad Summum Pont. misit: qui suspensionem à censuris impetrarent, & de tota re iudicium exspectarent. Et quidem Summus Pont. ad præstituram diem, eas quas Anselmus protulerat diras, suspendit; Philippus verò antequam eadem dies adueniret, dictis Anselmi obsequens, omnes constitutiones eas, quas voluerat inquisitor, tabulis legum Vrbanarum inscripsit, & iuxta earumdem præscriptum in male sanos animaduertit. *Augustin. Nebien. libro tertio annal. Genuensium.*

VII. PHILIPPVS TVRRIANVS AB FR. ANSELMO INQVISITORE DIRIS DEVOTVR OB CONSTITVTIONES CONTRA HÆRETICOS NON SERVATAS.

Genuam hoc eodem anno miraculosè illata sunt ex Catalonia corpora SS. Fructuosi, Augurii, Eulogii, & vnà cum corporibus SS. Iustini, Procopii, Martialis, Panthaleonis & Georgii in monasterio eorum collocata. *Idem qui supra.*

VIII.

Hoc anno Alexander Pontifex fratres hospitalis Sanctæ Mariæ in Saxia de vrbe ad exemplar Innocentii III. Honorii III. & Gregorii IX. sub Beati Petri, & Sedis Apostol. protectionem suscipiens, priuilegia eiusdem religionis confirmauit: cum hæc præclara in commendationem hospitalitatis præscripsisset, in edito diplomate dicens.

IX. PRIVILEGIA FF. HOSPITALIS S. MAR. IN SAXIA DE VRBE CONFIRMAT ALEXAND.

Inter opera pietatis, quæ secundū Apostolum, promissionem habent

vitæ præsentis pariter & futuræ, hospitalitatis nobis specialiter, & frequenter diuinæ scripturæ commendat. Vtpote quæ omnia illa comprehendit: propter quæ Dominus in vltimæ discussionis examine remuneraturum se bonos, & malos asserit puniturum. Hæc enim pascit esurientes, sitientes potat, colligit hospites, nudos vestit, & non solum infirmos visitat, sed in se eorum infirmitates assumens, infirmantium curam agit, in carcere positis subuenit, & quibus viuis in infirmitate participat, communicat in sepultura defunctis. Propter hanc quidam angelis receptis in hospitio placuerunt, cum Abraham & Loth hospitalitati vacantes, angelos meruerunt hospitari, per quos Abrahã iam senex futuræ prolis promissionem accepit, & Loth fuit de incendio Sodomæ liberatus. Duo quoque discipuli, qui Iesum in hospitio cognouerunt, quem in expositione scripturæ non nouerant, in panis fractione nouerunt, per hanc superflua diuitum, quæ congregata fortè seruarentur ad mortem, in necessitates pauperum erogantur ad vitam. Per hanc terrena in cœlestia, & transitoria in æterna fælici commercio commutantur, dum per manus thesaurizamus pauperum in cœlis, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur: Et facimus nobis de mammona iniquitatis amicos, qui, cum defecerimus, in æterna tabernacula nos admittant.

Hæc cum literis suis Alexander Pontif. præscripsisset, multa in gratiam Magistri & FF. eiusdem Hospitalis concessit. Datis literis Anagniæ 2. Idus Iunii. Indict. 14. Pontif. anno 2.

X. PATRIARCHÃ GRADEN. INSTITVIT IDEM ALEXAND.

Eodem anno ad exemplum Anastasii, Pelagii, Alexandri, Vrbani II. Adriani, Alexand. Lucii, Vrbani III. Clementis & Innoc. III. prædecessorum suorum Alexander Pont. priuilegia Ecclesiæ Graden. confirmauit, adque eam patriarchalem Ecclesiam, Vrbes & Ecclesias, Castellum, Torcellum, Matamaucum, Capruleum, & ciuitatem nouam in comitatu Rom. Pont. pertinere declarauit; eundemque Patriarcham Archiepiscopum Iadertinum, nec non super illius suffraganeos primatem constituit: concessitque & Angelo tunc viuenti Patriarchæ, & omnibus ei succedentibus Patriarchis, vt in vrbe Constantinopolitana, & aliis locis Constantinopolitano Imperio subiectis, in quibus Veneti haberent suas Ecclesias, Patriarcha Graden. possit Episcopos consecrare. Datæ Anagniæ, secundo Idus Iulii, Pontificatus Anno secundo.

XI. ABBATI SVBLACENSI VSVM MYTRÆ, TVNICÆ ETC. PRÆSCRIBIT.

Cum etiam paulò ante aliquot menses, scilicet Neapoli, quarto Nonas Ianuarii, Henrico Abbati Sublacensi, & successoribus illius in perpetuum, vsum annuli, mytræ, tunicæ Dalmaticæ, chirothecarum, & sandaliorum, necnon benedicendi pallas altaris, conferendi minores ordines, benedictionem solemnem in Missæ sacrificio & vespertinis precibus impartiendi potestatem concessisset. *Registr. Alex. hoc Anno.*

† Eodem anno Pontifex aduersus hostes Dominicanorum & Franciscanorum duo edicta vulgauit. Quid porro isti duobus sanctissimis Ordinibus molirentur, præstat ex ipsis Pontificiis literis cognoscere. Ita habet I.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1256.

Romanus Pontifex de Summi Apostolatus specula vrbi & orbi debita seruitute prospiciens cuius occupatur innumeris, & cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior cæteris sedes eius solicitudines sibi vehementiores accumulat, & ipsius auctoritas potior, meditationes ei multiplicat ampliores. Quo enim altius præsidet, eo longius latiusque circumspicit, & quanto plus potest officio, tanto maioris vigilantiæ sibi sarcina incumbente, plus pensat, quoniã maximæ dignitati potissima solicitudo cohæret, & altiorem honorem onus grauius comitatur, curaque profusior ardentioribus stimulis mentem vrget. Vnde cum aliis plebium fidelium pastoribus, quibus grex dominicus particulariter est commissus, immineat de suarum Ecclesiarum eminentia, vigilanter ad suas oues attendere, incumbit vtique Romano Præsuli, cui est grex ipse generaliter creditus, de sublimi Ecclesiarum vertice, sede scilicet Apostolica, propensius ad illum, & instanter intueri quia cum his suis limitatis populis præsint singuli quidẽ singulis, hic sine distinctione Prælatus est Pontifex vniuersis dominicæ quidem vineæ custos generalis & cultor, & totius ouilis Catholici, Pastorumque omnium summus Pastor. Incumbente namque sibi generali solicitudine super omnes, cum ex hoc suæ mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, stupet nimirum ipsius animus, & sub tam grauis & difficilis curæ pondere contremiscit, quod posse sufferre, vt conuenit, ius naturæ occiduæ vix confidit.

Ad eum namque negocia vndique confluunt, perueniunt lites, dubia deferũtur & destinantur implicita & perplexa, nec vnquã horam influens torrens cessat, nec huius alti pelagi validæ & infestæ procellæ quiescunt, sed his quæ nunc imminent expeditis, mox alia subsequuntur. Nec tot implexarum quæstionum nodi decisione Apostolica solui possunt, quin & aliæ irretitæ & nodosæ superueniant, deliberatione matura, & consulta diffinitione soluendæ, immo ex quo de instantibus difficilibus & obscuris, dubietatis caliginem verbo suæ declarationis amouerit, statim noua & recentia turbulenta ingruunt Apostolico dilucidanda oraculo, & ambiguis ac incertis mentib. claræ discretionis lumine serenanda. Propterea inest Romano Antistiti solicitudo sine ocio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillo, ingens & sedula meditatio & vigilia sine somno. nec ad modicum etiam cura quotidiana intermissionem habet instantia, quæ nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit, vrget continue. quia cogitandi materia semper adest nec successu temporis desinit, sed cum illius diuturnitate perdurat. quia nec decursu temporum deficiunt negotia, sed assidue illis succedentibus renascuntur.

Nam & hostis antiquus, argutus quidẽ insidiator, callidusque deceptor animarũ, vehemẽtis & ardentis sollicitudinis causam præbet, humanæ quippe pacis æmulus, fraternæ inuidus charitatis, diuinorũ abactor, dissipator vnionum, & tranquilli status fidelium anxius persecutor, interserit odia, rãcores ingerit, liuores accendit, mouet lites, iurgia suscitat, contentiones irritat, parat seditiones, & dissensiones procurat, & illorũ etiam qui perfectiores & firmiores esse creduntur, interdum corda subuertit, & ibi magis impietatis suæ machinas erigere ac nequitiæ faces ascendere nititur, vbi fore plus æstimat malignitatis suæ conamina obfutura. facit iniquus laqueos, pedicas obiicit, ponit tendiculas, vt prudentiores etiam intercipiat & captiuet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitiæ, dissidia prodeunt, & scandala generantur. vnde sic iam seculum declinauit ad malum, quod excrescentib. & inualescentibus hinc eo noxiis quasi vix locus in ipso salutaris inueniatur, & exclusa fere inde concordia quasi stabilem ibi habeat discordia mansionẽ. Quare oportet cura incessabili vigilare, vt detorta & corrupta per malitiam, bonitatis virtute ratificentur & reformentur: diuulsa per odium, charitate ligentur commota, si stant & pausent, habeant turbata tranquillũ & status fideliũ semper in melius roboretur.

Sane quidam scripturæ sacræ intelligentiam se habere fatentes, sed diuertentes à tramite recti sensus, cogitauerunt nuper malitiam & contra innocentes & rectos iniquitatem maximam sunt locuti exarserunt in cordibus suis, & in lingua eorum maliloqua, dolum & nequitiam concinnauit surgentes aduersus fratres detraxerunt, & contra dilectos matris Ecclesiæ filios, scandalum posuere.

Prodiere inquam, & praua commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quendam valde perniciosum & detestabilẽ temere componentes. Libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem, non veritatis, sed mendacii, non eruditionis, sed derogationis, nõ monentem, sed mordentem, nõ instruentem veraciter, sed fallentẽ. Quem nos ad sedem delatum Apostolicam, venerabili fratri Episcopo Tusculano & dilectis filiis nostris Innoc. tit. S. Laurẽtii in Lucina, & Honor. tit. S. Sabinæ Presbyteris, & Innoc. S. Nicolai in Carcere Tulliano, Diaconis Cardinalibus examinandum commisimus vt plene ipsum inspicerent, & vniuersa contenta in eo perfecte attenderent, & discuterent diligenter.

Quo studiose perlecto & mature & districte examinato, nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quod in ipso quædam peruersa & reproba, contra potestatẽ & auctoritatem Romani Pontificis & Coepiscoporum suorũ & nonnulla contra illos, qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntaria inopia separantes, alia vero contra eos qui salutẽ animarum zelantes ardenter, & sacris studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum, quædam a. contra salutem pauperum, seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt dilecti filii fratres Prædic. & Minores, qui vigore spiritus, seculo cum suis diuitiis derelicto, ad solam cœlestem patriam tota intentione suspirant, nec non, & alia plura inconuenientia, digna vtique confutatione ac confusione perpetua manifeste comperimus contineri. Quodque etiam idem libell. magni scandali seminarium & multæ turbationis materia existebat, & inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret à deuotione solita, & consueta eleemosynarum largitione, ac à conuersione & religionis ingressu fideles.

Nos libellum eundem qui sic incipit. Ecce videntes clamabunt foris quique secundum ipsius titulum, Tractatus breuis, de periculis nouissimorum temporum nuncupatur, tãquam iniquum, scelestum & exe-

crabilem, vt institutiones ac documenta in eo tradita, vtpote praua, falsa & nefaria, de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica duximus reprobanda, & in perpetuum condemnanda, districte præcipientes, vt quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem, & condemnationem sciuerit, prorsus in toto & in qualibet sui parte comburere, & omnino abolere procuret.

Et in illos qui huiusmodi nostri præcepti fuerint contemptores excommunicationis sententiã promulgamus in virtute obedientiæ prohibendo, ne quisquam prædictum libellum ore Apostolico iam damnatum approbare, vel quomodolibet defensare præsumat. Et si quis præsumpserit, tanquam contumax, inobediens & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus fidelibus habeatur. Et nos nihilominus, alias contra eum taliter procedemus, quod pœna condigna temerarium feriet & alii ea perterriti à similibus frænabuntur. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis autem hoc attentare &c.

Datum Anagniæ, tertio Nonas Octobr. Pontificatus nostri Anno secundo.

Sequitur II.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORUM Dei, Charissimo in Christo filio Regi Franciæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Veræ Fidei & piæ deuotionis sinceritas quam geris erga Deum & Romanam Ecclesiam, euidentibus & credibilibus nimis Sanctorum operum testimoniis comprobata, cor nostrum mira perfundit suauitate lætitiæ, ac nobis quod Excellentiam tuam ad omne bonum promptam semper experiri possimus efficacissime persuadet. Inter alia vero tuam Regiam Celsitudinem commendant clarius dilectionis & pietatis viscera, quæ in omnes Christi pauperes, & præcipue in dilectos filios Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres affectuosius effundis. In quo vtique ipsius Christi te imitatorem exhibens, ipsum & eius Ecclesiam, cuius illa officiosa sunt membra, eo chariora, quo sibi firmius cohærentia lætificas & honoras. Sane licet, pro dilectissimo nobis Parisiensi studio in vigore debito conseruando, quædam olim circa ipsum, de Fratrum nostrorum consilio diligenti examinatione præmissa prouide duxerimus ordinanda, sicut in specialibus litteris nostris inde confectis plenius continetur, certis super hoc executoribus deputatis: quamplures tamen Magistri & Scholares Parisienses, suæ potius quam Christi gloriæ cupidi, pro eo quod super iniuriosa separatione dilectorum filiorum Magistrorum Fratrum Prædicatorum Parisiensium & scholarium eorundem, à Magistrorum consortio, & Vniuersitatis Collegio, ac quibusdam eorum statutis iniquis, non sine offensa DEI & animarum periculo contra studium sacræ legis apud nos non potuerunt, quia nec debuerunt consequi votum suum, irrationabili commotione ac superba indignatione turbati, non solum dictos Fratres Prædicatores, quorum felicibus profectibus inuidebant, crudeliter ac nequiter afflixerunt, atque eorundem Ordinem fœcundum fructibus sanctitatis, & quasi quoddam sydus in Ecclesia DEI refulgentem apud nos & alios conati sunt verbis & litteris sacrilegis diffamare, sicut tua Serenitas, vt credimus, non ignorat: verumetiam quod est detestabilioris audaciæ, tuis se contumaciter opponere præsumentes, adinuentionibus fraudulentis & friuolis appellationibus, prout nobis per tuas litteras constitit, præfatæ ordinationis effectum impedire contra ordinationem nostram multipliciter attentarunt & litteras nostras, & excommunicationis & suspensionis sententias in eos, culpis suis exigentibus auctoritate Sedis Apostolicæ promulgatas rebellione damnabili contemnendo. Sed quia huiusmodi superbiæ filii diu sub quadam pia dissimulatione à nobis, vt resipiscerent expectati, sua ceruicis obstinatæ duritiam ad obediendum nobis flectere non curarunt: Nos ne tantæ temeritatis vitium contra Romanam Ecclesiam ausu detestabili attentatum possit esse aliis occasio schismatis, & contumaciæ pernitiosæ fomentum, & ne Parisiens. studium violato tenore ordinationis nostræ, pro aliquorum libito desolari valeat vel transferri, nos circa culparum suarum exigentiam processimus contra ipsos, & venerabili Fratri nostro Parisien. Episcopo scripta nostra direximus, vt processum ipsum Parisiis publicare studeat, ac alia quædam circa hoc diligenter exequatur. Vt autem huiusmodi processus nostri votiua executio proueniat sine mora, Serenitatem tuam, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, omni qua possumus affectione rogamus, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus præfato Episcopo ad exequendum super hoc præceptum nostrum, pro diuina & nostra reuerentia, tui brachii triumphali virtute subueniens in auxilium salutaris & Ecclesiasticæ disciplinæ diuinitus tibi data, Guillelmum de Sancto Amore, & Ottonem de Duaco Doctores Theologiæ ac Nicolaum Decanum de Barto, & Christianum Canonicum Belluacenum, tanquam Romanæ Ecclesiæ rebelles, & aliorum rebellium incentores, ac Parisiensis studii turbatores, nisi ad mandatum nostrum, iuxta formam ipsi Episcopo traditam, redeant reuerenter, omni dilatione & occasione seu appellatione cessantibus, de toto Regno Franciæ expellere non omittas. Vellemus ad hoc, si Tuæ Celsitudini videretur, vt dictos Guillelmum de Sancto Amore, & Christianum, qui sicut in peruersitate huiusmodi potiores, faceres vsque ad beneplacitum nostrum in carcere detineri, cæteros de Magistris & scholaribus supradictis præfatæ Ordinationis nostræ & eiusdem studii turbatores ac ipsorum Fratrum vexatores improbos & iniquos, Tua præpotenti dextra, prout Tibi videbitur coercendo, vt ipsorum punita malignitas, alios doceat quiete viuere, & Ecclesiæ Romanæ humiliter obedire. Preces nostras pro hac parte sic efficaciter impleturus, quod nos qui ea tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti, tuis cum opportunum fuerit libentius annuamus. Datum Anagniæ V. Cal. Iul. Pont. Anno 2.

IESV CHRISTI
Annus 1257.

ALEXANDRI Papæ IV. 3. — BALDVINI II. Imper. Orient. 29.

I. *a Mariana lib. 13. c. 10. ex Bulla Vrbani 4.* DIVERSIS ELECTORVM STVDIIS DVO IN REGEM VIDEL. RICHARDVS ANGLI REGIS FRATER, ET ALPHONSVS CASTELLÆ REX ELIGVNTVR FRANCOFVRDIÆ.

OCTAVO a Idus Ianuarii, Principes Electores, Francofordiæ congregati, dissentiẽtib. studiis agitabantur, cum contentione iniecta alii aliis non cederent. Archiepiscopus Coloniensis suo & Moguntini nomine, vna cum Palatino Comite Richardum Angli Regis Fratrem Romanorum Regem elegerunt: Præsul Treuerensis & Dux Saxoniæ Richardi electionẽ vitiosam existimantes Alphonsum Castellæ Regem collatis suffragiis prætulerunt, pridie Calendas Apriles. Missi ad vtrumque Legati: vterque, se legib. creatum dicebat, æmulum vitio, eo meliori Richardi conditione, quod continuo rebus expeditis in Germaniam accurrit: & de manu Coloniæ Præsulis, cuius eæ partes sunt, Aquisgrani primam Imperii coronam sexto Nonas Maii suscepit. Alphonsus intestinis motibus implicatus, & suorum voluntati diffisus, filiorum ætate nondum matura differebat ire: tametsi Constantiæ & Spiræ Episcopi ea de causa Legati venissent, & nouis subinde legationibus, vt Imperium capesseret, sollicitaretur. Ea mora suæ factionis hominum ardorem restrinxit, aduersæ studia causamque confirmauit. Fauebatur Alphonso præter virtutis opinionem, quod genus maternum ad Germaniæ Imperatores referret, Beatricis filius, atque ex ea Philippi nepos. Richardum linguæ haud omnino dissimilis commercium veteres & magnæ inter vtramque gentem necessitudines, morum similitudo, sanguinis propinquitas subleuabat, vt Imperio idoneus iudicaretur. Intra annum à Guillelmi Cæsaris morte, quo die Electores consensu designarant, in eius locum suffectus: Intra annum alterum de manu Coloniæ Præsulis, cuius eæ partes sunt, Aquisgrani Imperii insignib. & trabea exornatus: atque in Caroli Magni sella legitimæ possessionis indicio collocatus. Deinde in eius verba, tum à Principibus, tum ab arcium Præfectis iuratum. Hæc omnia comitiorum Imperii legibus sancta Alphonsum prætermisisse: aduersus Richardum, qui ea legitime præstiterat, nihil excipi posse: Sic magni iureconsulti disputabant. Præterea discrepante electorum suffragio, neque in vnum aliquem conspirante, Comitem Palatinum totius controuersiæ legitimum esse iudicem; aut certe Boemiæ Regem, pari vtrumque suffragiorum numero. Vtrumque à Richardo stetisse, alterum in Comitiis, alteri electionem cum primum renunciata est, probatam fuisse. Alphonsus contra disputabat Francofurti intra ipsa vrbis mœnia, vt erat communi Electorum consensu designatum, suam electionem factam esse. Coloniensem & Saxonem numeroso armatorum numero stipatos, quasi ad bellum non ad comitia, terrorem incutientes, vimque vt videbatur intentare paratos, monitosque; vt desisterent, & aliorum Prin-

cipum exemplo, cum competenti comitatu, vt ad comitia in vrbem ingrederentur, inuitatos: neque paruisse monitis, & nouo potius atque damnato exemplo, sibi priuatim sumpsisse consilium: quæ maxima pernicies est: atque extra vrbem comitia, velut in castris peregisse. Id in Richardi electione præcipuum vitium esse. Principes qui in vrbe erant, tam din sustentasse, donec spes fuit eos ad saniora consilia traduci, & posita contumacia ad concordiam reuocari posse. Ea abiecta pridie Kalendas Aprilis Treuirensis Præsulis, voce tum ipsius, tum Saxonis (qui & Brandeburgensis absentis partes implebat) atque Boemiæ Regis, cuius Legatus cum sufftragii iure in Comitiis affuit, nomine Alphonsum Castellæ Regem Cæsarem renunciatum. Hæc maiora vtriusq; causæ munimenta erant: minuta alia, facinora & flagitia inuicem obiectare; neutros falso, atque anathematis vitium, quo iure sufftragii alteri Treuerensem excidisse disputabãt, ob noua & insolita vectigalia subditis imposita. Colonienſem alteri Cardinalem Sancti Georgii, Romani Pontificis Legatum pulsasse, criminabantur, Episcopo iniecisse vincula. Palatinum Comitem sacratos viros, quod nefas erat, indignis modis vexare & aduersus sacrosanctam Pontificum Ecclesiæque maiestatem Friderico Augusto atq; eius filio Conrado proximis controuersiis adhæsisse. Lis hæc Alexandro IV. Pontifice Maximo suscepta; eo arbitro & disceptatore, vt opus erat, & vt saniores iudicabant, componi non potuit. Vtraq; pars sui iuris tenax, ne causam minime dubiam ad cuiusq; arbitrium reuocando, ancipitem reddere videretur, sibiq; diffidere, iudicium subire recusabat, armis potius disceptare parati erant, tum propriis, tum Principum Germaniæ: quorũ studiis vtriq; subleuabantur, imminebatq; ex ea re magnum Reipublicæ malum; nisi vtrumque Principem res domesticæ retinuissent. Alphonsum quidem Hispaniæ longinquitas retardauit, aliæq; ex aliis enatæ, atque connexæ domi difficultates, & erat alioqui natura cunctator, arteq; atque ingenio negotium confici non desperabat. Richardum autem à belli cogitatione impediuerunt res Angliæ vehementer turbatæ; eo bello, quod cum Francis supremo vtriusque gentis conatu gerebatur, ac mors anno sexto subsecuta, ex quo in Imperii nomen inuaserat. Quem vero exitum hæc controuersia habuerit, alio loco erit explicandum.

II. *Blondus decad. 2. lib. 7.* MANFRED. REX SICILIÆ SALVTATVR, HETRVRIAM, LOMBARDIAM ET TRANSPADANAM SIBI ADIICIT.

In Italia, si aliquando, hoc anno vehementissimi motus Manfredo Principe Tarentino, & Ezelino tyranno omnia vastantibus. Postquam enim Alexander Pontifex Anagniæ pro Concione vtrumq; diris deuouisset, & anathemate damnasset, tamquam œstro perculsi, in omnia longe lateq; sibi fœuiendum esse putarunt. Sane Manfredus acerrimi vir ingenii trib. potentissimis Italiæ prouinciis, Hetruria, Lombardia & Transpadana, in suis partibus retinendis magnam diligentiã adhibuit, adeo vt plus pene in illis certo tempore, quam in Neapolitano Siciliæ Regno potuerit. Inprimis enim missis Pisas & in Lombardiam nunciis paternæ factionis, & amicitiæ Gibellinos fouere, ac in varios motus concitare curauit. Primique omnium Pisani spreto fœdere cũ Florentinis, Guelfis paulo ante icto, bellum Lucensib. qui partes Alexandri Pontificis sequebantur, intulerunt. Inde ingens populatio, & maxima vbiq; vastitas cõmissa, villis & castellis vbique fumantibus, & populis siue gladio cadentibus, siue vorticibus demersis. Florentini, vt ciuitatem suam intestino periculo liberarent, Gibellinos vrbe exegerunt, inque primos omnium Vberros gentem nobilem & ditissimam fœuitum. Hi enim quibus esset magnus in populo fauor, territi iniuriis atq; ignominiis, cum patria non excederent, armis sunt pulsi, quos & cæreri omnes plebei æque ac nobiles Guillelmi facto agmine secuti via, quæ ex eo semper Gibellina dicta est, commigrauere, ac Senas peruenere. Id cum ægre ferrent Florentini, missis Senas Oratoribus illos ex fœdere pellendos esse contenderunt. Vnico autem argumento, Senenses adhibitam extortribus conseruandis constantiam, visi sunt ostendere. Vtrosque enim dixerunt, & qui seruari velint, & qui pelli reiicique postulentur, eosdem esse illos, quibus Senensis fœdera percusserit, Florentinos, quibus altercationibus cum aliquot consumpti essent dies bellum Senensi Florent. Senensis opem Manfredi implorauit, Theutonicorum iste subsidia misit, qui consilio vnius Farinatæ & astu instructi eruptione in Florentinos facta, primum terrorem hostibus iniecerũt, deinde temeritate patefacta, ad vnum cæsi sunt: Vexillumq; Manfredi in Hetruria notissimum, quod Germanos in principio reddiderat terribiliores, per ignominiam fractum sordidatumque, partis Guelfæ signis ad decus est suffusum. Florentini interim tot cladibus hosti vastando primum, vrendoque, & demum prælio inflictis, re bene & fœliciter gesta in patriam reuersi sunt. Erat interea Manfredi res meliori vbique loco, quod seruatam de more Panormi regiam prædecessorum pecuniam, Rex declaratus acceperat, conductiq; mercede Saraceni in Siciliam ex Africa se contulerant: neque amplius ei infestus esse poterat Octauianus Cardinalis Legatus, eo quod illum primarii quique Ecclesiastici exercitus Duces, pecunia à Manfredo corrupti, deseruissent. Cum itaque & pecuniis & militibus abundaret, suppetias secundas Senensib. mille & quingentorum equitum Germanorum, Duce quodam Iordano misit: rationesq; tum belli gerẽdi, tum Guelpham partem siue corrumpendi, siue distrahendi præscripsit. Quibus illi in rem suam vsi, cum etiam ingentem exercitum comparassent, in Florentinos Guelfæ factionis prælio conserto adeo defæuierunt, vt tria eorum millia ceciderint, quatuor millia in captiuitatem adduxerint, reliquis autem timorem incusserint, & paulo post ea factione oppressa extorres in patriam reduxerint, & signa Manfredi Florentiam intulerint. In Sicilia, Ioannes Columna Archiepiscopus Messanensis, Alexandri Pontificis Legatus, & Iacobus de Ponte præfectus, Messanam vrbem de Manfredianis receptam, nonnisi septem menses tenuerunt. Ea enim paulo post cum vniuersa Sicilia, præter Platiam, Ennam, & Aydonem ad Manfredum defecit. Sed & hæ ciuitates Friderico Lancea præside Siciliæ à Manfredo cum exercitu, ex Sicilia & Calabria comparato veniente, cum viribus impares essent, & neq; obsidionem sustinere, neq; eruptionem ad hostem depellẽdum facere possent, sese dediderunt, atq; Manfredum Regem Panormi ad decimum diem Augusti renunciarum salutarunt.

Phazellus lib. 8.

III. *Platina in Alexandro IV.* EZELINVS CRVCESIGNATOS PRÆLIO SVPERANS BRIXIAM SVI IVRIS FACIT.

In Lombardia, Ezelinus, post amissum Patauium ac deinde recuperatum magis ac magis indies ferocior in omnes euadebat. Tum vero Theologi quidam Ordinis Minorum Brixiam à Legato Apostolico missi, eo, prædicando ciuitatem deduxere, vt & Guelphos extorres reciperent, & partes Ecclesiæ sequerentur. Idem quoque Placentini & Cremonenses fecissent, nisi Vbertinus Pellauicinus dominatum adiuuantibus Gibellinis occupasset. In hunc vero & Ezelinum belli socium, Legatus Apostolicus, Brixia, adiuuantib. Guelphis, mouit; sed non satis prospere pugnauit. Crucesignatos enim militiæ imperitos, veterano & armis assueto milite Ezelinus facile superauit: & partem eorum profligauit, partem in captiuitatem abduxit, reliquos more pecudum in gladios ruentes occidit. Capti sunt cum Legato Apostolicæ Sedis, Episcopus Brixiensis, & electus Veronienſis, & plures alii viri illustres. Recepta etiam vna cum aliquot oppidis Brixia, in potestatem tyranni venit, ad quam cum captos Crucesignatos ac reliquos duci iussisset, non agminatim, sed binos & binos ire præcepit; Cruce altissima, in opprobriũ piæ militiæ plata, & Legato cum Episcopis processionem præcuntibus funestam, ad ludibrium Apostolicæ Sedis. Qui tantæ cladi ex fuga superstites erant; (Venetorum autem Patauinorum, Mantuanorum ac Ferrarienſium plurimi numerabantur) Alexandro Pontifici stragem ab Ezelino editam significarunt, postularuntq; ne tantũ dedecus Cruci Christi ab impio Ezelino illatum sustineret; ne iniuriam maiestati Pontificiæ non vindicaret; neue sanguinem sociorum, fortunas Ciuium direptas, & calamitates atq; contumelias grauissimas, etiam sexus imbellis, siccis & conniuentribus oculis aspiceret.

VI. DVO CÆLVMNIATORES ORD. SS. DOMINICANI, ET FRANCISCANI, PVblicè videli-

Per hæc tempora cum iam duo sanctissimi Ordines Dominicanorum scilicet, & Franciscanorum fœlici progressu adolescerent, oppositit illis Dæmon Guillelmum quendam Matisconensem Canonicum, eique amentia ac scelere parem Gyraldum Parisiensem Doctorem; quitum voce in circulis & cathedris, tum etiam iustis voluminib. scriptis, omnem conatum ad eos perdendos conferrent: cum

NIVNTVR ET PERVNT.

videlicet nec mendicare, nec literis studere, nec ad populum concionari, vel confessiones pœnitentium excipere, licitum eis esse affirmarent. Itaque magnam aduersus Dei famulos commouerant procellam; nec modo in plebe indocta, sed in maioribus plerisque, quos calliditate quadam disputandi, & doctrinæ auctoritate deceperant. Repugnarunt his acriter duo vtriusque illius Ordinis lumina, Beatus Thomas Aquinas, & Sanctus Bonaventura; & hic quidem pauperum Apologiam, (sic enim inscripsit:) ille opusculum edidit contra impugnantes religionem, cuius illud est initium; aptum omnino & causæ conueniens: *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput, super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt contra Sanctos tuos.* Quamquam autem hi scriptis, Deus tamen multo grauius acerbiusue factis ipsis, illorum impietatem confutauit. Guillelmus enim ab Alexandro Quarto Pontifice, Romam euocatus, in publico Cardinalium consessu, vtraque familia pro sua Deique causa adnitente conuictus, damnatusque est, ac non solum liber in omnium conspectu igni traditus, sed ipse quoque eius auctor tum Ecclesiastici Ordinis functione, tum omnibus etiam redditibus exutus, atque insuper à Ludouico Rege tota Gallia interdictus. Gyraldus autem aliquanto etiam seueriori pœna affectus est, quinon ita multo post paralysi primum, deinde lepra diuinitus immissa interiit, vt ipsa extraordinariæ mortis fœditas, peccati quoque fœditatem ostenderet. Porro operæ pretium est inserere decretum, quod ALEXANDER Quartus hoc ipso anno dixit istis verbis.

V. QVOS ETIAM ALEXANDER EGREGIO DE CRETO DEFENDIT.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Non sine multa cordis amaritudine animique perturbatione, audiuimus, quod nonnulli Magistri & Doctores, ac alii acuentes vt gladium linguas suas, & venenum aspidum gerentes sub labiis, ad infamiam, grauamen, & dispendium Innocentum, videlicet in fugillatione, & lesione dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum & Minorum nequiter vomuerunt. Et licet illos distincte non nominauerint, nec vocabulis propriis expresserint, eos tamen quibusdam verborum inuolucris & certis & cautis circumlocutionibus apertius innuerunt, ita quod ex talibus eorum dictis manifeste, tanquam si expresse illos nominassent, innotuit, quod de ipsis fratribus loquebantur. Fuderunt, inquam, virus, & contra eos in scholis, prædicationibus & alibi asserere præsumpserunt, quod in statu & via saluandorum non erant: nec meritoria, nec salutifera eorum existebat mendicitas; cum deberent valetudine corporali & aliis iustis impedimentis cessantibus propriis manibus operari, sub spe alieni auxilii non torpendo, nec pro sustentatione vel necessariis extranea mendicando suffragia, seu ab aliis adminicula exspectando: quodque de licentia vel commissione Romani Pontificis seu Diœcesanorum Episcoporum prædicationis exercere officium & confessiones audire libere non valebant: tamquam per hoc sacerdotibus Parochialibus præiudicium inferretur, ad alia nihilominus prauа & iniqua in detractionem eorum & suorum Ordinum derogationem ora maliloquа relaxando. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum à Sede Apostolica sicut sacri, clari & conspicui approbati, ex quibus iam nonnulli Fratres ad supernam prouecti patriam & Sanctorum numero sunt adscripti, & valde eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Ecclesia DEI luceant, ac ab ipsorum Fratribus & cultoribus sacræ doctrinæ lumen diffundatur vbique per Orbem, CHRISTI Euangelium ardenter & efficaciter prædicetur, ac recta & sana consilia, exemplaque salutaria præbeantur: Cum etiam dicti Fratres sacræ Scripturæ ac verbi DEI studio & animarum profectibus, nec non diuinis officiis & orationibus instanter & incessanter intendant, nequaquam marcentes otio, sed opere optimo & porissimo exercentes: cum sapientia opus existat maximum: nec sint plures, qui operantur exterius quam qui studium cognoscendæ diuinitatis exercent. Vnde & DOMINVS ministrante MARTHA & operante, MARIÆ audientiam & attentionem & studium circa verbum ipsius præcipue commendauit. Ex quo liquido patet ipsos Fratres ad operandum suis manib. non teneri: quin imo si his intermissis laborarent manibus, potiora vtique ac vtiliora in minora minusque vtilia opera non sine animarum dispendio committerent. Propter quæ constat meritoriam existere eorum mendicitatem, & ipsos tam ab his quibus prædicant, quam ab aliis eleemosynas petere ac accipere, illosque ipsas pro posse eisdem Fratribus saluberiter elargiri. Cum insuper dicti Fratres omnia propter DEVM reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, CHRISTVMQVE imitentur pauperem perfectionem Euangelicam amplexando: Propter quod euidenter apparet eos non solum in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum; & per sua religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis tenet formam, in æterna retributionis præmio præcellentem gloriam promereri; cum etiam de licentia Romanorum Pontificum, seu Legatorum eius, vel ordinariorum locorum licite possint prædicare populis, & confessiones audire, & pœnitentias iniungere salutares aliorum inferiorum Prælatorum & Rectorum Ecclesiarum ac Sacerdotum Parochialium assensu minime requisito: Volumus & per Apostolica scripta vobis districte præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in ciuitatibus & diœcesibus suis ad requisitionem Fratrum dictorum Ordinum earumdem ciuitatum & diœcesium per se vel per alios inquirentes, de plano, & sine strepitu iudicii super assertione huiusmodi diligentius veritatem omnes Magistros, Doctores, & alios, qui suis in scholis, siue in prædicationibus, seu alibi præmissa, vel aliquid ipsorum dicere attentauerint, vel in posterum attentabunt, ex parte nostra monere studeant, vt intra terminum ab ipsis præfigendum eisdem dictum suum in his publice reuocent, male se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus, & retractent asserendo constanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod si forte ipsi monitis eorumdem hac in parte acquiescere non curauerint, extunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis, & perpetuæ priuationis beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sententias sublato cuiuslibet appellationis impedimento procedant. Laicos de hoc culpabiles vel factores huiusmodi præsumptorum animaduersione debita percellentes, sæcularis brachii ad hoc si opus fuerit, auxilio inuocato. Nos enim nihilominus auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quisquam præmissa, vel aliquid præmissorum pertinaciter astruere, vel quomodolibet præmissorum defensare præsumat. Quod si præsumpserit, tamquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur, contra quem etiam taliter procedemus, quod pœna condigna ipsum pro sua temeritate feriet: & alii eius exemplo perterriti à præsumptione simili frenabuntur. Ne autem ex ignorantia aliquis velamen excusationis assumat, vobis vniuersis & singulis districte præcipimus, vt ad requisitionem Fratrum eorumdem Ordinum in Ciuitatibus & diœcesibus vestris & synodis publicetis, & faciatis solemniter publicari. Non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis alicui, vel aliquibus personis ab Apostolica Sede concessis, ne ipsi seu loca in causam trahi non possint per literas Apostolicas, quæ de indulto huiusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, seu quibuscumque aliis indulgentiis, & literis sedis ipsius, per quas effectus præsentium impediri valeat vel differri: & constitutionibus de duabus dietis edita in Concilio Generali: Litteris venerabilibus Fratribus nostris Turonensi & Rothomagensi Archiepiscopis, & Episcopo Parisiensi super hoc datis à nobis nihilominus in suo robore valituris. Vos autem memoratos Fratres omni benevolentia & gratia prosequentes, eos tanquam probatos & acceptos CHRISTI ministros habeatis, pro diuina & nostra reuerentia propensius commendatos, ipsos ab iniuriis & molestiis, oportunis præsidiis defendentes, ita quod ex hoc vobis & vestris Ecclesiis fortius obligemur. Datæ Lateran. III. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno III. Hactenus Alexander pontifex pro veritate catholica contra persecutores Mendicantium, quos ex vsu pietateque Christiani nominis habendos censuit, qui tunc & eruditionis & sanctitatis gloria præstabant.

VI.

Egit etiam quam plurima contra alios hæreticos præcipuè Lombardiam vexantes. Qui dum Innocentij constitutionem contra se editam, in varios sensus torqueret, fraudibusque varijs seueritatem iudiciariam eluderent, ideo Alexander Pontifex hanc quæ sequitur declarationem vulgauit; necessaria quæ hic inseratur. Ita habet.

VII. IN HÆRETICOS PER LOMBARDIAM CONSTITVTIONES PRÆDECESSORVM REVOCAT, EOSQ PERSEQVITVR ALEXANDER IV.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis Fratrib. Prædicatoribus, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia & Marchia Ianuensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, dudum constitutiones quasdam edidit, secundum quas rigor debet exerceri canonicus, in extirpandis ex agro fidelium zizaniis hæreticæ prauitatis quarum aliquæ videntur ambiguæ, super quibus nostræ responsionis oraculum imploraſtis. Ne igitur ipsarum constitutionum obscuritas commissæ vobis solicitudini, perniciosas vineæ DOMINI pie persequendi capiendique vulpeculas obstaculum obiiciat tarditatis: quinque ipsarum Constitutionum capitula, quæ vobis dubia vi-

debantur, auctoritate præsentium, de fratrum nostrorum consilio, duximus declaranda. Primum sane dubitationis vestræ capitulum continet, quod tam diœcesim viri, quam Notarii & Seruitores eorumdem, ad capiendum hæreticos deputati, simul & diuisim plenariam præcipiendi, sub pœna & banno, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Potestas vero talis loci vel Rector teneatur habere rata & firma omnia præcepta, quæ officii sui occasione fecerint, duo ex ipsis officialibus sine plures, & pœnas exigere non seruantium. Hoc itaque quod de pœna & banno dictum est, de illis dumtaxat pœnis interpretamur intelligi, quæ consequenter in iisdem constitutionib. sunt expressæ. Possunt autem prædicti officiales communitati, burgo & villæ præcipere sub pœna & banno, vequæ ad ducentas marcas argenti & vltra ad arbitrium potestatis loci eiusdem, quod potestati, vel diœcesano, aut eius Vicario seu Inquisitoribus hæreticorum, præsentabunt infra præfigendum eis terminum competentem, omnes hæreticos & hæreticas, quos sibi dicti Officiales duxerint assignandos: & potestas loci à non seruantibus, pœnam huiusmodi exigere teneatur. Secundum vero est, quod domus in qua prohibiti fuerint hæreticorum captores, sine spe reædificandi funditus destruatur, & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inuenti; Quodque habet, quod domus in qua repertus fuerit aliquis hæreticus seu hæretica, sine vlla spe reædificandi funditus destruatur, nisi dominus domus ibidem procurauerit: Et si dominus domus illius alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur, & bona quæ fuerint inuenta in domo illa, & in domibus illis adherentibus, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Hæc autem duo capitula vtio declarationis Sedis Apostolicæ radio lucidantes, Volumus absolute, vt pœnæ taxatæ per constitutiones easdem in præmissis casib. infligantur: nisi diœcesanis, vel in eorum absentia Vicariis ipsorum vna cum Inquisitoribus Inquisitorum, vel solis ipsis diœcesanis (cum ipsorum Inquisitorum præsentia de facili haberi non poterit) legitime constiterit, præfatarum domorum dominos in his casibus penitus innocentes & prorsus inculpabiles extitisse: ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, siue fautores hæreticorum, seu de hæretica labe suspectos. Bona vero, quæ inuenta fuerint in domibus supradictis, debent in his casibus similiter publicari, nisi legitime constiterit per testes fide dignos & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum, quam dominorum domuum earundem. Quartum vero vestræ dubitationis capitulum enodamus, quod videlicet si dominus domus, pro eo, quod in ipsa repertus fuerit hæreticus, vel hæretica sine spe reædificationis funditus destruendæ, habeat alias domos, illi domus demoliendæ contiguas, omnes illæ similiter destruantur: Illud de appendiciis domus illius debere intelligi declaramus, vt scilicet domus illa cum aliis eiusdem, domui ipsi contiguis, hoc est ipsa, & ipsius etiam appendicia, cum eadem siue in domo, siue in appendiciis eius, hæreticus vel hæretica repertus fuerit, destruantur. Cum domus, quamuis diuersis mansionibus distinguatur, vna tubilominus sit censenda. In quinto autem dubitationis capitulo legitur; quod teneatur potestas seu rector, infra decem dies sui regiminis syndicare precedentem proxime potestatem vel rectorem, & eius etiam assessores, per tres viros catholicos & fideles, electos ad hoc per diœcesanum, & per Fratres Prædicatores, & Minores, de omnibus his, quæ in statutis ipsis siue constitutionibus & legibus contra hæreticos & eorum complices editis continentur. Hunc itaque dubitationis articulum declarantes, respondemus; quod vna cum diœcesano loci, Fratres Prædicatorum Ordinum, à Priore & Guardiano suis; vel ab eorum altero si ibidem alterius dumtaxat eorumdem Ordinum conuentus extiterit, assumendi, viros eligant suprædictos. Si vero neutrius Ordinis conuentus ibi forsan habeatur, ad solum diœcesanum eorumdem virorum electio pertinebit. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eadem capitula Constitutionum prædictarum accipientes, iuxta declarationis Apostolicæ intellectum, tenorem præsentium simul cum ipsis constitutionibus faciatis de verbo ad verbum, in capitularibus Ciuitatum, ad tollendas de aliorum cordib. ambiguitates huiusmodi, annotari.

VII. EVOCAT HENRICVM ET EDMVNDVM REGES ANGLIÆ AD REGNA SICILIÆ ET NEAPOLITANVM ACCEPTANDA.

Datæ Laterani secundo Non. Martii. Pontificatus nostri Anno III.

Inter istas angustias, quas tum ab hæreticis, tum ab Ezelino & Manfredo tyrannis, tum à falsis ciuibus patiebatur Alexãder, cum post diuinum auxilium, à nullo maius speraret, quam ab Henrico Rege Anglo, atque Edmundo eius filio, quibus Regnum Siciliæ atque Neapolitanum in feudum obtulerat: Illi tamen ad diem constitutum neque adessent, neq; exercitum submitterent, neque pactis constitutionibusq; satisfaceret, sed indies procrastinarent, atq; dilationem pœnarum propositarum flagitarent; Ideo ad eos Pontifex Arlotum Subdiaconum Apostolicum nuncium, cum ampliſſima facultate misit, vt eos ad suscipiendum Regnum vtrumque, & ad tutelam iurium, bonorum & sociorum atq; subditorum Romanæ Ecclesiæ hortaretur; vtq; si pactis stare proponerent, & interim propter difficultates Regni, satisfacere non possent, pœnarum ex stipulatione incurrendarum diem, adusque Calendas Iunii prorogaret. Dedit eas litteras Alexander, quas Henrico & Edmundo scripsit Viterbii II. Idus Decembris Pontif. Anno III.

epist. 761.

VIII. *1. epist. 110. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI. 2. epist. 496.*

Eodem Anno Alexander Papa I. Danielem Regem Ruthenorum, recens ad Ecclesiam Romanam reuersum, & ab Innocentio Quarto regio titulo & diademate ornatum aliquantum nutantem, & ad vomitum reuerti conantem, vt in vnitate Ecclesiæ, & obedientia Sedis Apostolicæ perseueraret, admonuit. 2. Sanctum Ludouicum Galliarum Regem, vt quædam statuta in Regno ipsius contra libertatem Ecclesiasticam olim sancita reuocaret, hortatus est. 3. Przemislaum Boemiæ Regem, atque Olomucensem Episcopum, vt milites Teuthonicos non ita pridem in Ecclesiam Nieplauicensem, Olomucensis Diœcesis introductos defenderet, neque à quoquam vexari eos permitteret, flagitauit: commutationem q; quandam, quam illi cum Priore & Canonicis Basilicæ Sancti Ioannis Lateranensis certorum censuum & bonorum ex consensu mutuo fecerant, auctoritate Apostolica confirmauit. 4. Casimiro Duci Cuiauiæ & Lanciciæ, omnes ex paganis circumuicinis sponte ad Fidem Christianam accedentes, & sacrum Baptisma libere suscipientes, dominio subiecit. Cærerum cum Theutonici milites crucigeri, in fraudem eius priuilegii, vi atq; armis plurimos Barbarorum ad sacrum Baptisma compellerent; & nihilominus afferrent, ipsos sponte suscepisse: atque adeo quamplures possessiones & oppida eo titulo sibi vendicarent, Alexander Pontifex Elbingensi & Cuiauiensi Prioribus Ordinis Prædicatorum, vt facti veritatem inquirerent, & tum Sedi Apostolicæ omnia renunciarent, tum Crucigerorum temeritatem reprimerent, atque ad restitutionem iniuste Casimiro ereptorum vsurpatorumque compellerent, commisit. 5. Vt Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates quarumcunque Ecclesiarum etiam exemptarum, ex præscripto sacrarum constitutionum, certis temporibus Sedem Apostolicam visitarent, ex veteri formula edixit, omniaque priuilegia ei sanctioni contraria reuocauit. 6. Vt festiuitas Sancti Petri Martyris apud Mediolanenses solemni ceremonia, etiam tempore interdicti generalis ianuis Ecclesiæ per totas octauas eiusd. solemnitatis celebraretur, & diuina officia toto eo tempore, pulsatis campanis, & exclusis à templo excommunicatis, clara voce cantarentur, ad confusionem hæreticorum, & ad gloriam antagonistæ eorum, Priori Mediolanensi apud Sanctũ Eustorgium concessit. 7. Electo Episcopo, & Priori Ordinis Prædicatorum Aberdonensium in Scotia, vt in natalia Comitis Marchiæ inquirerent, & Regi Scotiæ, quicquid inuenissent, decreuissentque, significarent, commisit. Nimirum vt Rex Scotiæ postmodum decerneret, cui comitatum Marchiæ tribueret. 8. Fratri Alberto cognomento Magno Lectori Coloniæ, vt cuidam Canonico propter legitimas causas eam dignitatem auferret, & alteri conferret, iniunxit.

5. epist. 615.

6. epist. 87. Dat. 5. Idus Febr.

7. epist. 680. Viterbii 4. Non. Octob.

8. ep. 692.

IX. *Crom. lib. 9.* OBITVS PRÆMISLAI POLONIÆ DVCIS.

Hoc Anno, pridie Nonas Iunii, Præmislaus maioris Poloniæ Dux, immatura morte extinctus, & Posnaniæ sepultus est; mitissimus sui temporis Princeps, & prudens: Iustitia autem & animi moderatione in iudicando tanta, vt eius iudicium victus & victor ex æquo probarent. Ebrium aut iratum eum nemo vidit. Vsque adeo vero addictus fuit religioni & cultui diuino, vt per tempus quadragesimæ ieiunii cilicio super nudum corpus & vino diluto admodũ, aut insipidiore cereuisia vteretur. Nocturnis temporibus cum dormire putabatur, prolixe vacabat precationi. Porro qua die Cœnam CHRISTI vltimam anniuersario ritu recolimus, & repræsentamus, duodecim pauperum pedes reuerenter abluere, exterseque deosculari, & pauperes ipsos vestire quotannis solitus fuit. Ouancense monasterium Cistercien sis Ordinis puellis ad Vartam fluuium condidit. Srodicense vero Dominicanorũ Posnaniã tranſtulit.

X. *Vita S. Hyac.* ORITVS S. HYACINT. PRÆDIC. THAVMATVRGI ET MIRACVLA-

stulit. Gnesnense etiam Xenodochium siue Hospitale sepulchri Christi militib. contulit, & commendauit, & Præposito Miechouiensi subiecit. Præter multas autem alias pias largitiones, Gnesnensi quidem Ecclesiæ Cirnelinum Pagum, Posnaniensi vero Bucum non sine inuidia & offensione Procerum donauit.

Eodem etiam anno S. Hyacinthus D. Dominici institutum vitæ professus post exhaustos multos labores in Polonia & Russia pro religione christiana, de exilio huius vitæ in cælestem domum comigrauit, ad 18. Cal. Sept. aliquando contigit ipsum D. Deiparentem sibi apparentem propius aspicere. Die festo Assumptionis eiusd. ante eius factã iconam, in Ecclesia SS. Trinit. feruentissime vt solebat, orabat. Dum ergo magnitudinem mysterii meditaretur, & præ contemplationis vehementia in lachrymas liquesceret, vidit in momento cælestem lucem super aram diffundi, inq; medio illius angelorum agminib. circundatam, eorum Reginam, descendere, seq; alloqui, hunc in modum, Gaude fili Hyacinthe: quia orationes tuæ gratæ sunt filio meo: & ideo quicquid ab eo per me petieris, impetrabis. Longum esset, res ab eo dum vixit gestas percensere, vt cui toto vitæ cursu nullus vnquam dies effluxerit, quo non præclara aliqua ediderit, fidei, pietatis, innocentiq, cæterarumque omnium sanctarum virtutum documenta. Quo quidem vitæ genere, in religione sc. Prædicatorum ad 40. propemodum annos perducto, cum tandem cuperet dissolui, & esse cum Christo, in vigilia festiuitatis Assumptionis B. Dei Genitricis ac virginis Mariæ, Fratribus Monasterii SS. Trinitat. Cracouiensis accersitis, moriturum sese definito die prædixit: eoque appropinquante sui discessus nuncio perculsos, amantissime consolatus, Valere in Christo, Deumq; in vita perpetuo timere iussit. Postridie igitur, piis ac canonicis precibus recitatis, & SS. Sacramentis Ecclesiæ, summa cum veneratione perceptis, cum versum illum, extremo iam vitæ spiritu protulisset: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, in Domino obdormiuit. Audita eius morte cum magna multitudo hominum, siue prosequendi funeris, siue contingendi corporis, siue per eum diuini auxilii expetendi causa, siue alio Christianæ pietatis officio, ad SS. Trinitatis monasterium eiusd. Ord. Prædic. sepulchro illius religiosum ac celebre confluxisset; Deus in cuius conspectu gloriosa est mors Sanctorum eius, Zegotam quendam nobilem Polonum, qui ex equo, quem forte agitabat, misserime excussus, effractis & contusis totius corporis membris statim obierat, ad B. Hyacinthi sepulchrum, eo ipso, quo mortuus est die, à parentibus allatum, ob eiusd. B. Hyacinthi merita & preces, non solum in vitam denuo excitauit, verumetiam pristinæ & valetudini & integritati iterum restituit, vt in eo ne minimæ quidem lesionis reliquum vllum vestigium appareret. Cuius miraculi famam, alterius etiam exitus auxit. Infantulus enim, quem mater mortuum ediderat, à patre ad B. viri tumulum translatus, cũ primum is pro filiolo voto se Deo pie obstrinxit, magna cum omnium admiratione viuere statim cæpit. Accessit illud quoq; admirabile ipsius in Vrsulam quandam factum. Quæ cum maximis deplorati morbi dolorib. toto biennio iactata, eo tandem deuenisset, vt omnis melioris valetudinis spe abiecta, ipsos iam menses duos, nullo amplius cibo, sed aqua duntaxat vitam tueretur; Agneta tandem filia, B. Hyacinthi opem suppliciter implorante, optatam salutem recuperauit. Postremo cuiusdam Barbaræ Cracouiensis fœminæ, quæ ex partu in hydropisim inciderat, ita vt iam de illius salute, ab omnib. esset desperata valetudo, nulla prorsus humana medicina, sed vnius B. Hyacinthi, cui sese commendauerat, pietate ac meritis redintegrata, eximiam serui Dei sanctitatem clare confirmauit.

XI. AB CLEMENTE VIII. INTER S. RELATVS AN. 1594. BVLLA CANONIZ. S. HYACINT. A CLEMENTE VIII. P. M.

Quibus sane signis, multisq; aliis ad eand. B. Hyacinthi sanctitatem aperte comprobandam pertinentib. rebus adductus postea Pont. Clemens VIII. An. Dom. 1594. ad 15. Cal. Maias, dominica, quam in Albis vocant, eund. S. Hyacinthum diuorum catalogo solemni ritu inscripsit, ex ista, quam suppono, tabella.

Ad honorem S. & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti BB. Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, de Fratrum nostrorum consilio, decernimus & definitiuum bonæ mem. Hyacinthum Polonum Ordin. Fratrum Præd. sanctum esse, ac Sanctorum catalogo asscribendum. Sicut per præsentes definimus, decernimus & asscribimus, statuentes vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet, in die 16. Augusti, festum ipsius & officium, sicut pro vno sancto confessore nõ Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breuiarii præscriptam, deuote & solemniter celebretur. Insuper ead. Auctoritate omnib. verepœnitentib. & confessis, qui annis singulis, eodem die festo ad sepulturam in qua eius corpus requiescit, deuote accesserint, nec non Ecclesias & Altaria in ipsius honorem constructa deuote visitauerint, eas d. indulgentias & peccatorum remissiones concessimus, & elargiti sumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ cæteris dicti ordinis monasteriis & Ecclesiis, in diebus festis eiusd. ordinis sanctorum iam concessæ sunt.

XII. CATALOGVS MIRACVLORVM EIVS.

Admiranda plane sunt, quæ de operibus S. Hyacinthi Camillus Ballianus Mediolani in publica concione recensuit, ex libro miraculorum eiusdem D. Hyacinthi in compẽdium redacta. Narrabat ille; Quin quaginta quatuor, vt que ad diem canonizationis S. Hyacinthi, morte, absorpti mortales, ope eiusdem diui ad vitam reuocati sunt. Septuaginta sex iamiam morituris Hyacinthus perfectam sanitatem restituit. Centum triginta quatuor graui valetudine oppressos curauit. Triginta sex magno capitis dolore affectos liberauit. Viginti duos vehementi dolore dentium afflictos sanauit. Quinquaginta oculorum doloribus cruciatis, ex quib. nonnulli cæci erant, lumen reddidit. Triginta tres gutturis, colli, linguæ & oris dolorib. pressos, ad sanitatem reduxit, tribus surdis auditum restituit. Quadraginta duos pectoris, stomachi & intestinorum doloribus languentes, adiuuit. Octuaginta tres pedum & manuum dolore languentes liberauit. Quadraginta octo febrib. vexatos, sanos effecit. Ab octo, cæliacos dolores pepulit. Viginti nouem ex elephantico morbo eripuit. decem & octo à morbo comitiali vindicauit, duob. tabe affectis sanitatem dedit. Sex paralyticis & membris dissolutis, vires restituit. Duodecim aqua intercute tumescentes curauit. Viginti tribus, diuersis vulnerib. concisis, sanitatem reddidit. Duas steriles matronas prole donauit. Triginta trib. parturientibus matronis & in partu periclitantibus, subuenit. Quadraginta totius corporis quassatis doloribus opem tulit. Quinquaginta quinq; diuersis casib. agitatis succurrit: Nouem animalia rationis expertia debilitata, atq; alio vitio affecta, in pristinum statum restituit. Triginta & octo extant visiones & apparitiones diuersæ quibus ægri & morientes sunt ab eo recreati & subleuati. Innumerabiles christiani variis de causis afflicti, non semel solum, sed sæpissime voto facto, voti compotes effecti sunt, propter hæc & alia Petrus Ortizius in solemnissima celebritate D. Hyacintho apud Cæsaraugustam statim à canonizatione ipsius celebrata, hæc canebat.*

Christus hæc nunquam legitur dedisse
Signa, sed raris decorasse rarum
Ipse communi modo lege fulsit
Prodigiorum.

Numinis splendor, radiumque lucis
Gloriæ lucem referentis æque
Nunc sibi præfert radiare passus
Luce maiore.

Mirum est, quanta cum alacritate totius fere orbis excepta est eiusdem Diui canonizatio, quantis vbique, præsertim in omnibus Italiæ, & Hispaniarum oppidis & ciuitatibus resplenduit post apotheosim miraculis: Quæ festa, ingentissimis sumptibus eidem facta; quanta altaria, sacella, templa illi ipsi erecta: quam numerosæ sodalitates, sub eius tutela institutæ. Quanti vtriusque sexus eius nomine in baptismate vel sacra vnctione insigniri. In Italia sola, vnico pietatis domicilio apud Montem Varcum infans in puteo demersus, Bononiæ puer ex casu præcipitialissus, Casali & apud Camertes duo alii mortui ad vitam reuocati. Varsauiæ in Polonia, eo tempore, quo ego indignus recens à me ædificato conuentui præeram, infans defunctus, & piscator aquis obrutus, vitæ restituti. Alibi alia ingentia & innumerabilia per inuocationem D. Hyacinthi, adusque annum præsentem quo hæc scribebamus 1614. patrata: quæ si recensere instituerem, nullum finem inuenirem.

XIII. DVO MIRACVLA CIRCA AVTHOREM HISTORIÆ AB D. HYACINTHO PATRATA.

Plane autem ingratus essem, si vitam semel atq; iterum ab intercessione ipsius Diui receptam, hoc qualiquali monimento non testatam relinquerem. Nam & ego quoq; peccator, non semel de vita periclitatus, primum quidem in morbo grauissimo à medicis deploratus, & postea in vorticosi fluminis vadatione iamiam demergendus, affuisse mihi hospitatorem Hyacinthum persensi. Narrabo.

In morbo quidem cum Anno Domini 1601. in ardentissimam febrim, & eam quæ pharmaca & medicos contemnebat, incidissem. Causa fuit concussio, ex bis suscepto itinere vno eodemq; anno, difficilimisq; anni temporibus, in vrbem è Cracouia, Prouinciæ Poloniæ negotiorum causa. In vrbe emensis innumeris laboribus regredior, secundo Cracouiam, ad vltimum Septembris: & Ciuitas peste laborabat. Ad supplices preces multorum, die festo solemni SS. Rosarii prima Octobris mensis Dominica, bis concionem ad populum in Ecclesia ago. Sequenti luce, leui febricula, doloreq; capitis, nonnihil me tentari sentio. Suspicor pestem, in suggesto haustam: frequentissimus enim populus adstiterat, & sermonem arrecta aure audierat. Hinc suppriorem Cœnobii consulo: ille medico incõsulto (nullus enim in Ciuitate infecta remanserat) profert acriorem quam morbus postulabat medicinam: antimonium præparatum fuit. Lancinat me illud sumptum, inque viscerib. febrem vehementissimam accendit. Hinc maior suspicio pestis conceptæ innata: Chirurgus vocatus, qui venam aperuit, sanguinem copiosum exhausit, humores irritauit, febrem inflammauit, quæ ad tres fere menses me habuit, dolore lateris dextri intolerabili adiuncto. Suppurabantur nimirum interiora. Orationibus interim S. Hyacinthi à febre liberor, ipso die S. Luciæ. Secundo & iterum recido in morbum grauiorem: multisq; medicamentis exhaustis balneum calidius ingredior, ex quo suppuratio lateris dissoluta: exinde exscreare sanguinem grumosum in frusta cõcretum incipio, noctibus & diebus singulis libras ad minus quinque sex. Inde à medica manu relinquor, morti iam destinatus. Sextus iam mensis agebatur ægritudinis deciduæ, quo infra paucos dies consumendus eram. Existimabant vel pulmones, vel hepar, ardore febrium exustum, inque pus suppuratum reiectari. & quia tam violenter, & in tanta quantitate: citam fore mihi mortem iudicabant. Et indicio fuerant, præter alia pulsuum ictus ad brachium fere retracti, frigescensq; totum corpus, frustra ad ignem excalefaciendum. Iam ergo accingebar ad mortem, sacramentis omnib. pro extremo viatico, ex more religionis procuratus. Aderant Fratres animæ exitum in oratione expectantes. Votis autem D. Hyacintho humiliter sponsis, non sine admiratione omnium, præsertim Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Bernardi Macieiouii S.R.E. Cardin. Episcopi Cracouiensis, qui me ad mortem languere sciebat, ab eadem morte præsentissima fui liberatus. Istud vnum. Alterum fuit in fluuio Anaxo, Taruisinis Piaue nuncupato, An. Dom. 1606. ad diem Februarii 15.

Prouinciæ Poloniæ negotiorum grauissimorum causa, Patrum iussu, pergebam in vrbem. Ad Anaxum accedens ningente pluuioque cœlo, partim ex eliquatione niuium, partim ex pluuiarum copia aquis redundantem, & in plures traduces dispersum, nemine ductore ad vadandum reperto, transeo cum socio vnum alterum, & tertium torrentem; fluminis turgentis, quartus trames erat, latitudine non nimis nimia, & altitudine aquarum ac impetu, nimis nimium excedens. Hortante socio, in Dei nomine committimus nos vndis, equorum fortitudine nandique peritia freti. Dum in medio amne sumus, aquæ increscentes equum subtus me impellunt, rapiuntque: natare ille cupiebat: ego consilii inops, & in periculo consternatus retraho, cum socius iam euasisset. Fluctibus equus obruebatur, & non nisi extrema capitis ex aquis proferebat: ego quoque ei insidens deorsum trahebar, & iamiam mergebar. Sancto tandem Hyacintho sæpe sæpius inclamato, eius ope ad littus delatus, extra periculum fui, qui iam periculum præsens incurreram.

XIV. *Diagus in hist. Arago. & Ferdin. in Cent.*

Eodem anno, nonnulli alii ex Ordine Diui Dominici, beatorum cœlitum numerum auxerunt. Inter hos eminet Beatus Berengarius Leridensis, ad eius Ciuitatis Episcopalem Cathedram, Angelo visibiliter nunciante, ex Diaconii gradu euectus: atq; maxima cum opinione sanctitatis defunctus. Eius sepulchro aperto, cum aliquis Episcoporum, sacrum corpus inspexisset, post multos à morte annos, sanguinem copiosum fundere aspexit. Proximus huic Pelagius Castellanus magna charitate in proximos, quorum salutem ardentissimo studio procurabat. Ex eius tumba reuelata odor suauissimus aspirauit, atq; nubecula paruula exhalauit, inq; cœlum auolare visa est. Cæco cuidam lumen restituit, indurato peccatori contritionẽ & lachrymas impetrauit. Quinq; dæmoniacos liberauit, aliaq; multa miracula, etiam in gentilibus patrauit. Pelagium sequitur Aluarez Hispanus, tanta linguæ custodia, vt à curiosis obseruatoribus, nonnisi vnicum verbum quodam an. auditus fuerit protulisse: tanto obsequio in infirmos, vt fere nihil aliud magis studiose curauerit, tanto feruore in oratione, vt & mente in extasim, & corpore in aera attolleretur, tantis ad extremum virtutibus, vt exemplo cunctis esset. Non inferiores superioribus duo fratres Germani Tolossates, discipuli Diui Dominici, Petrus & Thomas, è nobili familia Silanorum. Petrus à principio non multa doctrina pollebat. Quamobrem cum à D. Dominico Lemouicas, ad religionem Prædic, illo inuehendam mitteretur, inscitiam excusauit. At Diuus illum omnino ire iussit, seq; pro illo Deum oraturum promisit, à qua oratione tanta postmodum Petro scientia, facundia, docendique felicitas, vt fratrem Thomam æquarit. Quasi aliquem Apostolorum aut Prophetarum Lemouicenses propter sanctitatem venerabantur, cum non minore quoq; cultu Thomam honorarent. His se adiungit Anonymus quidam Anglus in Conuentu Derbegensi. Morti vicinus, cum iam animam ageret, suauissime ridebat. Causam interrogatus, dixit, primo S. Edmundum, deinde Diuam Deiparentem, & tandem Iesum Saluatorem ad se venire. Ad SS. Virginis aspectum, astantes inuitauit, vt prostrati in terra, melos illud, Salue Regina recitarent. Introeunte autem Iesu, ait. Ecce nunc ad iudicium meum venit meus Iesus. Interim cœpit angi, pauere, & sudare, ac dicere: Istud quidem verum est, aliquot vicibus, istud autem non admisi. Oculos quoque & vocem ad Diuam Virginem eleuabat, orans vt se adiuuaret. Inter hæc etiam inimicum apparentem increpabat, vel Iesum, vt sibi hanc modicam offensionem dimitteret, flagitabat. Cumque supprior deposceret, an grauioribus criminibus leues quoque noxæ annumerarentur: affirmauit. Moneri autem, ne de misericordiæ diuinę benignitate spem deponeret, tandem clementiam Diuinam erga se confessus, expirauit.

Præd. & Leander in vita Præd. OBITVS ALIQVOT SACERDOTVM EX ORDINE D. DOMINICI

XV. IN ANGLIA SANCTITAS CVIVSDAM INCLVSÆ.

Ead. tempestate in Anglia apud Solopiam fuerat quædam mulier quæ ita domo se incluserat, vt potestatem sibi omnem foras prodeundi sustulerit: quæ quo magis se ab hominum terrestrium consortio remouit, eo vberius cœlestium ciuium, D. Mariæ matris Christi, Ioannis Baptistæ, Francisci & aliorum quasi familiari consuetudine fruebatur: adeo quidem vt Missarum solemnia à cælestibus Spir. celebrata, audire promeruerit.

XVI. ALBIGENSIS QVIDAM OMNIA A STELLIS PENDERE DOCVIT.

Ad hæc tempora in Diœcesi Cestrensi in Anglia obiit Gaufridus quidã ex Albigensium secta, qui docebat omnia à stellis & astris pendere, quique veritas & damnatas artes ediscebat. Sedecim ante annos sacram Eucharistiam acceperat, nec peccatorum exomologesim fecerat, imo cum nec lethali morbo, qui eius vitam abstulit decumberet, vt id faceret, vllis persuasionib. adduci potuit, vanaq; se miser homo longioris vitæ spe lactabat. *M.S. Vatic.*

XVII. PRÆFECTVS MEDIOLANENSIS MISERABILITER PERIT.

Hoc anno Berius Gozanus Mediolani Præfecturam administrabat. Qui cum magnas & iniquissimas exactiones in Prætura fecisset, peracto magistratu rationem gestorum reddere compulsus, ac 10. millib. librarum condemnatus, cum soluendo non esset, per vrbis fossas canis more raptatus est. *Chron. Bossiana.*

XVIII. PARTICVLAM SS. SANGVINIS D. N. IESV CHRISTI PER GERMANIAM IN ANGLIAM INFERT EDMVNDVS FILIVS RICHARDI.

Peridem temporis, cum Richardus in Regem Roman. electus in Germania versaretur, Edmundus eius filius adolescens admodum pius, cum forte Germanorum Regum monimenta, quæ ad cultum diuinum pertinebant, studio attrectaret, vas quoddam aureum reperisse fertur, quo ex titulo cognouit, vt fama est, ac credere minus à pietate abhorret, portionem quandam sanguinis Christi contineri. Huius rei factus cupidus ita egit, vt partem à custode impetrauerit, quam postea non minore cura, quam veneratione secum in Angliam detulit, identidem cogitabundus, vbi loci tam tam nobile nostræ religionis monimentum locaret; qui ad vltimum arbitrans post mortem vtriusq; parentis se debere cumprimis Cœnobium Haylense tãto munere ornare, in quo illorum corpora sepulta essent, tertiam etiam sanguinis partem ad ipsum locum doni nomine tulit, vbi ferebant crebra & magna quotidie edi miracula, reliquas duas partes secreto penes se vsq; eo custodiendas putauit, dũ diuinit⁹ moneretur, quo in loco seruãdas ppetuo reponeret. Interim ad diuinũ cultum augendum animũ adiungens, à Deo vt credere par est, admonitus, Cœnobium egregio opere in colle Syluestri extruxit, cui loco nomen est Assheruggium. Ditauit bonus Princeps Cœnobium amplis possessionibus, illudque viris nouæ religionis non antea in Anglia visis, qui boni homines appellantur, incolendum dedit. Hi D. Augustini regulam profitentur & obseruant, vestimentum cerulei coloris induunt, ead. pene forma factum, atque habent fratres, quos vocant, Eremitani. Fuerunt in eo Cœnobio quocunque tempore, velut etiam sunt hodie, monachi & sanctitate vitæ & doctrina præclari. Edmundus igitur Comes Cornubiæ, postquam hoc cœnobium primo extruxerat, deinde Bonos homines, in illud introduxerat, postremum reliquum Dominici sanguinis suis manib. eo loci reuerenter posuit, monimentum Christianæ pietatis salutare. Nam multis mortalibus, qui fidem rei non abrogant, in grauissimo morbo saluti esse aiunt, qui ad id sacrum quasi passionis Christi pignus visendum quotidie illuc confluunt. Quo factum est, vt eiusmodi sanguis Dominicus ab Edmundo in Angliam delatus, in Haylensi & Assheruggiensi cœnobiis multa sit veneratione. *Polyd. lib. 16. Hist. Angl.*

IESV CHRISTI
Annus 1258.

ALEXANDRI Papæ IV. 4. BALDVINI II. Imper. Orient. 30.

I. EZELINI POTENTIAM CONATVR ALEXANDER IMMINVERE. *Platina in Alexandro*

CVm Ezelinus tyrannus, in vinculis, Legatum Apostolicum, & alios Confæderatarum Ciuitatum Proceres & populos teneret, Alexander Pontif. vt eos quoquo modo eliberaret, Henricum Ebrunensem Archiepiscopum alium Legatum, vna cum Galberto Castello in Lombardiam destinauit. Hic primo tentauit, vires Ezelini potentiamq; imminuere: & quia illa ab Vberto Pallauicino supra modum excrescebat, illum ab eodem seiungere instituit. Id autem per Bosium Dobarium ciuem Cremonensem, & domi nobilem potissimum curauit, qui Vbertũ impulit, proposita cum detestatione Ezelini crudelitate & sæuitia, vt eo omisso, cum Mediolanensib. & Mantuanis, aliisq; sociis ciuitatibus fœdus iniret.

II. IN SICILIA RES MANFREDI CRESCVNT. *Fazellus lib. 8.*

In Sicilia studiis hominum varie distractis, res Ecclesiæ in regno illo oppressę iacebant, pręsertim cum etiam Manfrediani inter se dimicarent. Reliquerat Manfredus indidem Fridericum Aretinum Iustitiarium, & Fridericum Malectam Comitem Præfectum. Hunc Malectam, cum Gabbanus Theuthonicus, qui à temporib. Friderici Cæsaris ex Proceribus vnus Siciliam incolebat, inuisum haberet, inter Prepanum & Erycem eum adortus confecit, atque mox Erycem ascendit ac oppidum cepit, & simul cum oppidanis à Manfredo defecit. Frideric. Lancea his cognitis contra eos mouit, ac magna cæde facta, Gabbanoq; interfecto oppidum recepit, eoq; deserto oppidanos ad reliqua Siciliæ loca inhabitanda transmisit. In Etruria pariter omnia miscebantur, Gibellinis qua à Manfredo, qua ab Ezelino, contra Pontificios tumultuantib. Senenses præcipui fuerant, qui negotium Guelfis facesserent, & Manfredo adhęrerent. Sed & Florentini vrbe exactis Pontificiis, fœdus cũ Manfredo pepigerant, atq; Guelfos oppresserant. Hos autem vt à Manfredo Alexander Pontifex dissociaret, nihil non egit, vtq; abiurata Manfredo sponsa fidelitate sese Ecclesiæ permitterent, admonuit: atq; postmodum in vtrosq; refractarios tum excommunicationis, tum interdicti sententiam promulgauit. *Cod. Vatic.*

III. À MANFREDO RES ORIENTIS ETIAM MISCENTVR ET EVERTVNTVR. *Petrus Marcellus in Rainerio Zeno in Æmil. in Ludouico 9.*

Porro Manfredus non tantum in Italia, verum etiam in Syria atque vniuerso Oriente res miscebat, eiusq; occasione factum est, vt & Latini Imperium Constantinopolitan. subsequente amiserint, & Christiani Crucesignati contra Saracenos nihil præclare gesserint, Venetis & Genuensib. studio partium dimicantibus, à causa Manfredi res est. Duo fuerant totius Orbis terrarum emporia celeberrima, Barbaris Damiata, nostris Ptolemais, hæc amissis Hierosolymis, erat Regia, Crucesignatis vrbs, celeberrimusq; Latinorum mercatorum conuentus. Per inducias ex India, Æthiopia, Arabia, beatisque Regionibus ad alios mercatus allatæ merces, illo tandem comportabantur: inde Veneti Genuensesque nauibus quo visum erat asportabant. Franci cum sacro Regno potirentur, magnos honores Venetis, magnos Genuensibus, ob egregia eorum sacro bello merita habuerant: quarundam maritimarum vrbium tertiam partem Veneto nomini attribuerant, idem decus Genuensib. decreuerant, ac per multas ætates seruarant. Brenna puella nuptiis suis Fredericum Cæsarem effecerat Regem Hierosolymorum. Nunc Regnum Sacrum Rege orbatum videbatur. Philippus à Monteforti Ptolemaidis Prætor delectus fuerat, conciliatrice gloria familiæ, quæ summos bello Duces, qui Asiam Europamque monumẽtis rerum gestarum implerant, progenuerat. Eadem Anglis recenti affinitate iungebatur. Angli Regis sorore Simoni à Monteforti collocata. Proceres erant dominatus cupidissimi. Inter Venetos Genuensesq;, vt inter opulentissimos populos maritimarum rerum gloriam sibi vendicantes, assolet, ante sanctum Regem natis, sed quæ sancto Rege religioni militante intermortuæ fuerant, simultatib. tunc renascentibus, æquiorem se Philippus Genuensibus præbere visus est. Vterq; populus Ptolemaide suum Prætorem, suos apparitores, suum forum, suam aream, suas sibi leges habebat. hæc profana.

IV. LATINORVM IMPERIVM IN ORIENTE FINITVR GENVENSIB. ET VENETIS INTER SE PVGNANTIBVS. *Iac. Bossius lib. 10.*

Exorta de Monasterio S. Sabbæ controuersia est, quod vterque populus sibi deberi contendebat. Causa ad Alexandrum Pontificem ad cognoscendum delata, ille per literas Patriarchæ Hierosolymitano, & Priori Hospitalis militum Sancti Ioann. hoc anno datas declarauit, Templum ipsum sacraque omnia communia esse debere. Genuenses cognita prius Pontificis Alexandri declaratione freti beneuolentia Philippi Mõtisfortis vrbis Præfecti locum occuparant, & Venetis exclusis, eum communitum in arcis modum redegerant. Hac affecti iniuria Veneti abeuntes inito cum Manfredo fœdere, aduersus Genuenses arma sumpserant, & classe comparata, in Ptolemaidis portu hostium classem trium & viginti magnarum nauium inuentam, oppresserunt, atque incenderunt: Diuiq; Sabbæ Monasterium eodem impetu captum diripuerunt, atque diruerunt anno subsequente. Hoc initium funesti belli, causaque Latinorum inter Barbaros Græcosque imperii finiendi fuit, Manfredo odiorum semina inferente, & vires Genuensium, qui à partibus Pontificiis stabant deterente.

V.

Eodem incentore, & Pisanorum Gibellianorum auxiliis Veneti incitati ac freti, pacis consilia respuebant. Vnde in maius continuo incendium exarsit, & cruenta prælia commissa, quib. res Veneta initio superior fuit, & suis viribus & Manfredi, atque Pisanorum auxiliis. His inter se populis, qui tunc maris potentes fuerant, certantib. facile fuit Procerib. Græcis & Barbaris, Latinos & Crucesignatos, exigere atq; opprimere.

VI. MISSOS PRÆD. AD PROPAGANDAM FIDEM PRIVILEGIO AMPLISSIMO DONAT ALEXANDER QVARTVS. EXTAT IN ARCHIVO CONVENTVS CRACOVIENS SS. TRINIT. AVTHOGRAPHVM.

Inter hos Orientis & Occidentis motus à perfidia Manfredi concitatos non destitit Alexander Pontifex, ea quæ ad fidem Christianam siue amplificandam, siue ab hæresibus vindicandam procurare. Et quidem ad fidei propagationem, multos Prædicatores ex instituto Diui Dominici, & sancti Francisci, ad Gentes destinauit, dato eis priuilegio amplissimo, quod libuit attexere. Ita habet illud, quod F. Stanislao Cracouiensi, per id temporis Prouinciali Poloniæ Ordinis Prædicatorum, & ante biennium Prouinciali Hispaniæ eiusdem Ordinis Anagniæ V. Idus Iulii Pont. an. 2. datum est his verbis.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio priori Prouinciali Fratrum Prædicatorum in Prouincia Poloniæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum hora vndecima sit diei, vt exeant ad opus, vsque ad mundi vesperam deputati, & illud Apocalypsis eulogium citò creditur cum matris Ecclesiæ consolatione complendum: videlicet oportet viros spirituales, vitæ munditiam & intelligentiæ gratiam cum Ioanne sortitos, populis, gentibus, linguis, Regibusque multis denuò prophetare, quia non sequetur reliquiarum Israel per Isaiam Prophetam saluatio, nisi iuxta Paulum Apostolum prius introeat plenitudo gentium: Nos licet immeriti, super Apostolicæ sedis speculam constituti, fideliter ac prudenter disponendis Dei ministeriis, & operibus coadiuuandis intendimus, & vrgente plenitudine temporis, postpia piorum studia, vineam Domini Sabaoth, nouos & pene nouissimos, qui sapientiam longum diuicere per otium operarios mittere procuramus. Sane quia inter alios Propugnatores fidei Christianæ, fratres Ordinis tui iuxta professæ Religionis efficium Zelus comedit animarum, ex eis ad Gentes quæ Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obediunt, decreuimus aliquos destinandos. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta, mandamus, quatenus aliquos ex fratribus tibi commissis, quos prapotentes videris in opere & sermone, ac fidei ampliandæ zelo feruentes, ad terras Ruthenorum, Paganorum, & ad quascunque infidelium nationes, Authoritate nostra transmittas, annunciaturos illis in virtute Dei, Euangelicam Veritatem, quos tibi amouere liceat, aliosque substituere, cum videris expedire. Quibus vice nostra, in peccatorum omnium remissionem iniungas, vt seminaturi super aquas multas, in illo tantum, qui dixerat mundum se vicisse, confisi, ad illuminationem cæcæ multitudinis, & exterminium hæreticæ falsitatis, ad confirmandos nutantium animos, & fidelium confirmandos in lucis sermonis, & certitudine operis propositum sibi iter, sine qualibet offensione percurrant. Vt autem ministerium ipsorum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, eisdem fratribus quos ad hoc miseris præsentium auctoritate concedimus, vt in Terris quæ adhuc sedis Apostolicæ Magisterio non intendunt proponere verbum Dei, & constitutis ibidem, non obstante: si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis officio, & cibo, ac aliis secure communicare, & ipsos seu etiam alios conuerti ad veritatem Christianæ fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesiæ filios valeant, & Presbyteri ex iisd. fratribus ipsos aggregatos, possint insignire charactere Clericali & ipsos ad Acolytatus ordinem promouere. Liceat quoque Fratribus ibidem, redeuntibus ad obedientiam dictæ sedis, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impertiri, & super eo dispensare cum ipsis, qui sacros receperunt Ordines, & Diuina celebrarunt officia sic ligati. Hoc ipsum iisdem fratrib. sit licitum, circa illos de Terris iisdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores prætermissis inferioribus conferre seu recipere Ordines præsumpserunt: si tamen in hoc seruata talis forma extiterit, præter quam Ordines recepissent. Ipsis quoque Fratribus dispensare liceat, vt hi qui ad Ecclesiæ Catholicæ redierunt vnitatem inter suos habitent, eisque communicent: nec non quod Clerici nationum ipsarum, publice ad obedientiam sedis redeuntes, eodem gaudeant priuilegio clericali. Sit etiam eisdem Fratribus licitum, omnium fidelium in Terris prædictis confessiones audire, & ipsis iniungere pœnitentias salutares, & excommunicatos à Canone vel in alio iuxta formam Ecclesiæ absoluere: dummodo iniuriam & damna passis, satisfaciant competenter. Cum irregularib. a partibus earundem, in casibus in quibus solent legati sedis Apostolicæ dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium patientibus defectum natalium: dummodo non sint de adulterio, vel incestu, vel Regularibus procreati, sit Fratribus præfatis dispensandi facultas. Quam circa illos similiter habeant, qui ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ seu Religione, vel Clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & digne satisfacere de commissis: ita quod ipsi Religiosi ad sua loca saluæ disciplinæ Ordinis resumantur, & illos de iam dictis, qui excommunicationis vinculo sint astricti, iuxta præmissam formam, & prædictæ satisfactionis modum absoluere valeant: & cum irregularibus ex eisdem sicut est expressum superius dispensare: ad hoc sit memoratis Fratribus absoluendi facultas occisores Clericorum & religiosarum personarum in prædictis partibus constitutos. Fundandi de nouo ibidem Ecclesias, & reconciliandi ipsas, quæ sunt casu aliquo profanatæ, ac de nouo fundandi Rectores idoneos prouidendi: & illis qui de gentibus schismaticis nouiter sunt conuersi, dandi licentiam, vt vxores suas primas, cum quibus suis gradibus à lege Diuina non prohibitis, contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in partib. illis, ad audientiam ipsorum deferri contigerit, legitime cognoscendi, & discordantes inter se ad inuicem quod ad pacem & concordiam redeant, nec non quod inordinate viuentes, de suis excessibus, sicut iustum fuerit satisfactionem adhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, ipsis fratribus libera sit facultas. Insuper in locis, in quib. eos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facient, Missam & cætera celebrandi officia: & in eisdem partibus cœmiteria benedicendi, ac dandi indulgentias, commutandi vota, liberam licentiam & plenam, etiam eos qui ad Paganos res prohibitas detulerunt, vel detulerint, absoluendi habeant potestatem. Cæterum Fratribus prefatis concedimus, quod à Catholicis Patriarchis, & Archiepiscopis & Episcopis possint Ordines & alia Ecclesiastica sacramenta suscipere, ac vestes sacerdotales, altaria pallas, Corporalia nec non altaria per eos qui ex Fratribus ipsis sunt Presbyteri, cum eis necesse fuerit benedicere vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, nec non alia facere, quæ ad honorem Dominici nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, & reprobationem ac irritationem illorum quæ sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore viderint expedire. Non obstantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis, cuiuscunque forma vel expressione verborum concessis, vel in posterum concedendis, de quibus oporteret in nostris litteris plenariam fieri mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Viterbii. Idibus Febr. Pontificatus nostri anno IV.

VII. PARI PRIVILEGIO MINORES DONAT.

Fere eiusdem tenotis litteras, eodem anno XIII. Calendas Maii dedit Alexander Fratribus Ordinis Minorum, ad easdem terras vna cum Fratribus Prædicatoribus destinatis, scil. ad Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, Hungarorum, Maioris Hungariæ, Christianorum Captiuatorum apud Turcas, aliarumque infidelium nationum Orientis, seu quarumcunque aliarum partium proficiscentibus. His ab Alexandro & ante aliquot annos ab Innocentio Pontifice Maximo acceptis litteris excitati Fratres vtriusque Ordinis memores Apostolici muneris, ad superius expressas gentes quasi Gigantes efficacissimi lacerti, exultantes ad sternendam viam Domino Redemptori excurrebant, adeo alacriter, nulla vt fuerit gens ad solem Orientem, & gelidam Septentrionem, quæ radiis eorum nõ esset illustrata, atque incalefacta. Nomina eorum scripta sunt in libro vitæ, & dum nostra hæc inferior neglexit, superior illa cœlestis Ecclesia laudem illorum sibi nunciat, admiratur, & attollit. Sane ex solius Prædic. Ord. Prouincia Poloniæ, totis ducentis triginta quatuor innumerabiles à Prouincialibus sedis Apostolicæ ad submittendos Fratres inter gentes Commissariis, missos fuisse in dubium est: qui inter hostes natura barbaros, moribus efferatos, impietate sacrilegos, vitam degentes sanctissimam, multis calamitatibus & crucib. onerati, sanguine roseo per Martyrium fuso purpurascentes, semen Christianæ fidei in locis inaccessis sparserunt.

VIII. ERRORES FÆDISSIMI IOANNIS PARMENSIS.

Per hæc tempora, quibus propter tumultus bellicos, disciplina Ecclesiastica in Italia elanguerat, Ioann. quidam Parmensis, tum pro concionib. & disputationibus, tum vero libro quodam titulo Euangelii æterni vulgato, putidissimos errores, atque horrendas blasphemias euomebat. Blasphemabat, & iactabat, quod

1. Doctrina Abbatis Ioachim excellit doctrinam CHRISTI, & consequenter nouum & vetus testamentum.

2. Euangelium Christi, non est Euangelium Regni: & ideo non est ædificatorium.

3. Nouum testamentum est euacuandum sicut & vetus est euacuatum.

4. Nouum testamentum non durabit in virtute sua, nisi per 6. annos proxime futuros, videlicet vsq; ad annum Christi incarnationis M. CC. LX.

5. Illi qui erunt vltra prædictum tempus, erunt in statu perfectorum.

6. Euangelium CHRISTI aliud Euangelium subdet, & ita pro sacerdotio CHRISTI aliud sacerdotium succedet.

7. Nullus simplex homo est idoneus ad instituendum

alium hominem de spiritualib. & æternis, nisi illi qui incedunt pedibus nudis.

8. Quantumcunque Deus affligat Iudæos in hoc mundo, illos tamen seruabit, quib. benefaciet etiam manentib. in Iudaismo: & in fine liberabit eos ab omni impugnatione hominum, etiam in Iudaismo manentes.

9. Ecclesia nondum peperit, nec pariet filios ante finẽ Regni temporalis, quod finietur per sex an. tunc proxime sequentes: & per hoc datur intelligi ibidem quod religio Christiana, quæ iam multos peperit Vocatos ad fidem Christi non est Ecclesia.

10. Euangelium Christi, neminem perducit ad perfectum.

11. Adueniente Euangelio Spiritus Sancti, siue clarescente opere Ioachim (quod ab eo dicebatur Euangelium æternum, siue Spiritus Sancti) euacuabitur Euangelium Christi.

12. Spiritualis intelligentia noui testamenti, non est commissa Papæ Romano, sed tantum litteralis, & per hoc datur ibi intelligi, quod Ecclesia Romana non potest iudicare de spirituali intelligentia noui Testamenti, & si iudicat, temerarium est eius iudicium, & ei non est acquiescendum, quia Ecclesia Romana (vt dicunt) animalis est, & non spiritualis.

13. Recessus Ecclesiæ Græcorum à Romana Ecclesia fuit bonus: & per hoc datur intelligi, quod viri spirituales non teneantur obedire Romanæ Ecclesiæ, nec acquiescere eius iudicio.

14. Tertius Ordo Clericorum (qui secundum prædictum librum est ordo religiosorum) non tenetur se exponere morti pro defensione fidei, aut conseruatione cultus Christi, sed secus de aliis hominibus.

15. Populus Græcus magis ambulat secundum spiritum, quã populus Latinus, & per hoc datur intelligi quod populus Græcus magis est in statu saluandorum & magis est adhærendum ei quam populo Romanæ Ecclesiæ.

16. Sicut filius operatur salutem populi Romani siue Latini, qui filium repræsentat: sic pater operatur salutem populi Græci, qui spiritum repræsentat, & per hoc datur intelligi, quod Pater saluum faciet populum Græcum & Iudaicum qui spiritum repræsentant.

17. Sicut veniente Ioanne Baptista, ea quæ præcesserunt, refutata sunt necessario, propter noua superuenientia, ita aduenientе tempore Spiritus Sancti, siue tertio statu mundi ea quæ præcesserunt, refutabuntur necessario, propter noua quæ superuenient: ex quo datur intelligi ibidem, quod nouum testamentum refutabitur & vetus proiicietur.

18. Spiritus Sanctus aliquid recipit ab Ecclesia, sicut CHRISTVS in quantum homo accepit à Spiritu Sancto.

19. Christus & Apostoli eius, non fuerunt perfecti in vita contemplatiua.

20. Actiua vita vsque ad tempus Abbatis Ioachim fructuosa fuit: sed nunc fructuosa non est. Contemplatiua vero vita ab ipso Ioachim fructificare cœpit, & amodo in perfectis successoribus eius perfectius manebit: & per hoc datur intelligi ibid. quod Ordo Clericorum, ad quem pertinet vita actiua, amodo non fructificabit in ædificatione Ecclesiæ & conseruatione, nec omnino in regimine, sed Ordo Monachorum in his fructificabit.

21. Aliquis de ordine religiosorum futurus est, qui præferetur omnib. dignitate & gloria, in quo implebitur prophetia, & promissio Psalmistæ dicentis. *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

22. Ille Ordo in quo complebitur promissio prædicta Psalmistæ, tunc conualesceret, quando Ordo Clericorum desinet perire.

23. Ille Ordo paruulorum est, in quo complebitur promissio prædicta Psalmistæ.

24. Sicut in primo statu mundi fuit commissum Regnum, seu Regimen totius Ecclesiæ à Patre aliquib. de ordine coniugatorum, in quo authorizatus fuit ille ordo: sic etiam in tertio statu mundi committetur alicui vel aliquibus de Ordine Monachorum à Spiritu S. in quo vel quib. ab ipso gloriabitur ille ordo.

25. Illi qui præsunt collegiis Monachorum, in diebus istis cogitare debent de recessu à secularibus, & parare se ad reuertendum ad Antiquum populum Iudæorum.

26. Prædicatores qui erunt in vltimo statu mundi erunt maioris dignitatis & authoritatis quam Pradicatores primitiuæ Ecclesiæ.

27. Prædicatores & Doctores religiosi viri, quando infestabuntur à Clericis, transibunt ad infideles, & timendum est, ne ad hoc transeant, vt cogant eos in prælium cõtra Romanam Ecclesiam, iuxta doctrinam Ioannis Apocal. 15.

IX. ERRORES IOANNIS PARMENSIS AB ALEXANDRO IV. DAMNANTVR, ET LIBELLVS EIVS EXVRITVR. *6. Decret. tit. de Hæret. Direct. inquisit. p. 3.*

Hos errores maleferiatus Ioannes Parmensis, in suo libello, quem Euangelii æterni titulo diuulgauit, dispersserat. Quibus ne diutius simpliciores inficeret, Alexander Pontifex hoc anno, eosdem ex consilio S. R. Ecclesiæ Cardinalium condemnauit, & libellum ipsum flammis addixit: multaq; contra hæreticos, in libros Decretalium postmodum à successoribus relata constituit, neque pauciora inquisitorib. hæreticæ prauitatis ex Ordine Minorum assumptis ex diuersis occasionibus. Eodem anno Anagniæ Idibus Nouembris, & XVII. Calend. Decembr. rescripsit, priuilegiisque quamplurimis inquisitores, socios, & reliquos omnes, qui ex animo consilium, auxilium, vel fauorem in causa fidei & inquisitionis præstant, ornauit, Anag. XVII. Calend. Octobris. Inter alia quæ rescripsit, est subsequens decretum, quo plurimæ difficultates in negotio hæreticæ prauitatis, sæpius emergentes declarantur. Ita habet.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in administratione S. Francisci præsentibus ac futuris, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quod super nonnullis quæstionum articulis, in quibus causa fidei tangitur, nos consulere voluistis, sollicitudinis vestræ prudentiam in Domino commendamus.

DECRETVM EIVS, QVO DIFFICVLTATES IN NEGOTIO HÆRETICÆ PRAVITATIS EMERGENTES DECLARANTVR.

Primus igitur vestræ consultationis articulus continebat. Vtrum dici debeat relapsus in hæresim qui lapsus est in eam post abiurationem ipsius, in qua non inuenitur antea commisisse: cum secundum proprietatem verborum, non videatur relapsus, qui non fuerit antea lapsus. Ad quod totaliter respondemus, quod talis sit tanquam accusatus vel suspectus de hæresi ea in iudicio abiurauit, postea committat in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licet ante abiurationem suam plene probatum non fuerit crimen hæresis contra ipsum dummodo huiusmodi prius orta suspicio violenta fuerit, & certis ac veris indiciis comprobata. Si vero leuis & modica, quamquam ex hoc sit grauius puniendus, relapsorum tamen in hæresim non debet pœna puniri, ex quo præsumi non potest verisimiliter antelapsus in eam.

Quæsuistis etiam circa idem, si is qui hæresim abiurauit, & per solam inexcusabilem receptionem, vel receptationem, aut deductionem seu associationem, vel visitationem hæreticorum, sine datione vel missione munerum, aut etiam alias in fauorem eorum qui excusari non possit, sine adoratione tamen (vt vestris verbis vtamur) lapsus est postmodum, propter hoc debeat iudicari relapsus. Et quidem si legitime constitit, vel etiam nunc constaret, quod tales ante huiusmodi abiurationem, in hæresi commisissent, non est dubium eos per hoc fuisse relapsos: quia tunc dubitari non debet, illos ex approbati à se prius erroris consequentia, id feciss̃e.

Præterea nonnulli talium, vt proponitis, iurant coram Inquisitoribus tam de se quam de aliis super facto hæresis veritatem dicere, sed periurant, non odio tamen vel pretio, sed timore sui potius & suorum: corrigunt autem se postmodum super iis contra se & alios suos complices, deponendo. Cum itaque periurus secundum iura etiam post pœnitentiam in criminalibus à testimonio repellatur: hinc quæritur, vtrum contra illos suos complices sit per testimonia talium procedendum. Super quo taliter respondemus, quod cum crimen huiusmodi sit exceptum, si ex manifestis indiciis apparuerit, tales non animi leuitate, aut odii fomite ductos, seu corruptos pecunia: sed zelo fidei tanquam pœnitentes propria culpa asserere, quod talia prius tacuerant, & velint in hoc errorem suum corrigere, ac alios nominare, seruari debet in fauorem fidei, nisi aliud obsisteret, attestationibus eorumdem.

Ad illud autem quod quæritur, vtrum ad Inquisitores hæresis pertineat de diuinationibus & sortilegiis, quæ contra aliquos sibi denuntiantur cognoscere, ac punire talia exercentes, breuiter respondetur: quod

tur, quod cum negotium fidei, quod summe priuilegiatum existit, per occupationes alias non debeat impediri, Inquisitores ipsi, de iis, nisi manifeste saperent hæresim, ratione huiusmodi officii sibi commissi, se nullatenus intromittant, sed eos relinquant suis iudicib. pœna debita castigandos.

Quidam insuper (vt adiicitis) pro iis quæ commiserunt in hæresi astringunt se Inquisitoribus, sub obligatione bonorum suorum, ad recipiendam ab eis pœnitentiam & complendam: sed ea licet iniuncta, non tamen peracta, quia potius in toto, vel in parte neglecta decedunt. Quæritur ergo, vtrum inquisitores ipsi, vel qui in locum eorum succedunt, possint ad satisfaciendum pro ipsis defunctis, hæredes vel detentores bonorum sic decedentium coarctare. Ad quod dicimus, quod si per huiusmodi pœnitentiam aliquod onus ad salutem proficiens impositum fuerit, in bonis temporalib. exequendum, ad complementum ipsius per Inquisitores cogi debent hæredes, vel alii ad quos bona talium cum suo onere deuenerunt.

Iniungitur etiam aliquibus ad pœnam, in pœnitentia pro hæresi, ab ipsius pestis Inquisitoribus, vt vsuras restituant, ad quod obligauerant in iudicio Ecclesiæ, se & sua. In quo quæritur: Vtrum Inquisitores ipsi, vel qui succedunt in locum eorum, ad respondendum coram se conquerentibus de vsuris huiusmodi, & restitutionem earum, si de ipsis constiterit, possint compellere taliter pœnitentes, prout ab eis in alijs iniunctis sibi pœnitentijs fieri consueuit. Ad quod respondemus, quæstionem super vsuris motam, coneralales iudicialiter non debere audiri ab inquisitoribus hæresis, nec decidi. Nolentes quod per causas huiusmodi offendiculum negotio fidei præstaretur, eos tamen ad restitutionem vsurarum, de quib. constiterit, compellere poterunt: quib. in satisfactionem pro prædicto crimine huiusmodi restitutionem in pœnitentia iniunxerunt.

Sunt & alii, qui confessi sunt in iudicio de hæresi coram Inquisitoribus huiusmodi prauitate, sed antequam eis iniungeretur pœnitentia decesserunt. Super quo quæritur si hæredes talium compelli possunt ab Inquisitoribus, vt ad ipsorum arbitrium satisfaciant pro defunctis? præcipue cum iidem dum viuerent, ad faciendam pœnitentiam, quam Inquisitores eis vellent iniungere, bona sua inquisitoribus obligarint. Cui quæstioni sic duximus respondendum, quod postquam tales non decesserunt hæretici, sed reincorporati potius Ecclesiæ vnitati, non videmus quod eis post mortem, vel eorum hæredibus, qui ad successionem talium admittuntur, sit satisfactio pro extincto iam crimine iniungenda. In eo vero casu, in quo hæredes huiusmodi ad successionem non deberent ob culpam sui auctoris admitti, non obstante, quod auctoribus ipsis viuentibus, hoc non fieret intercedente ipsorum morte per sententiam declaratum, ad confiscationem bonorum post mortem nihilominus procedat.

Adiecistis præterea, negotium seu officium Inquisitionis contra hæreticos, dilecto filio Priori FF. Præd. Parisiens. à sede Apostolica fuisse sub ea forma commissum, vt idem super hoc possit inquirere, tam per se, quam per alios, quos ad hoc idoneos reputaret. In quo quæritur, vtrum tales delegati, vel sub delegati existant, & quid possint etiam sic electi. Super quo taliter duximus ordinandum, quod idem Prior possit tres, vel quatuor idoneos ad hoc opus assumere, qui parem cum ipso habeant potestatem, & amouere illos, ac ipsorum loco alios substituere, quotiescunq; viderit expedire, ipsi tamen Priori & aliis sic assumptis cõmittẽdi dũtaxat citationes & examinationes testiũ, cũ de huiusmodi crimine ac circũstantiis eius inquiritur, ac denũciationes sententiarum quas super iis contra quoslibet contigerit ferri, & iis similia faciendi conceditur ab eadem sede facultas. Quæstioni vero, qua quæritur, vtrum constitutus in sacris, deprehensus in hæresi, & propter hoc immurandus, prius sit ab ordinibus à suo Episcopo degradandus, antequam tradatur huiusmodi pœnitentiæ. Respondemus, quod talis qui est perpetuo immurandus, prius debet à suis Ordinibus degradari.

Nonnulli quoque Clerici, & quod est deterius sacerdotes, prætextu pecuniæ, vel alicuius seruitij temporalis, inueniuntur aliquando inquisitionis impedire negotium, instruendo citatos hæreticorum credentes de celanda veritate, falsitate dicenda, vel eos indebite liberando: de quib. quæritur, vtrum inquisitores possint tales capere, ac etiam retinere, aut quod sic acceptæ restituant, coarctare. Dubium itaq; non videtur, quod iis quos constat exercere præmissa, ea faciunt in fauorem hæreticæ prauitatis. Quare possunt à talib. per inquisitores compesci, & pœna debita castigari: tam per captionem personarum, quam etiam alias, prout culpa exegerit delinquentis.

Quod autem postmodum quærebatur, quomodo essent puniendi religiosi, qui inueniuntur in hæresim deliquisse, cum seculares peccãtes in simili casu, immurationis, vel alia pœna plectantur? Eius solutio satis patet, cum certum sit tales in hoc, & in consimilibus delinquentes grauius etiam secularibus puniendos.

Frequenter etiam vobis ab Apostolica sede committitur, vt tam hæreticos, credentes, receptatores, fautores & defensores eorum, quam ipsorum filios & nepotes, ac illos etiam, qui prædictorum interuentu, vel gratia tales essent adepti, vel assequerentur in posterum, priuandi personatibus, dignitatibus & honoribus quibuscunq; & beneficijs Ecclesiasticis & publicis officijs de diœcesanorum, vel eis absentibus Vicariorum suorum consilio, habeatis liberam facultatem. Quod qualiter intelligi debeat, petiuistis eiusdem sedis oraculo declarari. Hoc sane de filiis & nepotib. illorum hæreticorum credentium & aliorum huiusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videtur, non autem illorum, quos emendatos constiterit, & pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter persecutioni eius insistunt, vel parati fuerunt dum viuerent ad recipiendum eandem. Diœcesani quoq; in priuandis talibus sunt generaliter requirendi, nisi forte constaret legitime, quod iidem scienter eis beneficia contulissent. Tunc enim eos in iis requirendos esse non credimus, sed potius à suo iudice puniendos. Vos igitur hæc & alia contingentia in hac parte, commissum vobis officium sic prudenter & fideliter exequi procuretis, sic ad ea pure propter Deum, cuius causam geritis, vestra feratur intentio, quod labor vester vobis ad vitæ præmium, & aliis ad salutem, quæ solum in talib. quæritur, proficiat animarum. Dat. Viterbij Quinto Cal. Octob. Pont. nostri anno IV. Hæc & alia complura contra hæreticos Alexander Papa, ex occasione Ioannis Parmensis.

X. *Cromerus lib.9.* BOLESLAVS SILESI Æ DVX VRATISLAVIENSEMPER SCAPIT, ET EXCOMMVNICATVR.

Per id temporis in Silesia, Boleslaus Dux, cognomento Caluus, cum dolore amissæ Glogouiæ percitus, tum bello exhaustus, vt iram simul & cupiditatem suam expleret, facinus aggressus est impium & sacrilegum.

In Vratislauiensem enim Episcopum Thomam, templum Gorcense dedicantem, & Bogufalum Præpositum, & Heccardum Canonicum, cum Theutonibus satellitib. suis manus iniecit, caprosq; ad subuculam vsq; expoliauit, & in arcem Vulai, atq; inde Legnitiam deportauit. Poscebat autem eos decem millia marcarum. Quæ cum non darent, coniecit eos in tetrum carcerem constrictos compedibus. Qua re cognita Fulco Archiepiscopus Gnesnensis Lenciciam Synodum conuocauit, ac de Synodi sententia Boleslaum Caluũ diris deuouit: Wratislauienſ. vero omni diœcesi sacris interdixit. Deinde, cum nihilo magis dimitteret captos Boleslaus, Pont. Max. Alexandrum certiorem ea de re fecit, & quid porro fieri oporteret, rogauit. Rescripsit ille Archiepiscopo, vt Poloniam omnem ad arma cõtra Boleslaum sumenda Crucis militia promulgata, vna cum cæteris Episcopis concitaret. In eandem quoque sententiam etiam Magdeburgensi Archiepiscopo de concitandis Germanis rescripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam, vna cum præposito & Canonico se redemit. Consciis fratribus Henr. & Conrado Boleslaum hæc patrasse creditum est: propterea quod illis quoq; commodo pactum illud fuit, de decimis commutandis. Retinuerunt q; mordicus tam ipsi, quam posteri eorum, id quod tunc ab Episcopo per vim expressum est.

In Angliam hoc anno cum ingens numerus Pictonum confluxisset: Regio fauore insperato gaudẽtes, se sumptuosius, insolentiusque iactare, erigere: atq; prædia quæ alias possedissent, repetere cæperunt. Eodem quoque tempore venere in Angliam, Odomarus sactis initiatus, Guillelmus Gaufredus, & Guido fratres Henrici Regis, ex Isabella eius matre geniti, & Hugone Marchiano Comite. Ii in summa gratia cum Rege esse cœperunt, vt qui cum illo cognatione coniuncti essent. Item summa apud eum authoritate valere, multum sibi assumere, cum nobilitate honorib. æquari, eam non facere plurimi, viamq; sibi ac aliis aduenis ad suas res amplificandas, mirifice inuenire. Sed inprimis dignitate auctus est Odomarus, qui Vintonien sem Episcopatum adeptus, deinde suis opib. & alios maxime iuuabat. Non potuerunt ferre eam feneſtram externis patefactã, ad seruiendum suis cupiditatib. & illorum superbiam Principes Angli, qui passim vociferabantur nimis indignum esse, se turpiter in sua patria exteris hominib. contemptui esse, quod Rex pati nõ deberet, cuius interesset suos tantummodo tueri, subleuare, sustẽtare. His igitur vocib. Principes ad

XI. *Polydorus hist. Ang. lib.16.* PICTONES EXTERI IN ANGLIAM VENIENTES INSOLENTIVS SE GERVNT, IDEOQVE REPRIMVNTVR.

extremum impetrauerunt, vt odii tollendi ac constituendarum rerum causa Concilium Oxonii haberetur, quo vbi conuenerunt, de concilii sententia decretum est, vt Pictones omnes cum cæteris peregrinis exterminatentur, & ne Rex aut Eduardus Princeps, clam illis opem aduersus plebem ferret, rogarunt, vt iureiurando promitterent, se contentos fore Concilii decretis, & quamprimum reddituros antiquas leges & instituta, id quod ambo magis metu, quam voluntate fecerunt. Nam optimates toties antea elusi, armati ad Concilium conuenerant. Spoponderunt pro illis Richardus Rex Roman. electus, & Simon Montifortensis, iureiurando itidem adacti. Pictones cum fratrib. Regis facile fuit expellere, quippe qui cognito in se Principum odio sponte remigrarunt in patriam. Interim cum pro se quisque tranquillitati suorum temporum seruiret, varium erat populi atque Regis studium. Populus enim gratulabatur, talia in Concilio Oxonien si facta esse decreta, per quæ facile libertatem & leges toties promissas sibi restitutas dicebat, atque illis passim iam vti incipiebat. Sed quia sine consensu Regis, ea minime rata habebantur: idcirco quotidie à Rege flagitabat, vt quæ iureiurando recepisset, tandem aliquando præstaret. Rex vero quia videbat, non è re sua esse, vt statuta per Concilium confirmaret, & dolebat homines exteros ex Regno eiectos, in animo habebat, nunquam ea in parte desiderio populi satisfacere. Et quoniam id palam aut repente facere periculosum ducebat, propterea de industria eatenus procrastinandam constituit, quoad ita res externas componeret, vt si bellum domi oriretur, aduersariis resistere posset. Itaque per legatos cum Alexandro Pont. egit, vt eius auctoritate fieret, ne iureiurando teneretur, quod in Oxonien si Concilio dedisset, neue promissis stare cogeretur, id quod & facile impetrauit, cum affirmasset eam sponsionem non sponte, sed metu fecisse.

XII. EX TENVI PRÆBENDA LAVTI VSVIVIT VNVS, QVAM ALTER EX OPIMA.

Non indignum est commemoratione, quod per id temporis de Robert. & Thom. sacerdotibus Anglis, authores prodiderunt. Regina Aleonora sacerdotio vtrumque, sed hunc exili & tenui, Thomam vero longe vberiori & magis opimo donauerat. Thomas aliquot post annos, amicum illum suum veterem, quo cum coniunctissimas vitæ rationes habuit, qui aula relicta, pastoriciæ animarum curæ solum vacabat, inuisit, à quo prolixe & laute exceptus est. Cum que intelligeret, eum valde commode & affluenter ex tam modicis reditibus viuere, licet ex mensa Dominæ victus suppeditaretur, inopem & egenum cum tantis reditibus permanere, idque apud amicum admirabundus quereretur, ille subridens: hanc, inquit, mihi Deus, cui, vt spero, in grege commisso diligenter, caste, & integre, seruio, mercedem rependit, vt in modico exuberem: te quia oues negligis, in tantis copiis inopia tamen plectit. *M. S. Patic.*

XIII. SANCTITAS ET MORS F. FERDIN. PRÆDIC. DESCRIBITVR.

Florebat per id tempotis in Hispania, Fr. Ferdinandus Ordinis Prædicatorum insigni sanctimonia & doctrina. Mortui facies mirum in modum ingenti lumine resplenduit. Paulo post ipse cuidam Fratri secundum quietem apparuit, & interroganti, an vlueret, se animo in cœlis viuere, vigereque, corpore autem mortuum nuper esse respondit. Requirenti de Fratre Didaco paulo antea vita functo, in quo statu foret, reuelauit, die proximo Parasceues, à pœnis purgatorii liberandum. Percõtanti propter quam culpam, tanto tempore, tantas pœnas sustineret ille? propter vanam gloriam, inquit, quam is in recinendo officio à vocis suauitate captabat. Porro in statum ordinis inquirenti: renunciauit, illum in protectione Diuæ Deiparentis esse, neque quemquam Fratrum morientium in æternum perire, qui in eius tutela, eand. veneratione, & imitatione honoraret. Cum vero curiosius scrutator de rei veritate subdubitaret, & & Frater Ferdinandus cognouisset: in certitudinem eorum quę renunciauerat, hoc tibi signum esto, ait, quod die sancto Palmarum anni insequentis, neque campana ærea pulsabitis, neq; processionem solitam celebrabitis. Dixit ista, atq; disparuit. Euentus autem rei veritatem probauit. Nam pro eo die Dominico quem Beatus designauerat, Episcopus ei Ciuitati sacris interdixerat.

XIV. 3. *p. titul.* 24. *c.9.* §. 5. & 6.

Fere eodem tempore, in Ordine D. Francisci claruerunt illi, quorum D. Antonius meminit. Fratrem Accursium nomine memorat fuisse, magnę in obsequio infirmorum charitatis. Huic aliquando in Oratorio infirmitorii orationibus vacanti, cum Dei mater cum Sanctis Antonio, Patauino & Placido apparuisset, & insolita consolatione ex colloquio recreasset, atque interim aliquis infirmus officium eius postulans exclamasset, Accursius oblectationem magis quam charitatem relinquere maluit, adque egrum corpus accurrit, obsequium præstitit, necessaria ministrauit, eaq; promptitudine meruit, secundo sibi apparentem cœlorum Reginam aspicere. Simonem alium recensет, maximæ simplicitatis, Hic cum aliquando mysterium Sanctissimæ Trinitatis paulo diligentius contemplaretur, in dubitationem vuius inciderat articuli. Afflictus, ex vehementio re tentatione, aliquantum obdormiuit. Obdormiscenti Christus apparuit, dixitque: Simon, dormis? Ignorus, an Saluator orbis esset, qui excitaret, quasi aliquem importunum increpauit, & iterum se somno dedit: Iterum Christus apparuit, & num dormiret, inquisiuit. Excitus ille Iesum esse agnouit: hic vero clarissima luce oculis eius & menti affusa. Ne cogites, inquit, nec de Trinitate in aliquo dubites. Sed sicut audiuisti, & quemadmodum Catholica credit Ecclesia, ita & tu credas. Aliquis alius plus iusto in texenda Philosophia cum Theologia curiosus Christum aspexit, tenentem in manu pulcherrimum librum litteris aureis descriptum: sed luto fætulento, putorem intollerabilem exhalante marginatum, & in extima coopertura nimis turpem. Interroganti quid liber intus pulcher, & extrinsecus deformis, atq; lutulẽtus significaret: verba sacræ Theologiæ esse, respondit, quæ aurei characteres indicabant. Fętor, ait, & lutum sunt Philosophorum obscuriora, curiosa, neque ad rem facientia dicta. Turpitudo exterior, vana & inutilis est curiositas, qua aliqui Scioli sapientiam meã deturpant, suum que intellectum commaculant. In his verbis cum Saluator disparuisset, sermonis materiam mutauit, curiositatem dimisit, contentus scripturæ sacræ & sanctorum Patrum scriptis. Istud ad negligentiores officii quod adiungit. Duo Fratres eiusdem instituti itinerantes, dum potationi sese dedissent, completorii horam recitare omiserant. Mane autem sequenti, matutinas preces per viam dicentibus, Satan in specie pastoris, vultu terribili apparuit: Cumque eum alter illorum salutasset, Et quænam, ait, est salutatio tua miser, qui deuias à via Patris tui Francisci? Vbi est completorium quod cum socio heri omisisti? Et hæc est hora recitandi matutini? Dixit, disparuit: cum prius indicasset, quia hæc & alia scriberet contra negligentes, & torpentes Franciscanos.

SANCTIEX ORDINE D. FRANCISCI

XV. B. BONAIVNCTÆ FLORENT. ORD. SERVORVM GENERALIS SANCTITAS ET MIRACVLA.

Eodem anno B. Bonaiuncta Florentinus Ordinis Seruorum Magister Generalis, cum Ordinem biennio administrasset, ad cœlos excessit. Huius propagandæ religionis tantus ardor fuit, vt nihil ad eam rem spectans prætermiserit. Nam & illam sanctissimis legibus communiuit, & Alexandri Quarti Pontificis Maximi auctoritate in prouincias diuisit, singulis Priores Prouinciales attribuẽs. Neque vero propter Ordin. occupationes assiduas, aliquid de suæ vitæ austeritate remisit, quo minus ieiuniis, vigiliis, orationibus, flagellis, cilicio quod super nuda carne gerebat, seipsum affligeret: sed & de proximorum salute maxime sollicitus fuerat. Eos enim quos in aliquo delicto perseuerantes cernebat, acrius & liberius increpabat. Istud cũ erga ciuem Florentinum vsuris deditum sępius fecisset, implacabile illius in se odium concitauit. Qua in re mirandum plane contigit. Cum enim Ciuis vlle beneuolentiam simulans, viro Dei cibos venenatos per famulum misisset (erat autem illud ex efficacissimis præstantissimum) ille eos à se benedictos sine vllo prorsus nocumento comedit: ac seruo ab eunti dixit. Vade, fili: nam quod herus tuus mihi parauerat, sibi accidisse comperiet: qui domum reuersus, herum expirasse inuenit. Porro vir Beatus, iam ætate, vigiliis & laboribus confecta, obitus sui præscius, cum sacrum Missæ sacrificium in montis Senarii Ecclesia celebrasset, Fratresq; ad obseruantiam regularis disciplinæ adhortatus esset, dum de Passione Dominica feruentius loqueretur, sacris adhuc indutus vestibus, spiritum exhalauit. *Ex Chron. Ord. Ser.*

* *
*

IESV CHRISTI
Annus 1259.

ALEXANDRI Papæ IV. 5. BALDVINI II. Imp. Orient. vlt.

I. *Naucler. gener. 43 & Iuuenat. in Annal. & M.S. Vatic. vitæ Ezel. & Sabellic.* EZELINVS TYRANNVS TANDEM EXTINGVITVR.

TAndem hoc anno, pridie Nonas Septembris diuino vlciscente numine, Ezelinus tyrannus extinctus est. Cum enim Conradini pueri Oratores ad Alexandrũ Pontificem missi, nonnulla pacta & fœdera cum sede Apostolica pro Conradino contra Manfredum stabiliuissent, & is fauore ciuitatum Lombardiæ sociarum innixus, in Italiam penetrare cogitaret, Manfredus Ezelinum ad persequendam victoriam hortatus est.

Fuerant etiam aliqui Mediolanensium, qui eundem inuitarent, atq; ciuitatem tradere, si mature aduenisset, promitterent. Cæterum Confœderatorum Proceres S. Bonifacii Comes, Azo Estensis, Martinus Turrianus, & reliqui adhortatione Legati Pontificii copias mouẽtes, apud pontem Cassianum illum assecuti, vsque Tricium pepulere. Vbi, cum ei arcis custodes iaculis resisterent ad pontem reuertit, & iterato prælio congressus, sagitta in incertum missa, & in crus eius infimum fixa, saucius homo octuagenarius lassari cœpit, & tamen timore vires addente, omissa pontis pugna, paulo superius amnem vado traiecit, commissoque leui prælio captus est, Soncinumque perductus, squalore carceris interiit. Hic finis tyranno fuit, qui triginta quatuor annis Tridentum, Feltrum, Ciuitadum, Taruisium, Patauium, Vincentiam, Veronam, & demum Brixiam oppressas tenuit. Anno superiore secundum somnium viderat, se inuitari ad cœnam opiparam, à loco in quo sterrebat, centesimo lapide. Somnium cũ excubitorib. retulisset, & illi rem postea contulissent, aspexerunt illo in loco Tyrannum interiisse, quo ad cœnam se fuisse inuitatum somniarat. Sunt qui asserant, quod Ezelinus cladis & ignominiæ acceptæ impatiens consutum vulnus præ iracundia nimia resciderit, atq; ita inedia, dolore & cruciatu consumptus fuerit: eius sane corpus vt anathematicum & omni piorum gradu deiectum in profano loco proiectum magis quam humatum est.

II. EZELINI INDOLES ET FACINORA NEFANDISSIMA DESCRIBVNTVR. *Chron. li. 2.*

Interceptus die festo Sanctorum Cosmæ & Damiani Ecelinus cum paulo post moreretur, adeo condigne punitus est, vt in morte obliuisceretur sui sacramenta Ecclesiastica detestando, qui dum viueret, immemor fuit DEI. Monachus quidam Paduanus, qui tyrannum nouerat, mores eius & qualitates breuiter exprimendas duxit: vt, inquit ex historiæ monumento etiam posteris ad cauendum dolosam astutiam tyrannorum, munimen & subsidium præbeatur. Namque talium versutia & calliditas detestanda, sub prætextu magnanimitatis & probitatis, in exordio suæ tyrannidis, frequenter apud miseros populos occultantur, sed cum potẽtiæ culmen fuerint assequuti, elati potestate malitiam sibi insitam, affligendo subditos, manifestant. Istum quippe modum, ad decipiendos miseros homines, tenuit Magister scelerum Ecelinus. Dum enim sicut Ciuis in statu degeret militari, acer quidem erat in hostes, erga tamen amicos lenis & tractabilis videbatur. In promissis quoque satis erat fidelis, in proposito stabilis, in verbis maturus, in consilio prouidus, & in omnibus factis suis miles egregius apparebat. Sed postquam Marchiæ dominium adeptus est, statura corporis (quæ mediocris fuit) eadem permanente, repente in virum alterum mutatus est. Nam in facie austerus effectus est: talisq; apparebat in vultu, qualis erat in actu. In modo loquendi terribilis, in incessu superbus: solo intuitu homines deterrebat. Ab amore satis abstinuit mulierum: sed viros ab vxoribus separabat, & eos cum aliis de facto contrahere compellebat. Latrones odio habuit & prædones: Sed illorum supplebat officium, omnes indifferenter spoliando pariter & mactando. Valde suspiciosus fuit: semper namque in deteriorem partem facta & verba indifferentia exponebat. Omnino fuit immisericors: sæuitiam namque omnium tyrannorum crudelitate superauit. Inimicus erat pacis, & bellorum ciuilium sedulus excitator. Callidissimus erat exactor in pecunia congreganda: largus autem nummorum effusor, pro militibus congregandis & potentia dilatanda. Spoliator fuit Ecclesiarum: Clericorum vero & religiosorum crudelissimus interfector. Præbendas Ecclesiarum ad libitum suum, quibuscunque volebat, ac si esset summus Pontifex, conferebat. A fide Catholica fuit alienus, & propterea sicut perfidus hæreticus ab Ecclesia damnatus est. Quinquagintaquinq; millia hominum fere eius occasione ac iussu, gladio, fame, & tormentis crudelissime perierunt. Quandam enim sitim & famem se pati putabat, nisi carnes ciuium laniari, & sanguinem humanum videret profundi. Inter cætera vero sua nefanda facinora, quæ tot & tanta fuerunt, quod ad hoc homines ea pro fabulis reputabant, quod hominis modum excedere videbantur, hoc etiam voluit non deesse: nam ipse sicut hostis naturæ, humani generis propagationem voluit prohibere, castrando viros vxoratos & infantes, proh pudor etiam mulieres. Multis etiam fæminis nasum cum superioribus labiis, & vbera crudeliter fecit amputari, atque nihilominus natos earum lactentes priuauit lumine oculorum. Et ne quis dicat, ipsum contra inimicos tantummodo talia perpetrauisse: sciat quilibet, quod nunquam benignus, nunquam fuit finaliter alicui mansuetus: sed cogitationes eius semper circa interfectionem hominum versabantur, & qualiter eos affligeret, quotidie disponebat. Ad amaritudinem namq; animos hominum diuersimode perducebat, die noctuq; vanis & inutilib. eos laborib. & inauditis suppliciis affligendo. Nam palatia pulcherrima & amplissima sibi fieri cum summa instantia, quasi semper esset victurus, faciebat, in quibus tamen nunquam habitare volebat. Castra etiam & turres in summis montibus & ciuitatib. construebat, ac si crederet se ab inimicis quotidie obsideri. Hæc autem omnia ad ostentationem suæ potentiæ, & ad terrorem & admirationem hominum faciebat: & vt famam sui nominis ita in mẽtes singulorum imprimeret, vt eam nunquam valeret obliuio abolere. Inter reliquos, Bontrauersum suum socerum cum filiis suis cepit, & in carcere grauissimo famis cruciatu peremit. Si causa quæritur captionis: breuiter respondemus, quia omnibus, quos volebat tyrannus occidere, titulum proditionis generaliter opponebat. Longum esset singula tyranni nefandissimi atrocissima scelera enarrare (ad eum modum scribebat Monachus Paduanus) satisq; sit & enormibus crudelitatibus non subtrahere veritatem, & in multis fastidium euitare.

III. *Paulus Iouius elog. lib. 1.* EZELINVS SEV ACTIOLINVS EX IMAGINIBVS PAVLI IOVII PLENIVS DESCRIBITVR.

Porro si eiusdem Ezelini (quem Paulus Iouius Actiolinum appellabat) imaginem resq; impias compendio velut in tabella maius desiderium est intueri, quę ille ipse Iouius viuis coloribus pingebat, accipe, mirare, & exhorresce. Ita habet.

Actiolinus Patauinorum Tyrannus portentum humani generis, obducta feralique fronte, atroci pallore, vipereis oculis, indomitæ naturæ toruitatem spirans, qualis in Prætorio Patauii spectatur, fuit Saxonici sanguinis, à proauo Alberico, auoque & patre Actiolinis, Italicæ stirpi ad horribilem sæculi pestem insertus, ea tempestate, qua Otto tertius Cæsar in Italiam venit: eo susceptæ coronæ exitu, vt suburbanas Romanorum delitias barbaro more ferro & flammis excinderet. Nauabat operam incẽdiario Cæsari superior Actiolinus, magisterio equitum insignis: tuleratque ab eo militiæ donum in Euganeis oppidum nomine Rominum, vt inde nouus incola, hoc horrendum immaneque monstrum progigneret: quod maxime funestam regioni cladem esset allaturum. Nihil enim hic diri nominis pronepos à progenie virulento sanguine infecta degenerauit, vtpote quem nulla humanioris vitæ consuetudo, nullus auiti maternique lactis affectus, nullaque benignioris eius cœli clementia ab ingenita rabie furentem, mitigare potuerint. Quamquam ab adolescentia honeste ac liberaliter educatus, bonæ maturæque frugis spem præberet; Virque deinde factus secunda virtutis fama militiæ versaretur. Adhæserat Friderico secundo Romani Pontificis opes oppugnanti, & Guelphorum seu Pontificiorum nomen in Italia proterenti. Sed Imperator à Parmensibus graui dignitatis incommodo fœde fugatus, & castris exutus, ægre Cremonam è manibus hostium se receperat. Cum forte in segni & longa obsidione munitis exiens

castris

castris intempestiuam ex falconum aucupio ad Bruxetum oppidum voluptatem quæsiuisset. Fuit Actiolinus ingenio peracuto, constanti, versutoque apprimè validus: corpori autem quamquam mediocri, singulisque membris habilis inerat vigor, adeo firma explicataque neruorum compage, vt eques pariter & pedes armorum exercitatione, cunctos æqualiter anteiret: nec vnquam inedia, vigiliis, algore, aut æstu frangeretur. Id vero in eo homine peculiare, maximeque mirum fuit, momento temporis diuersos commutati animi affectus, seu habitus, cum vsus posceret, gestu, voce, oculis ementiri: alieni porrò animi latebras sagacissimè perscrutari, incredibilique simulationis artificio, vel penitissimos astutorum hominum sensus explorare. Vir enim suspiciosus, vafer, inuidus, sæuus, & semper ad Imperium anhelans, modo hanc, modo illam personam induere, histrionum more didicerat. Hos tradiderant mores auus & pater, vtpote qui antea graues inimicitias cum finitimis & potentibus Patauinorum optimatum familiis susceptas, per cædes castellorum incendia, aliquot añis exercuissent, simultate orta ex nuptiis adulterioque Cæciliæ Baoniæ, quam auus Actiolinus cognomento Balbus impudenti astu præreptam, secundo Actiolino filio, cui Monacho cognomen fuit, in matrimonium dederat, cum Gerardo Camposam Petrio Patauinæ iuuentutis Principi desponderetur. Trahebat enim secum dotali iure opulentam hæreditatem, qua Balbi animus auaritia repente captus, turpiter adduci potuit, vt Gerardum contra ius arctę propinquitatis inexpiabili iniuria offendere minimè vereretur. Erat enim Gerardus ex sorore Balbi genitus, & de Cæciliæ sponsalibus (vti dicebat) auunculum consuluerat. Itaque iuuenis inhumaniter perfidioseque deceptus, ab iusto dolore ad vindictam præceps, ita contumeliam vindicauit: vt fœdo facinore concepto, patratoque, Cæciliam post celebratas cum Monacho nuptias fortè ad Aponenses aquas euntem interceperit, mediaque in via intentato ad iugulum pugione, si reluctaretur, vi illata constuprarit: non ad libidinem, sed superbo vltoreque animo, ad perennem Actiolinorum ignominiam. Eius abominabilis facti indignitas Actiolinos repentè armauit in Patauinos, quod tanti flagitii iniuriam impunito Gerardo neglexissent: deditque initium diuturnis inusitatisque cladibus: quibus præter nobilissimas totius Venetiæ vrbes, supra centum oppida, castellaque diu vexata, & latè vastata à stirpe propria interierunt. Cæterùm Cæcilia quanquam incorrupta animo, vti tamen polluta corpore, repudii pœnam tulit, eaque propinquis remissa, Monachus nouas nuptias fecit cum Aldeida Etruscæ nobilitatis ex Mangania domo in Alpibus illustri. Hoc ventre infausto, hocque diro semine editus est tertius eiusdem nominis Actiolinus, de quo loquimur: ab aliquo (vt à gentilibus credi par est) prodigioso malignorum syderum concursu, animi sæuitia tyrannus, Phalari, Dionysiis atque Neronibus anteferendus. Balbo auo morte erepto, & patre Monacho ad quietiorem secedente, Actiolinus ex ea cruenta simultate armis vehementer exercitus, integrum bellum priore acrius atque crudelius renouauit: tantaque vi, cum in omnibus oppidis atque vrbibus factiones excitaret, atque aleret, vt Patauio, Vicentia, Verona, Taruisio, ex ciuili discordia potiretur. Erant ei copiæ equitum & peditum perpetuis inueteratæ bellis: & quod magno vsui fuit, fide studioque partium sibi addictæ: quibus accesserant Saracenorum alæ formidabiles, Germanorumque cohortes, & turmæ eximiæ virtutis, quas Fredericus Imperator attribuerat tamquam Gibellinæ factionis Principi, atque nomen Cæsaris impigrè tuenti. Has vt aleret, vniuersas Ciuitatum fortunas in fiscum redigere: opulentos Ciues damnare atque proscribere: fana donariis spoliare, sacros templorum reditus intercipere: & neminem denique, qui pecunia, authoritate, clientelisque valeret, incolumem pati erat solitus. Ingenio siquidem audaci, auaro, impenseque impio, & numquam cædibus saturato, dum odium lethale omnibus latè extenderet, ita euastarat florentissimas vrbes: vt cum aduersarium partium sibi suspectos sustulisset, in Gibellinos demum amicorumque præcipuos, ac intimos familiares immanissimè grassaretur. Ædificarat singulis in vrbibus atque oppidis carceres tenebris horribiles, in quos inuisorum agmina contruderet, vt inedia miserabilique illuuie tetro odore & lurido squallore enecti, in compedibus & robore crudeliter interirent, putrescentiumque cadauerum immenso fœtore cæteris pallentibus exoptata mors cõtagione & metu accerseretur. Nam ea truculentia erant custodes, vt nisi ex mensium interuallo carceres stercore præalto, & multa putidorum cadauerum sanie redundantes, repurgarent: & cumulata inter semianimes enectorum corpora vncis extraherentur. Nusquam vel spatiosissimi carceres accumulatos etiam in strues captiuos capiebant, non tortorum atque carnificum numerosæ manus, edendis cruciatibus, expediendisque laqueis atque securibus sufficiebant. Viui homines in frusta laniorum cultris secabantur. Cateruatim alii longa serie deligati ad palos, circumuentique flamma torrebantur. Quod vero inauditæ crudelitatis fuit, capitale erat tortori atque carnifici maturasse supplicia, vt vita per articulos, momentaque temporis, ad longos cruciatus extenderetur. In eos autem vel insontes, quos neci destinasset, tamquam minoris criminis delatos, ita ex summa sæuitia fictæ clementiæ laudẽ quærebat, vt monoculos, vnipedes & vnimanos dimitteret: postremo lugentibus suorum funera, vt lugere desinerent oculos eruebat: ex pauore circumstantibus fugam vt viæ labore liberaret amputabat pedes: alienæ porrò calamitati libera voce indolentibus, ne diu vociferarentur, linguam præcidebat. Delatores quoque ipsos negligentiæque damnatos, cum damnandorum nomina deficerent, ductos in præaltam turrim, vt certius specularentur, atroci ludibrio sed merita pœna, in fossam præcipites dabat. Immensæ autem humanitatis arbitrabatur, damnatorum atque exulum vxoribus & liberis, ea conditione vitam condonasse, vt fæminis deciderentur mammæ, mares vero ad non dubium inimicæ sobolis interitum castrarentur. Per hunc modum nusquam remissa atrocis animi sæuitia, sed indies rediuiua feritate debacchantem, supra triginta millia omnis generis sexus, ætatisque hominum, teterrimo supplicio sustulisse, eorum temporum tradunt scriptores. Iamque immanis bellua insatiabili ingluuie vorax, humanique sanguinis sitibunda, Mantuæ, Brixiæ, Mediolano, & cunctis Italiæ vrbibus inhiabat, deuorassetque proculdubio, nisi Romani Pontificis Legatus, Actiusque Atestinus indomitam feri monstri rabiem vltricibus armis infregissent. Innocentius enim Pontifex Actiolinum anteà Friderico Cæsari impiè operam nauantem, ob idque sacris interdictum, tamquam DEI Diuorumque numina contemnentem, furiis infernalibus deuouerat. Itaque numeroso coacto exercitu, & positis ad Patauium castris, vrbem munitissimam, Ansedisio Præfecto frustra propugnante fortiter atque feliciter expugnant, captiuosque innumerabiles effractis tot carceribus, propinquæ neci ereptos, libertati, Patriæque restituunt incomparabili Patauinorum lætitia, acerbissimoque dolore tyranni, qui tum aberat capiundæ Brixiæ intentus: adeo pertinaciter hærens, vt Patauio tantis obsesso copiis vehementissimeque oppugnato, nihil omnino timendum nec ferendam opem decerneret: ne irrito incepto abscessisse videretur. Verum eo nuncio perculsus, percitusque ira, motis castris incredibili celeritate Patauium aduolat, exultantem victoria, imparatumque hostem oppressurus: sed Actius peritus belli, & naturæ hostium gnarus, irruenti prouocantique ad prælium tyranno, obstructas portas, munitaque defensoribus mœnia obiiciens, salubri patientia furentis impetum fregit & elusit. Deiectus itaque spe eliciendi ad pugnam hostis, gemens & fremens retrouertit iter ad Vincentiam, atque Veronam: quibus in locis Patauinos omnes custodia eductos, reliquum sæuitiæ suæ venenum effundens, variis tormentis excruciat, atque interficit. Nec multo post initis fœderibus cum Vberto Pellauicino, Cremonensium & Placentinorum Dominatu potiente, iterum Brixiæ castra admouet: nec in eo terrore implorantibus opem Brixianis, Legatus Pontificius deest. Verum fortuna optimæ causæ ita inuidit, vt Legatus apud Marcariam vicum circumuentus insidiis, & tumultuaria pugna profligatus, à tyranno caperetur, & Brixiani ab ea clade metu consternati portas

 aperirent,

aperirent, Guelphique Pontificio nomini fauentes, aut supplicio, aut exilio mulctarentur. Actiolinus tanto successu elatus Vbertum victoriæ socium (vt in fatis erat) dominatus consortem non diu tulit, eumque superbus & insolens contra ius initæ pactionis Brixia excedere coegit. Is contumelia incensus, cum Bosio de Douaria vetere inimico, quod opibus potens in vrbe Cremona principatus esset, æmulus, ad Actiolini perniciem vires sensusque coniungit. Discesserat enim Bosius ab amicitia tyranni paribus iniuriis iniquissimè lacessitus. Nec mora, syncera fide coniuncti Actium Atestinum è Ferraria euolant Brixellum, & cum eo in Actiolinum coniurant: Martinumque Turrianum Mediolani regnantem admonent, vt diligenter ab Actiolino caueat, atque arma paret: se enim nulli occasioni defuturos, vt communem hostem cunctis insidias molientem coniunctis copiis circumsistant, & opprimant. Actiolinus per eos dies conspirantibus secum Insubrum patriciis: quos Turrianus inducto popularium dominatu in exilium egerat, in id consilium totus incumbebat, vt Mediolanum improuisò adortus inuaderet, reductisque patritiis, & pulso Turriano Pontificii nominis studioso, debilitatas iam pridem iacentesque Cæsareanas partes erigeret. Oppugnabat tum Vrceos oppidum, & coniurati hostes de Vrceanorum salute solliciti coniunctis copiis à Soncino ad eum ferebantur. Turrianus quoq; Carroccio cum legionibus vrbe educto, Abdiam ponte constrauerat: vt mutua transeundi amnis facultate proposita, ad socios transire, aut eos (sicut vsus ferret) ad se recipere commodè posset. Quo hostium consilio cognito tyrannus inuitatus ab exulibus & vadum in amne monstrantibus, nouum fataleque sibi consilium arripit traiiciendi amnis, vt improuisò Turriani pontem inuadat & occupet. Adiuuat vim repentini impetus fortuna, Turrianique præsidium prima irruptione deiicitur: quod Insubres nihil hostile in sua ripa timendum putassent: vtpote qui vlterioris ripæ propugnaculum ponti impositum, maiore cura & vigilantia tuerentur. Repentino itaq; terrore perturbati à fronte primo, & mox à tergo tumultuosissimè profligantur, victorique pontem relinquunt. Is subitario aggere nouoque præsidio vtrumque pontis caput firmat, effususque per agrum ferro & flammis cuncta peruastat: frustraque tentata Modoetia, ac incensis suburbanis tectis, ad sextum vsque vicum excurrit: præmissis Saracenis, qui ab inusitato cultu, genereque armorum, & barbaro clamore terribiles Mediolani portis terrorem admouerunt: eo quidem astu, vt Martinum longius ab vrbe abstraheret: ipse autem diuerso itineris flexu Mediolanum aduolans, Cæsarianis introrsus prodendæ portæ ex suo aduentu occasionem aperiret. Sed Martinus nequaquam temerè progressus, suspectansque insidias, & vim pugnacissimi furentisque hostis deuitans, militum suorum audaciam atque auiditatem conferendæ pugnæ grauissima obtestatione cohibebat, munitisq; castris intentus hosti pariter atque vrbi cuncta circum explorando cunctabatur. Nec oblatæ occasioni ad rem bene gerendam desunt Actius, Vbertus & Bosius Mantuanorum auxiliis confirmati. Extemplo enim cõuolantes ad pontem, cum magna vi, & pari celeritatis successu quo amissus fuerat, trucidato Actiolini præsidio recuperant. De eâ re fortiter atque feliciter patrata, per nuncios Martinum docent hortanturque, vt prælio tantisper abstineat, ne explorata de interclusо hoste victoria militum temeritate corrumpatur: quando tyrannus sine vulnere debellandus, offerri certo exitio videatur. At Actiolinus ad primum amissi pontis nuncium, vertentis se fortunæ vultum agnoscens, nequaquam animum despondet, aduolatque ingenti cursu ad pontem, vt eadem vi celeritateq; bis captum recuperet. Sed peritissimi rei bellicæ hostium duces lunatam munitionem, vsi singulari studio laboreque militum ad pontis caput erexerant. Eam vehementi cruentoque certamine edito, quum tyrannus acerrimè dimicans perrumpere conaretur, ei verutum scorpione adactum in imo crure pedem transfigit. Saraceni Germanique inprimis & reliquæ copiæ, multis acceptis vulneribus repelluntur. Nec tamen sese deserit tyrannus, nec dolore vulneris, nec supremi discriminis metu superatur: indeq; conuersis signis, ad vadum quo transierat, instante iam tergis Turriano se proripit. Multi suorum profluentis vorticibus abrepti perierant: ipse alto generosoque equo vectus, ita in ripam euasit, vt madefacto vulnere septuagenarius senex exorto intolerabili rigore quereretur: & quod indomiti spiritus virum peruincere poterat, hostium antecessores ad se opprimendum prouolantes conspiceret. Per hunc modum à tergo premente Turriano, & à fronte noui hostis occursu pulsus, & latè profligatus, cum paucis se fugæ mandat Brixiana via. Sed euadentem Vbertus & Actius cum expedita equitum manu consequuntur, & capiunt. Is Vberto non multum antea amico atque eiusdem factionis, quam Actio veteri & implacabili hosti se dedere maluit. Eo modo exutus armis, ignobilique equo impositus, ad Bosii tabernaculum perducitur, à quo humaniter, reputatione tantæ calamitatis susceptus est, sed cum ferox animus obligandi vulneris fascias, & cuncta vitæ alimenta obstinata feritate repudiaret, nec vllas, vt bene sperare vellet, preces admitteret, dentibus infrendens, contumacique ore defixis solo oculis spectabatur. Tantus autem erat militum concursus, vt magno ludibrio singulis prope incessentibus, latro impius, & tortor, & carnifex crebro appellatus, incondito, circumfusæ ad tabernaculum turbæ, clamore & fremitu, ad supplicium deposceretur. Itaque Duces vrgentis iam coronæ violentiam veriti, eum spectaculo repente subtrahunt, intempestaque nocte lecticæ inclusum sub custodia Soncinum deuehi iubent. Nec multo post, in eodem pertinaci obdurantis animi decreto execrabilem animam exhalans, meritos cruciatus, quos feruida ira exulum struebat, indignabundus effugit. Verum Albericus Taruisinorum tyrannus, nequaquam virtute bellica, sed naturæ immanitate Actiolino fratri comparandus, pro se fratreque cumulatus scelerum pœnas persoluisse visus est: quum Taruisio pulsus, & in Zenonis arce obsessus, & captus: vxores, filiasque in oculis viuas comburi, filios membratim dissecari, sese demum diu tortum, attractumq; pedibus equorum iugis, per salebras & vepreta ad necem raptari, laniataque membra feris atque volucribus destinari, omnium miserrimus spectarit. Actiolini imagini aliquis subscripsit.

Sylla, Nero, Caius, Marius, Mezentius: his tu
Azoline, ipso & sæuior es Phalari.

IV. CÆDES ALBERICI TARVISINORVM TYRANNI CVM VXORE, FILIIS ET FILIABVS, TOTAQVE FAMILIA.

Eodem anno contra Albericum Taruisii tyrannum Octauianus Cardinalis legatus sacram militiam promulgauit. Rem narrabat Sigonius, in hunc modum.

Albericus Ecelino deleto, parum se tuto esse Taruisii ratus, in castrum Sancti Zenonis nuper in finibus Taruisinis ad eiusmodi tempora conditum se recepit, atque eo thesaurum & familiam transtulit, arcem verò in colle sitam, fossis, muris, turribus, atque omni genere machinarum aduersus quoscumque hostium impetus communit. Ante verò quàm Taruisio cederet, facinus omnium atrocissimum, atque immanitate plane barbarum perpetrauit, quod Salimbenus huius ætatis æqualis memoriæ consecrauit: quippe sæuissimo odio aduersus Taruisinos accensus, vigintiquinque ex vrbis Primoribus, quamuis ab eis nulla iniuria prouocatus, arripuit, & suspendio fœdissimo destinauit: ac mox triginta nobiles mulieres illorum aut matres, aut filias, aut sorores, aut vxores in forum produxit, atque in eorum conspectu vix se filii sui nothi rogatu ab earum amputandis naribus temperauit: pallas tamen vsque ad vbera ita præsecuit, vt etiam quæ velanda erant, turpissimè denudarit: ac subinde suspensis viris, eas sub patibulo transire, atque oribus suis tibias expirantium tangere compulit: demum auxilii & consilii inopes trans amnem Silim traduxit, atque ibi vasta in solitudine dereliquit. Illæ autem omni humano subsidio destitutæ ac vix mentis compotes factæ postquã satis se ac fortunam suam muliebriter eluxerunt, pudendis parte vestium circa mammas contenta vtcumq; contectis, iter ad cestuarium distans XV. millibus passuum intenderunt. Quo vbi summis laboribus per aspera & inculta loca iam die ad occasum inclinante nudis afflictæ pedibus peruenerunt, piscatorem, quem forte prætereuntem prospexerant, ad se lachrymarum plenæ vocarunt, atque ab illo auxilium ingemi-

geminatis fletibus poposcerunt. Ille autem species esse dæmonum, aut marina monstra aliquot arbitratus, primum expauit: deinde propius animo collecto accessit, ac dira illarum calamitate perspecta, misericordia tactus eis se, quoad posset, affuturum respondit: ac singulas, exigua quam habebat cymba, in breuem Insulam, vbi sibi vile tugurium comparauerat, transtulit, atque ibi pro copia nocte comiter habuit. Postridie verò prima luce, maiori lembo impositas, Venetias omnes deuexit, atque eis in Diui Marci Basilica constitutis, statim Octauianum Cardinalem Pontificium Lombardiæ Legatum, qui tum Venetiis erat, de nouo hoc atque inter pauca fortunæ exempla memorando casu edocuit. Quo ille audito perculsus, extemplo ad eas venit, ac cibo suppeditari iusso, confestim populum vniuersum ad cõcionem vocauit: vt rem turpem quidem auditu, sed multo deformiorem aspectu cognosceret. Ita completo repente foro ex editiore loco seriem huius historiæ, oratione quam potuit acerbissima demonstrauit, atque sub hæc verba mulieres ita vt venerant, nudatas ac dehonestatas produxit. Quibus rebus vniuersi pro ipsarum indignitate, ac fœditate permoti, ingenti clamore sublato dicere cœperunt: *Moriatur detestabilis tyrannus, ac viuus cum vxore & liberis concremetur, & tota eius progenies extirpetur.* Quibus ille vocibus excitatus, subiecit: Præclare admodum dicitis. Vestra enim oratio præcipuè cum Diuina scriptura consentit, quæ inquit: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed sicut vmbra transeat, quia non timet faciem DEI.* Ego verò quoniam tantum consensum, atque ardorem animorum vestrorum, nonnisi DEI voluntate excitatum existimo, auctoritate Omnipotentis DEI, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Legationis Apostolicæ qua fungor, Crucem aduersus Albericum indico, ac plenam omnibus peccatorum remissionem indulgeo, qui vel ipsi contenderint, vel alios pro se miserint, vel quodcumque adiumentum ad hanc pestem è terris exterminandam attulerint. Inde matronis Senatui commendatis, vrbe discessit: eaque res vniuersam Marchiam, ad vltimas pœnas de Alberico expetendas, accendit. Eo ad decimum Calend. Septembr. anni subsequentis in potestatem retracto, hunc in modum trucidarunt. Inprimis filios eius sex mares productos, tibiis brachiisque ipsorum in conspectu parentum crudelissimè amputatis, mulctarunt, ac postquam membra singula à corpore puerorum euulserant, ea ori oculisq; eorum adhuc palpitantia admouerunt. Vxor autem & filiæ duæ nubiles, quæ non solum innocentia, sed etiam ætate ac forma, qua facile omnium in se oculos conuertebant, misericordiam iure elicere debebant, ad stipites alligatæ viuentes, ac frustra fidem DEI hominumque flebiliter implorantes, subiecto igne crematæ sunt, Albericus ipse vltimus, cui tam dirum spectaculum morte ipsa acerbius, atque atrocius fuerat, postquam peccata sua rite confessus est, ipso, ne loqui posset, ore occluso, pedibus ad equi caudam alligatis, per tota castra sic tractus est, vt vnusquisque forcipibus bolum ex carnibus eius excerpserit. Quare probris ac tormentis ad satietatem inimicorum affectus, cum iam hominis speciem atque habitum exuisset, expirauit. Vt autem cadauera filiorum per castra populi cuique diuisa, sic Alberici reliquię lupis cæterisque feris deuorandæ obiectæ sunt, ac dirum inprimis humanæ conditionis exemplum omnibus Diuinam iustitiam intuentibus præbuerunt. Hæc decimo Calendas Septembris gesta sunt. Postridie tumultu populari concito, castrum Sancti Zenonis euersum, atque inde Romanum quoque solo æquatum. Filio, qui matronas à truncatione narium vindicarat, non solum venia, sed etiam præmia data. Hic fuit exitus potentissimæ à Romano familiæ, quæ, nisi ei summa diligentia fuisset occursum, facile imperium consequuta Lombardiæ fuisset. *Sigonius lib. 19. de regno Italiæ.*

V. *Æmil. Naucl. Platin. Bossius. Sabellic.* MICHAEL PALÆOLO-GVS REGNVM ORIENTIS ET CONSTAN. CAPIT.

In Oriente Latinorum Principes, Imperium hoc anno amisere. Mortuus fuerat id temporis Theodorus Vatazius Græcorum Imperator. Eius filium adhuc impuberem Michael Palæologus tutor regebat, morte pupilli suum Imperium facturus. Is acris ingenii, animique impigri, Guillelmum Villam Achaiæ Principem ex Syria reuersum repente adortus, prælio victum cepit: nec dimisit nisi recepto prius munitissimo Achaiæ oppido Epidauro. Inde victor cum volitaret, omnem veterem Græciæ nobilitatem cohortando exciuit: meminissent Græciam liberales artes humanitatemque mortalibus tradidisse, se in libertatem vindicarent, ne soliti imperare seruirent: neu patriam nobilissimam augustissimamq; sinerent Gallo Græciam fieri, mutatis moribus, lingua, ritibus, cæremoniis. Magna coacta manu, ardentibusque animis cupiditate veteris decoris recuperandi, Constantinopoli imminebat. Nec tutum erat Balduino in vrbe regia Palæologum nobilitatemque suam respiciente se claudere, per paruo Francorum præsidio. Longe maxima pars classis Venetæ cuius viribus maritimis ad eam diem res Latina in Græcia subnixa steterat, ad bellum Lygusticum profecta aberat.

FVGIVNT BALDVIN. ET PATRIARCHA LATINI.

Cum iis quæ reliquę in portu stabant nauibus optimum factu visum est, angustias Hellesponti frenare, ne hostis classe circumuolitaret, ac quæ vna spes reliqua illis ostendebatur, maris etiam possessionem eriperet. Mari captum Byzantium, mari retineri posse. Ita Balduinus Augustus, Iustinianusque Patriarcha classem conscenderunt, reliqua consilia executuri. Ciues autem liberi Latinorum metu, portis patefactis Palæologum Proceresque suos mœnibus regiæ vrbis læti congratulantesque noctu recepere, anno huius sæculi vndesexagesimo, qua ex die capta à Veneto Francoque de Græcis fuit, quinto & quinquagesimo. Augustus & Patriarcha, deploratis rebus, Græcia decessere.

VI. *Niceph. Gregoras lib. 3.* QVOMODO PERIVRIO, EXOCVLATIONE FILII IMPERATORIS ET NECE MICHAEL PALÆOLOGVS IMPERIVM INVASERIT.

Quod ad Imperatorem Theodorũ attinet, is paulo ante obitum alacriter habitum monasticum induit, & multos pecuniarum aceruos suis manibus distribuit, feruentique corde vim lachrymarum profudit, quibus animi vulnera in tantæ necessitatis articulo eluebat & curabat, sed me id pene præterisset, quod vel in primis exponendum est. Nam vir quidam cognomento Muzalo, nomine Georgius, non claro genere ortus, sed ob familiaritatis notitiam tantum, & vrbanitatem morum, à puero in aulam Imperatoriam ascitus, vt scilicet Imperatori Theodoro cum multis aliis æqualibus collusor esset, etiam cum is adoleuisset, ita se ad mores eius accommodauit, vt vnus illi esset omnia: ac quicquid Imperatori gratum esset, continenter diceret & faceret. Quantum autem ætate procedere debebat, tanto hic affectus & amor eorum augebatur: adeo vt apud eum iam Imperatorem, principem & gratiæ & authoritatis locum obtineret, solertissimus coniector quid illi placeret, dexter negotiorum administrator, fidus arcanorum particeps.* Quas ob res celeriter Protouestiarii dignitate ornatus, vxorem ex Imperatoria familia duxit. Hunc vna cum Arsenio Patriarcha Imperator moriens curatorem Imperii reliquit, donec filius Ioannis sextum tum agens annum, ad maturam ætatẽ peruenisset, sub nutricibus adhuc agens, & parentum vel maxime egens, cum vtroque orbatus esset. Huic itaque tutor Muzalo dabatur, prætereaque sanctissimum iusiurandum à summis & infimis exactum erat: nec id semel, sed primum Imperatore moriente, deinde statim post obitum eius. Nam cum Proceres nonnulli & claris orti natalibus, Muzalonis fortunam adeo subito mutatam cernerent, inter sese susurrabant: dignitatis illius fastigium ægre ferentes: cum multi essent, ad quos simul & tutela pueri, & Imperii administratio magis pertineret, tum quod propinqua cognatione Imperatorem attingerent, tum quod ad huiusmodi munia obeunda Muzaloni multum antecellerent, ad quem contemnendum, & odio prosequendum, vt ipsi dicebant, multæ causæ suppetebant. Nam quod nec genere nobilis ortus esset, & Imperatori sæpe suppliciorum minister fuisset: hæ res ad odium vulgi ingenerandum satis efficaces erant, quod si Imperium etiam cogitaret, ac concupisceret, quo scelere caput suum non obligaret: Hæc Muzalonem non latebant cum alias ad talia intelligenda acutum, tum vero istis motibus & solicitudinibus maximis ingenio eius magis etiam excitato. Igitur Proceribus omnibus celerrimè in curiam conuocatis, dexteram porrigit submisseque cum eis colloquutus, haud obscurè fert, se libenter cuiuis tum administratione Imperii, tum tutela Imperatoris pueri cessurum esse.

esse. Quamuis autem omnes simul velut ex compositio id recusarent, & eum præferendum esse confiterentur, quem ipse Imperator & rerum & pueri dominus hoc munere fungi voluisset, Muzalo tamen nullo modo cessit, sed fortiter restitit, otium præferens, & negotium totis viribus à sese amoliens, non tam propter obrepentem inuidiam, quam ob maximi periculi metum. Cæterum abillis iusiurandum priore sanctius datur: iurant omnes tam nobiles quam ex plebe militaris: sibique & familiæ suæ quilibet exitium imprecantur, in quod iurassent sanctè seruarent, ac Muzaloni tutelam, Imperatoris vero filio Imperium insidiarum expers, & inuiolatum ad omnem eius posteritatem tuerentur. Sic illi discedebant, res vero rursus à Muzalone administrabantur. Sed priusquam nouem dies elaberentur, quidam nobilitate & opibus præstantes, inuidia impellente, dextras suas concitato exercitu, in Muzalonis cædem armarunt: Sanctum illud iusiurandum quo non ita pridem sese obstrinxerant, & atrocissimas diras prorsus obliti. Aderat nonus dies: omnes matronæ nobiles in Sosandrio Monasterio, vbi cadauer Imperatoris sepultum erat, conueniebant, vt de more lugerent, & memoriam eius celebrarent. Aderant omnes Principes, plebeii omnes, inter quos ii quoque qui insidias subornarant. Confluebant omnes exercitus, alii cædem spirantes. Quid multis morer? Dum adhuc hymni cantarétur, milites omnes strictis ensibus subito impetu in templum facto, Muzalonem, qui ad sacrosanctam mensam confugerat, & duos eius fratres Andronicum magnum Domesticum, & Theodorum Venatorum Principem, atque etiam scribam horum, formæ similitudine decepti, crudeliter occiderunt. Ita & Matronæ, & omnis reliqua turba, inchoato luctu remisso, alii alios ex merū vigentes, quo quemque pedes ferebant, celerrimè aufugerunt. Sacerdotum vero Ordo & grex Monachorum, in templum volentes nolentes compulsi, labentes alii in alios incidebant, tum quod vi & metu vehementi inuicem vrgebant, tum quod ob fusum cruorem consistere non poterant. Paucis diebus post Arsenius Patriarcha, qui & ipse tutor esset intelligens maximum ex hoc tumultu periculum & puero & summæ rerum impendere, & ad summum scelus omnia esse enasura, anceps animi æstuabat, nec quid consilii caperet reperiebat. Nam quod ad virtutem & pietatis cultum attinebat, ille vir parum à summis aberat: sed vsu rerum & imperii administratione, ne cum fossore quidem conferendus. Nam diuinarum rerum contemplatio, & Reipublicæ administratio non semper coniungi solent. Mihi verò placet, eum qui ad Principatum adspirat, ex vtraque contemperatum esse, vt in instrumentis musicis fieri ceernimus. Hæ enim ibi omnes chordæ æqualiter intenduntur: id enim ineptum & absonum esset: sed aliæ ad grauiorem, aliæ ad acutiorem sonum, aliæ plus minusve astrictæ, variam & concinnam efficiunt harmoniam. Qui enim soli diuinarum rerum speculationi intentus est, in montibus & speluncis deberet viuere: vt cuius mores à ciuili consuetudine prorsus abhorreant. Qui vero morum ciuilitatem cum virtute coniunxit, & vsu variarum rerum perpolitus est: Is populum ad res optimas, & salutares facillimè duxerit. Nam & Seruator & Dominus noster nisi ad humanos affectus se demisisset, & cum publicanis cibum cepisset, & humanitatem præ se tulisset, & quatenus ratio sineret omnium ingeniis se accommodasset, non tanta opinor facilitate seu suauitate totas ciuitates, ac populos ad amplectendas res vtiles & salutares perduxisset, sed ad Arsenium redeo, qui in tanta rerum perturbatione inops consilii, quid ageret, Consilium ex occasione arripuit. Erat Michael & corporis, & animi, & fortunæ dotibus inter omnes facilè Princeps, & quod ad rem faciebat, duplex Palæologus, à paterno scilicet, atque materno genere. In eum itaque cum & sacri & profani Ordinis homines inclinarent, in quę ore omnium haberi eum omnes audirent, Patriarcha quoque assensus est, vt rei summa ipsi concrederetur, donec Imperatoris filius ad maturam ætatem peruenisset. Proceres interim sancto iureiurando adstrinxit, ne vel pueri vitæ insidiarentur, vel de Imperio illi per vim aut fraudem eripiendo cogitarent, sed priusquam mensis elaberetur. Ipse tamen qui hæc metuerat, & illa ipsa pro securitate pueri egerat, suis manibus in sacro suggestu Michaelis Palæologi capiti coronam imposuit, & Imperatorio diademate virum ornauit, sententiis Senatus & sacri Ordinis impulsus. Ita is Constantinopolim recepit, & Balduinum profligauit. Istud pietatis insigne demonstrauit, quod Constantinopolim non ptius intrare voluit, quam sacrosanctæ Deiparæ, quam quasi viæ monstratricem Hodegetriam vocāt, imago, per portam, quam auream dicunt, ingressa esset. Vbi cum illi gratiæ hymnis actæ fuissent, tum demum pedes, præcedente Sacrosancta imagine, est ingressus. Constantinopolim ingresso, Arsenius Patriarcha suis manibus, in sacro suggestu coronam capiti imposuit, & Imperatorio diademate virum ornauit, sententiis Senatus & sacri Ordinis male impulsus. Namque Michael, & in puerum suæ tutelæ commissum, & in Patriarcham sui honoris auctorem ingratum se exhibuit. Et quidem puerum Ioannem legitimum Imperii hæredem exoculauit, Patriarcham autem in exilium ablegauit. Is enim audita Ioannis excæcatione turbatus animo grauissimis doloribus fauciato, facinus illud palam detestabatur, atque solem & elementa in vltionem vocabat. Et cum quiritando, & lamentando nihil proficeret, alia ratione inita, sactis interdixerat Imperatori. Mentionem tamen eius in Psalmodiis non sustulit, veritus, ne per iracundiam grauius aliquid in Ecclesiam conuleret, neue fumum (quod aiunt) fugiens in ignem incidere cogeretur. Porro Imperator mulctam moderatè ferens, compluribus diebus, supplici gestu & habitu, restitutionem in integrum expectabat. Sed cum spe frustraretur ad vltionem conuersus, non eam quidē quam potentiæ licentia suadet, nec aperta vi grassatus, sed moderatiore consilio, Pontificum concilium indixit: eaque crimina, quæ sparsim à quibusdam contra Patriarcham susurrabantur, in vnum quasi fascem collecta, in canonicam disquisitionem vocari iussit. Hoc mandato illi accepto, quos Dominus fraternæ charitatis exemplum esse iussit, concilium contra Principem fratrem in Palatium conuocarunt: & vt accusatores in medium proderent, proclamarunt. Ii vero, alius alium antecuertere studens, accurrerunt. Crimini autem dabatur, Sultanum Azatinem, cum sacra Doxologia peragereturr, sæpe interfuisse, & intra templum cum Patriarcha collocutum esse: Quamuis & Imper. & Sacerdotibus constaret, quod is & Christianis parentibus ortus, & sacro baptismate initiatus esset, ac fortunæ quodam impetu, (vt multa præter spem eueniunt) Sultanus & Princeps Turcarū extitisset, ac tum quidem præcipua religionis capita in animo conseruasset: nunc vero Constantinopoli & sacras imagines veneraretur, & omnia palam Christianæ pietatis instituta tueretur. Quæ cum arma Patriarchæ firma suppeterēt, oppugnatores eius vt abrogationi aduersantia retundebant, primum incerta atq; obscura, post etiam planè cōmentitia esse dictitantes. Accersierunt itaq; Patriarcham ad causam dicendam: iudicio se ille non stetit: concilium iussu Imper. indictū esse, qui ipse aduersarius & Prętor esset, excepit. Igitur contumacem eum condemnarunt, & sede cedere iusserunt, vnaq; adfuerunt, qui in exilium eum abducerent. Is vero, qui & ocium longo iam tempore desiderasset, & eum rerum statum molestè ferret, vltro eos à quibus abducebatur, secutus est: Deo huiusmodi exemplo arcanam doctrinā explicante, vt nostris viribus cum à deteriore superamur, agnitis, magnorum atq; admirabilium successuum causas vni planè Deo acceptas referamus. Certè vel ab his discimus, nihil humani firmum ac certum esse, sed omnia incerto euentu, velut in mari æstuare & afflictari. Abstrusus enim quidam error humanæ peritiæ & cognitioni insultat, sursum deorsumq; trahens ac permiscens omne consiliorū studium, & velut tesseras euertens, firmis decretis nixas deliberationes. Cæterum Arsenio in Proconnesium abeunti, Germanus successit, qui cum sibi vulgus per summā petulantiam insultare audiuisset: quippe qui Arsenio adhuc superstite sedem illius occuparet: ea cuiuis relicta quieti se dedit. Huic successit Iosephus, vir canus, qui longo tempore in monte Gallesio monachum in ocio egerat, Græcarum literarū planè rudis, & nimiū simplex. Tales. n. mores, cum Repub. & vsu rerum commune nihil habent. Huius ob religionem consuetudine Michael

Imper. vtebatur, & suas illi cogitationes exponebat: Quare cum is primum sacrificium cum cæteris Pontificibus peregisset, Michael ante vestibulum sacri suggestus prostratus, duo sua peccata, periurium, & filii Imper. excæcationem apertè professus, sibi ea petiit condonari. Primus igitur Patriarcha illi iacenti astans, condonationis syngraphā quandam, ac post eum Pontifices suo quisq; ordine, eandem recitarunt. Ita lætus discessit Imper. tam ob illam condonationem, quam quod Deum etiam sibi placatum & reconciliatum existimaret. Ista in Oriente.

VII. SVMMARIVM GESTORVM ALEXANDRI IV. HOC ANNO. *1. epist. 32. Anagn. 8. Id. Febr. 2 epist. 117. Anagn. 8. Id Mai. 3. ep 57. Anagn. 15. Cal. iun. & ep 31. ilat. nonis Febr. 4. epist. 55. Anagnæ 3. Id. Febr. 5. p. 191. Anagn. 2. Id. Octobr.*

In Occidente, præter alia, Alexander Pont. 1. Regis Nauarreni, assumptionem, per eleuationem ex more fieri solitam laudauit, appellauit, approbauit, vtq; Rex ad eum modum siue in clypeo, siue in humeris eleuatus, nomen Regium illicò obtineret, inunctionem vero atq; coronationē in opportunum tempus differret, & interim regnum illud administraret, disposuit. 2. Vniuersitatē seu studium generale à rege Nauarro Theobaldo II. in oppido Tutelensi, Tirasonensis diœcesis erectum confirmauit, atq; priuilegiis ornauit. 3. Guillelmo eiusdem Regis Fr. Canonico & suffragiis in cathedralib. Ecclesiis, in quibus siue personatum, siue beneficium obtinebat, potestatem ferendi, & vltra reditus annuos beneficiorum, quadragintas marcas sterlingorum titulo honesto possidendi facultatem concessit. 4. Conuentionem inter Regem Aragonum, eiusq; nobiles ac populos ex parte monetæ cudendæ factam, in perpetuum confirmauit. 5. Regem Hungariæ Belam, ne iniquissimis conditionib. cum Tartaris paciscereturr, cohibuit. Hi enim victoriis continuatis insolentes, inter reliqua poscebāt, vt vel filia Principis eorum Stephano Belæ filio, vel filla Belæ, filio Principis eorum, in matrimonio collocaretur: deinde vt Stephanus Belæ filius vna cum quarta parte exercitus Hungarici, ad exterminādos reliquos Christianos Tartarorum copias præcederet. Tertio, vt nonnisi quintā partem bonorum ex Christianis acquisitorum Hungariæ milites reciperent, neq; vnquam amplius ex manubiis deposcerent. Ita ad eum modum à tributo & inuasione immunes forent. *6. Anag. 17. Cal. Octobr.* 6. Inquisitoribus hæreticæ prauitatis plenariā, sociis vero & adiutorib. aliā indulgentiā, si modo in negotio fidei laborarent, atq; ex animo consilium, auxilium vel fauorem præstarent, concessit, aliaq; plura egit & decreuit.

VIII. *Ferdin. Castel. cent. 1. epist.* SANCTI ALIQVOT EX ORDINE PRÆD. VITAM FINIVNT.

Hoc anno terras cœlis commutauere aliqui viri insignes ex Ord. D. Dominici. *Petrus Fernandez* Hispanus primas eorum ducit, virginitatis flore illibato vsq; ad mortem cōseruato. Infirmus aliquando, cuidam apparuit facie lucidissima instar Solis, consistens medius inter duos Angelos specie adolescentum pulcherrimorum latera eius cingentes, morti proximus aspexit D. Deiparentem vna cum S. Ioan. Euang. & illa quidem vnam, hic vero alteram corollam capiti eius imposuit, in signum doctrinæ atq; virginei candoris. Redemptor orbis proximam mortis horam ei significauit, & bene sperare, neq; insidias Satanę timere iussit. Petro proximus fuit Consalnus Amarantha Lusitanus. Mira sunt quæ de eo referuntur. Ad sacrum fontem infans delatus, ita in imaginem crucifixi oculos defixit, dulcedinem contemplationis quandam præ se ferens, vt omnes in stuporē conuerterit. Imaginū sacrarum adeo fuit diligentissimus, vt in ploratibus nullo alio potuerit, quā aliqua sacra icona recreari. In ætatis progressu deuotissimus in meditanda Dominica passione fuit: cui rei in eremum secessit, inque eo à consuetudine hominū remotus, vni Deo vacauit. Tandem prouecta ætate, religionem D. Dominici professus est, monitu D. Virginis sibi apparentis, dicentisq; vt illi instituto se daret, quod laudes diuinas & inciperet, & finem illis imponeret salutatione Angelica. Permittēte autem Prælato in eremitoriū reuersus, ab exhortatione Angeli familiaris, in vsum publicum præcipue peregrinorum pontem Timamo flumini imposuit. Cui operi cum ipse insisteret, saxa ingentia, quibus ferendis mouendisq; plures homines non sufficerent, ipse vnus mouebat, ferebatque. Deficiente vino operariis, duos ictus baculo in quandam cautem dedit, & ab vno ictu vinum suauissimum, ab altero autem aqua limpidissima è duro saxo erupit, scaturiitque. Cum vero nihil haberet, quod ad comedendum cementariis apponeret, pisces ex prætерlabente flumine ad nutum euocabat, totque prehendebat quot necessitati satis essent. Ad virtutem clauium Ecclesiæ ostendendam, aliquando panem candidissimum maledixit, & is in momento in nigerrimum euasit: rursus eundem benedixit, & is pristinum candorem recepit: atq; hoc facto contemptores excōmunicationis compescens, sincerius de potestate Ecclesiastica sentire edocuit. Moribundus Diuam cœlorum Reginam, Angelorum choris comitatam se ad cœlos inuitante aspexit & audiuit. Vita functus multis miraculis coruscauit: propter quæ Pius IV. Lusitanis, vt festum illius anniuersarium solenni ritu celebrent, & diuinum officium de eodem recitent, indulsit. Petri consortio se adiunxit *B. Laurentius* Mendesius Lusitanus ingentis sanctitatis & doctrinæ. Aliquando concionanti visibili specie adfuit Angelus, ac vasculum quoddam plenum sacris sanctorum reliquiis è Mauritaniæ quadam ciuitate ab Afris occupata sublatum dedit, vtque in suo cœnobio Guimarensi conseruādum reponeret, præscripsit. Rudolph. Fauētinus hos sequitur D. Dominici discipulus, socius & aliquando Confessor, omnium quæ is aliquando gessit conscius. Huic aliquando anxio cp multi austeritatem Ordinis ferre non sustinentes, discederēt, apparuit Christus, inter D. matrem suam, & S. Nicolaum Antistitem, & manu caput illius demulcens; Ne turberis, ait, quamdiu mea mater curam eius religionis gerit, non deerunt qui istud institutum suscipiant, inq; eo perseuerent, & interim in momento aspexit nauem quandam Frat. Prædicatoribus onustam secundo flamine Bononiam præfluente ferri: vocemq; rursus Christi dicentis audiuit; ne timereticum in breui totum orbem eius Ord. Fratrib. replere sibi in animo foret. Socius Rudolphi B. Rolandus Cremonen. virgo & doctor: hæreticorum atq; dæmonum expugnator acerrimus. Aliquis energumenorum interrogatus, ecquid B. Moneta non tantū contra dæmones posset, quātum Rolandus: respondit, quia hic virginitatē impollutam seruauit, ille verò minimè. Aliquis Friderici Imper. auliconum, eo tempore quo Brixiam ille obsidebat, supercilioso fastu omnes doctos Italiæ, præcipue vero Fratres Ord. Prędic. præ se cōtemnebat, seque plus omnibus scire iactabat. Eam contumeliam, & tum gentis, tum religionis opprobrium cum non esse sustinendum sibi existimaret Rolandus, Saperdam illum conuenit, disputando cōsicit, humiliterq; de se sentire edocuit. Tandem dolorib. arteriicis excruciatus, cum ferendis nō esset, illud tantum ingemiscens pronunciabat. O mi Iesu, vbi est Apostoli tui dictum? Fidelis Deus, qui non patitur tentari supra id, quod non possumus? Eu ego iam deficio, neq; amplius sustineo. Dixit hæc, & in momento sanitatē recepit: sed paulo post sancto fine excessit. Conradus Teutonicus iuuenis egregius etiam his diebus floruit, qui carnē suam à pueritia cælibatui dicauit. Sacris deinde in Ordine Pręd. initiatus mox Alberto auunculo suo, & ipsi prædicatoria toga induto retulit sibi B. Deiparam reuelasse vltimum vitæ terminum cominus imminere. Nō falsus fuit, eo namq; quo prædixerat die sanctam & innocentem animam efflauit. Non omittendum etiam puto Ioan. Sterlini in cœnobio Valetensi obitum. Is affirmauit, se per quietem vidisse se in domum quandam introimissum, & ibi cum splendidissima societate gaudium, audiuisse istud elogium voce suauissima decantari: Iste est qui vitam mundi cōtempsit, & ad cælestia regna peruenit: exorauit altissimum, & inuentus est in numero sanctorū. Paucis deinde post diebus sancto fine requieuit. His & aliis viris illustrib. cum Dominicana religio abundaret, ferre Satan non potuit, quin inuidiam sacræ illi congregationi non conflaret. Hoc enim anno cum Philippus Rauennæ Archiepiscopus, Alexandro Pont. iubente; Prouinciale concilium habuisset, multi maleuolentium in eos æque ac Franciscanos inuehebātur dicentes, de Decimis illos ad populum non concionari: audire à confessionibus illos, quibus ipsis audiri deberent: sibiq; ad sepulturam commissos recipere, concionandiq; munus exequi, quod tamen ipsorum esset, iisque omnib. impediri, ne pecuniam aduersus Tartaros, Christianorum subsidio colligerent. Dicebant ista maleuoli: Opizo autem Sanuitalius, Parmensis Episcopus assurgens, religiosos illos viros accuratè defendit, miratiq; se magnopere dixit, de eo illos accusari, propter quod laudandi vehementer essent, & in quo multos nomine negligentię suspectos esse non ignorarent. Deum, nostram ino-

Leander lib. 5.

Rubeus lib. 6.

piam, miseratum, excitasse illos Ordines hominibus affluentissimos, quibus ætas illa neque doctius aliud, neq; religiosius quicquam videret, quiq; non colligēdis modo decimis studerent, sed omni vitæ, illiusq; commodorum cura posthabita, in eas regiones irrumperent, vt superarent agrestes illos homines: ad autem est vt adducerent ad Christum, & Christianis adiungerent. Hæc, atque alia in hanc sententiam peroranti Opizoni, magnum aliquorum odium conflauere.

IX. VENETI ET GENVENSES CAVSA SVNT CVR IMPERIVM ORIENT LATINI PERDIDERINT.

In Græcia deploratis propè Balduini Augusti rebus, surrexit Michael Palæologus vi: opibus potens, armisq; impiger. Hic postquam Guillelmum Villam, origine Gallum, Achaiæ Principem, redeuntem ex Syria cepisset, compegisset que in vincula ac Epidaurum nobilissimam Achaiæ vrbem spoliasset, auctor græcis extitit, vt in veterem se vindicarent libertatem. Eum Constantinopolitani, occupato foris Balduino in maritimo instruendo bello, patefactis portis in vrbem introduxerunt, Augustumq; consalutauerunt. Idem apud Hadrianopolim necatis per dolū Theodori Principis quorum gerebat tutelam liberis, imperium arripuit. Baldainus Augustus, Iustinianusque Patriarcha, cum cætera nobilitate Latina, in Italiam se receperunt. Tenuerant Græcorum Imperium Flandrici generis Augusti, Balduinus & Henric. Fratres, Iole horum soror, Robertus filius Ioles, Balduin. filius Roberti: Cuius Balduini filiam Caterinam Carolus Andegauens. D. Regis frater, spe recuperandi Imperii priore defuncta coniuge, in matrimonium duxit. Hæc in Græcia accepta clades, per Venetorum Genuensiumq; intestina dissidia, quæ eodem anno de Imperio Ptolemaidis, quod vnum Christianis in Syria restabat emporium, inuicem digladiantes, Latinis in Græcia nullam tulere opem: causaq; idem fuere, vt & in Syria res perderentur. *Annal. Eland. lib. 9.*

IESV CHRISTI
Annus 1260.

ALEXANDRI Papæ IV. 6. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 1.

I. *Innocentius in Annal.* ALEXANDER IV. CVM MANFREDO CONATVR PACISCI, SED RENVIT.

IN ea, quam superius narrauimus, Italiæ à Manfredo tyranno perturbatione, Alexander Sum. Pont. nihil magis cogitauit, quam si aliquo modo Manfredum ad mentem reuocare, pacemq; postliminio, Regno Siciliæ, atque vniuersæ Italiæ restituere posset, iam à multis annis profligatam. Marinum itaq; Capocium, die nona Febr. anni præsentis ad Manfredum destinauit, qui ferocientem demulceret, & ad honestas aliquas conditiones pacis ecundas induceret. Non iniquæ, neq; intolerandæ, neq; turpes fuerant, quas Alexan. proponebat, sc. vt Neapolitanis, ac Siculis, quæ abstulisset, restitueret, atq; Saracenos tota Sicilia & regno Neapol. exigeret. Porrò Manfredus insolenter respondit, multo plures Saracenos ex Africa, & vbi terrarum illos posset conducere, adducere velle. Erat quod illi animos adiiceret: Iordanus enim Dux copiarum ab eo, Gibellinis Etruscis in auxilium missus, factionis Pontificiæ Florentinos, apud Arbiam cum eis prælio congressus vehementissime afflixerat, Pontificisque terrorem vehementissimum in Hetruria iniecerat.

Nauel. gen. 43. & Sabellic. ennead. 9. lib. 6.

In Lombardia, res Ecclesiæ, & ciuitatum confœderatarum feliciores. Legatus enim Pōtificius, explorato cognita Alberici Frat. Ezelini tyranni fraude, quod is Pont. verba daret, & interim Manfredi partes sequeretur, cōtra eum cruce signatos excitit. Is vna cum vxore ac liberis, in potestatem venit, atque pœnas quas demerebatur sustinuit. Sunt qui scribant Taruisinos tyrannorum odio sex Alberici filios in conspectu patris contrucidasse. Vxorem & filias vivas igni consumptas.

II. *Pet. Marcel. hist. Venet.* GENVENSES PALÆOLOGVM CONTRA

In Græcia autē per id tempus res parum quietæ fuerunt. Cum enim Michael Palæolog⁹, Balduino Imp. & Iustiniano Patriarcha, vnà cum reliquis Latinorum eiectis, Imperium Orientis occupasset, Veneti ad tuendas Ægei maris insulas Marcum Michaelem, cum decem & octo triremibus misēre, eique in mandatis dedēre, vt omnia Palæologi infesta redderet. Quod ita strenuè factum est, vt ille rerum desperatione, non parum de relinquenda Constantinopoli cogitauerit, nisi Genuenses Venetis ex professo inimici, societatem cum Palæologo iniuissent, & hosti Latinorum cōtra eos auxilia submisissent. Facilè fuerat Palæologo Genuenses in societatē belli pertrahere contra Venetos. Nāque vnam ex Theodoro Lascaris filiabus, Irenem nomine, Comiti cuidam Genuensi, nomine Vigintimilio, desponderat, & abunde omnia promiserat, si is ciues suos Venetis infestos in classem colligeret, atq; in aciem contra eos educeret. Istud quamprimum Alexand. intellexisset, non potuit sustinere, quin Genuensium Proceres, quorum auctoritate auxilia Palæologo decreta, submissaq; fuissent, anathemate percelleret. Eorum namq; interuētu, apud Thessalonicum sinum, tres Venetæ naues ab hostium classe oppressæ sunt, capti omnes partim ab ipsis Genuensibus interfecti, partim à Palæologo excæcati. VENETOS IVVANT.

Nicephor. Gregor. li. 3.

In Polonia hoc anno innumerabilis martyrum numerus, ad cælum migrauit, à Scythica manu. Eorum enim vis ingens Nogaio & Celebuga Ducibus, Russis ipsis adiutoribus, ductoribus, nec scio an auctoribus etiam, in Poloniam se infudit, qui longe lateque grassantes, multos mortalium incautos oppresserūt: Zauichostense Clarissarum, & Lysscense Cluniacensium cœnobia violarunt, arcem Sandomiriensem per fraudem interceperunt, & omnes quos: quot in ea inuenissent, trucidarunt. Pleraque enim omnis vicina nobilitas, & oppidani atq; agrestes multi, cum vxoribus liberis & fortunis suis, ad primum aduentum hostium eò confugerant. Ibi Russorum Duces Leo & Romanus Danielis filii, & Basilisci frater, qui in castris Tatarorum erant, primum per internuncios, deinde per seipsos cum Petro Crempa præfecto arcis egerunt, vt si se, arcemque seruatum ire vellet, ad Tattarorum Duces in castra venirent, & imperata se facturum professus, paruo se arcemque & omnem multitudinem redimeret, fidem dabant, nihil in ea re fore periculi: se ita hæc confecturos esse. Credidit Præfectus, Russos Christiani sanguinis misericordia commotos, quemadmodum præ se ferebant, illa suadere & recipere. Itaq; Præfectus cum Sligneo fratre & primoribus ex nobilitate, ad castra hostium, quemadmodum conuenerant, profectus, duces Barbarorum, vt erat edoctus à Russis, adorauit, de salute sua & arcis supplex egit. Barbari in supplices impetum fecerunt, spoliatosque ac vulneratos immaniter obtruncarunt; & confestim sublato clamore, effuso cursu in arcem, nihil tunc eiusmodi expectantibus defensoribus, inuecti, promiscua cæde in perterritos & latebras quærentes grassati sunt. Matronas tantum & puellas formosiores ad contumeliam & explendam libidinem (vt est gens libidinosissima) asseruarunt. Defessi autem cædendo, reliquum vulgus hominum gregatim in Vistulam impulerunt. Tanta vero cædes in arce tunc facta fuisse dicitur, vt sanguis cæsorum ad Vistulam vsque defluerit. Sæuierunt etiam in Fratres Ordinis Prædicatorum tunc, siue ad D. Iacobi, siue ad D. Mariæ Magdalenæ cœnobium degentes. Mirum est, quod tunc accidisse ferunt. Nocte antecedente eam cladem, B. Sadoch, Prior cœnobii, denoto frattum grege cinctus, matutino officio intererat. Ibi pro antiquo religionis more, Tyro Indiculum Martyrologii ad diem sequentem pronunciaturus, exemplo literis aureis nouos & insolentes characteres exaratos aspexit eum in modum: *Sandomiriæ: passio quadraginta nouem martyrum*: legerat, an taceret: animi dubius fuerat. Timore tamen abiecto, cygnea, licet trepidante voce, recitauit aureum edictum: Sandomiriæ: passio quadraginta nouem Martyrum. Lectione inaudita, obstupuit Sadochus, atq; cæteri Fratres obriguerunt, ad titubātem vocem interque fauces hærentem, vtcunque tamen intellectam pronunciationem nouitii. Diariam illam lectionem postulauit Prior videre, desiderarunt & reliqui pauore nimio perculsi sodales, porrexit librum tyro, aureæ interim literæ cum notis Sandomiriæ, inter manus fratrum legentium sensim euanuēre. Diuina hæc est, ait Sardochus, præmonitio, fratres. Cælitus exaratæ illæ notæ non frustra innocentis oculis obiectæ sunt. Auctor vitæ & mortis, certo certius, nos ad vitam feliciorem & immortalitatem perenniorem inuitat. Eia per gladios etiam ancipites

III. *Cromer. li. 9* MARTYRIVM POLONORVM ET FF. PRÆD. PER SCYTHAS, ET RVSSOS.

PERFIDIÆ EXEMPLVM.

Annales Prouincia Polon.

post trahentem, indefesso pede curramus. Vitam nobis eripiet Scytha? Quam? Fluxam, calamitatibus obnoxiam, periculis vndique obiectam. Mortem inferet diram? At ea est nobis, in huius mundi fluctibus portus, in quem nos plenis velis conuolare decet: ac per eam, ad perpetis vitæ gloriam, nobis iter apertum conficere licet. Reuocate tantum oro in mentem vitæ antecedentis summam, & si quos animo habetis adhærescentes nœuos, eos sacra exomologesi expiate. Dulcissimo postea viatico roborate spiritum, mox syderea regna petituri. Sempiternæ laudis proposito ornamento, obnixo in omnes casus pectore, mucronibus iugulos vestros præparate. Moriendum est? sed alacri animo. Pro his aris sacratis, pro his imaginibus Christi, & sacrosanctæ Deiparentis, pro hoc incruento viuifico sacrificio, fortitudo nostra, per patientiam exercenda est. Animati fratres diuino oraculo, quod superfuerat temporis totum impenderunt præparationi aduentus magni DEI: ex imo pectore suspirantes. O quando optata illa hora adueniet, quæ nos terris sublatos, cælis reddet. Felices nos, optatos gladios, qui nos beatorum spiritum cœtibus interserent. Suauissime Iesu! sacra spes suspirantium Maria: quando tandem? Illuxit tandem illis optatissimus sol, quo terrena compage soluta, ex corporeo carcere euolaturi essent. Superuenerunt truculentissimi Scythæ, velut leones sanguinarii, & Pastorem Sadochum cum grege illo fratrum deuotissimo, in medio Ecclesiæ, velut cygnos aliquos extremam illam hymnodiam *Salue Regina*, matri misericordiæ suauiter occinentes interemerunt. Interruptum morte canticum D. Deiparæ Virginis cœlum petentes, longe suauiori harmonia prosecuti sunt, quam voces mortalium possint efformare. Hanc frater quidam, qui se in superiori parte Ecclesiæ abdiderat, vt audiuit, illico descendens, sanguinolentis Scytharum gladiis iugulandum obiecit, comitemque se adiunxit fratribus ad cœlum euntibus, & dulce melos tuum ô sanctissi. Virgo personantibus Matthias Mechouius rerum Polonicarum scriptor refert, quod hoc malum cum Boleslaus Pudicus, & Prandotha Cracouiensis Ecclesiæ Pontif. Alexandro IV. Papæ, per nuncios Bodzantam Decanum & Albertum Canonicum Cracouiensem declarassent, visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Sandomirien. parem indulgentiam concessit Polonis & peregrinis, quotannis die 2. Iunii, quam habet Ecclesia S. Mariæ ad Martyres, seu etiam maioris in vrbe. In hodiernum sane vsque diem strages illa quasi Martyrum Christi, anniuersaria celebritate postridie Cal. Iunii, Sandomiriæ magno populi concursu recolitur, magna ista Alexandri IV. Pontificis Maximi indulgentia cumulata atque dedicata.

Mechouius lib. 3. c. 44.

Crom. lib. 9.

IV. INQVISITORIBVS VT CONTRA QVOS CVNQVE HÆRETICOS RIGIDE PROCEDANT IMPERAT.

Hoc ipso ann. Alexand. Pontif. datis literis Inquisitoribus hæreticæ prauitatis Ord. Prædic. in Lombardia & Marchia Ianuensi constituit, quod Inquisitores in causa fidei contra quoscunque possunt ac debent procedere: nullis priuilegiis in contrarium editis obstantibus, aut quemquā iuuantibus. Iidem pariter deficientibus notariis sæcularibus, religiosos qui prius fuerant notarii possunt ad acta sancti officii conscribenda assumere: & si hi desunt, duos viros idoneos, qui hæc scribant, eligere, contradictoresque per censuras Ecclesiæ compescere. Dat. Anagniæ Idibus Octobr. Pontif. Ann. 6. Præterea decreuit quod Inquisitores hæreticæ prauitatis cogere possint magistratus sæculares quocumque nomine censeantur per excommunicationem in personas, ac priuationem ab officiis, & interdictum in terras, vt sublato omni dilationis & difficultatis obstaculo, appellatione que remota, executioni mandent sententias ab Inquisitoribus latas & ferendas contra notatos & suspectos de hæretica prauitate, credentes, fautores & receptatores eorum: non obstante quacunque indulgentia Sedis Apostolicæ, per quam hoc decretum possit impediri vel differri. Dat. Anagniæ XIII. Calend. Febr. Pontif. an. 6. Insuper edixit, quod Inquisitores per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, inuocato si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, per exactionem pœnarum cogere possunt eos, qui cum ad Ecclesiam redirent se obligauerunt sub certis pœnis ad parendum mandatis Ecclesiæ; atque idem faciant contra fideiussores eorum. Dat. Anag. X. Calend. Febr. Pontif. an. 6. Item ordinauit, vt Inquisitores, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellant edisibi quælibet instrumenta & scripturas, Inquisitionis factæ vel faciendæ contra hæreticos, & alios in fidem peccantes, aut alias ad sanctum officium spectantia. Vt redeuntes ad Ecclesiam absoluant, eosque reconcilient ei à qua fuerant præcisi. Vt populum & clerum conuocent contra tales, vt in ferendis sententiis aduocent peritos, vt dierum quadraginta conferant indulgentiam. Vt contra absentes procedant, qui in sua prouincia deliquerunt. Vt simpliciter & de plano procedant, vt contradictores per censuram Ecclesiasticam compescant. Dat. Anagniæ IV. Non. Martii. Pontif. ann. 6. Vt omnes Prælati Ecclesiarum, & clerici religiosi & sæculares, tam exempti, quam non exempti, Nobiles, Barones, & cæteri sæculares magistratus, & eorum officiales & communitates ciuitatū per Inquisitores requisiti sub pœna excommunicationis & mille marcharum argenti, teneantur liberaliter & sine dilatione Inquisitoribus & eorum sociis, de securo conductu à loco ad locum prouidere. Dat. Anagn. Idib. Martii. ann. 6. Cæterum cum per id temporis quidam Capellus de Kia homo potens, hæretica prauitate infectus, alios inficeret, neque facile poterat intercipi de quo eo supplicium sumi: ideo Alexander Papa, omnibus Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archipresbyteris Præpositis, Capitulis, Conuentibus, Vrbis, Patrimonii B. Petri in Tuscia, Sabina, ciuitate & diœcesi Reatina, Romana, Marsia, Campania & Maritima: deinde Potestati, Capitaneo, Consilio & communi Tusculanensi ac Viterbiensi, Petro Iacobi surdi ciui Romano, atque compluribus aliis præcepit, vt Fr. Andreæ Ord. Minorum Inquisitori in administratione S. Francisci, & per se & consanguineos, subditos & deuotos suos auxilium præstarent contra Capellum, eiusque credentes, complices fautores, ac defensores ipsius. Dat. Anagniæ 2. Cal. April. II. Idus Maii & Idib. Maii. Pont. an. 6.

V. *ep. 123. Anagniæ 2. Non. Octob. & 223. ibidem Non. Octob. & 125. ibid. 12. Cal. Nouemb.* NICOLAO NOTHO REGIS BOHEMIÆ DAT HABILITATEM AD DIGNITATES.

Hoc ipso Anno Alexander Papa, Nicolaum Regis Boemiæ filium nothum, Opauiæ Ducem, ad omnes dignitates, Prælationes & Principatus sæculares dignum, atque aptum fecit: duabusque eiusdem Regis filiabus naturalibus, facultatem succedendi in omnibus bonis paternis simul ac maternis concessit. Cum autem accepisset, Proceres Boemorum mussitare, vereriquene Nicolaus in Regni possessionem succederet, misit ad eos Bernardum Furconem Sedis Apostol. scriptorem, qui omnibus præsentibus mentem Alexandri aperiret, scilicet quod is nunquam cogitaret, Nicolao Duci potestatem concedere in Regnum Boemiæ succedendi: quanquam ad reliquas dignitates & honores illi non illibenter fecisset. Itaque Bernardo commisit, vt eam declarationem Regi Boemiæ coram Principibus repræsentaret, protestationemque nomine Apostol. Sedis interponeret, ne vnquam Rex conaretur prætextu dispensationis concessæ, Nicolaum in Regem Boemorum nominare, aut inaugurare. Is est Nicolaus, qui Fratribus Prædicatoribus cœnobium apud Opauiam extruxit, atque nonnullis prouentibus diuitauit.

VI. *epist. 7. Leand. lib. 3.* EPISCOPATVM RATISPONENSEM FRATRI ALBERTO MAGNO CONFERT, CVIVS HIC SANCTITAS DESCRIBITVR.

Eod. an. vacante Ecclesia Ratisponensi, Alexander Pontif. ex voto & consilio S. R. E. Cardinalium, illi præfecit F. Albertum cognomento Magnum, S. Theologiam apud Colonienses in frequentiss. auditorio profitentem. Factum est Anagniæ ipsis Nonis Ian. Huic tefertissimus omnium disciplinarum thesaurus, Magni cognomentum peperit. Hic magno præcipue cultu & veneratione castissim. Deigenitricem per omne tempus vitæ coluit. Sextum decimum ann. ingressus, cum in templo quodam orationi se dedisset, & gloriosam inprimis virginem precaretur, vt sibi adesset, vtque dubium & plenum discriminis adolescentiæ suæ iter in viam salutis æternæ dirigeret, affuit illa continuo, & cælesti voce allocuta supplicem suum bono animo esse, ac omnia de se sperare iussit. Verum illud præ cæteris admonuit, vt relictis vitæ huius illecebris, tutiorem modum viuendi iniret, & recenti Præd. Ordini, quem ipsa nuper à filio ad sustinendum Reipublic. Christianæ statum impetrasset, se insereret: pollicita fore, vt sapientia sua, quam diuinitus acciperet, in lumen totius Ecclesiæ ingens euaderet. Patauii à B. Iordane Ord. magistro togam Præd. indutus, synceritati mentis maxime studebat, orationi frequenter vacabat, labori vero nulli vnquam in studiis par-

cebat, magis tamen ad altitudinem cælestium arcanorum precibus quam studio nitebatur. Præter deuotionem qua erga Reginam cœlorum ferebatur, in Passionem quoque Christi mirifice feruebat. Quamobrem & illius alloquio frequẽter recreatus fuit, & ex istius quodam miraculo non modicam consolationem sensit. Non paruam ligni Dominicæ Crucis portionem obtinuerat, atque auro incluserat. Ne vero addubitaret, veræne Crucis ipsius Redemptoris lignum foret, igne prius voluit experiri. Coniecit itaque illud in flãmas: illud vero omnino illæsum resiliit. Sacris autem libris attentissime inuigilans meruit apparitione Diuor. edoceri. Inuenta est scheda manu ipsius scripta, in qua sic ipse de se testabatur. Tutis auribus loquor. Cum expositionem libri B. Dionysii de cælesti hierarchia laboribus multis perfecissem, ac aggressus expositionem de Ecclesiastica hierarchia primum capitulum, quod de Baptismatis sacramento tractat, cum immensis laboribus transissem, ad expositionem secundi capituli manum mittens, fateor, deficiens desperaui. Et ecce post matutinas somnium tale vidi: in quadam enim Ecclesia me inueni, in qua B. Paul. Missam celebrabat: vnde plurimum consolatus sperabam per ipsum de intellectu librorum B. Dionysii eruditi. Et cum diceret Agnus Dei, per ostium Eccles. magnus populus ingressus est, quos Apostolus placide resalutando requisiuit, quid peterent. Qui dixerunt: Ecce dæmoniacum tibi adduximus supplicantes, vt expulso dæmone digneris hunc curare, qui placide promisit se hoc facturum, & dæmone fugato, communicauit hominem à dæmonio liberatum de parte hostiæ consecratæ. Cumque post Agnus Dei, esset ablutio tribuenda, ego me ad hoc obtuli, & cum reuerentia sum locutus. Domine multo tempore optaui, vt possem de abditis & profundis in libris B. Dionysii occultatis de vestræ pietatis gratia edoceri. Qui mihi benevole respondit, dicens: post Missam, ad domum Aaron Sacerdotis mecum venito vltra aquam. Post Missam, Apostolum secutus sum: & cum ventum esset ad aquam, Apostolus leniter transibat. Ego autem cum aquam tangerem meis pedibus, excreuit subito in immensum, vt mihi transitus non pateret. Apostolus vero transiens domum Sacerdotis ingressus est, & ego sollicitus de sequela à somno excitatus, mecum rem cogitans, me ipsum interpretem somnii feci & visionis, quia primum capitulum per me expositum egit de eiectione dæmonis, ab homine per baptismum, & baptizato homine datur participatio Sacramenti ad domum Aaron vocatio, qui Chrismate vngebat: sequens capitulum quod de Chrismate est, quo Pontifices consecrantur, inuitabat. Verum aquæ profunditas excrescens me retraxerat à scribendo, cuius mihi transitum Beatus Paulus ostendebat, diuinæ gratiæ innitenti. Accinctus ergo sum in me, & Dei adiutorio consummaui, vbi infirmitate propria desperaui. Hæc de se Albertus magna cum humilitate vulgauit. Paupertatis Religiosæ tam tenax fuit Albertus, vt eo tempore quo Prouinciam Germaniæ administrauerat, quendam Fr. Conuersum extumulari iam sepultum, & ex sacro loco proiici iusserit: quod non nihil pecuniæ apud ipsum reperisset.

VII. HVMBERTVS GENERALIS ORD. PRÆLATVM A SVSCIPIENDO EPISCOPATV DEHORTATVR.

Cum Alexander Pont. illi Episcopatum detulisset, Humbertus qui tum Præd. erat Generalis moderator, illi hunc in modum dissuadere conatus est, scripta epistola. Huius exemplum subscripsimus, vt ex his vnusquisque coniiciat, quanti apud suos Albertus fuisset. Ita habet.

Charissimo in Christo Fratri Alberto Lectori Colonien. Frater Humbertus Ordinis Prædicatorum seruus inutilis, æternam in cœlo salutem, & in terris radiare gloriosis meritis & exemplis. Rumor per quasdam literas, nuper euolans à Romana Curia nostrum attingens auditum, & nostri cordis viscera penetrans, nos in direptionem interminabilem funditus perstrauisset, nisi fiducia sancta & firma, quam de vobis in omni bono gerimus, restitisset. Siquidem accepimus in prædicta Romana Curia vobis mandatum, vt ad quandam Pontificalem dignitatem accedatis. Quod quidem licet ex parte Curiæ non immerito credibile sit; attamen quod vos consentire positis, incredibile fit, iis qui vos nouerint. Quis enim credere posset, vt in vltimo vitæ vestræ, post tantam gloriam vestram & ordinis, quem vos gloriosum fecistis, istiusmodi notam ferre velletis? Quis quæso Frater charissime & amantissime non solum de vestris, sed de omni religionis genere pauperis post hac resiliet, si vos in his succumbitis? & non potius cæteris excusando vos, & onus deprecando exemplum præbeatis? Quis scandalum non scandalizetur? & quilibet alius professionis huius hoc audiens credat nos amare paupertatem, & non potius existimet, eam nos sustinere tam diu donec effugere possimus? non moueant vos, obsecro, consilia & preces Dominorum nostrorum de Curia quidem emanantia, in qua cito & facile in sibilum, atq; derisum talia verti solent. Non frangant vos aliquæ molestiæ Ordinis, qui vniuersaliter omnes diligit, & honorat, & de vobis specialiter in Domino gloriatur: quæ si grauiores etiam essent quam vnquam fuerint aut futuræ sint, etiam si alios fatigarent & deiicerent, vestros tamen Gyganteos humeros hilariter portare quantum vos decet non ignoratis. Nec flectant vos præcepta Papalia, quæ neminem efficaciter resistere volentem cogere consueuerunt. Nec sancta huiusmodi ad tempus inobedientia hominis famam lædere, sed potius augere solet. Consideret circumspectio vestra, quid acciderit illis, qui ad similia se trahi permiserint, quæ fama eorum secuta sit, qui fructus, qui status, quis denique finis. Occurrat vobis, quam difficile sit in regimine Ecclesiarum Germaniæ, vel offensam DEI vel hominum declinare. Denique quomodo pati poterit anima vestra, tota die terrenis implicari negotiis, & inpericulis peccatorum versari, quæ adeo vehementer sacras scripturas, & conscientiæ puritatem dilexit? Quod si fructus animarum à vobis quæritur, attendite quæso, quomodo per huiusmodi status mutationem & animarum fructus innumerabilis, quem non solum in Germania, sed fere per totum orbem indubitanter facitis, fama, exemplo atque scribendo penitus peribit. Quem autem in Episcopatu facturi sitis, incertum est. Videtis etiam dilectissime Frater, quod totus Ordo noster de tribulationibus maximis erutus maxima demum consolatione repletus est. Sed quid esset, si in aliquem profundiorem mœrorem iterum ex aliquo vestro facto reduceretur? Vtinam dilectum Fratrem meum potius audiam in feretro, quam in cathedra sublimari: ne sic amissa spe firmitatis atque constantiæ in talibus aliis cum mœrore de hoc sæculo nostri recedant. Flexisque genibus cordis, per intemeratæ Virginis & eiusdem filii humilitatem vos adiuro, ne statum humilitatis vestræ dimittatis, & quod hostis sublimitas & subtilitas in plurimorum damnum & scandalum procurauit, in eius caput vertatur, atque redundet ad nostram & vestram duplicem gloriam & honorem. Rescribite consolatoria, quæ nos & alios Fr. nostros & vestros dilectiss. consolentur, & eruant à mœrore. Orate pro nobis. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum Amen.

VIII. SVSCEPIT TAMEN ALBERTVS EPISCOPATVM.

Accepit istas Albertus ab Humberto: verumtamen effugere non potuit, quin onus à summo Christi Vicario sibi impositum subiret. Flens itaque atque eiulans humeros iugo supposuit, Episcopatusque dignitate susceptа, religiosam viuendi rationem non deposuit. Consuetam enim sibi in Monasterio vitæ austeritatem seruauit: negotia quoque non spiritualia probatis viris atque fidelibus tractanda commisit: ne videlicet ipse terrenis occupatus actionibus ab oratione & contemplatione, & à scribendis iis quæ prodesse hominibus possent frequenter abstraheretur.

IX. *Io. Villan. lib. 6. c. 67.* S. LVDOVIC. VIDERE RENVIT CHRISTVM SVB SPECIE PANIS INFANTEM REFERENTEM.

Per id temporis, Sacerdote quodam Parisiis in sacello aulæ Regiæ sacris operante, dum is sacrosanctam hostiam eleuasset, visa est ea plerisque, in speciem speciosissimi infantis, conuersa fuisse. Obsecrarunt Sacerdotem, vt tantisper illam eleuatam teneret, donec S. Rex Ludouicus aduenisset. Cæterum ille nouitate rei audita, recusauit videre miraculum. Eant, inquit, & scrutentur illi, qui non credunt tantæ rei Sacramento, ego vero in corde meo, continue & aspicio, & suspicio, Deum verum & hominem sub speciebus sacramentalibus reconditum.

X. *epist 26.* CONSOLATORIA AD S. LVDOVIC. CVM AB ALEX. IV. SVPER MORTE PRIMOGENITI.

Mærebat hoc anno Ludouicus à morte Primogeniti sui Ludouici. Quamobrem habuit Alexander condolere illi, atque grauissimis literis mœrorem discutere. Datis Anagniæ II. Calend. Martii. Quamquam autem dolore ex tot funeribus fere obrueretur, non tamen officii oblitus est Ludouicus.

Per hæc enim tempora, multa in Regni vtilitatem instituit, dignitates & officia noluit esse venalia; blasphemis, & in vanum per nomen Dei iurantibus, cauterium in fronte inussit: lupanaria prohibuit: vetuit magistratibus in toto iurisdictionis suæ tractu, aut fundos emere, aut liberis sacerdotia procurare, aut eos nuptui collocare: histriones aula exegit: multa cænobia & valetudinaria partim condidit, partim instaurauit & ditauit: beneficia Ecclesiastica cõferre noluit, sed ius illud collatoribus ordinariis, iuxta antiquos Ecclesiæ Canones, restituit: cumque se nollet collationibus Sacerdotiorum immiscere, illud solemne dixit: *Sufficit mihi*

XI. *Ghagnin. lib. 7. hist. Franc. & Bromiardus in vita & Nangiac.* EGREGIÆ CONSTITVTIONES S. LVDOVICI.

mihi coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam spiritualibus rationem reddere. Cũ autem ei instituendi pastores ab Alexandro Pontifice potestas facta fuisset, ad id q; diploma Orator Romã rediens attulisset: *Quod mea*, inquit, *Romæ negotia strenue obieris, laudo: quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim, quanto cum periculo meæ animæ & Regni, id susciperem*, ac protinus diploma in ignem proiecit. Ad Cheradum (sic Græci strumas, glandularum quarumdam indurataru genus vocant) curationem, Crucis signum primus adhibuit: cum decessores Reges solo tactu vterentur.

AD CVRAM STRVMARVM S. LVDOVIC. PRÆTER TACTVM ET IAM CRVCIS SIGNVM ADIECIT.

XII. *Platus lib. 3. 6. 37.* PÆNA APOSTATANTIS AB ORDINES. FRANCISC.

Hoc anno, mirum quiddam euenit cuidam ex Ordine Franciscanorum: qui cum ordinem & domum deseruisset, sequuti sunt eum fratres duo charitate adacti, vt reditũ persuaderẽt. Quorum consilia dum is obstinatissime reiiceret, atrum canem misero illi imminentem viderunt, eoq; spectaculo territi exclamare cæperunt, vt à tam informi bestia caueret: is vero eo magis insaniens, habitum exuit, procúl abiecit, in fugam se dedit. Ecce autem, paucis confectis passibus, monstrum illud, quod hactenus dum habitum gestaret, nocere non potuerat, potestate tum accepta, in eum insiluit, & ad terram detractum strangulauit, tam subito, vt fratres illi accurrentes, mortuum iam repererint.

XIII. *Michael Pius Bononien. de viris illustr.* SANCTI EX ORD. PRÆD.

Feliciores sunt quos subiungã, qui in religione Prædicatoria perseuerarũt. Ex his vnus Dominicus Mugnoz Segobiensis: in cuius funere, aliquis aridum brachium habens, postquam feretrũ contigisset, sanatus est. Mulier quoq; paralytica, postquam vestem sepulchro illius imponi fecisset, eamq; induisset, sanitatẽ recepit. Ex eius quoq; tumulo pulueris scaturiẽs, plurimis beneficio fuit infirmis. Cognominis ei alter Dominic. Valericanus, non minus multis miraculis, quã sanctitate vitæ & humilitate clarissimus. In extrema infirmitate, nullibi voluit quiescere, quã in xenodochio inter decumbentes. Vbi cũ vita defunctus fuisset, calceamentaque illius cuidã peregrino Præfectus Hospitalis dedisset, vtrique sanctus apparuit, temeritatisq; & abusus ambos reprehendit. Restituta illa postquã Cænobio essent, inq; particulas distributa, ingentia miracula ediderunt, multisque ægrotis salutem dederunt ope B. Dominici. Bernardus his proximus Transuersanus Inquisitor & Martyr, ad cuius sepulturã, inter alios qui valetudinẽ deploratam recuperarũt, duodecim cæcis lumen redditũ est. Huic se adiungit Guill. Cauailonius, iuuenũ sui temporis modestissimus, castissimus, obediens, humilis, & cunctis virtutibus ornatus. Morituro cum infirmorũ Præfectus diceret, illum breui tempore ad cælos ituru, tanta vocis suauitate cantare cæpit illos versiculos: *Gloria, laus & honor tibi sit, Rex Christe Redemptor*, vt cũctos fratres astãtes in fletus cõmouerit, cumq; illi aliquis eorũ particulã ligni S. Crucis obtulisset, ille maiori spiritus deuotione, *O crux aue spes vnica*, recinens animam exhalauit. Præstat istis dignitate B. Bart. Episcopus Vicentinus hæreticorum expugnator acerrimus, & Innocentii IV. Pont. Max. in Syriam ad S. Ludou. Nuncius, quo cum tanta ei necessitudo interfuit, vt is non alteri, quam Bartholsi quas noxias contraxisset, in confessione explicaret. Ab eo pignus obtinuit, spinam ex corona Dominica, quã postea magna populorum frequentia Vicentiam intulit, & in sui Ord. cænobio collocauit. Iungir se istis B. Conrad. Sueuus Lingonas, virginitatis laude cõmendatus, quam à puericia Saluatori orbis consecrauit. Magna deuotione in D. Virginem ferebatur, in cuius cultu dũ perseueraret, meruit illã aspicere, & ab ea diem, horamq; mortis scire. Ea dũ aduenisset, purissimum Deo spiritum reddidit, cui puritatem virgineam dedicarat.

XIV. *Chronica Bossiana.* PEREGRINATIO ITALORVM CELEBRIS AD AVERTENDA MALA ITALIÆ.

Eod. an. cum vniuersa Italia, & præcipue Hetruria & Æmilia atq; Lombardia bellis ciuilib. iactaretur, admirabilis populorũ peregrinatio, Perusinorũ exemplo instituta fuit. Crucẽ enim prælatã, innumerabiles populorũ cateruæ, à ciuitate vsq; ad circum vicinam, & ab hac ad alterã ciuitatẽ sequebantur, profusis cũ lachrymis misericordiam diuinã & finem tantorum malorũ implorãtes: & tum deinde tumultuantes ciues ad pacẽ & concordiã inuitantes. Habuit tunc Otto Cardinalis perspecta piorũ deuotione diuinare, ac dicere: *Victi victores vincent, nec vnquam vincentur*: allusione facta ad Guelfæ factionis Flotẽtinos, qui ante aliquot mẽses, à Gibellinis profligati fuissent: spẽ tamen non omnino abiecissent, quam tum ex iustitiæ causa, tum ex piorum precibus, tum vel maxime à diuino subsidio conceperant. Eam pietatẽ paulo fusius Carolus Sigonius istis verbis enarrauit.

Per id temporis singulare, atq; ad hunc vsq; annũ inauditum religionis studiũ subito in pectoribus Italorum, quasi quoddã repentinum incendium excitatũ: vt se passim verberibus in expiationẽ suorum flagitiorum afficerẽt. Nemo autẽ existimet hos esse eos, qui Flagellantes dicti, pro hæreticis damnati sunt. Nã illi aliquot annos post emerserunt, Greg. X. sedente. Initiũ igitur huius rei à Perusinis est introductum: quippe Eremita quidã, vir spectatæ sanctitatis, spiritu diuino instinctus ad populũ dicitur processisse, eumq; Dei nomine monuisse, nisi ad pœnitentiã se conferrent, ac supplices misericordiam eius postularent, fore vt breui vniuersi, miserã fædaq; morte conciderent. Quæ vox adeo pectoribus eorũ insedit, vt nulla interposita mora, præcepta Eremitæ, tanquã à Deo missa exhauserint. Etenim senescente iam Autumno, vir fœminæq; omnis ætatis ordinisque repente corpora, perinde ac re composita, vsq; ad vmbilicum nudarũt, ac se sumptis ad id loris cædere per vrbẽ instructo agmine incedentes cæperunt: Sanctã Virg. Deiparentem, vt sibi à filio salutẽ impetraret, summis clamoribus obtestantes: atq; interim veteribus odiis positis, paces inter se mutuis adhibitis oculis sanctientes. Inde vrbe longo agmine vexilla præferentes egressi, ad vicina oppida prodierunt eaq; cum ingenti illorũ admiratione ingressi, in viis ac templis eandẽ pietatẽ exercuerunt. Qua re populi illi permoti & ipsi pariter eiusdẽ sanctitatis studium asciuerunt, ac se verberãtes, ac pacẽ & misericordiam ingeminatis vocibus implorãtes, cateruatim ad vrbes proximas accesserunt. Atque ita ex Tuscia in Marchiã, ex Marchia in Romanã passim incendii more ea religio transiit, vt singuli populi Episcopis ac Magistratibus suis præcedentibus vrbes agrosq; ea æmulatione iniecta lustrarent: vt nullius sexus, ætatis ac conditionis homines esset, quin huius verberationis participes esse vellẽt. Ita fiebat, vt passim incondita carmina, in Deiac sacræ virg. laudes cõposita canerentur, peccatorum confessiones vix supperentibus sacerdotibus ad audiendũ celebrarẽtur, atq; omnino recta, quæ iam pridẽ exoleuerat, Christi disciplina reuocaretur. Hæc religio etiam ab Imolensibus excepta, & quasi per manus Bononiæ tradita, ciuitatẽ ipsam mirabiliter inflãmauit. Itaq; & ipsi nudati sese multarũt, ipsi diuinã opem suppliciter popposcerũt, ipsi cum inimicis in gratiam redière, & reliqua pietatis officia, quæ cæteri, suscipere contenderunt, ac demum manu facta hominũ amplius viginti millium, ante diem festum omnium SS. sub vexillis Mutinam processerunt, ibiq; pie Basilica S. Geminiani Episcopi visitata, solemnem sui verberationem, positis vestibus inierunt. Inde ea sanctitas ad reliquas subinde vrbes translata, ab omnibus, paucis admodum exceptis, recepta est. Cæterum hi homines vulgo Deuoti, & hic annus generalis Deuotionis annus est appellatus. *Carol. Sigon. lib. 7.*

XV. EIVSDEM PEREGRINATIONIS ET FLAGELLATIONIS EXERCITIVM PRIMVM INVENTVM LATIVS DESCRIBITVR.

Circa initium anni huius, Othomanus I. Rex Turcarum, natus est patre Ertugula Sc. voluit vindex supremus malorum Græcorum perfidiæ & sceleribus castigandis, flagrum excitare: quo tandem aliquando, contemptores disciplinæ Ecclesiasticæ, & refugos vnitatis atque veritatis Catholicæ flagellaret. *Leonclau. in Hist. Musulman. Turc.*

XVI. OTHOM. PRIMVS TVRCARVM REX NATVS.

Ea tempestate adolescẽs quidã Friburgi in Misnia, vt suis poriretur amoribus à Mago in locũ vdium desertum deducitur, cui cũ spectrũ puellæ illius, quã amabat imagine, per malefici incantationes se obtulisset, amator ille perditus, manum ei porrigẽs, à malo dæmone patietibus allisus, miserabilẽ in modũ necatus est. Cadauer quoq; illius tanto impetu in Magũ Satanas proiecit, vt semianimis longo tẽpore iacuerit. Hoc horrendũ punitę exemplũ libidinis, ad deterrẽdos stultos adolescẽtes referebat Siffridus presbyter, qui Alberti I. Imp. temporib. vixit. *An. Germ. & Siffrid. in Epit. li. 2.*

XVII. EXEMPLVM PVNITÆ LIBIDINIS IN ADOLESCENTE.

Citeriter hæc tempora fuit in Cãtabrigensi Academia iuuenis quidã Guill. Vidius, qui suo nomini respondẽs (quod apud Anglos hominem efferatum & immodestum significat) dissolutius & petulantius vixit. Id tamen in more positum habuit, vt singulari quadam propensione quotidie B. Virginem matrem Christi veneraretur. Cubabat simul in eodem lecto cum Iacobo quodã, qui simul literis operã dabat, & Londini postea sacerdotio donatus est. Guillel. vero quadã nocte ita tremebat, tanto tamq; inusitato sudore totus madidus, tantum tumultum ciebat, vt expergiscens so-

XVIII. EXEMPLVM CONVERSIONIS ADOLESCENTIS DISSOLVTI PER VISIONEM.

cius miraretur, conareturq; hominem, sed frustra, aliquandiu è somno excitare, qui tandé ad se rediens, dixit se fuisse ante summi Iudicis tribunal raptũ, & exactam ab eo totius vitæ præteritæ rationẽ: in qua reddenda cum hæreret, neq; se expedire posset, ab iis criminibus quæ dæmones illi intẽtabant, quæ curiosè & accuratè erant scriptis mandata, sententia Iudicis lata abreptum fuisse ad æternas pœnas. Ibi vero ille circumspiciens, cum Beatam forte virginem vidisset, illius opem imploràsse, eiusque precibus dimissum fuisse. Nec fuisse hoc vanum aut inane simulachrum res ipsa admirabili euentu declarabat. Cum enim euigilasset, reperit in manu chartã, in qua omnia quæ vnquam in Deum grauius deliquerat, crimina complectebantur, proximaque luce ad sacerdotẽ perrexit, apud quẽ accurata exomologesi se expiauit, & tã pie deinde, tamq; dure arq; austere vixit, vt repentinã hominis imutationẽ oẽs admirarẽtur. *MS. Vat.*

XIX. SANCTITAS B. BERTHOLDI FRANCISCANI.

Eodẽ anno vixit Bertholdus Ratisbonensis, Franciscani instituti. Is cũ à teneris annis literis operam dedisset, & magnam eruditionis laudẽ adeptus esset, pietatis amore Franciscanis sese adiunxit, atq; passim in magna authoritate fuit. Erat. n. integritate vitę, ac facundia singulari, nulli secũdus. Itaq; suis sermonibus populũ ad virtutes excitauit, ac vitia quantũ potuit extirpauit. Tantus vero hominũ concursus erat, cũ concio habenda esset, vt sese mutuo vi templo extruderent, atq; per aliquot horas aduentum eius expectarent: Itaq; *Auentinus lib. 7. Annal. Boiorum* prodidit, fexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentasse. Eius sepulchrũ non solũ incolis, sed & Vngaris, & aliis conuicinis venerabile Ratisbonę in tẽplo Franciscanorũ ostẽditur.

XX. VITA, MIRACVLA ET OBITVS IVTTÆ PRVTHENÆ.

Hoc Anno Domini 1260. Die 5. Maii, obiit B. Iutta Pruthena, exantiqua & illustri familia Sangerhausen. Hæc nata in Prussia Anno Domini 1220. Parentibus Adalberto & Heduigi in paterno Oppido Bug medio miliari à ciuitate Chelmza, à prima ætate magna futuræ sanctitatis signa dedit, obsequio diuino, lectioni sacræ, & præcipue piorũ exemplorum, vtriusq; sanctorum multum dedita fuit, quibus permota magno tenebatur desiderio se Deo in aliquo religioso ordine consecrandi. Sed cũ frater eius Ioannes, quem vnicũ habebat, religioni Cruciferorũ (quã postea septimus Magister Generalis electus feliciter administrauit, Ordinisque Præd. monasteriũ, inter cætera præclarè à se gesta, Torunii fundauit) se addixisset, à parẽtibus inuita licet, Illustri viro Ioanni Konopacki libero Baroni in Bielczany, annum agens 15. in matrimoniũ data est. In quo statu pristina pietatis exercitia nõ intermittens, lectioni piæ, orationibus operibusq; misericordiæ vacabat. Filiolã, quam vnicam habuerat, in timore Dei educando, à teneris annis, inediæ, orationibus aliisque piis exercitiis assuefacere satagebat, id à Domino vnice petens, vt in virtutibus homini Christiano propriis proficeret. Tantæ misericordiæ in egenos extitit, vt id totum, quod à parentibus ex auro, argento, gemmis, similibusque in ornamenta habuerat, larga manu inter eos distribueret, in spontanea paupertate, quantum per statum illum licebat matrimonialẽ, Christi amore se exercere desiderans. Cum autẽ ob magnam illam in egenos liberalitatẽ, ipsamet necessaria conditioni vitæ suæ, ab aliis per modum Eleemosynæ petere coacta, à notissimis suis ludibrio despectuiq; habita fuisset, ei Christus Dominus apparuit, prudentemq; seruam, & fidelem dispẽsatricem bonorum suorum consolando, ad eam ait: *Omnia mea, tua sunt, & tua, mea.* Quibus verbis recreata, operibus pietatis, obsequioq; pauperum magis se dedit, corpora leprosorũ lauabat, & ægrotis, debilibusq; inseruiendo, de rebus necessariis, quantum poterat, prouidebat. Ecclesiam Canonicorum Regularium S. Augustẽ. ciuitatis Chelmzensis, (quæ nunc Cathedralis est) medio miliari, à bonis mariti sui distantem, non rheda, vel curru vecta, sed pedibus iter faciens, quotidie pietatis causa adibat. Accidit autem sæpius, vt omisso illo longiori itinere consuerit, tam adeundo iam dictam Ecclesiam, quã ab eadem domum redeundo, recta supra stagnum interiacens, siccis pedibus multis spectantibus, tantoq; miraculo attonitis ambularet. Maritum indigne piam hanc eius consuetudinem, in adeunda Ecclesia ferentem, grauiq; suspicione de religiosis loci illius, & vxore sua, dæmonis instinctu, prauorumque hominum suggestione, laborantem, ab errore, magna q; hac tentatione, insigni miraculo liberauit: nam cum die quadam, tardius ex eadem Ecclesia, domum reuersa fuisset, ab eo, quod prandium non cito pararetur, verbis, contumeliæ, minarumque plenis, affecta, magna cum humilitate, iniuriam sibi illatam sustinens, tripodẽ ferreum ignitum, cum piscibus, quos in eundem paulo ante coniecerat, nudis manibus ex igne illæsa recepit, & pisces nondum coctos, mariti mensæ apposuit, quibus ille gustatis, cum optime coctos & conditos aduertisset, rei nouitate euidentiq; miraculo attonitus, supplex veniam suspicionis illius falsæ, iniuriæq; verbis illatæ, ab vxore postulauit: pœnitentiaque iudicii illius temerarii ductus, administratione rei familiaris B. Iuttæ commissa, in pœnam peccati illius, Romam peregrinatus est, vbi sacris locis pie visitatis, diem clausit extremũ. Quod cũ illa resciuisset vinculo matrimoniali soluta, liberius pietati vacare, egenisq; inseruire cœpit, cui in eodem egenorum infirmorum obsequio, causa Dei, noctu occupatæ, lumineq; lucernarum & candelarum, similiumq; carenti, sol ipse per miraculum, eodem nocturno tempore, lucere visus est, gratũ fuisse obsequium eius creatori suo in pauperibus exhibitum attestans. Ei oranti secundo Christus apparuit, dans ei de promere de latere proprio, magna dona gratiæ suę. Nam hac visione diuina consolata, maximis thesauris sapientiæ, amorisque diuini, se ditatam aduertit, ita vt scripturam sacram, lumine diuino illustrata multo melius quam ante intelligeret, aliterq; & subtiliter etiam de ipso SS. Trinitatis mysterio dissereret. Ex eo quoque tempore magis ac magis, se obsequio diuino mancipare volens modum viuendi fœminarum, sub Regula Canonicorum Regularium S. Augustini, quas Oblatas, seu tertii ordinis vocant, imitari decreuit: quam diligenter obseruãs orationis, sui abnegationis, aliisq; pietatis exercitiis, intenta ad eam perfectionem peruenit, vt cum Deo agens, altæ contemplationi dedita, sæpius à terra in aera eleuata, lumine immenso circumfusa visa fuerit. Tandem appropinquãte vitæ suæ fine, in firmitate correpta (in qua sæpius hæc verba repetebat: *O quam multum prodest ad quæuis à Deo impetranda, aduersa valetudo, miseria, & pauperies lata, his qui confidunt in Domino*) tertio Christum Dominum, cum multis Angelis, & aliis Sanctis sibi apparentem vidit: qui eam his verbis, *veni iam ô famula mea in regnum meum*, ad se inuitauit. Nec mora disparente visione, Episcop. Heidenico confessario suo accersito, primum sibi ab eo Passionem Dn. nostri Iesu Christi legi petiit, deinde viuificis Sacramẽtis communiri, quibus magna cum deuotione susceptis, omnibus astantibus valedicens, animam pũrã in manus creatoris sui commendans lætà migrauit ad Dominum. Anno Domini 1260. ætatis suæ 40. die 5. Maii. Corpus eius humeris Sacerdotum, qui plurimi licet non vocati, Dei nutu ad funus celebrandum conuenerunt, ad Eccl. Chelmzensem (quæ nunc Cathed. est, tunc Canonicorum Regularium erat) delatum, magno cum honore sepultum fuit, quo tempore plurimis infirmis, claudis, surdis, cæcis, & debilibus, qui benefactrici suæ, vltimum obsequium præstituri plangentes conuenerant, Deus Omnipotens, per merita famulæ suæ B. Iuttæ, sanitatem, gressum, visum, auditum, aliaque beneficia contulit, & in præsens opem eius implorantibus conferre solet, ad laudem nominis sui Sanctissimi, quod sit benedictum in sæcula, Amen. *Mart. Baron. ex script. rerum Polon. & monum. Eccles. Cathed. Chelmzens. vbi corpus requiescit.*

IESV CHRISTI

Annus 1261.

ALEXANDRI PAP. IV. Annus 7. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 2.

I. FLORENTIAM OCCVPANT MANFREDIANI.

PRimo vere appetente, Iordanes per vniuersam Italiam Generalis Gibellinorum ductor, Florentiam haud adeo difficili insultu, neque magna suorum clade occupauit: in quam Ciuitatem Gibellini, qui antea paulum profugerant reducti, Guelfos ad vnum omnes palabundos & extorres à patriis aris & focis procul egerunt: tum efferis ad bella conceptionibus delati, grauiq; inauspicatoq; Marte cum Lucensi exercitu manus acriter conseruerunt, agrisq; vasta populationum vi perditis, pleraq; arces per impetum occupauerunt: ac tandem Castris ad Montem Ilcinum traductis, con-

uocata

uocata cæterorum factionis suæ ope, id loci Senẽsibus subdiderunt. Porro expugnata Florentia, Abbatẽ Vallis vmbrosæ occiderunt, & cum reliquos Florentinos, tum Senẽses, tum plures alios Etruscorum in verba Manfredi iurare compulerunt. Præceperat interim Alexander Pontifex Octauiano tit. S. Mariæ in via lata Card. Legato, vt in vrbem reuersurus Florentiã se conferret, atque Florentinos in fide Apost. sedis cõtineret. Cæterum Gibellini Florentia potiti, tantũ abest vt Legato auscultarint, vt etiã illum apud Alex. Pont. multorum criminũ reum peregerint. Et sane in periculum vitæ & famæ Card. adduxissent, nisi Alexander explorato didicisset, meras calumnias impostura sq; esse, quæ Manfrediani odio Legati cõfinxissent. Itaq; datis ad Florẽtinos literis eos mendacii & calumniarũ diserte non minus quam libere redarguit, Prælatisq; Ecclesiarum, vt Florentinos cædis Abbatis auctores, complices, vel scientes, singulis diebus Dominicis & festiuis, pulsatis campanis & extinctis candelis, anathemate percellerẽt, potestatẽ fecit, deinde Capitaneum, Antianos & primores eorum ad subsellia sedis Apost. cibauit: & in Senenses atq; alios Manfredi fautores ditas Eccl. promulgauit: & ad extremum Pisanos quidem, ne Manfredo adhærerent hortatus est: Lucenses autẽ Guelfos vt tyranno totis viribus resisterent, neque persecutori quicquã cederent, datis literis animauit. Vario postmodum euentu inter se dimicarunt: cumque neutra pars satis suis viribus fideret, Guelfa quidem Conradinũ, Gibellina autem Richardũ recens Regẽ Rom. electum, in auxilium vocabat. Neq; difficile fuit vtriq; persuadere: nã vterq; Italiã & Imperiũ cogitabat. Itaq; Conradinus suis, & Richard. pariter suis, præsertim Petricciolo, Firmano, & Guillelmo de Petra Cuppa, Capitaneis Tuscorum Gibellinorũ, abunde omnia promisit: frustra Alexandro Põtifice conante, ne exterorum copiæ maiores in Italiam aduentarent. Interim eriam inter Venet. & Genuenses, totius Reip. Christianæ, & præsertim Italiæ damno, certamen erat. Inter quos vt Alex. Pont. pacem componeret, Viterb. se contulit.

Codex Vatican. pag. 81. & seq.

Sabellic. Platina. Ciacconius, & alii.

II. ALEXANDER QVARTVS MORITVR. LIBRVM GVILLELMI DE AMORE CONTRA MENDICANTES EXVSSIT. ORD. EREMITAR. IN VNVM CORPVS REDEGIT. ET REGVLAM D. AVG. PRÆFIGIT.

Quæ res cum diutius temere protraheretur, tandem illũ satis superq; animo anxium, & curis prægrauatũ, 8. Cal. Iun. confecit, anno Magistrat. septimo. Fuit Alexander quum ipse eruditus, tum eruditionis fautor, pietatis & Orthod. fidei custos acerrimus, in pauperes beneficus, in cultu diuino propagando studiosus. Testudineum opus quod Romæ ad D. Agnet. visitur, Alexandri est: locusq; eodem authore veræ pietati cessit, cum antea Liberi seu Bacchi fuisset. Librum Guill. de S. Amore contra sacros mẽdicantium Ord. in plena curia exussit eosdemq; sacræ paupertatis ordines ex vsu pietatęq; Christiani nominis habendos esse censuit: Ordinemq; Eremitarum in varias congregationes ante hæc dispersum, secundum quietem à D. Aug. apparente prænonitus, in vnum corpus vniuit, & D. Augustini regulam eis præscripsit.

Quatuor mensibus antequam excederet hunc, in modum in causa Fidei Inquisitoribus rescripsit.

III. DECRETVM IN CAVSA FIDEI AD INQVISITORES.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Fratribus Ord. Minorum Inquisitoribus hæreticæ pranitatis in prouincia Romana, & administratione B. Francisci à sede Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Consuluit nos discretio vestra, vtrum illos qui ratione criminis hæreseos, vel alia de causa excommunicationis sententia sunt ligati contra hæreticos, credentes, defensores, fautores vel receptatores eorum, ad testimonium perhibendum admittere, & stare dictis eorum seu illarum etiam debeatis, qui complices, participes, seu socios eiusdem criminis se fatentur. Quia igitur si idem excommunicati non admitterentur ad perhibendum testimonium contra tales, & dictis eorum ac sic fatentiũ non staretur, frequenter officium Inquisitionis vobis commissę, in dispendiũ fidei contingeret impediri quando præsertim vix aut nullo modo posset, nisi per sic fatentes super hoc veritas apparere: statuimus in fauorem fidei, vt in huiusmodi Inquisitionis negotio, dicti excommunicati, contra hæreticos, credentes, defensores, fautores, & receptatores eosdem ad testimonium admittantur, & stetur tam illorum dictis, quam eorum, qui vt prædictum est, socios eiusdem criminis se fatentur, ex verisimilibus coniecturis, quæ ex numero deponentiũ, vel personarũ tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur qualitate, ac aliis circumstantiis conici poterunt sic fatentes non falsa dicere præsumantur. Dat. Lateran. 10. Cal. Febr. Pont. nostri anno 7.

Alexandro fatis functo, Romanorum aliqui veteris dignitatis ambitiosi senatori sibi creandũ putarunt, primumque eo nomine, Brancaleonẽ Bononiensem magni consilii virũ salutarunt. Sed nõ multo post, mutato consilio, in vincula coniecerunt: & tandẽ, cum Bononienses aliquot Romanorum propterea in carceres conclusissent, eliberarunt, atq; Magistratum illi restituerunt; cũ interim Regionarios, seu Præfectos Regionum, quos Banderesios appellabant, instituissent, maximamq; vrbis administrandæ, & tum vitæ, tum necis potestatem illis fecissent. Itaq; per hanc Vrbicorum intemperiem, Cardinales Viterbii apud D. Laurentium Alexandro tumulato agentes, Ioannis Caietani Vrsini, maximæ existimationis Cardinalis hortatu, ad 4. Cal. Sept. Iac. Pantaleonem, Patriarcham Hierosolymitanum, casu tunc in Curia præsentem, communibus suffragiis summum Pontificẽ elegerunt, & Vrbani IV. nomine salutarũt.

IV. *Sabellic. Ennead. 9. lib. 6.* ROMANI SENATOREM MORE VETERI ELIGVNT.

Natus fuit Vrbanus in Tricassibus, humillimo loco, patre Sutore veteramentario. Sed cum indole animi præcelleret, liberalibusq; disciplinis operam dedisset, ac Iurisprudentiæ Theologicam quoq; scientiam addidisset, primum Tricassinus canonicus, deinde Laudunensis Archidiaconus, postea Verdunensis Episcopus, & Alexandri IV. in Pomerania, Prussia, Liuonia, vniuersaq; Germania Legatus, ac tandẽ Hierosolymorum Patriarcha, per omnes virtutum gradus ad summũ Pontificatũ Catholicæ Ecclesiæ euasit.

Ciacconius in Vrbano.

V. ELIGITVR VRBANVS IV. EX HVMILI LOCO.

VRBANI PAPAE IV. ANNVS I.

PRidie Nonas Septembris, Viterbii, in Ecclesia Prædicatorum solemni ritu inauguratus S. Ludouicum Regem Galliarum, Rhemensemque Archiepiscopum & Suffraganeos ipsius in primis, deinde reliquos Principes Christianos & Prælatos Ecclesiarum assumptionis suæ admonuit, orationesque omnium humiliter postulauit. Cum autem Ecclesia Hierosolymitana per suam assumptionem hactenus vacaret, Episcopum Agennensem titulo Patriarchæ Hierosolymitani ornauit, eidemque Ecclesiæ viduatæ præfecit, commissa ei tantisper cura Ecclesiæ Ptolemaidis, vt tantisper fructus beneficiorum illius perciperet, in quos vsus conuerteret, donec fructus Hierosolymitanos à Saracenis occupatos recuperaret. Animum deinde conuertit ad pacem Italiæ stabiliendam, resque Ecclesiæ Romanæ recuperandas. Omnis Hetruria tum Manfredo, aut subdita fuit, aut eius magistratuum voluntati, omnesque Herrusci Guelfarum notati partium, patria expulsi, Bononiam ad Florentinos exules confluxerunt. Eo enim seminudi vna cum vxoribus & liberis, plurimi illorum confugerant, paruulos filios in modum fugæ trahẽtes: cum nihil quod domi esset præter indumentum asportandi haberent potestatem, Etruria pene omni potitus Manfredus, Marchiam quoque Anconitanam dubia vtrique fide vacillantem suis partibus consentire coegit, moxque moliri cœpit, si qua posset Pontificem Vrbanum cæteris Ecclesiæ Prouinciis expellere. Cũ autem machinationes intentatę satis non succederent, vim apertam adhibuit. Saracenos enim ex Africa mercede conductos ex Sicilia accersitos aliis coniunxit Saracenis, Luceriam Friderici patris sui dono decretoque incolentibus. Hi cum Guidone Nouello, nihil excommunicationem morati, Furfinonem, vsque Campaniam, & totum D. Petri in Etruria patrimonium populati, cædibus & stupris omnia compleuerunt.

Blondus decad. 2. lib. 8.

VI. *ep. 1. Viterb. Nonis Sept.* VRBANVS DE ASSVMPTIONE SVA PRINCIPES CERTIFICAT.

His difficultatibus exceptus Pontifex Vrbanus, inprimis Iacobo Regi Aragonum, rapinas, cædes, libidinationes, cæteraque Manfredi scelera, tum deinde calamitates suas, Ecclesiæ, Italiæque, ac vastitatem Templorum, profanationes sacrorum, oppressionẽ libertatis, & reliquas belli ciuici iniurias significauit, rogauitque ne affinitate tam scelerato, totiesque diris deuoto, ac regno Siciliæ extrũ Manfredo iungeretur: quin potius ad iuuandam Eccl. Rom. pacandamque Italiam, auxilia submitteret. Misit etiam S. Clemẽtis Card. in Gallias, ad Ludou. Regem, vt contra tyrannum subsidia, præsertim Cruce signatorum impetraret, siue conscriberet, cum interim Roberto Comiti Attrebatensi, vt non obstante impedimento publicæ honestatis, Amiciam Petro olim filio Regis Nauarræ in quarto gradu consanguinitatis coniuncto collocatam, & nunc sibi in

epist. 36.

VII. *epist. 92. Viterb. 6. Cal. Maii.* IAC. ARAGONVM AB AFFINITATE MANFREDI DEHORTATVR.

matri-

matrimonium desponsam retineret, indulsisset; nonnullaque indulgentias Regi atque Reginæ Nauarreorum concessisset: vt ab iis quoque pariter opem aliquam obtineret.

ep. 26. Viterb. Nou. Decemb. & ep. 31 32. Viterb. 2. Cal. Ian.

Hocanno Bernh. Cantius Tolos. ex Ord. D. Dominici vir venerandus, & sacri verbi concionator insignis, hostisque acerrimus hæresis labe infectorũ, apud Agenum præcipua cum deuotione vita defunctus est. Ea qua decessit nocte, in Templo Præd. Lugduni fratri oranti apparuit, veste fulgenti amictus dicens: Heus frater in templum properemus. Qui eius dicto audiens, secutus est eum vsque ad ianuam Basilicæ, cui deauratæ nomen fuit. Cum autem sequeretur, audiuit ex eius ore illos versiculos magna vocis dulcedine recitari: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi.* Vidit postmodum eundem in alba candidissima & micantissima Sacerdotis, ad alta sustolli, & ex hac visione maximam consolationem persentiens, tandem post tertiam diem cognouit, ea ipsa hora Bernardum ad vitam meliorem emigrasse, qua eum in visione cœlũ conscendentem aspexerat. Viuens atq; vita functus multis miraculis radiauit.

VIII. *Leand. lib. 3.* OBITVS B. BERNARDI CANTII TOLOSANI PRÆDICAT.

IX. ITEM B. ROMEI LYVIANI, CATALANI.

Proximus Bernardo eiusdem instituti B. Romeus Lyuianus Catalanus magni zeli in conseruanda religiosa disciplina, & cultu D. Virg. propagando: erga quam tanto affectu ferebatur, vt singulis diebus mille salutationes Angelicas nodulis funiceis numeratas, in genua procumbens recitaret, & in familiaribus colloquiis, nullius fere alterius rei mentionem quam eiusdem faceret, & pro concionibus, quas frequentissime ad populum dicebat, semper aliquid de Incarnationis mysterio atq; laudibus Dei genitricis explicaret. In omnibus tribulationibus & angustiis, nullius opem tam feruenter, quam Reginæ cœlorum implorabat, illudque frequentissime in ore habebat, tunc cum afflictione aliqua premeretur: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Paulo antequam moreretur Romeus, aliquis religiosorum astantium audiuit Angelum apparentem Romeo decantare istum ipsum versiculum: *Cum dederit dilectis suis somnum: Ecce hæreditas Domini.* Vigesimoquarto anno à morte propter crebra miracula, quę ad eius monumentum patrabantur, refossum eius corpus, integerrimum & incorruptum repertum est, & ante altare B. Virginis reconditum, cum hac inscriptione:

Hac sunt in fossa, Fratris venerabilis ossa
Dicti Romei, qui fuit Arca Dei.
Hic Iesum, atque piam dilexit valde Mariam.

X. *Mariana lib. 23. c. 15.* BELLVM MAVRICVM IN HISPANIA RECRVDESCIT.

Per id temporis in Hispania Granatę Rex erat Mahomad Alhamar, Murciæ Hudiclis, quamuis in minuta multum Imperii maiestate, Alphonsi Castellæ Regis vterq; beneficiarius. Hi nostrorum amicitiæ pertæsi, & spe Africani auxilii, pro eo quod Iacob. Marrocii Regis nomen in magna gloria esse cœperat, rebellandi consilia inter se communicabant: paulo ante riuales hostesq; infensissimi, nunc fœderati. Acres inimicitiæ sæpe studio nocendi aliis, beneuolentia mutantur. Communes iniurias grauissima vectigalia, gentis calamitatem conquerebantur, ad supremas angustias & Hispaniæ angulum redactos, paulo ante formidabiles & beatos. Inania penes ipsos, & sine honore Regum nomina esse. Miserum atque intolerandum ab iis leges accipere, quibus antea dedissent. Non quieturos Christianos, donec religionis odio, ex Hisp. expulissent gẽs Mauricę reliquias. Oboleuisse nimirũ virtutis indolem cum qua maiores venerant: quando parta ab illis seruare, eorum posteri non potuissent. Merinorum familiam recens in Africa excitatã, videri commodum, eam in Hispaniam attrahere, rebus inclinatis, & perditis, aut in eo, aut nullibi fore præsidiũ. Hæc clam, & per nuncios: ne si res prodita esset, viribus nõdum firmatis in perniciem verteretur. Alphonsus, siue eius consilii & molitionis non ignarus, siue studio gentis Mauricæ extirpandæ, dies noctesque de bello Maurico instaurando agitabat. Species erat, vrbes & arces, quæ in Bœtica parere recusabant, ad Imperium adiungendi. In eam rem à Pontif. Max. Alexand. IV. paulo quam rebus humanis eximeretur, peccatorum condonatione inuitati sunt, quicunque cruce insigni desumpta ad id bellum proficiscerentur. Vicini Reges de ferenda ope appellati, ac nominatim ab Aragonio, cum quo maior necessitudo erat, per Legatos postulatum, suos vt concederet arma crucis militiæ sumere, & Alphonsi generi conatus iuuare. Ibi per simultates mutuas, & per altercationes quæ interceserant agendi oportunitate elapsa Mauri multa occuparunt, & Hispalenses subornarunt, vt ex insidiis, aut impetu in regiam facto Alphonsum obtruncarent. Eo conatu disturbato (diui indigetes Hispaniæ tantum nefas arcuêre) contractis alia parte copiis, multa Alphonso eripuerunt. In eo bello Garsias Gometius Cæsariana arcis Præfectus magnam virtutis & fidei laudem tulit, ptę fidiatiis omnib. militibus aut amissis aut vulneratis, arcẽ nihilominus dedere recusauit, neq; ad vllam conditionem, quamuis rebus desperatis deduci potuit, quemadmodum decebat virum eximium atq; præstantem, omnino Mauri tantam in hoste virtutem admirati, saluumque cupientes in exitium destinata voluntate ruentem, vnco ferreo attracto, atq; in potestatem redactum, curandis vulneribus magna diligentia atque humanitate conseruarunt.

XI.

Fere etiam per idem tempus, bellum exortum est inter Reges Abasiæ & Aden: quorum hic Episcopum in contumeliam religionis Christianæ, more Saracenorum violenter circumciderat, & alter vastando regionem Adenam egregie vindicarat.

XII. ORDO NOVVS MILITVM S. MARIÆ ET CONIVGATORVM ORITVR.

Hoc anno Octauianus Vbaldinus Bononiensis Episcopus, nouum ordinem militum S. Mariæ ab Vrbano IV. portatum in Burgo Auri reposuit. Leges quas aliqui viri diuitiis & nobilitate præstantes scripserant, hæ fuêre. Vt tunicam albam, & subcinericiam togam induti, Crucem purpuream in Campo albo duabus suprapositis stellis præferrent, vt viduarum ac pupillorum tutelam susciperent, vt pacem & concordiæ inter homines componendæ seruirent. Quoniam autem suis quisque in ædibus cum vxoribus & filiis vitam egerunt, propterea vulgo Fratres Gaudentes vocati sunt. *Carolus Sigonius de Episc. Bononiens. lib. 3.*

XIII. MORS B. BONFILII ORD. SERVORVM CONDITORIS VNIVS.

Eodẽ anno B. Bonfilius, primus ex septem Ordinis Seruorum conditoribus, non sine prodigiis, migrauit è vita. Nam post matutinas horas, quibus etiam infirma valetudine interesse consueuerat, vox Sanctum senem ad se cœlitus vocantis audita est, ad quam fratres accurrẽtes, exanimem illum, vultu splendorem proferentem, corporeque odorem suauem emittentem inuẽnere: moxque, dum illi iusta persoluere pararent, voces cœlestes canentium, *Subuenite Sancti Dei*, &c. exauditæ. *Ex Chron. Ord. Seruorum.*

IESV CHRISTI
Annus 1262.

VRBANI PAP. IV. Annus 1. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient 3.

I. *Iuuenat. in annalib.* IN BVLLA CÆNÆ DOM. REPETITVR EXCOMMVNICATIO MANFREDI, ET CRVCIS MILITIA IN IPSVM SCRIBITVR, A QVA EIVS MILES EVNDITVR.

VIterbii Vrbanus IV. agebat, cum Manfredus diris illius exagitatus, multo grauiora & auderet, & tentaret, & patraret, in contemptum clauium Ecclesiæ. Itaque ex more Ecclesiæ, ad diem 7. Aprilis quo Cœnæ Dominicæ memoria recolitur, eundem iurium, bonorumq; Romanæ Sedis inuasorem, pacisq; totius Italiæ violatorem omnisque humani ac diuini iuris contemptorem, anathemate damnatũ ex suggestu renũciauit, nisi bona erepta restitueret, damnorum atq; iniuriarum nomine satisfaceret: ac in pœnis subeundis, iudicio Romani pro tempore Pontificis sese permitteret, die q; designato adesset coram Pontifice, quo læsam maiestatẽ placaret, vel grauiorẽ sententiã pro demeritis exciperet. Demerebatur enim grauissimam censuram, tum quod Epicuri more, vitam in libidinibus promiscuis traduceret, gregibus pellicũ & exoletorum quocunque iret, ac vbicunque locorum siue in Apulia, siue in Sicilia versaretur, circumeinctus; tum quod nihil intactũ reliquisset, & inposterum relinqueret Eccl. & his qui partium Rom. Pont. essent, exercitibus Saracenorũ, & Theutonũ, & Gibellinorũ in omnes partes Italiæ & Siciliæ dimissis, à quib. cũ nec ipse Vrbanus se esse tutũ existimaret, Crucis piam militiam per vniuersam Italiã proposita spe remissionis peccatorum cõtra Manfredum, & reliquos eius in Lombardia administros promulgauit, ac præter spirituale gladium, etiam ferro decernendum seu vtendũ sibi esse putauit. Rogerius Comes Sanseuerinas primus fuit, qui Pont. & Eccles. tuendæ curam suscepta, milites signatos scripsit, quos in Samnio & Campania G. bellinis seu Manfredianis opposuit. Nam hi exemplo

plo Neapolit. claues Eccl. conculcabant, & insolentia perpetrabant, cum accepissent, Neapolitanos per id temporis vna cũ Manfredo excõmunicationis mucrone percussos, & à sacrorum vsu interdictos, nec quicquã curare: quamquã Archiep. & interdictum Eccl. obseruaret, & neminem sacris siue operari, siue interesse pateretur. Cum autẽ tantum auctoritate illum apud Clerum posse videret, Manfredus 300. Saracenorũ Neapolim submisit, qui Sacerdotes ad sacra obda, Ecclesiasq; reserandas compellerẽt, quos tamen Neapolitani, siue ab Archiep. interim persuasi, siue petulantiã Mauricam perosi, siue à Numine perculsi intromittere recusarunt: sed Manfredũ inuitarunt, vt Summę potestati collum submitteret, pacemq; cum Eccl. iniret. Contempsit ille Diuũm contemptor, iustamq; belli contra Pont. suscepti causam se habere asseuerauit; quasi illũ Pontifex regno hæreditario conaretur exuere. Quamobrem consilio suorum coacto, nouas copias cõparauit, maxime quod audiret ingentem numerum Crucesignatorũ tum in Italia conscriptum à Pont. fuisse, tum ex Gallia in auxiliũ Vrbani properare. Magna tunc aliquorum Procerum virtus in exercitũ Manfredi enituit. Statim enim atque intellexerunt Rom. plurimos à Pontifice defecisse, Senatorem q; hominem externum vrbi contra Pont. impositum esse, ac Manfredũ ab illis præfractæ temeritatis hominibus contra eundẽ euocare velle ire, in tentorium Comitis Formiarũ congregati, diserte atq; libere Manfredo renunciarunt: se neq; velle neq; posse, cum Iesu Christi vicario, totius orbis Pontifice, depugnare. Interim opportune aduenerũt ex Galliis copiæ Crucesignator. à Ludou. Rege submissæ, & à Legato Pont. qui in Gallias missus fuerat conscriptæ. Præerat illis Guido Antisiodorensis Episcop. Robert. Comitis Flandrię filius, & Richardus Vindocinensis. Hi primum in agro Brixiano, deinde apud Aronam Castellorum Comitũ oppidum, Pelauicini atq; Teutonicor. copias leui cõmisso prælio, neq; sine miraculo fregerũt atq; dissipauerunt. Perceuallus Auria, Præfectus exercitus Gibellini, multa tum cõtra Deum & Christũ eius blasphemabat, neq; tantũ patrimonio B. Petri Pont. exuere, verũ etiã tota Italia exigere minabatur: cũ in transitu cuiusdã alueoli Castri Pollini Marchionũ Castri fortis permodica aqua tũ fluentis, & à pedite exilis staturæ, nullo negotio vadabilis, vt erat cataphractus, demersus, nusquã comparuit: tantumque terrorem vniuersis incussit, vt multi eorũ fuga sibi consuluerint, plurimi in manus Pont. deuenerint. Alter exercitus Pelauicini maior, se præsente ad Ollium amnem oppositus nonnihil moratus est Crucesignatos, quod ad amnis vada obicibus communita fuerit depugnandũ, destitit tamen incepto Pelauicinus, Mantuanos à tergo instare veritus, quos non dubitabat pro exercitu suppetias allaturos. Progressi Mantuã, & inde per Bononiã, Romandiolamq; Crucesignati Perus. peruenẽre, quos ad benedict. ad se Põtifex conuocatos, à Viterb. per Sabinos, Martiosq; in Campaniam deduci curauit. In Campaniã perducti, paruo negotio Saracenos, nullo penitus effuso sanguine, expulerunt, neq; ad præliũ excitare potuerũt, quod illi fuga sibi consulentes, intra Litis fluuii, seu Gariliani claustra ac munitiones se se continerẽt: fuisserq; magno & diuturno bello opus, tantis fretũ viribus Manfr. regni claustris munitissimis deturbare. A quo cum sibi non parum metueret Vrban. vrbẽ vet. nobilissimã Tusciæ vrbem accessit, loci aspectu & munitione delectatus, in eaq; diutius vna cum Cardinalibus consilia conferens, tandem ad 3. Id. Nou. huius an. nonnihil inclinauit, vt Manfr. toties ad Curiã Rom. citatum, totidem datis ad eum literis, concessoq; quem appellant, saluo cõductu, inuitaret: sed tamen numerũ comitatus ei præscripsit: scil. vt ex octingẽtis quos secũ adduceret, nonnisi centum armatos, reliquos autem subuectionibus & reliquis officiis destinatos, neque plures omnino haberet.

Blondus & Ciaccomin.

II. VRBANVS RENVIT DIADEMA IMPERII CONFERREAL-PHONSO REGI CASTELLÆ.

Eodem an. Vrban. Papa, Rodericũ Alphonsi Regis Castellæ & Legionis, in Regẽ Rom. electi, Oratorem audiuit. Postulabat ille Alphonso, diẽ ad suscipiendũ diadema Imperii, à sede Apost. designari. Cæterum Pontifex excusauit, nec quicquã se in præiudicium iuris Richardi pariter electi, posse cõcedere, rescripsit. Præsertim cũ & Richardus idem deposceret, & vterq; iudicium sedis Apostol. in hoc casu refugeret. Cæterum quod sciret Corradinum Friderici olim Imp. nepotẽ, Ducẽ Sueuiæ, in discordia tum competitorũ,

Platina.

epist. 13. apud Vrban. veterem 3. Id. Nouem.

ep. 91. Viterb. 15. Cal. Maii.

ep. 102. Viterb. 3. Non. Iunii.

III. CONSTITVTIO VRBANI QVARTI IN HÆRETICOS.

tum electorum Principum, Imperio inhiare, potissimumq; in opera Premislai Ottocari Boemor. Regis confidere; ideo eidem Regi Boemiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliisq; pœnis & censuris Ecclesiast. præcepit, ne vllo vnquam tempore, vel nominaret, vel eligeret, aut nominari & eligi toleraret Coradinum in Regem Rom. tum quod Friderici nepos esset, tum ne iuribus electorum Richardi & Alphonsi vim inferret.

Quia vero à Corradini & Manfredi partiariis, præcipue in Lombardia hæresim siue dispergi, siue foueri non ignoraret, ideo eam quæ sequitur constitutionem contra hæreticos sanxit, digna quæ legatur. Ita habet.

Vrbanus Episc. seruus seruor. Dei, dilectis filiis Fratribus Ord. Præd. Inquisitorib. hæreticæ prauitatis in Lombardia & Marchia Ianuen. deputatis auctoritate Apostol. & imposterum deputandis salutem & Apostolicam benedict.

Licet ex omnibus mundi partibus quæ Christiana religione censentur, teneamur ex officii nostri debito extirpare letiferam pestem hæreticæ prauitatis, in Italia tamẽ imminet nobis hæc solicitudo propensius, vbi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum fidei Cathol. peruersa gemina germinauit, 'ex vicinitate persistimus abundantius succreuisse. Vt igitur Inquisitionis officium contra hæreticos in Prouincia Lomb., videl. à Bononia & Ferraria inclusiue, vsq; ad vltimos fines superiorum partium eiusdem Prouincię, ac Marchiæ Ianuens. auctoritate Apost. possit efficacius adimpleri, discretioni vestræ per Apost. scripta mandamus, in remissionẽ vobis peccaminum iniungentes, quatenus in charitate Dei, hominum timore postposito, virtute spiritus induentes ex alto, præd. officium vbiq; infra præfatos limites, simul vel separatim, aut singulariter prout negotii vtilitas suadebit, sub spe mercedis eternæ, sic efficaciter prosequi & exequi studeatis, vt per sollicitudinis vestræ prudentiam de prad. Lombardia & Marchia radix iniquitatis hæretica succidatur: & vinea Domini exterminatis vulpeculis, quæ peruersis moribus demoliuntur eandem, fructus afferat Cathol. puritatis. Si quos autem de prauitate prad. culpabiles inueneritis vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos (nisi examinati absolute velint mandatis Eccl. obedire) nec non & contra receptatores, defensores & fautores eorũ, iuxta sanctiones canonicas auctoritate Apost. hominum metu, diuino timore postposito procedatis. Non obstantibus aliquibus literis, ad quoscunque alios, de Lomb. & Marchia prædictis (exceptis locorũ diœcesanis) super huiusmodi negotio ab Apost. sede directis: quarũ deinceps ad Inquisitiones huiusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi: quinimo ne procedatur per illas districtius inhibemus. Nec prætextu commissionis specialiter eisdẽ diœcesanis super hoc facta, vestros processus in eorundẽ diœcesanorum ciuitatibus, & diœcesibus volumus impediri, nec per hoc quod fidei negotium generaliter, in ipsis Lombardia & Marchia vobis committimus, commissiones à præfata sede diœcesanis eisdem factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint authoritate procedere, intendimus reuocare. Verumtamen siue authoritate ordinaria, siue ex delegatione prædictæ sedis iidem diœcesani in huiusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per concursum processuũ, vel alias quoslibet vestros impediri processus: quin diœcesanorũ ipsorum processibus non obstantibus, in eodẽ negotio procedere libere valeatis. Si vero aliqui ex prædictis, hæretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad Eccl. vnitatem, eis iuxta formã Eccl. absolutionis beneficiũ impendatis, & iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consueuit: prouiso solerter, ne simulata cõuersione redeant fraudulenter, & vos, imo potius se ipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum. Quod si aliqui iudicandi fuerint hæretici, vel incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro huiusmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de diœcesanorum vel viciariorum suorum, si ipsis diœcesanis absentibus præsentes fuerint, consilio procedatur: vt in tantæ animaduersionis iudicio, non postponenda Pont. auctoritas intereedat. Verum quia in tam graui crimine, cum multa cautela oportet procedi, vt in reos, sine vllo proferatur errore, dura ac digna seueritas vltionis, volumus & mandamus, vt vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione testiũ, quos recipi super crimine prædicto, ipsumq; contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religiosas & discretas personas, in quarũ præsentia, per publicam, si commode poterit haberi, personam aut per duos viros idoneos fideliter eorundẽ depositiones testiũ conscribantur. Ad conscribendas quoq; huiusmodi depositiones testiũ, & ad faciendum omnia, quæ in commisso vobis officio, ad Scriniarii seu Tabellionis officium pertinent, teneri districte præcipimus, cũ per vos, seu deputatos ad hoc vobis, requisiti fuerint, omnes & singulos vestri Ord. fratres, qui dum essent in sæculo huiusmodi tabellionatus officium habuisse, & exercuisse noscuntur: & illos etiam, quibus idem tabellionatus officium, ratione præfati negotii fidei, fuit à ducta sede commissum,

& in posterum committetur. Concedentes huiusmodi fratribus, nec nō & aliis religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in sæculo dictum tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt: quibuscumq; etiam Clericis sæcularibus officiū ipsum habentibus, etiam si iidē Fratres religiosi, & clerici sint in sacris ordinibus constituti, exercendi libere officium quoad præmissa: non obstante aliquo contrario statuto canonis vel ordinis quocunq; vallato munimine, plenariā facultatem. Quod si testibus, quos à vobis recipi, vel ab alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorumdem videritis periculum imminere, ipsorū nomina non publicæ, sed secrete, coram aliquibus personis prouidis & honestis, religiosis & aliis adhoc vocatis, de quorū consilio ad sententiam, vel condemnationē procedi volumus, exprimatur: & sic non obstante, quod illis, contra quos huiusmodi testes depositi fuerint, eorū nomina non fuerint publicata, ad cognitionem Iudicis instruendū, adhibeatur plena fides testiū depositionis eorundem. Vt ergo commissi vobis officii debitū, vtilius & liberius exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cā de huiusmodi crimine, ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendū, & denunciationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, accersendi quoque prout expedierit peritos quoslibet, vt vobis in ferendis huiusmodi sententiis præbeant consilii opportunum, as vobis assistant. Conuocandi etiam clerum & populum Ciuitatum, castrorum, aliorumq; locorum, prout dicto negotio fidei videritis expedire. Insuper in dicto negotio, de plano, & absq; iudiciorum, & aduocatorū strepitu, ac contra illos quos in prædictis Lombardia & Marchia Ianuen. in hæreticos crimine commisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint procedendi, nec non faciendi obseruari inuiolabiliter omnes Constitutiones Apostolicas, & Leges Imperiales per quondā Frid. olim Rom. Imp. tunc in deuotione Rom. Eccl. persistentem Paduæ promulgatas aduersus huiusmodi pestem hæretica pranitatis, nec non elargiendi 20. vel 40. dierum indulgentiam, quotiens opportunū videritis, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad vestram conuocationem propter hoc faciendam, accesserint, plena sit vobis & singulis vestrum præsentiū tenore facultas. Vobis autē pro huiusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum veniam indulgemus, quæ succurrentibus terræ sanctæ, in Generali Concilio est concessa: Sociis vero vestri ordinis, & notariis vestris, qui vna vobiscū in persecutione huiusmodi negotii laborabūt, & omnibus qui personaliter vobis astiterint in eodem negotio, & qui ad impugnandū hæreticos fautores, & defensores eorū, vobis ex animo præstiterint consilium, auxiliū vel fauorē, de Omnipot. Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apost. eius auctoritate confisi 3. annos de iniunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Et si qui ex his in persecutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendi præterea monitione præmissa, per censurā Eccl. appellatione postposita: prædicatores quæstuarios a prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet: quorū interest tantū charitatiua subsidia simpliciter petere, ac indulgentia si quā forte habent, exponere, liberā vobis & singulis vestrum concedimus auctoritate præsentiū facultatē. Cæterum si forte, quod non credimus, aliqui cuiuscunq; conditionis, huic negotio vobis cōmisso se opponere, seu illud præsumpserint aliquatenus impedire, vt non possit procedi libere in eodē: imo nisi requisiti illud fouerint, & iuxta officiū & posse suū singuli iuuerint studiose, contra eos, tanquā contra hæreticorū fautores & defensores, secundū sanctiones Canonicas, freti eadē autoritate, intrepide procedatis. Nos. n. nihilominus ad reprimendam tā superbam, & perniciosam audaciam, & omnimode confundend. in illos gladiū Eccl. potestatis acriter exeremus: & Reges, & Principes, aliosq; Christi fideles, siue pro terræ S. succursu, siue alias pro Christi seruitio Crucis charactere insignitos, nec non & ceteros Cath. prout expedire viderimus inuocabimus contra eos: vt cœlum & terra aduersus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moueantur. Deniq; vt circa præmissa, plene vobis & singulis vestrū coertionis expeditæ, & inuiolabilis adsit auctoritas, volumus, vt ea omnia viriliter exequamini, inuocato si opus fuerit auxilio brachii secularis: contradictores per censur. Eccl. appellatione postposita compescendo. Non obstantibus aliquibus priuilegiis, vel indulgentiis, quibuscunq; personis, cuiusuis conditionis, dignitatis vel gradus, religionis vel ordinis, & præsertim Cistercien. Prædic. Minor. seu Eremitarum: siue communitatibus vel vniuersitatibus Ciuitatum & locorum, specialiter vel generaliter, sub quacunq; verborū expressione vel forma, à memorata sede concessis, vel inposterum concedendis: etiam si dicatur in illis, quod eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes priuilegiorum, & indulgent. ipsorum nequeat derogari: & illis maxime priuilegiis vel indulgentiis, quibus ab ipsa sede concessum est aliquibus seu concederetur deinceps, quod excommunicari, vel ipsorum terra supponi non possint Eccles. interdicto: aut quod Prædic. vel aliorum quorumlibet Ordinum fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, siue denunciationes sententiarum, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate literarum Apostol. minime cogi possint, nisi de ipsorum ordinibus vel priuilegiis, vel indulgentiis, eis super hoc à sede concessis, eadem habeatur in eisdem literis mentio specialis, cum ex huiusmodi, vel aliis priuilegiis, nullum vobis in tantæ pietatis negotio velimus obstaculum interponi: & constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Datæ Viterbii 13. Calen. April. Pontificatus anno 1. Hæc in causa Fidei Inquisitoribus Italiæ.

IV. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI VRBANI IV.

Porro eiusdem ordinis Inquisitoribus Aragoniæ indulsit, ne à quoquam communicati, interdici, aut suspendi: à prioribus autem suis, à quacunq; censura Ecclesiastica absolui possint. Iisdem etiam in multis dubiis, præsertim de his qui morientes hæreticorum consolantur, consuluit ac rescripsit: datis lit. apud Montem Flasconem. 2. Non. Aug. & 12. Cal. Septemb. Pontif. an. 1.

Eodem anno Vrbanus Pontif. 1. Ebredunens. & Narbonens. Archiep. in collegium Card. S. R. E. allegit, & alterum quidē Sabinens. alterū Ostiens. Episcopum creauit, eaq; de re S. Ludou. Galliar. Regi ne molestè acciperet perscripsit. 2. Eidē Lodou. electionem Latinorū ab Imperio Orientali significauit, adq; subueniendū. præsertim pia aliqua contributione elargita his qui remanserant, hortatus est. 3. Crucis piā militiā, contra Græcos schismaticos, ex formula cōsueta induxit. 4. Regē Noruegiæ, ac eius filiū Archiep. Nidrosiensem ac Borgēs. Episcopos Asloensem, Orcadens. & Stauangrens. vt Christianorū prouinciis quibus Tattarorū exercitus imminebāt, succurreret seuerius admonit. 5. Regi Nauarræo, vt pecuniā in subsidiū terræ sanctæ impositam, exigere curaret, mādauit. 6. Formulā viuendi Fratribus militiæ Ordinis B. Mariæ virginis præscripsit. 7. Ianuensibus, ne Palæologo Imp. contra Venetos auxilia ferrent, fœuere præcepit. 8. Episcopo Basileensi, coadiutorem destinauit. 9. Canonicis Patauinis, ne non presbyteros ad suffragia ferenda admitterēt, ordinauit. 10. Rectoribus Romanæ Fraternitatis, Priori Præd. Guardiano Minor. & Fratr. Eremitarum in vrbe, vt pro exequendo Petri Capocii, tituli S. Georgii, ad velū aureum, Cardinalis testamento, proq; hospitali domo S. Antonii apud S. Mariæ maioris Basilicā extruenda, quatuor personas ex seipsis deligerēt indixit: aliaque plurima egit, inter quæ Vidonē Ægidiensem Cardinalem, Episcopum Sabinum Legatū in Angliam ad bellum id domesticum dirimendum mittere decreuit. Cum enim Rex Henricus, leges (quarum superius mentio habita est) quasdam, in quas & ipse iurauerat, & Proceres iureiurando adegerat, abrogare cōtendisset, arma suorū in se conciuit. Duce Simone Mōtefortio, aliquot nobiles vrbes ab eo defecēre. Prælio etiam commisso, Regis filius Eduardus, & frater Richardus Romanorum Rex electus, captifuēre. Sunt qui asserant, & Regem quoque ipsum Henricum interceptum fuisse, & ex carceribus aufugisse: Cardinalem quoque Legatum idem periculum subiuisse, sed tandem paulo post liberatum esse. Sed hæc posterius.

† Eodem anno Vrbanus Pontifex Richardum Cicestrensem Episcopum sanctorum albo inscripsit, istudque diploma adiunctum in eam rem vulgauit.

VRBANVS PAPA QVARTVS ARCHIEPISCOPIS, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Edita A. D. 1262.

EXultet Angelica turba cœlorum, exultent diuina mysteria, summi namq; Regis victoria, & salutaris suæ passionis effectus in humanis relucent generis creatura. Exultent in Gloria sancti, & in suis lætētur cubilibus de nouo cœli conciue, qui habitator dudum domus luteæ terrenum fundamentum habentis, post carnem cum vitiis, Mundum cum deliciis superatos, post habitum de hoste antiquo triumphum, corporis ergastulo resoluto. factus compatriota cœlestium, cœlesti quiescit in patria, sydereas incolit mansiones. Exultet Mater Ecclesia nouæ prolis fœcunditate iucunda, cuius meritis fidem catholicam supra firmam petram stabili firmitate firmatam, claris inspicit clarere prodigiis, & signis insignibus insigniri, quibus fallaces hæreticorū confutantur fallaciæ, Iudeorum confunditur obstinata proteruia, inexcusabilis ignorantia paganorum omni prorsus excusationis velamento frangitur.

Anglia prorumpat in iubilum & celebri memoria se virum produxisse meditetur angelicum, consortem gloriæ Angelorum. Exultet & gaudeat Cicestren. Ecclesia quæ tantum meruit habere Pastorem, qui eam vitus salutaribus instituit monitis, laudabilibus instruxit exemplis, moriens fauone munit apud homines, inter cessionibus protegit apud Deum. Gaudens igitur & exultans cum iucunditate, commemoret se illum in terris habuisse patronum, cuius in cœlo patrocinio communitur. Plaudant & iubilent profusis cuncti Christicolæ gaudiis dum passiones huius sæculi, ad æternam considerant gloriam profecisse: vt temporalibus pœnis affecti, æternis gaudiis potiantur, dum mundi mundanorumque contemptum, ad æternæ hæreditatis participium connalescere intuentur, vt terrena spernētes, superna participēt & fiant Christi Domini coheredes. Plaudant ita q; manibus, exultationis voce iubilent, plausus exultet operum, iubilet vox psalmorum, piis plaudant manus operibus, orationū deuota tripudia voces sonent, resonent cymbala bene sonantia, labia cor di concinna. Concors concrepet harmonia, cor amet, lingua clamet, manus operetur instanter. Læti diem agant lætitiæ, plebs & clerus ex immensitate gratiæ, mensuram laudis & lætitiæ metiantur. Laudent igitur Dominum secundum multitudinem infinitæ suæ magnitudinis sine fine.

Laudent eum in venerandæ memoriæ B. Richardo quondam Episcopo Cicestren. mirabilem, quē ipse sua immensa bonitate, virtutum operatione mirificans, & gratia sanitatū, sic immensis illustrauit miraculis, quod in diuersitate graduum sui status in gratia & gloria gradatim ascendit. In subiectionis namq; statu quasi stella matutina promicuit in medio nebulæ, dum in ipsa tutenilis ætatis ignorantia, innocentiæ firmato vestigio imitando vixit exemplo. In prælationis gradu quasi luna in diebus suis plena resplenduit, potius de virtutum crescentium meritis incrementa suscipiens, quam de auctæ gloria dignitatis. Post fœlicem vero transitum de hac vita quasi sol refulgens, sic ipse in templo Dei refulsit, dum signis euidentibus quasi radiantibus solis radiis coruscauit, fœlix principium fœliciori continuatum medio fœlicissimo meruit fine concludi, cuius vitæ talis exitus debebatur. Sic dedit ei largitor bonorum omnium præsentis curricula vitæ decurrere, vt mundo moriens ipsi Deo fœlicius viuere mereretur. Cuius vitam, per quam veræ vitis palmes effectus, viuit æterna plantatus in vita. Cuius processum, per quem sibi ad cœleste palatium misericordiarum Pater paruit accessum, cuius miranda miracula, quibus miraculose per ipsius merita dominantium Dominus suam mirificauit Ecclesiam, ad suæ laudis præconium, ad instruendū nouis propugnaculis Christianæ religionis ædificium, ad præsentiū & futurorum instructionem & gaudiū, grato cōpendio gratia diuina fauente sermoni cōpendiosus sermo perstringet.

Hic nempe à primæua iuuentutis suæ primitiis Ducis illius ducatu deductus, illius Regis rectus & directus regimine in cuius cellaria ipsum sequens, ipsi obsequens semper optauit anxius & tandem obtinuit, vt credimus firmiter gloriosius introduci. Vacans studiose virtutibus, virtutum Domino votiue reddidit vota sua omnia quæ iuuenilis ætas perniciose solet amplecti, velut in annosa iam constitutus ætate, discreta maturitate deuitans. Continentiæ studuit, adolescentiæ ac iuuentutis vias incertas, adeo impolluto nixus calle transiit, quod famam suam ab omni contagii carnalis infamia seruauit illæsam.

Quin etiam à fratre primogenito per gratiosequii eius inducto gratiam, non seducto per alicuius callidicatis astutiam, cum oblatione cedendi patrimonii quod secundū morem patriæ idem frater totaliter obtinebat inuitatus ad coniugale cuiusdam nobilis puellæ consortium Mundi huius corde mundo immundis declinatis illecebris vt in sortem Domini cederet, cessit huiusmodi cessioni. Et animam suam firmo proposito cœlesti sponso desponsans sponsæ terrenæ sponsaliæ sponte spreuit, ad castitatis aspirans priuilegium, non execrans carnalis matrimonii sacramentū. O negotiatio prouida! O vtilis & ingeniosa mercatio! terrena pro cœlestibus cōmutauit transitoria pro mansuris, temporalia pro æternis. Cōtempsit temporale patrimonium, vt particeps fieret hæreditatis æternæ. Carnalis coniugii voluptates appetentibus anxias satietatis pœnitudine plenas, abhorruit, vt immaculati thori delicias, desideriantibus suaues & placidas, fruentibus gratas & auidas, obtineret.

Et vt eo plenius in incepta negotiatione proficeret, quo vberius scientia & virtutibus impleretur, impendit studio sollicitas operas, virtutibus se virtuose deuouit, & quia vas nouum, animum scilicet peccatorum maculis non infectum, vero attulit Elyseo, ipse Sapientiæ sol misit in illud, ipsum q; virtutib. ac fama nitentis oleo adeo fœcundauit, quod proficiens præcoætaneis suis, in literarum scientia, in tantum virtutibus profecit & fama, quod inter cæteros, imo cū cæteris, B. Emundus tunc Cantuarien. Archiepiscopus, currens in scientiæ suæ præconio, & laudabilis conuersationis odore, ipsum in participem singularis familiaritatis. & ad officium Cancellariæ Cantuarien. assumpsit. Eamq; datam illi à Domino gratiam pleniorem exolueret familiaris experientia, quam vulgaris fama promiserat, circa totius Archiepiscopatus administrationem ipsius ministerio viebatur. Ipsum suam dexteram reputabat fidum sui pectus consilii, fidelem ministrum iustitiæ, ac eruditam linguam fructuosæ doctrinæ. In his autem, & aliis inferioribus administrationibus suæ curæ commissis, Vir Dei diuina ipsum prosequente gratia, taliter ministrauit, quod in veracitate sermonis, censura iustitiæ, mansuetudinis lenitate, humilitatis cultu, omnib. se amabilem exhibuit, omnibus vtilem, pauperes auxilio, diuites consilio refouēdo. In iis quasi stella matutina resplendens, suis crescentib. meritis in plenæ lunæ claritatem excreuit. Licet enim soleant interdum virtutes tepescere & otio cedere, desideratæ dignitatis culmine accedente, dū studeant aliqui viuere quietius, & persistant in optatæ & obtentæ dignitate diutius, in isto tamen, cum aliorum gradus incremento creuerunt.

Ipse namq; vocatus ad regimen Ecclesiæ Cicestren. factus est solito longe magis vigil ad curā, non segnis ad opus, suauis ad mores. Ex tunc ei fuit pauperū cura maior, habitus abiectior, gestus & æstatus humilior, ex tunc ipse in persecutionum perpessione fortior, in libertatis ecclesiasticæ defensione constantior, in iustitiæ censura inflexibilior, in oratione feruentior, in eleemosynarum largitione profusior, in proprii corporis castigatione rigidior, districtior in obseruantia disciplinæ, in carnis & spiritus luctæ prudentior. Horum collectatione frequenter in ipsa luctatus, prudenter attendit, studuit lucrari prudenter, carnem coegit seruire spiritui, abiecit ancillam & filium eius, carnem & carnis incentiua prosternēs vigiliis, quas spreto cubili per nigil. obseruabat, refocillauit. Spiritum pauit iciuniis, multa orationum assiduitate nutriuit. O virum industrium! ô circumspecti athletæ prudentiam! carni arma debilitationis imposuit, vt armis fortitudinis spiritus armaretur. Illi dedit arma terrestria, vt spiritus arma cœlestia commodius tolleraret. Vt enim carnis caries caute careret effectu, vere Mardochæus effectus, ipsius & nomen, & omen assumpsit, dum nominis interpretationem impleuit, impudentū carnis factus amara contritio, & ipsam amare conterens impudentem. Posuit enim vestimentum eius cilicium, & ipsius stimulos corrigia ligneis & ferreis pungente stimulis, se nudū cōprimendo repessit, loricam q; superinduens, armæ macerationis adiecit. O pugnantis cauta sagacitas, sagaxque cautela! ô dolus bonus in hostem! sic amauit aduersarium, vt armis debilitaret armatum, cum debilitato seuere conflgeret, in conflictu quietius vinceret, de armato virtuosius obtineret. Hæc miranda, hæc laudanda belli victoria, non in exercitus multitudine, sed de cœlo veniens fortitudo. Hoc opus illius, in cuius conspectu nō est differentia in multis liberare vel paucis. Hoc opus illius, qui docuit lucernam accensam nō poni sub modio, sed candelabro superponi. Hoc illius opus, qui quod verbo docuit, opere in B. Richardo compleuit. Ipse enim pater luminū, qui edidit per tenebras mundi huius in suo lumine ambulare, in ipso meritorum lucernam accendit, ipse illam candelabro mirabiliū operum superimposuit vt præclara merita, quasi luna resplendens, tandem per miraculorum euidentiam, in solis fulgorem proficeret, & quasi sol in templo christianæ fidei refulgeret, nec laterent in abditis tantæ operæ claritatis, quæ idem summus opifex per eum non solum cum ipso regnante, sed etiam adhuc, licet præter carnem tamen in carne viuentem, dignatus est mirabiliter operari, patientibus ad beneficium; videntibus, & audientibus, ad mirandum imitationis exemplum, & proficiendi doctrinam. Quorum de multis aliqua onerosæ multitudinis vitanda gratia, breuis series reserabit.

Quodam siquidem edulitatis tempore ad eiusdem Beati Viri eleemosynam inopinatæ concurrente inopum copia, panem, qui ad nonaginta refectionem pauperum distributione solita extimatus, occurrentis multitudinis vix parti minimæ concurrebat in numero cuius panis qui de cœlo descēdit ad ipsius benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter extimationem astantium, refectis abunde fere tribus millibus pauperum consuetas recipientium portiones de supernæ abundantia pietatis super abundauerunt partes, quæ secundum eandem distributionem, centum adhuc pauperes refecissent.

Hic resolutionis sui corporis tempore propinquante, per plures dies ante, horam mortis certam, licet ipse nihil incertius, facti subsecuta veritate dictum certificante prædixit.

Post cuius transitum, corpus ipsius antea grauatum vigiliis, terræ duritia, in qua frequenter solebat decubare confractum, iesuniis maceratum, macerationibus multis afflictum, præter humanum morem, nitidissimum apparuit, vt probaretur pressuris talibus non oppressum, sed potius expolitum.

Ad ipsius inuocationem, cōtractus, cuius membra naturaliter gressui ministrantia, ita totaliter plurium annorum paralysis inueterata contraxerat, vt eisdē membris, huius ministerio inepti redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas, ille cuius mira sunt opera, subito membris ipsis in solidā virtutē erectis in liberi gressus libertatē erexit.

Antiquatas fistulas plurium ossium extractione concauas, & sine

ſpe ſanitatis ſtillantes ſaniem, eiuſdem ſancti meritis vlceribus etiam repente ſanatis, diuinæ pietatis affluentia deſiccauit.

Tres mortuos, quorũ vnũ currentis currus per medium rota cõpreſſerat, reliquos vero febris extinxerat, ille qui mortẽ moriendo deſtruxit, precibus ſub eiuſdẽ porrecti is nomine inclinatus ſuſcitauit ad vitã.

Et quod non eſt prætereundum ſilentio, ſed ſolenni vulgãdum gaudio, in humanum corpuſculum eueſtigio inhumandum, vtpote de corpore matris natum examine de vtero transferẽdum ad tumulum, eius inuocato nomine, animam viuentem, animarum creator infundit.

Sanctis & aliis miris operib. ſancti huius aſtruentibus in ſanctitatem, Chriſtianæ fidei veritatẽ miraculorum lingua loquente, concurrit vndiq; populus, creuit deuotio, laudatur Dominus de ſaluti feris gratiis, ſalutis auctori gratiarum referuntur. Inualuit ſuper his fama communis, & celebris in auribus fel. rec. Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, de Anglorum tabernaculis vox exultationis & ſalutis intonuit. Ad ipſum chariſſimum in Chriſto filii noſtri N. Regis Illuſtris, Prælatorum & aliorum magnatum Angliæ, ſupplicationis humilis inſtans clamor aſcendit prædeceſſoris ipſius auctoritate inquiſitionem fieri ſuper prædictis obtinuit nos & fratres noſtros, per Prælatos Religioſos, Comites, Barones & alios fide dignos in inquiſitione ipſa probata veritas, & auctoritate noſtra, primo per Ven. fratrem noſtrum N. Epiſcopũ Tuſcul. ac demũ per nos & eoſdem fratres diligenti examinatione diſcuſſa, de ſancti eiuſdem vita mirabili, miraculis & meritis glorioſis inſtruxit.

Exultet itaq; cœlum laudibus, reſultet terra gaudijs: ecclius ſancti ſolennia lato cõcentu concinat populus Chriſtianus. Molliatur duritia Iudæorum, paganorum ignorantia inſtruatur, fileant hæreſes, hæreticorum doloſa labia conticeſcant, nec moliantur amplius doloſa vulpeculæ religionis Chriſtiana ſegetem caudis ignitis, & doloſis fraudibus demoliri. Virtutẽ vereantur Eccleſiæ tanti ac talis & ſimilium patronorum defenſione munitæ, nec ipſorum præſumptuoſa temeritas de cætero in ipſam præſumat inſidias, euidentium operum, & ſignorum propugnaculis tantis inſtructam. ſignis ſaltem euidentibus acquieſcant, qui in veri dogmatis teſtimonijs non quieſcunt. Operibus ſaltẽ credant qui pertinaciter euangelicæ doctrinæ nõ credunt, auertantur ab errorũ iniuijs: veritatis cõuertantur ad viam, vt in Domini veritate directi, & rectius huius B. Viri vitæ fidei & operis veſtigijs inueſtigẽt ipſum, ſequi ſtudeãt, qui ambulãs in via immaculata, domino fideliter miniſtrauit.

Cæterum quia ſicut de ipſo pro certo tenet concepta ex his certa, & in dubitata credulitas Rex cœleſtis ſic eum honorari decreuit in cœlis, vt æternæ claritatis lumine quaſi regijs veſtimẽtis amictus & ſempiterna gloriæ diademate decoratus, ſedis ſuperna quietis inſideat: decet vt noſtro miniſterio per omnem chriſtiani cultus ambitum vehiculo debitæ venerationis incedens, profuſis per orbem gaudijs, & effuſis vndiq; laudibus honoretur in terris. Propter quod, de fratrum eorundem, ac Prælatorum omnium, apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium vnanimi cõſilio, & concordi conſenſu, in feſto B. Vincentii XI. Calend. Febr. eum, hoſtijs humani generis carnis & mundi victorem, ſanctorum catalogo cum celebri gaudio duximus adſcribendum.

Ideoq; vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus 3. Non. Apr. (quo vtiq; die ipſius B. Spiritus de vitæ præſentis exilio tranſiuit ad patriam, & mundi huius egreſſus tenebras, ac luminis abyſſum ingreſſus, ad inacceſſibilẽ lucẽ acceſſit, ipſam felix habitans, & habetur feliciter ab eadẽ) celebriter eius feſta celebria modularis vocib. & cordib. annis ſingulis celebretis, & à veſtris faciatis ſubditis celebrari, vt eundem glorioſum Confeſſorẽ & inclytũ venerantes in terris ſentiatis interceſſorem aſſiduum, & defenſorem perpetuum in excelſis.

Vt autẽ ad venerabile ſepulchrũ ipſius eo affluentius quo vtilius cõfluat populi multitudo, & celebrius ſolennius eiuſdem Confeſſoris venerãda ſolennitas, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui cum deuotione ad illud in die ſolennitatis ipſius acceſſerint eius implorando ſuffragia, ſingulis annis quibus illuc venerint, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi vnum annum & quadraginta dies, accedentibus autem ad prædictum ſepulchrum infra eiuſdem feſti quindenam, quadraginta dues de iniunctis eis pœnitentia, miſericorditer relaxamus. Datum Viterbii, X. Cal. Martii, Pontificatus noſtri Anno primo.

V. *Centur. PP.* OBITVS B. FERDINANDI PRÆDICATORIS.

Hoc anno in cœlum migrauit B. Ferdinandus Vlyxiponenſ. ex inſtituto Dini Dominici cui tanta fiducia ex meritorum & gratiæ diuinæ efficacia, vt extremum ſpiritum agens diceret; *Scio infernum mihi claudi, ac cœlum patere.*

Beatus etiã Pontius Hiſpanus eiuſdem inſtituti, à Greg. IX. cenſor fidei apud Vrgellum Cataloniæ vrbẽ inſtitutus, veneno ab hæreticis propinato extinctus, cœlũ promeruit.

Eodẽ anno in multis Prouinciis viſum eſt cœlum flammas emittere, & quaſi ardere, portento certiſſimo imminentium bellorum.

Hoc tẽpore cum Octauianus Vbaldinus Epiſcopus Bononienſis agros pernicioſa ſiccitate laborãtes, clauſo prope imbribus cœlo videret, ex qua ſumma frugũ omniũ inopia impẽderetur: Deuotos ipſos hortatus eſt, vt ad pluuiã eliciendam, inſtitutã Proceſſionis conſuetudinẽ iteratẽt. Quare iidem authoritate eius ſequuti vexilla purpurea præferentes, ac cereos accenſos manu tenẽtes, Mutinã verſus Diuinum implorantes auxilium prodierunt. Hos ad Caſtrum Leonis progreſſos, populus, Antiani, & Epiſcopus Mutinenſis honoris cauſa egreſſi obuiam exceperũt, atq; inſigni pompa in vrbem, aſſidue pia carmina concinẽtes introduxerunt. Cũ autem in Baſilicam ingreſſi poſitis genibus precabundi manerent, Epiſcopus ex alto podio ſe oſtẽdit, atq; omnes brachio S. Geminiani oſtenſo ſignauit, ad huius aſpectum mulier, quæ in cõcione aderat, illico videntibus ac vociferantibus vniuerſis, dæmone quo iam diu vexabatur, eſt liberata. Inde comiter ac liberaliter habiti, cum domum regrederentur, ſecum opportunam quam popoſcerant pluuiam retulerunt. *Carol. Sigonius de Epiſc. Bononienſ. lib. 3.*

VI. PROCESSIONIS BENEFICIO CONTRA SICCITATEM PLVVIA IMPETRATA.

Eadẽ tempeſtate, Sybutho Præſuli Auguſtano vita functo, ſuffectus eſt Hartmannus ex Comitib. Kiburgi & Dillinganis, dignus quidem exemplũ proponatur. Hactenus anteceſſores ipſius aliquandiu faſtum exercuerant, atq; plurimas poſſeſſiones ab Eccleſia alienarant. Itaq; Hartmannus cum nemo ex familia ſua ſupereſſet, Comitatum V Vitislingenſem ab vrbem V Verdt vſque, Auguſtanæ Eccleſiæ dono dedit, deinde Monaſteriũ Medringen circa Dillingenſ. virginum inſtituit, atq; Xenodochiũ Auguſtæ fundauit, Sanctæ quoq; Catherinæ Cœnobium Auguſtæ ordinauit, & in eadem vrbe Minoritis locum aſſignauit, & Eccleſiam inter maximos turbines interregnorum & bellorum, tum in pace conſeruauit, tum plurimum ditauit; cum 33. annos magna cum laude præfuiſſet. *Anonym. in Epiſc. Auguſt.*

VII. MAGVS TH GERMANIÆ OPPRESSOR KREVTZENACH ARMATVM DEVORANS

In Germania, Theodo Magus & præſtigiator admirabilis, multis prodigiis populũ ſeduxit. Nã in oppido Kreutznach, coram omni populo publice in foro caput famuli ſui amputauit, quod poſt ſpatium vnius dimidiæ horæ corpori iacentis reſtituit. Cũ canibus in aere quaſi ad venandum ambulare videbatur, aſcendens atq; deſcendens, & in altiſſimis quaſi à remotis clamans. Armatum etiam hominẽ deuoraſſe putabatur. Currus quoq; lignis aut fœno oneratos, atque equos deuoraſſe viſus eſt. His & aliis multis præſtigiis hominum ſimplicitati impoſuit. *Chron. Spanheimenſe.*

IESV CHRISTI
Annus 1263.

VRBANI PAP. IV. Annus 2. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 4.

I. *Scriptor. lib. 3.* RICHARDI REX CORONATVR AQVISGRANI, ET ALPHONSVS CASTELLANVS FACTIONE ELECTORVM.

GVillelmo Romanorũ Rege ante aliquot annos peremptо, aſſidentibus ſeptẽ viris, Germanorũ regni Principibus, qui veruſtis ſub Ottone III. Imperatore inſtitutis electioni Regũ, in Imperatoriã & Auguſtam dignitatẽ ſufficiendorũ præficiuntur, cũ in Octauis Epiphanię Richardus Cornubiæ Comes Regis Anglorũ frater, à Conrado Colonienſi Archiepiſcopo, qui ſuo & Mogũtini Antiſtitis nomine cõuenerat, aſſidente, & conſentiente Palatino Comite: Rex adſciſceretur, & Aquiſgrani coronatus & inunctus fuiſſet, Archiep. Treuerenſis, Saxon. Dux, & Bohemiæ Regis Procurator Palmarũ Dominica die cõſtituta, Alphonſum Caſtellæ Regẽ, Philippi Imp. nepotem in Imperii faſtigium euexerunt. Ea Principum diſtractione, cum inter Richard. & Alphonſum Imperii dignitatẽ ambientes certamen non modicũ eſſet, conatus eſt Vrbanus IV. ad concordiã reducere. Cui rei vtrum q; hortatus eſt, vti ſe iudicio Apoſt. Sedis præſentarent, vtpote ad cuius Pontificẽ diſpoſitio Imperii iure merito pertineret. Præſtat hic inſerere exemplar epiſtolæ quã Vrbanus Richardo perſcripſit. Vt Io. Auentinũ erroris coarguamus, qui nõ niſi adhoc tempus, poſt Frid. II. videl. mortẽ à Greg. X. ſeptẽ viros inſtitutos eſſe aſſeuerat, cũ eorũ numerus, Greg. V. Pont. Max. cõſentiente Ottone III. Imp. fuerit deſignat⁹, ne in poſterũ iure ſucceſſionis Imperatoriæ dignitas traduceretur. Sed tres primarii Germanię Antiſtites, totidemq; proceres, adſcito Rege Boemię, vbi paria ſuffragia in Imperio mandãdo inirentur, Auguſtorũ comitiorum auctores atq; ſequeſtres conſtituerentur. Ita habet.

VRBAN. IV GEMINOS REGES AD PACEM REDVCERE NITITVR.

II. *ep. 212. apud vbem vet. 6. Cal. Sept.* STATVS IMPERII ET ELECTIONIS HIC EXQVISITE DESCRIBITVR AB VRBANO AD RICHARDVM ANGL. ELECTVM.

Vrbanus Epiſc. Seruus ſeruorum Dei Richardo in Rom. Regem electo. Qui cœlum terramq; regit, is nimirũ cœli nouit ordinẽ, & in terra poteſt cœleſtia ponere ordinis rationẽ. Is eximia dè ſuperis ad inferiora deriuans, ſicut in firmamento cœli duo luminaria magna conſtituit, vt mundũ vicibus ſuis illuſtraret, ſic & in terris maxima dona ſua, ſacerdotium videlic. & Imperiũ, ad plenum ſpiritualium mundanorumq; regimen, ad firmamentum Eccleſiæ militantis inſtituens, vtriuſq; poteſtatis ita diſcreuit officia, vt eorũ officioſa diuerſitas, nulla ſibi aduerſitate diſſentiat; ſed in cõmiſti executione regiminis, ex officii debito in voti vnitate concordet, & ipſorum proculdubio pro futura cõcordia alterutrius alterni ſulta præſidiis, ac vtriuſq; mutuus fota fauoribus opus iuſtitiæ liberius operetur, pacẽ mundo pariens, tranquillitatẽ inducens & nutriens; vnitatem, Imperiũ ſiquidem ad ſalutẽ ſacerdotali auctoritate dirigitur; & ipſius adiutum ſuffragijs, ſedatis procelloſis interdũ imminentium tempeſtatum turbinib. tranquillum redditur & quietũ. Sacerdotium vero pium, & tutũ habere debet refugium: Imperialem manſuetudinem cum ſua veneratione cõiunctam: vt Imperii Rom. faſtigium, & eius culmini præſidens, ſpecialis Aduocati, & Defenſoris præcipuã circa Eccl. gerat officium, & in ipſius fortitudine brachii defenſentur Eccleſiæ libertates, & iura manu teneantur ipſorum, extirpentur hæreſes, cultus Chriſtianæ Fidei amplietur, & inimicis conſternatis eiuſdem in pacis pulchritudine ſedeat populus Chriſtianus, & in requie opulenta quieſcat. Verũ humani generis inimicus pacis impatiens, amator litium, diſcordiæ ſeminator, vtriuſq; profectibus inuidens, claræ me. Vilhelmo Rege reb. humanis exempto inter ſe & clariſſimũ in Chriſto filium noſtrum Regẽ Caſtellæ ac Legionis illuſtrem in Rom. Regem electũ, circa obtinendã eiuſdem Imperii dignitatem, cõtentionis materiam ſuſcitauit: vt vobis circa hæc contendentibus, careret Imperialis regiminis commodis orbis terræ, & tanti brachii tam vtilis, tam neceſſarii, tam chari carentiam, ex ipſius vacatione diutina moleſtam admodum, & nociuam damnoſa experimenta Eccleſia prædicta ſentiret. Sentiit itaq; ſentiit mater Eccleſia tam populi ſibi cõmiſſi, quam ſuã grauem de huiuſmodi cõtentione iacturam. Creuit namq; peruerſorũ audacia, & ipſorum abundante malitia, dum eorundem vacante Imperio, ipſi Eccleſia defenſionis debita ſuffragia ſubtrahuntur; liberius peccatis inſiſtitur, hæreſes pullulant, ſcandala ſuſcitantur, multiplicantur cædes & ſtrages, iniuriæ inualeſcunt; in perſecutionem turbinibus Petri nauicula fluctuat: & interdũ, qui fidelius ipſius cenſeri nomine gloriantur, in arcum peruerſum, fidei debitũ non ſeruando conuerſi, tam in ſuis iuribus iniurioſe impetunt, & moleſtant, illa nunc denegando pro libito; nunc illicite occupando: propter quod eadem Eccleſia non immerito huiuſmodi vacationem deplorat Imperii: & de animarũ periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens ſuſpiria, ingemiſcit. Ex eo inſper quam dure, quam grauiter materna eius viſcera quatiuntur, quod ipſa tam charos filios, tam inclytos Principes in ſuo ſentiens vtero collidentes, prudenter aduertit tuam, & prædicti Regis potentiam in Chriſti blaſphemos, & inimicos nominis Chriſtiani potenter & magnifice more ſolito exercendam in proprium & grande domeſticorũ fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Hæc igitur, & alia incommoda diſſenſionis huiuſmodi eadem Eccleſia materno penſans affectu, in his auxilii ſui dexterã non ſubtraxit, ſed vigilauit attentius, & attentione ſollicita vigilanter intendit, multaq; ſollicitudine peruigil laborauit, vt diſcriminibus tantis occurreret, teq; ac ipſum Regem à diſcordiarũ diſpendijs præſeruaret. Et licet inter vos iudicii partes aſſumere, non ſine cauſa diſtulerit, præſertim cũ tam tui, quam ipſius Regis Nuncii, in recordationis felicis Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, noſtra & fratrum noſtrorum præſentia conſtituti, ſuper prædictis, Iudiciariũ Apoſtolicæ ſedis examen expreſſe vſq; ad hæc tempora declinarint: dilationem tamen huiuſmodi, etiã illa vtilitatis vtriuſque partis conſideratio, & paternæ pietatis cautela, pro vobis conſiliũ capiens perſuaſit, vt veſtris animis ad hoc habilitatis, interim ad reformanda inter vos amicitiæ fœdera, congruentia tempora caperentur, vt remedia promptiora paterent, per quæ occaſione diſcordiæ ſublata, vos glutinũ ſolidæ charitatis vniret; ac in veſtræ ſoliditate concordiæ, quam tractatus, qui ſuper hoc, inter vos dicebantur haberi, permittere videbantur, ſub ſui Principis ducatu pacifico daretur eidem Sabbatiſmus Imperio; & ſedatis ſcandalis, quietis optatæ iucunditas proueniret; peſtis exterminaretur hæretica; animarũ pericula vitarẽtur; Eccleſia Cæſareo munita præſidio, & ab hoſtibꝫ. erepta perſecutorum incurſibus reſpiraret, ac eorum qui ſub ſimulatæ fidelitatis audacia nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrenata, ſuorum iurium integritate gauderet. Hæc quidem hactenus expectauimus anxii: hac deſiderauimus anxia expectatione diutius: in his prædeceſſoris, noſtra, & fratrũ ipſorum ſolicitudo non defuit: ſecundũ Apoſtolicæ circumſpectionis iudiciũ, de contingentib. nihil omittens. Et quamquam, vt votis noſtris ſatisfieret in hac parte, hucuſq; ex alto non fuerit conceſſum, tamen ad id noſtra ſemper ſuſpirauit intentio, ad id plenis deſideriis anxiamur, nũ proponentes à captis deſiſtere: quin circa negotiũ huiuſmodi, ſub ſpe illius, qui facit magna & inſcrutabilia, qui facit concordiam in ſublimibus, proſequi pacis ſemitas intendimus: quidquid per Nuncios & Proceres partiũ coram nobis nouiſſime his diebus propoſitũ, petitumve fuerit, & reſponſum. Et quidem venerabilis Frater noſter Laurentius Epiſcopus, & dilecti filii Archidiaconus Roſſenſis, ac Robertus de Baro Proceres & Nuncii tui, à teplenariam poteſtatem habentes, vt in noſtro Conſiſtorio tua proponerent negotia, & peterent cum ſolemnitate, qua conueniret, vocationem tuam ſolenniter ad coronam, ac vniuerſa & ſingula circa hæc gererent fideliter, ac procurarent, quæ per veros Nuncios ac Proceres ad hoc ſpecialiter deputatos legitime poſſent agi, peti, & etiam procurari coram nobis & eiſdem fratribus proponere curauerunt: quædam conſuetudines circa electionem noui Regis Romanorũ. in Imperatorem poſtea promouendi, apud Principes, vocem in huiuſmodi electione habentes, qui ſunt ſeptem numero, pro iure ſeruari, & fuiſſe hactenus obſeruatas, à tempore cuius memoria non exiſtit: ſecundũ quas infra annũ, & diem, poſtquam vacat Imperiũ talis debet electio celebrari: quacunq; parte ipſorum anni & diei, quam ad hoc iidem Principes duxerint deputandam, & ad Archiepiſcopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipſorum alterum, altero nequeunte, vel forſitan non volente, pertinet ad electionem ipſam celebrandam diem præfigere, ac cæteros Electores Principes conuocare. Quibus omnibus vel ſaltem duobus ex ipſis die præfixa conuenientibus apud oppidum de Frankeneford, intus vel extra ipſum oppidum in terra, quæ dicitur Frankforde, loco quidem ad hoc deputato ſpecialiter ab antiquo, ad electionem ipſam procedi poteſt, & debet, ſecundum morem ipſius Imperii approbatum: & electione taliter celebrata, electus, ſi electioni conſenſerit, ante Aquiſgrani per dies aliquos facta mora, infra annum & diem poſt celebratam electionem eandem, quando electus voluerit, per Colonienſem Archiepiſcopum, ad quem id ex officio ſuo ſpectat, inungitur, conſecratur, & etiam coronatur. Quo facto via præcluditur contra electionem, vel electum iam Regem Romanorum effectum dicendi aliquid, vel etiam opponendi: ſed idem electus prædicto modo inunctus, conſecratus & coronatus pro Rege habetur: & ei tanquam Regi debet à ſubditis & vaſallis Imperii obedientia: ſito more homagia & fidelitatis iuramenta præſtari: aſſignari ciuitates, oppida, caſtra, & ſpecialiter caſtrum de Treueris: ac alia iura Imperii infra annum & diem à tempore coronationis eiuſdem: ita quod ſi qui de vaſallis Imperii ea homagia non præſtiterint conſueta, & non reddiderint ciuitates, caſtra, & alia ſupradicta, illis quæ ab Imperio tenet, eodem ſunt & ipſi priuandi. Etſi votis Principum, ad quos ſpectat eligere, ad eligendum conuenientium, diuiſis in plures, duo in diſcordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, ad prædictum Comitem Palatinum, tanquam ad huius diſcordiæ Iudicem, eſt recurſus: ni forſan ſuper electione, vel coronatione huiuſmodi ſubortæ diſcordia, per appellationem vel querelam prædictorum Principum ad examen Sedis Apoſtolicæ, quo caſu, ipſius eſt in tali caſu cognitio, deferatur. Intelligitur autem is electus eſſe concorditer, in quem vota omnium electorum Principum, vel ſaltem duorũ tantummodo in electione præſentium diriguntur. In diſcordia vero, is etiam reputatur electus, de quo in loco non ſolito electio celebratur, & in termino, de communi conſenſu dictorum Principum, non ſtatuto: quem ſi forſan prædicti Principes infra annum & diem, à die vacantis Imperii concorditer ſtatuant, licet non exprimant, quod ipſum peremptorium eſſe velint terminum, terminus tamen ab eis præfixus taliter peremptorius reputatur. Porro iidem Proceres, his & aliis quibuſdam prælibatis conſuetudinibus adiecerunt, quod vacante Rom. Imperio, die per omnes prædictos Principes, pro celebranda Regis Romani in Imperatorem poſtea promouẽdi electione, ſtatuto, in Octauis Epiphaniæ Anno D. M. CC. LVI. apud memoratum oppidum de Frankenford quinque tantum de dictis Principibus, tum per ſe, tum per alios, videlicet bonæ memoriæ Moguntinus Archiepiſcopus, qui legitimo impedimento detentus, ipſi Colonienſi Archiepiſcopo ea vice, in hoc commiſerat vices ſuas, & dilectus filius nobilis vir Comes Palatinus apud Frankenford: bonæ memoriæ vero Treuerenſis Archiepiſcopus & dilectus filius nobilis vir Dux Saxoniæ intra dictum oppidum conuenerunt. Cumq; idem Treuerenſis Archiepiſcopus, & Dux Saxoniæ præfatos Archiepiſcopum Colonienſem & Comitem, nec ipſum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, ſuper hoc ſæpius requiſiti, dicti Archiepiſcop. Colonienſis & Comes, attendentes, ex lapſu temporis periculum imminere, ſi forſan non fieret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptorie conſtituta, præſertim cum de anno, & die, poſt vacationem Imperii q uindecim ſolũmodo dies ſupereſſent, infra quos nullo modo potuiſſent propter locorum diſtantias, & alias facti circumſtantias præfati Principes iterum conuenire, cum Prælatis, Ducibus, & aliis ibidem præſentibus de-

liberatione præhabita, de ipsorum communi consilio & assensu ad electionem procedere decreuerunt. Et tandem præfatus Colonien. pro se, & dictis Moguntino, cuius vicem gerebat, & Comite presente ac consentiente, Dei nomine inuocato, te in Regem Romanorum elegit, & mox electionem huiusmodi, Magnatum & aliorum astantium copiose multitudini publicauit: cui electioni, per charissimum in Christo filium nostrum Regem Boemiæ Illustrem post paucos dies consensu præstito, demum tu, ad tuorum electorum & aliorum Imperii optimatium, qui propter hoc ad te in Angliam accesserunt, instantiam, & requisitionem instantem eidem electioni, post diligentem super hoc tractatum habitum, consensisti, ac personaliter Alemanniæ regnum ingressus, & moram apud Aquas Grani quantum decuit faciens, nec inueniens resistentem, postmodum fuisti per sæpe dictum Colonien. Archiepiscopum, ad cuius id spectabat officium, consecratus, inunctus, coronatus, ac imbroniz.atus regio more, in sede Magni Caroli, nullo se inibi coronationi tuæ, aut verbaliter opponente. Recepisti quoque homagia Magnatum regni eiusdem, ac fidelitatis etiam iuramenta. Obtinuisti ornamenta & insignia Imperialia, quibus Rex Roman. solet ornari, cum Romæ inungitur ac consecratur per manus summi Pontificis, & sacrum Imperii suscipit diadema: & sine quibus aliquis ad vnctionem, consecrationem & coronationem huiusmodi non solet, nec debet admitti. Reddita insuper tibi fuerunt quamplurima oppida, castra, villæ, & iura Imperii tanquam Regi, tuque ipsius Regni possessionem adeptus ipsam tenes, & per sex annos, & amplius tenuisti. Ex his autem Proceres tui arguere videbantur, quod cum memorati Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ recusando dicta die procedere, reliqui vero non veniendo ad terminum concorditer assignatum, se altenos ab electione reddiderunt, ea vice, tu ab omnibus Principibus, vel saltem ab iis, in quos totaliter ius eligendi reciderat, censeri debes electus: pro certo ac indubitato ponentes ius in regno, & Imperio supradictis, tibi electo, productis consuetudinibus obseruatis, vbi, & à quibus id fieri debuit, & nulli alii acquisitum, ac regium nomen & Imperii diadema indubitate deberi. Supplicauerunt instanter & humiliter petierunt, tibi & huiusmodi nomen adscribi: maxime cum antedictus prædecessor noster id tibi, de fratrum suorum consilio adscripsisset: te in eisdem Regno & Imperio, quibuslibet aliis præferendo: sicut per ipsius literas ostenderentur tenore per nos inungendum, consecrandum & coronandum in Romanorum Imperatorem, Aduocatum ac defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema, de nostris suscipiendum manibus, sine dispendio vlteriores moræ, vocari, & Apostolicum tibi fauorem impendi, præsertim cum non tantum maior pars Principum prædictorum, imo omnes, excepto nobili viro Marchione Brandeburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire, vt iidem Nuncii proponebant, electioni de te factæ consentiant: & tibi, tam ipsi, quam alii Magnates Alemaniæ generaliter, tamquam suo Regi obediant, & intendant: petitionem suam, illa indubitata, sicut asserunt, in Imperio, & iure munita consuetudine fulcientes: qua dicta electione in Rom. Regem, secundum solitum morem Imperii, vbi, & à quibus debet, & postmodum per supra dictum Colonien sem Archiepiscopum inuncto, consecrato, & coronato, eo ipso nomen Regium adquiri: & si electæ personæ impedimenta non obuiant, vocandum sine dilatione aliqua per Summum Pontificem ad coronam: ad id non solum morem Imperii approbatum, sed etiam quandam felicis recordationis Innocentii Papæ III. Prædecessoris nostri Decretalem Epistolam allegantes, ac dicentes: per contradictionē memorati Regis, vel electionem, quæ de ipso facta dicitur, petitionem præmissam non debere aliquatenus impediri: cum secundum prædictas consuetudines, & termino ad hoc statuto, de communi prædictorum Principum consensu transacto, & post electionem tuam legitimam non cassatam, à solo nominato Treuerensi, qui propter noua pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus, nulla omnino forma seruata, in camera eiusdem Treuerensis Archiepiscopi, contemptis aliis Principibus, clandestine acceptata; cum nullam ab eisdem Principibus super hoc potestatem haberet: quam, etiamsi ab aliquibus habuisset, sicut quædam pro parte altera exhibitæ literæ innuebant, formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem literarum ipsarum, ad certam diem se tantummodo extendebant, non eligendo ipsa die minime obseruauit. Ex parte vero supradicti Regis Castellæ, per venerabiles F. N. Garsiam Siluensem, & Fr. Dominicum Abulensem Episcopos, ac dilectum filium Magistrum Ioannem Capellanum nostrum Archidiaconum Compostellanum, ipsius Proceres, actores, & negotiorum gestores generales, & speciales omnes in solidum, ita quod occupantis non sit melior conditio, mandatum habentes ab ipso, ad petendum pro eo, & suo nomine à nobis, & prædictis fratribus nostris coronam Imperii: & assignari sibi diem ad recipiendam ipsam; & ad agendū, respondendum, defendendum, & tractandum iura sua, & Imperii, & quicquid honori eius expedire viderent, siue in ordinario, siue in extraordinario iudicio ageretur, fuit è contra propositum: Quod prædictus dies Octauarum Epiphaniæ, non ad eligendum, sed ad tractandum super electione futuri Regis, & Imperatoris, & ad assignand. diem ad celebrand. electionem eandem, non per omnes, sed per quosdam ex ipsis Principibus, extitit assignatus: qua die prædicti Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, per se ac dilectum filium nobilem virum Marchionem Brandeburgensem, qui eidem Archiepiscopo Treuerensi vices suas commiserat, necnon & Proceres memorati Regis Boemiæ, ad prædictum oppidum, tanquam viri pacifici accesserunt. Supradicti vero Colonien sis Archiepiscopus, & Comes, cum ingenti armatorum multitudine, ad loca circumuicina ipsi oppido venientes, requisiti per Treuerensem Archiepiscopum, Ducem & Proceres prædictos, qui eorum impressionem verisimiliter formidabant, vt idem oppidum intrarent cum societate decenti, de assignando die ad electionem celebrandam, prout terminus exigebat, si ad hoc essent habiles, vna cum ipsis pacifice tractaturi, non solum id facere contempserunt, verum etiam proprii persecutores arbitrii præsumpserunt te in Regem Alemaniæ, non sine multo contemptu aliorum Principum, nominare. Memorati autem Treuerensis Archiepiscopus, Dux & Proceres nominationem huiusmodi attendentes penitus esse nullam: præsertim cum dicti Colonensis Archiepiscopus pro eo, quod bonæ memoriæ P.S. Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem tunc Lgatum in Alemaniæ partibus manus iniecerat: ac venerabilem F.N. Podebiun. Episcopum præsumebat detinere captiuum: propter quod, per eundem etiam Legatum extitit excommunicatus. Comes vero propter clericorum & religiosorum cædes, & notorias captiones, & quia contra sententiam fel. record. Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri, quondam Friderico, olim Rom. Imperatori, & Conrado nato eius præsumptuose publice consilium, auxilium & fauorem, erant ipsius electionis tempore, tam à Canone, quam ab homine variis excommunicationibus innodati: & Moguntinus Archiepiscopus, cuius idem Colon. Archiepiscopus se vices gerere asserebat, in vinculis teneretur: propter quod carens arbitrii libertate, præstare non potuit prout iura exigunt, liberum in electione consensum: nec etiam de futuro præstitit: ad electionem celebrandam, certum terminum statuerant, subsequentem Dominicam Passionis. Quo quidem termino, vsque ad Dominicam proximam Palmarum, continuato de die in diem, & memoratis Moguntino, tunc à vinculis liberato, Colonien. Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentibus interesse, dictus Treuerens. Archiepiscopus à prædictis Rege Boemiæ, Duce & Marchione sibi super hoc potestate commissa, dictum Regem Castellæ, suo & aliorum nomine publice ac solemniter in eodem oppido de Frankford, Dei nomine inuocato, in Rom. Regem & Imperatorem elegit: & electionem ipsam, omnibus astantibus publicauit: ideoque Rex Castellæ, ipsa electione sibi per complures Magnates Imperii ad ipsum propter hoc in Hispaniam accedentes, postmodum præsentata, electioni consensit eidem. Ex præmissis sane iisdem Proceres & Nuncii prælibati Regis Castellæ, dicentes electionem ipsam, vbi, & à quibus debuit celebratam legitime, allegabant electionem eandem impediri non potuisse per tuam: quæ, sicut dicunt, nulla extitit ipso iure. Nam cum prædictus dies Octauarum, non ad eligendum, sed ad tractandum de statuenda die, & ipsam statuendum, ad electionem celebrandam nouis Regis fuerit non per omnes prædictos Principes, sed per aliquos ex eis, vt præmittitur, assignatus: qui etiam si ad eligendum statutus fuisset, per maiorem partem eorundem Principum, minoris partis non obstante contradictione, mutari & prorogari potuit, & extitit prorogatus, constat electionem de te, maxime per pauciores de ipsis Principibus excommunicatos, ipsa die Octauarum factam nullam penitus extitisse. Excommunicationem etiam contra memoratum Archiepiscopum Treuerensem obiectam, & consuetudinem, quæ de celebranda à tempore vacantis Imperii infra annum & diem, Regis Romanorum electione proponitur, ac alias omnes negantes allegabant, quod si veritate huiusmodi propositio fulciretur, electio tua, qua XV. diebus, de ipso tempore tunc restantibus, celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset: cum non liceat minori parti, maiori contempta, diem vltimam ipsius temporis præuenire. Per quæ apparere dicebant, quod electores eiusdem Regis Castellæ, nolēdo illo die eligere, non fuerunt eligendi iure priuati: nec si etiam vt pars aduersa proponit, ad minorem partem remissent exire. Nam cum infra prædictum oppidum de Frankford Romani Regis & Imperatoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium coarctare maiorem. Adiecerunt præterea inunctionem, consecrationem ac possessionem prædictas, quam quidem possessionem omnino negabant, & cætera pro parte tua inducta cum ex electione tua, quæ, vt prædicitur, nulla extiterat, secuta fuerint, tanquam nulla, nullum potuisse tuo munimentum afferre: aut eiusdem Regis Castellæ iuri

præiudicium generare. Subiungentes Colonien sem Archiepiscopū supradictam consecrationem, vel inunctionē, seu coronationē, quæ ius tribuant, dare non posse, nisi ei qui à maiori & saniori parte prædictorum Principum est electus. Alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Colonien. Archiepiscopus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare posset. Quod a. de litteris supradicti prædecessoris Alexandri præmittitur, in quibus tibi Regium nomen dicebatur adscriptum, teq; in supradictis Regno & Imperio fuisse prælatum, multipliciter confutabant, tum quia, quoties coram ipso prædecessore Alexādro, ac fratrib. suis de Imperii negotio agebatur, idem prædecessor Alexāder publicè asserebat, quod super eodem negotio, nihil in prædicti Regis Castellæ præiudicium attentaret: quod etiam ipsi Regi Castellæ per litteras, & quondam A. de Ferentino suum Capellanum & Nuncio intimauit: propter quod prædictæ per te inductæ litteræ merito sunt suspectæ: nec credendæ, de eiusdem prædecessoris Alexandri conscientia emanasse: tum etiam, quia si de ipsius conscientia, & Fratrū suorum consilio processissent, cum iniuriosæ sint, debent meritò reuocari. Vnde iidem Regis Castellæ Proceres, & Nuncii electionem de ipso factam, electione tua prædicta, & his quæ per te fuerant obiectæ, non obstantibus, fore legitimam, vtpote celebratam à maiori parte ipsorum Principum, quos iidem Proceres & Nuncii variare non potuisse allegant, & variasse non credunt, imo fictione iuris ab omnibus censeri alii, vtpote inhabiles, electioni non potuerint, vel saltem noluerint in loco solito, & tempore debito interesse: ac ipsum potiorē in prædictis Regno & Imperio arguentes, cum instantia postularunt ipsi Regi Castellæ, vt cum eisdem fauorem, & debitam in huiusmodi negotio iustitiam exhibēri: apertius exprimentes, hanc fore iustitiam debitam, hunc fauorem esse in talib. consuetum: videlicet, quod quando aliqui ad Imperium in discordia Principum eliguntur, Sedes Apostol. illum qui electus est à parte maiori, personæ impedimentis cessantibus, denuntiat electū Canonicè, ac Regem nominat, parte aliqua non citata: & ei fauorē præstat, illiq; terminum ad recipiendum coronam assignat: etiam si alter taliter electorū Regni possessionem præsumpserit occupare: sicut in electionib. Lotharii, Conradi, Othonis & Philippi, & aliorum plurium obseruatū fuisse dicebant: ad hoc prædictam Decretalem inducentes. Eisdem a. præfati Regis Castellæ Nuntiis petitioni prædictæ, super debita iustitia exhibenda, porrectæ insistentibus, nos memoratum Rosensem Episcopum, & alios tuos Proceres, de prædictorum Fratrum consilio duximus requirendos: si vellent super præmissis subire tuo nomine, munus & Apostol. sedis examen: qui habito consilio responderunt: quod cum sis Princeps Catholicus, nobis & Ecclesiæ Rom. deuotus, ipsam quoque Christianitatis & Fidei, Tuamq; Matrem & Dominā recognoscens, nec intendas illius declinare iudiciam, in quibus illud subire debes, & de iure teneris, & in Imperio ius habeas, ac Regni Alemaniæ, & eius iurium possessionem obtineas, parati erant, in quantum prædicti mandati, quod à te habebant, se vires extendunt, pro te ac tuo nomine, tanquam pro Rege vero, ac legitimo, priore, iudicium nostrum & Ecclesiæ Romanæ subire, si quis appareret, qui te super præmissis vellet impetere, aut aliquid quocunq; modo proponere, propter quod tibi posset aliquod præiudicium generari: saluis semper in omnibus & per omnia iurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore, ac libertate sacri Romani Imperii, eiusq; Principū, ad quos specialiter spectat Romani Regis electio, & quibus præiudicare nō intendebant, vel alias quomodolibet derogare: petitionem tuo præmissam nomine nihilominus repetentes. Ecce fili charissime, dum ad petitionem iustitiæ ex vna parte proceditur, nec ab altera iudicio ceditur, sed ipsius prosecutioni constanter instatur, nos qui sperabamus, quod per tuā & ipsius Regis concordiam, & concordem supradicti ordinationem Imperii, desiderata quietis nobis serenitas arrideret, in iudiciorum inquietos anfractus ingerimur: & expeditæ iustitiæ constantia in ipsorum nos fluctus impellit. Ecce pacem expectauimus, & non venit: requisiuimus bona, & turbatio strepitus iudicialis offertur. Profectò non id desiderabat Ecclesiæ Imperiali auxilio releuanda necessitas: non id exigebant laceræ partes Imperii, occupantibus expositæ manibus direptorum: non id requirebat Christianitatis, maximè his temporibus, miseranda condition, quam & intrinseca plusquam ciuilia bella concutiunt, & inhumaniter efferarum immanitates gentium, ac præcipuæ Tartaricæ feritatis affligunt: quibus potius debebatur, vt per tractatus pacificos, Cæsarei culminis accelerandæ prouisio, in vnitate capitis, viribus redintegratis Imperii, contra tot discrimina prouideret. Nos itaq; pacis cogitatus sollicitè cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia & immēsa virtute, sub quo currantur qui portant orbem, qui ventis imperat, & ad eius nutum flat spiritus procellarum, pacis tractatibus prouidimus insistendum, & ideo hinc inde propositis à nobis & prædictis Fratribus nostris, in discussione exactæ deliberationis inductis, de ipsorum consilio, tam ad Magnificentiæ tuæ præsentiam, quam ad dictum Regem Castellæ Nuncios deliberauimus destinandos, qui vos ad pacem inuitent, ad quod dilectum filium Magistrum Guillelmum Capellanū nostrum Archidiaconū in Ecclesia Parisiensi, virum vtiq; prouidum, consilii maturitate cōspicuum, & nobis ac eisdem fratrib. plurimum merito suæ probitatis acceptum, de cuius industria & fidelitate nos & ipsi fratres plene confidentes, ad tuam Magnificentiam specialiter destinamus. Et nihilominus, cum simus omnibus in iustitia debitores, nec debeamus eam personis denegare sublimibus, qui super ipsa, etiam ab humilibus requisiti, nostri partes officii non negamus, te & eundem Regem Castellæ citandos decreuimus: & te, de prædictorum fratrum consilio, peremptoriè præsentium tenore citamus: vt secundo die Maii proximè venturi Apostolico conspectui, per Proceres idoneos te præsentes: qui tuæ conscientiæ conscii, legitimum & plenum à te mandatum habeant, ad pacis tractatum, si Dominus dederit, ineundum: & ad procedendum in ipso negotio, prout honori Ecclesiæ, ac pensatis rebus & tanti conditione negotii, sine offensa iustitiæ, videbimus expedire.

III. PARIS TENORIS DAT AD ALPHONSVM REGEM ELECTVM. epist. 213. epist. 220. 7. Id. Aug.

Hactenus Vrbanus Pontifex Richardo electo, in quem etiam modum scripsit Alphonso pariter electo, datis literis apud Vrbem veterem sexto Calend. Sept. Pontificatus anno secundo. Quod autem vtrique titulum Regis præscriberet, ex voto Cardinalium decreuit, vtrumq; tantisper debere nomen Regis electi Romanorum vsurpare, neque tamen iuri alieno hac ratione præiudicare, donec à Sede Apostolica negotium cognosceretur.

IV. INVIDIAM VRBANO CONFLATAM APVD RICHARDVM, DIXIT. ep ß. 250. ap. Vrb. Vet. 7. Cal. Sept.

Erant qui hæc in seciorem partem Richardo interpretaretur, cumque in Pontificem inflammarent. Quamobrem vt calumnias obtrectatorum depelleret, Regem que in deuotione Sedis Apostolicæ contineret, admonuit, ne detractoribus aurem adhiberet, neue iuri suo quicquam præiudicii illatum esse existimaret. Cæterum quod iustitiæ rationes postularent, nihil de integritate Sedis Apostolicæ ambigeret: cum illa nihil magis desideret, quam iudicia quæcunque exerceri, ad radium solis in luce meridiana iustificare: vt tandem omnis iniquitas oppileret os suum.

V. VRBEM VETEREM ÆDIFICIIS EXORNAT VRBANVS. Panvin. ad Platin.

Apud vrbem veterem tunc Vrbanus Pontifex à ciuibus honorificentissime susceptus, Monaldenses, & Philippēses primarios vrbis ciues, bello ciuili inter se laborantes, in cōcordiam redegit: & dum vixit, eam cōsecrauit. Vrbē sibi & Rom. Ecclesiæ fidelissimā variis ędificiis, tum publicis, tum priuatis, multis itē priuilegiis exornauit. A fundamentis a. superbas ædes Pontificias, in loco, qui Solianū dicebatur, prope sanctā Mariam Priscam ædificauit. Ecclesiam quoq; & Monasterium S. Augustini extruxit: Templa verò Prędicatorū atq; Minorū restituit, & amplificauit. Cumq; Manfredum Principem Tarentinum, Regni Siculi & Neapolitani inuasorē toties citatum, & ad extremum, ad colloquiū anno superiore euocatum, frustra expectasset: atq; ille interim & beneuolas preces, & saluberrimas monitiones, & terribiles minas atq; diras cōtemneret, maioraq; & grauiora indies perpetraret, ppior dolor curā Vrbani exacuit in Siculum Regnum, vt Manfredum iniustum possessorē exigeret. Conradinum viuere adolescereq; cōstabat. Is Manfredo poterat obiici: præsertim q; Guelfi in eum inclinarēt. Sed soboles Fridericorum, indolesq; illa Sueuorū Ducum, inuisa, suspectaq; ac formidolosa Pōtifici erat. Anglia, Hispaniaq; de Imperio contendebāt. Præter hęc in Anglia, ppcrum & populi aduersus Henricum Regem seditio excitata, vires illius non tantum oppresserat, sed plane extinxerat: ita vt neq; is, neq; filius Edmūdus, ad Regni Siciliæ possessionem ab Alexandro IV. oblati properare, neq; conditionib. ex pacto debitis, sedi Apostolicæ facere satis posset.

Æmil. in Ludou. 9.

VI. IVS DATVM ANGLIÆ REGI IN SICILIAM REPETITVR, ET CAROLO S. LVDOVICI FRATRI OFFERTVR epist. 160. apud Vrb. Vet. 5. Cal. Aug.

Primum itaque in Angliam, Archiepiscopum Consentinum Legatum misit, qui ab Henrico & Edmundo, ius, si quod in Regnum Siciliæ & Neapolis ab Alexandro prætēderent, reposceret: & illi, postquam pactis conuentis neque starent, neque per bella ciuilia stare possent, in manus Legati renunciarent: neq; amplius Sedem Apost. vniuersamq; Italiam, tantis contumeliis, iniuriisq; laceratam, cōfectamque, vanis spebus & pollicitationibus deluderent, aut ei in posterum importunis precibus molesti esse vellēt: præsertim cum iam Vrbano Pontifici, ex voto sacri Senatus constitutum foret, alias rationes inuenire: quibus sancta Sedes Apostolica à Manfredi potentia & tyrannide se tueri posset. Sunt qui scribant, Vrbanum habito Concilio, ad Ludouicum Gallorum Regem, in Dinos postea relatum, misisse eundem Archiepiscopum Consentinum, ora-

tūm, vti prima quaq; occaſione, cum conferto exercitu in Italiā traiiceret: ſibi in ſententia eſſe, eidem, ſuperato Manfredo, æquis conditionibus, & ſucceſſoribus ipſius Regno Siciliæ vtriuſq; in feudum tradere: Sanctum autem Regem cupiditate nouarum opum quærendarum, adduci non potuiſſe. Hoc incertum. Certum iſtud: Vrbanum S. Ludouico iniunxiſſe, vt Carolum fratrem ſuum Comitem Prouinciæ & Toloſæ, virum hac ætate armis & conſilio potentem, ad tutelam Eccleſiæ contra Manfredum i uitaret, animumq; illius de ſuſcipiendo Siciliæ & Neapolitano regno exploraret: neq; tamē quicquam cum eo, ſine ſcitu Apoſtol. ſedis confirmaret: ſed totum quod ex illo intellexiſſet, ſibi quāprimum ſignificaret. Miſerat etiam Vrbanus Ludouico, conditiones, quas Carolo oſtenderet, atq; ad iurādum ſeruandumq; proponeret: ſi is Regni oblati deſiderio teneretur: quemadmodum vehementer tenebatur, tum quod libenter volebat explicari à diſcordiis, quę illi cum Margarita Regina, Fratris ſui S. Ludouici vxore, propter Comitatum Prouinciæ: tum quod ab vxore propria, ad regni cupiditatem dies noctesq; vrgebatur: quæ cum trium Reginarum ſoror eſſet, moleſtè ferebat ſe omnino Comitem ſalutari, ſcribereque: duas ſorores Reginas, tertiam etiam Auguſtam. Iſtud quoq; pariter certum, Vrbanum Ludouico Regi cōmiſiſſe, vt Archiepiſcopum Conſentinum Legatū ad ſe diuertentem, & benignè reciperet, & in honore haberet, & in ſopiendis componēdiſq; inter Reginam vxorem & Carolum fratrem diſcordiis laborantem adiuuaret, cum eæ poſſent aliquod impedimentum Carolo præſtare, ne in adiutorium Apoſtolicæ Sedis, & ad poſſeſſionem dignitatum, quæ illi vna cum Regnis (nam & titulum Senatoris vrbici, Vrbanus ei Pontifex oſtentabat) florentiſſimis offerebantur, tam citò quam opus eſſet, conuolaret.

epiſt. 2. & 43. — *Æmil. Sulpit.* — *epiſt. 103 & 166 apud Vrb. vet. 5. Cal. Aug.*

VII. LEGATOS ETIAM AD LVDOVIC. MITTIT, OB SYRIĀ DEPLORATAM. *B. ſſius lib. 10.*

Erant & aliæ cauſæ, propter quas Vrbanus Pontifex, etiam apud S. Ludouicum, Legationem commiſerat Cōſentino. Saraceni in Palæſtina, captiuorum commutationem, à Templariis & à militibus S. Ioan. Hieroſolymitani poſtulabant: ſcilicet, vt tantos illi dimitterent, Templarii autem omnes quotquot vna cum Hoſpitalariis detinebant, eliberarent. Iniqua cōditio Chriſtianis militibus viſa: tum quod ipſi plures Saracenorum, quam illi Chriſtianorum in vinculis haberent: tum quod metuerent, ne ex liberatione eorum vires tanto magis augerentur, quanto ſcirent ad pugnam efferari magis eos, qui aliquando in compedibus gemuiſſent. Cōmutatione captiuorum cōperendinata, ſiue adeo apertè contempta, Saraceni irritati, & viribus aucti, res non tantum militum, ſed omnium Chriſtianorū in extremum diſcrimen vocabant. Non ignota hæc fuere Vrbano, ad omnes orbis Chriſtiani partes intento, quæ vbi Ludouico Regi enarraſſet, calamitateſque Chriſtianorum in Syria à Saracenis oppreſſorū ſignificaſſet, ad auxilia quantocius ferenda, eum inuitauit. Præter Archiepiſcopū Conſentinum, miſerat hoc eodem anno Vrbanus Pontifex aliū Legatum de Latere, Epiſcopum Cardinalem Sabinum, vt bellum ciuicum inter Regē Angliæ & Proceres, induſtria ſua, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate dirimeret. Quod autem ſciret Ludouicū in eo negotio tranſigendo plurimum poſſe, Legato iniunxit, vt ad eum diuerteret, conſilia rerum gerēdarum cum eo communicaret, atq; auxilia ab eo opportuna poſtularet. Ne vero grauatè ea Ludouicus ferret, eum admonuit Vrbanus, datis litteris apud Vrbem veterem, ſecūdo Id. Decemb. Facilè ſibi omnia de Ludouico Vrbanus pollicebatur, tum ꝙ dexteritatem eius in rebus agendis probatā haberet, tum quod multum eum apud Anglum poſſe ſciret: vtpote quē ſibi is ante aliquot annos beneficiarium reddidiſſet. Nam venientem ad ſe Henricum, ad Annum Salutis M.CC.LIX. ſumma charitate exceperat: dimiſſa illi Aquitania: ea quidem lege, vt Normanniæ, Andegauiæ atq; Cenomiæ cederet: propter quas, magnæ olim contentiones, inter Francos Angloſq; extitiſſent: & à Philippo Auguſto receptas, Franciæ Reges, ad eam vſque ætatem poſſediſſent. Adiecit præterea Xantonum partem, quæ vltra Charentum amnem eſt, retenta Regibus Francis ſuprema ditione atque poteſtate. Addidit quoque Lemouicenſes, Petragoricos & Cadurcos: Agenenſem vero agrum, quem Alphonſus eius frater, nuptiarum lege tenebat, ab Anglo grandi pecunia redemit. Vacauit tunc Ludouicus Reipubl. reformandæ, ſceleribus caſtigandis, legibus ſanciendis, pauperibuſq; ab oppreſſione vindicandis.

epiſt. 206. apud Vrb. vet. 17. Cal. Sept. — *epiſt. 189.* — *Guagvin. lib. 7.*

VIII. BLASPHEMOS ET VINDICTÆ AVIDOS PVNIT LVDOVICVS.

Per id temporis Præfectura apud Pariſios venalis habebatur, ſolique ciues precio illam ſibi, vel liberis ſuis comparabant: Vnde fiebat vt inopes premerentur, opulenti omnia licenter agerent, fures & latrones nullis pœnis afficerentur. Hanc venalitatem Rex prohibuit, conſtituto annuo ſtipendio ei, qui Præfectus eſſet. Atque ita Stephanum Boilleum, iuſtitia atque æquitate hominem ſpectatū, præpoſitum inſtituit: qui officium adeptus, intra paucos dies ſtatū ciuitatis longe tranquilliorem fecit, ac reddidit. Interim etiam ipſe Ludouicus, in ſontes ex lege animaduertit. Ex palatio enim ſemel egreſſus, dum quendam blaſphemum, Dei nomen iterum temerè aſſumere audiſſet, candenti ferro labra deierātis inurere iuſſit. Seueritatem quoque vindictę, vbi opus fuerat Ludouicus temperauit. Erant in Diui Nicolai Landunenſis Cænobio, tres nobiles adoleſcentes Belgæ, diſcendi ſermonis Franci illuc à parentibus miſſi. Hi laxandi animi cauſa arcu & ſagittis deſumptis, cum in proximum cœnobii ſaltum proceſſiſſent, feramque vltra monaſterii fines perſequerentur, ſyluæ cuſtodes ab Enguerranno Conciaco cōſtituti, eos comprehenſos ad Enguerrannum adduxerunt. Hos ille plus iuſto rigidior, non ſecus ac alienæ rei habitos inuaſores, patibulo appendi imperauit. Quod cum Ludouicus didiciſſet, Enguerrannum vocauit, increpauit, atque ſupplicio extremo addixit. Volebat vt de eo ſumeretur, niſi ſupplicum precibus ad clementiam flexus fuiſſet. Ne tamen impunè illi eſſet, decem millibus librarum Pariſienſium eum mulctauit, atque triennii exilio in Syriam ire, ibique opem Chriſtianis aduerſus Saracenos ferre imperauit. Ex Enguerrani mulcta hoſpitalem domum apud Pontiſaram, & dormitorium fratrum Ord. D. Dominici, apud Pauſios tecto operire, & Minorum Eccleſiam extruere iuſſit. Ita Ludouicus & Iuſtitiæ, & clementiæ, & pietati, & voto ſummi Pontificis vna eademq; re ſatisfecit.

IX. TVRCÆ IN ORIENTE INVALESCVNT, DISSIDENTIB. GRÆCIS ET LATINIS. *Gregor. lib. 4. & 5.*

Grauiores alias cauſas habuit Vrbanus, Legationis ad Ludouicum mittendæ. In Græcia enim per id tempus res parum quietæ fuerunt, Bulgaris & Comanis cōtra Græcos, Græcis contra Venetos, Venetis contra illos & Genuenſes certātibus, & rem Chriſtianorū Turcis per diſcordias mutuas, dedentibus. Conſtātinus Tæchus Bulgariæ Princeps, qui ſibi Ioannis à Michaele excæcati pueri ſororem, in matrimonium aſſumpſerat, contra Palæologum arma infeſta per id temporis intulerat. Ioannes Sebaſtocraror, Michaelis Deſpotæ Epiri filius, leuitate quadam ingenii adductus, contra eundem Michaelem, præter alios Comanis accitis, præter omniū ſpem omnia labefactabat, & fædiſſimè peruertebat. Comani enim per ſummam petulantiam omnia fana, omnia monaſteria ſpoliabant, & impunè cremabant, ac ſacris vt profanis, cum aliis, tum Diuorum imaginib. loco menſarum abutebantur. Inſuper ſine vllo metu omnia faciebant, quę hominum impiorum conſuetudo perpetrare ſolet. Veneti quoq;, ſiue vt Ægei maris inſulas tuerentur, ſiue vt acceptā recens ignominiā vlciſcerentur, magna claſſe comparata, cum omnia Palæologi loca infeſtarent, tum Græcos, tum Genuenſes eorum confæderatos in ſe exciuerunt, & cædibus mutuis varia fortuna in inuicem graſſati ſunt; maximo interim damno rei Chriſtianæ, Turcæ n. cum à Scythis pellerentur, & Chriſtianos inter ſe dimicantes aſpicerent, Romanos pellebant; & quam infirmi erant aduerſus Scythas, tam fortes contra Romanos extiterunt, vt Scytharum incurſio, non calamitatis cauſa, ſed ſummæ felicitatis occaſio illis eſſet. Nam & è Paphlagonia, & è Pamphylia irruebant, Romanaſq; Prouincias populabantur, ingenti dolore Vrbani Papæ, Perſcripſerat iſta omnia Ludouico Regi Galliarum, eumq; ad ſubſidia Conſtantinopolitano Imperio ferenda vocauit, tum deinde Legatū ad Genuenſes, vt eos à ſocietate Palæologi cōtra Venetos inita auerteret, deſtinauit. Deinde ad Michaelē Palæologū Imper. Orientis, quatuor ex Fratrib. Ord. Minorum miſit, qui eum ad vnitatē fidei Catholicę, & ad obedientiam Eccleſię Romanę adducerent, atq; à perſequendis reſiduis Chriſtianorum Latinorū auerterent: & ad extremū, ad paciſcendum cum Guillelmo Arduino Principe Achaiæ inducerent, opportunum adfuere Pontificis Apocriſiarii.

epiſt. 15. epiſt. 55 & 158. apud Vrbem vet. 15. Calend. Aug.

Tot

X. PALÆOLOGVS SIC PRESSVS, ANDRONICVM FILIVM IN CONSORTEM IMPERII FACIT. *Gregoras lib. 4.*

Tot difficultatibus circumuentus Michael Palæologus, & pene ad deſperationem compulſus, melius ſapere cæpit. Et quidem inprimis, filium Andronicum conſortem Imperii renunciauit, vt haberet aliquem, quem barbaris opponeret. Magna tunc enituit pietas Andronici. Sancto enim iureiurādo ſe Patri aſtrinxit, ſe Dei Eccleſiam piè veneraturum, eiuſq; priuilegia modis omnibus culturum, & inuiolata conſeruaturum eſſe. Poſtea, ſe vitam & Imperium Patris ſui expertem inſidiarum, vſque ad eius obitum, pro virili cuſtoditurum. His peractis, omnis Romanus populus vſitatum iuſiurandum Andronico nouo Imperatori dedit. Patriarcha vero & collegium ſacerdotum iuſiurandum ſuum perſcriptum in ſacros Codices retulerunt: ſe & ſucceſſores ſuos, eius Imperio non eſſe inſidiaturos profitentes. Pater autem permiſit, edictis ſubſcribere rubris litteris, cæterum ſine menſe & indictione: Sed; *Andronicus Chriſti gratia Imperator Romanorum.* Conſorte Imperii Michael allecto, animum quoque ad aſſentiendum poſtulatis, iis quæ de fide fuerant, Vrbani Pōtificis, adiecit.

XI. BECVS CHARTOPHYLAX CONVERTITVR A GRÆCIS ERRORIBVS AD ECCLESIAM ROM.

His temporibus magnæ Ecclſieæ Chartophylax erat Becus, excellenti vir ingenio, & in doctrinæ ſtudiis ab ineunte verſatus ætate: ſed qui Latinæ Eccleſiæ aduerſaretur: Hunc, quod in clero, & populo multum poſſet, Palæologus inclinare tentauit: & ad eum Nicephori Blemmydæ Commentarios miſit. Is enim ante 25. annos, cum ſe in otium contuliſſet, vt erat diuinarum litterarum peritiſſimus, multa è ſacra ſcriptura teſtimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, & clam quidem, idque infamiæ metu, collegerat, ac ſcripſerat. Quæ cum Imperator Beco miſiſſet, ille ſanctorum libros, ex quibus Blemmydes ea collegerat, prudenter admodum poſtulauit, totumque in eo ſtudium repoſuit, vt diligenter eos legeret, expenderet, & ad verbum conferret. Itaq; breui tempore, pro Latinorum dogmatibus, in quibus nimirum, ab eis Græci diſſentiebant, eum teſtimoniorum aceruum collegit, quæ integra volumina poſſent complere: & qui dudum accerrimè Latinis aduerſabatur, mutata ſcientia & ſententia, victoriam non ambiguam Latinis deferret, de dogmate Catholico & Romanæ Eccleſiæ Principalitate. Quamobrem Patriarchatus ſede conſcenſa, Imperatori vnus fuit omnia, & lingua, & manus, & acuti ſcriptoris calamus, & dicendo & ſcribendo, & dogmata Græcanica deſtruendo, ac Latina ſtatuendo: adiutoribus eius certaminis Meliteniote & Merochite, Imperatorii Cleriachi Diaconis, & Georgio Cyprio. Iſtud vnicum obſtabat, quod nullus eorum omnium ad Papæ rationem liturgiam celebrarat: niſi quod Freriorum nōnulli poteſtate data, ſemel in Blachernio templo id fecerunt ſuffragio ex familiaribus vnius.

XII. VRBANVS IV. OSTENDIT PER EPISC. LATINÆ ECCLESIÆ CVM GRÆCA CONVENIENTIAM EX CONFORMITATE DOCTRINÆ PP. GRÆCORVM ET LATINORVM PALÆOLOGO.

Per hos interim dies Nicolaus Crotonienſis Epiſcopus, Conſtantinopolim, ex vrbe redierat, auctorque fuerat Michaeli Palæologo Imperatori, iam ad pacem atq; vnionem inclini, Legationem ad Sedem Apoſtolicam inſtituendi. Expoſuerat illi oretenus veritatem Fidei, quam Sancta & Catholica Romana Eccleſia profitetur, formamque Diuini Sacramenti quam obſeruat, non eſſe à ritu Græco alienam. Miſerat etiam Vrbanus Papa per eundem Nicolaum ſcriptum, in quo doctrinam ipſius Romanæ Eccleſiæ & Sanctorum Patrum eius, Sylueſtri videlicet, Damaſi, Cæleſtini, Agathonis, Adriani, vtriuſq; Leonis, Magni Sancti atq; noui, nec non Gregorii dialogi, Hilarii Pictauienſis, Ambroſii Mediolanenſis, Auguſtini, Hieronymi, Fulgentii, & aliorum expoſitiones, ac rectæ fidei dogmata fideliter explanans, oſtendit eam conuenire SS. Patrum Græcorum S. Athanaſii Alexandrini, Baſilii Cæſareæ Cappadociæ, Gregorii Magni Theologi, Gregorii Nyſſeni, Ioannis Chryſoſtomi, & vtriuſque Cyrilli ſermonibus. Ea omnia cum Michael perlegiſſet, eundem Nicolaum Crotonienſem Epiſcopum Legatum ad Vrbanum Pontificem miſit, litteraſque ſcripſit: in quibus profitebatur illa omnia dogmata Romanæ Eccleſiæ ſuſcipere, honorare, credere & tenere, & omnes perfectiuas operationes, id eſt, ſacramenta eiuſdem Romanæ Eccleſiæ venerari, credereq; ea effectum habere in animabus iuſtis. Offerebat etiam Imperator, ſe velle vnire, ſubiicereq; omnes alias Patriarchales Sedes Romanæ Eccleſiæ & ſummo Pōtifici, quem Principatum habere ſuper omnes Sacerdotes, Doctoremque eſſe ſummum vniuerſalis Catholicæ Eccleſiæ, nec non loco Petri à Deo eſſe Prælatum omnibus Eccleſiis, conſtanter affirmabat.

XIII. PETIT VNIONEM PALÆOLOGVS PER EPISTOLAM. *Inter epiſt. Vrbani IV. hoc anno epiſt. 30.*

Ea Legatione cum Nicolaus in publico Patrum Roman. conſeſſu defunctus fuiſſet, incredibili lætitia Vrbanum Pontificem, & vniuerſam Eccleſiam affecit. Inſignia enim ſunt omnia illa, quæ Palæologus Summo Pontifici adſcripſit, & obtulit. Sed præſtat ipſam eiuſdem Epiſtolam inſerere. Ita habet.

Venerabili Patri Patrum Beatiſſimo Papæ veteris Romæ Patri Imperii noſtri Domino Vrbano, Sacroſanctæ & Apoſtolicæ Sedis ſummo Pontif. diuina voluntate & prouidentia maioris, moribus & vita & doctrina coram Deo & ſanctis reuerendo, Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Ducas Angelus, Commianus, Palæologus ac nouus Conſtantinus ſalutem & reuerentiam filialem, cum competenti fidei Chriſtianæ honore & Diuorum Canonum.

In omnibus orationibus noſtris, veſtrum licet indigni & veſtrorum Fratrum S.R.E. ad DEVM filiali affectione memoriam facimus, quatenus ſeptiformi gratia DEI Paracleti, qua totum Eccleſiæ corpus coadunatur, compaginatur, ſanctificatur, & DEO Chriſto legitimo ſuo ſponſo per vos ad nos & ad omnia membra ſanctæ Matris Eccleſiæ cuius caput eſt CHRISTVS, per ſuam virtutem ipſe cælitus deſtinare dignetur, in futuro vero cum beatiſſimis verticibus chori Apoſtolorum, videlicet Petri & Pauli à Paſtorum Paſtore Chriſto Deo, qui per nos beneplacuit ſibi ſicut ouis occidi, vos dignos faciat coronari. Per præſentes quidem literas Sacroſanctæ veſtræ Paternitati, & veſtrorum fratrum diſcretæ dilectioni notificamus, quod tranſactis temporibus Beatæ memoriæ Imperatorū prædeceſſorum noſtri Imperii, multotiens Legati & Nuncii hinc & inde directi fuerunt, ad componendam pacem, vnitatem & gratiam reuniendæ in Chriſto Deo Eccleſiæ, quam prati & ſchiſmatici Præſules dilacerauerunt, & hi medicamen aliquod non portarunt, ſed magis ac magis prædictæ Eccleſiæ ſchiſma & diſcordia creuerunt, propter ſermonis diuinæ ſcripturæ non puram expoſitionem, & diuinorum ſacrorum dogmatum quæ in libris ſanctorum Patrum continebantur declaratione non ſincera, & prædicti Nuncii immediatè loqui ad inuicem ignorabant, ſed eorum colloquium per illos qui in medio ſtabant interpretes, non exiſtentes ſufficientes in ſcientia, nec potentes capere amborum intellectus, cum rectè ac verè non potuiſſent exponere, & inpalam reducere ambarum Eccleſiarum dogmata, ad centrum veritatis, & normam veræ Fidei peruenire minimè potuerunt. Et ſic odium fraternum extinctiuum amoris fraterni, & obnubilatiuum rationis veræ fidei ad lites & contentiones, ad ſuperbiam & contumaciam, nec non ad ſtrepitum armorum & ſanguinum effuſionem, & ad omnem iniuſtitiam iuris Diuini & diuorum canonum ſemper creuit. Et hæc quidem erant miſerrima & lachrymarum digna, bene ſcientibus, & ſalutem earum deſiderantibus animarum, propter breuitatem temporis huius ſæculi, quod poſt præſentis vitæ tranſitum ad comparationem perpetui & infiniti ſæculi pro nihilo reputatur. Cumque quarto anno noſtri Imperii primo præterito, vox lætitiæ ab Occidente cor noſtrum tetigerit, & inſonuerit auribus noſtris, quæ animi noſtri accendit affectum, quod à patria & origine gentis noſtræ Romanorum generationis diuina gratia planta proueniens, & de virenti viridario tranſplantata, & ad hortum ſimilem inſerta Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, atque litteris ſacris & ſcientia diuinæ ſcripturæ, & dogmatibus vtriuſque Eccleſiæ adornata, & inſpiratione ſanctiſſimi Spiritus animata & augmentata, ad fructum odoris perueniens, ad imperium noſtrum tranſportauit. Nicolaus videlicet venerabilis Præſul Crotonienſis, de quo per multorum relationes virorum venerabilium, veritatem dicentium ſenſimus, ipſum eſſe Dei cultorem diligentem, & Catholicæ Fidei diſcretum & verum prædicatorem, & in omnibus ſermonibus piæ fidei ſine perſonarum acceptione Zelatorem, reuniendæ omnis matris noſtræ Eccleſiæ ſine falſitate vtriuſque partis verum diſpenſatorem: diuinæ ſcripturæ, & quæ ſunt Sanctorum Patrum bene expoſitorem, cui tertio anno noſtri Imperii, tranquillitatis animi noſtri litteras direximus, rogantes eundem, quatenus amore DEI, patriæ & omnium noſtrorum clandeſtinæ ad maieſtatis noſtræ præſentiam perſonaliter ſe conferret, vt ex ore ipſius veritatem Fidei quam confitetur Sancta & Catholica Romana Dei Eccleſia, & doctrinam diuinarum ſcripturarum, quam ad eruditionem proponit ipſa Romana Eccleſia, & formam veſtri diuini Sacramenti immediatè Græco audiremus ſermone, nec non hauriremus veſtram & veſtrorum fratrum plenariam voluntatem. Ipſe autē Dei ſpiritu motus in hac hyeme præ-

me præterita, in vigilijs Dei Christi Natiuitatis ad Imperium nostrum accesserit, quo viso lætati sumus, ac si sanctæ paternitatis vestræ faciem videremus: qui omnia quæ sunt veræ fidei per ordinem referuauit, quæ rectè percipimus: & corde, & animo illustrati inuenimus Sanctam Dei Ecclesiam Romanam, non alienatam à nobis in Diuinis piæ fidei dogmatibus: sed ea fore nobiscum sentientem & concantantem. Prædictus namque Præsul, eiusdem Ecclesiæ doctrinam, & Sanctorum Patrum eius, videlicet sancti Syluestri Papæ, Damasi, Cælestini, Agathonis, Adriani, Leonis maioris & iuniores, Gregorij Theologi, Hylarij Pictauens. Ambrosij Mediolanens. Augustini Hyponens. Africæ, Hieronymi, Fulgentij & aliorum expositiones & dogmata rectæ fidei referauit nostro Imperio, sicut isti sancti exposuerunt prædicta, quæ inuenimus concordantia sermonibus Sanctorum Patrum eius. Videlicet, Athanasij Alexandrini, Basilij Cæsareæ & Cappadociæ, Gregorij Magni Theologi, Gregorij Nysseni, Ioannis Chrysostomi, cum vtroque Cyrillo, & similia sapientes omnino, quæ cum omni fide purissima percepimus, veneramur, credimus, & tenemus: nec non & omnia sacramenta eiusdem Ecclesiæ Romanæ veneramur, effectum credentes habere ea in animabus iustis, quæ Deo coniunguntur, coniunguntur, ac confirmantur. Cæterum vestram Sanctam paternitatem rogamus, quatenus sicut Princeps omnium sacerdotum & vniuersalis Doctor Catholicæ Ecclesiæ sollicitetis continua promptitudine, ad reuniendum eandem Ecclesiam amodo, cui loco Beati Petri DEVS præcipuè vos præfecit, quia iam & nostram tranquillitatem ad hoc peragendum paratam sanctitas vestra habet. Ipsi Matri nostræ Ecclesiæ super omnia & per omnia matri meæ Ecclesiæ superuenienti totius corporis Catholicæ Ecclesiæ omnes gentes & Patriarchales sedes extento diuinæ potentiæ brachio nostri Imperij, ac omnes nationes, ad deuotionem, obedientiam, & amorem eiusdem Ecclesiæ nostri tranquilli Imperij potentia subiugabit. Quare dictum Præsulem cum præsentibus litteris fidei nostræ Catholicæ non ficte, sed ex bona conscientia, & animo Dei amore accenso, ad vestram sanctam reuerendam paternitatem remittimus, vt ipse omnia quæ apud nos & vna nobiscum, & nos cum eo protulimus & ordinauimus, ac nostram voluntatem & propositum vestris sacris auribus oretenus referet Deo dante. Quocirca in Domino supplicamus vestræ Beatæ affectioni, quatenus eundem cum aliis discretis & sanctis viris fissilis & præmunitis Legatis vestræ sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ ad nostrum Imperium reuocetis, ac celeriter remittatis ad nostrum Imperium Paternitas vestra sancta, qui nobis plenariè vestram voluntatem & affectionem referet, & vna nobiscum omnia quæ sunt veræ fidei, reuniendæ Ecclesiæ opere infallibili, valeat percomplere. Nam Imperium nostrum omne propositum animi nostri sanctitati vestræ hactenus multoties præsentauit. Remanet ergo totum negotium ad discretionem vestræ piissimæ sanctitatis, & exinde de cætero Imperio nostro in Dei testimonio accusatio aliqua non potest opponi.

XIV. RVTHENI RECIDVI AD FIDEM AB VRBANO PER FF. PRÆD. MISSOS, REDVCVNTVR. *Cromer. lib. 9.*

Poterant ista omnia, ab Imperatore Orientis, erga Sedem Apostolicam officia, Vrbanum Pontificem recreare, & nonnihil spei afferre, vt aliqui Ruthenorum non ita pridem reduces, sed per id temporis ad vomitum reuertentes, iterato ad Ecclesiam redirent. Sed parum respondit spei conceptæ, rei euentus. Ita se res habuit. Post mortem Colomani Vngari Halicienſium Regis, Daniel Romani Ducis filius aduersæ factionis Ducibus vel domitis, vel in suam sententiam adductis, magnam potentiam & monarchiam fere in Russis Australibus vsurpabat. Et quo maiorem sibi authoritatem compararet, Legatione ad Opissonem Legatum Apostolicum in Poloniam missa, cum promitteret se cum vniuersa gente sua ad Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ societatem siue vnitatem accessurum, & Christianas regiones aduersus Tattaros, qui iam ingentem formidinem omnib. Principibus Christianis incusserant, defensurum, nomen ac diadema regium sibi ac posteris suis, nec quicquam dissuadente Opissoni Prendota Episcopo Cracouiensi, & nonnullis aliis, impetrauit. Verum consecutus id, quod concupierat, fidem & iuisiurandi religionem violauit, & in pristinum errorem relapsus, non modo non defendit à barbaris Christianos, verum etiam cum Tattaris, mox etiam cum Lituanis, pariter cum Mendegone suo nuper exeadem occasione facto Rege Lituanorum, ad priores errores & ritus reuersis, infestauit. Sciuit hæc post Alexandrum Quartum Vrbanus, & vehementer indoluit. Cumque humana non tanti essent, diuina vel implorauit, vel adhibuit remedia. Neque falsus spe sua fuit ex ea parte, quæ à Lituanis. Nam ii ditionibus Christianorum cum primum infesti esse voluissent, diuinitus puniti sunt. Etenim Mindacus eorum Dux, à Stroinato fratris filio, per insidias, dormiens cum filiis interfectus est, & Stroinatus dominatu potitus. Nec pacatior is futurus erat, aut mitior in Christianos. Mox enim initio Principatus sui Masouiam circa Ciruinum depopulatus est, captaque Orsimouia arce mares quidem puberes trucidauit, impuberes vero cremauit; porro fœminas cum cætera præda captiuas abduxit. Sed cito sceleтum suorum pœnas dedit. Nam à Voisalco Mindaci interfecti filio superstite, qui Monasticæ vitæ institutum apud Russos professus erat, & à Theophilo eiusdem Mindaci consobrino venationi vacans, captus, excruciatus, atque necatus est. Nec ita multo post, Voisalcus à Leone Danielis Russorum Regis filio per dolum interfectus est. Iazyges, vna cum Lituanis, etiam Polonos Christianos turbarant. Dum itaque ad eum modum tumultuaretur, inque inuicem sæuiretur in Lituania, non putauit Boleslaus Pudicus præstermittendam sibi esse illam occasionem, quin Iazygas finitimos & infestos ditionibus suis vlcisceretur. Itaque duxit in eos exercitum: & quidem composito agmine, instructaque acie incedebat. Neque enim dubitabat eos, vt erat gentis ad moriendum, iuxta ac vincendum pertinacia, ad pugnam quamuis iniquam sibi occursuros esse, neque passuros, vt se inspectantibus regio sua vastaretur. Neque sane opinio eum fefellit: Nam vt is eorum fines ingressus est, ad XXII. diem mensis Iunii, ad fuit mox omnis multitudo barbarorum Conatho duce ad depellendum bellum parata, & vix præuisa à speculatoribus Christianorum, illuscescente sole ad statiua eorum magna alacritate contendit. Et hic quoque diuina vltio in impios non abfuit. Eduxit suos Boleslaus in aciem: certarunt infestis animis: cumque aliquot horis marte dubio pugnatum esset, tandem superante Christianorum multitudine, ad paucos redacti barbari, ducem inter primos pugnantem amiserunt. Nihilo tamen minus pedem retulerunt. Ita fortiter dimicantes ad internecionem vsq; cæsi sunt: adeò vt ex eo tempore nomen quoque Iazygum pene deletum sit. Regione eorum deinde potitus Boleslaus, gentis reliquias Christianam religionem suscipere, capitali pœna in contumaces sancita, coegit: & ne regio vasta & inculta maneret colonias eo deduxit. Ab Vrbano deinde summo Pontifice mandatum ad Archiepiscopum Gnesnensem impetrauit, vt nouum Genti præficeret Episcopum: licet id tunc temporis, sed postea Ludouico Rege regnante, Luceoriensi Episcopatu instituto, ad rem collatum non est. Danieli quoque Ruthenorum perfido, non impunè fuit. Nam etiam is immatura morte præreptus, ad atrociores inferni pœnas damnatus est. Non istud satis fuerat Vrbano Pontifici, ad rem Christianam apud vtramque gentem promouendam. Sed cum quidam ex inopinatis istis euentis, de diuini Numinis benignitate magis confirmatus fuisset, ad ferenda auxilia residuis manum pastoralem apposuit. Itaque & in Russiam, & in Prussiam, & in Liuoniam, & in Lituaniam Fratres Ordinis Prædicatorum multo plures quã antea ire, & diligentissimam eos operam, in reducendis schismaticis atque conuertendis gentibus, nauare præcepit. Anselmus Valniensis hoc anno Episcopus, Vrbani Quarti Pontificis Legatus, litteras eisdem Fratribus datas ab eodem Pontifice Viterbii X. Calend. Ianuarii, quarum intium est: *Inter multa discrimina*, apud Castrum Brod, suo instrumento insertas exhibuit, præcepitque vt Gentilibus quidem variis in Prouinciis, ex eo errore detentis, lucem Euangelicæ veritatis accenderent: schismaticos autem à corpore Ecclesiæ præcisos, ad vnitatem reducerent. Quantum operæ illic Fratres Prouinciæ Poloniæ eiusdem instituti posuerint, religiosissimæ olim Prussiæ, Pomeraniæ, & Liuoniæ templa innumerabilia magnificentissimo sumptu elata, monasteria virorum & virginum extructa & diuitata, ac diuini cultus splendorem & ornatum, vasa aurea & argentea, nullibi, vt apud eas nationes opere, materia, pondere & numero multiplicata, testimonium reddebant. Tanto ardore illi exceperant vitalis semina Euangelicæ sementis, sparsa à Fratribus Prædicatoribus.

VICTORIA BOLESLAI PVDICI DE BARBARIS.

Extat autographum in Conuentu Torunem.

Non impari conatu ad Mauros Africanorum & Hispa-

XV.

niarum,

MAVRI EX PARI FELICITATE AD FIDEM VENIVNT PER REGEM CASTELLÆ.

niarum, siue conuertendos, siue profligandos, Vrbanus Papa laborauit. Cumque per id temporis Rex Castellæ Insulã Galæciam eis eripuisset, & colonias Christianorum in eam deduxisset: vtque eosdem Christianos indidem facilius contineret, in Ecclesia sanctæ Crucis, quam nuper condiderat, locum sepulturæ sibi delegisset, iusque ex electione factum, seu acquisitum, à Sede Apostolica confirmari postulasset, magis quam lubenti animo confirmauit, datis apud vrbem veterem litteris XII. Calend. Septemb.

XVI. *epist.210.* IACOBVS ARAGONVM REX, IVDÆOS ETIAM AD EIDEM NITITVR VOCARE.

Exemplo Pontificis & vicini Castellæ Regis, Rex quoque Aragonum animatus, ad perfidos Iudæos conuertendos, nulli labori pepercit, hancque Constitutionem sequentem euulgauit, dignam omnino quæ legatur. Ita habet.

Iacobus DEI Gratia Rex Aragonum, Maioricarum & Valentiæ, Comes Barcinone & Vrgelli, ac Dominus Montispessulani, fidelibus suis vniuersis & singulis Iudæis in toto districtu nostro vbique morantibus, ad quos præsentes peruenerint, salutem & gratiam.

Mandamus & districtè præcipimus vobis, quatenus cum dilectus filius noster Fr. Paulus Christiani de Ordine Fratrum Prædicatorum quem ad vos pro via salutis ostendenda mittimus, venerit ad vos, ad synagogas vel domos vestras, vel catera loca causa prædicandi verbum Dei, vel disputandi, vel conferendi vobiscum de scripturis sanctis in publico, vel in priuato, vel familiari collocutione, simul vel seperatim, ad eum teneamini venire, & manfuetè, & fauorabiliter auscultare, suisque interrogationibus de fide & scripturis sacris secundum quod sciueritis, humiliter & reuerenter, & absque calumnia & subterfugio respondere. Et libros vestros, quibus ipse indiguerit ad veritatem vobis ostendendam, eidem exhibere: & expensas quibus indiguerit dictus frater circa libros suos apportandos de loco ad locum, quos propter veritatem vobis ostendendam deferri fecerit, & fratres sui ordinis ex Constitutione sua habent, quod expensas non deferant, vos easdem expensas soluere teneamini, nobis illas imputantes, de tributo quod nobis facere tenemini deducentes. Mandamus insuper & districtè precipimus omnibus Baiulis, Vicariis, & aliis officialibus nostris vniuersis, vt prædictos Iudæos, si prædicta gratis facere noluerint, auctoritate nostra compellatis, fide nostri gratia confidunt vel amore. Datum Barchinonæ IV. Cal. Septembr. anno Domini 1263. Hæc Iacobus, vt sua ui ratione Iudæos ad fidem Mediatoris adduceret.

XVII. BLASPHEMIAS RORVM IN DEVM ET B. VIRG. EDICTO TOLLIT.

Cæterum ne ipsi illi perfidi, aut Orbis Redemptorem Cruci pro salute omnium affixum, aut Diuam Cœlorum Reginam eiusdem mediatoris iam nati Matrem ac Virginem, blasphemiis aut dicteriis ex more proscinderent, vtque eadem ex libris suis, quamprimum eraderent, grauissima alia Constitutione, sub pœnis tum pecuniariis, tum corporalibus, ex voto sancti Raymundi Pennafortii, & Fratris Arnoldi Segarræ, edixit, eademque supplicia ex illis desumpsit, qui vel non erasissent, vel aliqua in contumeliam Oeconomiæ salutis nostræ vomuissent.

XVIII. OBITVS SS. ALIQVOT ORD. PRÆDICAT.

Francisc. Dra. in hist. Arag.

Lusitan. in Chron.

Neque isti tantum, pro fide Christiana in Hispaniis expurganda, amplificanda & defendenda, ornandaque, sed & alii quamplures ex eadem religione Prædicatorum. Præsertim verò, alibi etiam locorum laborarunt. Dabo aliquos, qui hoc tempore, in diuersis Prouinciis & Cœnobiis, aut floruerunt, aut obierunt. Beatus Garsias, Cantaber natione, Vulcosius cognomine, magni nominis Theologus, Ecclesiastes, Catechista, tanti propter merita, vitæ innocentiam, & miraculorum operationem apud Iacobum Regem Conquisitorem fuit, vt non alteri extremæ voluntatis suæ codicillos ad exequendum quam illi reliquerit. Diem extremum Vlyxippone cum obiisset, magnis & admirandis miraculis effulsit. Non minoris meriti apud DEVM, & vtilitatis apud Ecclesiam militantem, Beatus Petrus Lusitanus, rara patientia, singulari humilitate, & in consolandis afflictis, inuandisque infirmis incomparabili charitate. Ipse aliquando infirmus, non tantum mente in cœlestia, sed & corpore in aera raptus, ineffabilia vidit: quorum licet aliqua Egidio Confessori suo vel inuitus renunciasset, secretum tamen quoad vixit, vt teneret edixerat. Sanitati restitutus, cum aliquando in oratione ante quandam aram persisteret, satanam in specie religiosi ad se venientem aspexit: qui calce impacto pedi suo dolorem intolerandum illi incusserat. Nam inde subnata est ei in pede percusso fistula, quæ illum morte confecit. Ex qua cum animam ageret Petrus, ex vultu illius lumen insoliti splendoris effulsit, miraque alia lux de cœlo in cubiculum illapsa, tantoperè illud illustrauit, vt Prior, qui officium Commendationis animæ legebat, non alio lumine in nocte obscura indigeret. His inferiores dignitate, pares tamen sanctitate, duo Conuersi, Dominicus & Martinus Lusitani: æquales inter se puritate, humilitate, simplicitate, obedientia, ac reliquis virtutibus, nisi quod Dominicus virginitatis incontaminatæ candore præstabat. Erga Diuam Agnetem Martyrem singulari deuotione ferebatur. Quam obrem aliquando ex hydrope laborans, meruit illam visibiliter sibi apparentem aspicere. Venit ad eum elegantissime & supra humano vultu speciosa puella, candidis vestimentis induta: atque cum illum ad patientiam & tolerantiam malorum monuisset, mirabili alloquio recreauit. Ad primum aspectum, non putauit Diuam esse, atq; ad custodem conuersus: ecquid mulieres intra Cœnobium admisisset, eum redarguit: cum in momento Sancta Agnes, quænam foret aperuit, & horam mortis illi in crastino imminere renunciauit. Euenit, quod illa prædixit. Die enim sequenti, qui eidem Diuæ consecratus est, sanctam animam efflauit. Fr. porrò Martinus, etiam ante octo dies, diem mortis suæ per reuelationem agnouit, & rite sacramentis procuratus, ad cœlos emigrauit: magno fructu animarum ab exemplo virtutum inter quos viuebat post se relicto. Tertius coæqualis eorum Beatus Consaluus Lusitanus Conuersus, eadem integritate, demissione, promptitudine, ac reliquis animi ornamentis excultus. Ægrotanti, longiorem vitam Medici promittebant, cum is in crastino diluculo se moriturum, & in cœlum se abiturum prædixit. Nam matris suæ & sororis pridem defunctarum orationibus, & Diuæ Deiparentis Mariæ meritis, ait, scio, quia CHRISTVS mihi morienti, comitatus plurimis Beatorum nostri Ordinis apparebit, meque ad regna sua euocabit. Dixit ista, & sanctissimis sacramentis, quæ summo ardore postulauerat, maxima cum contritione receptis, eo quo prædixerat diluculo, in cœlum euolauit. Superior his officio atque dignitate B. Fr. Martinus Lusitanus, olim in sæculo Capellanus Episcopi Vlyxipponensis. Is etiam in peruigilio Ascensionis Dominicæ lenta, nec periculosa febre correptus, cum eum Beatus Egidius Poncellus visitasset, & breui eum ad sanitatem reuersurum dixisset: Martinus data voce, & vultu alacri, lætari se plurimum in eo dixit, quod, inquit, dictum est mihi: in domum Domini crastina die ibimus. Inde innctis in modum supplicis manibus, & in cœlum elatis oculis, voce à suspiriis eleuata Saluatorem, vt in eius Ascensionis festiuitate ad cœlum raperetur, ardentissimè flagitauit. Impetrauit autem quod petiit. Nam eius festiuitatis die, cum sacra diuiniora percepisset, meruit ad dexteram Ascendentis eleuari, atque considere.

Cont. PP.

XIX. DÆMON IN SPECIE B. VIRG. APPARENS PER SS. EVCHARISTIAM A FR. PRÆD. FVGATVR. *lib. 23. c.10. §.1.&2.*

Plane omiseram duos vel tres alios, nisi Diuus Antonius mihi illos ostendisset, dignos qui inter viros Principes Ecclesiæ, contra malignos decertantes, censeantur. Admiranda sunt, quæ de illis ferebantur. Sed narrabo ea plane simplicitate, qua à sancto descripta sunt: ne quidpiam in rebus grauissimis aliquis me aut somniasse, aut immutasse criminetur. Ita narrabat.

In Theutonia Conradus hæreticis martyrizato, quidam seductus à dæmonibus, Fratrum quendam Prædicatorum sibi dilectum ad hæresin inuitabat. Hunc cum videret omnimode resistentem, ait: si ipsum CHRISTVM, & Matrem eius, & Apostolos, & sanctos mecum sentientes tibi ostendam: mihi credas? Frater autem cogitans eum phantasia deludi, esseque deceptum, ait: non immeritò credam, si verè probaueris, quod promittis. Tunc hæreticus gauisus, noctem statuit, qua promissa compleret. Frater autem cautus, & numine instructus, secreto & reuerenter Corpus CHRISTI in pixide sub caputio ante pectus suum ponens perrexit deuote, orans DEVM, ne illi aliqua illusio præualeret. Cum autem hæreticus eum ad vicini montis pedem duxisset, vidit in momento palatium præclarè refulgès, & redolens multo aro-

mate,

mate, atque in circuitu collocato thronos: in quorum primo Rex fulgore coruſco, circumdatus multitudine candidatorum, & iuxta eum Reginarum pulcherrima reſidebat: Iſtud vt hæreticus aſpexit, ſtatim in faciem procubuus adorauit. Frater autem diuina virtute ſubnixus, cum è ſinu Corpus Dominicum extraxiſſet, & in ſolio Reginæ ſedenti obieciſſet, ait: ſi cœli ac terræ Regina es: ecce filius tuus: adora vt Deum. Vix iſta protulerat, & Diuinam Euchariſtiam oſtenderat, cum illico omnis iſta illuſio euanuit, & tenebræ tam denſæ illatæ ſunt, vt vix omnino eruperint.

XX. EXSPVTATIONE IN FACIEM AB ALTERO DEPVLSVS.

Alteretiam quidam Frater Pariſienſis in oratione & lachrymis quaſi continuus, ſcholas & ſtudium dimiſerat, totus deuotioni intentus. Huic Angelus tenebratum ſe in Angelum lucis transfigurans, cum in ſpecie Diuæ Deiparæ frequentius appareret, multa ſecretiora reuelabat, & eius ſtatum multum laudabat. Cum autem Fr. Petro Priori Cænobii Cremonenſis iſtud enarraſſet: ſpue, inquit Prior, in faciem apparentis. Si enim, aiebat, eſt Beata Virgo: humilis eſt: & non indignabitur: ſed excuſatam habebit obedientiam tuam. Si verò ſatanas eſt: ſuperbus eſt, non feret: ſed confuſus diſcedet. Fecit iſta Frater: Satanas confuſus, diſceſſit, ſæpius repetens: Maledictus tu, ait, eſto, vna cum eo qui te edocuit.

XXI. SARACENVS MONACHVS CONVERSVS PER ÞRÆD.

Tertius inter iſtos ſe offert, vir religioſus & verax Fr. Petrus de Sezaria Gallus. Is cuiuſdam Saraceni, miram conuerſionem, his ipſis verbis memorabat, tunc, cum pro ſedanda Græcorum contradictione aliquot Fratribus comitatus Conſtantinopolim aduenisſet, accidiſſe. Quo tempore, ait, venit illuc quidam Saracenorum Monachus, paternarum ſuarum traditionum vehementiſſimus æmulator: virtutibus quidem politicis extrinſecus miro modo adornatus, ſimpliciſſimo aſpectu, viliſſimo habitu, modeſto inceſſu, raro ſermone, ſed virtutibus veris prorſus inanis. Cum ergo colloqueretur in porta, quærens eos auertere, & trahere diſcipulos poſt ſe, ego vocatus interueni. Miratus ſum, fateor, tantam in eo compoſitionem, quantam apud nos in nullo fere vnquam aſpexerim. Sed paulò poſt, cum DOMINVM IESVM CHRISTVM blaſphemaſſet, dicens purum eſſe hominem, exhorrui vehementer: & fidei gratiam meritumque plus ſolito in me ipſo perſentiens, Fratres meos compeſcui, & indicto ſilentio interrogaui Saracenum: ſi in lege eorum ſcriptum eſſet, vt quicunque in poteſtate eorum contra Mahometum aliquid ediceret, ſine vlla miſericordia capite plecteretur. Affirmante Saraceno, ſubintuli: & tu itaque à nobis capite imminuendus es: vel Mahometi conſtitutio eſt iniuſta. Si enim ille, qui coram Saracenis Mahomadum (quem Prophetam DEI ſummi, non tamen DEVM aſſeritis) blaſphemauit, iuxta legem occiditur: eodem modo & ille, qui CHRISTVM DEVM, non tantum magnum Propheram, ſed etiam Deum & Dominum omnium Prophetarum, coram Chriſtianis blaſphemauerit, iuſta, imo iuſtiori lege ab eis occidetur. Legem itaque patiere, quam tu pro Mahometo ſtatuiſti. Obmutescente illo, ſubiunxi: Noli metuere: neque enim moreris. Lex enim Mahomedi iuſta non eſt: verumtamen quia DEVM blaſphemaſti, non impune tibi erit, & cum hoc Præfecto Imperatori ſignificaſſet, ille duobus miſſis apparitoribus, Saracenum coniecit in vincula, & detruſit in carcerem. Cumque in illo fere per biduum nihil manducaſſet, aut bibiſſet, ſed in lapide ſedens immobilis oraſſet, veni ego cum interprete in ergaſtulum, vt ægrum animi inuiſerem. Ille autem ad noſtrum conſpectum ſurrexit, & ait: Priuſquam vos veniretis, obdormui ſuper lapidem iſtum, & videbar mihi videre meum Abbatem partem panis teterrimi mihi porrigentem: deinde vos ſuperuenire, panemque vnum integrum, & ſplendidum mihi afferentes, & ad eſum illius inuitantes. Statimque ego Fr. Petrus, panem integrum & candidum, quem ignorante meo ſocio mecum detuleram, pauperi & famelico obtuli dicens: Ecce veram fecit Dominus viſionem tuam: accipe panem hunc & manduca. Cumque ille acceſſiſſet, ait ad eum: Interpretationem quoque viſionis veraciter tibi oſtendam. Partem panis teterrimi, quo canes aut porci paſci ſolent, quam vidiſti, certiſſime noueris Mahomedi eſſe doctrinam, quam faucibus auidis deuorant homines ferini & animales, & irrationabiliter contra veritatem latrantes, exterius tantum delectati, ſed corde vacui & inanes. Propter quod & partem illius panis vidiſti in manu tui Abbatis, qui tibi hanc fœdiſſimam doctrinam miniſtrauit. Porrò panis vnus, integer, & candidus, Dominus IESVS Chriſtus eſt, qui ſuos paſcit ac reficit ſcientia & doctrina. Ipſe eſt enim panis, qui de cœlo deſcendit, quemadmodum ipſe de ſe pronunciauit. Hic eſt panis ſubſtantialis, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ DEI, qui totus aſſumitur à ſingulis, & integer perſeuerat, quem tu heri blaſphemaſti, quem nos tibi offerimus adorandum ac credendum. His ad eum dictis diſceſſimus: ille autem ex noſtro mandato de carcere dimiſſus venit ad Fratres Minores Pontificis apocriſiarios, qui eum ad nos remiſerunt, & doctus diligenter à Fratribus, & per 40. dies in horto domus noſtræ, in quadam veteri Græcorum Eccleſia ſolus commorans, cibo pauciſſimo contentus ſymbolum fidei, & alia rudimenta Catholicæ veritatis, apprehendit: atque ex toto corde ad Dominum conuerſus, in die Conuerſionis B. Pauli Apoſtoli baptizatus, Pauli nomen accepit, & Domino inpoſterum; maxima cum deuotione & humilitate ſeruiuit. Sed ad Vrbanum Pontificem reuertamur.

In Italia, maximos motus, Lombardia pertulit, Manfredo Tarentino, & Vberto Pelauicino, ciuicum bellum concitantibus. Quæſiuerant omnes, cæperuntque poſt mortem Ezelini & Alberici libertati ſtudere, quam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fauor & vmbra proximè protexiſſet. Brixianos tamen omnium primos inchoatam pauciſſimis diebus quietem continuare prohibuit tyrannus. Cum enim Gibellini vrbem adminiſtrantes Guelfis extoribus reducendis, ſuſpenſi animi deliberabundique penderent, Vbertus Pellauicinus id fieri diſſuaſit, per cuius facti ſpeciem conſeruandi copias vrbi admouit, de quo loco clandeſtina cum extoribus Guelfis machinatus eſt, remque in eum perduxit ſtatum, vt vrbi adminiſtrandæ ab vtriſque præfectus eam ſuo domino ſubegerit. Manſerat ad eam diem in carcere Archiepiſcopus Rauennas ſummi Pontificis Legatus, quod eum Gibellini, ne Guelfis faueret, dimittere noluiſſent. Hunc etiam Pelauicinus iuſſit in carcere diligentius cuſtodiri, ne Prouinciam in pace, & obedientia Pontificis liberatus conſeruaret: quam ipſe turbatam euertere, & ſibi ſubiicere intendebat. Monebat illum Vrbanus Papa, vt & Legatum dimitteret, & Lombardiæ pacem reſtitueret: verumtamen hic Epiſtolas & mandata Pontificis contempſit, nec quicquam eorum, quæ is poſtulaſſet, præſtare voluit. Quamobrem Vrbanus pro die Cœnæ Dominicæ, & in dedicationis Baſilicæ Diui Petri, atque Aſcenſionis Domini ſolemnitatibus, præſente innumerabili populo, ex more Eccleſiæ peruetuſto, eundem Vbertum Pellauicinum, Manfredum Tarentinum, turbarum auctores, & vnacum illis eorum complices, milites, adhærentes, fautores, conſultores, & reliquos quocunque modo impiiſſimi belli adiutores, diris deuouit. Hæc cum agerentur, in deſperationem liberationis adductus Legatus Rauennas Archiepiſcopus, ingenio eſt vſus. Namque cuſtodibus à Pelauicino datis, pecuniam numerauit, eiſque re nummaria corruptis, è carceribus aufugit, Mantuamque ſe contulit; quæ Vrbs ſimul cum Verona, Vicentia, & Patauio, inchoatam ad Ezelini mortem concordiam atque pacem conſeruauit. Veronenſes enim accerſitum Mantuam Ludouicum ſancti Bonifacii Comitem ciuem ſuum, non vt Dominum, ſed tanquam publicorum directorem executoremque conſiliorum venerabantur. Et Mantuam Rauennas Archiepiſcopus ſua præſentia tutam fecit, Gregorius autem Montelongus Patriarcha Aquileienſis, Patauium, Vicentiam, Taruiſium, Feltrumque & Cenedam tutabatur. Pelauicinus vero præter Brixiam, Cremonamque ſubditas ſibi vrbes, Placetiam, Parmam, Papiam, & ipſum etiam Mediolanum ita ſuis partibus infecerat, vt alter Ezelinus putaretur eſſe effectus. Manfredus altera ex parte, Tuſciam & Marchiam Anconitanam, in Diui Petri Patrimonium

XXII. *Blond. dec. 2. lib. 8.* MANFRED. DVX TARENTINVS ET VBERTVS PELAVICINVS EXCOMMVNICANTVR, LEGATVS PONTIFICIVS EX CARCERE FVGIT.

obliga-

obligatas Prouincias, Teutonicis militibus ſtipendio conductis diuexabat. Conatus eſt iſtos Theutonas à Manfredo auertere, & in vſum Eccleſiæ adducere Vrbanus. Itaq; ijs vniuerſis ſcripſit, vt relicto Principe Tarentino arma & vires Sedi Apoſtolicæ commodarent, magiſq; in cauſa iuſta ac pia, quam iniuſta & impia mereri ſtipendia vellent, quæ quidem ille, ducentis armatis in annum integrũ, ducentis vero reliquis in tres menſes numerate volebat. In eam rem & Conrado Duci Sueuiæ Epiſtolam miſit, monitq; vt pro ea deuotione, quam Romanæ Eccleſiæ matri omnium fidelium debuerat, Teutonicis Manfredo contra Sedem Apoſtolicam militantibus, perſuaderet, vt vel eam quam profanis armis infeſtabant defenderent, vel ſaltem profano illo relicto ad partiam reuerterentur.

epiſt. 139. apud Vrb. vet. 5. Idus Iul.

epiſt. 167. apud Vrb. vet. Idibus Aug.

XXIII. *Rubeus hiſt. Rauen li. 6.* SENTENTIAM EXCOMMVNICATIONIS IN PELAVICINVM VVLT PER TOTAM ITALIAM PROMVLGARI VRBANVS.

Porro eam excommunicationis ſententiam quam in Vbertum Pelauicinum tulerat, in vniuerſa Italia promulgatam eſſe voluit: datis ad Philippum Rauennam litteris, his ipſis verbis:

Vrbanus Epiſco. ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Archiepiſcopo Rauennati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum nos nuper contra Vbertum Pelauicinum, nec non aduerſus quaſdam communitates, & quoſdam nobiles, ac Magnates Prouinciæ Lombardiæ, præſente multitudine fidelium copioſa, ſub certa forma duxerimus procedendum, prout in litteris Apoſtolicis proceſſum huiuſmodi continentib. quas tibi latore præſentium aſſignabit, plenius continetur, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus litteras ipſas diligenter inſpiciens, proceſſum ipſum, & tu ipſe per te, ac alios ſolemniter publices, clericis & populo tuæ ciuitatis & diœceſis, quos ad hoc ſolemniter euocari volumus, & à tuis Suffraganeis, nec non à venerabili fratre noſtro Ferarienſi Epiſcopo, facias ſimiliter, conuocatu ad hæc ſuis Clericis & populis, per ſe vel per alios publicari. Contradictores, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum apud Vrbem Veterem Nonis Ianuarii Pontificatus noſtri anno 2.

Iſtud Vrbani Pontificis mandatum, Philippus, euocatis Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitiſque diuulgari mandauit, litteris ſuis Argentæ 2. Non. Februarii ſcriptis. Nam Pelauicinus, Manfredi Tarentini, in Subalpinis Vicarius, vt Carolo Comiti Andegauenſi, in Italiam vocatu Pontificis cum exercitu ad uerſus Manfredum deſcendenti, omnes aditus terra intercluderet, laborabat, ſeque cum Martino, Philippo, Napo Turrianis, Nouariæ, Comi, Brixiæ, ac pene Mediolani Principibus, pro Manfredo, in Guelfos Pontificis ſtudioſos coniunxerat. Maſtinus etiam Scaliger, ex Prætura Veronenſi, cum infinita prope auctoritate, ob abſolutum eius ciuitatis imperium aſpirans, Gibellinis fauebat: qui propterea plurimum in ea Prouincia poterant, quemadmodum & in Tuſcia, poſtquam Guido Nouellus Manfredi Vicarius, eos Florentia extorres diſſipauerat.

XXIV. MEDIOLANENSIBVS DAT ARCHIEPISC. VRBANVS, NEGLECTIS DVOB. APOPVLO ELECTIS. *Chron. Boſſiana.*

Mediolanenſes ex hac cauſa turbabantur. Mortuo Leone Archiepiſcopo, ac Legnani ſepulto, per diſceptationem ciuium duos pariter Archiepiſcopos elegerant, Raymundum Turrenſem & Septalam. Dum autem alteri contra alteros tumultuarentur, reſedis Apoſtolicæ ſubſellia delata, Vrbanus Pontifex electionem ciuium abrogauit, & Octauiani Cardinalis non ita pridem in Gallia Ciſalpina Legati ſuaſione, Ottonem Vicecomitem Deſii canonicũ, Archiepiſcopum Mediolanenſi Eccleſiæ præfecit. Offendit ea creatio Martinum Turrianum, quod is fratrem ſuum ab Vrbano Pontifice præteritum ægre ferret. Itaque offenſus Pontifici, fines Eccleſiæ inuaſit. Pontifex autem Vrbanus diris eum deuouit, & Mediolanenſi vrbi ſacris interdixit. Cumque is nec quicquam ad mentem reuerteretur, quin potius in odium Apoſtolicæ Sedis, Pontificias partes perſequeretur, & Gibellinorum vires excitaret, manifeſteq; Manfredi impietatem tueretur, Vrbanus propoſitæ iuſtitiæ tenax, Ottoni Archiepiſcopatum confirmauit, eumque ad præſidendum Sedi ſuæ ire iuſſit. Is porro in ſocietatem acceptis exulibus nobilibus, die 1. Aprilis Aronam occupauit. Sed cum Turriani, Vberto Pelauicino auctore & adiutore, oppidum obſidione cinxiſſet, neq; illum Otto amplius ſuſtinere poſſet, ſub certis conditionibus illud dedit, atq; ad ſummum Pontificem reuerſus eſt. Recepto oppido Turriani arcem Aronæ, ne amplius hoſtib. receptaculum foret, quinto die Maii, & paulo poſt vicinorum oppidorum Angleriæ atq; Brebiæ diruerunt. Vltus eſt Deus temeritatem Martini Turriani. Hoc enim anno die VIII. Septemb. cum in grauiſſimam ægritudinem incidiſſet, non multo poſt deceſſit, XVIII. Decem. apud Claramuallem ſepultus.

In Anglia, vſque in annum præſentem inteſtina bella. Poſtquam enim Rex Henricus, pace cum S. Ludouico compoſita, ſatis ſibi ad domeſticos motus reprimendos potens videretur, ex Galliis reuerſus parato confeſtim exercitu, iã palam prædicare cæpit, ſe nolle conſtituta per concilium Oxonienſe, neq; confirmare, neq; permittere, vt illis populus vteretur, aut frueretur. His reb. cognitis, magnæ in regno diſcordię verſari cęperunt: nam optimus quiſq; valde fremebat, quod Rex foris regni finib. maxime imminutis, domi etiam omnia deteriora reddere conaretur. Quamobrem ad arma, Principes multitudinis conclamantes, eam rem vlciſcendam putauerunt, Duceſque bello ciuico conſtituerunt, Simonem Montforten. ſ. virum magnæ ſcientię militaris. Loceſtrię, Gilbertum Clarentiæ Dominum Glocestriæ ac Robertum Ferrysum Derbii Comites, cum nonnullis aliis militaris diſciplinæ viris longe peritiſſimis. Simon. n. vt fidem populo datam ſeruaret contra Henricũ venire coactus eſt, pro qua ſponſor, præſq; erat. Rex itid. fretus auxilio Richardi fratris, qui paucis ante diebus ex Germania redierat, in armis erat. Varia fortuna, maxima tamen ad extremum cum Regis nominia ceratum. Henr. enim confuſſo ex vtroq; latere equo, captus fuit, cum Richardo fratre & Eduardo filio, atq; aliquot Ducib, cæteri partim cæſi: & in ijs tres Comitis Marchiæ filii, partim pulſi fugatiq; ſunt. Eduardus paulo poſt ope Gilberti fuga elapſus, & Vigorniam profectus, exercitum confeſtim reparauit, in aciem eduxit, Simonem Montforten. & filium eius Henricum occidit, patrem & patruum è manib. hoſtium eripuit, & ad 4. millia perduellium collatis ſignis proſtrauit, reliquos. a. in fugam compulit atque diſſipauit. Reliqui Principes qui arma in Regem mouerant, ſibi timentes Londinum confugerunt: hæc. n. Ciuitas adhuc in eorum fide permanebat. Ea de re Henr. Rex certior factus, ne ſpatium parandi vires hoſtib. daretur, propere Londinum perrexit, ſed clauſis à ciuib. portis, prope muros caſtra diſpoſuit, atq; ad oppugnationem Vrbis machinas bellicas ſtudio comparauit. De his certior factus Vrban. Pont. Rom. miſit in Angliam non Othobonum tituli Diui Hadriani Diaconum, ſed Guidonem Epiſcopum Sabinenſ. Card. Legatum, qui oĕs controuerſias cognoſceret, diſcordias ſubmoueret, concordiam q; conglutinaret. Is Londini erat, cũ ciuitas Regi venienti portas occluſiſſet, & quoniam contra atque ciues volebant admoneret, in turrim conie ctus fuit: quanquam illum ſummus Pontifex, & Henrico, & optimatibus & Reginæ, & Eduardo primogenito, vt cum honore haberetur, commendaſſet. Cæſum tunc Simonem Montfortium tantopere vulgus deſiderauit, vt prope diuinos honores ei exhibuerit, ac velut martyrem eum coluerit: nec niſi grauiſſimis propoſitis pœnis atq; ſuppliciis per Regem propoſitis cohiberi potuit, à ſtulta opinione, & profani hominis veneratione. Vrbanus enim Pontifex iſtud bellum contra Henricum Regem à ſubditis excitatum, nefarium iudicauit: Richardoq; Regi Rom. electo per litteras auctor fuit, vt fratrem Regem in diſcordiis ſiue ſedandis, ſiue eradicandis adiuuaret.

XXV. REBELLES IN ANGLIA REGEM SVVM, ET ROMANOR. VINCVNT, QVI RVRSVM ABEDVARDO FILIO OCCISIS DVCIB. LIBERANTVR. *Polyd. li. 16.*

epiſt. 186. apud Vrb. vet. 2. Id. Decemb.

epiſt. 188. apud Vrb. vet. 16. Cal. Octob.

Eod. an. Vrban. Papa 1. Philippo Regis Galliarum S. Ludouici primogenito, ne quibuſdam promiſſis in iuuentute factis, & præſertim ea quam, vt ſub tutela matris, moriente prius patre, aduſq; annum ætatis trigeſimum ſtipulatione confirmauerat, teneretur, quod id ex Regni vtilitate fore videret, indulſit. 2. Mariæ Reginæ Hungariæ, quædam caſtra & bona à Bela Rege marito dotis nomine, annuente Stephano Rege Hungariæ donata, confirmauit: eundemq; Stephanum, vt nonnullas poſſeſſiones matri Reginæ, & Agneti Duci Galiciæ ereptas reſtitueret, admonuit. Quod ſi contemneret, Veſprimien. Epiſc. committebat, vt cenſuram Eccl. in contumacem Stephanum diſtringeret. 3. Ordinem Eremitarum S. Aug. quem in Etruria & Piceno vi-

XXVI. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI VRBANI IV. *l. ep 136. ap. Vrb. vet. 2. Non. Iul. 2. ep. 176. & 177. lib. 12. Cal. Ian. 3. Ciacon.*

gentem,

gentem Innoc. IV. Papa, Fratris Lanfranci Setaræ nobilis Mediolanensis. Prioris Generalis rogatu, aliquot Eremitarum collegiis additis, vt Guillelmitarum Fr. Ioannis Boni, Britiniensis. Thabalium, pœnitentiæ Iesu Christi, amplificauerat, & anno salutis 1256. 5. Idus April. confirmauerat, iterum approbauit, & priuilegiis ornauit. 4. Baiulo Regni Cypri, vt Archiepiscopo Nicosiensis in excessibus Cleri Latini & Græci corrigendis castigandisq; tum assisteret, tum auxilium præstaret iniunxit. 5. Proceribus eiusdem regni Cyprii, ne vel Genuensibus contra Venetos pugnantibus vel Michaeli Palæologo homini vaferrimo, per discordias Latinorum, eorundem vires labefactare conantibus adiungerent præcepit, eaque de causa Legatum ad Cyprios destinauit. 6. Ianuensis primos, quod se monente arma contra Venetos deponere noluissent, & mandata Sedis Apostol. ne Michaeli Palæologo suppetias ferrent, contempsissent, anathemate percussit, ciuitatique eorum sacris interdixit. 7. Regi Gallorum calamitates terræ sanctæ exposuit, eumque ad subueniendum periclitantibus inuitauit, sacramq; collectam vniuerso eius regno impositi: vt autem eo liberius Christi fideles contribuerent, amplissimas indulgentias, id quicquid est auxilii eo nomine corrogantibus impertiuit. 8. Senensibus ad obedientiam Romani Pontificis redire volentibus pacta & conditiones præscripsit. 9. Gibellinorum Florentinorum plurimos à Monfredo ad Ecclesiæ reduces, ab anathematis vinculo exsoluit. 10. Ad Crucis militiam, pro recuperatione terræ S. vt prædicatores populum inuitarent, constituit. 11. Archiepisc. Strigoniensi & Colocensi, ne Cumanos non baptizatos ad sacrum lauacrum compellerent, sed eos è finibus Hungariæ eiici curarent: eos vero qui semel baptismatis aqua tincti fuissent, & ad vomitum rediissent, vt ad obseruationem fidei suscepta cogerent, neue alios cõtagione apostatarum inficiens tolerarent, præcepit. 12. In sulam Marthanam, ab Ioanne Castello vici regulo vrbis præfecto, quam is 12. annis occupauerat, recuperauit.

4. epist. 164.
5. ep. 17. & 37.
6. epist. 15.
7. epist. 65.
8. epist. 47.
9. epist. 75.
10. ep. 78.
11. ep. 337.

XXVII. CRVX A MONACHO INVENTA LOCVM TEMPLO DEDIT.

Per id tempus in Scotia, referunt Monachum quendam à Melros, in somno, vti dicebat, ab Angelo edoctum Crucem reperisse, haud longe ab oppidulo Laudoniæ, nomine Pepilis, capsæ, cui titulus inscriptus erat S. Nicolai Episcopi, inclusam. Nec multo diuerso loco vrnam repertam lapideam summo artificio factam, atque in ea inuenta esse bysso inuolutam: sed cuius ea fuerint, incertum extitisse. Verum protinus aperta Cruce multa facta miracula. Alex. Rex nouitate ac religione permotus, templum in quo loco Crux ipsa reperta erat magnificum extruxit, idq; Monachis SS. Trinitatis attribuit. *Hect. Hist. Scot. lib.* 13.

IESV CHRISTI

Annus 1264.

VRBANI PAP. IV. Annus 3. MICHAELIS PALÆOLOGI Imp. Orient. 5.

I. CONSTANTINOPOL. APOCRISIARIOS VRBANVS MITTIT AD FACIENDAM VNIONEM ORIENTALIVM CVM OCCIDENTALIBVS.

APud Vrbem veterem Vrban. IV. an. superiore agens, ad 15. Cal. Aug. Apocrisiarios & Præd. Constantinop. ad Michaelem Palæologum Imper. Orientis misérat F. Simonem de Aluernio. F. Petrum de Moras F. Petrum de Crista. & F. Bonifac. de Hipporia Ord. Minorũ. Is potiro quod plenariam legationem Sedis Apost. postulasset. Misit duos Episcopos Gerardum de Prada & Raynerium de seruis eiusd. instituti Minorum, qui vna cum illis apocrisiariorũ munere defungerentur, & vnionem Ecclesiarum Orientalium cum occidentalib. quam etiam Palæologus desiderauerat, summo studio efficerent. Scribens Imp. Vrban. has ad finem preces adiunxit: ideoque Imperialem excellentiam rogamus attentius & hortamur, obsecrantes te per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatenus attendens prouide quod mora semper extitit nociua paratis, quodq; tantæ salutis opus non est aliquatenus differendum, nostras & Fratrum nostrorum animas vlterius non suspendas, sed tãquam solaris radius de cuiuslibet obscuritatis caligine, in auroram lucidã festinanter erumpas, & consurgens in Ecclesiæ firmamento patefacias toti mundo tuæ bonæ super hoc intentionis splendorẽ, tuiq; laudabilis propositi charitatem, accelera quæsumus ad paratos tibi cum desiderio maternæ susceptionis amplexus, & confidenter paternæ charitatis brachiis te comittas: ita quod Mater sub longiori expectatione vlterius non languescat, nec patris fauces exclamando ad te altius raucæ fiant. Præstat autem ipsas litteras ad verbum propter schismaticos inferre. Ita habẽt.

II. EPISTOLA VRBAN. AD PALÆOLOGVM PRO VNIONE FACIENDA ET FIDEI CATHOLICÆ VERITATE ASSERENDA. *epist.* 134.

Vrbanus Episc. seruus seruorum Dei. Michaeli Palæologo Illustri Imperatori Græcorum gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro. *Mediator Dei & hominum Deus & homo Dominus Iesus Christus, qui Ecclesiam suam congregatam exgentibus non habentem maculam, neq; rugam super gentes & regna constituit, extendit q; palmites eius, vsq; ad Mare, & vsq; ad Terminos Terræ ipsius propagines dilatauit. Ad hoc Beatum Petrum Apostolorum Principem ipsius Ecclesiæ caput instituit, & magistrum, vt tam ipse quam cæteri eius successores oues Dominicas eid. Apostolorum Principi confidenter à summo Pastore verbo ter repetito commissas, fidei Catholicæ documentis imbuerent, morum restituerent disciplina, & viuendi normam dirigerent in cœlestium semitam mandatorum, ac super ipsos vigiles obseruantes excubias, illam de ipsis curam gererent, illamque circa eos solicitudinem adhiberent, vt ipse in vnum ouile collectas, sub vnitatis glutino, & charitatis vinculo, ad diuina obsequia retinerent: & si quas disgregatas à grege conspicerent, indesinenti studio, & laboribus indefessis ad gregis consortium reuocarent. Nos igitur qui licet immeriti super oæsipsas pastoralis officii magisterium per diuinæ dispositionis prouidentiam obtinemus, & quã totu ob hoc desideramus affectibus, vt Christiana plebs sub vno veræ fidei cultu proficiat & variæ gentium nationes, extra Romanæ matris Ecclesiæ gremium euagantes in vnum sub eius d. vexillo fidei congregatæ, ad Catholicam redeant vnitatem, & in illa stabili auctore Deo firmitate persistant, recepta & perlecta super excellentia Imperialis Epistola, quam nobis venerabilis Frater noster Nicolaus Cotronensis Episcopus præsentauit: intellectis quoque his, quæidem Episcopus nobis ex parte magnitudinis tuæ narrauit oretenus, eo maioris gaudii fuimus incunditate perfusi, eoq; vberius lætitiæ fructu horrea mentis nostræ repleuimus, quo certius ex eis spem & fiduciam firmiorem, de tua tuiq; salute Imperii eiusd. Episcopi fidelis & discreta relatio & Epistolæ series attulerunt. In ead. namq; sublimitatis tuæ Epistola in ipso videlicet salutationis tuæ exordio vidimus contineri, quod tu ex reuerentia, qua Deum Sion in eius Vicario venerabris, nos quamuis indignos & meritis infimos Beatissimum veteris Romæ Papam, & summũ Apostolici throni Pontificem humiliter recognoscens, filialem nobis reuerentiam cum honore Christianorum fidei, & diuinis conuenientem canonib. obtulisti. adiciens qualiter in omnib. orationib. tuis nostrã & Fratrũ nostrorũ filiali affectu agis memoriam apud Deum, vt Conditor Orbis & Dominus noster, quem fateris locum primi perfectioris inter omnes obtinere Pontifices, septiformem paracleti gratiam, in qua totum Ecclesiæ corpus viuitur, consoletur, sanctificatur, & regitur, in præsenti vita concedat, & huiusmodi gratiam per nos ad te & cætera membra ipsius Ecclesiæ tua virtute transmittat, & tandem nos in futuro sæculo cum Beatissimis Petro & Paulo summi throni Apostolorum Principibus coronare dignetur. Deinde etiam in eadem Epistola subiunxisti, quod licet multotiens prædecessorum tuorum Imperatorum Græcorum temporibus Legati ad ipsos ab Apostolici throni præsulibus fuerint propace & vnitate quam schismatici lacerauerunt, in Dei Ecclesia reformanda transmissi, iidem tamen Legati tam profundo vulneri de nullo medicina remedio prouiderunt, sed magis semper huiusmodi schisma succreuit, pro eo quod dicti Legati expositionem sermonis ad sacrorum expositionem dogmatum, quæ in sanctorum Patrum libris habentur, minus perspicue, minusque de promebant dilucide, & sine interprete medio loqui ad inuicem nesciebãt. Propter quod contigit, quod ipsi Legati cum interpretes huiusmodi insufficientes scientia, & impotentes existerent ad intentiones illorum prout erat expediens exprimendas ad veritatis centrũ & ad normam peruenire veræ fidei nequiuerunt: ex quo inter vtrumq; populũ rancor processit & odium: fuerunt liuore accensi, mota contentiones & lites: suscitata iurgia, & animi ad pertinaciam & contumaciam, & armorum quoq; strepitum & effusionem sanguinis, & ad alia etiam quamplura crudelia & enormia concitati. Cumque tu sicut eiusd. Epistola tenor innuit, postquam Imperii tui solium conscendisti, ex quadam voce lætitiæ, qui tuis insonuit auribus percepisses, quod prædictus Nicolaus Crotronensis Episcop. qui tanquam planta fructifera fuerat de virenti & florido patriæ tuæ viridario, tuaq; gentis origine, ad hortum mm: rate Romanæ matris Ecclesiæ sine personarum acceptione zelator ac sacrarum explanator intelligens scripturarum, tuas eidem Episcopo litteras transmisisti: rogans instanter eund. vt Dei suaq; amore patriæ, occulte ad tuam præsentiã personaliter se transferret, vt immediate ex ore ipsius veritatẽ fidei, quam sancta & Catholica Romana Dei Ecclesia profitetur, & Diuinarum scripturarum doctrinam, quam ad eruditionem eadem Romana proponit Ecclesia, formamque nostri diuini Sacramenti, seu ritus Græci relatione sermonis audires, & haurires nostram & fratrum nostrorum plenarie voluntatem: Idem vero Episc. spiritu diuino præmunitus ad tuum imperium à te sic vocatus accessit, in cuius aspectu magnam te scripsisti concepisse lætitiam, ac si nostram desiderabilem tibi faciem inspexisset: & tandem Episco. ipse tibi & tuis omnia quæ sunt veræ fidei per ordinem reseravit, quæ tu corde & animo illustrans rectè respiciens, sanctam Dei Romanam reperisti Ecclesiam non alienatam à te in diuinis pia fidei dogmatib. sed ead. fere tecum scientem, sapientem, consonam seu concordem, dicto namque Episcopo tibi doctrinam ipsius Rom. Ecclesiæ & SS. Patrum eius, Sylueştri videlicet, Damasi, Cœlestini, Agathonis, Adriani, vtriusq; Leonis magni sc. atq; noui, nec non Gregorii Dialogi, Hilarii Pictauiens. Ambrosii Mediolanen. Augustini, Hieronymi, Fulgentii & aliorum expositiones ac rectæ fidei dogmata fideliter explanante, sicut in ead. asseruisti Epist. SS. Patrum Græcorum, S. Athanas. Alexandrini, Basilii Cæsareæ Cappadociæ, Gregorii Magni Theologi, Gregorii Nyssen. Ioan. Chrysost. & vtriusq; Cyrilli hæc consona & consentanea penitus inuenisti, in ipsa Epistola confidendo, quod ea fide sinceríssima suscipis, honoras, credis, & tenes, & omnes perfectiuas operationes, id est, sacramenta eius d. Rom. Ecclesiæ venerari: credens ea effectum habere in anima b. iusti, quæ Deo vniuntur, configurantur, confirmantur, & etiam conformantur. Vnde à nobis cum multa instantia petuisti, vt nos qui Principatum habemus omnium sacerdotum, sumusq; Docto. vniuersalis Cathol. Ecclesiæ ad vniendam amodo hanc Ecclesiam, cui constanter affirmas Deum nos loco B. Petri singulariter præfecisse, ardenti semper desiderio laboremus, præsertim cum ad hoc tua tranquillitas seu benignitas adeo in omnib. & per omnia prompta sit exposita penitus & parata quod prædictæ Rom. Ecclesiæ matri tuæ, tanq; totius Cathol. Ecclesiæ corpori præposita & Magistræ, oẽs nationes & gentes, cunctasq; Patriarchales sedes extenso per diuinæ virtutis gratiam præcelso Imperii tui brachio, sicut tua serenitas obtulit plene subiicies, ad laudem & gloriam Diuini nominis, & Christianæ religionis augmentũ. Demum. a. nos instanter & affectuose rogasti, vt dictum Episc. quem cum huiusmodi tuis litteris tuæ veræ & non fictæ Cathol. fidei, cum bona conscientia & mente sincera diuino accensus spiritu, ad hoc ad sedem Apost. destinabas, vt ipse omnia quæ apud te. & vna teriũ, & tu cum eo, ptulisti, & etiam ordinasti, ad tuam voluntatẽ, tuumq; ppositum nostris auris. intimaret, cum aliis discretis & sanctis viris instructis, nostrisq; responsionib. præmunitis, qui tibi plenarie nostrã voluntatem & affectionẽ referant, & vna tecum omnia quæ sunt veræ fidei & vniendæ Eccl. operæ infallibili valeant cõplere, ad tuum remittere imperium curaremus. Huiusmodi erga excellentiæ Imperialis Epistol. nostris comprehensa luminib. & ad Fratrum nostrorum solenniter, prout tanti negotii exigebat qualitas redacta notitiam, nos item q; Fr. ex amena lectione ipsius veluti ex præsentialib. serenitatis tuæ affatib recreati, Patri luminum, à quo est datũ omne optimum, & omne donum perfectũ etiam medullarũ eum omnimode deuotionis incenso gratiarum obtulimus holocaustum, exultantes alacriter & vnanimiter collaudantes, & benedicentes Dominũ, qui tantam nobis dignatus est facere gratiã, quod in dieb. nostris per tuæ solicitudinis ministeriũ, aperiatur via cõpendii salutaris, per q̃ Eccl. Dei ad antiq̃ & tranquillam prioris vnitatis semitam redeat, & grex Dominic. ad caulam vnam eandemq; congestus sub vnius pastoris regimine, & in vnius professione fidei gubernetur salubrius, & in eius obseruantia firmius solidetur. Et quidẽ digne gaudemus excellentissime Imper. quod ex his quæ in præmissa continentur Epist feruentẽ te cognoscimus erga nos & fratres nostros. ac eand. Rom. Eccl. sinceritatis affectũ, & ad vtriusq; vnionem Eccl. zelum ardentis charitatis habere, dum inter occupationes multiplices, quib. animũ tuum continua Reipub. cura sollicitat, & procellosus frangendorum sæcularium fluctus involuit. pro nobis eisdemq; fratrib. & Ecclesia intentis freqẽter vt scripsisti apud Deum vacas orationib. & pro vnitate reuocanda in Eccl. Dei, adeo vtiliter & efficaciter laborasti, quod agnita per eund. Episcopum concordi variarum & diuersarum sententia scripturarũ, quas S. Patres tam Latini q̃ Græci, in Orthodoxæ fidei fulcimentum sub diuersitate temporum ediderunt, & quadam laudabili eiusdem professione fidei in prædicta Epistol. ex tui prosperitate ingenii & cum puritate fideliter expressa & simpliciter denotata illud desideranter appetis, & constanter prosequi velle videris, quod eadem Romana desiderat, & semper desiderauit Eccl. & quod etiam prædecessores nostri Rom. Pont. à tempore cuius non extat memoria cunctis studiis, cunctisq; nisib. penes prædecessores tuos Græcorum Imper. studuerunt: licet eorum studia desideratum fructum non produxerint, promouere. Letamur etiam, & merito in inbilũ supernæ laudis assurgimus, quod præparata est iam materia, & viæ etiam expedita ipsi Eccl. ad sui animi desiderium suaq; intentionis propositum de vnione huiusmodi celeriter obtinendum: cui nunquam ita certæ de hoc spes, firmaq; fibi fiducia exhibita fuerit, quemadmodũ memoratæ tenor Epist. ad ea quæ prædictus Episco. quem tanquam virum circumspectum & prouidum eruditum in lege Domini, ac feruidum tui honoris & nominis zelatorem, & in nostris, & prædictorum Fratrum nostrorum oculis multipliciter gratiosum, benigne recepimus & diligenter audiuimus, nostro Apostolatui expressit oretenus nobis de ipsius vnionis negotio præbuerunt. Gloria igitur in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia nunc ecce acceptabile tempus aduenerit: ecce nunc dies salutis, gratia plenus adest. Exurgant ergo omnes fidei Catholicæ zelatores, & vna cum prædicta Rom. Eccles. eorum matre immensa iucunditate lætentur & gaudeant, quod Imperator tantæ potentiæ, & qui tam magni Imperii moderatur habenas promptum se exponit & offert ad fidem Catholicam propagandam in gentibus, ad exaltationem ipsius Ecclesiæ apud nationes etiam barbaras procurandas, & cultum diuinum sub Apostolicæ sedis magisterio vbilibet ampliandum. Sed non minus ex premissis in te inclyte Imperator eximiæ debet exultationis causa consurgere: non minus cor tuum debet ardere, tunsque magnificus animus in gaudiis dilatari: pensando namque præmium quod tibi pro tanta pietatis opere diuina dispensatio compensabit: considerando quoque quod pro re tam sancta, tam vtili tamque DEO & Ecclesiæ fructuosa funiculo tuæ magnitudinis & potentiæ per cuncta mundi clymata extendentur latius, & dilatabitur amplius vita tua, & post tui dissolutionem corporis, nunquam tui memoria nominis morietur. Potes vrig non immerito Deo salutari ito, pro cuius honore tantum Ecclesiæ suæ sponsæ bonum promoues iubilare, sibique deuotas gratiarum actiones exsoluere. pro eo quod tibi scire, posse, ac velle de alto concessit inuenienti ac prosequendi vias & modos, quibus remotis à tanto negotio cuiuslibet vereris difficultatis obstaculis, tam damnosa gentis vestræ dissensio. de facili amodo diuina fauente clementia sopiatur. Licet itaq; ab olim dilectos filios Simonem de Aluernia, & Petrum de Moras, Petrum de Crista, & Bonifacium de Yporia fratres Ordinis Minorum Apocrisiarios nostros super huiusmodi negotio sufficienter instructos, ad tuam magnitudinem duxerimus destinandos, propter quod ipsi satis ad ea quæ scripsisti sufficere videbantur, tuis tamen gratis & placidis illecti oblationibus, & ex concepta de complemento negotii spei certitudine confortati, excitati quoq; tuæ puritatis affectu, quẽ ad nos & prædictum negotium te gerere ipsius tenor Epistolæ ac memorati Cratonensis Episcopi expressio attestantur, tuæ salubérrimæ petitionis instantia debita cum Fratribus nostris attentione pensata & petitioni satisfaciendum fore decreuimus & petenti: & ecce Apocrisiarios nostros, videlicet prædictum Episcopum nec non dilectos filios Gerardum de Prato, & Raynerium de Senis Fratres Ordinis Minorum, pauperes vtique Christi seruos, religione conspicuos, prouidos & discretos, ac nobis & fratribus nostris gratos multipliciter & acceptos, ad Imperialem excellentiam de ipsorum Fratrum nostrorum consilio destinamus, vt idem Gerardus & Raynerius, his quæ præmissa continebat Epistola, & quæidem Episcopus ex parte tua Celsitudini nobis retulit, ex ore tuo plenius intellectis, simul cum prædicto Episcopo, animum tuum in huiusmodi tam sancto proposito corroborent & confirment, teque ad melius salutaribus eorum monitis incessanter inducant, ac nostra & eorundem Fratrum nostrorum vota tibi plenius exprimentis, vna tecum & cum prædicto aliis Apocrisiariis nostris si præsentes in tua Curia fuerint, alioquin per scipsos diligenter & feruenter intendant ad præparanda illa, quæ ad finalem dicti consummationem negotii fuerint opportuna. Ideoque Imperialem excellentiam rogamus attentius & hortamur, obsecrantes te per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatenus attendens prouide quod mora semper extitit nociua paratis, quodque tantæ salutis opus non est aliquatenus differendum, nostras & prædictorum Fratrum nostrorum animas vlterius non suspẽdas: sed tamquam solaris radius de cuiuslibet obscuræ dubietatis caligine in auroram lucidam festinanter erumpas, & consurgens in Ecclesiæ firmamento patefacias toti mundo tuæ bonæ super hoc intentionis splendorem, tuique laudabilis propositi claritatem. Accelera quæsumus, ad paratos tibi cum desiderio maternæ susceptionis amplexus, & confidenter paternæ charitatis brachiis te committas, ita quod mater sub longiori expectatione vlterius non languescat, nec patris fauces exclamando ad te altius raucæ fiant. Cæterum prædictos Episcopum Gerardum & Raynerium cum omni benignitate recipias, eorumq; exhortationibus aures tuæ serenitatis inclines. Ipsi enim sinceritatem amoris, fauoris plenitudinem, & puritatis affectum, quibus te tuumque Imperium prosequi Deo authore proponimus, ac nostram ac dictorum Fratrum nostrorum intentionem tibi apertius poterunt indicare. Dat. apud Vrbem veterem 10. Cal.

Iunii Pontificatus nostri an. 3. Hæc pro fide Catholica, atque vnione Ecclesiarum in Oriente egit Vrbanus.

III.
QVAMOBREM VRBANVS FEST. VENERAB. CORPORIS CHRISTI INSTITVERIT.

Non neglexit pariter in Occidente res eiusdem fidei Orthodoxæ illustrare, & in pectoribus humanis depangere, instituta celebri solemnitate festiuitatis Corporis Christi, ad feriam Quintam post Octauas Pentecostes. Occasioné dedit Sacerdos quidam apud Vulsinios diœcesis Vrbeuetanæ. Is enim cum sacra Missarum solemnia celebraret, Sacramento Eucharistiæ iam perfecto, de panis & vini transubstantiatione, & Christi corporis sub speciebus panis & vini præsentia dubitauit. Cum. a. ambigeret, dictu & visu mirum, statim ex sanctissima quam in manib. tenebat hostia, sanguis copiosissimus manauit, & totam eam mappam quam Corporale vocant, tinxit. Voluit Vrbanus mappam sanguine imbutam videre. Quam dum Episc. Vrbeuetanꝰ detulisset, & inquisitione facta veritatem rei Pontifici significasset, ille ex voto S.R.E. Cardinalium solemnitatem eam anniuersariam instituit, corporale vero in Ecclesia Vrbeuetana recondidit. Præstat ipsam constitutionem inserere, eo quod dogma & encomia Sacrosanctæ Eucharistiæ præclarissima contineat. Ita habet.

IV.
Clemen tit. 16. de reliq. & ven. sanct.
CONSTITVTIO EIVSD. FESTI EXCELLENTISSIMA.

Vrbanus Episc. seruus seruorum Dei, Venerabilib. Fratrib. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, &c.

Transiturus de hoc mundo ad Patrem Saluator noster Dominus *Iesus Christus, cum tempus suæ passionis instaret, sumpta cœna, in memoriam mortis suæ instituit summum & magnificum suum corporis & sanguinis sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiens hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In institutione quidem huius Sacramenti dixit ipse Apostolis: hoc facite in meam commemorationem, vt præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum & venerabile sacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac stupendum, delectabile, suaue, tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo innouata sunt signa, & mirabilia immutata: in quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, ipsaq; dulcedo Domini degustatur: in quo vtiq; vitæ suffragium consequimur & sanguinis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale sacratissimum, & memoriale saluificum, in quo gratam redemptionis nostræ recensemus memoriam, in quo à malo retrahimur & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa: in quo profecto proficimus ipsius corporali præsentia Saluatoris. Alia namq; quorum memoriam agimus, spiritu menteq; complectemur: Sed non propter hoc realem illorum præsentiam obtinemus. In hac vero sacramentali Christi commemoratione Iesus Christus præsens sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus .n. in cœlum dixit Apostolis, & eorum sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnib. dieb. vsq; ad consummationem sæculi: benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret & esset cum eis, etiam præsentia corporali. O digna & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitũ interiisse, ac lignum viuificum ligno Crucis affixum fructum nobis attulisse salutis. Hæc est cõmemoratio gloriosa quæ fideliũ animos replet gaudio salutari, & cũ infusione lætitiæ deuotionis lachrymas subministrat. Exultamus nimirum nostram memorando liberationẽ, & recolendo passionẽ Dominicam, per quam liberati sumus, vix lachrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione assunt nobis suauitatis gaudium simul & lacrymæ: quia & in ea congaudemus lachrymantes, & lachrymamur deuote gaudentes, lætas habendo lachrymas, & lætitiam lachrymantem, nam & cor ingenti perfusum gaudio, dulces per oculos stillat guttas. O diuini amoris immensitas, diuinæ pietatis superabundantia, diuinæ affluentia largitatis: dedit enim nobis* DOMINVS *omnia, quæ subiecit sub pedibus nostris, & super vniuersas terræ creaturas contulit nobis dominii Principatum, ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat & sublimat hominis dignitatem. Administratorii namq; sunt oẽs in ministerium propter eos, qui hæreditatem salutis capiunt destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monstrare, semetipsũ nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis & admiranda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore. Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum. Dedit igitur nobis se in pabulum: vt quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipse releuaretur ad vitam, cecidit homo per cibum ligni mortiferum, releuatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis: in isto pependit vita alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem: gustus sauciauit, & gustus sanauit. Vide quia vnde vulnus est ortum, prodiit & medela: & vnde mors subiit, exinde vita euenit. De illo siquidem gustu dicitur: quacumque die comederis, morte morieris: de isto vero legitur: Si quis comederit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic est cibus qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat: non corpus, sed cor, non carnem sed animam non ventrem, sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Saluator ipse misericors de nobiliori & potentiori huius mundi alimento pro animæ refectione pia dispositione prouidit. Decens quoque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cib. est & refectio, factum caro, se rationabili creaturæ carni & corpori homini, videlicet in edulium largiretur: Panem enim Angelorum manducauit homo, & ideo Saluator ait: Caro mea vere est cibus. Hic panis sumitur, sed vero non consumitur: manducatur, sed non transmutatur: quia in edentem minime transformatur: sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum sacramentum. O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum cunctis honorandum studiis, deuotis prosequendum obsequiis, & synceris mentib. retinendum. O memoriale nobilissimum intimis commendandum præconiis, firmiter animo illigandum, diligenter reseruandum in cordis vtero, & meditatione ac celebratione sedula recensendum. Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, vt illius cuius ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cuius donum, vel munus frequentius aspicitur, huius memoria strictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur: conueniens tamen arbitramur & dignum, vt de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticam perfidiam & insaniam, memoria solemnior, & celebrior habeatur. In die namque Cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc instituit sacramentum, vniuersalis Ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi huius maximi sacramenti. Hoc .n. circa Sanctos quos per anni circulum veneramur, ipsa obseruat Ecclesia, vt (quamuis in Letaniis & Missis. ac aliis etiam ipsorum memoriam sæpius renouemus) nihilominus tamen ipsorum natalitia certis dieb. per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisd. diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum, aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationẽ, aut alias ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certam diem in qua generaliter Omnium Sanctorum commemoratio fieret, vt in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in propriis ipsorum festiuitatib. omissum existeret, solueretur. Potissime igitur exequendum est erga hoc viuificum sacramentum corporis & sanguinis Iesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria & corona, vt festiuitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis Missarũ officiis circa solemnitatẽ est forsitan prætermissũ deuota diligentia suppleatur: & fideles (festiuitate ipsa instante) intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis sæcularib. forsan agendis impliciti, vt alias ex negligẽtia vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus & animi puritate restaurent. Intelleximus .a. olim dũ in minori essemus officio constituti quod fuerat quibusdã Catholicis diuinitus reuelatũ, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandũ. Nos itaq; ad corroborationẽ & exaltationẽ Catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus statuendum, vt de tanto sacramento præter quotidianã memoriã, quã de ipso facit Ecclesia, & solẽnior, & specialior annuatim memoria celebretur: certũ ad hoc designantes & describentes diem, videlicet feriã quintã proximam, post octauam Pentecostes: vt in ipsa quinta feria deuotæ turbæ fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuose concurrant, & tam clerici, quã populi gaudentes, in cantica laudũ surgant. Tunc .n. omnium corda & vota, ora & labia hymnos persoluãt lætitiæ salutaris. Tunc psallat fides. spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur. Tunc singuli alacri animo pronaq; voluntate conueniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solẽnia celebrantes. Et vtinam ad Christi seruitium, sic eius fideles ardor inflammet, vt per hæc & alia proficientib. ipsis meritorum cumulis, apud eum qui sese dedit pro eis in precium, tribuitq; se ipsis in pabulum, tandem post huius vitæ decursum eis se in præmium largiatur. Ideoq; vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, & per Apostolica scripta, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus tam excelsum, & tam gloriosum festum prædicta quinta feria singulis annis deuote ac*

solem-

solemniter celebretis, & faciatis studiose per vniuersas Ecclesias ciuitatum vestrarum & diœcesum celebrari: & subditos vestros, in Dominica, dictam quintam feriam proxime præcedente, salutaribus monitis solicite per vos & alios exhortanses, vt per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes & alia deuotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod huius pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum & celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in Ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: qui vero Missæ, totidem: qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint similiter centum, qui vero in secundis, totidem. Illis vero, qui Primæ, Tertiæ, & Sextæ, Nonæ ac Completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Illis autem, qui per octauas illius festi, matutinalibus vespertinis, Missæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Apostolor. eius Petri & Pauli authoritate confisi, de iniunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Hæc Vrbanus Quartus, pro sacratissimæ Eucharistiæ cultu, de quo plura in appendice reperies.

V.
S. THOM. OFFICIVM VEN. SACRAMENTI COMPOSVIT.

S. Thomas Aquinas officium pro ea festiuitate composuit, quod ad hunc vsque diem vniuersa Ecclesia recitare consueuit: Vrbeuetani vero ciues magnificentissimũ templum sacro corporali conseruando, in memoriam tam insignis miraculi extruxerunt, & sacram mappulam sacratissimo sanguine imbutam in eo recondiderunt: quod hactenus ad populi deuotionem excitandam, statis anni temporibus ostendere non grauantur.

VI.
GERMANIAM DIVISAM FACTIONE DVORVM REGVM CONCILIARE NITITVR VRBANVS.

Dum vero Vrbanus Papa, pro fide Catholica amplificanda, & vnitate Ecclesiastica restituenda, laboraret, non minores curæ illum excepere. Germania studio partium laborabat, quod Alphonso & Richardo electis, nullus illorum interesset, qui sceptrum hactenus suspensum assequeretur, eoque vteretur, in vindictam malorum, & retributionem benefactorum. Tempus designatum præteribat, quo vterque coram sede Apostolica iura sua produceret, atque sententiam exaudiret. Vterque excusabat, quod die assignato non adesset, neq; Mandatarios misisset, & Alphonsus quidem, bellum Mauricum, Richardus vero domesticum prætendebat: ac ideo diem sibi vterque prorogari, postulabat. Non difficile Vrbanus petitiones eorum exaudiuit, & à die festo S. Andreæ anni vertentis, in annum subsequentem pro illius ipsius Sancti festo diem illis dixit: vt vel ipsi præsentes essent, vel Procuratores submitterent: ex quorum disceptatione, quid cui tribuendum esset, cognosceret, atq; decerneret.

ep. 314 apud Vrbem vet. 6. Cal. Sept.

VII.
COMPOSITIO FIT INTER OPTIMATES ANG. ET REGEM, PER LEGATVM APOSTOLICVM.
epist. 52.

In Anglia, quietiora, quam antea, Legato Apostolico ex vinculis dimisso, cum is Optimates Anglos, ad pacis rationes iucundas commouisset, eo tandem persuasione sua impulit, vt & Rex Henricus, & illi, armis depositis, arbitrio Ludouici Gallorum Regis controuersiam permitterent. Plurima exinde lætitia se affectum fuisse declarauit Vrbanus in iis literis, quas S. Ludouico, apud Vrbem vet. 2. Idus Mart. scripsit: maxime quod is feliciter negotium composuisset, & illi arbitraria pacta per eundem stabilita, à sede Apostolica, rata haberi postulassent. Non distulit Vrbanus petitioni & Henrici & Procerum satisfacere: sed cum primum pacem stabilitam esse à Diuo Ludouico intellexisset, factum laudauit, approbauit, adeoq; confirmauit.

ep. 54. ib. 17. Cal. April.

VIII.
ep. 96. ib. 5. Non. Maii.
BONA ECCL. AB MANFREDO OCCVPATA, PER CAROL. S. LVDOVICI FR. REGEM SICIL. DESIGNATVM RESTITVI PETIT.

Cum vero non minoris curæ ei esset pax Italiæ, & bona Ecclesiæ Romanæ, quæ Manfredus occupabat, atque insuper summo Pontifici insultabat: monuit Sanctum Ludouicum Vrbanus, vt quamprimum eas controuersias, quæ inter Margaritam suam coniugem, & Carolum suum Fratrem: maximo opprobrio, ex occasione Comitatus Prouinciæ vertebantur, dirimeret, Carolumque in Italiam, ad regnum Siciliæ & Neapolis à tyranno vindicandum & mitteret, & iuuaret.

In eandem rem & Carolo Regi designato, & Reginæ Margaritæ scripsit, monuitque, vt tandem simultatib. depositis, reconciliarentur & in gratiam redirent, neque tam præclaram bene de Ecclesia merendi occasionem, regno Galliæ & suæ stirpi nec incommodam, nec inhonoram sibi eripi paterentur. Fere enim eripiebatur.

IX.
DISSOCIA- … RECONATVR VRBAN. CIVITATES ADHÆRENTES MANFREDO.

Nam & Genuenses Manfredi tyranni partiarii, non alio fine Palæologo Constantinopolitano contra Venetos auxilia ministrarãt, nisi vt vires Pontificias, consilio siue actu Manfredi distraherent, & Gibellini Lombardiæ, eiusdem spurii Manfredi suasione non alia intentione ciuitates fœderatas siue dissociabant, siue inuadebant, præterquam vt Manfredo, contra Ecclesiam Romanam commodarent. Quamobrem Vrbanus Pontifex, & istas quoque scintillas belli ciuilis extinguendas esse putauit. Et quidem tum prouinciali Lombardiæ Ordinis Prædicatorum tum Guardiano Astensi Ordinis Minorum commisit, vt inquirerent, an Episcopus Placentinus, ciuitatem suam Placentinam, Vberto Pellauicino hosti Ecclesiæ prodiderit: & si quid interim contra eum reperissent, vt ei diem apud Sedem Apostolicam darent, qua coram iudicio Ecclesiæ causam suam peragerèt: Fratri quoq; Ambr. Sansedonio per id temporis, apud Vrbem vet. apud FF. Præd. Priori, officium Legationis iniunxit, vt is Ianuam se conferret, curaretq; vt ciues quosdam malè Michaeli Palæologo sociatos dissociaret, ne contra principem Achaiæ & alios Latinos in Oriente; in Occidente autem, ne contra Ecclesiam Romanam atque contra Venetos eius Ecclesiæ in summis discriminibus tutelares, Manfredo impio opem ferrent. Erat quod Fr. Ambrosium impediret, quo minus Ianuam introiret, nimirum Ecclesiasticum interdictum, cui Vrbanus ciuitatem contumacem supposuerat. Cæterum ne hęc censura ex more prisco in refractarios vsurpata, illum retraheret, Vrban. Pont. eam, ad vsque festiuitatem Sancti Michaelis, quæ in diem penultimam Septembris incidere solet, authoritate Apostolica suspendit. Istud etiam, non modicum impedimentum, paci inter fœderatos seruandæ fuerat, quod socias ciuitates grauissimis exactionibus, aliqui cum potestate Præfectorum deglubebant. Quamobrem Vrbanus Papa Priori Paris. Ordinis Præd. imposuit, ne à Magistro Gualla, & aliis Nunciis & Legatis Apostolicis, vltra certam summam, à sede Apostolica, in eorum literis designatam, clerum deuotum ac pauperem, propter exactiones Friderici, & Marchionis Pelauicini intolerandas, nouis & grauissimis extorsionibus permitterent exhauriri.

ep. 102. apud Vrbem vet. 15. Calend. Mart.
ep. 136. ib. 15. Cal. Iul.
ep. 188. ib. Non. Febr.

X.
SVMMARIVM GESTORVM VRBANI HOC ANNO.

Eodem anno Vrbanus Pontifex, 1. Reginæ Franciæ, Alphonso Comiti Pictauiæ, eiusque vxori, vt Prædicatorum aliquis, coram eis diuino concionatoris munere defungens, certas indulgentias elargiri posset, indulsit. 2. Belæ Regi Hungariæ, vt cum Tattaris vinculum affinitatis non contraheret, sed ab eorum consortio velut detestabili abhorreret: vtque cum Stephano Rege Hungariæ, primogenito suo, pacem conseruaret, grauioribus verbis præcepit, inque eandem rem Archiepiscopis, Episcopis & Prælatis Hungariæ scripsit, qui à profana affinitate Belã dehortarentur, & concordiam inter patrem & filium stabilirent. 3. Belæ Duci Slauoniæ, Nitriam & Posoniam à Bela patre Rege Hungariæ in possessionem datas, confirmauit. 4. Agneti relictæ Ducis Haliciæ ac Masouiæ, filiæ Regis Hungariæ, ac filiis eiusdem Agnetis Michaeli & Belæ, omnia bona quæ Ladislao duci eius marito Bela socer concesserat, in Hungaria approbauit. 5. Henrico Regi Daniæ & matri ipsius, aduersus quos Archiepiscopus Londensis & Episcopus Roschildensis publicas exercebant inimicitias, ne ijs gliscentib. vel anathemate, vel interdicto subiici possent, concessit. 6. Prouinciali Hungariæ Ordinis Prædicatorum, vt Episcopos & Prælatos ad pacem inter Belam patrem, & Stephanum filium, Reges Hungariæ conseruandam induceret, admonuit. 7. Ameliensi Ecclesiæ, Fr. Bartholomeum Beneuentanum: Tranensi Fratrem Iacobum Lectorem in Vrbe veteri: Alatrinæ Fratrem Crescentium de Cauis, Gabulensi Fratrem Gualtherum Calabrũ, Ordinis Præd. aliis autem alios Episcopos præfecit. 8. Ne clerici ad forum seculare vllo vnquam traherentur, constituit. 9. Pacem inter ciues Romanos, restituit: Romanæ vrbis statum reformauit: æs alienum quod Romana Ecclesia propter defensionem iurium ac bonorum suorum contraxerat, Florentinis & Senensibus dissoluit: terras ac iura Ecclesiæ à Raynaldo Rubeo occupatas, Treparum, Ferentini, Chesæ, & Vallis Petri, Castrum Marcham à Petro Vico, insulam Marchanam à Iacobo Bicquo, insulam Vrbanam, quæ Bizantina

1. ep. 1045. ib. 15. Cal. Septemb.
2. ep. 111. ib. 5. Cal. Febr. & epist. 112. 4. Non Feb.
3. epist. 178.
4. epist 190. apud Vrbem vet. Id. Iul.
5. ep. 86. ib. 4. Non. Ian.
6. 17. Cal. August.
7. epist. 113. & 280. & 289.
8. ep. 227.
9. Thierric. Vallicolor in Vrbano.

 solebat

solebat dici ab eodem, Castrum Valentarium à Pandulpho
Viterbiensi , terram Arnulphorum à Spoletanis recupera-
uit: Theutonicos milites ex patrimonio Sancti Petri Sutri-
norum & Pandulphi Comitis Anguillariæ ope profliga-
uit: Petrum de vico & Perciuallum Manfredianos repres-
sit: Regem Angliæ cum Proceribus pacificauit : Ecclesiam
S.Vrbani Trecis erexit: Basilicam Lateranensem restaura-
uit: Castrum Proculi, Aquam pendentem, Arsi, Mirandam,
ac Bledam à Præfecto vrbis Petro Ecclesiæ relictam , & à
10.epist.10. Petro Vico, iniuste detentam, iure sibi deberi probauit. 10.
Archiepiscopo Nidrocensi in Noruegiæ regno, reliquis .a.
Archiepiscopis , & Episcopis in aliis Regnis & prouinciis
prædicationem Crucis pro recuperatione terræ sanctæ, pi-
11.epist.30. asq; collectas imposuit. 11. Legatum in Sardiniam & Cor-
sicam pro conseruandis indidem iuribus & censu Ecclesiæ
destinauit, eique vt etiam circa primam horam noctis, si a-
lias per occupationes grauatissimas non liceret , Sacrifici-
12.epist. 66. um Missæ posset coram se celebrari iubere, indulsit. 12. E-
piscopo Atrebatensi, vt in vniuersitatem villæ S. Richerii,
quæ requias quasdam præsumpserat fingere, & religionem
Christianam derisui exponere nihil pensi duxerat, animad
13 ep. 120. uerteret, præcepit. 13. Thomæ Lentino ex Ordine D.Do-
121.& 122. minici Patriarchæ Hierosolymitano, vt deferentes prohi-
bita Saracenis anathemate percelleret: vtque vna cum suis
suffraganeis festiuitatem corporis Christi celebraret , atq;
pacem inter Crucesignatos necnon reliquos Christiano-
14.epist.34. rum in Syria procuraret, commisit. 14. Temerariam Capi-
tuli Rhemensis contra quosdam Cardinales sentētiam ab-
rogauit, temeritatemque illorum qui promulgauerant, ca-
15.epist.38. stigauit. 15. Auxumanis dignitatem Episcopalem restituit:
& alia quamplura in vtilitatem totius Ecclesiæ constituit.
VRBANI IV OBITVS. Tandem ætate & morbis confectus , ab Vrbe veteri Peru-
sium delatus in Ecclesia S. Petri deuote susceptis Ecclesiæ
Sacramentis, VI. Nonas Octobris diem clausit extremum,
verus Pastor Vrbis & Orbis. Corpus illius Perusii in Eccle-
sia Cathedrali S. Laurentii sepultum est. Eius obitum por-
tendere visus est Cometes, qui die Dominico VI. Cal. Au-
gusti, in 11. gradu Leonis apparuit, & tum in Italia, tum in
Galliis , tum apud Ptolemaidem, multos aspectu suo per-
territ.

XI. Mariana li. 13. cap. 25. MOTVS CIVILES IN ARAGONIA SANCTORVM INTERVENTV, REPRIMVNTVR.

Eodem anno in Aragonia, motus ciuiles opera Episco-
porum & Sanctorum virorum , repressi sunt. Ab Iacobo
Rege plurimi alienati fuere, filii quoq; ipsius nondum sa-
tis pacati inter se diffidebant, regni autem Proceres plebem
in factiones diuidebant. Vnde latrocinia & licentia omni-
um scelerum tanta, quanta vniuersæ montanæ Aragoniæ
ciuitates compulit , hetærias inter se constituere , inire fa-
cit , legibus constringere nouis , atque seueris scelerato-
rum hominum audaciam, ac præsertim suppliciorum ma-
gnitudine. Nam minori commisso delicto omnibus tor-
mentis necabantur : leuiora ob peccata fustuario , aut alia
ignominia pœnas ipsi dabant: & magnitudine pœnæ reli-
quis documento erant, vt à scelere abstinerent. Procerum
præterea voluntates à Rege erant alienatæ. Honores &
Magistratus externis aut obscuris hominibus demandari
conquerebantur : leges patrias inuerti : & qui earum cu-
stos erat, Iustitiæ Præfecti auctoritatem imminui : vectiga-
libus non modo plebem, sed ingenuos etiam & immunes
homines opprimi : mortem subeundam potius, quam iura
libertatis paterentur euerti. Hæ communes querelæ erant,
quemque præterea, vti erat affectus animo, priuatim suus
dolor vrebat. Itaque cum Barcinone Rex pecuniæ redi-
gendæ causa, Bouaticum concedi in conuentu petiisset,
Raymundus Folchius Vicecomes Cardonæ intercessit,
obstinato animo, nisi Rex mutaret, atque ab iis iniuriis ab-
stineret , affirmans se haud quaquam quieturum. Neque
destitisset, nisi alii Proceres docuissent , quam alieno tem-
pore turbas concitaret , præstare tantisper differre , ne a-
gendi occasio elaberetur. Catalaunorum exemplo Arago-
nii, gens in tuenda libertate constantior, prouocandi erāt.
Cæsaraugustæ , ea de causa Conuentus habiti : ibi magna
pars Procerum regiæ voluntati restiterunt. Fernandus San-
ctius Regis filius, & Simon Vrrea eius socer, se duces con-
sternatis præbuerunt: atque secessione facta Alauonæ fœ-
dus inter se aduersus Regis potentiam iunxerunt. Res ad
arma spectare videbatur. Actum tamen annitentibus vi-
ris Sanctis, vt iure potius ageretur. Neque Rex, siue ex ani-
mo , siue simulate recusabat emendare, in quibus eatenus
peccatum esset: haud ignarus, multitudinis impetus instar
torrentis esse : violentos quidem , non diuturnos tamen.
Factis induciis , Iudices in controuersia dati, Episcopi Os-
censis & Cæsaraugustanus , quorum prudentia non magis
controuersia sedata, quam Regis calliditate , omnia ferme
pollicentis sese præstiturum , pro quibus Proceres tumul-
tuabantur.

XII. Crom. lib. 9. RVSSI HOC ANNO, PRECIBVS BOLESLAI ET CVNEGVNDIS CONIVGVM CÆSI.

In Polonia , feliciter hoc an. contra Russos pugnatum.
Daniele perfido duce extincto, Suarno successor impieta-
tis magnam militum Ruthenorum manum in Polonos e-
duxerat, Tattarorumque auxilia sibi adiunxerat. Post con-
gressum virorum , vniuersa acie hostili commixta, & mu-
tuo se hostib. impellentibus, ac impedientibus , cædebant
Poloni terga fugientium , plurimisque eorum occisis , vel
in captiuitatem retractis , plena potiti sunt victoria. Boles-
lai Pudici Principis Polon. & vxoris eius Cunegundis pre-
cib. à Deo impetrata esse illa victoria existimata est , magis
quam humanis virib. parta , de tanta scilicet hostium mul-
titudine, vt quadruplo ea Polonos excederet. Quin & illud
memoratur , oranti Cunegundi astitisse duos viros candi-
datos, & futurum belli euentum prædixisse. Atq; S. Gerua-
sius & Protasius martyres , quorum memoriæ dicata erat
dies illa, qua pugnatum est, fuisse crediti sunt.

XIII. Crom. lib. 9. SALOMEA REGINA HALICIENSIS, MORITVR ET MIRACVLIS CLARET.

Per id temporis in Polonia , Salomea Haliciensis Regi-
na , Boleslai Pudici soror, cum post mortem Colomanni
viri integra in Zauichostensi monasterio, deinde in Scalen-
si (nam eo id Boleslaus transtulerat) sancte pieq; vitam e-
xegisset, natu iam grandior defuncta est, & funus Craco-
uiam ad Diui Francisci illatum. Fertur autem corpus eius
multis diebus post mortem seruatum, suauem odorem spi-
rasse , & oleum sudasse , quo inuncti ægroti conualuerint,
& sanitatem receperint.

XIV. B. AMBROS. SANSEDONII PRÆD. ORTVS, INFANTIA, VITÆ PROGRESSVS ET GESTA.

Pene me præterierat, B. Frater Ambrosius Sansedonius,
Prior Cœnobii Prædic. Vrbis veteris, is cuius opera Vrba-
nus Papa , in Genuensibus ad sanam mentem reducendis
vsus fuerat; nisi me Perillust. & Reuerend. D. Iulius Sanse-
donius Episcopus Grossetanus , tanti sancti virtutum ac
pietatis verus heres monuisset. Narrabo ortum, ingressum,
& res præclaras ab Ambr. pro Ecclesia susceptas, gestasque
vt magnitudo sanctitatis atq; meritorū illius ab Orbe vni-
uerso sciat. Natus est Ambr. Senis Etruriæ, patre Bonatacca
Sansedonio:ū antiquissimę familię nobilissimo, matre ve-
ro Iustina, ex Siribelliorū gente illustri fœmina lectissima.

Leand. lib. 5. NATVS ET ANNO, QVO S THOMAS M.CC.XX.

Nocte ea, qua anno Domini 1220. ad 16. Aprilis, tum
Ambrosius Senis, tum Aquini Thomas, ac Meuaniæ Iaco-
bus in Orbem editi sunt, tres Lunæ (mira res atque rarissi-
ma) in cælo apparuere, singulæ, singulos viros veste Prædi-
catoria amictos per imaginem repręsentantes. Sole deinde
in crastinum illucescente , puer quidam auditus est soda-
les excitare, & verbis ipsissimis; *Ad scholas, ad scholas* inuitare.
Causam insoliti clamoris rogatus; Præceptores quos mū-
dus exambiret audire, ead. nocte natos esse respōdit. Tho.
Aquinatem, Iacob. Meuaniensem, & hunc B. Ambrosium
Sansedonium, ead. nocte in lucem editos insinuans. Con-
tractum manib. & pedibus Ambrosium mater enixa est, vt
maiora diuinæ bonitatis argumenta in eo postmodum ap-
parerent. Non multo enim post, cum infantem gerula in
Templum Prædicato. ante altare, in quo Sanctorum mul-
tæ reliquiæ prostabant, attulisset, & infans intentissimis o-
culis illas contueretur, manus à laterib. & pedes à coxis, q.
ruptis vinculis disiunctæ exsolutæq;, vsum à miraculosa sa-
natione receperunt. Puerulus non alio magis quam aspe-
ctu imaginum Sacrarum oblectabatur. Cum .a. ei ob ocu-
los, ad experimentum sumendum, profanæ, lasciuæ, sacræ,
animalium, auium, virorum, armorum, puellarum, religio-
sorum vel Angelorum proponerentur; delectum ab instin-
ctu præmouentis gratiæ faciebat , nec nisi sacras arripie-
bat, amplectebatur, osculis fatigabat. Religiosos aliquos,
cum è nutricis brachiis dependens, aspiceret , capite incli-
ni illos venerabatur. Nō maior 7. an. Officium B. Virg. me-
moria hausit, & singulis dieb. magna cum deuotione reci-
tauit. Pauperum & peregrinorum tanto amore tenebatur,
vt & ipse diceret: Ab infantia mea mecum creuit miseratio,
& ab vtero matris meæ mecum egressa est. Quicquid enim

ciborum

ciborum prandii, cœnę, vel ientaculorum poterat sibi sub-
trahere, totum pauperib. distrahebat; quos etiam , domum
paternam prętereuntes, non modo inuitabat, sed vt ingre-
derentur, & stipem acciperent, vestimentis eorum prehen-
sis trahebat. Nonum ingressus annum, ieiunia Ecclesiæ pa-
ne & aqua contentus ieiunabat; iisdemq; noctib. matuti-
nis precib. interesse volebat. Permissu vtriusq; parentis sin-
gulis dieb. Sabbati, à vespertina vsq; ad matutinam Domi-
nicæ diei horam , 5. peregrinos hospitio excipiebat, pedes
eorum abluebat , cibos apponebat, lectulos insternebat,
pecuniam illis supererogabat; propter quod officium me-
ruit aliquando, 5. Angelos peregrinorum specie apparen-
tes domo excipere, eorumq; voce suauissima, & cantionib.
cœlestib. recreari. Ergastula quoq; cōpeditorum, ac xeno-
dochia languentium penetrabat, & quicquid beneficii in
egentes corrogare poterat, quotidie impendebat. Virgini-
tatis quoq; ipse amans & tenax, virginū pudori, conscientię,
famæ consulebat; & vt parentum opib. eas à dispendio in-
tegritatis præseruaret, ad exemplum D. Nicolai, aurum, vel
clam, vel palā, erogabat elocandis. Voluntatis Diuinæ co-
gnoscendæ iuxta ac explendæ tam diligens , vt se viuere nō
putaret, si quicquam contra mentem diuinam cogitare, ne
dicam facere impelleretur. His virtutib. cum adolesceret in
Principem iuuentutis, veterator malignus vidit & inuidit,
illum per ardua ad sum̄am perfectionis niti . Quamobrem
ad artes quoq; suas conuersus, cogitauit, si adhuc in herba
succrescentē eius virtutem posset supprimere. Aliquis cō-
sanguineorum Ambrosii, virginem æq; formosam atq; no-
bilem ditemq; in matrimonium collocauerat, & Ambro-
sium ad solemne epulū inuitauerat. Sciens .a. cautus iuue-
nis, multa in conuiuiis, hilariisq; pericula si non perdendæ
integritatis, saltem im̄inuendæ virtutis occurrere, se subdu-
xit, & vt erat solitudinis amans extra vrbem, ad proximam
D. Michaelis Abbatiam ire perrexit, vt religiosorum Cister-
ciensis instituti, qui illud cænobium per id temporis exco-
lebant, consuetudine religiosa frueretur. Dumq; propera-
ret, obuium se illi præbuit malignus , specie eremitæ vene-
randi aspectus assumpta, & cur solus euagaretur, cur soda-
lium honestum consortiū vitaret, cur amica hilaria abhor-
reret, cur ætati feruenti consuetas recreationes subtrahe-
ret, cur reliqs occasionē scādali exhiberet? redarguit. Inte-
rim .a. se quoq; iuuenē aliquando vixisse, inq; solēnib. ado-
lescentium, ætatem illam virtutib. solidis nondum maturā,
transegisse, istudq; maturioris & defœcatioris æui Deo cō-
secrasse, multaq; trophæa de hoste prostrato non difficili
labore erexisse, narrabat: vtq; ille se etiam voluptatib. ho-
nestis daret, & ad conuiuium iret, atq; ardorem iuuenilem
per licita efferuescere sineret, monebat. Intellexit fraudes
Ambros. & armis Christianæ militiæ vsus, Crucis signum
contra falsum eremicolam vibrauit, nomenq; SS. Trinit.
inuocauit. Hæc cum hostis refuga aspicere sustinereq; non
posset, ab oculis adolescentis euanuit, eumq; vehementi-
us fuga insolenti perterruit: vt & ille quoq; quo posset cō-
citatiore cursu ad proximum cænobium confugerit, San-
ctisque viris id quicquid ei acciderat , narrauerit. Cum hæc
Satanæ non successissent, aliam technam commentus est,
Ambrosio capiendo. Leccetum , S. Aug. Eremitarum cæ-
nobium, 3. lapide Senis disiunctum Ambro. ibat, vt amica
solitudine frueretur. Lucum monasterio vicinum ingres-
sus, repente audiuit vocem puellæ cuiusdam infelicitatem
suam deplorantis, seq; perdere properantis. Satanas erat,
qui venustatem formæ vnius & alterius virginis induerat,
insidiasq; Ambrosio tendebat. Hærebat Ambr. an vocife-
rantem accederet. Conueniret ! sed pudicitiæ iacturā me-
tuebat. Refugeret ! sed animæ infœlicis damnationem nō
præuertere, inhumanum & impium existimabat. Namque
primo auditu, aliquam puellam honesto loco natā, sed ali-
qua calamitate in discrimen pudoris vel fortunarū addu-
ctā fore putabat. Tandē charitate præurgente accessit, vir-
ginē speciosi iuxta ac modesti aspectus bene cultā ac com-
ptā. Sed longe mæstā & animo deiectam vidit, pedissequa
nonisi vnica paris ætatis ac formæ comitatā. Ille ipse versi-
pellis impostor fæmellam se finxit, Senis ortam, & à fratre
vt religionē aliquā Vestalium profiteretur , compulsam, vt
honesto alicui marito collocaretur , qui iniurias illius vin-
dicaret , domo & vrbe excessisse: rogareq; Ambrosium , vt
pudoris protegendi causa, comitem se illis pręstaret, donec
virum nacta esset. Refugiebat comitatum Ambr. & ali quā
venerandam matronam è vicinia se ad illam missurum of-
ferebat, atque iter reflectebat: cum illa abeūtem extemplo
secuta, laciniis eum continuit. Tunc Ambr. Satanam, quod
erat, suspicatus , impresso Crucis signo, & Iesu nomine in-
uocato, infernalem illam furiam effugauit. Relata victoria
ex maligno cum non sibi tutum existimaret , in sæculi are-
na cum potente duellare, religionem Prædicatoriam, nec-
quicquam preces parentum aut lachrymas, quas vt ab hoc
vitæ genere adolescentem auerterent fundebant , curans,
annum ætatis 17. ingressus, experimentique anno exacto
professus, etiam per id temporis de Satana triumphauit.
Lutetiam tyrunculus mittebatur, vt Albertum Magnum
docentem audiret. Cumque itineris longitudine defatiga-
tus , in febrem incidisset , quodam loci subsistere coactus
fuit. Ibi ad febrientem , Satan, eremitæ, qui medica à Deo
virtute polleret , ac solo tactu manus ægrientes curaret, as-
sumpta, accessit: sanitatem illi spopondit: manum imposu-
it: & interim à studio Theologiæ & religionis proposito ,
atq; ab itineris proposito suscepto dehortari , domum re-
uerti, habitum sanctum deponere, legum disciplinæ incū-
bere, & tandem gymnasio alicuius ciuitatis sese dare : ad-
hortari cœpit. Subolfecit fraudem Satanæ Ambr. & solem-
nib. armis vsus: Retrocedas, ait: Soli duntaxat Deo fidem
adhibeo, non tibi mendaciorū parenti: & à solo ipso, non à
te , salutem corporis animique opto , deposco , expecto :
nec à meo proposito , propter verba tua desisto. Tu vero
nequam , in nomine Patris, & Filii , & Spiritus Sancti , A-
men , exesto. Ad ea verba dæmon disparuit, teterrimo o-
dore in cubiculo relicto , cui ferendo comites non essent.
Dixerat ista Ambrosius , & in extasim raptus fuerat , à qua
ad se reuersus, sanitatem optatam recepit , ac reliquum iti-
neris sine molestia confecit. In disciplinam deinde Magni
Alberti allectus, non magis in literis Philosophiæ ac Theo-
logiæ, quam in virtutibus, præcipue modestiæ ac humilita-
tis, proficiebat: adeo vt breui tempore docendi munus ei à
Maioribus iniunctum , tum Lutetiæ, tum Coloniæ, maxi-
mo cum fructu auditorum obierit: cum non tantū in scho-
lis prælegerit , verum & in templis concionaretur , diuina
prope facundia. In Germania, tanta opinione doctrinæ, &
sanctitatis fuit, vt etiam dissidentes inter se Principes, non
alium vel arbitrum vel Pacarium quam Ambrosium de-
poscerent. Erat , cur in sedandis discordiis Ambrosio vte-
rentur , quem vidissent Spiritu consilii & pietatis afflatum
fuisse. Die etiam quadam eo verba ad populum faciente,
Spiritum Sanctum in columbæ specie Ambrosio assistere
atque ad aurem loqui aspexerant. Itaq; libenter se eius iu-
dicio permittebant , quod crederent illum nonnisi ex iu-
sto & æquo posse decernere. Eo tempore, quo Friderico &
Conrado contra Ecclesiam tumultuantibus , quamplurī-
mæ hæreses Germaniam inuaserant , Ambrosius tum do-
cendo , tum disputando , fidem Orthodoxam , etiam cum
vitæ periculo tutatus est , plurimosque hæreticorum erro-
rem cognoscere, eiurareq; induxit. In Italiam postea à Gre-
gorio X. Pontifice Maximo post annos aliquot reuocatus.
& ad Senenses Ecclesiæ Romanæ propter Fridericum de-
sertores , vt eos ad Sedis Apostolicæ obedientiam reuoca-
ret, missus, doctrina & auctoritate, audaciam refractario-
rum fregit, vtq; Summo Pontifici supplices essent non dif-
ficulter persuasit. Cum autem non alteri quam Ambrosio
Legationem credere mallent , eum ad Summum Pontifi-
cem, cum potestate transigendi omnia remiserunt. Mirum
tunc accidit. Ambrosio enim in conspectum Pontificis &
Cardinalium venienti, facies tantopere radiauit, vt & aspi-
cientes ferre non possent splendorem à vultu emanantem
& Gregor. antequam Ambrosius verba pro Senensibus fe-
cisset, postulata concessit, hoc verbo vsus: *Fiat voluntas tua.*
Ea Legatione perfunctus Ambrosius dignitatem Episco-
palem à Summo Pontifice oblatam demissa cum humilita-
te recusauit : & Satanam non multo post habitu cuiusdam
viri illustris sibi apparentem, vtque eam assumeret magno
artificio suadentem effugauit, quod maluisset in humilita-
te religiosa salutem certam obtinere, quam in solicitudine
Pastorali periculum illius subire.

Hoc anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo XV.

 quarto

Chron.Ii 13. OBITVS AZONIS ESTENSIS MARCHIONIS IN ECCLES. ROM. FIDE SEMPER MANENTIS, PRINCIPIS LAVDATISSIMI.

quarto, cum illustris (verbis Monachi Paduani, rem enarro) Azo Marchio Estensis, de suis & Ecclesiæ Romanæ inimicis feliciter triumphasset, & Ferrariæ satis pacifice moraretur, sicut placuit omniū creatori, qui vitæ & morti singulariter dominatur, inuasit eum multiplex infirmitas corporalis. Cumq; viribus corporis destitutus diem vltimum sibi cerneret imminere, prouidens vir expertus, quod status regionū solet in morte Principum permutari, amicos fideles fecit conuocari, & charissimum nepotem suum, quē in testamento hæredem instituerat, eis affectuosissime cōmendauit. Deinde sermonem dirigens ad nepotem, prudenter eum monuit per viam incedere æquitatis: Sapientum obedire consiliis, amicos recte diligere, in omnibus strenue se habere, & à sanctæ Matris Ecclesiæ deuotione nullatenus declinare. Hæc, inquit, monita mea salutifera, dilectissime Fili Obizo, obseruando, attestatione, operum cōprobabis, te vere processisse de genere nobili Marchionum Estensium. Hunc siquidem modum egregium, ad quem custodiendum mea persuasio inducit, tenuit magnificus pater meus, cuius probitatem & potentiam circumspectam, non solum Italia, sed etiam latitudo Romani Imperii est experta: à cuius vestigiis frater meus Aldeurandinus magnanimus non deuiauit: sed intantum se ac sua exposuit pro defensione Ecclesiæ, & pro domus nostræ gloria dilatanda, quod etiam meipsum adhuc infantulum de brachiis rapuit genitricis, eius pias lacrymas paruipendēs, & me simul cum toto patrimonio Florentinis fœneratoribus obligauit, à quibusdam accepit, ad exercitum conducendum pecuniam, vt rebelles Ecclesiæ Romanæ in Marchia Anconitana & in Apulia expugnaret, de quibus diuina fauente gratia strenue triumphauit. Ego autem patris mei ac fratris vestigia imitatione digna, pro viribus subsequutus, pro defensione domus meæ ac omnium amicorū, & pro sanctæ Ecclesiæ Romanæ honore, quam conabatur iniquus Imperator in miserabilem redigere seruitutem, me audacter exposui, magnis laboribus & periculis infinitis. Neque amor filii mei vnigeniti me à proposito reuocauit: sed communem vtilitatem præferēs speciali, expedire potius iudicaui ipsum solum periclitari, quam oppressionem totius Ecclesiæ Romanæ, & omnium amicorum mortem & exterminium tolerare. Dominus autem, in quo fuit spes mea à iuuentute mea, & in quem iactaui meum semper cū fiducia cogitatum, me à periculis maximis liberauit, & mei cordis tristitiam misericorditer subleuando, mihi pro dilecto filio, contra spem omnium, nepos dilectissime, re donauit. Viriliter itaq; age fili mi, & cor tuum in Deo principaliter confortetur: consequenter etiam in auxilio fidelium amicorum, & sic eris in cunctis prospere agens, & piissimus Dominus in te supplebit per gratiam, quod in tenera ætate nequiueris adimplere. Hæc itaq; verba, quæ dum hospes eram solebam tibi fili Obizo, prolixius enarrare, nunc breuiter comprehendi: vt ista mea vltima commonitio, menti tuæ altius imprimatur: & cognoscas, quid post meum discessum vitare debeas, quid amplecti. Igitur cum his & aliis huiusce modi dictis Catholicus Marchio, firmissima columna Ecclesiæ, ac turris fortitudinis contra faciē tyrannorum, tutum que refugium & dulce vmbraculum amicorum, domestica negotia præcauens in futurum prouide ordinasset, susceptis deuotissime Ecclesiasticis sacramentis, die 13. exeuntis Februarii, ætatis suæ 58. an. in ciuitate Ferrariæ, nocte Dominicæ diei viam vniuersæ carnis ingressus est.

XVI. PARINSIGNIVM VIRGINVM, EX EADEM ASTENSI FAMILIA, QVÆ VESTALES FACTÆ, QVARVM ALTERA SOROR ERAT, ALTERA FILIA.

Ad ipsius Marchionis, & nobilissimæ domus Astensis gloriam accessit, nobile par insignium fœminarum, altera eius soror, altera filia, vtraque autem nomine Beatrix: quæ carnis concupiscentiā simul cum mundo vincentes, & de mundi Principe viriliter triumphantes, ad regna syderea, sicut pie creditur, feliciter peruenerunt. Prima earum nobilissima Virgo, re ac nomine Beatrix, soror prædicti Marchionis, quæ cum esset mira pulchritudine corporis, & virtute multipliciter decorata, mundum cum sua pompa cōtempsit, mortalem sponsum accipere recusauit, ad castos amplexus æterni sponsi, forma præ filiis hominum speciosi, cupiens peruenire. Hoc itaq; propositum sanctissimum Virginis deuotissimæ, illustris frater eius, & amicorum turba, & multitudo nobilium matronarum, amore præsentium, immemores futurorum, nitebantur modis omnibus impedire: nunc mundanam gloriam, nunc nobilis sponsi connubium, & dulcissimæ prolis felicitatem castæ Virgini proponentes: pariterq; suæ domus ruinam, amicorum tristitiam, & inimicorum gaudium ex tali mutatione consequi asserebat. His & aliis verbis ad decipiendum compositis glorioſæ Virginis animum conabantur à bono proposito reuocare. Sed Virgo prudētissima Septiformis spiritus gratia illustrata, eorum verba quandam habentia speciem veritatis, sed existentia minime, pro nihilo reputabat: & quod soli Deo seruiendum esset, eo quod quicquid aliud agatur in hac vita, amittatur, argumentis efficacissimis demonstrabat. Propositum itaque, quod Virgo sapiens corde conceperat, fructuosis affectans operibus adimplere, ad montem qui Gemmula nuncupatur, vbi est Oratorium ad honorem Beati Ioann. Baptistæ constructum, cum quibusdam aliis honestis virginibus, eand. cum ea intentionem habentibus, protinus conuolauit: ibique in sancta conuersatione indesinenter permanens totam Italiam suæ sanctitatis candore illustrauit. Fama igitur longe lateque de conuersatione pretiosæ Virginis discurrente, cœperunt multæ clarissimę Virgines ex longinquis etiam partibus, quasi columbæ accipitrem fugientes, ad prædictum locum accedere, cupientes tantæ virginis instrui disciplinis, & eius sanctę conuersationis exemplis, & colloquiis deuotissimis informari. De quarum siquidem aduentu illustris virgo diuinæ maiestati gratias referebat, lachrymosis precib. deprecans creatorem, vt qui de diuersis regionibus huiusmodi virgines congregauerat, ad gloriam sui nominis & honorem eas custodire in sanctæ religionis obseruantia dignaretur. De salubri itaq; consilio prudentissimæ virginis Beatricis, omnes prædictæ virgines, quandam desideratam sororem in Abbatissam concorditer elegerunt, quæ tam sancto collegio deberet vtiliter præsidere. Sub cuius regimine, cum quanta humilitatis obedientia, patientia & charitate duxerit vitam Angelicam virgo deuota in terris, nimium prolixum esset singula enarrare. Eius virginis glorioſæ (prout sanctæ virgines, quæ illius meruerant habere consortium, narrabant) tam verba quam facta erant discretione condita, honestate plena, bonitate conspicua, Deo & hominib. gratiosa: ita quod per mores honestos & gestus corporis ordinatos, ac propter eius vtiliter & pie prolata, ab omnib. credebatur, quod Deus veraciter in eius cordis thalamo habitaret. Cumque multo tempore his prædictis & aliis virtutibus refulgens virgo clarissima in diuinis obsequiis & disciplinis regularibus permansisset: Rex cœlestis, qui eius speciem concupiuit, eius sanctissimam animam de vitæ præsentis ergastulo misericorditer liberauit, vt eius beato consortio cœlestem curiam exornaret. Eius radianti exemplo præsens Ecclesia extitit mirifice illustrata. Sanctissimum autem eius corpus in prædicto cœnobio reuerēdo, in arca lapidea est honorifice collocatum, vbi in magna veneratione vsq; ad præsens tempus habetur.

Post decessum venerabilis virginis Beatricis, plurimis elapsis annorum curriculis, altera Beatrix, prefati filia Marchionis, virgo pulcherrima, omnium oculis gratissima, diuini amoris igne succensa, amitæ suæ vestigia cupiens pro viribus imitari, ornamentis dispositis pretiosis, religionis habitum intrepida mente suscepit. Quam cum nobilissimus eius pater attentasset à bono proposito reuocare, virgo constantissima doni cœlestis gratia illustrata, verba patris & aliorum, & omnem mundi gloriam parui pendens, religionem laudabiliter inceptam de virtute in virtutem quotidie procedendo, glorioſissime decorauit, & in Monasterio Beati Martini, quod ipsius causa iuxta Ferratiam constructum est, cœlibem vitam ducendo, cum multis honestis virginibus, illius exemplo ibid. ad gloriam Dei congregatis, de humani generis inimico viriliter triumphauit, vitæque cursum feliciter consummando, beatissimam animam suo reddidit creatori. Illæ itaque virgines glorioſę, quasi duæ oliuæ fructuosa opera pietatis producentes, & q. duo candelabra virtutum exemplis radiantia circumquaque, non minus domum glorioſam & laudabilem suis meritis reddiderunt, quam eius strenui Marchiones, pro fama & potentia dilatanda se variis bellorum periculis exponentes. Illorum enim corruptibiles triumphi, velut vmbra ve-

bia velociter transierunt: istarum vero beatitudo, honor & gloria triumphalis, nullo vmquam termino finiuntur. *Monach. Paduan. Chron. lib. 3.*

XVII. COMETES VISVS.

Eodem anno, Cometes ingens apparuit in Oriente. Quadraginta diebus à Calend. Augusti, duabus horis ante ortum solis luxit. Fuit in principio magnus & clarus, comam habens longam & latam, quæ de die in diem cœpit deficere, Soli adiungi, & ad nihilum deuenire. *Annal. Colmarens.*

XVIII. ITEM STELLA PRODIGIOSA.

Triennio post orta est stella in ortu Solis, pulchra & magna prope Lunam, ea existente 18. in mense Iulii, quæ magno impetu progressa à Luna versus Orientem ad mediatem hemisphærii, relinquens post se comam siue nubem albam, vel nubem incensam, & minorem sequentem: quæ pariter esse desierunt. *Ibidem.*

IESV CHRISTI
Annus 1265.

CLEMENTIS PAP. IV. MICHAELIS PALÆOLOGI
Annus 1. Imp. Orient. 6.

I. *ex ep. 1. Clement. 4. an. 1.* ELIGITVR CLEMSNS IV. ABSENS A CARDINALIB. PERVSII, EX LOCO HVMILI, HVMILIS.

QVarto ab Vrbani Pontificis de mortui mense, ipsis Nonis Februarii Perusii à Cardinalib. in commune consulentibus, vno omnium suffragio ad Pontificatum Catholicæ Ecclesiæ, absens electus est, Guido Fulcodii, Narbonensis, Cardinalis Episcopus Sabinensis, in Anglia, per id temporis, sedis Apostolicæ Legatus: Sunt qui affirment, Guidonem electum habitu mendicantis religiosi assumpto, Perusium venisse, siue vt insidias à Manfredo & Gibellinis instructas euaderet, siue vt eam qua præcellebat sanctitatem vitæ, etiam humiliore vestitu ostenderet. Re enim vera, nonnisi propter doctrinam, & vitæ sanctimoniam, ad summum fastigium Patres eum euocauerunt, & Clementis nomine Perusium venientem salutauerunt. Eius moderationis animi, vel istud vnicum exemplum abunde ostendit, quam frugi fuerit. Ante Sacerdotium vxorem habuerat. Procreatas ex ea filias, cum Pont. splendidissimo matrimonio collocare posset, pristinæ fortunæ suæ hominib. tenui dote despondit. Filio sororis multiplicia prębenda habenti, optionem dedit quod eorum videretur retineret, cæteris omissis. Ipsius hac de re epistolam, placuit inserere. Ita habet.

Æmil. in Ludouico 9. & multi alii.

II. NVLLVS CONSANGVINEORVM PROMOTOR. *Apud Ciacon. in Clemen. 4.*

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto Filio Petro Grosso de sancto Ægidio, salutem & Apostolicam benedictionem. *Multis de nostra promotione gaudentibus, nos solisumus, qui certius immensitatem oneris experimur. Et idcirco quod aliis gaudium, nobis metum subministrat & fletum. Sane vt scias, qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus, quod humilior subito debes esse, neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maxime cum honor huius sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus: nec ad nos te, nec Fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquē venire volumus, sine nostro speciali mandato. Quia spe sua frustratus, si secus venire præsūeret, oporteret redire confusum. Sed nec in tua sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem; nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis simplicis desponsaueris, in trecentis libris Turonensibus tibi proponimus subuenire. Et si altiora quæsieris, nec à nobis donarium speres vnum: & hoc ipsum secretissimum esse volumus; & tibi, & matri solummodo, notum esse. Illud etiam scias, quod nullum, nullamque de sanguine nostro sub nostri sublimationis obtentu inflari volumus, sed tam Mobiliam, quam Cœciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici Clericatu. Sibyllam visita, & dic ei, quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam; & omnem maturitatem & habitus honestatem obseruet; & preces nobis pro aliquo non præsumat assumere, nam & ei, pro quo fierent, essent inutiles, & ipsis qui rogauerint damnose. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerrentur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Salutā Matrem & Fratres, non scribimus tibi nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis vtuntur.* Datæ Perusii in Festo Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis.

ÆMVLATOR PRIORIS FORTVNÆ ET STATVS INSVOS.

Hæc Clemens scripsit, atque reipsa magis præstitit. Bona enim Ecclesiæ ita accurate dispensauit, vt plus Deo, quā sanguini, seu affinitati & cognationi tribueret. Filiarum alteri in monasterio collocatæ, nonnisi triginta libras paruorum Turonensium dederit: alteri vero, quæ suæ conditionis marito nupserat, trecentas libras Turonensium dotis nomine numerari iussit: ea lege, ne quid præterea flagitaret. Fratris filio Clerico, tres canonicatus obtinenti, optionem obtulisse ferunt, vt quem vellet ex his retineret, duos illico dimitteret. Amicis autem, peo rogantibus, vt nō solum quæ habebat propinquo relinqueret, sed ampliora tribueret, Vir optimus, & sanctissimus respondit: se magis DEO, quam carni ac sanguini acquiescere malle. DEVM namque velle, vt reditus sui in pias causas erogentur. Neque eum esse dignum Petri Successorem, qui plus cognationi, quam pietati & CHRISTO tribueret. Sed ad publicas Clementis Quarti actiones reuertor: Ad octauum Calend. Martii, qui dies Cathedræ Diui Petri dedicatus est, Petri infulas & sacrum diadema adeptus est, imprimis Regi Galliarum Sancto Ludouico, Archiepiscopo Senonensi & suffraganeis ipsius, deinde vniuersis Ecclesiarum prælatis ac Principibus Christianis electionem suam significauit, datis ipso die literis Perusii.

ep. 1. cit. 1.

III. IN FEVDAT REGNA SICILIÆ ET NEAPOLIS CAROLO ANDEGAVENSI, FRATRIS LVDOVICI.

Renunciata omnibus assumptione sua Clemens, imprimis ad Italiam pacificandam, Regnumque Siciliæ & Neapolis à tyrannide Manfredi vindicandum animos adiecit. Vrbanus eius antecessor, Carolum Andegauensium Ducem, Sancti Ludouici Fratrem in spem vtriusq; euocarat, certisq; cōditionib. vtrumq; obtulerat. Eo defuncto, consilia Caroli, ac spes vxoris illius irrita cecidisse videbantur; cum repente maiora, confirmatioraque sunt effecta. Clemens enim Caroli studiosior, Bartholomæum Simonem tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinalem Legatum & Pignatellum Archiepiscopum Amalphitanum in Gallias misit, qui eum non tam inuitarent, sed magis perurgerent ad iter accelerandum, & titulum Regium assumendum. Porro conditiones infra scriptas Clemens Pontifex, Carolo proponebat, quas ex bulla aurea eiusdem Caroli se descripsisse affirmat, Ioann. Anton. Summontius Neapolitanus, rerum Neapolitanarum Scriptor. Ita habet.

Perusii 28. Iunii 1265. recitata à Baldo. cum Antiquioribus c. de iure deliberandi.

1. Clemens Quartus infeudauit Regnum Siciliæ citra & vltra Pharum, excepta ciuitate Beneuentana, Carolo I. Regi Franco, pro se, descendentib. masculis & fœminis: sed masculis extantibus, fœminæ non succedant; & inter masculos primogenitus regnet. Quib. omnib. deficientibus, vel in aliquo contra facientibus, Regnum ipsum reuertatur ad Ecclesiam Romanam.

2. Quod regnum ipsum nullatenus dividere possit.

3. Quod debeat præstare iuramentum fidelitatis, & ligium homagium facere Romanæ Ecclesiæ.

4. Quod non patiatur se inungi in Regem & Imperatorem Romanum, vel Regem Theutoniæ seu Dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, vel maioris partis earundem, sub pœna caducitatis, si infra quatuor menses non renunciet.

5. Quod Imperium Romanum aut Regnum Theutoniæ, Thusciam & Lombardiam non occupet.

6. Quod si contingat eum eligi in Imperatorem, filium suum successurum à manib. Romani Pontificis emancipet, & Regno renunciet, nihil iuris in eo retinens.

7. Quod Rex maior 18. annis possit administrare, minor vero non: sed Regnum in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneat, donec adolescat, & aptus sit administrationi.

8. Quod filia fœmina nupta Imperatori, viuente patre, Patre & Imperatore defunctis, hæres existat; viuente autē Imperatore marito non posset succedere: & si delato sibi Regno, Imperatori nupserit cadat à iure.

9. Quod Regnum Siciliæ nunquam possit vniri Imperio.

10. Quod teneatur soluere censum octo millium vnciarum auri, in festo BB. Petri & Pauli & tribus terminis deficiens, cadat, & vnum Palafremum album, pulchrum & bonum.

11. Quod debeat soluere Romanæ Ecclesiæ 5000. marchas sterlingorum singulis sex mensibus.

12. Quod in subsidium terrarum Romanæ Ecclesiæ ad requisitionem Pontificis teneatur mittere 300. equites

bene armatos; ita vt vnusquisque habeat saltem tres equos suis sumptib. per tres menses quolibet anno; seu commutentur in nauale præsidium.

13. Quod debeat stare distinctioni Romani Pontificis super finibus Beneuenti faciendæ.

14. Quod præstet securitatem Beneuentanis per totum Regnum, & eorum priuilegia seruet, & libere de propriis bonis disponere permittat.

15. Quod in terris Romanæ Ecclesiæ nihil vnquam sibi quocunq; titulo possit acquirere, nec aliquam Potestariam, aut Rectoriam obtinere.

16. Quod Ecclesiis Regni, omnia restituantur ablata.

17. Quod omnes Ecclesiæ, & eorum Prælati, & Rectores, gaudeant Ecclesiastica libertate: nec regium teneantur expetere consensum, vel consilium excepto iure patronatus.

18. Quod causæ Ecclesiasticæ coram Ordinariis tractentur, quod si vero per appellationem ad Sedem Apostolicam deuoluantur, ad eand. sine vllo impedimento remittantur.

19. Quod reuocet omnia statuta contra Ecclesiasticam libertatem.

20. Quod Clerici, nec in ciuili, nec in criminali causa coram iudice sæculari conueniantur, nisi super feudis ciuiliter.

21. Quod non imponat talias Ecclesiis.

22. Quod in Ecclesiis vacantib. nulla habeat Regalia fructusque.

23. Quod exules Siciliæ reducantur in Regnum, ad mandatum Ecclesiæ.

24. Quod nullam faciat confœderationem cum aliquo contra Ecclesiam.

25. Quod habeat mille equites Vltramontanos paratos pro negotio fidei: sub irritatione infeudationis à Romana Ecclesia, & sub conditionibus supradictis.

IV. ACCEPTAT CONDITIONES CAROLVS HORTATV S. LVDOV. A LEGATIS IVRATQVE. *Æmil. in Ludouico 9.*

Eas conditiones Clemens Pontifex Carolo proposuit, vt illas iureiurando coram Simone Cardinali Legato confirmaret, & scriptis literis publice se iurasse testaretur, si Regnum spōte oblatum ab Ecclesia obtinere desideraret. Re in consultationem prolata, placuit omnibus, & præsertim Sancto Ludouico, vt Carolus conditionibus subscriberet, & quamprimum ad Regnum properaret. Vnum oberat, quod Carolum remorabatur, nempe inopia ærarii. Eam ob rem, vxor Caroli, vt nomen Regium tam cupide quæsitum obtineret, omnem mundum suum distraxit, ad militem colligendum. Summus etiam Pontifex, vt se quantocius, à Manfredi tyrannide liberaret, decimam omnib. Ecclesiis Comitatus & Prouinciæ Andegauensis, imposuit, ac Sancto Ludouico scripsit, vt tantam pecuniam Carolo Fratri, nomine mutui concederet, quanta exigi posset ex decimis impositis. Porro ne Ludouicus aliquid causaretur, Simoni Cardinali Clemens, vt Regem ad mutuo numerandam Fratri pecuniam induceret, commisit. *ep. 9. & 10. Perusii 5. Cal. April. & 2. Cal. eiusdem.* Prope incredibile est, quam breui tempore, ingens numerus militum ad Carolum conuenerit, studio iuuandi Pontificis, ac tantum Principem ad regia decora deducendi. Festis Resurrectionis Dominicæ solemniter celebratis, diuiso exercitu, placuit terrestri & maritimo itinere in Italiam celerare. Carolus ipse Princeps, quamquam sciret Manfredum tyrannum, octuaginta triremib. vndequaque collectis & instructis, maris Mediterranei omnes portus & itinera præclusisse, atque sibi insidias vbique locorum posuisse: tamen animo fidenti in Dei auxilio, nonnisi triginta triremib. cōparatis alto mari se commisit, & Massilia soluens, propitiis aspirantibus ventis omnia pericula prætervectus, Romam aduerso Tyberi, in ipso peruigilio Pentecostes vna cum vxore delatus est. Ibi in æde Lateranensi, coram Purpuratis Clementis Papæ Legatis, Sacramento iurisiurandi iterum *Guagnin. lib. 7.* præstito, & conditionibus bulla publica data Ecclesiæ approbatis, Rex Siciliæ & Neapolis renunciatus, ac Senator vrbis Romanæ auctoritate Sedis Apostolicæ, ad diem SS. Petri & Pauli Apostolorum, creatus est: Legatione à Clemente Pontifice defungentibus, Fratre Hannibaldo titulo duodecim Apostolorum, Richardo titulo S. Angeli, Ioanne Caietano Vrsino titulo S. Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobo Sabello titulo Sanctæ Mariæ in Cosmedin, S.R.E. Cardinalibus. Ferunt Carolum Massilia soluentem, cum ei quispiam hostium insidias naualemq; apparatum, ob oculos proponere ausus esset, ipsum vero nonnisi 30. triremes habere, velut exprobrasset: respondisse: *Virtutem esse fortuna superiorem.* *Papyrius Masson. in Ludou. 9.*

CORONATVR CAROLVS ET VXOR A S.R.E. CARDINALIBVS. *ep. 28. 5. Id. Iul.*

His transactis in Vrbe, Clemens Pontifex, qui tum Perusii agebat, gratulatorias Carolo scripsit, Regnum Siciliæ cis & vltra Pharum dato diplomate ei confirmauit, anathemata grauissima in aduersarios quouis modo impedientes possessionem eius Regni, tum etiam in ipsum ac posteros ipsius, si conditionib. iureiurando sponsis non staret, stringit: ad recuperanda ea quæ tyrannus Manfredus abstulerat hortatus, auxilia illi promisit: interim vero, vt militiam aduenientium expectaret, neq; cum paucis in aciem descenderet, sed tantisper cunctaretur, Ecclesiæ tamen Dei & suum inimicum Manfredum non sustineret, fraudes ipsius ac proditiones non dissimularet, sed tantum caueret, & imprimis ciuitatem Tiburtinam, cui videbatur Manfredus imminere, in sui & Ecclesiæ deuotione studeret conseruare, admonuit. *ep. 76. 3. Id. Iul. Perusii.* Præ ceteris vero custodiam Vrbis illi diligentissimam habere commisit: vtque sibi à partiariis Manfredi prospiceret, vehementius insinuauit. Interim autem vt ei auxilia promissa submitteret, à Comite Pictauiensi quatuor millia marcarum argenti, & quinquies mille libras Turonenses, à Senensibus autem & Mercatoribus Florentinis centum millia Prouisinorum, mutuo accepit, & in his, ex consensu Cardinalium, possessiones, & bona omnium Ecclesiarum vrbanarum, exceptis Lateranensi, S. Petri, S. Gregorii, Hospitalariorum & Cardinalium Basilicis, ad triennium obligauit. *ep. 102. Perus. Cal. Nouem. & 54. ibid. 15. Cal. Aug.*

V. COMMITTERE CVM MANFREDO CVPIENTEM CAROLVM RETRAHIT CLEMENS. *ep. 42 Perus. 15. Cal. Aug*

Cupiebat Carolus quamprimum ex vrbe erumpere vt Manfredum per omnes Prouincias Italiæ volitantem aggredi quantocius posset: cæterum quod imparem viribus cerneret Clemens: Quinque Cardinalibus in vrbe Legatis scripsit, ne permitterent illum, ante militum ex Galliis aduentum, temere contra Manfredum exire: sed eundem admonerent, ne se ad negotium grauissimum in præceps daret, neq; Ecclesiam & Summum Pontificem summo discrimini exponeret, sed animum atq; audaciam cohiberet, vsque ad aduentum exercitus.

Ad vltimos dies Septembris, copiæ Gallicanæ, Philippo Montfortio Duce, Alpibus Graiis, & Cottiis superatis, Parmam, & tandem per Æmiliam & Marchiam Anconitanam, subactis omnibus viarum impedimentis, ab Vberto Pellauicino & Manfredo Tarentino (qui nouem millia Saracenorum, & aliquot turmas Germanorum & Gibellinorum inter angustias itinerum obiecerat) dispositis ad finem Decembris Romam aduenere. *Guagnin. & Æmil. in Ludouico 9.* In armis Carolus habebat, inprimis Andegauenses, Cænomanos, Phocenses, simulque cum eis Flandros ducente Roberto Vidonis filio florentissimo iuuene. Qui Guelphorum patria exacti, ab aduersaria factione vsq; fuerant, ii Caroli signa sequebantur. In quibus Hetruscorum magna manus. Itaque exercitu iusto collecto, non procrastinandum sibi existimās Carolus, regni diadema è manu Pontificis, missionemque in hostem flagitabat. Cui rei, Pontificem hactenus Perusii agentem, vt Romam veniret, coronamque eius vertici ipse solus imponeret, ac signa militaria benediceret, nec non exercitui felicia precaretur, inuocabat. Causas habuit Clemens, easque Carolo perscripsit, cur eo tempore, ad ea solemnia venire non posset; tamen promiserat, vnū Episcopum, duos Presbyteros & totidem, vel etiam tres Diaconos, S.R.E. Cardinales, se missurum, qui diadema illi & vxori ipsius imponerent, & reliqua inaugurationis peragerent. *ep. 118. Perus. 13. Cal. Iun.* Cum autem is fere per singulos dies & coronam exigeret: & diem Epiphaniæ Dominicæ, coronationi designatum, iam in proximo esse insinuaret: tempusque iam cum Manfredo congrediendi adesse significaret, Clemens Papa quinq; Cardinalibus, scilicet Rudolpho Episcopo Albano, Anchero Presbytero titulo Sanctæ Praxedis, Richardo titulo Sancti Angeli, S.R.E. Archidiacono, Gotefrido titulo Sancti Georgii ad velum aureum, & Matthæo Rubeo tit. S. Mariæ in porticu commisit, qui iureiurandi Sacramento iterum à Carolo præstito, die Epiphaniarum, illum & Beatricem vxorem in Regem Siciliæ inungerent, coronarent, atque consecrarent. *ep. 127. Perus. 3. & 4. Cal. Ian. & epist. 126*

Ferre

VI. MANFREDO FEROCIENTI CAROLVM CORONATVM MODESTE CLEMENS RESPONDET. *ep. 143. Perus.*

Ferre non poterat Manfredus, quin Clementi Pontifici contumeliæ & minarum plenas scriberet. Cæterum Pontifex, in spiritu mansuetudinis iniurias vincere, & in fortitudine pectoris Apostolici iura Ecclesiæ vindicare doctus, respondit ferocienti, se nonnisi Deum timere, qui postquam occiderit corpus, potest & animam in Gehennam detrudere. Insuper, quasi spiritu prophetico, Principi minas & cædes spiranti prædixit, Carolum DEI iustitiæ ministrum, breui eas omnes iniurias Ecclesiæ, & Romanis Pontificibus illatas, vlturum. Cæterum cum illæ pecuniæ quas Clemens in subsidia belli Carolo numerauerat, non satis sufficerent ad molem belli diutius sustinendam, ideo in toto Regno Galliarum, omnibus Ecclesiis decimam pro Regno Siciliæ recuperando, imposuit, Regemque sanctum Ludouicum vt eam exigi pateretur, obsecrauit. *ep. 43. Perus. 15. Cal. Aug* Cum autem Regina Galliarum, & altera Angliæ, à Clemente postularent, vt ad quædam negotia tractanda in Galliam & Angliam, Bernhardum Sedis Apostolicæ Notarium, destinaret, excusauit, & vtriq; rescripsit non esse in more Ecclesiæ Romanæ, post Legatos à Latere, aliquos alios in mento ad prouincias submittere. *epist. 106. Perus. Cal. Nouem.* Istud vnū concessit Clemens quod Prouinciali Ordin. Præd. & ministro Ord. Minorum commisit, vt in ciuitatibus & Prouinciis Bituricensi, Narbonensi, Senonensi, Rothomagensi, Rhemensi, & per totum Regnum Galliarum, piam Crucis militiam, contra Manfredum olim Principem Tarentinum, & contra Saracenos Nucerinos ab eo contra Carolum adductos prædicarent: & tum indulgentiis, tum aliis priuilegiis propositis, ad sacra arma contra hostes Ecclesiæ sumenda omnes inuitarent. *epist. 125. Perus. 4. Nonas Nouemb.*

VII. SVMMARIVM GESTORVM CLEM. IV. HOC ANNO.

Eodem anno Clemens Pontifex. 1. Guidonem tituli Sancti Laurentii in Lucina Cardinalem Legatum ad Reges Daniæ & Suetiæ, & ad Prouincias Bremensem, Magdeburgensē, Saltzburgēsē & Gnesnensē misit, q. suppetias Cruci geris contra Lituanos, & Liuones Paganos impetraret. *1 ep. 91. Perus. 2. Id. Iun.* 2. Theobaldi Regis Nauarræ: Fratri Henrico vt in 4. gradu aliquam sibi propinquam, exceptis filiab. Simonis Montfortii, posset copulare, indulsit. *2. ep. 9. ibid. 5. Cal. Maii.* 3. IACOBO Aragonum Regi, vt in eliberando Veronensi electo à Manfredi Partiariis intercepto, & in carceribus Manfredi hucusque detento, operam suam interponeret, imposuit, & postquam is Berengario Vicensi Archidiacono misso postulatis illius fecisset satis, grates ei exhibuit. *3. ep. 1 ibid. 6. Cal. Mart & ep. 80. Assisii Non. Sept.* 4. PETRVM primogenitum & Iacobum eius Fratrem, filios Regis Aragonum, ad persequendos Saracenos Hispaniæ, & ad dilatandam fidē Christi hortatus est. *4. ep. 188. & 189. Perus. 2. Cal. Octo.* 5. EDVARDVM primogenitum Regis Angliæ, & Sanctum Ludouicum Regem Galliarum, ad ferenda auxilia Regi Anglo, & ad reprimendas Ecclesiasticorum & totius Regni Angliæ oppressiones admonuit, subsidiaque oportuna se voluisse submittere in se recepit. *5. ep. 14. ibid. Id. Sep & ep. 40 ibid. 5. Id. Maii.* 6. Dignitatem Episcopalem Fulginatensi ciuitati restituit. *6. epist. 18.* 7. Legatum in Regnum Siciliæ destinauit. *7. epist. 13.* 8. Collationem Ecclesiarum, Personatuum dignitatum, & beneficiorum in Regno Siciliæ vacantium sibi & Sedi Apostolicæ reseruauit. *8. ep. 211.* 9. Ecclesiæ Rossanensi in Calabria Archiepiscopum Græcum præfecit, consuetudinemque illius Ecclesiæ, in eo præficiendo immutare detrectauit. *9. epist. 60.* 10. Inquisitorib. Ord. Prędic. ac Minorum, ne in causis fidei à suis superiorib. impediri possent, speciali priuilegio concessit: iisdemq; vt Potestates, Rectores, Consules, Capitaneos, Antianos, & Communitates ad exequenda negotia fidei per censuras Ecclesiasticas valeant compellere, commisit: nec non priuilegia ac Constitutiones Friderici II. olim Imperatoris contra hæreticos ab aliis prædecessorib. suis approbata confirmauit. *10. Direct. inquisit p. 2. & Perus. 15. Cal. Feb. & 2. Cal. Nou.* 11. Insuper etiam superiorib. Ord. Minorum, & Præd. Inquisitores in Italiæ quam plurimis ciuitatibus instituendi potestatem fecit. *11. Perus. 3. Cal. Octob.*

VIII. OBITVS SS. QVORVMDAM EX ORDINE PRÆDIC. B. ÆGIDIVS PONCELLA. *Cent. P.P.*

Hoc anno in viuis esse desierunt aliqui viri illustres Ordinis Prædicatorum, quorum meminisse iuuat. Primatum eorum ducit *Beatus Ægidius Poncellanus* natione, gente Lusitanus. Hic adolescentiam suam in sæculo in omni luxu & dissolutione exegit. Studio literarum cum ex curiositate se dedisset, non tantum honestas disciplinas, sed & nigromantiam doctus, in quandam speluncam non longe Toleto separatam se coniecit, indidemq; cum Sathana pactum factum, Syngrapha proprio sanguine exarata confirmauit. Septem annos continuos in ea potestate, qua se dæmoni dediderat, vixit, per summa flagitia famosus. Lutetiam profectus, vt Doctoris Medicinæ titulo insigniretur, cum vna dierum attentius studio incumberet, aliquis eques vultu & armis terribilis ei apparuit, lanceamq; vibrans, voce tremenda illum admonuit, dicensq;: Muta statum vitæ ô scelerate; Muta conuersationem morum ô flagitiose: disparuit. Neglexit ille monitorem, cum tertio die postea idem ipse, eodem terrore vultus & armorum sese illi obiiciens, lanceam in pectus eius leuiter infixit, adque relinquenda flagitia hortatus est. Ab hac percussura, sensit cor sibi mutari, atq; in melius transformari, & quamquam tunc à quartana laboraret in Hispanias tamē velociter reuersus Palentiæ Prędicatorum togam indutus, maximum certamen velociter cum vitiis & concupiscentiis suis suscepit. Victoriam tamē insignem ex colluctatione tulit, & ad sanctitatis fastigium euasit, amore silentii, solitudinis, humilitatis, vigiliarum, orationum, obedientiæ, ieiuniorum præter communium; mortificationis carnis, cilicio, disciplinis, inedia, ferrea cathena, quam cum in lumbis conclusisset, clauem Serræ in flumine demersit. Dies noctesque à lachrymis sibi numquam temperabat, donec D. Dei Genitrice Maria intercedente, Syngrapham quam proprio sanguine conscripserat, visibiliter ei apparens Sathanas restituisset. Toto septennio grauissimas tentationes diffidentiæ, ac desperationis passus est, mille figuras in eius aspectu Dæmone assumente, & in barathrum præcipitationis detrudere conante. Eas cum diuinis armis tandem superasset, per omnes virtutum gradus ad tantam perfectionem euasit, vt in extases, ad vnius nominis Iesu Nomenclaturam raptus cœlestes delicias perciperet. Miraculorum gratia tanta illi fuerat, vt & scipionis, quo enitebatur & tunicæ vel scapularis illius, vel etiam terra à sepultura illius quam plurimæ ægritudines, à Medicis deploratæ sanarentur. Lusitani diem festum ipsius infra Octauas Ascensionis Dominicæ solemni memoria agunt, quod ad hunc vsque diem, cathena seu cingulo illo ferreo, quo ad lumbos nudos cingebatur, insignia miracula perpetrantur. *Beatus Albertus Sabaudus* illo felicior; qui regularem vitam in cœnobio Lugdunensi professus, B. ALBERT. SABAVDVS. totis viginti annis, quibus Alpestribus Sabaudis & Delphinatibus, indefesso labore Verbum Dei concionabatur, innumerabiles animas CHRISTO acquisiuit. Præter opera illustria sanctitatis, quæ in vitæ decursu vniuersa egit, extremum vitę hoc insigni subsignauit. Aquabellam oppidum aduenerat, vbi ante plurimos annos primum sacrificium Deo immolarat. Ibi ad amicos, vt vestes Sacerdotales ad holocaustum incruentum celebrandum, & necessaria ad se sepeliendum prępararent, locutus est. Hic primam hostiam obtuli, hic extremam offerre desidero; hic pariter locum requiei extremæ exambio. Aliqui ridebant, alii mirabantur, hominem vt videbatur vegetum, mortem subitaneam somniare. Paruerunt tamen. *Leand. lib. 5.* Ille cum lachrymarum profluuio sacrificium dixit: eo absoluto extremam vnctionem à Sacerdote postulauit, recepit, animam purissimam in manus conditoris efflauit: multisq; miraculis post mortem editis, sanctitati illius testimonium DEVS dedit.

B. GVALTHERVS IVNIOR.

Beatus Gualtherus Germanus Iunior, magnæ quoque doctrinæ, & sanctitatis laudem & gloriam tulit. Aliquando Prioris officio apud Columbariam defungens, cum sanctimonialibus in earum cœnobio officia distribueret, quędam vestalium febricitans, ad illum accessit, &, num aliquid sibi muneris, in virtute sanctę obedientię imponeret, inquisiuit. Ille tum ex improuiso: Tibi, inquit, iniungo, vt infirmitatem patienter sustineas. Accidit, vt quod ipse per simplicitatē, & quasi ioco diceret, illa pari simplicitate suscipiens, neq; medicinam, neque curationem aliquam admittere voluit, sed infirmitatē tamdiu constanter sustinuit, donec post septem fere hebdomadas Gualtherus in monasterium venisset, & candore virgineæ mentis perspecto, illam à febribus liberauit, hoc vnico verbo: In nomine IESV Christi, ego te ab officio, quod tibi pridem vt febrem sustineres imposueram, absoluo. Aliquem etiam ex Fratribus comitibus, quartana diuturna laborantem, solo signo Crucis persanauit. Maxima charitate feruebat, erga defunctos, pœnis purgatorii addictos. Quamobrem cum frequentius sacrum Missæ holocaustum pro illis offerret, &

pœnas

pœnas quas paterentur, & gloriam ad quam assumebantur meruit aspicere. Aliquem ex suis amicis, post quadraginta dierum orationes, vigilias, & corporis afflictiones, ab ijs pœnis expiatoriis liberauit. Extases frequentius admirandas passus, in aera visibiliter eleuabatur. Aliquando in Minoritarum cœnobio, cum passionem Dominicam attentius contemplaretur, dolores intolerandos in manibus, pedibus, & latere vnico momento persensit, ijs in locis, in quibus stigmata Cruci affixus Iesus sustinuit, ab eo tempore vsque ad extremum vitæ eosdem cruciatus perpessus in membris iisdem. Cupidus experiri, qui gladius doloris animam Deiparentis transfixerit, tunc cum Cruci assisteret, sensit, quasi gladius acutus cor ipsius penetrarit. Aliquam à dæmonio infessam Vestalem, vt liberaret, cum post diuturna ieiunia, iret in cœnobium, ingentem numerum Angelorum aspexit, in adiutorium suum missorum. Quamobrem ad energumenam accedens solo Crucis nutu Sathanam fugauit. His operibus cum sanctitatem suam probasset, sancto fine quieuit.

IX.
S. HERTHINODVS GOTHVS ORD. D. AVGVST.

Hoc anno floruit Herthinodus Gothus, vir inter Eremitanos instituti Augustiniani summa præditus religione. Is aliquando recolens Euangelium illud: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: pollicentis liberalitate confisus Deum orauit, vt Christum Iesum, qualis cum passus in Cruce pependit, fuisset, sibi liceret tueri, qua re impetrata, ita diuino amore conflagrauit, vt anima illius dolore ex compassione saucia videretur. Post aliquanto, cœlestium rerum desiderio æstuans, à Deo iterum petiuit, vt qua gloria atque lætitia Mater vnigeniti filii sui ad cœlum euecta est, eam oranti demonstraret. Et istud quoque impetrauit: atque ad eum modum acerbitatem & dolorem prioris eius visionis, suauitas alterius & lætitia temperauit. *Ioseph Pamphilus Episc. Signius in chronic. Ordinis Fratrum Eremitarum.*

X.
REX SCOTIÆ ALEXANDER IN ECCLESIAM ET CLERVM PER NOBILES SÆVIT.

Ea tempestate Alexander Rex Scotiæ otio suo abusus, ac per quosdam homines impios, ac tranquillitati publicæ inuidentes, incitatus, laxis quibus ante constricti erant habenis, milites pariter ac vere prophanos homines, qui ad nutum Principum flagitia committere generosum ducũt, in Monachos & Ecclesiasticos licentia sua vti, eosque vexare instigauit. Quæ cum prohibere Episcopus Sancti Andreæ excommunicationibus obuiam eundo conaretur, ac quosdam attigisset ex Regia familia, commotus Alexander in exilium eum abire, aut desistere cęptis iussit: Multa quoque in Priorem quem vocant Sancti Andreæ maledicta effudit, affirmans eum vnice Episcopo familiarem, illumq; vt talia aduersus sese auderet, animare. Cæterum Episcop. exilium tyrannicæ seruituti ac flagitiis præferens, in Franciam quamprimum nauigio concedere statuit. Ibi Rex ab optimis quibusdam viris admonitus & grauiter obiurgatus, quod Christi Ecclesiam quam tutari deberet, non vereretur nefarie diuexare, cæptis destitit: Episcopum abeuntem reuocauit, & veniam factorum obsecrauit. Quocirca omnibus damnis, quę à nefariis illis hominibus fuerant illata reparatis, eos omnes Episcopus à vinculo excommunicationis absoluit. *Hector. histor. Scotor. lib. 13.*

IESV CHRISTI
Annus 1266.

CLEMENTIS Papæ IV. 2. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 7.

I.
CAPITA IVRISIVRANDI CAROLI REGIS SICILIÆ.
Ciacon. ex Reg. Clem. 4.

AD octauum Idus Ianuarii, quæ dies est Epiphaniæ Domini, Carolus Andegauensis à Clemente Pontifice in Regem Siciliæ & Neapolis renunciatus, antequam solemnia Regni acciperet, coram quinque Cardinalibus Legatis, iuramentum ligium homagium, Clementi, Sedis Apostolicæ Pontifici, Romanæque Ecclesiæ, verbis ex formula conceptis præstitit, & tertio confirmauit. Præcipua fuere capita iurisiurandi. 1. Confiteretur id Regnum se beneficiario iure à Romana Sede suscipere. 2. Singulis annis cẽsus nomine octo millia vnciarum auri, & album equũ penderet. 3. Ne Romanum Imperium etiam vltro oblatum, sum pene vacans & nutans susciperet. 4. Vt fœminæ legitimo thoro natæ, masculis indefectu succedentes, nonnisi ex Apostolicæ Sedis auctoritate nuberent. 5. Vt Beneuentum libere Ecclesiæ relinqueret. 6. Noui Prælati literas, & electiones Ecclesiasticorum non impediret. 7. Clericos nouis indictionib. ne vexaret. 8. Appellationes ad Sedem Apostolicam permitteret. His in basilica Constantiniana Carolus sponsis, à quinq; Purpuratis, quos Clemens Papa huic muneri obeundo destinarat, insignia Regni, coronam, sceptrum & reliqua suscepit, & ex more vnà cum coniuge sacro oleo inunctus, consecratusq; est: præsente Henrico fratre Regis Castellæ, quem per id temporis Clemens Papa post Caroli Regis renunciationem senatorem vrbi præfecerat.

II.
SENATOR VRBIS FACTVS HENRICVS FRATER REGIS CASTELLÆ, QVAM OCCVLTVS HOSTIS CLEMENTI FVERIT ET ECCLESIÆ.
Æmil. in Ludouico 9.

Mirum certe istud, quomodo Henricus Clementi imposuerit, seu illuserit, sed ab ouo narrandum est. Dolebat Alphonso Regi Castellæ in Romanorum Regem electo, se in Regno Siciliæ à Clemente Pontifice præteritum esse. Istud quoque ipsum angebat, quod propter nondum controuersiam inter se & Richardum cognitam, diadema Imperii Romani hucusque sibi delatum fuisset. Discruciabatur & Conradini iuuenis fortuna, quod illum Pontifices, non tantum à spe Regni Romanorum, sed etiam à successione Siciliæ exclusissent. Quamobrem, vt erat callidus, ad artes conuersus, inquisiuit rationes, quib. & Conradinum & Manfredum primo conciliaret, deinde in societatẽ belli adductos, ex propinquo, & ab intimis adiuuaret. Duos Fratres impigros Duces habebat, Henricum Fridericumq;. Hi (quo consilio? tunc ambigi poterat, exitus autem patefecit) conquesti se à fratre minime fraterno animo haberi, diuersi alter in Africam ad barbaros, alter in Franciam ad sanctum Regem se recepere, velut bellum Fratri illaturi, si auxilia inuenirent. Sanctus Ludouicus vel suspecta fraude, vel non suæ pietatis ratus Fratres in fratrem armare: se æque tribus fratribus cognatione iunctum, parem etiam voluntatem præbiturum dixit. Si reconciliatore se vti vellent, operam suam pollicitus, arma denegauit. Henricus in Bauariam ad Conradinum sororis nepotem ex Francia profectus, iam sponte motum magis incendit, ne consilia conatusque consenescere sineret: antequam vetustatem Caroli Regnum accipiat, in Italiam descenderet, ipse interim specie auxiliorum in fratrem quęrendorum ad Pontificem Max. Viterbium venit, eiusq; animum pecunia mutui nomine ingenti data, suo sibi beneficio deuinxit, adeo vt vrbis Romæ Senatorem Clemens creauerit: scilic. quem lupo cõmiserit, & serpentem sinui suo incluserit. Parum hoc fuisset, nisi & arma, & venena, vel inscius ministrasset. Carolo enim Regi Siciliæ iniunxerat, vt filiam inter Græcos Principes nobilissimi Michalippii, Henrico in matrimonium conciliaret, nouisque affinitatibus, illius & stemmata nobilitaret, & potentiam adaugeret. Neque hoc sufficiebat candido & liberali Pontifici, nisi & Regna eidem offerret. Corsicæ enim & Sardiniæ non aspernanda Ecclesiastici Patrimonii Regna, quæ per id temporis tum Pisani, tum multi alii à sede Apostolica optabant, Henrico deferebat: & vt pecunias ad consequenda, retinenda, siue adeo à Pisanorum ingluuie eripienda, defendẽdaq; colligeret hortabatur. Scilicet vt male cautus, sibi & Ecclesiæ Romanæ hostem terra marique potentem, & intus in vrbe insidiatorem compararet, & ipsissimis Ecclesiasticis armis instrueret. Sed hæc annus insequens, & posterior demonstrabunt.

EIVS DOLI ET INSIDIÆ.
ep. 290. Viter. Nonis Ian.

III.
LEGATOS MANFREDI PACEM PETENTES REIICIT CAROLVS.
Summontius in Marf.

Antequam Carolus in Manfredum castra moueret, Nuncios ipsius audiuit, qui pacem & concordiam deposcebant. Aiunt Carolum per cõtumeliam respondisse: Renunciate Sultano Nucerino (ita Manfredum appellabat, quod is Saracenorum auxilio præsideret) breui tempore, ferrum inter nos decreturum, quod aut illum in inferioribus Barathri deponet, aut me in cœlesti patria collocabit. Ita animose locutus, cum nonnisi arma & vindicias agitaret, Clemens illum admonuit, vt priusquam ad Regnum capessendum proficisceretur, inter Proceres ac milites pacem stabiliret. Aurea est illa sententia, quam Pontifex literis ad Carolum datis inseruit. *Profecturum ad bella Principem, ait, pacem decet in domo propria solidare; ne dum pugna domestica*

ep. 136. Perusii 3. Id. Ian.

lacessente

lacessente distrahitur, minus ab exteris timeatur. Opportune tunc plurimi Florentinorum Guelphæ factionis, in auxilia Carolo aduenere, strenuam operam in bello contra Manfredum polliciti. Hos cum Pontifex Carolo commendatos esse iussisset, insigni in armis & vexillis præferendo, tum ornauit, tum discreuit; quod fuit Aquilæ rubentis imago, cæruleum Draconem subiectum vnguibus prementis.

ARMA FAMILIÆ BVRGESIORVM.

Tale est familiæ Burgesiorum quam feliciter superstes, SS. D. N. Paulus Quintus Pontifex Maximus innocentia vitæ, clemẽtia, benignitate, facilitate iuxta ac felicitate administrandæ Ecclesiæ, cura publicę quietis ac pacis, & aliis virtutibus summo Antistite dignissimis exornat, æternum de Ecclesia vniuersa, vrbe, & orbe meritus Christiano. Sed hæc, dies diei eructabit & perennitati declarabit seu consecrabit.

IV.
PECVNIAM AB CAROLO PETITAM DARE NON POTEST CLEMENS.
ep 131. Perus. 3. Id. Ian. & ep. 138 2. Id. Ian. & ep. 140. ibidem. & ep. 142. ibidem 12. Februarii.

Non importune quoque tunc temporis Senenses, & Anconitani auxiliares militias à Carolo poscebant: non vt distraherent, sed vt Gibellinis, siue à tergo relictis, siue intus occultis obiicerent. Quamobrem Clemens illum monebat, vt partem aliquam militarem pro rebus eorum optime dispouendis vtrisque submitteret, habiturus ab eis auxilia maiora, in tempore opportuno. Hortabatur pariter vt Carolum Baucii, illum qui apud Mediolanenses rerum nuper potiebatur inter Principes suæ militiæ accenseret, virum vtique scientia & fortitudine militari pollentem. Carolus porro solemnem militibus cantilenam repetebat. Nummos à Pontifice exhausto poscebat, significauit Clemens, Mercatores Senenses, promptos esse qui numerarent, si modo is nuncios ad recipiendum destinaret. Quod vero multo plures pecunias Carolus exigeret, illi Clemens scripsit: *Nec montes nec fluuios habemus aureos,* inquit, *nec possumus tuo satisfacere desiderio, & quantumcumque necessitas vrgeat, nihil possumus vltra posse. Fecimus autem liberaliter quod potuimus, & quod poterimus commodè faciemus: sed exhaustis iam viribus, & mercatoribus fatigatis, cur nos vlterius inquietes, videre non possumus? Nisi forsan requiras miraculum, ad quod nobis nequaquam merita suffragantur, vt in aurum terram vel lapides conuertamus.*

V.
VICTORIA CAROLI DE MANFREDO.
ep. 151. inter Clem. epistolas.

Tandem, tandem octauo postquam in vrbe desederat mense Carolus in Manfredum mouit: Ceperanum imprimis, pulso inde Manfredi præsidio cepit: Saltum Cassinatum occupauit: Sancti Germani castrum recepit: Manfredum in plana patentiaque apud Beneuentum loca secutus, ad extremum nec sine prodigio, nec sine sanguine profligauit. Tantum, scribebat ipse Carolus Clementi Pontifici, fuisse numerum cæsorum, vt cælarent campum, oculis superiacentia corpora mortuorum. In eo etiam prælio magnus fuit numerus captiuorum: Manfredus ipse occisus, præmium suffocati patris, interfecti Henrici, & veneno extincti Conradi, vtriusque fratris, stuprorum, libidinum, rapinarum, violatæ maiestatis diuinæ, contemptus clauium Ecclesiæ, & vt compendio dixerim, atheismi & epicureismi tulit, ad diem vigesimum septimum Februarii, qui in Sabbathum inciderat, Indictionis octauæ. Sunt qui scribant Manfredum pugnantem futuræ necis admonitum portento fuisse. Aquilæ imaginem pro insigni in galea extantem ipse ferebat, & reliquis Gibellinæ factionis ferendam edixerat. Cum autem extra ordinem incautius pugnasset, & aquilæ insigne illi ex galea in terram cecidisset, portendi sibi mortem intelligens, comitibus dixit: *Hoc est signum Dei.* Nihilo tamen consternatus, infestis armis in Carolinos pugnauit, & equo decussus, multisque vulneribus confectus interiit. Eius cadauer iuxta ripam fluminis Celoris, qui Beneuentum præterfluit absque funebri aliquo officio sepultum, iussu Clementis Pontificis erutum, deiectumque & extra Regnum ad ripam fluminis cognomento Viridis, qui Picentes ab Aprutinis diuidit, sub dio conditum à Consentino Præsule fuit, eo quod fidelium communione priuatus, occubuisset. Carolus tanta victoria recepta, Beneuentum iuit, vrbemq; ciuibus vltro dedentibus ingressus, eam Pontifici restituit: quamque obtinuisset victoriam, datis literis significauit. Aliquis Manfrediano tumulo, hos versus inscripsit.

MANFREDI MORS.

VITIA.

Summontius in Mãfredo & Dantes, & Boccatius de fluminibus.

EPITAPHIVM.

Hic iaceo Caroli Manfredus Marte subactus,
Cæsaris hæredi non fuit vrbe locus.
Sum patris ex odiis ausus confligere Petro.
Mars dedit hic mortem, mors mihi cuncta tulit.

VI.
ep. 168 Perus. 2. Id. April.
GAVDET EX VICTORIA CAROLI CLEMENS, ET EX IMPOTENTIA VICTORIS IN BENEVENTANOS TRISTATVR.

Porro Clemens Pontifex ex literis Caroli, mixtum dolore gaudium, se concepisse illi ipsi renunciauit. Recreauerat illum victoria ex hoste prostrato: verumtamen mærore affecerat iniuria Ecclesiis & Ecclesiasticis imprimis, tum etiam reliquis Ecclesiæ deuotis illata. Quamuis enim Episcopus Beneuẽtanus pompam Episcopalem indutus, Crucibus & reliquiis sanctorum prælatis, vna cum Clero & populo vniuerso, supplicum in modum processione ordinata, Carolo obuiam iuisset, & hymnis canticisq; spiritualibus decantatis, vna cum imbelli sexu, supplex, claues vrbis illi protulisset: sæuitum tamen est in omnes. Ipse Episcopus primo vapulauit spoliatusque est: Sacerdotes reliqui nudati, & plagis sauciati, sacra vexilla, concisæ Cruces & pignora sanctorum terræ allisa: Virginum & Matronarum pudor violatus: pueris corrupta integritas, templa prophanata, direptaque: ciuium fortunæ in prædam datæ; denique omnia ferro flammisque vastata. Itaque habuit Pontifex, quod tum ægrè ferret, tum deploraret: tum Carolum officii admoneret, ne imposterum militibus licentiæ habenas relaxaret: Inter captiuos nobiliores fuẽre Comites Iordanus Lãcea & Manfredus Bometa, & Petrus Vberti Florentinus, quos in Prouinciam Carolus missos in ergastulis mori coegit. Manfredi vxor cum liberis, atque aliis qui ex clade superfuerant Nuceriam se recepit, indidemque se conclusit, Saracenorum potentiæ confidens contra Philippum Montfortium, quem ad expugnandam, siue obsidione premendam Carolus præmiserat. Nam ipse Neapolim ingressus, Rudolpho Cardinali Episcopo Albano Legato, & Archiepiscopo Consentino præsentibus, Sacramentum à ciuibus præstitum recepit, statum Ciuitatis ordinauit, titulum Regis Neapolitani sibi ascripsit: Neapolim Metropolim totius Regni Siciliæ renunciauit. Guidonem Philippi Montfortii Fratrem in Siciliam, ad reprimendum Conradum Principem Antiochenum Manfredi nepotem, rerum ibidem potientem, misit: Balduini Imperat. Philippo filio in matrimonium filiam despondit, eique auxilia terra marique ad recuperandum Imperium, coram eius Legatis, promisit: Carolum filium Principem Salernitanũ & Vicarium Regni Neapolitani, creauit, Præsides Prouinciis & ciuitatibus præfecit: Guelfæ factionis captiuos libertate donauit, & multis oneratos promissis ad suos abire permisit, Ecclesiis & Romanæ Sedi ablata restituit, priuilegiaque omnibus confirmauit: præsidium vrbi imposuit, nobilitatemque tum inter se, tum à populo hactenus permixtam diuisit. Id enim Ferrarius Iurisperitus, interroganti, *Quibus artibus imperaret*: Consilium satis acutum, & ex re politica dedit: *Diuide, & regnabis.* Rebus ad eum modum dispositis, Pontifici Clementi omnia perscripsit, vtque is sibi satisfactum esse, literis publicis denunciaret, impetrauit. Is enim dato diplomate Viterbii Idibus Maii, Carolum Siciliæ Regem, omnes conditiones Sedi Apostolicæ sponsas explẽsse, abundè testatus est. Ne verò cuiquam in dubium, dies persoluendi census veniret, festiuitatem Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum solutioni designatam esse, Constitutione peculiari significauit.

Summont. in Carolo.

epist 6.

ep 14. Viter. 10. Cal. Sept.
VII.
Thom. Phazel. lib. 8. de rebus Sicul.
QVINAM AVCTORES VICTORIÆ CAROLINÆ FVERINT POTISSIMVM.

Authores habeo, qui Caroli victoriæ magnoperè profuisse asserant, Ioannem cognomento Ratam Casertæ Comitem, qui cum violatam sibi à Manfredo vxorem cognouisset, essetq; eius copiarum Dux constitutus, iniuriam domesticam vlturus, cum Carolo clam conuenerat, eique intra Regni Neapolitani fines viam parefecerat.

VIII.
GVIDONIS FÆLICITAS AD INVASORES SICILIÆ DOMANDOS.

Guido etiam contra Conradum Principem Antiochiæ missus feliciter rem transegit. Cum primum enim Classe Messanam peruenisset, omnes ferè vrbes, quæ Conradino cæso, in Conradi Antiocheni, Regnum sibi Siciliæ vsurpantis, verba iurauerant, mutata voluntate deditionem fecerunt. Quo facto perculsus Conradus, ad Centoripem oppidum natura munitum, se recepit. Guido recepta insula nihil antiquius habuit, quam Conradum in potestate habere. Quare nihil cunctatus, contra Centoripem mouit, ac dura eam obsidione cinxit, nec multò post expugnauit, & funditus deleuit. Conradum verò captum cum plerisque Proceribus primo oculis, & deinde suspensos vi-

ta etiam

ta etiam exuit. Cæso Conrado, Siculorum reliqui, qui eius partes paulo ante fuerant tutati, vltro ad Guidonem pro Carolo profugêre. At quia diu & hostili maximè animo Regnum Carolo detrectauerant, Procerum alii exilio, alii rebus plexi sunt. Aiunt tributum ad libitum non ex veteri forma, sed tanta acerbitate, & adeò auarè, superbeque imperatum, vt multi Siculi nō solum fortunis, sed etiam vxoribus & liberis sint spoliati. Ad plebem præterea in fide continendam, valida præsidia in vrbibus, arcibusque imposita, & obsides accepti sunt. Ex his Galuanus & Fridericus Fratres cum aufugissent, & auxilia, seu intercessionem à Clemente implorassent, Pontifex apud Carolum per literas intercedebat, vt reuerti volentes benignè susciperet, atque haberet. Quod Galeottum rebellem attineret, iniunxit Reatinis Clemens, vt eum tantisper detinerent, quousque aliud de ipso & fortunis illius statueret.

Ep. 283. Viter. 19. Cal. Ian. & 232. ibid. 5. Cal. Aug.

IX. PALÆOLOGVS FINGIT OBEDIENTIAM CVM ROMANO PONTIF. [illegible]

Cum hæc in Italia agerentur, Michael Palæologus, vt artes suas tegeret, Legationem ad Pontificem misit, seq; in omnibus promptum obedientemque Clementi futurum præ se tulit. Cæterum cum Pontifex illum cum Manfredo contra Carolum conspirasse, nihilque aliud curare, quam vt Balduinum ex angulo Græciæ, in quem se receperat expelleret, Carolique vires qui per id temporis affinitatis titulo eum iuuare volebat, adeoque forte ad Imperiū Constantinopolitanū aspirabat, distraheret, non omnino ignoraret, illi fraudulentam cum Manfredo nuper cæso conspirationem & amicitiam ac fœdera exprobrauit: simulq; admonuit, vt manifestum faceret, si vellet mandatis Sedis Apostolicæ obedire, ad vnitatem Ecclesiæ vna cum suis subditis redire, fideique formulam, quam ille ex more prisco miserat, aperte profiteri.

Ep. 204. Vit. 16. Cal. Iul.

X. *Surita lib. 3.* RELIQVVM ARAGONENSIVM REGNVM [illegible] MAVRORVM [illegible] HORTATVR AD [illegible] IACOBVM CLEMENS.

In Aragonia, hoc anno ad summam Valentini Regni fælicitatem defuerat, vt ingens & perniciosa sentina Reipublicæ exhauriretur, Maurorum natione ab eius finibus exterminata atq; expulsa. De ea re Clemens Quartus Pontifex Maximus magnopere Regem voti reum admonuit: dignaque ea cohortatio visa est, quæ hoc in loco repræsentaretur: quod non Regi modo, sed futuris etiam Regibus diuina ea commonitio se penitus insinuare videatur. Ita habet. Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei Iacobo Regi Aragonum illustri, *Ait, nec immerito, Mater Ecclesia, dum lætanter sua magnifica gesta commemorat, dies festos iucunditatis; & lætitiæ cantica replicat: tui zeli feruorem & strenuitatis merita, tam chari & deuoti filii, quasi recenter quotidie delectabiliter recensendo. Exultat & iubilat in tuorum felicium commemoratione successuum, per quos contra Saracenos nominis tui blasphemos, & Catholicæ fidei persecutores infestos, salutem populi Christiani dextera Domini virtuosè in tuis manibus, & data tibi ab ipso virtute direxit. Apud bonorum omnium largitorem preces deuotè multiplicat, vt te in hac zeli rectitudine, in hac fidei puritate, te in tempora longiora conseruet, quod nos eò postulamus auidius, eò instantius petimus, quo tibi vinculo charitatis solidioris adstringimur: ad honorem tuum solidirate syncerioris dilectionis afficimur: & salutem tuam syncerius affectamus. Hæc quidem nos mouent efficaciter & inducunt, vt serenitatem tuam paternis adeamus commonitionibus, & attentis exhortationibus excitemus aduersus ea, quæ grandia pericula temporaliter etiam tibi, & posteris tuis ingerere, tui nominis claritatem inficere, ac Creatorem tuum contra te possent grauiter prouocare. Considera igitur fili, considera: cum te, tam experientia cogat aduertere, quam familiaria etiam exempla ignorare non sinant, quam grauibus sit res plena periculis, Saracenorum in terra tua retentio, qui licet ad tempus occultent iniquitatis suæ, necessitate cogente, propositum: illud tamen quam auidè, quam ardenter, immo etiam quam inique captata occasione, reuelant. Profecto nec discreti consilii est, nec tutum, tam perfidos, tam plenos nequitia inimicos habere domesticos, vel tenere vicinos, non magis quam nutrire serpentem in gremio, vel ignem in sinu. Quod si te forsan ad huiusmodi retentionem ipsorum, aliqua ex illis perueniens inducit, immò vt verius dicamus, seducit vtilitas, tanto præponderet in tuæ magnitudinis iudicio & recto libramine rationis acerba tui contumelia Creatoris, quam assiduè patitur, Saracenis iisdem inter Christicolas diebus singulis, clamore publico certis horis, nomen extollentibus Mahometi: quanto procul dubio ferres, & tenere ferre deberes, acerbius illatas, inter tuos subditos [illegible] iniurias [illegible] inter eos, qui tuæ non essent ditioni subiecti. O quam [illegible] hoc esse detestabile, quam amarum, tibi præcipuè, qui ab annis teneris illius cultores, & cultum infra fines ipsorum totis viribus persequendo, ad eorum exterminium laborasti: nunc ipsum in regno tuo pati, per cultura[m] huiusmodi taliter exaltari. Nonne considera[s], quod per hoc detractatorū linguis exponeris? qui quasi verisimiliter asserent, quod in omnibus tuis laboribus, quos nullis vitatis periculis, in ipsorum persecutione ab adolescentiæ tuæ initiis pertulisti, non exaltationem fidei, sed tua venabaris commoda: tuis solummodo vtilitatibus intendebas. Porrò etiam amicorum fortè alternabuntur iudicia, si propter vtilitatē pecuniarum, sic tuis laudabilibus actibus detrahi, tantum superni Regis opprobrium, tantam Christianitatis infectionem, quam ex eorundem Saracenorum cohabitatione horribili, detestandis horroribus, & horrendis spurcitiis non est dubium prouenire, amplius patiaris. Et quidem vel huiusmodi obloquentium detrectationi consentiens, vel ipse sibi contrarius videreris: si Saracenos eosdem in suis partibus persequens, in tuis ipsos sustines patienter. Hæc si discussa debita meditationis examine, in rationis consistorium introducas: ipsos nec dubium, pro vt excellentiam tuam decet, prorsus abiiciens, & profugans, extra tuæ ditionis terminos effugabis, ad quod magnificentiam regiam, vt tuæ saluti prouideas, vt tuæ famæ consulas, vt consultius periculis quæ tibi & ipsis posteris, vt præmittitur, per eos imminere possent, occurras: & paterno affectu, & omni quo possumus studio inuitamus: præsertim vt reddas Altissimo votum tuum, quo ad id publicè diceris obligatus: [illegible]que oppilentur ora contra te inique loquentium: tuque pro vt es, & fidei Zelator præcipuus, & ad ipsius exaltationem labores dirigere consueueris: ad quam cum feruenter intendas, regalem prudentiam oportet attendere: quod Ecclesiæ status & fidei earumque negotia, ea sunt indiuisibili vnione coniuncta, vt altera, reliqua in honore nō habita, honorari non possit. Nec enim potest fidei derogari, quin nimis Ecclesia detrahatur: nec ipsius Ecclesiæ honori ac libertati detrahi, quin & fidei, quantum in detrahente fuerit, derogetur, nec igitur tu, qui eiusdē fidei vacasti semper, & adhuc vacas semper negotio, eidem si Ecclesiæ ministeriosus fueris, exiistas iniurius decet.*

XI. ITEM IVDÆVM AD QVÆSTVRAM AB IACOBO PROMOTVM EXECRATVR.

Præterea quod iam dictum Iudæum quæstoriis muneribus præfecerat Iacobus, pia etiam illa quæ ad Iudæorum pertinaciam coercendam admonitio pertinet, minimè erat tacitè prætereunda. Ita enim subdit.

Vt autem Princeps inclyte zelus tuus erga defensionem eiusdem Orthodoxæ fidei, quam tamquam Christianissimus indefessè prosequeris, vndique contra ipsius hostes, & æmulos apertè reluceat, in ipsius auxilium contra Iudæos, qui præ cæteris eandem fidem persequentibus, & nomen blasphemantibus Christianum, & illud blasphemant amarius, & illam nequissimè persequuntur, fautor tuus apertissime innotescat: vt Iudæos de cætero ad aliqua officia non admittens, ipsos in aliquo non extollas: sed in quantum concessa eis à sede Apostol. priuilegia patiuntur, ipsorum refrenando malitiam deprimas & conculces, nec prætereas illorum blasphemias incorrectas, sed illius præcipuè castiges audaciam, qui de disputatione, quam in tua præsentia cum dilecto filio religioso viro Fratre Paulo de Ord. Præd. habuerat, multis confictis adiectisque mendaciis, librum composuisse dicitur, quem ad sui delationem erroris, in varia exempla multiplicans, per regiones varias destinauit, cuius ausum temerarium sic debitè censura iustitiæ, absque tamen mortis periculo & membrorum mutilatione castigetur, vt quod excessus meruerit, districtionis seueritas manifestet, & ipsius exemplo aliorum audacia compescatur. Super his igitur serenitatem regiam monemus, &c.

XII. MAVROS PROFLIGAT IACOBVS. *Epist. 215. Viterb. 3. Non. Iul.*

Quod Saracenos attinet, paruit Iacobus Pontifici monenti, belloq; contra eos suscepto, feliciter profligauit, & in signum victoriæ vexillum de eis receptum ad sedē Apostolicam misit, quod Etholo ad sepulchrum D. Petri suspenderetur. Summas gratias Deo Clemens vna cum Cardinalibus habebat pro ea victoria, atq; secundò Regem monebat, ne arma cōtra eos sumpta deponeret, sed Domini prælia indefessa manu præliaretur. Per hanc occasionem sperabat Iacobus Pontificem flectere, vt Terasiam, quam sibi de futuro copulauerat, & carnis consuetudinem interim cum ea habuerat repudiare sibi liceret, aliamque vt superinduceret, authoritate Apostolica, concederet. Sed tamen negauit Clemens: eiusq; libidines liberrima epistola redarguit: Istud porrò concessit, laudauitque, vt Iacobus eius filius Comitis Sabaudiæ filiam gradu consanguinitatis sibi propinquam, posset in matrimonium collocare. Ea de re Iacobo, tam patri quam filio perscripsit Viterbii agens.

Ep. 246. Perus. 15. Cal. Martii. & epist. 237. Viterb. 5. Id. Aug.

XIII. IN ANGLIA DECIMAM FRVCTVVM NVMERARI REGI

In Anglia Ottobonus Cardinalis Legatus, reliquias discordiarum inter Henricū & Proceres Angliæ submouebat. Dedit hoc anno Regi Henrico litteras, in tantis perturbationibus consolatorias, quibus eum ad constantiam & patientiam hortabatur. Porrò ne ab inopia sumptuum in

retinendo

VVLT LEGATVS APOSTOLICVS. *Ep. 76. Vit. 6. Id. Iun. & 77. 5. Id. Iun. Polyd. lib. 16.*

retinendo contra rebelles milite premeretur, integram decimam ex omnibus fructibus Ecclesiasticis illi concessit. Cardinaliq; iniunxit, vt eam exigeret, atque Regi numeraret. Is itaq; Legatus cōcilium sacerdotum Northantoni & alterum Londini habuit, quibus eam pecuniam authoritate Pontificia imposuit. Vbi etiam posteaquam res, quæ ad religionem pertinerent, commodiorem in statum perduxisset, legesq; tulisset, denunciauit impios esse Episcopos omnes, qui Principū partes temerè secuti fuissent, quos ipse mox, quoniam delicti pœnituerat, partim absoluit, partim Romanum Pontificem adire coegit.

XIV. *Rubeus hist. Rauen. li. 16.* CÆDES ALIQVOT IN LOMBARDIA ILLVSTRIVM PATRATÆ.

In Lombardia atq; Æmilia, insignes aliquot cædes hoc anno patratæ sunt. Cum enim Simon Pallinarius tituli S. Marcelli presbyt. Cardin. Pōtificius Legatus Æsium, multasq; præterea vrbes, oppidaq; Piceni recuperasset, Reynerius è Massa, Aldrouandus in monte Abeto, eiusq; filius & Mainetus, Guidonē Sassinatem Episcopum, concedere illis Episcopatus sui iura renuentem, interfecerunt, propter quod tum legatus, tum Philippus Rauennas Archiepiscopus, multis principiis sacris interdixêre. Atrociora Mediolani patrata sunt. Carolus Rex Siciliæ annuente Clemente, Embarram Balsum dignitate Prætoria à Gibellinis exutū, restituerat. Alanus vero Brixia potitus Paganinum Turrensem Vercellensi ciuitati prætorem destinarat. Hunc ad Præturam proficiscentem, quidam ex Mediolanensibus exulibus, qui sub plaustro fœni latitabant, humi stratum, ac multis confossum vulneribus crudeliter interfecerunt. Huius mortem Turrenses iniquissimè ferentes relato in vrbem cadauere, toti vrbi deplorato, ac in templo Diui Dionysii honorificè tumulato, totam mentem ad vindictam conuerterunt. Itaq; Embarra cum quibusdam suæ factionis, manu facta, ex primoribus Turrensium apprehensos interfectorum filios ac fratres numero quatuor, ac quinquaginta, impositos plaustris, omnes minus duobus trucidauit, seu trucidari imperauit, quæ res cum pluribus ciuibus, tum ipsi Napo vehementer displicuit, qui cum Accursio cutica fremens, ac dolens vrbem egressus est, identidem dicens. *Horum innocentium sanguis, capitibus filiorum meorum vindicabitur.* Paulò autem post regressus Embarram Caroli vicarium huius infandissimæ cædis authorem, vrbe eiecit, seque vrbis principem constituit, atq; ad Clementem Pontificem nuncios destinauit, qui interdicti in ciuitatem promulgati exsolutionem precarentur.

Chron. Bossiana.

XV. *Mariana lib. 13 c. 15.* MAVROS GRANATENSES FELICITER SVBIGIT ALPHONSVS REX CASTELLÆ.

In Hispaniis Alphonsus Rex Castellæ, benedicente, adeoque impellente summo Pontifice contra Mauros Granatenses, feliciter exercitum eduxit. Ad eos enim intrepide profectus, colloquio cum hostib. ad Alcalam Bensaydam habito, fædus in has leges percussit. Granatensis Rex, à fœdere Hudielis abscedito. Ducenta quinquaginta numorum millia, vt antea solitus erat, quotannis pendito. Contrà, Guidixensis & Malacitanus reguli ab Alphonso deseruntor. Iis nihilominus annuæ induciæ à Mauro dantor. Regi Murciæ, si in potestatem venisset, vita donator. Fædere constituto Alphonsus Murciæ vrbis cernendæ studio, cum Iacobus rebus confectis in patriam discessisset, eo se citato proripuit, ad S. Stephani oppidum Hudielis Murciæ Rex obuiam factus, atq; ad Alphonsi pedes procumbens, fidem eius non virtute magis quam clementia & liberalitate præcipuam implorans, se errore lapsum, se amentia præcipitē: misereretur supplicis, atq; tantis malis domiti: ita receptus est, vt regio nomine abstineret, iis agris cōtentus, qui ad sustentandam vitam dati sunt. Regis nomē Mahomati datum, eius Abenhuti fratri ad Almeriam interfecti, atque tertia tantum vectigalium parte retenta, reliqua in Castellæ fiscum inferre mandatum. Cum autē Alphonsus tanta potitus sine sanguine victoria, gratitudinis causa cultum diuinum amplificaret, atq; ideo castrum Sorianum Oxomensis in ciuitatem erexisset, eamq; Ecclesiam in Cathedralem eleuari, eique Episcopum præfici à sede Apostolica postularet, Clemens Papa, Prouinciali Hispaniæ Ord. Præd. & ministro Minorum in Regno Castellæ commisit, vt postulatis Alphonsi authoritate Apostolica satisfacerēt, Ciuitatis titulum castro donarent, Ecclesiam Parochialem in Episcopalem erigerent, Episcopum illi præponerent, cum Oxomensi tamen Ecclesia illam counirent, quoad vsque meritis & opibus augeretur.

Ep. 163. Vit. 5. Id. Iun.

XVI. *Ep. 274. Vit. 6. Id. Nou.* CLEMENS S. LVDOVICVM AD TERRAM SANCTAM LIBERANDAM INVITAT. *Ep. 147. Perus. 18. Cal. Martii. Ep. 157. ib. 4. Id. Mart.*

In Gallias ad Regem Ludouicum hoc anno Clemēs Papa, Petrum Cambellanum Caroli Regis Siciliæ Familiarē, & præfectum militiæ, nuncium misit, qui eum ad subsidium Terræ sanctæ ferendum permoueret: Pontificiq; in animo sedisse referret, vt cum Carolo Rege, ad minus triginta triremes, viris, armis & comeatu, instrueret, quæ Regem transfretare volentem deducerent, & Ptolomaidam ab insidiis Soldani tantisper defenderent, quoad maiora auxilia subuenirent. Alphonsus Tolosanus & Pictauensis Comes, Regem fratrem ad tam piam militiam præire volebat: sed eo nomine, tum pecunias ex Pontificis ærario, tum decimas ex vniuerso Regni Franciæ Ecclesiis à Clemente postulabat. Primum excusauit, ostenditq; Ecclesiam Romanam, ingentibus grauatam exhaustamq; expensis esse: decimas autem in regno alieno, ex multis causis negauit.

XVII. S. LVDOVICO VECTIGAL NOVVM IMPONENDI DAT FACVLTATEM. *Ep. 263. Vit. 11. Cal. Oct. Ep. 15. Vit. 17. Cal. Oct.*

Per id temporis Ludouicus Rex Galliæ, pro securitate peregrinorū & mercatorū turrim in portu Aquæ mortuæ, Nemausensis diæcesis, magnis sumptibus ædificarat, vtque nouum vectigal mercatoribus illac transeuntibus aut merces conuehentibus imponere posset, à Clemente Pontifice flagitabat. Concessit Pontifex, ea lege, ne quicquam ab Ecclesiasticis personis exigeret. Et quia non ignorabat, quantum in Regno Angliæ tum propter autoritatem nominis, tum propter potentiam armorum Ludouicus valeret, illi ipsi commisit, ne occasione relictæ nuper occisi Simonis Montfortii Comitis Lecestriæ, aut Simonis nati illius, regnum illud aut turbari, aut aliquatenus molestia aliqua à quoquam affici pateretur: siue consilium aut aliquod auxilium cuiquam ex suis contra Henricum Regem Angliæ impenderet.

XVIII. INTER REGEM HVNGARIÆ PATREM, ET STEPHANVM FILIVM FACTA CONCORDIA. *Ep. 90.*

In Hungaria post diuturna inter Belam Regem patrem, & Stephanum filium Regem, dissidia, pace & concordia stabilita, conditiones eiusdem, in Insula B. Virginis Mariæ, die nono Martii, anni præsentis, 1266. indictione 9. in instrumentum publicum, à Philippo Strigoniensi Archiepiscopo Regis aulæ Cancellario redactas, ad preces vtriusque Regis, Papa Clemens, ad æternam rei memoriam, hoc ipso anno, 10. Calend. Iul. Viterbii confirmauit: donationemque aliquorum bonorum Reginæ vxori Belæ, consensu Stephani filii factam, in perpetuum approbauit: Indidem 12. Calend. Iulii.

XIX.

Eodem anno Clemens B. Fr. Ambrosium Sansedonium Ord. Præd. vt oppidanos S. Geminiani in Etruria, eo quod Manfredo adhæsissent, excōmunicatos absolueret, destinauit, data ei plenaria potestate. Viterb. 3. Non. Febr.

XX. ACTIVS V. PRINCEPS ATESTINVS MORITVR, PONTIFICI FIDELIS.

Hoc anno *Actius* V. *Atestinus* Princeps, ex hac corporis custodia, ad paratam sibi inter cælites sedem euolauit. Fuit hic antea Frederico II. Imperatori longe gratissimus. Cæterum cum is ad rem Pontificiam turbandam, impio admodum animo, omnes suas vires conuertisset, Actius actutum ab ipso animum alienauit. Maluit enim hominibus, quantumuis potentibus, quā maiestati numinis displicere. Hoc animaduertens Fredericus, simulatæ beneuolentiæ prætextu, illum capere nitebatur. Verum Actii prudentia, voti compos minimè fuit. Ipse enim ingenio ad insidias vitandas apprimè callido, Imperatorii animi latebras scrutatus, & insidiis præcognitis, se ad S. Bonifacii oppidum tēpestiuè recepit. Cum verò interea Salinguerra, Imperatoriis armis fultus, Ferrariam occupasset, ciuesq; à Pontifice ad Imperatorem deficere fecisset: Gregorius Montelongus cum Pontificis copiis ad eam recuperādam accesserat. Verum semper id frustra ab ipso tentatum fuisset, nisi *Actius*, qui cum summo Pontifice in officio & fide permanserat, illi præsto fuisset. Hic enim Frata, Salinguerræ Castello cum turribus, & priuatis domibus funditus demolito, totam aciem aduersus Salinguerram conuertit, eundem cepit, Ferrariamq; à tyranni manib. exemit. Qua quidem opera strenuè nauata, Gregorius Nonus grati animi ergo Ferrariam, Ecclesiæ nomine, vicariatus titulo, regendam illi cōcessit. Quo deinde in munere ob illius integritatē, & summam in regendis populis moderationem, M. CC. XLIII. ab Innocent. IV. Pont. Max. confirmatus fuit. Reliquit *Actius* filiam Beatricem: quæ cum se Deo perpetua virginitate dicasset, in D. Antonii cœnobio inter sacras virgines clausa, mortali corpore soluta, miraculis claruit. *Gyral. de Principibus Atestinis.*

XXI. PETRVS PATAVIENSIS EX PAROCHO EPISCOPVS.

Eodem anno floruit Petrus Patauiensis Episcopus, propter vitæ integritatem, & doctrinæ præstantiam, ei Ecclesię ex Parocho Viennensi prælatus. Quo tempore Viennæ, Parochi officium sustineret, & tum Cleri vitia vehementius corriperet, tum Iudæorum scelera patefaceret, Clemens Quartus Pont. Max. Synodum Viennæ Austriæ celebrandam indixit. In ea Synodo, multæ constitutiones contra Cleri licentiam & Iudæorum insolentiam constitutæ: ac Petrus omnium Patrum Concilii consensu Episcop. Patauiensis designatus est. Hanc ille functionem in pio animo obiuit, atque suo exemplo sacerdotes in officio continuit, magnamque apud omnes sanctitatis existimationem nactus est. *Lazius lib. 2. rerum Viennensium.*

IESV CHRISTI
Annus 1267.

CLEMENTIS Papæ IV. 3. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 8.

I. *a Surius 11. Inn.* MORS B. PARISII CAMALDVLENSIS, ET MIRACVLA.

TErtio Idus Iunii, in humanis esse desiit, B. Parisius Bononiensis, centum & XVI. annos natus. *a* Is statim à primis annis, maxima singularis, & insolitæ cuiusdam in illa ætate probitatis atq; sanctitatis argumenta dedit. Postquam vero sese corroborauit, eodem illo religionis studio se exarsit, vt sæculo relicto, Camaldulensibus Cœnobitis se adscribi voluerit. Ibi vero cum per aliquot annos ita vixisset, vt non dubium omnib. summæ temperantiæ, eximię Castitatis, omniśq; demum Monasticæ moderationis opinionem attulisset, visus est cœnobii præfectis idoneus, qui sacerdotis officio, quem capellanum appellant, monachas S. Christinæ Tarusii gubernaret. Quam curam libenter ille religiosæ obedientiæ causa suscepit, ac munus illud plurimos annos, maxima cum laude administrauit, vita assiduè in ieiuniis, vigiliis, diuinis precationibus, corporis afflictionibus, & manuum operibus, sine vlla omnino hominum obtrectatione, aut Virginum ipsarum querela traducta. In eo officio, iam effætis corporis viribus, expirauit. Cęterum cum & viuens, & mortuus, aliquot miraculis editis, hominum oculos in se conuertisset, Albertus Episcopus Tarusinus, homo grauissimus faciendum sibi putauit, vt vitam eius certis adhibitis de more Ecclesiæ testibus, exploraret. Horum constanti testimonio cognitum est, superiorem omnem longissimæ illius vitæ consuetudinem, morti sanctissimè obitæ, & multis miraculis illustratæ, facillim. è respondisse. Eius memoriam veneratur Ecclesia, ex Romano Martyrologio his verbis renunciari consuetam: Bononiæ, Sancti Parisii Confessoris, Monachi Ord. Camaldulensis.

II. MORS B. PINAMONTII ORD. PRÆD. *b Michael Piuo p. 2. de viris illustr. Ord. Præ.*

Eodem anno *b* ad cœlos euolauit, B. Pinamontius, primus Prior cœnobii Bergomensis Ord. Præd. cui ferè quadraginta annis, ingenti cum laude sanctitatis, quam à D. Patriarcha Dominico hauserat, præfuit.

III. *c Bossius lib. 10.* NONAGINTA FRATRES HIEROSOLYMITANI MARTYRES. *d ep. 328 & ep. 327. vit. 17. Cal. Ian.* REGEM GALLIARVM IN AVXILIVM PALÆSTINORVM EVOCAT. ITEM REGEM ARMENIÆ.

Inter Martyres *c* quoque recenseri possunt, nonaginta Fratres milites Hierosolymitani, & complures Christianorum, à Saracenis in obsidione Assur, pro Christi & gloria & honore certantes, trucidati, quorũ cædem cum Pont. Clemens audisset, Regem Galliarum in adiutorium reliquorum euocauit, missoq; Fratre Helia Ord. Præd. ad Patriarcham & administratorem Regni Hierosolymitani, & ad Magistrum Templariorum, datis litteris, eis cita auxilia, à Cruce signatis futura promisit, atq; ad cõstantiam animauit. *d* Regem quoq; Armeniæ Aitonem, Clemens in adiutorium Christianorum inuitauit: eumq; quod omnes Reges & Principes Europæos contra Saracenos armaret, certiorem fecit. Cumq; is duos filios in Palæstinam cum exercitu misisset, & ipse in maximum discrimen à Turcis adductus fuisset, monuit Clemẽs Michaelem Palæologum Imperatorem Orientis, vt si ipse esset ex animo inimicus inimicorum Crucis Christi, Regi Armeniæ in magnis periculis constituto opem ferret, neque permitteret illum, qui pro recuperatione Terræ Sanctæ arma submiserat, à Barbaris vita & regnis spoliari. Non multum operæ fecerunt filii Aitonis in Syria: sed tãtum mœroris Patri seniori attulerunt, vt is vanitate sæculi, & regni perspecta, administrationem imperii Leoni filio reliquerit, & Monasticen professus, Macarii nomine assumpto, felicitatem cœlestem meruerit.

ITEM PALÆOLOGVM.

IV. *ep. 1. & 2.*

Nutabat hactenus Palæologus, vtpote qui non sinceritate illectus, sed necessitate coactus, fidem & vnionem Ecclesiæ Rom. prætendebat, & in fraude se amplexurum pollicebatur. Qua in re, vt Clemens Pontif. animum illius certius exploraret, *e* eidem formulam fidei à sede Apostolica cõceptam misit, vt ex eadem, coram Apocrisiariis designatis, vna cum Patriarcha, Episcopis, Clero & populo, publicè ex more prisco profiteretur, ac id quod S. Rom. Eccles. credit & confitetur, ipse se credere & confiteri manifesto renunciaret, adque vnitatem Ecclesiæ eiusdem cum vniuerso Clero & populo rediret. Quod si de quoquam ambigeret, vt Apocrisiarios suos ad sedem Apostolicã mitteret, quibuscum de fide & vnione tractare commode posset. Si vero etiam Concilium Oecumenicum cõgregari postularet, istud quoque Pontifici ad omnia prompto renunciaret. In eundem modum Clemens etiam Patriarchæ Constantinopolitano scripsit, & fidei quam profiteretur formulam misit Viterbii IV. Nonas Martii. erat, quod Michael ad vnionem inclinaret.

V. *Petrus Marcellus in hist. Venetia.* GENVENSES A VENETIS CÆSI.

Per id enim temporis, Genuensium ipsius auxiliatorum, fortuna variauit. Apud Drapanum atroci cum Venetis pugna certauerant, cum subito matre, res illorum inclinarunt: Quatuor tunc & viginti illorum triremes captæ, reliquæ combustæ, & mediis fluctibus depressæ sunt: duo millia & quingenti Genuensium capti, mille & ducẽti cęsi, plurimi fluctibus absumpti sunt. Itaq; Genuensium rebus ea clade fractis, Palæologus eorum societatem aspernatus, cum Venetis inducias in quinquennium pactus, vnionem ex tempore somniauit, seu simulauit.

VI. FIDEI FORMVLA MISSA PALÆOLOGO. PRO SESVISQVE DISPVTARI NON VVLT CLEMENS IV.

Cum autem Clemens mentionem Concilii Palæologo Imperatori iniecisset: qua mente, quoue fine id indicere cuperet, disertis verbis declarauit, sc. non vt in disputationem vocarentur ea quæ à SS. patribus decreta essent, sed vt in finitis, concertationumq; plenis scrupulis sublatis, pax & concordia inter Ecclesias stabiliretur. Præstat autem ad Palæologum verba Clementis omni memoria dignissima apponere. Ista sunt ipsissima.

Porro præscriptam puriss mam, certissimam & solidissimam, Orthodoxæ fidei veritatem, Euangelicæ doctrinæ consonam, à sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum, in suis Synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus nouæ discussioni, ac definitioni subiicere, ipsam quasi per hoc, quomodolibet contra eas, & licitum in dubium reuocando. Ideoq; licet in præfata scriptura, de conuocatione concilii ageretur, licet per tuas præfatas litteras, concilium in terra tua conuocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus Cœcilium ad discussionẽ, seu definitionem huiusmodi conuocare. Non quod cuiusquam facti vereamur, vel eandem sacrosanctam Rom. Ecclesiam Græcorum superari prudentia timeamus, sed quia prorsus indecens foret, immò nec licet, nec expedit, in dubium reuocari præmissam veræ fidei puritatem tot sacræ paginæ auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententiis, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatã: pro cuius defensione si necesse foret, parati essemus subire martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum, quam ideo ad præsens nequaquam authoritatibus, quarum tamen satis copia nobis pro voce suppeteret, iuuare curabimus, sed in simplicitate veritatis, sic purè sic explicatè, tam prædictis tuis exhibendam nuncijs, quam tibi decreuimus destinandam.

VII. ALPHONSVS REX CASTELLÆ VEHEMENTER VRGET, INIMPERATOREM AB CLEMENTE INVNGI *ep. 4 Viterb. 7. Id. Maii*

In Occidente cum Alphonsus Rex Castellæ, & Richardus Comes Cornubiæ, frater Regis Angliæ, apud subsellia Apostolicæ sedis, de Romanorum regno contenderent, nec vterque ius suum luce meridiana clarius ostenderet, Clemens Pont. articulos, nonnullos ex controuersia partium resultantes, quorum probationes non tantum in Germania, verum in Galliis, Hispania, Italia, conquirendæ forent, tam Alphonso quam Richardo in literis misit, diemque ad eas probationes in curia Romana producendas assignauit: vt tandem decerneret maturè, cui eorum poscenti, Romanorum Regni, & posthea imperii diadema deferret. Interim Alphonsus plus æquo Imperii auidior, Clemẽrem interpellabat, vt omisso Regni Romanorum diademate, Imperii sibi coronã conferret, & vel Romã se venire iuberet, vel ipse in Hispanias traiiceret. Eam rẽ tum ipse Alphõ-

132. & 32. Viterb. Nonis Iun.

sus per litteras, tum Henricus frater præsens vrgebat. Non ignota fuere consilia Clementi, quæ Alphonsus versabat. itaque misso Bernardo Maphazano Capellano suo, excusauit, se non posse & Italiam in magno discrimine deserere, & Imperii insignia, illi per saltum vt aiebat conferre, scil. antequam Coloniæ vel apud Aquasgrani, coronam Regni Romanorum obtineret, proinde monebat Alphonsum vt in Germaniam quantocius properare contenderet, si in Regem Romanorum inaugurari desideraret.

VIII. *Ep 355. Vit. 7. Cal. Aug.* QVOMODO HENRICVS FRATER ALPHONSI, FRAVDVLENTER IN PROTRICEM SVI ECCLESIAM SENATOR VRBIS INVECTVS SIT, EAMQVE OPPRESSERIT OBREGNVM SICILIÆ. ODIT CLEMENTEM ET CAROLVM.

Inter hæc Henricus Senator Vrbanus per simulationem fingebat, se Caroli partes tueri, eumque prout par erat obseruare. Dissimulabat etiam Pontifex, & datis ad eum litteris, concordiam, pacem & vnitatem inter hunc & Carolũ laudabat: donec Henricus diutius simulatam versutiã vomuisset. & Conradini aduentu in Italiam audito, odium quo in Pontificem & Ecclesiam flagrabat, palam omnibus fecisset. Duo tunc Romani sanguinis Principes Cardinales, Ioannes Caietanus, Vrsinus tit. S. Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobus Sabellus tit. S. Mariæ in Cosmedin, Romanæ maiestatis dignitatis Apostolicæ, & auctoritatis Pontificiæ, inxta ac iuuium & bonorum Ecclesiæ vniuersæ tuelares, in Senatu Purpuratorum eminebant. Comes Anguilariæ pari studio rem Pontificiam & Ecclesiasticam defendendam in se receperat. Hi tres imprimis, dolos & fraudes Henrici perspexerant, & Pontificem Clementem, vt sibi Ecclesię, & Carolo metueret, seu manis prospiceret, monuerant. Clanculatius Henricus non potuit illos ferre, quin persequeretur. Cumq; in capita virorum non posset, duos Vrsinorum Regiis, affinitatibus, stemmatibus illustrissimæ familiæ, Iordanem & Neapoleonem, comprehensos in vincula, extra vrbem dedit: Ioannem vero & Lucam Sabellos in Capitolii carcere cõseruauit: Cardinalium Principum libertatẽ fractam depositorum intercessiones despexit: Galuanum Lanceam Regis Caroli perduellem signa & vexilla Conradini publicitus explicantem, intra vrbem admisit, Gibellinorum complures sub Galuani signa venientes, intrò recepit: Pontificiæ factionis nobiliatem, ciues, & reliquos subditos pars oppressit, pars vrbe exegit: vias omnes publicas ad Pontificem ducentes, custodiis impositis insedit, literarum cõmercium inter Clementem, eiusque deuotos intercepit, plurimos peregrinorum spoliari præcepit, Gibellinam factionem in Pontificiam armauit: Conradinum vt quantocius cum exercitu ad vrbem capiendam & Carolum opprimendum accelleraret, inuitauit: Pontificiam maiestatem & auctoritatem cõculcauit: Ecclesiasticorum dignitatem nihili æstimandam duxit: Decanum Salernitanum à Principe Carolo venientem, vulneribus affecit. Episcopum Syluanensem, quãuis Alphõsi Regis, ad sedem Apostolicam in negotio Imperii nuncium iugulari siue tolerauit, siue imperauit. Raynerius enim & Squarcialupus viarum ab eo missi insessores, miserum trucidarunt. His & aliis innumeris sceleribus cum se Henricus virgæ censoriæ obnoxium, & seueritate Ecclesiastica castigandum reddidisset, Clemens tamẽ, vetè Clemens, in eum sententiam non præcipitauit, sed in primis ad calamitates ab eo Vrsinis & aliis illatas indoluit, deinde ea quæ corrigi poterant redarguit, neue in posterum Ecclesiam, contra quam nec portæ inferi prævalere possunt, aut vnquam poterunt, lacesseret, admonuit: præsertim cũ meminisse deberet, Senatoriam dignitatem neque esse perpetuam, neque firmatam supra firmam petram. Proinde suo iure præcipiebat, vt odium erga Principes viros cõceptum dimitteret, vt Vrsinos illustrissimos iuxta ac innocentissimos, & bene de Ecclesia meritos eliberaret: Conradinum imbellem, & rebus agendis impotem puerum detineret: libertatẽ victis aut eiectis restitueret: Pacem Ecclesiæ, vrbis, Italiæ siue redderet, siue ne turbaret, & Carolo legitimo Regi, ne contra iret. Quod si audacia præfracta contemneret, & contra stimulum calcitrans, Diuina humanaque miscere pergeret, sciret Pontificiæ manus virgam ferream à diuina manu datam esse, ad omnem contumaciam vlciscendam. Contempsit Henricus, & nedum imperata non præstitit, verum cõtumelię atramento scriptis ad Pontificem literis se Suttrium cum exercitu armato propediem iturum significauit. Tolerandam sibi etiam hanc iniuriam Clemens existimauit, atque vesanæ mentis hominem admonuit, ne pedem moueret, neue sibi viam ad præcipitium aperiret: sed ille audacior factus viros alios amplissimos Principes Ciuitatis, qui Guelpharum partium erant, ad se in Capitolium euocatos armatorum corona circundedit: ex his Matthæi Rubei tituli S. Mariæ in Porticu Cardinales affines nobilitate & gratia potentes comprehendit, domos nobiliũ diripuit, & occupauit. Palatio Apostolico, & Basilicæ D. Petri præsidia Germanorum imposuit, aliaque publica loca, ne quis motus in vrbe suscitaretur, militè armato muniuit. Quod verò maius erat, se Capitaneũ generalem, Etruriæ denunciauit, bellumq; Carolo publicè indicere, & ad regnum Siciliæ eripiendum proficisci velle conatus est. Animos Henricus assumpserat, quod audisset, Pisanos ac Senẽses, cæteroſq; huius factionis homines, quos occultè sollicitauerat, iam in armis esse: & quatuor ac viginti naues longas, ad populãdam oram maritimam solicitandasq; ciuitates aduersus Carolum dimisisse. Conradus quoq; Capitius Neapolitanus tunc exul regni, Fredericum ex Africa, cum quingentis peditibus Saracenis, trecentis Germanis, cẽtum Latinis, centumq; Sagittariis Saracenis, atque expeditæ manus aliis militibus tum Hispanis, tum Etruscis, à Genuensibus submissis aduexerat, vniuersamq; Siciliam armis & terrore compleuerat, dispersisq; inter Insulanos Conradini litteris, breui ad modum tempore Siciliam ferè totam, præter Syracusas, Messãnam & Panormũ ad defectionem compulerat. Nam à Conradino, frequentes ad Siciliæ populos, & paternos amicos literas, legio nomine scriptas, detulerat. Conradinus quoq; in Italiam veniens, supra decem Germanorum millia deduxerat, & ex his tribus millibus selectis, primo Veronam, deinde per Ligures & Lunẽsem agrum, Pisas, & exinde in genti numero Gibellinorum ex omni Etruria & Italia gratulandi gratia conuenientium sibi adiuncto, Lucam vsque exercitum promouerat, Henricoq; Castulonensi Romano Senatori, eos spiritus fecerat. Volitabant vltrò citroque Henrici, Frederici, Conradini, & aliorum Procerum Gibellinæ factionis epistolæ, ex quibus interceptis, & rumoribus vbiq; dispersis cum Pontifex Clemens, inprimis Siciliam ad extremum discrimen adductam intellexisset, Carolum Regem Siciliæ, quem per id temporis vicarium Imperii creauerat, & Pacarium inter Etruriæ populos cum facultatibus & priuilegiis amplissimis esse insignem, destinato ad eum Archiepiscopo Tynen. missisque ad eundem litteris Teutonicorum interceptis, & adiunctis suis, certiorem reddidit: admonuitque, vt inprimis pecunias mutui nomine ab Henrico acceptas, quas ille repetenti, ne maiores ad nocẽdum facultates illi adessent, bono consilio haudquaquam reddebat: Henricus autem contemptui se haberi existimans, propter illas ipsas omnia mouebat, ad quadrantem numeraret: deinde vt illum ipsum à temeritatis ausis cohiberet, si posset: cumq; maturatum periculum iam cerneret, vt relicta Etruria, totum robur exercitus ad se contraheret, & ad tutelam Regni Siciliæ conuolaret, ne dum in aliis lucrum quæreret, in propriis damnum pateretur.

CONRADINVS IN ITALIAM VENIT.

Cæterum cum nimis atrox sacrilegium in occidione Episcopi Syluanensis commissum, citam vltionem inuocaret, ideo Clemens Papa ad vindicias exurgens, hanc quę sequitur sententiam tulit.

SICILIÆ REGNVM AD EXTREMA DEDVCITVR. *Viterb. ep. 6 a. Non. Iun. & ep. 374. 17. Calend. Octob. & ep. 76. 15. Cal. Oct. & ep. 396. 17. Cal. Decem. & ep. 405. 6. Cal. Decem. & ep. 435 19 Cal. Ian. & ep 380. 6. C. Oct. & ep. 8. 449. 12. Cal. Ian.*

IX. SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS IN SACRILEGOS OCCISORES EPISCOPI SYLVANENSIS.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei, &c. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Nefandum & horribile facinus præteritis diebus in Tusciæ partibus à viris sanguinum perpetratum, vocepublica, non sine mentis amaritudine reuolentes, ad illud puniendum, cum pœna grauior vix sufficiat, ad vindictam eo feruentiori attentione procedimus, quo tanti patrati sceleris, & in Dei maiorem contumeliam & offensam Apostolicæ sedis, in iniuriam plurimorum & scandalum redundauit. Cum enim bonæ memoriæ Syluanensis Episcopus, & dilectus filius Decanus, & Archidiaconus Solamantinus, quidam Arnaldus miles & nonnulli alii de curia & familiis eorundem Clerici Laici per Tusciam transitum facerent, ad eandem sedem pro certis negotiis accessuri: dannationis filii Raynerius de Pazzes, & Squarcialupus de Sosena, & multi Satellites & complices eorundem equites & pedites, illorum præsentientes aduentum, positis insuper insidiis, Dei timore postposito, & debito prorsus humanitatis excluso, in Episcopum & alios prædictos immaniter irruerunt, & eos paucis exceptis, quorum aliqui euaserunt fugæ præsidio, quidam verò qui afflicti vulneribus fuerant, quasi mortui derelicti, & aliqui capti-

uati, spoliis eorum deprædationi deditis miserabiliter cæde crudelissima trucidarunt. Vt igitur pro tam pernicioso & detestabili crimine, sicut extitit seueritatis qualitate grauissimum, patratoris ipsius dura premat asperitas vltionis, & pœnarum onera posteris transeant in exemplum, castra, villas, & loca prædictorum malefactorum, & alia in quibus se tempore patrati sceleris receptarunt perpetuo municipii, vniuersitatis iure priuamus: ita quod deserta iaceant habitatione, nullis vnquam temporibus habitanda, ipsaque remaneant in perpetuum Ecclesiastico supposita interdicto: nec aliquis sacerdos vel clericus in illis permanere præsumat, vel ad Ecclesiasticum pertinens Ordinem exercere, habitare quoque præsumentibus in locis eisdem nostra taliter animaduersione damnatis, in vita vel in morte, nisi dictorum locorum habitationem abiurent, sacramenta Ecclesiastica non præstentur, etiam iura dictarum Ecclesiarum aliis assignentur Ecclesiis, prout diœcesani locorum, vel alii ad quos spectauerit, duxerint ordinandum. Dictos autem sacrilegos, & generaliter omnes, qui ad hæc dederant opem, operam, consilium, vel fauorem, denunciamus excommunicationis sententiæ subiacere, ac nihilominus excommunicamus & anathematizamus eosdem, nec ab aliquibus absolui valeant, in mortis periculo, nisi dictorum locorum habitationem, loquela, vel saltem nutu, si loqui nō poterunt, duxerint abiurandam. Quod si absolui contigerit, & sic absoluti ad eadem loca redire præsumpserint, vel etiam sanitate recepta, sedi Apostolicæ se non præsentauerint, intra mensem satisfacturi, de damnis & iniuriis iuxta mandatum Apostolicum, & Romani Pontificis in ipso facto in prædictam sententiam relabantur. Nullus quoque pœnitentiarius noster, vel alius, cui data fuerit potestas à nobis vel prædecessoribus nostris, ab iniectione manuum absoluendi, possit tales absoluere, vel aliquem de prædictis sine mandato vel licentia sedis Apost. speciali. Præfatos insuper cædis auctores & successores eorum, omnibus iuribus quæ obtinent in prædictorum locorum Ecclesiis, & aliis quibuscunque siue sint aduocati, siue patronatus perpetuò Apostolica auctoritate priuamus. Cætera verò eorum bona immobilia, quibus similiter priuamus eosdem, si ab Imperio vel aliquibus aliis tenentur in feudum, ei vel eis, nisi & ipsi fuerint participes criminis maneant confiscata. Quorum malefactorum personas citra mortis & mutilationis periculum, & bona mobilia eorundem, quibuslibet fidelibus exponimus liberè capienda. Præterea omnes qui malefactores eosdem ceperint: vel eis in quocunque negotio scienter dederint consilium, auxilium vel fauorem his duntaxat quæ ad salutem animæ pertinent ipsorum exceptis, excommunicationis sententia innodamus. Cæterum fratres, filios & nepotes eorum, & omnes ex eis, ex quocunque latere descendentes, vsque ad quartam generationem: si Clerici fuerint priuamus eos Ecclesiasticis beneficiis habitis & reddimus inhabiles ad habenda: statuentes vt qui nondum sunt insigniti charactere militiæ Clericalis ordinis nullatenus ascribantur. Hactenus Clemens contra sacrilegos.

X. HENRICVM SENATOREM VRBIS ROMÆ, ALPHONSI FRATREM ETIAM DIRIS DEVOVET. *Vit. ep. 440. 12. Cal. Ian. & ep. 374. 17. Cal. Oct. & ep. 330. 16. Cal. Ian. & ep. 452. 6. Id. Martii.*

Cæterum cum Henricum Senatorem frustra admoneret, & is magis ac magis obduraret, in ipsum pariter moliētem perturbare totius statum Italiæ cupientemq; Regnum Siciliæ Carolo eripere, die cœnæ Domini censuras promulgauit, & ad suæ subsellia vocauit. Cætera non præcipitauit: Sed quod Duces Bauariæ, sciret, multa indignè toto itinere quo Lucam vsq; venerant, perpetrasse in eos se inquirere animaduertereq; velle Carolo perscripsit: interimque eum vt suos quoq; milites ministros atq; officiales à rapinis, stupris, adulteriis, violentiis, ministris, & reliquis facinoribus perpetrandis cohiberet, seuerius admonuit: vtque non Marchionis Brandeburgici, sed Regis Aragonum Mariam filiam in matrimonium sibi collocaret, misso fratre Guillelmo Ord. Præd. ad Regem iurauit, & scriptis Carolo literis suasit. Eam dubio procul Carolus duxisset, nisi per id temporis Maria diem suum obiisset.

XI. ELIGITVR A PRINCIPIB. GERMANORVM IN REGEM ROMANORVM RVDOLPHVS COMES HABSPVRGENSIS. *epist. 341.*

Minimè errauero, si in hunc annum, elationem Rudolphi Habspurgensis Comitis, ferè contra omnium scriptorum opinionem retulero. Neq; enim ex vano, Clemēs IV. Pont. Max. hoc ipso anno 1267. Pontificatus sui tertio ad XVII. Cal. Iulias datis litteris Viterbii, Rudolpho in Regem Romanorum electo præscripsit, eumq; certiorē reddidit, nihil in eius præiudicium factum esse, si Carolus Andegauensis Regnum Siciliæ, vna cum dignitate senatoria vrbis Romanæ obtinuisset. Fortè Principes Germaniæ tantæ vocationis Imperii pertæsi, tantisque quantæ in soluta republica accidere solent dissidiis & cladibus afflicti, saturatique, cōmodum, Conradino in Italiam digresso, tempus nacti, ad Comitium, eligendi Regis Romanorum causa cōuenerant, & Rudolphum communibus suffragiis designarant: postquam Ottocarus Boemiæ Rex delatam sibi eam à Coloniensi Archiepiscopo dignitatē nimis præpostera arrogantia reiecisset: sc. quod maioris esse existimaret Regem Boemiæ, q̃ Regem Romanorum aut Imperatorem salutari. Ingens tunc omnium per vniuersam Germaniam animos peruasit, vbi tandem Cōradino abeunte, post tot annos quibus legitimo Imperatore caruerant Rudolphum Romanorum Regno titulo salutatum seu designatū fuisse fama dispersum est. Duris siquidem antea oppressi competitorum contentionibus, finem hoc authore constātissima fiducia expectabant. Neq; eos euentu spes fefellit, vtpote, qui ita se in Imperii maiestate gesserit, vt eius exemplo decem vel vndecim continua propemodum serie, sui successores ferè à trecentis pauloq; amplius annis ad Imperii fastigium magna cum laude & gloria emerserint.

XII. *Lipsius in monit.* RVDOLPHI PIETAS IMPERIVM MERVIT ERGA SANCTISSIMĀ EVCHARISTIAM.

Meruit sanè pietas Rudolphi, quā adhuc priuatus ostenderat. Dignum est facinus quod in exemplū narretur. Venatum forte, vt nobilitas solet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & sordentes, ecce occurrit sacerdos, venerabilem & mysticam hostiam, extremum solatium, ægro laturus: & occurrit pedes. Is aspectus pium pectus perculit: nec sine indignatiuncula aliqua equo desiliit: &, *Me vehi, te qui seruatorem meum portas, pedibus incedere? Indecorum, vel impium sit, conscende, & equum hunc cape.* Iussio non preces erant, paruit ille, & iste capite reuelato, humilis sequutus est, ad ipsas ædes ægri deduxit, ab iis eodem habitu reduxit. Iam domi & apud se sacerdos erat, qui officio attonitus, & mente à Deo mota, bene abeunti dixit, & simul imperium ipsi posterisque prædixit. Istud pietatis studium multiplex in modica adhuc fortuna, nec nisi Comes Habspurgensis Rudolphus pertulit, propter quod illi sequentem magnitudinem vaticinia & diuinæ voces adscripserunt.

ITEM CLEMENTIA EIVS ET PRVDENTIA.

Magna item clementia & prudentia qua pollebat, illum ad Imperiū euexit. Vnius & alterius exempla, ad exemplum dabo. Illius istud fuit. Cum submoueri à satellitio suo tenuiores quosdam videret, ad se affectantes, non sine stomacho edixit: *Per Deum* (ipsa eius verba sunt) *sinite homines ad me venire. Non enim ideo ad imperium vocatus sum, vt in arcula includar.* Prudentiæ istud dedit. Agebat Noribergæ, & rebus Imperii ac publicis intendebat, cum ad priuatas eum vertit leuiter mercator quispiam, ius & vindictam petens in hospitem siue diuersorem ibi notum, à quo grandi pecunia fraudatū se aiebat. Nam bona fide deposuisse apud eum in sacculo *ducentas argenti selibras*, marcas appellant: quas ille impudenter abnegabat, iniuriose retinebat. Imperator de fide dictorum rogauit, ille affirmauit, sed sua fide, nec aliis (vt solet fere in deposito) argumentis. Igitur Imperator re perpensa, astum adhibendum censuit, & vestigiis verum indagādum. Quæsiuit ab homine, ille sacculus siue vidulus cuiusmodi esset? Descripsit formam: nec aliud Cæsar, quā secedere eum in proximum cubiculum, & præstolari iussit. Habebat in animo euocare hospitem, sed fortuna commodius instituit, & vltro ad eum misit. Nam venerunt primarii vrbis ciues vt solet, gratulatum Principi & salutatum, inter quos iste infidus hospes. Norat adeò iam antè Cæsar, & vt comitas eius erat, benignè & per facetias appellauit: *Heus tu, scitum illic pileū habes. Mihi dona & permutemus.* Ille arrisit, pileum libens dimisit, & honori hoc factum duxit. Cæsar secessit paululum, quasi publicum negotiū euocaret, & fidum ac notum eius oppidi ciuem, cum ipso pileo illo, ad vxorem hospitis misit cum mandatis. *Heus matrona, maritus iubet, vt sacculum illum talem ad eum mittas, opus habet, & ecce tesseram fidei meæ hunc eius pileum.* Mulier agnouit pileum, & sacculum descripserat: itaque nihil ambigens ascendit, tradidit, quasi ad maritum deferendum. At ille recta ad Cæsarem qui vidulum vocato denique tunc mercatori ostendit, &: Hic ne est? & agnoscis? affirmauit, & exultauit: tum & hospitem Cæsar adhibuit, & *Hic*, inquit, *de te queritur, & perfidiam accusat, quid ais, & refellis?* Audacter ille, *mentiri eum dicere, aut dementire, nihil sibi rei cum eo esse aut fuisse.* Denique Imperator sacculum protulit, ad cuius aspectum ille confunditur, & animo & lingua labitur. Quid multa? Mercator pecuniam, hospes infamiam recepit, atq; etiam damnum. Nam grandi alia pecunia Cæsar eum mulctauit. At Rudolphus omnium ore & sensu laudem, & decantatum in Germania satis hoc factum fuit.

Sed

XIII. SVMMARIVM GESTORVM CLEMENTIS IV. HVIVS ANNI. *1. Viterb. ep. 139. 13. Cal. Feb. 2. epist. 141. 13. Cal. Feb. 3. ep. 448. 3. Cal. Mart. 4. ep. 381. 2. Cal. Oct. 5. ep. 384. Id. Octob. 6. ep. 308. 17. Cal. Feb. 7. ep. 354. 13 Cal. Aug. 8 ep. 138. 3. Id. Iun. 9. ep. 387. 10. Cal. Nou. 10. ep 33. & 34. & 35. 3. Non. Maii & ep. 36. 13. Cal. Iun. 11. ep 334. 4. Id. Iun. & ep. 373 17. Cal. Octob. 12. ep. 411. 19. Cal. Feb.*

Sed ad Clementem Pontificem redeo, qui hoc anno 1. Boemiæ Regi Ottocaro, vt si terram Lituaniæ, cui olim Mindamus cum titulo regio præfuerat, è manibus Paganorum, eripere posset, iterū aliquem in Solium eius regni eueheret, authoritate Apostolica concessit. 2. Eundem Boemię Regem vt ad conuertēdos vel etiam expellendos infideles Gothlandiæ, Gethuesiæ, & reliquarum circumuicinarum Prouinciarum, animose consurgeret: & si opportunum videret aliquam Metropolitanam vel Cathedralem inter illas gentes erigere, sedi Apostolicæ significaret, commisit 3. Ipsi illi, vesaniam & proteruiam, Conradi contra Deum, Ecclesiam. & ipsam æquitatem arma assumentis demonstrauit. 4. Eiusdem illum, vt Patriarcham Aquileiensem temere à Comite Goritiæ captum in libertatem vindicaret, iniunxit. 5. vt contra eundem Goritiæ Comitem, & contra Episcopum Feltrensem, qui Patriarcham Aquileiensem in vincula coniecerant, inquisitio fieret præcepit. 6. Iacobum Aragoniæ Regem, qui Terasia reiecta, Berengariam propinquitatis gradu coniunctam superinduxerat, & interim expeditionem in Palestinam instruebat, ne se incæstu & adulterio inquinaret, neue irato Deo, tam sanctum opus, sine præuia pœnitentia & satisfactione susciperet admonuit, ac nisi Berengariam relinqueret anathemate ille se velle damnare pronunciauit. Cæterum, cum & ipse quoque Regnum Sardiniæ & Corsiæ exambiret, ac eius causa Oratores ad sedem Apostolicam destinasset 7. Eidem & Iacobo filio, ad vtrumque missis Maioricensi & Vicensi Capellanis, significauit, ne quicquam sperarent. Cum sibi in animo sedisset illa Regna, neque Henrico Castulonensi, neque Henrico Andegauensi postulantibus concedere velle 8. Henrico Regi Angliæ, vt Gilberto Comiti Glouerniæ Principi factionis non alia ratione impunitatem promitteret, sponderetque, quam si is arma deponeret, & benignitatem regiam imploraret, præscripsit 9. Alphonsum Castellæ Regem, vt potius victorias ex victoriis, à Maurico quod susceperat, & feliciter contra Granatenses Mauros gesserat, bello acquirat, quam Regni Romanorum diadema contra diuinæ voluntatis effata exambiat, hortatus est. 10. Regi Galliarum S. Ludouico in subsidium Terræ sanctæ, cum copiosissimo exercitu, & cum tribus filiis transfretare paranti, decimam omnium fructuum in vniuerso Regno Franciæ, deinde in Diæcesibus Leodiens. Tullens. Virdunens. Metens. & in aliis locis extra Regnum Franciæ, Diæcesis Rhemens. deinde omnes redemptiones votorum, quibus Crucesignati, vel sanctæ militiæ deuoti, exsolui cupiebant, eoque nomine pecuniaria auxilia numerabant, eodem concessit. ipsumque cum filiis & Crucesignatis in protectionem sedis Apostolicæ suscepit. 11. Cum vero quanto maiora posset adiutoria conquirere cogitaret, Alphonsum Pictauiæ Comitem, pollicitis auxiliis ad eandem sacram militiam inuitauit: decimas tamen regni Franciæ denegauit. 12. Cum autem Edouardus Regis Angliæ primogenitus nihil magis quam libertatem Palæstinæ cogitaret, monuit Pontifex Ludouicum, ne illum ad eam expeditionem pelliceret, tum quod Anglia sumptibus non sufficeret, quæ propter bella ciuilia pecuniis exhausta esset: tum quia nondum plene stabilita pace, intutum videretur, patrem Regem senio confectum, difficultatibus exponere, atque in mediis æstibus inopem consilii ac virium relinquere.

XIV. *13 ep. 6 & seqq.* CONSTITVTIO CLEM. IV. PRO CONSERVATIONE VRBIS, ECCLESIÆ ET REGNI SICILIÆ. *Tit. de elect. & electi potestate.*

13. Cum etiam non ita pridem à Senatoribus vrbanis, præsertim vero hoc anno, ab Henrico Castulonensi quam plurima indigna pertulisset, annuente Carolo Siciliæ Rege, hanc quæ sequitur constitutionem, & alia quam plurima pro conseruatione vrbis, Ecclesiæ atque Regni Siciliæ sanxit. Constitutio ita habet, dignissima quæ legatur.

Fundamenta militantis Ecclesiæ, in montibus sanctis Propheta rememorans per montes, Apostolos & Prædicatores patenter insinuat, quibus tota huiusmodi ædificii fabrica confidenter innititur: qui firmæ bases Ecclesiæ super fundamento, præter quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Iesus, veluti summo angulari lapide solidantur: vt veritas quæ antea legis & prophetarum præconio vehebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret: sicut scriptum est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Huius autem muneris sacramentum, ita Dom. ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in B. Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat Dominus voluit nominari: Dicendo,* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: *vt æterni templi structura Deo ædificante constructæ, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri consisteret firmitate. Cui Saluatoris nostri miranda prouisio B. Paulum in Apostolatu gentium per dexteras societatis adiunxit. Isti sunt per quos Euangelium Romæ resplenduit. Isti sunt eius Patres, verique pastores. Isti sunt qui vna die pro merito, vno loco pro gloria, sub vno persequutore pro parili virtute compassi, vrbem ipsam glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt. Isti sunt, qui illam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis & Regia per sacram Beati Petri sedem caput totius orbis effectus.*

Ne autem ipsa mater Ecclesia in congregatione & pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adiuta spiritualibus proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse conspicitur, vt occasionaliter Constantini Monarchæ, à Deo præuisa, sed curata baptismalibus fomentis infirmitas, quandam quasi adiiceret ipsi Ecclesiæ firmitatem: qui quarto die sui baptismatis, vna cum omnibus satrapis, & vniuerso senatu, Optimatibus etiam & cuncto populo in persona B. Syluestri, sibi Romanam concedendo vrbem relinquens, ab eo & successoribus eius per pragmaticum constitutum disponendam esse (decernens in ipsa vrbe vtriusque potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus) declararet: non iustum arbitrans, vt vbi sacerdotii principatum, & Christianæ religionis caput Imperator cœlestis instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem: quin magis ipsa Petri sedes in Romano, iam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis, per omnia potiretur, nec vlli subesset homini, quæ ore diuino cunctis dignoscitur esse prælata. Decet namque ipso Romano Pontifici, per fratres suos sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, (qui sibi in executione officii sacerdotalis coadiutores assistunt) libera prouenire consilia: decet ipsius nullo modo vacillare iudicia: vt fratres ipsos nullus sæcularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis fauor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos à veri consilii soliditate remoueat: quin (cum per ipsum Romanum Pontificem, in quibuscunque negotiis contingeret, eorum peti consilia in consulendo) per omnia liberè eidem Romano Pontifici in omnibus, quæ pro tempore imminent, liberè consulant ac assistant, ipsique Romani Pontificis vicarii Dei, quæ suis temporibus occurrerit electio, & eorundem Cardinalium (cum expedierit) facienda promotio in omni libertate procedant.

Digne itaque ad vrbem ipsam eiusque regimen aciem nostræ considerationis extendimus, vt fœlici ducta regimine præseruetur à noxiis, & optatis semper proficiat incrementis. Nunquid obduxit obliuio, quæ vrbi, quæ incolis nota dispendia intulerunt hactenus peregrina regimina? Nunquid non hæc destructio, mœnium deformatio, proueniens ex ruinis, luce clarius manifestant? nunquid non hæc fidelium contrectata deposita? Nunquid non hæc ipsa veneranda Dei templa præsidentis manu sacrilega diebus nostris nefarie violata proclamant? Quid plura? Nonne ipsius vrbis retroactis temporibus incorrupta constantia, sed regentis eo tempore nefando subuersa est regimine? ipsamque vrbem speculum fidei tanta respersit infamia? vt à matre sua Romana Ecclesia filia prædilecta deuiare compulsa, quondam Conradinum, qui de venenosa radice Friderici quondam Rom. Imperatoris colubri tortuosi, iusto ipsius Ecclesiæ iudicio reprobati, prodiisse videbatur in regulum: quique ad exterminium Romanæ matris Ecclesiæ manifestis indiciis, vna cum suis fautoribus aspirabat, & in contemptum Dei ac suæ matris ac ipsius vrbis opprobrium patenter reciperet, recepto faueret, constituens se super hæc tam patentis hostis suæ matris Ecclesiæ filiam adiutricem. Hoc ipsi præstiterunt Romæ Senatores incogniti, hoc præsides improuisi, vt gloriosa ciuitas redderetur ingloria, sua stabilitas vocaretur instabilis, suæque constantiæ antiquata soliditas lingua hominum vocaretur infirma. Proinde officii nostri debitum circa huiusmodi tam periculosos euentus, ad libram moderaminis erigentes, tantæ subuersionis occasiones ita salubris remedii appositione præcidimus, ne illorum (qui ipsam Rempublicam laudabiliter hactenus gubernauerunt) videamur gloriam sugillare vel merita: quæ illis apud infallibilem & scientem omnia retributorem, de iam perlatis quæsita laboribus salua persistunt.

Vt ergo circa regimen ipsum talis adhibeatur in omnibus cum discretione solertia, per quam ipsi Romanæ Ecclesiæ plena libertas (quæ in omnibus & per omnia sibi debetur) optata proueniat, vitentur iam experta pericula & Romanus populus ab opprimentium

pro-

protectus incursibus sedeat, sedendo quiescat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & temporalium requie opulenta, de Fratrum nostrorum consilio, hac irrefragabili, & in perpetuum valitura constitutione sancimus, vt quandocunque & quotiescunque Senatoris electio, vel alterius quocumque nomine censeatur, qui quocunque modo, vel quocunque titulo ipsius vrbis debeat præesse regimini, inposterum imminebit: nullus Imperator seu Rex Romanorum, aut alius Imperator vel Rex, Princeps, Marchio, Dux, Comes, aut Baro, vel quicunque alterius notabilis præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis, excellentiæ vel dignitatis existat, frater, filius vel nepos eorum, ad tempus vel in perpetuum, seu quiuis alius, vltra annale spatium quouis modo, colore vel causa, per se vel aliam personam quomodolibet submittendam, in Senatorem, Capitaneum, Patricium aut rectorem, vel ad eiusdem vrbis regimen seu officium nominetur, eligatur, seu alias etiam assumatur, absque licentia sedis Apost. speciali: per ipsius sedis literas concessionem licentiæ huiusmodi specialiter exprimentes. Quod si secus factum fuerit, nominationem, electionem & assumptionem huiusmodi decernimus esse nullas, ac carere omni robore firmitatis, & non solum nominatores, electores, assumptores, verumetiam nominati, electi, assumpti, si huiusmodi nominationi, electioni, assumptioni consenserint, aut se de ipsis quolibet modo intromiserint, intendentes & obedientes eisdem, & in hoc omnes dantes ipsis nominatoribus, electoribus, assumptoribus, aut nominatis electis vel assumptis, auxilium, consilium vel fauorem, publice vel occulte, cuiuscunque dignitatis vel præeminentiæ, conditionis aut status extiterint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, ac nihilominus ipsos nominatos, electos seu assumptos, si contra constitutionem præsentem, prædictis nominationi, electioni vel assumptioni consenserint, aut se quoquo modo illis ingesserint, & eorum posteros in perpetuum omnibus feudis, priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis & honoribus, quæ à prædicta seu aliis tenent Ecclesiis, censemus esse priuatos: ita quod illi, ad quos eorum collatio, concessio seu dispositio pertinet, resumendi ea aut retinendi, concedendi seu conferendi aliis, seu de ipsis etiam disponendi (prout ad eos pertinet) liberam habeant potestatem: & ne taliter nominati, electi vel assumpti de sua pertinacia vel contemptu valeant gloriari, nos qualibet mandata, præcepta, ordinationes & statuta quæ fecerint, omnesque sententias quas tulerint, & quicquid penitus in contractibus & obligationibus, seu quibuscunque aliis vrbis nomine, vel tanquam Senatores, Capitanei, Patricii, aut rectores vel officiales ipsius egerint, irrita prorsus ex nunc & vacua nunciamus. Iudices vero & tabelliones, qui super his aut eorum aliquibus contra præsentis constitutionis edictum patrocinari vel instrumenta conficere forte præsumpserint, iudicatus & tabellionatus officiis se nouerint esse priuatos. Contemptores quoque seu violatores præmissorum, vel aliquorum, vel alicuius eorum ab huiusmodi excommunicationis sententia (præterquam in mortis articulo) absolui non possint, nisi per Rom. Pont. vel de ipsius petita & obtẽta licentia speciali. Non obstantib. aliquib. priuilegiis, indulgentiis concessionibus, constitutionibus consuetudinibus, & statutis, quacunq; firmitate vallatis, quæ in præmissis omnib. nolumus aliquib. vel alicui suffragari, sed omnia, quoad illa decernimus non tenere. Vt autem ciues Rom. qui ex ipsa vrbe naturalem duxisse noscuntur originem aut quiuis alii, qui in ipsa eiusve territorio non aduenæ, sed continui habitatores extiterant, quoad honores ipsius vrbis, aut regimen gratiosis functionibus potiantur: non intendimus quod præsens constitutio tales excludat, quin ad vnum annum duntaxat, vel ad aliud tempus breuius nominari, ad ipsius regimen, & officium eligi valeant, ac assumi: etiam si prædictorum principum & aliorum fratres, filii vel nepotes existant, aut etiam si extra vrbẽ & ipsius territorium sub nomine Comitatus, Baroniæ, seu cuiuscunque alterius tituli in hominibus vel locis aliquibus iurisdictionem seu potestatem aliquam temporalem vel perpetuam obtinerent: dummodo prædicta iurisdictio vel potestas extra vrbem & territorium præfata consistens, non tantæ præeminentiæ vel notabilis potentatus existat, quod eam obtinentes eius occasione vel causa cum alii exclusi à dicto vrbis regimine (vt præmittitur) præsentis constitutionis oraculo rationabiliter includantur. Hæc Pontifex ad conseruandam libertatem Romanam, doctus periculis, & calamitatibus sanciebat.

XIV. *Chron. Bossiana.* INTERDICTO VRBS MEDIOLANENSIS SVPPOSITA, OB EXPVLSVM

Hoc anno, adhuc interdicta vrbe Mediolano propter Ottonis Vicecomitis Archiepisc. exilium nobiles Turrenses Legatos sub Napi principatu Viterbium ad Clementem Pont. ad soluendam vrbem destinarunt. Cæterum cum sibi ad Pont. aditum, propter eius in se iustam iram & fauorem in Ottonem non putarent, ad Carol. Siciliæ Regem profecti sunt: quos cum benigne suscepisset, quosdam ex Princip. sui Regni vna Viterbium misit. Præsente Ottone in conspectum Clementis admissi, factum Martini Turrensis, qui Ottonem eiecerat, ita excusarunt, vt etiam accusarent & satisfactionem promitterent: hunc in modum deprecantes: Esto, inuasit quondam Turrensis Martinus Ecclesiæ oppida: quosdam vicos diripuit, prædas egit, sacrilegium commisit: pœna de scelerato sumẽda est: egerit, commiserit, quæcunque opponuntur, sumatur interim & pœna: tamen esse debet, quæ crimen tantopere non excedat: vel si maior esse debet, ita saltem exuperet quãtitate, vt genus non mutet. Diruta sunt Eccl. oppida! restituantur. Abacta præda, illata prauissima incolis damna! resarciantur etiam cum fœnore. Vos nihil tale queritis: animam ipsam pro qua Christus mortuus est pendere pœnas vultis: atque vtinam illas à trium aut quatuor nocentum potentia exigeretis: non innocentissimum quoque vulgus, & quod horrendum dictu, & infantes etiam modo genitos, qui nihil per ætatem peccare aut voluerunt, aut potuerunt, in eandem ruinam traheretis. Hæc & alia plura dolore oppressi Legati coram Pont. iuste irato conquerebãtur & interim Raynaldum Turrensem, Martini fratrem innocentissimum & religiosum virum prædicabant, atque iniuste ab Vrbano cassam fuisse eius electionem insinuabant: contra Ottonem à Pont. Mediolanensi Eccl. prælatum accusabant, dicentes eum hæreticorum comitem, ac religionis Christianæ hostem: vtpote, qui retro actis temporibus infandissimos exules, omni non modo humanitatis sed etiam Christianitatis nomine exutos Ezelini hæresiarchæ, & in fide socios, & in omni sceleris genere cõplices ac ministros extulisset, Turrenses autẽ toti nomini Christiano fidissimos protectores depressisset. Addebant legati, & merita in Ecclesiam Turrensium, quod eorum auxilio, libertas totius Italiæ, & Ecclesiæ, à Manfred. oppressa, vindicata esset, vtpote qui tunc rerum Mediolani potentes, Carol. à Pont. euocatum non solum non prohibuerunt transitu, cum & maxime possent, & quodam iure suo debebant lacessiti, erepto prius familiæ suæ Archiepiscopatu, mox etiam tam horribilibus censuris, patria interdicta: sed etiam opibus, auxilio, pecunia illum iuuerunt, quod ni fecissent, neq; Siciliam, neque Apuliam ex sæuissimi tyranni ferocissimis faucibus euulsissent, neque Ecclesiasticam libertatem restituissent. Ista Regis & Turrensium Oratores perorabant, simulque vrbi absolutionem, familiæ suæ Archiepiscop. postulabant: simul etiam Octauianum Cardin. Legatum, multarum rerum insimulabant. Relecit hæc omnia facile Otto Vicecomes, ostendens, quanta mala Apost. sedi per Turrianos illata sint: dum falsa opinione de eligendo Archiepiscopo imbuti, Romanorum Pontificẽ suo iure deturbare niterentur: neque totius solummodo Italiæ Imperium, sed Ecclesiastica quoque iura animo concepissent, eoque superbiæ nimia licentia, & fortunæ proximorum temporum blandimento peruenissent, vt iam ipsum Pontificem Christi vicarium, & Christianæ fidei columnam, non secus ac quemuis sacerdotum gregalium spernerent: huiusque rei argumentum Otto adducebat quod ipsum ad capessendum sacerdotium ex authoritate, & Imperio Pontificis venientem, non vt præsulem à Romano Pontifice & creatum & missum, sed tanquam hostem aliquem armis atque bello excepissent, nihil magis quam sanguinem suum velut rapidissimę feræ inquirentes: præsertim cum is ipse nihil aliud, quam libertatem & quietem publicam iuxta ac priuatam, iussu Pontificio curandam tuendamque suscepisset: eo tempore cum à Turrianis nobilium Mediolanensium plurimi eiecti pulsique, ob nullam aliam culpam fecissent, nisi quod sæuæ tyrannidi & crudelitati tum denique auaritiæ & furori illorum obstitissent, quod diripere innocentum bona non sinerent, quod imbui inexplebilem ingluuiem miserorum sanguine non paterentur. Inuectus postea Otto in eos exclamabat, quod humanitatẽ omnem Turriani exuissent & feras quoque ipsas crudelitate ac feritate superassent. Nam tygres ipsas, ait, vt reliqua omittam, quibus nihil dedit natura in terra ferocius, feruntur & parcere similibus & mutua consuetudine frui: interdum constipatæ velut acie in dissimilia ferri: nunquam in genus suum sæuire. At vos, inquiebat & exprobrabat, sæuissimæ viperæ exactis nobilibus, quorum præsentia immanitati vestræ obstabat miseram plebem olim pellectam lenociniis in partes, dum quod intendebatis efficeretis, nunc patronis destitutam ac nullo vindice,

OTTONEM ARCHIEPISCOPVM LIBERATVR.

pro

pro libidine vestra exagitatis. Facto dicendi fine Otto Archiepiscopus, quidam ex proscriptis militibus, qui in expugnatione turrium quamuis grauiter sauciatus euaserat, tamen excipiens sermonem, Turrianotum tyrannidem ac crudelitatem grauiter accusauit: totamque huius sceleris inuidiam, in Carolum Regem Siciliæ referre conatus est, velut ab illo patrata, quæ à vicario suo Embarta commissa fuerant. Ea res vel maxime Pontificis animum à Turrianis auertit. Itaque apertissime confirmauit, non prius sententias in Turrianos latas se recisurum, quam iureiurando astrinxissent, se Pontificum ac sedis Apostolicæ iussa obituros. Istud cum Cardinales quoque æquum esse confirmassent, Legatus Turrianorum, cum non aliter impetraturum se absolutionem perspiceret, nec contemnendam Pontificis potestatem existimaret in leges datas publico nomine iurauit. Ad eum modũ impetrata venia, Legati ad propria redierunt. Clemens autem Pontifex ad Ottonis preces vnum ex Cardinalibus Legatum creatum Mediolanum destinauit, qui & Ottonem in Archiepiscopali sede collocaret: & Turrianos à censuris exsolueret, & Mediolano sacra restitueret interdicta.

† Eodem anno Clemens Pontifex D. Hedvvigem Sanctis ascripsit diuulgato isthoc diplomate.

CLEMENS PAPA QVARTVS. DILECTIS FILIIS Archiepiscopo Geneznen. & eius suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1267.

EXultat cunctorum fidelium pia mater Ecclesia noua laudis, ex intimis iubilum productura, ex eo quod declinante mundo ad vesperam, tanquam inæstimabilem margaritam inuenisse fortem dignoscitur mulierem, cuius constantis animi munimenta, nec aries ex aduersis impulsus euntib. quatere potuit, nec ab illo ipsam auertere quod in mentis vtero digne conceperat proposito sanctitatis. Sed cum inuentionem difficilem sapiens asserat huiusmodi mulieris, quænam sit illa deducatur in lucem, & habeatur eius notitia, ne ab hominũ ignorantiæ nebulis notione subducta, laudũ defraudetur præconiis, quibus per mundi climata, est suis vbilibet meritis attollenda. Non enim quam tantæ virtutis titulus illustrauit, decet amplius occultari sub modio, quodq; teneatur in abditis, quã diuina meritorum cumulo benignitas sic prouexit. Nec enim fortium mulierum voluit antiquitas obliuisci, sed supra cãdelabrũ virtutis & gratiæ sic posuit, & erexit easdẽ, quod ipsarum memoriam, edax non potest abolere vetustas & quæ aliorum bona grauiter inficit fascinatio denigrare. Hinc Iudith & Iabel, quæ Olofernem, & Sisaram virili dextera peremerunt, suorum claritate gestorum, ipsa deputauit perpetuis antiquitas monimentis, vt quæ antiquis vtilitati fuerunt, esset deinceps ipsarum prorogata memoria posteris in exemplum. Propter quod ne ipsi antiquitati quæ sollicitudinis manum vt posteris ipsis proficeret à laboribus non subduxit, quæque vt nobis disciplinæ ac morum relinqueret instituta, noctis obseruauit excubias, dissimiles iudicemur, dignum duximus quæ sit mulier ipsa, & quid egerit expressius aperire, vt id eos minime lateat, quos in sinceritatis proposito, pia reddit deuotio studiosos.

Et quidem ipsa est piæ memoriæ sancta Heduuigis, cuius per sanguinis deriuationem natalium claritas sic refulsit, quod ab iis qui sceptra gestarunt Regnorum quosq; insignes effecit Imperii celsitudo, tanquam propago generosa processit, radiis nobilitatis plus splendoris adiiciens ex se ipsa, quam sibi vnde originem traxerat prouenerit ex radice, pro quo si secundum carnem, & mundum gloriandum fuerat, merito potuit nullo blandiẽte mẽdacio gloriari. Sed cum huiuscemodi gloria plerunq; virtutis prospectũ euacuãs, in elationis præcipitet vitium, quos exaltat, vt in eius pectore virtus Christi per gratiam redundaret vberius, non in ea quæ est carnis nobilitas, sed in suis duntaxat infirmitatibus gloriam assumebat, aduertens fructibus diuinæ dilectionis nequaquam destitui, nec munere supernæ benedictionis illos fraudari quos salutifera infirmitatis acredine à patre contingit beneuolo visitari.

Porro dũ puerula fuit, vix quicquam puerile gessit in opere & productioris ætatis tempore succedente, ne aduersario vlla occasio maledicti suppeteret, cum claræ mem. Henrico Duce Poloniæ matrimoniũ duxit legitime contrahendum, in quo tripartitum bonum coniugii salubriter conseruando, sic prudenter se gessit quod thori fidẽ inuiolatam custodiens, & prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso Duce, cui non præcipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhæsisse iudicio creditur rationis, quousq; est assumptus de medio, per separationis iniuriam non diuertit. Licet vt orationi, & contemplationi vacarent deuotius, thorum ex pari voto & consensu vnanimi per multa annorum curricula habuerint sequestratum, cum creatori suo minus obsequi valeat ad plura distractus animus, & viro placere cupiens mulier, in his quæ Dei sunt interdum segnior habeatur.

Ipso deniq; Duce Christianissime prout asseritur spiritũ exhalante, protinus ad illius cuius pulchritudinẽ sol & luna mirantur, tanquam libera & à lege viri terrestris soluta, familiare consortium amplius aspirauit. Sed cum non inueniatur in terra suauiter viuentiũ, cetumq; malignãtium detestetur, vbi potuit (cum totus mundus in maligno sit positus) reperire? Vbi eum quæsiuit? Vbi illum inuenit, cuius desiderio languitur? Et quidem dum difficultatem inueniendi attenderet, & nõ posset non quærere quem amabat, fluctuabat nimium ipsius animus, & inter perplexitatis scopulos vehementius iactabatur. Vrgebat nãq; amor quærere, sed difficultas inueniendi quærendum, interiectis obicibus suis finem propositi retardabat. Sicq; dum in ancipiti teneretur, sacræ demum scripturæ relatibus, est eius auribus cælitus instillatũ, quod inuenitur in campis siluæ, & est cum simplicibus sermo eius. Tunc sollicita discurrere cœpit indagine, & perquirere tota mẽte vbi sunt isti campi quos sua Deus præsentia sic illustrat, & in quibus illa viget simplicitas quæ digna diuinis affectibus perhibetur. Sed qui dat intelligentiam spiritus, ei nutanti confestim occurrit, & nodum cuiuslibet dubietatis dissoluens, campos syluæ, loca religionis explicuit. In quibus tanquam in mundo non sint, quæ mundi sunt non aguntur, sed tanto quod optabat in eis reperitur facilius, quanto à tumultibus seculi amplius secernuntur. Hinc sancti Spiritus vnctione (cuius est docere de omnib.) taliter erudita, casti amoris suffragante vehiculo, ad Monasteriũ Trebnicien. Cisterciensis Ordinis eo celerius trahitur, quominus terrenis affectibus aggrauatur in cuius quidẽ Monialibus intentionis simplicitas, vt mentis puritas sic placebant, quod cum eis esse, diuina clementia credi poterat suas delicias deputasse. Et licet quæ regularis disciplinæ fuerant quantum suo licebat statui præ cunctis monialibus obseruaret, votum tamen professionis emittere, & renunciare proprio renuit, nõ ob aliud (prout fertur) nisi vt haberet vnde palmam porrigeret inopi, & aperiret munificentiæ dexteram indigenti.

Inuento itaq; ibi quẽ quæsierat anima sua, floridum in conscientia sibi protinus lectum parat, & ex suaui contemplatione, tanquam ad eius amplexus admissa, haustu nouæ capta dulcedinis ex tunc amarum censuit, quicquid calix propinat aureus Babylonis. Dedignabatur enim tanquam eius inebriata amore, loqui seu audire de alio quam de ipso, munera venerabatur ipsius & diligens eius amicos, & ad ipsius se nutũ componens, non creditur quam adimplere prorsus studuerat eius scienter transgressa postmodum voluntatem. Sed qui Euam omnium matrem seduxerat, similem matri filiam existimans inuenire postquam mundum ab ea contemni, & conculcari præsensit, fraudis ordiebatur commenta, virus iniquitatis fundebat & acuens vitiorum sagittas, ipsam conabatur peruertere, cui cœlestibus inhærenti vnde ipse corruerat, inuidebat. Quia tamẽ frustra rete ante oculos iacitur pẽnatorum, cum ipsa eius nouisset astutias, parum illius insidias proculdubio formidabat. In sublimiori enim quam vallo virtutum munierat arce fœliciter se tenebat, vbi velut diuino fulta præsidio ipsum inimicum prostrauit, castra subuertens ipsius, & eius machinamenta despiciens, telũ minime timuit, quod inimicus ipse ad perdendum hominem de pharetra sæpius impietatis educit. In hoc apparẽs prædictis mulieribus eo fortior, atq; præstantior quo magnificentius est spiritualem quam temporalem hostem prosternere, & triumphi gloriã de ipso finaliter reportasse, cum plures velut per eum seductorũ legamus pectora deputasse delictis, qui terga visibilibus hostibus nõ dederunt. Sed vbi peccati fomes? vbi carnis fragilitas, & domesticus inimicus? Nunquid cessit certamini? pugnare renuit? & cum ipsius sanctæ mulieris congredi spiritu dubitauit? Non enim in hoc mortali corpore prorsus potest extingui, sed latens in medullis, serpit in carne, furit in venis & in vitiorum insaniam nisi cohibeatur erumpit. Quod vtiq; ipsa prudẽter attendens, vigiliis & ieiuniis quasi assiduis, & vestium asperitate.... velut temperantiæ vomere sic corporis terram excoluit, quod vitiorum spinas & tribulos, tanquam ipsi subacta spiritui non produxit. Cumq; corporis sui ager tanta sollicitudine cultus, & fructuum honestatis fuisset vbertate refertus, ipsum Deo hostiam obtulit in suauitatis odorem concupiscentias eius mortificans & non carnem, quia profecto non esset cum ratione obsequium, si quis ad interemptionem corporis niteretur, & de ipso fieret hostia quæ non viueret per naturam.

Postremo in omnibus iis ei non defuit, quæ est lima & auriga virtutum prudentia, sed cuncta per eam sic promouit & direxit gerenda, quod nec excessus in modo nec in ordine fuit error. Quid enim fuit prudentius quam gratis obsequiis cœlestis Regis thalamũ promereri? Quid seriosius, quam momentaneis æterna, & temporalibus sibi mercari diuina? Si enim Abigail prudentissimam scriptura commemorat, quia Dauid quem sermone diserto prius placauerat irritatum, est per interuentum connubii coniux effecta; quanto ista ea debet censeri solertior

quæ

quæ & sponsæ Christi meruit fieri, & orationum fragrantia, quibus se dederat incessanter, ipsum pronum fecit ad gratiam pronocatum interdum delinquentium excessibus ad vindictam?

O virtutum forma, pudicitiæ titulus, naufragis portus, & in via morum errantibus semita veritatis. O vas admirabile, opus quidem excelsi, quod in terris Deus constituit, vt iis qui recto sunt corde foret sinceritatis speculum vita eius. Nam illius fuit humilitatis dum viueret, quod per illum modum pauperum se deputauit obsequiis, quod eis flexis interdum genibus, vita necessaria ministrauit, & manum leprosis ex voto compassionis exhibens liberaliter erumpentia saniem ipsorum vlcera nequaquam abhorruit. non morbi contagiosi formidauit periculum, sed quo sedulitatis studio quo ad Deum & proximum ipsam amplius vis vrgebat amoris eo dictorum leprosorum subsidiis accuratius se inflexit, ita quod vbi producebantur huiusmodi vlcera, continuo viscera pietatis tanquam ipsorum infirmitate induerent, soluebatur in ea.

Illius quoq; in omni sinceritate deuotionis permansit, quod ex aqua cum qua eiusdem Monasterii moniales lauerant pedes suas, tanquam per ipsarum contactum aliquid eis sanctitatis ineesset, faciem sibi & oculos sæpissime aspergebat.

Diuinis officiis & missarum præsertim sic attente vacans solemniis, quod à solis ortu vsq; ad meridiē ab Ecclesia dum huiusmodi dicerentur officia non discessit, non torpore languida, nec accidiæ quantū̄ perpendi poterat malo interim fatigata, nec tamen sessionis cum huiusmodi solemnia cantarentur, quin eam existimet se dedisse quieti, cum tunc vel staret erecta vel curuato poplite oraret reflexa.

Cuius vero in obitu quondam Henrici Ducis Slesiæ vnici nati sui patientiæ fuerit, non est prætereundum silentio, cum id Deum timentibus delectabile sit audire. Ingressus enim est ad ipsam doloris bajulus, veste lacera vultuq; demisso, & eius singultu sapius interrumpente sermonem vix quomodo idē Dux vir vtiq; gloriosius tartaricæ gladiis feritatis occubuit, exprimere potuit huiusmodi singultib. impeditus. Quo tandē audito ipsa non contraxisse faciem, non emisisse suspiria dicitur, sed exultāte spiritu protinus respōdisse. Gratias tibi ago Domine Deus, quod talem mihi dare dignatus es filium, qui nullis vnquā mihi molestias ingerens, me semper honore coluit, filiali affectione dilexit, & licet ipsum dum viuo letarer habere præsentem, ei tamen in hoc congaudeo, quod per viam martyrii suo meruit redemptori coniungi, ipsius itaque animam tibi suppliciter recommendo. O verbum acceptione dignissimum, & monimentis perpetuis solemniter annectendum!

Sed pro Deo quid fecit in casu tam flebili, vbi tota patria sua orbitatem deflebat, non eam mœrore affici & fletibus non perfundi, nisi quod ipsum præmissum nouerat non amissum, & vt matribus in morte filiorum immoderate mœrentibus, esset efficax medicina doloris & consolationis exemplum.

Deniq; cum spirituali certamine vincenti in præmium debeatur corona, volens ipsam eidem reddere iustus Iudex, quam mundum carnē & diabolum superans sibi debitā fecerat, tot triumphis ipsam suis stigmatibus insignitā corporis mole deposita, vocauit ad patriam, illa sibi Regni corona concessa, quæ non marcescit, non tollitur, nec arescit, sed fœlicem perenniter efficit quem fulgoribus gloriosis insignit. Non enim tempori quod corruptionis est causa subiacet hæc corona; cui semel conceditur, postmodum non auferetur, cum ea sic concessa non posit ingratitudo cōmitti, quæ est causa sufficiens muneris reuocandi. cumq; semper inhæret fonti vitæ nunquam deponit virorem, nec dispendis ariditatis afficitur, cū sine intermissione irriguum participet talis fontis. Quis nō ad hanc venire festinabit coronam? Quis labor, quod onus, quæ tanti non leniget præmii magnitudo aut quæ ad præsens amaritudo tā vehemens, tā molesta, quæ tantæ remunerationi non dulcescat stipendio? O fœlicem feminam, quæ hanc coronam obtinuit, quam bonorum omnium exhibet retributor. Regalit itaque diademate sic insignis cœlesti regnat in patria, nō immemor exulum suspirantium ad ipsam cū lachrymis, quos suis adeo beneficiis consolatur, quod suorum interdum reatuum veniam & languorum percipiunt eius patrocinio medicinam legitime in hoc mundo certantibus. quod quidem subiecta declarant euidenter miracula, pauca ex multis ad præsens electa tanquam validissimis & indubitatis testimoniis proculdubio comprobata.

Nam puer quidam fuerat casu fortuito delapsus in amnem, quo per alueum ligneum sub rota molendini dum volueretur deducto, stetit ipsa rota, reuolutionis officio propter hoc impedito, & dum ab iis qui ipsius custodiæ præerant molendini cur istud accideret exquireretur diligenter, ipsorum depuero offertur aspectibus quæ super aquæ verticem pedum extremitas ferebatur, & licet compassionis spiritu suggerente, ipsum de aqua vbi per horam & amplius sic stetit immersus deducere voluntur, eis tamen rota magnitudine obstitente, perficere nequeunt, quod ex officio pietatis intentant. Sed vt ars virium suppleat ingeniosa defectum, rotam ipsam quibusdam artificiose instrumentis adhibitis, cum puero sursum trahunt, cuius corpus sic erat ob ipsius magnitudinē rotæ compressum, quod in ea parte qua venter dorso dignoscitur adhærere, redactū id iudicent ad spissitudinem palmæ manus, cumq; attritum, gelidum, & nimio esset rigore protensum, ita quod ipsum examinem testes asserrent proculdubio extitisse, ipsius sanctæ nomine suppliciter inuocato, vita sic redditur puero, quod suis mane diei sequēti nullo in eo perdurante lasionis vestigio, pedibus ambulauit.

Fuit etiam quædā nobilis mulier, quæ propter vehementē, & diutinam cephalicā passionem, illam caligine incurrerat oculorū, quod eorum intuitu defectiuo, manus eius non poterat comprehendi, & cum ope medicorum sibi succurri non posset, ad ipsius sanctæ sepulchrum adducitur, vbi munere protinus sanitatis adepto, recidiuæ passionis molestiam postmodum non incurrit.

Alia quoq; mulier fuit, quæ neruis contractis pedes per annū habuerat inhabiles ad progressum cuius ita vterumq; femur computruit, quod vermibus inde nascentibus erat expositū corrodendū. Cumq; ad ipsum tumulum suffragio fuisset amicorum portata, inde sana sustentationis alicuius subsidio, in domum reuertitur non aduita.

Insuper quidā fuit, qui tantam à puero grasilitatē habuerat tibiarum, quod vix cannæ grossitiem excedebant, & idcirco nec ire poterat, nec standi etiā super eas habebat aliquam facultatē, & tamē se ad eius sepulchrū appodians eiusdē implorato subsidio reuerenter, prius quidem nō absq; timore sed procedente tēpore tibiis solidatis & ad debitā quantitatē perductis, omni trepidatione semota, libere atq; secure per rexit.

Alia quoq; mulier fuit quæ manuū, pedū & linguæ erat prorsus imminente paralysi officio destituta, sed quā cito ad locū, in quo ipsa sancta fuerat tumulata defertur, in integrū suscepit sanitatem, & ad illa restituitur euidenti miraculo quibus eam prædicta priuarat egritudo.

Fuit etiam quidam nobilis, qui biennio & amplius à lecto ægritudinis non fuerexit, ex eo quod paralysi in dextera corporis erat parte percussus, quæ tegmine pellis amoto, plena remanserat foraminibus cancerosis, & cū effectum cuiuslibet medicinæ morbi excederet magnitudo, ad tumulū ipsum manibus amicorū portatur, vbi in lachrymas resolutus, sanitatem ad plenum fletibus impetrat, quam ei medicina conferre, etiam periti medisi studio non valebat.

Tam variis itaq; morbis non dissimile, sed vnū paratur antidotum, & remediū singulare, quod ex deuotionis & fidei puritate cōficitur ad salutem quod euangelica mulier, & rex ille cuius orationem audiuit, & lachrymam vidit Dominus in suis infirmitatibus sunt experti cum fides illam saluauerit, & ad augmentū dierum sibi sanitate indulta cū lachrymis oratio alterius sit admissa. Hinc regnat virtus, vitium exulat, & accrescente merito eliminatur pietas. Sed vbi Prouincia Poloniæ tantis decoratur muneribus, eius pretiosi corporis ditata thesauro, quid apud Deum fauoris & gratiæ sibi poscenti poterit denegari, ex quo apud ipsum talis aduocata meruit præsidio confoueri? Quod enim Polonos ipsos sito susceperit patrocinio promouendos, hoc sit eis in signum, quod ipsis reliquit in pignus, corpus ipsum, sti videlicet spiritus indumentum, nec tamen per hoc credatur sic eam Polonorū esse patronam, quod aliorum vota fidelium non promoueat coram Deo, cum in patria nunc perfectus habeat, quam habuisset dum viueret, & tunc tamen diffusam ad omnes obtinuit charitatem.

Sed dū tot panduntur miracula, crebrescunt signa, & beneficia cōferuntur, nō potuit non feruere populi fidelis deuotio, nō clamor arceri, quin in Mūdi notitiam expediti adduceret labiis supradicta. Sicq; vos & nobiles viri Duces eiusdem Prouincia ipsius populi clamoribus vehementius excitati, ne Dei magnalia supprimendo videremini digne deingratitudine posse notari, vna cū dilecta in Christo filiabus Abbatissa & Conuentu eiusdē Monasterii, in quo cū illa quæ decuit honorificentia est reconditū corpus eius, fel. rec. Vrbano Papæ prædecessori nostro rē in præmissis gestam, prout veritas postmodū est cōperta curauistis exponere seriatim, deuotione supplici & instantia nō remissa petentes, vt sanctam ipsam quā vitæ & miracula beatorū Collegio pronunciauerāt aggregatam, inter sanctos cæteros celebritate faceret sōgrua venerari.

Et quidem licet vestræ deuotionis sinceritas in petitione petitionis huiusmodi in eo quod sic porrigebatur commendabilem se præberet, oportuit tamen non præcipiti festinatione, sed decenti adhibita procedere grauitate. Quod idem prædecessor diligenter aduertens, per venerabilē fratrem nostrum Vratislauien. Episcopum, & dilectum filium fratrem Symonem Priorem Prouincialem fratrū Prædicatorum Poloniæ Boemiæ primo, & huiusmodi ad eos negotio remisso secundo de præmissis inquiri mandauit diligentius veritatem.

Cū itaq; per inquisitionem taliter factam, & ad Apostolicam per ipsos Episcopū & Priorem postmodū sedem remissam, & ex fideli relatione Venerabilis fratris nostri N. Tusculan. Episcopi, cui per ipsum prædecessorem fuerat examinatio inquisitionis eiusdem commissa, de ipsius sancta vita sinceritate & veritate signorū constiterit euidenter, nos post

multam deliberationem cum fratribus nostris prehabitam prout tanti negotii exigerat magnitudo, ipsam quā contempto obsequii sui fastu, despecta magnifica domus reuerentia & calcato fastigio potestatis, ad inopis claustri pro Christo se inclinauit angustias, vt cunctis esset humilitatis exemplū, tam de ipsorum fratrum, quam Prælatorū, qui tunc apud sedē morabantur consilio eandē sanctarū Catalogo decreuimus adscribendam, immo verius denunciauimus tam adscriptam.

Cæterū etsi ad omnia sufficiat Dei filius Iesus Christus, tamē voluit in operepietatis plures homines habere consortes, quia licet solus obtineat quod alii non merentur, non tamen apud Patrem pro nobis solus est aduocatus, immo cum Christo & per ipsum iustorū omnū qui nos in Regno præcessere cohortes, iuxta quod legitur multa ei data incensa, quæ sunt orationes sanctorū, vt super altare aureum ea in conspectu Altissimi adoleret, sed cum ex assiduo lapsu mortalis infirmitas huiusmodi orationum suffragiis iugiter indigeat adiuuari, vt subsidium ei magis acceleret, debet per imitationis exemplū, & obsequii seruitutem ipsos sanctos deuotius reuereri. Vnde ne agat istud quod eius saluti expedit negligenter, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus festum ipsius sanctæ Idibus Octobris die videlicet quo de via migrauit ad patriam, & de mundanis transcendit finibus ad coronam, attenta deuotione celebrare curetis ac faciatis per vestras Ciuitates & Diœceses à Christi fidelibus solenniter celebrari.

Cupientes itaq; sepulturam ipsius, qua tam euidentibus signis rutilare dignoscitur, congruis honoribus frequētari, & ad fideles ipsos muneribus illectiuis induci, omnibus verepœnitentibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius auctoritate confisi, vnū annū & quadraginta dies accedentib. vero ad prædictā sepulturam infrę eiusdē festi octauas, centum dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Viterbii septimo Cal. April. Pontificatus nostri Anno 3.

XV. Hocanno Gondogodar Armeniā ingressus hostili exercitu Christianos persecutus, multos eorum interfecit.

XVI. CAROLVS CVM MARESCHALLO ET GVELPHI A CONRADINO CÆDVNTVR. *Blon. dec. 2. lib. 8.*

Eodem anno Carolus tum in Campania, tum in Etruria plurima nō infeliciter rem tauit. Clemens Pontifex in Senēses anathema protulerat, eo quod omnibus Pontificiis eiectis Conradinū Luca venientem intra mœnia summo cum honore admisissent. Insuper & in verba eius iurassēt, & auxilia ei non contēnenda addidissent. Carolus itaq; Mareschallū (ita Ductores exercitus Galli appellant) cū equitibus quingentis iussu Pontificio mittens, Guelphos illū Florentia extorres Guidone Guerra Duce aduersus Senenses Pisanosq; ducere iussit. Secuti sunt Florētinos extorres cæteri de Hetruria Guelphi, qui Carolo militabant. Ad primā accedentis regii equitatus famā, in Hetruria disseminatam Gibellini Florētia demigrarunt, & Pontificii successerunt. Senas in primis cupiebat Mareschallus oppugnare: sed cohortē ad Sanctillarū agri Florentini castrū conuertere coactus est. Eo.n. tempore, quo Guelphi ad Florentiā congregarētur Gibellini inde extorres, vna cū Pisanis Sanctillarū & ad proxima castra conuolarant: animo in Florentinos vnanimi manu depugnandi. Destinatā itaq; in Senenses primam expeditionē, Mareschallus sub vltimæ cohortis regiæ aduentum differre compulsus, in Sanctillarū duxit, leuique commisso prælio Gibellinos dissipauit; nec tantū istud, sed & alia plurima castra de Gibellinis recepit. Cæterum cum Florentini, vel ex leuissimis suspicionibus, in eos quos Gibellinæ factionis esse existimassent, desquirent; & ex causa multa seditio inter eos oriretur, Mareschallus nomine Pontificio & Regio illuc properauit, belli semina iā pullulantia in herba oppressit, duodecimq; ciues administrandæ vrbi, quos Capitaneos vocāt præposuit. His ex authoritate Pontificia & Regia, potestas attributa sine prouocatione omniū maxima, vt quicquid facerent, iuberēt, decernerent, sacrosanctū in Florentino haberetur, manstitq; in multas ætates ea potestas, censoria tamen magis, quā iuris ad quod creata fuerat distributiua, quod ciues aliquādo non vllā aliam ob rem, quam quia Guelphi vel Gibellini viderentur, pro hostibus habiti, quidā dignitate & reipublicę administratione priuati sunt. Senas postea exercitū Mareschallus promouit, sed non nisi excursionibus factis agrū cæde & igne fœdauit. Nā Pisani, Senenses & Florentini simul iuncti, ad Bonitium oppidum Senas inter & Florentiā medium natura loci munitissimum, & partium Conradini cupientissimū confluxerant, illoq; molem belli Hetrusci, à Senensi ciuitate deriuarant. Diu illuc à Guelphis certatū, sed nihil effectū. Nam

Conradinus opportune aduenerat, atq; vires obsessis addiderat. Interim enim Conradinus agrum Florentin. vastare aggressus, Mareschalli res distraxit, & Arretium detraxit. Eo namq; Conradinus inclinauit, vt ciuitate expugnata, vniuersa Hetruria potiretur. Ibi cū eius exercitu Mareschallus congressus, facta in Guelphis & Gallis illum comitantibus ingenti cæde, & quasi omnibus copiis amissis, & ipse quoq; occubuit. Neq; dubium fuit, quin si moram vel paruam fecisset Conradinus Aretium primum post omni Hetruria potiturus esset. Sed trahebat illum Henricus, vt in citeriorem Italiam properaret. Videbat namque Siculorum & Neapolitanorum animos in eum iam inclinatos.

XVII. INCÆNIA DOMINI ET DEDICATIONE BASILICÆ S. PETRI CONRADINVS EXCOMMVNICATVR. *ex Ptol. 17.*

Dum hæc in Etruria agerentur, Clemens Papa trepidus aliquos ad Conradinū præmisit, qui eum à suscepto itinere reuocarent; & si reuerti recusaret, disciplina Ecclesiastica deterrerent: sed surdo narrabant. Animose enim preces & mandata Pontificis contemnens, vlterius exercitū promouebat. Quamobrem coactus fuit Clemens die Cœnæ Dominicæ & postea die dedicationis Basilicę S. Petri in contumacē illum anathema distringere: rorum; rei causam, & ordinē Regi Carolo & vniuersis significare. *Vit. XVIII. Cal. Maii.*

XVIII. COMITEM SPANHEIMENSEM REBELLEM PRÆLIO FVNDIT MOGVNTINVS.

Eadem tempestate Vuernherus Comes Falckensteinius Moguntinæ præerat Ecclesiæ, dignus qui in memoriam reuocetur, propter defensionē iurium ac bonorum Ecclesiæ. Io. Comes Spanheimius ipsum bello imperierat, atq; illius diœcesim inuaserat: animo iniquo, iura & bona opprimendi. Monuerat, obsecrauerat q; hominē Vuernherus, ne se eo sacrilegio impiaret, neve raptu & sacrilegio, pœnam in se Ecclesiasticam, vna cum diuina vltione accerseret. Frustra ii conatus cedebant. Itaq; hostis insolentia pronocatus, etiam copias contrahere, atq; in aciem procedere habuit necesse. Magna tunc Michaelis cuiusdā lanii Critznachiens. animi & corporis fortitudo enituit. Nā is inter reliquos, Antistitis primipilos, facile primus, alios hostium viros formidātes, animose ad cōgressum hortatus est. Cum q; prælium initretur, atq; res Eccl. magno in periculo constituta esset: Mich. sua sponte ad primos ordines accessit, in hostem profiliit, atq; vndequaq; strages faciendo, triginta hostium primus sua manu, neq; line prodigio, neque sine diuino adiutorio, confecit. Vnde reliquis eius fortitudinem conspicati, aliis relictis hunc vnū armis petendum duxerunt. Interea Moguntinis sese recreandi spatium datum, qui Michaelis exemplum secuti, hostesque aggressi, insignem victoriam adepti sunt. Michael tamen in medio hostium depugnans fortiter occubuit. *Anon. Archiep. Mogunt.*

XIX. THOMAS CANTIPRATANVS FLORET IN BRABANTIA.

Eodem anno in Brabantia floruit, Tho. Cantipratanus D. Dominici institutum professus, B. Alberti Magni discipulus. Ab hoc in Ord. Præd. tantā eruditionem acquisiuit, vt quibuscunq; doctissimis posset conferri, Græce & Latine doctissimus, & tum Philosophiæ, tum Theologiæ scientiæ apprime eruditus. Is cum intelligeret, quorundā nouis argutiis bonos authores negligi atq; non fontes, verum riuulos lacustres à studiis petii, Aristotelis Stagiritę Philosophorum Principis libros in Latinam linguam trāstulit, quibus postea scholæ & monasteria vrebātur: scripsit de rerum natura, atq; de bono vniuersali. Item que librum de apibus, in quo res gestas & nonnulla mira cula sui sæculi, stylo simplici, sed veraci, partim quæ viderat, partim quæ à fide dignis acceperat, ad posteritatis memoriam reliquit. *Trithem.*

XX. CONCILIVM VIENNENSE CELEBRATVR.

Hocanno Guido Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus VI. Idus Maii Viennæ concilium celebrauit. Interfuēre, Ioannes Pragensis, Petrus Patauiens. Bruno Brixiensis, Conradus Frisingens. Leo Ratisponens. Almaricus Lauadinens. Episcopi, & alii quā plures Ecclesiarū Prælati. *Stero. in Annal.*

† Lazius paulo fusius rem narrat, totidem fere verbis quæ sequuntur.

Hocanno, Clemente Quarto ordinante, Concilium omnium Germaniæ Episcoporū Viennæ in Austria celebratum est. Præfuit illi Guido tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, in Germania Legatus. Interfuit & Ottocarus Boemiæ Rex & Austriæ Archidux. Præter cæteros, Aquileiensis, Salzeburgensis, Moguntinus, & Magdeburgēsis, Metropolitani cum suis Suffraganeis adfuerunt: & multa quæ ad cleri honestatem pertinebant, & dignos Ecclesiæ Christi mores, ritusq; necessaria decreuerunt. *Lazius rerum Viennens. lib. 2. c. 1.* hæc fere decreta fuēre.

1. *Clerici, ne de patrimonio Crucifixi, inimicos se faciant Crucis Christi.*
2. *Clerici, modestiam & mediocritatem in conuiuiis obseruent; ebrietatem omnium vitiorum fomitem vitent.*
3. *Concubinas, infra mensem repudient: qui secus faxit, vel ad vomitum redierit, beneficio Ecclesiastico priuetur.*
4. *Plura beneficia retinentes, vnico contenti, alia relinquant.*
5. *Vsuras, sub anathematis censura, ne exerceant.*
6. *Ne aduersus correctores morum, auxilia sæcularium, sub pœna amissionis beneficiorum quærant.*
7. *Monasteria à loci ordinariis visitentur, corrigantur, & reformentur.*
8. *Prælati, sub pœna amissionis fructuum, in Ecclesiis personaliter resideant.*
9. *Laici, sub amissione iuris patronatus, ne beneficia Ecclesiastica conferant.*
10. *Laici, decimas omnium tam antiquas quam de noualibus, maiores & minutas persoluant.*
11. *In Clericos manus violentas iniicientes, cætu piorum excludantur.*
12. *Magistratus Iudæos aduersus Christianos ne foueant.*
13. *Iudæi vt dignoscantur, cornutum pileum deferant: deponentes illum, pœna pecuniaria puniantur.*
14. *Iudæi balnea, stuphas, tabernas, nuptias, nundinas, mercimonia, conuiuia, ancillarum, & seruorum Christianorum opera, commercia vitent, non ad publica officia admittantur. non teloneis præficiantur; carnes & cibaria Christianis non vendant, ne Christianos infirmos visitent, aut medicinæ opera eis exhibeant.*
15. *Fœmina cum Iudæo si commiscuerit, fustigetur, & proscribatur. Iudæus pœna pecuniaria mulctetur.*
16. *Iudæi, ne nouas Synagogas ædificent: neminem ad Iudaismum sollicitent, neminem suorum à Christianismo auertant.*
17. *In sacræ delatione Eucharistiæ, audita campanula, intra ædes suas se concludant, nec sacrasanctam Eucharistiam aspiciant.*
18. *Qui deliquerint, seuerius à Magistratu puniantur.*

Fere eodem tempore istud accidit, quod adiungo.

In oppidulo Romæ vicino (Mollarium appellabatur) Cardinalis Ricardus, quietis causa permittentibus negotiis habitabat. Eius aliquando hospes Diuus Thomas Doctor Angelicus, cum duobus pertinacissimis Iudæis certamen iniuit. Messiæ aduentus asserendi, quem Christum esse, qui pro nobis mortem oppetiuit, & præterea neminem, fortibus euicit argumentis, ex quibus se illi Rabbini, quamuis docti expedire non poterant. Quibus ad nobiliorem veritatis triumphum datum est vt vnius diei spatio sese ad respondendum compararent. Discedunt illi fracti abiectiq; pudore, datasque accipiunt inducias, vt vel nouas rationes excogitent, obfirmato errori tuendo, vel vt de salute quærenda deliberent. Interea Thomas veræ religionis causam & Hebræorum sanitatem Deo veritatis & salutis authori, atque eius matri sanctissimæ precibus sollicitis commendabat. Die postero ad Cardinalis aulam Iudæi reuersi, positis armis Thomæ cesserunt, & baptismum postularunt. Et quidem Thomas virginem inuocarat, quam ad postulata omnia interpretem atque adiutricem adhibebat, suumque præsens numen maternis precibus exoratus rebus & nouis & mirabilibus præpotẽs Dei filius ostendebat. Quid enim quæ Deum peperit, illa non impetret? Ergo paucis ante suum obitum diebus, ausus est Thomas affirmare, *nihil se vnquam hac adhibita internuncia ab immortali Deo precibus contendisse, quin facile consequeretur.* In vita S. Thomæ Aquinatis.

XXI. SANCTITAS ET MIRACULA S. SYLVESTRI ABBATIS ET OBITVS.

Fabriani in Piceno, VI. Cal. Decem. in cœlum translatus est S. Syluester Abbas. Is Auxini in Piceno, non obscuro loco natus, olim adolescens sæculi huius voluptates secutus est. Cum autem quadam die sepulchrum in quo adolescẽs quidã nobilis, diues & elegans humatus fuerat, introspexisset, & ossa illius conspexisset, sic perterritus fuit vt secum diceret. *En ego sum, quod hic fuit, & breui ero quod hic est.* Inde reuersus domum, & superioris vitæ institutum dolens, magnam vim lacrymarum profudit: moxque patria & suis omnibus relictis se in solitudinem apud Fabrianum contulit. Vbi in summa vitæ asperitate diu commoratus prioris vitæ maculas abstersit, ac breui tempore fama sanctitatis peruulgata, multis ad se pertractis discipulis monasterium construxit, & congregationem, quæ ex eo Syluestrina dicta est, instituit. Is multis viuens claruit miraculis: in quibus illud inprimis memorandum, quod saxum immane, quod plurimi machinis dimouere nequiuerant, adueniens ipse solo signo Crucis adhibito facile mouit. Eodem signo Crucis cœco cuidam lumen restituit: Cum vinum cisternam eiusdem monasterii construentibus deficeret, aquam afferri iussit: quam signo Crucis benedictam, mirabiliter in vinum conuertit: quod & Cinguli in nosocomio fecit. A quodam ciue Fabriani contumeliis & verberibus affectus, quod illius filium ad habitum monasticum admittere noluisset, non solum patienter tulit, sed & illius manum qua percussus fuerat, leprosam diuinitus effectam, postquam resipuisset, mundatam restituit. Spiritu quoque Prophetiæ clarus, multa futura prædixit. Cumque institutum suum optimis legibus communisset, tandem laboribus & ætate confectus, anno ætatis 90. ad Dominum migrauit. Ad eius Corporis contactum, claudi duo repente sanati sunt. Prodigium etiam accidisse, post eius mortem ferunt. Hoc est, sanguinem ex digito alterius pedis triduo postquam è viuis excesserat, mirum in modum profluxisse. Clemens VIII. Pontifex Max. illum in Martyrologio Rom. adnotandum curauit. *S. Antonin. in Chron. part. 2. tit. 15. c. 23.*

IESV CHRISTI
Annus 1268.

CLEMENTIS Papæ IV. 4. — MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 9.

I. SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS IN CONRADINVM. *Epist. 11.*

POstquam Clemens Pontifex, nec monitis, nec precibus, neque minis quicquam se proficere videret, vt Conradinum & reliquos à scelere retrahere posset, ad extremum hanc quæ sequitur sententiam, Viterbii in die cœnæ Dominicæ, contra eum & sodales promulgauit. Ita habet.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Dudum ad Apost. sedis perlato notitiam, quod Conradinus, nepos quondam Conradini Rom. Imp. inconsulte nimis & temerarie ambitionis spiritu concitatus non solum ad obtinendum Rom. conabatur Imperium, sed & sibi Regnum Siciliæ intitulare non veritus, sub eiusdem Regni titulo sibi nomen Regium ascribebat, quodque cum aliquibus inimicis Ecclesiæ diuersarum Italiæ partium, scelestos inueniens, factiones suas per ciuitates & loca varia sub præmisso typario Regiæ maiestatis impressas literas destinãdo, turbare pacem Ecclesiæ, & populum commouere in nostrum & ipsius Ecclesiæ, & charissimi nostri in Christo filii Caroli Regis Siciliæ illustris discrimen & præiudicium nitebatur. Nos in festo dedicationis Basilicæ Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Pontificatus nostri anno secundo, in hac maiori Ecclesia Viterbiens. præsente tunc multitudine copiosa fidelium de fratrum nostrorum consilio eidem Conradino districte præcepimus, vt à præmissis penitus abstineret, districtius inhibentes, ne similia vlterius præsumeret, aut quomodolibet vsurparet. Prohibuimus etiam vniuersis & singulis, ne prædicto Conradino sicut Regi Sicil. scribant, ne ab ipso literas velut à Rege, aut sub præmissis intitulatione, denominatione seu impressione reciperent, neve in eum vt in Siciliæ Regem intenderent, nec cum armis vel sine armis; facto vel verbo, aut alias quomodolibet ad turbationem Eccl. Rom. pacem vel contra prædictum Regem Siciliæ præstarent ei auxilium, consilium & fauorem. Specialiter autẽ Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Communitatibus, & vniuersalibus castrorum & villarum, & quorumcunque locorum Italiæ prohibuimus expresse, ne ipsius Conradini dominio, vel regimini se supponerent aut eum vel pro ipso, sicut in fauorem ipsius alium in potestatem vel Rectorem quocunque nomine censetur, vel ei siue alii pro ipso, aut in fauorem ipsius in se, terras seu districtus suos, dominium vel aliquod posse concederent, nec socies atem, coniurationem, aut fœdus inirent cum illo, seu etiam cum alio in suum auxilium vel fauorem: illos vero qui secus quamcunque machinationem facerent, cuiuscunque forent dignitatis, præeminentiæ, aut status, excommunicationis sententiam, quam ex tunc in eos tulimus, incurrere voluimus ipso facto: Prælatis quoque omnibus quæ diximus, quod si contrauenirent, Ecclesiasticis eos dignitatibus, prout suaderet iustitia, & reliquos Clericos non Prælatos beneficiis, si qua forte haberent priuaremus & redderemus inhabiles ad habenda Laicis etiam omnibus, ac præcipue temporali iurisdictioni Eccl. Rom. prædicta secretis aperte denunciauimus, quod si huiusmodi nostram inhibitionẽ negligenter obseruarent, priuaremus eos feudis quibuslibet, quæ ab Ecclesiis & personis Eccles. obtinerent, ac vasallos si quos haberent à fidelitatis

absol-

absolueremus iuramento, si quo tenerentur eisdem: & personas eorum cõtra mortis & mutilationis periculũ ac bona ipsorum, ita vt ea posset quilibet occupare, liceret exponere, curaremus. Ciuitates v. cõmunitates, & vniuersitates quaslibet, quæ prædictã prohibitionẽ nostram violare quoquo dolo, ingenio, arte, vel machinatione tentarent, voluimus interdicti sententiæ subiacere. Cumq; prædictus Conradinus præcepta, inhibitiones, excõmunicationes huiusmodi præsumptuose contemnẽs, & nequaquã abstinens à præmissis suos in Tuscia diceretur vicarios ordinasse, ac Siciliæ se Regem intitulans, litteris vteretur sub intitulatione, ac impressione prædictis, & vt terram in dicti Regis præiudicium commoueret, scandala suscitaret, Ecclesiæ turbaret pacem, pro Siciliæ Rege se gerẽs, velut Rex Sicil. dicti Regni partiretur, officiales statueret, multos sollicitaret, aliquos promissionib. alliceret, nonnullis priuilegia indulgeret, quampluribus etiam bona in eodem regno concederet. sicut litterarum & priuilegiorum huiusm. quæ ad manus nostras deuenerant, nos certos reddidit de prædictis inspectio: nos vniuersas & singulas inhibitiones, denunciationes, comminationes & sententias nominatas de prædictorum Fratrum consilio in die cœnæ Domini, Pontificatus nostri anno tertio, in hac eadẽ Viterbiensi Ecclesia præsente tunc multitudine copiosa fidelium, innouantes omnes illos, qui contra easdem inhibitiones, denunciationes, comminationes, temerè veniendo in prædictam sententiã inciderent, ac specialiter incolas castri sancti Miniatis Lucanæ diœcesis, qui spretis prædictis nostris inhibitionibus & denunciationibus, eiusdem Conrad. fautores & nuncios receperant, denũciauimus prædictam sententiã incurrisse, ipsos nihilominus tunc denuo excommunicationis, & castrum prædictum interdicti sententiis supponentes & prædicentes aperte, nos aduersus eos, nisi memoratos fautores & nuncios infra quindecim dies post instans tunc festum Resurrectionis Dominicæ de prædicto castro eiicerent, vt nunquam recepimus seu recepturi sumus postmodum, & à nominati Conradin. fauore omnino desisterent grauius specialiter ac temporaliter, prout fore putaremus expediens, processuros, memorato quoq; Conradino iterato de ipsorum Fratrum consilio districtè præcepimus, vt à præmissis omnino abstinens, similia nunquam vllo tẽpore acceptaret: alioquin ipsum ex tunc excommunicationis sententia innodantes, citauimus eum peremptorie, quod infra festum Apostolorum Petri & Pauli tunc primo venturum, quod peremptorie sibi termino assignauimus, per se vel per procuratorem idoneum cum pleno & sufficienti mandato Apostolico se conspectui præsentaret, responsurus super prædictis excessibus, & nostris ac eiusdem Ecclesiæ beneplacitis pariturus. Alioquin ex tunc ipsius non obstante absentia procederemus grauius contra eum, prout videremus expediens, ac iustitia postularet. Et quia eiusdem Conradini præsumptuosa temeritas, fautorumq; suorum manifestis indiciis reuelata malitia ipsos nobis tam ex causis præmissis, quam ex aliis de turbatione status Italiæ manifesta ratione suspectos: nos de ipsorum Fratrum consilio in festo Ascensionis Dominicæ transacta nouissime, in hac eadem Viterb. Ecclesia, multitudine præsente fidelium, eidẽ Conradino ingressum Italiæ curauimus inhibere districtius, eo tamẽ saluo, quod si ad nostram præsentiam infra terminum quem ad hoc duxeramus sibi vt præmittitur præfigendum, personaliter & pacifice venire vellet, mandatis Apostolicis pariturus, & super hoc nos certificare curaret tempore opportuno, ita studeremus prouidere negotio, quod sibi securus ac nostris & Ecclesiæ fidelibus, non suspectus ad sedem tandem pateret accessus. Quod si aliter contra mandatum, aut militiam, seu aliam quamcunque gentem illuc destinare præsumeret, nos tam ipsum Conradinũ, quam omnes illos qui cum eo venirent taliter vel pro ipso, nec non & omnes illos, qui eum aut venientẽ pro eo reciperent, seu ad ipsorum aduentum vel transitum eis per se vel per alium darent consilium, auxilium, vel fauorẽ publicum, vel occultũ, ex tunc excommunicationis sententia duximus innodandum, demum nos in festo Basilicæ dedicationis Principis Apostolorum pro eo quod idem Conradinus prædictas inhibitiones, comminationes & sententias cõtemnendo non solum à prædictis sibi tam solemniter, tam manifeste ac serie probibitis abstinere contempsit, se falso ac temere gerendo pro Rege Siciliæ, vtendo sigillo, intitulatione, ac denominatione præmissis, & cum persecutoribus Ecclesiæ ac Regis Siciliæ prædictorum se in diuersis mundi partibus in eorundem Ecclesiæ ac Regis præiudicium & pacifici status Italiæ turbationẽ variis factionibus implicando. Verum etiam Veronam Ciuitatem cum militia elapso dudum dictæ citationis termino intrare præsumpsit, se vltra velle progredi comminans, & ad Regni eiusdem inuasionem intendere nimis præsumptuose proclamans, alias contra inhibitiones, cõminationes, sententias prædictas temere veniendo, nos ex FFr. eorundem consilio Conradinũ eundem in Ecclesia hac denunciauimus, latam in eum per nos vt præmittitur excommunicationis sententiam, incurrisse, de nouo nihilominus ex eisdem causis excõmunicantes eundem ac omnes & singulos si qui ad se præstandum ei super præmissis Imperio seu in regno auxilium, consilium vel fauorem vinculo iuramenti constrinxerant denunciantes iuramento huiusmodi non teneri, & ab obseruatione ipsius eos nihilominus absoluentes, & si forsan in huiusmodi propositi seu obligationis persecutione persisterẽt, eos ex tunc excommunicationis sententia duximus innodandos. Memorato insuper Conrad. expresse ac districte mandauimus, ac infra mensem ex tunc computandum de Verona, & tota Italia cum omnẽ sua gente omnino descendat, nec de Imperio vel Italia, & specialiter de regno Siciliæ, aut aliqua parte ipsius in quo eum sicut per sententiã felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri, cõtra eundem annum ipsius latam in Concilio Lugdunensi euidenter constat, & nos etiam tunc declarauimus aperte ius aliquod non habere se de cætero, per se, vel per alium, introduceret, aliqua aut aliquid in his, quæ ad prædict. Imperiũ siue regnum pertinerent, contra eosdem inhibitiones nostras præsumere quomodolibet attentaret, alioquin ipsum regno Hierosolymitano & omni iure, si quod habebat in eo Apostol. authoritatẽ priuauimus, & vasallos eius vbilibet cõstitutos ab omni iuramẽto fidelitatis absoluimus, si quo tenebantur eidem. Omnes vero & singulos qui eidem Cõradino in prædictis præstarent auxilium & fauorem, & specialiter Ludouicũ Ducem Bauariæ, Comitem Tyrolis, Botum de Douaria, Manfredum Malet, qui se Comitẽ camerarium nominabat, & Conradum Trinza, quo notoriũ erat ipsi Conrad. in prædictis assistere, ipsiq; fauere, cæterosq; Marchiones, Comites, Barones & alios cuiuscunq; forent dignitatis aut status, qui eius Nuncios seu litteras contra prædictas inhibitiones contra ipsas veniendo ausu temerario receperant, seu aliàs præstiterãt eidem consiliũ, auxilium vel fauorem, excommunicauimus. Ciuitates vero & castra & cætera loca, quæ prædictas nostras inhibitiones contra ipsos veniendo contempserant, interdicti declarauimus sententiis subiacere, ac nihilominus de nouo ex eisdem causis, exigente proculdubio eorum ex tanti temporis continuatione, perfidia, sub similibus sententiis duximus innodandos: specialiter autem terram Ludouici Ducis Bauariæ, nisi Dux ipse infra duos menses exinde computando, orsus ad Cõradini eiusdẽ in præmissis fauore desisteret, Ecclesiastico ex tunc supposuimus interdicto. Omnes vero Marchiones, Comites, Barones, & alios quoslibet cuiuscunq; forent dignitatis aut status, qui eundem Conradin. eius Capitaneum vel militiam seu quamcunq; aliam gẽtem, pro ipso de cætero in aliqua parte Italiæ contra easdem nostras sententias, inhibitiones, seu cõminationes reciperet, omnibus priuilegiis, indulgentiis & gratiis quibuscunq; ab Apostolica sede obtentis, ex tunc Apostol. authoritate manere decreuimus omni officio & honore priuatos, ita quod nullus eorum in potestatem, Capitaneum seu rectorẽ, aut ad alia quæcunq; officia vel honores posset assumi, & si qui eorum forent assumpti, sententiæ latæ, per ipsos si iudices & instrumenta publica si tabelliones essent, vel si alia quæcunq; officia gererent, omnia quæ per ipsos vel eorum authorit. seu ministerio in iudicio vel extra iudicium fieri seu geri contingeret, carere omni robore firmitatis, ac nullius penitus decreuimus esse momẽti, & nihilominus personas eorum contra mortis & mutilationis periculum, nec non & bona mobilia exposuimus impune ab omnibus ac libere capienda, ac aliis etiam ciuitatibus & locis Italiæ quæ dictum Conradinum vel Capitaneum seu gentẽ contra prædictas nostras inhibitiones, comminationes, sententias deinceps reciperent, comminationes nos aperte similes, priuationes, pœnas prout foret expediens, processuros. Verum prædictus Conradinus vt ad nihilum deueniat tanquam aqua decurrens: ad sententias, monitiones, & comminationes nostras sicut aspis surda suas prorsus aures obturans, nec promissis inhibitionib. acquieuit, nec expauit sententias, nec monitionib. paruit, nec peruersitatis propositum comminationibus immutauit, sed in præcipitiũ præceps mens ex præmissis excessibus illos pro moribus continuando instituit, & quos potuit nihilominus adiecit: siquidem contra prædictas inhibitiones, monitiones, comminationes & sententias ingressus Italiam cum armatis Papiam venire præsumpsit. & in tantam furoris prorupit audaciam. quod aliquas partes imperii, nec non & deuotorum Ecclesiæ in Lombardia terras aggredi temerariæ præsumptionis conamine attentauerit, licet in ipsis sui conatus initiis & temeritatis suæ iam pro parte stipendia & arrhas confusionis extremæ quam proculdubio furibundus insequitur, exinde reportaret. Nos itaque memoratũ Conradinũ denunciantes ex causis præmissis, excommunicationis & alias latas in eum sententias incidisse, de nouo nihilominus ex iisdem causis de FF. nostrorum consilio excommunicamus eundem: denunciamus insuper eum regno Ierosolymitano & omni iure, si quod habebat in illo Apost. authoritate priuatum, & vasallos eius libet constitutos, ab omni iuramento fidelitatis, si quo tenebantur, esse penitus absolutos, & terram eius Ecclesiastico supponimus interdicto. Insuper præsente hac fidelium multitudine, dictum Conradinum aperte monemus, sibique districtè præcipimus, vt infra mensem ex tunc cõputandum, quem pro

peremptorio

peremptorio termino sibi assignamus, humiliter ad nostra & Ecclesiast. mandata redire procuret. alioquin ex tunc ipsum de praedictorũ Fratrũ cõsilio reddimus omni tempore ineligibilẽ, & prorsus inhabilẽ ad regnũ quodlibet seu Imperiũ obtinendũ, & nihilominus omnib. feudis & iurib. quibuscunq; si qua forsan à quibuslibet tenet Eccl. priuamus eundẽ. Porro supradictas inhibitiones, monitiones, cõminationes, & sententias innouantes omnes & singulos qui cõtra eas quoquo modo venerint, & specialiter praedictos Ludou. Ducẽ Bauariæ, Comitẽ Tyroli. Bosium de Donaria, Manfred. Malet, Conrad. Trinza, qui ab ipsius nõ desistere fauore. Frid. praeterea Charissimi in Christo nostri filii Regis Castellæ Germanũ, qui praedicto Conradino faudo Insulã Siciliæ terrã memorati Caroli Siciliæ Regis inuasit cum omnibus suis complicibus, necnon Guilielmũ de Parisiis, cæteros q; qui contra eundẽ Siciliæ Regẽ cum Saracenis exercuerunt, ac omnes alios qui circa Farũ quanquã terram eiusdem Regis Siciliæ inuaserunt, omnes complices & in his fautores eorũ. Item Guidonẽ Nouelli, Galuarum, & Frid. Lanceam, Conradinum de Antiochia, & Io. de Materio pro eo quod eidẽ Conradino fauerẽt aperte. & dictum Regẽ pro uiribus impugnare conãtur, cæteros q; cuiuscunq; sint dignitatis, præeminentiæ aut status, qui cõtra praemissas inhibitiones cõminationesue contra ve temere praesumpserunt, denunciamus in praemissæ excõmunicationis & alias in fautores eiusdẽ Cõradini latas sententias incidisse, ac denuo ex eisdẽ causis excõmunicationis easdem ciuitates, castra & loca omnia quæ Conradinũ aut eius Capitaneũ vel militiam siue quamcunq; aliam gentẽ pro ipso receperunt hactenus, vel alias praedictas nostras inhibitiones, comminationes & sententias contempserunt, veniendo temere cõtra eas, & specialiter praedictum S. Miniatis castrũ ac Grosseti ciuitatẽ, quam non dubiũ est dicto Conradino fauere, declaramus interdicti sententiæ subiacere, ipsorũ autem castri & ciuitatis incolas eiusdem Conradini fautores excommunicationis vinculo innodamus. Ciuitates, castra & loca, quæ de catero ipsum Cõradin. Capitan. vel militiam, vel quamlibet gentem suam eripere praesumpserint, extunc supponimus simili interdicto contra eos spiritualiter & temporaliter processuri. prout facti suadebit qualitas, vt videri mus exp. dire. Praedictas vero excõmunicationis sententias prohibemus absq; speciali mandato nostro. nisi forsan in mortis articulo relaxari, quo casu nisi absolutionis beneficiũ obtinẽtes, infra duos menses post quã restituti fuerint sanitati, de loco interdicto si forsan inibi fuerint recedentes, nostro se conspectui curauerint praesentare, satisfacturi de his excessibus, pro quibus huiusmodi nostri processus ad communem omnium notitiam deducatur. chartas seu membranas processum continentes eundem in praefata Ecclesia Viterb. appendi vel affigi ostiis siue superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum sic quasi praeconio sonore in patulo iudicio publicabunt: ita quod idem Conradinus & alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel ignorauerint eundem, cum non fuit verisimile remanere, quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum in Palatio nostro Vit. in die Cœnæ Domini, Pontif. nostri anno 4.

II. VICTORIA CAROLI ANDEGAVENS. DE CONRADINO ET FRIDERICO ET VTRIVSQVE DECAPITATIO FACTA NEAPOLI RVDELISSIMA. *Æmil. in Ludouic. 9. Wimpheus ep. 431. Vit. 7. id. Febr.*

His in Conradinum promulgatis, misit Pontifex, qui illi omnia renunciarent, earumq; diratum denunciatione deterrerent. Cæterum insolens inuenis adeo nihil deterritus est, vt etiã sub signis conspici à Clemente voluerit. Ante oculos enim eius præter Viterb. copias duxit instructas, sequentibus multo maiore quam quanta Germanorum esset manu totius Italiæ exulibus Gibellinis. Conspicatus Pont. praetereuntes, seque in armis ostentantes Duces, seu coniectura animi, quod iuuenes Duces in veteranum Regem imperu improuide ferrentur: seu diuinitus: *Hæ*, inquit, *optimæ victimæ ad aras aguntur.* Viterbio praeterito, Romam postea in contemptum Pont. iuit Conrad. Propinquanti ei Senator Henricus pompam educens Imperatoribus introducendis adhiberi solitam, illum ad pontem Milvium excepit, selectique ex omni dignitate & ordine primores, quiq; Romani, Conrad. circumfusi in equo sedentem pedibus sunt secuti, & praecedens ac subsequens longo & composito agmine populus in Capitolium vsque deduxit. Mouit deinde magnis cum Senatore ductis copiis per Tyburtinos in olim Equiculorum, nunc Tallacorii montes, & inde in Marsorum campestria. Cadus quoque monente Pont. ab Hetruria discessit, & ad Fucinum lacum venit. Hostis non procul aberat: loco ad pugnã delecto constitit, admonituque Alardi Veterani ordinũ Magistrum militum praefecit: hunc Regiis insignibus excultũ rem gerere iussit: ipse cum delecta manu colle propinquo tectus sedit, se in tempore accursurũ dicens. Apud Conrad. Longobardi, Vmbri, Hetrusci, exules, simul Ligures Hispaniq; in prima acie stabãt, Germani in subsidiis expectabant. Tres continenter horas pugnatum, ac semper acerrime. Tandem Magist. militum Carolum mentitus occidit: credideruntque hostes Regem Carolum cecidisse: ideoq; victoriã conclamarunt: cum repente Carolo cũ nouis militibus apparente, redintegratum est certamen. Caroliani resumpto impetu, velut recentes impressionem fecerunt, fuderunt, fugarunt, diſpalatosque persecuti, Germanos & reliquos tamquam miraculo attonitos oppresserunt. Ad duodecim millia eorũ cecidere. Finem cædis fecerunt, Freder. & Henricus Castulonenses fuga elapsi, & apud Cassinum non multo post prodente Abbate capti, armaque abiici cœpta. Conrad. etiam fugit cum Fridetico Austrio per ignotam Italiam, trepidi & agasonum habitu se occultantes. Ita Asturam ventum. Vbi consilium cœperunt nauis conscendendæ, & Pisas dirigendæ, sociam & fidam vrbem. Conuenerant cum nauicularore; & iam in naui erant, sed panis & commeatus deerat, quem mittunt eundem illum praetinatum. Pecunia etiam deerat: ergo annulum alter à digito detrahit, siue pignus nauicularío: siue pretio ab eo permutandum. Is annulus gemmam raram & æstimatam habebat: itaque artifex miratus à fordido homine deferri, & suspectans. *Vnde habeat?* quærit, ille candide. *A duobus iuuenibus, ingenui vultus & sanguinis, sed habitu & veste squalidis, neque vltra se scire.* Defertur res ad Dynastam vrbis (qui tunc illi propius erat) Ioannem è gente Frangipanum: atque is ex euentu praelii, & fama tale suspicans nauem instrui iubet, adolescentes retrahi, & ad se duci. Dictum, factum, sistuntur, agnoscuntur, & purabant extra periculum se, quia extra hostile solum erãt, esse. Aliter accidit praturate, siue auaritia Dynastæ: nam is Carolo indicat: qui statim cum copiis terra mariq; aduolat, & captiuos suos Neapolim abducit. Quid expectas? aliquid regium? pudor est Andegauensis stirpis, aut macula, quod dicam. Diu deliberato concludirur, rollendos adolescentes, & publice capite minuendos. Quid? vt sicarios aut prædones? qui ius suum repetierant? qui bellum intulerant, & iure ac more gentium administrarant? Omnia in hoc facto sæuitiam & barbariem habent: & si Pontificem etiam obrendunt, atque illum consensisse, aut suasisse. Alterum potest, vix alterum: sed æstimatio aliorum etiam esto, in re autem istud. Producuntur in scænam publicam, concursus ad tale spectaculum è tota Italia, plerique omnes miserantur & illa: criminantur, sed nemo, nisi inani fauore iuuat. Conradinus animose loquitur, Carolum accusat, se excusat: Deum vindicem inuocat, & ius suum in hæc Regna Henrico Castellano, amitæ suæ filio donat. Huic rei thesseram, chirothecam exuit, abiicitque. Tum Freder. primus ingenicular iubetur, & caput inciditur, quod sublatum è tabulato Conradinus (quis fine motu audiat?) pectori appressum, deinde ori applicuit, & sortem miseram eius defleuit, cui author ipse esset. Tum & ipse in genua prouoluens fortiter carnificem expectat, qui caput amputat: & cum fecisset, statim alius hunc interficit, ne extaret qui iactaret generosum illum sanguinem à se sublatum. Hoc vnum Carolus magno in speciem animo: cætera feritatem habent, etiam illud, quod ipse spectator supplicii esse sustinuit, in alta quadam turri occultus. Illi obierunt: nec diu victoria ac regnis, Caroli posteri gauisi sunt, & Hispani, (an non morituri voce & vote) eiecerunt. Quod Pontificem attinet, sunt authores, Carolum per literas ad illum retuliſſe, quid de iuuenibus decerni placeret: illum autem respondisse, non intercedere se, quo minus lege ageretur. Alii aiunt, adiecisse hæc ipsissima verba: *Vita Conradini, mors Caroli.* Vtvt est: illi securi percussi sunt, ac reliqui etiam duo, non multo post extincti. Ita Carolo, tum in campestribus ad Fucinum lacum, tum Neapoli debellatum in theatro & carcere. Eam quam die 22. Augusti, armis & prælio obtinuerat victoriam, ex campo Palatino, & ipsis castris Clementi Papæ significauit, datis 23. Augusti literis indictione XI.

III. NVCERIAM ANNI OB SIDIONE PREMENS CAROLVS CAPIT.

Parta insigni victoria Carolus ad Nuceriam castra mouit. Anno superiore, defendentibus eam incolis Saracenis, Ciuibusque oppugnabat. Expugnare non poterat, quod Barbari veterani milites erant, & Ciues, Francorum partes, pessime oderant. Circumuallauit postea vrbem: ne cum inde Castra mouerentur, erumperent: tergo instarent: Germanis se iungerent. Crebrius ad extremum Castellis circumcirca excitatis, parteq; copiarum ibi relicta, in modum coronæ circumcinxit. Annum integrum, Nuceria, ob fidentibus restitit, qua mora exacerbatus Carolus, eam euersurus erat. Fame domiti ciues incolæque non habitu modo reorũ, sed damnatorum specie, resti collo circumiecta, portis patefactis, egressique mœnibus, ad pedes Caroli procubuere: fidem eius, nominisque Gallici, non virtute magis, quam clementia, humanitate, lenitate, mansuetudine, liberalitate salutis hominibus dandæ nobilis, implorabant. Se errore lapsos, se amentia præcipites actos, se furore capros insaniſſe: miseretur supplicum, misereturque mente resipiscentium: respiceret malis perdomitos. Numẽ clarissimam omnium victoriam dedisse: per idem numen se orare, obsecrare, vt diuina ope adiutus, suos, numinisque supplices, vita in præsens donaret, eamq; aliquo deinde ipsius commodo reposceret, vel prælio pro illius gloria Imperioque, vel quacunque alia re profundendam. Vita omnes donati. Sed Saraceni exercitatione deinceps armorum, reque publica abstinere iussit. Iidem ipsi ac ciues pecunia pro suis quisque facultatibus in præsens multati sunt. In futurum Saraceni duplex quam quantum ciues vectigal persoluerent.

IV. SICVLOS IMMODERATE REGIT CAROLVS.

Siculi hostili maxime animo fuerant. Post famam victoriæ vltro dilabentibus auxiliis, Proceres & Siciliæ, & circumiectarum Insularum, magna pars alii exilio, alii bonis multati. Ad plebem in officio continendam, valida præsidia in vrbes arcesque missa: grauiusque Siculis imperati cœptum.

V. VICTORIAM VOTO AD VIRGINEM FACTO DICITVR ACCEPISSE.

Quod victoriam priorem spectat, dicitur Carolus Deiparæ Virginis Mariæ Templum vouisse, si poritus esset victoria, atque illud postea in loco cui etiamnum victoriæ nomen est, ex candido lapide, mira arte extruxisse, multisque castellis ac prædiis diuitasse. Corruit post multos annos nobilissimum opus, grauissimo terræ motu: non nemine bona eius Abbatiæ, non autem instaurationem tam præclaræ memoriæ desiderante.

VI. SVMMARIVM GESTORVM CLEMENT. IV. HVIVS ANNI.

Cum autem Carolus nondum Regno potitus, non multum moderate victoria vteretur, sed in fortunas capitaque virorum grauius quam par erat, grassaretur: Principes nobilitatis cum Galuano Lancea & reliquis coniuratis, in necem illius conspirarant. Read Clementem Pontificem delata, cognita, probata. 1. anathemate quidem Principes factionis, terras autem illorum, & omnia loca quocunque diuerterent, Ecclesiastico suppoſuit interdicto. 2. Per idem etiam temporis administrationem vrbis Romæ, eidem Carolo commisit. 3. & vicarium Imperii in Etruria, eum instituit. 4. & ad secundas nuptias cum Margarita sorore Ducis Glouerniæ, hortatus est: & 5. vt testamentum Beatricis prioris coniugis nuper defunctæ exequeretur, corpusque illius in Ecclesia Domus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, in qua etiam corpus Raymundi Comitis eius patris reconditum iacebat, quemadmodum illa disposuerat, sepeliendum curaret, admonuit, & 6. tum Oratorem Marchionis Estensis, qui ad recuperandum Comitatum Licii iure hæreditario ad ipsum spectantem pergebat, tum 7. Tadeum Malatestam & Mat. Veruculam à Guidone Montfeltrio olim Henrici vicario tueretur, quã diligentissime commẽdauit. 8. Alphonso & Richardo electis, de Rom. Regno frustra contendentibus, à Cal. Iun. ad annum vnum terminum peremptorium coram sede Apost. designatum prorogauit. 9. Regem Portugalliæ qui contra libertatem Eccles. multas iniurias Clero & Prælatis intulerat, castigauit. 10. vt electus in Imperatorem, prius à Colonienſi Archiepiscop. in Regem Rom. deinde à summo Pont. in Imperatorem inaugueretur, constituit. 11. Censum Apostolicæ sedi à Rege Angliæ exegit. 12. Ad instantiam Principum Poloniæ Diuam Hedwigem in numerum Sanctorum scripsit. 13. Archiep. Narbonens. qui Corpus Domini nostri Iesu Christi essentialiter in altaris sacramento nõ esse affirmaverat, errorẽ eiurare coegit, & grauissimis pœnis mulctauit. 14. Dubitationẽ inter Monachos, ex parte corporis D. Benedicti sustulit, illudque in monte Cassino reconditum esse asseuerauit. 15. Isabellam sororem Regis Franciæ, ab aliquo seductam quod se caput S. Pauli Apostoli habere putaret, reprehendit, illudque Romæ reperiti demonstrauit. Ad eum modum monebat: Depone conscientiam: ne fallaris. Nec ponas scandalum matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem huiusmodi nõ posset æquanimiter tolerare. Si vero Græci se aliquo tempore illud habuisse dixerint: ne mireris. Nam odio Latinos habentes, facile sibi formauerunt mendacium, qui de Fide Catholica quod est maius minime mentiri dubitarunt. Benigne igitur facies, si quod habes dilecto filio nostro Simoni tituli Sanctæ Cæciliæ Legato nomine nostro reddideris, nobis per eundem mittendum, ne si ad alias manus deuenerit, possit inde cum erroris periculo scandalum suscitari. Hæc quidem Isabellæ Clemens. Cum vero necdum essent definitæ controuersiæ, inter Carolum Regem Siciliæ, & Margaritam Reginam Sancti Ludouici vxorem, ex parte Comitatus Prouinciæ exortæ, & Carolus intetim iuramentum quoddam ab illius Comitatus subditis extorserat, illo que sibi fere omnes obstrictos esse putabat: nec non confirmationem eiusdem à sede Apostolica postulabat: res ea magnopere S. Ludouicum affixit, quod vehementius timeret, ne Pontifex authoritate Apostolica illud sacramentum extortum approbaret. 16. Liberauit Ludouicum Clemens hoc metu, & certiorem reddidit, se neque confirmasse, neque ratum habere velle, quicquid esset in præiudicium iuium Reginæ. Cum autem Ludouicus, adhuc in quartum annum, decimas omnium fructuum Ecclesiasticorum, pro subsidio Terræ Sanctæ, postularet. 17. Clemens libere negauit, & distributiones quotidianas à decimatione exemit: minus æquum existimans, tam diuturnis, & grauissimis exactionibus bona Ecclesiasticorũ subiacere. Porro ne negligere istud quicquid fuerat subsidii pro recuperatione Terræ Sanctæ desiderati videretur, non tantum ipsum, sed & Regem Aragonum, & Edouardum Anglum, & reliquos Reges ac Principes Septentrionales, misso ad hoc in septentrionem Guidone legato, ad sacram militiam inuitauit. Episcopus Gabulensis iuritionem forte in Terram Sanctam & ipse quoque parabat: sed sociis indigebat. 18. Scripsit Clemens Papa F. Thomæ de Aquino Ordinis Prædi. vt ei duos sui Ord. Fratres, alterum è Clericorum, alterum ex conuersorum quos vocant numero designaret, qui illum iuuarẽt, eique in omnibus dicto obedientes forent, salua superiorum in Ord. authoritate.

VII. *Chronic. Bossiana.* PER LEGATVM SEDIS APOST. TVRRIANI ET MEDIOLANENSES ILLI AB ANATHEMATE, HI AB INTERDICTO LIBERANTVR.

Eodem anno, die XIII. Nouemb. Legatus sedis Apost. Mediolanum ingressus, summo honore à Turrianis exceptus est. Hic è vestigio coacto Prælatorum ac Principum ciuitatis Concilio, Clementis Papæ mandata pro Concione recitauit: quæ si Turriani accipiebant, absoluturum se illos interdicto spondebat. Id ciuibus grauissimum fuit. Iuuabat enim eos, post tantum temporis dispendium, diuina officia audire, atq; ad gremium matris Ecclesiæ, velut postliminio quodam redire. Itaque passim à tota plebe per vicos in Pontificis mandata iuratum est. Ea ãt autem ista. Primum, vt Mediolanenses Ottonem Vicecomitem in suum verum legitimumque Archiepiscopum reciperent, eique honores meritos, velut proprio Pastori exhiberent, deinde, vt ei ablatas possessiones, castella, iuraque omnia restituerent. Tertio, ne clericus quispiam impositæ exactioni teneretur: ne præscriberetur: damna insuper illata Clericis resarcirentur: sincerique imposterum atque integri ab omni iniuria, incommodo, detrimento, seruarentur. In has leges populus cum iurasset, fideiusserunt insuper, vt à Legato postulatũ fuerat, de his omnibus fideliter seruandis. His transactis solemni cerimonia à vinculo anathematis exsoluti sunt Turriani & complices: atque ciuitas vniuersa sacra restituta recepit.

VIII. CLEMENS IV. MORITVR.

Hoc an. ad diem 29 Nouemb. Clemens Pont. maximo omnium luctu Viterbii defunctus est, vir, si quis vnquam alius doctrina, pietate, religione, humanitate, modestia, & charitate erga proximos, ac maxime pauperes cumulate ornatus. Delectabatur plurimum lectione Bonauenturæ, & consuetudine D. Thom. Aquinatis, Theologiæ illo tempore Principum. Illam auream sententiam, ad rei perpetuam memoriam pronunciauit: *Deum velle, vt sua in pias causas distribuerentur: negq; illum esse dignum Petri successorem, qui plus cognationi, quam pietati & Christo tribueret.* Totum vitæ tempus, ieiuniis, orationibus, vigiliis, aliisque pietatis operibus, ex instituto FF. Ord. Prædi. quos impensius diligebat, obseruabatque, transegit. † Statim atq; obiit Clemens miraculis ingenibus fulgere cæpit: propter quæ Clerus Ecclesiæ Ca-

ep. 528. inter Clementis ep. anno 4.

Lipsius in Monita.

FRID. VLTIMVS AVSTRIÆ ET CONRAD. SVEVIÆ DECOLLANTVR.

Æmil. in Ludouic. 9.

I. Viterb. ep. 1-3. Cal. Martii. 2. 3. Non. April. 3. ep. 475. 15 Cal. Maii. 4. ep. 492. 11. Cal. Iun 5. ep. 515. 5. Id. Iul. 6. ep. 536. 18. Cal. Octob. 7. ep 570. 3. Cal. Nou. 8. ep. 16. 15. Cal. Iun. 9. ep. 60. 2. Cal. Aug. 10. ep. 98. 11 ep. 10. 12 ep. 37. 13. ep. 71. 14 ep. 150. 15. ep. 437. 14. Cal. Maii.

thedralis Viterbiensis, funus illius Fratribus Dominicanis inuidit: sed postea sanctum cadauer (ita iubente non Innocentio V. sed Gregorio X. datis epist. Lugduni Cal. Octob. Anno III.) iisdem restituit, quod in eorum Ecclesia S. Mariæ ad Gradus nuncupata, nobili sarcophago ab Archiepiscopo Narbonensi extructo, ita disponente ipso Clemente, conditum quieuit, maxima in veneratione populorum. *Annales Cœnobii Viterbiens. Ord. Prad.* Clemés porro quamdiu Pontificatum gessit, perpetuo hoc à se voluit obseruari, ne quid inconsulto Cardinalium collegio faceret, aut aggredi conaretur, idque Cardinales obiecisse Greg. XI. Catharina Virgo Senensis spectatissima sui temporis, epistola ad Greg. tradit. Spiritu prophetico multa futura prædixit, multa occulta cognouit, & inter hæc victoriam Caroli de Conradino. Eo enim ipso momento quo de bellatum est, centesimo lapide absens, actum esse de hostibus pronuntiauit. Insuper quasi præsens in conflictu esset, & coram omnia conspiceret, tunc cum Viterbii ad populum verba faceret, mente motus, & concione intermissa obstupescens, ac tandem ad se reuersus, inopinato exclamauit, dixit que: *Festinate, prehendite ote hostes Ecclesiæ, iam deuictos.* Notata fuêre verba, & momentum in quo prolata. Altero post die scitum est Pontificem nonnisi diuina reuelatione id sciuisse, quod vulgauit.

IX. *Summont. in Carolo.* NON FVIT AVCTOR CÆDIS CONRADINI CLEMENS.

Quod obiiciunt Germani, Pontificem in Conradini mortem inclinasse, illudque famosum Carolo dixisse; *Vita Corradini mors Caroli:* istud nutat. Nam Corradinus in theatrum productus fuit, anni insequentis, die 26. Octob. cum ante annum fere Clemens obiisset. Certius est, Carolum Regem, consilio eorum, inter quos bona publicata distribuerat; cũ illi sibi à Corradino, si superuinceret, metuerent, adductum, tam immaniter in Corradinum sæuiisse: nam non ex nihilo Petrus Arragonum Rex, illi aliquando exprobrauit: *Tu Nerone neronior, & Saracenis crudelior*, quamquam etiam non desint aliqui, qui affirment, Petrum causa sua hoc dixisse in Carolum. Namque illum, non Henricum, qui eodem fato vrgebatur, Corradinus, proiecta chirotheca, seu annulo hæredem esse voluisse, arbitrantur.

X. EPITAPHIVM CORRADINI.

Vtut est, illo æuo, pium Neapolitanorum Coriariorum collegium, istud ei epitaphium superscripsit; his ipsis verbis: *Ossibus & memoriæ*

Conradini de Stuffen, vltimi ex sua progene Sueuiæ Ducis, Conradi Rom. Regis Fr. & Friderici II. Imperatoris nepotis: qui cum Siciliæ & Apuliæ Regna exercitu valido vti hæreditaria vindicare proposuit, à Carolo Andegauio I. huius nominis Rege Franco Ceperanis in Agro Palento victus, & debellatus extitit, demique captus, cum Friderico de Asburgh, vltimo ex lynea Austriæ Duce, itineris ac eiusdem fortunæ socio, hic cum aliis (proh scelus) à victore Rege securi percussus est. Pium Neapolit. Coriariorum collegium, humanarum miseriarum memor, loco in ædiculam redacto, illorum memoriam ab interitu conseruauit.

XI. FRIDERICI CAPVT PRÆSENTVM B. V. INCLAMAVIT.

Ferunt Friderici caput recisum, dum extremum calorem exspiraret, nomen Beatiss. Virginis Mariæ semel & secundo diserte pronunciasse. Istud quoque in manifestis ponunt, in loco cædis, circulum impressum, quasi artificis manu circumductus esset, diminitus & miraculo se extare, totumque sphæricum etiam ardentissima æstate madere; exanguis vero quadraturæ ambientis, perpetuas guttas sudare.

XII. *Bossius lib.* 10, 120. MILITA CHRISTIANORVM INNOCENTIVM CÆSI ANTIOCHIÆ AB SALADINO.

Hoc anno ingens numerus martyrũ in Syria cælestes Sedes implenit. Per absentiam Conradi Principis Saladinus Bondocudar ducenta millia in exercitu habens Saracenorum, plusquam centum viginti millia Christianorum innocentium Antiochiæ occidit, ad quadraginta millia in captiuitatem duxit. Inter cæsos palmas obtinent virginitatis & martyrii quamplurimæ vestales cuiusdam cœnobii. Victorem barbarum cernebant prius animas, deinde corpora Christi fidelium perdere. Quas enim vel virgines vel coniunctas, vel solutas alicuius formæ præstantis inuenissent, primum libidinatione, deinde gladio pessumdabant. Indoluerunt ad iacturam magis pudoris quam corporis cassi. illæ Christi sponsæ, vtque venustatem aliquo artificio vel sordidarent, vel amitterent, cælitus hoc consilii acceperunt. Nasum sibi omnes nouaculis præsciderunt, sicque faciei decus deformarunt. Barbari ignorabant generosum vestalium factum; & vt erãt nondum stupris satiati, in Monasterium irruptione facta, cũ se arte delusos esse animaduertissent, in furorem versi omnes ad vnam ferro pereme-

b. apud lib.

runt: totidemque sydera, quot virgines Martyres, cœlis addiderunt.

Inter alios pro Christi fide iugulatos, cæsus est Antiochiæ B. Christianus Antistes, vna cum quatuor sui Ord. Præd. fratribus, cum enim Saracenos in cædibus occupatos accepisset, Pontificalem pompam indutus insula capiti imposita ante aram maiorem Templi procubuit: ibidemq; cladem ciuitatis deplorans, atque Deo commendans, vna cum illis quatuor confectus occubuit, & Martyrii palmam accepit.

XIII. PRAGMATICA SANCTIO LVDOVICI REGIS.

Hoc an. mense Martio S. Ludouicus promulgauit Pragmaticam sanctionem, qua statuit, vt in Regno Francię, Prælati Ecclesiarum & Patroni beneficiorum Ordinarii, ius suum plenarie habeant, & vnicuique debite sua iurisdictio seruetur, vt Ecclesiæ Cathedrales & aliæ liberas habeant electiones, & earum effectum ex integro. Eliminari quoque voluit Simoniæ crimen, omniaque fieri ex determinatione iuris communis. Nec voluit imponi, vel imposita colligi Ecclesiæ Gallicanæ, per quamcunque Curiam, nisi tantum pro pia & rationabili necessitate, quę vitari non poterit, vtque libertates & immunitates ac priuilegia à maioribus concessa, maneant integra Ecclesiis, monasteriis, atque locis religiosis & personis Ecclesiasticis. Dedit ea in re literas signo suo signatas Parisiis an. 1268.

XIV. GVIDO CARDIN. REGEM DANIÆ DIRIS, REGNVM INTERDICTO INNODAT.

Circa eadem tempora, Guido Cardinalis Legatus à Latere Clementis Pont. in Daniam missus componendis rebus inter Regem Christophorũ, & Archiepiscopum Lundensem Iacobum per Germaniam quoque multa, quæ extant, constituit. Inde è Lubeca in Daniam penetrans, cum Archiepiscopum à Rege propter decimarum exactionem à nouem fere annis carceri mancipatum eliberare, neque pacem inter eos conciliare posset, è Dania soluens, Regem contumacem diris deuouit, regnoque vniuerso sacris interdixit. *Albertus Krantz. 3. Vandal. lib. 7.*

XV. IN SALTANTES PÆNA OBNEGLECTVM SS. EVCHARISTIÆ CVLTVM.

Per idem tempus, quum in Traiecto iuuenes, puellæ, viri, fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, venerabile Christi Sacramentum deferebatur, cumque intenti vanitatibus, nequicquam aut procubuissent, aut caput aperuissent vel saltem inclinassent, in vltionem sceleris mox ponte desidente, ducenti prope ex eis perierunt: vt mortales discant, non temnere diuos. *Krantz. 3. Metropol. lib. 8.*

XVI. SEDITIOSI VENETIIS PVNITI. *Pet. Marcel. hist. Venet.*

Per id temporis Veneziarum rempub. non paruæ seditio turbauit. Exhausto propter bellum diuturnum ærario nouum vectigal patres imponendum curarunt. Illud cum populus publicari audiuisset, in Curiam impetum fecit. Raynerio Principe ad sedandum tumultum egresso, plebs Ducaria maiestate neglecta, eum lapidibus incessit. Ille autem plebeio cedens furori se è medio tulit. Quo abeunte furibunda plebs magis ad grassandum accensa, aliquot nobilium domos diripuit. Tumultu ad extremum sedato, in fontes grauissime animaduersum est.

XVII. VENETI EZ GENVENSES INDVCIAS PACISCVNTVR QVINQVENNES.

Paulo antequam Clemens ex humanis abiisset, Venetos & Genuenses ad pacem maxime adhortatus est. Galliarum & Siciliæ Regibus ad id etiam maxime instantibus, vt commodius Christianis in Syria laborantibus opem ferrent. Legatis igitur vtrimque Cremonam missis, inter Genuenses & Venetos, cum pax fieri nõ potuerit, inducię in quinquẽnium pactæ sunt. Cum Pisanis etiam fœdus renouatum est.

XVIII. LOCVSTÆ D. AVG. INTERCESSIONE EX AGRIS TOLETANIS DEPVLSÆ.

Hoc ipso an. in Hispaniis, agrum Toletanum, Locustarũ agmina adeo vastarunt vt etiam arborum frondes non tantum herbas, aut segetes depastæ fuerint. Hinc maxima calamitate oppressi populi, cum & famẽ metuerent, & ex morte locustarũ, quæ saturæ rumpebantur, & aerem inficiebãt, pestilentiam expectarent, ad Deum supplices adierunt, & processionibus institutis, maxima cum demissione misericordiam illius imlorarunt. Nõ frustra fusæ ab illis orationes fuêre. Diuus enim Aug. Episcopus Hypponensis, quem præ cæteris sanctis intercessorem postularant, cunctis illis populis apparuit, pedo pastorali agmina locustarum abigere, emortuas colligere, & in Tago prætereuente demergere. *Hieron. Roman. centuria 9. Chron. Augustinianorum.*

XIX. BELLVM RVSTICVM IN HOLLANDIA SOPITVM.

In partibus Hollandiæ, bellum rusticum, ad defendos nobiles, seque asserẽdum in libertatem, exortum, industria Traiectensis Episcopi & Comitis Geldrensis, multis captis, pluribus occisis, dissipatum est hoc ipso anno, quod sic in *chronico Hirsaugiensi* describitur.

XX. PRODIGI.

Circa hæc tempora ex ouo prouenit anser monstrosæ formæ, quem se vidisse refert *Albertus Magnus*, cum duplici collo, quaternis pedibus & alis, dorso vno, vt videretur anser vnus alium deferens, sed non diu vixit.

XXI. CALAMITAS IN PARTIBVS HOLLANDIÆ ORTA.

His temporibus nocturno tempore, in partibus Hollandiæ, in aere apparuisse feruntur milites armati ad inuicem dimicantes. Post istud prodigium, magna gentis illius calamitas subsecuta est. Nam vulgus indomitum contra Principes & nobiles terræ surrexit, conspiratione q; facta omnes eos extinguere, seq; in libertatem vindicare decreuit. Male tamen arma sumpsit. Nam Traiectensis Episcopi armis & opera, phalanx illa apud Harlemum profligata fuit: multis Sotulariæ factionis captis, pluribus occisis. *Chron. Hirsaug.*

IESV CHRISTI
Annus 1269.

INTER-PONTIF. Annus I. — MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. 10.

I. ROMÆ INTERPONTIFICIVM.

CLemente Pont. Max. rebus humanis exempto, Principes Ecclesiæ Romanæ purpurati, incertum, an discordes, an aliqua vi superiore præpediti, fere totos XXVII. menses, neminem Cathedræ S. Petri imposuerunt: quanquam præsentes reipublic. christianæ necessitates deposcerent.

II. IN SYRIA MAGALIÆ, SICILIÆ, ANGLIÆ REGES ABEVNT. *Mariana lib. 13. c. 18. Æmil. in Ludovico 9. Guagninus lib. 7.*

Ad extremum malorum ventum erat in Syria, regnúmque maiorum virtute constitutum, Christianorum ignauia & cessatione collapsum erat; dum Principes ferum inter se stringerent, commodaque publica, & religionis dedecus, priuatis cupiditatibus posthabuissent; atque interim virtutis indoles, qua res tantæ perfectæ erant, consenuisset. Et quoniam toties irrito conatu Principum, qui rei Christianæ sublenandæ causa, eo cæteruatim terra marique fæpe commigrarunt, superioribus annis id bellum erat tentatum: nona tunc se occasio melioris fortunæ ostentabat, quæ vno ferme tempore Hispaniam, Angliam, & Galliam ad arma repetenda excuit. Tartari ex Syria rursus profecti, cum Armeniis societate armorum iuncta, eam Syriæ partem quam Saraceni obtinebant, bello vrebant, ac Religionis Christianæ hostes premebant, magna apud Christianos spe pristinarum opum recuperandarum. Rex eorum, quem Chamum vulgo vocant, hoc est Regem Regum, Europæ Principes missis circumquaque Legatis, ad arma capessenda excitare non desistebat, propemodum conuitio: cum Christiani, nominis sui & Christi gloriam negligere viderentur. Sanctum Ludouicum primo conuenerant, eius fidem opemque implorantes: Carolum quoque Regem Siciliæ interpellauerant, certam ei victoriam de Africanis Saracenis promittentes. Et Carolus simul vt Siciliam receperat, sacrum Regnum appetebat, & Ludouicus vt ignominiam Ægyptiam elueret, incredibili cupiditate flagrabat. Anno itaque præsenti, vndeseptuagesimo supra millesimum ducentesimum inter Reges Galliæ & Siciliæ, bellum in Saracenos decretum est. Deliberabatur ab vtrisque, quæ primum regio barbaræ religionis tentanda esset. Oratores Caroli Regis Siciliæ suadebant, vt Carthago peteretur: Afros Italiæ semper infestos, Siciliam proximo bello vssisse: Siculo Regno, simul & prouinciæ Phocensi formidabiles esse. Regem Siciliæ, eundem Comitem Prouinciæ Phocensis, non posse tuto in Syriam nauigare, Regnumque sacrum petere, relicto è regione Siciliæ, Italiæ, Prouinciæ illo Barbariæ Africanæ incolumi regno. Cæterа prona virtuti Francorum fore, illo in potestatem redacto: aut viribus ne obesse deinceps possit debilitatis, quod facillimum factu sit, cum in conspectu prope sit, & breui nauigationis cursu interiecto. Id rerum suarum respectu Carolus optabat: firmiusque Regnum suum futurum sperabat opibus Africanis euersis. Sanctus Rex torum nomen Christianum defendendum suscipiebat: vt dum ipse Africam adoriretur, Syriaci Latini aduersus suos destinatos hostes iuuari ope possent: distinerenturque Saracenorum vires, ne aliis aliis auxilio forent. Huic rei societatem armorum cum Henrico Anglo Rege coiuit, vt Angli in Orientem classe contenderent, dum ipse in Africa Tunetum oppugnaret: ea vrbe Regia capta iunctis copiis Franci Anglique Syriam perdomarent.

CONCLVDVNT FRANCI TENTANDAM PRIVS CARTHAGINEM ET SVBIGENDAM.

Et ne vlla causa suspicione belli inter Francos Anglosque exoriri posset, vetus quoque controuersia sublata est nouo fœdere his legibus, vt nullum ius posthac foret Anglo repetendi Nortmannam, Cænomanos, Andes, Turones, Pictones, quæ maiores Henrici possedissent, victiq; à Francis amisissent: Aquitania vlteriore potiretur; simul ex citeriore haberet Santonum fines ad Carantonum vsque amnem: ei Cadurci Lemouicesque parerent. Hæc beneficio Francorum obtineret, Panagioque iureiurando se Francis obstringeret: eorum in illa omnia summum esset imperium. Hæ conditiones æquæ Anglis visæ; quod ex iis quæ obtinerent, nihil amitterent: multa autem quæ bello amiserant, pace recuperarent.

III. OBLITES TOLLENDAS FŒDVS INTER FRANCVM ET ANGLVM RENOVATVM.

Interim dum hæc in Gallia componerentur, belloque sacro gerendo omnia pararentur, Legati Tattarorum ad Aragonium Regem, cum Alarico *ciue Perpiniano*, quem Rex antea, alia Legatione prouocatus ad Tartaros miserat, fuerunt, sui Regis nomine omnia pollicentes, si quidem arma induere, viresque conferre induceret in animum. Et Legati quidem Barcinone substiterunt: Alaricus autem Toletum progressus, in Conuentu Principum visa à se & totius Legationis summa explicauit. Ea Oratione Principũ qui aderant animi, non vno modo affecti fuêre. Iacobus Rex Aragonum extrema ætate senex studio suscipiẽdi Hierosolymitani belli ardebat, neque sibi parcebat, neque domestica negotia multa & magna quibus implicitus erat curabat, præ studio nominis Christiani amplificãdi, veteremque gentis gloriam, quæ obscurata esse videbatur in Syria illustrandi, vir plane magnus, dignusque cui melior in eo fortuna contigisset. Iacobo ad eum modum affecto, Alphonsus gener & Regina, Græcorum dubiam fidem, Tattarorum immanitatem accusantes, omnibus precibus, quibus lachrymæ addebantur, à bello deterrere conati sunt. Vicit tamen Iacobi constantia, cum negaret pace domi parta fas esse otio se dare, aut vitæ paulo post interituræ parcere, in tãto discrimine nominis Christiani. Alphonsus, quoniam ita deliberatum erat, centum aureorum millia in belli sumptus promisit. Proceres Castellæ nonnulli, in his magister militiæ D. Iacobi, & promagister Hospitalis Consalius Pereira, se Comites obtulerunt. Valentiam itum: vbi Tattarorum Legatos Rex audiuit. Præterea à Palæologo Imp. Legatum alium, commeatum, si proficisceretur affatim pollicentem. Priusquam proficisceretur, Violantis filiæ rogatu inde Hortam cœnobium repetiit, filiisque & nepotibus valedicto, precibus quibus ab incepto reuocabatur reiectis, ad classem reuersus est, in qua triginta onerariæ naues, & aliquot præterea triremes numerabantur. Pridie Nonas Sept. die Mercurii, anno 1269. votis rite nuncupatis è littore soluit, incommodo sane anni tempore atque procellis obnoxio. Itaque cum triduo in Balearem minorem peruentum esset, priusquam portum tenere potuissent, fœda ventorum tempestate disiecti, alii alia littora tenuerunt. Rex ad Aquas Sextias appulsus vento reflante in Agathensem sinũ reiectus est, nonnullæ naues, quæ cursum tenere potuerunt ad Atrem Palæstinæ oppidum nauigatione peruenerunt. In his Ferdinandi Sanctii naues Regis filii. Rex suorum cohortationibus fractus, Mompellerii se ex maris iactatione paucos dies refecit, atque propositi pertæsus, cui superi aduersari videbantur rebus humanis irati, tametsi talium vt fortuitorum contemptor, in Catalauniam rediit, nullo maiori operæ pretio.

IV. *Summont. in Carolo.* CONRADINI MATER NEAPOLIM VENIENS, QVÆ POTVIT IVSTA FILIO PERSOLVIT.

Per hæc tẽpora venit Neapolim Elizabetha mater Conradini, multo auro onusta: si forte posset redimere filium, quem adhuc viuere existimauerat. Reperit tamen cæsum, & cum aliud in defunctum, maternæ pietatis, officium præstare, neque in loco cædis, negante id Carolo, tumulum erigere, potuisset, istud vnicum impetrauit, vt in alium locum cadauer occisi transferret, indidemque Oratorium ædificaret, ac reditibus diuitaret: quod paulo post amplificatum est, tit. S. Eligii, & Martini, nona Ecclesia extructa, & magnis opibus dotata; vel propter imaginis cuiusdam miraculum, dignissimum quod in memoriam reuocetur. Prostat in ea Ecclesia, imago in pariete depicta, antiquitate in-

xtaac grauitate & modestia insignis, D. Deiparentis Mar. speciem præse ferens. S. Mar. à misericordia, vulgus appellat. Hoc vnico deformata est pictura, quod vulnus sanguineum in facie habet, inflictum ex hac causa: sed non impune. Aliquis aleator, totam pecuniam lusu chartarum amiserat, & omnes cælites blasphemiis & cõtumeliis incessebat. Monuerant ciues, vt linguam cohiberet, sanctis honorem debitum impenderet; veruntamen ille furiis inuectus, inq; Ecclesiã ingressus pugione districto imaginem innocuam Virginis sanctiss. homo audacissimus in faciem percussit, vulnusq; e inflixit. Mirandum accidit: ex vulnere sanguis fluxit, homines ad vltionem sacrilegii mouit; homo vero perditus fuga se subduxit, Florentiam venit, & paulo post in manus satellitum incidit, capitalique supplicio luit. Interim enim aliquis in platea occisus iacuerat, dum hic latrocinii insons præteriret. Visus, comprehensus, in vincula coniectus, in equuleo tortus, innocentem se homicidii, nocentem vero sacrilegii, quod narrauit, confessus, dignas flagitio pœnas dedit.

MIRACVLOSA IMAGO B. VIRG.

V. ALTERA IMAGO B. V. APVD LVCENSES MIRACVLOSA MAR. A ROSA NOMEN HABENS. *Cæsar. Franciottus in Hist. Lucana anno 1265.*

Istud quoque dignum visum est, quod referrem de imagine D. Deiparẽtis, cui apud Lucenses Etruriæ, à Rosa, nomen est. Per id temporis, Ecclesiæ eius in qua extat imago, locus extra mœnia Ciuitatis fuerat: imago autem ea Beatiss. virg. puerum Iesum in vlnis gestantis, tres rosas vernantes in manu habẽs, in pariete vrbico depicta visebatur. Mirum hoc accidit. Aliquis puer quindecim annos natus, pecora paterna circum circa muros ciuitatis, & frequenter circa eum locum, per herbusta pascebat. E regione imaginis, cespes vnus multa herba virebat, quam oues contingere negligebãt. Aduertit hoc puer, cum herbescentem cespitem præterirent, neq; vnquam decerperent: & semel, iterum ac pluries pecora ad locum virentem minatus est: cui tamen oues cum appropinquarent, velut œstro perculsæ refugiebant, neque carpere copiosum gramen illius solius cespitis volebant. Ipse tandem curiosus accessit, & num quid intus lateret inquisiuit: cum inter tesqua, rosam vnicam purpurea flamma rubentem aspexit, collegit, Patri pro re insolenti (nam mensis Ianuar. erat, & fere omnia à pruina rigebant) tulit: dumque porrigeret, ex muto & elingui huc vsque vocalis factus, vsu linguæ accepto: hanc rosam pulcherrimam illo loci se inuenisse, dixit. Obstupuit pater, rem omnibus, & tandem Episcopo vulgauit, qui nouitate perculsus, cum in causas rosæ in media pruina natæ inquireret, reperit cespitem in conspectu imaginis natum, rosam nonnisi miraculo ab aspectu D. Virg. concepisse, atque produxisse: ad aperiendam linguam elinguem, pueri vere infantis, nimirum vt se illam esse probaret, quæ olim os mutum Zachariæ Patris aperuit, & Io. in vtero Elizabethæ in laudes creatoris excitauit, & potens esset ex ore infantiũ & lactentium perficere laudem non vnicam, ad destruendum inimicum & vltorem. Eo loci postea ciues Lucenses sacellum, ad extremum Ecclesiam magnifico sumptu extruxerunt, atque imaginem eandem intulerunt, multis ac maximis miraculis ad hæc vsque tempora illustrem.

VI. FLORET B. PONTIVS SANTEGIDIANVS PRÆD. PROVINC. TOLOSAN. *Leand. lib. 5.*

Circa idem tempus floruit in *Prædicatorio* Ord. B. F. Põtius Sant Egidianus *Prouincialis* Tolosanus, Clemẽti Pont. Max. & S. Ludouico Regi longe charissimus. Tãta charitate erga proximos ferebatur, vt quotquot posset iuuenes idoneos, sed propter paupertatem à liminibus scientiarum exclusos reperire, colligeret, & ad studia capessenda non tantum inuitaret, sed etiam eleemosynis in eam rem collectis, adiuuaret; & postmodum ad sacram religionem iam eruditos pertraheret. Inquisitoris officio apud Tolosates functus, multos labores, multasque calamitates pro fidei defensione tulit: cum in castigandis hæreticis, etiam Principũ vultus non timeret. In religionis obseruantia, humilitate, abstinentia, innocentia, cõtinentia, mortificatione sui, cæterisque virtutibus, in quibus summam perfectionis ponebat, ad summum fastigium euaserat. Cumq; plures insignes viros religioni *Prædicatoriæ* acquisiuisset, & ipse ad exemplar eorum natus multis annis Ordinem tum adornasset, tum in partem curarum assumptus administrasset, ad sempiternam felicitatem feruentissimo desiderio euolauit, atque vitæ sanctitatem qua pollebat, miraculis variis post se relictis seu perpetratis illustrauit: apud Briuiam sepultus.

VII. Hoc an. apud Insubres, castrum Mozanigum, hæreticis refertum, ex decreto Inquisitoris Mediolanensis Ord. Prædic. dirutum, soloque æquatum est, sumpto de hæreticis ex lege supplicio. *Bernar. Cor. p. 2. hist. Mediol.*

VIII. SARISBVRIENSIS EPISC. NOBILEM SACRILEGVM STVPRATOREM DVARVM MONIALIVM EGREGIE PLECTIT.

Eodem an. in Anglia VValtherus Sarisburiensis Episcopus intemperantiã Osberti Ghifordii militis egregie vltus est. Delatus fuerat, quod duas sacras virgines abduxisset, atque constuprasset. Hunc crimen confitentem, ab anathemate quod incurrerat, ad pedes eius supplicẽ absoluit, pœnitentiamque quam ille præstare iureiurando promiserat iniunxit. Hanc videlic. vt sola camisia tectus, & cætera, pudendis tantum velatis, nudus, nouem fustigationes, tres apud forum Sarisburiense, tres apud Shatesburiam, tres vero apud Viltoniam subiret. Sacro etiam Cinerum die, cum aliis pœnitentibus exturbaretur, omnibus interim militaribus insigniis, vestibusque pretiosis abstineret, & pro indusio cilicium gestaret, & ad extremum sacram militiam triennio militaret. *MS. Vatic.*

IX. OBITVS B. MANETTI ORD. SERVORVM ET MIRACVLA.

Florentiæ in Hetruria, in Domino obdormiuit hoc an. B. Manettus, à Clemente IV. Religioni Seruorum prælatus. Fuit vir admirandæ sanctitatis, qui solo Crucis signo dæmones ex corporibus hominũ effugasse traditur: & qui orationis & eloquentiæ efficacia, multos peccatores famosos ad meliorẽ frugem cõuertit, ac solo Crucis signo morbos insanabiles curauit. Cũ aliquando nobilis quidam Florentinus corpore cõtractus, surdus & mutus à propinquis ad eum adductus fuisset, ei, vbi Missam celebrasset, & sacrã Eucharistiã infirmo porrexisset, gradiendi, loquendi, & audiendi facultatẽ, non sine adstãtium admiratione restituit. Mortuo in Diuæ Annunciatæ Templo insigne ex marmoribus pretiosis sacellum excitatũ fuit, miraculis illius vtrimque depictis. Quinquẽnio ante Manettũ B. Ami Deus eiusdem instituti Seruorũ obiit: cuius sanctitatem Deus miraculis testatam esse voluit. In quibus puerũ in lacuna prope montem Senariũ præfocatum, & ad se delatum, signo Crucis & oratione ad vitam reuocauit. Eo autẽ è vita abeunte, mira odoris fragrantia percepta, & flãma ignea super ipsius caput cælitus descendens visa est. *Ex Chron. Seruorum.*

ITEM OBITVS B. AMIDEI.

X. RELIQVIÆ SS. MARTYRVM PVTEO RECONDITORVM MONITV B. M. V. PER DEVOTAM MATRONAM ET SANCTAM DETECTA SVNT.

Hac tempestate, Iacob. Cauaccius opinatur accidisse rem, quæ inter historias cænobii D. Iustinæ Patauinæ relata, & antiqua apud ciues Patauinos traditione celebris, vitio tamen vel temporum vel scriptoris non exprimit annum quo gesta est: quamuis summa fide conscripta etiam à loco, memoria, rebusque secutis optime sibi respondeat. Mos erat apud propinquas vrbes, vt sub ipso die Ascensionis Domini nostri Venetias frequentius iretur. Peregrinationis causa ortum duxerat ex indulto Alexand. III. Pont. Max. quo crimina dimittebãtur his, qui eo die templum D. Marci Euang. vrbis patroni pie adiuissent. Ad spiritualem quæstum accedebat splendor Veneti Senatus in eo festo celebrando, atq; nundinæ ex opibus totius orbis institutæ. Inter cæteros, qui ab vrbe Veronensi profecturi erant, mulier quædam Iacoba nomine, sanctitate quam genere commẽdatior, per quietem aspexit Virginem Deiparam cælesti lumine, quod Reginam cœlorum & Angelorum decebat, circumfusam, audiuitque percontantem suscepti itineris causam. Ipsa indulgentiam culparum respondit, cui virgo Dei mater: Alia item occasio est, quæ eandem tibi criminum expiationem, Sanctis autem martyribus gloriam, & christianæ plebi multa beneficia importet. Patauii in templo Iustinæ martyris puteus latet oppletus ossibus Sanctorũ, qui variis suppliciis necati, præmio inuictæ fidei in cælo fruuntur. Ea fideles cæteri, ex proximo agone clam in puteum congessere. Hunc tu gnauiter requiras, atque ciuibus enũcies. Mulier diuinos monitus inane somnium arbitrata, neque se tanti existimans, sequenti nocte ab eadem SS. virgine increpita, iubetur quamprimum reuelatum locum inuestigare: cuius etiã indicium accepit. Illa confestim Patauium veniens, cæpit obuios quosque ad cælestem thesaurum excitare: quorum pleriq; fæminam sequi, alii deridere, nonnulli quasi fatuam lapidibus incessere. Quibus sanior mens erat, eam ad requisitum templum perduxẽre: vbi illa astantes cæpit, ad contemplanda Dei magnalia, & Sanctorum memorias recolendas vehementius hortari, attraxitque auditorum animos, vt aliquid maximũ à Deo expectarent. Diutius ad aram præcipuam orauit: inde totum templum lustrauit, vt reuelati sacri putei indicia reperiret. Templi

medio circulus erat tessellati operis, id putei signũ. Mulier eo comperto ad ostium rediit, & ab æditio duodecim candelas accepit, quas ad circulum affixit: mox cum lachrymis in orationem procubuit. Vix deprecari cæperat, cum diuinus ignis repente duodecim candelas accendit, & de sacra turri æra nullo trahente sonuerunt. Monachus qui templi curam gerebat, sono excitus aduolauit, & vbi aspexit æra nullius ministerio, sed vltro ad sonũ impelli, ad Abbatem & Monachos rem detulit, eosq; in templum protraxit. Hi ardentes in orbem cereos, ac mulierẽ cum lachrymis orantẽ admirati, ab astante populo totam rei gestæ seriem acceperunt. Sonus è turri secutus est, quoad vniuersa candelarũ frusta consumpta sunt. Locus in memoriam sanctorũ martyrum, & diuinæ reuelationis coli cæptus, multis etiam miraculis coruscauit. Huius reuelationis annua solemnitas agebatur, die tertio ante festum Ascensionis, quam sua ætate appellatam festam diem stultę mulieris scribit Vngarellus, nunc sola Monachorum pietate agitur, cæterum apud ciues pene ignota. Idem auctor prodidit, ab Episcopo Patauino, sacrum puteum ne pedibus accedentiũ proteretur obductum fuisse Zophoro marmoreo egregii operis, & adiectam inscriptionem: *Hic requiescunt ossa innumerabilium sanctorum martyrum.* Zophorus extat, inscriptio deperiit. Monachi postea locum clathris ferreis circumdederunt: puteum tamen fodere, vel aperire, neq; ea ætas, neq; posterior ausa est. Post aliqua tempora superiores eius cœnobii proxima loca lustrantes, antiquissimum ibi cæmeterium repererunt, in quo sepulchra cuniculorum instar visuntur, & in his ossa Martyrum: ex quibus multa in os putei ingesta, pars ad solatium conciliandũ, pars ad excitandam pietatem orãtibus. Descensus eò satis profundus est, & locus perpetuò madens: olet tamen multam sanctitatem, vt nullus eò descendens erga Sanctos Dei deuotior nõ ascendat. Ex his ante aliquot annos Sereniss. Bauarię Dux Maximilianus, dum Roma in patriam rediret, reliquias postulauit, & accepit. Beata Iacoba porro, suo tempore Patauii sancto fine decessit, atque apud D. Iustinæ Basilicam condita decubuit. *Iacob. Cauaccius li. 3. hist. cænob. D. Iustinæ Patau.*

XI. PISANI PYRATÆ IN VRSINOS AB CAROLO SICIL. REGE REPRIMVNTVR.

Hoc anno cum Pisani S. Rom. Eccles. rebelles, pyraticam exercẽtes, quamplurimos Guelfarum partium, variis incommodis affecissent, & in his Bartholdi Vrsini Romani naues, in quibus victualia è terris illius percepta in vrbem vehebãtur, diripuissent, Carolus Rex Siciliæ, ac Rom. Imperii in Etruria per sanctam Roman. Ecclesiam Vicarius Generalis institutus, datis ad vniuersos Regni Siciliæ officiales literis, repressalia, durante inter Ecclesiam & Pisanos bello, in Pisanos eosdem Bertholdo Vrsino concessit. Neapoli XII. Nouembr. *Ex monumentis Familiæ Vrsinæ.*

IESV CHRISTI
Annus 1270.

INTER-PONTIFICII Annus Secundus. MICHAELIS PALÆOLOGI Imperat. Orient. XI.

I. TRAIECTVS S. LVDOVICI IN AFRICAM, EIVS VICTORIA DE AFRIS ET MORIS. *Mariana li. 13. ca. 19. Æmil. & Guagnin. in S. Ludouico.*

TAnto ardore recuperandi loca Christo Redemptori olim dilecta, Principes Christianorum flagrabant, vt quamquam Proceres Ecclesiæ Rom. nullum adhuc hoc anno Põtificem Roman. esse voluissent, qui ad eam sacram militiam classicum occineret, ipsi sua sponte inclinati, in mortes certas potius ruerent, quam ad sancta signa celerarent. Eduardus *Anglicæ* iuuentutis Princeps, vt conuenerat, Hispaniæ atq; Italiæ littora cum valida classe legens, ad Ptolomaidem copias exposuit: in ipsis initiis à supremo vitæ periculo numinis ope seruatus. In Cubiculo erat, cũ percussor eum adortus, vno atq; altero vulnere ex insidiis affecit: & certe confodisset, nisi cubicularius accurrisset. Insidiator in vestigio trucidatus est. Sceleris præcipuus auctor, ne tum quidem potuit cognosci. Arsacidas *Assasinosque* gentem in pericula promptam, fama tenuit. Porro mirum hoc videtur, Barbarum Sicarium quamquam mutato cultu, gnarumque linguæ Christianorum, per tot aulæ ministros, corporisq; custodes: per tot ianitores, excussores, apparitoresque, qui filiis Regum summisq; Ducibus tam procul tantum bellum inferentibus, esse solent, viam sibi vi arteve vlla in cubiculum Regii iuuenis fecisse videri, potius quam propioribus insidiis eum tentatum. Sed hæc coniectoribus relinquo. Rex Sanctus, conuocato ex toto Regno prius Concilio, conditoq; testamento, ac Regni administratione, custodiaq; Simoni de Nella, & Dionysiano Abbati Matthæo Vindocinensi permissa, classe apud aquas mortuas parata, cum tribus suis liberis Philippo, Ioanne, atque Petro, Anno Christianæ Salutis millesimo ducentesimo septuagesimo, Kalendis Martii, Massiliâ soluit: Cum in altum delati fuissent, ægre per sæuissimas tempestates ad Sardiniam Insulam appulerunt. Vbi recreatis iis, qui morbo laborabant, cum reliquæ naues ex Massilia aduenissent, Thanicium nauigare decreuerant, tum propter Consilium Regis Siciliæ vt Mauros Africanos distinerent, seu in potestatem redigerent, tum propterea, quod eius terræ Princeps, missis aliquando ad Ludouicum nunciis, religionem Christi profiteri proponeret, si per Procerum suorum voluntatem commode posset. Hac spe adductus Rex, cum non longe à Carthaginensi portu abesset, Admiraldum cum aliquot nauibus præmisit: qui duabus tantum nauibus in ipso portu visis, eas occupauit, & militem in continentem eduxit, significans Regi, opus esse maiori manu. Igitur Ludouicus mouens, cum nocte illa copias nauibus continuisset, interim hostis littora armatis compleuit. Egressis tandem in terram Crucesignatis, fontesq; aut puteos quærentibus, occurrit copiis potenter instructus hostis. Qui tametsi summis viribus Christianos adoriretur, decem tamen millibus suorum occisis, terga vertit. Re bene gesta, Classis præfecti Ludouicum conuenerant, admonuerantque Carthaginem non magno negotio expugnari posse: si ad muros vrbis copiæ promouerentur. Acceptis à Rege copiis, præfecti Carthaginem oppugnare cõstituerunt. Interea hostes eruptione facta castra Crucesignatorum inuaserunt. Non erat tunc temporis Carthago amplius antiqua illa Tyriorum Colonia, vrbs tam nobilis, tam ferox, tam potẽs imperio, & orbem terrarum spe conatuq; complexa: sed aut in ruinis eius vestigiisq; restituta aut non procul sita: vt admoneret, obsideri se terra marique, capi, diripi, exscindi, euerti posse; toties capta, toties excisa, toties renata, toties veterib. colonis occisis, aut habitanda feris relicta, aut nouis, nouæq; religionis, linguæque ignotæ mortalibus, eadem ipsis quoque fata expectantibus, frequentanda. Talis tamen vrbs, velut ingenio loci, cœlique vi ac natura, & ingenito pectoribus in Latinos odio flagrans, simul callida Consilio, nec minus dolo arteque, quam armis instructa, tam atrox, tam anceps certamen Gallis præbuit, vt renouata fuerit memoria, priscæ Pænorum virtutis. Terrestri prælio, aperta acie, loco æquo, collatis signis diu sanctum Regem tenuẽre: non cedebant, vulnera inferebant, accipiebantque, nõ terrebantur. Redintegrato ab hostibus clamore, impressionem, impetum, ruentes Gallos sustinuerunt, connixi tolerarunt, prælium quam diutissime protraxerunt, si illos lassitudine afficere, ac ita languentibus viribus, cadentibus animis, subeunte tædio fessos, cõficere tandem ipsi possent, leuioribus armis vsi, onere armorum oppressos. Ludouicus cum videret hostes non moueri loco posse, ac pro victoribus discessuros, nisi magna clade vincerentur, cedere sensim suos iussit, ac hostes procul ab vrbe abduci: simul magistrum equitum alam delectissimi equitatus circumducere, ac inter hostium aciem, vrbemq; locum occupare, seque hosti à tergo ostendere, ac terrorem iniicere. Istud cum factum esset, tunc pertinacia fracta, tunc Pænus respicere, vulgus militum animo labare, mente sibi non constare. Duces Barbarorum præsenti ac minime perturbato animo ancipitia constitui signa iussẽre, ac duplici fronte vtrinque excipere impetum Gallorum; cohortari, adesse, qua parte laborare suos videbant, eo accurrẽre. Receperant animos Barbari: redintegrabatur pugna, cum ex vrbe nouus clamor, index laborantium & ibi rerum, exortus, terrorque rursus obstupefecit & eos qui aduersus Regem, & eos qui aduersus magistrum equitum, pugnabant, Classis. n. Gallorum Oppidanis in spectaculum pugnæ terrestris versis, metuque & spe ea parte suspensis, arci maritimæ admota,

eam repentino terrore cepit. Id denum totam rem inclinauit, nec iam pugna in acie, sed fuga Barbarorum passim fieri cæpta. Verum circumuentis, nullus receptus erat, signum à sancto Rege datum, vt qui abiicerent arma, iis parceretur. Ita maior numerus captorum, quam cæsorum fuit: & vrbs arce amissa, propositaque ab Rege salutis spe deditionem fecit. Nec eare debellatum. Ad Tunetem nobiliorem tunc vel ipsa Carthagine vrbem Regiam, castra mota. In itinere cum Rege gentis pugnarum: ad decem millia Afrorum cæsa: vrbs obsideri cæpta, acie victi semel atq; iterum Barbari, virtutem Gallorum vltra sibi experiendam non statuerunt, neque fortunam periclitandam. Sanctus Ludouicus interim consilia Barbarorum animo circumspiciens, non prius inde mouere, quam recepta vrbe constituebat. Vrbs frequentissima multitudine ciuium incolarumque, redigi ad inopiam commeatus posse videbatur. Terra mariq; obsessa, ac exclusa omni spe inuehendi frumenti, iam in sextum mensem continenti obsidione clausa, de deditione agendi per Oratorem initium fecit. Dum autem de conditionib. disceptaretur, in castris Crucesignatorum, propter pestilentes aquas & aeris intemperiem exorta pestilentia, populari Christianos cæpit. Decessit infausto nomine filius Regis Ioannes Tristennis, natus patre olim à Barbaris circumuento, moriens patre protinus moriturо. Decessit & Niuernensis Comes, & Sedis Apostolicæ Legatus, & plebeiorum non pauci.

II. MORS S. LVDOVICI, VIRTVTES, SANCTITAS, MIRACVLA.

Et Ludouicus ipse ventris profluuio laborans, postquam ad se vocatum Philippum filium salutari doctrina admonuisset, sacris Christianis, multa religione ac pietate perceptis, cinericio strato decumbens, septem & quinquaginta annos natus, animam efflauit. Eius tam religiosi Principis plurima opera, miraculis comprobata leguntur & creduntur. Omni Quadragesima, & per solemnem Christi aduentum; & diebus quatuor ab suscepta Eucharistia, vxoris consuetudine abstinuit. Peccatorum confessionem omni sexta feria Sacerdoti faciebat. Erat illi flagellum, quinque cathenulis ferreis confectum, quod in eburnea pyxide ferebat: quo post factam cõfessionem, à Sacerdote, detectis scapulis flagellabatur, cilicium frequentius tulit; eo cum admonente confessore abstineret, nihilominus & cingulo cilicino ad nudam carnem stringebatur, & dietim quadraginta solidos pauperibus erogabat. Per omnem vitam singulari charitate pauperes curauit: ita vt plurimos dietim reficeret, atque illis pedes ablueret. Neq; horrori sibi fuerat, exulceratos leprosos ad colloquium admittere, eosque exosculari. In extrema ægritudine laborans, sæpius istam orationem orauit: *Hac nos Domine prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare.* Pro populo quoq; suo postulabat, dicens: *Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos.* Et cum extremam sibi horam imminere cerneret, in cœlum suspiciens, & illum versiculum Psalmi; *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domini*: pronuncians, sanctam animam efflauit, rebus gestis magnus, sanctitate magnus.

III. TESTAMENTVM S. LVDOVICI EX ARCHETYPO CAROLI V.

Primogenito filio testamentum reliquit: quod ex Caroli V. Imperatoris Archæo, ecce habes istis verbis.

1. Deum libera mente amato, quo sine nemo saluus est.
2. Nullo illum crimine offendito.
3. Tolerabiliorem tibi mors esto quam peccatum.
4. Sire premat aduersitas, durato, tanquam commeritus, hinc tibi prouentus accrescit.
5. Si prospera blandientur, gratias illi exsoluito. Non superbito, dementis est ob acceptum beneficium in datorem extolli.
6. Perito & sapienti Sacerdoti, tuam frequenter conscientiam aperito: qui te intrepidus male operantem liberè reprehendat, doceatq; quid sequaris.
7. Diuinam rem atque Ecclesiasticam religiosè auscultato. Nec non confabulator huc atque illuc circumspectans, sed voce mente que Deum orato: illo maxime tempore, cum hostiam consecrat, tractatque Sacerdos.
8. In egenos pius esto, & miseriis illorum pro tuis facultatibus subuenito.
9. Cum tibi animus dolet, anxiusque erit: id quod molestum est, aut Sacerdoti, aut fido tibi amico reuelato: quodcunque illud est, leuius feres.
10. Religiosis aut probis sæculi viris sæpius communicato: Perditis autem atque perfidis abstineto.
11. Sanam doctrinam clam palamve libens audito.
12. In quacunque re bonum diligito, malum ne foueto.
13. Nulli fas esto, te coram loqui, quod peccati præ se ferat exemplum. Igitur detractoribus dum ades, fores recludito.
14. In Deum & sancta blasphemos, indemnatos ne præterito.
15. Pro acceptis bonis, Deo gratias sedulus agito, vt meliora recipere dignus habearis.
16. Erga Christicolas, pro æquo & bono, rigidus rectusque esto, nec in vllam partem reclinato.
17. Pauperum causis eatenus faueto: quoad verum se prodat.
18. Si aduersum te quæstio agitatur, minus tibi quam litigatori, donec verum compereris, indulgeto: eo pacto; iis qui tibi assistunt consules, liberiusque & sanctius iudicium fier.
19. Si quid alienum ministri tui, vel ipse occupas, idq; certò nosti, mox restituito.
20. Si dubia res est, Inquisitoribus, qui verum protinus perquirant, committito. In hoc enim maxime re versari decet, vt ii qui magistratus gerunt, quiq; tibi subduntur, quietissime viuant: & inprimis viri religioni & diuinis rebus addicti. Ego enim à maioribus accepi, Philippum optimum Regem, vnde nostrum genus deducitur, id diligentissime obseruasse. Cum enim ex consiliariis eius aliquot ad eum detulissent, Ecclesiasticos homines ditionem & regia iura vsurpare, vnde sua dignitas & amplitudo læderetur: Credo, inquit, id, quod loquimini à vero non abhorrere, sed Dei beneficiorum memor, meis aliquid rebus detractum iri malo, quam Dei & Ecclesiam & seruos in contentionem adducere, propter quod scandalum oriatur. Igitur Dei famulos quam maxime potes diligito & paci consulito.
21. Parentibus reuerens esto, eorumque præcepta ne spernito.
22. Sacerdotia, id est, Ecclesiastica beneficia, bonis & optime merentibus conferto. Cum hæc facturus eris, prouidos ante homines consulito.
23. Bellum, nisi aprime consultus, in Christianum ne gerito, si gerendum erit, Ecclesiam atque insontes protegito.
24. Omni bello, & contentioni finem imponere, D. Martini exemplo quo ad potes studeto.
25. Prouidos tibi ministros & magistratus instituito, eorumque mores & opera scrutator, nec domesticorum facta omittito.
26. Peccatis te obiicito.
27. Execranda iuramenta prohibeto.
28. Nouis sectis & hæresibus, capita, id est, initia præscindito.
29. Domesticæ impensæ curam adhibeto, eamque rationis lege moderator.
30. Denique fili, te horter atque obsecro, si præ te, terris abiero, animæ meæ obsequiis & rebus diuinis subueniento: & quæ post hæc feceris bonorum omnium mihi partem concedito.
31. Illud ad extremum, fili charissime, Deum precor, det tibi quasque benedictiones, quibus probatissimus pater filio benedicere potest. Et qui trinus & vnus colitur Deus, te custodiat, aduersum omnia mala te protegat, ita vt ãte ingiter honoretur, vnaque cum illo post huius vitæ exitum, viuere, & illum laudare mereamur. Hæc sanctus Rex filio.

V. RELIQVIARVM OBSERVANTISSIMVS, S. LVDOVICVS.

Fuit Ludouicus inter alia sanctarum reliquiarum obseruantissimus: adeo vt immenso labore & maximis impendiis, sacrosanctam Domini Iesu coronam spineam, magnam S. Crucis portionem, ferrumque lanceæ qua Christi latus confossum fuit, à Balduino secundo Constantinopolitano Imperatore impetrauerit, eaque omnia cum multis aliis sanctorum reliquiis, in Regio Sacello, Parisiis elegantissime exstructo, reposuerit. In regni administratione singularem prudentiam & auctoritatem adhibuit: prorsus vt omnes

omnes regni Procetes sincerè & ex animo (quod rarum esse solet) illum diligerent, & nõ medio criter venerarentur. Causis Pauperum quas formidabat, non magnæ curæ præfectis suis esse, vt quam optime prospiceret, bis hebdomadibus singulis, publico in loco residens, eorũ omnes querelas Rex benigne audiebat, controuersiasq; cum iustitia ac misericordia expendens, quam celerrime decernebat. Post obitum miraculis multis illustris à Bonifacio VIII. in sanctorum Catalogum ascriptus est.

VI. CAROLVS CRVCESIGNATOS AD TVNETVM MORTVO LVDOVICO ERIGIT, ET BARBAROS DEIICIT.

Ludouico ad eum modum defuncto, cum insigni ignominia discessum ex Africa esset, vsque adeo vires Crucesignatorum & animi cõciderant, nisi Caroli Siciliæ Regis superuentu confirmati essent. Eo enim die quo Ludouicus mortem obiit, Carolus in castra Gallorum venit. Huic obuiam procedentes primores exercitus, dissimularunt vt poterãt mærorem, eumq; præ se ferentes lætitiam exceperunt. Verum non ita facile dolor occultatur, quin aliquo se indicio prodat. Igitur Carolus languẽtem quamdam Procerum lætitiam admiratus, moxq; qualiter Rex haberet, percontatus; cum illi morbo affectum esse respondissent, festinauit inuisere. Hunc vt mortuum conspexit, humi prostratus, cum breuem ad Deum orationem emisisset, surgens à lachrymis temperauit, neque mæstitiæ signum prodens, bono animo esse omnes hortatus est. Postea verò quam morte sancti Regis & luctu perculsos Crucesignatos cõfirmasset, simul hostes feroces, & sublatis spiritibus, crebris eruptionibus, leuibusque prælijs superbam fiduciam ostentantes, in iustam obsidionem rursus coercuit. Continuò & Anglica classis appulsa, copias piorum spesq; auxit, atque Barbaris nouum terrorem iniecit. Decesserat Richardus Rex Romanorũ electus, frater Regis Angli. Henricus autem eius filius Cornubiæ comes, ignarus sanctum Regem diem suum obiisse, classe adueniens, in Africam descensionem fecit, vt quod futurum propediem spes erat, Tuneto Regia vrbe in potestatem Crucesignatorum redacta, quæ piis ad eam diem mare infestum fecisset, coniunctis classibus in Syriam ad Eduardum patruelem cursum dirigeret, nec inde decederetur, nisi ea prouincia confecta.

VII. PACTA INDVCIARVM CVM ANGLIS, FRANCIS, ET ITALIS A BARBARIS PRÆSTANDA.

Barbari ab Anglis, Francis, Italis, terra mariq; oppugnati, circumuenti, ac fame grauius quam vltra ferre possent laborantes, rursus mentionem pacis facere cæpere. Neque illam Christiani aspernati, pestilentia eos populante. Induciarum hæ fuerunt leges: Impensas omnes præsentis expeditionis Saracenus auro compensaret. Quadragena millia aureorum Siciliæ Regi Rex Barbarus quotannis numeraret: quantam summam Siculus Rom. Pontif. ex formula debebat. Captiuos Christianos liberos dimitteret. Fratres Ordinum Diui Dominici atque Francisci vrbibus reciperet, his de Christo publice verba faciendi ius esset: ac si quis Afrorum Christianam religionem profiteri sacris permotus cõcionibus vellet, sacra lauatione initiandi lustrandiq; fieret potestas. His vtrimq; propositis, receptisq; auri parte dissoluta, decennes induciæ iuramento pactæ sunt.

VIII. VARII PRIMATES EX PESTILENTIA AFRICANA MORTVI.

Demum parata classe, & milite recepto, inde in Siciliam decurrebant, magna spe mutatione cœli leniri luem grassantis pestilentiæ posse. In conspectu Siciliam habebant, cum tempestas atrox naues disiecit, nec paucis submersis reliquas quassauit. Hæc non modica clades ex Africana lue elapsos, mari afflixit. Mari vexatos, terrestris rursus calamitas excepit. Isabella Philippi vxor in itinere defuncta est. Drepani in extrema Sicilia, vi morbi iterum glisscente, Guillelmus Comes Flandriæ decessit. Theobaldus quoque Rex Nauarræ ad Quintum Decembris extinctus est. Per Nobilia ignobiliaque capita vagatum malum, ne cessitatem imposuit sacri belli omittendi, & patriæ repetendæ. Ludouici Regis viscera ad montem Regalem in Sicilia, Corpus in Diui Dionysii prope Lutetiam sepultũ. Theobaldi Regis corpus odoribus differtum Peruini Campaniæ vrbe in Gallia, in maiorum sepulchra illatum est. Vxor Elizaberha consequenti anno, Aprilis 25. die, Hieræ in prouincia Phocæensi defuncta est: corpus in Barra monasterio compositum, inferiæ ex Christiano ritu omnibus magnifice factæ.

IX. ALPHONSVS REX IMPOTENS

Hoc anno in Hispaniis, contra Regem Alphonsum tumultuatum. Regni proceres fuerant animis alienati: nocebant asperi mores, & nimia seueritas, cui assueti non erant. Erat quidem Alphonso sublime ingenium, sed incautum, superbæ aures, lingua petulans, ipse literis potius, quam ciuilibus artibus instructus: cœloque obseruando & astris considerandis, nec non tertis amittendis aptus. Opportunum tunc aderat Rex Aragonum Iacobus, ad nuptias Ferdinandi, Burgos euocatus. Is vterat à multo vsu callidus, prouisa quæ imminebat, tempestate ex Principum alienatione, Alphonsum grauissimis verbis castigauit, præceptaque dedit: vt à subditis amari, quam timeri mallet. Reipublicæ salutem in ciuium beuenolentia esse; exitium in odio. Omnes Regni ordines sibi conciliare, fore salutare: Si minus id posset, Præfules & plebem imprimis complecteretur, quos Procerum insolentiæ opponeret. De nullo occulte supplicium sumeret, formidinis iudicio, maiestatis dedecore. Qui enim in alteram partem decernit inaudita causa, ius licet decernat, iniuriam tamen facit. Hæc ferme vitia in Alphonso culpabantur: quæ si opportune euulsa essent, magnis calamitatibus Respublica esset liberata.

ETSI ASTROLOGVS. *Mariana li. 13. c. 20.*

In Italia & Gallia per Inter-Pontificium Romanæ sedis, & Principum absentiam, Manichæorum recentium, & Waldensium hæreses, non minus licenter, quam impudenter omnia sacra temerabant. Nimis putentes sunt blasphemiæ, quas vtriusque nominis sectarii, in cœlum temere euomebant. Præstatet illas silentio sepelire: Cæterum ne discipulos eorum huius nostri sæculi hæreticos offendamus, si & authores à quibus dogmata hauserunt, & identitatem seu conuenientiam eorum cum primogeniis Sathanæ occuluisse mus, licet fætulentos vtrorumque articulos, quamuis non sine horrore, nec sine stomacho, liber tamen commemorare. Non enim dissimilia Lutherani, Caluinistæ, & reliqui pseudoeuangelici hoc sæculo deblatterant.

X. NOVI MANICHÆI PER ITALIAM ET GALLIAM, ITEM VVALDENSES. *Direct. inquisit. p. 2.*

RECENTIVM MANICHÆORVM Errores.

XI. ERRORES RECENTIORVM MANICHÆORVM.

1. *Duos Deos aut duos Dominos asserunt & fatentur: Benignum Deum videlicet, & Malignum. Malignum vocabant Satanam, Dominum huius seculi, & Principem huius mundi: atque ab eo omnia hac visibilia & corporalia, non autem à Deo patre cœlesti, quem Deum benignum appellabant, creata esse affirmabant.*
2. *Duas esse Ecclesias fingebant; vnam benignam, quam seam esse sectam, & Iesu Christi Ecclesiam dicebant; aliam vero Ecclesiam malignam vocabant, quam Romanam esse Ecclesiam volebant, eamque impudenter matrem fornicationum, Babylonem, magnam meretricem, basilicam diaboli, & Satanæ Synagogam appellabant.*
3. *Omnes gradus, ordines, ordinationes Ecclesiæ Sanctæ, & statuta Ecclesiæ despiciebant atque deprauabant; & omnes qui fidem eius tenent, hæreticos & errantes appellabant, nec aliquem in fide Romanæ Ecclesiæ, posse saluari dogmatizabant.*
4. *Omnia Sacramenta Romanæ Ecclesiæ, videlicet Domini nostri Iesu Christi Eucharistiæ seu altaris, Baptismi, Confirmationis, Ordinis, Extremæ vnctionis, Pœnitentiæ, & Matrimonii inter virum ac mulierem; omnia & singula asserebant esse inania: ac quædam alio loco ipsorum, tanquam Simiæ, confingebant. Loco Sancti Baptismi in aqua, alium baptismum spiritualem fingebant, quem consolamentum Spiritus Sancti dicebant. Quando scilicet aliquam personam in sanitate vel infirmitate ad suam sectam vel ad ordinem suum per impositionem manuum, ritu quodam execrabili admittebant. Loco Eucharistiæ Corporis Christi, panem quendam, quem benedictum seu Sanctæ orationis appellauerant, in principio mensæ, tenentes manibus, iuxta ritum suum benedicebant, frangebant & credentibus suis distribuebant. Loco Sacramenti pœnitentiæ, veram pœnitentiam esse dicebant, si quis eorum sectæ seu ordini se dedisset. Per id enim absolutionem ab omnibus peccatis, etiam absque satisfactione vel ablatorum restitutione promittebant. Seque super his, eandem & tantam, quantam Petrus & Paulus, & alii Apostoli potestatem habuerunt, obtinere iactabant: dicentes confessionem peccatorum Sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ factam, nihil penitus valere ad salutem, neque Pontificem, neque aliquem alium ex Romanæ Ecclesia habere potestatem aliquam absoluendi à peccatis. Loco autem Sacramenti matrimonii carnalis inter virum & mulierem, spirituale quoddam matrimonium inter animam & Deum subrogabant, tunc quando aliquis eorum sectæ sese addiceret, vel ordinem susciperet. Cætera alia irridebant & spernebant.*

5. *Incarnationem Domini nostri Iesu Christi ex Maria semper Virgine negabant, asserentes ipsum non habuisse verum corpus humanum, neque veram carnem hominis, quemadmodum habent cæteri homines ex natura humana. Vnde nec verepassum & mortuum in Cruce, nec vere à mortuis resurrexisse, nec vere ascendisse in cœlum in corpore & carne humana, sed omnia in similitudinem facta fuisse. Proinde Beatam Virginem Mariam negabant fuisse veram matrem Domini nostri Iesu Christi. Item negabant fuisse mulierem carnalem, sed sectam & ordinem suum dicebant esse Mariam, Virginem, veram, puram, castam & virginem, quæ generat filios Dei, quando recipiuntur ad eandem sectam & ordinem.*

6. *Negabant resurrectionem corporum humanorum futuram, loco eius confingentes quædam spiritualia corpora, & quendam interiorem hominem, in quibus & quolibet dicebant futuram resurrectionem esse intelligendam.*

7. *Dicebant, quia homo nunquam debet comedere aut tangere carnes, caseum, oua, aut aliquid natum per viam generationis.*

8. *Credebant & docebant, quia in animalibus brutis & auibus, sunt spiritus illi, qui recedant de corporibus hominum, qui non sunt recepti ad sectam & ordinem suum per impositionem manuum ipsorum, secundum ritum eorum, & quod transeunt de vno corpore in aliud: Quamobrem nullum animal, nullumque volatile aut occidebant, aut occisum tangebant, vel edebant.*

9. *Tactum mulierum & ipsi refugiebant, & reliquis interdicebant, & omnino condemnabant.*

VALDENSIVM AVTEM HI ERRORES, ET hæreses numerantur.

Asserebant: quia

XII. ERRORES HÆRESESQVE VALDENSIVM.

1. Non essent subiecti Rom. Pontifici, nec aliis Rom. Ecclesiæ Prælatis, dicebantque, quod eos Ecclesia persequeretur, & iniustè condemnaret.

2. Non possent excommunicari à Romano Pontifice, neque ab aliis Prælatis Ecclesiæ: neque ei tenerentur obedire, etiam si præciperent, vt sectam suam relinquerent, atque eiurarent.

3. Iurare in iudicio, siue extra iudicium, pro quacunq; causa, & in quocunq; casu est illicitum, & mortale peccatum.

4. Deierare in iudicio coram iudicibus fidei, de dicenda veritate, & reuelandis complicibus suæ sectæ non est illicitum, nec peccatum, imò licitum atq; sanctum.

5. Iudicare hominem ad supplicium vel ad mortem in nullo casu est licitum, imo semper peccatum mortale.

6. Decretales Ecclesiæ, & Constitutiones Pontificiæ, de iciuniis & festis colendis, non sunt obseruandæ, sed refutandæ & contemnendæ.

7. Valdenses quantumcunq; sint illiterati, nec ab Episcopis Rom. Ecclesiæ ad Sacrum aliquem ordinem promoti, tam viri, quam mulieres habent à solo Deo potestatem, sicut Apostoli habuerunt, audiendi confessiones in foro pœnitentiali virorum & mulierum, & pœnitentias, etiam salutares inungendi.

8. Indulgentiæ, quæ à Rom. Pontif. seu aliis Prælatis Eccles. conferuntur, nullius sunt valoris, efficaciæ seu virtutis.

9. In Sacramento Altaris, panis non transubstantiatur in verum Christi Corpus, nec vinum in sanguinem, si consecrator sit peccator.

10. Omnis homo, qui non est de secta eorum, peccator est, & ex consequenti, nullus celebrans, vere conficit corpus Christi, nisi sectæ eorum, & credens erroribus eorundem.

11. Quilibet siue sit laicus, siue sit vir, siue mulier, si tamen sit eorum sectarius, potest vere consecrare atque conficere corpus Christi.

12. Omnis vir, & omnis mulier de secta eorum, est vere Sacerdos.

13. Animæ decedentium, statim vt decedunt, euolant ad paradisum, vel ad cœlum, & descendunt damnatiad infernum, nec aliquis purgatorium ingreditur.

14. Purgatorium nihil est, atq; Missæ, eleemosynæ, orationes & suffragia, & alia quæ in Ecclesia Romana fiunt pro defunctis, nihil eis prosunt, nec prodesse possunt.

15. Sancti qui sunt in cœlo, orationes nostras non audiunt vnquam, nec exaudiunt, nec pro nobis ad Deum orant, vnde non est licitum eos orare, nec eorum suffragia implorare, nec pro eorũ reuerentia festa celebrare. Quamobrem & miracula eorum quæ ab hominibus recitantur, tanquam essent falsa & fictitia reprobabant, neque fidem illis dandam esse affirmabant.

16. Melius est satisfacere libidini, quocunq; actu turpi, quam carnis stimulis fatigari. Sed est in tenebris licitum, quemadmodum ipsi dicunt & faciũt, quemlibet cum qualibet indistincte carnaliter commisceri, quar documque & quotiescunque carnalibus desideriis stimulantur.

17. Symbolo fidei non est standum, nec credendum, neque pro oratione dicendum; cum sit per Romanam Ecclesiam (vt dicebant) ordinatum.

18. Nec Salutatio Angelica, Aue Maria; nec orationes quæcunque aliæ sunt admittendæ, neque dicendæ, quantumcunque per Romanam Ecclesiam fuerint ordinatæ, nisi tantum Pater noster: cum hæc oratio sola per Christum fuerit ordinata.

19. Ipsi sunt successores Apostolorum in Euangelica paupertate, & cognoscunt melius fidei veritatem, quam Prælati, clerici seu religiosi de Ecclesia Romana, & quod eis, non autem illis est credendum.

20. Papa, Episcopi, & Prælati, qui habent diuitias huius mundi, & Sanctitatem Apostolorum non imitantur, non sunt Ecclesiæ Dei veri pastores vel gubernatores, sed lupi rapaces, & deuoratores: neq; talibus Christus dignatus est Ecclesiam committere Sponsam suam. Vnde non est eis credendum, neque obediendum, sed ipsis solis Valdensibus, qui siue mares, siue fœminæ fuerint, à solo Deo habent potestatem celebrandi, confessiones audiendi, pœnitentiasque imponendi.

Hæc & alia supra memorata quam plurima, vtrique impii, vtrique pro parte sua blatterabant, & vniuersum ordinem cœlestis hierarchiæ, isthic in terris à Saluatore nostro positum; miscere volebant. Ille tamen qui in cœlis formauit Arcturum, & Orionа, & hyadas & aurorã, & Solem ad exumbrandas quantas, quantas cæcas noctes; etiam isto ævo, & sæculo, non pauciores stellas, in perpetuas æternitates lucentes, siue suscitauit, siue conseruauit, siue etiam excitauit, ad discutiendas tenebras, ad sagittas in die volantes retundendas, adque incursum & dæmonium meridianum dispellendum, inter reliqua Ecclesiæ Sydera, Diuus Bonauentura Ordinis Minorum, & Diuus Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum, tenebrionibus suffundendis, & erroribus exterminandis, tum verbo, tum scriptione supra omnes reliquos huius & plurimorum aliorum sæculorum Doctores, plurimum lucis affuderunt. Diuus Thomas fere solos Manichæos, quos hoc tempore impugnarat, sibi designarat. Aliquando à Diuo Ludouico Rege Gallorum ad conuiuium inuitatus, atque mensæ assidens, non potuit ardorem quo Manichæos impugnare flagrabat, non prodere. Ex vehementissima enim meditatione, in extasim raptus, & tandem ad se reuersus, mensa manu percussa: *conclusum est*, inquit, *contra Manichæos.* Neq; Valdenses intactos reliquit; quos, dum Angelicæ doctrinæ summã, in extremo vitæ limine, velut quoddam scutum inexpugnabile Ecclesiæ, contra quosuis hostes parasset, doctissime, solidissime & ad Petram Petri validissime allisit. Non impar viribus Diuus Bonauentura, vtroque, vtroq; lacerto armatus exagitauit, profligauit, & prostrauit.

In Aragoniæ Regni etiam locis, non defuerunt aliqui viri illustres, qui contra Hæresim strenue decertarunt. Petrus Caderita & Guillelmus Colonicus ex Prædicatorum instituto hæreticæ prauitatis Inquisitores, à sede Apostolica delegati in erroris Albigensium, & aliarum hæresum suspectos, atque conuictos, in diœcesi Vrgelitana, assidente Aprili Vrgellitano Episcopo senere hoc anno animaduerterunt, Arnaldum Castelbonium Vicecomitem, & Ermesendam Fuxensem Comitem eius filiam, Rogerii Bernardi Fuxensis Comitis auiam impietatis condemnarunt, & eorum famam memoriamque detestandam sanxerunt: olla erui atq; inuri iusserunt. Rogerium Ermensendæ nepotem, eodem crimine in iudicium arcesserunt. Hæreticorum fautoribus,

XIII. D. THOMAS ET B. BONAVENTVRA FLORENT, HORVM HÆRETICORVM ANTAGONISTÆ.

CELEBRE ILLVD CONCLVSVM CONTRA MANICHÆOS.

XIV. HÆRETICORVM IN ARAGONIA OPPVGNATORES DOMINICANI. *Surita lib. 1*

toribus, atq; affectatoribus graues pœnas inflixerunt. Nam cum plures ex impiorum eluuie, ex Tolosatibus, Biterensibus, & Carcassonensibus in Cataloniam migrantes, labem atque perniciem Prouinciis Hispaniæ citerioris inferrent, Raymundus Pennafortius religione & sanctitate venerandus summopere connisus est, vt Rex à sede Apostolica obtineret, vt hæreticæ prauitatis iudicium in hæreditariis Regnis, & bello partis, seuera animaduersione, ex sacrarum Sanctionum Apostolicis decretis constitueretur.

XV. VIRI ILLVSTRES EX ORDINE PRÆDICATORVM MORTVI. *Leand. lib. 2*

Hoc anno Guido Longimellus Ordinis Prædicatorum, magna sanctitate præditus, vna cum socio, Saracenis verbum vitæ disseminans gladiis eorum pro fide Christi cæsus, Martyrii palmam adeptus est.

Eodem ipso anno multi ex eodem Prædicatorio ordine cœlestibus Regnis sese insinuarunt. Ex his Guillelmus Anitiensis Gallus, profunda humilitate & insigni pietate, cum extremum spiritum agens, sacro oleo inunctus, oculos extersisset, aperuisseque, Angelorum choros in viciniore hortulo sibi apparentes, animam suam expectare, gloriamque Paradisi in cœlis sibi repositam se videre renunciauit, inque iis dictis feliciter expirauit. F. Bonaspennius Perusinus ei æqualis, propter miram deuotionis & sanctitatis laudem Alexandro IV. Pontifici Maximo longe charissimus, eique à sacris confessionibus addictus, ac subinde summus Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius: cum ab eodem Pontifice Episcopatum Fanen. sibi oblatum recusasset, aliquando non ex ambitione, sed vt suffragiorum Ordinis, quæ pro Patribus eo in officio defunctis, per vniuersam Prædicatorum religionem, ab omnibus & singulis Fratribus fieri solent, particeps foret, exambiuit officium Definitoris Capituli Generalis. Communibus votis creatus, pedes in Gallias iuit, indidemque miraculis clarus, Metis quieuit. Par huic Beatus Thomasellus Perusinus, in quo incertum, maiorne pietatis an doctrinæ prærogatiua fuisset. Tantæ austeritatis, & mortificationis carnis, vt pro cilicio, loricam in nudo corpore gestaret, prophetiæ dono prædictus, anno ante quam ab humanis excederet, finem vitæ suæ prædixit, nec maior viginti octo annis, magna opinione sanctitatis Perusiæ defunctus est. Contemporaneus istorũ B. Iacobus Casertanus, Thomę Aquinatis non tantum discipulus, sed & virtutum æmulator, atque admirandorum quæ circa Diuum spectator. Is videre meruit sanctum Doctorem in sacello S. Nicolai duobus cubitis à terra in oratione eleuatum, tunc cum Crucifixi imago vocalis facta ei dixit: *Bene scripsisti de me Thoma: quam ergo recipies pro tanto labore mercedem?* Nobile par virginum istos ad gaudia cœlorum secutæ sunt hoc anno Hungara natione.

VOX DIVINA DE SCRIPTIS D. THOMÆ.

XVI. S. HELENA VIRGO STIGMATA HABVIT I. C. D. N.

B. Helena prior se ostenat, vsque ad miraculum, fere admiranda. A vehementissima Dominicæ passionis contemplatione, stigmata in manib. & latere dextro, quæ poterant videri Christo imprimente recepit. Quo tempore, die festo D. Francisci, vulnus dexteræ eius manus paulò antequam moreretur cicatrice obduceretur, aureus circulus in vola, lilium candidum inclusum cõtinens apparuit. Quod cum illa aspexisset, vociferata est: *Ne fiat, quæso, istud mi Iesu: ne appareat oro istud mi Redemptor.* Frequentius cum oraret, corpore in aera eleuabatur, cœlestes quoque Angelorum melodiæ circum illam personantes, nec non sanctorum plurimi illi colloquentes audiebantur: lumina cœlitus accensa coram illa apparebant: literæ auro diuinitus in manibus eius scriptæ nonnunquam legebantur. Aliquando nocte concubia orante, Cruci affixa Christi imago ænea, se à stipite explicauit, inque amplexus B. Helenæ delapsa, nulla vi accurrentium sororum auelli ab eius brachiis potuit, donec ipsa postquam dissuauiasset, eam die sequenti reposuisset. Ingenti deuotionis ardore erga sactam hostiam flagrabat: quam cum à Confessore habere nequiret, Saluator ipse visibilis eam virgini porrigebat. Tantæ efficaciæ fuit eius tactus, vt non tantum ægritudines corporeas à plurimis depelleret, sed & herbas aridas virori pristino restitueret. Morituræ Saluator se præsentem exhibuit, eamque ad perennem immortalitatem euocauit; atq; euocatam multis miraculis illustrauit, propter quorũ frequentiam & magnitudinem, cum post annum 17. corpus eius in alium locum trãsferretur, inprimis sepulchro effosso, terra aliquot palmos in aere suspensa supra eius cadauer reperta est, ne scilicet illud obrueret, deinde ex illius corpore, cum quidam nonnihil recidere tentasset, viuus sanguis emanauit. Ex vulnere quoque lateris tunc sua sponte aperto, adorati liquoris vena, instar balsami purissimi scaturiuit, totamque viciniam fragrantia sua recreauit.

XVII. D. MARGARITA FILIA REGIS VNGARIÆ BELÆ.

B. Margarita nascitura regali superior: atque sanctitate huic non inferior fuit. Belam Quartum & Mariam Hungariæ Reges parentes nacta, ex voto cõcepto ab illis, Deo dicata est. Duos tãtum annos nata, ac penè adhuc infans, casum Friderici Austriæ Ducis, & paterni exercitus internecionem prædixit. Biennio post, post quam infantula ingentium virtutum semina, indita præmõstrasset, Prædicatoriæ religionis sororum habitum Vesprimi induta est. In quo, tantum virtutibus profecit vt penè omnes perfectionis numeros impleuerit. Cilicium ei asperrimũ perpetuum, cinctus catena ferrea vsque ad mortem: vestes licet non sordentes, tamen vilissimæ, ieiunia quotidiana: orationes in singula momenta; deuotio erga Beatam Deiparentem, ferè ab ipso lacte: lectus durus corio instratus: ceruical durum saxum: vigiliæ quasi perennes: lachrymarum profluuium tam exuberans, vt velum quod duodecimo ætatis anno ab Humberto Generali Magistro susceperit, madidum omnibus horis esset, meditandæ passionis Dominicæ adeò vehemens studium, vt in extases saperetur. Nullam imaginem B. Virginis Mariæ præteribat ante quam non se prosterneret & salutatione Angelica illam compellaret. Nomen Iesu & Mariæ, in ore eius æternabat. Humilitas profunda, obedientia promptissima, contemptus totius mundi obduratus, pietas in ægrotos officiosa, charitas in omnes ardentissima, sacramentorum vsus quotidianus, disciplinæ & virgæ in scapulis eius commortuæ, desiderium Martyrii feruentissimum, & in summa, omnium virtutum in ea summa. Ante quam voto solenni se obligaret, in matrimonium à Regibus Boemiæ, Poloniæ & Siciliæ, expetita, respondit: *prius se naso detruncare, atque luminibus priuare, totoque vultu deformare malle, quam Christo despõsam virginitatem violare.* Interiora animorum spiritu diuino, prophetico autem futura multa, & inter hæc mortem lõgè ante cognouit & suam prædixit. Tandem cum se dignam cœlesti sponso reddidisset, in illis verbis Psalmi, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, animam purissimam cœlis dedit. Extinctæ corpus admirando odore fragrauit: facies autem admiranda pulchritudine resplenduit. Viuens atque vita functa, ingentibus miraculis sanctitatem suam illustrauit. Ex octo de viginti quos vixit annis, viginti quatuor in religione egit.

XVIII. *Cromer. lib. 9.* PRODIGIA VARIA IN POLONIA.

Multa hoc anno portenta & prodigia in Polonia extiterunt. In Cracouiensi quidem regione honesta quædam matrona Virboslai Comitis vxor triginta sex pueros viuos vno partu edidit, 20. die mẽsis Ianuarii. Sexta verò die Decembris crepusculo noctis nouus & insignis splendor in figuram Crucis efformatus, cælitus non modo vrbem, sed omnem circumcirca regionem illustrauit. Caballiæ intra diem octauam Natalis Christi, natus est Vitulus cum duobus caninis capitibus, atque dentibus, & septem pedibus vitulinis: Capitum autem maius quidem antrorsum in loco suo, minus verò retrorsum ad caudam situm erat. Ab eius cadauere canes atque volucres abhorruêre. In Silesia vero apud Michalouum pagum, & inter Odram ac Nyssam fluuios triduo sanguine pluisse dicitur. Præcedenti quoq; anno ferebantur visæ esse in aere armatorum acies inter se cõcurrere. Æstas eius anni tota ferè continentibus pluuiis & insolita aquarum inundatione non modo segetibus, verum etiam pecudibus & iumentis pagisq; & oppidis plurimum incommodi attulit. Hæc cum ingentem terrorem animis incussissent, supplicationibus & sacrificiis publice procurata sunt. Consecuta sunt autem in Regno & viciniis externa quædam bella, atq; domestici motus.

XIX. *Ricordan. hist. Floren. cap. 195* PAX INTER SENENSES ET FLORENTINOS.

In Etruria pace inter Senenses & Florentinos conciliata, Guelforum extorres Senas redierunt, à quibus nonnulli Gibellinarum partium proceres vrbe relicta, in exilium abierunt. Aliqui eorum retracti, & maiestatis violatæ accusati, capite luerunt. Quendam ex eis interrogatum, quonam duceretur; aiunt respondisse: *ad exsoluendum debitum à Protoparente contractum.*

IESV CHRISTI
Annus 1271.

INTER-PONTIFICII Annus 3. MICHAELIS PALÆOLOGI IMP. Orient. 12.

I. ELIGITVR GREGORIVS X. ABSENS. a Ptolomeus Lucens. Æmil. Blondus. Platina. Nauclerus. Villan. & alii.

Rebus vtcumque in Africa à Regibus Crucesignatis, compositis cum hi in Siciliam reuertissent & populum pestilentia laborantem, in diuersa loca dissipassent, ad Ecclesiæ Catholicæ per InterPontificium periclitantis auxilia subministranda properandum sibi esse censuerunt, a Theobaldus in eo consilio obierat. Philippus Galliarum Rex post mortem patris Ludouici renunciatus, & Carolus Siciliæ atque Neapolis, intentione sua & omnium opinione celerius in Italiam nauigarunt. Mari Centumcellas itum; exinde terrestri itinere Viterbium perrectum; quod in ea ciuitate alterum annum Purpuratorum Patrum animos, contentio, de Pontifice Maximo in locum defuncti Clementis sufficiendo distrahebat. Præsentia corporis sancti Regis, maiestasque Regum Philippi & Caroli expugnauit, peruicitque, vt quo verborum pondere reliquos ad pietatem, Germanitatemque animorum excitare confirmareque consueuissent, eo sibi persuaderent, vt rebus humanis tandem consulerent: ne qui à se sanctitatis exemplum peti debere contendebant, ii Duces perdendæ deplorandæque reliquæ spei nominis Christiani viderentur, suum itaque vt orbatis Mortalibus parentem darent, tandem elegerunt absentem, in Syria cum Eduardo Anglo agentem, Theobaldum genere Placentinum, eundē Eburonum Archidiaconum, virum sanctum: quique concionibus facundis excitauerat ad arma sacra repetenda.

II. REX CAROLVS LVCERIAM DEDITIONE CAPIT.

Ea electione peracta Theobaldoque missis Oratoribus renunciata, Reges discesserunt: Philippus quidem in Gallias: Carolus verò Romam & inde Apuliam petiit: Luceriamque iterum rebellem obsidione afflixit. Confluxerat indidem tota Italia proscriptorum ingens manus atque animos Saracenorum ad rebellionem excitarat. Hinc dura & pertinax oppugnatio, ab obsessis autem non minor resistentia fuit. Rex enim omni alia cura liber, omnia tormentorum machinarumque genera adhibuerat: profugæ verò animo obstinato, de capite perdito dimicationem postulabat: Saraceni ad extremum misericordiam atque salutem à Rege implorabant, deditionemque faciebant. Quare vt suorum parceret cædibus & sanguini Rex pius oblatam à Saracenis deditionem ea conditione accepit, vt perfugis perditisque Christiani nominis quotquot inerant deditis, illi duplicatum penderent tributum, vrbemque in Magistratuum Regni obedientia retinerent.

III. b epist. 110. Later. 2. Calend. April.

Per hoc tempus Theobaldus Pontifex ex Palæstina in Siciliam & inde b ad Brundusinum portum veniens, maximo cū honore Cleri ac populi acceptus est, Carolus quoque Siciliæ Rex summa cum veneratione obuiam processit, ac Ceparanum vsq; deduxit. Inde per Marsos & Sabinos, Theobaldus, Viterbium primo accessit, atq; reiteratæ, ac si noua fieret, à Collegio Cardinaliū electioni interfuit.

IV. FILIVS RICHARDI REGIS ROMANORVM ELECTI HENRICVS AB COMITE MONTFORTIO CRVDELITER SVB DIVINIS TRVCIDATVR.

Magnum per eosdem dies, Viterbii facinus, ex inopinato casu accidit: Venerat ad Theobaldum ex Palæstina reducem, Henricus adolescēs, Richardi Regis Romanorum electi, Cornubiæ olim Comitis tunc defuncti filius: multa paterni olim Regni negotia, apud sedem Apostolicam tractaturus. Dumq; nouum creari Pōtificem anxius expectaret Guido Comes Montfortius & ipse adolescens, cum Philippo Francorum Rege eodem se contulerat: Forte ad Basilicam D. Laurentii, Henricus rei diuinæ audiendæ ingressus fuerat: cuius ignarus Guido, & ipse paulo post accesserat: Sacram tunc hostiam eleuabat sacerdos, cū Montfortius Henricum liberali & prorsus regia facie iuuenem conspicatus & Richardi filium esse doctus, in æde sacrarum maxima, proque ara maxima, aliquot confossum vulneribus interfecit, viaq; sibi ferro facta, præparatum ad valuas templi equum ascendit, abiitque ad socerū, Rubrum, Comitem Anguillarium, Hetruriæ Præfectum. Causa cædis fuit, quid Richardus Simonem Comitem Montisfortis patrem Guidonis per dolum interimi siue iussisset, siue adeo tolerasset. Cædes Henrici apud omnes & inprimis apud Anglos conflauit ingentem inuidiæ flammam Carolo Regi, quod non persequeretur cædem factam ab eo, cui ipse Vicarius Imperii, & Hetruriam prouinciam procurandam dedisset, & nobilissimas nuptias conciliasset. Frater Henrici Edouardus, cor occisi balsamo imbutum in Angliam retulit, & pyxidi aureæ inditum in fastigio columnæ, ad Pontem Londinensem erectæ collocauit, vt memoria eius occisionis ante oculos Anglorum versaretur, quæ eos ad vindictam sumendam in momenta excitaret.

V. CAROLVS REX IMPERIVM ORIENTIS AMBIT, OB DESPONSAM FILIAM BALDVINI SVI FILII. Æmil. in S. Ludouico.

In Oriente, necdum omnia planè quieta hoc anno, à Balduino secundo, adhuc in aliquo Græciæ angulo superstite, fortunamq; tentante. Is nihil boni mente augurans, filium paruum procul à periculis, pestisq; expectatione seponendum statuerat: nec cum eo aurum: quod irritamentum foret illecebraq; ingens cupiditatis, præmiumq; scelerum, ac interdum causa adolescētulorum ab iis quorum fidei crediti à parentibus fuissent, necandorum. Cæterum vt longè maiores pecunias sibi ad bellum gerendum compararet, quam maximas potuit à Brugensibus quibusdam ditissimis Mercatoribus mutuatus, fidem eorum quibus filium commendabat sibi pignore deuinxit, eidemq; puerum alendum tuendumque dedit: illum ex vectigalibus quæ in vetere patria Francia Flandriaque, ex agris oppidisque suis perciperet, id nomen dissoluturum. Pecuniis ad eum modum conquisitis, noua etiam affinitate vires augere conatus est. In Italiam namque venerat, ibique cum Rege Carolo congressus, illius filiam suo filio despondit, promissa in dotem, quam perdiderat, Constantinopoli, si illius opibus in bello adiuuaretur. Carolus igitur hoc promisso inflammatus, nihil iam exiguum de summa rerum agitabat, sed totam Iulii Cæsaris & Augusti Monarchiam somniabat, si Constantinopoli potiretur. Erat enim vir non acri modo ingenio, ad prudenter cogitandum, sed etiam ea quæ decreuisset, strenuè exequebatur. Et paucis vt dicam, animi vigore, præstantique sapientia quam plurimos Principum longo interuallo superabat. Ad eum porro conatum & Constantinopolis infirmitas multifariam diuulsæ & dilaceratæ quæ multum temporis ad instaurationem & confirmationem postularet, instigabat, & Imperatoris in rebus nouis excogitandis solertia, & summa in negotiis conficiendis celeritas.

Niceph. Gregoras lib. 5.

PRVDENS PALÆOLOGVS, EVERTERE NITITVR BELLI MOLEM.

Hæc sanè permolesta erant Palæologo eiusque rationes turbabant, ac magnum illi terrorem incutiebant, cum videret Carolum terrestribus & naualibus copiis ad se opprimendum festinare, atque fere in extremum discrimen se adductum iri. Non defuit tamen sibi Michael, sed & quosdam Siculos, & Saracenos & Venetos ad bellum illi faciendum concitauit, Artaxerxem illum imitatus, qui Agesil. Spartani impetum reformidans, Thebanum Epaminondam, Pelopidam, cæterosq; Græciæ Principes ad bellum ei inferendum impulit, prudentique cōsilio cauit, vt prinsquam insigni ab illo clade afficeretur, cum illo potius pessimè ageretur. Cęterum Carolus quamuis à Palæologo sic & oppugnaretur, & repelleretur, tamen se non esse quieturum præseferebat, cum viribus exercitus sui, tum pecuniarum copia fretus. Proinde Michael tot difficultatibus circumuentus, & penè ad desperationem compulsus, cum Theobaldum recens electum Pontificem audisset, Legatos ad sedem Apostolicam misit, de ineunda veteris & nouæ Romæ concordia Ecclesiarum, modo Caroli expeditionem auerteret.

VI. FLORET EBERHARDVS EPISCOPVS CONSTANTIENSIS.

Præsidebat etiā hoc anno Ecclesiæ Constantiensi Eberhardus Præsul, ex illustri familia Baronum Walpurgiorū, vir, si quis alius eo tempore felici ingenio, eruditione præclara, & insigni pietate præstans. Is conditionem officii sui considerans, forma fuit gregis. Iis bonis quibus in templo conueniebatur, semper primus accessit & vltimus abiit. Domi etiam suo exemplo omnes ad sobrietatem & literarum studia excitauit. Reditus Ecclesiæ magnopere auxit, atque plurimos adiacentes pagos emit, Ecclesiæque, non sanguine iunctis dedit. *Anonymus in Episcop. Constantiens.*

VII. PAR HVIC NICOLAVS COMES HOLSTENSIS.

Par huic, licet non Ecclesiastica, sæculari tamen dignitate, atque pietate Christiana Nicolaus Comes Holstensis, ei coæqualis. Vnicum ei studium inerat, pietati operam dare, atque religionem promouere. Itaque cum videret aliquos principum suis equis & canibus subditis molestos, esse, eos amicè officii admonuit, atque ad virtutes incitauit.

Inter

Inter alios ignauos homines, imprimis odio prosequebatur Sycophantas eos, qui Morionum instar aulas Principum frequentarent, atque suo vitio alios corrumperent, tum otio molesti hominibus essent. Præterea Musicos, & Cantatores corrumpendæ iuuentuti natos, procul à se arcebat, atque ad labores relegabat, erga pauperes verò erat mitis atque liberalis. Accidit quandoq; vt Principum Daniæ Orator Heroldus, multis Regum & Principum aureis atq; argenteis insignibus tunicæ affixis exornatus coram eo appareret. Eum Nicolaus negotio expedito, indonatū dimisit. Cum vero eius rei ab amicis admoneretur vt famæ suæ consuleret, respondisse fertur: Quis & qualis sim, principib. est notissimum. Spero etiam huiusmodi nebulones ac depictos homines, neque meæ laudi aliquid addere, aut detrahere apud Sapientes & integros viros posse. Ego autem statuo tales homines esse leuissimos, qui externū corporis habitum auro & argento decorant, atque principum ornatum sibi sumunt, cum vitiis referti probro sint vniuersis. Cum hoc modo Nicolaus magna gloria apud Germanos illuxisset, septimum & nonagesimum annum agens ex humanis excessit, absque omni funeris apparatu illustriore, quemadmodum edixerat, in Monasterio Itzelo sepultus. *ALBERTVS Krantzius Saxon. libro decimo, capite decimoseptimo.*

IESV CHRISTI
Annus 1272.

GREGORII PAP. X. Annus 1. MICH. PALÆOLOGI Imperat. Orient. 13.

I. VITERBIVM VENIT GREGO. X. a Ptolem. Lucen. b epist. 117. Viter. 4. Non. Mart.

Qvarto Idus Febr. Viterbium, a Theobaldus Pontifex electus venit, indidemque ante coronationem quam plurima præclara egit. Inter hęc b Fratri Gaufredo de Bello loco Ordinis Prædicatorum, olim D. Ludouico Regi Galliarum, à secretis confessionis, iniunxit, vt omnem rationem viuendi, præsertim secretiorem, omnesq; actiones ac virtutum insignia eius Regis describeret, & sigillo suo signatas, ad sedem Apostolicam quamprimum transmitteret. Viterbio, ad 6. Cal. Apr. Romam profectus, post duos dies in Basilica Principis Apostolorum primo presbyterii gradum, deinde Pontificatus dignitatem, à Ioanne Caietano Vrsino Diaconorum S. Roman. Eccles. principe Cardinali adeptus, rituq; solenni inunctus, Gregorii X. nomine salutatus est.

II. c ep. 1. Lat. 4. Cal. Apr. ENCYCLICAM SCRIBIT DE ASSVMPTIONE SVA.

Statim atq; insignia Pontificii Greg. accepit, c omnibus Prælatis Ecclesiarum, & inter hos Archiepiscopo Senensi, atq; suffraganeis ipsius, tum deinde vniuersis & singulis Regib. ac Principib. Christianis assumptionem suam significauit.

III. AD BELLVM SACRVM TOTVS INCVMBIT. d Bossius lib. 10.

Cæterum cum desiderio recuperandæ Terræ Sanctæ, & sua sponte inprimis flagraret, & Edouardi Angli, quem in Palæstina reliquerat precibus vrgeretur, & ipsis quas coram aspexerat necessitatibus, atque lachrymis Crucesignatorum premeretur, id quod ex Syria discessurus, d pro Cōcione ad populum dixerat: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea: adhæreat que lingua mea faucibus suis, si non meminero tui:* scilicet, ad studium iuuandæ rei Christianæ re ipsa præstaturus, omnes conatus adhibuit, vt Crucesignatis suppetias transmitteret. Et quidem quingentos equites, ære Ecclesiastico conscriptos multosq; pedites armis, pecuniis & commeatu instructos, destinauit, e tribusque triremibus à Venetis conductis impositos, Præfecto illis Magistro Iacobo Parmensi Clerico, in Palæstinam misit. Regem quoque Gallorum Philippum, misso ad eum Archiepiscopo Corinthio ad subsidia ferenda, inclinauit.

e Lat. 2. Cal. Apr. & Viterb. 4. Non. Mart.

IV. PHILIPPVS REX GALL. VENETOS ET GENVENSES HORTATV PONTIFICIS COMPONIT. f Platina in Gregorio X.

Cum autem bellum inter Genuenses & Venetos gliscens, vires Christianorum distraheret, plurimique Venetorum ciuium arma, ferrum & reliqua bello gerendo Saracenis suppeditarent, adeoque barbaros illos contra Christianos armare viderentur, Philippo in Gallias reuertenti Gregorius iniunxit, vt dissidentes illos populos, vel pace perpetua conciliaret, vel saltem inducias inter eos statueret. f Eam ob rem Philippus Rex Franciæ, Cremonæ, aliquantum substitit, & Pontificis rogatu, vocatis Genuensium & Venetorum Legatis, pacem inter eos in quinquennium composuit: quo simul omnibus in Saracenos proficisci liceret. Ipse postmodum ad vtrosq; Legationem instituit, adque arma sacra contra barbaros sumenda, hortatus est.

V. ITEM VETVIT MERCES SARACENIS VENDI PER VENETOS. g Lat. 2. Cal. April. pag. 119.

Quod autem aliqui ciuium Venetorum, interdictas legibus merces, Saracenis, ministrarent: g Gregorius Papa Laurentio Tepulo Duci & Senatui Veneto præcepit, vt stricto iure in eos agerent, qui arma, ferrum, ligna, naues, triremes, & reliqua belli conficiendi adiumenta Saracenis diuenderet: vel quod peius est, proretarum officio, in triremib. vel nauib. pyraticis Saracenorum, contra Christianos fungerentur; vel in machinis, aut tormentis, siue inueniendis, siue vtendis, consilium porrigerent. Ne vero & ipse seueritatis Ecclesiasticæ oblitus esse videretur, in eos omnes, qui interdictas ex lege merces Saracenis venum exponerent, vel eos quouis modo, titulo, causa, vel occasione iuuarent, vel consilium, fauorem aut tutelam eis impenderent, anathema Maranatha strinxit, atque Ecclesiasticæ sepulturæ beneficio indignos esse iudicauit, & pronunciauit. Maiora auxilia res Christianorum afflictæ postulabant.

VI. GREGO. OECVMENICVM CONCILIVM COGITAT.

Quæ vt quamprimum colligeret Gregorius, ad duas res longe omnium maximas efficiendas animum adiecit. Prima earum visa est accommoda, Concilii Oecumenici indictio. Namque in eo sperabat se facile posse, tum fidei decreta contra Schismaticos & hæreticos stabilire, tum Ecclesias Orientales vna cum Occidentalibus coniungere, tum Cleri ac populi abusus ac peccata corrigere, atque castigare: tum vero animorum consensione conciliata, omnes in perniciem Barbarorum excitare. Itaque Philippum h inprimis Galliarum Regem, vt ad Calend. Maias, Anni Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, in loco pro Concilio designando interesse vellet inuitauit: tum deinde Archiepiscopis, Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, & reliquis totius orbis Ecclesiarum Prælatis, vt ad Concilium loco & tempore assignato conuenirēt, præcepit: omnes ad extremum Reges & Principes Christianos, vt in commune consilia, siue ipsi præsentes, siue per Legatos conferrent admonuit. Alterum est, quod Gregorius curauit: qua nimirum, ratione Græcorum Ecclesiam Latinæ reconciliaret. Hunc igitur vnioni efficiendæ i Constantinopolim ad Palæologum Imperatorem Apocrisiarios, Fratrem Hieronymum Asculanum, Fratrem Raymundum, Berengarii, Fratrem Ioannem Bonamgratiam à sancto Ioanne in Persicetto, & Fratrem Bonauenturam Mugellitanum, instituti Diui Francisci, viros pauperes quidem spiritu, sed diuites fide destinauit, qui datis ad eum Apostolicæ Sedis, & summi Pontificis literis, persuaderent, inducerentq; Michaelem, ad sacram Ecclesiarum concordiam: vt & ipse sponte reuerteretur, & clerum ac populum Orientalem reduceret, ad vnicum Domini ouile, & ad recognoscendum Primatum S. Rom. Eccl. Quod si de quoquam fidei mysterio edoceri cuperet, vel ipse ad Concilium indictum veniret, vel saltem Apocrisiarios aliquos, viros magnæ auctoritatis dirigeret, quib. cum tractare commode posset.

h ep. 3. Lat. 2. Cal. Apr.

ET VNIONEM OCCIDENTALIS ET ORIENTALIS ECCLESIÆ. i ep. 37 apud Vrbem vet. non. Calen. Nou.

VII. IMPEDIMENTA CONATVVM GREGORII. k ep. 4. 5. 6. 7.

Hanc Gregorii Pontificis piam contentionem, duo vel præcipue turbare videbantur. Nimirum residui ex cæde Conradini, pacis Italiæ turbatores, & imperii negotium, necdum plane ad finem ex mente confectum. Contra illos, & præsertim k contra Senenses, Gibellinos extorres, Papienses item, Pisanos, Veronenses, Ludouicum Bauarum, Comitem Tyrolis, Fridericum Regis Castellæ fratrem, Guidonem Nouelli, Fridericum Lanceam, Bosium de Douaria, Manfredum Maleth, Conradum Trincia, ac reliquos Conradini complices, in die Cœnæ Dominicæ anathema vulgauit in Palatio Lateranensi. Pisani ad mentem redierant, & clementiam Pontificis implorauerant. Quorum, precibus inclinatus Greg. l Fratri Ioanni Viterbiensis Ord. Præd. vt eos modo Ecclesiastico exsolueret, potestatem dedit.

l apud Vrbem vet. 12. Cal. Iun. Pont. an. 1. salutis 12[illegible].

VIII. Alterum est quod Gregorium distinebat: negotium

ALPHONSVS CORONATIONEM AB GREGORIO PETIT, RATIONE IMPERII, SED NON IMPERAT. a *Mariana l. 13. c. 22.*

videlicet Imperii Occidentalis. *a* Ardebat Alphonsus Rex Castellæ cupiditate Germaniam adeundi, Imperii insulas coronamque suscepturus: eo maiori studio & festinatione quod auctore Gregorio Pontifice, Germaniæ Proceres malorum pertæsi, quæ interregni tempore multa & grauissima, atq; diuturna erant perpessi, siue iteratam, siue nouam electionem adornabant. Alphonso prætermisso, Richardo pridem defuncto. Eo Nuncio perculsus Rex, vt par videbatur, priorem tarditatem noua festinatione compensare volens, haud quaquam opportune in vnam adeundæ Germaniæ cutim incubere cœpit. Prudentib. tranquillitatis & Reipublicæ cura præferenda videbatur: leuissimus quisque & futuri improuidus, spe vana tumens, ad profectionem hortabatur. Nec deerant qui ambitione stolida, arma, equos, alia belli subsidia comparanda, prædicarent, quasi hostes subingaturi. Ab aliis, id ipsum, quod paranti profectionem rota aduersa ante contigisset, in prodigium & omen mali successus vertebatur. Alphonsus natura cunctator: rationes regni impeditæ. Dedecoris tamen metu, & vt honestum aliquam speciem, à Pontificis siue negatione, siue non secundum vota inclinatione nanciscereturad Gregorium scripsit misitque oratum, vt illi ad veniendum in vrbem, suscipiendumque imperii Romani diadema, certam diē designaret, totumq; illud q in præiudicium iurium suorum ab Electoribus aut quibuscumq; aliis vel factum fuisset, vel in posterum fieret, irritum & inane pronunciare, atq; abrogare vellet, *b* negauit Greg. diem inaugurationis in Imperatorem Alphonso postulanti designare: eo quod nihil de iure ipsius in Imperium liquido constaret, & controuersia sub iudicis, vel potius Conditoris legum atque Imperiorum, arbitrio verteretur.

b epist. 32. apud Vrbem vet. 16. Cal. Oct. anno 1.

IX. GREGOR. CRVCESIG. IN PALÆSTINA AFFLICTOS HORTATVR AD TOLERANTIAM. *epist. 120. Later. 2. Calend. Apr.*

Interim etiam Gregorius relictos in Palestina Crucesignatos, tum literis, tum missione recreare non intermisit. In locum. n. defuncti Patriarchæ Archiepiscopū Consentinum Patriarchio Hierosolymitano præfecit, atque ad Edouardum Regis Angliæ primogenitum properare iussit, quo cum consilia in defensionem Terræ Sanctæ communicaret. Eidem etiam e Edouardo, & Ioanni primogenito Comitis Britanniæ, nec non reliquis piam militiam professis significauit, quam prospere ad portum Brundusinum appulisset: Quemadmodum Cardinales ac Proceres Romani obuiam sibi iuissent, vtque Romam primum diuerteret, suo iure flagitassent: deinde, cum impedimenta aliqua in vrbe vereretur, Viterbium ad Curiam Apostolicam concessisset, & totis octo primis suscepti Pontificatus diebus, aliis negotiis relictis, vnius Terræ Sanctæ eliberandæ, consiliis incubuisset, Concilium huic vni rei indicere decreuisset, & interim Archiepiscopum Corinthium ad Regem Gallorum, vt periclitantibus succurreret, destinasset. Orabat etiam Edouardum ac reliquos, vt constantiam suam in rebus aduersis comprobarent, & subsidia citissima expectarent neque terram CHRISTI sanguine irrigatam profanis pedibus conculcari tolerarent.

X. *epist. 4.* ITEM PACTA INTER BOHEMIÆ, ET VNGARIÆ REGES CONFIRMAT. *epist. 4. apud Vrbem vet. 7. Id. Nou.*

Eodem anno Gregor. ad preces Regum Ottocari Boemiæ, & Stephani Hungariæ, pacta, capitula & conditiones pacis inter eos apud Posonium anno superiore, ad quinum Non. Iulii stabilitas, auctoritate sedis Apostolicæ confirmauit, datis literis Laterani 3. Non. Maii, Carolo quoque Regi Siciliæ, vt Apocrisiariis à Palæologo Imperatore, siue ad sedem Apostolicam, siue ad Concilium futurum venientib. securitatem prouideret iniunxit: easdemque vt benigne haberet admonuit.

XI. *Polyd. lib. 16.* MORITVR HENRICVS ANGLIÆ REX.

Hoc an. ad 10. Cal. Decemb. Rex Angliæ Henr. mortuus est, ac apud VVestmonasterienses sepultus. Filios reliquit Edouardum Walliæ Principem & Edmundum Lancastriæ Comitem, à quibus Rosæ albæ, & Rosæ rubeæ, quæ istorum familiæ insignia fuere, apud posteros nomina factionum.

XII. VIRTVTES HENRICI ANGLIÆ REGIS.

Inter sua vitia, non caruit Henricus tertius Angliæ Rex quibusdam egregiis dotibus. Templum ille VVestmonasterienſe amplo sumptu de nouo magnifice ædificauit: & nobile Oxonii pauperum hospitium, quod in Magdalense postea Collegium conuersum est. Aedes etiam Londini non procul à veteri templo extruxit, in quas Iudæi recipe-

rentur, qui sua superstitione repudiata Christo se addicebant. Cœnobia alia & inprimis D. Albani magnis donariis ornauit. Publicis sacris atq; sacrificiis, tribusq; quotidie Missis licet prolixiorib. propter cantum in illis adhibitum diligenter interfuit, præter alias priuatim & submissa voce celebratas. Cumq; aliquando Ludouic. Franciæ Rex diceret, debere eum potius concionib. frequentius audiendis, animum aureſq; applicare: imo, inquit ille, ego multo magis malim frequentiori amici mei conspectu frui, quam aliorum de illo orationem audire, quantumuis prolixe atque amplissime ornatissimis verbis eum laudarint. Obiit eo die quo S. Edmundus Cantuariensis Pontiniaci. *M. S. Vatican.*

XIII. B. CHRIST. ORD. MIN. MORITVR.

Isto anno ad cælos excessit prope centenarius Beatus Christophorus Ord. Minorum, ingens sanctitate. Aliquā parochialem Ecclesiam Sacerdos administrauerat in Flaminia, cum eum D. Francisc. ante quinq; & quinquaginta annos habitum religionis induisset: & paulo post perfectionis studio deditum in Aquitaniam misisset. Inerat Christophoro præ cæteris virtutibus, columbina simplicitas, ac pietas ardentissima in pauperes. Ipse leprosis summo cum affectu seruiebat, saniem abstergebat, vlcera curabat, pedes abluebat, cibos & reliqua necessaria ministrabat. Peccatoribus compatiebatur: seipsum ieiuniis, disciplinis, vigiliis, gestatione cilicii, loricæ, & aliorum instrumentorum ferreorum, excruciabat. Dies noctesque orationi, lectioni, meditationi intentus, nunquam otio indulgebat. Sacrificium incruentum multa cum profusione lachrymarum quotidie offerebat. Aliquando Dei mater visibiliter ei apparuit: semel cereus igne cælitus demisso sacrificaturo illi accensus est. Sæpe super celebrantis caput columba candida conspecta est. In eius obitu, Cadurcensium aliqui Angelorum concentum, animam Christophorii in cœlos ferentium audiuerunt. Ad eius sepulchrum, puer mortuus, vitæ redditus, multi vero infirmi sanitatem consecuti sunt. *Anton. p. 3. tit. 24. c. 7. §. 13.*

XIV. OBITVS B. FACII ET SANCTITAS AGMIRACVLA.

Cremonæ in Lombardia, ad cœlum emigrauit B. Facius, virtutib. & miraculis clarissimus. Is Veronæ natus, post persecutiones, quas in patria triginta annorum spatio sustinuit, inde abiens Cremonam citca annum salutis 1226. venit, vbi au ificis artem exercens, quicquid lucrabatur, in Ecclesias & pauperes erogabat. Qua eius cognita bonitate, à ciuibus eleemosynis ab vibe pauperib. & ægrotis fieri consuetis præficitur. In patriam vt inimicis reconciliaretur reuersus, ab iis Scaligeris, qui Veronæ dominio potiebantur per calumniam delatus, carceri mancipatur. Vbi cum multos ægrotos, qui cognita viri sanctitate ad eum deferebantur (in quib. infans nobilis feminæ, qui dies octo cum sine lacte & cibo fuisset animam agebat, & mulier 18. annos à dæmone obsessa fuere) liberasset, liber vna cum aliis captiuis, intercedentibus Cremonensibus, qui auxilio Veronensibus in bello venerant, dimissus, Cremonam rediit. Vbi oratorio extructo, societatem virorum: qui infirmos & carceratos visitarent, nudos vestirent, famelicos pascerent, & alia pietatis opera exercerent, instituit: qui ordo Spiritus sancti fuit appellatus. Quod si aliquando artem exercere vacabat, res tantum sacras, & eas sine mercede operabatur. Multus erat in oratione, frequens Ecclesias visitabat: multas suscepit peregrinationes, Romam & in Hispanias ad Diui Iacobi Apostoli corpus visendum peregre profectus, opera quædam ex argento quæ adhuc monstrātur, Ecclesiæ Cathedrali dono dedit: in quibus calix est, qui reb. pretiosiorib. ab igne in sacrario accenso consumptis, diuinitus seruatus est, & quod magis mirandum, in Ecclesia ad altare B. M. Virginis repertus fuit incolumis. Vocatus ad nobilem quendam, qui à medicis desperata salute relictus, iamque sumptis sacramentis animam redditurus erat, illi sanitatem, si ad S. Iacobum voueret se iturum prædixit, qui facto voto statim è lectulo omnib. stupentibus surrexit. Hunc etiam ad soluendum votum comitatus, in patriam, multis terra & mari periculis superatis, reduxit. Illum Episcopus Cremonensis, multis signis & virtutibus adductus, Monasteriorū mulierum virorumque Curatorem instituit generalem. Qui tandem plurimis laboribus perfunctus, febri correptus, sacrisq; munitus animam Deo reddidit. Corpus illius quod multis miraculis claruit, ab

vniuerso Clero & populo honorifice sepultum est. Ecclesiæ Cremonensi & Veronensi ab Apostolica sede concessum fuit, vt de eo officium Ecclesiasticum recitetur. *Ex vita eius Cremonia impressa anno 1604.*

XV. VITIA ENORMIA PAVLI EPISCOPI CRACOVIENSIS ET DIVINA MONITA. *Crom. lib. 9.*

Per id temporis Paulus Episcopus Cracouiensis, Pontificiam Cathedram non vno scelere contaminauit. Cum Canonicus Cracouiensis esset, & Boleslai Pudici Principis Cancellarius, Prendotæ Episcopo mortuo, à collegio Sacerdotum electus, successerat. Is porro suæ dignitatis immemor, totum se voluptatib. libidini & venationi b. dedit. Subditis deinde suis grauis, aduersus vero Principem Boleslaum contumax esse cœpit. Cum autem nec precibus & Monitis Collegii sui ac Principis flecteretur, & præterea Monacha quadam de Scalēsi monasterio educta pro concubina abuteretur, in Cunnouiensi prædio degens ab Ottone, & Zegota iuuenibus, equestri Toporotum familia ortis, captus, & Siradiam deportatus, à Lesco Nigro in honesta custodia mensem vnum seruatus erat, Boleslai Pudici, quemadmodum exitus rei comprobauit, vel iussu, vel permissu. Sed cum Ioan. Archiep. Gnesnensis omni Prouinciæ suæ sacris ob eam rem interdixisset, conuitiis & maledictis populi exagitatus Bolesl. dimitti eum iusserat, & in gratiam cum eo redierat, cum ducenta pondo argenti ipsi appendisset: Nec tamen conquiescebat Paulus: verum in hoc erat totus, vt Boleslaū vlciscereturc. Quapropter, cum Lituanis barbaris affinitates & amicitias iungebat. Domi quoq; factiosorum hominū animos in Principem concitabat. Inprimis vero eorum qui cum sua turpiter prodegissent, & ad inopiam redacti, aut etiam ære alieno oppressi essent, alienis inhiabant, aut qui ob latrocinia & scelera alia pœnas metuebant, siue adeo iam multati erant, aut etiam in pace cupiditatib. suis minus commode satisfaciebant. Fere enim eiusmodi homines res nouas cupiunt, ducemq; fortuito oblatum cupide sequuntur. Creditum est autem, ab eodem Paulo, Barbaros Lituanos ad perniciem Polonorum excitos fuisse. Porro tantam eius audaciam, tamque sceleratum animum diuina Clementia paululum tunc repressit nouo & inusitato modo. Nam cū Cracouiæ apud Dominicanos Fratres commoraretur, quadam die cælitus increpitus esse fertur, huiusmodi verbis: *Væ tibi Paule Episcope: Melius tecum actum esset si natus non fuisses*: Atque hanc vocem à septuaginta hominibus tunc eum circumstantibus auditam esse. Monachus etiam quispiam per quietem vidisse dicitur lupum erectis prioribus pedibus, contra eum humana voce exclamantem: Væ tibi Paule Episcope, quoniam cepisti & occidisti. Hoc quoque cum ille renunciante Monacho accepisset, expauefactus, fertur scelera sua maiorem in modum deplorasse. Dumque solus in cubiculo fletibus indulgeret, rursus talibus dictis compellatum esse memorant: Ne timeas Paule Episcope: age quod iubet: septimo deinde anno morieris. Arque eum respondisse: Optime secum acturam esse Diuinam misericordiam, si sibi septem annorum spatium ad expianda præterita peccata concederet. Has quoque voces ab iis qui ad fores cubiculi obseruabant, exauditas esse. Credibile est Sathanæ eas fuisse, primum desperationem, deinde securitatem illi, & audaciorem licentiam peccandi ingerentis. Refrenauit tamen aliquatenus audaciam suam, quam diu vixit Boleslaus.

XVI. OBITVS HENRICI REGIS SARDINIÆ FILII FRID. II. CAPTIVI BONONIÆ.

Hoc anno, pridie Idus Maii, Henricus Rex Sardiniæ, Friderici Imperatoris filius, humanis rebus concessit, Bononiæ postquam XXII. an. in custodia fuisset. Funus Magnificentiæ Regiæ congruens, Bononiensium commune suis sumptibus apparuit: Quippe veste & capitio scarlateo pellibus variis suffulto cum aurea corona gemmis pretiosis intexta induerunt, & sceptrum aureum tenentem, & duobus stragulis, vno scarlateo, altero holoserico rectum, ac pretiosis odorib. imbutum condierunt, ac summo honore elatum in æde S. Dominici sepulturæ mandarunt. *Sigon. lib. 20. de Regno Ital.*

XVII. EGREGIÆ VICTORIÆ METONIS SCYTHÆ IAM FACTI CHRISTIANI.

Peridem quoq; temporis Mago, siue Meto Scytha, Aytonis Armeniæ Regis hortatu, Christi fidem recepit. Isveræ pietatis cultor factus, quum ab eodem Rege & hospite didicisset, Hierosolymam Syriæ vrbem nobilissimam, in qua certa Dominicæ Passionis viserentur argumenta, & in his sacratissimum sepulchrum, ab impiis teneri, hortare-

turque ad eam armis vindicandam, Haalloni Fratri, viro acris ingenii id bellum demandauit. Is porro cum ingenti exercitu domo profectus, Persidem primum omnium sex mensium spatio subegit. Babylonem quoque à Semiramide extructam, Caliphę Mahometani sedem cepit. Vrbs excisa est: non sexus, non ætatis discrimen vllum habitum, omnis multitudo ferro peremptа. Immensum auri pondus, gazaque omnifariam Caliphæ studio congesta, Regem & exercitum ditauit. Hic cauillabundus Haallon Victor: *Æquum est*, inquit, *tam quæstuosum hominem cibis vesci nonnisi pretiosissimis. Iteigitur, & Caliphan* (erat. n. ad id ludibrium seruatus) *mediis auri gemmarumque acerui statuite, his vescatur epulis: has illi affatim ad omnia ventris desideria ministrate.* Ita ille plures dies asseruatus in media diuitiarum affluentia fame cōsumptus est, magno eorum documento, quinaturæ, quæ paruo contenta est, obliti, nullum sibi habendi finem cōstituunt. Nupsit Haalloni in Persida Dogusci anton puella regia stirpe, & ab his oriunda, qui vt Christum nuper natum adorarent frequenti hominum Comitatu in Iudæam aduenerant. Eius coniugis hortatu, omnia Mahometi templa Haallon dirui mandauit, affixitque passim eius delicii cultores. Sunt quianteannos XIII. hæc accidisse ferunt: aliiin hoc temporis teiiciunt.

Sabellic. ennead. 9. li. 7.

XVIII. NEGLECTVS RELIGIONIS QVIA RVM DIVINITVS PVNITVS.

Hac tempestate, DEVS seuere vltus est irreuerentiam quorundam, qua reliquias S. Fridolini affecerant. Conditæ illæ fuerunt, apud Sacconienses, oppido ad Rhenum præterfluentem sito. Eas non pari honore habebant oppidani, qui tum prædas è pauperib. innocentissimis agebant, tum commessationibus & libidinatione sese contaminabant. Itaque fortuito incendio Deus totum oppidum deleuit: cū prius S. Fridolinus indignationē suam, duob. ante annis, pulsationibus quas multoties in ea arca, in qua eius reliquiæ conditæ fuerant, faciebat, ostendisset, vtque cladem imminentem effugerent monuisset. *Annal. Colmarienſ.*

XIX. OBITVS ANNIBAL. ROMANI EX ORDINE PRÆDIC. CARDIN.

Hoc anno, rebus humanis exemptus est, apud Vrbem veterem Fr. Annibaldus Romanus, nobili Annibaldorum gente natus: ex Prædicatorio ordine, quem sancte professus fuerat, ad supremam Ecclesiæ dignitatem inter Cardinales, ab Vrbano Quarto Pontifice Maxim. adscriptus. Diuus Thomas Aquinas, virum tanti faciebat, vt ei Commentationes in quatuor libros sententiarum dicauerit: Sacro Apostolico Palatio Magister præfectus, doctrinæ profunditatem, virtutum fastigio illustrauit. In rebus difficilimis declarandis, definiendisque, admiranda promptitudine, luce, breuitate, veritate. In vita conuersatione, demissa humilitate, ardentissima in proximos, & præcipue pauperes charitate; erga omnes comitate facillima, erga seipsum continentia integerrima. Aliquando, morbo, quia medicorum manum contemnebat, conflictatus, cum suaderetur, vt pudorem contaminaret, si superstes esse vellet: *malle se illibata castitate occumbere, quam violata virginitate, probrum infamiæ, & inferni supplicia procurare*: sciliceт *malle mori, quam fœdari.* Cum Ioanne Caietano Vrsino, Richardo Annibaldo, & Iacobo Sabello, ad Carolum Andegauensem à Clemente Quarto Legatus, Ecclesiæ Romanæ, in Regnum Siciliæ cis & vltra Pharum iura, integra esse voluit. Cumq; toris 10. annis Cardineam dignitatem ingenti cum laude sustinuisset, tandem in fata concessit. Aliquis ei istud Epitaphium inscripsit.

Vrbs genitrix: Genus Annibalum: sors Presbyter Ordo:
Dominici: fons Diuinus, Prælatio, Cardo,
Quem decorat titulo duodenus Apostolorum.
Michael Pius de viris illustribus Ord. Præd. lib. 1.

XX. TRES FRATRES VTERINI EX ORDINE PRÆD. VNO DIE MORTVI, ET PROIMPIIS HABITI, CVM SANCTI ESSENT.

Eodem hoc anno, Cracouiæ in Polonia, tres Fratres Vterini, Venceslaus Presbyter, Vladislaus Diaconus & Vislaus Subdiaconus, Religionem Prædicatorum professi, nō sine stupore omnium, mortem obierunt, vno illi die habitum religionis è manibus sancti Hyacinthi sumpserant, iisdemque institutis efformati, puritatis sanctitatisque conspicuæ, illustria specimina dabant. Vno quoque die, proparasceues nempe feria Quinta magna, cum sacrof. Eucharistia refecti, pro antiqua Prouinciæ Poloniæ consuetudine, ante aram maiorem, in Ecclesia SS. Trinitatis prostrati,

gratias DEO persoluerent, subito exanimati non amplius cum reliquis Fratribus surrexere. Itaq; terror maximus omnes Populos & religiosos incessit, ex repentina morte illorum, Vniuersi siquidem existimabant, illos contaminato ore, cum Iuda proditore Christi mensæ communicasse, iustoq; Dei iudicio tam cita morte percussos esse. Quamobrem sine Ecclesiasticis ceremoniis, sine sacra Missæ oblatione, sine precib. priuatis, sepultura asini sepulti fuere. Sed non siuit ille, cuius consilia sunt abyssus imperscrutabilis, tam probrosa illos humatione mulctari, pretiosaque illorum corpora, quæ spiritu diuino repleuerat, despectui haberi: Permisitq; Beatis illis animab. vt gloriam qua perfruuntur, in extasi amoris igniti ad eam translati, Priori Cænobii declarare possent: Apparuerant itaq; Priori aliquoties, & vultu quidem placido effulgentiq;, animarum suarum splendorem illi demonstrarant. Hæsitantem, acrioribus verbis compellarant: quod iudiciorum DEI ignarus, eos tanto & tali dedecore affecisset: ni eos cum honore, ex campestri loco in quo abiecerat, reduceret, sepeliretq;: vereretur, seueriorem diuinę iustitię animaduersionem. Tertio apparuerant eid. Priori titubanti, & cunctanti, hisque verbis confirmarant: I, Heus Pater, ne mirere: neq; deterius aliquid nobis accidisse suspicare, quod tam facili morte prærepti fuerimus. Abstracti à corpore illico cœlestes sedes petiuimus. Ab illis aris, ad mensam Regis Regum locum obtinemus. Te igitur monemus & hortamur, corpora nostra in Ecclesiam transferri cures, à qua per te imerito proscripti sumus: in cuius tamen communione sicut olim superstites, ita longe magis nunc vitam immortalem viuentes gloriamur. Paruit monitis Prior & in sacellum tunc trium Regum, nunc SS. Rosarii titulo decoratum, cum maximo plausu eos intulit: cogitantibus omnib. temeraria iudicia hominum esse, de finib. præsertim bonorum. *Ex diariis Ecclesiarum Cracouiens. 1. p. fol. 41.*

XXI. FASTVS MVLIEBRIS IN PETVLANTEM MVLIERE DIVINITVS PVNITVS.

Memorabant Seniores, Bonam Sfordiadem Sigismundi 1. Regis Poloniæ coniugem, Sacellum illud pro deuotione magna fæminarum caterua comitatam inuisentem, vnam inter eas cæteris petulantiorem secum duxisse, quæ cum lapidi, quo Beatorum corpora ad gradus altaris tegũtur, parum reuerenter institisset, nescitur à quo spiritu, vestibus Pompaticis, in oculis omnium spoliatam fuisse, neque eo in loco operiri potuisse: exemplo aliis, vt discerent, Domum Dei & sanctos eius decere sanctitatem. Criminis occulti rea, istud postea Reginæ requirenti reuelauit, docuitq; terram sanctam, corporibus Beatorum illustratam, non temerario pede calcandam.

ALIA ARGVMENTA SANCTITATIS HORVM TRIVM SANCTORVM AB PRIORE PROVINCIALI NOTATA ET AVCTORE ANNALIVM.

Nostra memoria, P. Melchior Mosticens. Prouincialis Poloniæ Ordinis Prædicat. doctrina & integritate vitæ clarissimus, dum noctu, in superiori S. Hyacinthi Sacello, orationi instaret, per prominentem inferius fenestram, locum sepulturæ eorum, lumine corusco radiare sæpe sæpius intuebatur: istaque nobis audientibus sancte referebat. Sed & anno Dom. M. DC. I. dum nostra aliquali opera (magisterio studii tunc in Cænobio Cracouiens. sanctissimæ Trinitatis, & Ecclesiastæ munere defungens, pro Archiconfraternitate SS. Rosarii reformanda, amplificandaque laborabam) altare Sacelli transferretur, & pro eadem Archiconfraternitate Rosarii locus ille deuotioni accommodus adornaretur, & vt fit in motione lapidum grandiorum, lapis quoque sepulchralis Beatorum, de sub gradibus altaris nonnihil moueretur, à circumstantibus plurimis odor quidam quasi rosarum aut liliorum fragrantissimus sentiebatur, ex sacro illo repositorio exhalare: index intemeratæ illorum castimoniæ, atq; sanctissimę probitatis. Scriptura cœnotaphii à P. Melchiore Prouinciali (qui sepulchrum aperuerat, & sacra illa corpora abluerat, indidemq; reposuerat) paulatim exoleuit, terentium pedibus qui locum illum pro deuotione frequentissimum esse volunt.

***

IESV CHRISTI

Annus 1273.

GREGORII PAP. X. Annus 2. MICH. PALÆOLOGI Imperat. Orient. 14.

I. LEGATI PONTIFICIS ORIENTALIBVS VNIONEM PERSVADENT.

NOn infelici successu Apocrisiarii Gregorii Pontificis, Constantinopolim destinati, adierant. Nam Michaeli Palæologo Orientis Imperatori & genti illius persuaserant, id quod desiderauerant: secumque XI. ex proceribus ad sacros Pontificis pedes, & ad Concilium Lugduni indictum, cum maxima omnium lætitia perduxerant. a Iubebat Gregorius Carolo Regi Siciliæ, vt veniētes benigne exciperet, litterasq; publicas, securitatis publicæ, illis quacunq; euntibus concederet.

a *epist. 13. Lugdun. 12. Cal. Dec.*

Dedit has ad Carolum literas Gregor. Lugduni, quo se ad Concilium futurum celebrandum maturius contulerat; cum illud iam eo loci designasset, atq; vniuersos Prælatos ac Principes Christianos illo secundis Encyclicis inuitasset; b datis apud vrbem veterem Gregor. c comitante Rege Carolo ac Procerum manu Florentiam XVIII. mensis Iunii venit, summaq; ibid. lætitia nec minori veneratione susceptus est.

b *epist. 4.* c *Leonard. Aretin. hist. Florent. & Ioan. Villaniano lib. 6.*

II. ORATIO GREGO. X. AD FLORENTINOS PACIS SVASORIA, GVELPHOS INTER ET GIBELLINOS FLORENTIÆ.

Cum autem amænitate vrbis delectatus, in illa resedisset, cogitare cæpit, si quo modo studia ac discordias partium sedare, extorresque, cum bona bona venia illorum qui vrbi præsidebant, reducere posset. Re cum Carolo communicata ad eum modum fertur locutus fuisse.

Cum ad curandas hominum infirmitates, suos discipulos Magister ille supremus dimitteret, in quamcunque domum intrarent, pacem ei domui dicere præcepit. Et nos igitur quamquam immeriti ad huiusmodi muneris successionem vocati sic in mandatis ambulasse credemus, si præceptum Domini (cui non parere nefas est) adimplentes, in hanc Vrbem vestram ingreßi, pacem illi indicamus. Nam quid est quod quis agat vel ad obedientiam maius, vel ad vtilitatem hominum condecentius? Constat enim neque domum, neque ciuitatem saluam esse vllam posse, si pax exulet, discordia insit. Vnde ex eod. sacrario illa quoq; sunt deprompta: Omne Regnum in seipsum diuisũ desolabitur, & domus supra domum cadet. Et quidem iam antea discordias & seditiones huius populi audiens horrebam: nunc vero cum vrbem hanc vestram inspexi, ac propius morbo manum admoui, vehementius exhorresco misereorque vos prudentes quondam homines in tantam amentiam esse prolapsos. Etenim per immortalem & ineffabilem DEVM, quid sibi volunt hæc partium studia? quid contentiones istæ ciuiles? quid inextinguibile odium, ac pene vesanus maleuolentiæ ardor, in proximos, in ciues, in consanguineos vestros? Est hominum quidem puerilis stultitia annos supergressorum, consilii sui, præsertim in re maiori & seria, rationem aliquam probabilem reddere. Vos, quæso, vtra tandem ratione factum vestrum defendere potestis? Diuinane, an humana? Atqui si diuina respicitis præcepta: nihil est fere quod magis diligere debeatis quam proximos. Vos capitali in eos odio flagratis. Si humana: nihil magis quam patriam impie euertitis. Neque enim Patria quicquam est aliud quam ciuitas: neque ciuitas aliud quam ciues ipsi: quos qui pellit, qui necat, qui persequitur, propinquos odit, patriam vastat. At vnde ista væsania? Vnde hic tantus manat furor? Causam profecto non leuem, nec contemnendam, sed grauißimam vrgentißimamque subesse oportet, quæ ad tam nefariam mentem voluntatemque impellat. Quænam vero hæc tam præpotens, tamque perurgens causa? Iuuat enim audire: imo doleo audiuisse. Quia GVELPHVS es, inquit, aut GIBELLINVS. Nomina, ne ipsis quidem qui illa proferunt, nota. In his non nobilitas modo, verum etiam fatua plebs, cuius nec interesse quicquam potest, insanit? ac prout huius vel illius factionis est, ita alterius nomen in opprobrium iactat, & capitali odio habet. Ea nimirum causa est, quod ciues necantur, domus incenduntur, euertitur patria, sititur proximi sanguis. O puerilem stultitiam! O amentiam non ferendam! Gibellinus est? at Christianus: at ciuis: at proximus: at sanguine iunctus: Ergo hæc tot & tam validæ coniunctionis nomina, Gibellino succumbent? Et id vnum atq; inane nomen (quod, quid significet, nemo intelligit) plus valebit ad odium, quam ista omnia tam præclara ac tam solida & expressa ad charitatem? Neq; vero magis ego vos quam illos reprehendo. Nam vtrisq; idem est error, &

querelæ par ratio. Vtraque enim factio dum potuit, ciues pepulit, domos incendit, proximorum salutem concupiuit. Altera alteram sæpius vlta est, & ab irato Deo quasi flagellum quoddam ad alterutrum affligendum vicißim traditum. Cum igitur in his quæ superiori tempore à vobis facta sunt, insignis stultitia, vesanus error, euersio patriæ, ac diuinæ simul humanæque legis contemptus, non cernatur modo, verum etiam palpetur, remanet, contraria his facere velle quæ hactenus fecistis, nisi ad extremum perditorum hominum nomen audire malitis. Resipiscite ergo aliquando, & hæc partium studia, pestifera quidem & detestancta, sempiternæ obliuione delete. Sit pro odio charitas: pro maleuolentia dilectio: pro euersione status: pro pernicie salus. Ecce enim illi ipsi, quos vrbe eiecistis, peruenientes pacem petunt, ac deposito inani partium furore, memoriaque omnium præteritorum deletæ, concordibus vobiscum animis viuere desiderant. Id illi nunciant, id suppliciter exposcunt. Ea pace, etiam ad mundi huius inanem fastum, nulla gloriosior & honorificentior esse potest, quam à vobis rempublicam obtinentibus, vestroque beneficio in vrbem extorres reduci, pacemque illis postulantibus concedi? Nempe in alterutris iniuriis, extrema quæque acerbißima est. Si itaque illi recens accepti vulneris memoriam deponere parati sunt: quid vos, qui vulnus inflixistis, facere par est? Nonne multo procliuius memoriam omnium iniuriarum obliuisci? Cæterum, quoniam hæc vestra partium studia pro Romanis Pontificibus contra eorum hostes vos suscepisse asseueratis: en ego Romanus Pontifex, hos vestros ciues, & si hactenus offenderint, redeuntes tamen, ad gremium recepi, ac remißis iniuriis pro filiis accensui. Et vos igitur in nostra causa non plus quam nosipsos velle par est. Quamobrem, si bellum pro nobis suscepistis, pro nobis etiam deponite, atque pacem petentibus concedite. Dixerat hæc Grægorius, & primores ciuitatis ea oratione nonnihil commouerat, quod pro inimicis patrocinium suscepisset. Proinde in cōmune collatis consiliis, Pontifici reductionem Gibellinorum petenti, rationem expulsionis reddiderunt, neque ex re vrbis esse, si illi reuocarentur, ostendere conabantur. Vnus omnium ore, nimis procaciter reponebat, in hunc fere modum.

III. ORATIO VNIVS FLORENTINORVM, QVARE CVM GIBELLINIS PACEM NOLINT, AD PONTIFICEM.

Quæris, Beatißime Pater, Diuinane an humana ratione factum nostrum defendere poßimus? Nos, & Diuina: quia Pastori nobis cælitus præfecto obtemperauimus, eiusque persecutoribus restitimus: & humana: quod vim vi repulimus, & quia nefarios ciues ciuitate eiecimus. At proximos odisse, contra præceptum est? Noli quæso nos ad hanc scrupulosam viuendi normam vocare. Aliter enim cœlum, aliter terra regitur. Porro ne prædecessores quidem tui, quamquam sanctißimi, percutientibus maxillam vnam, iuxta Præceptum Domini alteram porrexerunt: sed restiterunt viriliter aduersus Friderici Manfredique plagas. Et cum resistere posse desperarent, ne in alteram percuterentur, trans Alpes vsque confugerunt. Nam de patria quidem, satis legibus exemplisque maiorum cautum est, malos ciues in numero ciuium non esse habendos. Sed omnia videlicet, & ea ipsa inania nos commouent. Non sumus ita leues, neque tam ignari rerum, vt de verbo digladiandum putemus: quin imo idipsum quod tu B. P. magnificare videbaris, vnde nomina ipsa factionum dicantur, parui admodum momenti, apud nos est. Quid enim refert, vnde quodque dicatur? Res plane ipsæ, ac facta nos commouent. Pulsi dudum vrbe maiores nostri exularunt: dura supplicia de ipsis sumpta: lacerati alii duris pœnis: alii effoßis oculis longo & implacabili carcere vitam amisere. Nobis deinde per scelus ac proditionem fractis, dirutæ domus, villæ incensæ, vastati agri, necati quicunque viui in potestatem aduersariorum peruenerunt. An hoc de verbo cuiquam certamen videri potest: an non potius de vita & sanguine? Voca hos vt lubet: rem ipsam attendimus: nec si nomen ipsum ignotum est, facta quoque nobis illorum ignota: & quæ dudum fecerint, & quæ facturi sint, si potestatem nanciscantur. Nam quod præuenientes pacem petunt: quodque memoria præteritorum deleta concordibus nobiscum animis viuere vltro & suppliciter exposcunt: vna atque eadem respondendi vera & simplex ratio est. Errat profecto bonitas tua, Beatißime Pater, si illorum verbis credendum existimat. Fortuna quidem illis mutata est, animus vero idem permanet. Credimus ergo illorum verbis: si non alias ipsi nos credentes fidentesque apud Arbiam simul cum patria perdiderunt: Pacem petentibus annuamus, & intra mænia recipiamus: si non isti ipsi intra mænia retenti tempus nocendi contra fidem obseruarunt. An vero quod tunc nullo impediente, præter insitam acerbitatem fecerunt, nunc extrema plaga exulceratos (quam vt à te differebatur, acerbißimum esse constat) non æstimabimus esse facturos? non est vero ita. Pleriq; n. plusquam oportet, offensionis memoriam seruant, nec quisquam inimico & læso non stulte se credit: quoniam hominum obscuræ voluntates sunt, verba & frons per sæpe mentiuntur. Itaq; non tam huiusmodi inanis, vt tu modo vocitabas, fastus nobis est curæ quam salutis nostræ, nec tam gloriam affectamus ex illorum reductione, quam ex reiectione securitatem. Quod. a. extremo in loco q. validißimum tua habuit oratio. Si bellum pro vobis suscepimus, pro vobis quoq; pacem suscipere debere. Quamquam in eo auctoritas tua nos admodum frangit: tamen vide ne æquum sit, cum in extrema odia & grauißimas inimicitias nos conieceritis, tunc pacem nobis periculosam indicere: ac ab illis ipsis quos offendimus, salutem nostram, vt credamus, postulare. Quare si pax duntaxat postulatur, vt pro nobis bellum suscepimus, sic etiam pacem suscipere non abnuimus. Sin vt in vrbem quoq; recipiantur, curam salutis nostræ ne nimis abiecisse videare. Neq; n. par fuerit, te illos ad gratiam, & nos intra mænia recepisse. Nam tibi quidem quid periculi receptio illa afferre potest? nobis vero quid non potest intra vna mænia futuris? Sed quid nos aut de æquitate causæ, aut de meritis nostris disseramus, quos tu resipiscere iubes, & contraria facere quam adhuc fecerimus? O incredibilem temporum mutationem! O spem fatuam nostram! An cũ Innoc. cum Vrban. cum Clemens, Romani Pontifices antecessores tui nos adhortationib. & litteris ad persecutionem aduersariorum impellebant: cum signa dabant: quæ armati sequeremur: cum opera nostra non solum gloriosa mundo, verum etiam Deo accepta prædicabant, laudib. extollebant, quisquam putasset fore aliquando, vt Rom. Pont. nos pro his factis resipiscere, & contraria facere quam adhuc fecimus commoueret? Non possumus dicere non esse eandem sedem. Est. n. vna & perpetua. Sed illud dicimus, nos à Romana sede in fraudem compulsos: quod ad quæ nos instanter hortata fuerit, ea nunc acriter reprehendit & damnat. Tu autem Beatißime Pater, vide etiam atque etiam, quid agas. Multa quidem tempus affert, variæq; vicißitudines rerum varie serpunt, nec si nunc Ecclesia persecutoribus caret, in futurum quoq; carituram exploratum habes? Veniet profecto tempus, in quo studia fauentium improbasse, nequaquam esse ducet: ac resipiscent forsan plures, quam tua lenitas debeat optare.

IV. NIHILOMINVS PACEM FIRMAT GREG. AT NON FVIT DIVTVRNA, IDEO FLORENTIAM TRIENNI INTERDICTO SVBIICIT.

Et quidem Magistratus ac ciues, qui ad Pontificem venerant, ita dixere. Pontif. a. nihilominus in proposito permansit. Deniq; vrgere atq; monere non prius destitit, quã ipse arbiter assumptus ad res componendas, pacem inter ciues conciliauit, grauissimis in eius pacis violatores & pactorum transgressores constitutis pænis. Ad tollendam vero suspicionem eorum qui vrbem tenebant, complures ab exulibus iussit fidei seruandæ gratia obsides tradi. Ea cum ad XI. Iulii perfecisset feliciter, basilicam dedicauit Gregorianam, quæ est trans Arnum iuxta supremum pontem. Nã & ipse quamdiu Florentiæ diuersatus est in ædibus resederat Mozianis huic basilicæ finitimis. Ad eius quoque pacis stabilitæ memoriam, hæc omnia quæ gesserat tabulis marmoreis incidenda, parietique inserenda vt prostarent curauit. Cæterum ea omnia plus in præsentia spei, quam in posterum successus habuere. Ciues enim, qui aduersariorum in vrbem reditum grauissime tulerant, haud multo post suspiciones fingere, rumores spargere, occulteq; nonnulla eiiciendis illis iterum machinari cæperunt. Denique tantum terrorem illis qui redierant incussere, vt consistere non ausi, sponte sua demigrarint. Ita diuturnos Pontificis in pacãda Ciuitate labores, breuis aduersatio irritos effecit. Quæ cum postea Gregorius intellexisset, vsque adeo indigne tulit, vt non solum obsides ab exulibus datos è vestigio restitui iusserit, verumetiã transgressores grauiter mulctarit, populoq; & vrbi sacris omnib. interdictum esse voluerit. Huic interdicto fere per triennium Florentia obnoxia fuit, nec facile dixerim, maior constantia in Pontifice, an contumacia fuerit in Ciuibus. Neque enim Pontifex, quamuis plurimum rogatus interdictum sustulit, neque prestantes in republica ciues eo conterriti mutauere sententiam.

epist. 32.

V. RVDOLPHVS CORONATVR REX AQVISGRANI PRÆTERITIS ALFONSO CASTELLÆ, ET OTTOCARO BOHEMIÆ REGIBVS.

In Germania necdum omnia quieta, Rudolpho Habspurgensi nondum rerum Imperii potente. Itaq; Gregorius Pontifex misso Legato præcepit Electorib. Ecclesiasticis quidem sub pęna priuationis officii, secularibus vero Principibus sub pæna excommunicationis, vt omni cunctatione postposita, Aduocatum Ecclesiæ, & Imperat. Rom. designarent. Quod si negligerent, ipse auctoritate Pontificia præficeret, atq; insignia Imperii cui adlibuisset, tribueret. Ea adhortatione Põtificis permoti Principes VII. viri Frãcofordiã die dicta conuenere. Adfuere ab Alfonso Hispano Nuncii, muneribus quæ inter 7. viros dispergerent onusti. Miserat & Ottocarus Boemus Episcopum Seccouiens. &

Nauclerus generat. 43. & Mariana lib. 13. c. 22.

Magistrum Ordinis Theutonicorum, cum duobus adiunctis Proceribus Alfonsi Legatorum intercessione nihil effectum est, priori beneuolentia qua Alfonsum complexi erāt publica inuidia mutata. Ottocari pfractā superbiā cōtempserant, quod is à Coloniensi delatum sibi Romanorum Regnum præ Boemiæ Principatu respuisset. Trib. postea dieb. in deliberatione transactis, festinatis eorum suffragii Rodulphus Habspurgensis Comes, ad Imperium vocatus est, exiguo quidem censu, angustoque principatu: cæterum generis nobilitatem ad veteres Francorum Reges referens, & virtutum ornamentis clarissimus. Sunt qui Alberti præcipue Magni Ratisponensis Episcopi, Dominicani & Philosophi insignis (qui Rudolphi quondam Confessor extiterat, & hominis industriam pietatem que nouerat, & apud Moguntinum Treuerensemq; summa opinione sanctitatis fuerat) auspicio ac consilio in electionem venisse scribant: cum ingens vis pecuniæ, quam duo vel tres Reges Coloniensi ac Palatino Electoribus pependissent, incassum numerata fuisset, vt appareat, Habspurgensem, non solum minoris loci Comitem, verumetiam rebus attenuatis, & qui Bohemo Regi, ac postea Argentoracensi conductus seruierat, Diuini numinis ope ascendisse ad id fastigii. Quod postmodum siue miraculo, siue prodigio, cœlitus ostensum esse aiunt. Quo enim tempore Rudolphus, diadema, & reliqua Imperii antecedanea insignia, Aquisgrani, in templo sibi oblata assumebat, Crux aureo lumine refulgens, super Basilicam è cœlo delapsa fuisse, memoratur à rerum Germaniæ scriptoribus. Cæterum, cum vii viri, Alfonsum Castellæ ac Legionis Regem præteriissent, siue adeo contempsissent, is iniuriæ vel maximæ loco accipiens id quod acciderat, Nuncios ad sedem Apostolicam præmiserat, qui Rudolphi electionem vitiosam esse exponerent, simulq; insinuarent, non debere Pontificem eorum dictis moueri, qui eius auribus insidiantes, alienam gratiam captarent. Aimarius ex Dominicano Ordine, qui postmodum Abulensis Episcopus fuit, & Ferdinandus Zamora Canonicus Abulensis, Regii scrinii præfectus, Legationem obiere, Alphonsumque, quasi is Friderici & Henrici fratrum germanorum calamitatem misertus, vindicare cuperet, forte innocentiam huius conatus ostendere, simulque flagitauere Gregorium, medium vt se gereret, atq; rationum sacrosanctæ quam gerebat personę meminisset: Vrbani & Clementis exemplo, qui inter Alphonsum ac Richardum exæquato honore, ne alterutri prędiucaret, Regis appellatione vtrumq; exornarant.

Ladius geneal. g. Austriacæ Comment. lib. 1.

Crantz in Saxon.

VI. *Æmil. in Philip 3.* QVARE RVDOLPHVS NON IVERIT IN ITALIAM.

Ea Legatione nihil profectum est, cum tam diuturnæ moræ tædium cæpisset. Principes Germani, qui Rudolphum Cæsarem elegerunt, expresserant, vt intra annum in Italiam diadematis causa se profecturum profiteretur. Verumtamen ille totis quib. imperauit annis, semper nouas occupationes publice caussatus, nunquam Italiam ingredi voluit. Ab amicis interim rogatus, quamobrem ab Italia deterreretur, non dissimulanter respondit: quod Cæsarum in Italiam vestigia, læta, magnifica, plenaque bonæ spei viderer: ex Italia vero reuertentia, & foras versa, tristia, misera, luctuosa. Aliquis maleferiatus Germanorum historicus in odium Pontificum, Leonis Æsopei fabellam isthuc attexuit: cum tamen illorum populi sibiipsis imputare deberent, eam quam non semel ab Italis pertulerūt cladem, quod spiritus tumentes attulissent, quodq; temulenti insolentesque, in fortunas, capita, pudoremq; eorum simul ac honorem sese impudenter habuissent.

FABELLA DE LEONE HÆRETICVM FIGMENTVM CVSPINIANI.

VII. ALPHONSI CASTELLÆ TECHNÆ, AB GREG. DETECTÆ. *epist. 28. 3. Non. Nou.*

Sed ad Alfonsum Castulonensem reuertamur. Nihil aliud is quærebat, quam vt Pontifici aliquo adhuc modo imponeret. Sciebat Gregorium maximo desiderio recuperandæ Terræ sanctæ, atque vnionis orientalium Ecclesiarum teneri. Quamobrem vt illum in Hispanias pertraheret, finxit se habere aliqua secretiora, quæ alteri quam illi non comittenda esse censeret: proinde congressum Pontificis postulabat. Apud Camberiacum tunc Gregorius diuerterat, cum eas ab Alphonso litteras accepisset. Verumtamen cautus & perspicax cum intelligeret quo Alphonsus technas dirigeret, rescripsit, postulauitque ab Alphonso, vt ea omnia secretiora, vel litteris, vel alicui ex intimis fidelissimo, committeret, vt ipse tandem, quid facto opus foret, decerneret. Istud autem ea conditione Grego. Pontifex Regi Alfonso prescripserat, si nimirum Concilio Lugduni indicto interesse non posset. Non poterat. Soluto enim Abulensi Conuentu, quo Maurici belli persequendi consilia & auxilia quæ siturus aduenerat, siue à labore itineris, siue ab animi tædio tentatus, morbo haud leui decubuit, Concilioq; interesse non potuit.

VIII. COMITIS MONTFORTII INTERFECTORIS HENRICI REGII IVVENIS ANGLI EGREGIA PÆNITENTIA.

Duo exempla insignia hic annus tulit: alterum pœnitentiæ, alterum peruicaciæ singularis. Pœnitentiæ istud memoratur. Guido à Monteforte, animo aduersus regiam Anglorum stirpem sumpto, pro ara maxima, & fere inter manus sacram hostiam offerentis sacerdotis, Henricum Richardi Regis electi Romanorum filium occiderat, & ad Rubrum Anguillarium confugerat. Eum atque cædis socios Gregorius Pontifex, anathemate grauissimo percusserat, aliaq; genera pœnarum in eum statuerat. Hic porro pœnitentia sceleris adductus, ne diuinæ vindictæ seueritatem procrastinatione diuturniore prouocaret, conuocatis complicibus, sibi esse in animo pedes Pontificis iuste excandescentis accedere, & cum absolutionem à nexu, tum veniam noxæ perpetratæ implorare, significauit. Eos subinde admonuit, vt quem secuti fuissent cædis auctorem, non grauarentur imitari atque comitari pœnitentiæ magistrum. Dixit, funem collo imposuit, calceos & reliqua pedum tegumenta sibi detraxit: vestimenta omnia deposuit, solaq; vnica subucula & femoralibus, ad instar eorum, qui ad supplicium extremum ducūtur, nulla securitatis postulata gratia, Florentiam, vna cum sociis criminis, eodem schemate lugubri apparentibus, venit, ad pedes Gregorii Pontificis sese abiecit, misericordiam & clementiam postulauit, atque omnia sedis Apostolicæ mandata se velle implere, proque crimine perpetrato meritam desiderare vindictam, omnium ore spopōdit. Atrocius erat scelus, quam vt etiam veniam mereretur. Quamobrem Pontifex, benigne quidem se habuit, quod illos vita donauerit, cæterum facere non potuit, vt iis impune esset. Carcere itaque eos arctiore, in aliquo Eccles. castro concludi præcepit datis in eam rem litteris Richardo tituli S. Angeli, & Ioanni Caietano Vrsino tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano S. R. E. Cardinalibus in vrbe Legatis. Cum autem Reges cuperent cognoscere, quam seuere actum in Guidonem foret, custodiam illius Carolo Siciliæ commisit. Edouardo autem qui per id temporis Rex Angliæ post mortem patris Henrici designatus fuerat, omnia tr āsacta significauit, misso ad eum Cherardo à Ronzoliane familiari suo, & Clerico Apostolicæ sedis. Per eam occasionem Eduardum admonuit, vt inaugurationem suam vel acceleraret, vel tantisper prorogaret, vt Episcopi eius Regni, commodum Concilio Generali interesse possent. Et cum inter eundem Regem, atque Edmundum eius fratrem Comitem Lancastriæ, nonnihil simultatum ortum esset, commisit Reginæ matri illorum vt inter hos amorem integrum ac beneuolentiam fraternam siue conseruaret, siue adeo reconciliaret. Regem vero Eduardum admonuit, vt benigne fratrem complecteretur, sineretque exigere decimam ex omnibus beneficiis Ecclesiarum Regni sui, illi à sede Apostolica concessam. Scripsit & Edmundo, ne se difficilem vel morosum erga fratrem Regem exhiberet, vtque in rebus agendis, Magistro Ioanni Clerico & familiari Apostolico fidem daret.

ep. 23. Lugd. 3. Cal. Dec.

ep. 24. ibid. Cal. Dec.

ep 25. 26. 27. Lugd. 2. Caland. Dec.

IX. AVARITIÆ ET SACRILEGII IOANNIS LVSITANIÆ REGIS EXEMPLAR.

Peruicaciæ istud, auaritiæ, sacrilegii & impiæ mentis. Dionysius Rex Lusitaniæ bonorum Ecclesiasticorum cupidus, Braccarensem, Colymbriensem, Visensem, atq; Lamacensem Ecclesias possessionibus & reditibus exuerat, multasque iniurias Episcopis atque clero intulerat. Exemplum paternum Alphonsus secutus, & ipse quoque Ecclesiæ Egitanæ plurima rapuerat, nonnullaque indigna commiserat. Vtrumque Gregorius redarguit, vtque tum à violandis personis ac rebus Ecclesiasticis abstinerent, tum iniuriarum ac damnorum nomine, his quos affecerant satisfdarent, seuerius admonuit. Quod si contemnerent, Priori Cœnobii Vlyxipponensis Ordin. Præd. & Custodi atque Guardino Ord. Minorum, vt censuras Ecclesiasticas in vtrumque distringerent, & sacris omnibus regno Portugalliæ interdicerent, mandauit. Fere ab eodem morbo Philippus Rex Galliarum laborauit, sed per Dei gratiam, monente Pontifice, conualuit. Alfonsus Comes Pictauiæ Regis

ep. 49. 50 apud vrbem vet. 5. Cal. Iun.

patruus, Comitatum Venaisinum Ecclesiæ Romanæ rapuerat, ac moriens Philippo ex fratre nepoti reliquerat. Ad hunc Greg. Papa miserat Guillelmum Matisconensem Apostolicum Capellanum ac Generalem causarum sacri Palatii Auditorem, qui ablata reposceret. Auscultauit Philip. & Commissis Apostolicis, non modo ea quæ iniusto titulo possederat, ex integro restituit: verum etiam postulanti Pontifici auxilia pro recuperatione Terræ sanctæ abunde & promisit, & submisit.

ep. 13. Lugd. 11. Cal. Dec.

X. ORIGO FLAGELLANTIVM HÆRETICORVM. *Dubrau. lib. 7.*

Hoc anno irrepserunt ex Saxonia complures in Boemiam cum peregrina religione, Lupercali haud multum dissimili. Nam vt nudi Luperci currebant, ita isti vmbilicotenus nudati ambulabant, coria manibus gestantes, quibus terga sua, non autem vti Luperci vultus, sanguine fędabant, per hæc februari se purgariq; perinde atque baptismo sanguinis docentes. Magnus ad illos sicariorum, adulterorum & aliorum perditorum vtriusq; sexus hominum fiebat concursus, sed habitum omnes, non autem mores apud eos mutabant, imo pleraque priorib. deteriora peccabant, donec Ottocarus Rex Boemiæ alios igne comburet, alios aqua submergeret, plures regno exturbaret. Flagellantium nomine ea hæresis vocata, ortum habuit in Italia. Inde per Gallias & Germanias vagata, plurimas ciuitates occupauit, atq; innumerabiles vtriusq; sexus & status homines, in sempiternum exitium præcipitauit. Aliquantum extincta, postea circa annum Dom. 1313. sub Imperio Ludouici Bauari inualuit.

Prateol. li. 9.

XI. OMINA DIVINITVS OSTENSA FELICIS IMPERII RVDOLPHI.

Quo die Rudolphus Rex insignia regni suscepit spatio vnius horę apparuit nubes candida, in modum Crucis formata, quæ postea in ruborem sanguineū mutata est. Istud cum Principes Rudolpho retulissent, dixit ille: si Dominus vitam prosperitatemq; mihi concesserit, transmarinas partes adibo, & pro peccatis meis maximis Domino Iesu Christo sanguinem meum consecrabo. *Annal. Colmar.*

XII. CRVCEM PRO SCEPTRO AVSPICATO CAPIT RVDOLPHVS INTER CORONATIONEM.

Inter Rudolphi coronationem, cum Principes Germaniæ Sacramento fidelitatis se obligare deberent, neq; sceptrum adesset, quod manu contingerent, Rudolphus arrepta Cruce, ad eos dicens: *Ecce signum in quo nos & totus mundus redemptus est: & hoc signo vtamur loco sceptri:* ipse deosculata imagine Crucis affixi, omnes Proceres tam spirituales quā temporales adeo commouit, vt sceptro non expectato, in signum Crucis manib. positis, eiuramentum homagium præstiterint. *Steron in Annal.*

XIII. Hoc anno apud Rodenburgium in Belgis, miracula in honorem Deiparæ virginis edi cæpta. *Annal. Flandr. lib. 9.*

IESV CHRISTI

Annus 1274.

GREG. PAP.X. Annus 3. RVDOLPHI Rom.Reg.1. MICH. PALÆOLOGI Imperat. Orient. 15.

I. AD CONCILIVM LVGVENIVNT 500. EPISC. ET ALII PRINCIPES OCCID. ET ORIENTIS ECCLESIÆ. *a Ciaccon. Platina. Ptolomæus, & reliqui. b Mariana li. 13. c. 22.*

CAlendis Maii, *a* conuenerunt Lugdunum quingenti circiter Episcopi, Abbates sexaginta, & alii Prælati innumeri. Interfuere & Apocrisiarii Michaelis Palæologi Imperatoris Orientis, atq; Patriarchæ Constantinopol. cum aliquot Proceribus Ecclesiæ Orientalis, omnes num. XL. Aduenerat & Balduinus secundus Latinorum Orien. Imperat. & aliquot Legati Regum Principum, atque insuper Tartarorum. *b* Ad idem etiam Concilium Iacobus Aragoniæ Rex profectus est, extrema ætate homo, decoris auidior. Inde tamen haud vllo magno operæ pretio rediit in patriam, non obscure Pontifici subiratus, quod ipsius capiti regni coronam imponere recusasset: nisi vectigali persoluto, quod Petrus ipsius pater, quo tempore coronam Romę susceperat, pendere quotannis pactus erat. Iacobo Regi indignum videbatur, regnum virtute maiore partum, cuiquam externo Principi esse vectigale. Ab Imper. Constantinop. venit Germanus ipsius Palæologi nutritius, qui Patriarchali sedi præfuerat, & cænobio Monachorū sese addixerat. Huic adiuncti summæ auctoritatis viri Georgius Acropolita magnus Legotheta, & Theophanes Metropolita Nicæus, Bithyniæ Primas. Hi inprimis litteras Michaelis & Andronici Imperat. ad summum Pontificem scriptas protulerunt, in quibus vterque Apocrisiarios sedis Apost. se benigne suscepisse atque prompte audiuisse asseuerabat. Profitebātur deinde ambo, fidem Catholicam Rom. esse veram formam credendi: Romanum autem Pontific. solum & verum caput esse totius Eccl. Dei Orthodoxæ: Ro. vero Ecclesiam, Matrem ac Magistram esse omnium Eccl. Insuper septem Eccles. sacramenta agnoscebant, fidemque Rom. imposterum se amplecti ac credere, Rom. vero Eccl. perpetuo venerari promittebant, spondebant, & sacrosancte iurabant. Lectis in publico consessu vtriusque litteris, datis Constantinop. in sacro Palatio Blachernarum mense Aprili, Indict. 5. sexto milleno, septimo centeno, 83. anno: Grego. Imp. nomine ex infrascripta formula, præsente Patrum consessu, schisma eiurauit: postquam definitionem, seu symbolum fidei, ex concepto Concilii scripto, audiuisset. Ita eiurabat.

LEGATI MICHAELIS PALÆOLOGI. *Surita lib. 2.*

II. FORMVLA EIVRATI SCHISMATIS LEGATORVM.

Ego Gregorius Acropolita, & magnus Logotheta, Nuncius Domini nostri Imperat. Græcorū Michaelis Angli, Ducas Comneni, Palæologi, habens ab eo sufficiens ad infra scripta mandatum, omne schisma prorsus abiuro, & subscriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita, nomine dicti Domini nostri, veram, sanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde, & ore profiteor: ipsamque pro vt eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Rom. Ecclesia, ipsum inuiolabiliter obseruaturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, quoquo modo deuiaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Rom. Eccles. prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius, & meo spontaneus veniens, pro ipso & pro me fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio & ipsum omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesiæ primatum; & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam & perseuerantiam seruaturum, præstito in animam ipsius, & meam corporaliter iuramento promitto, & confirmo. Sic ipsum & me Deus adiuuet, & hæc S. Euangelia. Ad eum modum Gregorius, pro Michaele iurauit. Ex eadem formula alius Nuncius, pro Andronico, & reliquis Græcis, præcipue vero pro Metropolitis professus est. Sex enim & viginti Metropoles, si eiusdem Andronici litteris fidem adhibere par est, Catholicæ fidei sacris sanctionibus obtemperaturas, & Primatum Romanæ Ecclesiæ agnituras promittebat.

III. PROFESSIO FIDEI EORVNDEM. *c. de summa Trinit. & Fide lib. 6.*

Quantum ad professionem fidei attinet, eam hunc in modum contra errores Græcorum præscripserunt.

Fideli ac deuota professione fatemur, quod Spir. S. æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duob. principiis, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus sed vna spiratione procedit. Hæc professa est hactenus, hæc prædicauit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat, & profitetur, & docet sacros. Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & Magistra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ veritatis ignorantiam in errores varios prolapsi sunt: nos huiusmodi errorib. viam præcludere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spir. S. ex Patre & Filio procedere: siue etiam ausu temerario asserere quod Spir. S. ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex vno procedat.

IV. ET CONIVNCTIO CVM ROM. ECCL. *Act. Concil.* PALÆOLOGO IMPER. ORIENTIS ADDICTVM ABROGATVM ET BALDVINO ET PHILIPPO.

Sancitis iis, quæ ad fidei confessionem, & vnitatem Eccles. spectabant, Orientales, sacris Pontifice in Ecclesia operante assistentes, symbolum Fidei, cum additione, *Qui ex Patre Filioque procedit*, in confirmationem omnium, quæ coram Patrum consessu dixerant & subscripserant, maxima totius Ecclesiæ exultatione decantarunt: & ex manu summi Pontificis sacram synaxim susceperunt. Ad eum modū cum se Eccles. Roman. coniunxissent, reliqua facile promiserunt, atque à Concilio vicissim obtinuerunt. Spoponderunt, vtrumque Imper. in societatem belli sacri contra Saracenos venturum, eam expeditionem tam Michaelem, quam Andronicum sacramento approbaturum, atq; sancte suscepturum: si tamen pax ab omnibus Latinis vtrique concederetur, & tum Philippi filii, tum Balduini eius Patris, Imp. Constantinop. tum Caroli Regis Siciliæ eorum affinis, qui tres præpotentes, Orientali Imperio nimis imminere videbantur, impressio arceretur. Pax nomine omnium Principum à summo Pontifice illis concessa: Balduino & Philippo ne quicquam mouerent imperatum: Michaeli Palęologo & Andronico Imperium Orientis decre-

tum : nec non omnia quæ vnquam postulassent attributa.

V.

BREVIS HISTORIA CONCILII LVGDVN.

Cæterum non abs re fuerit, historiam eius Concilii in summam redactam exponere, vt eius causæ ac progressus, vna serie cognoscantur. Ita res se habet.

Michael Palæologus Constantinopolitana vrbe capta, *a* Balduino Imp. qui postremus ex Latinis Constantinopoli regnauit, expulso, Græciæ adeptus est principatum: Quare magnum erat periculum, ne Græci omnes, ad pristinos redirent errores. Nam Michaele Patriarcha Constantinopolitano, & Leone Acridano Episcopo auctoribus Constantino Monomacho imperante, *b* Græci à Rom. Eccl. obedientia omnino defecerant: ac Latinorum ritum Missæ sacrificium in azymo peragendi, sabbati ieiunium, ac plerasque alias Romanæ Ecclesiæ consuetudines condemnare ausi erant. Negabant præterea Spiritum Sanctum à filio procedere, ac Latinos anathematis vinculo deuinctos esse affirmabant, propterea quod particulam illam (*Filioque*) Constantinop. symbolo addidissent. Hos errores multo *c* ante Photius Rom. Eccles. hostis acerrimus promulgauerat, quem posteriores Græci secuti sunt. Non defuerunt Roman. Pontifices officio suo ac muneri, vt eos ad veritatis tramitem reducerent. Præstitit in primis hoc *d* Leo Nonus, qui Legatis ac litteris Michaelem Constantin. & Leonem Acridanum, vt resipiscerent admonuit. Atque id facere recusantes, à Pontificiis Legatis anathemare percussi sunt. Idem effecere, qui Leonem secuti sunt Rom. Pontifices. Tandem *e* Balduini opera, q primus ex Latinis Constantinop. Imperator fuit, Græci ad Roman. Eccles. obedientiam reuerterunt: sed Latinis paulatim ex Græcia pulsis, paulatim quoque Græci ad vetus schisma redierunt. Cum autem post duorum annorum Apostol. sedis inter Pontificium. *f* Gregorius X. qui in exercitu Christianorum aduersus Saracenos in Syria commorabatur, Pontifex esset electus, protinus Legatos ad Michaelem Palæologum destinauit, vt eum ad Catholicam fidem reduceret. Sciens præterea Gregorius in magno discrimine res Christianorum in Syria versari: prædecessorum Pontificum vestigiis inhærens, Generale Concilium conuocauit, in quo de subsidio Christianis mittendo, in Syria degentibus ageretur. Rem etiam arduam iudicauit, ac dignam de qua in Concilio ageretur: de Græcis nimirum ad Catholicæ & Roman. Eccles. fidem communionemq; traducendis. Accessit & tertia causa, quæ priores Pontifices fere ad indicenda Concilia permouerat: vt scilicet Christianorum mores ad pristinam Ecclesiast. disciplinam informarentur, & modus aliquis præscriberetur, ad celerem Roman. Pontificis electionem faciendam. Multa enim mala ex longa Roman. Eccl. vacatione accidere solebant. Scripserat igitur omnibus Episcopis, biennio ante Concilii celebrationem, vt ad diem designatam Concilio Lugduni conuenirent. Scripserat & Regibus atq; Principibus, vt ipsi quoque Oratores ad Synodum mitterent. Viros præterea, & sanctitate, & doctrina præstantissimos euocauit. In his fuere S. Thomas Aquinas: qui dum ad Concilium proficisceretur, ex hac vita ad Dominum emigrauit: ac S. Bonauent. quem Lugduni Pontifex Cardinalem Episcopum Albanens. creauit. Conuenerunt igitur ad indictum diem Lugduni præter Constantinopol. & Antiochenum Patriarcham, Episcopi quingenti, Abbates & *g* inferiores Prælati permulti. Adfuit quoq; Iacobus Aragoniæ Rex, aliorum vero Regum ac Principum Oratores complures. Prima sessio celebrata fuit septima die Maii, *h* anno Domini 1274. in qua Gregorius Pontifex tres illas causas, cur Concilium conuocasset, exposuit. In secunda sessione, Pontifex Cardin. & Episcopi decimas omnium Eclesiast. redditiuum pro subsidio belli Hierosolymitani, collaturos se esse promiserunt. Post tertiam sessionem, ad Concilium Imperat. Græcorum Legati aduenerunt, atque honorificentissime à summo Pontifice, & à Synodo vniuersa excepti sunt, & in solemni Missa, quã Pontifex celebrauit, symbolum est cum additione illa (*Filioque*) ter Græce decantatum. In quarta sessione, lectis Imperat. & Græcorum Episcoporum litteris, in quib. Catholicam fidem profitebantur, & Rom. Eccles. Primatum agnoscebant, eorum Legati summo Pontifici obedientiam exhibuerunt, & magna cum Pontificis, ac totius Concilii lætitia eandem fidem professi sunt. Addunt Græci scriptores, *i* Georgius Pachymeres, & Nicephorus Gregor. Græcos ad communionem Roma. Eccles. admissos fuisse cum tribus conditionibus. Prima fuit, vt à Græcis, summi Romani Pontificis, in sacris Missarum mysteriis, mentio fieret. Secunda, vt Græcis omnibus liceret ad Sedem Apostolicam appellare. Tertia, vt sumo Romano Pontifici, Principatus in omnibus deferatur. Accesserunt etiam Tartarorum Oratores ad Concilium pro pace cum Christianis ineunda: ex quibus vnus Christianam fidem amplexus, à Petro Episcopo Ostiensi baptizatus est. Interim Sanctus Bonauentura summo cum Pontificis, ac Patrum omnium dolore, ab humana ad cœlestem vitam profectus est. Demum cohortatus est Gregorius Episcopos vniuersos ad sancte pieq; viuendum, & ad gregibus sibi commissis inuigilandum: cum ex malorum Pastorum moribus reliqui omnes Christiani, à maiorum disciplina degenerantes, in grauiora vitia prolabi soliti sint. In hoc concilio decreuit Pontif. Græcis etiam ipsis consentientibus, Spiritum Sanct. vt à Patre, ita à Filio, tanquam ab vno principio æternaliter procedere. Cæterum hæc est breuis nota eorum omnium, quæ in eodem Concilio generali acta fuere, ab eo qui omnibus interfuit, atq; omnia aspexit, actis Concilii præscripta: quam propter euidentiorem notitiam libuit adiungere. Ita habet actor, seu collector, qui reliquit.

a Nicephor. Gregoras li. 4. Georg. Pachymeres li. 5. Ioan. Villan. li. 6. c. 71.
b Humbert. in libro contra Græcos.
c in ep. encyclica ad Patriarch. Orientis.
d ep. 1. & 6. & Leo Ostiens. Chron. Cassin. li. 2. c. 89.
e Vincent. Belluacens. li. 29. c. 65.
f Martin. Polon. & Io. Villan. lib. 7. c. 45. & 44. Gulielm. Naugis in Philip. Rege. Georg. Pachym. lib. 5. hist.
S. THOMAS ET BONAVENT. AD CONCILIVM EVOCATI.
g Matth. Westmonaster. hoc an. Io. Villan. lib. 9. c. 118.
h Martin. Polon. & Acta Concilii.
i lib. 5. hist.

VI.

BREVIS NOTA EORVM OMNIVM, QVÆ IN CONCILIO ACTA FVERE.

In nomine Domini, Amen. Anno eiusdem Millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, mense Maii, die Lunæ septima eiusdem, tertia Indictione. Congregato Generali Concilio per sanctissimum Patrem Dominum Gregorium Decimum sacrosanct. Roman. Eccl. summum & vniuersalem Pontificem, Lugduni in Maiori Ecclesia Sancti Ioannis Lugdunens. iniuncto prius per ipsum sanctissimum Patrem, quinto die ante sessionem, scilicet secunda eiusdem mensis, omnibus Prælatis & Capellanis suis ieiunio triduano, & sedibus præparatis in naui ipsius Ecclesiæ per circuitum, idem Dominus Papa circa horam Missæ descendens de Kamera sua in ipsam Ecclesiam, præparato sibi faldistorio in choro, conducentib. eum duobus Diaconis Cardinalibus, vt moris est, dixit tertiam & sextam, quia erat dies ieiunii, quibus finitis Subdiaconus venit cum sandalibus, & calceauit eum, Capellanis dicentibus Psalmos consuetos circa ipsum, & eo calceato, & lotis manibus Diaconus & Subdiaconus more solito induerunt eum omnib. vestibus Pontificalibus albi coloris, quia inter Pascha & Ascensionem erat: & pallio, sicut si esset Missam celebraturus, & inde præcedente Cruce, ascendit pulpitum præparatum, & ornatum, & sedit in faldistorio suo: ministrante sibi pro presbytero Domino Simone tituli Sancti Martini, & Diacono Domino Othabono Cardinali, & assistentibus sibi in eodem pulpito Domino Othabono S. Adriani, & Dominis Iacobo sanctæ Mariæ in Cosmedin, sancti Georgii ad velum aureum, Hubertho sancti Eustachii, Matthæo sanctæ Mariæ in Porticu Diaconis Cardinalibus: etiam sedente iuxta eum Domino Iacobo Rege Aragonum, assistentibus etiam sibi quibusdam Capellanis superpelliceis indutis: sedens idem summus Pontifex in faldistorio suo, fecit Crucem super Prælatos & Concilium, qui sic sedebant, ab opposito, & eminentibus sedibus præparatis. In medio nauis eiusdem Ecclesiæ sederunt Domini Pantaleon Constantinopolitanus, & Opizio Antiochiæ Patriarchæ: in sedibus aliis à latere dextro Pontificis sederunt Domini Ioannes Portuensis & sanctæ Rufinæ, Petrus Tusculanus Vicedominus Prænestinus, Fr. Bonauentura Albanensis, Fr. Petrus Ostiensis & Velletranus, Bertrandus Sabinensis Episcopi Cardinales: à latere vero sinistro Auerus tituli S. Praxedis, Guglielmus sancti Marci, Simeon tituli sanctæ Cæciliæ presbyteri Cardinales. Post hos vero à dextris, & sinistris sederunt Primates, Archiepiscopi & Episcopi, Abbates & Priores, & alii Ecclesiarum Prælati in magna multitudine, non disceptantes de locis: cum per eundem summum Pontificem fuerit ordinatum, vt sine præiudicio Ecclesiarum suarum sederent. Stantibus autem inferius Fratre VVillerno de Hospitali, & Fratre Roberto Magistro Templi, & aliquibus Fratribus earundem religionum, & Nunciis solemnibus, Franciæ, Alemaniæ, Angliæ, & Siciliæ Regum, & aliorum quoque multorum Principum, Baronum, Capitulorum, & Ecclesiarum Procuratoribus: Capellani cantauerunt Antiphonam, Exaudi nos Domine, qua finita Dominus Papa surgens dixit, Oremus: Dominus Othabonus flexis genibus, & Dominus Iacobus dixerunt: Leuate: & summus Pontifex dixit alta voce orationem, sicut habetur in Ordinario. Deinde per vnum Capellanum cantata est Litania minor, Domino Papa, & omnibus Cardinalibus ac Prælatis astantibus genibus flexis & sine mitra. Qua finita, per eundem Capellanum, & respondentib. sibi quamplurimis, Dominus Papa surgens dixit, Oremus.

Dominus

Dominus Iacob. flexis genibus, & Dominus Gotifredus responderent, Leuate: & Dominus Papa dixit aliam orationem in tono secundum primam. Post hæc Dominus Othabonus, facta reuerentia Domino Papæ & benedictione petita, vt moris est, cantauit Euangelium secundum Matthæum, scil. Designauit Dominus Iesus alios septuaginta duos. Hoc finito, Dominus Papa stans erectus alta voce incepit hymnum, scilicet: Veni Creator Spiritus quo cantato per ipsum & totum Concilium, stans sine mitra cum magna deuotione: ipse postea sedit in faldistorio suo, & omnes Prælati in locis suis sederunt, & tunc ipse incepit sermocinari, proposito themate: scilicet. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, & antequam moriar, & prosecutus est sermonem suum. Quo finito, & aliquantulum pausato, cæpit alloqui Concilium, narrando motum & votum animi sui, & causas propter quas euocauerat Concilium, & super quibus, scilicet super subsidio Terræ sanctæ, & super vnione Græcorum, & super reformatione morum, deliberaturi essent. Qua allocutione completa, surrexit de sede, & indixit aliam sessionem ad aliam diem, Lunæ sc. & sic dissoluta est prima sessio. Idem autem Papa rediens ad locum, vbi ipse se induerat, exuit se Pontificalibus vestimentis, & dixit nonam.

Eodem anno, & mense, die vero venienti, decima octaua eiusdem facta est secunda sessio: in qua omnia facta sunt sicut in prima: excepto quod non fuit indictum ieiunium, & pro presbytero seruiuit Dominus Auerus, pro Diacono Dominus Iacobus: & quod aliud Euangelium cantatum est, sc. secundum Lucam. Vos estis sal terræ, & quod aliæ orationes dictæ sunt, sicut in Ordinario habetur, & quod Dominus Papa fecit sermonem, sed allocutionem tantum super illis, quæ fuerant in prima sessione. Qua allocutione finita, latæ sunt Constitutiones pro zelo fidei, & licentiati sunt omnes in ista sessione Procuratores Capitulorum, ac Abbates, & Priores non mitrati: exceptis illis qui fuerunt nominatim ad Concilium euocati. Licentiati sunt etiam omnes alii inferiores Prælati mitrati, & indicta est tertia sessio ad diem Lunæ post octauam Pentecostes, quæ erat 28. Maii. Et sic dissoluta est secunda sessio.

Inter primam & secundam sessionem Dominus Papa cum Cardinalibus aduocarunt segregatim Archiepiscopos, & quemlibet cum vno Episcopo & Abbate suæ Prouinciæ, & diuisos habuit eos in camera sua. Episcopos etiam & Abbates, qui immediate subsunt Romanæ Ecclesiæ, & petiit, & obtinuit ab eis omnes decimas reddituum, fructuum & prouentuum Ecclesiarum vsque ad sex annos continuos, incipiendo à festo S. Ioannis Baptistæ instantis anni Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, vsq; ad sex an. continuos futuros, sicut in Constitutione habetur.

Eodem anno, mense vero Iunii die eiusdem septima, in qua omnia facta sunt sicut in prima, excepto quod non fuit indictum ieiunium, & quod pro Diacono seruiuit Dominus Gaufredus ad velum aureum, & quod cantatum est aliud Euangelium, scilicet secundum Matthæum, Accesserunt ad Iesum discipuli, &c. & quod aliæ orationes dictæ sunt, sicut in Ordinario continetur: & quod non fuit ibi Rex Aragonum: & quod Fr. Petrus Ostiens. Episcopus sermocinatus est, incipiens thema, sc. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. & postea lectæ sunt Constitutiones scil. vt circa electionem. Auaritiæ cæcitas: Quam sit Ecclesiis. Perpetuæ sanctionis. Nulli licere. Siquando contigerit. Quamuis constitutio. Properandum. Eos qui Clericos. Exigit multorum. Constitutionem fæl. recordationis Innocentii Papæ: Præsente Generali. Quib. lectis, Dominus Papa allocutus est Concilium, & dedit licentiam omnib. Prælatis, quod possent exire Lugdunum, & elongare se vsq; ad sex leucas. Diem alterius sessionis non præfixit, propter dubium aduentum Græcorum, & sic absoluta est tertia sessio. Tamen inter secundam & tertiam sessionem, Dominus Papa vocauit Prælatos sicut inter primam & secundam, & fecit coram eis legi Constitutiones prædictas, quæ lectæ sunt.

VII.

LITTERÆ MICHAELIS DE PROFESSION. FIDEI AD GREGORIVM.

Item pendente termino sequentis sessionis, Fr. Hieronymus, & Frater Bonagram, qui missi fuerunt Nuncii cum duobus fratribus per Romanam Ecclesiam ad Græcos, miserunt quasdam litteras Domino Papæ, de quibus ipse Dominus Papa multum gauisus est, & fecit vocari omnes Prælatos in maiori Ecclesia Lugd. & ibi omnibus Prælatis existentibus in cappis suis, Frater Bonauentura Albanens. Episcopus sermocinatus est, proposito themate, quod legitur Baruch. 5. c. *Exurge Hierusalem, sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab oriente vsq; ad occidentem,* post huius sermonem, lectæ sunt eorundem Nunciorum litteræ prædictæ.

Eodem vero anno & mense, die vigesima quarta, Nuncii Imperatoris Græcorum venerũt, quorum nomina sunt in littera missa Papæ. Omnes Prælati qui erant in Concilio cum familiarib. suis, Camerarius cũ tota familia Papæ, Vicecancellarius, & omnes Notarii, ac omnis familia Cardinalium exiuerunt eis obuiam, & eos vsque ad palatium Domini Papæ honorifice conduxerunt. Hi ab eodem Domino Papa stante in porta eiusdem Palatii cum omnibus Cardinalibus & multis Prælatis, ad pacis osculum honorifice sunt recepti, & eis repræsentauerunt literas Imperatoris Græcorum bullatas bulla aurea, & alias litteras Prælatorum, & dixerunt in præsentia Domini Papæ, quod veniebant ad omnimodam obedientiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ad recognitionem fidei, quam ipsa Ecclesia tenet, & Primatum ipsius. Porro hæ sunt litteræ Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum, ad Gregorium Papam X.

Sanctissimo & Beatissimo, Primo & summo Pontifici Apostolicæ sedis venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & venerabili Patri Imperii nostri, Domino Gregorio, Mich. in Christo Deo fideliter: Imper. & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus & spiritualis filius magnæ sanctitatis vestræ, conuenientem honorem & reuerentiam, cum sincera & pura affectione, & orationum postulatione.

Quoniam missi sunt à magnitudine vestra ad Imperium meum Nuncii Deo placentis ordinis Fratrum Minorum, Fr. Hieronymus de Asculo, Fr. Raymundus Berengarii, Fr. Bonagratia de sancto Ioanne in Persiceto, & Fr. Bonauentura de Mugello, & obtulerunt litteras magnæ sanctitatis vestræ Imperio meo: in quib. inter alia de confessione fidei, quam docet, & prædicat, & confitetur S. Romana Ecclesia, continebatur: & oportebat in his magis responsionem conuenientem nos facere, ecce hoc facit imperium meum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter.

Credimus sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coessentialem & consubstantialem, coæternam & coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis, & maiestatis, Creatorem omnium Creaturarum, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia quæ sunt in cœlo & in terra, visibilia, inuisibilia, corporalia & spiritualia.

Credimus singulam quamq; in Trinitate personam, vnum verum Deum, plenum & perfectum.

Credimus ipsum filium Dei verbum Dei æternaliter natum de patre, consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu S. ex Maria semper virgine cum anima rationali: duas habentem natiuitates, vnam ex patre natiuitatẽ æternã, alteram ex matre temporalẽ, Deũ verũ, & hominẽ verũ, ꝓpriũ, in vtraque natura atq; perfectum, non adoptiuum, nec phantasticum, sed vnum & vnicum filium DEI, in duabus & ex duabus naturis, diuina scilicet & humana in vnius personæ singularitate, impassibilem & immortalem diuinitate, sed in humanitate pro nobis & salute nostra passum vera carnis passione, mortuum & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse à mortuis vera carnis resurrectione: die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua resurrexit, & anima ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Dei Patris: inde venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique iuxta opera sua, siue bona fuerint, siue mala.

Credimus & Spiritum sanctum plenum & perfectum verumque DEVM ex Patre Filioque procedentem, coæqualem, & consubstantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.

Credimus hanc sanctam Trinitatem, non tres Deos sed vnicum Deum, omnipotentem, æternum, & inuisibilem, & incommutabilem.

Credimus item sanctam, Catholicam, & Apostolicam, vnam esse veram Ecclesiam: in qua vnum datur sanctum baptisma, & vera omnium remissio peccatorum.

Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam.

Credimus etiam noui & veteris testamenti, legis ac Prophetarum, & Apostolorum vnum esse auctorem, Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc est vera fides Catholica & hanc supradictis articulis

tenet

tenet & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diuersos errores à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit, & prædicat, eos qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis, hoc est catharteriis, sicut nobis Fr. Ioannes *explanauit, post mortem purgari, & ad pœnas huiusmodi reuelandas prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scil. sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorum autē animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparib. puniendas.*

Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, & firmiter asseuerat, quod nihilominus in die iudicii, omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporib. comparebunt, reddituri de propriis factis rationem.

Tenet etiam & docet ead. S. Romana Ecclesia septem esse Ecclesiastica sacramenta, vnum sc. baptisma, de quo dictum est supra: aliud est sacramentum cōfirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos: aliud est pœnitentia, aliud Eucharistia, aliud sacramentum Ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema vnctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus adhibetur.

Sacramentum Eucharistiæ ex azymo eadem Romana Ecclesia, tenens & docens, quod in ipso sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem DOMINI *nostri* IESV CHRISTI.

De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir plures vxores simul, nec vna mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio, per mortem coniugum alterius: secundas & tertias deinde nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa alia non obsistat.

Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe siue vertice: cuius Roman. Pont. est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest grauatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantib. ad ipsius potest iudicium recurri, & eid. omnes Ecclesiæ sunt subiectæ, ipsarumq; prælati obedientiam & reuerentiam sibi dant.

Apud hanc autē sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipue, diuersis priuilegiis ead. Romana Ecclesia honorauit: sua tamen obseruata prærogatiua, tum in Generalib. Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salua.

Suprascripta fidei veritate (prout plene lecta est, & fideliter exposita) veram, sanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod vere tenet & fideliter docet, & prædicat sancta Romana Ecclesia: inuiolabiliter obseruare eand. professionem, & in ea omni tempore perseuerare, nec vllo vmquam tempore ab ipsa discedere quoquomodo, aut deuiare, vel discordare promittimus.

Primatum quoque eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus. Confitentes vero hæc & approbantes, & acceptantes, & promittentes obseruare, vt superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, vt Ecclesia nostra dicat sanctum symbolum, prout dicebat hoc ante schisma vsque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus nostris, quibus vtebamur ante schisma: qui sc. ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra Diuina præcepta, nec contra vetus & nouum Testamentum, *nec contra doctrinam sanctorum generalium Cōciliorum, & sanctorum receptorum per sancta Concilia, quæ celebrata sunt à spirituali dominatione Ecclesiæ Romanæ. Hoc igitur non graue est vestræ sanctitati, nec inusitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi. Commisimus autem super his præsentibus Nunciis Imperii nostri, vt dicta per præsentes litteras nostras confiteantur & affirment vice Imperii nostri coram magna sanctitate vestra. Præsens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, & professione & confessione, propria manu nostra Dei gratia Imperiali subscriptione signauimus, & sigillum nostræ potentiæ inferius appendi fecimus.*

Michael in Christo Deo fideliter Imper. & Moderator Romanorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus.

Porro series litterarum, à Prælatis Græciæ missarum hęc est.

SERIES LITTERARVM A PRÆLATIS GRÆCIÆ AD ROMAN. PONTIFICEM MISSARVM.

Sanctissimo, reuerendissimo, & beatissimo Papæ, antiquo Romanorū Domino, Greg. Magno Pōtifici, xcellentissimæ Apostolicæ sedis, & venerabilissimo Domino & Patri nostræ humāitatis. Nos qui Ecclesiasticam complemus ordinationem, vestræ Romanæ sanctissimæ Ecclesiæ salutem, & spiritualis subiectionis affectionem vbique: Metropolita Ephesius præhonoratus Exarchus totius Asiæ, cum ea, quæ circa me est, sancta Synodo. Metropolita Heracliæ in Thracia, & Præsul honoratorum, cum ea quæ circa me est, sancta Synodo.

Metropolita Chalcedonis superhonoratus, cum ea quæ circa me est, sancta Synodo.

Metropolita Tyanorum, cum ea quæ circa me est, sancta Synodo.

Episcopus Metropolitanus Iconii, cum iis qui circa me sunt Episcopis.

Metropolita Naupacti superhonoratus, cum ea quæ circa me est, S. Synodo.

Metropolita Heracleæ Ponti superhonoratus, cum iis qui circa me sunt Episcopis.

Metropolita Conconii, *cum iis qui circa me sunt Episcopis.*

Metropolita Karias, cum ea quæ circa me est, S. Synodo.

Metropolitanus Berrææ superhonoratus, cum ea quæ circa me est S. Synodo.

Metropol. Athenarum, & locum Philippopolitæ supplens, cum iis qui circa me sunt Episcopis.

Metropolit. superhonoratus, & Exarchus Insularum Cycladum, cum his qui circa me sunt Episcopis.

Metropolitanus Philippensium, cum iis qui circa me sunt Episcopis.

Metropol. Smyrnæ, cum iis qui circa me sunt Episcopis.

Metropol. Serrorum, cum ea & cæteris.

Metropolitanus Amastridæ. Metropolitanus Apamiæ. Metropolitanus Prusæ. Metropolitanus Maditorum, Metropolitanus Abydi. Metropolitanus Christianopoleos. Metropolitanus Sylibriæ. Metropolitanus Mesembriæ. Metropolitanus Apri. Metropolitanus Acinii. Metropolitanus Parii. Metropolitanus Didimotichi. Metropolitanus Anastasiopoleos. Archiepiscopus Bizyæ. Archiepiscopus Cypsellorum. Archiepiscopus Gatilleris. Archiepiscopus Dercæ. Archiepiscopus Præconesi. Archiepiscopus Lobodii. Archiepiscopus Pergami. Archiepiscopus Melanii. Archiepiscopus Beriæ. Adhuc autem cum nobis Pontificibus & magna Synodo, & Archidiaconus honoratissimus Seuersibilis cum totali venerabili clero, cum iis autem, & qui clerum complent sanctissimæ Ecclesiæ magnæ Dei, videlicet magnus Oeconomus, Protecdicus, Legotheta, Castrisius, Referendarius: qui super iudicia, qui super secreta, qui super sacrum & dona Apost. qui Primicerius Patriarchalium Notariorum, qui princeps Ecclesiarum, qui super petitiones, qui rememoratorii, qui ostiarii, qui Patriarchales Notarii, qui protopapatæ, cum toto presbyterio Archidiaconatus Ecclesiastici, & qui domestici, cum omnibus Psalmistis & Lectoribus.

Non solum nunc, sed prius beatissimæ & sanctissimæ vestræ Ecclesiæ magnam faciebamus diuisionem integritatis, & Ecclesiarū Christi totaliter vnitatem dilacerabamus. Quomodo, qui vnius pastoris sumus non in vnum & inter vnum aggregamur ouile, nec vnum replemus mandatum Christi? sed ea quæ sunt discordiæ magis eligimus, & bono pacis amisso, inuenire non quærimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur? Nullus autem erat qui coniungeret omnes in vnum, & sufflaret quasi ad vnum flamen singulorum concordiam: quā autem secundum Christi desiderium à Deo coronandus sanctus noster Imperat. totus ad seipsum intellectum attendens, vt oportebat, nunc in hac parte Dei gratia præhonorabilibus aliquibus deputauit. Prius ipse in seipso laborabat, quo vtique modo non declinaret nec ad remissionem: donec scissuram Ecclesiæ ad vnam interim compaginaret vnitatem: deinde non deficiebat communicando nobis, quod in voluntate habebat semper, & ostendēdo qualiter habet suum propositum animæ. Vt autem ad ipsum venerabiles Nuntii vestræ sanctitatis Apostolicas litteras & porrexerunt & præsentauerunt, quam vestra beatitudo desiderantium accelerat coniunctionem, totus exurgit promptius, & præmittit quod alienum esset, & quasi in secunda consideratione omnia negotia sua reputat, præponens ea quæ mandatorum vestrorum sunt, & suarum solicitudinum, & dispositionum. Conuocat igitur ad seipsum nostrum vniuersum Pontificale collegium, & postmodum alios, quotquot maxime spiritualitati adhærent, & circa studium Ecclesiast. exercitium habent vnum: & quantus eorum quidem nocturnus & diurnus eius labor in medio est. Qui instat, quasi totaliter peruigil: qui etiam & studiose exercuit, & quasi semper in suscepto opere fuit, donec ad vnam & candem multorum attraheret sententiam longiore quidem & indigno sermone agitatam, si totum processum vestræ magnitudini præsentaremus. Quidam tamen nostrum statim conuenerunt, & quæ pacis fuerant, amplexati sunt: quidam vero magis obstinatiores apparuerunt, temporis antiquitatem reuoluentes in mentem, & opponentes alii quasi de necessitate hoc imponeretur eis. Sed à Deo corōnati Imperatoris diligentia vicit in finē, & habet omnes iam concordes ad vnicam hanc vnionem, per quam Apostol. sedi antiquæ Romæ, ab antiquissimis attributos Primatus attribuere assentimus. Hoc scilicet Dei gratia cooperata est, vt habeat ex nobis Apost. magnitudo nostræ sanctitatis sententiam agnoscere: qualiterque magnifico Imperat. nostro simul communicauerimus in sententia: & quæ quidem attenderit, & vult libenter, & nos acceptamus breuiter præsentem Epist. annotamus, & ad conspicuam excellentiam vestræ magnitudinis transmittimus. Scitote quid nos volumus, quod Pontificalis sedis tota plenitudo, cum toto venerabili clero & omnibus officiariis, Sacerdotibus Diaconis, & Lectoribus SS. Ecclesiæ Dei conuenit in vnum, vt attribuat prompte vestræ sanctitati & Apost. sedi quod ad honorem pertinet: nec alium Primum & summum Pontif. Eccles. nominaturi. Sed antiquam internunciorum confectionem agnouimus, quam & Patres nostri semper attenderunt toto præterito tempore vsque ad tempus hoc. Vnde nostrum Patriarcham, & subsequenter omnes alios (quotquot conuenerunt) vt in vnum hæreant, & sedis ponerent concordiam, obsecrauimus. Ipse vero cum magna instantia tenet, quod agnosci debet Primus: & postea (vt indicat) non decidet ab ista voluntate: nec adhuc à prima sententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est. Vnde & pluries nos Prælati correximus ipsum, ipse nequicquam ad præsens acquieuit. Nos autem & nobiscum potentissimus Imperator iniunximus illi à Patriarchali sede recedenti, omnia in vna forma solicitudinis manere, quæ sunt Constantinopoli Monasteriorum, donec Nuncii ad vestram sanctitatem accedant, & audiant sermonem vestrum, & si magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos delegatos cum nostris reuersis Legatis. Et nos hunc finem obtinentes, communiter & interim conuenientes, attrahemus Patriarcham nostrum, vt si recedere ipsum ab intentione contingat, nobisq; inclinauerit, & nos reddet beneuolos esse, quod præteritis temporibus throno Apostolicæ sedis insuper excellens, honor attributus est: sic habebimus ipsum Pontificem etiam spiritualiter, sicut prius præsidentem. Si vero se immutabiliter habeat in sententia, tunc dependebit omnis necessitas, & ipsum deiicere, & Patriarchali principatu priuare. Nos autem constituemus & promouebimus alium, qui vtique consentiat nobiscumque eiusdem voluntatis esse, & reddere conuenientem Primatum summitati sanctitatis vestræ. Hoc igitur proponimus (à Deo honorate Domine) nos, quos Patriarchalis Constantinop. sedis sublimes Pontifices cum omnibus qui circa nos venerabilibus clericus per hoc scriptum nostrum vobis coniungi habemus: qualiter si solum vestra magnitudo, ea quæ legationis sunt, admittat, non est quod tempus teratur: & nos inclinamus prompte, & magnæ vestræ altitudini submittimus, & valde gratanter ea quæ sunt spiritualis subiectionis totius asserimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante schisma præstabant patres nostri his, qui Apostolicam regebant sedem, sed statim & nos attribuimus. Alia quidem signabunt Nuncii, & gloriosæ vestræ sanctitati notificabunt. Finaliter, sicut in spiritualibus potentissimus noster Imperator, & nos Pontificum collegium Episcopis commisimus: sicut cæteri spiritualiter ab Imperiali magnificentia mandatum acceperunt, de quibus quicunque ad sæcularis principatus pertinent gubernationem, vestræ sanctitati referabunt à Deo coronato nostro Imperatore. Confidimus autem, quod pacis auctor Deus vnitatem paterna victus clementia adaperiet, nosque & magistratus gratanter suscipiet inclinatos: & vestram familiaritatem inuocantes & paternitatem.

SACRAMENTVM GRÆCORVM.

Ego Nuncius habens ab eisdem sufficientem ad infra scripta mandata subscriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita à me Dei & Domini nostri nomine, veram, sanctam, Catholicam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde & ore confiteor: ipsamque prout tenet, & fideliter docet, & prædicat sancta Romana Ecclesia, inuiolabiliter seruaturum & in ea omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, vel quoquo modo deuiaturum, nec discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio, & ipse omnia præmissa, tam circa fidei veritatem quā circa eiusdem Ecclesiæ Romanæ Primatum, & Episcoporum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, ac perseuerantiam seruaturum, (proposito corporaliter iuramento) promitto & confirmo. Sic Deus ipsum adiuuet, & hæc S. Euangelia. Scriniarius, sacrista, Chartophylax, & magnus Sceuophylax, eius qui in Constantinopoli est Patriarchatus, Ioannes Lector.

Eodem anno & mense, die vigesima octaua, in festo Apostolorum Petri & Pauli, Dominus Papa celebrauit Missam in maiori Ecclesia sancti Ioannis Lugdunens. existentibus ibidem omnibus Cardinalibus & Prælatis, qui ad Concilium fuerant euocati: lecta est Epistola in Latino & Græco: & cantatum est Euangelium per Dominū Otthobonum in Latino, & quendam Diaconum Græcorum in habitu, in quo Græci solent cantare, in Græco, post eum, quibus dictis, Frater Bonauentura fecit sermonem suum, vsque ad finem: postea vero cantatum est symbolum, scilicet, Credo in vnum Deum, *in Latino, incipientibus Dominis Cardinalibus & Episcopis, qui sicut Cantores, seu Primicerii tenuerunt chorum in cantu, & prosequentibus Canonicis eiusd. Ecclesiæ. Post hoc vero immediate, prædictus Patriarcha, cum omnibus Græcis Archiepiscopus de Calabria, & Frater V. de Morbecca, de Ordine Fratrum Prædicatorum, & Fr. Ioannes de Constantinopoli de ordine Fratrum Minorum Pœnitentiarii Domini Papæ, qui linguā Græcam nouerunt, cantauerunt alta voce & solenniter prædictum symbolum: & quando ventum est ad articulum illum,* Qui à Patre, filioque procedit, *solenniter, & deuote ter cantauerunt. Quo symbolo finito, idem Patriarcha, Archiepiscopi & Logotheta cum aliis cantauerunt laudes solemnes in Lingua Græca Domino Papæ, & post hæc Missa per ipsum Dominum Papam, stantib. Græcis prædictis, iuxta altare persecuta est, & completa.*

Eodem anno, mense vero Iulii, die tertia eiusdem, Dominus Papa fecit vocari Dominum Episcopum Leodiensem ad se: & propositis quibusdam excessibus suis sibi, compulit eum cedere oneri & honori. Sequenti vero die, Nuncii Tartarorum Regis repræsentauerunt se Domino Papæ in Camera sua, existentibus ibi omnibus Cardinalibus, & multis Prælatis, qui ad eum conuenerant, ad tractandum de negotiis Concilii, quibus etiam omnis familia Cardinalium & Prælatorum, de mandato Domini Papæ obuiam exiuerunt: & eodem die est quarta sessio nunciata ad diem Veneris futuri, scil. eiusdem mensis, omnibus Prælatis per Cursores Domini Papæ: & eodem die Dominus Papa fecit vocari Dominum Fridericum Abbatem sancti Pauli de vrbe: & propositis quibusdam excessib. suis sibi, compulit eum cedere dictæ Abbatiæ.

Eodem anno & mense, die Veneris, sexta eiusdem, in Octaua SS. Apostol. Petri & Pauli, facta est quarta sessio, existentibus in loco, vbi Dominus Papa cum Diacono Cardin. sedebat, prædictis Nunciis Imperator. Græcorum à latere dextro post Cardinal. in qua omnia facta sunt, sicut in prima: excepto quod fuit cantatum per Dominum Hubertum Euangelium secundum Matth. scil. Iussit Dominus discipulis suis ascendere nauiculas: quod competebat diei. & Fr. Petrus Ostiens. prædicauit, qui Domino Papæ pro presbytero seruiebat, thema, scilicet: Illuminans te, *&c. post huius sermonem Dominus Papa allocutus est Concilium, narrans prædictas tres causas vocationis Concilii: & dicens qualiter contrà opinionem quasi omnium, Græci libere veniebant ad obedientiam Roman. Eccles. profitendo fidem, & recognoscendo Primatum ipsius, nihilque temporale petendo: de quo multum dubitabatur. Dixit etiam, qualiter scripserat Imperat. Græcorum, quod si non vellet spontanee venire ad obedientiam Roman. Eccl. & fidem ipsius, quod mitteret Nuncios solemnes ad tractandum super his, quæ petere volebat: & quod ipse Deo fauente omnibus prætermissis, spontaneè & libere fidem Roman. Eccl. & Primatum ipsius professus est, & recognouit in summa: & quod prædictos Nuncios ad profitendum & recognoscendum miserat, in sua præsentia, sicut in litteris per prædictū Dominū Imp. sibi missis cōtinebatur expresse. Tunc mādauit legi subscriptas litteras & alias illas litteras multorū Prælato. quod fecerat prædictis Nunciis, & litteras filii ipsius Imper. quæ tres erant bullatæ bulla aurea, & translatæ in litteras Latinas. Quib. lectis vnus de prædictis Nunciis, sc. Logotheta dicens se viua voce à dicto Imper. in mandatis habere, quod posset iurare in animam ipsius, si Domino Papæ placeret: & professus est publice, fidem Roman. Eccles. quæ lecta fuerat in Concilio, tenere dictum Imp. & Imperium, & eam perpetuo seruaturos, & nullo tempore recessuros ab ea: vt in forma iuramenti plenius continetur: & sic est finis illius sessionis.*

Postea vero Dominus Papa, alta voce incepit, Te Deum laudamus: quod totum Domino Papa stante semper erecto, & sine mitra, cum magna deuotione, & multis lacrymis prosecutum est, & completum. Hoc completo, quidam Capellanus dixit versiculum: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: *& responsum est ab astantibus:* A Templo sancto Tuo, quod est in Hierusalem. *Quo dicto, Dominus Papa dixit:* Dominus vobiscum: *respensum est:* & cum spiritu tuo. *Postea dixit:* Oremus, *siue flectamus genua: & subiunxit orationem:* Da Ecclesiæ tuæ quæsumus omnipotens Deus, vt sancto Spiritu congregata, *&c. Sicut in Ordinario habetur, qua finita, sedit in faldistorio suo, & allocutus est Concilium super tanto gaudio, incipiens:* Desiderio desideraui hoc Pascha nanducare vobiscum: *& dicto paucis verbis, præfati Patriarcha, & Archiepisc. Græcorum descenderunt in nauim Ecclesiæ, & sederunt in sedibus altis, in loco in quo sedebant presbyteri Cardin. post eos: & tunc Dominus Papa reuerenter incepit.* Credo in vnum Deum, *in Latino, quod per eum qui sine mitra stabat, & totum Concilium prosecutum est & completum. Hoc completo, Patriarcha Græcorum incepit similiter,* Credo in vnum Deum, *in Græco, quod per eum & Archiepisc. Nicosien. & alios Græcos qui secum venerant, & alios Archiepisc. & Abbates Græcos de regno Siciliæ prosecutum est & completum: dicen. do publice & solemniter, qui à patre, filioque procedit, cantando eum bis. Quo completo, Dominus Papa allocutus est Concilium paucis verbis, & dixit inter alia, qualiter Rex Tartarorum miserat Nuncios suos cum litteris ad eum, & Concilium: qui Nuncii stabant ad oppositum Domini Papæ, ad pedes Patriarcharum: & mandauit legi litteras ipsius Regis Tartarorum per quendam Capellanum: quibus lectis, Dominus Papa iterum allocutus est Concilium paucis verbis: & indixit aliam sessionem ad diem Lunæ 11. eiusd. & aliam ad diem Martis sequentis, non in præcise: quia dixit, si commode posset, in quo dixit se debere finire Concilium, & sic dissoluta est quarta sessio.*

Eodem anno & mense, die Sabbathi, septimæ eiusdem Dominus Papa ostendit Cardinalibus Constitutionem quam fecerat, super electione Rom. Pontif. per quam orta est dissensio inter eum & Cardinales in præsato quæ postmodum venit in publico. Nam Dominus Papa vocauit Fratres sine Cardinalibus, & vocauit Cardinales per nationes. & Cardinales in Consistorio omni die conueniebant sine Papa: & similiter allocuti sunt aliquos Prælatos super Constitutione præfata in Consistorio: & rogauerunt, quod si Dominus Papa eorum assensus requireret super ipsa Constitutione, quod non darent definitium consilium vel consensum, donec rationes ipsorum audirent: & similiter multi ex Cardinalibus per nationes vocarunt Prælatos in domibus suis, petentes ab eis consilium, quid esset super hoc faciendum: & auxiltum. si necesse esset, modo prædicto, & Dominus Papa similiter vocatis Prælatis, vt supra dictum est: & exposita intentione sua, prius iniunctis eis in virtute sanctæ obedientiæ sub excommunicationis pœna, quod neminireuelarent illa, quæ audirent, & viderent, & facerent tunc ibi cum eo: & sicut eos consentire & assentire illi Constitutioni: & mandauit, quod singuli sua sigilla apponerent Constitutioni prædictæ, quod & fecerunt. Nam facta sunt cedulæ per regna, & Prouincias, quib. omnes Prælati sua sigilla apposuerunt: propter quod dilata est sessio ad diem Lunæ, 16. eiusd. mensis.

Eodem anno & mense, die Dominico, decima quinta eiusdem, hora matutinali, obiit claræ memoriæ Fr. Bonauentura Albanensis Episcop. qui fuit homo eminentis scientiæ, & eloquentiæ: vir quidem sanctitate præcipuus, vita, conuersatione, ac moribus excellentissimis decoratus: benignus, affabilis, pius & misericors, virtutib. plenus, Deo & hominibus dilectus: qui sepultus est ipso die Dominico. in loco Fratrum Minorum Lugduni: cuius exequiis interfuit Dominus Papa, cum omnibus Prælatis, qui erant in Concilio, & tota Curia: & Frater Petrus Ostiens. Episcopus celebrauit Missam. & prædicauit proposito themate, scilic. Doleo super te frater mi Ionatha. *Multæ lachrymæ, & gemitus ibi fuerunt: hanc enim gratiam concesserat ei Dominus, quod quicunq; eum videbant, ipsius amore in continenti capiebantur ex corde.*

Eodem anno & mense, die decima sexta mensis eiusdem, facta est quinta sessio: in qua antequàm Dominus Papa intraret Ecclesiam, Frater Petrus Ostiensis Episcopus, præsentibus omnibus Prælatis, baptizauit vnum ex Nunciis Tartarorum, cum duobus sociis: quibus Dominus Papa fecit fieri vestes de scarlaco, more Latinorum, & postmodum Dominus Papa intrauit Ecclesiam, & facta sunt omnia sicut in prima: excepto quod Dominus Matthæus sanctæ Mariæ in Porticu cæpit Euangelium secundum Matthæum, sc. Videte, & vigilate, & orate: attendite vobis & vniuerso gregi, *quo finito, lectæ sunt Constitutiones, scil. Vbi periculum. Si forte. Si Canonici. Absolutionis. Sciant cuncti. Et si pignorationes. Quicunque Generali Constitutioni. Altercationis antiquæ. Decet Domum Dei, Vsurarum voraginem. Quamquam vsurarii. Hoc consultissimo Statutum felicis recordationis, quibus lectis Dominus Papa allocutus est Concilium: dicens, quomodo Ecclesia Dei inæstimabile damnum perpessa fuerat ex obitu Fratris Bonauenturæ Albanensis Episcopi, & mandauit omnib. Prælatis, & omnibus presbyteris per totum mundum, vt quilibet eorum vnam Missam cantare deberet pro anima ipsius, & aliam pro animabus omnium aliorum, qui mortui sunt adueniendo, stando, seu redeundo ad Concilia, siue ad concilium, & quia propter baptismum Tartarorum, & lectionem Constitutionum, hora tarda videbatur, continuauit aliam sessionem in crastinum. sc. 18. eiusdem: & sic dissoluta est 5. sessio.*

Eodem anno & mense, die decima septima eiusdem, facta est vltima sessio, in qua in continenti Dominus Papa intrauit Ecclesiam, indutus omnibus Pontificalibus vestimentis, ascendit in pulpitum, assistentibus sibi nonnullis aliis Prælatis, & tunc lecta sunt Constitutiones, scil. Religionum diuersitatem. Et cum Sacrosancta, quibus lectis Dominus Papa allocutus est Concilium, narrans prædictas tres causas vocationis Concilii: & quomodo negotium Terræ sanctæ, & Græcorum erat inceptum, & feliciter Domino fauente consummatum: & inter alia dixit, quod Prælati faciebant ruere totum mundum: & quod mirabatur, quod aliqua malæ vitæ & pessimæ conuersationis non corrigebantur: cum particulares malæ vitæ, & bonæ vitæ, & conuersationis, venissent ad ipsum instanter petentes cessionem. Vnde monuit eos, vt ipsi se corrigerent: quia ipsis correctis non erat necesse condere aliquas Constitutiones super reformatione morum, alioquin dixit se dure acturum cum ipsis, super reformatione morum: super ordinatione vero Parochialium Ecclesiarum, ne fraudentur Rectorum suorum præsentia, & viri idonei ponantur in eis: & super aliis dixit, se cito, dante Domino, apponere remedia opportuna, quod vsque in ipso Concilio fieri non potuit, propter multorum negotiorum occupationem. Omnibus finitis, Dominus Papa dixit, Oremus. flectamus genua. leuate, & orationem sicut in Ordinario habetur, qua finita, data est licentia omnib. Prælatis recedendi, & Dominus Papa dedit benedictionem, scil. Sit nomen Domini benedictum, *&c. & Dominus Otho bonus dixit,* recedamus in pace, *& sic dissolutum est Concilium, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spir. S. viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.*

VIII. EXEMPLAR LITTERARVM GREGORII AD PRÆLATOS GRÆCIÆ QVAS MISIT FINITO CONCILIO.

Porro hæ sunt litteræ, quas GREGORIVS Pont. dedit:

Venerabilibus Fratrib. Ephesin. in Thracia Heracliæ, Sarden. Lyciæ, Nicomediæ, Niceæ, Chalcedon. Naupacti, Philadelphiæ, Thessalonicens. Tyanorum, Heracliæ Pæti, Iconii, Cariæ, Corsien. Athenien. Rhodien. Philippen. Smyrnen, Serrarum, Amastridæ, Apaniæ, Prusæ, Maditorum, Abydi, Christianopoleos, Silibriæ, Mesembriæ, Apri, Achinnii, Pigarum, & Parii, Dydimotichi, Anastasiopoleos. Bizyæ, Cypsellorum, Gatilleris, Derci, Præconesi, Lopodii, Pergami, Melenuæ, & Beriæ, Metropolitis & dilectis filiis Archidiacono, & vniuerso Clero, Oeconomo, Sacellario, Protecdico, Logotheta, Castrisio, Referendario, Didascalo, Primicerio, Hypomnimatistæ, Hostiariis & Notariis omnibus, nec non Decano, Archidiacono, Diaconis, Cantoribus & Lectorib. vniuersis salutem & Apostolicam benedictionem.

Clarissimi in Christo filii nostri Palæologi Græcorum Imperatoris illustris, & vestros Nuncios & litteras, tanto nimirum recepimus gratius, quanto proculdubio gratiora, & nostris acceptiora desideriis vetuerunt. Hoc est enim quod feruor zeli Patrum sedis Apost. à longis retro temporibus exquirebat, hoc est ad quod profundis anhelabat suspiriis, & totis conatibus suspirabat, ad hoc noster inardescebat animus, ad hoc semper amplius accendebatur affectus vt videlicet antiquo subducto schismate, vna esset columba Domini, formosa eius, perfecta ipsius. Vna quidem Eccles. Latinorum pariter & Græcorum, vnita in eiusdem veræ fidei & capitis vnitate. His & vestris, vt scripsistis, votis ex intimis concurrebant. Astitit itaque his diebus, multiplicatis intercessoribus, virtus Christi, qui vere testatur nos nihil posse facere absq; ipso. Astitit benignus sapientiæ spiritus, & prædicti Principis, ac vestros animos misericorditer inspirauit, taleque ac tantum dedit ipsius ac vestro ministerio desideratis initium: vt ipso, ac vobis persistentibus, vt speramus, in identitate propositi, consummationis celeris & perfectæ, prosperitas indubio subsecutura speretur. Illi ergo laus, illi gloria, illi actio gratiarum, qui vere lapis angularis parietem vtrumq; connexuit, & vtraque fecit vnum, qui largitor bonorum omnium, tantam nobis & vobis largitus est gratiam, vt nos in hæc tempora reseruarit, vt diem hunc nobis videre concesserit: quem videntes, sumus in immensum non indigne gauisi, ex immensitate gratiæ mensuram lætitiæ metientes. Vos igitur fratres & filios monemus, rogamus, & hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus in præmissis, sicut discretæ scripsistis, tui genitoris inclyti laudabili proposito, nobis per eius &

horsamur in Domino Iesu Christo in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus ad perfectionem solidam inceptorum totis viribus satagentes, eiusdem schismatis abolere studeatis omnino reliquias, abscientes omes morbidas, ne gregem valeant contaminare Dominicum, aut fidei à vobis nouiter agnitæ in vestris cordibus inficere puritatem. In his autem exequendis vtilius & efficacius adimplendis, eidem Principi constanter & fideliter adhærete. Decet enim vos Prælatos præcipue, qui constituti estis in specula, veritatis lumen aliis ostendere, oberrantes de tenebris errorum educere, deuios in viam rectitudinis reuocare: vt vobis adimplentibus officii debitum, æterni plenitudine præmii vestrorum laborum exitus compleatur. Dat. Lugduni 5. Cal. Aug. anno 3.

IX. EXEMPLAR LITTERARVM GREG. AD MICHAELEM PALÆOLOGVM IMPERAT.

Eodem die scripsit Gregor. Papa Michaeli Palæologo Imperatori, his ipsis verbis quæ subiungo.

Exemplar porro litterarum Gregorii Pontificis ad Imperatores ista est, quod ex archæo Romano exscripsimus: Ita habet ea quæ Michaeli scripta.

Gregorius Episco. seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exultat Mater Ecclesia, renascentis prolis fœcunditate iucunda: exultat & iubilat, gaudens & attendens, se drachmam deperditam inuenisse. Immensæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicarat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipsius Ecclesiæ vnitatem, sine stragis cuiusquam periculo, solo pacis auctore perspicit, intuetur. Exultamus & nos, Pastoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus proculdubio in illo vero Pastore, qui animam suam pro suis ouibus ponere non expauit. Ipsi vinulum Libiorum exsoluimus, de cuius none est dubium munere processisse, vt ouis quæ perierat sit inuenta, & reuixerit filius, quem mors animæ, mors vsque grauior occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione dissimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te solidæ charitatis osculo pressius osculamur. O vtinam fili, tibi pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunensi Concilio congregata. O si voces psallentium intibi, Deumque flexis genibus & nudatis capitibus laudantium, præcipue Prælatorum in tuis sonuissent auribus, & reuelata facie ipsorum oculos deduxeras, quasi aquarum exitus inspexisses, profecto prudenter aduerteres, quod erant eorum lachrymæ tam excussi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minus intelligeres, quam grati tui aduenerint nuntii, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam iubilo tua professio acceptata. Exulta igitur & tu fili: exulta & lætare in eo, qui est splendor lucis æternæ, diuinæ quadam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustrauit, vt lumen veritatis intelligens non solum redires ad illam, sed ad redeundum aliis Dux, & præmium officii mereris. Exulta & gaude, talem ac tantum iam datum laboribus tuis effectum, vt & de tuo ad sinum vnitatis Ecclesiast. reditu indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Perstat ergo, & quod cepisti, solicite cum omni diligentia & solicitudine prosequaris, efficacem pro posse datus operam, vt nec in aliquibus eiusdem schismatis reliquiæ qualescunq; supersint. Dei quidem perfecta sunt opera, & tu Creatura illius Creatorem tuum in tam placidi consummatione operis pro viribus imitare: vt spei conceptæ de præmio res succedat, & promissum debitum exhibitio realis exsoluat. Super his a. & aliis habiris circa præmissa processibus, præfati tuæ Celsitudinis nuncii quorum tibi notior est virtus & probitas, ad te plenius remittuntur instructi, quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere. Datum Lugdun. V. Calend. Aug. Pontif. nostri anno III.

IDEM GREGORIVS,

X. EXEMPLAR LITTERARVM AD PRIMOGENITVM MICHAELIS IMPERAT. ANDRONICVM.

Andronico Primogenito charissimi in Christo filii nostri Michaelis Palæologi Imp. Græcorum illustris, salutem & Apostolicam benedictionem.

Habes fili, vnde Domino Deo tuo in vocem exultationis & confessionis erumpas. Exultes in eo, & fateatris humiliter tibi de immenso ipsius dono concessum veræ fidei agnoscere veritatem, illam amplecti piis affectibus & deuotis nobis missis assertibus confiteri. Hæc si corde contrito, & humiliato spiritu recognoscens: à captorum professutione solicita non desistas, plura tibi salutarib. inhærenti studiis, proculdubio ipse bonorum omnium dator adsciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus, & hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus in præmissis, sicut discretæ scripsisti, tui genitoris inclyti laudabili proposito, nobis per eius & tuas expresso litteras, constanter adhærens, totis virib. satagas, vt antiquati schismatis aboleantur omino reliquiæ, sicque Latinorum & Græcorum vnitas perpetuis temporib. inconclusa. Dat. Lugd. V. Cal. Aug. Pont. nostri anno III.

XI. EXEMPLAR LITTERARVM EIVSD. AD TARTARVM PRINCIPEM. *Tom. 4. conc.*

Scripsit etiam Grego. Tartarorum Principi, cuius nuncios in publico Patrum consessu audierat. Ita habet exemplar Epistolæ.

Abaghæ Regi Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Excellentiæ tuæ litteras & nuntios latores ipsarum, quorum alterum postmodum fors vt dicitur humana subduxit, ad nostram præsentiam venientes, vna cum sacro Concilio aduentus eorum tempore, in nostra præsentia congregato, in quo sic, vt per superstitis relationem intelligere poteris, Principum & Prælatorum multitudo copiosa & veneranda conuenit, cum animi lætitia & vultus serenitate recepimus: & litteras in communi prælectis, ac nuncios ipsis benigne in omnib. quæ proponere voluerunt auditu corde contrito & humiliato spiritu exoraumus & exoramus Altissimum, vt ipse qui est lux vera, omne hominem veniente in hunc mundum illuminans, tibi & tuis suæ pietate cõcedat, sic semper in lumine vultus sui lumen veritatis agnoscere, quod in suis beneplacitis ambulantes, ad exaltationem fidei Christianæ vestramque salutem, indefesso proposito intendatis. Ceterum super iis quæ per nuncios & litteras prædictas tua magnificentia intimauit, ante Christiani exercitus ad transmarinas partes aduentum, dispositimus ad tuam præsentiam Legatos nostros, prout opportunitas permiserit, destinare: qui & magnitudini tuæ ad illa plene respondeant, & te nihilominus ad alia, quæ, si aures illis exanditionis præstiteris, tuam, tuorumq; salutem & vtilitatem communem respicient, solerter inducant. Dat. Lugd. 3. Id. Mart. Pont. nostri anno 3.

XII. *Mariana. li. 13. cap. 22.* ROM. IMP. ETIAM RENVNCIAVIT ALPH

Secundum hæc in eodem Concilio negotium Imperii Rom. curatum. Fredulum, Grego. Papa, sacro decernente Concilio, Legatum sedis Apost. ad Alphonsum Castellæ & Legionis, olim Romanorum in discordia electum Regem misit, qui nomine Pontificis Ecclesiasticorum redituum decumas in bellum Mauricum illi polliceretur; modo ab inani obtinendi Imperii ambitione speque animum auerteret. Externa Imperia appetendo, Ecclesiæ pacem pulcherrime stabilitam, turbare in quum videri. Freduli Legatio non ingrata fuit. Nanq; Alphonsus in Pontificis potestate futurum, illiusq; arbitrio vniuersam controuersiam permissurum esse respondit. Ergo Pontif. nihil vltra moratus, Rudolphi electionem, quod eatenus in gratiam Alphonsi distulerat, confirmandam censuit.

XIII. *Codex Vatic.* RVDOLPH. REX IN CONCILLO PER LEGATOS OBEDIENTIAM FIDELITATEMQVE SPONDET ROMANO PONTIFICI

Aderat commodùm Rudolphi Legatus, Otto Præpositus Ecclesiæ S. Guidonis, Spirensis diœcesis, Imperialis Aulæ Cancellarius. Cumq; mandata agendi nomine Rudolphi electi, sibi facta, potestatemque principem suum obligandi sibi concessam, literis à Rudolpho apud Rothemburgum hoc anno Domini 1274. in crastinum Dominicæ, quem Quasimodogeniti, veteres indigetabant, anno eius regni primo scriptis & prolatis ostendisset, in publico Patrum consessu coram Gregorio summo Pontifice, assistentib. in Concilio, Petro Ostiensi, Ioanne Portuensi, Petro Tusculan. Vicedomino Præneſtino, & Bonauentura Albano Episcopis: nec non Simone tituli S. Martini in montib. Anchero tit. S. Praxedis, Guillelmo tit. S. Marci, & Simone tit. Cæciliæ presbyteris: ac Ottobono tit. S. Hadriani, Iacobo tit. S. Mariæ in Cosmedin, Gottifredo tit. S. Georgii ad velum aureum, Huberto tit. S. Eustachii, & Matthæo Rubeo tit. S. Mariæ in Portica Diaconis Cardinalib. præsentib. quoq; Henrico Trenerensi, Guarnerio Moguntino, Engelberto Colonien si, Conrado Magdeburgensi, & Ghiselberto Bremensi Archiepiscopis: nec non Conrado Argentinensi, Leone Ratisbonensi, Brunone Brixiensi, Ottone Mindensi, Friderico Metesburgensi, Videgone Misnensi, Io. Chimensi, Hildebrando Eistetensi, Episcopis, & nobilib. viris Friderico Burggratio Nurembergensi, ac Gothifredo Comite Seunens. & innumerabilib. aliis assistentib. audientibusq; nomine Rudolphi Habspurgēs. in Romanorum Regem electi, obedientiam fidelitatemq; Gregorio summo Pontifici & Rom. Eccles. spopondit, sacramentoq; iurauit deinde, omnia iura, priuilegia, immunitates, libertates, bona, possessiones, ciuitates & prouincias Romani Pontificis & Apost. sedis ei à prædecessoribus Imperatoribus, præsertim Ottone IV. & Friderico II. datas, concessasq;, nec non iuramentis & literis publicis confir-

matas, nomine eiusdem Rudolphi confirmauit, renouauit, & in omnibus approbauit: promittens de Rudolpho, quis ipse etiã coram summo Pontifice vel eius Legatis, eadem omnia pronus esset polliceri, præstare, confirmare, innouare, rata habere, contra ea nunquam venire velle, atque tum iuramẽto dicto approbare, tum literas aureæ bullæ signatas in eam rem subscribere, quemadmodum reliqui prædecessores Reges atque Imperatores electi, Ecclesiæ atque Pontifici sese obligare consueuerant. Acta hæc sunt omnia Lugduni anno D. 1274. die Martis quæ erat 6. Iunii, Pontificatus Gregorii X. Papæ anno 3. Quib. omnib. in tabulas instrumentarias relatis, tandem ad 8. Id. Sept. Greg. Pont. in publico conuentu, electionem Rudolphi ratam habuit, moxq; ad omnes Principes literas in eam sententiam dedit, ipsique Rudolpho, vt quamprimum in conspectum suum veniret, atq; omnia à Legato promissa ipse præstaret, mandauit.

Mariana supra.

Stabilitis ijs quæ ad publicam salutem & quietem spectabant, disciplinæ Ecclesiasticæ refarciendæ Patres incubuerunt, in maximum contemptum, immunitas Ecclesiastica, fuerat apud quosdam adducta. Eam itaq; vt Greg. in libertatem vindicaret, ista sanxit.

XIV. IMMVNITAS ECCLESIASTICA PER CONCILIVM VINDICATVR.

cit. 23. lib. 6. de immun. Eccles.

Decet domum Domini sanctitudo, decet, vt eius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Ecclesias humilis & deuotus ingressus: sit in eis quieta conuersatio Deo grata et inspicientibus placita: quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat. Conuenientes ibidem, nomen illud quod est super omne nomen (à quo aliud sub cœlo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat: nomen videlicet Iesu Christi, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum) exhibitione specialis reuerentiæ attollant, & quod generaliter scribitur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, singuli singulariter in seipsis implentes (præcipue dum aguntur Missarum sacra mysteria:) gloriosum illud nomen quandocunq; recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel inclinatione capitis testentur. Attendantur in locis eisdem intentis præcordiis sacra solemnia: denotis orationib. insistatur: nullus in locis eisdem, in quibus cum pace ac quiete vota comenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moueat, impetumue committat. Cessent in locis illis vniuersitatum & societatum quarumlibet concilia, conciones & publica parlamenta. Cessent vanæ, & multo fortius fœdæ & profanæ colloquia. Cessent confabulationes quælibet. Sint postremo, quæcunque alia, quæ diuinum possint turbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne vbi est peccatorum venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in Ecclesiis earumq; cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cuiuscunq; tumultus: omnis in eis secularium iudiciorum strepitus conquiescat: nulla inibi causa per laicos criminalis maxime agitetur: sint loca ead. à laicorum cognitionib. aliena. Ordinarii locorum hoc faciant obseruari, suadenda suadeant, interdicta huius canonis authoritate compescant, ad hoc alios etiam in Ecclesiis ipsis magis assiduos, & in præmissa idoneos deputando. Et nihilominus in eisd. locis, omni careant robore firmitatis. Qui vero præmissas inhibitiones animo petulanti contempserint: præter processum ordinariorum & deputandorum ab ipsis, diuinæ vltionis & nostræ poterunt acrimoniam formidare, donec suum confessi reatum à similib. firmato proposito deliberauerint abstinere. Hactenus pro honestate ac immunitate Ecclesiarum Gregorius.

XV. CONCLAVE APOSTOLICVM CVM ELECTIONE PONTIFICIS REFORMATVR.

Ciaconius ex lib. 6. Decret. & Actis Concilii Lugdun.

Non minus salubriter ea constituit, quæ ad reformationem Conclauis Apostolici pertinebant. Experimento enim didicerat, quanto damno Reipublicæ Christianæ stetisset, Interpontificium præteritum diuturnum, natum ex dissensu Patrum, Itaq; sanxit:

1. Vt nouti Pontificis Comitia habeantur, loco idoneo, vbi Pontifex præcedens cum sua Curia residens, causarumque & literarum Apostolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod si in villa, pago, aut oppido obierit, & propterea commode ibidem Comitia haberi nequirent, in vrbe, in cuius diœcesi, villa, pagus vel oppidum fuerit habeantur, nisi sit interdicta. Quo casu in proximiore vrbe non interdicta, ipsa electio fieri debet. Si vero ipsa audientia alio loco fuerit, tunc non vbi Papa obierit, sed vbi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur.

2. Vt mortuo Pontifice, Comitia non habeantur, nisi ad minus decem dierum spatio interiecto, quo tempore, & Cardinales absentes expectari, & nouemdialia demortui Pontificis per Cardinales præsentes celebrari debent.

3. Vt Cardinales omnes quauis ratione à Conclaui absentes, nullum ferendorum suffragiorum ius habere possint.

4. Vt non solum Cardinales absentes sed & omnes cuiuslibet ordinis & conditionis homines in Romanum Pontificem possint creari.

5. Vt finito nouemdialibus, sacrisque die decimo rite sancto spiritus factis, omnes Cardinales qui adsunt: siue absentes venerint, siue non: in Palatio in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto, vndiq; clauso, ac optime custodito (quod Conclaue vocant) recludantur, cum duobus tantum, vel vt nunc consuetudo est tribus aut quatuor familiis, qui eis necessaria subministrent: quo in loco, Comitia habeantur. Nec alicui præterea fas sit, locum ingredi, vel egredi, nisi infirmitatis causa certisq; quibusdam hominib. quorum opera in conclaui existentibus, maxime est necessaria. Is porro locus Conclauis, nullum intermedium parietem habeat, sed omnes Cardin. in cellulis suis laneis distinctis pannis ipsum inhabitent in communi.

6. Vt locus & porta conclauis diligentissime custodiantur, si electio Romæ habeatur, primum à Prætorianis, deinde à Regulis Romanis, & Oratoribus Principum, Sacramento prius adstrictis, demum in loco, ostio conclauis proximiore, ab Episcopis & Conseruatoribus Vrbis. Si autem extra Vrbem Comitia hæc habentur, à loci eiusdem Dominis temporalibus, eodem fidelitatis iuramento obligatis. Quorum munus erit, Conclaue custodire, & diligenter cauere, ne quid Cõclaui inferatur, seu exportetur, quo minus legitima suffragia ferri possint: atque singula scrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei causa inferuntur ad eos; & prouidere, ne quid detrimenti patiantur Cardinales: omnibusque ipsorum nutibus præsto esse, ac eligere Pontificem differentes ad maturandam electionem coarctare. Milites vero Prætoriani, ac Reguli Romani, Conclaue ab omni impressione tutum reddere debent.

7. Vt Cardin. conclaui egredi nulla ratione possint, nisi Pontifice Romano creato. Quod si re infecta egressi fuerint, ab his qui Conclauis custodiæ præsunt, iterum ingredi cogantur.

8. Vt Cardinalibus venientibus post ingressum Conclauis, & ante Pontificis creationem, potestas sit Conclaue ingredi, & cum cæteris suffragia ferre. Nullusque Cardinalis, quauis occasione, aut prætextu, etiam excommunicationis vinculo innodatus, ab ipsa electione arceatur.

9. Vt post triduum ab ingressu Conclauis, nisi Pontifex fuerit renunciatus, Episcopi, Reguli Romani, & qui Conclauis custodiæ præsunt, maximam in epulis & cibis, quæ Cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis nonnisi vnum ferculum inferri permittant.

10. Vt in Comitiis habendis sub anathematis pœna, nulli fas sit aut largitione vti, aut quicquam polliceri, aut præstare: siue ambiendo, animos Cardinalium sibi in nouæ creationi deuincire. Quo interim tempore, Cardinalibus, nulli alii negotio vacandi, ius potestasque sit, quo electio maturetur.

11. Vt nemo Roman. Pont. renuntiari possit, nisi duarum partium ex tribus, Cardinalium, in Conclaui præsentib. integra suffragia tulerit seu habuerit.

12. Vt mortuo Romano Pontifice, omnes Ecclesiastici Magistratus, & officia, statim cessent, atque à muneribus suis vacent præter Pœnitentiarium Maiorem Minoresque, & Camerarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quorum munera, etiam mortuo Pontifice perseuerant. Hactenus pro electione futuri Pontificis Gregorius constituit.

Sanxit & alia reformandæ disciplinæ Ecclesiasticæ magnopere necessaria. Cuiusmodi sunt infra scripta.

XVI. DISCIPLINA ETIAM ECCLESIASTICA REFORMATVR.

epist. 195. Lugd. Idib. Nouemb.

1. Per viscera misericordiæ Dei nostri, & per assertionem sui prætiosi sanguinis Cardin. obsecrantes obtestamur: vt pensantes attentius quid eis imminet, cum agitur de creatione Vicarii Iesu Christi, Successoris Petri, Rectoris vniuersalis Ecclesiæ, Gregis dominici directoris; omni priuatæ affectionis inordinatione deposita, & cuiuslibet pactionis, conuentionis, obligationis necessitate: nec non conditi & intendimenti contemplatione cessantib. non in sereciprocent considerationis intuitum, vel in suos: non quæ sua sunt, quærant: non commodu pritatim intendant, sed nullo arctante ipsorum in eligendo iudicium, nisi Deo puris & liberis mentib. nuda electionis conscientia vtilitatem publicam libere prosequantur: omni conatu & solicitudine, prout possibilitas patitur, id acturi tantummodo, vt eorum ministerio acceleretur vtilis & perneccessaria totius mundi prouisio, idoneo celeriter eid. Ecclesiæ sponso dato. Qui. a. secus egerint, Diuina subiaceant vltioni, eorum culpa (nisi graui propter hoc peracta pœnitentia) nullatenus absolenda. Et nos nihilominus pactiones, conuentiones, obligationes, conditia & intendimenta omnia, siue iuramenti, siue cuiuslibet alte-

rius fuerint vinculo firmitatis annexæ, cassamus, irritamus, & virib. decernimus omnino carere: ita quod nullus ad illa obseruanda, quomodolibet sit adstrictus: nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non seruatæ: sed non indigna laudis titulum potius mereatur, cum lex etiam humana testetur, Deo, magis transgressiones huiusmodi, quam iusiurandi obseruationes acceptas. Hæc pro refrenando ambitu Greg. Ista pro reliquis.

2. Audita morte Pontificis Romani, celebrent inferias, & pro felici electione obsecrent Deum Christi fideles.

3. Obiicientes contra personam cuiuscunq; electi, vel contra formata electionis, non audiantur, nisi prius iurauerint.

4. Electus: ante confirmationem, nullam habet rei Ecclesiasticæ administrationem.

5. Eligentes, quam cito commode possunt electionem electo præsentent: Iste intra mensem consentiat, & intra tres menses confirmationem quærat, alias iure quæsito priuatus est.

6. Parochialis Ecclesia, nemini conferatur in Commendam, nemini non attingenti xxv. annum: nemini, qui non sit idoneus, scientia ac moribus.

7. Nemo alienum in clericum promoueat. Si secus fecerit vno anno à collatione ordinum sit suspensus.

8. Canonici, nulla legitima causa à diuinis cessantes, perceptione fructuum priuentur.

9. Plura beneficia possidentes, compellantur ordinariis dispensationes ostendere.

10. Excommunicationis, suspensionis vel interdicti absolutio vel reuocatio, per vim extorta, nihil valet; ac extorquens, excommunicatus est ipso iure.

11. Qui bona Ecclesiastica absque Capituli sui consensu laicis obligauerint, eò ipso à perceptione beneficiorum suspendantur: laici autem contractus accipientes, excommunicationis sententiam incurrant.

12. Non liceat nomen ordinem vel religionem aut habitum nouæ religionis creare aut assumere.

13. Vsura ne permittantur: vsurarii ne in loco sacro sepeliantur.

14. Repressaliæ contra personas Ecclesiasticas nec concedantur, neq; extendantur. Secus facientes, si singulares: sunt excommunicati: vniuersitates, interdicta.

15. In excommunicationibus ferendis monitiones & interualla præcedant, nisi facti necessitas aliter ea fuaserit moderanda.

16. Dantes licentiam Ecclesiasticos offendendi anathemate feriantur.

17. Publicos vsurarios sepelientes, à cœtu fidelium seperantur, & à participatione Sacramentorum excludantur. Et hæc quidem in Concilio statuta sunt.

XVII. SACRAM MILITIAM IN SYRIAM SVSCIPIENTIBVS NERVVS ET INDVLGENTIÆ DANTVR.

ep. 19. Lugd. Cal. Aug. & 59. 8. Cal. Octobr.

Ex eiusdem Concilii Decreto, Sacra militia contra Saracenos in Syriam susceptæ est: cui commode gerendæ; in sex annos decimatio omnium fructuum per omnia Regna imposita. In Gallias Simon cituli Sanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Legatus à Latere missus, qui eam pecuniam exigeret, colligeret, & Philippo Regi transfretare properanti numeraret. Porro vt Rex Philip. in spem exactionis, tantam summam quantam posset ex sex annorum decimatione colligere, ab aliquo tanto facilius mutuo accipere posset, eid. concessit, vt si infra sex annos eas decimas contingeret non conquirere, vel etiam negotium Terræ Sanctæ infra id temporis feliciter dirigi, ipse nihilominus potestatem haberet ipsas decimas in sex annos impositas colligendi, quousq; Terræ Sanctæ possessio, plenè non recuperaretur. Vt autem Christi fideles eo feruentius, piam militiam susciperent & tanto maiora subsidia corrogarent, Prouincialibus Ordinis Prædicat. Lombardiæ, Franciæ, Prouinciæ, Vngariæ, Græciæ, Theutoniæ, Angliæ, Daciæ, Hispaniæ, Romano & Poloniæ, in reliquis vero partibus Italiæ Fratrib. Ordinis Minorum, vt Sacrum bellum indicerent, & ad illud siue iuuandum, siue prosequendum, Christi fideles incitarent. In eodem Concilio, Gregor. indulgentiam plenariam his qui in Syriam proficiscerentur largitus est; multisq; priuilegiis, gratiis, & immunitatibus eos ornauit, qui vel armatos, vel pecunias, vel aliqua alia Sacræ expeditioni necessaria submisissent. Cum autẽ Tartarorum nonnulli Proceres, domi candidati, Christumq; professi, ad Concilium Oecumenicum, opera Fratrũ Prædic. rudimentis fidei imbuti, adductiq; venissent, eos Sacro baptismate tinxit. Causam quoque Guidonis Comitis Montisfortis, qui Henricum Anglum occiderat indidem plenarie cognouit. Quem cum sponte ad castrum Leucum diœcesis Mediolanensis venisse, & suapte voluntate se carceri inclusisse, seueramq; admodum pœnitentiam peregisse intellexisset, motus supplicationib. illius, Patriarchæ Aquileiensi, Priori Ord. Præd. & Guardiano Mediolanensi Ord. Minorum iniunxit, vt eum stare obedireq; mandatis Ecclesiasticis spondentem anathemate exsolueret.

ep. 14. Lugd. 10. Cal. Aug.

XVIII. CAVSA ANCONITARVM CVM VENETIS DISCVSSA IN CONCILIO PRO VENETIS.

Blondus dec. 2. lib. 8. Petrus Marcellus in Laurentio Tepulo.

Acta est etiam tunc temporis in eod. Concilio Lugdunensi, Anconitanorum cum Venetis causa. Quam cum Abbas Nerusiæ auctoritate Pontificis cognouisset, Anconitanos nihil solide probantes reiecit, permissa sedis Apostolicæ auctoritate Venetis cura, eam maris Adriatici oram à Saracenis piratisq; simul cum vectigalium portoriorumq; suorum iurib. defendendi. Res est. Ante an. aliquot, Venetiarum vrbs ingenti fame grauiter oppressa fuerat, Appulis Siculisq; frumenta negantib. Genuensib. etiam mare infestantib. frumentatoribus, sine periculo nauigandi facultas erat sublata. In tanta rerum necessitate, Tarui sium, Patauium, Ferrariam, ad aliasque vicinas vrbes, cum pecuniis est missum, rogatumq; vt ciuitati tanto in discrimine subueniret. Præcipue Patauinis recentissima merita memorata, quib. ab Eccellini tyrannide seruitutis iugum fuisset adeptum. Sed omnia irrita fuerunt, pluſq; ingratitudo, quam aut preces, aut pecuniæ, aut merita valuerunt. Veneti igitur indignitate rei moti, nouum vectigal omnib. intra Adriaticum sinum, & Padi hostia negotiantib. imposuerunt: ad idque aliqua nauigia ad oram maritimam perlustrandam miserunt. Eam rem Bononienses iniquo animo ferentes, Venetias Legatos miserant, legisq; abrogationem, & liberam suis negotiatorib. nauigationem requisierant. Sed ea non impetrata, bellum indixerant. Tepulus igitur Dux Venetus Bononiensium conatus intelligens, vt hostes præueniret, nouem triremib. extructis, celeri cursu ad Padi ostia, quod Primarium vocant, concessit. Bononienses. a. apud D. Alberti cognomine castellum munientes, militari præsidio firmauerunt. Ibi Veneto Duce, cum maritimis copiis occurrente, non incruenta victoria sæpius dimicatum. Verum Bononienses copiarum numero superiores, plurib. in præliis victores fuerunt. Ad 40. namq; hominum millia armatorum in castris habuisse dicebantur. In triennium, bellum laboriosissimum protractum est. Demum Marco Gradonico Duce, ad vltimum conatum, totis viribus concursum est. Eoq; in prælio graui clade accepta, hostes fusi fugatiq; sunt. Qua strage fracti, ea lege pacem acceperunt, vt diruto ad Primarium castello, quarundam mercium libera eductione permissa, Padi ostiorum custodia Venetis dimitteretur. Anconitani etiam nouum sibi imponi vectigal indignantes, apud summum Pontif. Grego. questi sunt. Hic primo aspectu Venetis iussit, vt exactionem illam abrogaret, liberamq; nauigationem Anconitanis relinquerent. Hi. a. responderunt, Anconitanos non recte rem ad Pontif. detulisse, eumque re melius cognita, posse alia ratione decernere. Ita controuersia ad Concilii subsellia deuoluta, secundum Venetos pro parte nonnulla decretum est.

XIX. CONCORDIA INTER DANIÆ REGEM ET CLERVM FACTA.

ep. 91. Lugd. 2 Id. Nou.

Hoc etiam anno Gregor. Pont. inter Regem Daniæ, & Clerum Regni illius pacem conciliauit, atq; concordiæ rationes auctoritate Apostolica stabiliuit. Doluerat Henrico & Margaritæ Regibus, ab Archiepiscopo Londensi, Episcopo Roschildensi, & reliquis Prælatis, auctoritate summi Pontificis, pro subsidio terræ Sanctæ; decimas in vniuerso Regno impositas fuisse. Obsistebant, ne exigerent, neue Regnum ea exactione exhaurirent; Hi. a. iure & potestate sibi commissa, forte plusquam modestia Ecclesiastica patiebatur, non tantum ditis Henricum Regem, & Margaritam Reginam, & reliquos Proceres deuouebant, verumetiam multis iniuriis affecerant. Henricus porro ad indignationem præcipiti furore incitatus, tam Archiepiscopum, quam Episcopos, Prælatos, & plures ex Clero proscripserat, Regno eiecerat, atq; bonis omnib. exutos spoliarat. In exilium itaq; Archiep. abiens, recta ad Gregorium Pontif. contendit, calamitatem, quam vna cum reliquis patiebatur exposuit, & auxilium à Sede Apostolica imploraurit: nimirum, vt vel conciliaret, vel castigaret Henricum. Exaudiuit Greg. preces Archiepiscopi, nihilq; non egit, vt illum in Sedem, & gratiam Regis restitueret, pacemq; inter Re-

Æmil. in Philippo.

gem & Clerum componeret, nec quicquam imminuta Eccleſiaſtica libertate.

XIX. VITA, PROGRESSVS ET SANCTITAS ATQ. ERVDITIO B. THOMÆ DE AQVINO, ET ADMIRANDA. *Rom. Martyrol. & Sur. 7. Mart.*

Eodem anno, quo Gregor. Pontifex Lugdunum Conuentum vniuerſi nominis Chriſtiani indixerat, & certamini acerrimo cum Græcis de proceſſione Spiritus Sancti, aliiſq; myſteriis Catholicæ Romanæ fidei futuro, complures viros doctiſſimos euocarat. Nonis Martii, In Monaſterio Foſſæ nouæ prope Terracinam, obiit S. Thom. Aquin. Confeſſor & Doct. Ordinis Prædicatorum, vitæ Sanctitate & Theologiæ ſcientia illuſtris à Gregorio Pontifice, vt de Græcorum Latinorumque contentione aliquid monumenti ederet, Lugdunum vocatus. Natus fuit ante annos 50. patre Landulpho Comite Aquinate, matre Theodora Neapolitana ſtemmate & pietate inſigni matrona. Antequam lucem aſpiceret, futuram illius magnitudinem, matri grauidæ, aliquis eremitarum prænunciauit. Ipſe vixdum natus, in primis infantiæ dieb. admirandum ſpecimen futuræ ſanctimoniæ & doctrinæ ediderat. Nam cum aliquãdo à nutrice lauaretur, chartulam in qua Salutatio Angelica deſcripta fuerat, è terra ſublatam, adeo pertinaciter retinuit, vt extorqueri non poſſet. Eã vero cum in momento deglutiuiſſet, nõ ſibi à lachrymis temperauit, donec nutrix librum eiulanti obtuliſſet. Quinto ætatis an. ad Monaſterium Caſſinenſe, pietatis atq; eruditionis cauſa miſſus, non tantum ſuos condiſcipulos, verum & ſeipſum vicit: puritate, modeſtia, ſimplicitate, rerumque diuinarum ſtudio.

Pueritiam egreſſus, 15. ætatis an. D. Dominici inſtitutum ſuſcepit. Hæc res vt cæteris admirationem, ſic matri tantum dolorem attulit, vt ſubito Neapolim aduolarit, ſi forte poſſet Thomam ad ſæculum reuocare. Diſceſſerat ille in Gallias, à Præfecto Monaſterii, materni doloris præſcio tranſmiſſus. Forte fratres illius apud Frider. Imperatorem merebant. Illis itaque Theodora ſcripſit, ne Thomam Alpes tranſire ſinerent, ſed qua tandem ratione poſſent, ex manib. religioſorum eriperent. Rapuerunt, & ad matrem remiſerunt. Conata eſt primo blanditiis, deinde lachrymis adoleſcentulum emollire. Cæterum cum inſtar adamantis obduratum vidiſſet minas adiecit, & tãdem in ergaſtulum coniecit.

A nullis iniuriis tunc fratres Thomæ ſibi temperarunt, vt conſtantem animi frangerent. Sed vano conatu ſeſe fatigabant. Diſcerpſerant illi religioſum habitum: ipſe laceratas partes nodis deuinciens, vt potuit reſarciuit. Meretricem tentandæ pudicitiæ ſubmiſerant, ille .a. nomine Saluatoris & D. Deiparentis implorato, arreptoq; è foculo titione, impudentem profligauit, atque humi proſtratus perpetuam virginitatem impetrauit. Duo .n. Angeli momento apparuere, renes ei cingulo cælitus delato obſtrinxere, dicentes. *Ex parte Dei te cingimus cingulo caſtitatis, quod nunquam diſſoluetur.* Biennio integro in carcere recluſus, vitam inter grauiſſimas calamitates admiranda conſtantia egit: donec mater iudicium Dei metuens, Religioſis D. Dominici illum reddidiſſet. Coloniam Agrippinã miſſus, ſub diſciplina B. Alberti Magni ſtudio literarum & perfectionis religioſæ ſe addixit, & quod ſilendi virtutem, virtutum reliquarum, tum matrem, tum nutricem eſſe ſciret, illam ipſam inprimis tam ſtricte complexus vt dicis cauſa *Bos mutus*, diceretur. Veruntamen Magnus Albertus, cum quandam quæſtionem multis obſcuritatib. inuolutam illuſtrandam tradidiſſet, inq; ea elucidanda D. Thomæ ingenium, tum ex ſcriptione, tum ex defenſione animaduertiſſet, acri iudicio de illo diuinauit. *Vos,* dicens, *hunc bouem mutum vocatis; ſed ille tales quandoq; mugitus dabit, vt totus Orbis exaudiat.* Poſtquam .a. ſub Magno Alberto profeciſſet, Lutetiæ Pariſiorum Petri libros quos vocant ſententiarum tanta ingenii dexteritate legit, vt Magiſterii lauream vix 30. an. natus meruerit. Eum honoris titulum multis & precibus, & lachrymis depellere conatus, præcepto maiorum, & venerandi cuiuſdam Senis ſecundum ſomnium ſibi apparentis monitione ſuſcepit. Inter Doctores Theologiæ annumeratus, totum ſe lectioni, ſcriptioni, docendique officio dedit, ſed id nonniſi poſt orationem & contemplationem. In qua porro viſus eſt non ſolũ mente in cælũ euehi, ſed pariter corporis mole in aera eleuari. Venerabile .a. Euchariſtiæ Sacramentum, eo fidei deuotioniſq; ardore contemplabatur, vt non raro totus lachrymis infuſus, oppreſſis ſenſib. in terram decideret, tamen nunquã, niſi valetudine impeditus, aut ipſe ſacrificium incruentum offerre, aut offerẽtib. aſſiſtere intermiſit, ſicq; præcipue reb. ſe ſcientiã conſecutum fuiſſe teſtatus eſt. Quamuis .n. ingenio plurimum polleret, tamen nihil ſe præclare gerere poſſe confidebat, niſi prius ardentiſſimis precibus lumen menti ſuæ poſtulaſſet. Aliquando Iſaiam interpretanti cum locus quidam nimis obſcurus occurriſſet, & ille multum in oratione vt ſenſum penetraret illius laboraret, Petr. & Paul. noctu apparentes, illi locum dilucide explicarunt. Alio etiam tempore Diua Deiparens Maria illi ſe videndam exhibuit, & tum de plurimis Secretis, tum vero de certitudine gratiæ apud Filium, & gloriæ illius ſecuritate inter cælites illum edocuit. Semel a. orantem Thomam Ieſus Cruci affixus ex ſimulachro ſuo allocutus eſt dicens: Bene ſcripſiſti de me Thoma. Quam ergo mercedem pro hoc labore à me recipies? Is .a. omniũ, q̃ vel in cælo vel in terris ſunt oblitus, nec quicquã aliud q̃ Ieſu complexib. frui deſiderans, reſpondit: Dñe: non aliam p̃ter te. Oranti deinde illi alias, ſe per viſum obiecit, quidã ſacræ Theologiæ D. eius in prælegendo Lutetiæ Succeſſor, eo inſciente vita functus. Is in cælos ſe eſſe receptum Thomæ narrauit, operaq; illius Deo grata eſſe aſſeruit, & multa ſecretiora S. Doctrinæ arcana ei aperuit. Sororem etiam non ita pridem defunctam, & purgatorii pœnis addictam vidit, q̃ ſe igni purgatorio deputari reuelauit, ꝙ vano & ſuperfluo ornatu oblectata fuiſſet. Orauit pro illa Sanctus, à ſuppliciis illam precib. liberauit, & tand. in gloriam introductam, grates ſibi agentẽ, & multa de ſtatu Fr. religionis eiuſd. narrantem audiuit. Quod extaſes mentis attinet, ſæpe ſæpius in illos rapiebatur. Cum Manichæorum errores ſcriptione laboraret profligare, à Ludouico Galliarũ Rege ad prandium inuitatus, priore impellente, vel inuitus iuit, menſæque Regiæ aſſedit. Ibi dum cæteri ventrem epulis onerarent, ille mentẽ ſtudiis in contẽplatione paſcere viſus, in extaſim iuit, ex qua tandem experrectus, exiſtimanſque ꝙ in ſuo cubiculo ad libros impalleſceret, manu menſam percutiens dixit: *Definitum eſt contra Manichæos.* Atq; ad Socium conuerſus; *Surge, ait, & Scribe.* Idem fere ei accidit, dum menſæ Cardinal. Legati aſſideret, eo tempore, quo inſigne illud contra Gentiles volumen componeret. Non multo ante obitum, apud Theodoram Sororem demorans, toto triduo à corpore abſtractus fuit. Cum .a. cauſam à Socio illa requireret: ſic reſpondit: *Nihil viro Sancto præter eius conſuetudinem accidiſſe.* Excitauit illum tandem Sodalis, veruntamẽ ille ad ſenſus reuertens, ab imo pectore ducto ſuſpirio dixit: Iam vt ſpero, ſicut ſcribendi, ita & viuendi breui finis erit. Hactenus .n. à me & ſcripta & dicta, ſi cum his quæ mihi diuinitus oſtenſa ſunt comparentur, exigua mihi eſſe videntur. Cum cauterium illi in tibia inureretur, adeo mente in Deum eleuatus fuit, vt nullum vſtionis dolorem perſenſerit. In cubiculo cuidam ſcriptioni intentus, candelam ſibi manum adurentem non aduertit. Romæ die Paſchatis Sermone habito cum è ſuggeſtu deſcendiſſet, mulier quædam profluuio ſanguinis exhauſta, & medicorum ope deſtituta, tactu fimbriæ veſtimenti illius, optatam ſanitatem recuperauit. Reginaldum ſuæ profeſſionis fratrum moleſta, & continua febri laborantem, precibus ſuis, & reliquiis Sanctæ Agnetis pectori febrientis admotis priſtinæ ſanitati reſtituit. Humilitate eximia, Archiepiſcopatum Neapolitanum ſibi à Clemente Quarto oblatum cõſtantiſſime recuſauit. *Malle ſe Sancti Chryſoſtomi ſuper Euangelium Diui Matthæi homilias, quam Lutetiam Pariſiorum aſſeuerauit.* Innumerabiles plane libros, quaſi ipſius Solis radio conſcripſit, Eccleſiamq; vniuerſam, ſolida, clara, & profunda doctrina, contra omnes errores & hæreſes armauit. Cum à Gregorio X. Pontif. Max. ad Concilium Lugdunenſe vocatus proficiſceretur, in morbum grauiſſimum, ſiue ex itineris moleſtia, ſiue ex veneno à Carolo Rege (qui ſibi metuebat, ne Thomas in Concilio ſententiam contra eum ferret,) clam porrecto, incidit, ex quo in Monaſterio Foſſæ nouæ viuendi finem fecit: cum primum Canticum Canticorum expoſuiſſet, & Sacra Euchariſtia ſe præmuniuiſſet. Hanc ille humi proſtratus, profuſis lachrymis adorauit; & interrogatus de more; num in præſenti hoſtia, Chriſtum verum Dei filiũ ex virgine natum, contineri crederet; maxima cũ deuotione

reſpon

reſpondit: *Ego vero corde credo, & ore confiteor, verum Deum & hominem, æterni Patris, virginiſq; matris filium, ſub his ſymbolis in latere.* Ad extremum extremo vnctionis Sacramento delibutus, ſpiritum nulla mortali vnquam labe aſperſum Deo reddidit, ſanctitatemq; ſuam miraculis funus ſubſequentib. illuſtrauit. Sed præſtat eius vitæ ac miraculorum ſeriem, ex bulla canonizationis ab Ioanne 22. Pontifice edita cognoſcere. Ita habet autographum.

XX. BVLLA CANONIZATIONIS S. THOMÆ PER IOANNEM 22. *epiſt. 15. Cal. Aug. anno 1324.*

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilib. Fratrib. Patriarchis, Archiepiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, cum Dei verbum in virginalis vteri thalamo Sancti Spiritus cooperatione caro factum eſt, & habitauit in nobis, verbo ſuo nos inſtruens, exemplo docens, cæleſtia reſerans, occulta depromens, miraculis roborans, ac Sacri eloquii teſtimoniis futura eadem eſſe confirmans. Tandem ſe DEO patri in ara Crucis hoſtiam acceptabilem offerens, peccata noſtra pio cruore deterſit, deſcendenſque ad inferos, ac die tertia reſurgens à mortuis, & per XL. dies apparens diſcipulis, & loquens de regno Dei, ipſis cernentibus eſt eleuatus in cælum, & captiuam ducens captiuitatem dedit dona hominibus, quibus pateſcere cælum innotuit reſerata dudum clauſa in ſe credentibus ianua Paradiſi. Patet ergo cælum credentibus, patet humilib. patet etiam iis maxime, qui honeſtatis, paupertatis & obedientiæ votis ſe DEO, à quo ſtulti per inobedientiam diſceſſerunt, voluntaria ſponſione ſe deuouent. Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis ſubactis affectib. violentia quadam ad ſuperiora conſcendunt. Hæc igitur Beatus Thomas de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum Sacræ Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, ſed nobilior conuerſatione, fama clarus, vita clariſſimus, ſedula meditatione reuoluens, attenta deliberatione diſcernens, dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ipſius Prædicatorum Ordinis habitum ſuſcepit, in eo, inuito etiam patre, qui eius felicibus actibus inuidebat, conſtantius manſit, ac in ipſo tandem regularem profeſſionem emiſit, vbi in breui adeo ſcientia, vita & moribus profecit, vt ætate adhuc iuuenis ad Sacerdotium promoueretur, & ad eiuſdem Theologiæ Magiſterium Pariſiis loco vtique celeberrimo aſſumptus, magno inibi ſui ſuiq; Ordinis, ac Pariſienſis ſtudii fauore, per multorum annorum curricula cathedram regeret magiſtralem. Quippe cum illi vita exiſtentiam, conuerſatio famam, doctrina pareret opinionem, opera diuulgationem, eademq; tam breui conuecta tempore admirationem merito exhiberent, vt illud Pſalmi: Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra, in eo veriſsime impleretur, quod vtique thema, idem ſanctus, dum eſſet in ſacra pagina ſuſcepturus inſignia aſſumpſit; quodque (vt fertur) reuelatione ſibi poſt ſuam orationem didicerat, dum propter iuuentutem ſuam ipſe ſe inhabilem ad magiſterium reputans, quid proponeret in inſtanti principio hæſitaret. Nam & in primitiuis ſcientiis & diuerſis Philoſophiæ partib. vt non eſſet otioſus ſed operaretur terram: nec non in ſacræ ſcripturæ pagina tam ſuper nouum quam vetus teſtamentum ſcripta plurimaque alia ad Dei laudem fideiq; dilatationem, eruditionemq; ſtudentium clara, cum ſciens eſſet, famoſa cum cognitus non abſq; ſpeciali Dei infuſione profecit. Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino ſcientis eſt poſſe dicere. Profecit itaque vir peritus à terrenorum ambitione ſemotus, & ad cæleſtium aſſecutionem intentus, profecto vacans ſtudio, intendebat Deo, prætermittebat terrena, vt aſſequeretur æterna. Prætermittebat diuina, vt roboraretur in ſchola: cum ſingulis diebus antequam lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, Miſſam vnam celebraret, aliam audiret, vel duas integras miſſas ſi non celebraſſet audiret, in quib. & alias in oratione, cum in illa foret aſſiduus lachrymarum effuſione mentis ſuæ dulcedinem deuotionemque Deo, cui nihil eſt abſconditum, reuelabat. Cumque caſtitatis nitore canderet, parſimonia deuota hanc cuſtodiebat humilitatem: hanc eand. ſobrietate medica nutriebat adeo vt multi eum in carnis virginitate manſiſſe incorruptum æſtimarent. Quod eiuſd. Sancti confeſſor Ord memorati, qui longo tempore ipſius confeſſionem audierat, publice, vt ad nos teſtimonio fide digno peruenit coram omnibus die defunctionis eiuſd. aſſeruit dicens: Ego confeſſionem generalem iſtius Sancti viri audiui, de quo teſtificor, quia inueni eũ ita purum, ſicut puerum quinque annorum: quia nunquam ſuæ carnis ſenſit corruptelam. Qui præterea vir Dei cibis religioſorum, veſtimentiſque communibus contentus, conuerſatione mitis, benignitate ſuauis, pietate miſericors, humilitate ſubiectus, cæteraq; virtutum varietate redimitus, honorum ſupercilium, mulierumque cautius conſortia ſpernebat, non elatus, non præeminens, nec etiam diſputans (quod interdum diſputantium ſolet eſſe commercium) iactator effectus, vt ampulloſis etiam ſi ſibi eadẽ inuceretur ab aliis, in illo palaſtricæ ſyllogizationis exercitio vteretur. Totus igitur Dei famulus diuinis opibus intentus, aut eruditioni qua præcellebat, aut prædicationi qua notus erat, aut orationi qua deuotus, aut ſcripturæ ſacræ qua profundus, ſedulus vacabat, adeo vt præter naturalis neceſſitatis aut quietis horas nullum ſibi aut vix temporis ſpatium relinqueret otioſum. Appropinquante autem die, qua de hoc ſeculo migraturus erat ad Dominum, quaque deuicto ac triumphato mundo in perpetuas æternitates recipiendus erat in patria (nam bonorum laborum glorioſus eſt fructus) cum à felicis recordationis Gregorio Papa ex prædeceſſore noſtro ad Lugdunenſe Concilium propter eminentem eius ſcientiam diceretur eſſe vocatus, de Neapoli veniens, vbi tunc temporis more ſolito famoſe legebat vt Doctor, & per maritimam tranſiens oram, cum ad monaſterium Foſſæ nouæ Ord. Ciſtercienſium Terracinenſis diœceſis parumper digreſſurus, per dies aliquot antea ad ipſum vt illuc deferretur affectuoſe poſtulans deueniſſet, intrans Monaſterium plenus Dei ſpiritu, hæc verba protuliſſe refertur: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam. Quod verum eſſe euentus docuit, & ſacra corporis ſui illic facta tumulatio manifeſtat. Cœpit enim infirmitatem ipſam, & ſi dierũ non plurium non impatienter tolerans, ſed æquanimiter, totus vt erat humilis patientia ſupportans, qua ſibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, miniſtris de ſe, quod non intendebat aggrauaret reuerentiam, imitandæ quoque patientiæ præberet exempla; adeo quod eiuſd. Monaſterii Foſſæ nouæ fratres inibi Deo deuotius famulantes hæc in Sancto viro religionis exempla contemplantes illius infirmantis corpore promptis obſequiis mancipati, quem vtique tanta refertum patientia fore cernebant ſinguli ligna de ſilua, ſinguli quoq; illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant: non æſtimantes fore conueniens, vt brutorum animalium humeri in portandis eidem reb. accommodis præſtarent obſequia, qui tantarum virtutum prærogatiua pollebat. Cumq; in ead. infirmitate de qua obiit ſacratiſsimi Dei & Dom. noſtri Ieſu Chriſti corpus in cibum ſumendum ſibi & viaticum deferretur, totus profuſus in lachrymis & dulci amore eiuſd. anima aſſueta, dulcedine Dei liquefacta, inter cætera multa decora quæ protulit, hæc vel ſimilia Fidei & deuotionis verba, toto illius Monaſterii conuentu, multiſq; dictorum Prædic. & Minor. Ordinum aſsiſtentib. fratrib. eructaſſe fertur: Ego de iſto Sanctiſsimo Corpore Dom. noſtri Ieſu Chriſti & aliis Sacramentis multa docui, multa ſcripſi in fide Ieſu Chriſti, & S.R.E. cuius correctioni cuncta ſubiicio, cuncta ſuppono. Recepto deinde ab ipſo eod. viuifico Sacramento, cunctiſq; aliis Sacramentis Eccleſiæ deuota veneratione cum lachrymarum effuſione ſuſceptis, tertio die obdormiuit in Domino, cui credidit, quem amauit & tota mentis affectione dilexit; fidelis ſeruus & prudens, non pertinax, non proprio ſenſui, aut prudentiæ innitens, & nulla de ſe ſcientiæ ſuæ ſuperbus. Nam qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Vnde ſapienter idem Doctor atque humiliter (vt præfati ſumus) omnem ſuam verbo vel ſcripto doctrinam ad eiuſdem Eccleſiæ Fidei normam fideli deuotione reduxit, qui Petri ore diffuſam ſtabilem nouerat, & nullis concuſsionum flagitiis agitandam: cum poſt veram diuinitatis Chriſti recognitionem, qua reſpondit, Tu es filius Dei viui, ab ipſo audire meruit: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & alibi, ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, dumq; pro Petro Chriſtus rogat, pro eius Eccleſia intercedit: Verum, quia dignum erat, & conſonum, vt quem Deus viuentem in hoc ſæculo tantis ſuis donis gratiiſque perfecerat, aſſumptum in cælis ſanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem virum Dei poſt ipſius de hac vita tranſitum (licet & antea nonnulla feciſſe memoretur) magniſque fecit clarere miraculis, multis clariſque ſignis glorioſius coruſcare, vt illud Pſalmi merito de illo dicamus; Scitote, quia mirificauit Dominus ſanctum ſuum. Sicque vita eius atteſtaretur miraculis, & eius miracula vitæ teſtimonium perhiberent, de quib. pauca de multis in Dei laudem, & Sancti huius commendationem & ædificationem fidelium idoneis approbata teſtibus præſentibus ſubnectemus. Poſt ſeptimum namque menſem, vel circa, à die obitus ipſius ſancti Thomæ de Aquino, cum corpus eius, quod in capella S. Stephani dicti Monaſterii per idem tempus ſepultum extiterat, ad ſepulchrum eiuſdem primum ſc. ante altare maius Eccleſiæ Monaſterii antedicti, vnde ad tempus per Monachos eiuſdem monaſterii timoris cauſa ſublatum fuerat, ne corpus ipſum omnino de dicto monaſterio tolleretur, propter translationem denuo exhumatum deferri exinde decreuiſſent, in apertura ſepulchri eiuſdem capellæ S. Steph. tanta fragrantis odoris ſuauitas emanauit, quod totam ipſam capellam clauſtrumque ipſius monaſterii, quod diffuſum eſt, mira eadem ſuauitate repleuit, quæ de ipſius corpore, prout ex ſolicita curioſaque monachorum indagine eſt repertum, mirifice fundebatur, propter quod maiore pro monachis

 concepta

concepta ad ipsum deuotione totus Conuentus processionaliter, Priore tamen dicti monasterii cum quibusdam ex monachis paramentis induto corpus ipsum ad præfatum primum eius sepulchrum honorifice detulerunt, cantantes in crastino propter illa quæ viderunt, missam velut de vno confessore solenniter, cum reputarent incongruum, si missam de Requiem æternam, ac si pro defuncto, pro illo cantarent. Hanc similem fragrantiam post septem annorum spatium quidam ex testibus, quidam vero post 14. annorum spatium se sensisse referunt, dum corpus ipsum diuersis ex causis per temporum vices sedulo inspexissent, quippe odor carnis eius munditiam DEO acceptam exprimebat, orationum eius odoramenta repræsentabat, famam eius claram, diffusionemque virtutum & illorum aromata non cælabant. Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se vel ambulare, nequaquam absque baculorum sustentatione, aut aliorum suffragio poterat, se Deo & B. Thomæ deuouens, iuxta eius tumulum incumbens, oratione facta sanus prosiliit, currens & Deum laudans, quod meritis eius esset de tam longa infirmitatis languore curatus. Alter quidam, ex horribili quadam visione phantasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit, ore ac facie distortus, sensibus carens, & omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat; sed mortuo similis videbatur, adeo vt ignem eius membris admotum nullatenus sentiret, & portatus ad tumulum illius, post morulam liber & sanus omnino à dicto sepulchro surrexit. Alius dum non deuote de sancto sentiret, & virtutem Dei in sancto in se duplicem est expertus: infirmitatis dum contemnit, sanitatis, dum à contemptus culpæ discessit. Nam cum sibi deuotionis causa à quodam capellano plures venerandæ reliquiæ monstrarentur, ipse quoque ostensor gratiosiores adhuc se habere reliquias, videl. manum fratris Thomæ de Aquino fateretur; illico derisorie de iis triumphante, cum eas videre non curaret, dicens, sanctus non est, sed quidam Ordinis Prædicatorum: tremor eum apprehendit, & caput eius ad modum magni cisti grossum, & valde ponderosum sibi esse videbatur. Sed infirmitate correptus & pœnitens simulque incredulitatem deplorans, dum veniam à Sacerdote petitam obtinuit, reuerenter manum eiusdem sancti deosculans confestim à tremore & inflatione capitis liberatus euasit, sensitque progredientem (vt retulit) maximum ex dicta manu suauitatis odorem, qui odor cum ipsius curati caputio, personæque ex tactu manum eiusdem per magnum tempus inhæreret, multis eundem postmodum percipientibus sciscitantibusque quid esset hoc signo narrare, quod acciderat, & si nolens miraculum cogebatur. Notarius quidam, dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa, graui squinantiæ infirmitate detentus est, duobus diebus præterea linguam mouere non potuit, & loquelam amisit. Cumque multa medicorum remedia ei adhibita, quin eadem infirmitas in argumentum procederet, non prodessent, imo de illo desperarent, ad sanctum conceptum deuotionem; vt ad tumulum eius deferretur, quod lingua non valebat, manus sua scriptura deprompsit. Verum, cum illuc repugnante vxore sua quia mulieribus intrare præfati Monasterii Ecclesiam non liceret, nequaquam duceretur, ipse homo infirmus, aduertens intra seipsum eidem beato viro se, vt eum liberaret, affectuosius commendauit. Cæpit ex tunc linguam ducere, meliorari & conualere: ac breui temporis interuallo perfecte curatus fuit. Dum alius quidam per septem hebdomadas & vltra, febre quotidiana, malo hepatis & stomachi affligeretur, quadam die Veneris cum peius haberet, auditis quibusdam miraculis quæ per virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum, deuotione, sequenti die Sabbathi de sero, vxoris suæ suasibus eaque præsente deuouisset, die Dominica proximo in mane se à præfatis infirmitatibus plene reperit liberatum. Mulier quædam, cum filium suum duorum mensium decumbentem periclitari non immerito formidaret, pro eo præsenti, quod per menses quatuor ex surditate adeo grauata esset, vt decies exclamata vagientem etiam puerum vix audiret, viri sui inductione, qui mœstus vna cum illa communis filii periculo condolebat, prædicto viro Dei, vt eam ab eadem infirmitate eriperet obnixius deuouit, emissoq; voto cum nocte secuta dormisset, in crastino se liberatam sancti meritis reperit, vt optabat. Puella gutturis sui fauces squinantia habens infirmitate obstrictas, in tantum vt ne quid sumere solidum, aut liquidum valeret, & anhelitus sibi meatus vt vix respirare posset includeretur; dum deuote se Beato viro à matre persuasa commendaret, ductaque foret in crastinum ad dictum Monasterium Fossæ nouæ, superpositis gutturi suo dicti viri Sancti reliquiis in quadam capsa delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata rediit. Quidam præfati Monasterii Fossæ nouæ conuersus, adeo grauem in brachio dextro, & spatula dolorem patiebatur, vt ipsum brachium, quod per trium mensium cum dimidio spatium detulerat suspensum ad collum ei esset inutile, dolore præsertim vehementer afflictum, qui cum requisitum medicorum remedium non haberet, & amplius dolore grauaretur, dum dicto Sancto pro sua liberatione se quodam emisso voto commendasset, seque supra eius tumulum posuisset, ibidem obdormiuit, ac excitatus deinde à quodam dicti Monasterii Monacho brachio, quod in linteo prius habebat incumbens collo adhuc dependenti extractum ab eo reperit, excitatorumque à somno more, dum ambas manus capiti suo, vt ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, ac astantibus quod notum fuerat miraculum reuelauit. Infans quidam quatuor annorum tumorem, & ruborem in costis & crure vsque ad pedem patiebatur adeo afflictiuum, vt nec à matre sua, vel alio tangi sine læsione & clamore suo aliquatenus potuisset; mouere se non poterat; & per mensem, in tanto dolore, & anxietate fuit. A medicis spes curationis eius sine incisione puerulı non inueniebat; illaque si fieret, perpetuo eum in persona futurum impeditum mæstis amaritudine mentibus nunciabatur. Deficiente natura artisque suffragio non inuento, recursum est ad eum qui gloriosus est in sanctis suis faciens prodigia. Nam mater infantuli, quæ ipsum diligebat vt mater, eum B. Thomæ deuotius commendauit, vt à dicta infirmitate sine incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad Monasterium, positus super tumulum Sancti postque aliquantulam morulam sane inde surrexit. Hæc sunt igitur testimonia tua Deus, quæ ad hoc viro iusto credibilia facta sunt nimis. Nã si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quo animam eius cœlum possidere credimus; intercessorem ipsum expectamus, ac inter Sanctorum agmina quasi stellam matutinam confidimus esse locatum. Vnde fidem tuam in nobis bone Iesu nutris, spem erigis, dilectionis charitatem accendis. Lætetur itaque mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania iucundetur, Prædicatorum Sacer ordo tam iubilet, Religiosorum deuotio concrepet, Doctorum turba com plaudat. Animentur ad studia iuuenes, prouecti non torpeant, senes delectentur in illis. Omnes in humilitate proficiant, prouecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ: & sapientia humilitia, exaltabit caput illius. In medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum spiritu sapientiæ, & intellectus, stola gloriæ induit illum. Nam veritas, quæ est Christus, ipsa veris non fictis Doctorib. pollicetur, qui elucidant me, vitam æternam habebũt, quamuis ipse verus iustitiæ Sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum irradiatione: cum illuminentur ab ipso & clarescant. Habitant enim lucem inaccessibilem, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Idcirco tenebris non obscuratur, vt deficiat, aut nebulis offuscatur vt suæ claritatis radios non diffundat. Cæterum quia rationis ordo expostulat, vt triumphantem in cœlis Ecclesiam, deuota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipua percolat, quem in cœlestibus agminibus positum Deum glorificare cognoscitur: nos de sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate confessoris eiusdem non semel tantum, sed primo & secundo, non festine, sed mature inquiri fecimus, & per nos etiam, & fratres nostros S. Rom. Ecclesiæ Cardinales inquisitionem huiusmodi exacta discussione examinauimus diligenter, vt tanto firmius, quanto maturius: tanto certius, quanto disquisitius inquisitum & examinatum existeret in sic arduo difficilique negotio procedere valeremus. Difficile namque examinamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? Cumque per huiusmodi nostram & eorundem fratrum nostrorum examinationem solicitam, & solicitudinem examinatam, vitam eius sanctam & miracula vera eius meritis facta probata esse constiterit, & supplicantibus nobis idipsum humiliter & deuote multis tunc Prælatis apud Sedem Apostolicam existentibus de dictorum Fratrum nostrorum consilio & assensu, auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & B. Petri & Pauli Apostolorum eius, ac nostra confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideoque vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus 9. Martii Festum Confessoris eiusdem, deuote ac solemniter celebretis, & faciatis à nostris subditis veneratione debita celebrari; vt pia eius intercessione, & hic à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis. Vt autem ad venerabile eius sepulchrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem Confessoris colatur festiuitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reuerentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & eorundem BB. Petri & Pauli Apostol. eius authoritate confisi, vnum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulchrum, infra 7. dies festum ipsum immediate sequentes, centum dies de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Datum Auinioni 15. Cal. Aug. Pontificatus nostri anno 7.

XX. In hunc annum, Annales Prædicatorum referunt, obitum

B. HVMBERTI PRÆD. EX GENERALIS OBITVS.

tum B. Humberti Burgundi, sui Ex generalis. Non indigna sunt quæ de occasionib. eius ad ingressum Religionis proferuntur. Lutetiæ Parisiorum, iura & Theologiam iuuenis discebat. Sed morem insolentis iuuentutis non curabat. Namque iis quæ effrenes cupere & capere consueti, repudiatis, carnem cilicio ac ieiuniis domabat, mentem orationibus exercebat, pietatis in pauperes operibus incumbebat, Diuinis officiis interesse, ac præcipue Diuę Virginis ædem singulis diebus frequentare consueuerat. Carthusianorum & Prædicatorum institutum præcipue ambiebat, neque aliud quippiam à Deo, quam vt in alterutra earum sodalitatum vitam instituere posset, precib. ardentissimis flagitabat. Accidit, vt aliquando in Parochiæ suæ Ecclesia, officio mortuorum præsens esset; cum Parochus è choro egressus, illum, *Num è sua Paræcia esset*; &, *vbi nam locorum habitaret*, interrogauit; atque hospitium designantem; suæ curæ eum esse, sibiq; salutem animæ ipsius commissam fore dixit, vtq; fidei in Baptismate Deo obligatæ meminisse vellet, admonuit. Interim contigit, vt pręcentor chori versum illum decantaret; *Heu mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea, quid faciam miser, vbi fugiam nisi ad te Deus meus?* Quæ verba, vna cum admonitione Paræci, adeo alte in eius pectus descenderunt, vt nihil aliud aut cogitaret, aut proloqueretur, quam illud solemne; *Quid faciam miser? vbi fugiam?* Cumque interius à diuina inspiratione audiret; *Non aliorsum; quã inter FF. Prædicatores*; relictis & distractis omnibus ei religioni nomen dedit, in qua tantum profecit, vt in ea quam de Innocentio IV. Pont. Max. Patres deliberabant electione, inter candidatos fuerit propositus, & tandem propter ingentia ornamenta vniuerso Prædicatorum Ordini prælatus. Quem cum nouem integris annis sanctissime informasset, eam curam præ humilitate, quemadmodum & Patriarchium Hierosolymitanum à Nicolao III. oblatũ abdicauit. Vndecim quos postea vixit annos, ieiuniis, orationibus, contemplationi, & reliquis operib. Sanctitatis consecrauit: & tandem Lugduni vitæ cursum consummauit. Verum exemplar virtutum, & speculum Religionis. *Michael Pius lib. 1. de viris illust. Ord. Præd.*

XXI. *PRODIGIA VARIA.*

In Anglia hoc anno post terræ motum, quo multa ædificia corruerunt, sanguine in Vuallia pluit: quasi prodigium exitiale illi genti, cuius sanguine breui tempore post, ea regio passim maduit, sub Leolino Griffinigio, qui nouas seditiones in Anglia fecit, & Francos sibi socios adiunxit. In Germania prope Lauffenburgum oppidum in finibus Heluetiorum ad Rhenum fluuium situm, natus est infans manibus ac pedibus anserinis, capite horrendo. *Anonym.*

IESV CHRISTI
Annus 1275.

GREGORII RVDOLPHI MICH. PALÆOLOGI
X. Papæ 4. Reg. Rom. 2. Imperat. Orient. 16.

I. *GRÆCORVM LEGATI REDEVNT CONSTANTIN. Nicephorus Greg. lib. 5. & Act. Concil. Lugd.*

ABsoluto Lugd. Concil. Michaelis & Andronici Imp. Apocrisiarii, ac reliqui Græcorũ proceres, reb. ex sententia animi confectis, in Orien. reuertebantur. His Greg. Pont. suos Legatos adiunxerat, vt perfectam concordiam conciliarent, atq; Græcis amplectandam vnionem persuaderent. Quatuor capita Legationis fuerunt, ex decreto Cõcilii præfinita. Primum, vt in sacrorum voluminum hymnodiis, Pont. Rom. cum quatuor Patriarchis mentio fieret. Alterum vt liceret cuiuis Romam veterem, quæ Curia maior, atque perfectior, nec non prima esset, appellare. Tertium, vt Summo Pont. Rom. Principatus in omnib. deferretur. Quartum, vt processionem Spir. S. æque à Filio vt à Patre, vna cum reliquis mysteriis fidei, atq; sacramentis Eccl, ex formula Eccl. Rom. crederent, atque faterentur. Iam ad eum modum pacata & tranquilla omnia fore sperabantur. Veruntamen gentis leuitate atq; inconstantia, & Iosephi Patriarchæ Constantinopol. proteruia & fallaciis, nec non summo Andronici scelere atque impietate omnium hominum nequissimi, natio ad ingenium versa sacra omnia fœdera religionis violauit, confudit ac perturbauit: & tenebris sempiternæ noctis sese perpetuo inuoluit imbuta inueteratæ prauitatis errorib. & sacrosanctam religionis necessitudinem floccipendens. Sane Patriar. Ioseph. ea concordia repudiata, sede sua cessit: nec multo post relicta vrbe, se in Archistrategi monasterium ad Bosphorum contulit, vbi reliquum ætatis exigeret. His rebus sacerdotum collegium concitatum, haud obscure ferebat, se non esse quieturum, plebemque ab Imperatoria illa concordia reuocabat, Martyrii & coronarum tempus esse mentiens: ita vt magnus inde tumultus excitaretur, atq; in atrocem tempestatem erumperet: & Imper. externis negotiis relictis, omne suum studium ad res domesticas transferre cogeretur, vrbana pericula bellis externis grauiora ratus. Erant enim non pauci è magistratibus etiam, qui decretis illius acriter aduersarentur. In eas igitur redactus angustias, duas sibi patere vias arbitratus, summa necessitate nihil tertium admittente in præsentia, vt aut omnes sibi assentirentur, aut hostium loco haberentur. Aduersariorum animos, principio verborum blanditiis, & comitate morum conciliare sibi, & obnoxios reddere studebat: cæptam eam esse rem, nullo studio nouitatis, sed propter temporum difficultates. Esse autem prudentiæ, impendentes præcauere calamitates, & si quid ad grauiora mala auertenda nouandum sit, non esse cunctandum. Si enim hostes aduentarẽt, vrbe adhuc multis in partibus lacerata, modoq; instaurata, & velut è multiplici dudum morte reuiuiscente, præsentia mala grauiora futura superioribus ac Dominos fore hostes non tantum sacrorum, sed omnium simul, liberũm, coniugum & rerum: quorum Domini vi abrepti, libertate cum seruitute commutata non corporib. tantum, sed animis etiam hostium sequi voluntates cogerentur. Id etiam reliquũ fore, ne quis mores patrios, ac vetera instituta tueretur: imo vt sacræ leges & sanctiones expeditissime, & deprauarentur & euerterentur. Quæ cum ipse pręuideret, necessitati parere haud recusasse: exiguumq; damnum, quod prudentiæ munus sit, magno emolumento posthabuisse, minoraq; aduersariis, vt maioribus potiretur, concessisse. Hac ad politiam composita oratione alios commouit Imper. alios non item. Vnde suasione omissa, viam alteram ingressus, & potestate vsus est, cuius variæ rationes fuerunt, publicationes bonorum, relegationes, custodiæ, excæcationes, flagra; mutilationes, omnia deniq; quibus virorum fortium & mollium animi explorantur. Ac quorum studium impetu ferebatur, ii pertinacibus animis omnia tolerabant & perpetiebantur, quæ potestas Imperatoria inferebat.

PATRIARCHA CONSTANTINOPOL ET ANDRONICVS CÆSAR VNIONEM LEVITER CONTEMNVNT. PALÆOLOGO NEQVIDQVAM OBNITENTE.

II. *PLEBEII QVIDAM HORVM REBELLIVM SECTAM AMPLEXANTVR.*

Per hoc temporis maxima pars hominum veri iudicii expers, fex plebis, & circumforanea turba, semper nouis rebus gaudens, asperis velut in scena palliis induti, vbique terrarum sparsim & passim vagati sunt, vbi Christianos esse audiuerunt: in Peloponneso inquam, Achaia, Thessalia, & Colchide, vbique gentium extra ditionem Imperii neque vniuersalem pacem conseruare volentes, neque inter sese, sed alii aliis nominibus ascitis partim Arsenii, aut Iosephi Patriarchę sectam profitendo, partim alia iactitando tempus terebant: plerique & decipientes, & decepti. Nec enim deerant, qui in vicis & viribus oracula, quasi modo à Dei conspectu reuersi, cantarent: lucri vtiq; gratia & causa, & ad implendos saccos, qui eam ipsam ob rem in eodem habitu perseuerarunt: nec post Ecclesiæ instaurationem, vitæ ratione mutata. Ad eos forte respexerat Gregorius Pontifex cum in concilio præterito statuerat ista ipsa

III. *lib. 6. titul. XVII. de relig. dom.* *RELIGIONVM DIVERSITAS PROHIBITA PER CONCILIVM.*

Religionum diuersitatem nimiam (ne confusionẽ induceret) generale Concilium consulta prohibitione vetauit. Sed quia non solum importuna petentium inhibitio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verumetiam aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum Ordinis præsertim mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium) effrenatam quasi multitudinem adinuenit, repetita constitutione districtius inhibentes: ne aliquis de cætero nouum Ord. aut religionem adinueniat, vel habitum nouæ religionis assumat. Cunctas etiam affatim religiones & Ord. mendicantes, post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem sedis Aposto. meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiicimus, & quatenus processerant reuocamus.

His itaque & aliis ad eum modum in Concil. Lugdun. IV.

Marianæ li. 13. c. vlt.

GREGOR. ITALIAM REPETIT, QVEM CONVENIT ALFONSVS.

transactis Grego. Pont. in Italiam reuerti properauit. Cum autem Alfonsum Castellę intellexisset cupere colloquium, & ipse quoq; ad eam visendum inclinauit. Alfonsus enim non satis sibi constans, in profectionem Gallicam toto animo incũbebat, vt dignitatem Imperatoriã, cui iam aperte renunciauerat, recuperare quoquomodo posset. Iaco. rex Arag. socer, Alfonsi conatus non satis probabat, multisque verbis eum deterrere conatus est: cũ causa diiudicata Pontif. mutaturum nulla spes esset: neque tantis laboribus adepturus videbatur, amplius quam vt acceptæ ignominiæ deformis testis apud exteras nationes viseretur. Monita sapienter, Alfonsi obstinatio discussit. Itaq; vxore & filiis Perpiniani relictis, ad Belcairum Prouinciæ Phocensis oppidum, Rhodano præterfluente nobile, præcipuaque amænitate vt conuenerat, Pont. Greg. primo vere adiit, dimisso quidem Lugdunensi Episcoporum conuẽtu, sed in Gallia tamen illum expectantem eatenus. Ibi die dicta coram Pont. & Patribus, qui eum erant secuti, hac sententia orationem habuit.

ORATIO ALFONSI PRO IMPERIO HABENDO.

Si aliquo meo studio & diligentia Imperium obtinuissem, egregium mihi erat tot prætermissis Principibus in externum hominem voluntates Germaniæ conspirasse. Nunc Dei hominumque consensu datum honorem retinere, quis iure reprehendat? cum turpe potius sit, diuina dona tueri non posse: atque in amore non respondere iis à quibus fueris prouocatus. Quo grauiori doloris sensu conficiar necesse est, cum paucorum fraudibus audiam, Germaniæ Proceres (o homines parum in fide constantes) circumuentos, in noui Principis electionem conspirasse nobis inauditis, nondum diiudicata causa nostra. In qua si quod dubium olim fuit, sublato æmulo sublatum esse oportuit. Neque fraudi esse debuit, hactenus perfectionem nostram esse dilatam, quod quidam cunctationem & segnitiem interpretantur: cum verius tranquillitatis studium fuerit, dum quorundam mentes à nobis auersas sanare satagimus: & syncerus religionis amor, dum regni rationibus consulimus, barbarorum irruptionibus obnoxii. Nunc filio in patria relicto, geminæ iam prolis patre, imperium te auspice atque adiutore Gregori Pontifex Maxime, capessemus: inane quidem & sine prouentu nomen: sed publicum Hispaniæ decus respicere, nostramque ignominiam procurare cogimur, quod vtinam sine armis præstare possimus: alioqui quodcunque periculum retinendi honoris studio subire est animus. Mihi neq; maius quidquam, neque charius, vestra Patres auctoritate in terris est. A primis annis mores ita conformaui, vt ab optimo quoque probarer, & famam bene factis extenderem. His actionibus nullo ambitu, priorib. Pontificib. placui. Ob easdem artes ad Imperium sum euocatus. Graue sit, neque ferenda ignominia, in hoc ætatis flexu, quæ iuuenis peperi, per fraudem eripi, nostræque gloriæ sempiternam inuri maculam. Te, o ter Beate Pater, vosque quicunque adestis Patres, nostris conatibus fauere æquum est; in causa, qua maior iustiorue vlla ne excogitari quidem potest: orbique testatum facere; quid priuati affectus, quid integritas & religio valeant. Sin minus: prouidere saltem atque præstare cum tempus est, ne respublica nouis enatis dissidiis insanabilem plagam accipiat.

VI. RESPONSIO GREG. X. CVR NON EXPEDIAT

Ad hæc Gregorius paucis causas exposuit, cur iure Christiano licuisset Augustum nouo iure creare. Richardi obitu nullum nouum ius Alfonso accessisse: ipsumque in Pontificis potestate futurum promisisse. Publice id salutare fuisse, priuatim haud ignominiosum: cum non magis Hispanos Germanis imperare æquum esset, quam Hispaniæ à Germanis iura dari. Germaniæ itinera auia atque impedita esse, vrbes munitas, gentem ferocem: priora studia resedisse: aduersus Germanorum consensum vllas vires haud posse comparari. Multum infamiæ victo fore, victori exiguos fructus. Præstare sua tueri, quam aliena appetere. Eam esse bene factis gloriam partam, nullo vt posset eius nomen tempore, nulla ignominia obscurari. Daret Deo, daret religioni, si quid præpostere actum videbatur. His verbis Pontifex adiecit complexum & osculum, comis natura, & à multo vsu edoctus talibus blanditiis commotas hominum voluntates sedare. Eo conatu cessatum est ab Alfonso: secundum repulsam tamen aliæ spes tentatæ sunt. Sueuiæ Principatum Corradino interfecto sibi deberi Alfonsus postulabat, genus maternum ad Sueuiæ Principes referenti. Iniuria à Rudolpho occupatum esse: & ad ereptum Imperiũ nouam eam iniuriam accessisse. Vasconum quoque regnum repetitis antiquis iuribus ad se reuocabat: inique facere Gallos, qui in eius procurationem inuasissent. Denique Henricum Fratrẽ auctore Pontifice petebat, à Carolo rege Siciliæ dimitti. Nam is Pontif. voluntatem excusabat, ne captiuo libertatem daret: His æquissimis, vt ipsi videbatur, postulatis cum Pontifex & Cardinales surdas aures præberent, Alfonsus iratus ex Gallia discessit, præcipiti iam æstate, atque in autumnum conuersa. Regressus in Hispaniam, Imperii nomine & insignibus non antea abstinuit, quam dirarum denunciatione Archiepiscop. Hispalensis Pont. iussu, vt desisteret perfecit. Decumæ tamen Ecclesiarum in sumptus belli Maurici concessæ sunt: tertias vulgo dicimus: nimirum decumarum tertia, quam in templorum fabricationes & sarta tecta consumere moris erat, datum vt regium in fiscum inferretur, lege non in omne tempus tunc lata, sed n. 6. annor. ex præscripto concilii definito. Cæterum cum neq; ea largitione auiditas Alfonsi expleretur, integram quoque decumationem, ex Concilio Lugdunens. in subsidia Terræ sanctæ impositam, illi contra Mauros ex Africa irrumpentes, regnaq; eius variis cladib. infestare conantes, ex omnib. Regnorum atq; Prouinciarum eius Ecclesiis concessit: dato diplomate, Lausanæ, 2. Id. Octob.

VII. VARIÆ GREGOR. EMENDÆ QVÆSITÆ PRO RAPACI DIONYSIO REGE PORTVGALLIÆ.

Belcairi Pontifex cum esset, Dionysio Portugalliæ regi diem dixit, & præsente Alfonso Castellæ rege, in causam illius atque Ecclesiæ inquisiuit. Is namque inprimis vectigal olim à prædecessoribus suis regibus Lusitanis, Eccles. Romanæ in annos singulos assignatum, pendere recusabat. Deinde, necquicquam monita Põtificis ne personas & libertatem Ecclesiasticam violaret, audiebat, aut æstimabat, quinimo præcepta, preces, minas, anathemata & reliquas Ecclesiasticæ disciplinæ censuras aperte contemnebat: neque respicere, aut pro iniuriis veniam deprecari, vel satisfacere cogitabat. Et quidem ante 8. mensem, Pontifex Fratribus Prædicat. Vlyxipponensibus, potestatem fecerat interdictũ Ecclesiasticum suspendendi, si intra septimũ mensem, Dionys. pensi auctoritatem Apostolicam habuisset, atque ad mentem reuersus, errati pœnitentiam præ se tulisset. Ille tamen tantum abest, vt quicquam mutarit, vt etiam obdurans nec censum dissoluere, neque personas eiectas reuocare, neque ablata Ecclesiis restituere voluerit. Cum itaque frustra illum toties Gregorius hortatus fuisset, ad extremum, causa cognita, grauiores pœnas in eum decreuit: simulque exprobratoriam, comminatoriam, & decretoriam, atque declaratoriam illi scripsit. In qua, primum iura Roman. Eccles. in regno Lusitaniæ sedis Apost. vectigali: deinde quamplurima à regibus Portugalliæ contra Eccles. libertatem commissa facinora, & propter hæc sæpe sæpius à Roman. Pontif. promulgatas censuras, & decretas sanctiones memorabat: deinde ipsius etiam Dionysii impietatem, auaritiam, sacrilegam rapacitatem & sæuitiam sugillabat. Cumque multoties adhibita remedia, in irritum cessisse vidisset, in ead. nouas sanctiones pro Ecclesiast. libertate in vniuersum præscripsit, easque ad obseruandũ illi misit. Quas, si proteruiens repudiaret, nouo anathemati sciret se obnoxium, atque regno Lusitaniæ sacris interdictum. Et quidem ista Gregor. Alfonso in Galliis præsente dictarat.

VIII. OBITVS S. RAYMVN. PRÆDICATOR. SANCTITAS AC MIRACVLA AB CLEMENTE 8. CANONIZATVS.

Cæterum, antequam Alfonsus in Gallias profectus fuisset, vna cum Iacobo Aragonum rege, funus Diui Raym. cohonestauit. VIII. enim Id. Ianuar. anno huius, S. Raymund. Peniafortius Barcinonen. regni melioris coronam accepit. Præstabit aliquas actionum illius memorasse, ex Bulla Canonizationis eiusdem. Narrabat Clemens VIII. Pontif. Max. ex Actis probatis. Oblatos, inquit, honores, & amplissimas Ecclesiarum Cathedras omni conatu repudiauit. Nam cum Gregorius IX. Archiepiscopatum Tarracon. ei deferre decreuisset, id ille adeo grauiter & moleste tulit, vt illico febri correptus aliquot dies ingenti corporis animique dolore torqueretur. Itaque ab huius mundi gloria alienissimus omni spe contendit, vt eam à se dignitatem auerteret, quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus & quorundam Cardinalium auctoritate, eiusdem Gregorii animum ita inflexit, vt illius Ecclesonus in eum transtulerit, quem ei muneri Beatus Raymundus aptissimum esse indicauit. Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti suo iuri redditus, gratiis Deo peractis, ad solitos labores sese contulit: quorũ

tandem

tandem magnitudine & diuturnitate cõfectus in tam graue morbum incidit, vt illi certam mortem medici denunciarent, nisi patrium solum repeteret. Itaque dimisso Confessarii eiusdem Gregor. Pont. munere, & obtenta abeundi facultate Barcinonem rediit, atq; ita rediit, vt eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum & illæsum, quo imbutus ad vrbem Romam venerat, in patriam reportarit. Vix ab vrbe recesserat, cum statim ei diuinitus per spiritum data est gratia sanitatum, atque operatio virtutum.

Nam cum ad eum Cathaloniæ portum, quem Tossa vocant, appulisset, aduectum ad se leui cymba quendam eius loci incolam, Barcelo de Faro nuncupatum (qui dum in messem incumberet, adeo graui & repentino correptus erat morbo, vt statim omnibus orbatus sensib. nullos neque clamores, neque admotos corpori stimulos perciperet, sed humi iacens exanimis, mortuus esse crederetur) B. vir miseratus, Deum, qui diues est in misericordia, ardentissime est deprecatus, vt ei vitam, quæ satis esset ad confitendum peccata produceret: tum magna in Deum fide nixus infirmum proprio compellans nomine rogauit, an vellet peccatorum sordes sacra confessione diluere; confestim ille velut è somno excitatus oculos sustulit, receptoq; vocis vsu, id velle se, ac vehementer optare dixit, & confessione facta, atque exonerata peccatorum conscientia: perceptaque absolutione nihil amplius elocutus spiritum Deo reddidit. Id circumstantes admirati glorificauerunt Deum quod talem nominibus dedisset potestatem. Atque vbi Barcinonem appulit, confirmatis paulũ viribus, statim ad res diuinas & cælestes contemplandas animum adiecit. Eius vero Barcinonem aduentus simulatque per Hispaniam innotuit, ingens hominum concursus ad eum fieri cæptus est, partim visendi gratia, partim consulendi (nam Pænitentiarii potestatem concessu eiusdem Greg, etiam ab vrbe absens exercebat) quos omnes consolabatur in Domino, & spiritualib. monitis mirifice recreabat, eius. n. scientia, quasi inundatio in omnibus abundabat, & consilium eius sicut fons vitæ salutem animæ plurimis afferebat. Hac autem Pænitentiarii potestate, quo liberius Deo, sibique vacaret, sponte se abdicauit, quanquam eius etiam absentis opera idem Gregor. cæterique Roman. Pont. qui eum secuti sunt vtebantur, vt ex ipsorum literis facile constat, quibus ei grauissima negotia committebat. Conscripsit etiam summam Casuum conscientiæ, qui solent in foro pænitẽtiæ frequenter occurrere, magnæ doctrinæ atq; authoritatis, & tam confessariis, quam confitentibus valde vtilem & necessariam.

Dum sacris, & suauibus hisce studiis, & iuuandi proximi occupationib. distineretur, anno humanæ salutis millesimo ducentesimo trigesimo sexto Iordan. eiusdem Ordin. secundus Generalis Magister ex hac vita excessit. Quare nouo Generali Magistro deligendo Capitulum Generale Bononiæ est congregatum, vbi cum diffidentibus sententiis non satis patribus inter se conueniret, ad Sanct. Dominici corpus preces indictæ sunt atque inde ad suffragia ventum quibus omnib. nullo penitus refragante, B. Raymund. absens generalis Magister est declaratus, cuius ille rei nuntio perculsus, atq; animo perturbatus primum repugnare vehementer cæpit: sed prouectioribus ætate ac sapientia patribus Bononia Barcinonem aduentantibus, qui eam omnium, & Dei voluntatem esse confirmarunt, ægre tandem acquieuit, ac magistratum iniit. Itaq; aliorum precib. & auctoritate victus, animum ad regendam eam familiam adiecit, quam cum integro bieñio sanctissime, & magna cum laude administrasset, facto, ipso postulante superiore an. ex communi Patrum sententia decreto vt liceret Magistro Generali officium Magisterii renunciare, proxime insequente Capitulo Bononiæ item habito affectam ætatem, infirmamq; valetudinem incusans, pristinæ nimirum quietis, vitæque priuatæ auidissimus, Magistratu mærentibus omnib. sponte se abdicauit, quo veluti onere deposito, lætus & alacer, ad consuetas pietatis exercitationes, & proximi ad virtutem incitandi studium se quam diligentissime retulit, ac nihil vnquam antiquius habuit, quam vt religionem Catholicam, longe lateque propagaret, & pro virib. ab hæresum labe vindicaret. Quamobrem cla. mem. Iacobo regi Aragoniæ eius nominis primo inprimis suasit, vt sacrum Inquisitionis officium suis in regnis institueret, ad hæresim videlicet, quæ tunc ex nefaria Valdensium secta recenter exorta erat, omnesque alias procul à finibus regni eius arcendas, atque hanc ob causam Concilio Prouinciali Tarracone aduersus eosd. sectarios habito, iussu ipsius Iacobi regis interfuit.

Sub idem vero tempus Saraceni, qui nobilissimas Hispaniæ ciuitates & finitimas insulas impia generis sui stirpe multo ante infecerant, armata manu vehementer etiam infestabant; quibus vt in suis regnis Euangelium Christi prædicaretur, eidem Iacobo regi auctor fuit. Hunc etiam ad maiorem insulam ex Balearibus proficiscentem eius rogatu comitatus est, tum vt ei à sacris confessionibus esset, tum etiam, vt verbo DEI prædicando fideique Catholicæ mysteriis explicandis, Hebræos & Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Christianam religionem adduceret. Vbi cum Iacobus rex vesano amore captus cuiusdam fœminæ vteretur, Beatus Raymund. qui erat dicendi libertate, ac prudentia, illum blando primum sermone ab ea conatus est reuocare. Verum vbi se nihil proficere animaduertit, tum orare, proque sua in Deum fide precibus omnibus cæpit obtestari, ne ob exiguam corporis voluptatem male seipsum perderet. Sed neque preces quidquam profuere. Hic tum Beatus Raymund. animi dubius, & incertus, quo se verteret, consulto tandem precibus diuino numine, statuit nihil sibi grauius faciendum, quam vt ex insula discederet: ne libidinem eiusdem Iacobi regis, quam ferre amplius non poterat, probare sua præsentia videretur. Itaque eum adiit, serioque ac seuere admonitum suæ voluntatis certiorem fecit. Iacobus vero rex eius apud se retinendi cupidus, nautas omnes præmoneri iussit, atque capitali edicto prohiberi, ne vllus eum traiiceret. Interim ignarus eiusce consilii Beatus Raymun. in portum porrexit: vbi ab omnibus nauiculatorib. communi consensu reiectus, cognita Iacobi regis voluntate, in portum Sollar profectus est, itineris sui comiti hoc vnum firmissime asseuerans ibi æternum regem sibi non defuturum. At cum neque in eo portu à nautis admitteretur, id secum ipse demiratus, hoc magna fide pronunciauit, Regem quidem mortalem ita statuisse, sed regem æternum aliter prouisurum. Itaque omnibus in littore salutatis, per quasdam rupes & prærupta saxa in mare porrecta aliquantulum progressus, in mare descendit, ac socium allocutus: *Videbis*, inquit, *quemadmodum Deus optimam nauem prouidebit.* Quare fiduciæ plenus, expanso super aquis pallio reductaque eius ora instar veli ad baculum, quo tanquam malo vteretur, Dei opem inuocans, ac signo Crucis se muniens, relicto in insula suo modicæ fidei ac dubitante socio, mari se commisit: ac leni, prosperoque inflante vento perambulans semitas maris, ac benedicens Deum qui dominatur potestati eius, 160. milliaria 6. horis confecit, omnibusque circum littora insolitum nauigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit, vbi resumpto pallio, quod ne quidem aqua perfusum erat, ad Monasterium sui Ordin. sub meridiem se contulit, quodque non minus admirandum est, ianuis clausis illud ingressus, populi acclamationes euitans, ad gratias Deo peragendas in templum secessit: cuius rei fama totam vrbem, finesque illius breui peruasit. Auxit etiam huius miraculi magnitudinem eiusdem Iacobi regis emendatio subsecuta.

Extant autem vsque in hunc diem vestigia turris, & capellæ eo in loco, ex quo in mare descenderat extructæ atq; ipsum etiam pallium, vt continuata apud eos populos traditione receptum est: cuius cõtactu multi à variis corporis infirmitatibus quotidie liberantur.

In procuranda Hebræorum & Saracenorum salute magno charitatis ardore semper incensus fuit, omnẽq; operã dedit ad eos fidei Christianæ documentis excolendos, ac pro virib. adiuuandos, ꝙ vt ei facilius esset, seminarium, in quo nõnulli sui Ord. religiosi Hebraico & Arabico sermone erudirentur, Castellæ & Aragoniæ Regum impensis instituit: quod opus toti Hispaniæ ornamento, atq; infidelib. adiumento fuisse ex eo satis constat, quod illius ope atque auxilio ingens eorum multitudo Christian. religionem amplexa sit. Neophytos non minori charitate doctrinæ Christianæ

stianæ

stian, præceptionib, imbuebat, atq; tam assiduus erat in illis instituendis, vt eorum parens esse videretur, & ne alimenta iis ad vitam necessaria deessent, vndique eleemosynas corrogabat.

De rebus dubiis sæpe consultus, singulari prudentia, ac diuina plane sapientia omnib. respondebat: atq; inter cætera beneficia quæ accepit, hoc præcipue donum à Deo est consecutus, vt eos quibus cum ageret, mira consuetudinis suæ dulcedine, ac voluptate perfunderet. Orandi, contemplandique summam diuturno vsu adeptus est facultatem. Nam & si variis grauibusq; negotiis distineretur, tamen vbi se ad orationem composuerat, tanta subito diuini spiritus suauitate rapiebatur, vt omnium rerum mortalium cura exutus esse videretur: ac sæpe intempesta nocte, clam ob seruatus est in secretiori templi recessu, tam crebra altaque suspiria inter orandum edere, vt audientes ad lachrimas commoueret. In diuinis officiis erat assiduus, atq; incredibilem spallendo capiebat voluptatem.

Sacrosanctum Missæ sacrificium, fere quotidie celebrabat. Quanta vero esset eius in sacrificando animi puritas, ac deuotionis feruor, vel ex eo facile existimari potest, q astantes ex eius solo aspectu ad orationem incitarentur, ac petita à Deo patre misericordiarum beneficia eius precibus impetrarent. Nam F. Martin. eiusdem Ord. Conuersus, cum antequam suaui se iugo Christi subiiceret, voluptatib. carnis libertius indulsisset ac tunc earum rerum quibus antea assueuerat recordatione, suique corporis illecebris, quasi quibusdam stimulis agitatus, mirum in modum vexaretur, omnem huius tentationis propulsandæ spem in B. Raymundi meritis collocauit. Igitur eius sacrificiis sæpe interesse, ac summis precibus à Deo flagitare cæpit, vt tanto suo malo remedium aliquod afferret. Quod dum perseuerant peteret, quodam die ex manibus B. Raymundi celebrantis, ac sacram hostiam populo ostendentis, Christus Dominus sub augustissima pueri specie clarissima luce radiantis spectandum ei se præbuit, quo viso, tanto est repente gaudio delibutus, vt ex eo tempore ad extremum vsq; diem, diuina gratia & bonitate, ab omni concupiscentiæ carn s communione fuerit præseruatus.

Cum cælestis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas, & amicitia, quæ maximæ est puritatis & sanctimoniæ argumentum, vt ab eo frequenter ad orandum, à somno excitatus inuitaretur. Cibi, potusq; parcissimus fuit. Totam, n. hebdomadã, excepto die Dominico ieiunabat. Nullũ vnquam in eo contumacię vel arrogantię vestigium animaduerti potuit: quinimo lenitate ac patientia fuit maxima, & in Deum tanta charitate, vt eius amore omnia arbitratus sit vt stercora: ex qua etiã egregia illa in proximos charitas redundabat. Omnium demum virtutibus cumulatissimus deuexa iam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia expectans Dominum, vt ad cælestes nuptias ab eo vocaretur. Igitur annos fere centum natus cupiens dissolui & esse cum Christo, in lethalem morbum incidit, atque sacramentis omnib. rite munitus, orantib. ad lectulum fratrib. deficiente sensim omni vitæ sensu, ipso die Epiphaniæ Barcinonæ obdormiuit in Domino. Eius fanus, cum innumera populi multitudine, Alphon. Castel. & Iac. Arag. Reges præsentes, vna cum filiis ac domesticis honorarunt. Mortem vero sancti viri miracula ingentia secuta sunt. Guillel. de Villaragut. ab elephantiasi purgatus est: Margarita 4. annor. Ioan. Physici filia, mortua, vitæ reddita est. Romea Michael. de Sala vxor in parturiendo in discrimen vitæ adducta, partu soluta fuit. Iuuenis quidam febri diuturna exhaustus, & ex superiore loco in saxa decidens membris fractus, semique mortuus valetudinem & membrorum integritatem recuperauit. Michael Amat ex peste mortifera iã vsu loquendi destitutus, ad vitam ab ipsa mortis porta reuertit. Anna Beneta ex profluuio sanguinis iamiam moritura, vires & sanitatẽ recepit, hausto puluere ex sepulchro S. Raym. Illud. n. perpetui cuiusdam miraculi vicẽ obtinet, quod ex primo eius sepulchro, terra quædã tenuis, seu puluis salubertim⁹ enascitur; qui licet magna in copia inde exportetur, nunq̃ tamen deficit, ac multę magnæq; corporis infirmitates eo curantur. Innumerabilia miracula tum ab inuocatione, tũ ab vsu pulueris S. Raymun. patrata, nostro tempore Clementem VIII. Pontif. Max. induxerunt, vt is Catalogo Diuorum, sanctum illum solenni ritu ascriberet an. Dominicæ Incarnat. M.DC.I. Tertio Calen. Maii, ipsa Dominica in Albis: cui etiam solemnitati in Basilica D. Petri ego indignus, præsens interfui, vni ex columnis Altaris SS. Petri & Pauli Apostolorum, ad quod sacrum Missæ sacrificium à Clemente Pont. ingenti cum pompa offerebatur, innixus.

IX. OBITVS S. BONAVENTVRÆ CARDINAL. EX ORDINE MINOR. ET MIRACVLA *Surius & Rom. martyrolog. 14. Iulii.*

Eod. an. Dom. 1275. pridie Id. Iulii: Lugduni, depositio S. Bonau. Cardin. & Episcopi Albanensis, Ord. Minorum, doctrina & vitæ sanctitate celeberrimi. Natus est Bonauent. ante 50. annos Balneoregii in Hetruria, patre Ioanne Findaza, & matre Rittella fidelibus. Is à primis infantię annis ea pietatis edidit facinora, vt in iis commorandis, plurimorum desudaret oratio. Vt primum transactis adolescentiæ annis turbulentum huius mundi statum cognouit, & periculosam admodum consequendæ salutis rationem præuidit, relicto sæculo nequam, victimam se omnipotenti Deo perpetuam meritis Beatiss. Francisci dedicauit. Cuius rei series, non aliunde, quam ab ipso misericordiarum patre initium sumpsit: qui quos sibi ab æterno prædestinauit electos, aptissimis mediis ad portum deducit, secumq; omnium bonorum communione consociat. Cum. n. in tenera ætate, extrema valetudine periclitari cæpisset, mater salutis eius anxia, vbi medicorum quos adhibuit, diligentiam frustra expertus esset, solius Dei opem, quem sancte timebat, & cui castos pueri mores intelligebat acceptos, humiliter in salutem pueri inuocauit, S. Francisci suffragia reuerenter implorans, illum, si sanum recuperaret, ipsius religioni perpetuo deuouit. Exauditæ sunt preces, & puer, non sine admiratione medicorum, incolumis euasit. Hinc iam adolescens, cum se religioni maturum cerneret, anno ætatis suæ 2. & 20. habitu S. Francisci ad castra spiritualia se recepit, stipendiq; nequaquam oscitanter, sed tanta diligentia atq; ardore fecit, vt 7. à religionis ingressu, an. in Parisiensi vniuersitate libros sententiarum publico auditorio prælegere meruerit; vsus præceptore doctiss. Alex. de Ales, cuius honorificum sane eruditionis testimonium consequutus est, adeo vt ætatis suæ 2. & 30. postquam magistralem cathedram annos admodum tres rexisset, inter primos Ord. sui viros religione atq; doctrina admirandos, locum teneret. At vero, quod maiori in illo admiratione dignum erat, quo magis scientia & auctoritate emerserat, eo magis seipsum mẽtis humilitate deprimebat. Neq; .n. vt pleriq; literarum scientia inflati vilia ministeria fastidiebat, sed tanta alacritate, eaq; spontanea, domestica munia obibat, vt aliis non modo ingentem admirationem, sed superiorib. etiam, eum ab eiusmodi officiis impedire conantib. indignationem, si dicere licet, commoueret. Neq; segnius interim charitatis officia præstabat: cum oculis in omnes fratres intentis, alios tristitia affectos dulcissimis verbis solabatur, alios professionis suæ pœnitentes monebat atq; confirmabat, tanta gratia & auctoritate, vt nullus ab eo discederet, quin libens captũ iter professionis prosequeretur. Infirmorum præterea aura, supra quam credibile sit delectabatur: & quo grauiorib. aut contagiosis morbis conflictarentur, eo magis se totum illorum obsequio applicabat. Quib. officiis cum maiorem diei partem absumeret, non eo minor erat in publicis lectionib. & interpretationib. scripturarũ: quæ tantis luminib. illustrabat, vt ipse auctor illorũ nõ imerito putaretur. In capitulis vero & qstionib. ad totius Ord. salutẽ decidendis, tãta illius erat sapientia, vt cuncta ad illius indicium tanquam ad lydium lapidem explorarentur. His gratiis donisq; illustratus, cum iam 13. in religione exegisset annum, defuncto Generali Magistro, ex multis viris doctrina atq; sanctitate conspicuis, quibus Ordo sacer in sua nouitate florebat, vnus omnium sine controuersia extitit subrogatus. In eo munere vir sanctus, ad grauiores se accingens, cum iam robur illud primi instituti nonihil labascere t, monendo, suisq; humeris lapsa erigendo, ad pristinam virtutem reduxit, atque in Narbonensi capitulo, quod primum tenuit, B. Francis. regulã expositæ ac reformauit, ordinemq; in Prouincias redegit, vbi etiam strenue decertans, venenosas ob trectatorum oppugnationes, quib. Mẽdicantium religionem extinguere nitebantur, sola iustitia atque innocentia tutus confutauit: & præclarum de aduersariorum calumniis triumphum peregit. Fuit vero vir sanctiss. cultor gloriosæ Virg. præcipuus. Ipsius namque hortatu & vigilantia statutum est, vt signo campanæ post Completorium dato, virgo mater à populo salutaretur: quod creditum sit ead. hora ab Angelo salutatam. Pisis congregato Generali capitulo, cum venerabile B. Antonii Patauini corpus transferre decernerent, fuit eius d. sancti viri lingua 2. & 30. ab obitu illius an. integra & rubicunda reperta: quam Bonau. manib. apprehẽdens, largissimo lachrymarum imbre perfudit, & luculentis admodum verbis se aliosq; omnes docuit, quam ingens pietatis thesaurus, in optimo membri illius vsu reconditus lateret. Hinc cum sanctiss. viri fama omnibus fieret admirationi, Clemens IV. Eboracensi eum Eccles. præficere voluit, vt doctrinæ suæ flumen largius effunderet. Sed vir diuinus propositi sui cõstans, illum honorem precibus à se depulit, quo vberiores sibi diuitias, ac dignitates in cœlis cumularet. Erat enim mundo ita mortuus, vt quamuis corpore in terris, mente tamen in cœlis versaretur. Hinc præclara illa omniq; eruditione ac pietate referta eius scripta, ad totius Ecclesiæ vtilitatem prodierunt. Et quidem cum B. Francisci religio (quam annis 8. & 10. maxima virtute gubernauit) ipsius sanctitate vitæq; exemplis egregie iam stabilita esset, tum forte Romana Sedes plurimis implicita difficultatib. vehementius laborare cœpit. Vnde Gregor. hoc nomine decimus, probata eius vitæ sanctimonia & doctrinæ præstantia, eum quamquam reluctantem in collegium Cardinalium cooptauit, & Albanensem Episcopum constituit. Qua in dignitate ita versatus est, vt illius opera præcipua in Lugdunensi Concilio Græcorum hæreses profligatæ fuerint, ipsique ad Romanæ Sedis obedientiam redierint. Multos alios labores pro Ecclesia Dei exantlauit, & tandem ætatis suæ anno tertio supra quinquagesimum, è corporeis vinculis exsolutus ad cœlestem patriam emigrauit. Mors illius ingentem vniuersæ Ecclesiæ luctum, ac præcipue ipsius religioni attulit. Corpus fuit multis omnium lachrymis in Ecclesia Lugdunensi sancto Francisco sacra sepultum: non sine miraculorum splendore, quæ viuens & vita functus fecit. Infantem mortuum suscitauit; parturientem quandam à periculo liberauit; alios q; pene innumeros, variis doloribus oppressos, atque in extremum discrimen adductos, sanitati & incolumitati restituit. Anno post eius obitum 160. dum eius corpus in nouam Basilicam transferretur, reliqua parte alioquin exesa, caput tamen solidum, capillamentum hærens, labia, dentes, & lingua, in nullo à vitali statu aut colore demutata, reperta sunt.

IN LVGDVNENSI CONCILIO GRÆCORVM HÆRESES PRÆCIPVE PROFLIGAVIT.

X. PELAGII CORREÆ MORS, D. IACOBI MAGISTRI. *Mariana li. 13. c. vlt.*

Ipso anno Pelagius Correa, D. Iacobi Magister extinctus est, annis grauis, omni laudum genere bello paceque clarissimus. Corpus Talaueræ in Diui Iacobi, vti frequens hominum in oppido opinio est, compositum: alii Tudiæ malunt; quam ipse ædem ad Marianorum montium radices Diuæ Matiæ nomine sacram à fundamentis extruxerat, victoriæ monimentum, quam superioribus annis de Mauris rerulit, eo loco nobilissimam: Sole etiam à cursu retento: quo dies longior & maior esset hostium fugientium stragis: sic vulgo iactatum. Sensibus ancipiti prælio atque inter metum & fiduciam conturbatis, tempus metiri, quî vacet? Hora vna multarum instar est, præcupiditate, festinatione, cura. Multa præterea in periculo creduntur facile, finguntur impune. Sed ad Gregor. Pontif. reuertor.

XI. IACOB. ARAGONENSIS LIBIDINANS, AB GREG. CORRIPITVR. *ep. 7. Belic. Cal. Aug. & ep. 16 Vienn. 10. Cal. Oct.*

In Aragonia Iacobus Rex ætate iam prouecta, sed vegeta, libidinibus suis indulgens, viro cuidam nobili vxorem abduxerat, cumque ea consuescerat. Re ad Gregorium Pontificem delata, cognita, probata, præcepit, vt adulteram dimitteret. Negligebat, atque genio suo vacabat Iacobus. Tunc Pontifex secundo & serio mandauit, vt omni tergiuersatione posposita, ante octauum diem postquam accepisset litteras, eam non solum relinqueret, verumetiam in loco aliquem honestum ac securum, ab Archiepiscopo Tarraconensi, vel Episcopo Dertusensi designandum transmitteret, tantisper illic moraturam, donec viro suo reconciliaretur. Quod si REX contemneret, Archiepiscopo Tarraconensi potestatem fecit, nec non Episcopo Dertusensi iniunxit, vt anathema in contemptorem distringerent, & locum ad quem vel ille, vel illa adultera diuertisset, Ecclesiastico interdicto supponerent, & Comi ratibus Prouinciæ, & Folcalquerii, atque aliis dominiis eorum extra regnum Galliarum restitutis.

In Sicilia, Carolo Regi, & Carolo eius primogenito, Principi Salernitano, decumam omnium reditumm & beneficiorum Ecclesiasticorum, in sex annos proxime futuros Greg. concessit, dummodo alter eorum iret in subsidium Terræ sanctæ. Dedit diploma ea de re 3. Id. Oct. Lausanæ in Galliis.

XII. *epist. 56.* CAROLO SICVLO BTFILIO DE CIMAS ECCLES. REDDITVVM IN 6. ANNOS CONCESSIT.

Vbi cum moraretur, conuenit eum Rudolphus Romanorum Rex electus, & ex pacto, omnibus quæ cumque Otto Præpositus eius Orator, in Concilio Lugdunensi pollicitus fuerat, fecit satis. Fidelitatẽ nãq; & obedientiam Sedi Apostolicæ spopondit, tutelam & defensionem ei promisit, iura, priuilegia, libertates ac immunitates confirmauit, iuramento ad omnium obseruationem sese astrinxit, & diploma cereo sigillo signatum tantisper dedit, donec tempus coronationis veniret, in quo aurea bulla ex more omnia signaret. Inter cætera Ecclesiasticæ ditionis bona, ad Sedem Apostolicam spectare confitebatur, terram quæ est à Radicafano vsque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitissæ Mathildis, Comitatum Bretonerii, Exarchatum Rauennæ, Pentapolim, Massam, Trebariam, Romam cum Ducatu Romano, Corsicam, Sardiniam ac totum Regnum Siciliæ cis & vltra Pharum. Hæc omnia & reliqua alia, promittebat defendere semper Apostol. Sedi contra quoscunque inuasores vel iniustos occupatores: neque vnquam per se, aut per alium quemcunque velle aut inuadere, aut vsurpare, aut occupare velle. Iuramenti porro formula, ex qua sacramento se astrinxit, proposita fuit Rudolpho, ex sacris Canonibus, quæ extat distinct. 63. C. *Tibi Domino.* Actum Lausanæ XII. Calendas Nouembris, Anno Domini 1275. Indict. XIV. Regni Rudolphi anno 3. præsentibus & subscribentibus instrumentis publicis, Ademaro Lugdun. Bonifacio Rauennaten. Odone Bisuntino, & Iacobo Ebredunen. Archiepiscopis, Stephano Paris. Erico Basileen. Ioan. Leodien. & Amadeo Valentinen. Episcopis; Ludouico Palatino Rheni Bauariæ Duce, Philippo Duce Carinthiæ, & multis aliis Principibus & Procerib. Germaniæ.

Ptolomæus Lucen.

Extat diploma in Castro S. Angeli.

His & aliis Gregor. in Gallia peractis, eodem fere itinere, quo profectus fuerat, reuersus est in Italiam. Porro superatis alpibus, cum in citeriorem Galliam primo, mox in Etruriam descendisset, iamque Florentiæ appropinquaret, & si non deerat ingens suspicio apud Principes ciuitatis, propter superiorem Pontif. indignationem, tamen reuerentiæ magnitudo & sanctitatis opinio tantum apud eos præualuerat, vt obuiam illi omnis multitudo vrbana processerit. Cæterum illius propositum fuerat, Florentiam diris deuotam præterire. Itaque non longe à porta ciuitatis deflexa Aretium via publica, præteribat. Forte Arnus fluuius per eos dies factus auctior, altiorem sese obiecerat, quam vt vado transmitti posset. Ea ratione coactus Gregor. Florentiam reuersus tantum ibi hæsit, quantum pontem Arno impositum pertransiret & ad portam Aretinam properaret. Cum autem vrban. populus benedictionem Pontificiam imploraret, impertiuit quidem ille dum iret; cæterum vrbe egressus, iisd. quib. prius censuris obnoxiam reddidit ciuitatem.

XIII. RVDOLPH. LAVSANÆ GREGO. AGENTEM ADIT ET PER LEGATVM IN CONCILIO DICTA CONFIRMAT.

XIV. *Leand. in Florent.* GREG. ITALIAM INGREDIENS FLORENTIAM CENSVRIS OBNOXIAM RELINQVIT.

Per id tempus in Hispaniis memorandum pietatis paternæ exemplum contigit, quod enarrabo. Ferdinando Alphonsi Castellæ Regis filio, nupserat Blancha S. Ludouici filia, cautumq; nuncupantis conditionib. vt si Ferdin. ante obitum patris moreretur, superstite etiamnũ minore fratre soboles tamen Ferdinandi auo postea decedenti in regnũ succederet. Breuioris æui fuit Ferdin. duob. ex Blancha filiis Ferdinando Alphonsoq; relictis in spem regni. Sanctius Ferdinandi frat. minor, in illo ambiguo iure, ad mortui aui hereditatem vtrum minor filius legib. vocetur, an nepotes ex maiore filio iam defuncto: ne mortẽ quidem patris exactæ ætatis expectata, regnum inusit, ac populares in verba sua iureiurando adigere conabatur. Petualidæ iam eius opes erant, ac spes regni haud ambigua. Blancha cum filiis in Gallias ad Philipp. Regem Fconfugerat, opem implorans. Exercitus conscribitur; simul Alphonsus puerorum

XV. *Æmil. in Philippo 3.* SANTIVS SVCCEDIT ALPHONSO REGI EXCLVSIS FERDIN. LIBERIS.

auus, & memor fidei S. Ludou. in paciscendis nurus nuptiis datæ spe sobolis, & impietate minoris filiiirritatus, qui se viuo spirantequè regnaret, cum furiali carmine detouit, eique iure paterno maledixit. Qua execratione detestationeq; religionem popularium animis iniecit, vt nefario scelere se deuinctum iri censeret, si damnato à patre filio, pœnisque paternis debito obedirent. Iraiam in eum arma capiebant, Regno spequè regni exacturi, cùm interim Santius supplex, ad genua senis patris procubuit; veniam, piacula, actu videretur iustum in se supplicium exposcens. Sanguis potior apud animum paternum, quam memoria iniuriæ, quam pœnitentia illustris, satisfactioque sequeretur, propiorque exitit, filio benedixit; fausta feliciq; obsecratione ditas auertit, retexuitq; ; verba prius concepta, piis precibus recantauit. Diploma cum aurea imagine sua per vrbes Castulonenses circummisit, testatus, sibi quando raptus fato esset Alphonsus, nihil esse futurum ve charius reliquo filio Santio : cuncta illi apprecari, optare, sperare læta, secunda, felicia, ipsi popularibusque, quæ crederentur in eum secus concepta verba, eorum vim omen que in inimicos gentis, capita barbarorum, in religionis hostes versum iri. Hæc res restituit animos popularium Santio, vt ei vni sene Alphonso mortuo parerent, exclusis Ferdinandi ex Blanchæ filiis.

XVI. PIETAS PHILIPPI SABAVDIÆ COMITIS.

Hoc anno obiit Philippus Sabaudiæ Comes, dignus qui in exemplum virtutis statuatur moritur[9]. Cum enim mortem sibi imminere vidisset, denunciari per præconem in Sabaudia Burgundiaque (cui præerat) publice iussit, si mortalium vllum, cuiuscunque is Ordinis aut conditionis esset, læsisset, aut debito iniscius fraudasset, is ad se venire ne grauaretur: curaturum, omnibus quam cumulatissime vti satisfieret. Supellectilem omnem, eamq; pretiosissimam, & regia haud inferiore miis qui in egestate essent, Altęcombanæ autem Abbatiæ (in qua maiorib. suis vti iungeretur, sepulturæ locum sibi delegerat) vestis Ecclesiasticæ varii generis ornatusq;, cuius ingens erat modus, plurimum leganit, annuosq; monasterii illius prouentus vectigaliaque longe fecit auctiora. Defunctum fratris Thomæ filii, Thomas, Amadeus & Ludouicus, egregie tum concordes, & proximorum certaminib. inconcussi, omnibus qui triste funus comitabantur mærentibus, mærentes ipsi extulere, digni profecto, tali patruo, taliq; stirpe adolescentes. *Lambertus Vanderburchius in hist. Sabaudiæ.*

XVII. PORTENTA DVO IN POLONIA.

Fere hoc anno duo portenta in regno Polon. in territorio Cracouiensi extitisse memorantur. Puer dentatus, eodem quo natus est die, distincte & articulate locutus est, donec religioni Christianæ initiatus, & dentes, & sermonis vsum amisit. Alius vero semestris in vrbe Cracouiensi prolocutus, Tattaros aduenturos, & Polonorum capita præcisuros esse respondit, atq; prædixit. Rogatusque, diuinitus id se scire, & sibi quoq; id malum impendere dixit, quod post 12. annum impletum est.

XVIII.

Eodem an. die XIII. April. Nouesii in Germania, obiit religiosus P. F. Nicol. Minorita, sanctimonia insigni conspicuus, multisq; & infinitis miraculis clarus. *Annal. Archiep. Colon.*

XIX. OBITVS MATHILDIS HOLLAND. COMITISSÆ 365. FILIOS VNO PARTV ENIXÆ.

Ipso isto anno obiit Mathildis, Filia Florentii Comitis Hollandiæ, ea quæ vnico partu filios peperit numer. 365. qui omnes ab Othone Episcop. Traiectensi sacro lauacro, in pelui simul iacentes abluti, obierunt. Hoc Mathildi accidisse ferunt, idco quod mendicanti fœminæ stipem postulanti exprobrasset (quos misericordiæ concitandæ causa præ se ostentabat) gemellos, perinde atque adulteræ. Ea enim conscia pudicitiæ suæ, oro, inquit, Deum, vt tot pariat ipsa, quot sunt dies in anno. Factum; & vetus fabula adhuc rei huius memoriam apud Losdunenses Mathildi vxori Comitis Hennebergensis indidem sepultæ adseuerat. *Annal. Germ.*

XX.

Colmariæ in Germania, hoc anno quidam iuuenis, eo quod virginem quandam vi deflorasset, viuus sepultus est: cum etiam anno insequente quendam monetarium in aheno excoxerint. *Annal. Colmarienſ.*

* * *

IESV CHRISTI

Annus 1276.

INNOCENT. RVDOLPHI MICH. PALÆOLOGI V. Papæ 1. Reg. Rom. 3. Imperat. Orient. 17.

I. GREGO. X. ARETIMO RITVR, CLARVS MIRACVLIS.

ARetium Etruriæ Ciuitatem cum Gregorius Papa ingressus fuisset, morbo graui correptus è vita migrauit 3. Id. Ianuarii. Vir certe in omni vita clarus, prudentia rerum gerendarum, fortitudine animi, qua pecunias & res humiles contemnebat, humanitate, clementia, benignitate in pauperes Christi, & eos potissimum, qui ad gremium Sedis Apostol. confugiebant. Recuperationem terræ sanctæ, & inimicorum Crucis Christi exterminium præcipue cogitabat, ad eamque vnam rem Christianos omnes positis inter se contentionibus intendere debere existimabat. In Ecclesia Cathedrali S. Donati sepultus, multis miraculis post mortem editis sanctitatē suam illustrauit. *In C. MS. Biblioth. Vatic.* n. 3457. signato, eorum aliqua descripta sunt istis verbis.

II. VARIA MIRACVLA GREGO. X. POST MORTEM PATRATA.

Miracula Gregorii Papæ X. apud Aretium Etruriæ.

In nomine Dom. Amen. An. Dom. 1276. Indictione IV. Domino Innoc. V. Papa residente, infra scripta sunt miracula, quæ Dominus Iesus Christus fecit meritis B. Gregorii Papæ X. in personis infrascriptis, quæ se cum reuerentia obtulerunt B. Gregorio supradicto.

Primum miraculum de ciuitate Florentiæ, de muliere. Die Martis X. die exeunte mense Apr. Dominica Lamandina vxor Ghirardutii de ciuitate Florentiæ, quæ vexabatur à dæmonio, & vexata steterat spatio 25. annorum, sicut ipsa mulier in verbo Dei affirmabat, meritis B. Greg. supradicti, cui se deuouit, liberauit eam Deus, prædicta testificati fuerunt Anghare Reynaldi, Landus filius fratris Orlandi, Donna Mangarda Ricomanni, & Accursinus Clericus maioris Eccles. Aretinæ.

Prædicta die Martis Donna Himeldina olim Venturæ Brachimantis de Castro Comes Comitatus Aretii, quæ vexabatur à dæmonio, meritis Beati Gregorii supradicti, cui se deuouit, liberauit eam Deus. Prædicta testificati fuerunt Ghirardutius faber filius Benciuennis, Ventura filius Ioann. Coppus filius Velli, & Benciuenuta vxor Benciuennis mater dictæ Himeldinæ, qui viderant dæmoniacam & postea sanam.

Die Lunæ 27. Mensis April. Adagildes mulier Theutonica filia Enrici de ciuitate Rhucæ Linghenæ districtus Comitis de Ferringhene, quæ veniebat è ciuitate Romana, & visitauerat limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & etiam S. Nicolai, associata iurauit tacto libro per Deum viuum, & per Iesum Christum eius filium, & B. Virg. Mariam eius matrem, & per omnes Apostolos, & sanctos & sanctas Dei: computato eidem mulieri sacramento per Ioann. Theutonicum, qui sciebat linguam Latinam, quod ipsa mulier non viditaliquo modo, neq; cœlum neque terram, neque solem, nec aliquam aliam rem existentem in mundo, iam sunt octo anni elapsi, & veniens ab vrbe Auocola cum societate ad ciuitatem Aretii, accessit ad monumentum B. Greg. supradicti, cui se cum reuerentia deuouit vt eid. redderet lumen oculorū suorū, & facto voto statim meritis B. Greg. supradicti, aperti sunt oculi sui, & vidit cœlum & terram, & homines & mulieres, & omnia quæ respiciebat, & idem Ioan. Theutonicus iurauit ad sancta Dei Euangelia, quod ipsa mulier sic iurauerat, & etiam iurauit, quod vidit eam cæcam, iam sunt quatuordecim dies in vrbe & hæc omnia testificati fuerunt Rigo Io: de ciuitate Francford de Alemania, & multi alii qui venerant & duxerant eam ad vrbem, & liberata est prædicta mulier præsentib. Dominis Caccia Plebano de S. Donato de Martinellis Canonico Aretino. Orlandino Plebano Plebis de Ponte Nano: Coppo Velli, & coram magno numero hominum & mulierum, & iurauit coram Dominis Beno Prepósito Aretino, Ranerio de Gressa, & Donato de Martinellis Canonicis Aretinis, & coram multis aliis. *Et molti altri miracoli per fino al numero di trenta due autentici & tutti approuati.*

Propter

III. MARTYROLOGIO ROMANO INSERITVR.

Propter quæ ad Martyrologium Romanum memoria eius apud Aretinam Ecclesiam adscripta, hac formula anniuersaria recitari consueuit in eadem.

Apud Aretiam Tusciæ ciuitatem, depositio corporis Beatissimi Gregorii Papæ X. de nobili genere Vice Comitum de Placentia: qui cum esset Archidiaconus Leodiensis, existens in ciuitate Achonensi cum Christianis contra Saracenos, à Cardinalibus in ciuitate Viterbiensi miraculosè fuit electus in Papam, & cum summo honore Romæ coronatus. Fecit autem Lugduni solemne Concilium, vbi inter alia, cum Imperatore & multis Regibus & Baronibus pro recuperanda Terra Sancta passagium ordinauit, & personaliter illuc iter arripiens, & præcedens, Anno Domini 1276. in ciuitate Aretii migrauit ad Dominum, sepultusque est in Ecclesia Cathedrali.

IV. ELIGITVR INNOCEN. V. ET POST QVINTVM MENSEM MORITVR. *Massonius. in Innocent. V.*

Sepulto Gregorio, Cardinales ex lege nuper à Gregorio lata, in conclaui concluſi, elegerunt Pontificem Innocentium eo nomine Quintum, ex instituto Prædicatorum assumptum. Petrus antea vocabatur, cum religionem Prædicatoriam vitæ sanctitate & doctrina illustraret. Hunc Tarantasia genuit municipium non procul à Marienna valle, flumineq; Isara qui in Rhodanum influit. Natus autem licet in illis Alpinis scopulis, præclarum tamen ingenium habuit, grauissimarumq; artium capax, quas multo tempore summa cum laude, Parisiis & in aliis Gymnasiis professus est. Ea docendi & scribendi felicitas, nec nō præclara pietatis indicia, primum ad Cardineam dignitatem & Ostiensem Episcopatum, deinde ad summum totius Ecclesiæ Pontifi. illum promouere. Die S. Agnetis Martyris Summus sacerdos renunciatus Innocentii nomen accepit, quod verè insons atque innoxius fuisset. Sacro diademate exritu prisco coronatus animum ad pacem Italiæ conciliandam adiecit. Quamobrem duos Cardinales Legatos in Etruriam inprimis destinauit, qui Lucanos & Pisanos discordes ad concordiam reuocarunt. Ipse quoque Florentinorum Legatos benignè audiuit, cumque Gibellinos eiectos in vrbem reducere respondisset, ab excommunicatione exsoluit, atq; ciuitati sacra restituit: Michaelem etiam Palæologum Imperatorem fidei in Concilio Lugdunensi datæ admonuit. Venetos quoque & Genuenses rursum inter se altercantes, in officio & pace continuisset, nisi improuisa morte sublatus fuisset. Post quintum enim mensem & aliquot dies, magno damno Ecclesiæ defunctus est: in Basilica Lateranensi sepultus.

Ptolomæus Lucens. in Innocent. V.

HADRIANI V. PAPÆ ANNVS I.

V. ELIGITVR HADRIANVS V. ET PAVCIS DIEBVS VIVIT. *Massonius in Hadriano.*

AD diem XII. Iulii Patres congregati, Hadriano Quinto, post Innocentium, munus Pōtificium detulerunt. Erat Hadrianus, patria Genuensis, familia Flisca siue Lauania, Ottobonus antea cognomine, S. Hadriani Cardinalis Diaconus. Ad eum vrbis designatū Episcopū cum agnati Theodosii patris frequentes accurrissent, & ob tantam dignitatem plurimum sibi suisque gratularentur, *Vtinam*, inquit, *me Cardinalem prospera valetudine, non moribundum Pontificem inuenissetis.* Polycrates eius præfamiliaris, sæpe dicentem audiuisse refert, hoc memorandum: *Nullum se ab hoste suo quolibet maius supplicium optare, quam vt Summum Pontificatum assequeretur.* Respiciebat ad eius dignitatis sarcinam, quæ vulgo felix & inuidiosa videtur: cum tamen eam humeris subiisse difficillimum, & gloriosum miseriæ genus sit, his præsertim, qui eam seque ab omni contagio præcipitioq; præseruare decreuerunt. Reliquis enim quantò leuior videtur, tantò funestior status est. Aliquot diebus tantum sub eo pondere suspirauit, nam ad XV. Calendas Septemb. ex humanis decessit: cum inter Rudolphum Regem Romanorum, & Carolum Regem Siciliæ dissidia recens exorta componere curaret.

IOANNIS PAPÆ XXI. ANNVS I.

VI. ELIGITVR IOAN. XXI

VIsis persolutis Hadriano, ad XV. diem Septembris, scilicet XXV. post mortem illius, Ioannem vigesimum primum, natione Hispanum, Vlyssipone natum, professione medicum, summo sacerdotio dignati sunt Cardinales. Petrum Hispanum antea appellabant: à quo liber de arte Logica eruditus. Scripsisse etiam fertur ante Pontificatum quosdam Canones arti medicæ conuenientes, & librum, quem Medici Thesaurum Pauperum dixerunt. Problemata quoque aliqua ad imitationem Stagyritæ euulgauit.

CASTILLANVS.

Pontificatu suscepto prima illi cura fuit, Michaelem Palæologum Imperatorem Orientis ad seruanda in Concilio Lugdunensi promissa adhortari. Ea itaque de re Legatos ad eundem destinauit, Iacobum Ferrentinum, & Gaufridum Taurinensem Episcopos, nec non Fr. Raynonē Priorem Viterbiensem, & Fr. Saluum Lectorem Lucanū Ord. Præd. qui Confessionem fidei ex Concil. Lugdunensis decreto conceptam, illi & Patriarchæ ad profitendum repræsentarent, atq; ad vnionem Ecclesiarum perfectam inducerent. Feliciter cessit negotium Legatis. Michael enim Palæologus & Andronicus eius filius, Iosepho Patriarcha in ordinem redacto, & Ioanne Beco in eius locum subrogato, professionem fidei Rom. ex symbolo sibi à sede Apostolica præscripto in coram omnib. vna cum Patriarcha Constantinopolitano emiserunt, & tum eandem fidei confessionem, tum primatum Romani Pontificis, tum dignitatem Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ super omnes Ecclesias, datis litteris, & missis Apocrisiariis ad Ioannem Pontificem, testatam Orbi fecerunt.

VII. PROMISSA IN CONCILIO SERVARI PETIT PER LEGATOS PALÆOLOGO ET FILIO ANDRONICO. *ep. 1. 9. 10. 11. 143.*

Sanctissimo & Beatissimo Primo & Summo Pontifici Apostolicæ sedis & vniuersali Papæ ac communi Patri omnium Christianorum, & Reuerendissimo Patri Imperi mei Dn. Gregor. Michael in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Ducas Angelus Dominus Palæologus Episcopalis filius.

VIII. *2. lib. Priuil. Rom. Eccles.* FORMVLA PROFESSIONIS FIDEI CORAM LEGATIS FACTA, AB PALÆOLOGO ET FILIO ANDRONICO.

Magnæ sanctitatis vestræ conuenientem honorem & reuerentiam, cum syncera & pura affectione ac orationum postulatione.

Qui missi sunt à magnitudine vestra ad Imperium nostrum Nuncii Deo placentes Ord. Minorum, videlicet F. Hieronym. de Esculo, F. Raymundus Berengarius, F. Bonagratia de S. Ioanne in Perfeceto, & Fr. Bonauentura de Muzelo, & obtulerunt litteras vestræ magnæ sanctitatis, in quibus cum aliis, & de professione fidei quam docet & prædicat & confitetur sancta Ecclesia Romana continebatur, & oportebat in his magnam responsionem nos conuenienter facere: ecce hoc facit Imperium nostrum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter.

1. Credimus sanctam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem, coessentialem, consubstantialem, coæternum & coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis & maiestatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia quæ sunt in cœlo & in terra, visibilia & inuisibilia, corporalia & spiritualia.

2. Credimus singulam quamque in Sancta Trinitate personam, vnum Deum verum plenum & perfectum.

3. Credimus ipsum filium Dei verbum Dei æternaliter natum de Patre, Consubstantialem, Coomnipotētem, & æqualē per omnia Patri in Diuinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali duas habentem natiuitates, vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum & hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum, non adoptiuum, neque phantasticum, sed vnum & vnicum filium Dei, in duabus & ex duabus, diuina scilicet & humana, naturis, sed in vnius personæ singularitate, impassibilem & immortalem in diuinitate, sed in humanitate pro nobis & pro salute nostra passum vera carnis passione, mortuum & sepultū, & descendisse ad inferos ac tertia die resurrexisse à mortuis vera carnis resurrectione: die quadragesimo post resurrectionē cum carne qua resurrexit & anima ascēdisse in cœlum, & sedere ad dexteram patris: inde vēturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique secundum opera sua, siue bona fuerint, siue mala.

4. Credimus & in Spiritum Sanctum plenum & perfectum, verumq; Deum ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coessentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.

5. Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos sed vnum Deum Omnipotentem, æternum inuisibilem & incommutabilem.

6. Credimus sanctam Catholicã & Apostolicam vnam esse Ecclesiam veram, in qua vnum datur baptisma & vera omnium remissio peccatorum.

7. Credimus & veram resurrectionem eiusdem carnis quam nunc gestamus, & vitam æternam.

8. Credimus etiam noui & veteris Testamenti Legatis ac Prophetarum ac Apostolorum vnum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc est vera fides Catholica, & hanc super dictis articulis tenet & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia.

9. Sed & propter diuersos errores à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat, eos qui post baptismum in peccata labuntur non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse cõsequi veniam peccatorum. Quod si verè pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de cõmissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis, hoc est Catharerii, quemadmodum Frater Ioannes nobis notificauit, post mortem purgari: & ad pœnas huiusmodi relenandas prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ institura. Illas etiam quę post contractam peccati maculam, vel in suis manẽres corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem Sancta Romana Ecclesia septem esse Ecclesiastica sacramenta: vnum scilicet Baptisma de quo dictũ est supra. Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem Episcopi conferunt chrismando renatos. Aliud est Pœnitentiæ: aliud est Euchatistiæ: aliud est Sacramentum Ordinis: aliud est Matrimonii: aliud est. Extrema vnctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchatistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens & docens quod in ipso sacramento panis verus transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De matrimonio verò tenet, quod nec vnus vir simul plures vxores, quod nec vna mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta verò lege Matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas & tertias, & deinde alias nuptias succedentes licitas esse dicit, si impedimẽtum canonicum ex alia causa non obsistat. Ipsa quoque Sacrosancta Romana Ecclesia, summum & plenum Primatum & Principatum super vniuersam Catholicam Ecclesiam obtinens, quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide suborta fuerint quæstiones: suo debẽt iudicio definiri: ad quam grauatus quilibet, in negotiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare: sed & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subiectæ: ipsarumque prælati obedientiam & reuerentiam sibi debent: apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit. Quarum multas & Patriarchales præcipuè, diuersis priuilegiis eadem Romana Ecclesia honorauit: sua tamen prærogatiua tamen in generalibus Conciliis, quam in quibuscunq; aliis semper salua.

Superius scriptam fidei veritatem, prout plenè lecta est, & fideliter exposita, veram sanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem esse cognoscimus & acceptamus, & ore, & corde confitemur, quod ipsam verè tenet & fideliter docet & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, & inuiolabiliter obseruare ipsam professionem, & in ipsa omni tempore perseuerare, & nullo vnquam tempore ab ipsa recedere quoquo modo aut deuiare, seu discordare promittimus. Primarum quoque eiusdem Sanctæ Rom. Ecclesiæ, sicut in præmisso tenore continetur, ad ipsius sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontanei venientes confitemur, & recognoscimus & acceptamus & sponte suscipimus. Confitentes verò hæc & approbantes & acceptantes & promittentes obseruare, vt superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, vt nostra Ecclesia dicat sanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante schisma & vsque ad hodiernum diem: & quod permaneamus in nostris ritibus quibus vtebamur, & ante schisma ritus non sunt contra præscriptam fidem, nec contra diuina mandata, nec contra vetus & nouum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum Generalium Cõciliorum, & sanctissimorum Patrum acceptorum per sancta Concilia, quæ celebrata sunt spirituali dominatione Ecclesiæ Romanæ. Hoc igitur non graue est vestræ magnæ sanctitati, & non inconsuetum & nobis nunc difficile propter populi immensam multitudinem. Commisimus super his præsentibus Nunciis nostris, vt dicta per præsentes litteras nostras cõfiteantur & affirment vice Imperii nostri coram magna sanctitate vestra. Præsens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione & professione propria manu nostra Dei gratia Imperiali subscriptione signamus, & sigillum nostræ potentiæ inferius duximus apponendum: hæc quidem perfecta fuerunt tunc. Quoniam vero cognatus Imperii nostri magnus Logotheta Dominus Georgius Acropolita ad affirmationem supra scriptorum ex mandato Imperii nostri iurauit in præsentia Beatæ memoriæ sanctissimi illius vniuersalis Papæ Domini Gregorii Decimi, & tunc congregati apud Lugdunum Sacrosancti Concilii, quæ de verbo ad verbum hic se habent: Ego Georgius Acropolita & magnus Logotheta, Nuncius Domini nostri Imperatoris Græcorum Michaelis Ducæ Angeli Comneni Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infra scriptum mandatum, omne schisma prorsus abiuro, & supra scriptam fidei veritatem prout plene lecta est & fideliter exposita in nomine dicti Domini mei, veram, sanctam, Catholicam & Orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde & ore profiteor, ipsamq; prout eam veraciter tenet, fideliter docet & prædicati Sacrosancta Romana Ecclesia ipsam inuiolabiliter seruaturum: nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, vel quoquomodo deuiaturũ vel discepaturum promitto. Primatum quoq; ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur ad ipsius Ecclesiæ obedientiam nomine ipsius & in eo spontaneus veniens, pro ipso & pro me fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio, & ipsum omnia præmissa ram circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Eccl. Rom. Primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionẽ, obseruantiam ac perseuerantiam seruaturum, præstito in animam ipsius & meam corporaliter iuramento, promitto & confirmo: sic ipsum me Deus adiuuet, & hæc SS. Euãgelia. Cum sic de verbo ad verbum continens iuramentum, iurauerit dictus Magnus Logotheta in præsentia dicti illius Sanctissimi & Beati vniuersalis Papæ Domini Gregorii Decimi, & dicti apud Lugdunum Sacrosancti Concilii, & nunc Sanctissimus & Beatissimus vniuersalis Papa & venerabilis Pater Imperii nostri Dominus Ioannes Vigesimus Primus petiit per venerabiles Nuncios suos, videlicet Iacobum Ferentium Episc. & Gaufredum Episcopum Taurinum, & Frattes, hoc est Raynonem Priorem Conuentus Viterbiensis, & Saluum Lectorem Lucanum Fratres Ord. Prædic. vt affirmet, ratificet per corporale Sacramentum Imperium nostrum ea quæ dictus Magnus Logotheta iurauit, vt sæpius dictum est: Imperium nostrum perficiens petitionem Sanctissimi vniuersalis & venerabilis Patris Imperii nostri Domini Ioannis Vigesimi Primi consequenter suprascriptis iurat sic.

IX. FORMVLA IVRAMENTI, QVA PROFESSIO CONFIRMATA FVIT.

Ego Michael in Christo Deo fidelis Imperator & moderator Romanorum Ducas Angelus Comnenus Palæologus omne schisma prorsus abiuro, & suprascriptam fidei veritatẽ prout plene lecta est & fideliter exposita, veram, S. Catholicã & Orthodox. fidẽ esse cognosco, eam accepto, & corde & ore profiteor, ipsamq; prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia me inuiolabiliter seruaturũ, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, vel quoquomodo duraturum, vel discepturum promitto. Primatum quoq; ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ prout in præmissa serie cõtinetur ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, spontaneus veniens fateor, recognosco, ac-

cepto ac sponte suscipio: & omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesiæ Primatum & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam ac perseuerantiam seruaturum, præstito in animam meam corporaliter iuramento, & promitto & confirmo, prædictum iuramentum prædicti Logothetæ nostri approbo & ratifico. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Hæc autem omnia suprascripta facit Imperium nostrum ad Sanctissimum & Beatissimum Summum Pontificem & Venerabilem Patrem nostri Imperii vniuersalem Papam Dominum Ioannem Vigesimum Primum, & per ipsum ad omnes successores suos, roborans ipsa per propria manus Dei gratia Imperialem subscriptionem suam & per sigillum potentiæ suæ Mensis Aprilis Quintæ Indict. Sexto millesimo, septimo centesimo, octuagesimo quinto anno. Actum est hoc in vrbe nostra Constantinopolitana in sacro nostro palatio Blachernarum.

X. CAVSÆ QVARE PROFESSIONEM EDIDERIT MICHAEL CVM ANDRONICO. I. OB OPPRESSOS LATINOS GENVENSES ET METVM CAROLI SICVLI. *Bossius li. 10 Lib. 5. hist. Rom.*

Ad eum modum vterque Palæologus & profitebatur, & professionem confirmabat. Erat quod ad eam submissionem Palæologum perurgeret. Balduinus enim renunciato Philippo filio Constantinopolis Imperatore, atque Carolo Regi Siciliæ filia sua desponsa in auxilium illius eundem Carolum Regem suo iure vocabat, adeoque illi eriam certam spem Imperii Orientalis, & præsertim Regni Hierosolymitani ostentabat. Nam per id temporis, cum istud Regnum Hugo Lusignanus Rex Cyprius vsurparet, & Mariæ olim Eymerici Regis Hierosolymitani pronepotiac eius Regni hæredi vim faceret, illa fenio confecta, & resistere Hugoni haud poterat, iure suo hæreditario, pecuniis vicissim acceptis Carolo cesserat. Is itaque classe compatata, cum Regis Hierosolymitani titulum, quem diu exambiuerat, obtinuisset, eiusque Regni possessionem, & Imperii Orientalis quoquomodo capessendi desiderio teneretur mari Ionio transmisso infestus esse Palæologo voluerat. Nam & is Latinorum aliquos, per id temporis oppresserat. Nicephorus Gregoras rem narrabat, præscriptione ista præmissa. Ego vero quod è multis veterum cognoui, difficilius esse res secundas quam aduersas ciuiliter & moderatè ferre: nunc re ipsa edoctus, magis admiror. Ecce enim Genuenses, qui è regione Constantinopolis habitabant, lucro immunitatis inebriati, elatique superbia, aduersus Romanos insolescere, eosque vt imbecilliores contemnere cœperunt: ac tandem quidam ob pauca poma, rixa cum quadam orta, ense quam lingua promptior, statim hominem interfecit. Quod facinus Imperator, non vt vnius cædem neglexit, sed ita exarsit & commotus est, ac si tota ciuitas euersa, & Imperatoria maiestas violata esset, statimque exercitu omnes eorum ædes cinxit (nondum enim murorum munitiones habebant, nec vrbem, quæ, dum vellet, Imperatrici vrbi aduersaretur) ac fortasse tum funditus perissent, nisi miserabili habitu, vltro multa ipsi sibi irrogata, supplices se sistatim ad pedes Imperatoris abiecissent, itaque veniam impetrassent. Hoc studii & celeritatis Imp. primum eis specimen fuit: alterum & maius, illud. Quidam eorum populares duas piraticas triremes instituerunt: & Byzantini freti angustiis clam superatis in Euxinium portum traiecerunt, solito Imperatorem honore non prosecuti. Quod nec ipsum inultum pati voluit. Itaque triremes nõ paucas, & vnam magnam onerariam nauem ad promontorium templi Argonautarum collocat, quod os Ponti appellatur, vbi Cyanes & Planctas Græci olim esse dixerunt, Piratarum accessum expectaturas, ne audaces illi & scelerati homines incolumes euaderent. Quod cum illos haud fefellisset, hac calliditate saluti suæ consulunt. Omnes opes quas latrocinando coegerant, pro mercibus exponunt, & vna secum in maximam onerariam transferunt. Deinde omni genere armorum eas tegunt & muniunt, vt cum septẽtrionales venti vehementius spirarent, ora soluerent: & vi patefacta via, per eos quiin faucib. stationem habebant, citra periculum euaderent. Paulo post, cum vehementior Boreas erupisset, etiam illa nauis è medio Pelago plurimis armatis ornata, instar integræ vrbis per fluctus incedere, ac potius aduolare conspicitur. Iam & Imperatoriæ triremes instructæ aderant, simulque onerariæ sublatis antennis, sed velis nondum expansis, quieta mansit. Cæterum hostili oneraria accedente, & ipsa vela intendit, illamque partim à latere, partim à puppe è vestigio persequens arripit, cædit & cæditur, æthereumq; illud, vt ita dicam, bellum, & volatile conspicitur. Cumque in multum dieiuxta freti fauces vtrimq; omnes dimicarent, initio Genuenses superiores videbantur. Deinde, cũ ventus velis Imperatoriæ onerariæ illam continenter & à pupi, & à dextro latere, vnde is spirabat, assectantis, inhibitus, in hostilia vela segnior incideret, fiebat vt nauis tardius ac lentius moueretur. Iam, quæ maior Genuensium calamitas fuit, quidam ex iis audacius in aduersariam nauem, cum insiliisset, acuta securi funes maxime necessarios resecuit: quare antennæ in mediam illorum nauem delapsæ, milites eorum plurimos subitò pugnæ inutiles reddidit. Ex eo etiam triremes impunè pugnis accesserunt, & vndique cominus eam fortius percusserunt. Tandem vnus, ac post alii atque alii, subinde plures in eam insilierunt, donec planè victis hostibus, qui non occubuerant, alios vulneratos, alios captiuos inde exceperunt. Alterum hoc Imperatoriæ celeritatis & festinationis specimen euidentius, Genuensium animos ita debilitauit & perterrefecit, vt magna parte audaciæ & soliti fastus deposita, vt quem tempora minimè ferrent, necessario moderatiores essent. Forte Genuenses grauiora metuentes, Carolum in auxilia vocabant. Quem vt auerteret Palæolog. eam fidei professionem transmissam & dixit, & subscripsit: & Primatum Ecclesiæ atque Pontificis Romani agnouit: & obedientiam sedi Apostolicę spopondit, missis ea de re ad Ioannem Legatis, Metropolitano Cyziceno Ypertino & Exarcho totius Hellesponti, Theodoro quartam sedem in Concilio obtinente, & Scriniario Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Archidiacono Imperialis Cleri Constantinopolitani Meliniota, & Archidiacono Cleri Imperii vniuersi, & Epitendesion eiusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Georgio Merhotite, & secretioribus familiaribus, Angelo Ioanne, Masgoda atque Andronico fidelibus suis.

Extant omnia inter ep. Nicol 3 anno 1. ep. 1. 2, 3 & seq.

XI. 2. OBIRRVPTIONES TARTARORVM.

Erat & alia causa, quæ Michaelem vrgebat, ad eam submissionem, quam præ se ferebat: nimirum, Turcarum impetus, à quibus vehementius infestabatur. Nam Andronicus Imperator, datis ad Ioannem per eosdem Nuncios litteris, postquam exemplo paterno ea quæ Fidei Orthodoxæ fuerunt professus fuisset, aperta postulatione à sede Apostolica contra Turcos auxilia implorabat. Per id enim temporis Meleco Azatini Sultani filio Turcarum Principe per insidias cæso, Turcicoq; Imperio ex honesta disciplina & splẽdida fortuna ad maximam perturbationem prolapso, non modo satrapæ nobilitate præstantes, omne regnum in plurimas partes diuiserant, sed multi etiam obscuri & ignobiles homines, infima plebe ascita latrocinari cœperunt, præter arcum & pharetram nihil secum gestantes. Hi fanc ibus montium insessis, finitimos agros & vrbes Romanorum, crebris & occultis incursionibus vexabant. Nam paulo ante acciderat, vt præsidia quæ arces tuebantur, inde migrarent, cum omnia stipendia à fisco Imperatorio non numerarentur. Quod intrio, vt res parui momenti, neglectum, maximas tandem clades Romanis importauit. Turcienim Satrapis suis variè diuisis, cum à Schytis pellerentur, Romanos pellebant: & quam infirmi erant aduersus Schytas, tam fortes contra Romanos extiterunt: vt Schytarum incursio non calamitatis causa, sed summæ felicitatis occasio illis esset. Nam & è Paphlagonia & è Pamphilia irruebant, Romanasque Prouincias populabantur. Tandem etiam ad bella & assiduas dimicationes ventum: è quibus vnum prælium Romanos in omnia mala coniecit, Diuina prouidentia infinita peccata à multis annis cumulata, mediocriter puniente. Placet commemorare ea, quæ Nicephorus Gregoras narrabat, de progressibus Imperii Sultanici. Ita habet.

XII. *Bossius li. 10* INSIGNIS VICTORIA TVRCORVM DE ROMANIS INITIVM EORVM DEDIT TYRANNIDI

Multis Turcorum copiis in Paphlagonia collectis, Imperatori Michaeli visum est magno & firmo exercitu, celerem illorum, quantum fieri posset, impressionem inhibere: ne illa parte veluti porta perfracta, impunè ac prohibente nemine longius euagarentur. Eos autem duces misit, qui stultitia & temeritate sua tum ipsi impegerunt, tum omnes copias amiserunt. Nam Turci pridiè instantis pugnæ nocte insomni exacta, ante diluculum non paucis insidiis in Orientali vicini fluminis ripa collocatis, eo superato castra merati sunt. Cum pugnæ tempus instaret, congressis exercitibus, principio Romanorum impetus, Turcis

non adeo informidandus esse visus est. Substiterunt igitur, & repugnarunt, non stataria pugna, sed crebro de more commutata. Fugam enim simulantes terga dant, statimque redeunt, idque frequenter facere non desistunt: vt hostilem aciem perturbent, ac de gradu deiiciant: postea perturbatos aggressi, facile in fugam vertunt. Tum autem astus is nihil illis contra Romanos profuit, optimè munitos & armatos. Sed plurimis suorum amissis, ad flumen Romanis (quod vtinam non factum esset) continèr persequentibus, effusè fugerunt, quamuis prudentiores Duces vehementer milites reuocarent, ac rem optui canerent, quod hostium fuga suspecta & periculosa esset. Sed illam pugnam initium vtique excidii Romani esse oportebat, Deo superbiam, & contumaciam Græcanicam castigante. Hostes igitur vltra flumen persecuti, segnius fugientes cædendo, in improuisas insidias, præ cursu & æstu anhelantes, atque in viros quietos & viribus integris incidunt. Ita hinc numeroso exercitu, inde flumine intercluſi, paucis exceptis omnes ceciderunt, nulla re memorabili gesta. Turci autem velut porta aperta, securi, & prohibente nemine, omnes Romanas Prouincias populabundi vsque ad Sargarium percurrebant. Cumque finitimas arces impunè occupassent, terrasque subactas in Satrapias dimisissent, à mari Pontico & Galatia vsque ad mare Lycium & Carium, & Fluuium Eurusmedontem omnia suæ ditionis fecerunt. Accidit tunc quiddam memorandum, cum barbari innumerabilem virorum atque mulierum prædam inter sese diuiderent. Inter cæteram turbam fuerunt duæ adolescentulæ sorores: quæ cum diuellendæ essent, quod non eidem domino sortè obuenerat, altera alteră intuens, cum lachrymis, eiulans, planctu omnia compleuissent, in mutuo denique complexu expirarunt, quasi natura rerum corpora non prius quam animas separari pateretur. Multam deinde aliam earum quę à viris expeditis ferri queunt, barbari coegerant, & inter se partiti sunt: nequaquam resistentibus Michaele & Andronico, Imperatoribus. His itaque malis fatigati, & præcipuè Andronicus supplices pro auxiliis Pontifici Ioanni fuere, & omnia quæ hic desiderauerat, abundè promisere.

XIII. *Mariana lib.14.c.2.* IACOBVS REX ARAGONVM MORITVR 63. ANNIS REX. VIRTVTES ZEVSET GESTA.

In Aragonia hoc anno Iacobus Rex Maurorum motibus, aut cor. filio sedandis, aut vi comprimendis operam dabat: Valentinoq; tractu vrbes & oppida pererrabat, in vnam eam curam intentus. Multis locis varia fortuna dimicatum at q; ad Luxenum, quo tempore Rex Setabi erat, insignis clades accepta est, fœdaq; Christianorum cædes facta: prorsus vt cum diem, Martis scilicet, malè ominatum, infaustumque vulgus vocare cœperit. Hostium contemptus semper in bello exitialis, malo fuit. Rex ab ea calamitate mœrore concepto, fractoque multis laboribus corpore nonoq; morbo tentatus, belli cura Petro filio relicta, Algezira abiit, Valentini agri oppidum, vbi ingrauescente morbo, ac salute desperata, filio salutaribus præceptis coram castigato, regnum de manu tradidit. Ipse Cisterciensem vestem induit, certus ad Populetum cœnobiũ, quo se loco humari volebat, reliquam vitam exigere. Obiit tamen Valentiæ Iulii vigesimasexta prima, fama propter magnitudinem rerum gestarum immortali, vir verè magnus, præcipua religione: cuius studio ad duo millia templa extructa fuisse memorantur: dedicata arbitror ex ritu Christiano, Maurica superstitione expiata. Militiæ laude cum quouis veterum Ducum comparãdus, trigesies cum Mauris signa contulit, secundo semper præliorum euentu: vnde Præliatoris nomen tulit. Tres & sexaginta annos Regnum tenuit, vna tantum libidinis licentia ad posteritatem deformatus. Maurorum gentem nunquam satis fidam, Regni finibus vti pelleret, filio mandauit. Vtpote qui sciebat, quia eius gentis efferæ obstinatio nulla arte vincitur, perfidia nullis meritis mitigatur: neque argumentis cedit, neque authoritati.

XIV. *Bossius lib.10 RES CHRISTIANORVM IN SYRIA PESSIMVM EVENTVS MO-*

Per id temporis res Christianorum in Syria pessum ire cœperunt, à discordia eorum, quibus tuendarum cura imminebat. Templarii in primis milites, contra Tripolitanum Comitem, pro eius vibis Episc. ex religione ipsorum ad eam dignitatem assumpto dimicabant, quod eum Comes grauissimis iniuriis affecisset. Neque modica causa dissensionum emerserat, quod is edicto sanxisset, nequa bona immobilia titulo feudi Templariis concederentur. Dum itaque & pro iuribus religionis, & pro dignitate Episcopi armarentur, Comes omnibus illis, finibus non tantum vrbis, sed & Prouinciæ excedere iussit. Hi porro sex triremibus comparatis, cum naufragium classis qualis qualis fecissent, vires Christianorum contra Saracenos imminuerunt. Templariis ad eum modum cum Comite Tripolitano digladiantibus, Hugo Rex Hierosolymitanus, siue ignauia siue timore, adductus, siue discordias inter Templarios, Theutonicos, & S. Ioannis Hierosolymitani milites perosus, siue in ius ad sedem Apostolicam de Regno Hierosolymitano euocatus, Syria relicta Cyprum secessit: neque vllis precibus Teutonicorum & Hospitalariorum, & piorum reuocari vnquam potuit. Controuersiam illi fecerat de eo Regno Princeps Maria, Raymundi Rupini Principis Antiocheni filia, quæ ab Isabella filia Almerici Regis ius indidem prærendebat. Die apud subsellia Summi Pontificis Hugoni ad defendendam causam dicta, cum istud molestiæ Hugo intellexisset: Regno illo excessit, suisque apud sedem Apostolicam Nunciis commisit, vt quicquid esset negotii, Patriarchæ Hierosolymitano, Magistris Militiarum, & reliquis Proceribus Regni committeretur. Id porrò Maria cum audisset, remque per remporis beneficium seu iniuriam procrastinari vidisset, Carolo Siciliæ Regi toto iure cessit, quod sibi in Regno Hierosolymitano superesset. Carolus verò pecuniis ex pacto Mariæ numeratis, Rogerium Comitem Sanseuerinatem ei regno cum summa potestate administrationis destinauit. Cui cum Templarii in rem suam adhæsissent, Milites autem S. Ioannis, neque à partibus eius stetissent, neque tamen aduersati essent, ille tamen possessiones & bona istorum, suasoribus atque adeo impulsoribus Templariis fisco addixit: & per mutuas Christianorum militum discordias viam Saracenis ad reliquos perdendos aperuit.

IVAS DISCORDIAS.

XV. HENRICVS DANIÆ PRINCEPS AB SARACENIS CAPITVR. ZELOTYPIÆ VITIVM. *Kranzius in V Vandal. lib 7.c.37.*

Hoc anno Henricus Daniæ Princeps, infeliciter in Syriam profectus est. Quum enim ad prædam cum aliquantis exisset, à militibus Saracenorum Saladini captus, per totos sex & viginti annos in seruitute permansit. Anastasia vero vxor cum ignoraret quid marito accidisset, de consilio patris sui Lutgardam filiam Pribislao Gnesnensi despondit vxorem, quam postea maritus cum nescio quid suspicaretur obiicereq; puellæ, clam in cubiculo innocentem strangulauit. Sed vitæ innocentiam testata sunt ad tumulum eius facta miracula.

Hoc ipso anno Rudolphus Rex Rom. Fr. Eadmundum Exprouincialem Teutoniæ Ord. Præd. ad Summum Pontificem Innocentium Quintum in grauissimis quibusdam, sed secretis negotiis internuncium destinauit, quo anno Turegi in Germania lupa domestica peperit duos lupos rufos, duos vel tres albos, & tres canulos masculos generum diuersorum. Rotuilti, quædam mulier tres pueros vno die peperit, & quarto die quatrum puerum prioribus addidit. Alicubi in Germania, in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis, fructum & flores plures arbores produxerunt. Colmariæ, quarto Nonas Augusti, ex dormitorio Fratrum Prędicatorum visa sunt lumina quamplurima per modum pugnantium discurrentia, exire. Eclipsis lunæ apparuit. Obstergi quædam sanctimonialis Ord. Cistercien sis, sine potu vndecim annos perseuerauit. Prope Rubeacum Monetarius quidam viuus decoctus fuit. *Annales Colmarienses.*

XVI. RVDOLPH. REX PRÆDICATOR. F. EADMVNDVM AD PONTIFICEM ABLEGAT. PRODIGIA VARIA.

Eadem tempestate tremendum dedit Deus exemplum omnibus iis, qui scelerum perpetratorum pœnitentiam procrastinant, & peccata peccatis accumulant.

In Regno Poloniæ miles quidam, in proprios subditos iuxta ac exteros impius & sæuus, de vita futura nihil pensi gerens, cum assiduis prævaricationibus in Deum, confiteri & pœnitere pro ludibrio ducens, itas in se cœlestium coacteruasset, in grauem incidit languorem. Sed nec tum quidem scelerum conscientia peractus, quicquam sibi de impetranda propitiatione diuina, ratus se supernicturum, & suas transgressiones resumpturum, prospexit. Inualescente tandem morbo, Fratres Prædicatores per consortem illius, pro sananda mente ægrè acciti, militem ad pœnitendum multifariè, per salutaria monita inducebant. Quibus miser homo commotus: *Serius*, inquit, *me ad pœnitentiam impellitis. Serius confessionem, iudicato & iam damnato similis.* Cum pe-

XVII. SEVERVM IVDICIVM DEI IN IMPÆNITENTEM. *Ioa. Villan. lib.7.*

nitentiæ & gratiæ elapso, confessionis & pœnitendi spatio mihi subrepto, iusto Dei iudicio, in potestatem traditus sum spirituum tenebrarum. Vrgentibus deinde maiori instantia ægrum Fratribus, & ne qua desperatione commissorum facinorum à confitendo & pœnitendo abstraheretur, opem diuinam, si pœnitere & confiteri vellet pollicentibus, extremam edidit vocem: *Frustra*, inquit, *ingeritis de confitendo monita, proprio damnato arbitrio, & iam in dæmonum potestate consistenti: à quorum caterua superimminentibus torquendus & flagellandus tam appetor.* Auditæ illicò sunt percussiones horrendæ, ictus frequentes, & atrocissima ex sonitu & collisione, atque ex reciprocatione flagellationum verbera, & in ægri corpore liuores, plagæ, vulneraque à Fratribus & aliis circumstantibus, visibiliter ab inuisibilibus tortoribus illata, conspecta. Inter quæ ille infelix & execrandus, nec vocem nec gemitum edens miserabiliter expirauit. In quo B. Augustini sermo, pro diuino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus, impletus est: *Hæc est*, inquit, *iustissima lex Dei, vt qui viuendo oblitus fuerit Dei, moriendo oblitus fiat sui. Ioann. Clugosius in Annal. Polon.*

IESV CHRISTI
Annus 1277.

IOANNIS RVDOLPHI MICHAELIS PALÆOLOGI PAP.XXI.I. REG.ROM.4. Imperat. Orient. 18.

I. IOAN. XXI. SVMMARIVM GESTORVM. 1. *ep.* 34. 2. *p.* 110. 3. *ep.* 3. & 163. 4. *ep.* 53.

ANtequam rebus humanis Ioann. Summus Pontifex eximeretur. 1. In die cœnæ Dominicæ Carolum Regem Siciliæ, nouo sacramento ligii homagii pro regno sibi à sede Apostolica titulo feudi concesso, sese deuincientem, audiuit: litterasque rerum hac in parte gestarum ab eo accepit. 2. Censum è Regnis Anglię & Hibernię, pro Romana Ecclesia expetiit & recepit ab Edouardo Rege Anglo. 3. Legatos in Galliam & Hispanias, ad reconciliandos Reges Philippum & Alphonsum destinauit. 4. Regis Aragonii qui Daye monasterium, pro XIII. Fratribus Minoribus Arabicæ linguæ studiis, ædificauerat, piam intentionem, qua erga conuersionem Saracenorum feruebat, laudauit, atq; approbauit. 5. Apocrisiarios ad magnum Cham Tartarorum, qui fideles in fide cõfirmarent, deuios autem reducerent, misit, eiq; Principi datis litteris commendauit. 6. Rudolph. Regem Romanorum promissorum Ecclesiæ admonuit. 7. Nuncios ad Regem Hungariæ, pro sedandis domesticis tumultibus ire iussit. Principem Antiochenũm libertatis Ecclesiasticæ violatorem reprehendit. 8. Regem Galliarum à nimia extorsione decimarum cohibuit. 9. Constitutionem super electione & potestate senatoris vrbici innouauit, seu sanxit.

II. MORS IOANNIS VICESIMI PRIMI.

Cumque Pontificarum octo mensibus & aliquot diebus tenuisset, tecti conclauis ruina Viterbii oppressus, sextum post casum die occubuit. Eadem nocte qua tabulati casu percussus est, Florentino mercatori cui Berto Porzeto nomen erat, tunc procul à lare patrio alium mare sulcanti accidit, vt in pedes è lecto dormitãs erectus subgemiscens, se quendam hominem atriorem, ingentis staturæ, claua quam manu gestaret, columnam cui fornix quidam immensus incumbebat percussisse, scil. secundum quietem se vidisse renunciauit, & paulo post, hoc ipso momento Pontificem Summum occubuisse dixit. Ea hora à cunctis obseruata, cognouerunt post modicum ipsissima, Ioannem abisse ex hoc mundo.

III. SEX MENSIVM INTERPONTIFICIVM.

Ad sex menses Pontificiæ sedi nullus præfedit, Carolo Rege Siciliæ plurimum sibi, non tantum in res ciuicas, sed etiam Ecclesiasticas vsurpante, adeoque omnia miscente. Tandem post aliquam contentionem, vnanimi omnium Cardinalium suffragio, electus est Ioannes Caietanus, familia Vrsinus, à moderatione animi cognomẽto Compositus, probitate & innocentia vitæ, nec non magnitudine animi inter Principes Ecclesiæ primus.

IV. ELECTIO NICOLAI TERTII. *ep.* 1.

Die D. Catherinæ Martyri sacro, Purpurati Patres, Nicolai tertii nomine illum summa cum lætitia salutarunt. Ille porro qua erat animi modestia atque Christiana humilitate, onus intolerabile detrectabat, & lachrymarum imbre profuso, ne sibi vim inferrent deprecabatur. Præsciebat enim sibi fore non modicum certamen, cum rediuiua hydra, alio subnato capite opprimente libertarem Ecclesiæ atque Italiæ. Quamquam & alias difficultates non ignoraret futuras, quæ sonnum illi ac quietem adimerent. Ex his ista non postrema ex Gallis, quæ hoc anno acciderat.

V. PRIMOGENITVS PHILIPPI LVDOVICVS VENENO TOLLITVR. *Æmil. in Philippo 3. Guagnin. lib. 7.*

Philippus Rex Galliæ ex priore vxore filios tulerat, Ludouicum, Philippum cognomento Pulchrum, Carolum Valesii Comitem: ex posteriore Maria procreauit alterum Ludouicum Eburonicum Comitem, Margaritam atque Blancham. Ex prioris coniugii liberis, Ludouicus filiorum maximus, neque sine suspicione veneni occubuit. Brochius cubicularius Reginam insimulabat: eam id initium fecisse priuignorum necandorum, vt certam in spem Regni ex ea filii prognati succederent. Contra erant, qui Petrum Brochium, & Petrum Baiocensem Antistitem eius affinem (vxoris frater erat) in crimen inuidiamque vocarent. Cum de ea re inter aulicos & regni Proceres rumor increbresceret, nec vlla ratione tanti flagitii patrator inueniri posset, Rex Philippus vaticinio rem inquirere instituit, in Niuella Brabantiæ, vnde nata Regina erat, ferebatur responsa reddere mulier quædam è cæca professionis, quam Beguinarum dictam postea Concilio Viennensi Clemens damnare visus est. Ad hanc missi ab Rege, Petrus Pontifex Baiocensium idem Brochii affinis, ac Stephanus Abbas templi S. Dionysii. Aliqui mirantur, quod ex sinu affinitateque Brochii, qui in Brochium inquireret, Philippus misisset: cum vel legibus tales iudices quæstoresque soleant reiici. Non improuidè tamen Rex fecit: cum ei collegam adiecit: vt in coram conuinceret Antistitem, si quidem eius criminis fuisset sciens. Istud fari è indecenter, atq; importunè: mittere ad Brabantinam anum, de capite Brabantinorum Ducum filiæ sororisque consulendam. Exitum reitalem ferunt. Petrum Baiocensem, cum Niuellam venturum esset, Stephano anteuertisse: priorem ad fœminam veniisse: collocutos incertum quæ: discedentem orasse, vt illa celaret quæ secum acta essent: quæ respondisset. Ita Stephanum superuenientem ex vaticinii responsum. Ad Regem cum rediissent, Pontifex sibi nihil arcanorum ignotum esse renunciauit: sed ea effari sibi per religionem non licere, quod sacra confessione, vt facerdos omnia audierit Rex, Non ad mysteria, inquit, arcanasque lustrationes, sed ministrum, nuncium, interpretemque te misi. Noua Legatio missa Niuellam. Iuit Theobaldus Dolensium Pontifex, retulitque responsum de Regina, quale expectari à fœmina de fœmina, à ciue de ciue, à priuata de Ducum suorum sobole oportuerat, Reginam extra noxam esse. Addidit, quod duobus insimularis reliquum erat, ac ne sic quidem nominatim quenquam coarguens, venenum à viro, & eo assiduo, quotidianoque datum. Rein Brochium retorta, maximè quod is etiam secreta regia Castulonensi Regi prodere soleret, de illo, reste supplicium sumptum fuit. Petrus Pontifex ad sedem Apostolicam se recepit metu pœnæ, siue propter criminationem Reginæ, siue propter sœcleratum criminis cum affine: siue propter legationem malè gestam, ementitamque aut adumbratam relationem. Non tamen deerant, qui infamiam in Mariam nouercam reiicerent, quasi illa prioris matrimonii liberis regnum inuideret, optaretque ex se partos, ad id dignitatis promoueri. Quid porrò hoc in negotio Nicolaus Pontifex egerit, anno insequente narrabitur.

CONSVETVDO VERIDICA ANNVS ET PERPERAM.

VI. AB OTTOCARO BOHEMIÆ REGE, LICET INVITO, IVRAMENTVM ACCIPIT RVDOLPHVS LEPIDE. *Bonfin. dec. 2. lib. 8. Dubrau. lib. 17.*

factum. Hinc noua discordia redintegrata, nouum bellum indicitur. Imperator cum Ladislao Rege societatem init, fœdusque perpetuum percutit, mox Pannonica implorat auxilia, quæ præsto affuere. Quum in certamen instructa acie, vtrique descendissent, vixque mille passuum interiectum esset spatium: Ottocarus Rudolphi copias vereri cœpit, & Hungarica bello multo magis auxilia absterrebant. Extemplo rei suæ consulens, de concordia cogitauit, Legatos misit, per quos iuraturum se rite pollicebatur, si modo honoris sui causa, intra Augustale tabernaculum id fieret. Accepit conditionem Imperator, illiusque lepido commento pudorem elusit. In medio enim spatio, Augustale tentorium extendi iussit, sellamq; in suggestu sublimi collocari. Mox ipse diademate, Imperatoriisque insigniis plane cõspicuus, considentibus Imperii electoribus, cæterisque Proceribus Ottocarum acciuit. Is cum paucis Optimatibus tentorium ingressus, perreuerenter suggestum ascendit, ac supplex ad eius genua constitutus, dum ex more solemne sacramentum præstaret, ecce tentorium ex industria compositum, in partes quatuor ex improuiso solutum decidit: callidaque ruina Ottocarum ad Rudolphi genua supplicem, vtrique exercitui spectatum exhibuit. Hinc Allemanni gloriosum & è solio præsidentem Rudolphum hilares, hinc tristes Boemi, supplicãtem Ottocarum spectabant, subticuit Ottocarus in præsenti, & indignatione completus, domum reuersus est. Hoc vbi Margaritæ vxori, cuius iure Austriam acceperat, nunciatum est, tot virum illa conuitiis affecit, donec aduersus Rudolphum, abolendæ huius turpitudinis gratia, bellum instaurauit: cum prius filiam suam, quam Rudolphi filio desponderat, DEO cum aliis decem puellis consecrasset: vt mutuam affinitatem dirumperet. Rudolphus violato fœdere, post vbi se ad bellum prouocari conspiceret, exercitum reparauit, Ladislaum iure societatis iterum inuocauit: hic vero non impiger aduolauit, nihil enim erat ei antiquius, quam cum Boemis, qui cum auo patreque certarant, fortunam experiri. Hæ itaque Regum discordiæ,

LADISLAVS VNGARIÆ REX IMPVDICVS.

virtutem Nicolai Pontif. desiderabant. Neque inter postremas ista quoque. Ladislaus Caroli filiam vxorem duxerat, quam quidem neque pro dignitate tractauit, neq; coniugali amore & charitate prosecutus est. Cumanarum namque amoribus distractum, multas ex his sibi pellices, præter fas & æquum admouisse ferunt. Illegitimo igitur amore plus æquo flagrauit, & in earum dominium se totum asseruit. Ex his potissimas tres nominabant: Aydnam, Cupchecen, & Mandulam, propter eam vitæ licentiam suis Optimatibus vsque adeo inuisus fuit, vt nihil magis quam suum Regem huiusmodi turpitudini obnexium odisse viderentur. Hinc Chuno Ladislao cognomen est inditum. Vitæ impudicitiam ad Pontificem detulere: inque deprauatæ fidei, ex Cumanorum consuetudine, suspicionem eum adduxere. Porro vt Legati Pontificem magis excitarent, metum faciebant, ne Regis exemplo Vngari, qui quandoque ab inita olim fide defecerant, in priscam maiorum labem reciderent.

VII. CRVDELITATES, SVPERBIA ET LIBIDINES GALLORVM IN SICILIA. *De rebus Sicul. Tha. Zellus lib. 8.*

Postulabant insuper & res Siculæ atque Vrbanæ, Nicolai Pontificis manum. In Sicilia Galli, qui iura magistratusq; dabant, superbia, luxuria, & crudelitate omnia compleuerant, inaudita vectigalia imponebant, intolerabiles obuentiones exigebant, inuita nobilium & diuitum fœminarum coniugia inibant, nuptarum recens Virginum pudorem primi delibabant, præque violatas maritis relinquebant, atque adulteria etiam in nuptas machinabantur. Sub prætextu præterea laneorum substragulorum, quæ Iudæi ac cæteri pro modo suarum facultatum militibus ac ministris regiis iussu Curiæ Regiæ exhibere tenebantur, domos ingressi supellectilem omnem rapiebant, mulieres impudicè contrectabant. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla, expulsiones ciuium, bonorum publicationes, iudicia priuatorum, ac proscriptiones, non aliam ob causam, nisi quia diuites essent. Quos vt opprimerent, fraude & malis artibus Regnum prædæ loco habebant, plebem nobilesque impotenti dominatu exagitabant, & vni tantũ rapinæ, auaritiæ & libidini ita studebant, vt alienas, nobilesque fœminas publicè per vim inuadere non timerent. Zelotypiæ furore viri tum percussi, tum aliis grauissimis calamitatibus oppressi, rem Carolo Regi Viterbii tunc agenti detulerant. Et quidem is cum legationem audiuisset, Herberto Arcribiono Præsidi Siciliæ datis anno 1276. prid. Cal. Aug. literis sub mulcta mandauit, vt ministros refrenaret, à rapinis & à stupris cohiberet, deprehensosq; in crimine pœnis afficeret. Cæterum Franci efferatiores effecti, eadem & priora, velut in mandati actorumque ludibrium perpetrabant.

SICVLORVM QVERELÆ SVPER GAL. AD SVM. PONTIF.

Propter quæ Siculi coacti, ne quid inexpertum reliquisse viderentur, coram Summo Pontif. per Barthol. Pactens. Episcopum, & F. Bonioannem Marinum Dominicanum causam studiosè proposuerunt, atq; opem à sede Apost. poposcerunt. Eius Legationis exordium istud fuisse perhibebant. *Miserere mei fili Dauid Filia mea male à dæmonio vexatur.* Hoc finito statim suo ordine enormes libidines, rapinas, exactiones, exilia, deportationes, publicationes bonorum, carceres, mortes, aliasque illatas à Francis iniurias exposuerunt: atq; Carolum admoneri petierunt. His porrò à conspectu Pontificis reuertentibus, ministri Caroli manus iniecerunt, ac vinculis eos oneratos, eas quas à Pontifice acceperant literas & reliqua eripuerunt, Carolo siue conniuente, siue adeo iubente. Is namque per id temporis dominandi auidior, etiam Rom. vrbem & vniuersam Etruriam magnis calamitatibus afflixerat, cum sibi & senatori vrbico & vicario Imperii omnia in omnes licere putaret.

CAROLI REGIS IN VRBEM ETRVRIÃQVE IMPOTENS DOMINATVS. *l. an. XXI. ep. 158.*

Tantum autem sibi in Italia vsurpabat, vt etiam conclauis sacratioris custodiam sibi vendicaret: & Patres purpuratos, ad eligendos ex mẽte sua Pontifices impelleret. Ea enim de causa & semestres discordiæ inter eos, & ab Hadriano & Ioanne abrogata constitutio Gregorii de conclaui ineundo seu custodiendo: cum Carolus vim inferret, & in sacram electionem manus prophanas temerarius extenderet. Ista porrò cum intoleranda Nicolao Pont. viderentur, ea postmodum fecit quæ pro vindicanda Italiæ, vrbis, & Rom. Ecclesiæ libertate fecit: propter quæ ab iniquis Iudicib. impudenter in barathrum detrusus est: vir si quis alius earum culparum quæ impostores affingunt, innocens, ac nonnisi iurium, libertatisque publicæ vindex.

VIII. INSIGNE ET RARVM FRATRIS VIOLATI IN FRATREM CLEMENTIÆ EXEMPLVM

Hoc ipso anno, infeliciter, contra Fr. Magnum Sudermaniæ Ducem, Valdemarus Rex Sueuiæ arma suscepit, Magnus autem vere Magnum sese factis atque clementia demonstrauit. Inuidiæ ac odii materia erat, quod Magnus in omnibus operibus ita magnificè & sapienter se gerebat, vt omnium oculos in se cum summa admiratione conuerterit. Valdemarus autem diuersa via incedẽs, ignauè se habuerit. Inde Rex concepta indies maiore in fratrem inuidia, non solũ occultè, sed palam ostendit, sibi fraternæ fortunæ felicitatem vehementer displicere. Regina quoq; Sophia, Dano genere orta (ad cuius probitatẽ spectasset, odia inter fratres extinguere) non modo conceptum odii fomitem non extinxit, sed additis maioribus fomentis acrius imprudentem Regem in Magnum accendit. Neq; id occultè fecisse contenta, sed palam, & vbicumque sermo de eo incidebat, contumeliis, conuitiis, & improperiis, eum afficere voluptatis loco duxit, mimam se potius, quam Reginam ostendens. Neq; tantum Magnum, sed & Ericum fr. iisdem iniuriis afficiebat. Enimuero Ducẽ Magnum, quòd parum candido & flauo capillo esset, faciemq; subnigrã & macram præ se ferret, cacaborum reparatorem, Ericum vero ineptum, atq; insulsum cõtemptim & scurriliter appellare consueuerat: exemplũ cæteris Regis satellitibus idẽ audendi relinquẽs. Neq; eos in colloquium admittere dignata, inextinguibili odio se in eos ferri patefecit: sed Deus omnia iustè dispensans permisit, eam vna cum suo marito ad summam infamiã corruere. Accidit.n. Reginæ sororem Iutham Virginem speciosissimã ex Dania in Sueciã cum magnifico apparatu, & Regia pompa aduenire, visendæ sororis causa, quã Rex Valdemarus, missis in occursum eius nobilissimis Proceribus, & matronis, tanta beneuolentia excepit, exceptamque in palatium suum induxit, vt maior honor alicui Virgini, quantumuis illustrissimæ à Rege impendi nequiuisset. Sed suberãt maligni insidiæ, quibus Regi & Reginæ extrema pernicies parabatur. Rex enim familiarius quam honestius cum ea conuersando, ad nefarii stupri libidinem infelicissimo casu venit, prolemque ex ea in perpetrati flagitii testimonium suscitauit. Quo vno &

enormi scelere, seipsum omni honestatis opinione exuit, legitimi thori iura corrupit, illustrem virginem violauit, sororem sororis pellicem effecit, Deumque in publicam totius Regni & suam inprimis vindictam prouocauit. Cum enim arma contra Magnum sumpsisset, amisso prius exercitu, in potestatem illius ex fuga retractus venit. Ad hunc porro adductus, primum supplex effectus, misericorditer secum agi rogauit, deinde Regnum ad manus fratris reponens, se priuatæ vitæ sorte contentum, dummodo sibi saltem medietas ex paterna hæreditate permitteretur, asseruit. Tum Dux Magnus clementia motus, respondit: scio quia fratres sumus, & nimis inhumanum esset, fraternam necessitudinem violare. Quocirca si me in meo iure liberum permisisses, nec me tam graui odio ad tuæ coniugis suggestionem persecutus fuisses, nequaquam hoc bellum in te suscepissem. Agam tamen tecum, ad quæ ducit humanitas, vt omnes cognoscant, me maximis beneficiis maximas iniurias compensasse: statimque conuocatis Proceribus, & Regni Consiliariis, assignauit ei totum Regnum Gotthorum, contentus in regno Sueorum, sopitis domesticæ discordiæ fomentis, regnare. *Olaus Hist. lib. 9.*

IX. PAGANVS BERGOM. ORD. PRÆ. FIT MARTYR.

Hoc anno Paganus Bergomensis, sacræ fidei Inquisitor, Ord. Præd. cum officio sibi ab Apost. sede iniuncto incumberet, Conradi cuiusdam sectarii fraude interfectus, Martyrii coronam promeruit. Sicarii ab eodem precio conducti, in festo D. Protomartyris Stephani Sanctum virum, manus in Crucis formam super pectus tenentem multis vulneribus confoderunt, & postea lancea latus eius transfixerunt. Cum Pagano occisi sunt duo laici à libellis censuræ officii, vulgo Notarii dicti.

X. ITEM PETRVS CADERITA EIVSDEM ORD.

Eodem anno & B. Petrus Caderita eiusdem instituti, & officii, cum in Aragonia contra hæreticos munere sibi iniuncto fungeretur, ab eisdem occisus, Martyr. se adiunxit.

XI. *Surita lib. 2.* SANCTIA ARAGONVM REGIS FILIA FIT MONIALIS.

Per id temporis Sanctia Iacobi Aragonum Regis filia, cum se totam diuino cultui addixisset, & perpetua cura solemnia sacra obiret, tandem Regali persona deposita, nemini cognita aut manifesta, Hierosolymam profecta ad sacrosanctum Domini sepulchrum, in pauperes, peregrinos & ægritudine confectos summe hospitalis, vita functa, insignibus miraculis fulsit.

IESV CHRISTI

Annus 1278.

NICOLAI RVDOLPHI MICHAELIS PALÆOLOG.
PAP.III.I. REG.ROM.5. Imperat.Orient.19.

I. *a ep. 1.* ENCYCLICA NICOLAI 3. DE ASSVMPTIONE SVA.

AD XVIII. Calen. Februarii anni præsentis, Nicolaus Summus Pontifex, *a* datis Rudolpho Regi Romanorum, Philippo Regi Gallorum, Archiepiscopo Senensi, ac cæteris Prælatis, Regibus & Principibus Christianis ex more vetusto literis, suæ assumptionis vniuersos & singulos admonuit. Miram pietatem, humilitatem demissam, contemptumque rerum humanarum, in iis encyclicis demonstrauit: cum lachrymas sese fudisse copiosas testaretur, illo die quo reluctantem Cardinales consentientes, supremæ cathedræ illum imponerent. Zelum sane iuuandæ Ecclesiæ, vindicandæque tum Ecclesiasticæ, tum Romanæ, tum Italicæ libertatis, statim atq; assumptus est, ostendit.

II. CONTRA TYRANNIDEM CAROLI FACIT CARDINALES ROMANOS ET COGNATOS.

Cum enim Carolum Regem Siciliæ, omnibus Interpontificiis anni superioris nihil aliud conantem meminisset, quam vt Pontificiam authoritatem ad Gallos transferret, suique iuris Pontificibus creatis, Italiam, atque inprimis Ecclesiam Romanam posset opprimere, ille non tam (vt iniquiores imponunt) sanguinis, quam libertatis publicæ, vt res est, amore: cum non alios quam Romanos, ac inprimis sibi sanguine coniunctos haberet, quos tyrannidi Caroli, pro Eccles. Romana & Italica libertate, adeo confidenter opponeret, Viterbiensi ciuitati toties Rom. Pontificibus rebelli, atque per Interpontificiorum tempus omnia miscenti, Vrsum Vrsinum, Æmiliæ, Bertholdum Vrsinum militaribus copiis, eundem Vrsum Vrsinum tit. Marescalli præfecit: & ad 4. Id. Mar. initiatione facta, inter Cardinales recensuit, F. Latinum Malabrancam. Rom. ex sorore nepotem, Ord. Præd. Iordanem Vrsinum Rom. sibi germanitate deuinctum, & Iacob. Colum. sanguine pariter sibi innexum. Suggillent huius prudentissimi, vigilantissimique Pontificis Nicolai, eam in suos seu confidentiam, seu propensionem: hi quibus sugillare animus est, supremi Antistitis Iesu Christi in Io. & Iacob. & reliquos, partim sanguine, partim agnatione, partim reliqua necessitudine iunctos Apostolos atque discipulos inclinationem. Cæterum in ea Cardinalium creatione, non tãtum sanguini dedit, vt alios omnino, vel etiam nõ Romanos, reiecerit. His enim tribus viris illustribus, quatuor non Romanos, nec propinquos adiunxit, pari atque illi pietate, doctrina, dexteritate, rerum gerendarum vsu atque animi robore præstantes.

III. VNIONEM ORIENTALIVM CVM ECCLESIA ROMANA CVRAT.

Ex horum consilio, desideratæ Ecclesiarum Orientalium cum Rom. vnioni curandæ, cum nuncios Mich. quos ille ad Ioan. interim illo inscio demortuum Pont. audiuisset, & pro necessitate rei illos abunde de omnibus edocuisset, tum illos remisit, tum suos destinauit, tum literis Michaelis rescripsit, in hunc qui sequitur modum.

IV. *b ep. 134.* LITERÆ NICOLAI AD MICHAELEM SVPER VNIONE FACTA.

b Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei clarissimo in Christo filio Michaeli Palæolog. Græcorum Imperatori illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

Sicut ex literarum tuæ magnitudinis, sedi Apostolicæ nouissimè directarum, grata lectione collegimus, illud ad laudem tui nominis magis claret imo clari sideris instar irradiat quod ad Catholicæ fidei veritatem, quam sedes eadem tenet & prædicat, zelo deuotionis afficeris, ipsam deuotus complecteris, ad eius vnitatem cunctos tibi subditos adducere satagis, & debitam ei reuerentiam inuariabili proposito conseruare promittis. Quid enim puriore luce relucet in Principe, quam fidei rectæ sinceritas, & vera religio? quæ cum in luminis, & vitæ diriguntur authorem, tenebras respuunt, subiacere defectui nesciunt, nec verentur occasum. Probant autem laudabilem tuæ in his sinceritatis affectum, eiusdem veræ Catholicæque fidei tua fidelis, clara & aperta professio: Primatus sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ deuota recognitio spontaneaque susceptio, debitæ sibi obedientiæ prompta & humilis sponsio, corporaliter à te præstito iuramento firmata: schismatis abiuratio per te publicè facta: ac in earundem literarum serie, iuxta formam per eandem sedem traditam, plenè ac seriatim expressas, quasi ipsi sedi per tuos Apocrisiarios præsentatas, non solum ad veritatis testimonium, sed & memorabile tuæ laudis præconium, tam præsentibus quam posteris memorandum, in archiuo eiusdem Ecclesiæ facimus conseruari. Sane fili, dum ardorem desiderii, quo ad Latinos & Græcos antiquo schismate separatos, in charitatis mutuæ vinculo, & vnitate fidei vniendos per sanctos Patres Rom. Pont. prædecessores nostros esse suspiratum ardentius, & labores immensos, quibus est hinc inde diutius laboratum, memori memoria recensemus, quod in præmissis actum esse ab excellentia tua comperimus, tanto votis nostris cedit acceptius, quãto solet haberi gratius, & reputari præclarius quod anxie quæritur, & laboriosius obtinetur. Et quidem cunctis Christianæ religionis communionem habentibus, in his quæ irrogatione religionis, eiusdem communionis præstantur excitatiuæ lætitiæ, sed nobis eo maioris iocunditatis, & gaudii specialiter causa succrescit, quo magis, dum minori fungebamur officio, eorundem fuimus laborum participes, & desiderii non expertes. Quo singularius hæc à nobis ad Apostolatus culmen assumptis diligentiam promotionis exposcunt, quæ prius cooperationis tantummodo commune nobis & aliis ministerium exigebant. Sed & tu Princeps magnifice te lætanter in his considera producem, & lætare per alios etiam tuum imitaturos exemplum, tibi retributionis præmium aliis concurrentibus meritis adaugendum. Considera quod fortes animo, nec debiles viribus, qui prudenter sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant, diligentius operantur. Sed & ii qui in agone contendunt, quo minus restat de cursus instantia, eo currere nituntur instantius, & quo de victoria magis sperant, ad brauium plus aspirant. Ea igitur & tu fili, qui tantum in te aliis, & præcipue in dilecto filio nobili viro Andron. nato tuo sic desideratum dedisti principium, tantum sic accepto vnionis perutilis opere processisti, cũ præsto tibi fatearis potentiam virium, nec promptum diffitearis, aut differri te deceat animum, insta opportune, imo si opus fuerit, & importunus insiste: insta, vt quod in te ipso incepisti feliciter in prælatis & aliis & ore, & opere compleatur, suppleantur omnino, quæ desunt: nec vlterius prætermittantur, aut differantur omissa. Cum igitur sicut non solum fama, verum etiam missorum dudum ad te Nunciorum ipsius Ecclesiæ relatio perhibet & veritas, & tua nihilominus habet assertio, quod totaliter à te huiusmodi eiusque dependet consummata perfectio, tuæ decet esse sollicitudinis, tuæ curæ, vt idem negotium celerem desiderate, sed proculdubio

prorogate consequatur effectum. Ideoque nos, qui ad hoc summo desiderio suspiramus tibi singulariter innitentes, ad id, apud tuam excellentiam & cum ea, quin potius & per eam apud cæteros, scilicet prælatos, ac alios exacta diligentia procurandum, venerabilem F. nostrum Barthol. Epicop. Grossetarum, & dilectos filios F. nostrum Barthol. de Sena ministrum Syriæ, Philip. Perusinum & Angelum Vrbeuetanum Lectores Ord. Minor. Catholicæ fidei zelatores, scientia præditos obseruatores voluntariæ paupertatis, & veræ humanitatis amicos ad tuam præsentiam destinamus. Celsitudinem tuam rogantes in Domino nostro Iesu Christo, quatenus ipsos ob reuerentiam Apostol. sedis & nostram, ea quæ tantum decet Principem, benignitate recipiens, illa quæ ad pleniorem eiusdem negotii consummationem, soliditatem, roburque solidius, tam per te ipsum, quam per alios facienda suaserint, clementer audias: & vt efficaciter impleatur, ad augendum retributionis tuæ præmium, & ampliandum laudis titulum operosius intendas. Cæterum moram Apocrisiariorum tuorum apud sedem eandem, quam ipsius sedis vocatio, tibi vt credimus non ignota, & nostræ promotionis nouitas induxerunt, habeat tuæ mansuetudinis circumspectio excusatam. Ad petitionem autem per eos coram felicis recordationis Gregorio & Innocentio V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris propositam, & nouissime in nostra, & FF. nostrorum præsentia repetitam, credimus per speciales literas eiusdem prædecessoris Innocentii, plene, prout suasit facti qualitas, fuisse responsum: quam quia nulla postmodum nouitas immutauit, nec nos responsionem putauimus innouandam. Dat. Viterbii Nonis Octobr. Pontif. anno I.

CONFIRMANT VNIONEM IMPERATOR, ET PATRIARCHA CONSTANTINOPOL. *Extat in castro S. Angeli.*

Hactenus Nicolaus Michaeli Palæologo Imperatori, qui ad recens creatum Pontificem, Nuncium miserat, ac literas vna cum Andronico filio perscripserat, in quibus Rom. Ecclesiæ fidem ex formula missa iterum profitetur, primatum sedis Apost. super omnes Ecclesias agnoscit, obedientiam toties & præsertim in Concilio Lugdun. promissam pollicetur, iuramentumque ab Apocrisiariis in consessu Concilii nomine suo datum confirmat. Data Epistola hoc anno, mense Sept. Constantinopoli in sacro Palatio Blachernatum. Præter eas ab Imperatoribus Nicolao scriptas literas, Ioannes quoque Patriarcha Constantinop. suas adiunxit: in quibus præcipue anathemate damnat, & à communione Ecclesiæ secernit illos omnes schismaticos, qui dicebant Rom. Pont. non esse verum Christi vicarium. Dat. Constantinop. apud S. Sophiam die veneris, 16. Iulii.

V.
CAROLVS VIOLATIS INDVCIIS, IMP. ORIENTI PRENSAT.

Cum autem Carolus Rex Siciliæ, pactas cum Michaele & Andronico Imperatoribus inducias nequaquam curaret, maximisque copiis terra & mari coactis, Philippo Balduini Imperatoris filio Latinorum Imperatori in Oriente opem ferre acceleraret: ob id autem sibi ab illo Græci metuerent, etiam classem ingentem contra Carolum compararent: adeoque ferro inter se & Latinos decernere desiderarent, ex re putauit faciendum Nicolaus, si pacem inter eos componeret, vt tanto facilius desideratam Ecclesiarum vnionem conficeret.

VI.
Æmil. in Philippo. IOANNES PROCHYTA SICVLVS DYNASTA PALÆOLOG. CONTRA CAROLVM INSTIGAT ET GALLOS.

Non deerant Siculorum Proceres, qui Palæologum contra Carolum irritarent. Inter eos erat Ioannes à Prochyta vir sanguine nobilis, & qui Manfredo Rege domino eius Insulæ potiebatur. Is cupidine vindictæ, & pristinarum opum desiderio Byzantium contendit, Palæologumque Cæsarem iam Gallos hostes expertum, maiore suspicione metuque impleuit.

Non dubia sunt, inquit, *Francorum consilia de isto Imperio recipiendo. Copia semper noua ex Gallia in Italiam transcendunt: classis apparatur: pacem totam domi forisque colunt: hoc vnum bellum illis in animo est; huc omnibus viribus, omni conatu incumbunt. De re Græca actum est si domi sedensque expectas hostem, qui ferox viribus, & memor superiorum de Græcis victoriarum ferri non poterit. Occupandus est incautus Carolus: ac antequam moueat aliquid, egrediaturve, opprimendus: aut iniecta aliqua ingenti atrocique mora domi retinendus. Siculorum animis, Manfredi, Fridericique, vt à se, ac inter se natorum memoria obuersatur. Sub Regibus sanguine natalibusque Siculis ea in Insula illustris nomine dignatione, opibus, Imperio floruit. Nunc Francos imperantes non ferunt Siculi, imperare soliti. Non deerit, & quo duce, & ad quem Regem deficiant: Si vos,* inquit, *præesse nolueritis. Petri Tarraconensis Regis vxor est Constantia Manfredi filia. Noui plusquam masculos eius animos, plusquam virile robur pectore circumfert. Eam certum habeo instigare virum, incitareque vt se generum esse meminerit Manfredi Regis, quem etiam Pontifex Max. Tarenti iustum Principem esse censuerit sanxeritque quo dominatu nobilissimo pelli se nullo iure par sit. Hunc saltem dotis nomine repetendum, ac in huius hæreditatis possessionem eundum. Nimirum Tarraconensis animo consilioque circumspicit, explorat tempus opum soceri repetundarum. Si ei te, Imperator, armorum socium addis, longe abierit Carolus Gallus, à re Græca diuexanda. Aut Græcia tibi amittenda, aut Sicilia illi adimenda. Hoc tibi, hoc illi certamen propositum. Bis Franci Græco Imperio manus iniecere: semel Rege Carolo Pipini filio cũ in occidentis Regna ius ademptum vobis est, si adimi iure religioneve potuit. Iterum memoria patrum nostrorum, cum Rege Philippo Ludouici iunioris filio, nomen Augustum Balduino Annoni imposuere. Si iã tertium vos adoriantur, cum prima Francorum vis Græcum Imperium imminuerit; secunda totum occuparit: tertia quid illatura sit, ominari horreo. Sed in eos tu illud excidium verte. Hæc quidem Ioannes vlciscendi Caroli auidior, quod eius vxorem per id temporis stuprasse dicebatur.*

VII.
PALÆOL. HANC OCCASIONEM NON NEGLIGIT.

Palæologus autem vir magni & animi & consilii, non tam acri admonitore, quam fideli, callido, impigro, & qui Francos pessime odisset, ministro indiguerat, cuiusmodi omni ex parte Ioannem eum esse testimonio exulum Siculorum Appulorumque, qui quam plurimi etiam in Græciam iuerant, cognosceret: eum velut cœlo ad se missum cupide excepit: delegitque ministrum exequendi consilii, cuius author erat ille, quod bene verteret, dixit se nullum onus non subiturum, non leue existimaturum, dum Francos ex Sicilia deturbaret: simul abiecta nobili veste, sibi tantum vilem ac tritam à vestiario Minorum depoposcit. Ea simulatione sanctitatis tectus, omnia sibi terra marique peruia tutaque fecit.

VIII.
REFVTANTVR QVI NICOLAVM PONTIFICEM IOAN. PALÆOLOG. IN CAROLVM ARMASSE FERVNT, CVM PACEM SVASERIT. *ep. 28. 29. 30. 153 & 154. Viterb. 4. Non. Aug. & apud Capranic. 15. Cal. Nou. & Romæ apud S. Petrum.*

Mentiuntur, qui rem cum Nicolao Pontif. communicasse ferunt: Tantum enim abest, vt Nicolaus Papa Palæologum, vel quemcunque alium in Carolum armare voluerit, vt etiam ab armis reuocarit, & concordiam inter eum, atque Carolum & Philip. stabilire curauerit. In eam enim rem superioribus Nunciis ad Palæologum missis præcepit, vt ad Carolum ac Philippum diuerterent, & tum rationes pacis cum Palæologo ineundæ conferrent, tum ad mittendos aliquos qui pacta coram sede Apostolica sancirent, vtrosque hortarentur. Nam & ipsi Palæologo quinque mensium spatium præscripserat, intra quorum decursum Apocrisiarios ad sedem Apostolicam destinaret, qui arbitro Pontifice præsidente, conditiones concordiæ proponerent, & vel concederent, vel amplecterentur id quicquid ex iusto & æquo foret, ad arma vtrimque deponenda, & ad pacem perpetuam, bono Ecclesiæ Orthodoxæ stabiliendam. Cum autem Palæologus nuncios mittere non distulisset, Philippus autem & Carolus procrastinarent, non semel, sed multoties scriptis ad vtrumque literis, eos ad consilia pacis hortatus est: ne intempestiua belli cupiditate, se suaque præcipitarent, impedimentoque essent, vnioni Ecclesiarum ex animo omnium tantis votis expetitæ. Porro quod sciret, per nimiam conniuentiam Caroli, Regnum Siciliæ sub tyrannide ministro illius gemere, ipsum autem non vsquequaque æquum esse tum Rom. vrbi cui cum dignitate Senatoris vrbis, tum Etruriæ, cui titulo Vicarii Imperii præfuerat: insuper cum videret eum in tuendis iuribus Rom. Ecclesiæ, non eam quam ex pactis conuentis debuerat, curam curare, quinimo siue negligere, siue adeo tolerare, vt Æmiliæ, Vmbriæ, & Etruriæ ad patrimonium D. Petri Vrbes, Ciuitates & ditiones spectantes, ipso aspiciente, neque suppetias ferente ab iure & dominio Summi Pontificis eximerentur: quamquam potuit in deierantem anathema distringere, eumque iure feudi exuere, non tamen aut sententiam præcipitauit, aut quemquam in eum mouit, sed satis habuit literis datis admonere, vt subditos Ecclesiæ Romanæ in Regno Siciliæ & plurimis aliis in locis siue à ministris oppressos, siue ab ipso afflictos, & liberaret, & recrearet: vtque ad recuperandam Æmiliam, & reliqua iuris Ecclesiastici bona, ab iniquis possessoribus occupata, armis vindicanda, milites quos ex pactis conuentis Ecclesiæ Romanæ tenebat, quam primum transmitteret. Quo autem facilius Carolum ad ea quæ postulabat concedenda inclinaret, Reginæ eius coniugi, & Carolo Filio Principi Salernitano scripsit, vt illa maritum, iste Patrem amoribus & precibus permouerent, ad suppetias ferendas Ecclesiæ, & ad eliberandos oppressos, pacemque ex animo cum Palæogo ineundam. Falsi itaque omnes illi, qui Ioan-

SICVLOS A TYRANNIDE LIBERARI VOLVIT, ITEM VRBEM HETRVRIAM, ÆMILIAM, VMBRIAM, QVOD SENATOR VRBIS ET PRÆTOR ELSET HETRVRIÆ, ETC. *ep. 23 & 30. Vit. 4. Non. Aug.*

nem

nem Prochytam à Nicolao Pontifice permotum esse commenti sunt, ad Michaelem Palæologum aut Petrum Aragonium contra Carolum excitare: cum Nicolao nihil antiquius fuerit, quam Regiam dignitatem ei semel ab Eccl. in Regno Siciliæ collatam, integram conseruare.

IX.

RVDOLPH. SENATORIAM VRBIS ET VICARIAM POTESTATEM IMPERII IN HETRVRIAM SIBI DEBERI SCRIBIT, ET NI DENTVR, BELLO QVÆSITVRVM.

Sed neque Senatoriam togam detraxit, neque Prætura Etruriæ (quod falso imponunt) exuit Nicolaus, tantopere illis ipsis Carolum adamatum: sed cum senatoria dignitas nonnisi ad decennium, à Clemente IV. Pontifice Max. vicaria autem Imperii in Etruria potestas, nonnisi ad arbitrium futuri Imperatoris electi illi decreta præmissaque fuisset: & tum decennii tempus præfixum, ad XVI. Calend. Octob. anni præsentis, præterlaberetur, tum rationes rei Ecclesiasticæ & Romanæ, aliam administrationem vrbanam expostulabant: tum Rudolphus Imperator electus non tantum non pateretur, vt Carolus vel aliquis alius se inuito in Etruriæ principatu præsideret, verum etiam eo nomine bellum illi denunciasset, nisi actutum tit. Vicarii Imperialis seu generalis abstineret: & quod maius est: ipse etiam Carolus, tam senatoriam in vrbe dignitatem, quam vicariam in Etruria potestatem, siue sponte, siue ex pacto deponeret, eiusque rei testes literas, Nicolao Pontif. anno vertente 1278. die 24. Maii 6. Indict. Regnorum Hierosol. 3. Siculi XIII. Romæ apud S. Petrum dedisset, non est, cur Romanæ vrbis & stirpis osores, Nicolaum Pontif. accusent, quasi is Caroli dignitatem iuxta ac potestatem imminuerit, qua ipse Carolus se ipsum siue priuum, siue indignum fecit, siue adeo quod iuris alieni fuerat amplius retinere non potuit, nec debuit. Nam & Rudolph. non aliter expeditionem pro Terra S. promissam se acturum præ se ferebat, nisi Carolus Etruria Imperatoriæ iurisdictionis decederet, quod si vero cunctaretur, siue cõtemneret, exercitu conscripto in Italiam properabat, vt & iniquum possessorem eiiceret, & proiectæ intemperantiæ siue illum siue eius administros castigaret. Poterat Nicolaus Pont. si, quemadmodum impostores fingunt, odio Caroli flagrabat, Rudolph. sponte in arma ruentem, acrius impellere in vindictam eius quam mentiuntur iniuriæ, & in occasiones quas cõminiscuntur captandas familiæ diuitandæ, atque amplificandæ. Cæterum non is Nicolao animus fuit, vt vel malum malo rependeret, vel in ordinem eum redigere cuperet, vt potius Rudolph. imperauerit, ne in Italiam penetraret, ne ve exercitum præmitteret, antequã cum Carolo Rege Siciliæ ei bene conuenisset. Audiuit Pont. Rudolphus, atque Fr. Conradum Minoritam superioris Germaniæ ministrum, vna cum Magistro Godefredo Soliensi Præposito ad *a* sedem Apostolicam misit, qui referrẽt, quid illi cum Carolo intercederet, quantumque maiestati Imperatoriæ decederet, si Rex Siciliæ, & titulo Senatoris Romani, & potestate Vicarii Etruriæ præemineret. Cæterum necquicquam de candore Nicolai dubitauit, quin potius totum illi arbitrium pacis stabiliendæ permisit, vt is Apostolica auctoritate conditiones concordię proponeret, cognosceret, decerneret, remque bono publico definiret. Monebat itaque Carolum Nicolaus, non in ordinem, quamquam posset, redigebat, vt & ipse in locum aliquem Regni suæ Romæ vicinum, quamprimum se conferret, vt tanto facilius, quanto citius inter eum & Rudolphum occasionibus dissensionum sublatis conueniret. Sed nec primum sub Nicolai Pontificio Rudolphus Carolo infestior esse cœpit. Statim enim atque in Regem Romanorum fuisset euectus, eam de Vicaria Imperii potestate, atque senatoria dignitate controuersiam illi mouit: & tum GREGORIO Pontifici scripsit, præsensque Lausanæ iura sua commemorauit: tum ad INNOCENTIVM Quintum, Ioannem Basiliensem Episcopum, tum ad Ioannem non ita pridem mortuum, Tridentinum Episcopum misit, qui Pontifices ad sedem Apostol. permouerent, vt vtramque dignitatem Carolo abrogarent. Et quidem Gregorius Pontifex Rudolpho rescripserat, se nihil ex his quæ ad eius maiestatem pertinebant, imminuere velle, cupereque vt id quicquid controuersiarum inter vtrumque intercessisset, bono aliquo consilio componeretur: Innocentius autem Quintus Bernardum Albigensem Episcopum Nuncium ad Rudolphum destinauerat, qui eum ad rem à sede Apostolica cognoscendam pertraheret, dirarumque interminatione cohiberet, ne armato exercitu in Italiam, antequam quicquam certo in eo negotio pacis & concordiæ decerneretur, penetrare auderet. Non etiam omisit Hadrianus successor, beneuolentiam inter vtrumque conciliare, sed cum Carolum, vt se Viterbium conferret, & Rudolphum & Nuncios destinaret monuisset: Ioanni Sabino Episcopo, Iacobo Sabello, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Ioanni Caietano Sancti Nicolai in carcere Tulliano S. Rom. Ec. Archidiacono, Cardinalibus commisit, qui in iura Rudolphi & Caroli inquirerent, & ad exoptatos complexus eos reducerent. In eandem curam & Ioannes succedens, Fratrem Bartholomæum de Ameria Ordinis Minorum ad Rudolphum ire iussit: & Carolum ad sedem Apostolicam, inuitauit. Cumque Ioannes diem suum obiisset, sacrum quoq; Cardinaliũ Collegium in id vel maxime misso Fratre Martino de Tuscania Ordinis Prædicatorum incubuit, vt pax inter dissidentes Reges postliminio reuocaretur, vt Carolus eos inuidiæ plenos titulos deponeret, vtque Rudolphus arma expedita dimitteret: nec ante concordiam stabilitam Italiæ immineret, aut armatus irrumpere tentaret. Cum itaque neque Gregorius, neque tres vno anno successores Pontifices, neque sacer Purpuratorum cœtus, per Interpontificium sex mensium quicquam stabiliuissent, & Rudolphus crebris literis & Nunciis maiestatem Imperatoriam imminui quereretur, Nicolaus datis toties literis, & missis non semel legatis, nihil aliud egit, quam vt concordiam inter ambos insereret, arma ab Italia auerteret, & libertatem tum vrbi, tum Ecclesiæ, siue restitueret, siue conseruaret.

a ep. data in castris apud Diax. Nonis Septem. Ind. 6. anno 1278 Regni 5.

ep. 33. Vit. II. Cal. Septemb.

Omnium horum meminit Nicolaus ep. 7. data Rudolpho Romæ apud S. Petrum 2. Idus Decembr. anno I.

X.
CAROLVS LVBENS VTRAMQVE DIGNITATEM DEPOSVIT. LEX DE ROMANIS CONCIVIBVS SENATORES FACIENDI CONDITA AB NICOL. 3.

Inclinauit animum ad pacis consilia Carolus Rex, atque vtramque dignitatem, qua oculos Rudolphi perstringebat, volens, lubens, deposuit: Non vero eam inuito Nicolaus abrogauit, neque suos Vrsinos, quod impostores fingunt, sed Ioannem Columnam, & Pandulphum Sabellum Senatores Romanos esse iussit: *Oportere,* dicens, *Romanos Conciues suos in Ecclesiæ fidei integritatem, à qua diuellebantur, alliciendos, ab Ecclesiasticis & à Conciuibus gubernari.* Quamobrem legem siue condidit, siue iam dudum conditam innouauit, promulgauitque, qua cauetur, ne Imperatori, Regi, Principi, Duci, Marchioni, Comiti, neve fratris filio aut nepoti ipsorum, aut alicui quauis pollenti potestate, aut honore, senatoriam dignitatem, aut alium Magistratũ vrbanum petere, vel obire liceret. Qui vero ad id muneris ex Ciuibus assumeretur, annum vltra sine publicis Apostolicæ sedis literis non obtineret. Ad eum modum Nicolaus Romanam Rempublicam constituit, plurimasque saluberrimas leges sanxit.

XI.
RVDOLPHVS PER LEGATVM OMNIA IVRA PROMISSA GREGORIO X. ROMANÆ ECCLESIÆ CONFIRMAT.

Hoc anno Rudolphus Habspurgensis Romanorum electus Imperator, cum non posset tam cito quam cupiebat, in Italiam ad accipiendum diadema Imperii properare, misit Fratrem Conradum Ministrum Fratrum Minorum superioris Germaniæ, ad Nicolaum Pontificem Nuncium, data ei plenaria potestate, omnia ea in rem Ecclesiæ Romanæ confirmandi, quæ Lausanæ coram Gregorio Decimo, assistentibus felicis recordationis Innocentio Quinto, tum Petro Ostiens. Episcopo, & Adriano Quinto, tum Ottobono tit. Sancti Adriani Diacono, Cardinalibus, Romanis postea Pontificibus: nec non præsentibus Anchero tit. S. Praxedis, & Guillelmo tit. Sancti Marci, Iacobo tituli S. Mariæ in Cosmedin, Gottifredo tituli Sancti Georgii ad velum aureum, & Matthæo tituli S. Mariæ in Porticu Diaconis Cardinalibus, Rudolphus olim spoponderat, atque obtulerat: & quæ etiam primum nomine Rudolphi, Otto Præpositus Sancti Guidonis Spirensis, Regalis Aulæ Cancellarius, in Concilio Lugdunensi, Gregorio Pontifici coram Patrum consessu pollicitus fuerat. Is itaque Conradus Romam veniens, in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum, in Consistorio publico, præsentatis literis à Rudolpho Rege Romanorum, Viennæ anno Domini 1278. die XIV. Calendas Febr. datis coram Nicolao Pontifice Maximo & Ordeonio Tusculano, Bentiuenga Albano, & Latino Vrsino Ostiense, Episcopis, Anchero tituli S. Praxedis, Guillelmo titul. Sancti Marci, Gerardo titul. XII. Apostolorum, Presbyteris, Iacobo Sabello tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Gottifredo titul. S. Georgii ad velum aureum, Matthæo titul. Sanctæ Mariæ in Porticu, Iordano

Vrsino

Vrsino tit. S. Eustachii, & Iacobo columnæ tit. S. Mariæ in via lata, Diaconis S. Romanę Ecclesię Cardinalibus, omnia ea quæ ante, tam Ottoni Cancellarius, quam ipse Rudolphus Rex promiserat, obtulerat, confirmauerat, iuramentoque stabiliuerat, nomine eiusdem Rudolphi Regis innouauit, promisit, obtulit, approbauit, & sacramento roborauit, cum pacto, quia eadem supradicta Rudolphus, cum primum insignia Imperii accipiet, Bulla aurea sedi Apostolicæ data, ex formula priuilegii confirmabit. Actum fuit Romæ anno Domini 1278. quarta die mensis Maii, Indictione sexta, Pontificatus Nicolai Tertii Papæ, anno I. in Consistorio publico, præsentibus atque instrumenti tabulis subscribentibus, Bonifacio Rauennatensi, & Ioannne Barensi, Archiepiscopis, Henrico Lunensi, Orlando Narniensi, Paparono Fulginatensi, Orlando Massano, & Raymundo Massilienſi Episcopis, & Honorabilibus viris Domino Angelo de Vezosis Papæ Camerario, Domino Petro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, Magistris Bernardo de Neapoli, & Benedicto de Anagnia Papæ Notariis, Magistro Paulo de Interamna Clerico & Procuratore, in audientia Curiæ Romanæ Rudolphi Regis, ac nobilibus viris Domino Vrso, Curiæ Papæ Mareschallo, Adinolpho Comitis, Nicolao Comitis, & Petro Comitis de vrbe militibus, arque compluribus aliis, qui tabulario instrumento, quod in Archæo Romano hactenus extat autographum, subscripserunt.

XII. QVOD IVRAMENTVM PRO RVDOLPHO CANCELLARIVS AB DIVERSIS VRBIBVS EXIGIT, NOLVIT PRÆIVDICIALE ESSE ROMANÆ ECCLESIÆ RVDOLPHVS. *ep. 45. 6. 10. anno I.*

Et quidem hæc omnia ex mandato Rudolphi Regis Romanorum Romæ agebat Fr. Conradus. Cæterum sacri Imperii Cancellarius, siue inscio, siue iubente aut consciente (nam & id quoque suspicio est, eo quod Carolum Pontifex ad senatoriam vicariamq; potestatem deponendam necdum compulisset) Rudolpho Imperatore, Bononienses, Immolenses, Fauentinos, Foropopulienses, Cæsenates, Rauennates, Ariminenſ. Vrbinates, Monteferetrios, Bretinorenſ. necnon & alios aliarum Ciuitatum & locorum Romanæ Ecclesiæ populos, in verba Regis Romanorum iuramento astringebat. Quod cum Nicolaus intellexisset, statim misso Episcopo Reatino, Rudolphum Regem constantiæ admonuit, datisque ad eum ipsis Nonis Iunii apud Sanctum Petrum scriptis literis, postulauit, vt eorum, quæ Gregorio ipse præsens, & sedi Apostolicæ per tot Nuncios promiserat, meminisset, eadem obseruaret, rata haberet, iuramenta à Cancellario extorta, nullius fuisse momenti pronunciaret, Ciuitates, terras, oppida, quæ iuris Ecclesiæ Romanæ essent, dissertis verbis nominaret, atque sedi Apostolicæ restituere iuberet, & tum ipse donationes Apostolicæ sedis à Ludouico Primo, Ottone Tertio, & Henrico aliisque Imperatoribus factas, die coronationis suæ vel alio primo subsequenti, & verbo sacrosancte concepto, & diplomate aureo typario signato approbaret: tum deinde Principibus Imperii Ecclesiasticis atque sæcularibus, auctor ad consentiendum esse vellet. Non expectauit Rudolphus Rex, vt eæ literæ à Nicolao proferrentur. Sed statim atque rumore certo accepit Summum Pontificem ægre ferre, eam Cancellarii temeritatem, adeoque vindicias contra se meditari, ad sedem Apostolicam destinauit Magistrum Godofredum Præpositum, Solienſem, Aulæ Regalis Protonotarium, data ei amplissima facultate, in literis Viennæ Quarto Calendas Iunii, Indict. VI. anno 1278. scriptis, vt ea omnia quæ Cancellarius in Æmilia, Vmbria, & Etruria contra iura sedis Apostolicæ gesserat, abrogaret, reuocaret, nulliusque momenti fuisse pronunciaret. Viterbii tunc Pontifex agebat, cum Godofredus Rudolphi Nuncius aduenisset. Is itaque coram eodem ipso Nicolao, assidentibus S. R. E. Purpuratis, vna cum plurimis Episcopis, & Prælatis, in amplissimo Romanæ aulæ seu Consistorii conseſſu, nomine, & iussu Rudolphi Romanorum Regis, omnia à Cancellario Imperii gesta & extorta, reuocauit, irritauit, abrogauit, populosque illarum à Cancellario seductarum Ciuitatum, vt Summo Pontifici, sedi Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, non tantum in spiritalibus, sed etiam in temporalibus, tamquam hæredi ac Domino obedientes forent, admonuit: inque eam rem vniuersis & singulis Ciuitatibus & populis, iuramento à Cancellario extorto seductis nomine Rudolphi Regis scripsit, Viterbii anno Domini 1278. Indictione 6. secundo Calendas Iulii, Nicolai Quarti Papæ Pontificatus anno primo. Porro Rudolphus Rex ad eum modum antiquabat extorta à Cancellario Imperi, vt aperte declarauerit: ex gestis ab eodem Cancellario, nullum sibi aut successoribus suis Imperatoribus Romanis ius aut iurisdictionem accessisse, vel Ecclesiæ Romanæ quicquam deperisse, tam circa concessionem, quam circa proprietatem in supradictis Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & Terris, ac omnibus iuribus atque iurisdictionibus earundem. Autographum eius diplomatis asseruatur in Archæo Romano.

XIII. GIBELLINI RAVENNATES INFESTANT, QVIA PONTIFICII ET BONONIEN. AB ECCLESIA DEFICIVNT. *ep. 33. apud Montem Rosidum 17. Cal. Iul. & ep. 34. Viterb. 12. Cal. Iul. anno I.*

Libenter eam occasionem à Cancellario oblatam arripuerant seditiosi Gibellini. Ex his Guido Comes Montisferetri, complicibus sibi aliquot adiunctis, Rauennates infestabat: Bononiensium autem aliqui Ciuitatem à potestate Summi Pontificis subtrahebant. Ad Guidonē Monteferetriū misit Nicolaus Pontifex, F. Laurentium Tudertinum, ad Bononienses autem F. Ioannem Viterbiensem instituti Diui Dominici: qui monerent, ne res Apostolicæ sedis vsurparent, ne discordias inter ciues seminarent, neve iniurii Ecclesiæ essent. Monitores isti erant. Cum potestate autem plenaria duos viros insignes, rerum vsu prudentes, & pro necessitudine Ciuitatis & sanguinis, Ecclesiæ Romanæ fidos magis quam alios, destinauit: Bononiam quidem Latinum Vsinum Cardinalem, in Æmiliam vero Bertholdum Vrsinum nepotem, qui Ciuitates alienatas ad sedem Apostolicam reducerent, & refractarios compescerent. Ad eum modum literis conceptis, Latino negotium committebat.

XIV. ITEM PER LITERAS. *ep. 46.*

Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Latino Ostiensi & Velletrensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Summi providentia Conditoris terrarum Orbem disposuit sub distinctione locorum: illam consulte dirigi voluit, & salubri regimini gubernari, ne ipsarum flatum emergentes fluctuationes mundi colliderent, vel quietis adimerent vbertatem, sed omnibus sub iuris & honestatis regula limitatis singuli vita pacifica viuerent, factorem suum naturali affectu cognoscerent, cognitum colerent, & suo reuerenter Imperio subiacerent. Tunc enim altissimus in gloria sua maiestatis exultat, populum quem ipse redemit conspiciens, cum in eo viget pacis amœnitas, floret sinceritas, radicatur integritas, nimbi, procella tempestuose quiescunt, & vnicuique redditur quod debetur & tunc populus clarius in iubilum laudis exuberat, & tripudiat latino organo Charitatis, cum intra se vallatur identitas animorum. Digne igitur in hac terrestri patria, gerentes licet immeriti vicem CHRISTI, leuamus vigilis more Pastoris tam corporeos oculos quam mentales, visuri quid gregi commisso nobis expediat, quid Episcopis debeat impendi circa ipsum, vt æterni patris fulti præsidio, nostri partes officis salubriter & viriliter apponamus, ad ea quæ Romanæ matris Ecclesiæ incrementa respiciunt, & fidelibus necessario expedire cognoscimus, aut percipimus profutura. Et licet ad singulas regiones DEO & Apostolicæ sedi deuotas nostra consideratio diffundamus intuitum, Ciuitatem tamen Bononiensem, & alias Romandiolæ nostras & ipsius Ecclesiæ speciales, & Tusciæ quoque in Imperio constitutas Marchiæ Trivisanæ, Patriarchatus Aquileiens. & totius Prouinciæ Rauennatis, ac Ferrariensis & Castellanæ Ciuitatum & Diœces. & Venetiarum partes nobis vicinas oculo sereno conspicimus, & infra claustrum nostri pectoris prædilectione portamus, & ad illas & eorum incolas feruor nostræ dilectionis exuberat, circa suî status prosperitatem cum affectionis paternæ plenitudine cogitando. Vnde cum eadem Bononiensis Ciuitas & Romandiolæ ad nos & successores nostros Romanos Pontifices, & ad ipsum gerentes pleno iure in spiritualibus & temporalibus in solidum pertinere ac nostri & ipsius Ecclesiæ plenæ iurisdictionis ac principatus existere dignoscantur, & tam inibi quam in aliis prædictis partibus ab olim hostis humani generis pacis æmulus & zizaniæ seminator turbationes & scandala susciuit, dum harum conditio in nostra præcordia reuoluitur profundis meditationibus laboriosisque vigiliis anxiamur, quæ possimus adhibere consilia, vt iura ipsa fructificent, crescat ibidem tranquillitatis vbertas, & pacis opulentia vigeat, extinctis inde fomitibus odiorum. Et quia innumerabilium quidem negotiorum varietate distrahimur, & humana natura non patitur, vt essentia nostri corporis, totam simul in diuersis partibus exhibeat se præsentem, illos in partem Apostolicæ solicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fore perspicimus cœlesti dono prouisum, vt in arduis & altis negotiis sciant & possint prouide consulere, & vtili consilio

filio prouidere. Attendentes igitur, quod personam tuam Dominus scientiarum suarum magnitudine, religionis honestate, prouidentiæ munere, circumspectionis gratia, & industriæ claritate, multisque virtutibus insignuit, humeris tuis fortitudinis robur adiiciens, vt ad laudem sui nominis onera grandia supportares, plenissimam quoque de suis meritis fiduciam obtinentes, licet apud eandem Apostolicam sedem ex eminentia sui consilii necessarius habearis, & inuiti tanti viri præsentia careamus, te tamen propter exaltationem & conseruationem iurium, quæ in eisdem ciuitatibus Bonon. & Romandiolæ nobis & Ecclesiæ prædictæ debentur, ac optatam quietem Ciuitatum Romand. & aliarum partium predictarum, de FF. nostrorum consilio, illuc tanquam pacis Angelum duximus destinandum, Fraternitati tuæ in eisdem ciuitatibus ac Romandiolæ partibus plenæ Legationis officium committentes, vt euellas & destruas, dissipes, ac dispergas, ædifices & plantes, & facias authoritate nostra quæcunque ad honorem Dei, prosperum statum earundem partium, ac reformationem pacis huiusmodi videris pertinere. Adiicientes nihilominus, vt eadem authoritate, in eisdem Bononiens. & Romandiolæ partibus nostris, vt prædiximus, in temporalibus exerceas vices nostras, concessa tibi authoritate simili, contradictores & rebelles quoslibet, per excommunicationis, suspensionis, vel amotionis aut depositionis sententias, siue alias per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, quibuslibet indulgentiis & priuilegiis Apostolicis, per quæ nullum in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus libera facultate. Nos enim sententias & pœnas, quas propter hoc tuleris in rebelles ratas habebimus & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Viterbii VII. Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno I.

XV. *Rubeus hist. Rauen. lib. 6.* NICOLAVS 3. MITTIT NVNCIOS, QVI A DIVERSIS VRBIBVS SECESSIONEM PARANTIBVS, QVOD IVRIS PONTIFICII ESSENT, CONFESSIONEM EXIGERENT, ET MAGISTRATVM DARENT.

Quod Monitores Nuncios attinet, quos Nicolaus in Flaminiam legauit, voluit Pontifex vt à singulis eius Prouinciæ ciuitatibus, alii procuratores destinarentur, qui præstarent debitum Pontifici obsequium, sanctequeaffirmarent, Rauennam cæterasque eius prouinciæ ciuitates, atq; Bononiam ad Rom. Eccl. spectare, illius iuris esse, eiusque iurisdictioni subesse. Istud Procuratores fecerunt, ipsique Pontif. Internuntii ad singulas vrbes profecti, quæ à Procuratoribus acta fuerant, rata haberi à Republ. harum ciuitatum sacramentoque à Quartodecimo ad septuagesimum ætatis annum fidem Summo Pontifici, Romanæque Ecclesiæ obstringi curarunt. Qui hac de causa in Flaminiam postremum venerant internuncii, & rem confecerant, fuere Guillelmus Durantis, Canonicus Narbonenſis, & Pontifici à sacris faciendis Ioannes Viterbiensis, & Laurentius Tudertinus, è familia Dominicana fratres. Nam cum antea Giffredus de Anagnia Ecclesiæ S. Audemari Decanus, Pontificii item à sacris, & ipsius internuncius, idem Rauennam postulatum venisset, respondentibus Nonis Iulii Bonifacio Samaritano Prætore, & sapientum Rauennatum consilio, testantibus se, Rempublicam que Rauennatum paratos esse, ad obsequium Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ præstandum, vti Pontifex suis literis, ipseque Giffredus mandabant, ea tamen conditione, vt quæ iura ac priuilegia, quasque prærogatiuas, immunitates, dignitates ad eam diem Rauennas Ecclesia, & ciuitas iam diu habuissent, ea integra conseruarentur: dixerat Giffredus, apponere in tabulis conditiones quæ forte nequaquam Pontifici placerent, minime decere: quando ipse Nicolaus Summus Pontifex, ea mente perpetuo fuerit, vt nemini præiudicium fecerit, neque illum Rauennati Ecclesiæ, aut ciuitatis viribus obesse quicquam velle. Hæc cum essent in palatio Mercurii (ita enim in illis tabulis dicitur) Archiepiscopatus Rauennatis præsentibus præsertim Vgolino Præposito & aliis Canonicis acta, septimo post die, à Senatu Rauennate Procurator factus est Petrus, Pauli scribæ filius, qui à Nicolao Pontifice probari, confirmarique omnia priuilegia immunitatesque peteret, quibus olim Respublic. Rauennas Imperii tempore, tam diu fuisset vsa: & in iis eligendi ius habendique Prætoris, vectigalium accipiendorum ac portoriorum, eorum puniendorum, qui in Rauennati ditione maleficia perpetrassent, neque plus præstarent quam Imperii tempore præstitissent. Idem quoque de priuilegiis Archiepiscopi Ecclesiæque Rauennatis haberetur. Vt vero pacem inter Flaminios Nicolaus efficeret, quam eius arbitratu iam componere decreuerant, Bertholdum nepotem suum in Prouinciam cum Imperio, vt dictum est, misit. Is cum Ariminum mense Octobri venisset, arcem vrbis recepit, Prætoremque dedit. Mox Cæsenam profectus, idem fecit. Morbo tandem eoque diuturno oppressus, Gentilem filium Roma acciuit, qui Foroliuii, magna licet, insignique Romanorum ciuium manu stipatus, haud satis benigne exceptus, vix Prætorem Præfectumque qui præerant, à gubernaculis deiicere, & nouos dare potuit. Maiore plausu Fauentiam ingressus est sub quadrata aurea vmbella, arcisque & vrbis, eiusque vectigalium possessionem accepit. Eodem paulo post se cōtulit Latinus Cardinalis, Romanus, Pontificius Legatus, ipsaque Fauentia Respub. vt Latino & Gentili gratificaretur, creauit Prætorem suum, Stephanum Ioannis Iordani, Proconsulem Romanum. Is ad Calend. Nouembr. magistratū iniit. Foro Cornelii & Bononiæ eadem sunt acta, quamquam Bononiæ, quo Hieremiani in Ciuitate Principes, pacem facere cum Lambertatiis, & Ciuitatis Dominatum Præturamque Latino & Gentili tradere renuerent, diutius sunt commorati. Itaque Gentilis captiuos omnes, atq; obsides Lambertatianos, qui Bononiæ habebantur, sibi assignari eosque ad forum Cornelii secum adduci iussit: inde Fauentiam profectus, Hieremianos captiuos, à Lambertatiis acceptos, eodem misit: cumque ex Hieremianis plerique aufugissent: eos omnes Cæsenam adduci iussit; quo & ipse paulo post accessit, ad Bertholdum Patrem, qui ex diuturno morbo collectis viribus, satis iam firma valetudine vtebatur. Cæsenæ ad mensem Decembrem indicto conuentu, cum ad diem designatum Oratores Rauennatum cæterarumque Prouinciæ Ciuitatum conuenissent, leges promulgauit, quæ à Prouincialibus seruarentur. Ad eum modum literas signabat Bertoldus. Bertholdus de filiis Vrsi, Sanctissimi Patris Domini Nicolai Papæ III. nepos, totius Prouinciæ Romandiolæ, Ciuitatis Bononiæ, Comitatus Britonorii, & pertinentiarum eorundem Comes, & generalis Rector. Perlustrata deinde Bertholdus Prouincia, firmatisque Forliuii Fauentiæ Foro-Cornelii Magistratibus, tractataque inter Foro-Cornelianas factiones pace acceptis vtrimque obsidibus, Medulos, qui Fauentiæ morabantur, Foro-Cornelii extorres in patriam reduxit. Inde Rauennam profectus, vrbem, vectigalia, portas, arcem, Pontificio nomine accepit, mox Fauentiam reuersus, Manfredos qui exulabant, in patriam restituit, ab Acarisiis etiam hilariter acceptos. Quamobrem cum illuc Legatus quoque se contulisset, pax conuenit, pœna iis qui eam non seruarent, decem millium marcharum argenti proposita. Foro-Cornelii quoque pax inter Hieremianos Lambertatiosq; Bononiens. conciliata est, præsentibus Legato Latino Bertholdo Comite, Bonifacio Rauennate Archiepiscopo Barens. Octauiano Bononiens. Symbaldoque Foro-Cornelien. Episcopis, & Abbate Galliatæ, sacram vestem omnibus indutis. Hanc autem pacem viri ex vtraque factione quinquaginta fecere, tactisque Diuinis Euangeliorum libris, iureiurando perpetuam fore sanxere, pœna iis qui contra facerent, decem millium marcharum adiecta: inter Rauennates quoque dissordes, & reliquos Flaminiæ ciues dissentientes amnistia inducta, auctoribus Legato & Bertholdo Pacariis.

XVI. OB CÆSVM OTTOCARVM AB RVDOLPH. PRINCIPES GERMANIÆ ALIENANTVR AB EO, QVOS AD CONCORDIAM REVOCAT NICOLAVS MISSO LEGATO. *Naucl. generat. 43. volum. 3. ep. 33. 34. 37. Rom 3. Non. Iunii.*

Hæc cum in Italia agerentur, aliæ quoque curæ alibi locorum exceperunt Nicolaum. In Germania atrox bellum in Rudolphum Regem Romanorum, arq; Ottocarum Boemiæ commissum fuit, arma mouente Ottocaro tum pro Ducatu Austriæ, quem Rudolphus ex pacto receperat, tum pro contumelia insigni, quam eidem Rudolphus anno superiore iurisiurandi exactione palam intulerat. In ea pugna ad VII. Calendas Septembr. commissa, desideratus est Ottocarus, à Dapifero Bertholdo confossus. Non æquo animo eam rem tulerunt etiam Proceres Imperii, quod Rudolphus præcipiti manu prius arma expediuisset, quam consilia saniora contra suum olim Principem tentasset. Itaque inprimis factum sugillare, deinde coitiones facere, & ad extremum secessionem moliri cœperunt. Sciuit istud Nicolaus Papa, & vt Principes Germaniæ officii admoneret, cumque Rudolpho Rege conciliatos conseruaret, Philippum Firmanum Episcopum misit, omnibusque & præsertim Archiepiscopis Treuerensi, Colonienſi & Moguntino, Ioanni & Alberto Saxoniæ Ducibus Ludouico & Henrico Palatinis Rheni Bauariæ Ducibus, Ioanni & Ottoni Marchionibus Brandeburgicis scripsit,

vt erga Rudolphum mente candida & sincera charitate se conformarent, & ad ea quæ ipsius culminis incrementa respiciunt, prudenter vigilarent, & promptissime fauerent.

XVII. IDEM LEGATVS MITTITVR AD LADISLAVM VNGARIÆ REGEM FRVCTVOSE. *ep.93. Viterb. 10. Cal. Oct. a.1.*

Cum autem in Hungaria discordiis & tumultibus omnia miscerentur: vnde Catholici opprimebantur, Ecclesiæ diripiebantur, & Monasteria spoliabantur, Ladislao Rege plus Cumanis quam Hungaris addicto, eidem Philippo Firmano munus Legationis in Hungaria commisit & tum Rudolpho Romanorum eiusque vxori, tum Carolo Siciliæ Regi socero Regis Hungariæ iniunxit, vt Ladislaum ab iniuriis inferendis auerterent. Sane Philippus continuatis itineribus in Hungariam contendit, quo vbi ventum est, non tam Antistitum (nam Ladislaus omnes regia excluserat, neque quenquam illorum in vrbem vbi Legatus agebat admittere voluerat) *Bonfin.* quam Procerum rogatu quotidie sollicitatus, Regem primo mitissimis admonitionibus hortatur & orat, prophanis mentem pellicibus abstineret; sanctum coniugii thorum ne pollueret, neve violaret; nihilque ab Orthodoxa fide ageret alienum. Nam quicquid in cæteris humilioris fortunæ viris damnatur, id in Regia persona multo conspectius grauiusque notatur: atque non iniuria. Nam qui ad regendos & castigandos alienos mores nati forent, ita eos viuere oportere, vt ne minima quidem ab aliis turpitudine possint notari. Id esse potissimum veri Regis officium: tale de se cæteris qui parent exemplum edere, vt hinc omnes perdiscant optime viuere. Mollius cum primo egisset Legatus, deinde etiam seuerius increpauit, quod Christianis prophanos populos anteponeret, quod de infidelibus & alienigenis potius quam suis bene mereri studeret, quod execrabiles Cumanos magis quã Hungaros amaret, quodque hinc non parum suspicionis de seipso suscitauit. Proinde monebat, hortabatur, corripiebat, & acrius incusabat, anathematis demum pœnas interminabatur, ni correctis & castigatis moribus religiosius laudabiliusque vixisset, & mutato viuendi genere se à Catholica fide nequaquam deflexisse ostendisset. Ad hæc Rex eo pertinacius pristinis moribus instare, excolere Cumanas concubinas vehementius, & se petditæ libidinis & peruicaciæ maioris indies fore vulgo fateri. His Legatus propemodum commotus, anathematis notam Regi inusit, Hungaris demissas barbas interdixit, crines tondere iussit, pileorum Cumanorum vsum Apostolico edicto inhibuit: postremo antiquatis Cumanorum ritibus, quos Regio exemplo multi passim imbiberant, & confirmata fide Catholica, ad alias Legationis suæ Prouincias discessit. Nam & in Dalmatiam, Seruiam, Poloniam atque Boemiam, cum auctoritate Legati à Nicolao missus fuit.

XVIII. INFESTA ARMA INTER SANCTVM PHILIPPVMQVE REGES IN HISPANIIS AVERTERE NITITVR NICOLAVS. *op.93. Viter. 10 Cal. Oct. an. 1. ep. 44. Viterb. Idib. Iulii. & p 162. Romæ apud S. Petrum 3. Calen. Decembr. & ep.4. Rom. 4. Non. Decembr.*

In Galliis & Hispaniis, arma infesta, inter Alphonsum Sanctium que Castellæ, & Philippum Galliæ Reges expediebantur. Alphonsus Sanctium filium, nepotibus ex Ferdinando & Blancha susceptis, in regno præposuerat: Philippumque Gallum ad vindicandas sororis & puerorum iniurias prouocauerat. Maximo impedimento id quicquid emerserat discordiarum fuerat, rebus Syriacis, quas Nicolaus adiuuare conabatur. Et quidem Ioannes antecessor ipsius, missis ad vtrumque Regem F. Ioanne Viterbiensi Or. Præd. Generali Magistro, & F. Hieronymo Asculano Ord. Minor. Generali Ministro, nihil non egerat, vt eos conciliare posset, tamen cum fato præreptus eam curam successori Nicolao teliquisset, is quo magis cum authoritate negotium ageretur, Fratrem quidem Ioan. Viterbiensem Patriarchæ Hierosolymitani dignitate exornauit, F. Hieronymum autem inter Cardinales cooptauit; & cum his Fr. Beneuenutum Ord. Minor. atque Gerardum Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem, Tolosæ conuenire iussit, vt ea in vrbe Regibus ad diem S. Lucæ Euangelistæ præsentibus vel Procuratoribus ab vtroque missis comparentibus, controuersias cognoscerent, & quod ex æquo & bono esset decernerent. Philippus propensior fuerat quam Alfonsus, ad arma deponenda, remque vniuersam arbitrio Pontificis permittendam. Quapropter Nicolaus habuit obstinatam Alphonsi cõtumaciam arguere, exprobrare, & hortari, vt ad diem primam Martii proxime futuri, in loco à Legatis apud Vascones designato, vna cum Philippo Regе conueniret, vel Sanctio filio negotium permitteret, vel saltem Nuncios cum plenaria potestate transmitteret. Nihil tamen effecit Nicolaus tot monitis, torque mandatis; Alfonso magis ac magis obdurante, ne Regno nepotibus ex pactis debito, Sanctius, quod futurum sperabat, exueretur. Quanto autem suo damno, Sedi Apostolicæ repugnarit, & Sanctium pupillis prætulerit, suo loco palam fiet.

XIX. ALPHONSVS HONORVM INVENTOR IVRISDICTIONIS, ECCLESIÆ ETIAM VIGILATOR EST. *ep.5. Romæ Idib. Febr. ep.112. Viterb. 3. Cal. Octob. & 6. Octob. a.1.*

Inter hæc Martialia consilia, Archiepiscopo Compostellano Rex Alphonsus, iniurias multas inculit, plurimasque iurisdictionis Ecclesiasticæ possessiones eripuit. Ea de causa Nicolaus Papa F. Iacobum Ord. Præd. Priorem Spoletanum Nuncium misit, qui Alphonsum à persequendo Archiepiscopo dehortaretur, ad satisfaciendum Ecclesiæ induceret: vel si nollet, anathemate percelleret, atque Regnum interdicto supponeret; illudque inprimis ei in memoriam reuocaret, ne Dei & B. Iacobi vindicta in eum descenderet. Militibus quoque Hierosolymitanis, & S. Iacobi, non multum æquum Alfonsus se præstiterat, cum decimas ex Concilio Lugdunensi non exemplis tantum impositis, ab exemptis illis extorquerer. Eius quoque rei Nicolaus Alfonsum admonuit, neve contra priuilegia eis à Gregor. X. ac reliquis Pontificibus concessa, immunitatem eorum violaret, authoritatem Apostolicam interposuit.

XX. PHILIPPVS LVDOVICVM FILIVM VENENO SVBLATVM PVTANS, PETRVM EPISCOPVM ET REGINAM INFAMAT. *ep.165. Rom. 3 Non. Decemb.*

In Galliis veteres tricæ, à Brochio contra Mariam Reginam excogitatæ, Regem Philippum torquebant, atque Petro Baiocensi Episcopo, nonnihil periculi creauerant. Rex enim siue enecati Ludouici complicem, siue sparsæ in Reginam infamiæ, quasi ea veneno sustulisset, consocium existimans Petrum Episcopum, gradu remouere, bonisque omnibus exuere, conabatur. Is porro apud Nicolaum, se atque Reginam criminis innoxios ostendebat. Cumque Rex siue iusto, siue præcipiti dolore actus, penitius rem etiam per tormenta explorare niteretur; cæterum fatigatione sui atque aliorum nihil præterquam infamiam sibi atque stirpi Regiæ lucraretur; monuit eum, atque censuris Ecclesiasticis interpositis deterruit Philippum Nicolaus, ne vlterius inuestigaret, honorique suo ac Reginæ innocentis notam perpetuam inureret. Cum autem Philippus ea quæ Iurisdictionis Ecclesiasticæ essent sibi vsurparet, præbendamque quandam interalia Ecclesiæ Laudunensis alicui contulisset, Nicolaus eam donationem noluit confirmare, eo quod ad Sedem Apostol. pertineret.

XXI. SVPER VITA ET MIRACVLIS LVDOVICI VT INQVIRATVR VVLT NICOLAVS. *ep.78. Viter. 10. Calend. Septemb. ep.168. Ro. 3. Non. Decemb.*

Istud porro Regi postulanti Nicolaus concessit, vt publica vitæ & miraculorum D. Ludouici Patris illius, quibus per id temporis illustrabatur, fieret inquisitio: Eamque Guillelmo Decano Abrincensi, & nobili viro Rudolpho de Strathis Mareschallo Regio commisit: cum olim etiam Gregorius X. Simoni tituli S. Cæciliæ Cardinali Legato, vt priuatim fieret, iniunxisset.

In Anglia, Edouardus Rex, iure fiduciario quo Ecclesiæ Romanæ Regnum illud obstrictum est, se mira arte eliberare conatus est. Ad Pontificem enim Nicolaum misit F. Io. Berlenthonium, Ord. Præd. & Magistrum Guillelmum & Henricum Nuncios, qui à Sede Apostolica postularent, vt Regi potestas foret, nonnullas possessiones quibusdam Abbatibus conferendi, ex quorum reditibus illi, censum mille marcharum sterlingorum, nomine Regnorum Angliæ & Hiberniæ, Romanæ Ecclesiæ in annos singulos numerarent. Noluit quicquam concedere Nicolaus, illa apud Regem excusatione vsus: *quia*, inquit, *nec honori Sedis Apostolicæ congruit, nec tuis vtilitatibus expedit: & ideo nec nos ipsi proponimus circa ea quæ super eodem censu per nostros prædecessores, & tuos sunt acta solemnius, & seruata diutius, aliquid immutari.* Dat. Viterbii Cal. Augusti.

XXII. EDVARDVS ANGLVS AVRE FIDVCIARIO AD ROM. ECCL. ANGLIAM LIBERARE NITITVR. *ep.81. ep. 109. Viterb. Cal. Aug.*

Cæterum cum idem Edouardus, à Nicolao, aliquam pecuniarum summam, ex decimis pro subsidio Terræ sanctæ collectis, sibi numerari flagitasset, concessit quidem illi viginti millia marcharum, sed nonnisi ea conditione; si is ipse in auxilia Crucesignatorum transfretasset. Si autem emaneret, vt eandem pecuniam Collectoribus Apostolicis restitueret.

XXIII. PRÆCLARÆ LEGES EDVARDI STATIVS

Multas per id temporis Edouardus leges tam Ecclesiasticis quam Politicis rebus vtiles atque salutares tulit. Inter cæteras, ne Proceres aut alii suo aut famulorum aduen-

ECCLESIASTICO ET SECVLARI VTILES. *MS Bibliot. Vatic. num. 5586.*

tu, aut equos, aut canes mittendo cœnobia onerarent: ne aut ipsi Monachi egerent, aut opulentiores id quod pauperibus & egenis erogari deberet, & soleret, interciperent. Canit etiam, vt qui ex clero essent in ciuili iudicio capitalis criminis postulati, Episcopis traderentur, in eorum custodia & carcere detinendi: neque inde sine idonea purgatione dimittendi. Seuere etiam constituit aduersus mulierum virginumque raptores. Et quoniam multarum causarum cognitio clero (quasi ex eo genere essent, quarum iudicium ad Regium Fiscum pertineret) eripiebatur, ne deinceps iudices laici eis se causis immiscerent, atque ita omnis cognitio intercludebatur, huic quoque fraudi occursum est. Et quoniam bona naufragio eiecta fisco vendicabantur, cõstituit, vt si vel homo, vel quodcumq; animal, siue id esset catus aut canis, è naui euasisset, bona illa tuto ad annum vsque conseruarentur, ad repetentium vsus. Illud etiam edixit, ne tributum deinceps aliquod populo indiceretur, nisi ex communi Regni totius Consilii decreto. Istud porro præpostere innouauit, ne quis quam Rege inuito, bona aut possessiones Ecclesiis aut Monasteriis relinqueret. Maxime quod haud obscurum sit, Amelechitas feroces, Moysis oratione, magis quam vllo Israelitarum robore & viribus deuictos fuisse.

INSIGNIS IN B. V. CVLTVS EDVARDI, SABBATHIS SINGVLIS IN PANE ET AQVA IEIVNANTIS.

Magno autem & singulari quodam pietatis cultusque affectu Edouardus in B. Mariam Virginem honorandam propendebat, adeo vt singulis Sabbathis austerum & rigidum in solo pane & aqua in honorem illius ieiunandi morem obseruaret perpetuo. Quod ad Constitutionem illam iniquiorem attinet, accurate ad eum Ioannes Beccanus Cantuariensis Archiepiscopus scripsit, hortatusque est, *ne leges ederet, quæ summorum Pontificum, quæ Oecumenicorum Conciliorum, quæ S. S. Patrum decreta & sanctiones euerterent.*

INSIGNIA FACTA BECCANI FRANCISCANI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Qua in re clarissima illi proposuit Constantini Magni Augusti, Vuigredi, Canuti, & D. Eduardi Regis ac Confessoris, & aliorum Regum Angliæ exempla, quorum æmulationem illi speciosam, regnoque vniuerso salutarem fore dicebat. Coarguit quoque eundem Eduardum Regem, quod pecuniã ex Decreto Lugdunensi ad Terræ sanctæ subsidium collectam, & in sacro loco depositam intercepisset, & in vsus prophanos expositisset. Fuit hoc anno Beccanus ex instituto Diui Francisci, ad eam dignitatem à Nicolao Pontifice euectus. Qui quod inuitus eandem suscepisset, excutere cupiebat: *malle se*, dicens, *si voluntas Dei foret, à sacris esse Cardinali Benedicto, quam sub honoris tanti specie, tanquis curarum fluctibus non obiici modo, sed obrui.* Habebat etiam aliam causam, cur istam dignitatem recusaret. Hic enim sui sæculi eruditissimus, cum Romæ in sacro Palatio publice Theologiam doceret, tanta erat eius doctrinæ opinio, vt ad eum audiendum, tum alii ex omnibus gradibus plurimi ventitarent, tum vero Episcopi & Cardinales non pauci, qui etiam, quoties per mediam scholam ad suggestum adiret, omnes honoris causa consurgere, & detecto capite stare consuerant. Verum cum ita accidisset, vt hocipso anno ad Cantuariensem Archiepiscopatum promoueretur, ac nihilominus docere pergeret, nemo deinceps ex Cardinalibus se mouit, quod antea, vt aiebant, honorem illum virtuti tribuerent, cui se inferiores agnoscebant: tum vero dignitati tribuere visi essent, qua erant superiores.

HONOR MERCES VIRTVTIS. *Platus.*

XXIV. AVARITIÆ EXEMPLVM IN SACERDOTE DIVINITVS PVNITVM.

Huius Beccani tempore, mirum atq; horrendum quiddam accidit. Fuit Sacerdos quidam in Diœcesi Cantuariensi: qui cum periculose ægrotasset, Franciscanos aliquot fratres, quos de animæ suæ salute consuleret, accersiuit. Hi cum propere aduenissent, ille tempus extrahens: quoniam, inquit, de itinere fatigati estis, reficite paulum vos, ego vero paulo post vos euocabo. Dimissis interim omnibus ex cubiculo, præterquam puerulo quodam, eundem ad se accersens: aperi, ait, hanc arcam, ac defer mihi argenteum discum, quem in eadem reperies. Erat autem totus auro & argento oppletus, quem acceptum & in sinum positum, fixo continuaroque obtutu, magnaque cum voluptate intuens, acceptos nummos in os demittere cæpit. Ibi puer mortum mente existimans Sacerdotem, citato cursu è solario, alios famulos aduocaturus descendit, qui cum in continenti aduenissent; reperierunt hominem iam mortuum, cadauerque illius prorsus nudum humi proiectum, nummisque quasi vndequaque conrectum, quod spectaculum ingentem terrorem omnibus spectantibus incussit, & ad detestationem auaritiæ induxit.

XXV. SVMMARIVM GESTORVM NICOLAI IV. *I. ep. 51. Ro. Idib. Maii. an. 1 2. ep 44. Viterb. Idib. Iulii. & 56. 5. Id. Aug. 3 ep. 194. Romæ 13. Cal. Iun. 4. ep. 185. Vit. Cal. Octob.*

Sed ad Nicolaum Pontificem reuertamur, qui hoc anno 1. irritata electione Hierosolymitani Capituli, facta in Angelum Neapolitanum Archiepiscopum, F. Ioan. Viterbiensem ex Magisterio totius Ord. Præd. Patriarcham Hierosolymitanum creauit. 2. Eidem electo, & F. Hieronymo quondam ministro Generali Minoritarum, S. R. E. Cardinali, negotium concordiæ Castellæ & Galliæ Regnum iniunxit: vtque per censuras Ecclesiasticas vtraque arma deponere iuberent, potestatem fecit. 3. Fratri Saluo Romano, Ord. Præd. vt Acheruntem iret, & an canonice Archiepiscopus electus esset inquireret, præcepit. 4. Priori Ord. Præd. & Guardiano Ord. Minorum, vt Archimandritæ Messanensi diem apud Sedem Apostol. dicerent, in qua is ipse, tum negligentiæ in administratione officii, tum reliquorum criminum rationem redderet, seuerius edixit: aliaque plurima feliciter ægit, quę muneris Pont. curam exposcebant.

XXVI. ADMIRABILIS SANCTITAS B. SITÆ VIRGINIS HERVSCÆ ET OBITVS. *Cæsar Franc cotos de Sanctis Lucanæ vrbis.*

Hoc anno cœlitibus adiuncta est, B. Sita Virgo Etrusca apud Montem Sacratum Lucanæ diœcesis, patre Ioanne Lombardo & matre nomine Boniffima, an. 1218. nata. Fratrem habuit Gratianum, & Margaritam sororem Ord. Cistercienfium professam; duo magna exempla sanctitatis. Ab his non defciuit Sita, quin potius maximo interuallo & illum & illam superauit, quamuis domestico famulitio, apud Fatinellos nouissimos ciues Lucanos, à pueritia parentibus addicta. Vix enim duodecimum annum attigerat, cũ magno scelere se astrictam existimaret, si laboribus & sudoribus parentum in mediocri fortuna victum parabilem, ipsa nihil operis faceret, sed otiosa desideret, & panem illis præriperet, Orantem itaque illi Lucam duxerunt, & seruituti honestissimæ, raræ innocentiæ & pietatis filiam, addixerunt. Mirum est, quanta demissione, modestia, simplicitate, patientia, sedulitate, & reliquis virtutibus, in ea domo vniuersæ familiæ placuerit, vt alias non faciles explicatu omiserim, ardenti inprimis erga pauperes charitate flagrabat: qua tum primum ardere cæpit, cum templum ingressa, forte illa verba remuneratoris bonorum operum audiuit ex Euangelio prolata: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum paratum vobis à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare.* Ex his tantum amorem benefaciendi concepit, vt & sibi in vsum quotidianum concessa detraheret, & à Matre familias plurima emendicaret, quæ in egentes partiretur. Non vno, sed altero & tertio miraculo hanc illius benefaciendi promptitudinem illustrauit Deus. Aliquando in ardoribus æstiuis, quidam pauperum ad ostium Fatinellorum pulsauit, stipem orans. Illa cum nihil in promptu haberet, quo repente sitibundum refocillaret, ad cisternam properauit, aquam hausit, egenti propinauit, signo Crucis benedictam. Quam dum ille gustasset, vinum suauissimi saporis eam factam fuisse testatus est. Altera vice quædam mater filiis onusta eam conuenit, famelicis cibum poscens. Nihil erat ad manum, quo esurientes reficeret, præter fabas ad mensuram in arca reconditas venales. Fuit tamen Sita, arcam recludit, fabarum non parum sacculum repleuit, acinopi dedit. Cumque Fatinellus easdem postea diuenderet, iusta mensura qua mensus illas fuerat, remensus est: Deo annonam illam, propter pietatem Sitæ multiplicante: cum illa tamẽ multoties eidem mulieri tantum quantum ferre poterat, fabas conferret, sine damno herili. Tertium non minus istis Peruigilium Natiuitatis Domini præteribat, & Sita matutinis precibus vt interesset enixe flagitabat. Paterfamilias, quod gelu rigerent omnia, ne Sita quicquam incommodi pateretur, negabat: illa tamen demisse extorquebat. Cumque importuna fuisset, vestem pellibus subductam illi concessit, ne, dum sacris officiis interesset, frigeret. Ad templum cum illa accessisset, & quidam inopum nudus & algens, illam vt sui misereretur obsectasset, vestem illi concessit, tantisper vtendam, donec templo excederet. Euanuerat illo tum temporis, quando Sita reuertebatur. Domum regressa, cum Paterfamilias vestem non minimi pretii reposceret, atque illa neque haberet, neque quid responderet, omnino sciret; ecce in mo-

mento pauper affuit, veſtem retulit, Sitam innocentem demonſtrauit, & quantum pietatis apud Deum pondus eſſet, euidenter oſtendit: cum ex oculis omnium diſparuiſſet. Sed neque iſtud ſilentio prætereundum eſt. Multoties cum fruſta panis reſidua in lacinia veſtis pauperibus efferret, interrogata quid ferret, dum, flores, reſponderet, in flores venuſtiſſimi aſpectus vertebantur, ſeu quaſi verſa apparebant. Virginitatem porro incontaminatam perpetuo conſeruauit. Aliquando ad ſtuprum à quodam ex famulis pertentata, procacem, non tantum verbis, ſed & manibus repulit, vultumque ipſius vnguibus exarauit. Conſeruandæ virginitati, iciunia fere quotidiana protraxit: mollitiem lecti declinans nudæ terræ incubauit: fune arctiſſime latus cincta corpori illum inſeruit: nudipes etiam in extremis frigoribus ambulauit: orationibus dies nocteſque vacauit, ſingulis noctibus matutinis precibus in Eccleſia S. Fridiani interfuit: in contemplatione aſſidue verſabatur, & perennes riuos lachrymarum fundebat, loca ſacratiora frequentiſſime magna cum ſpiritus contritione & mentis eleuatione viſitabat, inque illis opera pietatis exercebat. Aliquando cum quædam pia loca viſitaſſet, & ex itinere feſſa, cuidam fonti iam occumbente ſole aſſediſſet, Matrona quædam honeſtiore ſpecie illi adfuit, & ecquid Lucam venire vellet, interrogauit. Cumque Sita ſe libenter illucire retuliſſet, matronamque vſque ad fortalitium Pontis tecti, & vſque ad portam ciuitatis comitata fuiſſet, eamque & Pontis tecti clauſam reperiiſſet, mirum viſu, vtraque ingredientibus ſua ſponte patuit; Cæteri um cum illa Matronam domum introducere voluiſſet, hæc ex oculis ipſius in momento euanuit: ſeque non vulgarem mulierem, ſed vel Diuam Deiparentem, vel aliquam ex Beatis illis mentibus cœleſtibus fuiſſe approbauit. Alio quoque die cum Eccleſiam S. Angeli in quodam monte inuiſiſſet, & quidam eques illi occurriſſet: quamquam is concito curſu præceſſiſſet, illam tamen priusin limine templi orantem reperiit. Quodam etiam tempore, cum ad templum S. Mariæ Magdalenæ apud Corbaias acceſſiſſet, illudque clauſum inueniſſet, & pluuia ingens ſuperueniſſet, poſt orationem, quam in limine templi clauſi orauerat, & indidem pluuio cœlo aliquantum obdormiuerat, reperta eſt ſummo mane intra templum, candelam diuinitus accenſam manu tenens. Semel etiam orationi intenta, in que Eccleſia diutius demorata, cum pinſendi panis non ſatis meminiſſet, & neceſſitas familiæ poſtularet, domum reuerſa farinam ſubactam, & in panes miraculoſe redactam adinuenit. Tanta porro humilitate & promptitudine obediendi fuit, vt nullum quamuis ſordens atque graue officium detrectaret: nulli præcipienti, aut quippiam imponenti, morem, etiam cœlo iniquiore, non gereret. Sed cum ningente vel pluente cœlo domo egrederetur, præſtandi officii cauſa, domum reuertens non madebat. Quietis, & ſolitudinis amans, iniuriarum patiens, pene vſque ad ſtuporem fuit. Si aliquem ex familia commotiorem aliquando vidiſſet, culpam in ſe retorquebat, atque veniam errati, & ſi non erraſſet, poſtulabat. Dinam Deiparentem præcipuo ſtudio & deuotione excoluit. Sacra confeſſione ſæpiſſime in hebdomadas, noxas, ſi quas veniales contraxiſſet, expiabat. Diuini panis Euchariſtici edulium frequentius excipiebat. Cumque 60. annum vitæ in ſanctarum virtutum exercitio iam expleſſet, tandem leuicula febri correpta, ſacris ex more Eccleſiæ ſacramentis magna deuotione receptis, ad XXVII. April. læto & tranquillo vultu ad cœlos emigrauit. Defunctæ cadauer fragrantiſſimum odorem exhalauit, & medicum quendam liquorem omnibus infirmitatibus ſanandis ſudauit, incorruptumque & quaſi viuentis eſſet, poſt an. 326. ſcilicet an. 1581. repertum eſt, cum etiam multis miraculis claruerit. Quindecim cæcos illuminatos, & 12. energumenos eliberatos memorabat *Hugolinus Parmenſis*, ad ſepulchrum illius, quod ſingulis annis ad 27. diem Aprilis (quo concedente Leone X. Pont. Max. eius feſtiuitas celebratur) reſeratur.

XXVII. *Cromer. lib. 9.* PRODIGIVM MORIENTIS BOLESLAI PVDICI PRÆSIGNIFICANS.

Eodem an. in Polonia circa Cracouiam prodigium apparuit. Etenim nocte media, in qua initium noui an. eſt, cælum clara & non iniucunda luce ad breue tempus reſplenduit, Principis Boleslai Pudici mortem, quod te poſtea comprobatum eſt portendens. Memoratur autem & ſpectrum quoddam tunc in eodem Cracouienſi tractatu apparuiſſe, Lacum enim quendam peramplum infeſtatione dæmonum, piſcationibus & vſibus hominum exemptum fuiſſe. Ad eum hyberna glacie concretum vicinos cum ſacerdotibus, vexilla, cruces, & reliquias ſacras, quibus vis dæmonum propulſaretur, ferentibus, piſcandi gratia conueniſſe. Immiſſo autem reti, primo quidem tractu contendentibus piſcatoribus tres piſciculos, altero nihil niſi rete conuolutum, tertio denique monſtrum horrendum caprino capite, & in ſpeciem ignis ardentibus oculis extractum eſt. Territis autẽ ac diffugientibus cunctis, ſpectrum illud ſub glaciem ſeſe demerſiſſe, ac toto lacu diſcurſans terribilem ſtrepitum ac ſonitum edidiſſe, afflatoſque ab eo nonnullos homines fœda vlcera retuliſſe.

LESLAI PVDICI PRÆSIGNIFICANS.

Ad XV. Calen. Iulii, huius an. in ponte ſuper Moſam in Traiecto ſuperiori, ducenti homines, chorea ludentes, cum eo tempore, quando ſacerdos ad infirmum ſacram Euchariſtiam ferret, nollent ceſſare, aut reuerentiam ſacris myſteriis exhibere, mox tranſito ponte à presbytero, eoque ſtatim fracto, omnes in fluuio præter vnum demerſi fuere. *Nauclerus Gener.* 43.

XXVIII.

Hoc ipſo an. Nicolaus Papa, vt eius ſacratæ Euchariſtiæ, & reliquorũ fidei myſteriorum ſcientiam perfidis Hebræis aperiret, eam pro catechizandis illis conſtitutionẽ quæ ſequitur, Sanxit, longe digniſſimã, quæ inſereretur. Ita habet.

XXIX. CONSTITVTIO NICOLAI III. PRO CATECHIZANDIS IVDÆIS CIRCA MYSTERIA FIDEI ET EVCHARISTIÆ

Nicolaus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Priori Prouinciali Fratrũ Præd. Ord. in Lombardia. Salutẽ & Apoſtolicã benedictionẽ. *Vineã Soreth velut electã plantauit dextera Dei Patris, & omne ſemen rerum ſeminauit in ipſa, Angelica cuſtodiæ ſepuit illam, lapides nocuos abiecit ex ea. Hanc de AEgypto in luto & latere ſub iugo Pharaonis oppreſſam, inſignis & prodigiis transferens, Dux itineris eius exiſtens, in terram promiſionis adduxit, Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt, viri Iuda delectabile germen eius. Hanc ſi mire translatam, quaſi adhuc rudem campum vomere legali proſcindens, prophetali doctrina ſulcauit, & vt ipſam ad maturam frugem, id eſt, ad regnationis gratiam præpararet. Sed, proh dolor, peccatorum ſpinis obſita, nullum imbrem gratiæ ſpiritualis excipiens, quæ ſperabatur, vt vuas educeret, labruſcas eduxit: vnde ſperabatur iudicium, proceſſit iniquitas: vnde iuſtitia, inde clamor. Hæc eſt vinea, in qua ſici arbor, ſcilicet Synagoga Iudæorum plantata, Euangelica veritate deſcribitur: cuius plantator Chriſtus, cœtus Apoſtolicus cultor exiſtit. Hæc triplici tempore, quaſi tribus annis, vt fructum produceret expectata in fructuoſa reperta, cultori ſuccidenda prædicitur. Nam nec tempore circumciſionis ad perfectum deducta eſt: quia circumciſionem animæ nõ quærebat: nec ſanctificata per legem, quia per eam tantũ carnalia ſequebatur, nec tandem iuſtificata per Euangelii gratiã quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem gratiæ iuſtum, iniuſte peremit, & quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis & curæ refutauit antidotum: adeo vt nec verbis, nec ſignis, nec ſacramentis, quin imo nec ipſa Chriſti & Dei corporali præſentia, molliretur, multifarie enim multiſque modis olim Deus loquẽs antiquis ipſius Synagogæ Patribus in Prophetis, nouiſſime in fine temporũ locutus eſt ipſi & nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum: per quem fecit & ſæcula, ſed omnem eſcam abominatæ eſt ſcientia eius, & idcirco iuſte iuſto Dei iudicio reprobatam, exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Ablata eſt ſepes eius, proſtrata maceries, & in direptionem poſita vt deſerta, nec inuentus eſt in terris amplius locus eius. Verum quia miſerationes Dei, ſuper omnia opera ſua prædicantur, qui omnes ſaluos fieri, & neminem vult perire, qui ſeipſum pro nobis & ipſis hoſtiam ſalutis exhibuit Deo Patri, qui exaltatus à terra, expanſis in Cruce manibus ad ſe cuncta trahere Euangelica voce prædixit: Nos, licet immeriti, vicem eius tenentes in terris, qui etiam Iudaicam perfidiam à ſua miſericordia non repellet: libenter pro illius populi obcæcatione labores appetimus, vt affectum noſtrum diuina proſequente clementia, cognita veritatis luce, quæ Chriſtus eſt, à ſuis tenebris eruantur. Porro quia Iudæorum ipſorum, quaſi per vniuerſum mundum, diuino iudicio, præuiſa diſperſio ipſos ad recipiendum ſacramenta fidei, ac doctrinam: commode in vnum conuenire non patitur, neceſſitate nos voluntarios vrgente, compellimur per diuerſas mundi partes diuerſos ſeminatores eligere, per quos ſemen verbi Dei, prout poſſibile eſt, ſpargamus in ſingulos quorum ſalutem vniuerſaliter & ſingulariter affectamus, Ad te igitur inter alios, ſub ſpe diuinæ gratiæ, mentis noſtræ oculos conuertentes, cum tui Ord. charitate reluceas, & credaris vbilibet per opera vtilia, & exempla laudabilia fructuoſus: & ex data tibi diuinitus gratia, ſcire te confidamus, & poſſe fructus vberes in domo*

Domini germinare. diſcretioni tuæ per Apoſtol. ſcripta mandamus, quatenus conſidens in illo, cui proprium eſt ſpirituales gratias elargiri, oculos vmbrarum tenebris abcæcatos, in commiſſa tibi prouincia, per te ac alios fratres tui Ord. quos ad hoc honeſtate morum, experta ſcientia, probitatis virtutibus, circumſpectione prouida, & experientia comprobata idoneos eſſe cognoueris: & quorum induſtria atque doctrina diuinis donis à Domino fecundata intrepide pro Cathol. fide reluceat, & in ſui claritate non tituber, ſed tenebroſas mentes radiorum repercuſſione clarificet, & obſtinatas ceruices reprimat peruerſorum: Iudæos eoſdem in terris & locis, in quibus habitant, & generaliter & ſingulariter conuocando ſemel & pluries, ac toties repetitis inſtantiis, quoties proficere poſſe putaueris, prout melius fieri poterit, prædicationibus, ſalutaribus monitis, & diſcretis indictionibus, Euangelicis doctrinis informare ipſos ſtudeas, iuxta datam tibi à Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis: vt renati fonte Baptiſmatis, reluceant in lumine vultus Chriſti, & eximie chorus Angelicus delectetur. Tu quoque ac alii, quos ad proſecutionem tanti negotii duxeris eligendos, perennis boni præmium, noſtramque benedictionem & gratiam, vobis de bono in melius vindicetis, vt affectum, quem ad ſalutem ſtatus ipſorum gerit mater Eccleſia percipiant per effectum: tu illos ex eis, quos ad ſuſceptionem ſacri Baptiſmatis gratia diuina perduxerit, Prælatis ac Dominis locorum, in quibus tales habitare contigerit, exparee noſtra affectuoſiſſime recommendes, vt Deo gratias in recuperata oue deperdita, & filio prodigo redeunti, vitulum exultationis & gaudii exhibentes, eos charitatiue foueant, fauoribus muniant, benigne pertractent, nec ipſos in perſonis, aut rebus per Iudæos vel alios indebite moleſtari permittant: quin potius in omnibus fauorabiliter ipſis aſſiſtant auxiliis opportunis. Sed ſi forte (quod abſit) aliqui ex ipſis in eorum obſtinata perfidia perdurantes, & velut aſpis ſurda, ſuas aures incredulas obturantes, ne tui & illorum, quos ad hæc ſalutis opera deputabis, vocem audiant: vt de tenebris ad lucem exeant, incantantium ſapienter tuas, & per te ad hæc deputandorum fratrum ſalutares conuocationes aſpernanter effugerent, de iſtis (ſi tales inueneris) qui ſint, in quibus locis, & ſub quorum Dominio commorentur, nobis reſcribere non omittas: vt circa pertinaces huiuſmodi, de ſalutari eorum remedio, ſicut expedire videbimus, cogitemus. Vt autem de præmiſſis auidis noſtris conceptibus, iuxta noſtra deſideria ſatisfiat, frequenter nobis intimare ſtudeas, qualiter commiſſum tibi negotium proſperetur, & qualem fructum ſeminata ſemina repromtitant. Dat. Viterb. 2. Non. Aug. Pont. noſtri anno 1.

XXX. VISIONES QVÆDAM CÆDIS OTTOCARI PRÆNVNCIÆ.

Hocanno Ottocarus Boemiæ Rex, cũ Rudolpho Rom. Rege congreſſus in prælio occubuit vt ante dictum eſt. Paulo antequam occidiſſet, diuerſæ viſiones & ſomnia, eius caſum præceſſerunt. Ipſe namque Ottocarus vidit in viſu noctis, quod plurima in capite cornua geſtaret, quæ omnia præter vnum radicitus ſibi ſunt euulſa. Quidam etiam Clericus in Alemania vidit in ſomno, quod fluuius magnus, & turbidus glacie permixtus, ab Occidente contra Boemiam raptim traheretur, vocem inſuper hæc verba lamentabiliter clamitantem, audiuit: Dies tribulationis, dies miſeriæ. Quidam etiam miles Teuthonicus nomine Reinbotho, vidit per ſomnium quindecim lunas in cœlo pugnare, quarum duæ cæteris erant maiores: & vna ex his duabus habebat foramina multa, in quam cæteræ lunæ impegerunt, & penitus conſumpſerunt: Cumque prædictus miles hoc miraretur, vidit Regem Boemiæ prope ſtantem, & multum vomitum emittentem. Non multo poſt Ottocarus à ſuis militibus proditus, & ad mortem vulneratus occubuit. *Giſfrid. Epit. lib. 2.*

XXXI. VARIOS EPISCOPOS INSTITVIT NICOLAVS.

Eod. an. Nicolaus Pont. F. Iacobum Ord. Præd. Priorem Spoletanum ad Caſtellæ Regem Nuncium deſtinauerat, qui illum ab oppreſſione Archiepiſcopi Compoſtellani auerteret. Functus eſt ille officio ſuo nimis exacte. Quamobrem cum libera Oratione Regem offendiſſet, & ea propter Rex Nicolao cõqueſtus fuiſſet, habuit eundẽ Pont. nimiæ auſteritatis arguere, dat. literis apud S. Petrum Idib. Februar. Cum autem per id temporis Archiepiſcopus Compoſtellanus diem ſuum obiiſſet, & collegium duos in diſcordia elegiſſet, Nicolaus reiectis ambobus Nunionem Saluefium ei Eccleſ. præfecit, ipſis Nonis April. Quemadmodum etiam Cathedra Veſprimen. vacante, electionem Nicolai Præpoſiti in Epiſcopum irritauit, & prouiſionem Sedi Apoſtolicæ reſeruauit. Calend. Iunii.

XXXII. F. MARTIN. PO-

Quod etiam in Archiepiſcopio Gneſnenſi in Polonia effecit, dum poſt diuturnas inter electos diſcordias, duobus reiectis, F. Martinum Polon. Ord. Præd. pœnitentiarium & Capellanum ſuum Archiepiſc. Gneſnenſ. creauit. Viterbii X. Cal. Iunii. Hic eſt Martinus de quo tot fabulæ circumferuntur, quaſi is auctor eſſet ſtrophæ de Ioan. fœmina Pont. cum iſtud in MS. eius autographo codice nuſquam inueniatur, ſed ab aliquo maleferiato exſcriptore in exſcriptis codicibus fuerit appoſitum. Aliqui Coſentinum, alii Beneuentanum fuiſſe comminiſcuntur: cum tamen & in diplomate Pontificio, & in annalibus Prouinciæ Poloniæ, Polonus Ord. D. Dominici, profeſſus, hiſtoriarum ſcriptor, & iuriſprudentiæ illuſtrator nominetur. Obiit Bononiæ dum ad Eccleſ. concederet commiſſam, in Templo D. Dominici, ante aram maiorem, ſecus ſacellum D. Thomæ ſepultus. Lapidi ſepulchrali in maiori ſeſqui palmari, meo tempore legebatur inſcriptum. Hic iacet Frat. Martinus Polonus Ord. Præd. Archiepiſcopus Gneſnenſis.

LON. ARCHIEPISC. GNESNEN. AVCTOR FABVLÆ DE IOANNE PAPA FÆMINA, SED MALE.

Hoc ipſo an. Nicolaus Pont. 1. Fr. Guillelmũ Ord. Præd. pœnitentiarium ſuum, Archiepiſc. Corinthium creauit, V. Id. April. eidemque pallium per manus Iacobi Cardinal. tit. S. Mariæ in Coſmedin conceſſit. 2. Iacobo Vpſalenſi electo & confirmato per Roſchilden. & Lincopen. Epiſc. pallium tranſmiſit Nonis April. 3. Regis Angliæ nuncios, Fr. Ioan. Derlenthoniũ Ord. Præd. ac magiſtros Henric. & Guill. audiuit, poſtulatiſq; Regiis fecit ſatis, Cal. Aug. 4. Cupiens terram ſanctam è manibus Saracenorum liberare, collectores decimarum in concil. Lugdun. indictarum: in varias mundi partes miſit. V. Id. April. 5. In diſcordia inter Veſprimienſ. Epiſc. & Præpoſitum Tranſiluanenſ. vertente, cum in ea Strigonien. Archiepiſc. nihil effeciſſet, poſt multas cõtrouerſias ſub Pontificibus Greg. & Innoc. factas, Præpoſitum ad dicendam cauſam in vrbem euocauit. IV. Cal. Febr. 6. Matthæum Vrſinũ, Senatorem vrbis, ne Vicatio, Camerario, Mareſchallo, Iudicibus, Notariis, & aliis officialibus Regis Siciliæ, olim Senatoris, quicquam moleſtiæ adferat aut populo contra eos quiritanti quicquam deferat, præcepit. Viterb. VI. Cal. Oct. 7. Vt Veronenſes qui Conradum receperant, & auxilia ei miniſtrauerant, & ideo à Clemente IV. anathemate percuſſi, & ſacris priuati fuerant, iis cenſuris exſoluerentur, ſupplicibus indulſit, auctoritatemque Abbati S. Andreæ Mantua. & F. Philippo Ord. Præd. Inquiſitori in Marchia Tetuſina, nec nõ cuſtodi F. Minor. Veronen. dedit XV. Cal. Sept. 8. Ne Corrado Venoſtæ, Cumanæ diœceſis, inſigni hæretico eiuſque nepotibus impune eſſet, quod Fr. Paganum Ord. Præd. Inquiſitorem, dum Conradum captum duceret, in itinere & duos eius Notarios occidiſſent, Conradumque è manibus Satellitum eripuiſſent, eum ac nepotes anathemate percuſſit, & tum Rudolphum Imp. tum quoſdam Proceres Tridentinæ diœceſis, in eos animauit, Cal. Iun. 9. Greg. Baſilicæ 12. Apoſt. Cardinalem Genuam Legatum deſtinauit, qui pacẽ inter Senatum populumque Genuenſem & Fliſcos Comites Lauaniæ ſub Innoc. V. ſancitam conſeruaret, & ad ſatisfaciendum Fliſcis poteſtatem, Conſules & Communitatem compelleret, ire iuſſit: ſique mandatis illius Cardinal. non obtemperaſſent, Epiſcopo Foroliuienſi apud eos Sedis Apoſtol. Nuncio, vt eos ſacris arceret, & gladio Eccleſiaſtico percelleret, iniunxit, Viterb. Idib. Aug. 10. Epiſcopo Senenſi, vtram Senenſes, quam Piſtorienſes inter ſe vtrobiq; diſcordes, infra XX. dies id quicquid controuerſiarum inter eos interceſſerat, Sedi Apoſt. repræſentarent, edixit, eoſque ad concordiam ciuilem inuitauit. Vit. 2. Cal. Sept. 11. In quoſdam hæreticos, pænam publicationis bonorum, olim, dum congregationi SS. Inquiſitionis præſideret, latam confirmauit: hincque linguas maledicorum in ſe exacuit, quaſi cupiditate rei alienæ flagraret, & bonis per iniuriam ereptis ſuos amplificare contenderet, 10. Cal. Maii.

XXXIII. SVMMARIVM QVODDAM GESTORVM NICOLAI HVIVS ANNI.

IESV CHRISTI
Annus 1279.

NICOLAI RVDOLPHI MICHAELIS PALÆOLOG. PAP. III. 2. REG. ROM. 6. Imperat. Orient. 20.

I. RVDOLPHVS I. ETIAM IN CONVENTV

AD XVII. Cal. Martias, Indict. VII. anno præſenti 1279. Rudolphus Rex Roman. Viennæ Auſtriæ Principum Germaniæ conuentum celebrauit. Et horum omni-

ERECTORVM VIENNÆ OMNIA PRIVILEGIA SEDIS APOST. DATA AVREA BVLLA CONFIRMAT. *Ext. in Castr. S. Ang.*

um publico consensu, omnia priuilegia Rom. Eccles. atque Summo eius Antistiti Nicolao III. quemadmodū olim & per Internuncios, & præsens Gregorio, & reliquis Pontificibus succedentibus fuerat pollicitus, datis in eam literis, aurea bulla signatis, cōfirmauit, satis superque disertis verbis confitebatur, quia ad magnificentiam munerum & gratiarum quodam modo ineffabilem largitatem, quæ Imperatores Rom. & prædecessores sui Reges Romanor. de Romanæ Matris Eccl. vberibus susceperunt spectare videbatur, vt & ipsi velut deuoti filii faciem gratitudinis erga matrem Eccles. conuerterint: maxime quod eadem Ecclesia ipsos in dulcedine benedictionis præuenerit, Imperiumque de Græcis in Germanos transferens, eisdem quod illi fuerant dederit: vt isti quoque nonnulla eidem Eccl. grati animi causa concesserint, donauerint, confirmauerint: scilicet totam terram quę est à Radicofano vsq; Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitissæ Mathildis, Comitatū Bretenorii, Exarchatum Rauennæ, Pentapolim, & Massam Trebariam cum adiacentibus terris, possessionibus ac locis, descriptis in priuilegiis Imperatorum à temporibus Ludouici, vsque ad præsens. Quamobrem & ad se quoque pertinere testabatur, eadem omnia Sedi Apostol. non tantum confirmare, verum quantum opus fuisset, de nouo cōcedere, & vt eius regales actus in omni claritate procederent, & omnis obscuritas, quam frequenter generalitas consueuit inducere, imperiali expressione tolleretur, & iura Sedis Apost. per imperatoriam declarationem, quam perpetuam fore, decernebat Rudolphus, solidarētur recognoscebat, fatebatur, & oraculo præsentis edicti ad æternam memoriam declarabat, præter omnia supra numerata, ciuitatem Rauennaten. Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum Populi, Forum Liuium Fauentiam Immolā Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Montemfreti, & territorium Balnense, Prouincias, Ciuitates & loca cum omnibus finibus territoriis, atque insulis, in terra marique ad prædictas ciuitates, territoria, & loca supradicta, quoquomodo pertinentibus ad B. Petrum Principem Apostol. & ad eundem Nicolaum III. Pontif. Max. Successoresque ipsius, atque ad ipsam Roman. Eccles. pleno iure ac integre, non solum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus spectare, ac ipsorum pleni iuris, ditionis ac principatus existere. Insuper ad omnem dubitationis scrupulum in posterum abolendum, vt & ipsius imperialis deuotio erga matrem Eccles. Rom. innotesceret, prædicta omnia & singula, tam propriis seu specialibus Prouinciarum, terrarum, ciuitatum, & locorum expressa vocabulis, quam etiam non expressa, prout melius valere, & efficacius intelligi potuisset, B. Petro & ipsi Summo Pont. Nicolao III. ac Successoribus illius, nec non Rom. Eccl. libere & plenarie quantum opus erat de nouo concessit, contulit & donauit: vt sublata omni dissensionis & contentionis materia, firma pax, & plena concordia, inter Eccl. & Imperium iugiter perseueraret. Actum & datum Viennæ XVII. Cal. Martii ann. 1279. Indict. 7. Regni VI. præsentibus consentientibus & diplomati subscribentibus Friderico Archiepiscop. Saltzburg. Ioan. Chimen. & Bernard. Segouen. Episcopis, Rudolpho regiæ Curiæ Cancellario, Magistro Gothifredo Præposito Soliensi Regio Protonotario, Abbate Monten. Archidiac. Tridentino, Alberto & Hermanno fratribus Comitibus & Chiburgen. Comitibus filii Landgrauii Holsatiæ, Friderico Burgrauio Nurenbergen. Marchione Othergen, & compluribus aliis. Eadem omnia & præsertim in specie ac nominatim totam terram à Radicophano vsque Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitissæ Mathildis, ciuitatem Rauennæ, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum Populi, Forum Liuii, Fauentiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam atque Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Montemferetri, Territorium Balnense, Comitatum Bretenorii, Exarchatum Rauennæ, Pentapolim, & Massam Trebariam, Regnum Siciliæ, Corsicam atque Sardiniam cum omnibus pertinentibus, ad eandem Sed. Apostol. pleno iure spectare decreuerunt, atque suis literis testati sunt, Principes Imperii, Henr. Treuer. Suffridus Colon. Wernerus Mogunt. Archiepisc. Ludouicus Comes Palatinus Rheni, vtriusq; Bauariæ Dux, Ioan. Dux Saxoniæ, Albertus Dux Saxoniæ, Ioan. Marchio Brandeburgen. & duo Ottones Marchiones Brandeburg. Diplomata singulorum cereis sigillis, eodem anno signata, extant in Archæo molis Hadriani.

II. DIPLOMA INSVPER PRINCIPVM IMPERII SVPER IISDEM.

Porro Principum Imperii diploma hoc est, quod ad suffundendam Centuriatorum impudentiam inserere adlibuit, his ipsorum ipsissimis verbis. Ita habet.

Nos principes Imperii vniuersis præsentem paginam inspecturis. *Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesia quadam quasi Germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod est super omnę nomen, temporaliter tantum præsidentium super terram, plantans in ea Principes tanquam arbores praelectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipsius Eccles. auctoritate suffulsi, velut germen electum per ipsorum electionem, illum qui fræna Romani teneret Imperii, germinarent. Hic est illud luminare minus in firmamento militantis Eccles. per luminare maius Christi Vicarium illustratum. Hic est qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, & conuertit, vt eius præsidio Pastorum Pastor adiutus, oues sibi creditas spirituali gladio protegēdo communiat, temporali refrænet, & corrigat, ad vindictam malefactorum, laudem vero credentium & bonorum. Vt igitur his materia dissensionis & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Eccl. & Imperium auferantur, & ii duo gladii in domo Dom. constituti, debito fœdere copulati, se ipsos exerceant, in vtilem reformationem regiminis vniuersi, & nos in actu voluntatis & operis inueniamur filii deuotionis & pacis, qui tam Eccles. quam Imperium confouere tenemur: quicquid per Domin. nostrum Rudolphum Dei gratia Romanor. Regem semper Augustum sanctiss. Patri & Dom. nostro, D. Nicolao Pap. III eiusque successoribus & ipsi Rom. Eccl. recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, de nouo donatum, declaratū, siue concessum, iuratū & actum, seu factum est per priuilegia vel quæcumque alia scripta quorumcumque tenorum super recognitionibus & ratificationibus, approbationibus, innouationibus, confirmationibus, donationibus, concessionibus & factis seu gestis, tam aliorum Imp. & Regum Roman. Prædecessorum Regis eiusdem quam ipsius Regis & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia, & reuerentia per Romanos Imper. & Reges, Rom. Pontificibus & ipsi Eccles. impendendis, ac possessionibus honoribus & iuris eiusdem Eccles. & nominatim super tota terra quæ est à Radicofano vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, Terra Comitissæ Matildis, ciuitate Rauennæ & Æmilia, Boio, Cæsena, Foropopuli, Forliuio, Fauentia, Immola, Bononia, Feraria, Comaclo, Adrianis atque Gabello, Aremino, Vrbino, Monteferetri, Territorio Balnen. Comitatu Brettenorii, Exarchatu Rauennæ, Pentapoli, Massa Trabariæ, cum adiacentibus terris, & omnibus aliis ad prædictam Eccl. pertinentibus, cum omnibus finibus, Territoriis, atque insulis, in terra marique ad prouincias, ciuitates, Territoria, & loca prædicta quoquo modo spectantibus nec non super ciuitate Rom. & regno Siciliæ, cum omnibus ad ipsam spectantibus, tam citra Pharum, quam vltra, Corsica quoque atque Sardinia, & cæteris terris ac iuribus ad ipsam Eccl. pertinentibus; Nos nostri nomine Principatus in omnibus ac per omnia approbamus, & ratificamus, ac iisdem omnibus & singulis, & quibuscunque aliis super eisdem per eund. Regē quoquomodo factis, & in posterum faciendis, voluntatē nostram, assensum atq; consensum vnanimiter & concorditer exhibemus. Et permittimus, quod contra præmissa, vel aliquid præmissorum, nullo vnquā tempore veniemus. Sed ea omnia & singula pro posse nostro procurabimus inuiolabiliter obseruari. Et vt hæc nostra voluntas approbatio, ratificatio, assensus, atq; promissio à nobis eisdem Romanis Pontificibus & Ecclesiæ in perpetuum obseruentur, hoc præsens scriptū inde fieri fecimus, nostrorumque Sigillorum munimine roborauimus.* Actum & Datum an. Dom. *Millesimo, Ducentesimo Septuagesimo nono.* Indict. VII. regnante prædicto Domino nostro D. Rudolpho Romanorum Rege glorioso, Regni eius an. *6.*

III. CAROLVM ET RVDOLPHVM REGES IN IOANNEM NICOLAVS III. PACARE NITITVR.

Per id temporis nondum erant pacata omnia, Rudolphum inter & Carolum Siciliæ Regem, Margarita D. Ludouici, Relicta, ius in Prouinciæ Comitatum atque Folcaquerii Prouinciā prætendebat: seq; beneficiario tit. isthæc possidere, asserens, Rudolphum rerum ad Imperium spectantium vindicem implorabat, adeoque contra Carolum possessorem incitabat. Negotiū proinde Carolo Rudolph. facessebat, & armis contra susceptis, possessione exuere cogitabat. Intercessit Nicolaus Pont. ne ferro inter se decernerent, sed arbitrio Sedis Apost. totum negotiū permitterent, huicq; rei nuncios ad subsellia Rom. destinarent. Quāobrem tam Rudolpho quam Carolo ad pacis consilia inclinante, & auxilia à Nicolao implorāte, is Reginæ Margaritæ

scripsit,

ep 15. Romæ Nonis Maii.

scripsit, authorque fuit, dissidii dirimendi atque concordiæ ineundæ: misso ad eandem Simone Cardin. tit. S. Ceciliæ, tunc Legato in Galliis. Ad Rudolphum quoque misit Episcopum Tripolitanum, qui capitula & articulos conuētionis illi proponeret, atque exponeret, vt tandem pax atq; concordia inter Reges stabiliretur: inter quas præcipua fuerat conditio, vt Rudolph. Clemētiam filiam Carolo Principi Salernitano. Caroli regis Siciliæ primogenito in matrimonium collocaret, dotisq; nomine Comitatum Prouinciæ & Falcaquerii illi concederet, seque molestia inutili eliberaret, ac insuper eadem ratione finem controuersiis, inter Margaritam & Carolum imponeret. Cumque Carolus Rex Petrum Episcopum Caputaquensem Lucam de S. Aniano, & Richardum Ayrolam, milites consiliariosq; suos primum ad Nicol. Pontif. deinde ad Rudolphum ire Nuncios in eo negotio iussisset, Nicolaus illos remittens ad Rudolph. maiorem in modum commendauit.

ep. 32. 33. 34. Rom. 3. Non. Iun.

IV. ITEM CAROLVM ET HVGONEM CYPRI REGEM.

Inter eundemque Carolum regem Siciliæ, & Hugonem Lusignanum regem Cypri, necdum satis conuenerat. Regnum Hierosolym. vterque sui iuris faciebat, & arma alter in alterum comparabat. Nolebat Nicol. Papa, vt per mutua bella Saracenorum in Christianos potentiam adaugerent. Quamobrem authoritate Apost. vtrique regi, vt nuncios ad Sed. Apost. dirigerent, qui de re tota atq; iuribus disceptarent, iniunxit, negotiumq; Iacobo tit. S. Mar. in Cosmedin, & Matth. tit. S. Mariæ in Porticu, S.R.E. Cardinalibus commisit: qui cognoscerent, atque pacem inter reges conciliarēnt. Dedit ea de re vtrique literas V. Cal. April.

V. *ep. 26. Romæ Id. Iunii.* ITEM PHILIP. ET ALPHONSVM REGES.

In Galliis & Hispaniis occasione bellorum inter Philippum & Alfonsum reges gliscentium, cum nihil certi per Legatos Apost. Sedis constitui posset, vtroque rege pertinaciter in sententia perseuerāte, Nicolaus Patriarcham & Cardinales missos illuc, ad se reuocauit, vt ex his causas discordiarum magis ex vero ad amussim cognosceret, exque illorum cōsilio quid facto opus esset, ad eas controuersias dirimendas, decerneret. Interim tamē regibus censuras Ecclesiasticas comminatus est, nisi arma deponerent, sique alter alterius fines inuadere, irrumpere, vel occupare prætentaret. Cum autem per id temporis, à militari insolentia Ecclesiæ vtriusque regni grauissima damna paterentur, libertasque rerum & personarum Ecclesiasticarum, sub laica potentia suspiraret, misit Nicolaus Papa Petrum Aretinum Episcopum, qui in violatores immunitatis Ecclesiasticæ inquireret, atq; ad vindicationem illius imminutæ, reges, & quoscunque Principes, etiam per censuras grauiores, compelleret.

ep. 6. Rom. 10. Cal. Apr.

IV. *MS. Vatic. num. 3535.* ITEM LADISLAVM HVNGAR. PER LEGATVM ECCLESIÆ CONCILIAT.

Ex Hungarię Regno, Philippus Firmanus Episcop. Apostolicæ Sedis reuertebatur, cum Ladislaus Rex ab illo diris deuotus, ad mentem reuersus esset. Misit itaq; qui abeuntem reuocaret, nomineque illius omnia abunde illi promitteret. Reuersus Philippus, Ladislaum crimina sua publice fatētem audiuit, & à vinculo anathematis potestate collata exsoluit, maxime cum is tum Ecclesiæ, tum Episcopis ac Prælatis, quos præsente Philippo Budam admittere ad Legatum noluerat, adeoque grauissima iniuria affecerat, omni ratione se satisfacturum polliceretur. Eo nomine monasterium vnum rex suis sumptibus, iubente Legato ædificauit, centumque marchas argenti ex fodinis Coluicabanæ, eis autem exhaustis, ex ærario regiæ, in annos singulos perpetuo assignauit. Deinde præsente Philippo, tum iuramento se astrinxit, tum Summo Pontifici Nicolao scripsit, se fore obsequentem Ecclesiæ, seque conseruaturum libertatem Ecclesiasticam. Recepit etiam in se, vt hæreticos è finibus regni eiiceret, Cumanosque vniuersos, tum ad recipiendam, tum ad retinendam fidem Catholicam expensis regiis compelleret: necnon Christianis captiuis bona erepta restitueret, atq; se à Cumanorum consuetudine retraheret. Dedit ea de re Nicolao Pōtifici literas, Budæ, an. D. 1279.

VII. A DANIS PECVNIAM PRO TERRA SANCTA COLLIGIT. *ep. 131. & 134. Rom. 8. Id. Iunii & 11 Cal. Iul.*

In Daniam & Sueciam, Nicolaus Papa, hoc anno, Bertrandum Amalrici Canonicum Bremensem, Collectorem misit, qui denarium & decimas in subsidium terræ sanctæ colligeret, conflaret, & in ærarium reipublicæ Christianæ transmitteret. Cæterum cum reges illi, nonnihil ex sacris illis pecuniis detraxissent, inque vsus proprios conuertissent, vtrumque Nicolaus seuere redarguit, monuitque vt ex fide integras Collectori numerarent.

VIII. *Surita lib. 2.* APOTHEOSIN RAYM. GENERALI CVLTV OBSERVARI VVLT CONCIL. TARRACONENS.

Tarracone in Aragonia ad VII. Id. Decembris, Bernardus Tarraconens. Archiepiscopus, Arnaldus Barcinonensis, Bernardus Gerundens. Raymundus Ausetanus, qui se Vicensem cognominat, Guillelmus Illerden. Petrus Vrgellitanus, Arnaldus Dertusanus, Petrus Cæsaraugustanus, Iacobus Oscensis, Iaspertus Valentinus Episcopi, item Abbates & alii Prælati concilium celebrarunt. Ex eius decreto enixe literis Nicolaum Pontificem interpellarunt, vti Raymundi Pennafortii viri sanctissimi memoria, sua certa destinataq; sententia, religione omnium consecraretur, aræque ei inter Diuos ritu solemni statuerentur: vtpote cuius viri sanctitas, insigni tunc splendore apud omnes præfulgeret. Nihil tunc in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quod Rex Petrus à Procyda seductus, iam turbas Italiæ moliretur, neque censum Ecclesiæ Romanæ pendere vellet.

IX. *Cromer. lib. 9.* BOLESLAI PVDICI MORS, ET VXORIS VIRGINIS RELICTÆ RELIGIONIS INGRESSVS.

Hoc anno ad Quartum Idus Decembris, Boleslaus Pudicus Dux Cracouiensis & Sandomiriensis, in Polonia, diem extremum sancte obiit, & Cracouiæ apud Diui Francisci, quod monasterium ipse condiderat, sepultus est; benignus & religiosus Princeps, & in egentes cultumque Dei ac ministros eius munificus. Huius extant in Cracouiensem Episcopum & Ecclesiam memorabilia beneficia, diplomatibus eius consignata, quibus cunctos sacri ordinis homines, eorumque adscriptitios omni prorsus onere seruitutis atque pensionis Duci debitæ, etiam telonii, liberauit: & ab omni suorum iudicum & magistratuum, suaque ipsius iurisdictione exemit. Episcopum autem omnino Ducali iure in bonis suis esse iussit. Ad hæc fecit potestatem singulis Prælatis, & Canonicis Basilicæ Cracouiensis, senos ex nobilitate, aut duodenos è plebe, quos vellent, ab expeditione bellica eximendi, ministerii sui causa, inferioribus vero Ecclesiis dimidium eius numeri. Condidit etiam ac dotauit Crizanouicens. monasterium supra Nidam amnem Præmonstratensibus virginibus. Cracouiæ item apud Sancti Marci, ei Ordini Mendicantium, qui de pœnitentia Beatorum martyrum vocatur. Mortem eius Kinga vxor, virgo etiam tum moderate tulit, quin gratias egit Deo, quod se coniugii vinculo tandem liberasset, ac mox vna cum sorore Iolenta, quæ post mortem mariti Boleslai Calissiensis Ducis ad eam se contulerat, distractis & in vsus egenorum distributis cunctis facultatibus suis, Diui Francisci professioni & instituto vitæ se addixit: & veterem Sandeciam, nequicquam refragantibus & renitentibus Proceribus commigrauit: ibique reliquum tempus vitæ in monasterio à se & viro suo condito peregit.

X. *Michael Bonon. lib. 1.* MORS B. PALMERII EVGVBINI ORD. PRÆ.

Eodem anno in cœlos abiit Beatus Palmerius Eugubinus Ordin. Prædicator. admiranda sanctitate & charitate. Fere nihil aliud, post diuini cultus officia, religiose & maxima cum deuotione dies noctesque frequentata, agebat, quam confessiones venientium excipiebat, infirmos visitabat, ægros animi consolabatur, verba salutis ad populum magno cum fructu habebat: quicquid vero illi temporis superesset, in contemplatione & orationibus exigebat.

XI. *Bardue in Chronol.* PRODIGIA.

Portentum hoc anno in Belgio visum est: alicubi locorum vitulus biceps natus.

XII. IOAN. VITERBIENS. PRÆDICATOR FIT PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS. *epist. 24.*

Hoc eodem anno, Frater Ioan. Viterbiens. Ordin. Prædicator. à Nicolao Pontifice Maximo ad Patriarchium Hierosolymitanæ Ecclesiæ ante aliquot menses euectus, cum religiosæ vitæ quietem, tumultuario pastorali officio anteponeret, maximis precibus apud eundem Pontificem obtinuit, vt ex senatus purpuratorum consulto, onus impositum deponeret, & vni soli curæ, tum suæ, tum Religiosorum saluti consuleret. Quamquam autem non lubens, missum tamen ab eo officio fecit Nicolaus, datis ei literis Romæ apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Februarii Pontif. an. 2. Cumque Nicolaus opera ipsius frequentius in negotiis Ecclesiæ vteretur, & is occasione tractatuum, actualem, quemadmodum Nicolaus Pontifex scribebat, curam Ordinis sui intermitteret, monebat eum Pontifex, ne rebus Ordinis sui, Ecclesiæ & Christianitatis negotia postponeret, sed tota mentis & corporis promptitudine, ad publici operis & pii laboris exercitium, quandocunque contingeret eum reuocari, sese accingeret. Literarum hac

dere

ep. 27.

de re datarum exemplar scriptum est Romæ apud S. Petrum Idibus Ianuarii.

XIII. MORITVR OTTO DVX BRVNSVIC. EPISCOPVS HILDESHEIMENSIS.

Eadem hac tempestate naturæ debitum soluit Otto Dux Brunsuicensis, Episcopus Hildesheimensis, ante aliquot annos in Concilio Lugdunensi à Gregorio decimo Pontifice Maximo consecratus. Nullos alios quam germanos fratres, Ioannem & Albertum Paynensi Comitatui inhiantes, hostes atrocissimos habuit. Hi ferro & igni Episcopatum vastantes, fecerunt, vt Otto ex animi mœrore moreretur. Post eius mortem Albertus frater, summus ille Episcopatus hostis, non nisi sex septimanis superuixit, eodemque die quo obiit Episcopus, subito & tristissimo correptus morbo interiit: Deo nimirum vindicante iniurias, cum Ottoni, tum Ecclesiæ illatas. *Catalogus Episcop. Hildesheimens.*

XIV. FLORENT TRES IMPERII TVRCICI IMPERATORES.

Hoc ipso anno viuebãt, Osmanes, Vrchanes, & Murates, à quibus hoc grande quod cernimus Turcicum Imperium fundatum, cœptumque est. Annales eius gentis, hæc digna prodi, his ipsis verbis de illis produnt: Quoties conuiuas vocabant, vescebantur adhibitis Talismanis (ita Sacerdotes dicunt) quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant, & Alcoranum legi iubebant. Ad eum modum suorum mysteriorum administros honorabant, maximo probro aliquorum Christianorum, qui veræ religionis Sacerdotes contemptui habent. *Lipsius in Monitis ex Turcicis Annalib.*

XV. SOMNIVM DE OSMANIS FVTVRA MAGNITVDINE.

De Osmane hæc Annales prodiderunt. Ertugules eius pater, vidit, sed vidit de die, cum post cibum meridiaretur. somnium quoddam. Experrectus igitur, & imagine ea confusus, primo corpus abluit, & se purgauit, vti religio eius gentis habet, tum ad Edebalem, virum inter ipsos sapientem & sanctum, venit atque inquit: *Somniaui, vir venerabilis* (Annalium Turcicorum verba pono) *splendorem Lunæ è sinu tuo prodire, eumque deinde in meum sinum pertenire. Eo cum dilatus esset, ex meo vmbilico enasci arborem, quæ regiones varias, montes & valles inumbraret. Ad ipsas autem radices arboris, aquas emanasse, quibus vineæ & horti rigarentur: atque ibi somnium me somnusque deseruit.* Edebales autem audito, aliquamdiu secum reputans, effatus est. *Nascetur tibi filius, vir bone, cui nomen erit Osmanes. Is multa bella geret, victoriam & famam pariet, ac posteri tui Principes Regesque terrarum erunt. Mea autem filia Osmani nubet: atque is splendor est, qui è sinu meo prodiuit, & in tuo coiuit: ex vtroque arbor. Lipsius supra.*

XVI. MORS ALDOBRANDINI CAVALCANTÆ EPISCOPI VRBEVETANI ORD. PRÆ.

Pridie Calendas Septembris huius anni desiit esse in humanis Aldobrandinus Caualcantes Vrbis veteris Episcopus ex Ordin. Prædicator. assumptus, dignus cuius memoria recolatur. Is Prædicatorum Ordinem adolescens ingressus, Sanctorum priscorum Patrum mores, studiaque confestim imbibit, omniumque virtutum exercitationi diligentissime incubuit. Præcipue vero multa illi ad Deum nostrum deuotio erat, singularis mansuetudo, multa in conuersatione facilitas, visque discretionis immensa. Vitæ quoque illi integritas fuit, & in perferendis omnibus vitæ spiritualis aduersitatibus inuicta animi magnitudo. Ieiunandi consuetudo illi perpetua, cibi, potus, somnique parcitas: obedientiæ promptitudo, humilitas demissa: orandi, meditandique diurnum ac nocturnum studium, concionandi labor indefessus, atq; ardor flagrantissimus. Neq; enim magnorum potentiam reuerebatur, vel eorum minas aut indignationes metuebat: sed zelo diuini honoris inflammatus, acerrime in vitia omnium inuehebatur, paratus pro veritatis certamine vitam exponere. In religione Dominicana, cum per omnes virtutum gradus ad fastigium perfectionis peruenisset, & per varia officia suscepta, dexteritatem, prudentiamque suam cunctis probasset, Greg. X. Pont. Max. hominis fama delectatus, cumque sibi propter Romanæ Ecclesiæ molestias imminentes multo necessarium fore arbitratus, eum quamuis reluctantem ac deprecantem, Vrbeuetanæ præfecit Ecclesiæ. In ea dignitate positus, nihil ex pristino rigore vitæ regularis detraxit, & ad curas pro salute animarum, plurimas alias adiecit: ipse sacris administrandis, concionibus ad populum habendis, moribus tũ cleri, tũ populi reformandis, pauperibus & visitandis & recreandis, infirmis vtraque medicina iuuandis, dissidentibus conciliandis, & reliquis Pastoralis muneris laboribus obeundis, sedulo intentus. Tanta porro apud Gregorium Decimum valuit existimatione, vt is Lugdunum pro Concilio celebrando in Gallias proficiscens, non alterum quam Aldobrandinum suum in vrbe atque Italia vniuersa Vicarium esse voluerit: eius precibus permotus, Florentiam accesserit, & inter Guelfos Gibellinosque concordiam induxerit. Postquam itaque annis aliquot, Ecclesiam sibi commissam exemplo ornasset, & magna prudentia administrasset, pridie Calend. Septemb. ad meliorem patriam excessit: magno post se desiderio apud omnes relicto. Funus illius ingenti ciuium luctu curatum est apud Vrbem veterem, in Ecclesia antiqua, & exinde ad Basilicam recens ab eo ædificatam translatum. *Leander libro tertio.*

XVII. TERRÆMOTVS IN ITALIA DIVERSIS LOCIS.

In Lombardia & reliqua Italia hoc anno Calend. Maii, terra fœuissimo ac periculosissimo tremore concussa, omnium animos insolitæ formidine consternauit. Camerini tectorum partes duæ procubuerunt, ac multos vtriusque sexus homines ruinarum magnitudine contriuerunt. Tres montes, inter quos duo lacus, & castrum erant siti, penitus consederunt: Lacus autem & castrum ipsum voragine terræ absorptum. In Romandiola, & montibus inter Bononiam ac Florentiam interiectis, castra atque ædificia multa ad terram procidertunt, multosque item homines oppresserunt. Eo timore perculsi reliqui, sub dio habitare statuerunt, ac passim in campis sibi tabernacula posuerunt: atque inter alios Larinus quoque Vrsinus Cardinalis Legatus eodem modo habitauit. Cremona vero Albertus quidam vini portator mortuus, tanta atque adeo mirabilia sanctitatis edidit signa, vt omnium in se oculos mentesque conuerterit. Quo factum est, vt ad eius sepulturam inuisendam ingens accolarum numerus aduolarit.

XVIII. BONONIÆ FACTIONI GVELFOR. ET GIBELLINORVM PACATÆ, ET PAVLO POST GIBELLINI ACIE VICTI, BONIS FORTVNISQVE AB VRSINO S. R. E. CARDINALE MVLCTATI.

Bononiæ hoc insequenti anno Bertholdus Vrsinus pro Sede Apostolica Romaniolæ Comes, Præturam administrauit: cum vero cætera ad constituendam Vrbem accommodata curasset, tum præcipue, vt fœdus inter factiones iungeretur, diligenter elaborauit. Neque studium illius fefellit euentus. Siquidem obsidibus ab vtraque parte acceptis, atque in diuersas agri arces custodiæ causa dimissis, ipsos ad oscula inter se celebranda, per delectos vtrimque arbitros impulit. Ita Lambertacii Quinto Calend. Octobr. permittentibus Hieremæis Bononiam redierunt, ac domos & possessiones suas recuperarunt. Hoc peracto, Bertholdus postridie ambas partes in forum acciuit, ac singulas vtriusque factionis familias appellans, omnes ad concordiam pacemque seruandam nomine Summi Pontificis adhortatus est, admonens, eos obsides pignora præstandæ fidei tribuisse, eosque in potestate Pontificis esse, magna eorum pernicie, qui fide atque officio decessissent. Ita Bononia pristino frequentiæ decore ornatuque resumpto, per aliquot inde dies à seditione tumultuque requieuit. Paucis inde post diebus Gibellini quiescere nescientes, conceptam iam pridem animis continere iram non potuerunt, ac palam fremere Guelfis audientibus instituerunt: se præsenti statu contentos non esse, dimidiam Vrbanorum officiorum partem deposcere: ni vltro daretur, se vi, ac ferro vindicaturos esse. Per eos dies Nicolaus tertius Pontifex Maximus vita excesserat, vt Bertholdus Vrsinus Comes in Romandiolam ad Natalitia Domini celebranda contenderat, quibus rebus Gibellini erecti, pridie Natiuitatis hora diei tertia armati atque inuicti in forum processerunt, eoque occupato, mortem Guelfis magno clamore intentare cœperunt, eosque qui ad tumultum temere conuolarant, è foro exegerunt, atque ex eis sexaginta occiderunt. Ea re cognita Præfectus rei militaris, suos exemplo armari milites iussit, ac simul magna Guelforum manu assumpta in forum prouolauit, & commisso cum Gibellinis certamine, magno cum suorum detrimento pugnauit. Demum plebs Gibellinis ciuitatis otium perturbantibus infensior facta subsidio venit, ac prælium, quod langueſcere videbatur, accendit, idque vsque ad Vesperas, cum assiduo ningeret, protraxit. Hanc vero tempestatem vbi se sustinere non posse Gibellini senserunt, foro tandem cesserunt, atque acriter in terga Guelfis hærentibus vsque ad portam impulsi Vrbe sese effuderunt, ac Fauentiam & Forumliuium secedentes ibi se ite-

rum confirmarunt, multis ex suis relictis, qui aut capti, aut vulnerati, aut in ipso certamine extincti sunt, quibus omnibus mox ciuili rabie, domus in vrbe, & villæ in agro direptæ, atq; incensæ sunt. Huius seditionis Bertholdus certior factus in Vrbem reuertit, atque Guelfis victoriam gratulatus ex voluntate Consilii, Gibellinorum qui abierant sex millia exilio, totidemque relegatione mulctauit. *Sigonius lib. 20. de Reg. Ital.*

XIX. INVENTVM CORPVS B. MARIÆ MAGDALENÆ PER CAROLVM PRINCIP. SALERNITANVM POSTEA REGEM SICIL.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimonono, menſis Aprilis die nono, Carolus Princeps filius Caroli Regis Siciliæ, Comes Prouinciæ, poſtea Rex Sicilię, perquirens corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ illud in Oratorio, in villa ad Sanctum Maximinum nuncupata, ſolicitè reperit. Rem quemadmodum accidit, verbis ipſis Richardi Cluniacenſis hiſtoriographi dare adlibuit. Apertis, inquit, tumulis à latere oratorii hinc & inde, & effoſſa humo, inuenitur corpus Sanctiſs. Magdalenæ, non in tumulo de albaſtro, quo primum à Sancto Maximino Aquenſi Epiſcopo conditum fuit, ſed in alio marmoreo è regione ad dextram introeuntibus collocato: cum ingenti odoris fragrantia, ſequentibus miraculis gloriioſis, & ex eius lingua, adhuc tunc capiti & gutturi adhærente, radix quædam cum ramuſculo fœniculi prominebat in longum, ſicutà præſentibus audiui, qui hoc ſcribo, quæ radix diuiſa in particulas, in multis locis pro reliquiis conſeruatur. In eodem quoque tumulo, in teſtimonium veritatis, iuxta corpus Sanctiſſimum, inuentus fuit chartellus quidam vetuſtiſſimus, in ligno quodam conſeruatiuo à putrefactione, continens hanc ſcripturam.

Anno Natiuitatis Dominicæ ſeptingenteſimo, decimoſexto die menſis Decembris in nocte ſecretiſſime regnante Odoyno piiſſimo Rege Francorum, tempore infeſtationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit corpus chariſſimæ ac venerandæ Beatæ Mariæ Magdalenæ de ſepulchro ſuo alabaſtri, in hoc marmoreo, timore dictæ gentis perfidæ, & quia ſecretius eſt hic amoto corpore Sedonei.

Hunc chartellum vidi & legi ego, qui hæc ſcribo. Memoratus autem Carolus viſis & inuentis prædictis, conuocatis Narbonenſi, Arelatenſi, & Aquenſi Archiepiſcopis, aliiſque Epiſcopis, Abbatibus, & Religioſis ac nobilibus ſuis cum clero & populo congregato die ad hoc ſtatuta, ſcilicet tertio Nonas Maii, Anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo, Pontificatus Domini Nicolai Papæ Tertii, Anno tertio & vltimo, leuauit, & in capſa pretioſa, ad hocauro, argento & gemmis præparata, locauit. Caput vero in theca ex auro puro introcluſit. Reperta eſt etiam ſcriptura alia veruſtiſſima, adeo quod vix legi potuit in tumulo memorato, in chartello cera exterius cooperto. Hic requieſcit Corpus Mariæ Magdalenæ. In eodem loco idem Princeps Carolus Rex Siciliæ iam effectus, Conuentum Fratrum Prædicatorum, translatis auctoritate Bonifacii Octaui, Monachis Sancti Victoris Maſſilienſ. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, inſtituit, & in honorẽ Beatæ Mariæ Magdaleuæ, & aliorum Sanctorum in eodem oratorio quieſcentium, ſcilicet Sancti Maximini, Sodonei qui cæcus natus à Chriſto illuminatus, & Marcellæ ancillæ Sanctæ Marthæ, quæ dixit Chriſto Domino, *Beatus venter, qui te portauit*, etiam idem Rex pulchram fieri fecit Eccleſiam, ſumptibus Regiis, quam ornamentis pretioſis honorans ditauit. *Richardus Cluniacenſ. in Nicolao III.*

IESV CHRISTI

Annus 1280.

NICOLAI PAPÆ III. Annus 3. RVDOL. REG. Rom. 7. MICH. PALÆOL. Imp. Orient. 21.

a Leonard. Aretin. in Florent.

I. FLORENTINA S GVELFO-

GIbellini poſtliminio, Florentiam, ab Innocentio Quinto Pontifice Maximo reuocati ſolemnibus inimicitiis Guelfos exercebant. Hinc *a* frequentes rixæ,

RVM ET GIBELLINORVM FACTIONES VRSINVS CARD. COMPONIT.

ſeditiones, vulnera, cædes & mortes, *a* dimariis, contra Toſingos & reliquos concitatis. Non amplius ferre potuit Reſpublica ſanguinolentos motus. Quamobrem Oratores ad Nicolaum Pontificem Maximum miſit, poſtulatum, vt Legatum deſtinaret: qui ſeſſam mutuis impugnationibus ciuitatem recrearet, & ad pacem reduceret. Magnam per id temporis in Æmilia & præſertim Bononiæ, Latinus Vrſinus, Cardinalis Legatus, in reconciliandis hominibus dexteritatem ſuam Eccleſiæ probauerat. Itaque hunc Nicolaus Pontifex Florentiam ire iuſſit, vt acerbas inimicitias, quibus ciuitas vniuerſa conflictabatur, in amicitias conuerteret. Is porro cum primum ad eos veniſſet, & auctoritate Pontificia cum priuatim, tum publice, & maxime concione in foro aduocata egiſſet, tandem ciuitati pacem reſtituit: formam reipublicæ adminiſtrandæ, ex quiete publica inſtituit; Matrimoniis eos inuicem deuinxit; vadibus altrinſecus datis in officio continuit, obliuionem omnium quæ patrata fuerant, exuſtis iudiciariis proceſſibus, & priuatis ſcripturis, induxit, cautionibus ſeu pœnis pecuniariis, atque aliis, à turbis excitandis, & ab inimicitiis reſumendis omnes deterruit: Magiſtratum nec perpetuum, nec ex vna vnica factione, ſed mixtum ex Gibellinis & Guelphis, ſcilicet ex illis ſex, ex Guelphis octo viros vrbi præpoſuit, duobuſque tantum menſibus poteſtatem illorum definiuit, & alios deinde ſuccedere iuſſit. Tandem cum primum lapidem baſilicæ Sanctæ Mariæ Nouellæ, quæ Ordini Prædicatorum dicata eſt, die Sanctæ Lucæ Euangeliſtæ poſuiſſet, ingenti prudentiæ fama ex rebus feliciter geſtis parta, relicta ciuitate pacata reuerſus eſt: liberaque iam ciuitas ac ſui iuris facta, à quatuor Decemuiris gubernabatur. Hic rerum ſtatus fere biennium duraui: neque dubitatur, ſi is Pontifex viziſſet diutius, quin longe magis ea reipublicæ forma perſeueraſſet. Iſtud incommodi in Italia accidit, Latino Florentinos conciliante, vt Bononienſes ſtatim atque is legatione apud eos perfunctus Florentiam acceſſiſſet, illico ad inteſtinas ſeditiones redierint. Quos vt ex pactis conuentis ſiue in pace, ſiue in officio Nicolaus contineret, *b* Guidonem Nouauillanum Canonicum Nicoſienſem & Capellanum Apoſtolicum ad Carolum Siciliæ Regem miſit, quiab eo auxilia poſtularet, vt ea ciuitas variis vexata diſcordiis, ſub felici S. R. Eccleſiæ regimine, ad perfectam pacem & tranquillitatem redire & quietis temporibus frui poſſet.

b ep. 30 Ro. 6. Nou. Mart.

II. COMPONVNTVR RVDOLPH. ET CAROLVS, ET CLEMENTIAM FILIAM RVDOLPHVS CAROLO PRINCIPI SALERNIT. ELOCAT NICOLAO DIRIGENTE.

Cum hæc in Italia agerentur, non intermiſit Nicolaus maiora & grauia odia componere, inter Rudolphum Regem Romanorum & Carolum Siciliæ iam pridem exorta. Iam dignitatem Senatoriam, & poteſtatem Vicariam Carolus depoſuerat. Comitatus Prouinciæ & Falcaqueriipoſſeſſio in controuerſiam vertebatur. Rudolphus ad imperii iura pertinere, aſſerebat; Carolus Rex & Margarita D. Ludouici relicta, altrinſecus contendebant, præſtantiamq; iuris beneficiarii obtendebant. Nicolaus itaq; Põtifex, arbitrio partium arbiter factus, *c* Matthæo Vrſino tituli S. Mariæ in Porticu Cardinali, & Benedicto Anagnino Notario Apoſtolico, id quicquid erat controuerſiæ commiſit, vt cognoſcerent & diffidentes animis conciliarent. Conuenit *d* vt Carolus vtramq; Prouinciã iure beneficiario retineret, Rudolphus Clemẽtiam filiã, Carolo Principi Salernitano in matrimonium daret: Nicolaus id quicquid impedimenti, ex eo quod Clementia, Andreæ Fratri Regis Hungariæ, auunculo Caroli Principis, promiſſa, atque ipſi Carolo Gotta Clementię ſoror deſponſa iam fuerat, tolleret; Margarita ſi quid iuris ſe habere exiſtimaret, apud ſubſellia Rudolphi Romanor. Regis proponerer, declarationem autẽ & ſententiam, quã aiunt definitiuam à ſede Apoſtolica expectaret. Carolus Rex & Princeps, ex formula à Rudolpho Rege præſcripta, Regi & Imperio homagium ligium præſtarent, atque Sacramento ſe obligarent: Rudolphus literas in forma priuilegii omnium tranſactorum cõcederet: & ad extremum, Nicolaus Legatũ à Sede Apoſtolica deſtinaret, qui nõ ſolum præſens omnibus actionibus intereſſet, verumetiam omnia auctoritate Apoſtolica ſtabiliret; miſit in eam rẽ Nicolaus *e* Põtifex Hieronymum tit. S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem Legatum, qui pacem inter reges Rudolphum & Carolum conciliauit:

c epiſt. 24.

a ep. dat. Romæ. 10. Cal. Febr. & alia Suriani 2. Non. Iun.
b extant literæ Rudolphi in eam rem inter ep. Nicol. anno 3. epist 17. & seqq.

a Nicolaus quoq; ipse, vt desideratum matrimonium contraheretur omne impedimentum tulit; atque vt quam citissime sponsalitia accelerarētur omnino præcepit *b*. Rudolphus porro ex pactis conuentis vtramque Prouinciam Carolo, eiusq; hæredibus & descendētibus in perpetuum, iure quod vocant fiduciario concessit; & Margaritæ Reginæ, ne vel ipsa vel aliquis alius nomine suo, impedimētum Carolo prębstaret edixit: ac si quid iuris se habere putaret, vt ad se deferret, atq; declarationē à Sede Apost. expectaret, præscripsit. Cum autem ista omnia pro Caroli regis dignitate, iuxta ac vtilitate Nicolaus curaret, nihilq; magis atq; quietem Italiæ desideraret, ingratum tamen hominem expertus est. Namq; eius nomine Pręfectus iustitiarius Aprutinæ Prouinciæ, multa castra & loca Romanæ Ecclesiæ vltra Pruentum fluuium versus regnum Siciliæ, inuaserat atque occupauerat. Quæ vt is sine vllo impedimēto sedi Apostolicæ restituere iuberet, suo iure, etiam per cēsuras Ecclesiasticas Carolum admonuit *c* datis literis Romæ apud S. Petrum 14. Cal. Iun. Archiepiscopum quoq; Capuanum Carolus in possessione castri Castelli incōmodabat. Hunc etiam vt pro reuerentia Apost. sedis ne molestia afficeret, non orabat, *d* sed suo iure iubebat, Nicolaus.

c epist. 48.
d ep. 41. Rom. Cal. April.

III. EIVSDEM CONATVS IN HISPANIIS, GALLIA, ANGLIA, ET CONTRA HÆRETICOS.

Inter Alphonsum quoq; Castellæ, atque Philippū Gallorum Reges, non deposuit studium pacis cōciliandæ: sed *e* misso ad vtrosq; F. Pontio Bruetano Magistro militiæ Templi, curauit, vt vel induciæ inter eos statuerentur. Libertatis quoq; Ecclesiasticæ in Anglia non oblitus est, quin eam pectore Apostolico tueretur. Cum n. Edouardus Rex Angliæ, Almericum Montfortiū Capellanum Apostolicū, tunc cum is *f* sororem suam marito collocabat, in vincula coniecisset, serio illi præcepit, vt eliberaret. Quod si contemneret, Archiepiscopo Cāthuariensi, & suffraganeis illius præcepit vt Anathemate proposito illum compellerent.

e ep. data 10 Cal. Mart.
f ep. dat. 13. Cal. Mart.

IV. MORS NICOLAI TERTII ET HEROICA FACINORA.

Hæreticos etiam persequi & eradicare nō destitit. Contra quos cum in castro Suriani, septimo à Viterbio lapide, ex Apostolico officio depugnaret, ad 18. Cal. Sept. defunctus est, Pontifex cuius longe lateq; fama claruit, vita emicuit, atq; tum experientia, tum prudētia eminebat: Quemadmodum successor ipsius Martinus Quartus Pontifex Maximus in encyclica Orbi Christiano data prædicabat. Virginem perpetuo castum, & honestum moribus, bonæ famæ & vitæ, huius sæculi scriptores prodiderunt. Cæteri qui vel inimicitias perpetuas cum Carolo exercuisse, vel dignitatem eius perperam imminuisse, vel sanguinis aut partium studio suos præpostere euexisse, commenti sunt, in meridiano actionum illius publicarum sole aberrarunt. Istud etiam certum est, Nicolaum Diuina præscriptione ad Pontificatum ascendisse.

D. FRANCISCVS NICOLAO PONTIFICILETHVM PRÆDIXIT.

Hunc illi Diuus Franciscus puero adhuc vaticinatus est. Cum enim intima familiaritate Matthæo patri iunctus esset, aliquando ad prandium inuitatus, & puerum suauiter complexus, illum suo tempore futurum summum Pontificem & Maximum sui Ordinis tum protectorem, tum amatorem, mente diuinitus mota prædixit. Compositum ab insigni moderatione omnes appellabant, Nain. Fuit Nicolaus virili sed modesto ingenio, studiorum fautor. Probauit maxime & fouit prudentiam cum eruditione cōiunctam. In partiendis honoribus, pietatis exactor diligentissimus: quippe qui sacrorum potestatem adeptus, nonnisi propter morum grauitatem & vitæ innocentiam, tum Hieronymum Minoritani Ordinis Albanum, tum Latinum Vrsinum, Ordinis Prædicatorii Hostiensem Episcopum ordinauit, fratremque Iordanum & Iacobum Columnam, in primorum antistitem gradum aduocauit. Hic Pontificias in Vaticano ædes magnifico instruxit apparatu. Pomærium muro cinxit: Augustissimum Vrbis templum, quod Barionæ est, magna ex parte restituit. Aulicis Magistratibus suum cuique locum attribuit. Nullus Priorum Pontificum sanctius diuina tractauit: nunquam Sacris operatus, quin vbertim media Sacrorum ceremonia fleuit omnes religionum gradus, sed Minoritanum præcipue fouit, eiusque instituti regulam tum laudauit, tum explicauit. Nulli Sacerdotium attribuit, nisi Doctrinam & mores inspexisset. Tabelliones, & quos Notarios vocant, vt pestem hominum & luem quandam auersatus est, vtpote quod inopes circumscriberent, & litigātium sanguine alerentur. Edicto cauit, quando Magistratus, omnia venalia haberent, ne cui supra annum dignitas prorogaretur. Si quis vltra præscriptum in eo perseuerasset, Pontificii anathematis notam incurreret.

[Quidam prodigioso Tyberis incremento, eum breui periturum vaticinati sunt, nam Tyberinus amnis adeo insolenter, per id tempus exundauerat, vt ad Pantheon, nunc Deiparæ Virginis est id templum, aram maximam quaternis pedibus & amplius supergressa sit fluminis alluuio.]

Impostura est, quod cum Carolo Rege inimicitias exercuerit, perinde ac ista alia, quod plus nimio suis indulserit, vel raptis alienis bonis suos explêrit. *Sabellic. Enneade nona, libro septimo.* Quod etiam auctores nonnulli defendunt, Nicolaum ex familia Vrsina, vnde ei genus, binos Reges Italiæ destinasse, Longobardiæ & Ætruriæ, scilicet Transalpinis prohibendis Italiæ aditu, & familiæ euehendæ: fama frequentior, & sensus prope omnium condemnauit. *Mariana lib. 14. c. 6.*

V. MONVMENTVM NICOLAI III. AB CAPITVLO VATICANO POSITVM, EIVSQVE FVNDATIONES ET DONARIA.

Nicolai memoriam, illustrissimum Basilicæ Vaticanæ Capitulum, his verbis prostare æternum apud se voluit, quæ in monumentis suis scripta esse iussit. Ita habent. Decimo Calendarum Septembris Anno DOMINI millesimo ducentesimo & octuagesimo, obiit sanctissimæ memoriæ Diuus Nicolaus Papa Tertius natione Romanus, de domo Vrsinorum, qui in Basilica nostra beneficiatos triginta instituit: & in eadem ad honorem Sancti Nicolai altare erigi fecit, quod propriis manibus consecrauit, iuxta quod sepulturam suam elegit. Cui Altari Crucem cum pede argenteo, duo candelabra argentea, duo basilica argentea, duo vascula argentea, vnum Thuribulum de argento, & duos calices argenteos deauratos, vnam nauiculam argenteam cum Cochleari, quæ omnia ponderant viginti octo Marchas, & septem vncias de argento, nec non indumenta serica ad eiusdem altaris culturam, de eius pecunia propria & alia pecunia ipsius cura & solicitudine acquisita nostræ Basilicæ duo castra, scilicet castrum Perusci, & castrum Sancti Nicolai, quod dicitur Burgus.

Item tria Casalia, quæ fuerunt Ioannis Samsonis, quæ dicuntur Quintum.

Item aliud Casale quod dicitur Silce.

Item hortos Trionum, & alia petia terræ quæ fuerunt Domini Petri Surdi in pratis.

Item contulit vnum tabernaculum argenteum cum pyxide aurea ad seruandum corpus Christi.

Item mitram vnam multis lapidibus ornatam.

Item annulum Pontificialem aureum, & sandalia cum caligis de xamito.

Item Canolum argenteum ad adseruandum corpus Christi à summo Pontifice. Habuit etiam Basilica ab eo candelabra maiora argentea duo.

Item Bacilia duo argentea.

Item vnam cassulam argenteam ad tenendas hostias, & alia quamplurima, idem sanctissimus Pater & Pontifex nostræ Basilicæ prompta liberalitate donauit. Hic constituit, vt præter vigilias & Missas, quæ pro eius anima in eodem altari Sancti Nicolai quotidie secundum statuta celebrantur, in die obitus sui fieret anniuersarium pro ipso, in quo expenderentur decem libræ, & fierent nouem lectiones.

CONSTITVTIO NICOLAI TERTII PRO AVGMENTO CVLTVS DIVINI IN VATICANA BASILICA.

Præter alia Nicolaus Pontifex constitutionem pro amplificatione cultus diuini in Basilica Vaticana edidit, dignam quæ hic inseratur, vt ad exemplar illius Metropolitanæ & Cathedrales Ecclesiæ conformentur. Ita habet.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ciuitatem Sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo militans figurare valet Ecclesia, vt sit Ciuitas per militantium vnitatem sancta per conuersationis exempla. Hierusalem in vita pacifica, noua, vt iuuentus sua renouetur, vt Aquila peccatorum vetustate repulsa descendens per timorem reuerentiæ Deo pariter & Prælatis de cœlo per gratiam in Ecclesiasticis Sacramentis, à Deo paratam per fidem, virtutes, & opera, sicut sponsa ornata viro suo per decentiam & decorem. Hæc est illa Hierusalem, quæ, secundum Prophetam, ædificatur vt Ciuitas,

id est

id est, ad similitudinem Ciuitatis illius cuius participatio in idipsum. Hanc CHRISTVS sponsus amplificat per multitudinem conuersorum nobis patenter insinuans illam amplificandam fore per numerum seruitorum. Hæc est super cuius muros cum timore cognoscimus nos à DEO positos esse custodes, in eius tamen custodia confidentes, sine qua frustra vigilant, qui custodiunt Ciuitatem. Profecto etsi cunctarum Ecclesiarum nos sollicitudo sollicitet, si quotidiana ipsarum ad nos hæc pulset instantia, præcipue tamen excitat mentem nostram, Apostolorum Principis cura Basilicæ, vt hæc velut cunctarum Ecclesiarum speculum, & exemplar ordine debito dirigatur temporalibus adaucta subsidiis, & spiritualibus semper proficiat incrementis. Excitat nos ad hoc cunctis quasi Christicolis ad illam innata deuotio, inuitat origo. Petri sedes inducit, allicit immediata subiectio, quin potius vnita coniunctio, mouent nos tantorum in ea Martyrum gloriosa præiacta semina, de quibus quasi tota seges Ecclesiæ pullulauit, maxime autem motus nostros impellit ipsa veneranda Basilica, vt præcipue ad illam se noster extendat intuitus, in qua quiescit Sanctitatis Ecclesiæ Principatus, cuius Romani Pontificis animum tot motiua non moueant, cuius vel saxeam mentem ipsius Beati Petri sola deuotio ad solicitam curam suæ Basilicæ non accendat: Sane hoc ab olim nostris adhæsit affectib. conceptum istum mens nostra diutius portauit, quem tandem cum decentia possibilitatis indulsit, prout potuit manifestauit, & peperit de diuina semper consisi clementia, vt ille in hoc nostrum iuuaret intentum, qui in se petra Petrum, & eius Ecclesiam ore proprio stabiliuit, & dum nos curæ minoris status habeat in tanto pondere rerum mirabilia speculabamus altissimi. Et horum potissimo, ac parentum nostrorum, quorum inibi corpora requiescunt, consideratio nostros ad Basilicam direxit affectus, firmauit intuitus, & deuotionem inclitam solidauit. Et tandem nobis tempore felicis recordationis, Ioannis Papæ vigesimi primi Prædecessoris nostri Archipresbyteratus ipsius Basilicæ cura commissa nostri ad illam nos ipsos excitarunt affectus, & circa statum ipsius, qui collapsus, in diminutione diuini cultus, & in nonnullis aliis deformatus multipliciter apparebat: eratque ad paucitatem tantam numerus residentium Canonicorum in Basilica ipsa redactus, quod non vltra quam decem, quorum quidam erant debiles, & nonnulli variis ægritudinibus laborabant, nec aderant alii, qui tantum defectum circa diuinum cultum, præcipue in tam venerabili, & excelso Templo supplerent. Ab intimis cogitantes, & amplectentes animo, quod iam nostris humeris incumbebat ad ordinationem, & reformationem Basilicæ memoratæ ordinanda duximus, & etiam statuenda, quæ omnia redacta fuerunt in scripturas nostri tunc Archipresbyteratus, & eiusdem Capituli sigillorum munimine roboratas, & postmodum dictus Prædecessor eadem ordinata, & statuta ex certa scientia confirmauit, & supplens omnem defectum, si qui forsan in illis extiterat, de Apostolicæ plenitudine potestatis tenores scripturarum earundem fecit in Apostolicis literis de verbo ad verbum seriosius annotari. Et quia sine augmentatione facultatum ministrorum numerus seruientium in dicta Basilica non poterit conuenienter augeri. Nos tunc Archipresbyter præfatæ Basilicæ Clementi apud eundem Prædecessorem studio deuotæ supplicationis institimus, vt ad eandem Basilicam suæ munificentiæ dexteram aperiret, sicque prouide, quod læti referimus, compertum est, quod tum ex his, quæ idem Prædecessor nostris precibus annuens præfatæ Basilicæ clementi liberalitate donauit, præter centum libras prouenientes annis singulis de prouentibus Altaris præfatæ Basilicæ Romano Pontifici debitas, quas dictus Prædecessor ex tunc vsque ad viginti annos eidem Basilicæ donauit liberaliter, & concessit, tum & ex iis, quæ nos ante hæc post promotionem nostram de bonis, quæ Cardinalatus nostri tempore habebamus pro possessionum, & reddituum emptione contulimus, nec non ex eis, quæ aliunde per nostram sollicitudinem ipsi Basilicæ obuenerunt quatuordecim millibus, & centum octuaginta libris prouenientes & vltra in emptione huiusmodi collocatis, est eidem de bonorum temporalium augmento prouisum, & redditus, ac prouentus ipsius, non modicum sunt adaucti. Nobis igitur ad Apostolatus apicem facta est de voluntate necessitas, & feruor noster exuberat, vt quæ per alios fieri optabamus pro statu Basilicæ principalis nunc in sede Principis ipsius cœlesti prouidentia præsidentes sinceritatis aspectum operis efficacia comprobemus, & licet nobis sit omnium Ecclesiarum Domino disponente cura commissa, eo tamen feruentius ad Basilicam ipsam afficimur, & prosecutione sollicita nostros extendimus cogitatus, & dilatamus affectus, quo strictius illam infra præcordia nostra constringimus & veluti decus in Orbe Cœlesti, ac terrena prouidentia constitutam, quadam specialitate nobis vnimus suarum præcellentia dignitatum, & cupimus, vt ipsa prosperis augeatur auspiciis, secundetur amplis successibus, dirigatur prouide, ac maioribus obseruantiis propensius decoretur. Ad quæ studiosius intendentes præter alia supradicta, & mille libras prouenientium, quæ sunt in camera dictæ Basilicæ in præsentiarum pro anima nostra, consanguineorum, benefactorum, & aliorum fidelium defunctorum quinque millia librarum prouenientium de bonis Cardinalatus nostri, ac aliis ex nostræ prouisione, ac sollicitudine acquisitis ipsi venerandæ Basilicæ offerimus, concedimus, & donamus, ac quingentas marcas sterlingorum, de quibus obtinendis haberi creditur sufficiens certitudo, deputamus ad possessiones emendas, de quarum prouentibus eidem Basilicæ sint excrescere facultates. Hæc quidem non ad humanam excellentiam rememoramur inaniter, sed vt præsentibus patere possit, & posteris, quibus initiis, & qualibus incrementis præsens ordinatio radicetur, & alii processu temporis ad præmissorum augmentum, & conseruationem prosperam deuotius excitentur. Præsentem itaque statum ipsius in augmentatione huiusmodi attendentes, & considerantes in Domino, qui sic breui tempore redditus ipsos adauxit, quod in futurum amplius adaugebit, & maiora dante DOMINO suscipient incrementa, nec minus aduertentes, quod præteritis temporibus, dum ordinationi vacabamus, eædem conditiones dictæ Basilicæ Prædecessori præfato in suis quasi primordiis, & nobis propter breuitatem temporis suscepti tunc à nobis Archipresbyteratus officii erant pro maiori parte non cognitæ. Quodque Canonici tunc in Basilica ipsa degentes, quorum assensum in talibus volebamus, cum iam quasi in antiquatæ deformitatis impressione callescerent, ad ea quæ nostris inhærebant affectibus, de facili non poterant inclinari. Conspicientes quoque per nos sicut prædicitur hactenus ordinata, eaque postmodum & earum circumstantias maiori perlustratione palpantes, tam ex illis ordinatis, quam ex aliis per nos postmodum visis & consideratis attentius pro salubri, & solido statu, sæpe dictæ Basilicæ actus nostros in vnum conflauimus, & restrinximus cogitatus. Et cum iam per DEI gratiam in plantatis de nouo Canonicis, & Beneficiatis reformationem amplectentibus securiores simus effecti, & de obseruantia debita DEO, & nobis accepta sub prouida cura regiminis dilecti filii nostri Mater Sanctæ MARIÆ in porticu Diaconi Cardinalis Archipresbyteri, eiusdem Basilicæ ac successorum ipsius, in sic de nouo plantatis & successoribus eorum plenius confidamus ad infrascripta ordinanda, maturius distinguenda, clarius & solidius statuenda, vt in eadem Basilicæ prædictæ ordinatione cessante, loco eius ordinatio ista succedat, & quæ in ipsa connectimus, inuiolabiliter inibi perpetuis temporibus obseruentur, sic duximus ad laudem Diuini Nominis procedendum. Licet igitur in subscripta Basilica non sit certus Canonicorum numerus institutus, quanquam per piæ memoriæ Innocentium Papam Quartum Prædecessorem nostrum Vicenarius quintus numerus portionum Archipresbyteri Cameræ, nec non ea, quæ ad Metæ custodiam deputantur portionibus in præfato Vicenario Quinto numero computatis in ea statutus fuerit, & taxatus, prout in Priuilegio, vel Indulgentia super hoc à præfato Prædecessore Innocentio plenius concessis continetur. Volumus tamen, & ordinamus imprimis, quod præter Archipresbyteri & Cameræ, ac metæ prædictarum portiones ad minus viginti duo Canonici semper instituantur, in ipsa Basilica, & singulis eorum cedentibus, vel decedentibus infra sex mensium spatium alii subrogentur, & hoc ipsum fiat, cum ad tricenarium Canonicorum numerum deueniri contigerit, vt inferius exprimetur, nisi circa prædictum semestre tempus diminuendum, vel augendum aliud de Romani Pontificis procederet voluntate, ita quod iuxta dictarum vigintiquinque portionum numerum portio nulla vacet, quem numerum portionum, & Canonicorum ad certas portiones receptorum pro isto tempore acceptamus, & admittimus nullo vnquam tempore minuendum, nec etiam augmentandum, præterquam in casu, seu casibus augmenti inferius exprimendis. Ita tamen quod sicut infra dicetur, aliqua portio valorem sexaginta librarum prouenientium computatis omnibus quibusdam exceptis annis singulis non excedat. Et vt ad infrascripta efficaciter exequenda via commodior, & habilior habeatur, Statuimus, & Ordinamus, quod dicti Canonici in prædicta Basilica instituti, nec non, & qui deinceps in perpetuum futuris ibidem instituentur temporibus, portiones non recipiant, nec admittantur ad eas, etiam si alias eis de iure, iuxta suæ institutionis ordinem deberentur, nisi fuerint in ipsa Ecclesia residentes, & in sacris ordinibus constituti, & tunc etiam in primo suæ residentiæ anno non recipient, nisi dimidias portiones de omnibus,

quæ

quæ ad diuisionem veniunt vt infra dicetur, singulis duobus mensibus faciendam, nec non & omnibus quotidianis distributionibus, tam in diebus ferialibus quam in festis, & anniuersariis defunctorum, præterquam quando distribuitur denarius vnus solus, quem diuidi nolumus, de cæteris tamen integram habeant portionem. Si tamen Canonicus aliquis non existens in sacris, cui alias, vt prædiximus, de iure portio debeatur, residere vellet, & in eadem Basilica deseruire libere possit hoc facere, & tunc sicut cæteri quotidianas duntaxat distributiones recipiat, & ad eas libere admittatur, non tamen stallum in choro, & in Capitulo vocem habeat sine locum, nec ad ipsius admittatur tractatus, quousque ad sacros Ordines sit promotus, & tunc primo anno suæ residentiæ inchoandæ, postquam in sacris fuerit, contentus sit, vt dictum est, dimidia portione ad stallum in choro, & locum in Capitulo, & tractatus Capituli admittendus, non tamen vocem habeat, seu respondeat infrà annum, nisi ab Archipresbytero, vel Capitulo absente Archipresbytero, sibi super hoc gratia facta fuerit specialis, quod in omnibus ad portionem admittendis vlterius obseruetur. Quia vero viginti duobus Canonicis præter Archipresbyterum institutis in ipsa, tam veneranda, & solemni Ecclesia sufficientem ministrorum numerum non haberet ad diuina officia, & ministeria imbi, vt condecet peragenda duximus ordinandum. Vt numerus dictarum vigintiquinque portionum processu temporis facultatibus supercrescentibus, vt infra dicitur, augmentetur vsque ad tricenarium tertium inclusiue, ita quod præter dictas tres portiones, scilicet Archipresbyteri, Cameræ, atque Metæ triginta sint in vniuerso portiones in ipsa Basilica processu temporis, dante Domino, triginta Canonicis assignandæ. Verum quia octo portionum adiungendarum dictis viginti quinque non sic cito forsan proueniret augmentum, considerantes viginti duorum Canonicorum numerum non sufficere tantæ Basilicæ, vt est dictum, cum etiam vix, aut nunquam accideret, quin multi ex eis diuersis causis abessent, aciem mentis nostræ direximus, vt ex nostra præsenti ordinatione aliqui Clerici, vsque ad triginta inclusiue perpetuo beneficientur in ea, quos postquam fuerint instituti, ex institutione ipsa ius Beneficiatorum dictæ Basilicæ assequantur. ad solidioris tamen charitatis augmentum per Archipresbyterum vel eius Vicarium, & Capitulum prædictos ad pacis osculum recipi volumus in Beneficiatos chori, Basilicæ supradictæ, & ad ea omnia, quæ ex hac nostra ordinatione beneficiatis huiusmodi concedimus, & tandem institutos taliter, & receptos, cæteri Beneficiati ad pacis osculum recipere teneantur. Prædicti vero Beneficiati non sint Canonici, & nullum ius habeant Canoniæ; non tamen propterea sint aut reputentur ab eadem Basilica alieni; sed in ipsa sint Beneficiati perpetuo, & etiam Beneficiati chori Basilicæ Sancti Petri vocentur, & in eadem Basilica beneficia sua, & omnia alia tam spiritualia, quam temporalia, quæ ex præsenti ordinatione eis conceduntur eo ipso, quod Beneficiati sunt, plene iuxta formam infrascriptam percipiant, & exequantur, ac eis competant suo iure, quibus cedentibus, vel decedentibus infra sex mensium spatium semper alii subrogentur, quorum beneficiatorum numerum tricenarium statuimus nullo vnquam tempore minuendum. Huiusmodi vero beneficiati, cum ad tractatus Capituli admittantur, nec vocem in Capitulo habeant, nec aliquam potestatem de iuribus bonis, seu quibuscunque negotiis ad ipsam Basilicam pertinentibus disponendi, nisi vbi de alienatione rerum immobilium vel iurium dictæ Basilicæ ageretur, tunc enim assentiendi & dissentiendi huiusmodi tractatibus vocem habeant. Et quia verisimile est, quod numerus beneficiatorum, Canonicorum numerum in vocibus prædictis excederet, taliter prouidemus, quod si plures beneficiati, quam Canonici tractatib. ipsis interessent, cum omnes istis tractatibus interesse velimus, tot de ipsis beneficiatis duntaxat voces in huiusmodi tractatibus habeant, quot fuerint in Capitulo Canonici tunc præsentes, quo casu priores Beneficiatorum eorundem iuxta suæ receptionis ordinem, vsque ad quantitatem prædictam Canonicorum tunc præsentium ad voces huiusmodi tantummodo admittantur. Nec beneficiati prædicti sint collegium, nec vniuersitas, siue corpus, nec Prælatum sibi possint constituere, & eligere, vel habere seu sigillum, aut archam communem: sed subsint Archipresbytero, & Capitulo, prout inferius continetur, possint tamen pro suis iuribus, quæ in eadem Basilica eis competunt prosequendis, tam in iudicio, quam extra, non solum singulariter, sed etiam in communi agere, & defendere, ac illa prosequi in hoc casu duntaxat, tanquam collegium, vniuersitas, siue Corpus, excepto quod nec in hoc casu, nec in aliquo alio commune sigillum habere valeant, nec communi sigillo quomodolibet vti possint. Huiusmodi tamen institutis stallum in choro Beati Petri, cui deseruiunt post Canonicos, vel sub Canonicis assignetur ad mandatum Archipresbyteri, & Capituli Basilicæ supradictæ. Vnusquisque autem dd. Beneficiatorum de camera, seu redditibus, aut prouentibus eiusdem Basilicæ, vsque ad triginta libras proueniens, Senatus inclusiue ad minus pro suo beneficio sub certo modo, ac ordinatione, vt infra dicitur, annis singulis percipiat in nullo casu diminuendas præterquam in eo, qui inferius subsequetur, videlicet, cum portio Canonici residentis quinquaginta librarum non attingeret quantitatem, iuxta modum & formam inibi clara expressione distinctos, saluis aliis, quæ eis expertinenti ordinatione competere dignoscuntur. Si tamen eisdem beneficiatis in communi donarentur aliquæ res immobiles vel legarentur, seu quomodolibet obuenirent, ipsæ res eo ipso intelligantur dictæ Basilicæ applicari, & in ius, & prouentum eiusdem Basilicæ transeuntes omnino sortiantur, & transeant in naturam cæterorum bonorum immobilium pertinentium ad eandem. Hæc itaque ordinatio sit illibata, & inconcussa permaneat, & irrefragabiliter obseruetur, quod nec dictarum portionum aut Canonicorum quibus assignanda fuerint, nec beneficiatorum numerus minuatur, nec beneficiorum ipsis beneficiatis debitorum quantitas in hac ordinatione taxata diminutionem recipiat aliquam, præterquam mensibus inferius adnotatis: Porro dictæ portiones Canonicis debitæ, quibus propter incertitudinem reddituum & obuentionum dictæ Basilicæ facile non potuit decens quantitas, certa, & indubitata taxari, quam scilicet certitudinaliter esset vnusquisque Canonicorum portionum habens annis singulis percepturis, sed vt via pateat in posterum ad reditus & prouentus eiusdem Basilicæ augmentandos, ex quibus prædictorum octo Canonicorum numerus augeretur, certa quantitas, vt supra dicitur, pro vnaquaque portione taxatur, non vt minor esse non possit, sed ne valeat aliquo casu transiendi: volumus, & irrefragabiliter ordinamus, vt ipsa quantitas scilicet sexaginta librarum prouenientium aliquatenus transeendi nequeat, & nihil vltra quantitatem ipsam Archipresbyter, & Canonici de bonis ipsius Ecclesiæ, præter quædam excepta, vt infra dicitur percipere valeant, quousque postquam ad statum prædictum triginta Canonicorum peruentum fuerit aliud, quoad impinguationem seu maioritatem portionum Canonicorum, seu beneficiorum ipsorum Beneficiatorum, vel augmentationem numeri Canonicorum, seu Beneficiatorum, vel vtrorumque vt dictum est per sedem Apostolicam, vel de ipsius beneplacito per Archipresbyterum & Capitulum vtiliter ordinetur. Si autem contingeret aliquando quouis modo Canonicorum numerum excedere numerum portionum recepti seu ius Canoniæ habentes, quibus nondum esset portio assignata, nihil de bonis ipsius Basilicæ possint percipere vel habere, seu petere, quod nouæ portiones pro ipsis in eadem in Basilica statuantur, sed teneantur absque perceptione aliquorum prouentuum expectare, quousque portiones eis de iure debitas vacare, vel forsan excrescere contigerint sibi, prout iustum fuerit assignan. Sed & nec eis portiones absentium, quousque absentes fuerint, vel prouentus aliqui prouenientes ex absentia Canonicorum ab Ecclesia, vel ab horis, nec prouenientes ex medietatibus portionum residentium primo anno, seu quæcunque alia ad commune seu Cameram Ecclesiæ prouenientia aliquatenus assiguentur, cum de iis omnibus deductis, quæ deducenda sunt iuxta modum & formam ordinationis istius possessiones, & bona immobilia sunt emenda, ex quibus Canonicis, & Beneficiatis valeat prouideri, & vt ad emptionem huiusmodi immobilium posit efficaciter peruenire, statuimus, quod de redditibus, fructibus, prouentibus, oblationibus, seu legatis, censibus, donationibus, & quibuscunque obuentionibus vndecunque & qualitercunque ad dictam Basilicam prouenientibus exceptis quibusdam minutis obuentionibus inferius exprimendis singulis annis, quousque processum fuerit ad maiorem numerum portionum per Camerarium in finem anni diligens consideratio fiat, vt de omni eo, quod ordinatis viginti quinque portionibus, & triginta beneficiatorum beneficiis in præsenti & formam in præsenti ordinatione contentam: Residuum quod pro necessitatibus & exigentiis ipsius cameræ repositum fuerit, vt iuxta ipsius residui quantitatem procedatur ad augmentum numeri portionum, vt scilicet cum facultates Ecclesiæ excreuerint, quod vna portio vltra dictas viginti quinque statui valeat, & fundari, quod statuatur dicta portio, & fundetur, & Canonicus assumatur ad eam, & deinde super ordinem annis singulis ad dictam portionem fundandum consideratio similis habeatur, quousque tricenarius numerus portionum adimpletus sit, & statutus: Minuti autem denarii, qui distribuuntur in choro in Anniuersariis defunctorum præteritis, & futuris tam in Vesperis, & Vigiliis, quam in Missa infrascriptis modo, & forma seruatis. Item denarii, qui die aliquo ex deuotione fidelium ad ipsam Basilicam mitterentur pro decantandis semel in diebus aliquibus Vigiliis, vel officiis pro defunctis, seu pro speciali reuerentia, & aliis diuinis officiis quibuscunque.

buscunq;. Item denarii, quos percipiunt de aliquibus donariis datis beneficiatis, quoniam in cõmuni, vt debentibus aliquid qui distribuunt in choro. Item infrascripta excipiuntur & in prædictis non computentur, & diuidantur, fiatq; de eis, quod & sicut hactenus fieri consueuit: Videlicet quicquid obueniet de oblationibus maioris altaris, & omnium aliorum in filis candelis thure, & faculis, tortiis. Denarii, candelæ, & faculæ, quæ obuenerint Canonicis de eleemosynæ, quæ fit in die depositionis defuncti præsentibus Clericis. Denarii qui dantur pro Iachonia, seu Diaconia defunctorum. Ea quæ in pane, vino, carnibus, piscibus & aliis commestibilibus pro septima, trigesima, & etiam annuali Capitulo, seu Canonicis transmittuntur: sed si quid in denariis mitteretur, id cameræ applicetur illa, quæ aliquando non ex debito, siue iure, sed ex mera, & pura liberalitate seu curialitate mittentium in croco, & aliis comestibilibus ipsi Capitulo destinentur. Denarii, qui de obuentionibus maioris Altaris in matutinis quarundam festiuitatum tantum Cantoribus Canonicis tunc præsentibus exhibeantur: Denarii qui tribuuntur Canonicis præsentibus illis horis, quas Canonicorum aliquis, seu quiuis aliquis propter alicuius sancti reuerentiam non ex ordinatione, vel obligatione perpetua, vel in loco, sed pro sua deuotionis arbitrio interdum faceret in ipsa Basilica decantari Gallinæ, quas illi de Bucceia Capitulo in carnispriuio quolibet anno mittunt singuli duo solidi, quos duos habeant sacerdotes, qui in festo omnium sanctorum, & die sequenti sedent ad valuas Ecclesiæ, vel alibi ad recipiendas eleemosynas, quæ dantur pro memoria defunctorum, quicquid vero deductis, quatuor solidis supradictis de eleemosynis ipsis superesse contingat ad communem cameram Basilicæ supradictæ deducatur. Prandium siue pabulum charitatis quod fieret per aliquem in Canonicum receptum, & suæ portionis possessionem adeptam ex mero arbitrio, & libera voluntate. Si quid vero in pecunia absolutè & liberaliter ab ipso recepto fuerit elargitum, illud communi Cameræ applicetur. Procurationes, seu commissiones quas Canonici prælibati recipiunt ad festum alicuius Capellæ ipsi subiectæ Basilicæ accedentes Centum viginti panes vnus porcus, & vnus castratus, qui ab Eccles. S. Martheæ, ac sex cerei, & quatuor decim piperis libræ, quæ ex debito, vel de iure Basilicæ debentur eidem, & viginti quatuor castrati, qui dantur dictæ Basilicæ de herbaticis facultatem, & duodecim denarii, quos quando vadunt ad Hospitale S. Spir. cum effigie Iesu Christi sunt singuli Canonici percepturi. De centum vero solidis, qui à Præceptore, & confratribus hospitalis ipsius dantur, fiat per omnia, quod infra de anniuersariis ordinatur. Procurationes, quæ Canonicis tam pro personis suis, quam equorum vecturis, & expensis aliis iuxta Basilicæ prædictæ iura, vel consuetudines antiquas debentur illis, scilicet qui ad visitandum loca aliqua, vel alias quomodolibet de mandato, & beneplacito Archipresbyteri, vel eius Vicarii, & Capituli vel solius Capituli in ipsorum Archipresbyteri, & Vicarii absentia mitterentur. Denarii, qui dabantur Canonicis præsentibus in computis faciendis: Denarii quos Canonici recipient qui in Quadragesima & Aduentu præsentis ordinationis intererint Lectioni. Denarii, qui dantur Canonicis portantibus ad altare, & repertantibus Cathedram S. Petri. Denarii qui consueuerunt dari Canonicis numeratoribus vel electoribus monetarum. Canistra pepomum, vuarum & aliorum fructuum, arborum, seu hortorum, & alia, his similia, quæ Capitulo, seu Canonicis contingeret prouenire. Residuum facultatum, quas minores hactenus percipere consueuerunt de oblationibus Altaris S. Mariæ de Cancellis percepissent, cum ipsi Altari in Missa deseruiunt Presbyter, & Ministri: Item octo solidi qui hac ordinatione vnicuique Canonicorum vt infra dicetur conceduntur. Non teneantur tam sacerdotes, quam inferioris gradus Canonici deducere in commune vel Cameræ applicare, quæ non Capitulo vel Canonicis in communi, sed alicui Canonico specialiter dantur in eleemosynam, vel vt pro viuis, seu defunctis Missarum, seu officiorum Diuinorum, vel orantium suffragia impertiantur, quod & generaliter intelligimus de omnib. quæ Canonico alicui dignoscentur personaliter obuenire. Volumus quoque, quod minuta & exceptæ prædicta inter Canonicos, & Beneficiatos dictæ Basilicæ distribuantur ita videlicet quod Canonici tunc præsentes, & qui pro præsentibus sunt habendi. De minutis & exceptis eisdem duas partes inter eos pro viriliaqualiter diuidendas: Et prædicti Beneficiati præsentes & pro præsentibus habendis similiter tertiam habeant portionem inter eos modo simili diuidendam. Non autem intendimus, quod ea, quæ de prædictis exceptis interdum iuxta ritum, & consuetudines dictæ Basilicæ pro personalibus obsequiis, seu ministeriis per certos ex eis faciendis taliter obsequentibus vel ministrantibus exhibeatur cum aliqua ex eis ex sui qualitate in diuisionem non cadant, quædam vero laborantibus defalcari non deceat in diuisionem, vel partitionem cum aliis, absque consensu sic obsequentium, vel ministrantium vertantur. Vnaqueque autem dictarum portionum in ea computatis viginti quatuor libris proueniens: vel circiter pro quotidianis distributionibus Canonico inseruienti per totum annum in singulis horis canonicis, prout infrà dicetur, deputatis, etiam si in toto, vel in parte ipsas viginti quatuor libras à Canonico recipi non contingat, qui ab horis omnibus vel aliquibus forsan abesset valorem sexaginta librarum proueniens annis singulis aliquatenus non excedat, quantumcunq; aliquo forsan anno obuentiones, seu facultates ipsius Basilicæ excrescerent, vel eas contigerit ampliari: sed si deductis singulis triginta libris proueniens singulis Beneficiatis debitis, & eis quæ pro Camera ad expediendа communia negotia ipsius Basilicæ fuerit opportuna, prouentus, & obuentiones ipsius ad tantum possent ascendere, quod vnaquæq; portio computatis omnibus, quibusdam exceptis, vt dictum est, sexaginta libras proueniens valere posit in anno, absque diminutione vnaquæque portio illo anno sexaginta libras prouementes sit valoris, at quod præter dictas viginti quatuor libras vnicuiq; præsenti Canonico pro quotidianis distributionibus distribuendas in horis triginta sex libras proueniens percipiat vnusquisq; Canonicus residens in ipsa Ecclesia iuxta formam inferius adnotatam, quæcunq; tamen bona immobilia, seu pro mobilibus bonis emendis, & quæ in paramentis vasis argenteis, & aureis, & cæteris ad ornatum Altaris & ministrorum eius pro cultu Diuino eidem Ecclesiæ obuenirent pro portionibus & beneficiatorum beneficiis, deducendis ad quamcunq; summam, seu quantitatem, in hac ordinatione taxatam nullatenus distrahantur, sed remaneant in communi. Denique si portio Cameræ deputata ad expensas faciendas pro ipsius Basilicæ tantum ad arbitrium Archipresbyteri, & Capituli assumatur, quantum sufficere videbitur ad ipsius Basilicæ communia negocia procuranda, & vtiliter exequenda. Prædictorum quoque Beneficiatorum institutio, & destitutio scilicet perpetua, amotio à suo beneficio, & Basilica supradicta ad Archipresbyterum & Capitulum ipsius Basilicæ pertineat pleno iure. Scripto verò & reformatio, priuatio suorum beneficiorum ad tempus vel suspensio ab eisdem, & omnis iurisdictio & censura, nec non & omnis ordinatio, depositio status eorum, saluis his, quæ ex præsenti ordinatione ipsis beneficiatis, prout in ea continetur, competere dignoscuntur præter dictas institutionem, & destitutionem, seu amotionem perpetuam ad præfatum Archipresbyterum pertineant per se, vel suum vicarium, siue Canonicus fuerit, siue alius exercendæ. Sed & quæstiones omnes controuersiæ, discordiæ, siue lites, quas inter ipsos beneficiatos interdum oriri contigerit, vel inter ipsos beneficiatos, seu aliquem ipsorum ex vna parte, & prædictum Capitulum vel aliquem de Capitulo, ex altera per Archipresbyterum seu eius Vicarium terminentur. Eo tamen tempore quo Basilica prædicta Archipresbyterum non haberet, vel quod idem Archipresbyter ageret in remotis, nullo pro se dimisso Vicario præmissa omnia ad Capitulum ipsum pertineant, illo casu duntaxat excepto, in quo Capitulum in defendendo partem faceret, vel agendo, in eo namque casu adiri alius competens Iudex posit. Nullus etiam Canonicus per se Iurisdictionem, seu imperium vel dominationem, seu auctoritatem quamcunque exercere posit in aliquem de beneficiatis eisdem, nec ipsos superbis vel ampullosis verbis, seu factis iniuriosis exasperet, quamquam ipsi Beneficiati vniuersos, & singulos Canonicos tanquam maiores honore condigno prosequi debeant, sicut decet. Præterea de communibus prouentibus ipsius Basilicæ seu de camera communi singulis annis absq; omni diminutione singulis prædictorum Beneficiatorum distribuantur & soluantur in horis Canonicis, prout inferius distinguetur singulis viginti libræ proueniẽtes Senatus ad minus, vel circiter. si tamẽ forsan aliquo anno ad tantam tenuitatem, seu exilitatem, quod absit, portiones Canonicis residentibus debitæ, & in omnibus horis Canonicis per totum annum deseruientibus deuenirent, quod quinquaginta librarum proueniens, computatis omnib. iuxta præsentem ordinationem in ipsis portionib. cõputandis non attingeret quantitatem illo anno si placeret Capitulo diminutio triginta librarum concessarum beneficiatis eisdem in ea duntaxat, & non maiori posit fieri quantitate pro rata, quod singuli Canonici residentes & quotidianas distributiones percipientes horarum per suppletionem eis faciendam de dictis triginta libris singularum beneficiatorum duplo maiorẽ tantum, quam ipsi beneficiati portionem. Cum autem inter alia specialiter ordinemus, quod triginta libræ prouenientes Beneficiatis, ipsis viginti, videlicet vel circiter in quotidianis distributionibus, & decem pro suis beneficiis assignentur, sic ipsas decem libras distribui volumus, quod qui præsentibus fuerint in festo Apostolorum Petri & Pauli, seu quipro præsentibus sunt habendi illi soli percipiant, qui per totum annum præcedentem fuerint residentes & deseruientes in ipsa Basilica reputandi: Non enim qui forsan interdum à choro abessent, cum tunc chori distributione priuentur isti decem libri priuari deberẽt illi, seu eis sicut rationabile videbitur, pos-

sint in toto, vel in parte priuari, qui iudicandi essent meritò in horis seruitio notabiliter negligentes, & quibus pœna huiusmodi infligenda merito videretur. Rursus statuimus, & ordinamus, & inuiolabiliter volumus obseruari, vt de omni eo, quod quolibet anno finito in camera superuerit ex omnibus obuentionibus, & cunctis, quæ ad Cameram ex Canonicorum, seu Beneficiatorum absentiis, vel quomodolibet deuenissent exceptis vasis, & aliquibus quæ pro cultu diuino viderentur Archipresbytero, & Capitulo Cameræ deductis, & solutis sexaginta libris prouenientibus pro singulis Archipresbyteri, Canonicorum, Metæ, ac Cameræ portionibus & triginta libris prouenientibus, pro singulis Beneficiatorum beneficiis, nec non & expensis Cameræ pro necessitatibus eiusdem, prout superius est expressum possessiones, & alia immobilia bona emantur, ex quibus possit prouentus, & ipsius Basilicæ redditus augmentari, & vt hæc salubris ordinatio, in qua prouide dirigitur vt ad trigesimum Canonicorum numerum, non multa post tempora, dante Domino valeat peruenire citius, & celerius ad finem debitum, deducatur propter quod interdicimus, & districtissime prohibemus, vt nihil de eo quod remanserit de omnibus obuentionibus factis deductionibus vt suprà proximè est expressum inter Canonicos diuidatur omnino, seu vsibus aliis deputetur. In quotidianis autem distributionibus inter Canonicos distribuendis in horis hanc formam statuimus, & modum, & volumus obseruari, vt scilicet exceptis casibus infrascriptis nullus eas percipiat, nec alicui concedatur, nisi præsens in choro fuerit, & horæ interfit, in qua distributio fuerit facienda. Non repœnabitur autem præsens nisi chorum intrauerit in Matutinis ante finitum Gloria primi Psalmi, qui dicitur post Venite, & in Missa ante finitum vltimum Kyrieeleison. In omnibus autem aliis choris ante finitum Gloria primi Psalmi qui in ipsa hora cantatus, & præsens fuerit, quando circa finem Missæ, & horæ fuerit denariorum distributio facienda, caueat autem sibi, qui absque causa necessaria vel vtili euidenti chorum non exeat neque Diuinum officium intermittat, si quis autem de hoc vitiosus fuerit, prout sua mala consuetudo fuerit, & meruerit corrigatur. Illi autem qui de mandato Archipresbyteri, vel eius Vicarii, & Capituli, & solius Capituli absentibus ab Ecclesi. Archipresbytero, & ipsius Vicario absentes ab Ecclesia fuerint, vel ab horis propter seruitia, seu negocia Ecclesiæ procuranda, quamdiu sic absentes fuerint, percipiant distributiones horarum, & portionem suam integre, sicut & cæteri residentes, & in iis pro residentibus habeantur: propter perceptionem tamen huiusmodi maius temperamentum, & moderamen poterit adhiberi circa expensas eorum de prouentibus Ecclesiæ, seu Cameræ faciendas. Si qui autem de residentibus Canonicis sic infirmati, vel debilitati fuerint, eo scilicet tempore, quo in ipsa Ecclesia residunt, vel pro residentibus sunt habendi, tantaque seu talis esset eorum infirmitas, seu debilitas, quod absque periculo proprii corporis, vel multum notabili, & magna indecentia, quæ posset errorem, vel scandalum generare, scilicet ex ligaturis, emplastris in locis indecentibus, vel huiusmodi horis interesse non possint, non excludantur à distributionibus supradictis: sed eas percipiant durantib. ipsis infirmitatibus & debilitatibus & indecentiis, quas etiam percipient medicinati, semel in anno diebus quatuor, & minuti sex vicibus in anno, duobus diebus in vnaquaq; minutione, dummodo prædicti in ipsa Ecclesia fuerint residentes, vel in vrbe de licentia ramen Archipresbyt. vel eius Vicarii, & Capituli, vel solius Capituli absentibus ab Ecclesiæ Archipresbyt. & eius Vicario cõmorentur. Si quis autem ab Archipresbyt. vel eius Vicario, & Capitulo, seu solo Archipresbyt. vel solo Capitulo in ipsius absentia, vel solis etiam Camerariis haberetur suspectus, quod infirmitatem, vel debilitatem, seu indecentiam non haberet, quæ ipsum propter periculum, vel indecentiam, iuxta quod dictum est, à chori, vel horarum seruitio, merito, redderent excusatum, huiusmodi suspicione durante, sibi distributionum medietas subtrahatur, quousque rationaliter ostenderit se nihil agere simulatè, & sibi non esse iuxta hanc ordinationẽ distributiones huiusmodi subtrahendas, vel euidenter appareret ipsum eas percipere non debere, in quo casu sicut priuandus est omnib. sic etiã alio sibi debent distributiones integrè ministrari, suspicionis tamẽ exceptæ medietate tantũ recipiat, vt dictum est. Ab hac etiã quotidiana distributione nullus Canonicorum portionem habens, vel ad portionẽ admissus, seu cuius portio debita sibi vacet, licet efficaciter non sit admissus ad eam, quia non est promotus ad sacros, aliquatenus excludatur, etiãsi in ipsa Ecclesia non resideat. Si forsan aliquando in choro horarum in qua fuerit facta distributio ipsum supradicto modo interesse contingat. Nam regulariter soli residentes in ipsa Ecclesia, & qui pro residentibus habentur, sunt iuxta formam præmissam ad perceptionem distributionum huiusmodi admittendi. Dictarum autem quotidianarum distributionum exhibitio, vel distributio ipsis Canonicis ita fiet, singulis diebus, tam ferialibus, quàm festiuis, in matutinis perc ipiat tres denarios prouenientes vnusquisq;, in Prima vnum, in Missa tres, in Tertia vnum, in Sexta vnum, in Vesperis tres, in Completorio vnum, quod deinceps in Choro immediatè post vesperas dicetur, præterquam in Quadragesima, in qua hora consueta cantetur, & in ipsa Quadragesima vnus denarius adimatur à vesperis, & Completorio adiungatur, ita quod duos denarios in Vesperis, & duos in Completorio percipiat vnusquisque. Infrascriptis autem festiuitatibus, & diebus, prædictis distributionibus fiat additio, sicut inferius distinguetur, nam præter distributiones prædictas, in Vesperis vigiliæ Apostolorũ Petri & Pauli, vnusquisque percipiat decem denarios prouenientes. In Vigilia decem, in Matutinis decem, in Missa decẽ, & in Vesperis festi decem. In vnaquaq; autem infrascriptarum festiuitatum, scil. in octauis Apostolorum Petri & Pauli, in festo dedicationis Basilicarum suarum. In festo Natiuitatis Dominicæ, in Epiphania, in festo Ascensionis Dominicæ, & in Pentecostes, vnusquisq; recipiat septem denarios prouenientes. In Vesperis Vigiliæ septem, in Vigilia septem, in Matutinis octo, in Missa & in Vesperis festi septem. In festo verò Resurrectionis Dominicæ in quo Vigilia non cantantur, in Vesperis qua Sabbatho sancto dicuntur, percipiat vnusquisq; nouẽ denarios, in Matutinis nouẽ, in Missa nouem, & in Vesperis nouem. In vnaquaq; autem infrascriptarum festiuitatum, vnusquisq; percipiat duos denarios, in Vesperis Vigiliæ duos, in Vigilia duos, in Matutinis duos, in Missa duos, in Vesperis festi duos. Festiuitates autem sunt hæ, festum Assumptionis Beatæ Virginis, sancti Matthei Apostoli, S. Lucæ, sanctorum Simonis & Iudæ, omnium Sanctorum, Cœ memoratio mortuorum. Dedicationis altaris sanctæ Mariæ de Cancellis, S. Andreæ, Dominica de Gaudete, S. Stephani, Cathedræ S. Petri, Dominica Quinquagesimæ, in qua dentur in Missa quatuor denarii, cum Vigiliæ non præcedant sancti Gregorii. Die Lunæ post Pascha, in qua dentur quatuor denarii in Missa cum Vigiliæ non præcedant. Dominica in qua cantatur. Ego sum Pastor bonus, in qua dentur quatuor denarii in Missa cum Vigiliæ non præcedant, & S. Patronillæ: In singulis vero festiuitatibus infrascriptis de cetero Vigiliæ decantentur: In quibus duos denarios, in Vigiliis, & duos in Missa percipiat vnusquisq;: festiuitates autem sunt hæ Commemoratio sancti Pauli, Martialis, SS. Procusi & Martiniani, S. Alexii. S. Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi, S. Petri ad Vincula, S. Laurentii, S. Bartholomæi, S. Egidii, Natiuitatis S. Mariæ, Exaltationis S. Crucis, S. Michaelis, S. Francisci, Dedicationis Basilicæ Saluatoris, S. Martini, Dominica de Aduentu, in qua quatuor denarii dentur in Missa, quia Vigiliæ non præcedunt, S. Luciæ, S. Thomæ, S. Ioannis Euangelistæ, S. Siluestri, Circumcisionis Domini, Conuersionis S. Pauli, Purificationis S. Mariæ, S. Matthiæ, Dominica Passionis, in qua dentur quatuor denarii in Missa, quia Vigiliæ non præcedunt, Annunciationis B. Virginis, S. Longini, Dominica Palmarũ, in cuius Missa dentur quatuor denarii, quia Vigiliæ non præcedunt, Sabbato sancto, in cuius Missa dentur quatuor denarii, quia Vigiliæ nõ præcedũt, S. Marci, SS. Philippi & Iacobi, inuentionis S. Crucis, Apparitionis S. Michaelis, S. Barnabæ. Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, SS. Ioannis & Pauli, & S. Leonis Papæ. In singulis quoq; Vigiliis B. Virginis, quæ cantantur diebus Veneris, si festum nouem lectionum non occurrat, A Dominica prima post Pentecostes, vsq; ad Dominicam de Aduentu, & ab Octauis Epiphaniæ, vsque ad Dominicam de Passione, singulis Canonicis præsentibus, vel qui pro præsentibus sunt habendi, de Camera, præter alia, denarii duo dentur. Canonicos haberi pro residentibus, & residentes esse in Ecclesia: statuimus illos, qui in Canonica: siue infra claustrum ipsius Canonicæ commorantur: vnde residens habeatur illa die Canonicus, qua infra claustrum ipsius Canonicæ pernoctabit. Et vbicunq; extra claustrum ipsum pernoctare contigerit, non reputetur, vel habeatur residens illa die, illis casibus duntaxat exceptis, in quibus ex præsenti ordinatione alibi pernoctantes percipiunt sua beneficia, vt Canonici residentes. Amplius quia huiusmodi quotidianæ distributiones horarum, ad viginti quatuor libras prouentuum ascendere dignoscuntur in anno, restat, quod illo anno, quo portio ad sexaginta librarum quantitatem ascenderit, triginta sex libræ prouenientes in pecunia, vel in rebus, præter ipsas distributiones cuilibet Canonico residenti debentur, harum autem triginta sex librarum solutionem, seu diuisionem, sic ordinamus, & disponimus faciendam, vt scilicet finitis singulis duobus mensibus, vnicuiq; Canonicorum residentium, sex libræ prouenientium persoluantur in pecunia, vel in rebus, pro residentia in ipsis duobus mensibus iam completa. Illis autem mensibus, in quibus bladi, annonæ, & grani distributio fuerit facienda, si habita consideratione numeri portionum, quantitas harum rerum tanta fuerit, vt id quod posset pro sua portione ad vnumquemq; Canonicorum residentium peruenire, iuxta veram æstimationem ad maiorem summam ascenderet, quàm sit quantitas sex librarum, nihilominus

nihilominus in hoc casu in rebus prædictis non diminuatur portio Canonicorum, & expensas pertinent. seruent, exequantur & faciant, iuxta mici residentis, sed diligens consideratio est habenda, quantum in ipsis formam, modum, & ordinem, in eadem ordinatione contentos, & rebus vltra sex libras receperit vnusquisq;, & hoc redacto diligenter in omnia quæ recipiunt, distribuunt, diuidunt, & expendunt & cæteris scriptis tantum, cum ex residentia præcedenti suum non fecerit, quod ra quæ ad ipsorum spectant officium, puta Canonicorum absentias ab vltra valorem sex librarum prouenientium tunc reciperent, de portio- Ecclesia, vel ab horis, & iis similia, determinando tempora, vt perso ne primo sequenti, vel si illa ad hoc non sufficeret, de aliis portionibus nas, & cæteras circumstantias. Prout ad declarandum in huiusmodi continuè sequentibus adimatur, quod ipse Canonicus redigatur ad sta- statu Ecclesiæ, seu Camera fuerit opportunum, sic diligenter separatum, in quo in fine anni exceptis distributionibus, & aliis, quæ sunt ex tim vnusquisque conscribat, vt in sex libris seu quinternis reperiantur hac nostra ordinatione exceptæ, non vltra triginta sex libras prouen- cuncta conscripta, quatenus manifesto appareat, quid, & quantum in tum reperiatur aliquatenus recepisse, & si forsan verisimiliter dubi- Camera fuerit ad possessiones emendas, pro Ecclesiæ prouentibus aũ taretur de aliquo, quod se deberet ab Ecclesia absentare, & ad eam gmentandis, & an Canonicis, & Beneficiatis, sufficienter iuxta hanc longis temporibus non redire, non stat vltra valorem sex librarum ordinationem de suis portionibus & beneficiis fuerit satisfactum. Sub ipsarum rerum assignatio, nisi sufficienti præstita cautione, quod si pro- sex quoq; clauibus, quarum vnusquisque custodiat vnam, omnia bona pter eam absentiam non posse de sequentibus suis portionibus illo an- quæ ad manus ipsorum deuenerint, tanta, & tali digna custodia conno Ecclesiæ satisfieri de eo quod vltra summam sex librarum percepis- seruentur, præsertim pecunia, nec non & alia, quæ ratione sui valoris, set. Ecclesiæ seu Cameræ redderetur quicquid sibi fuisset vltra solutum. aut pretio, aut qualitate, pro vtilitate Ecclesiæ diligenter fuerint con Illo autem anno, quo forsan ad summam sexaginta librarum computa- seruanda, rationem & computum, dictis Archipresbytero, vel eius Vitis omnibus, præter exceptæ, verisimiliter videretur non posse ascen- cario, & Capitulo, in fine duorum mensium, cum distributio sex libradere, portionem in solutionis dictarum sex librarum, vel in singulis ter- rum fuerit Canonicis facienda, reddent, & faciant diligenter, vt pro illo minis fiat diminutio præfatæ quantitatis ad quam videtur ascendere tempore status Basilicæ siue Camera sciri possit, in fine tamen anni, portio illo anno, vel prouideatur sic, quod in solo termino circa finem post finitum suum officium, infra quindecim dies, vel infra tempus eis anni, vno vel pluribus sic diminutio ipsa fiat, quod solutionibus omni- ab Archipresbytero, vel eius Vicario, & Capitulo assignandum de ombus computatis, non reperiatur in fine anni percepisse vltra id, quod sibi nibus ad suum officium pertinentibus, reddant ipsis, & faciant computum generalem status Ecclesiæ, quo ad temporalia sciri possit, & nouex hac ordinatione debetur. Talis quoque partes per quas hæc solu- Camerarii possint super omnibus informari. De quibus assumendis, tio imminet facienda, prouidentia & prouiso habeatur, vt vnusquæ- priusquam annus Camerariorum præcedentium finiatur, est per Archique semper reperiatur in Camera, quod in fine singulorum duorum presbyterum & Capitulum sollicitè prouidendum. Residentes autem mensium semper possit Canonicis residentibus secundum modum pra- Canonici sollicitè conueniant ad computum edendum, & singulis edictum solutio prouenire. Si quis autem Canonicus extra dictam Ca- rum qui in computo interfuerint, & persliterint, quousq; computus ternonicam, seu Claustrum ipsius pernoctauerit, in casu, in quo residens minetur, in vnoquoq; computo in fine duorum mensium, de communi non habetur, pro singulis diebus quibus extra pernoctauerit, singuli Camera, ab ipsis Camerariis denarii duo dentur. In generali quoque duo solidi prouentuum sibi adimantur, & Ecclesiæ siue Cameræ ap- computo faciendo anno finito, dentur singulis duodecim denarii ab iisplicentur, de solutione in proximo sibi termino, scilicet in fine duorum dem. Illi verò qui non conuenerint ad computum audiendum, non somensium faciendæ, quæ solutio siue præsens, siue absens fuerit, sibi fiat lum non habeant quod in ipso computo fuerant percepturi, sed de partideductis singulis duobus solidis pro diebus singulis, pro quibus residens cipatione, quæ fuerit in duobus mensibus imminentibus facienda, eorum non habetur, vt sic præmissa percipiant soli residentes, & non alii, singulis, singuli duo solidi subtrahantur, de portione quoq; proximè sevel qui pro residentibus sunt habendi. De gratia tamen concedimus, quenti ad computum generale, subtrahantur vnicuique decem solidi quod si per totum anni curriculum, pro suis vel amicorum suorum ex- communi Cameræ applicandi, nisi eos infirmitas, seu debilitas, aut minupediendi negotiis, seu ex quacunq; alia honesta causa, viginti diebus in- nutio, vel ipsius Ecclesiæ negotia, iustè & rationabiliter excusarent. Vt terpolatis, seu continuis, extra Canonicam seu Claustrum ipsius volue- autem ipsorum Camerariorum tam Canonicorum quam Beneficiatorit pernoctare, liberè possit hoc facere, absq; dictorum duorum solidorum rum sollicitudo & labor aliqualiter leuentur, in vnoquoq; computo in defalcatione, seu diminutione aliqua facienda: sed hoc ad plures dies fine duorum mensium faciendo, vltra portionem, & Beneficium, quæ quàm ad viginti nullatenus extendatur, contra fraudem autem, vel vel quod ipsum contigit dictorum Canonicorum, singulos octo solidos, detestandam negligentiam aliquorum, qui licet pernoctent in Cano- & dictorum Beneficiatorum, singulos quatuor solidos percipiat vnusnica siue Claustro, & in nullo, vel in modico in horis, & aliis Eccle- quisq;. Et si aliquem illorum in longum ab executione sui officii consiæ obsequiis deseruirent, prouideatur per subtractionem prouentuum in tigerit impediri, alius sibi per Archipresbyterum & Capitulum subroto, vel in parte aliqua, per Archipresbyterum, & Capitulum prout getur, vt cæteri, iuramenti vinculo abstringendus. Ne autem dictos eis secundum Deum videbitur expedire. Et quia Canonicorum qui- Beneficiatos lateat status Ecclesiæ, & vt ipsius status, de notitia, apud bus in nonnullis casibus committerentur ipsius Basilicæ negotia pera- personas, quarum interest, & quæ prodesse valeant, possint eiusdem genda, prouida diligẽtia circa ipsius magnum subsidium ita ad quæ ten- Basilica commoda procurare: Statuimus quod in singulis computis fadit præsens ordinatio præstare poterit, in futurum, sic duximus statuen- ciendis, duo Priores Presbyteri, duo Priores Diaconi de ipsis Beneficiadum, vt quilibet Canonicus cum negotia sibi commissa officii sui debi- tis, qui præsentes tunc fuerint, & potuerint, eisdem cõputi debeant intum: sic fideliter, sic solicitè studeat adimplere, quod ex hoc Deo & A- teresse, non vt vocem habeant in Capitulo, seu de statu Ecclesiæ ipsius, postolorum Principi se reddat acceptum, & ipsa Basilica in prouentibus vel prouentuum, seu computationis ipsius aliquid disponentes, & vnusaugeatur, & si forsan ex ipsius malitia, dolo, seu fraude, ipsi Basili- quisq; ipsorum recipiat medium eius, quod receperit Canonicus, qui cõcæ damnum aliquod prouenire, præter id, quod ipse tenetur damnum putis ipsis interfit. Nulli de cætero in prædicta Basilica obedientiarii fiant, huiusmodi resarcire, idem Canonicus iuxta qualitatem sui erroris, sicut consueuerant hactenus fieri, sed prædicti sex Camerarii obedien& quantitatem damni, taliter puniatur, quod ipsius pœna aliis transeat tias exerceant vniuersas, & dictorum obedientiariorum officia fideliter in exemplum. Statuimus insuper & ordinamus, quod annis sin- exequantur, quousq; per sedem Apostolicam, vel de Romani Pontificis gulis, quatuor de Canonicis residentibus, & portionem percipientibus, conscientia, per Archipresbyterum & Capitulum super hoc aliud con& duo de beneficiatis residentibus, & beneficia percipientibus, fi- tigerit ordinari. Et si aliquem propter prædictorum executionem ab de digni, per quos credantur negotia præfatæ Basilicæ debere tam fide- Vrbe abesse contigerit, reliqui suum officium faciant, ita tamen, quod liter, quam prudenter, & vtiliter pertractari, per Archipresbyterum semper tres vel duo ad minus remaneant ibidem ad officium exercen& Capitulum assumantur ad Camerariatus officium exercendum, dum. Cum verò ipsis Camerariis Camera committitur officium, præquorum assumptio viuente Archipresbytero nunquam fiat absq; requi- sentibus Archipresbytero, vel eius Vicario, & Capitulo, iurabunt tasitione, & consensu Archipresbyteri in Vrbe, vel in vicinis partibus ctis sacrosanctis Euangeliis sub hac forma. Nos tales ad exercendum existentis, etiamsi abesset ab Vrbe, & eius Vicarius in Ecclesia resideret. officium Cameræ nostræ Basilicæ à præsenti die vsque in annum com In Camerariis enim istis multa est fidelitas, & industria requirenda. pletum assumpti, tactis sacrosanctis Euangeliis, promittimus, & iura Prædicti autem sex Camerarii accipiant omnes fructus, redditus, mus, quod officium nobis commissum fideliter exequemur, prouentus, & prouentus & obuentiones quascunque, vndecunque, & qualitercun- & obuentiones omnes ad dictam pertinentes seu prouenientes Basilique ad ipsam Ecclesiam pertinentes, præter quædam minuta inter ex- cam, pro posse nostro procurabimus, vt nobis absq; diminutione integrè cepta contenta, & in portione minimè computanda, quæ ad manus consignentur, ipsosq; custodiemus fideliter, & diuidemus, & portionem Cameriorum nec oportet, nec congruit deuenire, nec hactenus deue- faciemus, & tam Canonicis in distributionibus, & aliis pro suis portionerunt. Et ad manus eorũ cuncta deueniant, quæ ad ipsam proueniunt nibus quã Beneficiatis Chori Basilicæ S. Petri, pro suis beneficiis integrè Basilicam, seu ex hac ordinatione, vel quocunque modo sunt commu- satisfaciemus de bonis eiusdẽ Basilicæ seu Cameræ, & quæ residua fuerint nia ipsius Basilicæ vel Cameræ applicanda. Omnia quoq; contenta in fideliter conseruabimus, iuxta quod hæc omnia sigillatim distincta sunt ordina-

in ordinationib. seu statutis factis per sanctißimum Patrem D. Nicolaũ Papã III. prout in ipsius priuilegio, seu litteris sua Bulla bullatis plenius continetur. Extimationem quoq; rerum aßignandarum Canonicis secundum statuta prædicta pro suis portionibus, bona fide iuxta communem valorem secundum nostram conscientiam faciemus. Nulli Canonico seu beneficiato scienter de bonis ipsius Basilicæ dabimus, aut ipsum pro posse nostro auferre, vel recipere permittemus, vltra id quod eis debetur ex præmissis ordinationibus seu statutis, & seruabimus modum, & formã, & ordinem expressos ibidem. Si sciuerimus, vel nõ leuiter crediderimus, aliquem Canonicum seu Beneficiatum, in recipiendo vltra quam deberet secundum præmissa statuta percipere, Ecclesiam defraudasse, nobis pro Ecclesia seu Camera, quod malè receptũ fuerit, per fraudatorem si poterimus restitui faciemus, vel tantum de portione, seu de beneficio defraudatoris retinebimus, quod Ecclesia reddetur indemnis, si non possemus hoc facere, quia negaret forsitan defraudator, id ad notitiam Archipresbyteri & Capituli deducemus. Veritatem quoque dicemus, absq; falsitatis admixtione cuiusq;, super omnib. quæ ad nostrum spectant officium, Archipresbytero & Capitulo, vel vtriq; ipsorum separatim, in omnib. & super omnibus officium nostrum contingentibus ex quorum taciturnitate credemus posse pati ipsam Ecclesiam detrimentum. Finito a. nostro officio: & etiam quandocunq; Archipresbytero, vel eius Vicario, & Capitulo, seu Archipresbyteratu vacante, placuerit, omnia integrè resignabimus, quæ apud nos, vel in Camera fuerint, de bonis B. Petri Basilicam pertinentibus vel aliis, qui ab eis ad hoc fuerint deputati, & Basilicam ipsam reddemus indemnem de omni eo, in quo ex cuncta nostra scientia, tam à nobis, quam ab aliis, ipsa Basilica per nostram malitiam siue fraudem, damnificata fuisset. Fidelem quoque rationem seu computum, iuxta quod in prædictis statutis ordinatum est, de omnib. faciemus, sic nos Deus adiuuet, & hæc S. Dei Euangelia. Statuimus, quod de cætero nullus Canonicus admittatur ad residentiam in eadem Ecclesia faciendam, nisi de verbo ad verbum in Capitulo eiusdem Basilicæ, sub forma infra scripta præstiterint iuramentum acceptis existentibus infra tempora pubertatis, qui statim postquam ad illam deuenerint, illud præstent, quod si forsan præstare recusauerint, nec habeantur pro residentib. nec morari permittantur in ipsius Basilicæ capitulo, vel in claustro, nulli quoq; portio concedatur, aut detur, nisi prius sub forma iurauerit infrascripta. Processu tamen tẽporis in forma iuramenti Canonicorum, Camerariorum, & Beneficiatorum, alia capitula adiici poterunt & adiungi, prout secundum emergentes euentus, & casus, animarum saluti, ac præfatæ Basilicæ vtilitati pensatis, Romano Pontifici, vel de ipsius conscientia Archipresbytero, & Capitulo videbitur expedire. Forma autem hæc est. Ego talis, Basilicæ Principis Apostolorum Canonicus, iuro, & promitto, quod fidelis ero B. Petro, nec non & dictæ Basilicæ ipsius Principis Apostolorum, de Vrbe, possessiones, iura, & bona tam immobilia quam mobilia, ad ipsam Basilicam pertinentia, adiutor ero bona fide, ad conseruandum, custodiendũ, & defendendum, saluo meo ordine, nec Basilicam ipsam in prædictis rebus & iuribus scienter damnificabo, seu pro posse meo damnificari permittam, de bonis ipsius Ecclesiæ nihil siue magnum, siue paruum fuerit, scienter, malitiosè percipiam, seu recipiam vltra id, quod de bonis ipsis habere, & percipere mihi licet, & si forsan per ignorantiam, siue fraudem vel alio quouis modo, aliquid de bonis ipsius, vltra quod mihi licet, reciperem, vel haberem, si postquam pro certo cognouero me aliquid illicitè recepisse, vel etiam habuisse, reddam Basilicam prædictam indemnem, & id restituam infra mensem, reatum periurii non incurram. Si sciuero vel cognouero aliquem in bonis mobilibus, vel immobilibus, vel ipsam Basilicam defraudare, vel etiam defraudasse, volentis conatus impediam, si potero bono modo. Et si eadem Ecclesia fuerit defraudata, illud quatenus absque meo periculo fieri poterit, damni consideratione pensata, Archipresbytero, seu Capitulo, vel illis manifestabo personis, per quas indemnitati Ecclesiæ vtilius consuli posse credam. Secretum Archipresbyteri, & Capituli, quod secretum esse cognouero, ad damnum Ecclesiæ me sciente nemini reuelabo, sed & nulli pandam aliquid, quod ab eisdem, Archipresbytero, vel eius Vicario & Capitulo, seu à solo Archipresbytero, vel à solo Capitulo, dictis Archipresbytero vel eius Vicario, ab Ecclesia eadem absentibus, iniunctum mihi fuerit secretum seruandum sub secreto Capituli, vel sub fide præstiti iuramenti, in hoc tamen Archipresbyterum non includo, quin sibi reuelem, cum ei secreta Capituli minimè sint, celanda. Ipsius Archipresbyteri, & Archipresbyteratus iurisdictiones & iura, quantum in me fuerit, scienter nec imminuam, nec infringam ordinationes, & statuta facta per sanctißimum Patrem D. Nicolaum Papam III. illa videlicet, in quibus inter cætera continentur, institutio siue plantatio triginta Beneficiatorum Chori Basilicæ S. Petri, augmentum numeri Canonicorum vsque ad trigintæ inclusiue, & ordinatio Anniuersarii, & trium Missarum celebrandarum pro anima summi Põtificis supradicti, prout in ipsius priuilegio, seu litteris sua bulla bullatis plenius continetur, quoad numerum portionum, & valorem, seu quantitatem ipsorum numeri dictarum portionum, & Canonicorum augmentum, institutionẽ Beneficiatorum chori Basilicæ S. Petri, & ipsorum numerum & quantitatem Beneficiatorum suorum, iurisdictionem in beneficiatos, eosdem casus, in quibus sunt bona Cameræ applicanda, & Canonicis, seu Beneficiatis non danda, & immobilia bona emenda pro facultatibus Ecclesiæ ampliandis, quantum in me fuerit, inuiolabiliter obseruabo, & nullo vnquam tempore veniam contra ea, & vt breuiter omnia comprehendam, non ero in consilio, aut in facto, quod ordinationes, seu statuta prædicta, vel aliquid ex eis etiam quod ad alia quæ continentur in eis, à Capitulo eiusdem Basilicæ immutetur, vel ipsum Capitulum veniat contra ea, quin potius si opus fuerit, pro posse meo, opem & studium adhibebo, quod ab ipso Capitulo seruentur, & minimè negligantur. Anniuersaria in ipsa hactenus statuta, vel in posterum statuenda, quoad dicendum Missas, & cætera officia pro defunctis, & distributionem denariorum faciendam in eis, quantum in me fuerit procurabo, quoad à Capitulo iuxta quod fuerint ordinata fiant perpetuo, & nullatenus omittantur, & specialiter, quod ordinatum est de tribus missis, per tres presbyteros Beneficiatos, & totidem ministros Beneficiatos, cum præcedentib. Vigiliis diebus singulis celebrãdis in altari quod ad honorẽ S. Nicolai idem sanctißimus Pater in eadem Basilica construi fecit & erigi, & de singulis sex denariis prouentuum prædictis singulis presbyteris celebrantibus, & singulis tribus denariis dictis tribus ministris diebus singulis de Camera exhibendis, & de vna Missa Conuentuali cum præcedentibus Vigiliis dicenda semel in anno, sc. in die Anniuersarii eiusdem summi Pontificis, post obitum suum annis singulis, à Canonicis & Beneficiatis dictæ Basilicæ, & decem libris prouentuũ tunc distribuendis inter Canonicos, & Beneficiatos, & eosdem, nec non anniuersariis Patris, & Matris, & Patrui & duorum fratrum suorum, & de denariis distribuendis in eis, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nullum de cætero Canonicum ad residentiam in ipsa Ecclesia faciendam, seu ad portionem percipiendam admittam, nisi prius sub hac eadẽ forma coram ipso Capitulo de verbo ad verbum tactis sacros. Euangeliis huiusmodi præstiterint iuramentum, præterquã si aliquis infra annos pubertatis admitteretur ad residentiam faciendam, sic me Deus adiuuet, & hæc S. Dei Euangelia. Forma quoq; iuramẽti q̃ à beneficiatis Chori Basilicæ S. Petri tactis sacrosanct. Euangeliis, iuro, & promitto, quod fidelis ero B. Petro, & Basilicæ ipsius Principis Apost. de Vrbe, nec nõ & fidelis ero secundũ ea, quæ cõtinentur in ordinationib. factis per sanctißimum Patrẽ D. Nicolaum Papam III. Archipresbytero, & Capitulo Ecclesiæ supradictæ. In iis sc. in quib. ipsi Archipresbytero, seu Capitulo, tenentur iuxta seriem, & modum ordinationis ipsius possessionis, & iura, bona tam mobilia, quã immobilia, ad ipsam Basilicam pertinentia, adiutor ero bona fide ad conseruandum, custodiendum, & defendendum, saluo meo ordine, nec Basilicam ipsam in prædictis reb. & iurib. scienter damnificabo, seu pro posse meo damnificari permittam. De bonis ipsius Ecclesiæ, nihil siue magnũ fuerit siue paruum, scienter malitiosè percipiam, seu recipiam vltra id quod de bonis ipsius habere, ac recipere mihi licet, & si forsan per ignorantiã, siue fraudẽ, vel alias quocunq; modo, aliquid de bonis ipsius vltra id quod mihi licet, reciperem, vel haberem, si postquam cognouero p certo me aliquid illicitè recepisse, vel etiam habuisse, reddam Basilicam prædictam indemnem, & id restituam infra mensem, reatum periurii non incurram. Si sciuero, vel cognouero aliquem in bonis mobilibus, vel immobilib. velle ipsam Basilicam defraudare, vel etiam defraudasse, volentis conatus impediam si potero bono modo, & si eadem Ecclesia fuerit defraudata, illud quatenus fieri poterit absq; meo periculo, damni consideratione pensata, Archipresbytero seu Capitulo, vel illis manifestabo personis, per quas indemnitati Ecclesiæ vtilius cõsuli posse credam, Secretum Archipresbyteri & Capituli, quod secretum esse cognouero, ad damnum Ecclesiæ me sciente nemini reuelabo, sed nulli pandam aliquid, quod ab eisdem Archipresbytero, vel eius Vicario, & Capitulo, seu à solo Archipresbytero, vel à solo capitulo dictis Archipresbytero & eius Vicario ab eadem Ecclesia absentibus iniunctum mihi fuerit secretum seruandum sub secreto Capituli, vel sub fide præstiti iuramenti, in hoc tamen Archipresbyterum non includo, quin sibi reuelem, cum ei secreta Capituli minimè sint celanda, ipsius Archipresbyteri & Archipresbyteratus iurisdictiones, & iura, quantum in me fuerit, scienter nec imminuam nec infringam, ordinationes, & statuta omnia facta per sanctißimum Patrem D. Nicolaum Papam III. illa videlicet, in quibus inter cætera continentur, institutio siue plantatio triginta beneficiatorum Chori Basilicæ S. Petri, augmentum numeri Canonicorum, vsq; ad triginta inclusiuè, & ordinatio anniuersarii, & trium missarum celebrandarum pro anima summi Pontificis supradicti, prout in ipsius priuilegio, seu litteris sua Bulla bullatis plenius continetur. Quoad taxationem Beneficii mei, modum & formam in dicta Basilica residen-

di &

di, & deseruiendi in diuinis officiis, & percipiendi distributiones, vel beneficium meum, nec non, & quo ad potestatem, & autoritatem Archipresbyteri, & Capituli, simul vel separatim, & vbi distinguitur, & omnia, & singula, quæ statum meum, & aliorum beneficiatorum circa institutionem, constitutionem, correptionem, reformationem, statum beneficiatorum ordinationem, vacationem beneficiorum lapsu temporis, vel alias, & quæcunq; alia beneficiatorum statum contingentia sunt inibi ordinata, & vt breuiter omnia comprehendam non ero in Consilio, aut in facto, quod ordinationes, seu statuta prædicta, vel aliquid ex eis, à Capitulo, vel Beneficiatis aliquatenus immutentur, vel ipsum Capitulum, seu Beneficiati veniant contra ea, quin potius si opus fuerit, opem & studium, quantum in me fuerit adhibebo, quod prædicta seruentur, & minime negligantur. Anniuersaria in Ecclesia hactenus statuta, & in posterum statuenda, quoad dicendum Missas, & cætera officia pro defunctis, quantum in me fuerit, studium si opus fuerit dabo, & operam, quod à Capitulo, & Beneficiatis ipsis fiant perpetuo, & nullatenus omittantur, iuxta quod fuerit ordinatum, & specialiter: quod ordinatum est de tribus missis per tres Presbyteros beneficiatos, & totidem ministros beneficiatos, cum præcedẽtibus Vigiliis diebus singulis celebrandis in altari, quod in honorem S. Nicolai idem sanctißimus Pater in eadem Basilica construi fecit & erigi, & de singulis sex denariis prouentuum prædictis singulis presbyteris celebrantib. & singulis tribus denariis dictis tribus ministris diebus singulis de Camera exhibendis. Et de vna Missa conuentuali præcedentibus Vigiliis dicenda semel in anno, scil. in die Anniuersarii eiusdem summi Pontificis, post obitũ suum annis singulis, à Canonicis & Beneficiatis dictæ Basilicæ, & decem libris prouentuum tunc distribuendis inter Canonicos & Beneficiatos eosdẽ, nec non & anniuersariis Patris, Matris, Patrui, & duorum fratrum suorum, studium quoq; si opus erit, quantum in me fuerit dare curabo & operam, quod nulli Beneficiato Chori Basilicæ S. Petri, beneficium aßignetur, nec ad residentiam, seu Chorum, vel distributiones, aliquatenus admittatur, nisi prius sub hac eadem forma corã Capitulo præfatæ Basilicæ, de verbo ad verbum tactis sacros. Euangeliis præstiterit iuramentum, sic me Deus adiuuet, & hæc S. Dei Euangelia. Cum autem prædicti Beneficiati Chori Basilicæ S. Petri non solum principaliter, sed quasi penitus ad hoc tantum ex præsenti ordinatione, ad prædictam Basilicam assumantur, vt in diuinis officiis tam diurnis quã nocturnis, pro viuis & mortuis in eadem Ecclesia decantandis, ipsi Basilicæ & Choro eidem studeant iugiter & cõtinuè prout Deus dederit deseruire. Statuimus & ordinamus perpetuis temporibus obseruandum, quod nullus Beneficiatus percipiat, seu ius percipiendi habeat suum beneficium triginta librarum, seu aliquid de ipsis triginta libris, nisi residens in ipsa Basilica fuerit, & in horis Canonicis deseruierit iuxta modum & formam inferius adnotandam, exceptis casibus infrascriptis. Beneficiatus autem in ipsa Ecclesia residens habeatur illo die, quo pernoctauerit infra claustrum Canonicæ supradictæ, infra quod claustrum cuncti beneficiati morentur in domibus, pro ipsorum habitatione eis prout ordinatum est, vel ordinabitur, aßignandis. Hunc autem ordinem volumus obseruari, quod si absque licentia eius, qui ad hoc fuerit deputatus, extra dictam Canonicam seu claustrum Beneficiatum ex quacunque causa contingeret pernoctare, nihil de distributionibus quotidianis, seu beneficio suo percipiat, quousque in Ecclesia sua residens in horis omnibus absq; perceptione aliqua deseruiat tot diebus, quot absque licentia pernoctauerit extra claustrum, vt sic non solum dierum & noctium quibus extra pernoctauerit, sed etiam tot dierum & noctium distributiones amittat, in quibus deseruire nihilominus teneatur. Illi tamen qui ex quacunque causa absque licentia pernoctationes huiusmodi frequentarent, pœnæ grauiori subiaceant. Prouiso, quod si hoc fieret ex causa inhonesta, illicita, siue turpi, sic pernoctantes, prout meruerint, acerbißimè puniantur. Si qui Beneficiati etiam essent notabiliter negligentes, aut etiam defectiui in deseruiendo Eccles. in horis Canonicis siue choro, præter pœnas in hac ordinatione contentas, durè, prout expedire videbitur, puniantur, & etiam castigentur. De prædictis autem triginta libris, viginti libræ prouentuum, vel circiter, in horis distribuantur hoc modo. Vnusquisque Beneficiatus diebus singulis, tam ferialibus quàm festiuis, in Missa & in horis certo ingrediens tempore, & persistens, sicut supra de Canonicis seriosius est expressum, percipiat infrascripta. Percipiat itaq; in Matutinis duos denarios, in Missa tres, in Tertia vnum, in Sexta vnum, in Nona vnum, in Vesperis duos, in Completorio vnum. In Quadragesima verò, vnus denarius adimatur à Vesperis, & Completorio adiungatur, ita quod vnum denarium in Vesperis, & duos in completorio recipiat vnusquisq;. In omnibus autem horis supradictis festiuitatibus & diebus, in quibus distributionibus Canonicorum est additio facienda, Beneficiatorum distributionibus fiat additio, sed in dispari quantitate. In quinq; siquidem horis Apostolorum Petri & Pauli, in quibus vniuscuiusq; Canonici distributioni decem denariorum fieri additio debet, Beneficiato cuilibet in eisdem horis sex denarii adiungãtur. In illis vero septem festiuitatib. & diebus, in quibus in duabus horis cuilibet Canonico duo denarii adiunguntur, in eisdem duabus horis cuilibet Beneficiato vnus denarius adiungatur. Et quia inter festiuitates & dies prædictos, dies aliqui computantur, in quibus Vigiliæ non præcedunt, in ipsis diebus in Mißis duo denarii dentur. In singulis quoq; Vigiliis B. Virginis, quæ cantantur diebus Veneris, si festum nouẽ lectionum non occurrit, à Dominica prima post Pentecosten vsq; ad Dominicã de Aduentu, & ab octauis Epiphaniæ vsq; ad Dominicam de Paßione, singulis Beneficiatis præsentibus, vel qui pro præsentib. sunt habẽdi, de Camera præter alia denarius vnus detur. Casus a. in quibus Beneficiati pro residentibus, & in horis Canonicis deseruientib. etiamsi non deseruiant sunt habendi, sunt, infirmitas, debilitas, inducentia propter ligaturas, & huiusmodi, sumptio medicinæ, & minutio sanguinis, balnea, & sicut de Canonicis est prædictum. Beneficiati quoq; morantes extra Claustrum dictæ Canoniæ, pro prædictis casibus, cum licentia Archipresbyteri, vel eius Vicarii, integrè percipiant distributiones horarũ, nec non, & quando de mandato Archipresbyteri, vel eius Vicarii, pro seruitiis Ecclesiæ ipsos abesse contingeret ab Ecclesia, vel ab horis, & tunc cum expensis poterit temperamentũ & moderamen haberi, sicut de Canonicis est præmissum. Ne autẽ beneficiatorum ministeriis seu seruitiis, chorum ipsius Basilicæ, vel ipsam Basilicam diutius contingeret defraudari, statuimus inuiolabiliter obseruandum, vt quicunque Beneficiatus receperit aliquod Ecclesiasticum beneficium, siue curam animarum habeat siue non, in quo de iure eum oporteret, vel de facto etiam personaliter residere, & eum à tali residentia consuetudo iustè & rationabiliter nullatenus excusaret, eo ipso, absque monitione, sententia, iudicio, vel processu, in ipsa Basilica beneficium suum vacet, aliis libere conferendum. Beneficiatorum quoque beneficia, si quæ talia forsan haberent, eo tempore, quo in Beneficiato eiusdem Basilicæ admittuntur, pro renunciatis habeantur ab eis, & vacent, & intelligantur ipso iure vacare per illos ad quos illorum collatio pertinet liberè ordinanda, illa tamen beneficia eos & retinere, & recipere minimè prohibemus, quæ ipsius Basilicæ residentiam, seu chori seruitium nullatenus impediunt. Si qui autem de Beneficiatis prædictis ab ipsa Basilica continuè absentauerint se per annum, ab Archipresbytero vel eius Vicario licentia non obtenta, eodem anno elapso, ipso iure, & eo ipso, absque monitione, sententia, iudicio, vel processu, in eadem Ecclesia beneficium suum vacet, & pro priuato habeatur ab eo, & alii conferatur, contra eum tamen procedi poßit nihilominus infra annum, ad amotionem perpetuam, vel suspensionem ad tempus, prout vtilitas Ecclesiæ suggeret, & iustitia suadebit. Ne autem diutius ipsa Basilica vacet Archipresbyteri regimine, quo multum dignoscitur indigere: Statuimus, vt infra tres menses à die vacationis ipsius, Capitulum Romano Pontifici supplicet reuerenter, vt secundum prouidentiam & beneplacitum Apostolicæ sanctitatis, aliquem de sacrosancta Ecclesiæ Cardinalibus in Archipresbyterum dignetur concedere Basilicæ supradictæ. Iuxta numerum Canonicorum in eadem Ecclesia residentium, est per Archipresbyterum vel eius Vicarium & Capitulum sollicitè prouidendum, qui & quot Canonici ad sacerdotium, & Diaconium, & Subdiaconium, fuerint promouendi, ne apparere poßit in ea defectus notabilis ministrorum. Illi ergo, quibus iniunctum fuerit, vt ad ordines superiores ascendant, obediant reuerenter, & si pertinaciter recusarint, prout rationabile fuerit, puniantur. Statuimus, quod omnes supradicti triginta Beneficiati sint in sacris ordinibus constituti, sex duntaxat exceptis, qui poterant in minoribus ordinibus deseruire, de dictis autem triginta, duodecim in sacerdotes, sex in Diaconos, & sex in Subdiaconos ordinentur, & ad prædictorum susceptionem ordinum, si oportuerit compellantur, vel in ipsis iam constituti ordinibus assumantur. Quoniam compositus habitus & honestus statum satis ordinis Clericalis exornat, statuimus, quod omnes Basilicæ supradictæ Canonici, in Ecclesia, & in Choro, quando diuina officia celebrantur, ac etiam aliis horis, præsertim in publico, cum est ibi aduenientium multitudo, habitum habeant vniformem, à Vigilia scilicet omnium Sanctorum vsque ad Sabbatum sanctum, superpelliceas lineas deferant, cappas nigras de sagia simplices, vel si voluerint foderatas à cingulo, vel circa ex parte anteriore fixas inferius & apertas. Deinde vero vsq; ad festum omnium Sanctorum, lineis togis superpelliceis siue cottis absque cappis vtantur, quod hactenus vt accepimus fieri consueuit, siue autem pauci essent siue multi, nunquam appareant in eadem, quin saltem succas habeant, & super eas chlamydes ante pectus vel post collum annexas, licet gratius nobis esset, quod semper in Ecclesia in eo quem gestant in choro habitu apparerent. Beneficiati autem nullo tempore appareant in Ecclesia præterquam in habitu Chori, quem omnes similem cum Canonicis omni tempore habeant (succis & capparum apertura exceptis) ipsi namq; super clausa vestimenta, clausas cappas habeant non apertas, modica duntaxat in fine cappæ & ante pectus apertura

dimissa,

dimissa, per quam brachiũ poßit extrahi iuxta morem. Ad omnes horas Canonicas campanæ pulsentur plures, vel vna, sicut hora ex more requirit, solennius tamen & prolixius in diebus solennibus & festiuis, & in solennibus Anniuersariis, ad deuotionem populi excitandam. Ad Matutinas sic tempestiuè pulsentur, quod distinctè ac intelligenter, quæ legenda fuerint legi poßint, & quæ cantanda cantari. Missa quoq; & omnia diuina officia tam pro viuis quàm pro defunctis in ipsa decantanda Ecclesia vel legenda, non dicantur per sincopam, vel transcursum, sed à Canonicis & beneficiatis quantum eis Dominus dederit, studiosè celebrentur pariter & deuotè, Missæ omnes Conuentuales festiuæ, feriales, & etiam pro defunctis, omnesq; horæ Canonicæ, Anniuersaria, cum cantu peragantur, & nota, in Parasceue tamen fiat quod consueuit fieri. In omnibus Missis Conuentualibus, Diaconus & Subdiaconus sacris induti vestibus prout vtriusq; ordo requirit, ministrent Presbytero celebranti, omnia quoq; fiant solenniter plus vel minus, iuxta quod exigunt festi celebritas, diei ac temporis qualitas solennis, Anniuersarii conditio ex beneficii perceptione maioris. Silentiũ à Canonicis & Beneficiatis sic in choro obseruetur cum diuina officia celebrantur, quod nec strepitus siue vociferatio ibi fiat, nec per verba inutilia mens à deuotione officii retrahatur. Si quis tamen de iis quæ ad officium, vel ministeriũ pertinent, seu aliis vtilibus, socio loqui vellet, breuiter & silenter hoc faciat, vt impediri seu turbari propterea diuinum officium nõ contingat. Ad incensandũ altare, cum ex more hoc fuerit faciendum, non in cappa linea, sed serica, quæ Pluuiale dicitur Sacerdos accedat. Ordinamus quod iuxta statutum felicis recordationis Gregorii Papæ Noni de cætero, quod ad iam receptos à tempore prædictæ ordinationis, quam fecit, cum in eadem Basilica Archipresbyteratus officio fungebatur, & perpetuo obseruetur, vt Presbyteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium obtineant, tam in Capitulo quam in Choro, si etiam posterius admittantur, & hoc idem inter Beneficiatos volumus obseruari, iuxta modum & formam prout supra dictũ est. Canonici omnes in Choro sine Beneficiatis omnibus præferendi, vel inter hos & illos sit interscalaris facienda mixtura. Et ne contentorum in ordinatione præsenti quicquam obliuio deleat, statuimus & ordinamus, quod anno quolibet ordinationes & statuta præsentia, Canonicis & Beneficiatis omnibus eiusdem Basilicæ Capitulo propter hoc in simul congregandis, per aliquem ex Canonicis duabus vicib. perlegantur. Ad lectionem autem huiusmodi, tam Canonici quã Beneficiati sollicitè studeant conuenire, quæ fiat in hebdomada post primam dominicam Quadragesimæ, & in hebdomada sequẽti primam dominicam de Aduentu, diebus qui ad hoc magis accommodati videbuntur. Exponatur etiam si oportuerit propter non intelligentes aliquos huiusmodi lectio in vulgari. Singulis verò Canonicis conuenientibus, & vsque in finem persistentibus lectionis, à Camerariis de Camera duodecim dentur denarii, & Beneficiatorũ vnusquisque sex denarios percipiat ab iisdem. Puniantur autem hoc modo qui ad huiusmodi non conuenerint lectionem, Canonico scilicet quatuor solidi, & Beneficiato duo solidi de proximis eis dandis portionibus seu distributionibus adimantur. Statuimus, quod in singulis septimanis, tres ex Canonicis in sacris ordinibus constitutis, & in eisdem ordinibus totidem ex Beneficiatis, administrandum in Missis Conuentualibus assumantur, Canonici siquidem ad ministrandum altari maiori, cum Cardinalem in ipso contigerit celebrare, nec Beneficiatus aliquis ad ipsius altaris ministerium admittatur. Ipsi etiam Hebdomadarii Canonici ministrent in Missis conuentualibus diebus Dominicis, & festiuis solennibus quæ occurrent in ipsis, præsertim in quibus iuxta præsentem ordinationem, est certa quotidianis distributionibus additio facienda. Et in solennibus Anniuersariis, quæ ratione maioris perceptionis, & quæ pro viuis & mortuis occurrerint decantandæ, poßint etiam in ipsis Canonici ministrare, & Beneficiatus, cum hoc hebdomadario placeret Canonico, in eo Canonico sui ordinis cedere teneatur. Quod si plures Conuentuales Missæ duobus interdum occurrerint celebrandæ, iuxta prædictam distinctionem festiuitatum, vt dictarum de Canonicis & Beneficiatis prouideatur attentè, & nullus sit defectus in eadem Basilica ministrorum. Si verò Canonicus infirmitate seu debilitate excusabili non detentus in septimana sua prædictis diebus in ordine suo non deseruiret altari, in illa hora efficaciter procuraret pro se Canonicum alium deseruire, si Missæ illi eum non ministrantẽ interesse contigerit, nihilominus distributionem illius Missæ permittat. Si verò abesset à Missa, & illam amittat, & tãtundem sibi de suis prouentibus adimatur Cameræ applicãdum, hoc idem de Beneficiatis per omnia mandamus, & volumus obseruari. Quantumcunq; tamen huiusmodi pœnæ procedant, Basilica non est debito ministerio defraudãdæ, vnde prædictis deficientibus, sequentes hebdomadarii ipsorum teneantur supplere defectum, non tamẽ deficientes à dictis pœnis propterea excusentur. De Anniuersariis autem præteritis, seu statutis hactenus, & de cetero in dicta Basilica statuendis, sic duximus ordinandũ, vt denarii qui distribuendi fuerint in ipso Anniuersario inter Canonicos & Beneficiatos, vt infrà proximè dicetur, diuidantur. Tot enim fiant partes ex ipsis, quot Canonici & Beneficiatorum binarii fuerint in anniuersario ipso præsentes, & vnicuique Canonico in anniuersario præsenti vna de dictis partibus, & similiter vnicuique Beneficiato præsenti medietas vnius partis tantummodo aßignetur, vt Canonicus partem habeat duplo Beneficiato maiorem, & sit totalis pecunia anniuersario deputata inter Canonicos & Beneficiatos præsentes in Choro, & qui pro præsentibus in Choro iuxta huius ordinationis seriem sunt habendi, cæteri diuidantur. Hoc idem fiat per omnia de denariis, qui die aliquo ex deuotione fidelium ad ipsam Basilicam mitterentur pro decantandis semel vel diebus aliquibus Vigiliis, vel officiis pro defunctis, seu pro speciali reuerentia aliis diuinis officiis quibuscunque. Si qui autem denarii Beneficiatis darentur quasi in cõmuni, vt siue pro viuis siue pro defunctis, pro aliquo vno vel pluribus diuinum officiũ facerẽt hoc vel illud, illos recipere poterunt Camerariis aßignãdos, & inter ipsos & Canonicos diuidẽdos, sicut supra proximè est expressum. Et ea quæ Beneficiatos recipere contigerit de præmißis in dictis triginta libris, quas pro suis debent percipere beneficiis nullatenus non cõputentur, & etiam viginti septẽ denarii, quos quotidie debent percipere sex beneficiati, tres scil. Presbyteri, & tres ministri, vnusquisque scilicet Presbyter sex denarios, & minister suus tres, ad hoc assumpti hebdomadarii singulis septimanis ad celebrandũ quotidie tres Missas, & alias in vita nostra, & etiam totidem Missas, & officiũ defunctorũ pro animæ nostræ remedio, postquam de hac luce contigerit migrare, secundum quod per Archipresbyterum & Capitulum est seriosius ordinatum, & hoc in similibus, si similis occurreret ordinatio, de cetero obseruetur. Non computentur etiam denarii quos Canonicorũ aliquis eis daret pro aliquibus vigiliis, vel Missis alicuius sancti ex speciali deuotione cantantis. Et quicquid specialiter alicui beneficiato daretur in eleemosynam, vt pro viuis vel defunctis, Missarum seu diuinorum officiorum vel orationum suffragia iniungantur, quod & generaliter intelligatur de omnib. quæ darentur & conferẽtur personaliter obuenire, sicut de Canonicis est prædictum. Præterea cum ad honorem B. Nicolai quoddam altare in eadẽ Basilica construi & erigi fecerimus, quod diuina nobis aßistente clemẽtia disponimus propriis manib. consecrandum, ad eiusdem altaris ac ministrorum eius, duas rubei, duas paonacii violati, duas albi colorũ planetas & alios pannos sericos, ac quinq; camisos, duos Calices, Crucem, duo candelabra, Thuribulũ, Nauiculam, Cochleare, duas Phialas, & duo Bacilia argentea, libros, & nõnulla alia ad prædictum altare duxerimus aßignanda, & ornatum ipsum velimus in decenti statu seruari. Statuimus & ordinamus, quod si prædicta vel eorum aliquid, vetustate annihilari, vel consumi, aut alias deficere, vel perire cõtigerit, de ipsius Basilicæ Camera taliter suppleantur & etiam restaurentur, quod ornatus ipse in decenti vigore decenter conseruetur. Cæterum ordinationes, statuta, & alia supradicta per nos de cõmuni consensu, & vnanimi volũtate Archipresbyteri & Capituli prædictorũ, ad decorem domus Dei, & dilatationem cultus diuini maiorem facta, clarè, distinctè, & cum omni maturitate cum multo labore discussa, vniuersaliter & singulariter in perpetuum volumus obseruari. Non obstantibus constitutionibus, statutis, sententiis Excommunicationis, vel aliis Constitutionibus quibuscunq;, obseruantiis, vel priuilegiis cõtrariis, seu quibuscunque aliis factis in ipsa Basilica, vel seruatis, quæ huiusmodi nostris ordinationibus & statutis possent obsistere, vel ea quomodolibet impedire, statutis salubrius hactenus edictis in eadem Basilica, & rationalibus, & approbatis ipsius consuetudinibus suo robore duraturis, in iis duntaxat casibus, articulis, vel capitulis, & non aliis, de quibus non facit præsens ordinatio mentionem, vel ad quæ præsens huiusmodi statutum non se extendit. In illos qui præsens priuilegium ad eius memoriam extinguendam, qui ne plantationem beneficiorum sic prouide non sine multis laboribus, & expensarum oneribus institutam, & qui Anniuersarium nostrum ac missas vt præmittitur celebrandas, abolere, extinguere, delere, seu tollere interuenerint, ex nunc excõmunicationis sententiam proferentes. Et si postquam prædictus trigenarius Canonicorum numerus erit iuxta ordinationem præscriptam completus, iuxta numerum personarum vel augmentum redditum aliquid ordinari, vel forsan mutari contigerit, nihilominus præsens ordinatio in abolitionem vel obliuionẽ nullo vnquam tempore veniat, propter nonnulla quæ in ipsa salubriter instituta in posterum obseruanda, & specialiter vt in perpetuum sciri poßit, quam stabilita & firmiter radicata sit in Basilica memorata Canonicorum & Beneficiatorum nouella Plantatio, ac Missarum, & Anniuersarii huiusmodi ordinatio, in ea perpetuis temporibus duratura. Ad hæc autem vt prædicitur nos conceptus deuotionis allexit, & induxit affectus, nec menti nostræ quietẽ indulsimus,

quousque

quousque horum finem sic prosperum sortiretur, ex quo sicut speramus & credimus æterno Patri gloria in excelsis adueniet. Extolletur Apostolorum Principis Principatus, & ipsa Basilica venerationibus amplianda facundis, alias vt magistra salubriter diriget per exempla, & claritatum radiis illustrabit, & ad illam cætus gentium per vniuersa mundi climata maiori deuotione consurget, & augebitur deuotio populi Christiani, vel expiati. Quare successores ipsius Apostolorũ Principis, cuius in hac parte res agitur, atque nostros Romanos Pontifices, quorum cum nostris speramus in iis vota, studiosius deprecamur, exhortamur attẽtius, & deprecamur, in Christo, quatenus præsens Priuilegium, cum statutis, ordinationibus, & aliis supradictis, iubeant & faciant inuiolabiliter obseruari, vt à Deo præmium consequi mereantur æternum, & nos in pio nostro desiderio non fallamur. Decernimus igitur, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrarũ constitutionum, ordinationum, seu prouisionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Ego Nicolaus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Odonis Tusculanus Episcopus.
Ego Fr. Bentinenga Albanensis Episcopus.
Ego Fr. Robertus Portuensis, & S. Ruffinæ Episcopus.
Ego Antherius tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego Guillelmus tituli S. Marci Presbyter Cardinalis.
Ego Iacobus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.
Ego Gottofredus S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.
Ego Iordanus S. Eustachii Diaconus Cardinalis.
Ego Iacobus S. Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Magistri Petri de Mediolano, S. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, tertio Nonas Februarii, Indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno Millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, Pontificatus verò Domini Nicolai Papæ III. anno secundo.

VII. SVMMA DONATIONIS FACTÆ BASILICÆ VATICANÆ.

Quod attinet librarum in constitutione Nomenclaturam, cum aliæ prouisionales senatus, aliæ prouenientium nuncupantur, illarum vnaquæq; valoris moderni, Iulios XXVI. hæc vero Iulium & semis æstimabatur, ita vt omnibus ritè computatis, quæ Nicolaus Pont. Basilicæ Vaticanæ in numerata pecunia, librarum vel Marcharum sterlingorum dedit, summa ad scuta quinquaginta vnum millia, & quinque ascendat, munus illo tempore ingens, quo res Ecclesiæ Romanæ angustiores essent. Falsum itaque, quod is omnia sanguine iunctis concesserit, cum neque ii necessitatem habuerint, alioquin diuitiis & opibus affluentes, quod vel ex vnico Ioannis Vrsini, Patris Nicolai, testamento non obscurè coniicitur: Et in Archæo Vrsinæ gentis quiuis videre poterit.

VIII. B. ALBERTI MAGNI OBITVS ET ADMIRANDA. *Leander de viris illustr. lib. 3.*

Hoc anno ad cœlos emigrauit B. Albertus Magnus, Ordin. Prædicat. Annuente precibus illius Clemente IV. Pontifice Maximo, Episcopatum Ratisponensem reliquerat, atque Coloniam ad Cellulam summopere desideratam redierat. Ibi repetito pristino vitæ instituto, & more docendi, atque scribendi recepto sanctissimè vixit, quam diu vixit, qui quanto dignior gradu sacerdotii factus fuerat, & clarior, tãto submissius se gerebat, in iis omnibus, quę ad formulam viuendi monasticam pertinebant. Quanto autem se magis demittebant, tanto maior hominum reuerentia & admiratio erga illum crescebat. Quare non tantum Coloniensis Archiepiscopus, verum etiam & alii finitimarum vrbium Antistites summo illum honore prosequebantur, & illius opera atque consilio, in rebus grauissimis perpetuo vtebantur. Eximius erat pacis atque concordiæ amator, nec non egregius dissidentium conciliator. Paulo antequam è viuis excederet, orta erat discordia ingens inter Ciuitatem Coloniensem & Comitem Montensem, quem nunc Ducem Iuliacensem appellant: & ab infestis animis magnum aliquod malum imminebat. Hoc igitur cernens Albertus, medium se inter vtramque partem exhibuit, nec prius à vehementi studio & oratione destitit, quàm ad pacem & concordiam eos reuocasset. Iam senio confectus librum de corpore Christi, & tractatum de modo adhærendi Deo scripsit, in quo cum admirabili ratione, affectus suos in Deum expressisset, manifestum fecit, quam arctè Deo adhæserit. Venerat ad extremum vitæ iam felix Albertus: quod ne latere illum posset, Alma Deiparens, quam ille cultu præcipuo fuerat prosecutus, illum admonuit. Profitebatur ex more suo quadam die in Coloniensi Cœnobio, refertissimum erat Auditorium. Cumque inter legendum multa colligeret, atque rationes adduceret, quod illi antea nunquam acciderat, repentè memoria lapsus est. Cumque ex re insolita omnes obstupescerent, & ille aliquamdiu reticuisset, sic tandem, animo resumpto, locutus est. Ne miremini casum mihi insolentem. Diuinitus id accidit, & longè ante mihi prænunciatum. Cum enim iuuenis adhuc essem, ac recens D. Patris mei Dominici factus miles, magnum certamen antiqui hostis, primis mensibus passus sum. Cum autem nimia per id tempus hebetudine ingenii laborarem, decreueram, ad pristinam vitam monasticâ relictâ reuerti. Sed adfuit mihi præcipua generis humani Aduocata, Castissima Dei genitrix: quæ blanda oratione animum mihi confirmauit, ac fore prædixit, vt in Philosophia, quam me assequi posse desperaueram, voti compos fierem. Cumque postmodum vereri cæpissem, ne Philosophorum rationibus illaqueatus atque deceptus, à Christi fide aliquando aberrarem, omnem mihi eiusmodi metum & dubitationem sustulit: fore pollicita, vt in nullo deficerem, & integra fide ab hac vita discederem. Ne autem de hac re dubitarem, signum quidem, cum dies mei obitus instaret, præcessurum, vt cum publicè profiterer, subito in memoriæ lapsum inciderem. Persoluit igitur, quod futurum prædixerat felicissima virgo, meque imminentis mei excessus admonuit, & his dictis confestim è loco abiit, tanquam professurus vltra non esset, mærore ingenti tum omnes, tum præcipue Siffridus Archiepiscopus, & reliqui Antistites afficiebantur: quod virum tanta sanctitate atq; doctrina amitterent: ille contra hilari vultu ac læto animo diem sui excessus expectans, & exemplo Apostolico dissolui cupiens, & esse cum Christo, abiecta iam omni cura legendi, atque scribendi, soli Deo vacabat, & quotidiè locum sepulturæ suæ inuisens, horarium pro se ibidem, tanquam iam alter obiisset, celebrabat defunctorum officium, tandem ad diem XVII. Calend. Decembr. octuagenario maior, cum Cœnobitas ad integritatem vitæ ac Religionis obseruantiam hortatus esset, multaque de Deo & cœlesti patria disseruisset, perceptis ingenti cum deuotione sacris mysteriis, ad cœlestem vitam euolauit. Miraculis quam plurimis viuens, & vita functus claruit. Cum post longum temporis interuallum sepulchrum illius apertum fuisset, eius Sanctum cadauer, quod initio supinum ex more iacuerat, orantis specie, eo ferè modo quo viuens consueuerat, inuentum est. Statim à morte sua, quamplurimis & præsertim Gothifredo socio & ministro apparuit. Is post eius obitum assiduè orationibus, ieiuniis & lachrymis Deum pro Alberto (vt mos Christianorum est) precabatur: vt si fortè pœnis aliquibus illius anima esset obnoxia, tali ope iuuaretur. At ille quidem pietatis suæ dignam mercedem assequutus est. Siquidem oranti illi post matutinum officium, in Ecclesia Beatus Albertus sese conspiciendum præbuit. Neq; somnium id fuit. Vigilabat Gothifredus & orabat, vidit igitur Beatum Albertũ cum inenarrabili splendore ædem ingressum Pontificiis insignibus ornatum, mitramque in capite gestantem, in cuius fronte gemma erat, quæ radios ex sese multos iaciens miro fulgore totam ædem illustrabat. Indumenta porrò erant, multis & pulcherrimis insignita lapidibus. At ille tanto spectaculo perculsus, Albertum percontari cæpit, quomodo secum ageretur. Rectè, inquit, Albertus, & ex iis quæ cernis facere coniecturam potes, quanquam mens humana capax non est, vt tantam animo complecti gloriam possit, quam mihi summus ille rerum Pater contulit, cuius magnitudinem & charitatem gẽma repræsentat, quam in fronte vides, tantum ex sese lumen diuinæ speciei irradians. At lapilli cæteri, quibus hoc indu-

mentum insigniri cernis, libri sunt, qui partim fidei defensionem continent, partim scripturam sacram interpretantur, & veritatis viam ignaris ostendunt. Verum illud quoque scito, additum esse ingentem gloriæ meæ cumulum. Siquidem pius humani generis Redemptor mihi dedit, vt sex animarum millia, *meis meritis ad vitæ*, ne purgatorii pœnas attingerent, cœlum penetrarint. Et his dictis euanuit. Fuit Albertus adeo admirandæ eruditionis, vt eum diuinarum rerum pauca, humanarum fortasse nulla latuerint: sublimibus ingenii ac memoriæ viribus vsque ad miraculum præstans: in diuinis studiis longè eruditissimus, & Philosophorum omnium, quos vel ante vel post eum vniuersa Germania protulit, Princeps: ideoque propter eximiarum scientiarum multitudinem, magnitudinemque, Magni cognomen, quod nulli vnquam eruditorum contigit, ante mortem adeptus. Sit ergo hoc tibi, quanquam breue, elogiorum omnium merito luculentissimum, Alberte Sueue, Artobrigensium sanctissime *Antistes*, postquam docendo scribendoque Theologiæ Philosophiæque totius locos omnes, mitis celsissimi ingenii tui luminibus illustrasti, vt istud in litteris nemini adhuc concessum, & quod rara felicitate contigit, Magni cognomen assequerere. Deferebat enim Maximi cognomentum Gymnasiorum omnium consensus, nisi publico voto, Christiana verecundia restitisses. Vixisti cæteris aliquanto beatius, hoc est, alterum & octuagesimum ætatis annum; scilicet vt immortalitati tuæ iusta gloria plenus interesses, accumulatoque fæcundissimi ingenii merito, clarioris tituli munere dignus censerere. Sed neque in terris diu viuo atque incolumi, suprema numina maius dare tibi potuerunt, quam vt inusitatæ, nec vnquam nisi post fata obuenientis gloriæ fructum perciperes.

Xystus Senen. & Paulus Iouius.

IX. FVNERIS B. ALBERTI MAGNI CELEBRITAS.

Morientem Albertum, pro vitæ sanctimonia & doctrinæ eminentia luxit omnis Prouincia. Aderant eius funeri D. Archiepiscopus Colonienſ. Siffridus: aderant maioris & omnium Collegiorum Canonici, aderant deforis ex nobilibus plurimi, totaque ciuitatis multitudo funeris pompam ornabat. Quæ testimonia sunt insignis & incomparabilis virtutis in viro memorabili: cuius exequias nemo qui adesse poterat, neglexit. Extraxere fratres, ætate Krantzii, eodem ipso aspiciente, eius reliquias & in medio choro extructo tumulo supra pauimentum collocauere, admittentes viros graues, vt cernerent integrum corpus nulla deformatione: nisi quod mandibula parum videretur collapsa: cum annos ducentos in sacrophago iacuisset. *Krantz. Metropol. lib.* 8. Nec id mirum, cum & hoc tempore videlicet anno 1616. in simili aut penè eadem specie videatur.

X. ITEM OBITVS B. ROBERTI PRÆDICATORIS. *Mich Bononien. lib.* 1.

Beatum Albertum Magnum secutus est in cœlum Beatus Robertus Saxo, eiusdem instituti Prædicatorum, qui Palatina Friderici II. Imperatoris aula relicta, in Cænobio Magdeburgensi se ei religioni addixerat. Huic perpetua consuetudo fuit, triplici catena ferrea, aculeis acerrimis distincta, in singulas noctes sese flagellare. Eius defuncti funus cum à religiosis curaretur, auditæ sunt voces Angelorum, in aere psallentium in pretiosa morte ipsius.

XI. MVLTI IVDÆI IN MAIORICA PER INGHETIVM GENVENSEM MERCATOREM CONVERSI.

Eodem hoc anno multi Hebræorum apud Maioricam, opera Inghetii Genuensium Mercatoris, perfidia eiurata, Christianæ religioni se addixerunt: Mercaturæ gratia eò Inghetius appulerat, & quanquam litterarum planè rudis, ex occasione mercimoniorum in controuersiam de mysteriis fidei cum Iudæis descenderat. Porrò tantam ei gratiam Spir. S. in persuadendis demonstrandisque articulis doctrinæ Christianæ contulerat, vt illorum primores in doctrina eruditiores, nequicquam respondere potuerint, sed Rabbinum quendam Astureum, per id temporis apud Aragonios celebrem ad disceptandum cum Inghetio euocarint. Is etiam cum venisset, neque rationibus ab Inghetio allatis contradicere potuisset, exemplo suo aliis omnibus in abiuranda perfidia præfuit, fidemque Christianam cum plurimis Hebræorum complexus est. *Aug. Nebien. lib. 3. annal. Genuen.*

XII. TRANSLATIO S. HVGONIS EPISCOPI LINCOLNIENS.

Cæterum circa hæc tempora translatum est corpus S. Hugonis Episcopi Lincolniensis, quem Honorius III. Pont. Max. albo Sanctorum adscripserat. In ea eleuatione, corpus quasi integrum, vestes vero incorruptæ plane repertæ sunt, & loculus magnam purissimi olei copiam exhibuit. In theca auro, argento & pretiosis lapidibus ornata reconditum, & in loco sublimi positum est, non longe à sancto eius capite, quod iuxta altare B. Ioan. Baptistæ in Lincolniensi Ecclesia à corpore separatum, ac auro, argento, & gemmis inclusum reposuerunt. *Surius in vita 17. Nouemb.*

IESV CHRISTI
Annus 1281.

MARTIN. PAPÆ III. Annus 1. RVDOLP. Ro.Re.8. MICH. PALÆOL. Imp. Orient. 22.

I. IOANNES VITERB. ORD. PRÆ. GENERALIS MAGISTER AD PONTIFICATVM DESIGNATVS ELECTVSQVE. a *Platin. ex annal. Prædic. lib. 2. c. 28. Leand. li. 2.*

Nicolao III. Pontif. Max. vita functo, sunt qui subiungant Ioannem Viterbienſ. seu quem alii volunt fuisse Vercellenſ. ex Magistro Ordinis Prædicatoris Generali Pontificem electum. Ferunt *a* quod cum is annis viginti ordinem totum gubernasset, & eum quidem toto iam fermè orbe diffusum pedibus obiisset, iis Cardinal. comitiis quæ hoc Inter-Pontificio habita sunt, hoc omnium suffragiis designatum, sed tamen priusquam eius rei Nuntium acciperet, mortuum esse: præreptumque tot molestiis, quas ei illa curarum moles allatura erat. Istud certum est, quod cum de eo ad magistratum ordinis assumendo Proceres in Comitiis Generalibus deliberarent, & per id temporis B. Ioan. Vincentin. eiusdem instituti apud Bononien. ad populum verba haberet, prolata ex suggestu alba schedula, cum electionem Magistri Ordinis in proximo imminere dixisset, & chartulam vt erat alba in deposito sacratiore recondi iussisset: *Cras*, inquit, *Præsidentis electi nomine inscriptam per miraculum inuenietis*, nec falsus vates fuit; nam vt prædixerat, reperta est, nomine Ioannis Magistri Generalis, quem tunc Parisiis elegerant, inscripta.

II. NOVA DISCORDIA AB RICHARDO EX HANNIBALVM FAMILIA IN ELIGENDO PONT. EXCITATVR. VITERBII CAPIVNTVR DVO VRSINI CARDINALES. b *Sabellius enneade 9. li. 7. & Ciaccon. in Martino ex Platina.*

Post Nicolai obitum *b* continuò est noua discordia laboratum. Coiuerat summus Cleri ordo Viterbium, nouum Pontificem suffragio electurus. Præerat Concilio seu conclaui, titulo Custodis, Richardus ex Hannibalum familia, Romanæ ciuitatis longè Princeps. Oderat is Vrsinos infensè, vt homo aduersæ factionis: odiumque pro causa secutus, Vrsum Nicolai defuncti pernecessarium, Viterbii Prætorem, Magistratu deiecit. Accensi eiusmodi contumelia duo Vrsinæ gentis Antistites, Latinus ac Iordanus supremi ordinis, qui Concilio intererant, palam fremere, testarique se non passuros nonum Pontificem, nisi honor per iniuriam Vrso ademptus prius restitueretur. Hanc seditionis ansam Viterbienſ. adepti, Richardi impulsu conclaue irruperant, duobusque illis Vrsinæ gentis Antistitibus multa cum indignitate abstractis, vincula iniecerant. Richard. Carolus Rex Siciliæ incitabat, istudque impensè desiderabat, vt Pontifex suæ factionis, cum quo ei aliquod intercederet arctæ necessitudinis commercium, crearetur. Gallum, in summa, volebat, atque Romanos, quorum numerum & potentiam Nicolaus auxerat, excludebat.

III. ELIGITVR MARTINVS IV. ET VRBE VETERI CORONATVR.

Datis in custodiam Cardinalibus Vrsinis, reliqui Patres, ad octauum Calend. Martias quæ dies Cathedræ Principis Apostol. dicatus est, Simonem è Bria Campaniæ, ad Matronam Galliarum oppido haud ignobili genere natum, Pontificem renunciarunt, & Martini nomine salutarunt. Fuit Martinus, doctrina, animi magnitudine, morum & vitæ sanctitate, rerumque gerendarum experientia insignis. Hunc Vrbanus IV. ex Canonico & Thesaurario Ecclesiæ S. Martini Turonensis, Presbyterum Cardinalem tituli S. Cæciliæ creauerat. Pontifices autem reliqui in Gallias Legatum destinauerant. Vbi magna cum existimatione, laude & vitæ integritatis fama versatus, multis in Conciliis Prouincialibus, corruptos Clericorum mores reformauit, & grauissima alia negotia Ecclesiæ atque regni egit. Electus Romam ire non potuit, quod tunc à seditione vrbs laboraret. Cum enim factionis Vrsinorum Cardinalibus contumeliam illatam

audiuissent: Hanibalem & reliquos Vrsinæ gentis ex vrbe eiecerunt, hi vero statim populariter cum suis euadentes Præneste secesserunt. Viterbii quoque Martinus coronari noluit, quod ei ciuitati, propter impetum in Cardinales factum, sacris interdictum putauerit. Neq; etiam prius inungi, cingive corona Pontificia sustinuit, quam Viterbienses nonnulla indicia pœnitentiæ propter vim duobus Antistitibus publicè illatam, publicè ostendissent. Hos tamen execratus vrbem veterem abiit, indidemq; ad X. Cal. April. omnia solemnia sacra peregit, atque suscepit.

IV. ENCYCLICAM DAT.

Iis nondum ex more initiatus, encyclicam primum ad Senonenſ. Archiepiscopum, deinde ad omnes Prælatos, Reges & Principes Christianos scripsit, eosque suscepti Pontificatus admonens, orationes & obsecrationes vniuersalis Ecclesiæ, postulauit, datis litteris apud vrbem veterem 2. Cal. Mart.

V. CAROLVM SICILIÆ REGEM SENATOREM VRBIS FACIT, VNDE VRSINI OPPRESSI, SED TAMEN OMNIA PER LEGATVM PACATA ROMÆ.

Interim autem Carolum Regem *Siciliæ* ad se venientē, non modo perbenignè suscepit, verum etiam senatoria vrbis dignitate, in contumeliam gentis Vrsinæ ornauit. Improbabant prudentiores iam Carolo restitutam auctoritatem: quod ea res magnas in vrbe excitura videretur seditiones, reuersis iam Vrsinis & Hannibalensibus expulsis, neque eos fefellit coniectura. Ioannes enim Vrsinus Latini fratris vlturus iniurias, tutaturusque sibi dignitatem à populo Romano traditam, multa tunc Romæ, tum contra Carolum tentauit, tum contra aduersarios peregit. Insuper satis iusto exercitu comparato, in Viterbienses mouit, eorumque agros longè ac latè populatus est. Hærebat tunc temporis Martinus Pontifex in Phaliscis, cum ditiones Viterbiensium igni arderent, & sanguine fædarentur. Qua clade eorum permotus, cum ratione cædes cohibere non posset, Matthæum Vrsinum supremi ordinis Antistitem, Legatum à Latere Romam misit, qui res Vrbanas cōponeret. Is Ioannem Vrsinum, Romani Ducem exercitus, obiter adeptus, ad vrbem secum duxit, atque omnium factionum Principes, edicto Apostolica auctoritate publicato, coram se adesse imperauit. Paruerunt dicto cum alii Proceres, tum imprimis Richardus Hannibaldæ factionis primus, is qui sacrum conclaue tumultuose irruperat, & duos primi ordinis Patres nefariè violauerat, atque in custodia violenter habuerat. Ibi legato pro dignitate Apostolicæ sedis sedente, Richardus vt à censura Ecclesiastica exsolueretur, laqueum collo impositum gerens, ad pedes Legati & Cardinalium quos offenderat supplex prouolutus, benignitatem atque veniam implorauit. Ad eum modum, & Viterbiensium primores violatæ Maiestatis sacri Senatus suæ conscii, siue consocii, in terram prono vultu prostrati, sacra ciuitati interdicta restitui postuarunt. Pœnitentibus absolutionem impendit Legatus, interdicto Viterbium liberauit, partium studia composuit, pacemque vrbi restituit. Composita ad eum modum inter vtramque factionem pace, Ioannes Vrsinus Romanum exercitum ab iniuria Viterbiensium reuocauit: Martinus autem Pontifex Romanis statim concessit, vt ex ciuibus duos sibi Senatores deligerent, qui res vrbanas administrarent. Hi verò duos delegerunt, Hannibaldum Petri Hannibaldi filium, & Pandulphum Sabellum, qui vrbem toto sui magistratus tempore optimis rationibus gubernarunt.

VI. ALIQVOT VRBES ET PROVINCIÆ REBELLES PONTIFICI IN ORDINEM REDIGVNTVR.

Ea dum Romæ agerentur, Luchinus Matthæus Vicariam Hetruriæ administrationem à Rudolpho iniunctam adeptus, Florentinos & Lucenses iam satis quietos, grauissimis incursionibus infestauit: Pontificem aspernatus, qui interdicto & execratione conabatur hominem à sociarum ciuitatum ceruicibus auertere. Ne autem non vbique vno tempore laboraretur, Perusini Fulgineum subita vi captum, mænibus nudarunt. Vltus est tamen Pontifex id facinus subito interdicto: quo vt aliquando soluerentur, magnam Perusini pecuniam pendere coacti sunt. Æmilia quoque hoc anno contra Pontificiam potestatem iterum calcitrauit. Quam vt ad officium Martinus Pontifex reuocaret, tum à Carolo Siciliæ, tum à Philippo Galliæ Regibus, aliquot alas militum obtinuit. Guidonis Appii non bona tunc sors fuit, qui cum qngentis Gallici nominis equitibus ad Flaminiam recuperandam, à Pontifice missus, cum fortè Forum Liuii obsideret, ciues obseruato tempore, quod ad irruptionem in hostem faciendam quidam demonstrauerat, subita vi Guidonem adorti, cum toto propemodum equitatu interfecere, Deo rapinas & auaritiam militarem vlciscente. Namque stipendia à Pontifice ex pacto exsoluta interuerterant, & multis calamitatibus tum Ecclesias tum populos affecerant: *a* quemadmodum Carolo Siciliæ, Martinus perscripserat: datis litteris apud vrbem veterem Quinto Nonas Martias.

a epist. 117.

VII. SVMMARIVM GESTORVM MARTINI IN HOC ANNO.

Hoc ipso anno Martinus Pontifex 1. pacta inter Rudolphum Romanorum & Carolum Siciliæ Regem conuenta Auctoritate Apostolica confirmauit: dato diplomate apud vrbem veterem, nono Calend. Iun. 2. Regi Galliarum atque Reginæ, omnia priuilegia à sede Apostolica concessa, approbauit. 3. Regem Noruegiæ, qui, ne clericis nummi argenti venderentur, constituerat, neve ex decimatione pro subsidio Terræ sanctæ pecunia collecta è regno efferretur proposuerat, auaritiæ & iniquitatis redarguit, vtque eam constitutionem antiquaret, & collectas pro pio negotio tum exigi, tum efferri permitteret, hortatus est. 4. Regi Angliæ, vt Almericum Montfortium è carceribus liberaret, serio præcepit: atque ab eodem Rege censum octo annorum præteritorum, ex regnis Angliæ & Hyberniæ recepit. 5. Carolo Regi Siciliæ, & Carolo Principi Salernitano decimas ex Insula Sardiniæ, & regno Hungariæ, atque ex regnis & Prouinciis illorum dominio subiectis, non nisi ea conditione concessit: si scilicet in subsidium Terræ sanctæ properarent. Habuit Martinus causas cur libertatem Ecclesiasticam, ea conditione restringeret: cum intellexisset, ambos arma non contra Saracenos, sed contra Christianos parare.

3. *120. & 121. apud vrb. vet.* 4. *Non. Mart.*
4. *epist.* 18. *vrb. vet.* 12. *Cal. Oct. & 3. Non. Febr.*
5. *epist.* 116. *vrb. vet.* 15. *Cal. April.*

VIII. SICVLÆ VESPERÆ GALLORVM IN SICILIÆ INTERNECIONE IN PASCHATE CLARE DESCRIBVNTVR. *Leonard. Aretin. in Florentin. Mariana li.* 14. *c.* 6. *Æmil. in Philip.* 3.

Res est. Carolus Rex, Præfectos hactenus in Sicilia graues, non modo non castigauit, sed cōniuentia seu negligētia in populos armauit. Vnde tanta erat eorum ac reliquorum Gallorum indidem petulantia, vt non iam liberorum hominum, sed mancipiorum loco Siculi haberentur. Pro leuissimis rebus, ac sæpe pro verbo liberius emisso, supplicia aderant crudelissima. Delatorum plenæ erant vrbes: laquei & secures in leuissimis habebantur pœnis. Adhæc auaritia Gallorum inexhausta, & auri cupido insatiabilis, nocentes pariterque innocentes peruadebant, nec vllus rapinarum erat modus. *Diuitiæ* pro crimine *læsæ* maiestatis censebantur: vt quisque amplissimo erat Patrimonio, ita in periculum capitis & fortunarum acerrimè vocabatur. Id genus hominum rebellionis auctor fuisse, id malè dixisse Regi, id Conradini imaginem domi habuisse accusabatur. Iacturæ bonorum iam in consuetudinē venerant: optabiles quidem: modo supplicia excarnificationesq; cessarent. His accedebant libidines non maiorum modo, verum etiam ministrorum, atq; vulgarium in vxores & filias Siculorum sine vllo respectu & verecundia, prout cuique adlubebat. Neque alicui noua nupta in genialem thorum adducebatur, nisi à Præfecto Regio eius pudicitia prælibaretur. Hanc immanē seruitutē cum Siculi perpessi fuissent, atq; tum à Carolo Rege, tum à Pontif. Rom. frustra auxilium postulassent, tandem superante patientiā magnitudine contumeliarum, à finitimis Principibus subsidia quæsierunt. Princeps cōsilii regebat, Cōradus Dynasta Antiochenus Manfredo & Conradino olim addictus, & Carolo atq; Pontificiis nimis infestus Executor consiliorum aderat Ioannes Prochyta, Insulæ sibi cognominis apud Siciliā Princeps, magno vir ingenio, magnaq; quondam apud Mãfredum gratia: & qui iam apud *Aragonium* Regem patriū solum verterat, & possessiones multas quæsierat: sed patriæ opumq; priorum à quib. exciderat desiderio tenebatur. Cū eo Conradus rem cōmunicauit, & tum ad Palæologū ire, tum Petrum Aragonum Regem in perniciem Caroli vna cum eo excitare, tum denique dolum aliquem ingentem cruentumq; excogitare, struereq; iussit, vt Gallica potētia, & externo milite, & intestino aliquo stratagemate oppugnaretur, atq; tandē opprimeretur. Captauit Prochyta, ex his reb. quas narrabo occasionē. Omnino Carolus defuncta priori vxore Bald. Cæsaris filiā sibi thoro adiunxerat, ex eaq; Philip. Leuiri patrocinio suscepto, Byzātio spe imminebat. Beatricem etiam Manfredi Regis filiam, Constātiæ *Reginæ Aragoniæ* sororem, in custodia detinebat, neque de eius libertate appellatus mutare voluerat. Itaq; facilè fue-

rat Petrum Regem permouere, iam vxoris stimulis, quæ &
sororem captiuam plorabat, & Regni Siculi hæreditaté co-
gitabat, incitatum. Non difficilè etiam apparebat, Michae-
lem Palæologum iam ante inclinatū impellere. Byzātium
igitur mutata secundo veste Prochyta, iterum abiit: Palæo-
logum rebus suis ante timentē maiori suspicione metuque
impleuit; atq; iunctis cum Gallo Rege opib. à Carolo clas-
sem validam, iam in eius exitium cōparatam edocuit. Fran-
corum vires integras, Græcos domesticis factionib. debili-
tatos imparesq; futuros duorum Regum conatui, superio-
res, ait, victoriæ, documento sint. Dicere vera liceat: in te
superbia nō cadit; in ira atq; periculo regi posse, magnificū.
An domi residens per socordiam expectabis, dum bello la-
cessant, suisq; viribus & partium studiis subleuati, quod di-
cere perhorresco, imperio deturbent? Magnum onus su-
stines, quod aut regendū est arte, aut sua te mole opprimet.
Domi, ꝓprio discrimine hostes implicandi. Siculis, veteris
Imperii memoria, noui inuidia alienatis, dux tm̄ ad qué de-
ficiant potiùs, quam voluntas rebellandi deest. Aragonios
Reges solicitare non desinunt, ad ferendam opē, regnum-
que capessendum. Si eorum conatus iuueris, nę Cæsar par-
uo labore, impendioq; te atq; rempubl. magnis tempesta-
tibus atq; in eorum caput vertes, quæ in te illi moliuntur.
Postremò, hoc in pectus tuum demitte. Francos nunquam
tibi amicos fore: nam virib. & potentia quid valeant, ipse
scis. Ad ea Michael, quoniam vera Prochytam dicere com-
pertum habebat, auro se Aragonios adiuturum promisit:
occultè tamen, ne tantæ molitiones proderentur, Prochy-
ta cū Palæologo rebus constitutis, in Siciliam sese retulit,
defectionis consilia cum Procerib. eius Insulæ cōmunica-
turus, tanta Gallorum socordia, aut confidentia, cōiurato-
rumq; silentio: vt quid ageretur, penitus lateret, Aragonius
interim Rex, Augonem Metaplanem virum multarum re-
rum vsu ea ætate præstantem, ad Martinum nouum Ponti-
ficē Legatum destinauit, vt eius animum consiliaq; explo-
raret, tametsi legationis species erat Raymundi Pennafor-
tii nomē, vt consecraretur. Renuit Pontifex, negauitque
aliquid se concessurū ei, q. vectigal Rom. Ecclesiæ debitum
pendere recusaret. Pręterea, decumæ sacerdotiorum Iaco-
bo patri à prioribus Pontificibus concessæ, abrogatæ sunt.
Hæc res quæ Aragonium deterrere potuit, ad maturandam
expeditionem amplius inflāmauit; ne cunctātem casus ali-
quis impediret. Itaq; numerosa classis in Aragoniæ littori-
bus ędificata est Africæ inuadendæ specie: vbi pulsi paulo
ante Tunetani Regis à Conrado lancea, duo filii, de Con-
stantinæ, atq; Burgiæ, quas ille vrbes retinuerat, principatu
inter se se certabāt. Sacri quoq; Hierosolymitani belli cau-
sa, classem instruere, ornareq; se dicebat, palamq; iactabat.
Maior tamē, & verior cura suberat: Siciliæ occupandæ. Per-
contabatur Martinus Pontifex, missis ad Petrum, F. Iaco-
bo, Ord. Præd. & aliis oratorib. tanti apparatus causam: hic
autē respondebat, cum tempus ferret, se eam reuelaturum.
Cum autē Internuncii percontandi finē non facerent: Pe-
trus in iram concitatior; *Comburam*, inquit, *hanc meam inte-
riorem tunicam: si putauerim meorū arcanorum gnarā esse.* Philip-
pus etiam per litteras egit, perq; affinitatē orauit, vt profite-
retur, quibusnam illaturus esset bellum. Si Saracenis: cum
tot sint eorū tamq; diuersa regna, ne grauaretur, sibi socio
amico, affini, aperire, vt Franci more suo adiuuare possent.
Petrus respondit: nondum sibi cōstare, quæ Saracenorum
regna adoriri præstaret: sed quoniā opem suam Frāci vltro
offerrēt, subsidiis rei nūmariæ indigere. Missa illi illicò au-
reorum viginti millia: vberior etiā spes ostentata: dictū: il-
lud esse initium tenue iuuandi belli sacri, multo maiora ac-
cessura documēta Franciçæ pietatis. Inter hæc cū Michael
Palæologus, quemadmodum erat pollicitus, in belli sum-
ptus minime parcè aurum suppeditasset, & Petrus classem
expediret: Siculorum cōiuratio, Ioannis Prochytæ astu cō-
ciliata, sanctissima omniū festiuitatū Paschali celebritate,
Christi resurgētis memoria Festo die, tertio Calend. April.
detecta est. Cum enim ludis atq; lætitia cuncta personarēt,
lasciuia & securitas magis quam formido ostentaretur, atq;
ex templis populus sonitu cāpanę ad hymnos vespertinos
conuocaretur, tota Insula cędes inermium, nihil timentiū,
incautorumq; Gallorum vno tēporis momēto facta est. In-
de *Siculus vesper* in prouerbium abiit. Consternationis initiū
à Panormitanis ortum, cum eo sanctæ resurrectionis die, ad
templum S. Spir. quod ad Mōtem Regium, tertio à Panor-
mo lapide abest, religionis causa ꝓmiscue cōueniretur, atq;
Franci, per causam scrutandi, si quis cum telo esset, etiā ma-
tronas virginesq; excutere, licentiusq; pertentare sinus, tra-
ctareq; cæpissent. Ex ea re ira viris excitata, & primū lapi-
datio facta: deinde arma correpta, atq; in agro, vrbe, arce,
ꝓmiscua cædes Gallorū, nullo discrimine sexus aut ętatis:
tanta a. vindictæ cupiditate, vt fœminæ etiam, quibus ex
Gallis vterus intumuerat, neci darentur. Oppida alia & vr-
bes Panormitanorum exemplo, vno eodemq; momento
tumultuatæ sunt. Sola Messana in fide tantisper perstitit,
Herberti Aurelianensis totius Insulæ pro Francis Præfecti
diligentia atq; auctoritate. Metus tamē haud diuturni of-
ficii Magister extitit. Nam & Messanens. breui aliarum ci-
uitatum auctoritatem secuti, correptis armis rebellarunt.
Gallico tum præsidio, tum Præfecto vrbe pulso Guillelmus
Porcelletus Calataphimiæ Prætor, quamuis natione Fran-
cus, in medio seditionis ardore abire incolumis permissus
est, vna probitatis & modestiæ opinione tectus. Classis etiā
tunc temporis occupata, quæ in Siciliç portubus parata in-
structaq; erat aduersus Mich. Imperat. hostem Carolo iu-
dicatum. In Hetruria sedebat tunc Rex Carolus, creandis
Pontific. vel in ordinē sacris Antistitibus redigendis inten-
tus, nihil minus q̄ tales opperiens Nuncios. Casu itaq; Sici-
liensi repēte nunciato, primū perturbatus, plenusq; luctu
Pontificé adiit: deinde mærore in iram verso, Rhegyum se
contulit. In conspectu hostes, breui transmissu habebat: sed
naues Siculi occuparant, ademerantq; facultaté traiicien-
di, dum Petrus Arragonius adueniret. Is Africæ orā ne sacrę
militiæ professione abusus ementiendo videretur, lōgè la-
teque littoribus Africanis euastatis, circa Hipponem vsque
vsserat. Mox ad id cuius gratia cætera facta fictaque erant,
Siciliam cogitatione spectās, mutato rēpente cursu in Cor-
sicam delatus expectabat, quo Ioannis consilia cōiuratio-
que euaderet. Vbi defectionē certam cędemq; factam au-
disset, magno velut pignore deuinctos sibi animos Siculo-
rum cognoscens, vt quibus facinore admisso nulla superes-
set spes veniæ gratiæq; à Carolo Rege respiciendæ: non ta-
mē inde è vestigio soluit. Opperiebatur, quid Carolus Rex
moliretur. Ille ex Gallia classem euocārat. Vbi ad transpor-
tandum exercitum satis magnus numerus nauium conue-
nisset, milites traduxerat Messanamque obsederat, nec non
omnia ad oppugnationem parauerat. Ardebant milites
cupiditate necis commilitonum vlciscendæ, manibus in-
teremptorum sanguine imprimis Mamertinorum paren-
tandi. Neq; id fauebat oppidanos. Fœminæ, pueri, senes,
ægri, validi, Adolescentes, iuuentus, robur ætatis, omnis
ordo, omnis ætas, omne genus mortalium propugnabant,
nulla munera, nulla onera, nulla pericula detrectabant: ad-
erant animo, consilio, corpore, assiduitate: Duce hortato-
te, excitatore non egebāt, nulla multis seculis tenuit acrior,
& oppugnatio & propugnatio: nullus maior ardor, vehe-
mentior commotio: sed longa dies, nec intermissus labor,
conficere clausos potuisset.

IX. PETRVS ARAGONVM REX SICILIA IN TOTVM POTITVR, ET REX SALVTATVR.

Tandem quarto nonas Augusti, qui dies Diuo Lauren-
tio martyri sacer est, Petrus Aragonius Panormum appulit
ingenti per se classe: eamque superauxit nauibus iis quas
Siculi à Carolo Rege aduersus Græcos paratas occuparāt.
Igitur Carolus aduentu hostium impar maritimis viribus,
& in Insula tā infensa nihil sui iam arbitrii conspicatus, in
continentem rediit. Petrus autem Panormum ingressus,
& ab Episcopo Cefalensi sumptis regiis insignibus, ab om-
nibus Rex consalutatus, Insula vniuersa potitus est. Missæ
postmodum inter Reges litteræ iracundia contumeliisque
plenæ. Iis litteris amplius exacerbatæ voluntates, bellum
vtrimque indictum. Aragonius ex Hispania nouas copias
exspectabat: Carolus ex Prouincia Phocœensi. Aragoniis
omnia in Sicilia prona erant, Francis aspera. Horum castra
ad fretum Messanense in Siciliæ conspectu erant: Arago-
niæ copiæ vrbibus atque oppidis in fide confirmandis in
varias manus dissipatæ: Inter hæc, cum apud Martinū Pon-
tificem de illa consternatione, & aperta secessione rumor
sparsus esset, Panormitani ad eum oratores destinarūt, qui
ad pedes illius strati, velut pro ara, hostiaq; Christum Dei
Agnum salutantes, illa etiam ex altaris mysteriis verba sup-

plices

plices effarentur: *Qui tollis peccata mundi miserere nobis*: & ite-
rum: *Qui tollis peccata mundi miserere nostri*: tertium: *Qui tollis
peccata mundi, dona nobis pacem.* Sunt qui referant, Pontificem
repondisse, Panormitanos agere, quod fecissent Iudæi, qui
cum Christum pulsarent, eundem Regem Iudæorum salu-
tabant: re hostes, orando saluere iubentes. Percontātī-
bus oratoribus quodnam piaculum, quamve demum satis-
factionem peteret: redditum responsum: redderent se à
quibus defecissent. Violasse illos non maiestatē modo Re-
gis ipsorum Caroli, sed sacrosanctam potestatem, in cuius
fide Sicilia esset. Proponebant cōtra Mamertini, se voluis-
se Carolo dedituros, iis legibus: vt sanciretur peccatorum
obliuio, caueretur que sibi fraudi non futura, quæ ausi ante
in Gallos fuissent: non pensuros se maiora vectigalia, quam
Regi Guillelmo dissoluissent. Magistratus, Præfectos, mi-
lites Francos in ea loca non ituros. Italici generis, è prouin-
ciave Phocæensi sine detrectatione se accepturos: Cæte-
rum Carolum memorabant, has conditiones reiecisse, il-
lisque necessitatem imposuisse, ne se illius iræ committe-
rent, sed Aragonium admitterent. Surdis auribus audiuit
ista omnia Martinus, atq; Conradum Lanceam, Ioannem
Prochytam, & reliquos cōiurationis & cædis auctores exe-
cratus, vniuersæ Siciliæ sacris interdixit: Aragonium Re-
gem vt desisteret admonuit, neque intempestiua ambitio-
ne pacem Italiæ turbaret, postulauit.

epist. 168. & 104. apud montem Flasc.

X. ARAGONIVM EXCOMMVNICAT MARTINVS.

Ad extremum parere recusantem, nono Nouembris die
sententia apud Phaliscos pro foribus Basilicæ pronuncia-
ta, ex piorum cœtu exemit. Quod litterarium inter Reges
certamē attinet, Carolus grauiter inculabat Petrum, quod
in pace festa, oblitus propinquitatis, affinitatis, amicitiæ,
nominis Regii, humanitatis, per nefariam fraudem fur-
tumque, sed id longe atrocissimum ausus fuisset Siciliam,
Regnum sibi à sacrosancta potestate beneficiarium datum
inuadere atque occupare. Petrus verò Aragonius rescri-
psit: sibi Regi, Regnumque filio, ac religione Christiano,
non licuisse non moueri misericordia Siculorum, hostilia
indignaque patientium, seque vnum toto terrarum orbe
habentium, cuius opem iure suo fidemque in calamitate
necessario implorarent; quod Constantiam Manfredi,
Regis Siculi filiam in matrimonio, & ex ea liberos haberet,
quos opibus auitis fraudari, iusque illud amittere, pater
ferre non posset. Cætera, nec necesse fuisse ab Rege ad Re-
gem scribi, nec responsum desiderare. His vtrimque litte-
ris potius aucta exacerbataque ira Carolus quam leuata
lenitave, quanquam Petrus necessitudinem iuraq; insigni
testificatione violarat, tamen ei amicitiam renunciauit,
bellumque ita indixit, vt non de Imperio dignitateve, sed
de salute, inque caput eius dimicaturum se diceret.

† Quid verò Martinus Pontifex contra Petrum & Si-
culos egerit, rescripseritque, & quid hactenus Sedes Apo-
stolica vel iuris habuerit, vel pro iure tuendo præstiterit,
præstat ex ipsis literis Pontificiis abunde cognoscere. Ita
habet: I.

VENERABILI FRATRI EPISCOPO
Portuensi Apostolicæ Sedis Legato.

*Solebat hactenus Mater Ecclesia contra infideles suos persecutores
& fidei fidelium mentes profundis excitare clamoribus, exhorta-
tionibus inuitare sedulis, & ipsorum suffragia implorare. Clamabat
anxia considerationis obtutibus eminus inimicos aspiciens anxiaba-
tur quasi parturiens persecutionem populi Christiani sentiens è lōgin-
quo. Nunc aūt in eo grauiori anxietate posita quo grauius sentit comi-
nus infestos diræ persecutionis aculeos, & infestatur durius è vicino de
propria liberatione sollicita, vocem tanto profundioris clamoris exal-
tat, tantoq; amariores solitis molestias deprimere cōgitur in auribus
filiorum, quanto extimare potest amarius, debetq; deferre molestias
per degeneres filios, quos sibi per regenerationis lauacrum generaue-
rat, impeti, quam per eos quos adhuc paganorum cæcitate detentos,
vnitati Ecclesiæ ipsius & fidei vnda Baptismatis nō vniuit. Ecce si quid
sicut in omnem ferè orbis angulum creditur diffamatum, ille iniquita-
tis filius Petrus Aragonum velut in contemptum damnabili temerita-
te deducto, quod ratione Regni Aragoniæ ipsi Ecclesiæ à claræ mem.
Auo ipsius Petri oblati & censualis, tam ab illo quam ab aliis prædeces-
soribus constituti ad fidelitatis debitū ad quod idem Auus ipsum sicut
& suos cæteros in Regno successores, eodem oblationis huiusmodi tem-
pore obligarat, nobis & ipsi Ecclesiæ tenebatur de procedendo in Afri-
cam, prætento colore, continuatis dolis & insidiis machinatis cōtra nos,
eandē Ecclesiam, & carissimum in Christo filium nostrum Carolum
Siciliæ Regem Illustrem nulla diffidatione præmissa (quod proditionis
non caret nota) procedens post infandas crudelitates rebelliū Siculorū,
quas nostri processus super hoc habiti seriosius exprimunt. Insulā Sici-
liæ terrā peculiarē ipsius Ecclesiæ, licet iā memorato Siciliæ regi rebel-
lē, adhuc tamē ipsius Eccles. recognoscentē dominium & nomē publicè
inuocantē, militum & peditum caterua stipatus inuadere ac occupare
præsumpsit. & in illa eiusdē Eccles. pacē turbans, grauē contra eam se-
ditionem excitans, grauiterq; populū cōcitans in eam temeritatis pro-
rupit audaciā, quod præfatis rebellib. monitionibus, inhibitionibus, pœ-
narum cominationib. factis, & excōmunicationis & Interdicti sentē-
tiis promulgatis à sede Apostol. contra dictos rebelles, cōplices & fauto-
res eorū vilipensis omnino fauens eosq; fouens aperte se illorū Ducem
constituit & aurigam, Regiū in Regno Siciliæ nomē vsurpans, se Regē
Siciliæ nominans, & gerere pro Siciliæ rege præsumens, à dictis rebel-
libus aliisq; regni eiusdē incolis ratione vxoris suæ filiæ quondā Man-
fredi olim Princip. Tarentinen. natorumq; cōmuniū se falso teneri cō-
fingens, cū sit notoriū eundem Manfr. posterosq; suos à successione dicti
regni Siciliæ non solū per maculā illigitimæ ipsius Māfredi natiuitatis
exclusos, sed & per priuationis sententias contra quondā Fridericum
olim Rom. Imperatorē ipsius Manfredi, vt dicitur, genitorē per felicis
record. Innocentiū Papam IV. in Lugdun. Concilio, & postmodū spe-
cialiter contra ipsum Manfredum super omnib. quæ in regno habebat
eodē per Piæ memoriæ Alexandrum Papam prædecessores nostros, exi-
gentib. ipsius Manfredi demeritis, promulgatas, esse penitus alienos. Per
hoc a. & alia quæ dicti processus plenius continent idem Petrus memo-
ratos rebelles & præcipue Messanen. adeo in sua malitia obfirmauit,
quod licet ante ipsius Petri in Insula memorata præsentiā humiliter
venerabilē fratrem nostrum Gerardū Episcop. Sabinen. in partib. illis
Apost. sedis legatū & Nuntios suos admitterent, postmodū tamen ad-
mittere denegarunt. Et quamquā variis monitionib. inhibitionibus,
pœnarū indictionibus factis & sententiis in similib. latis specialiter cō-
tra eum, & adiectis nihilominus cōtra rebelles eosdē, ipsos à cœpta ma-
litia studuerimus reuocare peremptorie citantes eosdem vt à præmissis
desistentes omnino, infra tēpora, quæ ipsis peremptorio assignauimus
termino ad nostra & ipsius Eccles. mandata redirent, Alioquin contra
ipsum Petrū ad exponendum regnum Aragoniæ & alias terras tēpore
illo, eius, & ad ipsum priuandū eisdem, nec non contra dictos rebelles
ex tunc prout viderem⁹ expediens procedere curaremus, Vasallis ipsius
Petri à fidelitatis iuramento quo tenebantur eidē nihilominus absolu-
tis. Ipsi tamē Petrus & rebelles exhibentes se contumaces horū omnium
contemptores, nec præmissæ citationi parere, nec à sua peruersitate de-
sistere curarunt, sed suæ iniquitati adiicientes assidue non sine occisione
multorū & strage, ad reliquas partes eiusdē regni Siciliæ occupādas va-
rias multiplicarūt insidias, & conatus multiplices ostenderunt, dictus-
que Petrus vt nihil omitteret in persecutione nostra & ipsius Ecclesiæ
intentatum, ad pacificū statum Vrbis, Patrimonii B. Petri, aliarumq;
terrarum ipsius Ecclesiæ, nec non & aliarū partiū Italiæ subuertendū,
& Vrbem, terras, ac partes easdem à nostræ obedientiæ debito auertē-
das, sicut ex multorū fida relatione percepimus, nunc per nuncios, nunc
per literas variis machinationib. nitebatur & nititur, ac nisibus frau-
dulentis institit, vt nos & ipsam Ecclesiā non solū in præfato regno Si-
ciliæ opprimat, sed in aliis omnib. pro sua concepta contra Deū, nos &
ipsam Ecclesiam iniquitate cōculcet. Horum & maiorū excessuum Pe-
tri & rebellium prædictorū, quos velut notorios, parcius voto vitandæ
prolixitatis attingimus cōtinuatione ipse Petrus & rebelles nos & ean-
dem Ecclesiam extunc vexabant, & adhuc vexare non desinunt, eorū-
dem vexationib. continuatis impetebant & impetunt, Nosq; impetiti
continuè nō immerito anxiamur, maximè a. anxietatib. nostris adii-
ciebant. & incessanter adiiciunt totius Christianitatis considerata di-
spendia, dum Terræ sanctæ per hæc impedito subsidio consideramus non
sine amaritudine nimia Terrā ipsam desperationis periculo immò &
perditionis exponi, & recuperationem Imp. Romaniæ, quā Palæologi
subtractio, & dicti Regis Siciliæ ad iā prosequendā nota dispositio pa-
ratam & facilem verisimiliter offerebant, proh dolor absq; proximæ
facultatis similis impediri. Has quoq; nostras & ipsius Ecclesiæ amaras
angustias, pia meditatione pensantes, & Religionis Christianæ damnā
tàm grauia animo sauciato deflentes in discussionis exactæ scrutinium
inducebamus, & frequenter inducimus, quantis sit Petri & rebellium
eorundem persecutio plena periculis, quanta discrimina secū trahat.
Quæ cum in sui principio sic negotia Christi, sic commoda Christiani-
tatis impediat si vltra procederet, si quod absit, de occupatione dicti
Regni Siciliæ omnis humani remedii spem in illis saltem ad tempora
multa præcideret; omnisq; labor non solum à felicis record. Gregorio
Papa Decimo præd. nostro, suisq; fratrib. sed etiam ab Ecclesia vniuer-
sali assumptus, & ipsorum expensæ profusæ ad idem terræ præfatæ sub-

sidium

sidium præparandum, omni frustraretur affectu. Ad propulsandam sanè tàm grandis persecutionis, tantiq; infesti persecutoris instantiam, & tantam nequitiam reprimendam necessitate cogente varios modos & vias exquirere, diuersaq; remedia cogitare illud præcipuum nobis iustitia & ipsius Petri demerita obtulerunt, vt iuste virib. debilitatis ipsius, idē sic distraheretur ad multa, quod eum immemorē ad singula inueniri contingat. Ipso itaq; nec in præfato termino, nec postmodum ad nostra & Ecclesiæ redeunte mandata, immò nec per se, aut nunciū vel litteras, suam excusante contumaciam, sed nos eam Ecclesiam. & processus suos cōtumaciter contemnente, captasq; contra nos & eandē Ecclesiam iniurias & offensas continuè aggrauante. Nos Regnum Aragoniæ, terrasq; cæteras eo tempore dicti Petri de fratrū nostrorum consilio exponentes, modo subscripto, ipsum Petrū tunc Regem Aragon. ipsis Regno & terris, regioq; honore sententialiter iustitia exigente priuauim⁹ & priuantes exposuimus eadē regnum & terras occupanda Catholicis, de quibus & prout dicta Sedes Apost. duceret prouidendum, in eisdem regno & terris prætacto eiusdē Rom. Eccles. saluo iure, sicut hæc omnia per nos habiti super iis de fratrū ipsorum consilio processus & latæ sententiæ seriosius manifestant. Contra memoratos verò rebelles ipsorū exigente contumacia, dictos processus prout eorū ante dictam sententiam & postmodum habitorū manifestius series indicat, diuersimodè curauimus aggrauare. De vtili vero & efficaci executione priuationis, expositionis & occupationis huiusmodi cum eisdem fratrib. deliberatione præhabita, de ipsorū consilio deliberationis eiusdem direximus exitum ad singularē post Deum earundem fidei & Ecclesiæ defensorē ad Christianiss. videlicet carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Frāciæ Illustris, ipsorumq; Regis & generisq; sui inclyti Regni sinceram fidem ad Deum, constantiē deuotionē ad ipsum & Ecclesiam, grandemq; potentiā attendentes aliquē de ipsis Regis Frāciæ filiis alio tamē ab eo qui est sibi in dicto Regno Franciæ successurus ad occupandū dictum Regnum Aragoniæ & Comitatū Barchinonæ, qui est de terris expositis, quæ olim fuerunt dicti Petri, ministerio dilecti filii nostri Ioannis tituli S. Cæciliæ presbyteri Cardinalis nūc dictæ sedis legati auctoritate Apostol. quam sibi per nostras sub certa forma litteras de ipsorū fratrum cōsilio plenè in hac parte cōmisimus, voluimus prouideri, & ipsū ad id faciendum singulariter deputari. Memorato igitur Rege Franciæ de Archiepiscop. Episcoporū & Baronū eiusdem Regni Franciæ huiusm. attētante ac sumēte negotiū, & ad præmissa carissimū Christo filiū nostrū Carolum Aragoniæ & Valentiæ Regē Illustrem secundo genitū natum suum de Archiepis. Episcop. & Baronum ipsorum eligente consensu, idem Cardinalis de ipso iuxta formam sibi traditā, ad eadem facienda prouidit, & eum ad illa singulariter deputauit. Cæterū habet excessuum Petri & rebellium eorundē non quæuis immo grauis & enormis adductio, quod ipsi fidem Catholicā eius persecutores protegēdo, grauiter prosequuntur, & dictā Terrā nostri Redemptoris sanguine rubricatam, in grandē Redemptoris ipsius iniuriam & offensam, non solū prædicto modo impediēdo subsidium, sed & alias apertius & acerbius infesti impugnant. Siquidē post ingressum Petri eiusdem & Insulā memoratam, partim inibi, sicut per Inquisitores hæreticæ prauitatis accepimus receptantur hæretici, & ne iidem Inquisitores, quibus propter Petri & rebelliū eorundem malitiā illuc non est sic tutum accedere, contra eos procedere valeant, proteguntur, protectiq; in eiusdē fidei derogationē horrendā quotidie multiplicantur & pullulant, libere peruersis suis persuasionib. simpliciū animas subuertendas. Terræ quoq; prædictæ, cui de dicta Insula præcipuum solet in victualib. prouenire subsidium, idem Petrus & sui ministri suffragiosi dictorū assistētes rebellium, ministrari aliqua victui necessaria nō permittunt, per quorum subtractionē grauiter etiā incolis dictæ terræ grauatis inedia, quibuslibet alijs defensioni eius in multitudine, quam ipsius necessitas exigit in illis partib. insistēdi facultas adimitur, & adempta sibi per consequens necessaria copia defensorum, terra eadem se arbitrio inimicorum expositam non indignè deplorans, præsertim cum dicto Petro huiusmodi suis peruersitatib. insistēte subueniri, vt expediret, non possit eisdem contra impios tantæ suæ persecutionis tam iniquæ tam euidentis expositionis actores consueta remedia suæ defensionis implorat. Et quidem nil dubium quin prædictarū sit fidei & terræ subuentio ipsis contra tanta discrimina subuenire. Nil dubium ipsorum agi negotium dum eorūdem discriminum actorib. obuiatur. Quodq; qui agnitam fidem Christi persequitur censendus est infideli deterior, qui eam nullo vnquam tempore non agnouit. Et ideo earundem fidei & terræ negotium contra eos quos, vt præmissa perhibent, grauior quam infideles culpa commaculat prosequētes, illud opportunis & cōsuetis decreuimus auxiliis adiuuandū. Quocirca fraternitati tuæ præsentium auctoritate cōmittimus & mandamus quatenus ad releuanda prætacta Christianæ fidei, Christianitatisq; dispendia & longè maiora pericula, quæ fidei terræ & Ecclesiæ totiq; Christianitati prædictis ex ipsorū Petri & rebellium nefandis conatib. nisi diuino & dicti Regis Siciliæ, aliorumq; fidelium Christi compescantur auxilio, imminent propulsanda, conatuq; huiusmodi taliter quod illorum impedimentis profligatis omnino ipsarum fidei, Ecclesiæ, terræ Christianitatis, quæ negotia Deo auspice feliciter prosperentur in omnib. terris tuæ Legationis cōtra Petrum rebellesq; prædictos per te ac alios prædices verbum Crucis, & eam quibuslibet recipere volentib. vndecunq; originem traxerint, largiaris. Nos n. de omnipotētis Dei misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate ac illa quam ipse nobis licet immeritis ligādi atq; soluendi contulit potestate, confisi, omnib. illis qui signo eiusdem viuificæ crucis assumpto per annum in personis propriis & alienis expensis negotium huiusmodi prosequentur, quosue in eius prosecutione infra annum mori contigerit, ac illis etiam qui pro qualitate sui status, & pro suarum virib. facultatum, ad dictum negotium prosequendum per idem tempus idoneos miserint bellatores, aut subuentionē aliam exhibuerint, tuo vel eorum quibus id cōmiseris arbitrio acceptandum. Illis quoq; qui decimam per triennium eidem Siciliæ Regi concessam pro toto eodem triennio, primo anno exsoluerint, illam suorum peccaminum de quibus corde contriti & ore confessi fuerint veniam indulgemus, quæ concedi transfretantib. in Terræ sanctæ subsidium secundum Lateranen. statuta Concilii consueuit. Huiusmodi quoq; Indulgentiæ volumus esse participes iuxta quantitatem subsidii & deuotionis affectum omnes qui ad subuentionē huiusmodi negotii de bonis suis alias congrue ministrabūt.

II.

VENERABILI FRATRI .... EPISCOPO Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Exurgat Deus & iudicet causam suam, improperiorum suorum non immemor quæ sunt ab insipientibus tota die. Nunquid non propria causa eius contra illorum perfidiam per quos in populo Christiano guerris grauibus excitatis, Principibusq; Catholicis distractis ad alia impediuntur, pia sua negotia & præcipuè Terra Sancta, quam scriptura sacra testatur, sibi omnium cariorem, per quos Sacrosancta Ecclesia sponsa sua sic grauiter læditur, sic grauatur enormiter, quod inuaserint Regnum eius, Regnum inquam Siciliæ terra peculiaris ipsius, per quos Insula Siciliæ pars dicti Regni non modica rebellis efficitur, & occupata tenetur. Reliquæ Regni partes eiusdem diuersis impetuntur insidiis, & in illis etiam eadem Ecclesia, & carissimus in Christo filius noster Carolus Siciliæ Rex Illustris, qui Regnum idem tenens ab ipsa eius est exinde non solū Vasallus, sed etiam specialis athleta, multipliciter impugnatur. Nunquid & iterum non sua improperia, tam graues tam enormes iniuriæ illatæ ipsi Ecclesiæ sponsæ suæ? Nunquid & tertio non insipientes, qui hæc fecerunt & faciunt cōtemptu prædictorū suorum excessuum detestationib. increpationib. monitionibus, inhibitionibus, præceptis, sententiis & pœnarū cōminationibus, quæ nuper in nostris processib. iam iteratis edidimus, non tantum in prædictis iniuriis & excessib. persistentes, sed & eos dolis & machinationib. variis peruersisq; conatibus aggrauantes, ii profecto sunt proterui Siculi, qui debitæ nobis Ecclesiæ ac Regi prædictis fidelitatis obliti post præsumptam temerariæ rebellionis audaciam contra nos, Ecclesiā, Regemq; præfatos in eam prorupisse feruntur insaniam, vt Petrum Regem Aragonum in ducem & dominum sibi quasi nouū Baal ydoneum dicantur, quatenus ipse factus deuorator ipsorum in hoc complices & fautores sapientis testimonio, non indignè sub insipientis Metaphora describantur. Siquidem vt præmissa indicant, increpationes sic odiunt, quod contemnunt. Exurgat itaq; Dominus ipsosq; præueniat celeris præuentione vindictæ præueniat obiter & subuertat. Erigat brachium suum sicut ab initio, allidat in virtute sua virtutem illorum, obumbret in die belli caput Zelantium Zelum eius bellantium bellum iis suis. Protegat eos armis suæ potentiæ. Sit illis de alto victoria. Sit de cœlo veniens fortitudo. Cæterum quia vt præmissorum series perhibet in iis causam Dei agi conspicimus, sicut processus præfatos eam persequentib. putauimus obuiandum, sic illam deuote prosequentibus decreuimus etiam spiritualibus auxiliis assistendum, vt causam ipsam eo feruentius prosequantur, quo securius persecutionis quemuis expientur euentum. Ideoq; de ipsius Omnipotentis Dei misericordia & Beatorū Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus Christi fidelib. de quibusuis partibus oriundis, qui contra memoratos Regem Aragonū, complices & fautores, aliosue quoslibet in Regno prædicto seu qualibet eius parte nos, Ecclesiā, præfatumq; Regem Siciliæ impugnantes, nobis, Ecclesiæ, vel Regi Siciliæ memoratis astiterint, si eos vel eorū aliquem propterea in generali vel particulari maritimo seu terrestri conflictu mori contigerit illam peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, veniā indulgemus quæ concedi transfretantibus in Terræ sanctæ subsidium consueuit. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præsentes literas in omnibus locis tuæ legationis, de quibus expedire videris sublato cuiuslibet moræ dispendio, publices, & ab aliis facias publicari.

Sequitur III.

Eiusdem MARTINI PP. IV. Processus contra Siculos turbatores.

I.

Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Martini IV. PP. edictum contra Regni Sicil. inuasores & turbatores.

Cogit nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda sollicitat, vt infrascriptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in Archiuo conseruantur Ecclesiæ, recensentes, ipsius prouidere quieti cautius studeamus.

Sane felicis recordationis Innocentius Papa IV. prædecessor noster, culpas graues, imo grauissimas & multiplices; ac manifestos processus quondam Friderici olim Rom. Imperatoris perpensi maturitate consilii,

ac recti

ac recti iudicii censura diiudicans, ei secundum praua opera sua reddiderit, ipsum honore Imperii, Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ, Generali super hoc Lugdun. Cōcilio approbante ac iustitia priuauit; prout in vniuersalē mundi notitiam non est dubium deuenisse: nec ab ea verisimiliter creditur alienum, qualiter Fridericus ipse actus superbiæ spiritu, quamquam sic digne depositus, sic iuste priuatus, sententia priuationis huiusmodi prolata in eum, pertinaci animo parere contemnens, Regnum & Imperium supradicta post eiusdē prolationem sententiæ occupata detinere præsumpserit.

Qualiter etiam post iam dicti obitum Friderici, Conrad. natus, paternæ malitiæ imitator, dictū Regnum præsumptuosis ausibus occupauit: & tandē prædicto Conrado humanis rebus exempto, quondam Mãfredus, olim Princeps Tarentinus, eiusdem, vt dicitur, Friderici filius, qui etiam absq; priuatione prædictæ, propterea non iustæ legitimæ successionis participium perdidit, quia ipsum partus legitimus non agnouit, vtpote de damnabili commixtione susceptus, ad occupationem prædicti Regni temerarias & occupatrices manus extendit.

Grauibus igitur & enormibus admodum per potentiā & malitiam eorūdem iniuriis irrogatis Ecclesiæ, ipsam quoq; in suis multipliciter afflictam fidelib. respexit Dominus sponsam suam, & cōuertens nubilū in serenū, prædicti Frider. domum, quæ consueuerat quãuis malis abundare personis, sic pene redegit ad nihilum, sic illam iactura multitudine oppressit dissipationis, vt de illa nonnisi scintilla vnica remaneret, Conradinus videl. Conradi filius supradicti, qui, cū in eo malitia suppleret ætatem, ipseq; annorū suorum curricula superaret nequitia progenitorum. suorum nefarios actus sequens, ac eorū profanas iniquitates amplectens, mentisq; ambitiosæ vitio in Imperiū exercens, sibi Regnum intitulando Siciliæ, se ipsius Regni Regem denominare temere præsumebat: & cum nonnullis Ecclesiæ inimicis, Lōbardis, Tuscis, Marchianis, & Apulis, præcipue de Regno profugis prælibato, fraudulētis se implicando cōmerciis, in Vrbe Lōbardia, Tuscia, & per alia loca suas disseminare litteras non sinebat, sub expressione nominis proprii, & præmissæ intitulationis sigillo Regiæ maiestatis impressas; per quas cōmouerē populum, incitare gētes, ac turbare pacem Ecclesiæ nitebatur, in ipsius Ecclesiæ, & charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis Illustris graue præiudiciū & discrimen. Vnde piæ memoriæ Clemens Papa prædecessor noster, cum sibi de iis euidentius constitisset, diligenter attendens multam ipsius Conradini malitiam & suorum conatuum peruersorum volens obuiare principiis, certum habuit contra eum in hac parte processum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotii qualitas persuasit. Demū præfato Conradino subtracto de medio, eidem Regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit sedatis turbationis fluctibus; quos ipsius Conradini praua studia suscitarant, sicut nuper non sine multa turbatione relatu percepimus, nonnulli proteruæ temeritatis spiritū assumentes, ad nostram, nec non & Ecclesiæ dictiq; Regis turbationē & scandalum aspirantes, & in prædicto Regno turbationis emortuæ sopitum ignē reaccendere moliuntur, ad id sua studia iniqua congerunt, ad id suarum virtutū potentiam coaceruant, manus præsumptuosas apponunt, & etiā occulti fauoris auxilium largiuntur: Testatur hoc inter cætera horrendi sceleris feralis immanitas, de nouo in Ciuitate Panormitana patrati; vbi sic debacchatus est gladius, ferrum infremuit, furor excanduit, rabies insaniuit, manus truculenta desæuiit, quod, sicut rumor mæstus nunciat, non suffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, nisi & ii quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis vteris necarentur, trucidarentur innati, & delitescentibus visceribus genitricum impia præfocationis exitium inferretur.

Quia igitur præfatum Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam spectare dignoscitur, quod sui iuris & proprietatis existit, ac propter hoc nos qui vna cū Ecclesia ipsa medullitus in hac parte configimur, & quasi cuiusdam acerbæ punctionis aculeo excitamur, volētes tam grauib. malorum huiusmodi initiis, tantisue periculis, acceleratis remediis, prout possumus, obuiare, ne tam horrendæ principia cōualescant, præsente hac multitudine copiosa de fratrū nostrorum consilio, vniuersos cuiuslibet præeminentiæ, conditionis, aut status monemus attente, districte præcipientes eisdem, ne in prædicto Regno vel eius parte, Nos, & eandem Ecclesiam ac præfatum Regem in ipsa, qui prædictum Regnum ab eadem tenet Ecclesia, per se, vel per alium, aut alios molestent, seu impetant, vel perturbent occupando vel inuadendo hostiliter, seu occupari vel inuadi faciendo Regnum ipsum vel aliquam partem eius.

Præcipimus insuper vniuersis & singulis Christi fidelibus, specialiter a. Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitatibus, Comitatibus, & vniuersitatib. Castrorum, & aliorum quorumcumq; locorū Italiæ, & maxime temporali iurisdictioni Ecclesiæ Romanæ subiectis, ne prædictis in occupatione vel inuasione huiusmodi prorsus intendāt, & ne cum armis vel sine armis ad turbandum in prædicto Regno pacem eiusdem Rom. Ecclesiæ, ac præfati Regis Siciliæ in eodem, præstent eis in occupatione vel inuasione prædictis consilium, auxilium, vel fauorem, publice, vel occulte, & ne super hoc societatem, vel coniurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra monitionem, & præcepta nostra præmissa, per se, vel per alium, aut alios quibuscunq; dolo fraude, arte, vel machinatione fecerint, cuiuscunq; sint præeminētiæ, dignitatis, aut status, excommunicationis sententia, quā ex nunc in illos proferimus, ipso facto se nouerint innodatos. Ciuitates quoque, & cōmunitates quaslibet quæ contra monitiones & præcepta nostra prædicta quocumq; dolo, fraude, ingenio, arte. vel machinatione venire præsumpserint, Ecclesiasticæ sententiæ interdicti, quam ex nunc in illos proferimus, volumus subiacere. Aperte quoq; prædicimus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis quod si contra monitionē & præcepta nostra præmissa vel eorum aliqua venire tentauerint, Nos eos omni Ecclesiasticæ dignitatis honore priuamus. Cæteros a. Clericos non Prælationis officiū, sed dignitatis forsitan, vel personatus, aut alia quæuis Eccles. beneficia obtinentes, & obtētis priuare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinēda prout nobis facti qualitas suggeret, & iustitia suadebit. Laicis vero cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, & præcipue iurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subiectis, denunciamus expresse, quod si contra monitionē & præcepta nostra huiusmodi, per se, vel per aliū, seu alios temerè veniendo, ea nō curauerint obseruare, Nos tantæ temeritatis audaciā non intendentes relinquere impunitā, ipsos feudis, & aliis omnib. quæ à prædicta, & aliis Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis obtinere noscuntur, Vasallos eorum, si quos habent, à fidelitatis iuramēto quo tenentur eisdem reddere penitus absolutos, & personas ipsorum circa mortis & mutilationis periculū expositis ad expositionē bonorum ipsorum procedere Deo auctore curabimus, prout eorū culpæ exegerint, & videbimus expedire.

Excōmunicatio in inobediētes lata.

Vasalli à iuramēto absoluuntur.

Cæterum quia prædicta ciuitas Panormitana, & nonnulla castra, seu villæ illarum partium contra præfatū Regem Carolum, qui Regnum ipsum ab eadem tenet Eccl. rebellionis spiritum assumpsisse dicūtur, nos circa illa nolentes in hoc iuris seruare rigorem, sed vti potius mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab huiusmodi erroris inuolucro paternis studiis reuocare cōmunitatibus ciuitatis, & castrorum, ac villarū prædictarum districte præcipimus, vt sublato cuiuslibet difficultatis & dilationis obiecto ad nostra, & Ecclesiæ, ac Regis prædictorum mandata redire procurent; Eisdem quoque communitatibus districte præcipimus ne prædictos molestatores, turbatores, occupatores, seu etiam inuasores, aut dantes eisdem in prædictis consilium, auxilium, vel fauorem, in ciuitatem, castra, villas, seu districtus eorum quouis modo recipiant, vel receptent, nec ipsorum, aut alicuius eorum dominio, vel regimini quomodolibet se submittant, neque ipsius vel eorum alicui contra Nos & eandem Ecclesiam ac Regem prædictum in ea impendant in prædictis consilium, auxilium vel fauorem publicum vel occultum.

Nos enim confœderationes, seu colligationes quaslibet, si quæ inter communitates easdem, vel ipsas ac quascunque alias initas siue factas super occupatione ac inuasione prædictis penitus dissoluentes, ac iuramēta de illis seruandis, vel aliis quibuscunque pro prædictis hinc inde præstita relaxantes, omnino communitatibus ipsis aperte prædicimus, quod nisi præmissa curauerint quantocius adimplere, contra eas, & ciuitatem, castra & villas eorum spiritualiter & temporaliter auctore domino procedemus, quod pœna docente agnoscere poterunt quam sit temerarium & superbum mandatis Apostolicis contraire.

Iuramenta relaxantur

Vt autem huiusmodi processus ad cōmunem omnium notitiam deducatur, chartas, siue membranas processum continentes eundē in Maioris Eccles. Vrbeuetan. appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod illi quos processus ipse contingit nullam possint postea excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel quod ignorauerint eundem: cum non sit verisimile remanere quoad eos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum, &c.

II.

Processus habitus contra Petrum Regem Aragoniæ & Siculos Ecclesiæ Romanæ rebelles.

Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

Aliud edictum contra Petrum Reg. Arag. & Siculos Rom. Eccl. rebelles.

Longa retro series, ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora longa sufficerent, tædio grandi nimirum audientes afficeret, si quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, posterorumq; suorum culpas horrendas, & excessus infandos ab ipsis contra Deum, & Romanam commissos Ecclesiam, ac processus perinde per Romanos Pontifices prædecessores nostros rite habitos contra ipsos, pœnasque iuste illis indictas repetitio seriosa narraret.

Ideoque summa rerum fastigia prout imminentium casuum necessitas exigit, & absque seditionis iniuria materia patitur decreuimus

prosequenda.

prosequenda. Et quidem communem nõ credimus latere notitiam qualiter fel. rec. Innocent. Papa IV. prædecessor noster memoratũ Fridericũ, qui se per eosdem suos excessus & culpas innumeras indignum Imperio & Regnis omniq; honore reddiderat, in Concilio Lugdunensi, eodem approbante Cõcilio, propter suas iniquitates à Deo ne regnaret vel imperaret abiectũ, ostẽdit & denunciauit omni honore ac dignitate priuatum à dominio, & nihilominus sententiando priuauit: vt in eiusdem prædecessoris sententia contra ipsum Fridericum lata plenius continetur.

Frideric. in Conc. Lugdun. ab Innoc. IV. Imperio priuatus.

Qualiter etiam post eiusdẽ Friderici obitum licet Regnum Siciliæ ad dispositionẽ Eccles. Romanæ, cuius iuris & proprietatis existit, esset libere deuolutũ: Idemq; prædecessor de illo se prouisurũ in eodẽ Cõcilio publice prædixisset, quondam Conradus dicti Frider. natus, quamquã in eodem Regno ex ipsius sui genitoris successione nullum penitus ius haberet, cum, sicut ex præmissis apparet, nec ipse mortis suæ tẽpore habuisset, nec alias dicto Conrado ius competeret in eodem, ipsum Regnum præsumptione temeraria occupauit. Nec illius recentiores facti memoriam obliterauit obliuio, videl. quod ipso Conrado subtracto quondã Manfredus tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata susceptum à dicti Regni successione, non solũ præmissa eiusdẽ Friderici priuatio, sed etiam macula illegitimæ natiuitatis arcebat, cõtra iuramentũ fidelitatis quod dicto prædecessori præstiterat temere veniens, sub quondam Conradini nati dicti Conradi suiq; nepotis simulata protectione tutoria ad quasdã ciuitates, & castra, & alia loca Regni eiusdẽ manus occupatrices extendit, propter quod & alios suos actus nefarios, & graues offensas piæ memoriæ, Alexãder Papa IV. prædecessor noster ipsum ex causis variis excommunicationis vinculo innodatũ Tarentino Principatu, honore mõtis sancti Angeli, omnib. ciuitatibus, terris, feudis, dignitatibus & aliis honorib. bonis ac iurib. quæ in præfato regno, & quæ alibi, etiã ab Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis obtinebat, necnon & Vicaria in quadam ipsius regni parte sibi ab Apostol. sede concessa, & ẽt omnib. concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus, & priuilegiis, siue à prædictis Friderico patre, vel Conrado fratre suis, siue à sede Apostol. in regno sibi factis, eodẽ, vel alibi, etiam ab Ecclesiis quibuscunq; vel personis Ecclesiasticis tanquã rebellem, & hostem Eccles. Roman. violatorem fidelitatis sibi præstitæ manifestum, suorumq; iuriũ inuasorem, occupatorem, & detentorem sacrilegũ, & tamquam societatum nefando fœdere Saracenis, eorum complicem, ductorem, & protectorẽ publicum, Apostolica auctoritate priuauit. Cumq; idem Mãfredus, nec iis aliisue remediis contra malitiam eius adhibitis in sua iniquitate remissior, sed in cõmittendo quotidie priorib. deteriora feruentior, postmodũ fraudulẽter præfati nepotis sui morte conficta idẽ regnũ proprio nomine occupans & regiũ in illo titulũ & nomen vsurpans se, ortus sui non erubescens primordia, in illius regẽ inungi & coronari fecisset: Ideq; prædecessor Alex. eius iniquitates, & fraudes abominãs, & detestãs, cassauit, & irritauit, cassum & irritũ nunciauit quicquid circa ipsum Manfredũ per inunctionẽ, seu potius execrationẽ, & coronationẽ, quas recipere de facto præsumpserat, quasq; nullas esse cõstabat, extitit tam temerarie tam dolose præsumptum. Eisdem vero Manfredo, & demum Conradino, qui ætatem præueniendo malitia, à dictorum prædecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadẽ Imperium, & Regnũ aspirans. præfatam Ecclesiam, & charissimum in Christo filium nostrũ Carolum Regem Siciliæ Illustrem insidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infestauit; Propter quod contra eum, & fautores suos per recolendæ memoriæ Clementem Prædecessorem nostrum varii habiti sunt processus, si forte sic nobis & Regno, ac Regi prædictis pacis & quietis serenitas arrideret, sed in subitas tempestates acta est æstiua tranquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis: Et qui eidem Regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis spiritũ infideliter assumentes, non solum hostilia, sed tyrannica patrarunt. Sicut n. grauis clamat infamia, processit adeo Panormitana ciuitas, & ciuium præsumptuosa rebellio, quod rebellandi audacia, & iuriũ interuersione Regalium, suiq;, quantum in eis est, abiectione dominii non cõtenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit, dum eorũ exitialis iniquitas non solum quos ex deuotis Regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia sine sexus ætatisq; delectu inhumane occidit, verũ etiam partus quos adhuc viscerum maternorum claustra celabant, illis sæue defectis sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quod eis nimis proculdubio innaturaliter lucis vsum antequam concederet natura subtraxit; ipsis adeo præmatura & impiissima cæde cæsis, quod ortus eorum principia vitæ præuenit occasus. Quia vero sicut ex tunc multorum habebat assertio, & iam probat exitus euidenter hæc in nostram & eiusdem Ecclesiæ turbationem & dispendium tentabantur, & plurium ad hoc intentio laborabat & studium, vt fornacis quasi recenter extinctæ, Nos, Eccl. & Rex iidem renouata eo grauiora sentiremus incendia, quo solent nocere grauius pericula recidiua. Nos tãtorum malorum cupientes obstare principiis, ne sero medicina ipsis iam procedentibus pararetur, in festo Ascensionis Domini præterito nuper apud Vrbem veterem præsente multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio, vniuersos & singulos cuiuscunque præeminentiæ, conditionis, dignitatis, aut status attente monuimus, eisq; districte præcepimus, ne in prædicto Regno, vel eius parte Nos, & eandem Ecclesiam aut præfatũ Siciliæ Regem, qui Regnum Siciliæ tenet ab ipsa, per se, vel per alium molestarent, impeterent, vel etiam perturbarent, occupando, inuadendo, seu etiam occupari, aut inuadi faciendo Regnum ipsum, aut aliquam eius partem. Præcepimus etiam vniuersis & singulis Christi fidelibus, & specialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitatibus, Comitatibus, & Vniuersitatibus Castrorum, Villarum, & quorumcunq; locorum Italiæ, maxime ipsius Ecclesiæ Romanæ tẽporali iurisdictioni subiectis, ne prædictis molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, inuasoribus, seu occupari, vel inuadi facientibus, dictũ Regnum, vel aliquam partem ipsius in præmissis intenderent, & ne cum armis, vel sine armis ad turbandum in Regno eodem pacem præfatorum Ecclesiæ ac Regis Siciliæ præstarent illis consilium, auxilium, vel fauorẽ publice, vel occulte, neue super hoc societatem, coniurationẽ, aut fœdus aliquod cum ipsis inirent. Si quis autem contra nostram monitionem, & præcepta præmissa per se, vel per alium, quibuscunq; dolo, fraude, vel machinatione facerent, cuiuscunq; forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status: excõmunicationis sententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos, Ciuitates quoq; & Communitates quaslibet, quæ contra monitionem, & præcepta eadem, quocunq; dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumerent, interdicti Ecclesiastici sentẽtiæ, quam ex tunc in illos promulgauimus, voluimus subiacere. Ad hæc prædiximus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quod si contra monitionẽ, & præcepta præmissa, vel eorũ aliquod venire tentarent, Nos eos omni Eccl. dignitatis honore: cæteros a. Clericos non prælationis officium, sed dignitates forsitan, vel personatus, seu alia beneficia obtinentes & priuare curaremus obtẽtis, & inhabiles reddere ad alia obtinẽda; prout facti qualitas suaderet. Laicis vero cuiuscunq; præeminẽtiæ, dignitatis, conditionis, aut status, præcipue tẽporaliter ipsi E. R. subiectis expresse denunciauimus, quod si monitionẽ, & præcepta huiusmodi, contra ea per se vel per aliũ veniendo temere, non seruarent, Nos tantam temeritatẽ impunitam remanere nolentes, ipsos feudis, & aliis omnibus, quæ à prædicta vel aliis tenerẽt Ecclesiis priuare: Vassallos eorũ, si quos habent, à fidelitatis iuramẽto quo tenentur eisdem reddere penitus absolutos, & personis eorum, citra mortis periculũ & mutilationis expositis ad expositionem bonorũ procedere illorũ, prout culpæ ipsorum exigerent, & videretur expediens, curaremus. Et licet Panormitanæ Ciuitatis, & Ciuium, nonnullorumq; Castrorum illarũ partium, quæ contra eundem Regem Siciliæ rebellarent, culpa grauis acerbiorem processum exigeret: nos tamẽ desiderantes quod Ciuitatem, Ciues, & loca prædicta mansuetudo corriperet, & à tanti erroris inuio reuocaret, erga eos non rigorem, sed mansuetudinem votis nostris accõmodam prosequentes, vniuersitatib. prædictorũ Ciuitatis, Castrorum, aliorumq; locorũ districte præcepimus, vt cuiuslibet difficultatis, & dilationis obiectu sublato, ad nostra, Ecclesiæ ac Regis eorundẽ mandata redirent: Quodq; prædictos molestatores, turbatores, occupatores, inuasores, aut dantes eis in hoc consiliũ, auxilium, vel fauorem, in dictis Ciuitate, Castris, villis, seu districtib. eorundem nullo modo receptare, vel recipere attentarent, nec ipsorũ aut alicuius eorum dominio, vel regimini se quoquomodo submitterent, neue ipsi, vel eorum alicui contra Ecclesiam, vel Regem prædictos impenderent in prædictis consiliũ, auxilium, vel fauorem publicum, vel occultum. Et nihilominus cõfœderationes, seu obligationes quaslibet, si quæ inter vniuersitates easdem, vel inter ipsas, & quoscunq; alios initas siue factas super occupatione, vel inuasione prædictis, & iuramenta de illis seruandis, vel alias pro prædictis hinc inde præstita relaxantes omnino, Vniuersitatib. ipsis aperte prædiximus, quod nisi præmissa celeriter adimplerent contra Ciuitatem, Castra, & Villas eorum spiritualiter, & temporaliter sic procedere auctore Domino curaremus, quod pœna docente suæ temeritatis & superbiæ recognoscerent qualitatem. Cæterum dum iis, aliis modis & viis filiorũ paterna venabatur affectio, reliquarũ Ciuitatum, Castrorũ, Villarum, ceterorumq; locorum Ciuium, & incolarum Siciliæ in nostram notitiam perlata rebellio, & præcipue Messanen. qui eorundem Panormitanorum imitati sæuitiam, quamplures ex ministris & deuotis Regis ipsius, post securitatem eis præstitam, crudeliter trucidasse dicuntur, Castrum Regiũ loci eiusdem temerariis ausibus occupantes causam multæ cõmotionis inducerent; nos tamen propterea nõ desistentes à cœptis, Venerabili fratre nostro Episcopo Sabinen. ad partes illas cum plenæ legationis officio, tãquã pacis Angelo, destinato, bona in illis, & pro illis partib. quæsiuimus, nec venerũt: Pacem expectauimus, turbinis grauioris tempestas apparuit, machinatis iam dudum, vt cõmunis opinio, & subsecutorum consideratio indicat euidenter, dolis, & insidiis reuelatis. Siquidem Petrus Rex Arag. quem charissimum filium nominari non patitur exprimendus inferius status eius, de procedendo aduersus Africã quæsito

Conradus Frid. filius.

Mãfred. Nothus Regni Siciliæ inuasor ab Alex. IV. excommunicatus.

Conradin. Manfredi nepos Carolus Sicil. Rex.

Panormitanorum rebellio & crudelitates.

Pœnæ contra inobedientes.

Messanensium rebellio.

colore

colore Insulam Siciliæ terram peculiarem ipsius Ecclesiæ, militum & peditum caterua stipatus inuadens, occupans, & in illa Ecclesiæ eiusdem pacem turbans, grauem contra eam seditionem excitans, grauiterque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audaciam, quod cum Ciuitatibus, aliisq; locis, Vniuersitatibus, Ciuibus, & incolis eiusdem, quibus ratione vxoris, filiæ scilicet memorati Manfredi, natorumq; suorum se teneri prætendit confœderationibus, pactis, quin potius conspirationibus, & scelestis factionibus initis, Regium in Regno prædicto nomen vsurpat, se Regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ Rege præsumit, in maioris præsumptionis augmentum præfato Regi Carolo in suis litteris Regni Siciliæ titulum subtrahendo: sicque non solum dictos Panormitanos, quos alias pluries per nuncios ad hoc sollicitasse dicitur, in incæpta contra dictum Regem Carolum seditionis, & rebellionis contumacia obfirmauit, eos per se, ac gentem suam fouens, in illa, vnde multi ex eis, & specialiter Massanenses, qui, ante ipsius in Insulæ memoratæ præsentiam, dicti Legati nuntios humiliter admittebant, dominium eiusdem recognoscentes Ecclesiæ, nomenq; publice inuocantes, eos postea contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eid. sc. Regi Aragonum, prætextu dictorum Vxoris & filiorum ipsius, vt dicitur, innitentes.

Quos tamen Vxorem, filios, siue Regem per eos, seu ipsorum ratione in ead. Insula, vel aliqua dicti Siciliæ Regni parte ius aliquod non habere præmissa declarant, & Nos nihilominus decernimus, & etiam declaramus.

In quæ autem crimina falsa Regiæ dignitatis, immo & simplicis magistratus assumptio, seditio violentiaque cum armis commissa mandant, quibus addicendi sint pœnis talium patratores, non est opus exprimere, quod id nota & vetustissima decreta sanxerint.

Nec leue iis pondus adiicitur si eiusdem Regis & Regni Aragonum conditio explicite describatur. De Archiuio namque ipsius Ecclesiæ monumenta prodeunt aperte testantia qualiter piæ memoriæ Innocentius Papa Tertius prædecessor noster quondam Petrum Regem Aragonum, dicti Petri Aragoniæ regis Auum, Arelatensi eius temporis Archiepiscopo, & aliis personis Ecclesiasticis, nec non & quampluribus suis associatum Proceribus per mare ad Sedem Apostolicam accedentem, vt inibi ab eodem Prædecessore INNOCENTIO militare Cingulum, & Regium acciperet Diadema, honorauit multipliciter, honorifice ac benigne recepit, & in Ecclesia Sancti Pancratii Martyris iuxta Transtyberim per bonæ memoriæ Petrum Portuensem Episcopum faciens in Regem inungi, deinde propriis manibus coronauit, & Regalia insignia vniuersa, Mantum videlicet, & Collobiam, sceptrum, & Pomum, Coronam, & Mitram; quæ ad opus ipsius, non solum speciosa sed & pretiosa parari fecerat, ex more in Regum Coronationibus obseruando largitus eidem, ab ipso iuramentum corporale recepit, per cuius religionem memoratus Rex inter cetera fidelitatem, & obedientiam ipsi summo Pontifici, eiusq; successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, Regnumq; suum in ipsius obedientia fideliter conseruare promisit.

Ac demum idem Rex cum multo tripudio & applausu coronatus iuxta ipsum Prædecessorem Innocentium ad Basilicam Sancti Petri Principis Apostolorum rediens, super illius Altare sceptrum, & Diadema deposuit, & militarem ensem de manu eiusdem Prædecessoris accepit.

Dictumque suum Regnum antea censuale à suis prædecessoribus eidem Ecclesiæ constitutum, cupiens principali post DEVM, eiusdem Beati PETRI & Apostolicæ Sedis protectione muniri, Prædecessori eidem Innocentio, & per eum ipsi sacrosanctæ Apostolicæ Sedi obtulit.

Illudque sibi, & eius successoribus in perpetuum diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ suæ, & progenitorum suorum nouo adiecto censu constituit censuale: pollicendo adiiciens, & adiiciendo pollicens, quod ipse, & successores sui specialiter eid. Sedi fideles & obnoxii teneantur.

Hæc autem perpetua lege fore seruanda decernens, vt huiusmodi Regalis concessio firmitatem inuiolabiliter obtineret, ipsam in scriptis redactam de Procerum Curiæ suæ consilio, præsente dicto Arelatensi Archiepiscopo, Sancio patruo suo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fauciano suis Baronibus sigilli sui munimine roboratum eidem Innocentio Prædecessori concessit.

Nunquid igitur præmissa collata pariter, & solerti examinatione discussa dictum Regem Aragoniæ nepotem fidelitatis ad quam memoratus Auus suus, cuius est in eodem Regno hæres, ipsum, sicut & successores suos cæteros, tam publice, tam solemniter obligauit, eidem Ecclesiæ debitorem, & violatorem publicum, reum grandis infidelitatis, & damnabilis non accusat?

Profecto fidei debitæ violatio violantem proculdubio arguit infidelem: præsertim cum præmissa non leuiter aggrauet fraudulenta confictio, qua idem Rex Aragonum nepos, non absque fraudis commento notabilis, finxisse detegitur, & apud Nos etiam per solemnes Nuntios affirmasse, quod cum sumptuoso, & sollicito apparatu, ad Dei & Ecclesiæ seruitium, & exaltationem Catholicæ fidei, potentiæ suæ brachium dirigebat.

Quod tamen contra eiusdem fidei vtilitatem dictum Regem Carolum, in Terræ sanctæ subsidium Cruce signatum, & publice ad DEI eiusdemque fidei obsequia prosequenda dispositum, nulla diffidatione præmissa, quod multorum iudicio proditionis notam non effugit, hostiliter impetendo, necnon & contra ipsam matrem Ecclesiam, eius vt prædicitur terram inuadendo, & occupando direxit, nec eum excusat, sed accusat potius quod ad partes Africæ Insulæ prædictæ vicinas diebus aliquibus declinauit.

Id eum ipsum adeo continuasse probat, immo & conuincit euentus, vt opportunitate captata commodius iniquitatem quam conceperat parturiret: maxime cum per suos nuncios missos exinde pluries dictos Panormitanos sollicitasse, ipsis in præsumpta malitia consilium, & auxilium obtulisse dicatur: nec sit verisimile quod eand. Africam, terrã quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis non prorsus imbellibus, crebris munitionibus, vt habet fama, non vacuam, opibus, & aliis opulentam, cuius inuasione vix multorum Regum Principumue quorumcunque potentia coaceruata præsumeret, ipse adhuc proculdubio diuitiis impar & virib. cum comitiua tam modica bellatorum, solus assumeret inuadendam. Nunquid & iterum hæc non patenter ostendunt, quod sæpefatus Rex Aragoniæ nepos, tanquam Insulæ memoratæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ, manifestus inuasor, & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & seditionis, cõmotionis, seu concitationis, pacisq; turbationis contra præfatum Regem Carolum motæ notorius factor, & fautor, & aduersus ipsam Ecclesiam actor & factor, suiq; complices Comites, satellites, & ministri præmissam per Nos in festo prædicto latam in nostris monitionib. præceptis, & inhibitionib. non parentes excommunicationis sententiam incurrerunt, nec absolutionis Vassallorum suorum à iuramento fidelitatis, si quo tenentur eid. priuationis feudorum, quæ ipsi à Romana, vel quibuscunque tenent Ecclesiis, & expositionis personarum citra mortem, & mutilationem, bonorumq; suorum comminatum in eod. festo periculum euitarunt. Vniuersos a. sæpefatæ rebelles Insulæ, scilic. Messanenses, Agrigentinenses, & cæteros Ciuitatum, Castrorum, villarum, aliorumq; locorum eiusd. Insulæ ciues, habitatores, & incolas, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, qui dictis Panormitanis in pertinacia rebellionis assumptæ saltem se illis simili audacia sociando, & eos proinde validiores, & firmiores reddendo, nec non societatib. confœderationib. pactionib. pœnarum & iuramenti additione firmatis, vt dicitur veniendo fauerunt, & tam alios, quam Panormitanos eosdem qui præfato Regi Aragon. nepoti, contra prohibitiones, & monita nostra præmissa intendere inuasione ac occupatione prædictis ipsum recipere, ac receptare, se illius regimini submittere, sibiue contra Ecclesiam, vel Regem Carolum prædictos fauorem, & auxilium impendere præsumpserunt, eid. sententiæ subiectos & periculo esse proculdubio expositos. Ciuitates vero, Castra, villas, & alia loca prædicta, necnon & Vniuersitates ipsorum Ecclesiastico supposita interdicto? Hæc sunt igitur quæ per eund. Regem Aragon. nepotem Deo & Ecclesiæ seruitia offeruntur. Hæc sunt quæ ipsius Ecclesiæ prosequi se iactabat obsequia. Hæc fidei Catholicæ incrementa. Sic exaltationem Religionis Christianæ prosequitur, sic procurat. Sic Dei fidei, ac Religionis eorund. hostes prosequitur, sic impugnat. talibus in se regalem dignitatem intitulat. talib. titulis vitam suam, famam, genusq; decorat. licet itaq; tantis excessib. & demeritis processus grauior debeatur & ad executionem præmissorum comminationem procedere non iniuste possemus, immo etiam, sicut prædictorum consideratio perhibet, deberemus: quia tamen nescit à caris caritas, etiam læsa, recedere, inducti paternæ caritatis inducimur, vt, cum simus, licet insufficientib. meritis, illius Vicarii, qui non mortem peccatorum, sed vt conuertantur & viuant se velle fatetur: Regem Aragon. & alios præfatos denuntiationib. monitionib. mandatis, prohibitionibus, & comminationib. ad conuersionem celerem in peccatis, iniquitatibus, & sententiarum laqueis, quibus se, vt præmissa docent apertius, inuoluerunt, in morte obdormiant, excitemus: Ideoq; præsente hac multitudine copiosa fidelium, de fratrum ipsorum consilio denunciantes, eosd. Petrum Regem Arag. nepotem, suos Comites, complices, satellites, & ministros, ac Insulæ memoratæ rebelles, ex prædictis causis excommunicationis: Ciuitates, castra, villas, & alia loca præfata, nec non Vniuersitates ipsorum interdicti præmissis per Nos latis sententiis subiacere: De nouo tam in Regem, & alios sæpefatos, quam in Vniuersitates, Castra, villas, &

Alia monitio cum iteratione censurarum.

loca

loca prædicta, ex causis eisd. & propter auctam eorum contumaciam in nonparendo nostris monitis, & præceptis, & à Nobis prohibita pertinaciter prosequendo, diutius similes sententias promulgantes: Ipsum a. Regem & cæteros vniuersos & singulos, qui cum eo, seu alias in auxilium præsentis turbationis, siue rebellionis dictam Insulam intrauerunt, vel inibi existentes eidem turbationi, seu rebellioni quomodocumque fauerunt, attente monemus, eisq; districte præcipimus, vt ab huiusmodi suis exceßib. & offensis desistentes, omnino Insulam eand. penitus exeant, nunquam illuc in nostrum, Ecclesiæ, vel Regis Caroli, quoad præmissa, qualecunq; præiudicium redituri. Adicientes ne quis de nouo ad id eand. Insulam intret, vel aliquam eiusd. Regni partem publice, vel occulte impetat, turbet aliquatenus, vel molestet. Vniuersis quoq; Ciuib. Incolis, habitatoribus, & Vniuersitatib. Ciuitatum, & aliorum locorum ipsius Insulæ cum similibus monitione, ac districtione iubemus, vt Regem Arag. & exteros memoratos de ipsa Insula prorsus expellant, nunquam eos, vel alios ad præmissa, vel similia inibi recepturi.

Iubetur Rex Aragonum Regis Sicil. titulum deponere.

Districtius insuper inhibemus ne idem Rex Arago. se Regem Siciliæ nominet, sigillum Regium sub intitulatione Regni Siciliæ assumat, vel vtatur assumpto, neq; priuilegia, immunitates, feuda, bona, vel iura quæcunq; in eo, aut aliqua eius parte concedat, vel tamquam Rex Siciliæ quicquam agat, neq; dominium, vel subiectionem aliquam in quascunq; singulares personas, aut terras ipsarum seu Potestariam, vel quamlibet Rectoriam, siue officium quocunque nomine censeantur, in ciuitate, vel aliquo alio loco, maxime ipsius Regni Siciliæ, aut alicuius partis Italiæ in nostrum, Eccl. ac Regis Caroli quodcunq;, vel qualecunq; grauamen, per se, vel per alium recipiat, vel acceptet, aut cum eis, vel eorum aliquo in præfatorum Ecclesiæ, ac Regis grauamen, vt prædicitur, societatem, siue aliam confœderationẽ contrahat, vel obseruet qualitercumq; contractam: neq; singulares personæ præmissæ vel aliæ quæcunq; Ciuitates, vel loca eid. in Ecclesiæ ac Regis Caroli prædictorum persecutione huiusmodi persistenti, vel alii pro eo, seu in fauorem ipsius præmissa concedant, vel aliquid præmissorum aut alium pro eo, vel in fauorem ipsius ad prædicta vel eorum aliquod eligant, nominent, recipiant, vel assumant: aut quod easd. singulares personas, Ciuitates, & loca, vel Vniuersitates ipsarum, specialiter a. cuiuscunq; partis Regni Siciliæ, vt se, vel terras suas eiusd. Regis Arag. dominio, vel obedientiæ cuicunq; minime supponant: aut eum, vel alium pro eo, seu in fauorem ipsius in Potestatem, Rectorẽ, vel aliud quodcunq; officium, vt prædicitur, eligant, nominent, vel admittant, siue cum eo societatẽ, vel confœderationem contrahant, vel qualitercunq; contractam obseruent: aut quod ciues, Incolæ, habitatores, Ciuitates, vel alia loca prædicta, seu Vniuersitates ipsorum, præsertim cuiuscunq; partis eiusdem Regni Siciliæ à nostra, Ecclesiæ, & Regis Caroli prædictorum fidelitate, seu deuotione quomodolibet auertantur, vel auersa etiam in huiusmodi auersione persistant per se nuncium, vel litteras inducere, aut donis, promißionib. suis, aut alio modo quouis allicere, vel etiam sollicitare præsumant. Neue singulares personæ, Ciuitates, Castra, Villæ, aut loca præfata se dicti Regis Arag. huiusmodi Ecclesiæ, ac Regis Caroli persecutioni quomodolibet insistentis dominio, regimini, vel obedientiæ qualicunq; subiiciant, siue in nostrum, Ecclesiæ, seu Regis Siciliæ præiudicium, vel grauamen vt prædicitur, ipsum Regem Arago. litteras, vel nuncios suos, vasa quæuis apta cuicunq; nauigio, gentemue recipiant, vel receptent, vel ad ipsum vadant, eiue litteras mittant, aut sibi, genti, vel nuntiis suis, aut aliis pro eis, maxime in aliqua parte ipsius Regni Siciliæ, obediant, vel intendant, fodrum ministrent, equos, arma, vel vasa sub huiusmodi venditionis titulo, aut aliter quomodocunq; concedant, seu ab ipso Rege Arag. vel alio pro eo priuilegia, immunitates, feuda, largitiones quaslibet in eod. Regno Siciliæ, quas constat, & nos nihilominus declaramus & decernimus non tenere, vel alibi occasione instantis negotii eiusd. Regni Siciliæ, aut stipendia vbicunq; contra Nos, Ecclesiam, vel Regem Carolum prædictos recipiant, vel pro receptis promißum audeant seruitium exhibere, aut alias præstare consilium, vel fauorem, publicum vel occultum: nec cum ipso Rege Aragon. vel alio pro ipso seu in fauorem ipsius societatẽ, colligationem, vel quascunque, conuentiones, in Nostrum, Ecclesiæ, & Regis Caroli eorund. qualecunq; dispendium contrahant, aut contractos, etiam sub vinculo iuramenti vel quarũlibet adiectione pœnarum siue pactorum, audeant obseruare, singulariter. a. Michaelem Palæol. qui se Imperatorem nominat, quemq; super iis, & præcipue super impenso in prædictis memorato Regi Arago. nepoti contra Nos, eosd. Ecclesiam & Regem Carolum consilio, auxilio, vel fauore, deque pactis, conuentionib. & confœderationib. initis cum eod. vti argumenta verisimilia deferunt, vox præterea publica, & communis continue, qu. accusationis incessat, omnesq; sibi de facto, vel quomodocunq; subiectos attente monemus, eisque districte præcipimus vt omnia monitiones, præcepta inhibitionesq; præmissa quæ ipsos Michaelem, & subditos contingunt, vel possunt quoquomodo contingere, vel in eis, seu quo ad eos qualitercunq; locum habere, quæ omnia & singula volumus prænominatim, singulariter, & expresse pro repetitis habere & velut taliter repetita robur, efficaciamq; sortiri, diligenter obseruent, eisque studeant in omnibus, & per omnia humiliter obedire.

Prohibitio federa de Rege Arago. in aliquo non iuuando.

Pœna in Contrauenientes.

Alioquin tam ipsos Regem Aragoniæ nepotem, & Michaelem Palæol. quam alios vniuersos, & singulos dictis nostris monitionib. præceptis, & inhibitionib. non parentes, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status Ecclesiastici, vel mundani, excommunicationis sententia, quam in eos de ipsorum fratrum consilio ex nũc ferimus, perinde innodatos esse decernimus ipso facto, ac si expreßi fuissent in huiusmodi processus nostri serie nominatim.

Excommunicatio maior.

Ciuitates vero, Castra, & alia loca qualibet, nec non vniuersitates quæ ipsis monitionib. præceptis, & inhibitionib. non parebunt, Ecclesiastico Interdicto, quod ex nunc promulgamus in illa, esse volumus eod. modo subiecta.

Graue interdictum.

Interdicta v. p̃missa sic arcte præcipimus obseruari, vt in locis quæ inciderant in ea, vel inciderint in futurum nulla Ecclesiastica sacramenta, exceptis dumtaxat baptismate paruulorum, & pœnitentiis morientium ministrentur: nulla diuina celebrentur officia, nisi solum missarum solemnia, quæ in Cathedralib. vel aliis Collegiatis, & parochialib. Ecclesiis ad conficiendum corpus Christi morientibus ministrandum, submissa voce, clausis ianuis, interdictis, & excõmunicatis prorsus exclusis, semel tamen in septimana permittemus celebrari.

Clausula derogatoria.

Non obstantib. quibuslibet priuilegiis vel Indulgentiis, Cisterc. Prædicatorib. Minorib. vel aliis Religiosis, aut sæcularib. personis, dignitatibus, ciuitatib. castris, locis, vel Vniuersitatib. quibuscunq;, sub quauis forma, vel expreßione verborum ab eadem Sede concessis: quæ omnia, quo adhoc, omnino virib. vacuamus,

Dissolutio societatum cum Iuramentorum relaxatione & pactorum imitatione.

& nihilominus societates, colligationes, conuentiones huiusmodi & quaslibet alias factas, & etiam faciendas in fauorem dicti Regis Aragoniæ, quo ad instans negotium eiusd. Regni Siciliæ, aut in Ecclesiæ, seu Regis Caroli prædictorum qualecunq; dispendium vel grauamen, etiamsi fuerint iuramentorum & pœnarum adiectione, vel quouis alio vinculo roborata, de potestatis plenitudine dissoluentes, & carere decernentes omnino robore firmitatis, Vniuersos & singulos, quomodocunq; solemniter astrinxerunt ad eas seruandas decernimus non teneri, nec pro eo quod ipsas de cætero non seruarint de reatu periurii, aut ratione pœnarum, vel conuentionum quarumlibet adiectarum in illis posse in iudicio vel extra iudicium impeti, seu aliquatenus molestari: quinimo eos ab illarum obseruatione sub pœna excommunicationis, quam ex nunc ferimus, & ipsos si secus fecerint incurrere volumus, ipso facto præcipimus penitus abstinere.

Pœna in Contumaces aggrauata.

Sane omnibus, tam personis Ecclesiasticis & secularibus, quam ciuitatib. locisque aliis, & Vniuersitatibus supradictis, quæ huiusmodi mandatis nostris, præceptis, & inhibitionib. contumaciter non parebunt aperte prædicimus, quod non solum ad exequendum comminationes præmissas, sed & alias grauius spiritualiter, & temporaliter contra eos: & specialiter contra ciuitates quas contigerit in huiusmodi contumacia deprehendi, ad priuandum eos Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate: Contra memoratos vero rebelles dictæ Insulæ ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis, & aliis quibuscunq; cum eis omne commercium, quando, & prout facti qualitas suaserit, & expediens fore viderimus, procedemus.

Rebellium bona exponuntur.

Ad hæc præfatis Regi Aragoniæ, Michaeli Palæologo, & ceteris vniuersis qui nostra monita, præcepta, vel inhibitiones prædictum Regnum Siciliæ in præfata Insula, siue in reliquis eiusd. Regni partib. inuadere. turbare, impetere, seu molestare quomodolibet præsumerent publice vel occulte, hoc generali publico denunciamus edicto, quod nisi dictus Rex Aragoniæ, & alii prædicti in eisd. Insula, & Regno Siciliæ, ac vicinis, seu totius Italiæ partibus commorantes infra instans festum Purificationis B. Virginis: alii vero magis remoti infra Kalendas Mensis Aprilis, & dictus Palæologus infra Kalendas mensis Maii proxime futuras, quod tempus eis adhoc pro peremptorio termino aßignamus, humiliter ad Nostra, & Ecclesiæ mandata redierint, præcise Nostris parituri beneplacitis, & tam Nobis, & Ecclesiæ, quam memorato Regi Carolo de contumacia & contemptu, damnis & iniuriis, omniq; interesse satisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad hoc præfiximus, impensuri ex nũc personis eorum citra mortis, & mutilationis periculum, & omnia bona sua mobilia exponimus à quibuslibet fidelib. libere occupanda.

Feudis Eccl. priuantur.

Ipsosq; feudis, bonis, & iurib. omnib. quæ à Romana, vel quibuslibet tenent Ecclesiis, priuilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuslibet ipsis ab ead. Sede, sub quauis forma concessis, Apostolica auctoritate priuamus.

Vasalli à iuramento fidelitatis absoluuntur.

Vasallos eorum à iuramento fidelitatis, quo forsan tenentur eisd. penitus absoluentes. Lapso vero dicto termino quandocunq; nobis visum fuerit ad priuandum eund. Regem Aragoniæ, ipsius etiam absentia non obstante, præfato Regno Aragoniæ, omnibusque aliis terris

suis,

Communatio priuationis & expositionis Regni Aragon.

suis, seu ad ipsa Regnum & terras similiter exponenda, quo ad ipsum Regnum & terras præfata semper nostro, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ iure saluo. Et nihilominus pro qualitate criminum, quibus vt prætactum est eum obnoxium superiora prætendunt, quantum nostrum patietur officium, facti qualitas suggeret, & nobis expedire videbitur auctore Domino procedemus.

Absolutionem à censuris præfatis Pont. sibi reseruat.

Prædictas vero excommunicationis sententias prohibemus, ab'q; speciali mandato Sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, relaxari: quo casu, nisi absolutionis beneficium obtinentes infra tres menses postquam restituti fuerint sanitati de loco interdicto, si forsan ibi fuerint recedentes, Apostolico se conspectui curauerint præsentare, satisfacturi de suis exceßib. pro quib. huiusmodi sententias incurrerũt, & ipsius Sedis beneplacitis parituri, eo ipso in easdem sententias relabantur. Ipsas quoq; sententias sic firmiter, & inuiolabiliter volumus obseruari, quod absoluendi ab eis, vel relaxandi easd. nisi forsan in mortis articulo, vt dictum est, tam omnib. nostris Pœnitentiariis, quam aliis quibuslibet Confessorib. siue generalib. siue specialibus, siue familiarib. quarumcunq; vel quantumcunq; sublimium personarum vbilibet existentium, dimimus potestatem: etiam si à Nobis, vel aliquo prædecessorum nostrorum, sub quacunque verborum forma generalem, vel specialem, aut liberam absoluendi aliquem, vel aliquos à sententiis hominis, vel canonis, seu alias eas quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem.

Excommunicatio in eos qui sine Sed. Apost. licentia absoluere præsumpserint.

Si quis.a. sine dictæ Sedis speciali mandato obtinendo deinceps contrarium forte præsumpserit, tam absoluentem à prædictis sententiis seu relaxantem easd. quam huiusmodi absolutionem, vel relaxationem recipientem, in quacunq; dignitate statu, vel ordine fuerint constituti, ex hac causa excommunicationis vinculo innodamus. Relaxationem etiam huiusmodi Sedi præfatæ similiter reseruantes, mortis articulo dumtaxat excepto. Et tunc nisi sanitate recepta infra tempus competens, iuxta locorum distantiam, ad eand. Sedem venerint suum humiliter recogniturі reatum, & ipsius Sedis beneplacitis parituri, relabantur in easd. sententias ipso facto.

Datur diœcesanis facultas absoluendi eos, qui ratione fauoris dati sententias incurrerint.

Ab iis vero mulieres in hoc tantum excipi volumus, vt si solum ratione præfati fauoris in huiusmodi sententias forsan inciderint, poßint per suos diœcesanos iuxta formam Eccles. absolutionis beneficium obtinere. Vt huiusmodi autem noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas, siue membranas processum continentes eundem, in præsentis Ecclesiæ S. Flauiani martyris appendi, vel affigi Ostiis seu superliminaribus faciemus: quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabant. Ita quod dicti Petrus Rex Aragoniæ, Palæologus, & alii, quos processus ipse contingit, nullam postea poßint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel ignorauerint eund. cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnib. publicatur. Actum &c.

XI. CAROLI MILES A PALÆOLOGO CÆSVS. *Hist. Rom. lib. 5.*

Nicephorus Gregoras meminit pugnæ, à Carolo contra Michaelem Palæologum satis etiam infeliciter susceptæ; propter quam forte, pariter atque ob secessionem à fide Martinus Pont. Max. Michaelem anathemate percusserat. Narrabat, quemadmodum Carolus Imperatori perpetuas insidias struebat, easque perducendi ad exitum occasionem captabat. Cum.a. hinc Ioannem Sebastocratorem Thessaliæ Principem, inde Illyricos bellum inferre illi cerneret, sibi quoq; terra mariq; Græcos inuadendi opportunitatẽ, & destinata exequendi dari ratus est. Itaq; magna classe instructa, terrestres copias maiores parauerat, iisq; virum fortem nomine Rososulem præposuerat, qui Ionio mari traiecto, nihil spectabat magis, quam vt Castello Bellogrado, & opportunioribus Macedoniæ locis expugnatis, impune Byzantium vsq; progrederetur. Neq; enim fore quenquã, qui cum tantis exercitib. & armis tam firmis congressus, sine malo discederet. Quod cum ad Imperatorem perlatum esset, non cunctandum ratus, & armis & pecuniis, & consiliis resistendum illi censuit. Primum vero omnis generis opib. missis Siciliæ Regem Petrum recens renunciatum, ad bellum Carolo faciendum conciliauit: vt eum vel classem, si aliud non posset, domi retinere, & de vicino quam externo bello magis sollicitum esse compelleret. Id quod maximum & efficacissimum opus visum est. Ac nauales quidem Caroli copias, Michael dexteritate sua & astu hoc pacto irritas effecit. Deinde supplicationib. per omnes Ecclesias indictis, omnes suas copias quæ tum erant, contra Rososulem misit. Quib. abeuntib. neq; consultum, neque tutum visum est, aperto marte congredi cum hoste tam potente & firmissimis armis munito, sed insidiis & velitationib. è loco superiore lacessendum esse: & quod superbi atq; impatiẽtes essent concitandos, vt per indignationem nullo ordine solutaq; acie erumperent. Nam Gallorum Italorumque à multis sæculis ea disciplina est, vt cum ordine conseruato inuadunt hostem, firmus sint murus & inexpugnabilis, sin à consueto ordine nonnihil recesserint, nihil prohibeat, quo minus statim ab hostib. capiantur. Neq; raro insitus illos fastus, & rationis expers iracũdia magnopere læsit. Hæc cum Græcis olim nota essent, talib. eos dolis circumueniebant, ac frumẽtarios multos ex insidiis cædebant: & mercatum qui illos sequebatur impediebant: & velitationibus è tumulis eos qui aquabantur occidebant: Rososules.a. copias suas à Bellogradi obsidione ad tutiorem reducere locum suo spiritu indignum indicabat: prætereaq; turpissimum ducebat, mansisse diu, vacuumq; reuerti. Itaq; ira inflammatus, cum paucis omnino inuasit eos, qui aquationem infestam reddebant. Hos Græci cum vidissent, promptissime descenderunt, iisq; circumdatis, equos sagittis confixerunt, equites vero omnes in castra viuos perduxerunt. Ea res Latinos vehementer perturbauit, Græcisq; causa fuit in eos perturbatos impetum faciendi. Ita supra spem omnem insigni victoria Græci potiti, Carolum artib. superarunt. Mouit ea res Martinum Pont. Max. Caroli Regis studiosum, cumq; id quod erat, intellexisset, Michaelem Palæologum Græca fide cum Romana sede egisse, & tum fidem ex concilio Lugdunensi sibi præscriptã eiurasse, tum ab obedientia Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ secessisse, tum schismate nefario, se & Constantinopolitanam, ac reliquas Orientis Ecclesias præcidisse, atq; ex fraude & dolo exercitum Caroli profligasse, auctoritate Pontificia, anathema maranatha illi dixit.

MARTINVS EPISCOPVS SERVVS SERuorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

edita A.D. 1281.

MIchaelem Palæologum qui Græcorum Imper. nominatur tanquam eorund. Græcorum antiquorum schismaticorum, & in antiquo schismate constitutorũ, & per hoc hæreticorum, nec non & hæresis ipsorum ac schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorũ consilio denunciamus præsente fidelium multitudine copiosa excommunicationis sententiam latam à canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum.

Cæterum vniuersis & singulis Regibus, Principibus, Ducib. Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & cæteris omnibus cuiuscunque sint præeminentiæ, conditionis aut status, nec non vniuersitatib. ciuitatũ, castrorum, & aliorũ locorum districtius inhibemus, ne cum eod. Michaele Palæologo in huiusmodi excommunicatione manente societatem vel confœderationem aliquam contrahere sub quouis ingenio vel machinatione præsumant, vel etiam et alias in his pro quib. excommunicatus est denuntiatus à nobis præstare consilium, auxilium, vel fauorem publicum, vel occultum.

Et si secus præsumptum fuerit, oẽs singulares personas contrarium facientes, non obstante qualibet indulgentia sub quacunq; forma verborum, vel expreßione ipsis ab Apost. Sede concessa, vel imposterũ concedenda, q̃ quo ad hoc virib. volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, q̃ ex nunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto. Terras. a. ipsorum nec non vniuersitates prædictas quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire viderimus, Ecclesiastico subiicere curabimus interdicto ad priuationem omniũ bonorum quæ à quibuslibet tenentur in Ecclesiis, & ad pœnas alias spirituales & tẽporales, put vtile putabimus processuri, & nihilominus societates cõfœderationũ ipsas, etiam si pœnarũ & iuramenti adiectione, vel quacunq; fuerint alia firmitate vallata, decernimus irritas & inanes.

Vt. a. huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiã deducatur, chartas siue membranas processum continentes eund. in maioris vrbeuetanæ Ecclesiæ appendi, vel affigi ostiis seu superliminarib. faciemus, quæ processum ipsum q. sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt. ita quod idem Palæol. & alii contra quos processus ipse contigit, nullã poßint postmodũ excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non peruenerit, vel quod ignorauerint eund. cum nõ sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnib. publicatur. Act. apud Vrbem Vet. in platea dictæ maioris Ecclesiæ, in festo dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum, Pontificatus nostri Anno primo.

XII. IOANNES COMNENVS DVCIT

Hoc an. Ioan. Alexii Comneni, nepos, qui post vrb. captam Colchorum & Lazorum tyrannidem inuaserat, scripto iureiurando ab Imperatore Michaele accepto, Bizan-

tium

PALÆOLOGI FILIAM. *epistola 5. Nicephorus. Greg.lib.5.*

tium profectus,Eudociam eius filiam vxorē duxit, & paulisper ibi commoratus,Trapezuntem reuersus est. Vbi antequam annus elaberetur,filius ei natus est,iunior Alexius Comnenus, qui patri in regno successit.

XIII. ORACVLVM DE TRALLIVM VRBE AB ANDRONICO PALÆOLOGO MALE INTELLECTVM. *Ibidem.*

Per id temporis,cum Andron. Imp. à Michaele Palæologo patre,ad Tralles vltra Mæandrum sitas, contra Turcorum impetus, instaurandas missus operi incumberet,saxum inuentum est, longo ibi tempore defossum, in quo istud oraculum insculptum legebatur: *Vrbis Trallium pulchritudo ad tempus extinguetur: Sed eius reliquiæ extremis temporibus à populo,cui non erit princeps perterrefient: sed nequaquam capientur. Renouabitur.a.à potente cui à victoria nomen est. qui Octuplicē splendide nouenarium viuet discorum: & ter septem voluens Attali vrbem illustrabit: cui & Occidentales vrbes parebunt: & feroces, ei puerorum instar supplicabunt.* Hoc oraculum multi non vetus præsagium,sed recens commentum putabant: nec etiam deerant, qui id fide dignum & verum iudicarent,indeq; Imperatorem longæuum fore augurarētur. Nec.n. in Octuplici nouenario resistebant,qui 72.an. cōficit: sed & ter septem adiiciebant circuitus, vt totus numerus annos 3. & 90. impleret. Cæterum vt alia oracula obscura,ambigua & intricata sunt,donec ipso euentu comprobentur: sic & hoc plerosq; decipiebat,atq; ipsum adeo Andronicum,ad obitum vsq;. Eo vero humanis reb. exempto,ipsum sese declarauit. Nam Andronicus, cum imperii insignib. an. 72. exegit,& in habitu monachi fere biennium. Verum illud ter 7. voluens,nihil volebat aliud,nisi quod vrb. instauraret & illustraret, annum ætat. ageret 21. Primus.a. illius vrbis conditor erat Attalus, nobilis quidam Troianus, qui veteri Troia capta,hanc in patriæ memoriam extruxerat,& Tralles,siue alteram Troiam appellarat. Sed de Andronici vita & obitu singulatim post suo loco dicemus.

XIV. LESCI POLONI PRINCIP. VICTORIA DE BARBARIS OPE D. MICHAELIS ARCHANGELI. *Crom.li.10.*

Hoc an. Lescus cognomento Niger, Polonorum Princeps, victoriam insignem de barbaris Iazygib. & Lituanis, ab ope D. Michaelis Archangeli recepit. Rem narrabo. Lituani cum Iazygum reliquiis subita excursione facta Lublinensem regionem tripartito agmine depopulati sunt. Iura tunc de more Lescus reddebat Cracouiæ, cum de barbarorum excursione certior factus est. Nec mora, omissis reb. omnib. arma corripere his qui circum se,quiq; in itinere erant equitib. & se sequi iussis, magnis itinerib. in Lublinensem oram venit. Sed hostes iam præda onusti recesserant, itaq; animi angebatur, quod sibi hostem vlcisci, suosq;, qui, captiui abducebantur, vindicare procliue non esset. Neq; n. cum parua manu longe maiorum hostium multitudinē p ignotos sibi,illis vero notissimos syluarum & paludū tramites abeuntes psequi audebat. In hoc æstu animi cū eū ex labore itineris & insomnia fatigatū sopor inuasisset, expergefactus deinde postero die lætus, ab Archangelo Dei Michaele in somnis cōfirmatū se, & sponsione certæ victoriæ persequi barbaros iussū esse, p concione militari exposuit. Quo sermone animatis militib. & impedimentis cū commeatu pene se seq. iussis, ipse cum expeditis arma tantū & aliquot dierū cibaria ferentib. recentib. abeuntiū hostium vestigiis institit, & inter Naruā & Nemenē flumina, 13. die Octobr. eos consequutus est. Neq;.n. illi præda impediti, celerius iter facere potuere. Percussi sunt inopinato Polonorū aduentu barbari, q neq; paucos, neq; imbelles, atq; timidos tā longe persecuturos se fuisse suspicabantur. Sed tamen arma cito expedierunt, authorib. maxime Iazygib. qui sum̄a erant audacia. Inuecti sunt in eos Poloni vna & simplici acie, q & locus syluis cinctus, angustus, & exiguæ copiæ: quippe quæ sex millia equitum vix continerent; diducere manū in plures acies non sinebant. Non segniter & illi primos Polonorū impetus excepere. Sed in pugnam intentos captiui Polonorū suorum signa conspicati, fortuito oblatis telis à tergo adorti sunt. Inermes quoq; & fœminæ clamore sublato suos animabant, & hostib. terrorē incutiebant. Quin & canes quos secū ducebant barbari, & qui dudum lætiore vlulatu aduenientib. Polonis gratulari visi erant, sæuis morsibus barbaros suos ipsos impetebant, itaq; ancipiti malo perturbati, effusa fuga proximas syluas petierūt. Instabat fugientib. Lescus; instabant & captiui mutuo sese cohortantes dolore atq; ira exstimulante. Nox tādem persequendi finem fecit. In eo prælio reliquiæ Iazygū qui pertinacius Polonis Christianis restiterant, & à suscepta Christiana religione defecerant, penitus deletæ sunt. De Lituanis quoq;, qui 14. millia bellatorum expleuisse dicebantur, non plurimi euaserunt. Complures.n. qui effugerant, partim pudore, partim timore suorum mortem sibi consciuere. De Polonis, quod miraculum cuiq; ac diuini numinis opus videri debet, ne vnus quidē desideratus est. Lescus recuperata omni præda, & cumulata, etiam hostiū cæsorum spoliis, victor in Poloniam reuersus, Lublini tēplum, monimentum victoriæ suæ condidit, ac D. Michaelis, quem in somnis victoriam sibi pollicentem viderat, memoriæ dedicauit.

XV. LEGATVS PONTIFICIS AB VNGARO CAPTVS ET DIMISSVS, A POLONIS EGREGIE EXCIPITVR. *Idem qui supra.*

Per hoc tempus Phil. Episc. Firmanus Legatus Pontificius, ex Hungaria Cracouiam venit. Humanius à Polonis, quam ab Hungaris, à quorū Rege Ladislao in vincula coniectus erat, propterea quod eum ob adulteria & Hunnas pellices, post leniores admonitiones diris deuouerat. Sed ipse quoq; rex non multo post ab Vngaris suis in custodia honesta aliquandiu asseruatus, ad extremum ab Hunnis, quorum consuetudinem & mores amplexus erat, interfectus occidit. E Polonia vero Legatus in Prussiam contendit, & controuersiā inter Mescingum Pomeranorum Ducem & Crucigeros diremit. Etenim Varcislaus Mescingi frater, cum se ad Crucigeros contulisset, eorum vitæ institutum amplexus; patrimonium suum ipsis donarat. Eius exemplum secuti alii duo fratres, & ipsi bona sua eisd. Crucigeris addixerūt, honestum victum quoad viuerent, ab eis, cum familia sua pacti. Ac donationes quidem illas Legatus rescidit. Cæterum Mescingum induxit, vt Gnesnense siue Meuense territorium ipse donaret Crucigeris. In quo mox illi arcem condiderunt, præsidioq; firmarunt, Puterbingum demoliri.

XVI. MORS MARTINI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS. *ep.126. apud Vrb. vet. 10. Cal. Iun.*

Eod. an. Martin. Polonus Archiepisc. Gnesnens. Ordin. Præd. ex Italia ad Ecclesiam sibi commissam reuertens, Bononiæ defunctus & in Ecclesia D. Dominici pone Sacellū S. Vincentii sepultus est. Per eius obitū electus fuerat Henricus Brem ex Canonico Vulostiborien. Cumq; nonnullæ controuersiæ fuissent exortæ, an Canonice fuisset electus, Martin. Pont. Philippo Firmano commisit, qui in eam electionem inquireret.

XVII. PRODIGIA GRAVIDA EX ASPECTV VRSI VILLOSVM PVERVM PARIT. *Sabellicus Enneade 9. lib. 7.*

Natus est eod. anno ex illustri fœmina Summi Pontificis pernecessaria, puer villosus, & in speciem vrsi vnguiculis armatus. Quo monstrifico partu permotus Pontif. omnes vrsorum imagines, quæ forte in eius domo fuerunt, iussit deleri: manifesto argumento receptæ ab eo persuasionis, quales in conceptu hauriantur species, tales in partu sæpius repræsentari. Incidit id monstrum in primum Martini Pontificis annum: quo tempore in Tyrrheniæ ora apud Cētumcellas captus est piscis absoluta leonis specie; qui mari extractus humanam vocem vlulatu expressit, ad Pontificis conspectum delatus est, qui vrbe veteri tunc forte erat. Obstupuit Pont. & omnis multitudo quæ illic apparebat, insuetam belluæ formam, præsertim Pelagicæ. Sed ita vulgo persuasum video nihil nasci in aliqua naturæ parte, quod non & idem in mari cernere sit.

XVIII. S. IRMGARDIS FLORET COLONIÆ IN SVMMA ÆDE.

Per id temporis floruit in Germania, S. Irmgardis Comitis Zutphaniæ filia. Hæc illustrissimo genere orta, omnia terrena ac caduca respuit, vt Christum eiusque regnum lucraretur. Defunctis parentib. omnium bonorum hæres facta, ea ad Dei honorem pauperumq; sustentationem erogare cogitauit. Coloniam deinde se contulit, & ibi propter loci sanctitatem summi Templi habitationem elegit, & Christo in magna abstinentia & humilitate deuotissime cultum exhibuit. Romam tertio profecta, caput S. Syluestri pro ingenti munere Coloniam reportauit. Multas Basilicæ Colonien. & Cænobio D. Panthaleonis possessiones reliquit; ac tandem plena bonis operib. quieuit, in eadem Basilica sepulta. *Annal. Archiep. Coloniens.*

XIX. FILIVS A PATRE CAPTVS DIMITTITVR MARCHIO MISNIÆ.

Eod. an. Freder. Marchio Misniæ, cuius fuit à matre admorsa gena, captus est à patre suo Alberto, & toto anno detentus in arce Isennacensi. Sed inde paulo post diuinitus est liberatus, cum odio Alberti tyranni custodes aliqui miseria adolescentis affecti, fugæ consilia adiuuarent. Admorsum plerique Fredericum nuncuparunt, exeo quod ei à matre admorsa esset gena.

IESV

IESV CHRISTI
Annus 1282.

MARTINI PAPÆ IV. Annus 2. RVDOL. REG. Roman. 9. MICH. PALÆOL. Imp. Orient. 23.

I. CAROLVS INGENTEM EXERCITVM IN BRVTIOS PRO REPETENDA SICILIA MITTIT. *a Æmil. in Philippo 3.*

AMissa Siciliæ insula Rex Carolus Vicario Regni Carolo primogenito Neapoli relicto, ipse in Gallias nauigauit, vt arma & milites præpararet, pro Siciliæ recuperatione. *a* Petrus Aragonius ex Hispania nouas copias expectabat. Carolus ex ijs Franciæ Vrbib. quib. iura dabat, nobilitatem exciuit: militemq; primo quoq; tempore ad signa conuenire iussit; ac literas Legatosq; ad reliquarum ciuitatum Proceres circummisit, qui eos incitarent: Id scelus in Francos publice admissum, vt nisi authoris cruore elueretur, actum de maiestate nominis Francici apud exteras gentes sit, simul vt libentiore animo, minusq; parcēs sumptib. periculisue Phil. Francus Rex aduersus Arragonenses auxilia mitteret, eius ex priore vxore, quæ Petri soror extitisset, Minori filio Carolo Valesii Comiti Catharinam ex Carolo Claudo filio neptem despondit, doti Andegauensi Comitatu dicto. Ingens igitur vis militum, & magna nobilitatis manus ex Gallis in Italiam hoc an. descendit. Terrestris exercitus in Brutios se contulit. Classis etiam tā multarum omnis generis nauium egregie instructa ornataque conuenit, vt non modo terrestres copias pares haberet Carolus Rex, sed etiam maritimis præstaret, quibus antea hostes ferociores extitissent. Inter hæc Martinus Pont. *b* Gerhardum Parmensem, Episcopum Sabinensem Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum in Siciliam miserat, qui & Carolo Vicario pro consilio adesset, & Siciliam si qua ratione posset in fidem Caroli reuocaret, armaq; vtriq; Regi è manib. excuteret; insuper & à Luellando vtrumq; auerteret.

b ep.5. apud Vrbem vet. Nonis Iunii, anno 2. DVELLVM REGES PETRVS ET CAROLVS PRÆPARANT. DE LOCO AMBIGITVR, VETAT MARTIN. PAPA.

Per idem enim temporis, cum voces spargerentur, Petrum Aragonium non vera virtute fidere, sed insidiis, dolo, artibus minime regiis niti, ipse vltro, quamuis ętate grauis, Carolum, magno & ipsum natu, ad singulare certamen per caduciatorem prouocauit: Si vir, si Dux si Rex esset congrederetur; immunem malorum par esse Siciliam præstari, vt ea salua, florens, incolumis victorem sequeretur; neu euerteretur, de cuius integræ possessione ageretur. Id vero mirum in modum auditu iucundum Carolo accidit, periculum virtutis fieri: diiudicari vtra gens bello sit melior. Placuit, vt equitib. vterq; centenis inter se decertarent. Vtri alæ Deus victoriam daret, eius, res de qua agitur, præmium esset. De his conditionib. nulla controuersia orta: de loco ambigebatur, vbi dimicaretur. In Siciliam, quæ tota præsidiis classibusque Aragoniis tenebatur, nolebant se centum equites & Carolus committere. Petrus Italiam continentem sibi merito suspectam dicebat, quod in ea prope tota non minus valebat Carolus quam in ea parte Franciæ, quæ nullum agnoscit imperium Regemue nisi Francum. Anglum vtique neutri contra alterum affuturum. Burdegalam in Vasconia eius imperio contineri; illic decerni sine metu, campis ante vrbem eam parentibus posse. Neq; recusauit Carolus, quamuis gnarus sibi offensiorem Regē Eduardum memoria Henrici Angli à Vidone cæsi, eiusq; parricidii non ex rigore puniti, quod persequi ipse potuisset, Parricida in Hetruria eius Prouincia se regente. Dictæ leges, & conditio vtrimq; accepta; & iureiurando firmata. Eam stipulationem Martinus Pontifex cum factam audisset, & tum iura Ecclesiæ in Siciliam ea ratione imminui, tū rem inter Christianos insolentem, legeq; sacra interdictam introduci vidisset, Carolū, ne periculo se committeret, ne Ecclesiæ Romanæ præiudicaret, neue rem pessimi exempli introduceret, admonuit. Preterea conuentiones factas rescidit, iuramentaq; nullius momenti esse pronunciauit. Apud vrbem veterem 8. Idus Februarii, Pontificatus an. 2. Cumq; Petrum ad restitutionem Regni Siciliæ frustra admonuisset, eum periurii & sacrilegii reum, infamiæ nota aspersit, & tum piorum cætu iterum exclusit, tum Regno Aragonum & Valentino, apud vrbem veterem in platea maioris Ecclesiæ perlecto ad 12. Calend. Aprilis processu primum fecit: quo etiam anno, in solemnioribus diebus, Cœnæ & Ascensionis Dominicæ; nec non dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum, Michaelem Palæologum Imperatorem Orientis, hæresis & schismatis conuictum, damnatumq; anathemate percussit, apud Phaliscos pro foribus Basilicæ.

epist. 45. *epist. 13.*

II. ÆMILIA A PONTIFICE DEFICIENS REVOCATVR PER MONTFORTIVM. *Blondus d.c.2. lib 8.*

In reliqua Italia, Martinus Pontifex, aliquos sedi Apostolicæ refractarios ad officium retrahere laborauit. Guid. Montfortius copiarum Pontificiarum Præfectus, in Æmiliam missus, rem interea bene gesserat, non magis vi & armis, quam Feretrani prudentia, qui suis Monteferetri oppidis pactione retentis, cætera Æmiliæ in Pontificis potestatem adduci curauerat. Inter quæ Forumliuii fuit, quam ciuitatem Montfortius in Guidonis Appii & Gallicorum necis vltionem mœnibus spoliauit. Vrbinum cum pergeret recipere Montfort. commisso prælio repulsus est; cumque non tantas quantas opus esset copias haberet, Pontif. Philippo Gallorum Regi, misso Gualthero Fontana Apostolico Capellano scripsit, vt multo plures militum alias in Æmiliam transmitteret, atq; ipse stipendia, quæ Ecclesia per id temporis inops non poterat, eis numeraret.

epist.7. apud Montem Flasc. 1. Idib. Decemb.

III. *ep. 115 apud vrbem vet. Idib. Ian.* COLLECTORES SACRÆ PECVNIÆ, MITTIT IN GERMANIAM MARTINVS. *ep. 121. vrb. vet. 6. Idus Ian.*

Eodem anno, Martinus Pontifex, collectores seu exactores decimæ, ex concilio Lugdunensi in subsidium Terræ sanctæ vniuersis Regnis impositæ, ad diuersa regna, & Prouincias; & inter hos Theodorum Vrbeuetanum, & Aironem Canonicum Sancti Marci Venetum, in Germaniam ablegauit, eosque Rudolpho Romanorum Regi commendauit. Cumque Rex Angliæ Edouardus, partem pecuniæ sacræ, in suos & fratris Eadmundi vsus deriuari postularet, denegauit Martinus atque transfretationis mentionem iniicientes, frustra eos simulare vel fingere negata sacra pecunia edocuit. Interim tamen, vt præsto cum aliis essent, tempore opportuno perrecturi, vtrumque admonuit.

IV ROMANAS TVRBAS COMPONIT

Romanas etiam turbas, hoc anno Pont. Martinus non minime omisit sedare: pacemq; inter discordes conciliare. Huic bono stabiliendo, commisit Priori Romano Ordin. Præd. vt Francisco Nicolai Crescentii inter Proceres vrbicos nemini secundo, potestatem faceret, in matrimonium assumendi Magdalenam filiam Nicolai Ioannis de Insula, quarto gradu sanguinis sibi coniunctam. Ea coniunctio vt ad tollendas discordias fieret, curauit Hannibald. de Hannibaldis Roman. Senator.

ep.102. ap. Montem Fl. sc. Cal. Sept.

V. SANCTIVS PROHIBETVR CONTINVARE MATRIMONIVM CVM CONSOBRINA.

In Hispaniis, cum Sanctius Alphonsi Regis Castellæ filius Mariam Alphonsi Molinæ reguli filiam, patris sui consobrinam, in tertio gradu sibi propinquam duxisset, Martin. Pontif. matrimonium illud rescidit, & tum Sanctio vt Mariam relinqueret, tum Mariæ vt à Sanctio discederet, tum Episcopis Burgensi atq; Asturicens. vt illos censuris etiam prolatis, ad diuortium compellerent, præcepit, datis litteris apud Vrbem vet. Id. Ian.

VI. *Marian. lib. 14. c. 5.* APERTVM BELLVM INTER ALPHONSVM PATREM ET SANCTIVM FILIVM CASTELLÆ REGES.

Inter hæc, Sanctium inter & Alphonsum Patrem grauissimæ suspiciones sensim exortæ à paruis initiis, vt fit in apertam simultatem, bellumque prorupere. Alfonso ægre erat, suam ætatem contemptui multis esse, cum plerosque consideraret studio nouarum rerum teneri & Sanctio aperte fauere. Itaque sanciendæ auctoritatis, decorisque cura, cum in Granatenses agros populandos excurrisset, Mauricum bellum simulauit, Fredulumque Ouetensem Episcopum ad Philippum Gallorum misit, specie impetrandæ veniæ peccatorum à Pontifice Romano aduersus Mauros: re autem de liberandis nepotib. Ferdinandi filiis, quorum alterum Sanctio opponere volebat. Alphonsi conatus haud quaquam Sanctium latuerunt, vt nihil occulti esse in intestina discordia potest. Externis ergo auxiliis se munire certus, Cordubam abiit, cum Granato Rege fœdus facturus tertia vectigalium parte contentus: quam cōditionem Alphonsus oblatam paulo ante repudiarat, Ioannem quoque fratrem sibi magis addixit; huiusque opera Castellæ atque Legionis proceres aduersus patrem concitauit, iam pridem alienatos animis, propter Alphonsi seueritatem, ac recenti memoria Gamerorum reguli, & Frederici fratris cædem, Dionysius etiam Lusitaniæ Rex Sanctii dexteritate in partes attractus fœdere facto est, ob iram credo aliquam in auum conceptam, aut maioris præmii spem. Alphonsus Rex cum ætatis inclinatione, parum

animo prouidebat, pro ingenio hominum hoc quoq; nomine prauo, quod in suis quisq; periculis, quam in alieno negotio imprudentior est. Nam obstat metus, cupiditas, amor. Itaq; comitia Regni primo Toletum indixit, si quo modo sine armis filii & procerum mentes sanari possent. Verum dum media, pacataq; consilia tequeretur, neq; cauit, neq; ausus est satis. Nam Sanctius contra Procerum fauore fretus, aduersus Patris conatus Vallisoleti regni conuentus agitauit, frequentiores multo quam apud patrem. Ibi procerum arbitrio omnia acta; noui delecti magistratus, nouæ leges sanciæ: quantum quisq; virib. & auctoritate valebat, tantum sibi è republica arrogabat. Inuasit defectionis rabes, etiam popularium motas iam mentes: isque habitus animorum fuit, vt facinus ingens auderent alii, plures vellent, omnes ferme paterentur. Neq; deerant, qui Sanctium Regem, Patrem patriæ salutarent, & omnia principatus nomina inter faustas acclamationes deferèrent. Hoc ille constanter renuebat, passurum se negans Patri superstiti regium nomem honoremque detrahi: seu ingenii modestia, inani appellatione, cum omnia pro Rege ageret, repudiata, siue vt cunctando studia magis inflammaret. Emanuel sane patruus, suo & aliorum Procerum nomine, Alphonsum publica sententia in conuentu pronunciata, regno priuauit: ea calamitate dignũ, quod diuinæ prouidentiæ opera, & humani corporis fabricam insigni linguæ procacitate, ingeniiq; confidentia accusare ausus fuerat: vti vulgo hominum opinio est, ab antiquo ducta per manus, vocis stoliditatem numen iustissimè vindicauit. In ea rerum mutatione Hispalis in Alphonsi fide erat; Corduba partib, infecta, Sanctium secuta est. Eam vrbem Mauri ab Alphonso euocati, Bæricæ agris primum euastatis obsidendam sumpserunt. Affuit Alphonsus Hispali manu suorum contracta. Vrbs virtute Ciuium, Sanctiq; diligentia, qui hostium aduentum celeritate occupauerat, fortiter defensa est. Mauri vigesimo obsidionis die, annuente Alphonso, obsidione vrbem soluerunt; & siue ingenii nobilitate ducti, siue à Sanctio corrupti, Alphonsum capere cogitarunt. Alphonsus, cum indicatum esset, eius capiendi barbaros consilia agitare, Hispalim vnde venerat clam se subduxit.

VII. PER IMPIVM FILIVM SANCTIVM ALPHONSI REGIS CASTELLÆ DIRÆ ET SENTENTIA PRIVATIONIS. *Sarita lib. 2.*

Tandem vel sero, seriam numinis vindictam in se prouocauit Alphonsus Castellæ Rex, quod innocentes nepotes Ferdinandi filios successione exegisset, & Sanctium filium Regno imposuisset. Is enim ipse Sanctius Alphonsum parentem Regem iam magnum natu, à gubernaculis regni & rerum publicarum administratione hoc anno eiecit, cum autem factione partium bellum intestinum gereretur, Hispalenses soli commiseratione inori seniorem (Alphonsum) receperunt, cæteri excluserunt. In eas angustias miser atque egens coniectus, cum Martini Pontificis Maximi & piorum Principum fidem obtestaretur, & auxilia frustra imploraret, ad 6. Idus Nouembris, Hispali Regali in solio sedens, frequentissimo populi conspectu, Sanctium dirarum obnunciatione deuouit, & exercratus est, & tanquam impium, patricidam, læsæ maiestatis reum, quiq; à perenni, contestataque virtute maiorum degenerasset, iure regni priuauit. Nullum illustrius extat exemplum seuerioris in filium animaduersionis, non solum crudeliter ingratum, sed & impium. Quamobrem merito iure ipsius latæ sententiæ formulam adiungemus. Ita habet.

Vt de vultu Dei iudicium nostrum procedat, nos Alphonsus DEI gratia Castellæ, Legionis, Toleti, Siciliæ, Cordubæ, Murciæ, Gienni atque Algarbii REX per præsens scriptum, ad notitiam præsentium & memoriam futurorum facimus omnibus manifestum: quod Sanctius filius noster maior nobis graues, & multiplices iniurias nequiter irrogauit. Nam tractauit & fecit conitrationem contra nos, & contrà nostrum dominium in Cordubensi ciuitate existens, cum Baronibus ac religiosis quibusdam; videlicet cum Magistris Ordinis Calatrauæ, & Valesii; & cum priore Hospitalis: ac cum Commendatore Templi, vices & locum tenente Magistri Castellæ, & Legionis: nec non etiam cum aliquibus Ciuibus. In eodem etiam loco existentes, cum ad instantiam suam eidem concessum fuisset à nobis, vt cum Rege Granatæ Saraceno tractaret aliquam bonam viam treugæ, seu concordiæ, quæ in DEI seruitium & terræ vtilitatem, ac nostrum redundaret honorem, idem Sanctius cum dicto Saraceno & posteris suis, amicitiam & pacem, iuramento & instrumentis firmauit perpetuam contra nos, & nostrum dominium: & pecunias ac tributa à dicto Saraceno nobis debita in semetipsum retorsit; in hoc contra nos proditiose ac falso procedens: eo quod nobis per suas scripsit literas, quod ordinatum erat inter ipsum, & DOMINVM Regem Granatæ, quod ad nostram misericordiam veniens noster vasallus fieret, ac tributa certa nobis præstaret: contra huiusmodi fideliter nos iuuando, & ad firmanda prædicta, Chartas albas, sigillo nostro sigillatas, petiit sibi mitti: quas cum penes se habuit, multa per ea operatus est redundantia in graue damnum dominii & honoris. Posthac cum sciuissemus, eum de Corduba recessisse, solemnes nuntios ad eum misimus, vt ad præsentiam nostram apud Hispalim accederet: volentes deliberare ac prouidere cum ipsius & aliorum bonorum virorum consilio, qualiter terra Vandaliæ haberet milites frontarios, & bellatores idoneos, & paratos ad vltionem patriæ contra Saracenorum Africæ impetum: quem verisimiliter timebamus: & vt etiam per salubre ipsius & aliorum consilium corda hominum nostri dominii ad vnitatem & tranquillitatem reduceremus: eo quod scandalum nobis fuerat, quod multi se reputabant grauatos à nobis. Responsio autem ipsius, per suas literas & dictos nuntios nobis missa fuit, quod propositum suum erat, ad regna Castellæ & Legionis accedere, pro sedandis & tranquillandis cordibus hominum plurimorum, quæ in tantum erat commota, quod poterat inde contra nos & dominium nostrum graue dispendium prouenire. Ad tranquillitatem autem terra inducta, & cordibus hominum pacificatis, ad nos rediret: facturus & dicturus nostra beneplacita, quia paratus erat nobis in omnibus deseruire. Qua responsione data in dolo, prout postmodum rei probauit euentus, iuit Castellam per ciuitates & per omnia loca populosa, transiens vsque Burgos, conuocatis habitatoribus locorum vbilibet prædicabat, contra nos concitans populos, dicendo, quod nos foros & libertates, ac bonas consuetudines eis infregeramus: & collectis, ac variis angariis terra per nos destructa fuerat, sed ipse volebat eos reducere ad foros, & libertates, & consuetudines, quas tempore Regis Ferrandi, & aliorum Regum præcedentium habuerunt. Exegit etiam, & recepit ab eis iuramentum, & homagia publice, quod cum eo tenerent, & iuuarent eum: & versa vice ipse se eis per iuramenta & homagia obligauit, quod eos defenderet & iuuaret contra omnes homines huius mundi: & dabat & concedebat eis extunc foros, consuetudines, libertates, & priuilegia olim habita, & obtenta, & hoc eis seruaturum perpetuo se promisit. Prædicta autem omnia non solum per se fecit dictus Sanctius, sed etiam per fratres suos, quibus chartas albas sigillatas sigillo suo tradidit: & sic omnes homines terra nostri dominii per se & alios concitauit. Nec omittendum censemus, quod dictus Sanctius in suis prædicationibus, quib. contra nos populos concitabat, in multis locis multa indigna contra nos eiuomuit: inter alia frequenter dicens, tam ipse quam sui nuntii, Rex insanus est, atque leprosus, & in multis falsus, atque periurus: homines interficiens sine causa: quem admodum Fridericum & Simonem interfecit. Dictis autè iniquis facta peruersa continuans, inuasit & vsurpauit sibi regnorum nostrorum dominium: Ciuitates Alcassares, castra, fortalitia & villas occupans, & remouens iudices & alcaidos nostros, & officiales à suis officiis: ponès suos: sapiens nostros homines familiares & alumnos tam clericos quam laicos, ac cursores, nec non & nuntios nostros vel ad nos vndecunque venientes: thesauros nostros, pecunias, & iocalia, tam in Toleto quam alibi vbicunque inuent, rapuit violenter. Multis etiam nostris familiaribus, seruitoribus & alumnis per diuersas regnorum nostrorum partes abstulit possessiones & hæreditates, & bona etiam mobiliæ, quæ omnia aliis dedit, & in omnibus in quibus nobis & nostris familiaribus, ac seruitoribus & Vasallis fidelibus potuit grauamen & displicentiam facere, nullatenus hoc omisit. Sciri etiam volumus, quod nos audientes rumorem super præmissis, ex paterno affectu, à tanto eum cupientes reuocare errore, ad ipsum nuntios honorabiliores destinauimus, citando eum & vocando per nostras litteras, vt ad nostram præsentiam veniret: & vt ea quæ agenda erant opportunius & commodius possent fieri, locum quem securiorem & aptiorem, pensata negotiorum & temporis qualitate, iudicauimus, eidem assignauimus: Toletum videlicet aut villam Regalem, seu quemcunque alium locum eligeret, ad quem cum proceribus regnorum nostrorum, & cum quibuscunque vellet, accederet, quos ad bonum statum terræ ordinandum, vtiles & idoneos iudicaret. Nos enim parati eramus iuxta sum & Prælatorum ac Baronum, & aliorum bonorum virorum consilium grauamina omnia, si quæ erunt, penitus reuocare, & corrigere omnia corrigenda, & ad bonum statum, pacem & tranquillitatem reducere vniuersa. Sibi etiam si in aliquo dubitaret, quod honorem suum vellemus diminuere, securitatem præstaremus plenariam, talem ac tan-

tam, quod cor suum non deberet deinceps in aliquo vacillare. Præfatus autem Sanctius his auditis, respondit nuntiis supradictis, quod ipse nobis per suos certos nuntios responderet, & dictos nostros nuntios ne ad nos possent redire detinuit violenter. Post hæc, &c. omnia contra nos conceptam malitiam occultare non valens, ambitionis ardore cecatus, missis litteris ac nuntiis per totum nostrum dominium, Prælatos Seculares ac Religiosos, Barones ac milites, ciues & populares conuocans, ad Vallem Oleti curiam generalem, si tamen debet dici curia, congregauit in quas statim per publicum instrumentum homagio ac iuramento vallatum, coniurationem contra nos & nostrum dominium prius factam in diuersis locis particulariter, tunc omnibus ad nostrum dominium pertinentibus, vniuersaliter innouauit. Quo facto, exiit qui erant in dicta curia, si tamen vt dictum est, curia dici debet, plures corrupit promissionib. alios datis pecuniæ, alios castris, villis, locis, hæreditatib. redditib. eisd. datis & assignatis, in enormem regnorum nostrorum lesionem attraxit: reliquos minis & terroribus grauib. confregit, & induxit: vt omnes tam isti, quam illi contra nos, & contra nostrum dominium rebellarent: & in prædicta curia, nobis non citato, non monito, non confesso, non convicto pronunciari fecit, non à iudice, immo per hostes, & conspiratores, quod nos deinceps non faceremus iustitiam, nec fortalitias teneremus, nec pecunias, aut redditus aliquos ad regnum pertinentes reciperemus: nec in castro, ciuitate, aut villa aliqua reciperemur: & vlteriùs, quantum potuit, instituit per se ac suos familiares, & complices, pro viribus laborando, quod ipsum Regem aut Dominum Castellæ, ac Legionis, & Vandaliæ deinceps nominarent, nos in omnibus exheredans, in se vsurpando honorem & dominium non sibi debitum, quod nobis rapit & rapuit violenter, vt ex supradictis patet, etiam fraudulenter. Ad cumulum autem malorum omnium, non solum vitæ nostræ est insidiatus, sed etiam contra nos se potenter armauit. Nam deliberato consilio, & per suos familiares, & complices, publicato, adeo quod ad notitiam non solum præsentium, sed etiam absentium multorum longe lateq; peruenit, de Castella Cordubam veniens, vt nos caperet, congregauit & conuocauit consilia de Giennio & Beatia, & Vbeta, nec non de Anduiar, vt simul cum eis ac Cordubensibus accederet hostiliter contra Hispalim, vt ibidem nos caperet mala & impia captione: & in hoc conatum tantum offendit, quod esset merito parricida censendus. Sed hunc tam crudelem conatum ipsius Dominus impediuit: à ciuibus Hispalensibus, & aliis nostris fidelibus nec non etiam, quod dictu mirabile est, nostris & nostræ fidei hostibus ad defensionem nostram præstando auxilium opportunum. Et cum Sanctius conceptionem impium contra nos explere non posset, prout potuit, detestatus, & ibidem plures homines interfecit. Ad ciuitatem vero Cordubensem rediens, eam contra nos clausam tenuit, & munuit: & cum nuper nos illuc personaliter accessissemus ad ciuitatem appropinquantes, extenso & explicato nostro vexillo regali, ipso Sanctio audiente, ex parte nostra clamatum est, vt nos in ciuitate ipsa reciperent: & tam ipse quam loci ipsius habitatores hoc facere recusarunt: quin immo fuit contra vexillum nostrum sagitta missa. Igitur cum prædictus Sanctius præmissas graues iniurias, & multas alias, quas longum esset scribere vel referre, timore diuino postposito, ac paterna reuerentia penitus abiecta, nobis irreuerenter intulit: ipsum paterna maledictione dignissimum, à Deo reprobatum, & ab hominibus merito reprobandum maledicimus: & sit deinceps maledictioni diuinæ, & humanæ subiectus: & eundem nobis rebellem, inobedientem & contumacem tanquam ingratum, immo ingratissimum filium, sic degenerem exheredamus: & omni iure successioni, quod ei competebat in Regnis nostris, dominiis ac terris, honoribus & dignitatibus vel quibuscunque rebus aliis, ad nos quoquo modo spectantibus ipsum priuamus, & vt nec ipse, nec aliquis pro eo, vel descendens ab eo imposterum, in aliquo nobis succedere possit, sententialiter condemnamus.

ep. apud Vrbem vet. 10. Cal. Febr.

Hanc autem irrefragabilem sententiam, in præsentia testium plurimorum publicauit Alphonsus octauo die mensis Nouembris, Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo in Palatio Hispalensis ciuitatis: Cum à Summo Pontifice Martino frustra legatum à Latere exspectasset. Eum enim Martinus Pontifex mittendum non esse existimauit: & quod nuncius Alphonsi illum postulanti potestatem se non habere dixisset, & quod Pontifex omnibus Episcopis Regnorum Alphonsi perscripsisset, qui ei Sanctium filium reconciliarent, & in patris officio esse iuberent.

VIII. PATAVINI REM ECCLESIASTICAM VILI PENDVNT.

Eadem tempestate, res Ecclesiastica apud Patauinos in Italia fluctuauit. Senatus Patauinus plura aduersus eius libertatem sanxerat: quorum maximum fuit, quod si quis Clericum interficeret, vno tantum denario, quem Veneti Grossum appellant, teneretur. Sanctionis originem opinamur, vel ex odio aliquorum potentium, vel ex aliquorum Clericorum improbitate profectam. Ea lege, dum pauco ære sacrilegi pœna solgeretur, multi in vibe religiosi interimebantur. De his Martinus Quartus Pontifex Maximus certior factus, iussit Raymundo Turriano Patriarchæ Aquileiensi, vt sactis interdiceret Senatui atque Vrbi Patauiæ. Pœna Ecclesiasticarum maxima, quamuis Senatum coegerit, quamprimum impia decreta antiquare, tamen Pontifex in vltionem effusi late sanguinis, restituere di stulit sacra Vrbi. Itaque septennium interdicta permansit, donec Nicolaus Quartus Pontifex Patauinorum precibus euictus Bonauenturæ Archiepiscopo Ragusino mandauit, vt sublatas impias leges, atq; debitas sacrilegis pœnas nuper à Patauinis decretas cognosceret, & Vrbem religione exsolueret. *Iacob. Cauaccius lib. 3. Historiar. Cœnobii Diuæ Iustinæ Patauin.*

IX. *Mariana lib. 14 c. 5.* NVPTIÆ INTER LVSIT. ET ISABELLAM ARAGONIAM.

Hoc an. Dionysium inter Lusitaniæ Regem, & Isabellam Aragonii Regis filiam maiorem natu, ad Troncosum oppidum nuptiæ celebratæ sunt, mense Augusto. Hæc est illa Isabella, quæ virtutum merito, & ob insignem pietatem in cœlitum numero locum habet, eiusque memoria anniuersariis sacris in Lusitania celebratur.

X. AVSTRIA QVO MODO AD AVSTRIACOS DEVENERIT. ARCHIDVCEM FACIT RVDOLPH. ALBERTVM FILIVM.

Eodem anno Rudolphus Rex Romanorum Augustæ Vindelicorum comitia celebrauit. Vbi precibus continuis Procerum Austriæ, & Ordinum imperii consensu, Alberto filio Austriæ Archiducatum, cum Styriæ Ducatu atq; Carniola, & Vindorum Marchia, iure beneficiario contulit: statimq; eum Principem declaratum, cum magnifica Comitum & Baronum caterua in fines Pannoniæ deducendum curauit. Ea ratione ad Habspurgenses Comites Austria deuenit, & in eorum stirpe hactenus magna cum gloria manet.

XI. ITEM RVDOLPHVM FILIVM IDEM CREAT DVCEM SVEVIÆ.

Eodem tempore Rudolphum filium, Ducem Sueuiæ, Landgrauium Alsatiæ, ac Comitem Ergouiæ constituit, ac reliqua bellorum semina atq; latrocinia, quæ antea in interregno exorta fuerant, partim auctoritate sua, partim armis compescuit, multis nobilium arcib. & castris, ad rapinam opportunis, hinc inde per vniuersam Germaniam destructis & solo æquatis. Prætèrea Archiepiscopum Salisburgensem, cum Bauaro Duce de ciuitate Mildorffio belligerantem in concordiam reduxit.

XII. PSEVDOFRIDERIC. AB BOHEM CAPITVR ET OCCIDITVR.

Erat tum quidam Pseudo Frider. qui se pro Friderico II. Cæsare gesserat, atq; suis præstigiis & arte Necromantica, multorum non solum Ciuium sed Principum etiam animos occupauerat. Erat. n. pleriq;, qui Fridericum nondum mortuum sed viuum adhuc suspicabantur. Hunc itaque Nussiæ deprehensum Rudol. obsedit, & vrbe dedita maleficum igne concremauit.

XIII. RIDICVLVM DE NASO RVDOLPH.

Ridiculum aliquando id accidit. Cum haberet nasum aquilinum satis magnum, in declini semita obuium habuit dicalum quendam, qui Rudolphi facilitatem morum & clementiam norat. Is prætereunti Regi ex angusta semita cedere nolebat, etiam à satellitibus iussus. Cum illi causam rogarent; respondit: Regius nasus viam implet, vt præterire nequeam: subridens Rex, flexo in aliud latus naso sua manu inquit: Vade fili minasum torquebo, ne te impediat. Alius hominem capite imminuisset, prætextu læsæ maiestatis. Rudolphus in clementia laudem ponens, maluit indulgere, & stulto iuxta stultitiam respondere.

XIV. AQVA SALVTARIS EX TERRA ERVMPENS ET MORBOS CVRANS.

Hoc anno in agro Ferrariensi, cui nomen Vallis de aqua, quædam salutaris vnda, tertæ viscеribus, dies noctesque effluens, lacum confecit, quem Gatulam appellarant, cuius sane aquæ virtute, illi diuinitus infusa, cuiuscumque generis infirmi pristinam sanitatem recuperabant, ad hunc locum varia hominum genera, tanta frequentia confluxere, vteo die quo Diui Ioannis Baptistæ Sacra solemnia celebrantur, (eo enim festo die ægris vnda salutaris erat) ibi triginta hominum millia fuerint reperta. Inualuerat autem opinio, B. Annæ sepulchrum eo in lacu delitescere. Quo lacu postmodum ad imas telluris partes, vnde effluxerat, reuocato, arbitror, in rei illius memoriam, eam quæ Ferrariæ nunc extat hospitalem Sanctæ Annæ domum, pro infirmis curandis, erectam fuisse. *Giraldus de Principibus Ferrariensibus.*

XV. ORITVS B. TORELLI EREMITÆ.

Ad decimum sextum Calendarum Aprilis huius anni, obiit Beatus Torellus Eremita Vallis Vmbrosæ Pupianæ. Is Pupii Castro Hetruriæ natus, adolescens patre orbatus, lasciuam vitam duxit. Aliqua vero dierum, cum gallus ex fenestra in eius humeros deuolasset terque decantasset, ea re commotus ad bonam frugem conuersus est; Quare Abbatem Sancti Fidelis adiens habitum Eremiticum cum impetrasset, in solitudinem miliario à Pupio distantem, in locum qui Auellanetum, ob auellanarum copiam dicitur, secessit, ibiq; cellula cum Oratorio extructa annos sexaginta continuos pœnitentiam egit, pelle agresti & aspera indutus, pane & aqua refectus humi cubans seque ferrea catena diuerberans: licet propter ægritudinem post annos triginta herbis vti vinoque modico fuerit coactus, miraculis enituit. Nam & lupus puerum, quem deuorandum dentibus ferebat, ad Torelli præceptum dimisit, & puer à morsibus liber matri restitutus est. Ex quo tempore lupos ea loca infestasse auditum non est, cum annum ætatis octuagesimum ageret, ab Angelo de morte admonitus, Sacrosanctis mysteriis, magna cum lætitia perceptis, decimo septimo Calendarum Aprilis ad Dominum migrauit: Campanis Pupii sponte sonantibus: Huius corpus cum de eius sepultura contenderetur, ferunt, à nemine, nisi ab Abbate prædicto potuit dimoueri. Etsi vero in Diuos non sit relatus, neque illum religio Vallis Vmbrosiana officio Ecclesiastico veneretur: Pupii tamen dies festus illius solemniter celebratur: *Ex vita Sancti Ioannis Gualberti Abbatis, & Chronol. Vallis Vmbros.*

IESV CHRISTI
Annus 1283.

MARTIN. PAPÆ IV. RVDOLP. MICH. PALÆOL.
Annus 3. Ro. Re. 10. Imp. Orient. 24.

I. PETRVM ARAGONIVM EXCOMMVNICAT MARTIN. IV.

AD duodecimum Calend. Aprilis anni superioris Martinus Pontifex Maximus Vrbe veteri in Palatio Apostolico, de Collegii Purpuratorum sententia, Petrum Aragonium perduellionis conuictum, Regno ac ditionib. omnibus multauit, & Catholicis Principibus occupandas exposuit. Præterea Eduardo Regi Angliæ interdixit, ne Siciliæ & Aragoniæ Reges, Vasconiæ fines ingredi pateretur, aut sui præsentis copiam faceret, locumue certamini bellico designaret, aut Regni vicarios ministerium aliquod exhibere permitteret: quod pactionem certaminis obeundi, à Siciliæ Rege factam, irritam Pontifex ipse feciſſet. Literæ ipsæ Pontificiæ dignæ visæ sunt, quæ hîc apponerentur. Ita habet.

II. DVELLVM CAROLI ET PETRI LITTERIS PROHIBET.

Martinus Episc. Seruus Seruorum Dei, Eduardo Regi Angliæ illustri.

Decet excellentiam Regiam, & saluti tuæ nihilominus congruit, quod in te semper vigeat sic ordinatus affectus, vt animum libenter ad promouenda Christi negotia dirigas, trãquillitatem publicam votiue promoueas, desideranter horum impedimenta præpedias, & prout ex alto conceditur incrementa procures. Ideoque conuentiones multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem & merito reprobandas inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Illustrem Siciliæ Regem, & Petrum, exigentibus suis excessibus per sedem Apostolicam vinculo excommunicationis astrictum, quondam Aragonum Regem, non absque nimiæ animositatis inordinatione habitas, circa quod ambo, cuilibet eorum comitiua centum militum assistente, ad illud concurrãt, altrinsecus insimul confligant, celsitudini Regiæ considenter exponimus: & vt tibi earum qualitas plenius pateat, sub bulla nostra, ipsarum de verbo ad verbum seriem, prout eam à memorato Siciliæ Rege recepimus, destinamus. Ex quarum circumspectione manifeste circumspectio regalis aduertet, quantum sint contentiones eadem obuiæ Crucifixi negotiis, & præcipue Terræ Sanctæ, quantumque toti Christianitati damnosæ: cum illarum persecutio, non solum memoratum Regem, ab eisdem negotiis, & ipsius Christianitatis promouendis vtilitatibus abstrahat: sed & alios Principes & Magnates, cæterosque fideles, qui circa prosecutionem eandem in se, vel in suis occupantur, auertat: & proinde manifesto exponatur terræ præfatæ discrimini, dum eius subsidium, multis exco-

gitatum vigiliis, multisq; sumptibus & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur. Nec minus attendere poteris eisdem tuæ circumspectionis industria, quam periculosa potest inter Christicolas, ex prosecutione huiusmodi excitari commotio: quantaque illis corporum & animarum pericula ingeri: ac quantum nobis, Ecclesiæ, Tibi, cunctisque Catholicis, quibus est eis quomodolibet obuiare possibile, posset à Deo & hominibus negligentia imputari: ad quantam notam adscribi, si talia procedere pateremur? Propter quæ, nec non & alia non facile numeranda discrimina, quæ dictarum conuentionũ executio Christiani proculdubio prodiga sanguinis, animarum inimica salutipublicæque pacis æmula, & quietis verisimiliter comminatur, nos illis promptis remediis obstare volentes, promissionem factã à memorato Rege Siciliæ, super dictis conuentionibus obseruandis prorsus illicitam, vtpoterem prohibitam expressius cõtinentem, cum non solum in Principibus, similibusque personis, sed etiam in priuatis duellum non sit ab Ecclesia tolerandum: reprobandam, irritamque duximus, & penitus vacuandam, & in ramentum super eis præstitum non solum temerarium declarantes, sed & carere viribus: ipsumque Regem Siciliæ ad illorum decernentes obseruantiam non teneri. Absoluendo eo nihilominus ab eisdem, quatenus processerunt de facto, sibi districte præcipimus, vt à prosecutione promissorum & iuratorum taliter, prorsus abstineat, & omnino desistat: eidem nihilominus sub pœna excommunicationis, & comminationis processus cuiuslibet, quam contra eum quomodolibet habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati certaminis, tam nefandi procedat: vniuersis & singulis Christi fidelibus, ne illa sibi prosequenda suadeant, neue consilio, auxilio, vel fauore in illo prosequendis assistant, districtius inhibendo. Cum itaque impediendi tam detestabilia, tam nociua tibi sit in promptu facultas, pro eo, quod, sicut earumdem conuentionum docet inspectio, loci determinatio ad huiusmodi conflictus exercitium deputandi, de arbitrio tuo dependet, & secundum earum conuentionum tenorem; idem conflictus, nouo eorum d. Sicilia & olim Arago. Regum non intercedente consensu, absque tua præsentia non procedit: expedit vt ad id te promptum exhibeas, solers & operosus occurras, ne si, quod absit, perturbare tam peruersa negligeres, ea fauere, non immerito censereris, sicque pœna & comminationis adiecta in præmissa nostra prohibitione periculum, vt decet tam Catholicum Principem, non vitares. Quocirca Serenitatẽ Regiã, monentes, rogantes, & hortantes adobsecrãtes in Domino Iesu Christo, & per aspersionẽ sui pretiosi sanguinis obtestantes, & nihilominus in remissionẽ tibi peccatorũ iniungentes, mandamus, quatenus conflictum huiusmodi tam detestabilem, tam horrendum, eiusque præparatoria, omni studio quopotes, impedias: dictorum Siciliæ & quondam Aragonum Regum aduentum ad ciuitatem Burdegalensem, eiusq; territorium: quin etiam ad quamcunq; partem Vasconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias, apertius interdicas: tuam nihilominus in his præsentiam denegando, & tuis insuper in partibus illis vicariis & officialibus arctius iniungendo, ne prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamen, aut aliquod aliud in his ministerium exhibere præsumas: super quibus eis omnem penitus adimas potestatem. Nos enim ad tam pernicioſa, tam noxia omnimodis euitanda, ne dictos Siciliæ, ac dudum Aragonum Reges ciuitatem eandem, seu quamuis, vt prædicitur, Vasconiæ partem, ad hæc ingredi patiaris, neue in his præsentia tua copiam facias, aut promittas, seu locum sæpe fato certamini deputes, aut dictos tuos in eisdem partibus vicarios, siue officiales in his aliquod ministerium exhibere permittas, districte subiicimus prohibitionis edicto: ac illa omnia & singula quantumcunque in aliis regio intendimus honori deferre, tibi & eis, sub pœna excommunicationis expressius inhibemus, sub eadem pœna mandantes, vt si ad aliquid horum est processum, illud studeas cum celeritate, qua poteris, reuocare. Et nihilominus dilectum filium nostrum, tituli Sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem, virum vtique grandi scientia præditum, prudentia & morum honestate decorum, quem sue probitatis obtentu, grandi affectione prosequimur, cuiusque consiliis te in his acquiescere rogamus & petimus, ad id inter cætera destinamus, vt tam te, quam prædictos vicarios, & officiales tuos, per se, si facultas adfuerit, per suos Nuncios vel litteras efficaciter moneat, & inducat ad parendum præmissis Apostolicis monitionibus, inhibitionibus & mandatis. Alioquin per excommunicationis in personas, & interdicti sententias, si opus fuerit, in regnum tuum, & alias tuas, ac eorumdem vicariorum & officialium terras, Apostolica, prout expedire videris, auctoritate compellat. Non obstantibus aliquibus priuilegiis, vel indulgentiis, tibi vel eisdem vicariis, siue officialibus, sub quacumq; verborum forma, seu expressione concessis, quod tu, vel iidem vicarii & officiales excommunicari vel interdici non possitis: aut eadem regnum & terra nequeant Ecclesiastico interdicto supponi, per litteras Apo-

stolicas, non facientes plenam & expressam, seu de verbo ad verbum de priuilegiis & indulgentiis huiusmodi, sitve obtinentium eadem, nominibus mentionem; & qualibet alia eiusdem sedis indultgentia cuiuscumq; forma vel tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri. Datum apud Vrbem vet. Nonis April. anno 3.

III. *Phazel. li. 9.* DOMINICANIS, AD REVOCANDOS SICVLOS, VTITVR.

Cum autem duellationem inter Reges Martinus diiimeret, F. Pyrronum de Aydeno Siculum, & F. Antonium de monte Appulum Dominicanos in Siciliam misit, qui Siculos hortarentur, vt à Petro ad Romanam Ecclesiam deficerent. Hi Messanam ad S. Mariam de Scalis aduecti, Guillielmum Maniacis Abbatem, vt à Romano Pontifice in mandatis acceperant, conuenerunt, illiusque opera vsi sunt. Porro re detecta, Iacobus infans Petri Aragonii filius, Dominicanos cepit, muneribusque oblatis allicere conatus est, & vt pacem cum Pontifice tractarent, Romam remisit. Guillelmum autem Abbatem Melitam relegauit, nepotibus eius, & plerisq; aliis Messanæ furca multatis.

IV *Idem qui supra.* HENRICVS CLAROMONTAN. FRANC. AD PETRVM ARAGONIVM DEFECIT.

Sub idem fere tempus, Henricus, quem Henrichettum appellabant, Claromontanus genere Francus, vir bello & nobilitate clarissimus, cum in Ludouici & Philippi postea filii Francorum Regum odium incidisset, Francia discedẽs Caroli Siciliæ Regis militiæ apud Neapolim sese manciparat, Erat Henrico vxor forma eximia, & præcellens, quam Carolus vt vidit, effictim amare cæpit; tandemq; aut imperio, aut pretio corruptam violauit. Quo cognito Henricus ad tempus dissimulatam iniuriam vlciſci deliberauit. Erat namque Carolo filia nubilis pulchritudine nemini inferior; cuius Henricus deflorata virginitate vxoris dedecus vltus, veritusque Regis iram, cum vxore & Simone filio ad Petrum Aragonensium Regem defecit. Ab hoc benignissime acceptus, omnibusq; bellicis consiliis adhibitus fuit. Neque. n. illi eius fides poterat esse suspecta, cuius contra Carolum tot ignominiosa flagrabant argumenta. Henrichettus is est, qui Claromontanæ stirpis in Sicilia, tam felicissimæ, quam per multa postea tempora fortunatissimæ auctor extitit, cuius plura in Rempubl. liberalitatis ac magnificentiæ adhuc monumenta visuntur, & nomen ducta per manus fama celebratur.

V. *Aemil. in Philip. 3.* DVELLVM REGVM BVRDEGALÆ INSTITVITVR.

Hæc cum in Sicilia agerentur, & Martinus Pontifex nihil aliud magis curaret, quam vt Reges à singulari certamine auerteret, nihil omnino potuit efficere, apud animi obstinatos. Itaque Calendis ipsis Iunii, die certamini constituta, Carolus Rex Siciliæ cum ala centenaria præsto affuit: Burdegalæ, sese suosque in armis ostendit. Multis seculis non fuit tam paruo numero nobilior sanguine, factis, spe, delectiorq; equitatus.

Conuenerant vndiq; mortales ad famam duorum clarissimorum Regum, parua quidem manu, sed summo odio, infensissimis animis inter se de Sicilia, de Regno longinquo dimicaturorum. Angli, Franci, Hispani, Itali, Germani, ex Græcia etiam plurimi confluxerant, alii spectaculi nobilissimi gratia, alii partium studio. Prætor vrbis se omnibus æquum, comem, liberalem que præbebat: gloriam maximam suam, decusq; ingens Regis sui existimans, Præfecturam suam toto ex orbe terrarum delectam, cuius in principe vrbe Reges externi, fide Edouardi Regis, Martis iudicio, controuersias summis de rebus dirimerent. Ingentem expectationem, animos erectos, mentem suspensam frustratio ludificatioq; excepit.

Nullus Petrus comparuit: nullus Arragonensis se ostendit, quamquam sunt, qui scribant, Petrum, vt ignauiæ periuriique notam effugeret, quia iurauerat se venturum, priuati hominis cultu vno omnino comite, per dispositos equos Prætorem adiuisse, seque illi confessum, ac excusatione detrectati certaminis ea vsum, quod Francus Rex cum iusto exercitu appropinquare diceretur; nec sibi æqua conditione centum equitib. aduersus omnes Francorum copias certamen futurum, propioraque Carolo Francorum auxilia, quam sibi Arragonensium: parique celeritate in Arragoniam rediisse, cum id, quod præterea captauerat, se absente eius Præfecti in Italia res gessissent. Constantiam autem vxorem in Siciliam præmiserat, ad animos Sicu-

lorum confirmandos, cuius mulieris nomen memoria magnæ Constantiæ sanctum illis erat.

Simul Rogerius Auria exul Apulus, Præfectus classis Aragonensis, ad certamen elicuit Carolum Claudum Principem Salernitanum, Caroli Regis Siciliæ filium, atque in eo Regno vicarium: eumque multum de hortante Gherardo Cardinali Legato Martini Pontificis, congredi ausum, cætera fugata classe, ipsum cum paucis nauibus egregie pugnantem cepit; eo maiore Francorum dolore, quod pater Carolus paucis post diebus cum magna classe venit: quæ si expectata fuisset, longe alia fortuna fuerat expectanda.

VI. ROGERIVS AVRIA CAROL. PRINCIPEM SALERNITAN. VINCIT ET CAPIT.

Pater ætate graui, laboribus, luctu, tædio aduersarum rerum, sic quoque non cedere, non succumbere animo statuens, sed experiendum agendumque ratus, dum Calabrorum, Appulorum, Lucanorum, Picentinorum, Brutiorum vrbes ad confirmandos animos circumiret, morbo correptus, ad septimum diem Ianuarii Anno millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, decessit, Rex indole animi summus vir, sed peccato suorum miser; maximis victoriis perdiu clarus, sed senior vim fortunæ malis expertus. Morienti Carolo cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum delatum fuisset, summa cum deuotione dixit: Iesu mi, te corde credo, & ore profiteor, meum esse Conditorem, Redemptorem, Iudicem ac vindicem. Peccaui fateor multa peccata! at tu qui imperfectum meum nosci, ignosce. Siciliæ Regni capessendi, non me mei, sed tui honoris, ac Ecclesiæ tuæ commodi anxietas cepit. Si quid in tuo & tuæ sponsæ iure vindicando peccaui: non diffiteor; peccaui: miserere. In his verbis, animam sacris rite curatam efflauit. Aliquis ei inscripserat.

VII. MORS CAROLI SENIORIS SICILIÆ REGIS.

Summont. lib. 3.

Conditur hac paruæ Carolus Rex primus in vrnæ,
Partenopes Galli sanguinis altus honor.
Cui sceptrum, & vitam sors absoluit inuida, quando
Illius famam perdere non potuit.

Mortuus, apparuit Beato ANDREÆ Anagnino Ordinis Minorum, ALEXANDRI Quarti Pontificis Maximi agnato, vtque pro se misericordiam diuinam imploraret, flagitauit: nec, nisi orationibus ipsius à pœnis purgatorii se fore liberum, constantissime affirmauit.

VIII. IN PVRGATORIO EST CAROLVS.

Carolus porro Claudus Princeps Salernitanus à Rogerio Auria captus, primum in Matagryphoniam arcem Messanæ vrbis detrusus est. Cum autem Siculis deliberarum, constitutumq; esset, vt is eo mortis genere afficeretur, quo Carolus eius pater in Conradinum Conradi Regis filium Friderici Imperatoris N. tam acerbe, crudeliterq; vsus fuerat, Regina Constantia, Iacobusq; filius insigni clementiæ laude, Siculorum animos temere concitatos retinuerunt, vtque Carolum Principem saluum in columem que conseruarent, ex Matagryphonia Mamertinorum arce, in Cephaleditanam transtulerunt. Cumque ii ipsi ad mortem eum quotidie deposcerent, Constantia à facinore abhorrens, oratoribus, ne inconsulto Rege Petro quicquam agerent, sed ab eo interfectum iri oportere respondit: & interim sanguinariis eorum manibus subductum in Arragoniam clam transmisit. Vbi cum in vinculis Barchinone haberetur, certamque mortem breui expectaret, apparente D. M. Magdalena ferunt fuisse eliberatum. Rem ipsis verbis auctoris, qui ex quodam Chronico MS. excripsit, narrabo. Cum omni humana spe Carolus destitutus (ita referebat auctor) indubitatam mortem præstolaretur, à Magistro Guillelmo de Tonnais Ordin. Prædic. confessore suo monitus est, vt Magdalenam, quæ in terris sibi subiectis prædicauerat, pœnituerat & obierat, in auxilium aduocaret.

IX. *Surita lib. 2. Phazellus lib. 9.* CAROLVS FILIVS OPE CONSTANTIÆ REGINÆ ET B. M. MAGDALEN. EVADIT.

Sylueſter Prierias ex chronico quodam, & Peolemeus Lucen. in Chron.

Qui statim firma spe de meritis eius concepta, ieiunio & confessione, & lachrymis ei se commendauit. Ecce autem in vigilia festiuitatis Beatæ Magdalenæ, nocte astitit ei matrona pulcherrima Carolum voce sonora & proprio nomine vocans. Et quidem in primis ei dixisse memoratur: Si te hinc liberauero, facies quod iubebo? Eo spondente, disparuit. At ille semetipsum reprehendens,

ait: Heu, nec quid velit inquisiui. Qua secundo apparente, & eadem repetente; quid, ipse inquit, iubes ô Domina? Atilla: Locum, inquit, meæ mortis, & meæ pœnitentiæ meis fratribus tradas. Quo id se facturum promittente, disparuit. At ille semetipsum reprehendens: Heu, inquit, nec qui sint isti eius fratres inquisiui. Sed Beata Magdalena tertio ei, modo supradicto apparuit, & Narbonam vsque in suo festo, populo in honorem Magdalenæ solemnizante, in hunc modum deportauit. Cum enim ille interim procapitua familia sua præcaretur, sequere, inquit, me & sequentur omnes tui. Sic autem factum est. Post paululum vero cum aliquantisper processisset, illa firmato gradu, & se, inuocata, Magdalenam esse commemorans: Scis, air, vbi sis modo? At ille, intra muros adhuc sumus Barchinone, si non fallor. Falleris, inquit Magdalena, sed iam es infra terminos tui Principatus, & prope Narbonam, ad vnã leucam. Sunt autem inter Narbonam & Barchinonem tres magnæ dietæ id est, triginta & aliquot leucæ. Tunc ille perfusus lachrymis: Quid, inquit, ô Domina gratum rependere pro tanto beneficio possum? Dicam, inquit. Cum instante bello quodam corpus meum de meo sepulchro sublatum, & loco eius aliud suppositum fuisset, vt fallerentur inimici, si meum corpus asportare voluissent, ita factũ est. Vnde adhuc apud talem locum iacent reliquiæ meæ, aliis loco earum sublatis. Illuc perge, & has talibus signis inuenies. Nam in tali loco vitis est, quam sequẽs, de ore meo prodiisse videbis: & ibi est caput meum totum nudum, excepta ea carne, quam Saluator mundi in horto tetigit, cum eius vestigia tenere voluissem. Capilli omnes interierunt, exceptis his qui Iesu pedes tetigere. Iuxta caput est ampulla plena terra made facta sanguine Christi, quam sub cruce collegi, & semper quoad vixi, in memoriã Domini mei seruaui. Cum hæc inueneris, honore digno eleuabis; & locum meæ mortis & meæ pœnitentiæ, fratribus meis, id est, Prædicatoribus trades. Ego enim peccatrix & Apostola sui. Porro conuentui loci illius in quo decessi, redditus pro centum fratribus assignabis, vt semper ibi vigeat studium generale. Et his dictis disparuit. Ille vero facto iam die Narbonam cernens, eo in loco in quo Magdalena disparuit, Crucem figi iussit: quæ vsq; in præsens tempus, Crux de leuca nuncupatur. Et S. Maximinum adiens, omnia per ordinem adinuenit, & imperatis satis fecit. Nam cum in illis duob. locis monachi habitarent, eis contributionem fecit, & loca illa Fratrib. Ord. Præd. assignauit, redditibus super gabellis ciuitatis Nicensis & aliis, iuxta præcepta Magdalenæ, designatis. Neapolim reuersus, 12. monasteria eidem ordini ædificauit, & prouentibus ditauit: actandem post aliquot annos moriens cor suum eidem ordini dicauit, quod hactenus Neapoli in Conuentu D. Dominici, quem tit. D. Magdalenæ extruxerat, in pyxide eburnea asseruatur.

X. *Summont. lib. 3.* PARATISSIMVS ANIMVS CAROLI AD NECEM.

Porro omnia hæc, quæ de eliberatione Principis dicuntur, quando acciderint: aliorum esto arbitrium. Ista duo certa, quæ subiungo. Cum in Sicilia Carolus teneretur, omnium Procerum animos acre odium peruasit, ac indefessa sollicitatio, volentium eius fato, Cõ adimi funestum exemplar Austriæq; Ducis expiare; & quamquam Pontif. per Legatum id assequi conaretur, ne Carolus grauiore iniuria afficeretur: tamen Siculi ne excommunicationẽ quidem ipsam pensi facientes, vno ore conclamabant, oportere extremo supplicio in Carolum animaduerti. Ibi Constantia Regina capto Principi, per internuncios præcipi iussit, se vti ad mortem, quę ei irreuocabili suorum sententia ingruebat, præpararet. Ille vero non enerui, neque inconstantis leuitatis animo fœtus, ebulliente in ipso adhuc primæ iuuentutis ardore, comparatissimum deferendę neci (si quidem ita in fatis esset) respondit: vel maxime ea luce (erat forte tunc parasceue dies) qua olim salutis nostræ Redemptor insons culpas mortalium morte obita luisset, Regina huiusce modi perculsa dictis, reuocata illico sententia ad clementiam mansuetudinemq; inclinauit, & Carolum ad maritum transmisit. Cum autem nauigio veheretur, & Surentini potentiam victoris Rogerii metuentes quatuor cophinos ficuum & 200. Augustales ei misissent, Internuncii ex splendore vestium, quib. Carolus fulgebat, Rogerium esse existimantes, Carolum pro Rogerio salutarunt, munuscula obtulerunt, & inter gratulandum optarunt, vt capto filio, patrem quoq; Carolum regem Siciliæ in potestate aliquando habere posset. Dissimulauit Carolus iniuriam recens illatam: & ad Rogerium Auriam conuersus: Ecquid putas, quam isti fideles suo Regi?

XI. *Surita li. 2.* MARTINVS PROHIBET MATRIMONIVM INTER EDOVARDVM ANGLVM ET PETRVM ARAGON. VTPOTE EX COMMVNICATVM ET REGNIS EXVTVM.

Inter hæc Petr. rex Aragonum, vt sibi ex noua affinitate, noua & multo maiora auxilia, contra Philippum & Carolum Gallos compararet, fœdus inter Edouardum regem Anglum & se percussit, & per mattrimonium confirmauit: pacta in connubium Alfonso suo primogenito, Leonora Edouardi filia. Quod cum Martin. Pont. intellexisset, datis apud vrbem veter. Non. Iul. hoc an. literis, Edouardum ab ea consociatione auertere conatus est: incestasque eas nuptias, & illicitum contubernium, non legitimum coniugium fore prædicauit, quod Leonora Regina Edouardi regis mater, Amadei Sabaudiæ Comitis soror fuisset, & Amadei Manfredi regis soceri Alfonsus pronepos esset. Seueris præterea commonitionib. Edouardum cohortatus est, ne cum Petro Ecclesiæ hoste, & perduelli affinitate sese deuinciret, neue in se tum Ecclesiasticam censuram, & diuinã vindictam, nisi parueriit, prouocaret. Erat quod Martinus, hostem Ecclesiæ Petrum iudicaret. Cum, n. non desisteret eum admonere, vt regnum Ecclesiasticum fraude occupatum vel Carolo relinqueret, vel Ecclesiæ restitueret, atque Carolum Principem Salernitanum per id temporis captiuum eliberaret, neq; is quicquam admonitiones, preces & præcepta Pont. summi æstimaret; necesse habuit Pontifex etiam hoc an. tum die cœnæ, tum festo ascensionis Christi, tum in celebritate dedicationis basilicæ Principis Apostolorum, apud vrbem vet. anathematis religione contumacem deuincire. Cumq; nec ratione, nec sententiis moueretur, primum regno Aragoniæ, ad quartum Id. Ian. deinde Valentino ad Cal. Martias eum publice priuauit, occupandaque dedit Carolo Valesio Regis Galliæ filio minori. Arnaldus Rexachus & Bernardus Orle, Petri apud Sedem Apostolic. internuncii, primum ei has sententias per scripserunt. At ille multo magis contumacior factus, procaciam linguæ, tumori iñato adiecit, & Martinum Pontificem, iniquum & inexorabilem iudicem dixit, atq; ab eius iudicio, ad futurum Pontificem minime suspectum, aut inuisum, infensumue prouocauit, scil. vulpinam leoninę, quod vulgo dicitur, assuere conatus.

ep. 9. 19. 34. apud vrbem vet.

Mariana li. 14. c. 7. & Sup. Martini 11. & 12. apud vrb. vet.

XII. *Mariana li. 14. c. 7.* RES INTER ALFONSVM ET SANCTVM, NEC BONIS NEC MALIS MEDIIS COMPONI POSSVNT.

Res Castellæ nihilo tranquilliores in Hispaniis erant. Regno. n. inter patrem Alfonsum & Sanctium filium in factiones diducto, pars multo maxima Sanctium sequebatur. Alfonsus præsidio destitutus, externaque auxilia conquirens, Marrocium regem II. in Hispaniam attraxit: quo minori inuidia esset, aduersus Granatensem regem aduersæ factionis studiosum, Sanctioque per fœdus deuinctum. Bellum haud vllo euentu memorabili fuit. Afri. n. omnia difficiliora opinione experti, quoniã vrbes & oppida Granatæ rex præuisa tempestate, munienda curauerat, totius certaminis aleã detrectare constituens, nullo magno operæ pretio redierunt in Africam. Nouum ex Italia à Martino Pontif. Max. petitum subsidium, religionis specie abiecta. Sanctium enim filium apud Martinum Pont. Max. Alfonsus rex per oratores de impietate atque ingrati animi noxa postulauit, quod is superstite patre in omnia iura Regni inuaserit, neq; præ ambitione regnandi Senis obitum expectarit. Dati Iudices à Pont. in causa, in impiorum loco haberi mandarunt, quicunque relicto Alfonso filii partes sequerentur. Vrbes præterea & oppida Sanctio addicta, ex ritu Christiano sacrificiis interdixerunt. Iraq; eod. tempore, non ead. de causa in Aragonia & Castella sacrorum velut iustitium fuit: mœsta prouincia, Sanctioque, iudicibus, si eos nanciscerentur, extrema quamuis comminanti. Hæc res iniecta religione animis, multos à Sanctio alienauit. In primis Petrus & Ioan. eius fratres, vt natura cogebat, ad patrem respicere cœperunt. Verum re indicata, Petrus quidem Murciæ regni spe iniecta retentus est: Ioan. autem cum mutatæ voluntatis speciem præbuisset, per Lusitaniæ fines ad patrem abiit, Hispali se tenentem. Multæ vrbes & oppida cum defectionis pœniteret, circumspicerentq; qua ratione placare iram Alfonsi regis, ac procurare anathematis religionem possent, spe veniæ gratiæq; impetrandæ Alfonso sese suaq; dediderunt. In his Agreda Teruignũq;,

acmultii Proceres, iuncti cum Philippi regis Galliæ copiis, in Castellæ fines, Tolerum vsque populabundi peruenerunt. Martin. enim Pontif. datis ad Philippum regem literis, eum admonuerat, vt Alfonso auxilia contra filios submitteret quib, tantam eorum audaciam reprimeret, ne inter Christianos istud proximum parricidio crimen in exẽplũ transiret. Neq; solum Galliæ sed & Angliæ, Portugaliæ & Siciliæ reges, ad iuuandum Alfonsum contra per duelles excitauerat Martinus datis literis apud vrbem veterem 5. Id. Aug. Actum deinde missis Legatis, vt pater & filius fide accepta de atque inter se colloquerentur; eo que consilio Alfonsus rex Constantinã accessit, Sanctius Guadalcanam. Spes erat mutuo colloquio reb. reddi tranquillitatem posse. Sæpe ex inimicitia gratiam postmodum ortam, & Sanctius in ipsa defectione præterquam quod regnum eripuerat, præcipua pietate patrem complecti visus erat, à contumelia abstinere, honorifice loqui & sentire. Destinata salubriter Alphonsi regis æmuli Sanctii familiares discusserunt inimicitia periculi suspicione: & regia dissidia calamitatemq: reipub, pleriq; ad suum commodum vertebãt. Re infecta Alfons. Hispalim, Sanctius Salamanticam discesserunt. Eorum concessu Beatrix Lusitaniæ Regina vidua, & Maria Sanctii vxor, Tauri conuenientes, & pacem reuocare conantes, nihil amplius præstitere: indies; recrudescebant odia, & reipublicæ calamitas augebatur.

epist. 33.

XIII. *Optmer. in Chronol.* RVDOLPH. ECCLESIASTICA IVRA SEVERO EDICTO TVETVR.

Hocanno Rudolphus Imperator electus, in Germania & Italia, rebus publicis multa priuilegia concessit. Propter hæc, cum pleriq; iniqui, Ecclesiasticos conarenturiuribus suis spoliare, Rudol. in hunc modum, pro immunitate eorum rescripsit.

Rudolphus Dei gratia Rom. Rex semper Augustus Vniuersis Imperii Romani fidelibus præsentes literas inspecturis, gratiam suam & omne bonum.

Quia Regalem decet clementiam, sic libertates impendere, & bene meritis liberalitatis & munificentiæ suæ gratiam impartiri, quod ex eo imperio ac Ecclesiis & Ecclesiarum Prælatis nullum prorsus in suis iuribus præiudicium irrogetur: ad vniuersorum tam præsentium quã futurorum notitiam volumus peruenire: quod per libertates illas, quibus à creationis nostræ tempore ciuitates & loca quæcunq; dotauimus, nullum volumus imperio, & Ecclesiis, ac Ecclesiarum Prælatis in suis iuribus & hominibus præiudicium generari: sed volumus, quod imperium & Prælati Ecclesiastici omnib. illius iurib. gaudeant, quib. ante libertatem huiusmodi ciuitati & locis à nobis indultam vsi fuerunt: & quæ in eis ante tempora libertatis eiusd. habuisse noscuntur. In cuius rei testimonium præsens scriptum Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Datum in Hagenaune 4. Nonas Decembr. Indict. 11. an. M. CC. LXXXIII. Regni vero nostri an. X. Fama est, hoc an. Legatum seu Vicarium Imperii in Italiam mississe, & à quibusdam ciuitatib. eius libertatis respectu multas pecunias emunxisse.

XIV. QVARE IN ITALIA CORONAM NON ACCIPIAT RVDOLPHVS.

Cum autem à quibusdam Principibus rogaretur, cur ipse Romam non peteret, vt imperialem coronam acciperet; præsertim cum ab iisdem ciuitatibus quas priuilegiis ornauerat, & à multis Italiæ Principibus ad id inuiteretur: vt erat facetissimus, talem eis Apologum reddidit: Quondam, inquit, oẽs ferè à Rege animantium in altum quendam montem, specubus & antris concauum accersebantur. Venerant ferè pleræq; omnes. Sagax vulpes antro quidem proxima, sed priusquam montis profunditatem ingrederetur, aliorum animantium reditum præstolabatur. Cum a. paucissimæ reuerterentur: neq; ego, inquit, ingrediar: ne forte in illorum numero quæ intus manent connumerarer, & non eorum quæ egrediuntur. Innuere volebat, plures quidem Cæsares in Italiam ingressos fuisse. sed paucos cum suo atq; patriæ commodo feliciter rediisse.

XV. *Nicephor. Gregoras lib. 5.* MICHAEL PALÆOL. MORITVR.

Eod. anno Michael Palæologus Imper. Orientis, præter spem suam defunctus est. Nam cum prope Lysimachiam, iuxta pagum qui inter Pachomium & Allagem (locorum hæc nomina sunt) situs est, versaretur, ibiq; Schyticum exercitum inspiceret, militiæque Duces delectos, quid agendũ esset, admoneret, morbo cordis correptus est, qui breui mortem attulit. Ac medicorum omnia iudicia cõfunderet & turbaret, & artis præsidia aspernaretur. Ferunt & ipsum mortis metu, eos qui adessent percontatum, quo nomine locus ille vocaretur.

XVI.

Cum vero Pachomii & Alages nomen audisset, cum al-

to suspirio dixisse: Hic sibi vitæ finem instare, vitæq; mutationem fato decretam esse, & seipsum grauiter accusasse, quod non ita pridem honestum quendam virum nomine Pachomium excæcasset: propterea quod vulgo ferebatur oraculum de Imperatore, sub vitæ mutationem Pachomium illi successurum, quo deceptus, & Imperii cupiditate amens, Pachomium imperio inutilem efficere festinarat. Andronicus Imperator eius filius, quamuis morienti adfuisset, patrem tamen Imperatoria sepultura adeo non honorauit, vt ne quidem plebeia sit dignatus: præterquam q; iussit, vt noctu pauci quidam cadauer procul à castris abductum multa terra obruerent, id modo cauens, ne Imperatorium cadauer à feris discerperetur. In causa erat; quod dum viueret, à Græcanico errore ad rectam Ecclesiæ doctrinam desciuisset: quod factum filius apostata, & si patiẽ adamabat, & pietate filios omnes atq; obseruantia superabat, ex animo oderat. Vnde suspicio non modica est, Michaelem in extremo vitæ, errori sad quem paulo ante redierat, pœnituisse, & secundo Eccl. Rom. conciliatum, in vnione diem obiisse.

QVARE MORTEM IN ILLO LOCO OBVENTVRAM DIXERIT PALÆOLOG.

XVII. SVCCEDIT FILIVS ANDRONICVS APOSTATA

Successit Michaeli in Imperio Orientali Andronicus Palæologus, à vera fide, quam in Concilio Lugdunensi iurauerat, apostata. Hinc bellum Ecclesiasticum contra Latinos ab aduersa factione renouatum est, Imperatoris obitu occasione data. Andronico necesse erat in vrbem pro fecto, patris obitum matri Theodoræ renunciare, publicumque de more luctum indicere. Iraque cadauer Michaelis Imperatoris in vrbem Selybriam deportari iussit, veritus ne id Latini furarentur. Ipse Byzantium rediit, iussisq; peractis, in perturbando Ecclesiæ statu, ante omnia laborauit. Proinde caduceatoribus & edictis quolibet missis, Græcanici ritus reuocationem nunciabat, & qui propter schismatis studium exulabant, aut male tractati fuerant, eos reuocabat.

XVIII. IOAN. PATRIARCHA ORTHODOXVS ABHIT PATRIARCHATV, ET IOSEPHVS SCHISMATICVS SVFFECTVS EST VBI MIRITVMVLTVS EXCITATI IN ORTHODOXOS.

Interea Ioannes Becus Patriarcha Orthodoxus, sedelam relicta fecessit, seq; in Pannachranti monasterio pietatis causa conclusit: veritus etiam, ne in hac subita mutatione à nonnullis discerperetur. In loco vero locum statim suffectus est Ioseph, qui à Michaele summotus fuerat, morbo & senio confectus, & morti proximus. Tunc autem Satanas, qui Andronicum ad apostasiam & schisma impulerat, maximam confusionem in Orientali Ecclesia effecit, & pulchram illã cõcordiam dissensionum tempestate turbauit. Nam eo redegit populum, vt in binas & ternas sectas scinderetur: quorum alii Iosepho, alii Aisenio olim mortuo, niterentur: & per mutua dissidia, alterutri à se diffiderent; qui autem Ioannem Becum sequebantur, vtriq; factioni multa crimina obiicerent. Itaque IOSEPHVS cedere coactus est, siue vt paui eorum quibus molestus erat, consuleret, siue quod Patriarchæ munus obire, aut viribus exhaustis nequiret, aut terrore agnito haud vellet. Factionum porro Principes inter se rixabantur, linguas contra sese, non studio religionis, sed iracundiæ impetu acuentes. Imper. neutros offendere volens, Atramytium vtriusq; factionis Proceres conuenire iussit, eique Ecclesiæ Georgium Cyprium ex Monacho Patriarcham præfecit. Cauit tamen ne à quoquam manus eis imponeretur, qui latinum dogma amplexi fuissent. Is itaque ab Andronico Patriarcha designatus, pastorale pedum in Imperatorio suggestu, ab eod. Imperatore porrectum, à Mozylone autem & Debreno schismaticis Episcopis Sacerdotii reliqua accepit. Mira tunc tes Atramytii accidit. Cum enim illi factiosi conuenissent, schismaticis post multa verborum certamina placuit, vt vtrorumque opiniones, vnde magnæ illius contentionis rationes germinassent, duobus libris inscriberentur, ac DEO iudicium per ignem & miracula committeretur. Cum autem per totam noctem steterisset, & Deum sedulo deprecati essent, in ipso magno Sabbatho libros in medio templo in ignem coniecerunt. Ac vtraque sane factio sperabat, suum codicem inuiolatum permansurum. Sed vana spes illa fuit. Ignis. n. vtrumq; complexus, statim in cineres redegit, idq; Dei iudicium fuit, & derisus eorum omnium conatus, qui Ecclesiam vario schismate & turbarent, & turbatam diuiderent. Quamquam, a. Georgius à Latinis Lector creatus fuisset, & olim instituta Latinorum probasset, & per id temporis cum miraculum quæ-

ſiſſet, miraculum tamen in eo euidens, quod nullum miraculum ſubſecutum eſt, perſpectum habuiſſet: tamen aduerſus recta Eccleſiæ dogmata, & Eccleſiaſticam vnitatem contentis viribus certauit, dum viuenti Ioanni ſucceſſit, eiuſque relegationis cauſa non minima fuit. Ille vero ad radices Olympi deportatus, cœlo & terræ iniuriam (vt dicebat) & contumeliam illam prædicare non deſtitit; qua in ſe debacchati eſſent, cum humanius agere, homines vtiq; cum homine, qui magna gloria excidiſſet, & ob eam ipſam cauſam accurata refocillatione indigeret, potuiſſent: ereptoq; Sacerdotio contenti, curare nequid ſibi deeſſet, quo homines carere non poſſent. Itaque ab omni parte deſtitutus, publico iudicio cauſam diſceptari poſtulabat: forſitan vt aut Iudices præſentia conſpectuq; ſuo & oratione mitigaret, aut oſtenderet, quam immiſericordes & duri in ſe, & quam veſani in ſentiendo de dogmate eſſent. Quæ cum audiſſet Imperator, non negligenda multum eſſe iudicauit, ne iniuriam homini fieri vulgus ſuſpicaretur: eiuſque auctores maledictis inceſſeret, quæ cum nunc murmurarentur, poſt aliquot annos palam eruptura eſſent. Viſum igitur eſt Procenbus omnib. tam Eccleſiaſticis quam profanis, in Regiam conuocatis, illuſtre de illo, in tanto theatro, iudicium fieri oportere. Quo facto, cum Ioan. Becus in medium prodiſſet, & omnia eloquentiæ vi permiſceret, atq; ea quæ veſani dogmatis defenſores obiiciebant retexeret, fortaſſe veritas mendacium viciſſet, & virtus curioſitatem ſuperaſſet, niſi Georgius Pſeudopatriarcha, & Muzalo magnus Apoſtatæ Logotheta, exitioſa linguæ vehementia tempeſtatem excitaſſent, & ſacræ Scripturæ ſententiis pro veritate Catholica à Ioanne adductis, ingenti contumacia iuxta atq; impudentia reſtitiſſent. Ibi Ioannes clamoribus obrutus, & præiudicio grauatus, denuo in exilium, in oppidulum quoddam Bithyniæ maritimum, vna cum Melitemote & Metochite miſſus eſt. Muzaloni vero præmium ſchiſmatis atq; conculcatæ veritatis, hic honos eſt habitus, vt calyptram in capite, panno, purpura & auro intertexto circundatam geſtaret, quatenus ſurſum vergit, & ad pyramidem ſuperficiei funditur; in hoc vno ab Imperatorum liberis differentem, quod non etiam inferiorem & cauam ſuperficiem habebat, circulis auratis variatam, ſed prorſus leuem Ioanne Beco eiecto, exules reſtituti vehementer in eos qui vnionem amplexati iuerant graſſati ſunt. Nam poſt Attramittenum illud rixoſorum incendium, omnes ii qui ſtudium religionis ſimulabant, metropoles & cæteras dignitates partim iam partiri, partim vero partituri, abrogationem Pontificum & clericorum omnium qui Michaeli Imperatori ad Eccleſiam Romanam reduci aſſenſi fuiſſent, in vniuerſum inclementer tractare decreuerunt; fortuna nō moderate, nec humaniter vſi. Cum enim plerique ex circumforanea & male educata & contumaci turba eſſent, quibus paulo ante, ne vultum quidem Imperatoris intueri licuiſſet, tunc vero benigniſſime ab illo accepti eſſent, ſuæ conditionis obliti, ab ebriis nihil differentes, poteſtate ab Andronico accepta, quippe qui eis propter ardentem propagandi ſchiſmatis cupiditatem nihil non concederet: plane ſecuri iam, eos omnes contra quos infame illud ſuffragium laturi erant, velut oues in magnum Blachernium templum congregarunt. Qui cum ſupplicibus & verbis & geſtibus commiſerationem elicere ſtuderent, & ſimilia veterum humanitatis exempla, quam alia, tum etiam duplicis illius Iconomachiæ proferrent, ꝙ illi licet grauiſſime deliquiſſent, humanos eos experti eſſent, qui orthodoxam ſententiam defendiſſent, & ſuum quippe locum retinuiſſent, ab immanitate decreti ſui non recedendum putauerunt: ſed omnem clementiam, omnemq; miſericordiam, in maris Atlantici fundum deiecerunt. Tanta inuidia in ſacro illo cætu, tantaque acerbitas initio ſtatim præclaræ illius quam vocabant concordiæ, graſſabatur. Sed nemo etiam adeo durus eſt, & animo adamantino, vt contumeliam & maximam immanitatem referre queat, qua contra miſeros Epiſcopos & Sacerdotes vſi ſunt; eo ſolo nomine, quia Concilio Lugdunenſi ſubſcripſiſſent. Nam poſt verborum conuicia, præſidibus inferiores imperabant, vt direptas illis infulas humi abiicerent, ter acclamantes; *Indignus eſt*, aliis vero aliorum veſtes exuere, eaſq; inuerſas à fimbria ad caput applicare, atque iterum ter acclamare iubebant; *Indignus eſt*. Deinde alapis impactis, tanquam Sicarios vi extrudere ſacro loco præcipiebant. At humanus Ieſus & Saluator, etiam latronem admiſit, & proditoris pœnitentiam, modo ipſe voluiſſet, deſiderauit, & expectauit. Proinde ſero illi quidem ſchiſmatici, ſed iuſtas tamen pœnas luerunt. Neq; enim nouorum iſtorum legislatorum vllus in ſua dignitate deceſſit: ſed turpiſſime ſuis pulſi ſedibus, præ animi ægritudine vitam abruperunt.

XIX. *Genebrad. in Chronol.*

Hoc anno Concilium Herbipolenſe, præſide Legato Apoſtolico à Latere, multorum Epiſcoporum, Abbatum, præſentibus Rudolpho Rege Rom. & Principibus, Ducibus, atq; Comitibus congregatum eſt. In hoc inter alia Legatus Martini Pontificis contributionem decimi denarii à Clero, & Rex ab vniuerſo populo, in ſubſidium Terræ ſanctæ exigere cœperunt.

XX. PISANOS AB EXERCITV SERVAT GVIDO COMES. *Franciſcus Baud. mon. hiſt. lib. 1.*

Eodem tempore Comes Guido pertracta longa orationis methodo in ſuam ſententiam diuerſis Etruriæ oppidorum ciuibus, & præſertim Florentinis, Lucenſibus, Piſtorienſib. Volaterranis, firmam expellendæ Gibellinæ fecis, quæ apud Piſanos morabatur, opinionem ſeu ſpem concepit. Laborabant eadem ipſa tempeſtate Piſani, graui cum Genuenſib. bello, neq; ita dudum præterlapſum erat, quod magna ſibi vtrimque intulerant incommoda. Itaque iam arma firmiore multo contentione Genuenſes inſtaurarūt: à quorum fœdere niſi Florentinos Guido auocaſſet, haud cuiq; dubium erat, quin ad extremum fortunæ ludibrium Piſana res decidiſſet. Verū Guido vt homo verſatili promptoq; ingenio Genuenſis populi induſtriam anteuertens, Gibellinos quoſcunq; Piſanis manibus longe arcuit ac repulit, quo facto conſtat, partim hac clade, partim quod pleroſq; ſociorum fidem mentitos cognouerant, vt indebito agmine portum Piſanorum ingreſſi, multo maius damnum acceperint, quam hoſtibus intulerint.

XXI. FLORENTIA VRBS AMPLIATVR TRANS ARNVM.

Eodem anno Florentini vrbem ſuam noua ædificiorum adiunctione ad alteram fluminis Arni ripam produxerunt: quæ quidem ædificia ad multorum poſteritatis memoriam nuda & munitionis expertia remanſere. Sed tandem vbi res nimium efflagitare viſa fuit, perinde ac reliquum ciuitatis mænibus cingi incepere, triumq; portarum auctione, qua Senas, Aretium ac Piſam itur, ornatior ſolito ciuitas reddita eſt.

XXII. PVER CHRISTIANVS VENDITVS IVDÆIS.

Hoc ipſo anno in agro Moguntino, quædam nutrix, filium cuiuſdam militis, vendidit Hebræis ad interficiendū. Re ad magiſtratum delata, antequam quicquam decerneretur, tam illa, quam plures Iudæorum à Chriſtianis interfecti ſunt. *Annal. Colmarienſ.* Anno inſequente, in finib. Alſatiæ, melle pluit. *Ibidem.*

IESV CHRISTI

Annus 1284.

MARTINI Papæ IV. 4. — RVDOLPHI Reg. Rom. 11.

I. *MS. Vatic. num. 5586.* LEGATIO BONORVM DÆMONI FACTA PER AVARVM, VNDE INCENDIVM.

Tremendum quiddam hoc anno in Anglia, in diœceſi Dunelmenſi accidit, ad deterrendos mortales. Apud pagum Biuelium, prope nouum caſtrū, defunctus eſt quidam, qui non ſatis honeſtis rationib. diuitias corraſiſſe videbatur. Hic vero cum periculoſe, adempta viuendi ſpe ægrotaret, admonuit eum Sacerdos, vt ſuprema ſua diſponeret. Ille vero nihil ſe in bonis habere, idque iureiurando reſpondit, vnde teſtamentum conficeret. Cum.a. Sacerdos perurgeret, vix tandem eo perductus eſt, vt voluntatem ſuam de modicis quibuſdam reb. explicaret, quod, inquit, quicquam præterea ſuperſit, dæmoni lego. Ad eum modum iſto defuncto, cum ad Eccleſiam funus deportaretur, mox in domo defuncti ignis exortus, illam & reliquas ex vtroq; latere vici, duaſq; Parochiales Eccleſias, eamq; vbi humatus eſt, adeo vt vix ſacra abſolui corpuſque humo mādari potuerit, exuſſit, quin & vehementiori vento vicinum flumen tranſgreſſus, duos pagos ad dimidiatam leucam inde diſtantes miſero ſpectaculo abſumpſit.

II. *Marian. lib. 14. c. 7.* MORS ALPHONSI CASTELLÆ REGIS ET CAROLI SICILIÆ.

Eod. an. Carol. Siciliæ, & Alpho. Caſtellæ, Reges, fatis conceſſerunt. Alph. Hiſpali ex morbo defunctus eſt, ad 11. Cal. Maii, pænitentia atq; Euchariſtia de more procuratus. Superiori Nouem. menſe teſtamentum nuncuparat, in quo Sanctium iterum maledictis deuouit, Alph. vero & Ferdin. nepotes inter ſe ſubſtitutos regni heredes nominauit, & vtroq; ſine prole defuncto Philippum Galliæ Regē ad priores Caſtellæ reges maternum genus referentē. De filiis atq; fratrib. mentio nulla, Sanctii odio, in quem Francorum vires eo teſtamento mouebantur. Ioanni tamē filio ſub mortem Hiſpalim & Pacem Auguſtam eo expetente, Iacobo Murciam legauit, vtriq; regis nomine: ſed vt Caſtellæ Regum beneficiariis. In Caluariæ monte cor ſepeliri mandauit, loci religione ſanctitateq; adductus: corpus Hiſpali aut Murciæ, cor tamen & viſcera Murciæ ad aram templi maximi ſunt: corpus Hiſpali ſepultum eſt prope patris & matris ſepulchra: impenſa monimenti non maxima neq; neceſſaria, quoniam vita meruerat vt memoria duraret, eſſetque immortale nomen. Maximus & prudentiſ. Rex ſi ſibi ſapere didiciſſet, felixque niſi ſub vitæ exitum multis calamitatib. eſſet vexatus: atq; præclaras animis & corporis dotes auaritia, ſeueritas, atq; impotens dominatus fœdaſſent: quin etiam in Deum. Solitus.n. erat prouidentiam identidem culpare & dicere: ſi principio mundi ipſe Deo adfuiſſet, multa melius ordinatiuſq; cōdenda fuiſſe. Primus Hiſpanorum Regum vendendi atq; paciſcendi vulgari Hiſpanorum lingua poteſtatem conceſſit, eius linguæ nimirum quæ rudior erat, excolendæ locupletandæq; ſtudio. Sacros etiam Bibliorum libros, in maternam linguam vertendos curauit. Ex eo tempore in Regiis diplomatibus ac publicis tabulis Latina lingua, cuius antea vſus erat, deſiit vſurpari: vnde pudenda literarum ignoratio in Hiſpanorum gētem, atq; vtrumq; ordinem inuaſit. Alphonſi defuncti regnum ad Sanctium peruenit nullo prohibente, iure controuerſo, Abulæ id temporis res gerentem, atq; vix ex morbo recreatum, ex quo Salamanticæ paulo ante decubuerat, ſalute propemodum à medicis deſperata. Regis nomen, quo eatenus ob reuerentiam patris abſtinuerat, continuo deſumpſit. Fortis cognomen animi magnitudo peperit reſq; magis feliciter quā præclare geſtæ, & fere magnifici tituli fortunæ potius q̃ virtutis ſunt beneficiū. Verus honor non in ſplendore nominum ſitus eſt. ſed in æquitate, innocentia, atque modeſtia. Erat audax, ſtrenuus, callidus, & in quamcunque partem ſe vertiſſet, induſtria ſingulari: ſpoliari eiectiq; patris nota, ad poſteritatem infamis: alioqui in bonorum Principum numero, Imperium enim flagitio partum, bonis artibus exercuit.

III. MORS CAROLI SICILIÆ REGIS LATIVS DESCRIBITVR, ET IVRA CAROLINÆ STIRPIS PRO SICILIA DEFENDVNTVR. *ep. 20 Peruſ. 14. Calend. Mar. an. 4.*

Carolus porro, de quo nonnulla ſuperius, & ſi ex alio capite quoad mortem eius retulimus: Siciliæ Rex, Foggiæ, quod oppidum in Appulia eſt, VII. Idus Ianuar. è vita deceſſit, malorum tædio, captiq; filii ex dolore confectus. Si principiis vltima conſectanea fuiſſent, Princeps bello paceque clariſſimus. Longa ætas, cum multis, vertenti fortunæ tribuit. Francorum vigor cum quo venerant, cœlo terræque amænitate & copia voluptatum mutatus extinctuſque erat. In externos imbelles, in ſubditos feroces, vrbibus & oppidis Præfecti, Principis ſui periculo peccabant, proprio compendio, queſtuque. Moriens Carolus rex, Carolum filium Principem Salernitanum, ſucceſſorem in regno Siculo & Neapolitano deſignauit. Cum autem is in Aragonia captiuus teneretur, Martinus Pontif. Maxim. Gherardum Cardinalem Sabinenſem Sedis Apoſtol. apud Siculos Legatum, titulo Baliui ſeu adminiſtratoris regno Siciliæ præfecit, illique & Roberto Comiti Attrebatenſi iniunxit, vt regnum ab hoſte tutarentur, & in pace conſeruarent, donec Carolus è vinculis quod ipſe omni ſtudio curabat, eliberaretur. *Æmil. in Philippo 3.* Per id autem temporis, dum Carolus captiuus apud Tarraconēſes degeret, Philippus Gallorum rex, Robertum Comitem Attrebatem ad res Siciliæ interea tutandas miſerat: qui communi animo conſilioq; cum Legato Romano, à vi ſpeque Petri Arragonii regis tutatus eſt, quando Siciliæ recuperandæ conatus intermittendus videbatur. *ep. 2, 4. 8.* Cauſam etiam Caroli & Francorum id ſanctiorem effecit, quod Martinus Pontifex etiam hoc anno, ad diem cœnæ Dominicæ, & Aſcenſionis Chriſti feſto, & pro celebritate Baſilicæ Principis Apoſtolorum, in platea maioris Eccleſiæ apud vrbem veterem & Peruſii, Petrum Aragonum regem nominatim numero impiorum habendum ſanxiſſet: ſacrum bellum in eum decreuiſſet, eiuſque prædicandi poteſtatem inter alios Prouincialibus & miniſtris Ordinis Prædicatorum & Minorum in Sardinia, Galliis, Corſica & aliis prouinciis iniunxiſſet: *ep. 22. apud vrb. vet. 2. Non. Iun.* deinde ius regni, etiam Aragoniæ & Valentini ei abrogaſſet, idque Carolo Valeſii Comiti, Regis Franci ex ſorore Petri filio attribuiſſet: ne in alienam cognationem transferri ſceptrum populares conquererentur: eoſque à vinculo fidelitatis, iuriſiurandi religione ſoluiſſet, qua ſe Petro obligarant. Acceſſit etiam non paruum momentum, ad auertendos Francorum animos ab Italia Siciliaq;, ad ipſum caput rerum fontemque belli Aragonenſe regnum petendum: quod Iacobus frater Petri Balearium rex ad Philippum regem Gallorum tranſierat, regno exactus ab Alfonſo Petri filio. Igitur in exercitu Francorum erant hi reges, Iacobus Balearium, Philippus Pater Gallorum, Philippus filius Nauarrorum, ſimul Carolus item Franci filius, à Pontifice rex Arragoniæ & Valentiæ deſignatus. Milites, vt in ſacra militia, Cruce pro inſigni belli vtebantur. Petrus quia Martinus Pontifex nomen ei regium ſanctione abrogarat, vetuerat que ei rei adſcribi, per ſuperbam ludificationem, Pater duorum Regnorum, mariſque dominus ſcribebat. Ioannes Colethus Cardinalis in Gallia Legatus, contra Petri præfractam temeritatem cum anathemata vulgabat, tum milites Cruceſignatos ſub ſigna cogebat: cum etiam Gherard. alter Cardinalis in Regno Neapolitano cum Roberto Attrebate, & Carolo Martello Caroli captiui filio, iura Eccleſiæ & noui regis Siciliæ deſignati tueretur. *ep. 25. Peruſ. 3. Cal. Mar. an. 4.* Huic Gherardo, vt Robertus in ſumptus ordinarios, ex prouentibus regni permitteret mille vncias auri, tantiſper donec officio Baliui fungeretur, accipere, Martin. Pontif. Max. datis ad eum literis iniunxit. Cęterum vt etiam Iacob. rex Maioricarum ſeu Balearium, ſumptus haberet, quib. & ciuitates regni ſui munire, & copias ſufficientes vna cum Philippo educere poſſet, contra Petrum hoſtem Eccl. eidem, decimam omnium fructuum, etiam Eccleſiarum, in tres annos conceſſit Martinus. *ep. 56. Peruſ. 7. Id. Febr.*

IV. SVMMARIVM GESTORVM MARTINI IV. *1. ep. 51. Peruſ. 10. Cal. Ian. 2. ep. 26. apud Caſtrū plebis Peruſ. diæceſ. 8. Cal. Octobr. 5. ep. 73. Per. 5. Id. Ian. a. 4.*

Eodem anno MARTINVS Pontifex. 1. Birgero Magni Suecorum regis filio, vt MARGARITAM Erici regis Daniæ filiam, quarto gradu ſibi propinquam in matrimonium coniungeret, permiſit. 2. Priori Moguntino Ordinis Prædicatorum, vt HENRICO Lanthgrauio Haſſiæ, qui cum Theodorica Comitis Cliuenſis ſorore in quarto gradu contraxerat, poteſtatem faceret in matrimonio iam contracto perſeuerandi, authoritate Apoſtolica indulſit. 3. Cenſum à regibus Siciliæ & ANGLIÆ exegit. 4. Collectores decimarum in Islandiam, Gelandiam Grolandiam, & alias Septentr. Prouincias, pro ſubſidio Terræ ſanctæ miſit. 5. IOANNEM Muſcatam Canonicum Laucicienſem Collectorem denarii Sancti PETRI in vniuerſa Polonia, Sileſia, & Pomærania conſtituit; eiuſque piæ contributionis vniuerſos & ſingulos Duces ac populos admonuit.

V. *Crom. li. 10.* HENRICI PROBI DVC. VVRATISLAVIENSIS IMPIETAS IN ECCLESIAM, ET RESIPISCENTIA.

Per id temporis Henricus Prob. Dux VVratislauiæ deteſtabile facinus, in Eccleſiam VVratislauienſem & in Epiſcopum eius Thomam patrauit. Etenim permagnam vim pecuniæ, ipſi & vniuerſo Ordini Eccleſiaſtico eius diæceſeos præter ius & morem, in bellum quod cum Præmiſlao de Caliſſienſi dominatu gerere volebat, imperauit. Quæ cum non daretur, arcem Epiſcopi Othmuchouiam, & Nyſſam oppidum, ac deinde cætera omnia Epiſcopi & ſacri Ordinis bona inuaſit: mox & decimas omnes vſurpauit. Nec ea reddere Epiſcopo per honeſtos & graues oratores, ac poſtea per ſeipſum flagitanti voluit, ſuperbeq; inſuper & minaciter reſpondit. Erat tunc Archiepiſcopus Gneſnenſ. gente & cognomento Suinca, Ioanni defuncto poſt 11. annorum vacationem, & plurium competitorum partim obitum, partim reiectionem, arbitrio Martini IV. Pontificis (electione collegii Gneſnenſis poſthabita) Succeſſor datus. Is igitur Synodo Lanciciæ coacta, de eius ſententia HENRICVM Ducem communione Chriſtiani populi, vna cum ſociis & fautoribus ſceleris & ſacrilegii excluſit. VVratislauienſi vero ciuitati & omnibus locis, quæ in ditione Henrici erant, ſacris interdixit. Cui decreto par-

tium est ab omnib.præter Franciscanos Fr.pluris facientes emolumenta sua, quam disciplinam Ecclesiasticam. Hæc res maioris pertinaciæ & crudelitatis Henrico causa fuit. Irritatus enim, Episcopum & Sacerdotes omnes, etiam regulares, exceptis Franciscanis ditione sua eiecit. Episcopus autem cum coram Sede Apostolica, de vi & iniuria Henrici nequicquam questus esset, reuersus mœrens Ratisboriam ad Casimirum Ducem se contulit. Verum ne ita quidem tyranni crudelitatem exsatiauit. Nam is & nobiles quosdam bonosque viros de suis, à quibus reprehensus erat de scelere, trucidauit, & cum Casimiro literis & legationibus expostulauit, quod inimico suo receptum præberet: minasque adiecit, nisi eum pelleret. Quæ cum à Casimiro contemnerentur, & exercitum coegit, & Ratisboriam obsidione cinxit. Nam Casimirus viribus eius impar arcis munitione se continebat. Cum aliquot dies duraret obsidio, murmurare contra Episcopum & cæteros Sacerdotes exules plebs à victu imparata, & præsertim ii quorum bona in agris atque villis diripiebantur, & qui ea formidabant, quæ victis captisque vrbib. ab irato hoste accidere solent. Quare cognita Episcopus, collocutus cum suis, indignum esse ait, vt sua & paucorum exulum causa, bene merita de se ciuitas periculum subeat, aut vllo prorsus afficiatur incommodo aut detrimento. Præstare, vt ipsi soli vel capitib. suis iram tyranni exsatient, quam tot insontes & benemerentes hospites suos eodem secum exitio inuoluant. Induit deinde sacras & pontificales vestes, nonnullosq; de sacerdotibus, quem ad modum ad sacra peragenda solent, indui iussit. Ita spectabilis cum venerando illo cœtu ciuitate egressus, ab hostilia castra profectus est. Venientes à longe conspicatus Henricus, attonitus, & quasi numine afflatus de papilione exsiliit, & obuiam procurrens, ad pedes Episcopi se abiecit, & culpam supplex deprecatus est: augustius quiddam humana specie in vultu Episcopi contemplatus. Benigne eum humo Episcopus elatum, amplexatus & exosculatus est non sine lachrymis, certam ei veniam, si eum factorum pœniteret, pollicitus. Deinde in proximam ædiculam D. Nicolao dedicatam, pariter ingressi, semotisq; arbitris inter se collocuti, in gratiam redierunt: cum Henricus redderet, quæcunque Episcopo, Ecclesiis & vniuerso ordini sacro ademerat: & pro perceptis emolumentis satisfacturum se esse, ad hæc ampla munera & immunitates Ecclesiæ largiturum reciperet. Quibus peractis soluit obsidionem, & ab Archiepiscopo vinculo excommunicationis liberatus: interdictumq; sublatum est. Porro Henricus posteriori tempore basilicam sanctæ Crucis in insula Wratislauiensi condidit, & collegium Canonicorum ac Sacerdotum datis de suo luculentis redditibus, instituit. Quin etiam cum ex vxore nullos liberos susciperet, VVratislauiam ipsam cum omni eius territorio, Episcopo & Ecclesiæ VVratislauiensi sempiterno iure donabat, nisi Episcopus eam donationem abnuisset. Porro cum basilicæ S. Crucis fundamenta fodiendo pararentur, reperta est ex radice arboris in terra, enata imago Christi Cruci affixi; tanta proportione singulorum membrorum, vt quasi à perfectissima sculptoris arte facta esset. Capilli quoque & vngues, & reliqua lineamenta corporis eousque videntur. Nam ea imago asseruatur in eadem basilica, ad rei perpetuam memoriam. Eam nos sæpius vidimus & contrectauimus, cum indidem officio Ecclesiastæ & Theologi fungeremur.

WRATISLAVIA EPISC. ET CANONICORVM COLLEGIO DATA AB DVCE HENRICO.

VI. TRIVM REGVM OCCASVS, HVGONIS CYPRII PHILIPPI GALLI, ET PETRI ARRAGONII, ITEM BELLVM SACRVM CONTRA PETR. ARRAGONIVM. *Bossius lib. 10. Æmil. in Philippo 3. Marian lib. 14. c. 9.*

Ad 16. Martii huius anni Hugo Lusignanus rex Cyprius defunctus est, relicto successore Ioanne, Hugonem secuti sunt duo alii reges, Philippus Galliarum, & Petrus Aragonum, ex occasione regni Siciliæ adinuicem dimicantes. Narrabo vt successit. Congregatis Crucesignatis regibus, & collecto aduersus Petrum exercitu, pridie eius Idus Maias Perpinianum peruenerant. Ea vrbs Iacobo Balearium regi dedicionem fecit, Francosq; mœnibus admisit. Huius exemplum reliqua Comitatus Ruscinonis oppida secuta, vim Francorum sibi experiendam non statuerunt, præter vnum, eod. quo nobilissima Lygurum vrbs, Genua nomine. Id neq; metu regum, neq; authoritate Ioannis Colethi Cardinalis Legati Apostolicæ Sedis, permotum est, vt pertinacia desisteret: quod Petr. oppidanorum animos confirmarat, spemque dederat, se si premerentur subsidio adiuturum. Legatus Martini Pont. cum illos, quod non parerent, iure sacræ legationis impios, hosteſq; piorum iudicasset, execratusque esset: Ite, inquit, magno animo, certi victoriæ de capitib. sceleſtis, damnatisq;, & inferorum pœnæ debitis. Thesauro sacro sanctæ iurisdictionis, iureq; cœlestium clauium peccata his condonantur, qui sanctã strenuamq; operam hodierna die nauabunt. Et quo maiore alacritate pugnetis in Dñi exercituum hostes, qui vestrum in prælio oppugnationeue fortiter res gerens cadet, eius peccata mea vnius crimina periculo meo facio. Me cognitorem, imo me principem reum, magna fiducia apud Deum sisto, quod ea hostium eluentur cruore. *Annales Francorum* in hanc ferme sententiam exhortationem fuisse Legati tradunt. Certe grauis oppugnatio vrbẽ adorta est. Obsessi propinqua spe subsidiis subleuabãtur, Petro ad Pyrenæum saltum sedente. Ille confidebat, vt Messana diu tenuerat Carol. regẽ, ita & Genuam cõplures dies remoraturam hostium impetum. Sed indigne ferebat Francus vrbẽ eam cis Pyrenæum in oculis Francorum sitam, cæteris cedentib. solam audere obstare & oppugnantib. trib. Regib. gloriam inuicti nominis quærere. Igitur tres Reges, & Carol. Valesii Comes, destinatione animorum, speq; omnium & ipse Rex Philip. diuisis partibus, circumeunte excitante que Ioanne Legato Martini Pontif. Max. oppidum vndique premunt, vrgent, tentant, cominus eminusque terrent: spatium respirandi, animique colligendi adimunt: muros hinc tormentis quassare, deiicere, sternere, peruios facere: illinc propiore audacia scalis, ascensu, conniſu, immemores vulnerum, obliuione periculorum, mortis contemptu, euadere contendunt. Vix sera nox pertinaciæ finem fecit. Nec dubia res erat quin postridie pari conatu oppugnatio repeteretur, maiore etiam tormentorum machinarumque vi: quas ingenti certamine fieri ex muris cernebant, cui se impares sentiebant. Missus ergo ante lucem ad Francum Regem Orator, pollicebatur seniores triduo oppidum dedituros. Proinde obsessi orabant, id sibi temporis spatium dari, vt consensu omnium fierent deditio: quando essent non pauci ex inquieta ferociq; iuuentute, qui nondum adduci in eam sententiam potuerint, sed cessuros tandem authoritati seniorum, maiestatiq; parentum. Iacobus Rex eis deprecator aderat, malebatq; vrbe integra potiri (eam enim illi Francus pollicitus fuerat) quam expugnata, malisq; affecta. Venia illis data, conticuit omnis tumultus perinde atq; re confecta. Id temporis spatium petierant oppidani, vt interea edoceretur Per. res in summo discrimine versari, ac amissas, nisi quam primum opem ferret. Nuncium litteraſue mittere non poterant, custodientib. omnia explorantibusq; Francis. Itaq; ex editissima oppidi turri signum fumo dederunt. Cognouere Reges fraudem, atremq; tridui petiti. Continuo apparatus omnis profertur, admouetur que: punctoq; prope temporis oppidum captum, à nullo temperatum, cæsi puberes, impuberes, viri, fœminæ. Nothus filius cuiusdam nobilis Ruscinonensis sese in turrim templi receperat, ex eaque à primo Francorum impetu se tutatus est. Vbi cæde toto oppido facta, iræ calor, furorq; resedit, tunc à Francis Iacobo Regi deprecanti Nothus cõdonatus est: isq; impetratæ salutis egregiam gratiam retulit. Comitatus Ruscinonens. Iacobo Regi redditus, oppidũ incendiis ruiniſq; interiit. In vlteriora transcendendũ erat, sed qua parte via Francis ostendebatur, Aragonensis Rex Pet. operib. præsidiisq; impositis inuia reddiderat. Nothus ea regione ortus, & venatui assuetus, omnes semitas calleſq; peragrando cognouerat. Tunc leuissimo quique corpore milites, ac pernicitate insignes, delecti ab Regibus ab eo circumducti sunt: cum interea ipsi Reges specie viæ per obices clauſtraque sub signis tentandi, perrumpendiq;, hostem in se versum tenerent, auerterentq; à suspicione aliunde ingruentis periculi. Nothus summam fidem præstitit, necei liberum sinebant Franci fallere, elabique, circumstantes, & semper intenti multis locis sentes arboreſque inflexis transmiſſis addensatisque inter se in morem sepis, velut consulto ad intercludendum transitum, ramis, cædendæ fuere: multæ arduæ præruptæque rupes occurrebant, vt interdum cogerentur genibus inniti, pedibus luctari, manibus prehensare saxa, stirpes, stipites, ne toto corpore devolverentur, præcipitesque ferrentur. Omnia

nia denique iniqua, infesta, tantum ipse hostis ferrumque defuit. Tandem euasere in iuga quæ capitib. hostium impendebãt. Is repentinus metus oblatus oculis hostium, tutam Regibus tranetum dedit, desertis à Petro trepide castris, relictisq; quas insederat faucibus. Ægre quoq; oppositæ moles amotæ, Tabernaculis, tentoriisque, ac non magna nec pretiosa supellectili militari, ac paruo commeatu potiti Franci, in Emporitanum Comitatum descendere. Classis in ora prouinciæ Narbonensis à Franco parata, simul classe Genuensiu Pisanorũq; pretio conducta, maritima oppida, portusque Emporitanæ prouinciæ adorta, instanti etiam & à terra exercitu terrestri; partim vi expugnauit, partim metu recepit. Petralata vnum omnino diem oppugnationem sustinuit, noctu desperata defensione oppidani, ne oppido integro Franci potirentur, igne passim tectis iniecto, cum iis, quæ nocturna trepidatione efferre quisque potuit, emigrauere. Ad Gerundam hæsit Francus, quod vrbs munitissima erat, egregieque firmata. Præsidii præfectus erat Raymundus Carmonensis, vir acer impigerque: oppugnantibus Francis nihil per trepidationem egit, sed præsenti animo omnia administrabat, consilio prospiciebat, oppidanos confirmabat, muros egregiis propugnatoribus compleuerat, diuisis partibus, dispensatis in orbem temporibus, vt alii aliis semper recentes fessis suo quisque loco viceque ad labores periculaque succederent. Audebat etiam erumpere, ac versos in mœnia oppugnanda hostes, à tergo adoriri; opera etiam machinasq; noctu, ferro igneque armatus, ac eruptione facta incendit. In tertium mensem ea obsidio tenuit. Interea Petrus inter castra Francorum, & propinquum portum, oppidumque maritimum, vnde commeatus comportari in castra Francorum cõsueuerat, locum insidiis opportunum cepit cum quingentis equitibus, & duob. millibus peditum: sperans non commeatum modo, sed ingẽtem vim pecuniæ, quam in stipendium militum afferri audierat, se intercepturum. Hæ insidiæ per exploratores Franco cõpertæ fuerunt. Maioris partis sententia inclinabat, vt obuiam commeatui æque militari cum magna exercitus parte iretur, ne consilium hosti procederet. Rudolph. vero Magister equitum: Longe aliter sentio, inquit; si paribus hosti copiis, aut etiam maiorib. ei occurrimus: cui dubium est quin hostis semper fraudibus fidens, detectas insidias sentiens, cessurus sit? cum omnium insidiatorum animus, vbi fallere se cognouerit, ferox fit: vbi deprehensum se intelligit, timidus & imbellis. Virtus enim seipsa freta, & sui fiducia fere imperterrita, seipsa contenta est: semper sibi constat. Mens vero ieiuna, infirmumq; per se pectus, suæ sibi imbecillitatis conscium, auxilia aliũde quærit: se dolo instruit: fraude armat: insidiis hostem petit. Hæ cum primum vanæ euadunt, eo abiectiore animo trepidat, quo & plus præsidii in illis, & in cæteris minus spei sibi statuerit. Numquam Petrus pari numero, æquo loco sui potestatem faciet: bellum immortale fustratione ludificationeq; faciet, nisi artẽ arte viceri mus. Credat sibi procedere insidias: sua eum fraude circumueniamus. Quingentos equites, duo millia peditum secum habet. Trecentos omnino equites nostros sine peditatu, velut ignaros insidiarum euntes expectabit, sperans, eos se intercepturum. Eum mihi numerum date, sed eos quos ego ex omnibus copiis deligam. Cum ala centenaria aduersus alam centenariam pugnare ad Burdegalam timuit, maluitq; perpetua inuri ignominia, notaq; periurii, timiditatisque, quam Martis iudicium experiri. Aduersus trecentos equites velut ex insidiis circumuentos pugnabit, multo ac multo maiorib. copiis insidiisq;, ac fuis artibus fretus. Hæc sententia vicit. Delegit igitur trecentos fortissimos, ac perspectæ virtutis equites: iisq;. In virtute, inquit, dextraq; vestra delectissimi equites, reposita est spes recuperãdi decoris communis. Parentes nostri clarissimum nomen, gloriam ingentẽ nobis reliquere. In Europa, in Asia, in Africa victoriarum suarum monumenta trophęaq; erexere. Franciam spoliis hostium locupletauere: Imperiis, Regnisque externis decoruere. Francorum nomen, non gentis, sed virtutis, gloriæque bellicæ erat. His paucis annis, cum virtute inuicti apud omnes fuissemus, nefariis artibus, fraudibusque impiis, hostes nos adorti, maculam illam nobis imposuere quam hodierna die demere aboleregue possumus: vt illi suis artib, doloque superarunt, ita nos nostris apertoq; marte vincamus. Siculus vesper parricidio illorum clade nostra nobilitatus est. Hodiernus dies peruigiliũ Assumptionis Virg. est. Hunc diem nobilem, festum, lætum, insignem, mactatis iusto bello sceleris authoribus, faciamus: vt nunquam illis memoriæ obuersetur dies ille, quin & hic continuo tristitia doloreque pectus perstringat: & luctuosior hic illis dies, quam ille lætior illuxerit. Trecenti equites quingentis equitibus, & repente collecto fugaciq; peditatui occurrimus. Si vnus ego duos illorum exciperem, gestiret lætitia animus, sibique de impiis hominibus gloriosissimam sponderet victoriam: eandem in vnoquoque vestrum indolem, eandem virtutem, easdem dextræ vires sitas scio, meque id ex animo prædicare, id certum documentum sit, quod vos potissimos habui, quos deligerem ad tantum decus ex omni Franciæ procerum iuuentute. Sed non vtique vir cum viro, non singuli singulis congrediemur: hæc pugnax ala cum illorum insidiatrice ala, semilixisque pedituibus confliget: vt nostro vniuersorum inuicto robore singulorum salus gloria que contineatur, & cum suum quisque aduersum destinatumque hostem, vt viro vir congressus prostrauerit, tunc non viribus modo, sed & numero equitem superauerimus: pedites dilabentur: ac quod timidis ignauisque fieri assolet, suas hosti insidias funestas fecerimus. Hæc Rudolphus, Equites à Regibus, laudibus, spe præmiorum gloriæque onerati, iter ingressi sunt, per dissimulationem quasi, portum ad commercia rerum commeatumque petentes, similes securis, & nihil de prælio cogitantibus. Vbi locum insidiarum attigerunt, eo orti cum clamore hostes circumfundere, ac intercludere, & à portu, & à castris conati sunt. Animis aurea paratis, tela etiam expediebant Franci. Pugnatum est atrociter, numero Aragonenses, ita virtuteq; Franci, vt pote delecti, præstabant. Petrus fortissime, impigreq; dimicauit. Militis, Ducis, Imperatoris officium præstitit: pugnare, hortari, segnes increpitare, timidos confirmare, fortes collaudare: circumspectantes, minis, probris, cuspide, in hostem vertere, omnes acuere, excitare: Signiferos vrgere, nullo loco, nullo muneri deesse: omni militari, Imperatoriaque laude magnus: & vt ad eam diem æstu imperium suum auxerat, ita eo prælio, quod vltimum conseruit, virtutis decus sibi parare contendebat: ei cum trecentis proceribus, tota ex Francia delectis, res erat. Franci, quo pauciores se sciebant, eo plus quam pro virili quisque parte adnitendum sibi singuli sentiebant: cum hoste, implacabili odio pugnabant: inter se, æmulatione virtutis certabant. Conabatur hostis circumuentos in arctum angustumque eos cogere, ne expedire tela possent, ipsique sibi essent impedimento, atque suamet ipsi trepidatione tumultuque premerentur. Vbi id parum processit, pugnabant que, & ordines peditum per tumpentes, eorum fugam faciebant: tunc cum delectissimis suorum ante signa processit, reliquos cohortatus, vt se sequerentur, ne tantum flagitium admitteretur, vt tam multi à tam paucis, Rex à Magistro equitũ vincerentur. Pugna recruduit, plures Aragonensium, vt in maiore numero cadebãt: pauciores Franci, sed pari ob paucitatem dolore. Neutra pars alteri cessisset, nisi Petr, conto petitus, ac graui vulnere in facie accepto, sese ex acie recepisset: cum autem equum circumageret, tunc quoque eques Francus eius equum habenis prehensis, illum que in equo auertere abducereque conabatur. Petrus ense habenas abscidit, subditisque calcaribus se periculo eripuit, & Rex Francus ex castris, dum pugna à trecentis traheretur, subsidio aliquot turmas expeditasque cohortes misit. Ita qui hostium equites supererant, Regem suum fugientem sauciumque secuti sunt, pedites occisi. Aragonensium plus centum equites desiderati. Petrus Villam Francam delatus, ex vulnere obiit, pridie Nonas Octobr. integra adhuc ætate, an. natus quadraginta sex. Magni cognomen, auctum Imperium, & res pepererunt, præclare gestæ. Decora facie, corpore ingens fuit, animo immodicus, eloquentia, cultu, liberalitate, conciliandi hominum studia artifex: vna tantum anathematis ignominia ad vitæ finem notatus: quam imaginẽ menti morientis, atq; oculis inerrasse, fama est. Tametsi ea etiã religione à Tarraconensi Præsule procuratus sub mortem, Ecclesiæ Romanæ cui parere recusarat, obedientiam

conceptus verbis iurarat. Arnaldus Villanoua, vt Regi decumbenti adesset, Barcinone venerat, rei medicæ ea tempestate peritissimus, maiori tamen fama, quam laude, cum nobile ingenium, eruditionemq; maximam, prauis superstitionibus, impiisq; de religione opinionib. fœdare visus est. Quo nomine aliquanto post ab Inquisitorib. notatus est: librique quos magno numero ediderat, reprobati. Ex humano semine, quibusdam in vase medicamentis hominis corpus efformasse, qui affirmet auctorem habet Mariana: vero an mendacio, disputare non esse necesse. Petr. Rex mortuus Barchione sepultus est: moriens s. fratri Regi Iacobo Baleares restitui iussit, Iacobum filium in Siciliam miserat, Alphonsus & Fredericus domi erant: Alphonsum ex Constantia vxore natu maximum, paterni Imperii hæredem testamento dixit. Franci etiam interim maxima alacritate Gerundam refectis operibus oppugnarunt: Gerundenses armis operibusq; non vincebantur: in paucos dies commeatus supererat: necdum cadebant: vbi nunciata est eis mors Regis sui, petierunt vt sibi mittere liceret aliquem è suis, qui rem certam afferret. Iuit, visoque mortuo, ingenti edito gemitu reuertit ad suos, eosque pari luctu impleuit. Legē à Franco accepere, vti cum iis quæ agere ferreque præterat rum argentum quæ possent, emigrarent. In deditos multa crudelitatis exempla extiterunt: ipsa quoq; Diuorum templa violata: sanctiq; Narcissi sepulchrum, quoniam eius vtbis tutelaris est, præcipua religionis opinione disturbatum à militibus, donaria direpta. Numen suas sedes tutatum est, de violatoribus vindicta aucta peste sumpta. Sic fuit hominum constans opinio. Præterea Ducibus consilium ereptum. Nam cum vtbe capta, pedestri itinere in Galliam sese referre, præcipiti autumno pararent, mercenariæ naues, quæ in portu Rhodopensi erant, ne sumptui & oneri essent, dimissæ sunt, pessimo consilio, vt visus probauit. Rogerius enim Auria Præfectus classis Aragonēsis, capta in extrema Italia Tarento, ex Sicilia, cum minime quis expectaret, vt Petro Regi suo auxilio esset, cum quinque & quadraginta nauibus longis in Hispaniam nauigabat. Antequam appelleret, comperit, Petrum decessisse, atque mercenariam classem à Franco, dimissam. Vir sagax, & qui nulli occasioni rei bene gerendæ deesset, quiq; fortunam sibi ipsi faceret, dimissas à Franco naues, mercede ad se reuocauit, validaque classe oppidum portumque vbi reliquæ Francorum naues stabant adortus est. Cum paucas multæ circumsisterent, oppidani læto fausto que clamore illum exceperunt, ac Francos è tectis fenestrisq; lapidibus, teguliisque incesserunt; ire necessaria coacti, suis simul nauibus & oppido passim ignem iniecerunt, inq; eo restinguendo hostibus occupatis, sese ad Regem receperunt. Is tristis nuncias Regem iam languentem grauius affecit. Lectica iter faciebar, angustias viarum rursus inuenit, multitudine hostium infestas. Pugnatum acriter est. Rex Philippus è lectica suos circumlatus cohortabatur, voce mouebat, mouebantur & ipsi pectoribus insita erga Reges religione. Silens etiam maiestate suos moturus fuisset Rex languens, & verecundiam iniecturus, vt infirmitate corporis se hosti prodente telis suorum tegeretur. Cum domo in Hispaniam contenderet integro exercitu, recentibus viribus vigentib. animis, tamen furto & Nothi beneficio transiuerat: nunc intercluſus montibus, hostium que exercitu, occisi Regis sui vltionem expetentium, in hostico, in Hispania, procul à domo classe amissa spe commeatus adempta grauiiam tempore anni, & pestilenti autumno Francos populante deprehensus hæsit. Longe plurimum, scilic. præsidii mortalibus repositum est in virtute. Magnam vim habet necessitas: ea ingentes stimulos addit. Humeris amicorum lata lectica, Rex corpore affecto, pectore valido, viam ferro aperiri iussit, ac hostem fraudib. semper subnixum, & infra angustias latitantem potius quam pugnātem adoriri, pedem conferre. Vbi cominus res geri cœperit, non laturum Francorum vim: suas illis angustias velut cōpedes impedimento, & ad pugnam, & fugam futuras, proditurasq; se viros, se armatos, se Francos, se sobolem fortissimorum clarissimorumq; toto terrarum Orbe procerum meminissent: stratis hostium corporib. ad parentes quisq;, ad vxores, ad liberos ferentur, minus certaminis nunc proponi: minus negotii esse hostem prædam nata victoriæ spe se vltro abdentem loco deiicere, quam modo fuerit recentis equitib. quinquagenariā alam simul & duo peditum millia fundere, fugare, sternere, Regemq; duorum Regnorum, & dominum maris, egregium eundem Ducem Imperatoremque occidere. Præsens Regis maiestas, oratioq; atque miseratio eius, suaq; cuiusq;, nisi perrumperent, desperata salus, quo nullum acrius telum mortalibus est, tantum animorum fecit, vt per æqua, per iniqua irent, ferrentur, ruerent, perrumperent, velut vecordes furoreque acti, nullo vulnerum sensu: auersis à periculorum (quæ oculis obuersabatur) cogitatione mentibus. Ita transmissi montes, superatæ angustiæ, patefacta itinera, fugati hostes: qui vecordia perrumpentium, miraculoq; audaciæ velut vesaniæ consternati, sibi consuluerunt notis semitis latebrisq;. Ita Perpinianum reditum. Ibi Rex Philippus exagitatione itineris ingraueſcente morbo, sexto Idus Nouemb. decessit: Philippo Vasconum Rege successore, cui ab oris venustate Pulchro cognomen fuit. Defuncti corpus ab vxore & liberis ad Dionysii templum, quod prope Lutetiam situm est, delatum. Francorum discessu, Gerandi & cætera quæ bello ceperat Francus, ad Regis Aragonii imperium rediere. Ita Carolus Valesius Regis Aragonum & Valentiæ solo titulo, Regnis autem ipsis Alphonsus Petri filius potiebatur: quemadmodum & Iacobus alter Petri filius rebus Siciliæ dominabatur. Carolo Claudo principe Salernitano in vinculis detento, solo Regis Siciliæ nomine à Martino Pont. Max. salutato.

VII. FLORET B. ROGERIVS FRANCISCANVS. *Antonin. 3. p.tit. 24. c. 9.*

Per id temporis florebat in D. Francisci instituto F. Rogerius de Prouincia Phocæensi. Tanta puritate mentis enitebat, vt septies & pluries in dies singulos, amarissimo cum dolore confiteretur. In cibo & potu satis erat communis secundum exteriorem conuersationem: secundum vero interiorem plurimum singularis. Adeo autem vehementi diligentia sensus custodiebat, vt nec otiosa audiret, nec aliquam ex consanguineis, imo neq; matrem quamuis senioremvellet aspicere. Causam tantirigoris interrogatus, respondit: Quamdiu homo facit quod in se est, ac peccata, & occasiones malorum pro viribus fugit: & Deus facit quod in se est, vt à malis eum præseruare non omittat. Sed si homo se periculo exponit, maxime in eo ad quod inclinatur, & Deus propriis viribus hominem solet relinquere, quibus non potest tentationib. diutius sine Deo resistere. Maximo feruore inflammatus cum verba ad populum faceret, interrogatus: vnde verba eius tantam efficaciam & ardorem haberent, respondit: homo qui in omni actione sua promittit mentis suæ eleuationem ad Deum, & ad ipsum omnia ordinat, in omnib. inuenit Deum suū. Quando igitur sacros libros vis legere, debes cor tuum ad Deum eleuare, dicens. *Domine vilissimus seruus tuus, omni bono indignus, vult ingredi ad videndum thesauros tuos: ad quos placet tibi, vt ipsum & si indignissimum introducas: & des sibi in verbis istis tantum te diligere, quantum cognoscere: quia volo te cognoscere plus, quam diligere, imo neq; cognoscere, sine diligere.* Fuit porro B. Rogerius diuinis reuelationibus & oraculis dignus, & diuinarum consolationum non inexpertus, quas eo tempore percipiebat, cum in Deum raperetur.

VIII. MIRACVLVM ADVERSITATEM EVCHARISTIÆ DEMONSTRĀDAM.

Hocan. in pago Seefelt, tribus milliarib. ab Oenipon to in Germania, insigne contigit miraculum in demonstrationem veritatis corporis, in sacrosanctæ Eucharistiæ pane. Osuald. Mulser nobilis Baro, pro festiuitate Paschali, quo Christi fideles ex præcepto Ecclesiæ ad cōmunionē Eucharistiæ accedere solent, maiori hostia, & non vt cæteri laici communicare nitebatur. Sacerdos ex timore, huic assentiri volens, obtulit. Sed cum venerabile sacramentum supra cius linguam poneret, ecce miraculose ante altare terra se aperuit, ac si Osualdum deglutire vellet. Ibi Osualdus maximo timore perculsus, cum in terram procubuus cornu altaris apprehendere niteretur, altare instar ceræ mollescere cœpit, manib. apprehendentis cessit. Osuald. præsentem Dei vindictam præsentiens, mox pœnitentia ductus, hostiam q̄ deglutire non poterat, sacerdoti reposuit: is porro cā in sacrario depositi, quæ etiā nunc hodie sanguineo colore diuinitus tincta, & ex linguæ salina nonnihil cōtracta conspicitur. Vbi etiā iam inde ad nostra vsq; tēpora, plurima fiunt miracula. *Tilmannus Bredenbachius*, q scribit, refertur, se altare ipsū, & in eo manus Osualdi

vestigia vidisse & contrectasse, ac iuxta illud terræ hiatum quo absorberi cœperat, modo ferreis cancellis obtectum, denique & ipsam hostiam aspexisse. Porro Osualdus ad eum modum diuinitus correptus, in molestam incidit ægritudinem, pœnitentiam egit, sacraq; confessione à peccatis expiatus, in Domino quieuit. Ab aliquot annis tam hostia quam lapis altaris, metu hæreticorum eius sacramēti inimicorum, sunt translata Oenipontum. *Tilmannus Bredenbach. Collat. Sacr. lib. 1. c. 55.*

IESV CHRISTI

Annus 1285.

HONORII PAP. IV. 1. — RVDOLPHI REG. ROM. 12.

I. MORITVR MARTINVS QVARTVS. *a Platina. Ciacton. Ptolomæus Papyrius Ioannes. & reliqui.*

OCTAVO a Calend. Aprilis, die Resurrectionis Dominicæ, Martinus summus Pontifex sacris in Basilica Perusina maiore peractis, lenta febre sensim vexatus, lecto decubuit, & ad Quintum Calend. Aprilis sancto fine excessit, propter vitæ sanctitatem multis miraculis clarissimus. Corpus eius habitu Ordin. Minorum indutum, apud Dini Laurentii Perusiæ sepultum est. Ad eius sepulchrum multi valetudinarii delati, multi cæci & claudi producti, pristinam valetudinem sancti Pontificis meritis à Deo accepere. Fuit Martinus religiosorum hominum amator, ad pietatis opera pronus, atque in egenos misericors, quos indies in maxima annonæ caritate multis eleemosynis, & interhos, cum nobiles calamitate oppressos vidisset, secreto subsidio releuauit. Cum ad eum aliquando aliquis propinquorum veniſſet, magnas opes ab eo se posse consequi existimans: Martinus modicum quid ei contulit, ac dixit; Bona Ecclesiæ Christi & pauperum, non sanguine iunctorum esse.

II. IACOBVS SABELLVS SVBSTITVITVR ET HONORIVS IV. DICITVR. ITEM PANDOLPH. SABELLVS FIT SENATOR VRBIS.

Calendis Aprilis Perusii Conuentu Purpuratorum habito, in Pontificis defuncti locum successit legitima omnium electione Iacob. ex perillustri Sabellorum familia Romæ, Luca patre natus, qui dum ad VII. Cal. Maiiante Basilicam Diui Petri in Vaticano à Gottifredo tituli S. Gregorii ad velum aureum S. R. E. Archidiacono Cardinale tanto magistratui inauguraretur, Honorii IV. nomen adoptauit. Vir cætero qui quolibet virtutum genere insignis, & quo toto terrarum orbe tam amplo oneri capacior nemo reperiri posset. Eod. an. Romæ Pandolphus Sabellus Pontificis recens creati frater, senatoriæ dignitatis officio magna cum laude fungebatur: qui quidem semper quamdiu eo in munere versatus est, seueritatem malorum vindicem cum exacta meritorum retributrice beneuolentia cōiungens, vrbem ab omni latronum, furum, ac desperatioris denique hominum instituti commertio, vacuam immunemq; reddidit. Qui licet mirum in modum podagrę morbo detineretur, non tamen ab vllo animi inuicti magnitudine superari se vnquam passus est. Ferunt & iisdem pedicis Pontificem frequentius diuexatum fuisse, nec tamen à sacris celebrandis vnquam abstinuisse, sed instrumentis quibusdam ad id commode fabrefactis, ad diuina peragenda, licet magno cum cruciatu vsum esse. Qui interim quātum consilii ac iudicii virib. excelluerit, ex eo cognosci potest, quod solus fere plura prospiceret, quam omnes simul. De Pandolpho istud passim vulgabatur. Romanos, si aliquando vrbem ab insolentib. & facinorosis expurgare desiderarent, non alium quam Pandolphum Sabellum senatorem exposcere.

III. *b epist. 1. Petrus.* DAT ENCYCLICAM SVAE ASSVMPTIONIS.

Statim atq; communib. omnium Patrum suffragiis renunciatus est Pont. Honorius, ante quam insignia summi Sacerdotii acciperet, *b* sua assumptionis, omnes Principes Ecclesiasticos & seculares, atq; vniuersum populum Christianum, datis litteris, Non. Aprilis, admonuit.

IV. LEGATOS ANGLI RELIGIT, PECVNIAM IN SACRVM

Interim Regis Anglorum Edouardi Oratores, Vualtherum Canonicum Wallensem, & Heliam de Auilla, ad Martinum præcessorem suum missos audiuit. Postulabant illi nomine Regio, decumationem in Regno Scotiæ ex Lugdunensis concilii decreto in subsidium Terræ Sanctæ indictam, vt eam Regi Edouardo liceret exigere, & in vsus sacri belli conuertere. Negauit Honorius licere, Edouardoque perscripsit ne quicquam ei se in alieno Regno posse permittere, neq; sacris vsib. pecuniam collectam ei concedere. Dedit ea de re Edouardo literas Perusii XIII. Cal. Maii, suscepti Pontificatus, non diadematis temporibus. Cum a. Edouar. Rex, non ex animo sacram militiam cogitaret, sed vt ea ratione pecunias Ecclesiasticas à Pontifice emungeret, id quidem Honorius sagax subolfecit: quodq; terminum ad transfretandum designarum, authoritate sedis Apostolicæ longius sibi prorogari flagitaret, *c* id quidē libenter concessit, & à festiuitate Natiuitat. Dominicæ, ad Pentecostes festa solemnia diem illi præscripsit.

c epist. 14. d ep. 11. Tibur. 9. Cal. Aug.

Tibure cum esset, *d* litteras à Rudolpho Rege Romanorum accepit. Poscebat ille Pontificem, ne decimas, Ecclesiis & populis, in Leodiensi, Metensi, Vuirdunensi, & Basileensi diœcesibus impositas, exigeret. Negauit rescripto Honorius, quod eæ decretæ fuerint contra Petrum Regem Aragonum, Ecclesiæ Romanæ hostem perpetuum, maxime pro Carolo Rege Siciliæ adiuuando. Cuius filium Carolum Claudum Regem Siciliæ designatum adhuc in vinculis detinerent Aragonii, atque regnum Siciliæ occuparet Iacobus cæsi Petri filius, reliquis Caroli filiis, & nepotibus maxime iniurius: excusabat Pontifex se non posse eam decimationem non exigere, pro regno, & Rege Siciliæ vindicando, & Caroli liberis, quibus etiam Rudolphus se bene velle perscripserat, defendendis. Quinto post mense Honorius, Internuncios eiusd. Rudolphi Regis, Petrum Præpositum & electum Archiepiscopum Moguntinum, Magistrum Leopoldum Vuiltinghinum, Vuillelmum Bellofortium, & Marcquardum Yfendalium familiares Regios, ad Publicum Patrum consessum admissos, audiuit. Prolatis illi à Rudolpho Rege, datis Lausanæ X. Calendas Decemb. Indict. XIV. ann. 1285. Regni iam anno XIII. intrante, literis ac mandatis, ab Honorio Summo Pontifice, & à sede Apostolica, diadema & reliqua Imperii Romani insignia obsecrabant Rudolpho dari, diemq; ad ea suscipienda in vrbe designari. Cui rei, Sacramentum nomine Regis præstiterunt, sancteque iurarunt, Rudolphum Regem Rom. eo tempore quo ornamenta Imperii susceipiet, velle obsequentiam Romanæ Ecclesiæ spondere, atq; facto exhibere, priuilegia omnia Ecclesiæ Romanæ rata habere, bona & immunitates sedis Apostolicæ nō imminuere, sed augere, non inuadere, sed tueri, omniaque ex more non tantum iureiurando, verumetiam diplomate aureo confirmare.

V. LEGATOS RVDOLPHI REGIS AVDIT HONORIVS. BELLVM PETENTES EX SCOTIA.

VI. CONATVR IACOBVM PETRI FILIVM SICILIA EIICERE PONT.

Eodem anno Pontifex nihil non egit, vt Iacobum Petri occisi filium Sicilia eiicere, Regnumque & libertatem Carolo captiuo restituere posset. Cæterum neque per legatos neque per litteras quicquam effecit: Alphonso Rege Aragonum Carolum nequicquam dimittere volente, & vna cum fratre Iacobo contumacius mandatis Apostolicis repugnante.

VII. RVDOLPH. REX CAROLVM SICILIÆ IVVARE NEQVIT CÆDVNTVR GALLI AB AVRIA, ET ARAGONII. *Naucler. generat. 43.*

Rudolphus domestico bello implicatus, non satis virium ad iuuandos Caroli liberos habebat. Nam & itineri in Italiam faciendo, ætario in milites perpetuos exhausto, subsidium pecuniarium à Pontifice implorabat, & Cancellarium Principem Lauaniæ ex Fliscorum prisca gente natum creauerat, eumq; æri colligendo, in Hetruriam ad eos qui libertatem pretio emendam decrent destinarat. Persoluere a. ob eam rem Lucenses XII. millia nummum auri: Florentini vero sex millia, & statim discusso externi imperii iugo, animis intentis ad magistratus suo more creandos statim dilapsi, Prioribus quos vocant artium electis, vexilliferos etiam iustitiæ addiderunt. Non displicuit hæc venditio Pontifici Honorio, licet tanto Rege indigna videretur: quod ea ratione Ecclesiastica ditio futura securior videretur; cum non amplius Imperatori liceret liberas ciuitates diuexare. Ita Rudolphus Rex pecuniis egens, quanquam summopere cuperet, nec quicquam Carolo captiuo commodauit. Vnius Fracicæ pubis copiosus exercitus, monitore Legato Apostolicæ sedis Ioanne Colētho collectus & excitatus, Comite Attesiensi in Caroli II. Regis Neapolitanorum gratiam 50. triremibus auspicato mari subiectus, in Siciliam traiecit. Inde mox vna ad Augustæ obsidionem voluntate omnes conuersi, breui momento illam

Francisc. us Baudiment. in Histor. ex Blond. li. 8.

in potestatem receperunt. Quod postquam Iacobus Petri Aragonum Regis defuncti filius intellexisset, potenti contra manu instructus, in Siciliam quoq; ex Sardinia celeri ipse nauigio iter maturauit. Interea Rogerio Auriæ prouinciam dedit, vti loca quæq; mari vicina tutaretur, tum diligenter prohiberet, ne quid subsidio Brundusio vel Neapoli ad hostes deferretur. Iacobo ad obsidionem Augustæ profecto, non defuit Auria eius expectationi, præceptoue. Nam lustrato per exploratores passim mari, cum nauium sexaginta leuium classem à Neapolitano portu soluisse intellexisset, cunctatus aliquantulum, donec in altum elata foret, ne fugæ locus pateret, eam omnib. viribus adortus, circumcinxit. Et quamquam numero tum nauium, tum militum longe inferior esset, suppleuit tamen hominum inopiam sagax consiliorum summa, vehemensq; in agendo dexteritas, tum naualis dimicationis accurata peritia. Facta igitur in hostes animosa impressione, Gallos ad vnum fudit, exque ea victoria duces præclaros & nominis non obscuri heroas captos in vincula abduxit. Hinc cæterorum Iacobi Regis militum animi ferociores facti, Augustam intentius oppugnare aggressi sunt. Intranei vero tãtæ suorum iacturæ nuncio consternati, ac de succursu desperabundi, deditione facta, annuas inducias pepigisse memoratur.

VIII.
GVIDO COMES PVDICITIÆ VITAM POSTPONIT.

Inter cæteros captiuos Guido Montfortius, in perpetuam custodiam compedesque coniectus, atq; enectus, pœnas Anglis dedit, ac aris sanguine perfusis, mactati olim Henrici Regii iuuenis, à sacro bello reducis. Eius filia Anastasia Romano Vrsino, Nicolai III. Pontificis Max. propinquo nupsit. Ad hos Nolani Comites in Campania nobilissimi generis originem referebant, postridie ad nostram memoriam propagata extinctaq;. Enituit tum maxime virtus Guidonis Montfortii, cum in carcere detineretur. Cum enim in morbum incidisset, à quo vsu Veneris poterat liberari, ne se adulterio contaminaret, mortem vitæ præposuit.

IX.
PHILIPPVS PVLCHER REX INVNGITVR REMIS.
Thazel.lib. 9. Mariana lib.14.c.10.

Eod.an.Pont. Honorius Philippo cognomine Pulchro Regi Galliarum, eiusq; coniugi Reginæ, priuilegia quamplurima Regibus conferri solita, datis plurimis vtriq; litteris concessit. Hoc enim anno, die sacro Epiphaniæ, ab Archiepiscopo Rhemensi inunctus, sceptra regni Galliarum, post mortem patris accepit Philippus. Is iam inde à prima adolescentia Ægidium Romanum, gente Columnam, professione Augustinianum, doctrina Theologum obseruarat, authorq; ei fuerat, vt de regimine Principum, monumenta quæ extant, conscriberet, ederetq;. Eundem Lutetiam à Rhemensib. sacris regressus, quod sacræ scholæ vniuersæq; Musæ oratione nouos excipi Reges solemne sit, dicere iussit. Is itaq; de Regis institutione atque officio dignam se & illo Principe orationem habuit: non indignam pariter, quæ hic ad eruditionem Regum inseratur. Ita exorsus est.

ORATIO ÆGIDII ROMANI COLVMNÆ DE REGIMINE PRINCIPVM, ET IN AVGVTATIONE.

E templis, & quasi è colloquio Dei optimi Max. venientes ac continuo abs te indulgentissime Rex dicere iussi, non minore religione apud te verba faciemus, quam quanta modo pro te ante aras vota suscepimus. Te quoq; ead. animi pietate auditurum confidimus, qua vt sacræ scholæ verbis orationem faciamus, hortaris, vt quæ vltro in mentem tibi veniunt, ea etiam à tuis accipias, & tecum loqui persæpe solitus, vocem etiam nostram non asperneris. Quid autem apud nouum Regem antiquius, gratiusq;, quam de Regno dici potest? Nomen enim Regium, non in terris natum, excogitatumue, sed è cœlo demissum mihi videri solet. Parens.n. rerum Deus, cum genus humanum condidisset, summum quidem in illud Imperium iusque penes se retinuit: sed vt mente in eum sublimes ferremur: vt illũ cupidius quæreremus, vt spe, & votis incenderemur: idcirco in terris palam ipse degere, oculisq; interea nostris obseruari voluit: Reges instituit, qui eius vice munereque fungerentur: quorum vt quisq; probitate ad Deum Opt. Max. accederet, ita verissime Rex vocaretur. Ita omnes eodem consilio dati, aliã tamen alii via ad laudem contenderunt. Permulti singulis singuli virtutibus inclaruere. Audeo prædicare, nullum dum omnib. anteiuisse. Non pauci certe cum plurib. præstitere. Magnus enim campus Regib. patet ad gloriam, & ad eam cuncti mortales, sed maxime omnium Reges studio incitati feruntur. Dignissimum.n. diademate censuerim, qui quicquid in cæteris pulchri passim aut legerit aut audierit, id omne sibi vniuersumq; expetat: & quod desiderarit in aliis, id præterea ipse præstet. Non pigebit me, dum te intueor, magnitudinemque tuam considero, à Persis exempla repetere: quorum Reges tot gentib. imperitantes, cum liberos suos ipsarum virtutum voce erudiri instituiq; non posse cognoscerent: quod proximum erat, conquisitione summorum virorum facta, quatuor viros ex omni numero deligebãt: vnum iustitia clarissimum, alterum prudentia, tertium fortitudine animi, quartum continentia excellentem. Horum præceptis institui iam inde à pueris Regum filii consueuerant. Quæ disciplina quamdiu incorrupta permansit, tamdiu illud imperium maximum Orbis terrarum extitit, & tot post sæculis etiam apud nos memorabile, ac imitatione dignissimum. Sed satis mirari nequeo, id quod multis ante sæculis admirationi summis sapientiæ professoribus fuisse video: post hominum memoriam summos Reges, maximosq; Imperatores, ex rebus gestis, vitæq; instituto, aut fortuna aliqua præclara sibi cognomenta peperisse: alios Expugnatores, alios Illustres, alios Magnos, alios Felices, alios Augustos, alios Pios dictos, alios alio decore nobilitatos: nullum dum Regum, nullum illorum Imperatorum, qui rerum potiti sunt, Iusti cognomen ad hanc diem promeruisse: cum vnam iusti Regis palmam cognominisq; dignitatem cæteris occupatis, reliquam esse quæ petatur, quam primam omnium summa contentione peti oportuisset: cum cætera priuatorum hominum, & multo minus salutaria munera sint. Cuius rei causam quis aliam crediderit, quam quod sunt qui ferant, iustum hominem maiori aliis, quam sibi, vsui esse: quasi Reges loco cœlestium instituti datiq; idcirco sint, vt sibi non Reip. saluti commodoq; prospiciant: cum contra res habeat, Regesq; diuinitus generi humano dati sint, vt in commune consulant: iustitiaque sit ea animi dos, quæ vniuersa vtilitate conseruata, suam cuiq; tribuit dignitatem: à qua qui desciscunt, quamuis in Regio solio sedeant, Regesque in præsentia vocitentur: tamen adeo à Regio nomine, iudicio sapientum (quo quid maius? quid grauius?) absunt, vt ne Latino quidem nomine nuncupari possint. Externo, & peregrino, & temporib. auribusque tuis ac voce pietateque nostra indigno, nominantur. Eius igitur culpæ ratio eadem est, quæ & communis exitii, maximorumque bellorum: quod opibus præstare, id in reb. humanis summum bonum arbitrantur: cum ea demum ac vna magnitudo Regia sit, vt cum cupiditati animi modum semel imposueris, quam cæteros mortales magnitudine nominis antecedis, tam benefactis anteire, contendas: & ea inprimis excellas virtute, à qua vna reliquæ iura petunt: eius nutum intueantur, ad eam omnia referant, ab eius ore pendeant: cuius fidei aliæ rerum summam arbitriumq; mandarint, seq; eius administras comitesq; profiteantur. Ea haud dubie institia est: pro qua fortitudo, constantia, grauitas nisi depugnet: suum ius, nomenq; ac decus amittat, feritas, immanitas, vecordia dicatur: cui sapientia nisi appareat, præstoque sit, malitia, calliditas, fraus, captio, necessario vocitetur. Eiusd. est, cum hominum genus ex fera vita syluisq; in vrbes mansuetudinemq; exciuerit, legumq; ac institutorum vinculis coniunxerit, consociaritque, dare operam, vt probi mores vigeant: pietas, fides, pudor, modestia, continentia, temperantia colatur. Quin ipsa liberalitas, quæ prodesse velle se ac augere multos gloriatur: nisi sine iniuria, sine maleficio alterius id faciat: nisi iustitiæ vestigiis insistat, cuius se germanam atq; maxime genuinam prædicat: omnis commendationis dignitatisq; sit expers: priusquam alios spolet, quam aliis largiatur. Ead. & magnificentiæ, & munificentiæ vis est, vt ab iniuria procul facessat: & vnius iustitiæ nomine omnes contineantur, ea omnes sit: eam vim suam etiã sanctam mortalib. testetur: quod cum quænam mortalium generi tuendo debeantur, præscripserit: cœlum etiam suspiciens, illi in animis hominum venerationem cultumque reddat: pietatem & religionem, templa, sacra, superis impertiat, summumque mundi artificem velut coram contemplata, imitandum sibi proponat, & quemadmodum ille signa, sydera, cœli motus, temporum vicissitudines, sempiterna certaq; lege deuinxit, à qua deficere nequeant, ita ipsa terrestrib. his apud nos Regnis, si perpetua futura sint, salutares leges iuraque præscribat. Hæc igitur iustitia terris incedens, ac cœlum ceruice contingens, ita sibi nihil ipsa petens, nihil captans, sua cuiq; tribuit, vt ei nihilo secius genus hominum, resq; omnes eius beneficio incolumes, sceptra assignent, simul qui iusti legitimiq; Reges à parentib. more, instituto, & legibus consensuque Regna acceperint, nulli rei plus quam iustitiæ debuerint. Maius.n. certiusq; matrimonium, ac ampliores facultates, ab ea acceperunt, quam à parentibus. Illi.n. opes, gazam, arma, arces, præsidia tradere potuere: vt veri iustiq; Reges sint, haberenturq; ipsi, ac liberis deinceps per manus ead. relinquãt, id munus eius Reginæ sit. Cur enim iustitiam Reginam vocare dubitemus: quæ Regna tradat, tueatur, sancta efficiat: adeo vt etiam si id verum credatur, quod & Proceres sapientiæ nonnulli dixere: Iustum plus aliis prodesse quam sibi: dissimulari tamen non possit, veros Reges, eosq; inprimis qui Regib. orti generaturi Reges sint, ei Reginæ accepta omnia ferre debere: quam & ipsos in se colere, & cæteris præstare conueniat. Et vt omnia semel complectar, religionis, moderationis, fortitudinis, prudentiæ, liberalitatis, Iustitia parens est: nec diuelli à Rege potest, Regio nomine incolumi. Nec difficile est factu eam præstare: non æquè cætera. Etenim sapientia ingenii indoles est, quam nullus efficere, creareue sibi potest. Naturæ bonum, ac Dei donum est. Fortitudo quoq; vis quædam & magnitudo animi censetur, ac id mentis robur fere vt cuiq; insitum est specimen, cernitur. Quid quod continentiam facilem aut difficilem corporis dos habitusque præstare videri possit! Iustitia aut à sola voluntate proficiscitur, & vt quisq; vult, iustus, secusue est: aut facillime omnium Regiis ingeniis se vltro discendam præbet. Forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultus maiestas, fulgor, vigor ac lumen oculorum (quando maxime inclyta cœlestium munera repudianda, dissimulandaq; non sunt) spectantes mouet, tenetq;, ac admonet, quænam species primi à summo artifice initio rerum creati hominis fuerit: qualesq; quicunq; iuste regnarint, futuri sint in illa felici immortalitate. Quod si corporis pulchritudo tanti est, vt quodam sui miraculo reliquos afficiat: quid sentiendum est de illa pulchritudine, quæ est animi vere Regii, quæ simillimum superis facit: Age, macte indole animi, speque mortalium, hanc virtutum Reginam Rex in consilium semper admitte: eius speciem animo concipe, ad eam te cõforma, eamq; intuens te compone. Quam ea te delectabit? Quam mirum sui amorem apud te excitabit? quam te cœlestib. charum acceptumq; efficiet? Quantam tibi maiestatem apud tuos, apud alienos conciliabit? Quam te immortalitati nominis consecrabit? Is demum optimus Rex erit, ac minime rerum inclinationib. temporumq; communium mutationib. & publicis casib. (qui summis Imperiis, vbi aliquid labat, fere accidere, vt humanis corporib. morbi, consueuere) obnoxius, qui eam semel pectore admiserit, ac deinceps eius consuetudine tenebitur: nec ipse modo felix, sed &, quod proprium Regum est, suos felices efficiet. Prægustans, quanta quamq; solida futura sit, illa inter superos summa æternaque felicitas, quam optimis Regib. iustissimisque designauit, diuinum Numen? Huius vt apud nos partes interea ageres, hoc solio velut in editissima terrarum specula sedes. Dixerat ista Ægidius ad Philippum: & is alta mente condiderat ea saluberrima præcepta.

X.
VARIA TRIBVNALIA IN GALLIIS INSTITVTA.

Itaque ei pulcherrimum erat, magnificam exædificare Basilicam, in insula Regiæ vrbis, vbi iudicia sine prouocatione fierent, ac velut è sinu Regis iura peterentur: idemq; & Regum domicilium, & iustitiæ tribunal foret: quod nulla dum præcipuæ dignationis vrbs delecta attributaq; iuridicis conuentibus fuerat, forumq; longum interdum annorum interuallo in paucos admodum dies indictum, alias alibi agebatur: raris initio controuersiis, quod ciuitates suæ quæq; præfecturæ iudiciis domesticis contentæ, turpe ducebant, longinquum summumq; auxilium appellatione implorare, paulatim gliscente calumnia, multitudineque causarum increscente, primum quotannis semel, idq; in paucos dies: postea & semel & iterũ, sed alio quam proxime semper loco, iurisdictio exercebatur. Tandem è re vniuersæ Frãciæ visum, certas sedes sum̃is iudiciis dari, easq; & in Regia vrbe, & ad ipsam Regiã. Igitur atrium à Philippo Pulchro Rege magnificentissime extructum, adiectis conclauibus, & aliis ædium partibus: vbi frequenti concilio decuriæ iudicum postea cogi cœptæ. Tandem perparuo loci interuallo, & prope veterem S. Ludouici Regiam, Fisci quoque Tabulario, ac authorib. summarum locus attributus. Normani domi iura petere velle perseuerabant. Rotomaque, quod ea sit vrbs regionis princeps, quotannis Vere ineunte ac Autumno sexies septenis in singula ea anni tempora dieb. forum agebatur, si per bella aliasue occupationes liceret, qui sæpenumero vel vere accidebant, vel fando prætexebantur. Ioanna etiam Philippi Regis Pulchri vxor, Musæum quod Nauarræ dicitur, extruxit, locupletauitque ad scholasticorum tenuitatem sustentandam. Ægidius Romanus Theologus, conciliante litteratura, ac sanctitate vitæ, creatus est Archiepisco. Biturigum. Hæc in Galliis agebantur, auctore Philippo Pulchro Rege. Quem vt contra Arragonios tanto amplius Pont. Honor. excitaret, etiam piorum legatorum vsum longe antea à quibusuis factorum, eidem in hanc sacram militiam concessit Tibure Nonis Augusti.

epi.17.

XI.
SVMMARIVM GESTORVM HONORII.
1.ep.810. Romæ apud S. Sabinam Cal. Nou. 2.ep.62. Palumbariæ 3. Non. Iul. &

Eod. ann. Honorius, 1. Huguicionem Castellionem, in Daciam & Sueciam Exactorem decimarum pro subsidio Terræ Sanctæ misit. 2. Regem Scotiæ vt collectas ex decimis pecunias, mercatorib. quibusdam, qui Cameræ Apostolicæ eas remitterent, iuberet numerare, admonuit: eumdemque vt ministros suos à vexatione Roffensis & Morauensis Ecclesiarum prohiberet hortatus est. 3. In Regno Poloniæ & Ducatu Silesiæ, Ioannem Muschatam Archidiaconum Lanciciens. Collectorem denarii Sancti Petri esse iussit, eundemq; Ducib. omnib. & Principib. commendatum fecit. 4. Regi Noruegiæ, ne prohiberet decimas collectas ex regno exportare, aut aureos vel argenteos nummos Clericis diuendere interdiceret, seuerius præcepit. 5. Archiepiscopo Consano, & Prouinciali Lombardiæ, vt contra Marchionem Montisferati, qui rumore incerto ferebatur Episcopum Terdonensem occidisse, inquirerent: & si inculpabilem eum reperissent, vt ei purgationem canonicam indicerent, ad cautelam absoluerent, atq; pœnitentiam salutarem imponerent, commisit. 6. Officii diuini formulam Fratrib. Ord. Præd. ab Huberto Magistro præscriptam laudauit, atq; approbauit. 7. ad 15. Cal. Oct. Tibure ob iniqua & grauia onera, quæ à Friderico Imp. & postea à Martino IV. Pontif. Carolo Rege poscente, in ordinem redacta fuerant, Apostolico decreto sanxit, vti tributorum onera, quæ Siculis prouincialib. intolerabilia videntur: atq; indies imponebantur, tollerentur: sperans eo emolumento Siculorum à se permulceri atque allici posse, vt à Petro deficerent. 8. Prouinciali Poloniæ Ord. Prædic. vt in censuris & irregularitatibus à Capellanis Lesci Ducis Cracouiensis anathemate damnati: coram quo Diuina celebrauerant, & ideo in irregularitatis canonem inciderant: dispensaret, potestatem fecit. Per id.n. temporis, Paul. Episcopus Cracouiensis, ex suspicione, q. & Sandomiriensem nobilitatem contra Lescum cognomento Nigrum Cracouiæ Principem concitasset, & Barbaros Lituanos iterum in Poloniam euocasset, iterum à Satellitibus Lesci captus, & Siridiam deportatus fuit. Quamobrem cum anathemate damnatus esset, nihilominus sacerdotes suos compellebat in coram se sacris operari, ac rem diuinam facere quotidie. Ea propter sacerdotes illi in canonem inciderant, & Ecclesiasticam disciplinam merebantur. Dimissus postea Paul. maiorem deinde immunitatem bonorum Ecclesiasticorum, & in Derzanzna pago quicquid ad Ducem pertinebat, Castellano, & Palatino, Decanoque, & Scholastico Cracouiensi arbitris à Lesco accepit. Lescus autem beneficium absolutionis à sede Apostolica obtinuit.

ep.59. Tibu. 15. Cal. August.
3. ep.192. Ti. 5. Id. Iul.
4. ep.241 & 242. apud S. Sabinam 5. Id. Decemb.
5. ep. 220. apud S. Sabinam 13. Cal. Ian.
6. ep.236. Ti. Cal. Octob.
8. ep.209. Ti. 6. Cal. Aug.
Crom. li. 10.

XII.
LITTERÆ HONORII IN CAVSA FIDEI SVPER HÆRETICA RELAPSA.
ep.306.

Ead. tempestate Honorius, in causa cuiusdam mulieris in hæresim prolapsæ, in hunc qui sequitur modum rescripsit, quidue exinde FF. Prædicatoribus Parmæ accidisset, clarissime renunciauit. Ita habet.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, honorabili fratri Episcopo Parmensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Olim sicut accepimus dilectus filius F. Florius Ord. Prædicatorum Inquisitor hæreticæ prauitatis in partibus Lombardiæ, à sede Apostolica deputatus, quãdam mulierem crimine dictæ prauitatis infectam, quam post abiurationem ipsius criminis, in idem compererat fuisse relapsam, de crimine ipso sententialiter exigente iustitia, legitime condemnauit: quæ subsequenter curiæ sæculari relicta, de mandato potestatis Parmensis, fuit propter hoc incendio deputata. Verum nonnulli, qui in loco incendii prædicti conuenerant, & etiam quamplures alii, ex diuersis prædictæ ciuitatis partibus confluentes, diabolico spiritu concitati, ad locum Fratrum dicti ordinis, in ciuitate prædicta morantium hostiliter concurrerunt, ac in prædictum locum impetum facientes, valuas Eccles. confringere, tecta lapidib. obruere, & officinas loci eiusd. violenter ingredi præsumpserunt: ac libris, vestibus, & reb. aliis eorund. fratrum iniq; direptis, nonnullos ipsorum verberibus ac vulnerib. affecerunt, quorum vnus post paucos dies, ex illatis sibi vulneribus expirauit. Vnde præfati fratres, his aliisque diuersis iniuriis, damnis & grauaminibus per eosdem malefactores affecti, non audentes in prædicto loco, absque personarum periculo remanere, exinde cedentes malitiæ recesserunt. Cumq; tam grauis excessus tanquam notorius, ad venerabilis fratris nostri Latini Ostiensis Episcopi, tunc in partibus illis Apostolicæ sedis Legati notitiam peruenisset, idem Episcopus intellecto, quod ille per quos tunc prædicta ciuitas regebatur, & commune ipsius ciuitatis, ad correctionem tam enormis & euidentis facinoris, prout spectabat ad eos, procedere negligebant: Potestatem, Capitaneum, Ancianos, Primicerios, consilium & commune ciuitatis eiusdem, per suas literas sub certa forma citauit, vt iidem Potestas & Capitaneus, vel eorum alter, cũ certo Ambassiatorum numero, & sufficienti syndico ciuitatis præfatæ, coram eodẽ Episcopo, certis loco & termino personaliter comparerent. Et licet dictus Capitaneus,

cum quibusdam Ambaßiatorib. & syndico in præfixo termino ad ipsius Legati præsentiam accessisset: quia tamen iuxta formam citationis prædictæ, nullus prædicto communi sufficiens Syndicus comparuit coram eo, etiam post dictum terminum dieb. pluribus expectatus: Idem Episcop. præfatos officiales & commune reputans contumaces, propter hoc in ipsos officiales & consiliarios ciuitatis eiusd. excommunicationis, & in ciuitatem prædictā interdicti sententias promulgauit. Postmodum vero ambaßiatorib. & Syndicis dicti communis, fel. rec. Martino Papæ prædecessori nostro humiliter supplicantib. vt cum officiales & commune ciuitatis ipsius, parati essent super huiusmodi contumacia eiusdem prædecessoris & Apostolicæ sedis mandato, & beneplacitis obedire: ac de stando iuri super excessib. offensis, & iniuriis supradictis impendere sufficientem, iuratoriam, & fideiussoriam cautionem, præfatas excommunicationis & interdicti sententias facere relaxari: prædecessor ipse volens in hac parte non asperitatem rigoris, sed lenitatis, mansuetudinis obseruare cautionem eand. nomine potestatis, capitanei & aliorum prædictorum, ab Ambaßiatorib. & Syndicis præfatis oblatam, & pro parte etiam adimpletam, admisit: tibiq; suis litteris dedit in mandatis, vt receptis à præfato communi fideiussorib. idoneis personis, scil. singularib. de mille marchis argenti, quod super prædictis omnibus, dicti prædecessoris, & Eccles. Rom. mandatis & beneplacitis parerent omnino, illis quos eiusd. excommunicationis contingebat sententia, iuxta formam Eccl. beneficium absolutionis impenderes, si illud à te humiliter postularent, ac interdictum huiusmodi sublata difficultate, auctoritate Apostolica relaxares, iniuncto talib. quod de iure existeret iniungendum: & nihilominus potestatem, Capitaneum, ancianos, primicerios, consiliarios, & commune præfatos, ex parte prædicti prædecessoris peremptorie citari curares, vt infra vnius mensis spatium post citationem tuam, per se, vel syndicos, seu procuratores idoneos, ad hoc sufficienter instructos, coram prædecessore cōparerent prædicto, super excessibus, offensis & iniuriis huiusmodi, ipsius prædecessoris & Apostolicæ sedis beneplacitis parituri, ac facturi & recepturi super his, quod ordo exigeret rationis: tuque mandatum Apostolicum fuisti super hoc, iuxta formam per prædictas litteras tibi traditam executus. Et quamquam potestas capitaneus, anciani, primicerii, consiliarii & commune præfati, per syndicos infra huiusmodi terminum vis à te præfixum coram prædecessore comparuerint supradicto, nullus tamen in huiusmodi negotio vlterius habitus est processus. Nos igitur in huiusmodi negotio, iuxta officii nostri debitum efficaciter procedere intendentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus potestatem, capitaneum, ancianos primicerios, consiliarios, & commune prædictæ ciuitatis, ex parte nostra per te, vel per alium peremptorie citari procures, vt infra vnius mensis spatium post citationem huiusmodi, per se, vel per syndicos, seu procuratores idoneos ad hoc sufficienter instructos, nostro se conspectui repræsentent: super excessibus, offensis, & iniuriis supradictis, nostris & eiusd. sedis parituri beneplacitis & mandatis, ac facturi & recepturi super his, quod ordo dictauerit rationis. Diem vero citationis & formam, & quicquid inde feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum Romæ apud S. Sabinam Non. Maii Pontificatus nostri anno I. Hactenus Pontifex Honorius, contra Parmenses, in causa fidei Catholicæ.

XIII. DVO HÆRESIARCHÆ GERALDVS ET DVLCINVS, EORVMQVE INFANDA DOGMATA. *Emeric. 2. p. direct. Inquisit. q 12.*

Duo insignes apostatæ, Geraldus Segarellus Parmensis, & Dulcinus Nouariensis per id temporis, non tantum Parmam, verum & multas alias Italiæ in Insubria ciuitates, falsis dogmatibus infecerant. Quod enim Apostolorum vitam & mores se dicerent imitari, breui quampluri mis seductis sectam fecerant, quam Orthodoxi Pseudo Apostolorum appellabant. Hi Christi Apostolos se vocabant: sub nullius obedientia viuebāt, sed tantum sese subiectos soli DEO asserebant: publice mendicabant: tunica alba longa, ac desuper pallii albi instar mantello ad collum eleuato induebantur: super tunica non corrigia de corio, sed funiculo adstringebantur; crines longos nutriebant: caput non operibant, sed nudato vertice, & nudipedes incedebant, quandoque soleis subductis vtebantur, per vrbes & vicos discurrebant: pœnitentiam per pagos & plateas prædicabant: virus hæresum variarum disseminabant: in plateis publicis mensa eis parata, quæcunq; apponerentur (nam cibum non discernebant, neque hunc vel illum petebant) comedebant: mensæ assidentes, & ab ea surgentes, cantabant: per vias publicas clamabant. Agite pœnitentiam, quia appropinquat regnum cœlorum: aliquando, salue Regina concinebant, atq; vitam se soli tenere Apostolicam mentientes, suam colluuiem Ordinem Apostolorum vocabant, Hæreses autem & errores Geraldi, & Dulcini Heresiarcharum, ac eorum sequacium Pseudo Apostolorum, hi sunt.

1. *Tota authoritas à Domino Iesu Christo tradita & collata Eccles. Rom. est omnino euacuata, & iam dudum cessauit, propter malitiam Prælatorum.*

2. *Ecclesia Romana, quam tenent Papa, & Cardinales, & Clerici & religiosi, non est Ecclesia Dei, sed reprobata Ecclesia, quæ perseuerat hodie sine fructu.*

3. *Romana Ecclesia est illa meretrix, quæ à fide Christi apostatauit, de qua scribit Ioan. in Apocalypsi.*

4. *Tota illa potestas spiritualis: quam Christus dedit Eccles. ab initio, est translata in sectam illorum qui dicuntur Apostoli, seu de Ordin. Apostolorum, quam sectam illi vocabant, spiritualem, à Deo missam, & electam in istis dieb. nouissimis: & ipsi, & nulli alii se habere potestatem, quam habuit B. Petrus Apostolus, dicebant.*

5. *Geraldus Segarelli Parmensis, Princeps & auctor huius sectæ, fuit noua planta, pullulans in radice fidei: in qua Deus cœpit reducere Ecclesiam suam ad conuersationem, & perfectionem, & vitam, & statum, & paupertatem Eccl. primitiuæ, in illo statu, in quo Christus commisit Ecclesiam B. Petro Apostolo.*

6. *Ipsi soli qui dicuntur Apostoli de prædicta secta seu congregatione, sunt Ecclesia Dei, & sunt in illa perfectione, in qua fuerunt primi Apostoli Christi: & ideo non tenentur alicui homini obedire, nec sum. Pont. nec alicui alteri: quia eorum regula, quæ fuit à Christo immediate, libera est, & perfectißimam vitam habet.*

7. *Nec Papa, nec aliquis alius potest eis præcipere, vt deserant statum illum, seu vitam tantæ perfectionis, nec etiam potest eos excommunicare.*

8. *De quolibet statu & ordine potest quilibet licite transire ad eorum vitam & statum, seu ordinem, siue sit religiosus, siue secularis: ita quod vir sine consensu vxoris, & vxor sine consensu viri, potest relinquere statum matrimonii, & aduolare ad ordinem ipsorum, & quod nullus Prælatus Eccles. Roman. potest separare matrimonium, sed ipsi possunt.*

9. *Nullus de vita, seu statu & ordine ipsorum potest licite intrare alium ordinem seu regulam, sine peccato mortali: nec potest se supponere obedientiæ hominis cuiuscunq;: quia hoc esset descendere, à vita perfectißima, ad minus perfectam.*

10. *Nullus potest saluari aut intrare regnum cœlorum, nisi sit de statu, seu de ordine ipsorum: quia extra statum, seu ordinem illum deinceps nemo saluabitur.*

11. *Omnes qui eos persequuntur peccant mortaliter, & sunt in statu damnationis atq; perditionis.*

12. *Nullus Papa Rom. Eccl. potest aliquem absoluere à peccatis, nisi sit ita sanctus, sicut fuit B. Petr. Apost. viuens in omnimoda paupertate, sine proprio, & in humilitate non faciendo bella, nec aliquem persequendo, sed permittendo viuere quemlibet in sua libertate.*

13. *Omnes Prælati R. E. tam maiores quam minores à tempore S. Syluestri, postquam declinauerunt à modo viuendi priorum Sanctorum, sunt præuaricatores & seductores excepto Fr. Petro de Marone, qui fuit Papa Cœlestinus appellatus.*

14. *Omnes ordines religiosorum, sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum & Prælatorum, sunt ad fidei Catholicæ detrimentum.*

15. *Laici non tenentur, nec debent dare decimas alicui sacerdoti, seu Prælato R. E. qui non sit in tanta perfectione, & in tanta paupertate, in quanta fuerunt primi Apostoli. Neq; debent dari decimæ nisi ipsis, qui dicuntur Apost. & sunt pauperes Christi.*

16. *Quilibet homo, & qualibet mulier nudi simul possunt licite simul tacere sine omni peccato, in vno & eod. lecto: & licite tangere mutuo vnus alterum in omni parte sui, & osculari se inuicem sine omni peccato, & quod coniungere ventrē suum cum ventre mulieris ad nutum, si quis stimuletur carnaliter, vt cesset tentatio, non est peccatum.*

17. *Iacere cum muliere, & non commisceri carnaliter, magis est quam mortuum resuscitare.*

18. *Perfectior vita est viuere sine voto, quam cum voto.*

19. *Ecclesia consecrata non plus valet ad orandum Deum, quam stabulum equorum vel porcorum.*

20. *Ita bene potest Christus adorari in nemoribus, sicut in Ecclesiis, & melius.*

21. *Quod pro nulla causa, nec in aliquo casu debet iurare homo nisi pro articulis fidei, vel præceptis Dei: & omnia alia potest celare. Et quantumcunq; iuret dicere veritatē coram Prælatis seu Inquisitorib. non tenetur respondere de aliquo alio, nec reuelare doctrinam suam, siue errores suos: nec tenetur defendere verbo seu voce, sed semper corde tenere. Si tamen cogatur iurare metu mortis, in eo casu debet iurare*

verbo

verbo seu voce solum, sed semper corde tenere. Et quod in nullo casu tenetur respondere veritatem, nisi de his quæ verbaliter continentur in articulis fidei seu præceptis: & si de aliis requiratur, licet ei sine peccato mortali mentiri, & veritatem suæ sectæ negare ore, dummodo teneat eam in corde, ad hoc vt euadat potestatem Inquisitorum: sed debet respondere inficiando, vel negando, seu palliando, quocunq; modo tergiuersando, colorando, seu palliando, quomodocunq; possit pertransire. Si tamen non possent aliter mortem euadere: tunc in tali casu aperte debent profiteri, & defendere in omnibus & per omnia prædictam doctrinam suam & mori in ea patienter & constanter: & nullatenus aliquos de sociis suis, vel credentibus reuelare.

XIV. ACCEPERVNT ERRORES A PAVPERIB. DE LVGDVNO.

Mutuati sunt hæc omnia Pseudo Apostoli à pauperibus de Lugduno. Nam & hi diffiniebant olim non iurare omnino, sed quia per hoc facilius dependebantur & condemnabantur, caute dispensauerant, modo iurare pro se, vel pro alio à morte liberando vel defendendo. Cum autem iurare compellerentur, aut palliatis verbis iurabant, ne putarentur iurasse: aut si ex formula cogerentur iurare, refundebant peccatum in Christum, vt ipsi viderētur immunes: aut si iurabant per se timore mortis, proponebant pœnitētiam facere, vt pro 14. periuriis tenerentur vnum attrahere ad sectam suam pro satisfactione peccati. Hos & alios eorum errores, atq; in vniuersum sectam Apostolorum condemnauit Honorius Papa: publico edicto in hæc verba anni sequentis dato.

XV. VALDEMARVS FRATER REGIS SVEONVM IN PRIVATORVM ORDINEM REDIGITVR.

Hoc anno Principum conuentu in Suecia habito, Valdemarus Magni Regis frater, ex Senatus consulto custodiæ datus est. Multa ille contra Fratrem Magnum olim conatus est, propter quæ meruerat grauiora quā tulerit. Tandem Erico Daniæ Rege intercedente apud Magnum, ea conditione in gratiam receptus fuit, vt de cætero ex solo patrimonio suo viuens, vitam ageret priuatam & tranquillam: voluisset profecto Magnus totius regni gubernacula eius administrationi restituisse, sed obstabat publica totius patriæ vtilitas, obstabant etiam regni Senatores, qui existimabant inane omne beneficium, quod in hominem incōstantis, & perditæ mentis conferretur. Magna tunc sacerdotalis ordinis auctoritas, simul & constantia enituit, cum in Valdemarum hanc quæ sequitur constantiam Episcopi protulissent. Ita habet.

Benedictus Dei gratia Episcopus Lincopensis & Finlandiæ Dux; Magnus eadem gratia electus Vpsalensis, cæteriq; consiliarii, sane confitemur & publice profitemur, nos Illustri Domino nostro Dn. Magno Dei gratia Sueonum, Gothorumq; Regi salubriter consuluisse, & modis omnibus suggeßisse, quod Dom. Valdemarum fratrem suum vsque ad emendationem vitæ suæ, & morum reformationem, deputatis ei seruitoribus competentibus, faciat custodiri, eo quia omni iure, quod in regno nostro dignoscebatur poßidere, libere renunciato, memoratū Regnū nihilominus interdum per se & suos, nec non alienos attentauerit immaniter perturbare: qui etiam dimissa vxore propria & legitima, quasi mente captus, & suæ famæ prodigus, & antiqui hostis suggestione, & instinctu, formidine diuinæ vltionis minime refrenatus, mulierculis vilib. interdum per coitum damnatum, quandoque etiam scelere adulterii publice adhærebat, contemnens ad salutarem Prælatorum regni monitionem ab earum nefario consortio resilire: & ad tantam vergebat ignominiam, atq; inopiam, vt in alienis partibus degere cœperit vagabundus, in maximum suæ animæ præiudicium, & scandalum plurimorum. Dat. Anno Dn. M. CC. LXXXV. Olaus hist. Gothor. lib. 20.

XVI. GRANDES MVSCÆ GALLOS IN HISPANIA OCCIDVNT.

Ead. tempestate dum Carolus Gallorum Rex cum exercitu Hispaniam inuadens, cum Petro Arragonū Rege bello decertaret, grandium muscarum agmen varii coloris, Gallos impetens, aculeis non secus ac gladiis occidebant: Multis præterea aliis malis oppreßi de victoria desperātes discesserunt, ac in itinere passim cateruatim conciderunt. *L. Marinæus Siculus lib. 11. de Regib. Hispaniæ.* Sic vero eand. plagam Hiero. Blanca fusius describit. Petro Arragonio cum Rege Galliarum prælianti, DEVS miraculosæ victoriam concessit. Namq; Gallorum cohorti pestilentiam tantam muscarum, Sanctorum Martyrum Felicis & Narcisci, quorum corpora Gerundæ condita sunt, suffragantib. meritis permiraculum conditor orbis immisit, vt earum fœtidis stimulis, ab expugnatione ciuitatis Gerundæ, quam viriliter debellabāt, & in qua ipsorum quam plurimi perierant, penitus cessauerunt: sic quod ipsa ciuitas ab eorum manib. extitit liberata. *Hier. Blanca in Comment. rer. Aragon.*

XVII. SCHOLARIS OXONIENSIS ORATIONE EVANGELIIS. IOANN. A DÆMONE LIBERATVR.

Per id temporis in Academia Oxoniensi fuit vnus ex Scholasticis, qui cum semel sanus lætusq; cubitum iret, ad mediam noctem cœpit magnum tumultum ciere. Accurrentes socii, qui in eod. solario cubabant, reperiunt hominem præ tetra ægritudine q. in Æthiopem transformatum, & tam mutum ac piscem, quorum animis mirum in modū consternatis, quin, inquit, vnus ex sociis, ad preces confugimus, principiumq; Euangelii Ioannis recitamus? Quod cum ille facere occepisset, & alii ead. post eum sacra Euangelii verba repeterent, ecce dæmon qui hominem occupabat, eum dimisit, abiensq; gradus lapideos ad ostium solarii positos prorsus euertit, tamque tetro locum odore respersit, vt pene præsentes enecaret. *MS. Vatic.*

XVIII. OBITVS B. PHILIPPI CONFESSORIS ORD. SERVORVM SANCTITAS, MIRACVLA ET APOTHEOSIS.

Vndecimo Cal. Sept. huius anni, migrauit ad Christum B. Philip. Confessor Ord. Seruorum. Is Florentiæ ex nobili Benitiorum familia ortus, Lutetiæ Parisiorum medicinæ adolescens operam dedit. In patriam reuersus, cum Ecclesiam Seruorum (quæ D. Annunciatæ nominatur) ob singularem erga Deiparam Virg. deuotionem frequentius visitaret, qua die ea verba ex actib. Apostolorum, *Philippe, accede, & adiunge te ad currum istum*, legebantur, raptus in extasim, currum aureum, quem ouis & leo trahebant, & in eo sanctißimam Dei Matrem comitantibus Angelis insidentem, nigraq; sibi indumenta porrigentem vidit. Sequenti nocte, ab eadem DEI Genitrice seruos suos adire iubetur Quamobrem summo mane consurgens, Bonfilium vnum ex 7. Ord. fundatorib. illius cœnobii Priorem adiit, orauitque, vt inter Conuersos reciperetur. Receptus, vitam aliquamdiu solitariam in Monte Senario duxit: vbi spelunca in quam pœnitentiæ causa ingredi, & vim lachrymarum profundere solitus fuerat, nomen ipsius retinens, & aquam emittens, adhuc ostenditur. Elucebant in eo præter cæteras virtutes, mira patientia, & insignis humilitas. Factus sacerdos paulo post, in capitulo Florentiæ celebrato, Prior Generalis, quinto loco quamuis inuitus electus est. Quod munus quamquam sæpius sed frustra renunciaret, 18. ann. tanta prudentia administrauit, vt non modo in Italia, sed & in Germania, & alibi Ordinem Seruorum multis extructis Monasteriis mirifice propagarit. Tantæ extitit humilitatis, vt nonnisi post 7. an. quia Generalis esset, à suis agnitus fuerit. Dissidentium pacem, & errantium emendationem præ cæteris procurauit. Pistorii, Guelphorum & Gibellinorum factiones per seipsum, Florentię vero vna cum Fr. Latino Vrsino Card. Ord. Præd. Legato, Seruorumque Protectore sedauit. Foroliuiēses, quod à Martino IV. Pont. Maxim. defecissent, acerrime inter concionandum reprehendit: à quib. per contumeliam verberib. affectus, Peregrinum, vnum ex percussorib. conuertit, qui eand. religionem ingressus, maxima vitæ sanctitate floruit. Visitando & prædicando, Emodam vsq; Frisiæ occidentalis metropolim penetrauit: multis ab hæresi & aliis flagitiis per ciuitates ad fidem & meliorem frugem conuersis. Plura viuens edidit miracula. Nam apud Camillianum agri Senensis vicū ac curiam pergens, cum nudo cuidam leproso eleemosynam petenti propriam vestem concessisset, ille ea indutus, statim à lepra mundatus est. Eo miraculo peruulgato, cum Viterbii Cardinales Clemente IV. Pontifice Maximo vita functo de successore eligendo deliberarent, nōnullis Philippum proponentibus, ille re cognita inde ex ingenti humilitate recedens, apud montem Tuniarum delituit: vbi balneis, quæ vsq; in hodiernum diem S. Philippi cognominantur, virtutem morbos sanandi impetrauit. Aretii cum fratres propter maximam victus penuriam fame conficerentur, pius pater accurrens eos blande consolatus, cum ante imaginem SS. Virginis orasset, ecce duos cophinos candidissimorum panum plenos, ad ianuam Monasterii diuinitus delatos reperit. Cum in Germaniā Euangelium prædicaturus Rudol. Regis Ro. inuitatu proficisceretur, apud Lauinum amnem inter Bononiam & Mutinā sub arboris vmbra sole ardentissimo diuersatus, nonnullis blasphemantib. diuinā vltionē prædixit, q̄ illos statim vt ab eis recessit, secuta est. Nam ignis de cœlo in morē turbinis descendens, arborē cum illis prorsus absumpsit. Ex Germania reuertens, inextricabile nemus ingressus, cū socii inedia triduana afflicti, non vlterius possent progredi, Phil. facta oratione voces quasdā secutus, nemine tamen viso, panē &

aquam

aquam, quib. recrearentur, inuenit. Demum Tudertum veniens, meretricib. quæ sibi in via illudere ausæ fuerant, sic persuasit, vt in Monasterio apud Carsulã (quæ vrbs nũc iacet) inclusæ perpetuo pœnitentiam egerint. In vrbis ingressu, totam ciuitatem sibi tanquam Patri obuiam habuit. Ecclesiam ingressus, & ad altare B. V. orans, cum quasi diuinans, ea verba, *Hæc requies mea*, pronunciasset, paulo post in festo Assumptionis B.V. Mariæ in morbum incidit, ex quo octauo die Fratres ad obseruantiam regularem hortatus, sacrisq; munitus ad Christum excessit. Eius sanctitas multis miraculis declarata est. In iis mulier manib. pedibusque cõtracta, vt sacrũ corpus attigit, statim incolumis domum remeauit. Cæcus ad tumulum illius delatus, illico visum recepit. Puer in agro Tudertino à lupo strangulatus, eius meritis ad vitam reuocatus est. Mulier, quæ & miracula negare, & seruum Dei irridere præsumpserat, mox muta effecta est, quæ resipiscens, & ad illius pedes prostrata, veniamque precata, pristinam loquendi facultatem recuperauit. Viduæ cuiusdam vnicus filius, ex diutino morbo defunctus, cum mater gemebunda opem Philippi imploraret, rediuiuus resurgens Philippum sibi succurrentem vidisse testatus est, stupentibus vniuersis, qui vt matrem solarentur, aduenerant. Leo X. Pont. Max. cognita viri sanctitate, cum illum, grauissimis curis impeditus, non potuisset in SS. numerum referre, Fratribus sui Ordinis, vt de illo officium duplex ad X. Cal. Septem. recitarent, concessit. Paulus V. Pont. Max. examinatam à 4. Cardinalibus Philippi vitam, in lectiones à Philippo Ferrerio Generali Ord. Seruorum reductam, Apostolico diplomate approbauit: Magnus Hetruriæ Dux, officium Ecclesiasticum in Tuscia celebrandum à Sede Apostolica postulauit. *Ex vita scripta à F. Archangelo Ianio Florentino.*

IESV CHRISTI

Annus 1286.

HONORII PAP.IV. 2. — RVDOLPHI REG.ROM.13.

I. *epist. 306.* HONORII LITTERÆ, QVIB. HÆRESES GERALDI ET ALIORVM DAMNANTVR.

Honorius Episcop. seruus seruorum Dei, venerabilib. Fratribus, vniuersis Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Cathedralium Ecclesiarum electis, & vicariis earundem, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Olim felicis recordationis Papa Gregorius X. prædecessor noster, in Concilio Lugdunensi, omnes religiones & Ordines Mendicantium adinuentos post generale Lateranense Concilium, qui nullam confirmationem sedis Apost. meruerunt, perpetuæ prohibitioni subiecit, & quatenus processerant, reuocauit. Verum sicut ad nostri Apostolatus auditum, fama querula deferente peruenit, quidam qui post generale, & ante Lugdunense prædicta Concilia, sub nomine Ord. Apost. habitum nouæ religionis assumpserunt: quanquam nullam aliquando confirmationem sedis Apost. meruissent, prohibitionis ac reuocationis prædictæ temerarii præsumptores, eund. habitum, seu ei consimilem sub eod. nomine vsque hodie deferentes, quamplures etiam alii, assumpto post dictum Lugdunense Concilium huiusmodi habitum per diuersas mundi partes, mendicando discurrere non verentur: facientes ea quæ non condecet, in animarum suarum periculum & graue scandalum plurimorum: præsertim, cum nonnulli, prauitatis hæretica vitio laborantes, sub huiusmodi habitu sint inuenti. Nos igitur volentes, talium præuaricatorum insolentem audaciam refrenari, & prædicta, non tam religionem quam perniciosam sectam penitus aboleri, ne forte fidelium simplices, falsa sanctitatis eorum imagine seducantur, vniuersitati vestræ per Apost. scripta mandamus, quatenus quoscunque de prædictis, in vestris ciuitatib. & diœcesib. inueniri contigerit, eos ad deponendum huiusmodi habitum, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compellatis: monentes eosd. vt si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de religionibus approbatis. Quod si aliqui eorum censuram prædictam contẽpserint, vos contra ipsos ad pœnã carceris, seu aliã prout expedire videbitis, procedatis, inuocato aduersus eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Caterũ vt prædicti eo facilius à sua insolentia compescantur, quomagis à Christi fidelib. abiici se viderint, & contemni: volumus nihilominus, quod huiusmodi processum nostrum, in vestrarum ciuitatum & diœcesum terminis iteratis vicib. publicantes, ac facientes per aliquos publicari, eosd. populos auctoritate nostra moneatis, & inducatis attente: ne aliquem de prædictis præfatum habitum deferentib. recipere præsumant in hospitio, vel eis aliquas eleemosynas largiantur, nec ad deferendum habitum illum, seu ei consimilem, impendant consilium, auxilium, vel fauorem. Datum Romæ apud S. Sabinam V. Id. Mart Pontific. nostri an. 1, exeunte, an. Dom. 1286.

II. *ep. 28. & 34. & 40.* IACOBVM ET ALPHO. ARRAGONES EXCOMMVNICAT HONORIVS.

Eod. anno Pont. Honor. Iacobum & Alphonsum Petri Arragonum occisi filios, in die Cœnæ Dominicæ, ac festiuitatibus Ascensionis Christi, atque dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum, anathemate percussit, quod Iac. Regnũ Siciliæ, iuris Ecclesiastici Carolo II. Regi designato occupasset, & Alphons. sus Carolum ipsum Regem contra omne ius & fas in vinculis haberet, neq; vellet dimittere. Cum autem Robertus Comes Attrebatensis, nec quicquam monita Legati Apostolici, in reprimendis discordiis ciuium Neapol curaret, atq; ad eam modum dissensiones inter proceres Regni Neapolitani pullulare permitteret, vt pessimo exemplo ad duellandum, Reymundus de Auella, & Adenalphus Acerrarum Comes sese prouocarint, præcepit Honorius Roberto, vt pacem inter dissidentes conciliaret, & duellationem, iure quoque naturæ interdictam prohiberet.

III. *ep. 60. Tib. ibid. Iul.* RVDOLPH. DIFFERT CORONATIONEM.

RVDOLPHVS Rex Romanorum, cum vehemens desiderium, diadematis Imperialis à sanctis manibus Pontificis accipiendi tum per litteras, tum per internuncios demonstrasset, siue illud solemne sibi ex Phrigio fabulatore

(Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, quam me certe vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum)

ep. 54 Romæ apud S. Sabin. 2. Cal. Iun. vereretur, siue inopia sumptuum detineretur, iturationem procrastinabat, & diem in augurationi designatum differri postulabat. Protulit illum Honorius Pontif. vsq; ad festum Purificationis Beatissimæ Deiparæ. Quod si etiam ad eum diem incommodum ei esset venire, permisit Rudolpho, vt cum Ioanne Buccamatio Episcopo Tusculano Cardinale, quem Legatum Apost. sedis in Germaniam, ad recipiendum ex more à Rudolpho iuramentum, & priuilegia sedi Apostolicæ daria Regibus Romanorum solita, ab eod. accipienda destinauerat, conferret, & ex Legati consensu, diem sibi deligeret, quo Romæ ex manib. Pontif. insignia Imp. obtineret.

IV. IN EXCOMMVNICATVM REGEM AB STRIGONIENSI ARCHIEPISCOPO, AVXILIA REGVM ADVOCAT HONORIVS.

Cum autem Ladislaus Chunus Rex Hungariæ ad ingenium reuersus, & fere in vniuersum religionis Christianæ oblitus, in Tartarorum & Cumanorum amicitiam se adeo dedisset, vt & ritus ac mores eorum imitaretur, & Regina coniuge abiecta, ac quasi Camerali custodiæ mancipata, maritalem thorum violaret, & greges pellacarum Cumanarum, maximo probro fidelium, in vsum libidinationis circumduceret: neq; monita Legati Philippi, neque iusiurandum quo se Principib. astrinxerat, quicquam pensi haberet: iniunxit Honorius Pontif. Archiepiscopo Strigoniensi, vt inprimis Regem officii Regii & coniugalis admoneret: deinde si non obsequeretur, per censuras Ecclesiasticas illum ad officium compelleret. Non poterat ea præstare Archiepiscopus, sine aliqua magna manu. Quamobrem *epist. 264. Rom. 4. Id. Mar.* Honorius Pontif. Rudolpho Romanorum, & Venceslao Boemiæ Regibus, tum Poloniæ, Austriæ, & Slauoniæ Ducibus, nec non & Marchionibus, ac Procerib. Regni Hungariæ iniunxit, vt Archiepiscopo, auxilia contra Ladislaum periurum, adulterum, & à religione Christiana abhorrentem, ministrarent.

V. *Crom. li. 10.* TATTARI POLONIAM EVASTANT ET 21. MILLIA INNVPTARVM PVELLARVM INTER CAPTIVOS RECENSENT.

Hoc an. Tattari fame domestica stimulati, per Russos, & cum Russis primum in Lublinensem oram & in Masouiam delati, locustarum in modum eas regiones, cædibus, & incendiis nusquam abstinentes, depopulati sunt. Inde porro diuertentes, Sendomiriensem tractum, & nonnullã partem Siradiensis, ead. crudelitate peruagati, frustra tentata Sendomiriæ expugnatione, Lyssecensis Monasterii, quod S. Crucis dicitur, direptione abstinuerunt, siue suasu Russorum auersi, siue, quod fama est, fulminibus & tonitruis deterriti. Namq; in eo Monasterio, Crucis Dominicæ portio nõ modica miraculis quamplurimis illustrata asseruatur. Ab eo loco Numinis benignitate seruato, ad Craco-

uiam pridie Natalis Christi populabundi peruenerunt. In cuius oppugnatione cum nonnullos fortes viros amisissent, & Lescum Ducem cum vxore & Primorib. in Vngariam profugisse didicissent, maiore licentia & furore in Pagos & oppida vsque ad Carpathum montem debacchati, Sandecense tamen monasterium, pauore, vt creditum est, diuinitus immisso non attigerunt, quanquam aberat tum inde Sancta Chunegundis. Nam cum duab. sororib. Iolenta & Constantia, quæ Danielis Russorum Regis vxor fuerat, & cum vniuerso cætu Monacharum, quæ ad 70. fuere, ad hæc cum magna sacerdotum & equestrium hominum caterua in Pieninam arcem, natura loci munitissimam, ac vnum tantum & eum quidem perangustum aditum habentem sese receperat. Tandem satiati cædib. atque præda barbari, in Russiam reuerterunt. Tantam.a. hominum prædam tunc abegisse dicuntur è Polonia, vt cum eam apud Wladimiriam recognoscerent & inter se partirentur, 21. millia innuptarum puellarum censa esse dicantur. Eas r. libidinis causa seruant maxime: prouectiores tum viros, tum mulieres, itemq; paruos pueros immaniter occidunt. Ne Russi quidem, quamuis socii & tributarii, prorsus expertes malorum à barbaris tunc fuere. Nam Tattari excessuri è Russia, vt est maliciosum genus hominum, & incantationum atque veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exectis captiuorum cæsorum cordib. & præsentissimo veneno imbutis, & verub. subter aquas defixis. Vnde plurimi mortales postea ex aquæ venenatæ vsu immedicabilib. morbis correpti, miserabiliter occisi sunt, cum serius mali causa animaduersa esset.

VI. *Bossius li. 10.* MORITVR FR. DON GARSIAS MARTINEZIVS ORD. S. IOANNIS SANCTVS ET MIRACVLIS CLARVS.

In Hispaniis, apud Licianos S. Ioannis Hierosolymitani milites, vnus ex eis Fr. Don Garsias Martinez hoc anno ad felicitatem emigrauit. Vixit magna opinione sanctitatis, cui etiam post mortem illustrandæ, Deus propter merita & inuocationẽ illius aliquot miracula ostendit. Duo ex multis narrabo. Alicui fabro ferrario apud Liciam vxor non minus formæ venustate, quam pudicitiæ integritate insignis fuerat, Maligniores aliqui siue quod artifici inuiderent elegantiorem vxorem, siue vlcisci cupientes frustra tentatam castitatem recens nuptæ, tantum egerunt, vt zelotypiæ affectum in marito excitarent. Fidem.n. violatam, & thorum genialem commaculatum existimabat, & nõ vultum tantum, sed & animum à casta illa auertebat. Aduertit insons illa, & cum ex animo D. Virg. & B. Garsiam Martinezium implorasset, vomerem ignitum ex foculo arripuit, nuda manu accepit, & vsq; ad sepulchrum Diui tulit, manusq; inadustas ostendit, in argumentum castitatis ex fide coniugii conseruatæ. Aliquis etiam adeo pedib. aridis fuerat, vt non tibias, neq; coxas, sed duo ligna arida sibi agnata habere ab omnibus videretur. Incedere non poterat, nisi reptaret, vel cruciculis ligneis vteretur. Aderat forte aliquando apud Licium, Io. Portugaliæ Regis soror, Leonora Lusitaniæ infans: cum pedes aridus ille, ad sepulchrum B. Garsiæ connisus est. Cui cum maxima cum humilitate incubuisset, & post ardentissimas preces super eo obdormiuisset, experrectus, tibias & coxas, q. vitali aliquo spiritu vel liquore imbutas, carne indutas, virib. & vsib. restitutas accepit: intercedente B. Garsia Martinesio. Hæc pauca ex innumerabilibus miraculis eiusdem.

VII. MORITVR ALEXAND. REX SCOTIÆ, CVIVS MORS PRÆDICTA.

In Scotia hoc an. Alex. Rex diem clausit extremum. Tradunt Scriptores pridie quam Alex. fato functus esset Comitem Merchiarum percunctatum sub noctem, insignem quendam ariolum Thomam Leirmontium nomine, vtrũ aliquid in posterum diẽ nouum euenturum esset, respondisse, sed obscura oratione, imminere vehementissimam ventorum procellam, atq; impetuosam, quæ cum maxima totius Scotiæ calamitate, antequam sol meridiem prætergressus insequentis diei esset, ingrueret. Itaq; suspensos omnes in sequentem diem, Thoma rursus ad prandium ad Comitem Merchiarum inuitato abiisse. Verum cum serenum vbiq; cælum appareret, ac iã meridies instaret, nec in vllã tempestatẽ aura propensa videretur, per iocum Comitẽ antedictum falsi vaticinii Tho. arguisse, ac impostorem eum dictitasse. Sed illum ad ea nihil præterquam, num etiam meridies prætergressus esset respondisse, quod cum nõdum factum dicerent, horam eos constitutam expectare iussisse. Itaq; priusquam ea elapsa esset, nũcium accurrisse, Alexandrum Regem equo deiectum in terram, confracta infeliciter ceruice repente exanimatum esse. Tum Thomam, hanc eam esse procellam dixisse, quam Scotiæ maximam cladem illaturam esse certo sciret. *Hector histor. Scotic. lib. 13.*

VIII. OBITVS B. AMBROSII ORD. PRÆDIC. SANCTITAS ET MIRACVLA ET APOTHEOSIS.

Senis in Tuscia, hoc an. ad XIII. Cal. Apr. obiit B. Ambr. Sansedonius Ord. Præd. sanctitate, prædicatione & miraculis clarus quem hoc nostro tempore Rom. Eccl. sanctorum Martyrologio Clemens VIII. Pont. Max. adscribi iussit: iure merito. Merebatur eius sanctitas, virtutib. omnib. & pcipue humilitate, virginitate, charitate exornata. Humilias ei plane demissa. Omnium se vilissimum existimare, pedib. omnium aduolui, manus & pedes, præsertim quos ead. modesti sensus virtus delectabat osculari: abiecta officia monasterii libenter obire, infirmorum curam vsque ad mundationem sordium curare: pedes eorum & aduenientium peregre fratrum lauare, locum, colloquia, officia, cõuersationem & reliquas laudis, gloriæ dignitatisq; occasiones summopere fugere, vehementius ambigebat. Delectabat illum præ aliis, sacerdotibus sacra facientib. ministrare, quod istud ministerium, partem esse officii Angelici affirmaret. Aliqñ Mag. Or. Romam illum destinabat, honestissimo Magisterii Palatii sacri officio imposito: in quo gradũ ad eminentiorem aliquam dignitatem sibi præpararet. Deprecatus est Ambr. ne pergeret, neue tam sublime conscendere cogeretur: quod se tanto munere indignum deputatet. Aliqñ etiã Senensi Eccl. inter Etruscas nobilissimæ, canonici Episcopũ delegerant. At ille detrectauit, maiorẽq; in modum apud Sumum Pont. excusauit, ne susciperet eã potestatẽ. Priorẽ quodam tempore Fr. esse voluerant: ille vt eorum desiderio satisfaceret, eã quidem administrationẽ suscepit: sed vix atq; suscepit, sese exonerauit, ad solemnia humilitatis reuersus. Aliqñ ab Innoc. V. Pont. Max. ad Florentinos dissentientes cõciliandos missus cum huic sancto operi incũberet, à quodã Gibel. factionis feroculo iniuriis appetitus, adeo humiliter & constanter tulit, vt ad pedes eius qui falsum impostorẽ, temerarium, arrogantẽq: dixerat, acciderit, siq; aliquid peccasset, ab eo veniam petierit. Sapientia pene supra captum humanum pollebat Ambr. quam in dictis & factis, priuatim & publice, in vtilitatem Eccl. atq; omnium fidelium exercebat, summa cum omnium admiratione. Feruntur plurima eius monita, ad virtutes assequendas, augendas, & conseruandas magnę cuiusdam & pene diuinæ industriæ. In concionib. ad populum faciendis profunda doctrina, certa, solida, facili, clara: quam pari ardore atque eloquentia depangebat. In reprehendendis peccatis maiorib. atq; maiorum ex sæculo constantia acri: adeo vt nullum vereretur, inq; nullius gratiam descenderet, si quid contagione socium contaminaret, vel iniuria tertium aliquem afficeret. Vehementia & felicitate dicendi tam rara, vt qñ & quos vellet affectus, gaudii, mœroris, odii, amoris, metus, spei apud omnes auditores, & inprimis lachrymarum pluuias etiam ex obduratioris cordis oculis extorqueret. Concionantem aliquando, semel & secundo in aera eleuatum, alias ex oculis flañas insoliti splẽdoris irradiantem, nec semel Spiritum S. in specie columbæ eius auri adsidentem, D. quoq; Petrum Martyrem ei visibiliter apparentem, & lateri prædicantis assistentem, nõnunquam. a. radios clari luminis cælitus super eum descẽdentes aspexerunt. Apud Pisanos quædam matrona re & nomine Bona, aridum brachium à multo tempore gestabat, nulli vsui aptum. Summo quodam diluculo in somnis audiuit vocem iubentem, vt ad Ecclesiam celeraret, Ambrosiumq; concionabundum auscultaret, indidem sanitatem receptura. Surrexit, iuit, audiuit, manus aridæ vsum recepit. Alia matrona Senensis, ad concionem Ambrosii properans, infantem in cuna relictum fasciis operuerat, sed à concione reuersa suffocatum repererat. Ad Ambrosium recurrens, tota in luctum effusa, casum pusionis narrauit, & opem Sancti viri postulauit. Orauit Ambr. genuflexo, & rediuiuum matri filiolum restituit. Aliquam etiam fœminam, à quartana laborantem: alium à dæmone vexatum liberauit: innumerabiles ad vitę melioris frugem reuocauit, atq; sanctitatis instituto informauit. Ab eius concionibus vsurarii, fœnerarii amplius exhorrebant, prostitutæ fornices relinquebant, odia & dissidia deponebantur, mundo

immundo innumerabiles valedicebant, atque religionis sanctissimum iugum subibant, pietatis Christianæ officia passim exercebantur, & in summa totius perfectionis summa ab omnibus fere expetebatur. Neq; mirum, nam quandoq; visus est duas limpidissimas q. crystallos ex ore, & exinde duos immensæ claritatis radios eiaculari, ad stuporē auditorum. Quod reliquas virtutes attinet: mortificatio sensuum ei tam vehemens, vt insensibilem & emortuum iam putarent, ieiunandi perpetua cōsuetudo, cilicium asperrimum, lumbare plumbeum super renes, somnus nonnisi duab. horis ante matutinas, duab. alteris post easd. preces absolutas protractus, lectus palea, disciplinæ vsque ad sanguinis rivos, orationis & meditationis assiduum studium, in contemplatione exercitia vsq; ad extases: sacrificandi quotidianus vsus. Cæterum cum in sacratioris hostiæ immolatione, præ magnitudine reuerentiæ, totus in lachrymas resolueretur, nonnunquam vero timore vehementio re percussus extra se raperetur, conspectum hominum euitabat, & nonnisi in aliquo loco secretiore, semotis arbitris, sacris operabatur. Aliqua sancta mulier super caput offerentis diadema luminis cœlestis, ex indumento a. sacerdotali exteriore, quod planetam vocant, stellas frequentiores emicare, radiosq; lucidissimos diffundere, Alia vero Angelos sacrificantem ambientes aspexit. Virginitatem cordis & corporis integram, illibatamq; ad mortem vsq; seruauit Ambro. Labores ingentes, pacis inter Guelfos & Gibellinos conciliandæ suscepit. Concionandi & sacra exomologesi pœnitentes adiuuandi studium nunquam intermisit, inq; diuturno prædicationis officio & vires, & valetudinem, & tand. vitam hanc caducam amisit. Cum enim Quadragesimali tempore, quadam dierum acrius contra fœneratores inflammatus, inueheretur, rupta semel & iterum pectoris vena & sanguine copioso exuberante, dicendi pariter, & viuendi paulo post finē fecit, cum prius sacrosanctæ Eucharistiæ pane recreatus esset, & cætera religiosæ præparationis ad mortē summo cum desiderio suscepisset, & ipse orantib. animamq; ex more cōmendantib. Fratrib. tum benedixisset, tum ad singula respondisset. Ipso momēto, quo ex humanis euolauit, visa est à cœnobio Senensi S. Dominici, nubecula quædam lucidissima exilire, & in cœlum subleuata disparere. Aliquæ etiam religiosæ aspexerūt; Ambrosium aurei luminis vestimento, & diademate illustrem, ab angelorum multitudine in cælos delatum. Aliqui in medio nubeculæ apparentis, stellam insoliti splendoris, pueri vero innocentiores, ipsam animam Ambrosii in sublime ferri. Defuncti corpus, & aliqua ex ea membra sanguine ex rupta vena exundante imbuta, odorem suauissimum ex piratunt, miracula. a. ingentia statim secuta sunt. Quædam mulier grauissimis totius corporis doloribus discruciata; alia trabe decidente oppressa, & in discrimen vitæ adducta, alius hepatis morbo laborans, alius hernia grauatus, quædā manum pustulis perforatam gestans: alia paralysi affecta, alia à fluxu sanguinis exhausta, reliqui plures aliis ægritudinibus vel malis conflictari, ab inuocatione B. Amb. sanitatem recuperarunt. Filius etiam cuiusdam Æmiliæ, à natiuitate cæcus, 6. an. ætat. ad sepulchrum D. delatus, lumen nouum accepit. Istud & reliqua miracula à D. Ambr. patrata, cum Renaldus Episc. Senens. acceepisset, Fr. Iacobo Sciatæ Pistoi, & Fratrib. Præd. potestatem fecit, omnia & singula illa, quæ Deus per merita B. F. Ambrosii operatur, scribendi atque publicandi, dat. litteris anni sequentis 1287. Indictio. XV. die Nona mensis Maii. Porro Honorius IV. Pont. Max. cupidus B. Ambrosium Albo sanctorum adscribere, F. Gisberto Alexandrino, Fr. Recupero Petræmalæ, Fr. Aldobrandino Paparonio, & Magistro Ordoardo Vicedomino Senen. commiserat, vt in singulas actiones vitæ & miraculorum Ambrosii inquirerent, scriberent, atq; sedi Apostolicæ repræsentarent. Nostra ætate Clemens Octauus Pontif. Max. isto elogio memoriam Ambrosii in Martyrologio Romano voluit prostare: *Senis in Tuscia, B. Ambrosii Senensis Ord. Præd. sanctitate, prædicatione, & miraculis clari.* Paul. Papa V. feliciter superstes, omnib. vtriusq; sexus Christi fidelib. vere pœnitentib. & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam Fr. Ord. S. Dominici Senarum, & in ea situm altare B. Ambrosii feria 6. ante Dominicam Passionis à primis vesperis vsque ad occasum solis feriæ huiusmodi singulis an. deuote visitauerint, indulgentias concessit in forma Eccl. consueta. Perillustris & Reuerendiss. Dominus Iulius Sāsedonius Episc. Grossetanus vitam D. Ambrosii ex fide publica, magis quam alii copiose & ornate vulgauit: Romæ typis daram an. 1611. Herculanus Herculani, istud imagini illius elogium adscripsit. B. Ambr. Sansedonius genere nobilis, patrē Equite in transmarino contra Saracenos bello strenue agente, natus, puer ieiuniis, orationib. charitatis operib. insudabat. 17. ætat. annum agens, Dominicanam religionem ingreditur. Albert. Magno Doctore, D. Tho. Aquinat. commilitone, Parisiis Theologiā profitetur, inde Coloniæ publico cum Lectoris, tum Concionatoris munere fungitur; Germanorum Principum discordias componit; Hæreticos confundit, patriam Greg. X. summo Pont. placato, ab interdicto liberat: Principes Europæ, ad bellum contra infideles inflammat: Pisanos Florentinis conciliat: Venetis ac Genuensib. arma deponere persuadet: ea vitæ sanctimonia præfulgens, vt in eius aurem Spir. S. sub Columbæ specie loqui conspiceretur, plurimis ad Christum ardenti prædicatione connersis, vitæ austeritate, virginali castimonia, cœlestiū contēplatione venerabilis, migrauit Senis an. à mundi Redēptione 1286. miraculis, & viuētis, & defuncti eximiam sanctitatē cōtestantibus.

IX. FLORET HENRICVS BRABANT. PRÆDIC.

Per hæc tempora floruit Henr. in Brabantia natus, eruditione, & multarum linguarum cognitione nulli suo tempore secundus. Hic vt commodius litteris vacaret, Dominicanorum Ordinem ingressus est. In eo Philosophiæ & Theologiæ operam dedit, & quæstiones difficillimas sua interpretatione explicauit. *Ad* instantiam D. Thomę Aquinatis, omnes fere Aristotelis libros latinos fecit. Albertus enim Magnus vetere translatione vsus fuerat, quam Boethinam appellabant. *Auent. lib. 7. Annal. Boiorum.*

X. ITEM CONRAD. HALBERSTADENSIS.

Non inferior illi Conradus Halberstadensis, eiusd. instituti Dominicani Theologus & Philosophus insignis: qui in vtraq; facultate legendo & scribendo magnam laudem adeptus est. Cum a. suo tempore iuuentus nullo certo ordine in bonis studiis progrederetur, ipse veram methodū & rationem compendiosam tradidit, quo pacto quis ad eruditionis culmen peruenire posset, atq; opus illud tribus libris comprehensum, Summam studentium nuncupauit. Postea etiam in plures sacrorum Bibliorum libros Commentarios doctissimos dedit. *Trithem. in Catalogo script. Eccles.*

IESV CHRISTI
Annus 1287.

HONORII PAP. IV. 3. RVDOLPHI REG. ROM. 14.

I. CAROLVS CLAVDVS PRINCEPS SALERNITANVS, CAROLI SICVLI FILIVS E CVSTODIA DIMITTITVR, CONTRA PONTIF. CONSENSVM.

AD hunc vsq; annum, Carolus Claudius Princeps Salernitanus, in custodia apud Alphonsum Aragon. Regem tenebatur, in arce Siurana: Tædio & impatientia fractus, conabatur in libertatem euadere. *a* Edouar. Angl. in auxilia vocatus, per Legatos de compositione egit, atq; inscio summo Pontifice transegit, vt Carol-his legib. dimitteretur, scil. 20. millia pondo argenti penderet: Pontificem Maximum exoraret, vt Arragonensib. ius Sicilię Insulæ ad iudicaret, eoq; inducto dirarum decreto in gratiam reciperet: Carolo Valesii Comiti, vti cederet iure Regni Arragonensis, quod Martinus Pontifex ei attribuerat, persuaderet; ea omnia nisi intra triennium præstaret, in custodiam vnde ēmitteretur rediret, atq; ea ita futura, duos filios Robertum miræ indolis, & Ludouicum miræ sanctitatis adolescentulos, ac quadraginta præterea è Prouincia Phocæensi nobiles viros obsides daret. Hæc omnia cum Pontifex Honor. certo certius sciuisset: *b* Carolum Claudum, propterea quod cum Arragonensib. anathemate damnatis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostibus iuratis, pacta conuenta, sine scitu & consensu sedis Apostolicæ statuerer, redarguit, & ne vlterius quicquam stabilire auderet, admonuit; insuper etiam, si quid hactenus transegisset, vel per summam necessitatem expressum Arragonis concessisset, irritauit, abrogauit, reuocauit. Namq; non potuit Carolus, in-

a *Æmil. li. 8.*

b *epist. 47. apud S. Sabin. 4. Non. Martii & epist. 46.*

iussu Pont. Max. de Regno Siciliæ sedis Rom. beneficiario decernere. Eodem die Honorius Pont. Carolo captiuo, vt quamdiu in Regno Aragon. sacris interdicto detineretur, possit alicuius sacerdotis opera in sacris Missæ sacrificiis priuatim recitandis vti, concessit.

II. CVM PONTIFICIS CONSENSV FIT FŒDVS INTER SACTVM REGEM CASTELLÆ ET NEPOTES EIVS.

Cerdæ quoque Fr. Alphonsi. & Ferdinand. S. Regis Castellæ nepotes, in Morella arce, loco munitissimo detinebantur. Ii diuturna captiuitate fessi, & maioris mali metu perculsi, ad pacem quib. Sanctius vellet conditionib, erant propensi. Venerat Baionam Sanctius, Mommarsanum. a. Philip. Rex Galliæ, & per legationes vltro citroque missas de Blanchæ & filiorum iniuriis tractabant cum Ioan. Golethus Card. Legatus opportune aduenientes, Reges ad pacem censura Ecclesiastica compelleret. Hæc causa extitit: quamobrem Philip. cœpta non est prosequutus. Magna sane in excelso Principe humilitas, ad sacerdotis imperium, causam pupillorum, nepotumq; arbitrio alieno permittere. Lugdunum postea legatus Ioan. Colethus Card. vtriq; Regi diem dixit. Missi ab vtroq; Legati, à Gallo Mornaius & Lambertus viri primarii, à Sanctio Merinus Præsul Asturicensis. Fœdus his conditionib. factum. Alphonso Cerda, modo Regis Castellæ appellatione abstineret, Murciæ Regnum tanquam Castellæ Regis beneficiario, Sanctio se traditurum pollicebatur: substituto etiam, si sine prole decederet Ferdinando minore fratre. Castellæ Rex mille equites auxilio, Gallo Regi mitteret, Arragoniam bello repetere cogitanti, & si necesse esset, tutum iter Gallicis copiis per prouinciam daret: Cerdæ fratres Regum opera libertati redditi, in Galli potestate essent.

III. BLANCA MATER IMPROBAT FŒDVS ISTVD.

Id fœdus auctoritate Honorii Pontificis factum atque approbatum, Blancę puerorum matri ingratum fuit: prorsus vt Rege dimisso in Lusitaniam abierit, virilis animi fœmina, nouaq; belli subsidia aduersus Castellę vires cupiens comparare, nihil non tentarit: maiore tamē conatu, quam successu. Dionysius. n. Rex Lusitanus, Mauris omni Lusitania pulsis, optima pace fruebatur: neq; eam vt alieno commodo, suo periculo turbaret, adduci poterat.

IV. *Naucler. generat. 43.* QVARTA PARS REDITVVM CLERI EXIGITVR PRO RVDOLPHO

In Germania adhuc hærebat Ioann. Buccamatius Cardinalis Episc. Tusculanus Honorii IV. Legatus. Is Heriboli, præsente Rudolpho Romanor, Rege Concilium aduocauit. Inter reliqua proposita, quartam partem omnium reditum, in quatuor annos futuros Rudolpho Regi postulauit. Multis ergo Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis trementibus, solus Probus Tubingens. Ord. Minor. Episcopus Tullensis, super baptisterium recens ædificatum ascendit, & omnium nomine ad iudicium sedis *Apost.* prouocauit, constantiæq; sacerdotalis præmium tulit, vt gradu moueretur, & in ordinem redigeretur. Factum paulo ante mortem Honorii, Quadragesimalis ieiunii intermediis diebus.

V. MORITVR HONORIVS PONTIFEX, ET SVMMARIVM GESTORVM.

1. ep. 270.
2. ep 42.
3. Ciaccon.
4. Ciaccon.
5. Francisc. Baudimont.
6. ep. 438.
7. ep. 92.

Namq; Honorius ad III. Non. Apr. desiit esse in humanis: vir in omni vita probatissimus, Christianæ religionis cultor egregius, doctorum & scientiarum amator & cultor. Hic 1. Arabicæ, & aliarum peregrinarum linguarum studiis Parisiis instituit 2. Contra Iudæorum & Thalmudistarum errores multa sanxit. 3. Fr. Eremitanos S. Augustini per id temporis Parisiis repudiatos Romæ apud S. Triphonem collocauit, eosq; in Gymnasio Parisiensi publice profiteri iussit. 4. Carmelitanum ordinem non satis adhuc ab *Apost.* sede probatum cōfirmauit, eorumq; chlamydes, quæ ex albo panno, fascis pullis intertextis variatæ erant, tanquam oculis Christianis minus gratas, sublatis iis virgulis, in pure albas demutauit. 5. Pontem apud Riuum clarum, appositis in huiusce facti memoriam, hinc Sabellorum de quorum stirpe erat, hinc Vrsinorum, Bertoldi Vrsini Præfecti Vrbeuerani causa, insignibus. 6. Clericum quendam, qui propter gesticulantem incessum gradu motus fuerat, pristinæ dignitati restituit. 7. Circa administrationem Regnorum Siculi, & Neapolitani plurima saluberrime constituit: Pacem Italiæ curauit: Rudolph. Regem ad diadema Imperii capessendum euocauit: eumq; præfractæ Arragoniorum Iacobi & Alphonsi ambitioni opponere cogitauit. Vita functus, ad D. Petrum à S. Sabina Palatio elatus, indidem sepultus, & exinde ad Basilicam Aracœli, in sepulturam Gentilitiam maiorum illatus fuit. Eius tempore inter alios doctos floruit Matth. Florent. medicæ artis scientissimus, sed vsq; ad nauseam auarus. Publice eam facultatem Bononiæ hoc sæculo docuit, tanta cum omnium admiratione, vt Galenus alter esse videretur. Nullus vnquā carius suam operā locauit: nullius principis curationem recepit, nisi grandem mercedē pactus. Aliquādo ab Honorio Pont. vocatus, non ante accedere voluit, quam tres libræ auri in singulos dies ei statuerentur. Cæterum Pontif. id temporis diligenter curatus, centum auri libras ei libens dedit.

Ciaccon. & Sabellic.

VI. VACAT SEDES MENSES 10.

Ex Honorii morte *Apost.* sedes 10. menses vacauit. Cōuenerat supremus Antistitum ordo in Auentinum, nouū Pont. creaturus. Cumq; plures ex eo ordine, grauitate cœli offensi, subito in morbum incidissent, creationem Summi Pontificis differre habuerunt. Est Auentinus magna ex parte Austro expositus, cuius noxiis flatibus, præcipue pars illa montis obuersa est, quæ testaceo imminet campo. Sabellici memoria accidit, vt magna pars ciuitatis, quæ ex ea Auentini parte Circenses spectant ludos, quorum aliqua species adhuc dum durauerat, quum antea æstuasset, Austro leniter inflata, in morbum inciderit, multiq; mortales febre conflictati, demum periclitati sint. In quo illa subit reputatio haud relatu indigna, quum pars vna spectaculi illius tam grauiter fuerit infecta, cæteri qui ab Austro auersi eo die spectauerant, murorum vrbis obiecta, qui campum ab ea parte muniunt, Austrino flatu defensi, innoxii domum abierint. Inter reliquos, qui Inter-Pontificio illo post mortem Honorii Pontificis obierunt, fuit Iordanus Vrsin, Roman. Nicolai Papæ tertii frater, tituli S. Eustachii Diaconus Cardinalis.

VII. *Rom. Mart. & Sur. 2. Octob.* OBITVS S. THOMÆ EPISCOPI ET CONFESSORIS, ET ADMIRANDA IN ANGLIA.

Eod. an. sexto Non. Octobr. Herfordiæ in Anglia, incidit obitus S. Thomę Episcopi & Confessoris. Placet ortum, & progressum eius vitæ memorare. Is in Britannia maiori, quam Angliam vocant, clarissimis natalibus, patre Wilhelmo de Cantilupo, matre Milicenta Comitissa Ebroicens. ortus est. In ipsa pueritia, cum literarum studiis traditus esset, haud vulgarem de se pietatem præbuit, ætatem moribus transcendens. Quotidie preces, quas horas Canonicas vocant, dicere, sacro Missæ sacrificio interesse solebat. Studiis literarum incumbens, cum magisterii titulo ornatus esset, Oxoniæ Pontificii Iuris Doctor & Academiæ Cancellarius creatus, ea animi prudentia causas discussit, vt fama increbescente, Henricus Tertius Angliæ Rex eum quamquam inuitum sibi in suo Regno Cancellarium asciuerit. Eo honore à Rege decoratus, mores, qui tunc in aliis præcipue diffluere solent, multo magis composuit, suasque actiones arctiori virtutis præscripto deuinxit. Postquam vero Henricus Rex in viuis esse desiit, vir Sanctus Oxoniam repetens, animum ad Theologiæ studia applicuit, Doctorisque insignibus adeptis, tanta deuotione & pietate rebus diuinis operam dabat, vt intuentium fidem atque mores informaret. Tanto lachrymarum imbre Missæ sacrificium peragebat, ac si Christum coram se in humana carne patientem videret. Præ cæteris autem vitiis quæ vehementer detestabatur, obtrectationes cane peius & angue infectabatur; cunctosque ab eo crimine reuocare desiderans, si quos detractatores audiret, seuerissime illos castigabat. Mentis & corporis eius integritas ac mundities tam fuit rara, vt Robertus Cantuariensis Archiepiscopus, deinde Portuensis Episcopus Cardinalis, qui ei à pueritia confitenti aures præbuerat, Oxoniæ publice de eo fateretur: tantam illius & corporis & animi castitatem esse, quanta maior in infante non fuerat. Corpus suum vigiliis & ieiuniis, asperoque cilicio per multis annis secretius macerauit. Cum autem Herfordiensis Ecclesia suo esset Pastore viduata, omnium votis ad eam functionem electus est. Tum vero longe etiam magis quam antea vigil ad curam factus, & suauis ad mores, sedulo inprimis pauperibus subuenit; præstantique benignitate atque liberalitate inopiam eorum subleuauit. Magna laboris instantia, in eam incumbebat curam, vt Ecclesiæ iura tueretur: & quæ alii sibi præter ius fasque vendicarant, ab iniustis possessoribus ablata Ecclesiæ vindicauit. Ea causa cum graues extitissent inter hunc & Regem ac nonnullos Proceres contentiones, Romanum Pontificem adire decreuit, vt ab illo tantis molestiis opportuna remedia impetraret. Eo igitur tam longo ac difficili itinere, non sine multo labore & corporis sui detrimento suscepto, atque confecto,

Romam venit, & à Martino Pontifice honorifice acceptus, rebus & negotiis quorum causa eo venerat, pro voto expeditis; dum in patriam redire contenderet, morbo oppressus, apud Phalisços è vita excessit, sexto Nonas Octobris. Interea sex diebus corpus eius exanime insepultum, odorem suauissimum spirauit. Deinde caro ab ossibus separata, in Ecclesia S. Seueri sepulta; ossa vero Erffordiam translata sunt. His cum obuiam venisset Gilbertus Clarus Glouerniæ Comes, qui propter iura Ecclesiæ B. virum fatigauerat, mox ab eis sanguis copiosissimus emanauit: ita vt vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Quo sane miraculo perculsus Comes, iura omnia Ecclesiæ restituit, & ea quæ temere perpetrauerat, pœnitudine expiauit. Sexaginta mortuos dicitur excitasse, quadraginta & vnum cæcos illuminasse, duos & quinquaginta contractos sanasse, viginti & vnum paralyticos restituisse, surdis & mutis vigintitribus auditum & loquelam tribuisse: aliaque quamplurima miracula edidisse.

VIII. *Sur. Apr. 19.* MARTYRIVM S. VVERNERI, PVERI A IVDÆIS CRVDELITER CIRCA PASCHA OCCISI.

In Germania, ab impiis Iudæis crudelissimè necatus est hoc anno Wernerus puer, pago Wammenrato, qui à Baccaraco vnius diei itinere abest, stirpe rustica, sed cultu Christi sane nobili ortus. Fuit religione Christianus, animo simplex, humilis, pius, religiosus, puritate virginea ornatus, rustico opere victum sibi parans, quantum quidem tenera sinebat ætas pueritię; & ex iis quæ labore suo potuit acquirere, pie aliquid egentibus impertiens. Habuit matrem deditam pietati, & in bonis studiis sibi fauentem, sed vitricum tum matrem, tum ipsum persequentem. Cuius ille infestum sibi animum deuitans, fugam iniit, & in solitudinem secessit. Cumque fame & siti valde afflictus, inops consilii, nullum omnino suæ miseriæ perfugium inueniret, forte in pastores incidit, qui humilitate ducti panem ei porrexerunt: quibus ille rursus siti non mediocriter laborantibus, defixo in humum baculo, precibus suis fertur largissimum in CHRISTI nomine fontem elicuisse. Veniens inde Treuericam Vesaliam, à perfidis Iudæis illic commorantibus, callide sæpe ad laborem euocatus est. Ille verò promptum se puerili simplicitate exhibens, iussus est ab illis humum in profundum quendam terræ locum deportare. Aduenientе interim Paschali solemnitate, sæpius ab hospita sua admonitus est, vt ab impiis Iudæis sibi præcaueret; alias dubio procul, ab illis laniandus, deuorandusq;. Sed puer qui ex suo ingenio aliorum vitã moresque iudicabat, neglecta hospitæ admonitione, vni Deo totum se committebat, ac mulieri sæpius importuniusq; monenti respondebat: *Ego me totum, meaque omnia Deo committo, cui cura est de nobis.* Interea solemni Dominicæ cœnæ aduenientе die, puer Christo deuotus, peccata sua oris confessione coram Christi Sacerdote expiauit; sacrosanctisque corporis & sanguinis Christi mysteriis se muniuit, atque lætus, & ab omni insidiarum suspicione alienus, ad opus à Iudæis inuitatus & pellectus iuit. Sed Iudæi, qui siccis faucibus Christianum sanguinem eo die vel maxime sitiebant; altero, qui acerbissimæ passionis Christi memoriæ sacer est, conceptum animi furorem, summa crudelitate in innocentem puerum effuderunt. Primo enim apprehensum, omni clamandi facultate priuarunt, impresso in os eius plumbeo globo. Inde ad columnam ligneam, erectis sursum pedibus suspensum, miseris modis diuexarunt, torserunt que, eo consilio, vt corpus Christi à puero sumptum reuocarent atq; educerent. Sed cum id frustra conati essent, ira odioq; grauiori prouocati, totos se ad membrum mystici corporis Christi, atrocissimè excarnificandum cõtulerunt. Itaq; multa eaq; profunda eius corpori cum flagellis impressêre vulnera: atq; etiam cultro quodam, qui hodieq; apud reliquias eius asseruatur, totius corporis venas, barbara immanitate inciderunt, forficibusque ex omnibus corporis partibus sanguinem expresserunt, corpusq; totum vulneribus cõcisum triduo suspensum reliquerunt, donec sanguis fluere desineret.

Habebant autem Iudæi illi famulam, Christianæ religionis sacris imbutam, quę clam visa nefaria eorum in puerum crudelitate, maximo dolore impulsa, Iudicem Vesaliensem acciuit, eumq; in locum vbi pius puer tam immaniter tractabatur, introduxit. Ad cuius inopinatum aduentum obstupescentes Iudæi, statim muneribus bene magnis illum aggressi sunt, fecerunt que vt officii sui oblitus, ab æquitate & iustitia per summum scelus se abduci pateretur. Puer autem viso Iudice, exultabundus vt potuit, sui liberationem postulabat. Sed iniustus Iudex victus amore pecuniæ, pueri preces neglexit. Tum puer: *Si tu mihi*, inquit, *opitulari non vis, opem mihi ferat benignus Deus, & sanctissima mater eius.* Iudice igitur donis muneribusq; corrupto abeunte, puer à Iudæis interfectus est, atq; vt facinus nefarium silentio tegeretur, nocte intempesta corpus clam per muros tractum, ad naues Moguntiam ituras delatum est. Sed omnipotens Deus, conatibus eorum elusis, nauem tota nocte errabundam, ne vno quidem milliari ab vrbe recedere permisit. Orto inde sole, timore & tremore correpti, anxia inter se consilia captabant, quomodo martyris corpus absconderent. Neque enim ratio in aquas illud demergendi occurrebat. Tandem cõspexerunt prope Baccaracum, cryptam spinis & vepribus obsitam, vbi nunc cernitur VVilhelmitarum cœnobium VVindofdesbachum. Eo igitur cum corpore properantes, in eam cryptam illud proiecerunt, ac summa cum celeritate se inde proripuerunt. Sed Christus nequaquam id diu latere passus, mox sua illic miracula declarauit. Vigiles enim castrorum, mediis noctibus locum illum immenso fulgore splendentem viderunt, quę res cum animos omnium in magnam admirationem raperet, studiose causam indagati sunt: statimq; repertum est corpus etiamnum sanguine suo tinctum, adductumq; Baccaracum ad locum Iudicii, vt solent corpora cæsorum. Comperta autem rei gestæ veritate, cum omnibus admirationi esset odor suauissimus è martyris corpore manans, tum etiam claritas nocturno tempore apparens, visa ab omnibus, summa deuotione illatũ est corpusculum, in Sancti Cuniberti sacellum, in colle prope parochiam situm. Ibi humatum est, vitta aurea, in testimonium virginitatis, capiti eius imposita. Porro capiti suppositio puluinari serico, violis impleto, additum est ad caput linteum serico ornatum, in signum innocentię, atque sanctitatis eius. Appositum est & instrumentum laboris sui, inclusum vna cum corpore in cedrino sarcophago fortissimis seris communito. Mox vero vtriusq; sexus hominum magna accurrit multitudo, visura tam stupendæ rei miraculũ. Tum vero Omnipotens Deus illicò sanctum puerum magnis & stupendis illustrauit miraculis: cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis loquela; aridis, paralyticis, luscis, & quibuslibet aliis male affectis sanitas, & mortuis deniq; vita reddita est.

In Boemia quoque Iudæi eadem tempestate, vrbe Praga, monstrorum semper propagatrice, die sacra Parasceues, foribus clausis, Christianum quendam hominem, Iudæo ob inopiam seruientem crucifixerunt, in cõtumeliam Christianorum, adimpletis in eo omnibus, quæ olim in Christum admiserant. Istud posi quam Christianorum populus comperiisset, iusta indignatione armis correptis sæuiit in perfidos: duasq; basilicas in honorem noui martyris extruxit, quod scirent in causa Christi ab hostibus perfidis crucifixum fuisse.

IX. *Kranz. in Vandalia lib. 7.* ITEM A IVDÆIS IN DIE PARASCEVES PRAGÆ CHRISTIANVS CRVCIFIXVS.

Per eosdem dies, Senis apud Etruscos, desiderata est inter viuos, Beata Nera Ptolomei, Tertii Ordinis D. Dominici sanctimonialis. Infans à lacte depulsa, cum Monasterio earum sororum addicta esset, omnes illas prouectioris ætatis & sanctitatis, ieiunandi, vigilandi, orandi, contemplationis, mortificationis sensuum & corporis, & in summa omnium virtutum studio, si non anteibat, æquabat. Ea paradiso illo deliciarum spiritualium, astu quodam parẽtum educta, mœrori & lachrymis perpetuis se dedit. A concione B. Ambrosii Sansedonii, in qua Spiritum Sanctũ columbæ specie illi assidentem aspexit, in amorem cœlestium longe ardentius inflammata, tyrociniis se hactenus insistere existimans, ad perfectionem maiorem gradum fecit, per petua virginitate ante imaginem Crucifixi, Christo deuota. Nesciebant parentes; & matrimonio coniungere conabantur. Reluctantem, in terram subterraneam cameram carceris loco coniecerunt, dataque ei ad custodiam peruslantiore quadam ancilla, fame, siti, pædore, iniuriisque variis afflixerunt. Tolerabat, fortiter Nera eas afflictiones, non semel à sponso Iesu & Angelis apparentib. recreata. Accidit, vt semel Angelus ei colloqueretur: cum ancil-

X. ORITVS S. NERÆ ORDIN. PRÆDIC. SANCTIMONIALIS ET VITA, ET SANCTITAS.

la adole-

la adolescentem aliquem suspicata, illam criminis & simulatæ sanctitatis accusasset: Flagris & contumeliis cum à Matre ideo exciperetur, non excusauit, neque murmurauit; sed tantum; *Si quid peccaui, ignosce*: dixit. Interim in ergastulo conclusa, cum iterum Angelico alloquio digna esset, ancillę delatoris instinctu, mater furiis inuecta, ad tenebrosum illum locum excurrit: sed, quod mirum est, lumine cœlesti Neram circumdatam, odore suauissimo fragrantem, in extasim raptam, & à terra altitudine cubitali eleuatam aspexit. Procacior ancilla, cum Magicis artibus prædictam illam innocentem affirmaret, à maligno infestam liberari non potuit, donec Nera orasset, & signum redemptionis nostræ illi impressisset. Ibi mater obstinatione fracta, Neram carcere eduxit, & Diui Dominici habitum ex manu Beati Ambrosii susciperе permisit. Religioni illi adscripta, quatuor dies hebdomadæ aqua & pane perpetuo ieiunauit: cilicium ex setis equorum dies nocteśque gestauit, non plus quatuor horas dormiuit, reliquum tempus orationi & meditationi, sacris audiendis, seruitio infirmorum, & cæteris pietatis Christianæ operibus impendebat. Aliquando sex dierum ieiunium protrahebat passus, sola Eucharistico pane mystico desumpto. Quinque vicibus in dies singulos, ferrea catena, se vsque ad sanguinem cruentabat. Super nudam humum, vt erat vestita, cubabat. Non semel dæmonem, variis desumptis formis tentatorem, profligauit, & de prostrato triumphauit. In oratione extases frequentiores passa, radiis luminis cœlestis irradiabatur; insolitumque splendorem ex oculis fulgurabat. Intima cordium cognouit: spiritu Prophetico multa, & in his schismata Ecclesiæ impendentia prædixit. Incredibili charitate erga egenos, & ægros corporis atque animi flagrabat, multaq; opera beneficentiæ in omnes præstabat. Tandem cum per omnes sanctitatis gradus, ad fastigium perfectionis Christianæ euasisset, spiritum innumeris virtutibus illustrem, & sacramentis Ecclesiæ paratum Deo reddidit. Corpus defunctæ admirandum odorem exhalauit. Viuens & vita functa, multa miracula dedit. Demersum quendam, & alium puerum mortuum natum vitæ restituit. Energumenos, leprosos, epilepticos, & aliis malis affectos, liberauit.

XI. PRÆTOR MEDIOLANENSIS MATTH. MAGNVS, VITÆ SANCTITATE CLARVS.

Hoc anno Mediolani Prętoram egit Matthęus Magnus Vicecomes. Haud absurdum existimaui natales eius ostentis diuinitus illustratis referre, deinde mores illius summatim perstringere. Natus est in pago Orio, patre Theobaldo patrimonio honesto. Fama est, quo die natus est, iumenta omnia effractis capistris sponte è stabulis egressa, immensos mugitus circum vicos edidisse. Theobaldus futuram infantis magnam gloriam præsignificari illis mugitibus vaticinatus est, quam postea per omnes gradus dignitatis ostendit. Accepta administratione vrbis Mediolanensis, tanta pietate ac iustitia populum rexit, vt non Princeps, sed pater vrbis & publicæ quietis, ac modestiæ assertor ab omnibus diceretur. Domus eius tanta religione, tanto sacrorum cultu, ac Dei veneratione referta erat, vt sacrarium illud potius atque sacerdotum collegium quam Principis palatium haberetur. Missas deuotissime audiebat; neque alium quam se celebranti sacerdoti ministrum esse patiebatur. Familiam ita ad Dei mandata Ecclesiæque instituta edocuit, vt ne infirmæ quidem sortis puerulum præterirer, quo minus statutis diebus sacerdotibus ad confessionem faciendam offerret, detrectãtes aut puniebat, si emendationi locum videbat; aut penitus domo summouebat. Moribus autem ita facilis, vt sui potestatem etiam aniculis quotiens libuisset faceret. Ciuitatis innocentiam prohibendo potius delicta quam puniendo seruabat. In Republica diligentissimus, in priuata, minus curiosus erat; gloriæ magis quam pecuniæ auidus. His moribus ita sibi populum deuinxerat, vt solus ab omnibus qui imperaret existimaretur. *Chron. Bosiana.*

XII. ACTA CONCILII PROVINCIALIS MEDIOLAN.

Mediolani porro eodem Anno auctoritate Summi Põtificis, Otto Archiepiscopus indicta conuocataque Synodo Prouinciali, in Ecclesia Sanctæ Teclæ præsentib. quam plurimis Episcopis, Abbatibus & reliquis ex clero, ad XII. diem Septembr. multa saluberrima constituit.

Inprimis, Constitutiones Summorum Pontificum & Friderici olim Imperatoris contra hæreticos latas, inuiolabiliter obseruari, & ex earum præscripto contra Fidei Catholicæ præuaricatores procedi mandauit.

2. Abbates, Monachos & reliquos omnes religiosos, vt ex formula S. Benedicti, & S. Augustini viuerent, admonuit.

3. Ne Moniales, quouis prętextu septa monasteriorum, in quibus reclusæ, egrederentur, edixit.

4. Aucupium & venationem vniuerso clero, lata excommunicationis sententia interdixit.

5. Alienandi bona quæcumque siue mobilia siue immobilia Ecclesiastici iuris fuerint, potestatem omnibus abstulit, neve quis aut vendere, aut oppignorare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, sub anathematis & nullitatis censura prohibuit.

6. In detentores Ecclesiasticorum bonorum grauissimas pœnas promulgauit.

7. Falsi crimine obnoxios, à communione Sacramentorum atque Fidelium segregauit.

8. Legatorum piorum fraudatores, cœtu Christianorum indignos esse iudicauit.

9. Potestatem ædificandi Ecclesias aut Oratoria, penes solos Episcopos esse iussit.

10. Rerum sacrarum ex testamento vel codicillis relictam administrationem penes solos Parochos esse voluit; aliaq; pro Ecclesiastica disciplina ex more prisco siue reuocanda, siue obseruanda, in eodem Concilio sanctissime ordinauit.

XIII. B. HERMAN. SAXO FRANCISCANVS MORITVR, CLARVS MIRACVLIS.

Mulusini in Germania obiit Beatus Hermannus Saxo instituti Franciscani, vir profundissimæ humilitatis. Hic multos mortuos ad vitam reuocauit, cæcos illuminauit, tres mulieres ab infirmitate graui curauit, multis loquelam restituit, decem & septem claudos sanauit, & alia plurima egregia pro salute hominum patrauit. Par huic sanctitate fuit alter Hermannus, Fulgini sepultus, viuens & vita functus miraculis clarus. Ex eius sepultura guttatim aqua emanat, cum tamen in lapide nulla appareat scissura. Ad eius monumentum Bonauentura contractus delatus, sanitatem recuperauit: & puella quædam pariter contracta, vsum membrorum recepit.

XIV. FLORET B. ADAMVS ORDIN. MINORVM.

Hac tempestate floruit apud Minores, Beatus Adamus, egregius Firmii in Piceno Concionator, multis miraculis coruscans. De hoc memoriæ proditum est, illum aliquando ad viam per loca deuia abertantem habitu à lupo apprehensum reductum fuisse. Aliquando etiam hirundines inter concionandum obstrepentes, facto illis præcepto, vt tacerent, à clamore compescuisse. Fertur post mortem miraculis claruisse. *Chron. Ord. Minor.*

XV. MORS BOGVMILI EX ARCHIEPISC. EREMITA CAMALDVLENS.

In hunc annum, Historiographi Poloniæ referunt mortem Beati Bogumili ex Archiepiscopo Gnesnensi eremitæ Camaldulen. sanctitate & miraculis clarissimi. Eo tempore, quo inter Gnesnens. Canonicos, dignitatem Decani, ieiuniis, orationibus, disciplinis, ac deuotione erga Beatam Virginem ornabat, horis omnibus diebus Dominicis & festiuis in Metropolitanę choro absolutis, ad pagum Dobroguo, quintadecima leuca distante, per miraculum transferebatur, vt populo sacra expectanti, rem diuinam faceret, & verbum salutis annunciaret. Eo aduenientе, cum Ecclesia, in insula Vartæ fluminis emineret, neque populos accedere præsumeret, aliquoties siccis plantis omnibus præiuit, populumque eodem planè modo traduxit, & aquas posse ab illis calcari exemplo suo edocuit: transactoque sacrificio iisdem vestigiis omnes reduxit. Indidem pisces è fluuio sola iussione per miraculum suo cauocauit, populoque famelico ministrauit. Quo officio pietatis exsoluto, Gnesnam hora prandii, iisdem plane diebus, per miraculum illi reuerti non difficile fuit. In odium Præmislai Ducis Posnaniæ, qui Lucardim Pudicam strangulari præceperat, propter verbum liberius dictum adductus, Archiepiscopalem dignitatem sponte deposuit, ac inter Camaldulen. in summa vitæ austeritate, laboribus, inedia, orationibus, & aliis pietatis operibus incumbens, senio confectus, assistente Diua Deipara, Iesu puero onusta, & sanctorum Angelorum, nec non Diuorum Regni Tutelarium comitata, sanctè defunctus est, cum hæc verba dixisset: *Iesu fili Dei & Virginis Mariæ susceptor esto animæ meæ.* Animam illius in specie pulcherrimæ columbæ, aliqui inter Angelicos cœtus ad

cœlum euolantem se aspexisse plurimi affirmarunt: Corpus in eodem pago Dobrouo, in Ecclesia SS. Trinitatis conditum est. *Martin. Baron. Clericus ex script. Polon.*

IESV CHRISTI
Annus 1288.

NICOLAI PAPÆ IV. RVDOLPHI Reg. Rom. 15.

I. NICOLAVS IV. ELECTVS ENCYCLICAM MITTIT AD PRINCIPES CHRISTIANITATIS.

POstquam Sedes Pontificis Romani à morte Honorii Quarti paulo minus quam vndecim menses vacasset, solidæ pietatis commendatione vir, F. Hieronymus natione Picentinus, patria Asculanus, ex Prænestino Episcopo Cardinale, sub Nicolai Quarti titulo Pontifex creatus, Diui Petri cathedram, quo die eiusdem festum colitur, 1. Dominica Quadragesimæ, ascendit: adque omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Reges, Principes, Clerum & populum vniuersum encyclicam ex recepto more scripsit: Is statim atq; Pontificatum adeptus est, Petrum Columnam, cuius antea vxor monasticam sponte vitam delegerat, & cum eo Neapoleonem Vrsinum inter se diuturna contentionum acerbitate dissidentes, sola vtriusque probitatis habita ratione, Cardinales creauit. Adiunxit & alios ex omni fere religione; & in his F. Hugonem Biliomium Ord. Præd. & F. Matthæum Aquaspartanum Ord. Minor. Omnes enim ex æquo amabat Nicolaus, nec plus se debere affinibus & cognatis, quam cuiuis bono arbitrabatur, virtutesque & vitia apud eum faciebant, vt in hunc magis quam in illum inclinaret.

ep. 1. Lateran. 7. Calend. Maii.

II. CAROLVM SALERNIT. PRINCIPEM E CVSTODIA ALFONSI LIBERARE NITITVR.

In senatum secretiorem allectis doctissimis & sanctissimis viris, ad Pontificatus curam, subeundaque Reipubl. Christianæ opera conuersus, nihil potius duxit, quam vt diuturnas cõponeret de Regno Neapoli & Siciliæ cõtentiones, Carolumq; secundum Tarentinum Principem, in custodia Alphonsi Regis Aragonii hactenus detentum, liberaret: Itaque cum adhuc Romæ esset, Idib. Martii Internuncios cum mandatis misit, qui Alphonsum adirent, cumque illo de Carolo è custodia educendo, nomine suo agerent, ediderentq; ne Iacobo fratri, qui Regnum Siciliæ inuaserat, alitsve, ad idem Regnum aut turbandum, aut detinendum, vel suppetias præberet, vel quapiam ratione faueret. Fuêre Internuncii tres viri grauissimi, Fr. Bonifacius è Leuania Dominicani Ordinis, Archiepiscopus Rauennas vir magno rerum vsu & prudentia singulari: Petrus Archiepiscopus montis Regalis, & Raynerius Viterbiensis, ex eadem Dominicana familia. Qui cum in viam se dedissent, Nicolaus, qui die noctuque assidue rem hanc, magni ad id quod instituerat, momenti, animo secum reputabat, nequaquam iis contentus quæ intulerat, noua ad illos mandata misit, quibus erat scriptum, diligêter in memoriam Alphonso reuocarent, quam eius pater Petrus, abiecta prorsus, dum vixit, quæ Deo & Apostolicæ Sedi debentur obseruantia & cultu, in propriæ salutis iacturam, aduersus Romanam Ecclesiam, matrem & magistram omnium fidelium molitus esset, fecissetque occupanda insula Sicilia, & quæ eiusdem Ecclesiæ iuris est, cætera parte Regni Siculi, quas Carolus primus fiduciario iure ab eadem Ecclesia iam habuisset. Quoniam vero Alphonsus ipse, & Iacobus, Constantiaque insulam occupabant, cæteram partem oppugnabant, idcirco Alphonso Regi diem dicerent, quo se ante sex menses Pontifici Maximo sisteret, alioqui humanarum legum, diuinarumque in eum iudicio ageretur. Et quando Alfonsum ipsum Regem tutò se minime conuenire posse intelligerent, dabat eis Nicolaus (quamquam eis antea mandauerat domi suæ) vt illud ipsum quod in mandatis habuerant, ei quouis modo exhiberent, tamen vt illum in ius vocarent, diemque illi apud sacratos viros Gergolienses dicerent. Hæc omnia in literis Nicolai habentur. Quibus acceptis diligentioribus mandatis, magna spes omnibus facta est, fore, vt res ex sententia conficeretur, cum propter eorum virtutem, tum quia Dominicani fratres, ex quibus, duo in iis erant, ita ad Pontificum Maximorum sensum, propensionemque incensi videbantur, atque ob eam rem ad Caroli partes sequendas, vt alio anno, dum Augustam Siciliæ oppidum, quod paulo ante vna cum arce Galli ceperant, Arragonii ingressi essent, & per vicos præliarentur, sese etiam in Arragonios, Dominicani fratres numero tredecim, pugnę pro iuribus Ecclesiæ, cum Gallis qui ex arce eruperant, immiscuerint. Itaque cum recenti succedente Arragoniis subsidio, Galli cum ipsis Dominicanis recipere se in arcem tandem cogerentur, ex iis cum sex tantum receptus in arcem patuisset, exclusi reliqui, ad quinque interfecti sunt, duo capti.

Ptolemæus lib. 9.

III. *Surita lib. 2.*

Profecti igitur illi Internuncii, Alphonsum ad 3. Id. Septembr. Iccæ conuenerunt, diemq; ei apud Apostolicam Sedem dixerunt, vt rationem redderet, cur Regno Arragoniæ, Carolo Valesio Regi legitime renunciato cedere recusaret: cur vna cum Iacobo fratre Regnum Siciliæ vsurparet, perturbaret: & Carolum Principem Salernitanum dimittere contemneret. Audiuit Internuncios Alphonsus, epistolamq; porrectam legit, & se obsequentem fore mandatis ostendit, si modo illi tutum esset, Romanum Pontificem accedere. Exemplar porro literarum Nicolai istud est.

IV. LITTERÆ NICOLAI IV. AD ALPHONSVM ARRAGON. PRO CAROLO.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, nobili viro Alphonso nato quondam, Petri olim Regis Arragonum, spiritum consilii sanioris.

Sigrates & enormes excessus, atroces iniurias, & offensas multiplices, quas quondam Petrus olim Rex Arragonum pater tuus, diuina & Apost. sedis reuerentia prorsus abiecta, in salutis propriæ motitus dispendium, suiq; nominis, quod cautius custodiri debuerat, derogationem non modicam animatus, contra Roman. Eccles. matrem cunctorum fidelium & magistram, illicitis ausibus perpetrare sibiq; irrogare præsumpserat, insulam occupando Siciliæ, ac partem Regni Siciliæ alteram ad ius, & dominium eiusdem Eccles. pertinentes, quas claræ memoriæ Carolus Rex Sicilia, ab eadem Eccles. tenebat in feudum, validis impugnando conatibus & in diuersis aliis eiusdem regni partibus statum Eccles. memoratæ pacificum, quamplurimum perturbando, quosque tu & Iacob. F. & Constantia mater tui, iam dicto Petro sublato de medio, eius inconsulte sectando vestigia, commisistis, prædictis fratre & matre insulam detinentibus partemque alteram impugnantibus supradictam, teq; in illis impendendo consilium, auxilium & fauorem, velimus enarrare per singula, & seriosis aperire sermonibus longum esset, ingensq; audientibus tedium generaret. Sed tu ex quo potissime iam dictam perturbas Ecclesiam, ipsius mentem vehementer amaricas, eamq; in intimis dure pungis: quod chariss. in Christo filium nostrum Carolum, claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ primogenitum, magnum vtiq; ipsius vasallum Ecclesiæ, suumq; fidelissimum filium & deuotum virum, vtiq; iniuste detentum, & quoad eum, in prælio iusto captum, ac regnum iure quo paterna debite ac legitime defendentem: non inuadentem tuam vel tuorum terram, non occupantem aliqua tua, vel ipsorum iura, vel bona, nec alias tibi vel eis iniuriam inferentem, sed à quibusdam, more quasi piratico interceptum, carceralibus vinculis detines alligatum: in diuinæ maiestatis offensam grandetuæ famæ salutiq; dispendium, & grauescandalum totius pene populi Christiani. Quis igitur tot & tantos excessus pati æquanimiter, vrgente nos conscientia, non possumus, nec debemus, nobilitatem tuam præsentium tenore monemus, vt præfatum primogenitum, sublato difficultatis obstaculo, plenæ restituas libertati, nullumq; præfato Iacobo fratri tuo, vel alii seu aliis quibuscunq; in insula, & regno prædictis, Ecclesiam quomodolibet impugnantibus, vel turbantibus supradictam, impendas per te, vel per alium, seu alios, fauorem, consilium, vel auxilium publicum vel occultum. Et nihilominus infra sex menses à receptione præsentium computandos, compareas peremptorie coram nobis, nostris & eiusdem Ecclesiæ mandatis & beneplacitis, super præmissis humiliter & efficaciter pariturus. Alioquin non ignorare te volumus, quod contra te spiritualiter & temporaliter, prout qualitas facti suaserit, & expedire viderimus, procedemus. Quodq; propter præmissam monitionem nostram, vel aliquam citationem emissam, seu etiam emittendam, vt certo tempore coram nobis compareas super præmissis nostris & Ecclesiæ beneplacitis pariturus, siue infra ipsum tempus curaueris, seu renueris, aut distuleris comparere, non intendimus contra te, tuosque fautores, seu adiutores, processus spirituales seu temporales omittere, vel differre, aut omissi facere vel differri, quiper nos, vel per alios occurrerint seu apparuerint faciendi. Datum Romæ apud S. Petrum Id. Mart. Pont. nostri anno 1.

ep. 6. Roma apud S. Petr. Idib. Mart.

a epist. 68. apud S. Mariam Maior. 7. Cal. Decemb. a. 1. QVIBVS CONDITIONIBVS CAROLVS EX ALFONSI CVSTODIA LIBERATVS FVERIT CVM CONSENSV NICOLAI IV.

Quamobrem Nicolaus *a* tum ipse concessit, tum Iacobo Maioricarum, Carolo Valesio Regi Arragonum, & Philippo Galliarũ Regib. author fuit, vt literas quas vocãt salui cõductus, venienti Alphonso, vel aliquos Procuratores mittenti, atq; ab eo Internuncijs missis ad Sedem Apostol. concederent, libereq; venire & transire permitterent. Interim tamen Nicolaus non intermisit curare, si qua ratione posset Carolum captiuitate liberare. Huic rei cum idoneos existimaret Galliarum & Angliæ reges, *b* vtriq; præscripsit, vt cum Ioan. Coletho tit. S. Cæciliæ Cardinali Legato, re communicata modos aliquos excogitarent, quibus honeste & sine præiudicio tum Caroli Principis, tum inprimis Eccl. Rom. posset is in libertatem vindicari. Se enim nulla ratione posse adduci, ad approbandas conuentiones, tempore Honorii Prædecessoris inter Alphonsum & Carolum stabilitas; quod & indecoræ, & minus honestæ, ac in summam Ecclesiæ & Caroli iniuriam propositæ essent. *c* Conuenit tandem vtrimq; vt Carolus dimitteretur his legibus.

b ep. 56. Reat. 7. Cal. Iun. an. 1. & ep. 9. Id. Martii.

c Summont lib. 3. & extant inter ep. Nicolai IV. num. 2.

1. Carolus Valesius, annuente Sede Apostol. iuri à Martino IV. Pontif. in regnum Arragoniæ acquisito, renunciaret. 2. Philippus rex Galliarum arma contra Alphonsum deponeret. 3. Carolus Princeps Salernitanus die 3. postquã dimissus esset, ad colloquium Regis Philippi veniens, inducias in tres annos inter illum & Philippum conciliaret. 4. Alphonsus rationem Sedi Apostol. redderet occupatæ à Iacobo fratre Rege Siciliæ. 5. Carolus Princeps Salernitanus, quinquaginta millia nummũm, triginta quidem millia aureorum vel argenteorum in præsens numeraret, pro viginti autem in futurum persoluendis, cautionẽ iuratoriam & fideiussoriam exhiberet, atq; Edouard. rex Angliæ, pro eo fideiuberet. 6. Tres filios maiores natu, & quadraginta primogenitos Procerum Prouinciæ Burgẽsis obsides ab Alfonso electos Carolus Princeps daret. 7. Inducias inter Eccl. Rom. ac Philippum regem Gallorum ex vna, & Iacobũ Siciliæ occupatorẽ, vsq; ad decursum vnius anni, à festo S. Michaelis, videl. vsq; ad aliud festum S. Michaelis, procuraret. 8. Edouardus Rex Angliæ, pro Carolo fidem præstaret. 9. Si pactis conuentis Carolus non staret, & vel Ecclesia Romana, vel Philippus Rex Gallię, vel Carolus Valesius Iacobo aut Alphonso bellum indiceret, Carolus Princeps Salernitanus intra tres annos, ad custodiam ex qua dimittebatur, reuerteretur: ꝙ si reuerti neglexisset, à iure Prouinciæ Phocæẽsis excideret, & obsides amitteret, eorumq; Alphonsus omnimodam potestatẽ haberet, salua incolumitate vitæ, & integritate membrorum eorundem. His cõditionibus dimissus fuit Carolus diebus Nouembr. cum interim Nicolaus Pont. eo tempore, quo de liberando agebatur, in omnem euentum arma parari contra Alphonsum iussisset, *d* eoq; nomine decimam omnium fructuum & beneficiorũ Ecclesiasticorum, in Regno Galliæ, Philippo in tres annos concessisset. Vt etiam externa auxilia contra Iacobum inuasorem Regni Siciliæ conquireret, Roberto Comiti Atrebatensi Baliuo regni Siciliæ iniunxit, curaret matrimonium conciliari, Catharinæ filiæ quondam Philippi Constantinopol. Imp. cum Michaele filio Andronici primogeniti Michaelis Palæol. Imper. Græcorum: e dedit ea de re literas Reate 3. Non. Iun. Pont. an. 1.

d ep. 48. Reat. 7. Cal. Oct. an. 1. & ep. 46. 3. Id. Sept.

e epist. 29.

V. LVDIBRIVM FORTVNÆ IN VGOLINO FLORENTINO GVELFORVM PRINCIPE. *Æmil. lib. 8*

Hæc cum pro Caroli liberatione ageret Nicolaus, excepere eum bella Hetruriæ. Triste tunc inter tumultus illos bellicos, spectaculum accidit, & dignum vt narretur. *f* Vgolinus Guelfarum partium Princeps, initio contraria factione partim pulsa, partim perculsa; eo potentiæ domi peruenerat, vt nutu omnia administraret, patriæq; dominus & esset, & haberetur; diuitiis, nobilitate, ingenii fama, authoritate ingens; vxore, filiis, nepotibus, & omnib, in vita bonis appetendis circumscriptus & circumfluens, beatus, felix, & cæteris & sibi visus; eorumq; cogitatione perfruens, lætus, fidens, etiam illorum commemoratione gaudebat. In festo, frequentique natalis sui celebrandi conuiuio, ad quod omnes suos inuitarat adhibueratque, dum fortunam suam ipse fando efferret, cœloque æquatet, ausus est quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem abesse videretur, interrogare. Ille vel reputatione rerum humanarum, quam fluxæ fallacique specie, quam q; voluceri orbe circumagantur, vel mente diuinitus admonita; *Sola*, inquit, *ira Numinis procul dubio abesse à tam fecundis rebus non potest.* Et necesse erat congesta in vnum hominem, nondum alteram fortunam expertum, bona, excipi calamitate ingenti. Itaque Guelphorum viribus consenescentibus, Gibellini armis correptis ædes eius circumsistunt, oppugnant; vnum è filiis, vnumque nepotum, vim arcere conatos, occidunt, ipsum & duos præterea filios, tres nepotes comprehensos, in turrim inclusêre obseratis foribus, clauibusque in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame in oculis, in gremio suo charissima pignota parens moriens motientia vidit. Vociferanti, expostcentiq; vt supplicijs humanis exigendis inimici contenti essent, sacrosanctæ confessionis sanctiq; viatici potestas factarion est. Hæc inhumanitas partes Gibellinorum inuisas fecit.

VI. *Ptolemæus lib. 9.* INDVCTÆ PACISCENDÆ ECCLESIÆ IACOBI IN REGNO NEAPOLIT. OBSERVPVNT.

In regno quoq; Neapolitano, sub tempus tractationis pacis dimicabatur. Iacob. enim Rex Beluederum Calabriæ oppidum aggressus, acriter oppugnauit. Parebat id Rogerio Sanguinetto, qui sub Carolo Rege militabat. Eius hortatu oppidani fame & siti ad desperationem acti contra Iacobi castra machinis lapides emittebant. Isthic quoq; crudele spectaculum interuenit. Iacobus, quo oppidanos à ferocia auerteret, Sanguinetti liberos, quos obsides pro patre habebat, ad impetita maxime castrorum loca palo affixos imposuit, ratus filiorum amore, à lapidum immissione patrem cessaturum. Sed Sanguinettus, ne quo modo à Rege Carolo desciscere videretur, Regi quam iurauerat fidẽ, prognatorum amori antetulit, durioribusq; in casdẽ partes saxis proiectis percussi filii è vertice pali deciderunt. Horũ altero extincto, alterum illæsum fortuna seruauit. Oppidani siti superati, deditionem consilio habito facere decreuerant. Sed præter spem obsessis consultum est. Nam repente vis ventorum, pluuia & tempestate in mari exorta, & ipsis aquas desideratas exhibuit, & Iacobum Regem, qui cum tota classe iam pene fluctibus obruebatur, loco cedere coegit. Ante discessum Iacobus Regium animum præ se tulit. Namque Sanguinetti dolori modum impositurus, alterum filiorum obuolutum fericis vestibus ad sepulturam, alterum superstitem ad solatium genitori liberaliter transmisit, & Caietam nauigauit. Eam dum oppugnarer, ac Robertus Atrebas defenderet, Nuncii Alfonsi Arragonum Regis, & Regis Angliæ (nam hi simul cum Legato & Internunciis Apostol. Sedis conuenerant) ad Iacobum, & Robertum aduenenẽre, quiad inducias pacisc endas, etiam nomine Nicolai Pont. hortarentur. Robertus primo castra deseruit, Iacobus autem nonnisi post triduum in Siciliam nauigauit. Genuensium plurimi, Duce Rogerio Auria hactenus contra Carolũ & Ecclesiam sub signis merentes, Siculisq, anathemate damnatis plurimam opem ferentes, iisdem diris sese implicauerãt. Domum reuersi, cum eos pœnitentia criminis cepisset, Ecclesiæ conciliari, & sacris communicare postulabãt. Nemo, præter Sumum Pont. eos exsoluere aut poterat, aut audebat. Huic itaq; supplices facti, obtinuerunt, vt is Fr. Iacobo de Voragine Ord. Præd. potestatem faceret pœnitentes absoluendi; dumodo iureiurando sese astringerent, non amplius Siculis communicaturos; neq; eis consilium, auxilium, aut fauorem præstituros.

ep. 43. Reat. 15. Cal. Iun.

VII. *Pet. Marcel. in Dandulo.* BELLVM INTER PATRIARCHAM AQVILEIENSEM ET VENETOS.

In reliqua Italia, alicubi inter Principes familiarum, dissensionibus laboratum: præcipue vero Ioan. Dandulo Duci & Senatui Veneto cum Aquilegiensi Patriarcha nouum bellum exortum. Aliquot Histriæ ciuitates, castra & oppida, sese in potestate Patriarchæ esse asserebant: quæ Venetiarum Princeps sui iuris esse volebat. Eorum populos itaque cum Veneti armis ad imperium reducere pararent, ob id; classem eò cum copiis transmisissent, ipse Aquilegiensis cum auxiliaribus copiis præsto adfuit. Cæterum cum copiis & viribus impar esset, Parentinẽsis, Emoriensis, Iustinopolitan. S. Laurent. Montonis, Grassimoniæ, Pyrani, Insulæ Muglæ, & aliorum castrorũ ac villarum possessione exutus est. Graue id damnum, nec non intolerandam iniuriam, Patriarcha, Sedi Apostol. quemadmodum par fuerat repræsentauit. Porro Nicolaus Pontif. datis literis Ducem & Senatum seuerius admonuit, vt arma deponerent, milites reuocarent, erepta Patriarchæ restituerent. Quod si quippiam iuris vel haberent, vel se habere putarent, apud subsellia Apostol. Sedis causam proponerent, & ab ea sententiam expectarent. Quod si contemnerent obtemperare, scirent potestatem Archiepiscopo Ragusino factam es-

epist. 122. Reat. 15. Cal. Sept.

ep. 123. ibid.

ep. 47. ibid. 35, Cal. Oct.

se, in contumaces anathema distringendi, & vniuerso eorũ dominio sacris interdicendi. Cæterum, quod per id tẽporis, non omnimodis sibi, suisq; subditis ab hæretica contage cauissent; monuit Ducem & Senatum, Nicolaus Papa, vt Constitutiones Sedis Apostol. atq; Imperat. hactenus contra hæreticos editas, in volumen legum adscriberent, publicarent, obseruarent, & ex formula earum in easdẽ adderterent.

VIII. CAPTVS IVDÆVS A RVDOLPHO REGE, PRÆCIPITVR LIBERARI A NICOLAO IV. *ep. 185. Reat. 4. Cal. Sept. direct. Inquisit. p. 2. q. 44.*

In Germania, reliqua quieta; præter quod Rudolphus Rex Romanor. quendam Mohirem Rothenburgium Hebræum, in carcerem retraxerat. Non deerant Hebræorum primores, qui apud Nicolaum Pont. conquererentur: sine causa, innocentemque in vincula coniectum esse. Monuit itaque Rudolphum Nicolaus, vt si is nihil contra fidem orthodoxam deliquisset, nec vspiam in Regiam maiestatem cõmisisset, illum eliberaret. Forte Rudolphum commouerat iustus zelus, si is aliquorum Christianorũ fidei constantiam pertentaret. Per eos enim dies, recutitorum contagio in plurimos pernaserat, sectamque Iudaizantium, & reiudaizantium ex promiscua confluge fecerat. Ritus reiudaizantium commemorabat Eymericus, pars ridendos, pars abominandos. Inprimis requirebant, si vellet facere, *Teuila*, scilicet, balneationẽ, siue lotionem in profluuio aquæ currentis. Affirmante illo infelici, dicebat Præfectus mysteriorum, *Baal tessuua*, scilicet, *reuertaris à statu peccati*, & interim omnibus vestimentis spoliatum, nudumq; primum in aqua calida abluebat: Iudæi vero administri, arena totum corpus ad Iudaismum reuertentis perfricabant, maxime vero frontem, pectus, & manus, & loca sancto Chrismate peruncta, tum pilos totius corporis deradebant, & vngues manuum ac pedum vsque ad sanguinis effusionem præcidebant. Ad eum modum rasum & præcisum, in aqua fluuii currentis, caput ter demergebant, orantes: Benedictus Dominus Rex cœlorum, qui præcepisti nobis sanctificari super aquam istam, seu balneum, *teuila*. Lotum postea nouo indusio induebant, osculabantur, & nomine nouo, vel illo quo ante baptisma susceptum appellabatur, consalutabant. Ille autem interim legem Mosaycam profitebatur, & tum seruare, tum defendere, tum secundum formulam eius viuere promittebat: atq; sacrum baptisma, fidem Christi, ritus & mores Christianorum diserte execrabatur, quorum omnium testimonium, instrumento publico descripto, accipiebat, & ad Iudæorum sacra admittebatur.

RIDICVLI IVDAIZANTIVM ET ABOMINATI RITVS.

IX. CONSTITVTIO NICOL. IV. ADVERSVS IVDAIZANTES IN GERMANIA. *epist. 194.*

Qui à Christianismo ad Iudaismum transibant, præter superiores actiones, circumcidebantur; vario tamen ritu, ab Iudæis natis, vt ab illis distinguerentur. Horum eum non infrequens numerus quotidie in Germania multiplicaretur, Nolaus Pontifex Max. contra eos sanxit, eam quæ sequitur Constitutionem, vniuersis Inquisitoribus præscriptam.

Turbato corde audiuimus, & narramus, quod non solum quidam de Iudaica cæcitatis errore, ad lumen Christianæ fidei conuersi, ad priorem reuersi esse perfidiam dignoscuntur: verum etiam quamplurimi Christiani, veritatem Catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Iudaicum transtulerunt: quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate securius blasphematur. Cum autem huic pesti dammabili, congruis & festiuis deceat remediis obuiare, vniuersitati vestræ per Apostol. scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos, auctoritate Sedis Apost. designatos super præmissis, tam per Christianos, quam etiam per Iudæos, inquisita diligenter & sollicite veritate, contra omnes, quos talia inuenieritis hactenus commisisse, ac committere in futurum, tanquam contra hæreticos; contra fautores quoq; receptatores, & defensores eorum, tamquam contra fautores, receptatores & defensores hæreticorum procedere studeatis. Iudæos autem, qui Christianos vtriusque sexus, ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inuenieritis de cætero inducentes, pœna debita puniatis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo; inuocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Reate, Nonis Septemb. Pont. an. 1.

X. MONET REGEM GALLIÆ, NE LIBERTATEM ECCLESIASTICAM OPPRIMI SINAT. *ep. 139. Reat 3. Non. Sept.*

Eodem an. Nicolaus Pont. Regem Galliarum Philippum, libertatis Ecclesiasticæ admonuit. Rhemenses Scabini & Exactores vectigalium, collectas, portoria, vectigalia clero imponebant, & exactionibus insolentibus aggrauabant. Monuit Regem itaque Nicolaus, vt ministros reprimeret, neve immunitatem Ecclesiasticam opprimi sineret, cum sciret, promptũ esse Apost. Sedi iura sua & suorum acriori animaduersione vindicare. Cum autem intercleri religiosi Grandimontensis religio non postremo loco habita, siue per negligentiam Prælatorum, siue per occasiones bellorum, multum à pristino viuendi genere in Galliis deflexisset, neque, monitore Honorio IV. Pont. Max. ad astrictum vitæ genus redire curaret: commisit Nicolaus Papa Bernardo Montacuto Abbati Moysiacensi, & F. Bernardo Ord. Præd. Prouinciali Galliarum, vt in delinquentes Monachos ex legib. Ecclesiasticis animaduerterent, & id quicquid collapsum in moribus vel ritibus fuerat, corrigerent, adeoque ad formam promissionis religionem vniuersam conformarent.

ep. 131. apud S. Pet. 7. Calend. Maii.

XI. MITTIT AD CVMANOS ET BARBAROS REGEMQVE LADISLAVM FF. PRÆDICATORES ET MINORES. *ep. 106. Reate 8. Cal. Aug.*

In Hungaria Rex Ladislaus Chunus, monente Honorio IV. Pont. Max. nequaquam à turpissima & execranda viuendi & imperandi consuetudine redierat. Iniunxit Nicolaus Pont. Regi Boemiæ, Regi Roman. ac Ducibus Poloniæ, Austriæ, ac Slauoniæ, vt Archiepisc. Strigonien si, in correptionem Regis libidinantis & præuaricantis intento, opem & auxilia quam maxima adferrent. Cæterum cum Ladislaus ex Comanorum & aliorum barbarorum cõuersatione indies longe deterior euaderet, misit Nicolaus quamplurimos fratres Ord. Præd. & Minor. qui non tantum Comanis, sed & reliquis in Oriente gẽtilibus verbum vitæ renunciarent. Porro, quos ad Gentes & Schismaticos destinauerat, maximis priuilegiis ornauerat, dato diplomate, cuius initium est: *Cum hora undecima*, &c. Reate 3. Nonas Sept. Pont. an. 1.

epist. 44.

XII. SANCTVS REX CASTELLÆ CONVENTVM PRINCIPVM CELEBRAT APVD ALFARVM, SED NON SINE SANGVINE. *Mariana li. 14. c. 12.*

In Hispaniis, Sanctius Rex Castellæ, apud Alfarum ad fines Aragoniæ & Vasconum in Castella situm municipiũ, Conuentum Principum habuit. Aderant Ioan. Fr. & Lupus socer Regis; ex Episcopis autẽ Gonsaluus Toletenus, Ioan. Alfonsus Placentinus, Calaguritanus, Vxamẽsis, Tudens. præterea Scrinii Magister Hispalensis Decanus, atq; Vallisoleti Abbas. In eo consilio, multa de Repub. vtraq; constituta fuẽre. Accidit tamen, vt Rex in discrimen vitæ incideret. Mandabat, arces quæ in Ioan. & Lupi potestate erãt, sibi continuo restitui, milite præsidiario sacramẽti religione soluto, tesseraq; indicata, per quam intelligerent haud dubiè ipsorum mandata esse. Parere recusantibus vincula iniici iubebat. Ibi Lupus districto gladio, inuolutaq; sinistra sago, addita etiam verborum contumelia tyrannũ, perfidum, impium, cæteraq; quæ furor dabat, inclamans regẽ irruit interfecturus. Ingens facinus, confidentiam singularẽ. In vestigio, astantium cõcursu, dextra primo obtruncata confossus ipse est; vir acer & fortis, cui nimia potentia, nimiaq; gratia crimini, inuidia populi calamitati fuit, insolensq; animus. Ioan. vno & altero ex aulicis in Regis oculis vulnerato, postquam socerum occisum vidit, ad Reginæ cubiculũ fugit. Eius precibus tantum non finum & latus opponentis insequentis cum gladio regis manus, necem q; euasit: vinctus tamen ferro & in custodiam traditus est, dicturus in iudicio causam. Omnino sublatis ducibus tumultus in præsenti pacatus, claro recentiq, noxæ simul & pœnæ exemplo factionis studia retenta, ne se continuo cõmouerent. Nonnulla pars vltoris virgæ cœlestis in regem Sanctium dirigebatur, quod se incæsto matrimonio contaminasset, neq; Pontif. id coniugium rescindenti obtemperare voluisset. Is namq; collocata sibi Maria Alfonsi Molinæ filia, Infante Castellæ, tertio gradu sanguinis propinqua, Summum Pontif. vt istud vinculũ ratum haberet, flagitauerat: Pontif. autẽ Nicolaus IV. nec quicquam audire aut exaudire volebat: quin potius Mariam dimittere præcipiebat.

ep. 612. apud S. Mariam Maior. 2. Non. Nouemb. an. 2.

XIII. OBITVS B. ARDITII SOLARII MEDIOLANENS. DISCIPVLI D. DOMIN.

Hoc an. in cœlestem patriam abiit B. Arditius Solarius Mediolanens. discipulus D. Dominici Conditoris Prædicatorũ. Omnes ferè virtutes, & inprimis puritatẽ animi, modestiam, humilitatẽ, obedientiam, paupertatis & castitatis amorem, ardentissimamq; erga Deum charitatẽ à D. Patre, tanquam è purissimo fonte hauserat, & vsq; ad vitæ extremum conseruarat. Is est Arditius, qui Gregor. IX. Summo Pont. in vitam D. Dominici inquirenti, renunciauit, quæ ipse coram aliquando aspexit, scil. B. Dominicum fuisse mitem, mansuetum, patientem, benignum, pacificum, sobrium, modestum, & in omnibus dictis & factis

suis

suis admodum grauem, pium, consolatorem olim, seruatorem mirificum formulæ viuendi ordinis suiac institutorum, paupertatis autem in victu & vestitu tam suo, quam suorum cœnobitarum, in ædificiis quoq; ac in vestibus & ornamentis Ecclesiasticis amatorem summum: qui cauit, ne vestes Ecclesiasticæ aut ex purpura, aut ex serico fierent: vasa quoque aurea vel argentea, præter calices, ne essent. Fuisse etiam in orationibus assiduum, tam in die, nisi quid impedimento esset, quam in nocte, & adeo quidem pernoctare solitum, vt raro illum eius cœnobitæ dormientem inuenerint, neq; vllum fuisse qui sui ordinis decreta & instituta diligẽtius & rigidius seruaret, quiq; nulla in re sibi parceret: & qui à suis omnia exacte, in choro, in triclinio, & cæteris in locis ac in omnibus rebus seruari magis poscereat. In concionibus quoq; ardentissimum fuisse, & salutis animarum præcipuum amatorẽ, ad quod cæteros etiam suos magno studio accenderet. Alios præterea ordines ac religiosos viros, singulari quodam cultu ac veneratione prosequi solitum. Se præterea credere, & alios audisse, idem asserentes, illum vsque ad extremum vitæ integram seruasse virginitatem, ac eius rei constantem ac publicam in toto Prædicatorum Ordine fuisse opinionẽ & famam. Addidit quoque post illius translationem corporis, nocte quadam, præsente Bononiensi Prætore, ac multis ex nobilioribus vrbis ciuibus, & Generali totius Ordinis Magistro, Prouincialique Priore, ac multis aliis ex Patribus Ordinis hoc petentibus, apertum fuisse nouum sepulchrum & capsam, in qua corpus illius quieuerit, & omnibus illis monstrata fuisse ossa, quæ miram odoris fragrantiam emitterent. Claruit Arditius viuens & vita functus nonnullis miraculis, sanctitatis maioris qua eminebat indicibus. *Michael Bononiensis de viris Illustribus Ord. Præd. & Flaminius in vita S. Dominici.*

XIV. Hoc anno mare Frisiam, Hollandiam, Zelandiam & Flandriæ partem prodigiose inundauit.

IESV CHRISTI
Annus 1289.

NICOLAI PAPÆ IV. Annus 2. RVDOLPHI REGIS Romanorum 16.

I. *a Rubeus in vita Nic. 4.* RES CHRISTIANORVM IN SYRIA PESSVM EVNT. PTOLEMAIS, SIDON, BERYTVS, ETC. CAPIVNTVR AB SVLTANO, NON HOC ANNO OMNIA.

INter *a* alia plurima, maximè omnium Nicolai Pontificis animum angebat, quod Christianos Principes per mutua dissidia videret, à nobilissimo victoriæ genere abduci, quo in Syria aduersus Sultanum, pro re humana, pro religione Christi Dei, pro Christianis miserè afflictis, & in vrbe Acri, quæ fuit veteribus Ptolemais acriter obsessis, & opem vndiq; assiduè implorantibus, vti poterant. Premebat tunc bello, & circumsidebat Ptolemaida Sultanus, cum in eius essent exercitu equitum sexaginta millia, peditum centum sexaginta. Itaque maiori quam vnquam studio, Nicolaus, qui dolebat rem Christianam quotidie in peius ruere, insignem peccatorum remissionem iis indulgebat, qui Crucis accepto signo, aut in Syriam ad bellum gerẽdum nauigarent, aut expeditionem aliqua ratione iuuarent. Deinde ad Christianos Principes cõuersus, vniuersos & singulos hortatus est, vt hanc prouinciam, liberandæ ab hostibus Syriæ magno animo susciperent, quando totum fere robur Christiani nominis secum deferrent, eorumque muneris esset, ipsa arma, quæ tam acriter vibrabantur inter illos, pro fidei Christianæ propugnatione, aduersus impios hostes conuertere. Ne verò inopiam ærarii prætenderent, aut paucitatem militum excusarent, Prouinciali inprimis Romano Ordin. Prædicat. vt triginta Fratres Diuini verbi præcones insigniores, tum reliquis Prouincialibus & ministris vbique terrarum, vt tot quot possent Prædicatores Crucis militiæ destinarent iniunxit, qui populo Christiano piam militiam indicerent, omnesque ad suscipienda arma, vel ad subsidia ferenda inuitarent. Decimationem quoque bonorum & fructuum Ecclesiasticorum, in triennium omnib. Ecclesiis imposuit. Ad hæc, graui edicto, velut hostes Ecclesiæ notauit, & inferorum pœnis deuouit, qui non modo arma lignaque, quod iam pridem fuerat interdictum, sed quascunque merces, Alexandriam, atque cætera Ægypti loca Sultano subiecta deueherent: quemadmodum adhuc legitur eo Nicolai diplomate, quam Extrauagantem appellabant. Neque verò iis tantum, quicea in illas regiones importarent, diras renunciauit, sed & iis qui mitterent, fauerentve, aut consulerent, & qui muneris quidquam in ipsis nauibus susciperẽt, aut è suis portubus educi permitterent. Edouardus Rex Anglus, ferè nihil aliud apud summum Pontificem agebat, quam quod subsidia, arma, viros, in id sacrum bellũ polliceretur, sed tantùm polliceretur. Nam sacras pecunias, nec aliud cogitabat, quas per speciem eius expeditionis ærario Ecclesiastico subtrahere nitebatur. Quapropter nõ solius Angliæ & Scotiæ, verum & reliquorum Regnorũ, quorum Reges aut Principes domi resiederent, neq; in Syriam nauigare vellent, decimas & collectas à Nicolao postulare audebat. Intellexit Nicolaus, id quod erat, & quidem aliorum regnorum stipendia ingenuè negauit: Scotiæ autem & Angliæ numerare pollicitus est, tunc cum is naues, commeatum, & reliqua bello gerendo necessaria parasset. Ex Italia cõplures, inprimisq; Flaminii Sancto Crucis signo susceptopropriis stipendiis in id bellum nauigarunt, multi pecunia ac milite adiuuerunt. Ipse quoq; Pontifex, quãquam satis copioso milite, sua pecunia cõducto (ad duo millia & quingentos numerabantur) summa ope, ade esse labentibus rebus niteretur, addidit tamẽ ex eo quod Ecclesiasticæ ditionis populi contulerant, tantũ nummorum quantum esset satis in sumptum 20. triremium, quas per Nicolaũ Quirinum & Marcum Bembum, misso ad id Tripolitano Antistite, à Venetis postulabat. Erat quod Nicolaum Pontificem ad sacram militiã incitaret. Per id enim temporis, cum res Christianorum in Syria parum procederet, randẽ Magistro Templariorum, spectata & perpetuò memorabili virtute lõge clarissimo, cuius inprimis ductu strenuè omnia Christianorum gerebantur, in ipsa media propugnatione interfecto, ad 14. Cal. Maias, non absq; insigni Christianorum clade, cum ex nostris ad 60. millia desiderati fuissent, Sultanus Ptolemaide potitus est. Vrbis desperata iam salute, multi, itrumpentib. in illam Saracenis, fuga elapsi, nauibus in Cyprum traiecerunt, omnium postremus Ciuitatis Antistes, haud ita magna naui, multos affiduè ruẽres potius in eam, q̃ fugientes, excipiens, dum quẽquam reiicere, prope impium existimaret, pessum eunte naui cum omnibus demersus est: vno tantum incolumi, qui Christi Dei cruci suffixi imaginem præferebat, euadente: cũ antea plurima etiam, quod sese mari, tum forte à tempestate intumescenti, atque vehementer agitato committere ausi essent, vt abeuntes naues, easdemque nauigantibus vacuas persequerentur, fluctibus obruti interiissent. Quamquam autem dederat Sultanus Christianis, qui in templa profugerent, vt illis saluis abire liceret: eamq; ob rem milites, Sultani iussu, ferro abstinerent: tamen barbaræ feritatis non omnino obliti, in pudicitiam fœminarum sæuiebant. Qua de causa Christiani gladiis districtis, impetu in Saracenos facto, pulchram mortem oppetentes, magis quam vt tantum dedecoris ferrent, multos eorum obtruncarunt, moxque in proximam turrim dilapsi, sese in ea aliquamdiu strenuè tutati sunt. Cæterum Saracenorum opera tandem corruente turri, ruina qui euaserant oppressi interierunt.

ep. 565. Reate Nou. Octob.

II. PVLCHRVM PVDICITIÆ SERVATÆ EXEMPLVM, IN VESTALIBVSS. CLARÆ SE DETRVNCANTIBVS.

Istud vero quod acrius pupugit, tot curis anxium Pontificem, fuẽre sacræ virgines, institutum D. Claræ professæ. Eæ, cum ad Cœnobium suum, in quo cæcis parietib. claudæ, vitam sanctissimè transigebant, aduentare barbaros prænouissent, vt, vnde stuprandarum mulierum libido capere viros plerumque solet, inde tuendæ pudicitiæ acciperent remedium, & formam ipsæ suam corrumperent, dum integer pudor, incorruptaq; virginitas maneret, mutuis vulneribus ferro sibi nasos præciderunt, & vulneribus faciem deformarunt. Neque vanum consilium fuit, quando Saraceni illuc ingressi, & tam horrendo spectaculo perculsi, omnes ad vnam trucidarunt. Sultanus, vt ne quid inultum aut intactum foret, igne quatuor vrbis locis iniecto, cum etiam ferrum distrinxisset, pene totam absumpsit, omnesque deleuit. Sidone paulo post & Beryto captis, direptisq; Syria fere omnis, pulsis inde Christianis, in Sultani ditionem venit, tanto Nicolai mœrore, vt nunquam præterea summus illi angor exciderit ex animo.

III. CONVOCAT PRINCIPES AD CONCILIVM PRO RECVPERANDA TERRA SANCTA.

Cæterum cum adhuc esse ad Cyprum triremes aliquot integras accepisset, magnopere hortatus est, darent operam, vt primo quoque tempore ad Quandelorium Castellum, magni ad id, quod pro recipienda Syria instituerat momenti, cum 20. triremibus properarent. Imperata Nicolai Pontificis facta, eoque adnauigatum. Sed cum interea à Saracenis, quod & nossent ipsi loci opportunitatem, munitum fuisset, re frustra tentata, Alexandriam profecti sunt: ibique aliquot dies commorati, in Cyprum rediêre. Hac de re Sultanus plenus spei maioris atque animi, in Cyprum expeditionem, triremibus centum instructis parauit, & in Procerum suorum conuentu diuulgauit. His permotus Nicolaus Pontifex, Conuentum & ipse celeberrimum edixit, inque eo, quantum dedecoris damnique ad Christianum nomen accesserit, non sine lachrymis exposuit: tandem re omni in consultationem diligenter reuocata, decreuit, vt postero anno in Syriam aduersus Saracenos traiiceretur, omniumque peccatorum remissio iis proponeretur, qui Crucis signo ornati, ad id bellum exirent. Sperare enim se, vt qui iam Constantinum Cæsarem, hoc primum signo vti in bello edocuit, & eius exercitum, hoc eodem humeris impresso, aduersus impium tyrannum, prælio victorem fecit; CHRISTVS DEVS, tunc quoque pro ipsius causa pugnantibus adfuturus esset, quando & in Lateranensi Concilio INNOCENTIO Tertio Pontifice, & ab aliis deinde Pontificibus Maximis, idem in hæreticos gestantibus, magnæ peccatorum remissiones fuerint diuino eodem instinctu euentu felicissimo datæ. Hac de re NICOLAVS ad omnium ciuitatum Antistites dimissis litteris, iussit, suos quenque Conuentus habere, & decretum Pontificis pronunciare, & ad eam expeditionem omnes hortari. Quod & factum est. Inter cæteros reperio OTTONEM Vicecomitem, Mediolani Archiepiscopum, Conuentu habito suorum Episcoporum, ternas Nicolai ad se litteras legisse. Prioribus significabantur res Christianæ in Syria profligatæ, perditæque, & peccatorum remissio, à Pontifice, iis, qui Cruce insignirentur data. Alteris mandabatur, vt Antistites, suis quisque prouinciis ac diœcesibus, istud peruulgarent. Postremis, vt Templariorum ac Hospitalariorum equitum, duo ordines côiungerentur, ac vnum fierent. Quæ cum essent proposita, sic à Patribus accepta sunt, vt litteræ tandem ab Ottone ad Pontificem, de communi omnium sententia scriptæ fuerint, oratoresque decreti, qui apud Nicolaum agerent, summum eius belli Ducem, vt Gallorum Regem esse vellet; omnes Principes ad id sacrum bellum inuitaret, pacem inter Venetos, Genuenses, Pisanos, cæterasque ciuitates portuosas conciliaret, fœdusque sanctum feriret; vt & in omnes portus tuto penetrari, & ibidem securè consisti posset: ad Templarios Hospitalariosque Equites, etiam ipsi Teutonici sic adderentur, vt vnum factis omnibus vnus præesset Magister, isque à Pontifice Maximo præficeretur. Sed hæc omnia, non vno hoc præsenti, sed postero, & insequenti anno successêre. Nam Nicolaus Pontifex Regi Edouardo, diem Sancti Ioannis Baptistæ in annum Dominicæ Incarnationis millesimum ducentesimum nonagesimum secundum ad transfretandum designabat, quamuis anno præsente Ptolemaidam amissam fuisse renunciabat.

ep. 565. Reat. Non. Octob. Pont. an. 2.

IV. RVDOLPHVS DIADEMA PETIT AB NICOLAO.

Eodem anno Pontifex Nicolaus, Rudolphi Romanorum Regis Internuncios, Fratrem Brochardum Magistrum Hospitalis militum S. Mariæ Theutonicorum, & Magistrum Henricum Protonotarium Regium, apud Sanctam Mariam Maiorem audiuit. Postulabant Regi suo diadema Imperii: cui accipiendo, iam Italiam seriò cogitabat. Huic rei Nicolaus Beneuenutum Episcopum Eugubinum sedis suæ Nuncium in Germaniam misit, qui cum Rudolpho rem conferret, & tum diem, tum modum & circumstantias inaugurationis cum eodem statueret.

ep. 10. Romæ apud S. Mariam maiorem Idib. April.

V. HORTATVR RODOLPH. VT EPISCOPVM COLONIENSEM EX CAPTIVITATE LIBERET. *epist. 372. & seqq. Reate 5. Id. Aug.*

Cum autem per id temporis, Ioannes Dux Brabantiæ, Henricus de Iuliaco, & Adolphus de Monte, Coloniensem Archiepiscopum in vincula coniecissent, & intolerandis iniuriis tum eum, tum Ecclesiam ipsius affecissent, nec non etiam castra eius quædam inuasissent vsurpassentque: & quod deterius est, litteris variis Apost. Sedis nô obtemperassent, hortabatur Nicolaus, Rudolphum Regem, vt pro libertate Ecclesiastica arma susciperet, & tam Archiepiscopum, quam bona Ecclesiæ Coloniensis eripere à tyrannide inuasorum properaret. Adiutores illius esse volebat Ducem Lotharingiæ, Comites Barensem, Lucemburgicum Hannoniæ, & Flandriæ, quorum opem contra inuasores imploraret.

VI. CAVSA ET ORDO CAPTIVITATIS ARCHIEPISC. COLON.

Causam & ordinem captiuitatis Archiepiscopi Coloniensis, *ex Belgicis annalibus* prodiderunt hunc fuisse.

Ioannes primus Anno millesimo ducentesimo octuagesimo octauo bellum habuit cum Reginaldo Comite Geldriæ, qui de Limburgensi Ducatu controuersiam Louaniensibus faciebat. Erant in partibus huius plerique vicinorum Principum, atque ipse Antistes Coloniensis Siffridus. Falcoburgi conuentum habuerunt, arma & militem parantes: Sed Ioannes occupauit, & tota Brabantia dilectu indicto, insigni exercitu, Mosam flumen Traiecti transmisit. It in hostes, illi in fugam: & Antistitem, vt columen partium Ioannes persecutus, Bonnam vsque peruenit, & prourbia exussit. Cum pugnæ copia non fieret, reduxit suos, iussos prius equos omnes, militari quadam iactantia, in Rheno potare: factoque VVoringam arcem ad Rhenum: duobus circiter infra Coloniam milliaribus, validissimum in iis locis propugnaculum, obsedit. Non deserit se & suos Antistes, amicos & fœderatos è Germania conuocat, & ingentem exercitum facit, venitque prælio certaturus. Septem primarii Duces erant, totidem cateruæ conspiciebantur: ipse Antistes, Henricus deinde Lucemburgensis, Reginaldus Geldrus, Adolphus Nassouius, Valeranus Falcoburgens. & duo huius fratres. Vt in propinquo fuere, Ioannes Dux animandos suos ratus, ita insit: Breui & simplici oratione apud vos vtar, commilitones: viri este, aut viui nec este. Quid verbis opus est? animis & oculis circumspicite, cincti vndique ab hostibus sumus, à fronte, tergo, latere, & in media eorum terra: Fugam aliquis cogitat? nisi alas sumitis, non euadetis: ideoque vana aut fœda omitte: ferro viam hanc fecimus, ferro reditus est parandus. Gloriosum huc vsque penetrasse, & hostibus profugis solum eorum calcasse aut subiecisse: sed tanto maius periculum aut infamia est, remittentibus & ignauis. Procul amici, procul patria: cuique in se spes, & Deum, causam, & me videte. Iniustis armis lacessiti sumus: & ideo timor in illos ingruit, atque aris focisque patriis desertis fugerunt. Quid iam? venit imbellis Dux, non quia audet, sed quia latere vltra non potest, & animos à desperatione simulat magis, quam sumit. Trahit secum septem agmina: & gaudeo, diuulsi sunt. Facite cohærere: nempe sub illo capite, quod sacra magis, quam arma, tractare didicit, & addam, debuit, quid tibi vis Antistes? Aciem, cruorem, cædem omitte: puras manus Deo offer, & ab armis ad aras iterum refer. Si non vis, adigemus: & hoc quoque victoria huius decus erit, Deo & Diuinis suum decus vindicasse. Agite ô equites peditesque, vos ô mei è Brabantia, qui estis & fuistis exhibete. Quot victorias ego aut pater meus vobiscum peperit! agnosco ora manusque: & cinctus vobis, vel in media Barbaria confidam. Semper supra pericula, extra dedecora fuistis: idem nunc: aut mihi quidem suprema hæc lux esto. Sed abominor, hostibus eueniat: en ibi sunt, in illos imus, qui me amat, verè nunc Ducem sequatur; Imus. Dixit, & adhuc dicentem voces interpellarunt, & tympana vndiq; ac tubæ. Nam & hostes magno animo inquiebant. Concurritur, & negant Annales ab vlla hominum memoria talem in istis partibus pugnam pugnatam. Ioannes vt promiserat, eminet: & inter primos voce, manu, incitat, aut pugnat. Atque adeo in manus hostium, pressus cinctusq; multitudine, venit: sed Brabantini eò acrius irrumpere: interq; eos primus Arnoldus Hoffladius, Louaniẽsis eques, vetere gloria militari. Is disiectis aut cæsis proximis, magna vi Ducem eripit, & in equum suum ipse desiliens imponit. Iamq; pedes pugnabat, & periclitabatur: sed iterum egregio facinore, imminentem sibi hostem interficit, equumq; eius conscendit. Eo exemplo & aspectu Principis sui, animati Brabantini, nouo impetu inuadunt, sternuntque hostem. Quadringenti ordinis equestris viri cæsi, è Ducibus Lucembergensis, & duo Falcoburgii fratres: vulgum non numerant. Capti ipse Antistes Coloniensis, Geldrus, Nassouius, Falcoburgensis. Memorabile satis est de Nassouio, quod narrãt, captus videlicet, cum Duci Ioanni sisteretur, rogareturque ab eo, Quis esset? Comes sum, inquit, Nassouius; & addidit: Tu autem quis es? Ioannes; Dux sum Brabantiæ, quem bello iniusto petiisti. Ille: Tune autem? miror & indignor gladium meum euasisse, quem in te vnum acueram, & sanguine isto tingere auebam. Ferox & militare dictum, alium irritasset: Ioannis altum animum ad clementiam mouit: & virtute, ac libertate viri inductus, veniam ei, imo amicitiam suam dedit. Capto Siffrido Coloniensi Antistite, in bona quoque Ecclesiæ illius miles iuit, eaque fecit, quibus Nicolaus summus Pontifex permotus, ad illum eliberandum intercessit. Lipsius in Louan.

VII. IN HÆRETICOS IN ITALIA NATOS ANATHEMA IACIT NICOLAVS IV.

In Italia hoc anno, per occasiones bellorum ciuilium, disciplina Ecclesiastica euigorata, quamplurimæ hæreses per hos annos emerserant, & plurimas prouincias infecerant. Non sibi ferendum itaq; Nicolaus putauit, nobiliorem Christiani orbis partem colluuie perfidorum contaminari. Quamobrem ventilabro Euangelico & falce auctoritatis Pontificia assumpta, tum inanes paleas euentilare ex horreo Dominico, tum infelix lolium à maligno insertum ex agro cultiore succidere conatus est. Fecit vtrumque satis abundè. Nam & die Cœnæ Dominicæ, ex more recepto, anathema strinxit in omnes promiscuè hæreticos, & Inquisitoribus Siciliæ, Beneuentanæ Prouinciæ, Genuæ, Lombardiæ, Æmiliæ, Insubriæ, & reliquarum Italiæ ditionum præcepit, vt tam in eos quam in fautores, recipientes, defendentesque disciplinam Ecclesiasticam exercerent. Cæterum ne tantummodo legibus Ecclesiasticis in eos agere videretur, etiam Constitutiones Imperatoris Friderici secundi in eos latas, voluit confirmare: vt tanto magis efficacius eos afficerent, quo ab auctoritate Apostolica maius robur accepissent.

epist. 268. & 178. Ro. 10. Cal. Maii & epist. 260.

VIII. CONTROVERSIÆ INTER CLERVM ET REGEM DIONYSIVM LVSITANVM, FINEM ACCIPIVNT.

Apud Lusitanos, veteres inter Clerum & Regem Dionysium dissensiones, auctore Nicolao Pontifice finem acceperunt. Plurimos Pontifices, à Clemente Quarto vsque ad hunc annum, eæ exercuerunt. Clemens ipse Quartus, Gregorius Decimus, Innocentius Quintus, Hadrianus Quintus, Ioannes Vigesimus, Nicolaus Tertius, & Martinus Quartus nihil frequentius audiebant, quam complorationes Archiepiscopi Braccarensis, & Episcoporum Colymbriens. Lamecens. & Syluens. qui nomine totius Cleri, Regem Dionysium apud Sedem Apostolicam iniuriarum postulabant. Dionysius quoq; missis cum plena facultate Internunciis Martino Petri Cãtore Eborens. & Ioanne Martini Canonico Colymbriens. Archiepiscopos, Episcopos & vniuersum Clerum accusabat, seque innoxium iniuste à cætu fidelium separatum, & regnum interdicto Ecclesiastico iniquioribus rationibus subiectum criminabatur. Cognoscendis controuersiis Nicolaus Pontifex præfecit, Latinum Ostiensem & Veletrensem Episcopum, & reliquos duos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Coram his Archiepiscopus cum Episcopis contra Dionysium proponebat eos articulos, quos verbis ipsis illorum ipsorum placuit inserere.

IX. *num. 2688.* ARTICVLI CLERI CONTRA REGEM DIONYSIVM LVSITANIÆ.

1. *Rex pro sua voluntate compellit Priores, Abbates & Ecclesiarum Rectores, vt Prioratibus, Abbatiis, & Ecclesiis suis renuncient, maximè in illis Ecclesiis & monasteriis, in quibus contendit ius patronatus habere.*

2. *Si Episcopi vel Ecclesiarum Rectores in Parochianos suos pro eo quod decimas & alia iura sibi debita non soluunt, eisdem excommunicationis ferunt sententias, vel loca supponunt Ecclesiastico interdicto iustitia exigente: Dionysius rex & sui occasione huiusmodi executores banniri faciunt, & bona etiam eorum occupari.*

3. *Si Episcopi vel alii conueniant vel conuenire velint Abbates, Abbatissas, Priores aut Ecclesiasticas personas auctoritate litterarum Apostolicæ Sedis, Dionysius Rex id fieri non permittit.*

4. *Si feratur definitiua sententia forte pro actore non permittit executioni mandari, & actori adiudicata præcepit occupari.*

5. *Si Archiepiscopi, Episcopi vel aliorum Vicarii locum aliquem vel aliquam Ecclesiam Ecclesiastico supponunt interdicto, vel in homines ipsius Regis, excommunicationis, prout iustitia exegit, ferunt sententias, dictus Rex & sui, Episcopos vel eorum Vicarios ad relaxandum excommunicationis sententias, per minas & terrores, & occupationem bonorum suorum compellunt. Iudicans ipsos, si sententias ipsas relaxare noluerint iudicio Iudæorum. Subtrahendo ipsis communionem fidelium ac fideles ipsos si eis in aliis communicauerint, vel receperint ipsos in castris, villis aut domibus suis, capiendo, incarcerando, & bonis propriis spoliando.*

6. *Si aliqui iudices à Sede Apostolica, vel ab ordinariis delegati, vel etiam ipsi ordinarii, pro aliquibus clericis contra communitatem aliquam ad Regem pertinentem eundem vel aliquos de ipsa communitate interdicti, vel excommunicationis sententias ferunt exigentibus culpis suis; Interdicitur quandoque per Regem, quandoque per officiales suos, quandoque per ipsam communitatem clericis ipsis commune consortium atq; commercium: & ne aliquis ipsos in suis domibus recipiat prohibetur aqua & ignis ipsis pœna super hoc graui apposita, qui contra fecerint interdictis. Et hoc officiales ipsius Regis & communitates per muros & strictum suum & alia loca voce faciunt præconia proclamari. Nihilominus iidem Clerici diffidãtur, & bonis spoliantur suis Ecclesiasticis & paternis. Idem etiam fit ordinariis, & eorum delegatis, & vicariis, si sententias ex aliquibus aliis causis ferunt.*

7. *Si contingit quod locus aliquis, vel Ecclesia supponitur Ecclesiastico interdicto, vel Iudex aut alius officialis Regis, vel aliqui de ipso loco execrentur: statuunt inter se communiter, quod nullus soluat decimas, vel in testamento aliquid relinquat Ecclesiæ, seu oblationem aliquam ad ipsam Ecclesiam ferant.*

8. *Præterea præfatus Rex, & communitates eius non permittunt Episcopos Ecclesiarum suarum, Ciuitatum & diœcesium Parochias limitare.*

9. *Item vsurpat sibi ipse Rex, & communitates eius in quibuscunque Episcopatibus Regni tertias decimarum Ecclesiasticarum fabricis deputatas, & in quibusdam Pontificales; & faciunt de ipsis tertiis construi & refici muros suos, & quandoque pro stipendiis Rex illas assignat militibus memoratis.*

10. *Item ipse Rex non vult soluere decimas de suis redditibus, licet debeantur de iure communi, & etiam ex concessione priuilegii patris sui, & manutenet communitates contra Episcopos & Ecclesias in sua malitia, vt non soluant.*

11. *Hospitalia & Albergarias pauperum vsibus deputata, quæ in Episcoporum dispositione de iure consistunt, cum possessionibus & pertinentiis suis vsurpat.*

12. *Compellit tam per se, quam per communitates suas Clericos & personas Ecclesiasticas ad contribuendum in constructione seu refectione murorum, ciuitatum & locorum suorum, cum laicis: contra libertatem Ecclesiasticam, nec non contra legem paternam.*

13. *Cogit colonos Ecclesiarum & Monasteriorum ad hoc nullo iure obnoxios, ad constructionem seu refectionem murorum huiusmodi, per quod contingit colonos suas deserere colonias, & possessiones deuastari prædictas.*

14. *Personas ad Ecclesias fugientes, in illis casibus in quibus deberent per Ecclesias defensari, violenter facit ipse ac sui, per Saracenos & Iudæos, vel per Christianos extrahi ab iisdem, vel facit eos ibi custodiri & compediri quandoque per suos satellites, & eis cibaria denegari, vt exire de Ecclesia compellantur.*

15. *Ipse ac Meyrini sui & Iudices capiunt presbyteros & clericos irrequisitis eorum Episcopis, nec volunt eos restituere, licet petantur ab eis. Item huiusmodi capti quandoque per ipsum & suos denegatis alimentis vel per suspendium, vel aliis modis occiduntur, quorum interdum aliqui à Parochianis Ecclesiarum suarum ad eorundem parochianorum instantiam importunam restituuntur: cum cautione, vt Missarum solemnia eis celebrent: quibus vtique celebratis iuxta formam cautionis præstitæ, reducuntur in pristinam captionem.*

16. *Sæpe minatur Archiepiscopis ac Episcopis mortem, & quandoq; procurat; & facit eos inclusos in Ecclesiis, Monasteriis & alibi detineri, Saracenis, Iudæis, & aliis suis apparitoribus, prætoribus & Meyrinis ad interficiendum eos adhibitis circumquaque, facit etiam amputari auriculas seruientium Episcoporum, & quandoq; alios capi, alios interfici coram eis.*

17. *Facit ipsos Episcopos in aliquibus obsideri locis per Vasallos suos, eosdem sæpe ac publicè dehonestans, & contumeliosa verba contra eos proferens, & hoc idem temeritate propria Barones sui faciunt, & vasalli.*

18. *Idem Rex, ac sui tam Barones quam alii viliter verbis & factis dehonestant pro sui motus libito, Religiosos, clericos, & conuersos, & quandoque aliquos ex iisdem faciunt coram se denudari totaliter propriis indumentis in graue Vituperium earundem, & totius ordinis clericalis.*

19. *Facit inquisitiones per totum regnum per homines proprios, in Ecclesiarum tam Cathedralium quam aliarum de regno ipso præiudicium, super possessionibus & Ecclesiarum personatibus fieri, patronis Ecclesiarum, vel possessionum Dominis Ecclesiasticis non vocatis. Et si per talem inquisitionem illicitam & iniquam inuenit, quod ius patronatus alicuius Ecclesiæ vel possessio aliqua spectat ad ipsum, illico facit omnia occupari, licet possessa fuerint ab eorum dominis, à tempore cuius memoria non existit: amotis ab huiusmodi Ecclesiis rectoribus violenter, cum in tali casu non per inquisitionem procedendum, sed in foro competenti potius iudicium ordinandum esset.*

20. *Occupat Episcoporum, & aliorum Ecclesias, quas à longis temporibus, pacificè possederunt: & quod est absurdius, præsentatos à se ad huiusmodi Ecclesias, Episcopos ipsos compellit admittere, & instituere in eisdem, quod si forte aliqui ex ipsis finaliter nolunt admittere huiusmodi præsentatos, idem Rex, per homines suos facit detineri easdem, ac fructus prouentus ipsarum per eos percipit ex iisdem.*

21. *Si ad vacantem Ecclesiam in discordia diuersas diœcesano Episcopo præsentent personas, & ipse discussis causæ meritis de altero præsentatorum, vel alio forsitan Ecclesiam ordinat iuxta canonicas sanctiones: dum ille de quo Ecclesiæ prouidetur, per aliquorum ex patronis violentiam corporalem nancisci possessionem non potest: si tunc diœcesanus ad hoc dicti regni inuocet brachiũ, ipse non solũ non defendit eundem, immò fauet iniuriam facienti: hoc ipsum seruans in omnibus quæ sunt contra Ecclesiasticam libertatem.*

22. *Idem Rex non solum inhibet Episcopis & personis Ecclesiasticis, quod possessiones non emant aliquas etiam non emphyteuticas nec feudales, imò etiam ab antiquo vel de nouo emptas ab ipsis vel eorum antecessoribus, vel aliter acquisitas facit per iniuriam occupari.*

23. *Item quod quandam inquisitionem ad Prælatorum instantiam & magnos eorum sumptus super iniuriis, inuasionibus, & rapinis, ac monasteriorum effractionibus etiam diuersis enormitatibus aliisque multiplicibus malis Abbatibus, Prioribus, aliisque personis religiosis, Ecclesiarum Rectoribus, & aliis clericis irrogatis fieri generalem fecit, eamque in regia curia publicè aperiri & dari per litteras, formas, & modum secundum quos ad executionem procederetur in inquisitione huiusmodi contentorum. Sed hæc postmodum nullo iure cogente, sed voluntatis motu propriæ reuocauit: & sic nulla facta est iustitia vel emenda de commissis.*

24. *Prætextu exercendæ iustitiæ ponit non modestos & timoratos Meyrinos, & submeyrinos, qui exactiones in Ecclesiis faciunt sicut volunt, & cum stipendiis quæ ab ipso Rege suscipiunt sustentari deberent, cum intolerabili euectionum & personarum multitudine, in Ecclesiis, Monasteriis & Cameris seu capellis & possessionibus ipsorum. In Templariorum quoq; & Hospitalariorum domibus & aliis piis locis, & eorum possessionibus hospitantur per loca huiusmodi passim & assidue discurrentes de bonis eorum faciunt sibi necessaria ministrari. Idipsum etiam à Baronibus, Iudicibus & Officialibus dicti Regis & quibusdam aliis perpetratur.*

25. *Aufert Clericis & religiosis bladum seruos & ancillas, Saracenos & Saracenas, dextrarios & equitaturas, & res alias pretiosas, & interdum idem Rex & Barones Prætores, consiliarii & familiares sui vaccas, porcos, arietes, gallinas & alia huiusmodi pro velle suo capiunt, aut capi faciunt titulo emptionis, & tamen huiusmodi rerum Dominis vix mediam, vel tertiam, aut quartam eius quod valeret partem, & aliquando penitus nihil soluunt contra Deum & iustitiam, ac regni ipsius consuetudinem approbatam.*

26. *Impingit aliquibus viris Ecclesiasticis, mulieribus religiosis & Abbatissis, quod inuenerunt thesaurum, quorum occasione facit eos capi, & secum taliter captos duci, non parcens religioni aut etiam dignitati intendens & compellens contra iura, vt totus thesaurus sibi restituatur, & si in propria domo, possessione, villa, campo, seu allodio ipsius inuentus sit, aut dicatur inuentus.*

27. *Ab illis Ecclesiis, in quibus obtinet ius patronatus, procurationes immoderatas seu seruitia onerosa de nouo exigit, & ad dandum sibi equitaturas si habeant: & ad emendum pro ipso quales sibi placent, si non habeant, earumdem compellit Rectores.*

28. *Si aliqua persona Ecclesiastica Parisiis commorans, aut alibi, vel etiam in Curia Romana ex causa aliqua pro sui sustentatione, vel libris emendis, aut aliis necessariis vel ad contracta olim debita persoluenda, ex propriis prouentibus propter monetæ terræ illius vilitatem & cambii difficultatem, facit sibi pecuniam de Vlyxbona, vel aliis locis in mercibus per mare transuehi. Item Rex contra consuetudinem cum antecessoribus suis obtentam, & vsq; nuper etiã cum ipso inuiolabiliter obseruatam nunc nouam seruitutem inducens cogit per se & suos quasi nouum pedagium seu portagium inducendo inclusionẽ proprii iuramenti, & contra libertatem Ecclesiasticam huiusmodi clericos, vel eorum procuratores fideiussoria cautione cauere, quod æquiualẽtes merces ad portum referant, de quibus Regi decima persoluatur in reditu, alias non extrahãtur à portu, vel statim in ipso ingressu de eisdem transuehendis decima occupatur, quod nunquã ante huiusmodi Regis tempora factum fuit, quod scilicet talis exigeretur decima, nisi de mercibus à mercatoribus ad terram illam aliunde transuectis.*

29. *Si aliquis Baylinus, Vicarius, Officialis, seu Maiordomus terræ Regis, Baronis seu cuiuscunque alterius ab eo terram tenentis in beneficium Vasallo, seu cuilibet alio hominum alicuius Episcopi, Clerici vel religiosi, crimen impingit aliquod trahens super hoc in causam coram terræ Iudice vt ea possit occasione pecuniam extorquere, non permittitur ei à dictis potentibus in illa terra, quod contra eos habeat aduocatum, nec iudex est ausus de aduocato sibi vt de iure tenetur & consuetudine prouidere, nec ausus foret aduocatus aliquis aliunde adductus aduocationis inibi pro eo contra eos vti officio.*

30. *Cum Barones aut alii milites recipiunt castra à Rege tuenda vel seruanda stipendiis propriis faciunt ei homagium, quod sibi irato & pacato in omnem euentum restituant castra sua, alioquin exinde remanebunt proditores. Huiusmodi autem castellani imminente guerra vel ipsi vt auaritiæ suæ satisfaciant fingentes guerram in vicino futuram, ipsi & sui bladum, vinum, vaccas, porcos & alia victui necessaria ab Ecclesiis Episcoporum & aliis clericalibus, & hominibus eorundem ad castra huiusmodi munienda, vt dicunt, accipiunt indifferenter: & siue guerra superueniat, siue non, nullo modo restituunt sic ablata, nec Rex eos ad restitutionem compellit. Barones quoslibet milites terram ab eodem Rege tenentes, seu à Baronibus & alios quoscunq; nobiles & potentes, qui singulis in locis Episcoporum & Cathedralium, aut aliarum Ecclesiarum, monasteriorũ quoq; & cæterorum religiosorum, seu etiam clericorum homines & clericos ipsos, in quibus omninò nullũ ius habent ad faciendũ eis seruitia, pro sua voluntatis libito inuitos cohibet Rex prædictus, sed permittit potius huiusmodi seruientes in possessiones & homines Ecclesiarũ induci, nec defendit eosdẽ.*

31. *Si milites vel alii viri, vel fœminæ nubiles possessionem aliquam, quæ dum tenebatur ab eis libera est & exempta ab omni seruitute Regali, ex causa donationis inter viuos, vel ex testamento in vltima voluntate, seu quoquo alio titulo in Ecclesiæ aut Monasterii dominium transferunt, pro suorum remedio peccatorum: Idem Rex & sui statim possessionem illam exutam omni libertatis priuilegio, vel honoris, in Dei & Ecclesiæ contemptum, in eam seruitutem redigunt, quæ exercetur ab eis in possessionibus vilium rusticorum, Ecclesiam Dei personis ignobilibus, & seruilis conditionis hominibus miserabiliter comparantes.*

32. *Idem Rex inducit seruitutem Episcopis, Abbatibus, Prioribus & aliis, compellendo eos vt portarios suos teneant, & pro eis tenendis, maiori suo portario summam certam pecuniæ tribuant, & iisdem aliis portariis prouideant in salario & expensis.*

33. *Si aliqua Ecclesia rationabilem de aliquibus possessionibus permutationem diœcesani sui facit auctoritate, cum alia: vel ipse diœcesanus cum alio, dictus Rex, vt Ecclesiarum solummodo præfectum impediat, frequenter obstaculum interponit.*

34. *Præficit Iudæos indifferenter contra generalis statuta Concilii, legemq; patriam, in officiis publicis, quos ad deferendum signum, quo à Christianis habitus qualitate distinguantur, compellere deberet, prout in Concilio generali statutum est, propter damnatæ commixtionis excessus sub errorum potest velamine præsumi, nec ad debitas decimas persoluendas compelli permittit.*

35. *Si quæ Ecclesiæ Cathedrales vacent, idem Rex maiorem sibi auctoritatem vendicare intendens in eis, pro clericis familiaribus suis, vel aliis minus dignis, de quibus sperat, quod in Ecclesiarum negotiis seu dispositionibus earundem eius sequens arbitrium ipsas Ecclesias contra eum in suis iuribus & libertatibus non defendent. Capitulis Ecclesiarum huiusmodi, vniuersaliter & singulariter singulis litteras suas mittit precibus exigens, & minis grauibus & terroribus interiectis, vt nullum alium hic in Episcopum eligant, nisi quem ipse in huiusmodi literis nominat, vel per suos nuncios facit nominari: Hoc idem in aliis Ecclesiis minoribus facit, quibus est per electionem de prælatis & Rectoribus prouidendum.*

36. *Nititur ad forum suum testamentarias & alias Ecclesiasticas euocare causas, defunctorum clericorum occupare legata, & rectorem Ecclesiarum decedentium bona, ipsarum Ecclesiarum intuitu acquisita.*

37. *Cum contingit eundem Regem ad aliquas ciuitates, villas, vel alia dicti Regni loca venire, officiales & alii de familia sua, Barones & cæteri milites sequentes eum, & non sequentes quandoque, domos Episcoporum, personarum, & canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, & aliorum clericorum & Ecclesiarum, ad hospitandum seu quiescendum in eis pro suo velle occupauit inuitis dominis earundem, contra libertatem Ecclesiasticam, & ipsius patris sui statuta: quæ ipse obseruari non facit in odium clericorum.*

38. *Item sæpè mulctauit monetam in regnis suis atque dominiis, ipsam deteriorando pro suæ voluntatis arbitrio, præcipue quod valor ille, quem arbitratus est, obseruetur. Indifferenter quoque iuxta & secundum valorem siue precium impositum huiusmodi omnes clerici & personæ Ecclesiasticæ census & introitus suorum beneficiorum, & aliorum bonorum à suis debitoribus recipere teneantur.*

39. *Item ordinauit, vt si quis aliquis Clericus etiam presbyter comprehendatur in maleficio, capiatur per iudicem sæcularem, nec inde relaxetur vsque ad sentẽtiam in foro sæculari desuper ferendam, & appellationem ad se & ad eius curiam interpositam. Clerici vero in minoribus ordinibus constituti etiam deferentes habitum, & tonsuras clericales capiuntur, flagellantur, & interdum vltimo supplicio condemnantur in eneruationem Ecclesiasticæ libertatis.*

40. *Deuastantur Ecclesiæ & monasteria per suos nobiles & sæculares gentes, qui intrant Ecclesiarum & monasteriorum domos cum eorundem familia, equis, mulis & aliis, & capiunt quicquid inueniunt: immò suum reputant, etiam ipsis Clericis & Ecclesiasticis personis inuitis, & in deuastationem & totalem direptionem Ecclesiarum & monasteriorum ipsorum, & ædificiorum & bonorum ad eas & ad ipsos clericos pertinentium, tam mobilium, quam immobilium & in libertatis Ecclesiasticæ vilipendium non modicum, & etiam detrimentum, nullo per ipsum Dominum Regem licet requisitum adhibito remedio.*

41. *Quanquam ne nullo istarum partium fuerint, & existant à tanto tempore, de cuius initio sine contrario memoria hominum non existat, habendi, leuandi, percipiendi singulis annis ab omnibus & singulis habitatoribus ipsarum Ecclesiarum diœresi certas panis & vini mensuras pro voto & ratione voti dudum promissi Ecclesiæ Sancti Iacobi de Galecia in Compostella, & causam huiusmodi ad forum Ecclesiasticum non est dubium spectare. Hoc tamen non obstante, idem Dominus Rex iurisdictionem & cognitionem huiusmodi sibi appropriat & vsurpat, mandando & prohibendo ipsis huiusmodi votorum debitoribus, ne super eis coram Ecclesiastico iudice debeant respondere: ne soluant nisi certam mensuram paruam, quam ipse Dominus Rex de nouo nititur arbitrari. Et licet super hoc ipsi debitores Ecclesiastica censura compellantur, prohibet ipse idem eos vt excommunicatos non euitari, sub certis grauibus pœnis, clericis ipsis contrarium facientibus impositis. Quamobrem inter Prælatos & Clerum Ecclesiarum ipsarum, & gentes earum grauia sunt scandala suscitata.*

42. *Item prohibet clericis & Ecclesiasticis personis, ne quis eorum mulum vel mulam audeat equitare, nec etiam equum, qui saltem ad altitudinem septem palmorum non ascendat, & attingat. Contrarium vero facientes, equitaturam ipsam perdant ipso facto, & super hoc teneantur ipsi clerici coram iudicibus sæcularibus respondere, qui eos super hoc indistinctè condemnant, & executionem in ipsis facere non postponant.*

X. TRANSACTIONEM FACTAM, DIPLOMATE CONFIRMAT NICOLAVS.

Ista omnia Prælati supra nominati, nomine totiùs cleri Lusitanici Nicolao Pontifici contra Dionysium proposuerant in genere. In specie quoque, plurimas querelas, iniuriarum variarum titulo, vnusquisque pro se, & sua Ecclesia, & suis subditis, detulerant. Quod autem grauius eos premebat, duas & quadraginta constitutiones, in expressionem iuris & libertatis Ecclesiasticæ, à Dionysio Rege conditas, temerarias, captiosas, iniustas, nec nisi hostili in Deum & Ecclesiam animo scriptas, adeoque impias ostenderant, eundemq; Regem iniquitatis, impietatis, præuaricationis atque Tyrannidis accusauerant. Cum autem res in controuersiam adducta esset, ac periculum foret, ne decreto Pontificio tum leges illæ iniquæ abrogarentur, tum Rex seueriore censura castigaretur: Internuncii Regii qui id perspexissent, permittente Nicolao Pontifice, & arbitrantibus Legatis ad cognitionem summæ rei commissis, æquis conditionibus cum Archiepiscopo & Episcopis totius Cleri oratoribus, nomine Regio conuenerunt: leges illas exleges antiquarunt: libertatem Ecclesiasticam in Lusitaniam reuocarunt: damna atque iniuriam perpessis, satisfactionem à Rege, Baronibus & aliis spopondêrunt, iureque iurando se & illos astrinxerunt. Veniam erratorum omnium eiusdem Regis & Procerum inclinatione postularunt, tum diris omnibus se ac illos deuouerunt, tum pœnas grauissimas in se & illos decreuerũt, si vel Rex, vel alius, quiuis, quouismodo, contra iura, priuilegia & immunitates Ecclesiasticas in posterum delinqueret, vel leges illas iniquas reuocare conaretur. *Inter ep'st. Nicolai IV. epist. 49.* Actum Romæ: apud Sanctam Mariam anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, Indictione secunda, die 12. Febr. Pontificatus anno primo exeunte, præsentibus Guillelmo Minatensi, & pluribus aliis testibus vocatis: omnia hæc & singula arbitrio Legatorum Commissariorum, ex consensu mutuo vtriusque partis transacta, Nicolaus Pontifex, dato apud Sanctam Mariam Maiorem, Nonis Martii, Pontif. anno secundo diplomate, *epist. 50.* auctoritate Apostolica approbauit: Priorique Ordin. Prædic. & Guardiano Ordin. Minor. ciuitatis Vlyxipponensis, vt, ex more Ecclesiæ recepto, à Rege Dionysio & reliquis qui deliquerant, iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, & de obseruandis pactis conditionibus, reciperent, commisit: *epist 100. & 101. & 102.* eisque vt tam Regem quàm reliquos anathemate exsoluerent, & vniuerso regno sacra interdicta, interdicto Ecclesiastico sublato, restituerent, vniuersumque Regnum multis in rebus pietatis deformatum, ad normam Ecclesiasticam conformarent, potestatem fecit, adeoque præcepit. *Apud S. Mariam Maiorem 10. Cal. April.* Monuit etiam Dionysium, ne amplius res ac personas Ecclesiasticas violaret, vt veram pietatem coleret, & regnum à contemptu sacrorum inueterato expurgari curaret.

XI. *Æmil. li. 8.* FLORENTIAM A GIBELLINIS PVRGAT CAROLVS PRINCEPS, ET LILIIS FRĀCICIS DONAT.

Eodem anno Carolus Princeps Salernitanus, nuper à carcere liber, ad diem secundum Maii Florentiam venit, ac superueniens Guelfis seu Pontificiis se iunxit. Florentinorum Respubl. in manu eorum erat, sed exules illorum Gibellini, cum Republica Aretinorum, qua potiebantur item Gibellini, fœdus percusserant, & aliarum ciuitatum exules, vt cuiusque causa erat, alii Florentinis, alii Aretinis se coniunxerant. Vtrique præterea domesticam iuuentutem, & militem mercede conductum sub signis habebant. Aretini Hilermum ciuitatis Pontificem, quãdo ad id ventum erat, vt suam quisque causam sanctam prædicaret, sui exercitus ducem sequebantur. Carolus Florentinis Mericum Narbonensem clarissimum bello virum cum centum Francis delectis equitibus, vt eo exercitus Imperatore, signisq; liliatis res gererentur dedit. Hoc duce pugnatũ cum Aretinis, eorum circiter 3000. occisa, 2000. capta. Exinde res Florentina pollens potensque Francici nominis obseruãtissima. Ab eo tempore etiam liliornm, Regem Franc. insigne, apud Florent. in stemmata accessit.

XII. CAROLVS LIGIO HOMAGIO PONTIFICI REATE FACTO, REGNVM SICIL. ET NEAPOL. RECIPIT.

Florentia Carolus discedens Vrbem vet. decoro stipatus comitatu accessit: vbi à ciuitatis primoribus, quouis honorum splendore exceptus, aliquandiu substitit. Porro cumulatus donariis cum Maria vxore, quæ obuiam processerat, Reate Nicolaum summum Pont. agentem conuenit: Ibi ad 13. Cal. Iul. in maiore iuxta Ecclesiam Cathedralem palatio, in publico purpuratorum consessu, ligium homagium pro regno Siciliæ & Neapolis, ex formula veteri, Carolo patri à Clem. IV. Pontif. præscripta, præstitit, & vtriq; regno solemni ritu inauguratus, vtrumq; iure fiduciario à Nicolao Pontif. & à sede Apostolica accepit, inque grati animi memoriam Reatinæ Ecclesiæ annuas viginti vncias auri, ex redditibus principatus Sulmonensis, in singulos annos perpetuo assignauit. *Inter epistol. Nic. 378. an. 1289. Indict. 2. a. 5. regnorum & ep. 364.* Hæc res Arragonios vehementius offendit. Hi namque Carolum nonnisi Regem Apuliæ omninò dicebant. Nicolaus autem Pontifex, cum pacta Caroli cum Alphonso conuenta irritasset, etiam Siciliæ diadema nomenque addidit.

XIII. OFFENDIT ARAGONES ET ANGLVM FIDVCIARIO IVRE, CAROLO DATA SICILIA, EXINDE BELLVM, VICTI ARAGONES.

Istud Aragonios à spe pacis, reconciliandæq; cum Pontifice gratiæ auertit. Eduardus quoq; Rex Angliæ alienior offensiorque Francis effectus fuerat. Itaq; Iacobus Alphõsusque, vt Sicilia arte potiti fuerant, ita & continentis oppida clam solicitare cœperunt. Canteuzanum inprimis vt deficeret à Francis, adduxêre: occupatumq; præsidio firmauêre, cætera tentaturi. Robertus Comes Atrebatensis, vt illud recuperaret, cum impetu expugnare non potuisset, obsedit. Iacobus se Siciliæ Regem dictitans & Rogerius Auria, cum copiis ingentibus affuêre, vt clausos obsidione eximerent. Aperto Marte pugnandum erat. Atrebas lætabatur facultatem pugnæ signis collatis conferendę aduentu hostium dari, vocata igitur concione: Id quod optatis, inquit, milites, aperto Marte, patentibus campis dimicandum nobis, & de Siculo regno in parte Italiæ illi contributa est decertandũ. Hostis noster, non est nobis procul quærendus: non ad Niceam, nec ad Antiochiam, nec ad Bouinas, nec ad alia loca victoriis Francorum nobilia petendus. Adest in oculis nostris, sese vltro cædi offert. Semel atq; iterum in Italia de regno hoc in certamen descendimus, primum ad Beneuentum, vbi cum Manfredo vno prælio debellauimus: deinde ad Turcinum lacũ, cum clarissimi Imperatoris filium Conradinum, & Fridericum Austriæ ducem, ætate viribusq; feroces, ac suorum externis copiis subnixos, profligauimus: Nobiliore tunc, quam prior, Beneuentanaq; extitisset, victoria. Hæc tertia futura est, q̃ tanto maiore virtute pugnare conuenit, quãto secunda nobilior, quam prima fuit: vt virtuti vestræ semper incrementum, semper cumulus accedat. Quod bonum, faustum, felixq; sit, capite arma, descendite in ordines quisq; suos, pugnaturi vt Francico nomine, vt vobis, vt causa nostra dignum est. In castris, quod satis visum est copiarum in præsidio re-

hctũ: & valida ſtatio portis obſeſſi oppidi oppoſita, ne vlla impune fieret eruptio, reliquus miles in aciem eductus, pugnatum eſt acriter. Apud hoſtes Rogerius Auria nunquam mari victus, quæſirũ pelago decus, gloria terreſtri augere contendebat: Iacobus hoc primum prælium ſuo ductu auſpicioq; cum Franco committens, nomen ſibi commendationemq; in furorum petebat. Franci vicêre, minus cædis cruoriſq; q̃ fugæ ignominiæq; fuit. Paulò plus ducẽti hoſtiũ cecidêre: reliqui ad mare nauesq; præcipiti fuga delati.

XIV. INDVCIÆ FACTÆ INTER CAROLVM ET IACOBVM ARAGONIVM BIENNES: AB NICOLAO AB AGONES OB SICILIAM EXCOMMVNICANTVR.

Exinde Aragonenſes optimum ſtatuerunt aliò belli terforem transferre, ſi diſtinere vires Francorũ & auertere ab obſidione Carenzani poſſent. Caietam claſſe profecti, expoſitis copiis oppugnare aggreſſi ſunt. Oppidani egregiè ſe tutabantur, & Carolus cum copiis Nicolai Pont. Max. ad opem ferendũ ex vrbe aduolauit. Alia parte Robertus parte exercitus ad continuandam Catenzani obſidionẽ relicta, ad hoſtẽ perrexit. Iacobus & terra & mari vrbẽ premebat: Robertus cupiditate certaminis ardebat: Carolus iam ad quietiora cõſilia pronior erat. Et Iacobus pacem fœduſque petebat, vt vndiq; ab armis diſcederetur, ſtareturq; iis conditionibus, quæ in dimittendo Carolo Rege conuenerant. Cõmeantibus vltro citroq; Legatis, redintegratæ ſunt in duos annos induciæ, etiam atq; etiã Atrebate fremente, indignanteq; leges accipi: vinci poſſe hoſtem toties dirisab Eccleſia deuotum, nec parem virtuti Fracorum futurum, ſi res armis decerneretur. Stare Deum pro ſuæ Eccl. regno, proq; cauſa non minus honeſta, q̃ iuſta. Nihil ſummus vir oratione auctoritateve mouit. Iratus ſe ex concilio rapuit, inq; Franciã venit, Catenzanũ, quia ita cautum fuit, in fidem Caroli rediit: Iacobus in Siciliam nauigauit, eamq; inſulam occupare continuauit. Non potuit hæc ferre Nicolaus Pontifex: Sed Iacob. & Alphonſum, & reliquos eorum adhærentes, qui regnum Siciliæ vltra Pharum vſurpabant, primum die cœnæ Dominicæ, deinde pro feſtiuitatibus Aſcenſionis Domini, & dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum, anathemate damnauit, regniſque eorum ac prouinciis ſacris interdixit.

ep. 4. 5 12. & 20. Rom. ap. S Mariam Maiorem.

XV. *Summont. lib. 3.* CAROLVS SICILIÆ REX FIL. SVVM CAROLVM MARTELLVM REGEM CREAT VNGARIÆ, ET QVO IVRE.

Carolus porro, vt Caietanis egregiè cognitam eorũ integritatem, & erga ſe amorem aliquo beneficio compẽſaret, ab omni eos vectigalium exactione decem continuis annis immunes fecit. Tum inde Neapolim reuerſus, propter pacem ſtabiliẽ, cuiuſcunq; generis ſpectacula exhibuit: Filiũ natu maiorem, cui Carolo Martello nomen erat, equeſtri illic dignitate exornauit: ac paulo poſt, ſcil. 6. Id. Dec. eundem ſummi Pontificis Legato ſolemnia peragente, Regem Hungariæ coronauit. Per hos enim dies Ladislaus Chunus Hung. Rex, libidinibus & conſuetudine Comanarum ad vſq; infamiam pollutus, poſtquam Nicolaum Pont. monitorem nec quicquam audiuiſſet, Deum vltorem ſcelerum ſenſit, miſerandum in modũ, ab ipſis quos tantopere dilexerat Comanis interfectus. Regnum ab eo relictum, Carolus Martellus, iure materno ſibi deberi aſſerebat. Ex Maria enim Stephani Regis Hung. filia natus, neminem cognatione propiorem fore exiſtimabat: Contendebatq; æquum eſſe, ſe auo materno, ſe auunculo Ladislao recẽs occiſo ſuccedere: ſe legibus, ſe iure, ſe inſtitutis gentis ad illud ſolium inſidendum vocari. Impigrum eius regni æmulum habuit Andream cognomine Venetum. Vtq; paulo altius res repetatur: Andr. II. Rex Hung. ex vxore Gertrude Sueua genuerat Belam, Colomanum, Andream, & quaſdam præterea filias, in quibus D. Eliſabetham. Vxore defuncta, ſiue cæſa, cum in Syriam iuſſu Pont. Max. contendiſſet, nec magnis rebus geſtis inde rediret, delatus in Italiam, ac forma filiæ Marchionis Eſtenſis captus, eam vxorem in patriam duxit: aliquantoq; poſt moriens grauidam reliquit. Vidua concilio Procerum gentis coacta, ſe vterum ferre teſtata, fideque facta, ſtatuit à priuigno Bela, qui maxim⁹ ſtirpis patrii in regnum ſucceſſerat, proculabire, ac in Italiam ad patrẽ Marchionem reuerti: vbi filium peperit, Stephanumq; nuncupauit. Is vbi adoleuit, regis ſpiritibus paterniſq;, priuatam vitam grauatus, auumq; maternum dominatu deturbare conatus, indicio facto in Hiſpaniam ad ſororis ex patre virum Iacob. ſuperiorem Aragonenſium Regẽ ſe contulit. In Italiam cum rediiſſet, ob nobilitatem generis creatus Rauennæ Prætor, aliquandiu ibi ius dixit. Venetias deinde conceſſit, nobiliſſimiq; ac locupletiſſimi Veneti Mauroceni filiam vxorẽ duxit: quo ex matrimonio natus Andr. Venetus, vbi adoleuit, viuo adhuc Ladislao Martelli auunculo in Hungar. iuit, eoq; trucidato, Rex à Procerib. ſalutatus eſt. Carolus Cunctator Martelli pater, ſegnius egit, fretus ſua cauſa, q̃ vxor eius, cuius iure regnũ filio petebat, ſoboles fuiſſet Andreæ ſecundi Regis per Belam eius filium ſtirpis maximum, quod eadem fratrem, quod parrem Reges habuiſſet: Venetus neq; patre rege procreatus, & ex Eſtẽſi, poſterioreq; thoro proles eſſet. Conabatur itaq; iſtud Regnum filio vendicare. Sed & Prolomaidem vt ſacro Regno contributam, ſui eſſe iuris defendebat: Nam & Siciliæ & Hieroſolymorum Rex à Nicolao Pontifice Max. dictus cõronatuſq; fuerat, & ab eo etiam ius exigendarum à ditionis ſuæ ſacerdotibus in ſex annos decimarum impetrarat. Eandem etiam Vrbem, quamplures alii ambiebant. Nam trium ordinum Magiſtri diſcordes interſe, eam ad ſe ſinguli trahebant. Patriarcha ſanctæ Vrbis primas partes etiam profani dominatus ditioniſque ſibi arrogabat. Cyprius quoque Rex cum ſatis magna pro facultatibus ſuis claſſe Prolomaidem profectus, Templariis perſuaſit, vt ei ſacri regni diadema redderent, quod ipſius maioribus Almericoque ademiſſent. Eam tem Carolus Cunctator ægrè tulit, & vectigalia, quæ ſub eius ditione Templarii percipiebant, prouentuſque agrorum fiſco ſuo addixit. Eum tamen Nicolaus Pontifex, vt ablata Templariis reſtitueret, vtque in Vrbis quiẽ perituræ, & foris ab hoſte, & intra mœnia diſſenſionibus laborantis defenſionem, quanta poſſet maxima auxilia ſubmitteret hortatus eſt. Margarita mater illius relicta Caroli Regis Sicilię Regina, voto ſe aſtrinxerat, cum Rege marito ituram ad ſubſidia Terræ ſanctæ ferenda. Cumque per mortem Caroli primi ſatisfacere voto non poſſet, eius diſpenſationem à Nicolao Pontifice impetrabat. Impetrauit ea conditione, vt ex mille quingentis libris Turonenſium nummorum, quos promiſerat in ſtipendia militum, mille numeraret. Carolo autem eius filio Regi Siciliæ, cum multa alia priuilegia conceſſit, tum & iſtud indulſit, vt ſanctorum reliquias in palatii ſuo loco aliquo decenti, cultus & venerationis gratia retineret.

epiſt. 477. Reate Id. Auguſt.

ep. 209. 4. Cal. Iul.

XVI. SANCTES ET SIMON DOMINICANI. *Annal. prouincia Polonia Ord. Prad. & MS. liber Vita S. Hyacinthi pro canonizatione.*

In Polonia per id temporis viuebat nobile par religioſorum Ord. D. Dominici, Sanctes Pater cum filio Simone. Hunc is à natiuitate cæcum ſuſceperat. Et quidẽ gaudebat plurimum, ſibi natum eſſe filium, ſed & cruciatus ingentes perferebat: quia cæcum. Sexennio integro angebatur, & cũ finem tanti actam diuturni mali, nullo medicorum auxilio inueniri poſſe videret, vnicam remediopẽ impetraturum ſe credidit, ſi ad Diuos confugeret. Ad ſepulchrum itaq; S. Hyacinthi accurrit, ducit ſecum Simonem cæcum, fuſiſque ad Deum ardentiſſimis precibus, interceſſionẽ ſancti viri depoſcit. Fidei tandem & ſpei plenus, Simonis faciem & oculos ſepulturæ Hyacinthi admouet & applicat. Mirum factu: In temporis momento aperiuntur Simonis oculi, lumenq; integrum ei reſtituitur. Non diuturna tamen fuit hæc lætitia Patri & Simoni, Deo vtrumq; ad meliora, caſibus huiuſmodi vocante, ſiue trahente. Domum n. reuerſus Simon, ſemeſtri euoluto ſpatio, febre acerrima correptus, agonizabat animam. Sanctes iterum & pluries in terrã proſtratus, gemitu ac eiulatibus omnia complebat: & vbi eos in ventum profuſos vidiſſet, ad beneficum ſuum iterato reuerſus, ei votum huiuſmodi pro filio nuncupauit: O ſancte vir Dei Hyacinthe, dignatus es non ita pridem filiũ meum cæcum illuminare, digneris nunc quoque eundem, quem mihi mors eripere conatur, ab eius falce vindicare: Hunc ſi liberaueris ab hac qua premitur mortali infirmitate, eum tibi deuoueo, dedico & conſecro: nec ipſum tantum, ſed & me indignum, ſi non fratres tui religioſiſſimi dedignabuntur, tuæ religioni nuncupo dedicoque. Non in caſſum fuſæ Sanctis preces fuere. Pari ſtudio petitum, ac latum eſt præſidium. Qui enim iam vltimum ſpiritum efflabat Simon, mox è lecto ſanus exiliit, ac vota, gratique animi ſignificationes D. Hyacintho, ad eius ſepulturam perſoluit, religioſique toga vterque indutus, in cœnobio SS. Trinitatis Cracouienſi, æqualibus ſtudiis ad virtutem conantes, poſt vitam ſanctiſſimè religioſiſſimeq; actam, ad cœleſtem patriam demigrarunt.

XVII. DVO VINDICTÆ DIVINÆ INDICIA IN IMPROBOS OSTENSA.

Per id temporis, Ioanne cognomento Romano Archiepiſcopo Eccleſiam Eboracenſem adminiſtrante, duo vindictæ

VINDICTÆ DIVINÆ INDICIA IN IMPROBOS

dictæ diuinæ indicia in improbos oſtenſa ſunt diuinitus. Aliqua mulier quendam ſibi in maritum vendicabat, cum que iam coram Archiepiſcopo iuſiurandum dare parata eſſet, ſubito pro tribunali mortua concidit. Paulo poſt in pago Daltonio prope Reichemondiam, aliud obſtupeſcendum contigiſſe memoratur. Fuit in eo pago Ioan. Stanceius, qui ſuæ ſalutis negligens, & diuina beneficia Chriſti execrabili ingratitudine obruens, cum vicini Dominicis diebꝰ templo ſupplices accederent, paſcua & ſyluas gregeſque ſuos inuiſere ſolebat. Incidit vero aliquando in dęmonum turbam, qui quaſi Eccleſiaſticum quendam conuentum, ſacraq; & cæremonias, quæ in Eccleſia celebrantur, ſuis ſolitis prætigiis ſimulabant. Fuit quidam qui reliquis præſtantior videbatur, qui eos quaſi luſtrali aqua perfundere videbatur. Sed cum ad Ioannem ventum eſſet, quaſi lapidea quædam pluuia, ita eum totum oppreſſit, vt toto corpore obriguerit. Cumque videret Dæmones iam quaſi euolantes, ſe magna difficultate comprimere potuit, quin ſimul euolaret. At enim in his anguſtiis Chriſti pro ſe & humano genere afflictationes ſenſim ad memoriam reuocauit, & cum iam ſublimis ferri cæpiſſet, mox in terram recidit. Cumq; magis magiſq; fiduciam ſuam in Chriſtum paſſum defigeret, omnes illæ dæmonum latuæ euanuere. Domum vero reuerſus, lecto affixus, acceſſitis amicis, quid ſibi accidiſſet narrauit, adq; octo poſtea dies, dæmonibus ſe eius conſpectui in aere repræſentantib. ſæpe à lecto ſe propripere & euolare viſus eſt, magnaq, vi famulorum vix in lecto continebatur. *MS. Vatican.*

IESV CHRISTI

Annus 1290.

NICOLAI PAP. IV. Annus 3. — RVDOLPHI Reg. Rom. 17.

I. CIRCA VERITATEM SS. EVCHARISTIÆ SACRAMENT. MIRACVLVM. *Anton. 3. p. tit. 20. c. 6.*

INſigne hoc anno miraculum Pariſiis accidit, in SS. Euchariſtiæ ſacramento. Cum enim quidam Iudæus mutuaſſet cum vſuris cuidam mulieri certam pecuniæ quantitatem, ſuper pignus honeſtioris tunicæ ſuæ, quam in Paraſcheue circumferre deſideraret, & ab Iudæo interim repeteret: Iudæus totam ſummam pecuniæ illi conceſſit liberã, modo ſacram hoſtiam quam reciperet, ad eum deferret. Eam miſerrima ore reſeruatam, in ſudarium eiecit, & ab Eccleſia recedẽs Iudæo inuolutam dedit. Tunc perfidus ille hoſtiam ſacratam ſuper ignem in aqua bulliente poſuit: at illa illæſa permanſit. Tandem gladium arripuit, & aliquot ictibus eand. confodit: ſed ea percuſſa ſanguinem copioſum effudit, totamq; aquam bullientem adeo infecit, vt ea ſanguinea appareret. Tandem in aera ſuperne euolauit, & tabulam quæ ibi inerat, inſedit. Iudæus timore perculſus, è domo exiliens, factum nolens volens propalauit: Atque Chriſtianos ad ſpectaculum accurrentes euocauit. Cum vero illi ſacram illam hoſtiam punctim cæſam, & ollam aquæ ſanguineo colore imbutam aſpexiſſent: Iudæum quidem flammis exuſſerunt, pretioſa vero pignora in Eccleſiam detulerũt, ac eo nomine ad perpetuam rei memoriam, magnificentiſſimum templum condiderunt.

II. *Rubeus in vita Nicolai IV.* FRATRVM PÆNITENTIVM ORDO A DIVO FRANCISCO INSTITVTVS ET IN DVBIVM VOCATVS, DIPLOMATE CONFIRMATVR AB NICOLAO IV.

Hoc an. menſe Iunio, Nicol. Pont. Vrb. ver. ſe contulit, atq; inde ad Centumcellas iuit, vbi diplomate ad ſextum Id. ſextilis dato, dubia quædam de pœnitentium fratrum præfectura, quæ acciderant, accurate explicauit. Florebat eo tempore tertius ille à S. Franciſco inſtitutus Pœnitentium ordo mirum in modum, compluresque patritii viri ac Principes, eum habitum induebant, ſanctaſq; leges amplexi magna voluntate ac religione, illis ſubiiciebantur. Itaq; in eo diplomate Pont. poſtquam inſigni non minus eruditione quam pietate, de Pontificis maximi auctoritate, deq; munere Apoſtolicæ ſeruitutis, ipſis eius verbis vtor, diſſeruit, cuius ſunt partes, curare, nouo vt fœtu Eccleſia augeatur, ad cæterumque gregem optime inſtitutus adducatur, quoniam ea conditione natus eſt homo, vt perinde q. terreum vas imbecillitatem extimeſcat, facile frangatur, reparetur difficulter, oſtendit, qua diligentia eius Eccleſiæ fidelib. cauendum ſit, vt quæ à ſummi Pontificis doctrina, inſtitutioneq; ſubminiſtrantur, veritatis ac ſinceritatis innocentia, ab ea, aut à ſe reiicienda, aut obtrectanda ne procul abeant: quando, vti docet Apoſt. qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quoniam vero ex eo pœnitẽtium ordine pleriq;, qui conuentus ſuos viſitarent ac cõformarent, ex familia Fr. Minorum, non modo renuebant accipere, verum etiam audebant aſſerere, qui Pontificium hac in re conſilium ſequerentur, eos peruenire ſaluos ad cœleſtem Patriam non poſſe: inſuper oẽs, qui ſecus facerent infectabantur, inque eos præcipue inquirebant, ideo Nicol. Pont. par eſſe affirmans, ob reuerentiam S. Franciſci vtriuſque ord. conditoris, vt pœnitentes eius familiæ fr. Minor. Fratrum doctrina in viam inducerentur, regerenturq;, decreuit, qui ſuum conſilium amplecterentur, ab Eccleſia eos gratiam inire, & omnib. quæ ad ad eam diẽ, à ſede Apoſtolica illi ordini data eſſent, quæq; in poſterum tribuerẽtur, priuilegiis ornari. Qui contradicerent, impedimẽtoue eſſent, ita à pfectis locorum cõpeſci, vt impedire deſinerent.

III. TEMPLI FVNDAMENTA LOCAT IN HONOREM SS. EVCHARISTIÆ ERECTI: PROPTER QVAM VRBAN. IV. FESTVM CORPORIS CHRISTI INSTITVIT.

Hæc cum ibi Nicolaus egiſſet, Vibem veterem deinde reuerſus, cum eius permiſſu, ædificari pulcherrimum iam templum cæpiſſet, ad illius celeberrimi miraculi memoriam, monimentumq;, quod ſex & viginti iam annos, in ſacratiſſimæ Euchariſtiæ hoſtia Vulſiniis acciderat. Nicolaus primum fundamenti lapidem, manibus propriis ſacrauit, ac poſuit, cum eo proceſſiſſet ſolemni Cardinal. omnium Antiſtitũmq; agmine, adeſſentq; totius aulæ Rom. Palatini, & hoſpites plurimi, omnes Magiſtratus, nobilitas, & populus non tantum illius præſtantiſſimæ, ſed & plurimarum ciuitatum. Quanquam autem erant fundamenta altiſſima, quæ vel deſpectu deterrerent, tamen eo deſcendere Pontif. non renuit: Secuti cæteri Antiſtites ſuum quiſque lapidem poſuere. Cæterum per illa fundamẽta in crucis ſpeciem effoſſa Nicolaus gradiens, in perpetuum certã eam q; magnam pœnæ peccatis debitæ remiſſionem, iis qui S. templum illud inuiſerent, indulſit. Eo deinde in templo, licet adhuc minime abſoluto, mappa, quam corporale appellant, reponitur: quæ ſanguine è ſanctiſſimæ Euchariſtiæ hoſtia, quam manibus tenebat, dum Vulſiniis ſacrificaret, & de tanti ſacramenti veritate ambigeret Sacerdos, manante, tincta eſt. Fuit enim vt dictum ea miraculi illius celebritas, omnibus illis regionibus ſummis in ſimiſque ad eum modum perſpecta, vt Vrbanus IV. Pontifex Max. qui tum viuebat, & apud Vrbem vet. morabatur, anniuerſariam ſupplicationem, quæ hactenus ſumma veneratione agitur, decreuerit, & D. Tho. Aquinatem Dominicani ordinis, Angelico Doctorem ingenio, eorum dierum precandi gratulandique rationem, qua hodie Catholica Eccleſia vtitur, conſcribere iuſſerit.

IV. QVIDAM SINGVLARES EMORIB. ET DOCTRIN. INTER MINOR. REPRIMI IVBENTVR.

Per eoſdem dies Nicolaus Raymundo Generali Miniſtro Ord. Min. per litteras mandauit, vt in quoſdam fratres familiæ ſuæ ageret, qui in Gallia Narbonenſi dum cæterorum fratrum ſtatum damnarent, ſeque aliis longe familiarius præſtantiuſq; cum Deo agere prædicarent, in eoque ſe hominib. venditarent, deprehenſi ipſi ſunt ſeditiones per Prouincias, offenſiones q; concitare, tumultus miſcere, nec non abhorrentem à veritate doctrinam, & ſequi, & ſerere. Iſtud vniuerſum negotium Raymundus, Bertrando Cigotorio eiuſd. familiæ fratri, auctoritate Apoſtolica demandauit, qui de tota re diligenter inquireret, & ad patrum Senatum, qui Pariſiis hoc anno ad comitia Generalia conuenerant, referret, vt illorum decreto inſolentis audaciæ ſeditio, & hæreſis pullulans reprimeretur, extirpareturque aſſentiente Nicolao.

V. ITERVM DE REGNO SICILIÆ MOTVS, ET BELLA ET INDVCIÆ INTER ARAGONIOS ET GALLOS *epiſt. 103. Romæ apud S. Petrum.*

Bella hoc anno, iterum, per Iacobum occupatorem Siciliæ, & Carolum cunctatorem Regẽ Neapolis ac Siciliæ, ſpe induciarum emerſerant. Iacob. n. inſtructa 40 triremium claſſe, in Calabriam traiecerat, & Hieracim ſeu Locros antiquorũ, obſederat. Cũ, a. illud, & pleraq; ignobilia oppida cepiſſet, non defuit tamen Nicolaus Pontif. rebus ſuis, atq; Eccleſiæ Roman. iuribus defendendis, ſed auctoritate pontificia fretus diebus Cænæ atq; Aſcenſionis dominicæ, & pro feſtiuitate Dedicationis Baſilicæ D. Petri anathema in occupatores Regni inſulæq; Siciliæ multiplicauit. Carolus quoq; cunctator ſibi præſto fuit. Nam quod Carolum Valeſium ſciret, iure merito regnum Aragoniæ appe-

tere: cum eo consilia contra Iacobum & Alphonsum communicauit: quib. posset vires eorum, aut pessundare, aut distrahere. Itaq; certis conditionib. fœdus cum eo constituit, vt coniunctis virib. terra, mariq; alter Iacobum, alter Alphonsum aggrederetur. Hæc pacta fœdera, vt maiorib. consiliis augerentur, firmarenturq;, Legatos sedis Apost. in Gallias destinari postulabant: præsertim quod & Philip. Rex Galliæ, pars secretioris consilii esse vellet. Sciuit hoc Alphonsus Aragonius, & Edouardus Anglus. Et quidem Alphonsus quod illi nimis graue esset, ram diu Prouinciam sacris interdictã sine Deo, & sine sacris perseuerare: Et præterea, belli molem, quod ex Gallia grauissimum comparabatur, auertere cuperet, vires q; in castellam conuertere: ad pacem inclinabat. Edouardus autem Rex Angliæ, quo agente Carolus cunctator Rex Siciliæ libertatem receperat, cum fidem suam ludibrio haberi ægre ferret, eo quod is antea icti fœderis conditionibus non staret: ac propterea ipse quoq; integritatem suam Alphonso probatam esse cuperet: non omnino alienus fuit, à conditionib. concordiæ, inter Principes illos paciscendis. Itaq; Nicolaus Pontifex ab omnibus his Regib. de tota controuersia appellatus Legatos se missurum respondit, qui in re præsente disceptarent, æquisque conditionib. dissidentes pace stabili committerent. In eam rem duo Card. Legati, Gerardus Parmensis Episc. Sabinus, & Benedict. Caietan. titul. S. Nicolai in carcere Tulliano, in Galliam destinati. Inter hæc Carolus Valesius Rex Aragonum, & Alphonsus Aragonius, ad Iunqueram oppidum in Catalaunis, fide vltro citroq; data, inter se colloqui, aliquot mensium inducias pepigerunt: dum de omnibus pactionib. paceque perpetuo fœdere reuocanda à Legatis agi posset. Eos Legatos Apost. sedis Nicol. Pont. Philippo Regi Galliarum inprimis commendatos habuit, orauitque vt eos benigne audiret, etiam tunc quando apud ipsum pro libertate Ecclesiast. in Galliis oppressa perorarent, atq; laborarent. Per id namque temporis, Episcopi, & reliqui ex Clero, sub intolerando pondere iniuriarum atq; calamitatum, qua ab exactorib. collectarum, qua à nefariis quibusdam grassatoribus suspirabant.

epist. 2. apud S. Mariam Maiorẽ 10. Cal. Aprl.

Mariana lib. 14. c. 13.

LEGATOS AD DISSIDIA TOLLENDA MITTIT NICOLAVS.

VI. IN ANGLIAM LEGATVM ETIAM MISIT.

ep. 43. apud S. Mariam Maiorẽ 13. Cal. Iun.

VII. RES CHRISTIANA IN SYRIA PENE EXTINCTA, COLLECTIS SACRIS IVVANDA PRÆCIPITVR AB NICOLAO.

epist. 9. apud S. Mariam Maiorẽ 13. Cal. Aprl.

ep. 87. apud Irb. vet. 5. Non. Iul. & ep. 109 ibid. 5. Id. Dec.

VIII. CAROLVM MARTELL. REG. VNGAR. CREATVM CONTRA ALIOS COMPETITORES ADIVVAT.

ep. 48. apud S. Petrum 13. Cal. Iun. & 82. 83. apud Vrb. vet 5. Idus Septemb.

Neq; in Galliis tantum, sed etiam in Anglia libertas Ecclesiast. captiua gemebat. Cui elaborandæ Nicol. Bernardum Episcopum Grosectanum ad Eduardum Regem nuncium misit, datis mandatis, vt tam eum, quam proceres, & reliquos iniurios pietatis Christianæ admoneret, temeritatis argueret, & ad vindicanda iura Ecclesiæ, etiam seuiore virga disciplinæ Ecclesiasticæ compelleret.

In Oriente plurimum periculi Christianis, ab exercitu Saracenorum. Hi. n. dies noctesq; intenti ad discordias reliquorum, & precipue militum sacratioris militiæ Templariorum, Theutonicorum, & Hospitalis in Palæstina, occasionem nacti erant eos inuadendi, hinc omnes in discrimẽ vitæ ac fortunarum adducti, opem à Nicolao Pontifice implorabant. Nicol. porro tantam quantam vellet ferre non poterat, plurimis ad suos vsus sacram pecuniam ex decima tione collectam trahentibus à collectore numeratam eripuerant, & in sua commoda conuerterant. Quamobrem Nicol. Pont. Rudol. Regem Rom. monebat, vt Theodor. Priorem S. Mariæ Vrbeuetanę Collectorem à sede Apostolica designatum, in recuperando sacro isto ære adiuuaret, nefariosque illos ad restituendum cogere non grauaretur. Cæterum quod Regi Galliarum ex nonnullis imperii vrbib. atq; Prouinciis, permitteret accipere partem decimarum, Rudolpho quidem significabat, se id citra præiudicium imperii facere voluisse, & ad faciendum ex causis grauissimis coactum fuisse, Philippum. a. hortabatur, vt tantis perrerum Orientalium curam tutelamq; haberet, donec exercitus Crucesignatorum ex vniuerso orbe Christiano scriberetur, & in subsidium mitteretur. Cum. a. is eo nomine alias pecunias à pontifice exigeret, reuocabat illi in memoriam Nicol. patrem Philippum Regem, qui in sacram expeditionem ingentes nummos ex decimis exegerat: nec quicquam tamen in eos vsus expenderat. Proindeq; eam pecuniarum summam ab eod. receptam, in partem stipendiorum huic deputatum esse volebat.

In Hungaria, Ladislao Chuno à Comanis occiso, Andreas, cognomento Venetus, à magna parte procerum, cõtra Carolum Martellum Rex conclamatus, multis scelerib. regnum illud sibi constabilire conabatur. Huic vt obuiam iret Rudolphus Roman. Rex, Albertum filium Ducem Austriæ, Regem Hungaris destinabat, Regnumque illi à Nicolao Pontifice flagitabat. Vtrique à sceptris Regiis dimouendo, & Carolo Martello Hungaria acquirenda, misit Beneuenutum Eugubinum & Esinum Episcopos, sedis Apostol. Legatos, qui Rudolpho Regnum Hungariæ in clientela sedis Apostolicæ esse, palam facerent: ac proinde ostenderent, illum non posse Hungaris Regem præficere, aut hæredem Carolum, iure suo & beneficio sedis Roman. exuere. Ad extremum autem orarent, vt in primis Albertum à spe regni auerteret: deinde vt contra Andream inuasorem, Regiam potestatẽ suam auctoritati Pontificiæ commodaret: atq; ex æquo & iusto Carolum Martellum Regem Hungariæ designatum, contra quoscunq; hostes adiuuaret.

Constantinopol. Gregorius Patriarcha Schismaticus, calamitatibus innumerabilibus exceptus, dignas pertinaciæ & inhumanitatis pœnas luit: Nullam is rationem habuerat Beci Patriarchæ Catholici, quem è sede eiecerat, & in exilium relegarat. Neque satis supplicii esse ratus, quod extorris & ab amicis & cognatis auulsus esset, verbis etiam & scriptis eminus illum feriebat, & eius scripta & decreta refellebat, & contraria problemata & dogmata colligebat. Dum vero illum, & sectatores eius Catholicos oppugnaret, imprudens ab aliis & ipse vulneratus est, & in iis captus, quibus alios captabat: non aliter quam si quis tela in hostes coniciens, ipse à suis ex obliquo grauiorem plagam acciperet. Quidam enim è Pontificib. & sacerdotibus eum reprehenderunt, vt blasphemantem, ac monuerunt, vt vocabulis nonnullis mutatis, periculum & conuitium vitaret. Ea admonitio non syncera illi vita est, sed ab exculta inuidia proficisci. Proinde rem vrgebat, & ad contradicendum acuebatur, & probationes probationibus ac disputationes disputationibus cumulabat, quib. & accusatorum ora (vt putabat) obrueret, & suam sententiam pro virili tuerẽtur. Sed apparebat vtiq; Deum noluisse illi cætera ex sententia succedere. Itaque non minima Pontificum & Clericorum pars eum destituit. Reliquerunt quoque eum hi, quos cæteris præferebat, Chilas Ephesinus, & Daniel Cizicenus, idq; is iniquiore animo tulit, quod ii, quos aliorum in se consilia refutaturos putabat, & loco muri firmissimi futuros, præter spem inimici extitissent, & vt prouerbio dicitur, carbones pro thesauro inuenisset. Cumq; fidissimos sibi & charissimos infestos esse cerneret, neq; adesse defensorem videret, neq; Imperatorem, non deniq; vllum potentem, tandem Dei iudicium esse intelligens, foliis valere iussis in Hodogium Deiparæ monasterium in ocium se contulit, & inde ad S. Andreæ cœnobium: vbi paulo tempore elapso defunctus est.

IX. GREG. PATRIARCHA CONSTANT. EXPVLSOR ORTHODONI, DIGNITATE ABIT. *Niceph. Gregoras hist. lib. 6.*

Postquam ille secessisset, in Patriarchicum solium successit Monachus quidam Athanasi nomine, qui otiosam vitam in Gani montibus egerat: homo rudis ille quidem litterarum, morumque ciuilium, sed alioqui bonus & admirandus, quantum ad monasticam vitam attinet: continens, illotus totas noctes stare, humi cubare, pedibus iter facere solitus: morib. deniq; eis præditus, qui decent eos, qui soli in montib. & speluncis degunt; Is statim atq; assumptus est, omnes Episcopos regia vrbe excedere iussit, meliorum rerum cupiditate, vt scilic. populus eruditos moderatores & doctores haberet, & religio constanter ab eis, ac fortiter contra omnes omnium aduersationes defenderetur. Dicebat ad eos: ne Constantinopol. desidentes, aliquid mali contra vos ipsos & me cõsulatis. Addebat insuper, æquum esse, vt suam quisq; Ecclesiam pasceret, vt Patriarcha Constantinopol. & vt præsentes ouium suarum curam agerent, non autem emolumentis inde acceptis in vrbe morarentur.

X. SVCCEDIT ATHANASIVS MONACHVS.

Itaq; & eos, qui aliunde veniebant, per causam, quod sacra diuina ea concilia iuberent, vt Metropolitani bis aut semel quotannis apud Patriarcham conuenirent, & quæstiones Ecclesiasticas, quæ interim accidissent, discepterant, vrbis ingressu prohibuit.

In Dania Rex Primislaus, cum in clypeo imaginem D. Deiparentis Mariæ sculptam contra hostes in prælio præferret, feliciter hoc anno vincebat.

XI. VINCIT DANIÆ REX

PRIMISL. HOSTEM. *Cranz. in Vandal.*

XII. PRINCIPES BELGII RELIGIOSISSIMI.

Hoc tempore is Belgium habuit Principes Ioannem, Guillelmum & alios nonnullos, Deo & religioni maxime addictos. Nulli magis sacra coluerunt, auxerunt, vel ornarunt. Scribebant se, & superbiebant in hoc titulo, *Aduocatos aut defensores Ecclesiarum, ac canobiorum.* Reipsa etiam istud ostendebant, multa ab iis monasteria instituta, vel aucta: templa aut sacella instructa, donaria passim oblata. His ducibus, merito etiam ciues secuti & æmulati sunt pietatem, atq; olim leges etiam sanxerunt pro diuino cultu: ac reperio istas, *Templis, ædibusq;, sacris honos esto, & ne quis pilam, neue trochum in area, aut circum illam ludito.* Ita etiam pueris reuerentiam illam volebant insitam, & sacra loca, neq; lusu temerare: Alia grauior.

Diebus festis, sacratisq; ne quis aliud agito. Nemo cauponam, aut tabernam promercalem, ante publici sacrificii finem referato, neue quid emito, aut vendito.

Iam alia ad pietatem. *Ne quis noctu personatus, neue mutata veste, obambulato.*

Item. *Ne taberna, ne caupona, post vespertini aris signum patens esto.*

Item vna singulariter in raptores: *Stupri raptusue conciliator aut adiutor, exul esto, qui autem patrauerit, lignea serra caput absciditor.*

XIII. MAGNVS SVECORVM REX OPTIMVS ET RELIGIOSISSIMVS MORITVR.

Nouum Hercules de lignea serra, & absterrere graui & lento hoc supplicii genere voluerunt. Plures alias ad modestiam contra luxum & vitia ediderunt, & summa cum laude obseruarunt. *Lipsius in Louan.*

Eodem anno Magnus Rex Suecorum, vere magnus ex humanis excessit: Ingentia sunt quæ de illo referuntur, facta pietatis. Plura monasteria & Ecclesias fundauit, sacerdotiaq; & prouentus Ecclesiasticos plures instituit, quam omnes reliqui succedentes Reges. Primum monasterium virginum in honorem Sanctæ Claræ virginis prope mænia ciuitatis Stocholmensis fundaturus, magnam Principum multitudinem, etiam ex vltramarinis partibus, ad grande conuiuium in eum locum inuitauit; & monasterio quam celerrime & sumptuosissime completo, diuinoque cultui consecrato, virgines sancti Francisci regulam profitentes induxit; qua, sancto collegio filiam suam charissimam, vix septimum ætatis suæ annum ingressam adiunxit, collatis abunde in eum locum prouentibus, qui apud omnes testarentur, eum fuisse Regem magnificum: simili erga Deum pietate ductus, circa aliud latus eiusdem ciuitatis, monasterium pro Fratribus sancti Francisci erexit. Tertium etiam eiusdem Ordinis Fratribus in oppido Arbogensi erigendum curauit. Quartum quoque in ciuitate Lincopensi ad vsum eorundem fratrum ab ipso ædificatum aspicitur. Est & Virginum monasterium in honorem Sancti Dominici eius opera atq; impensa in oppido Schoningensi fundatum. Nec longe post monasterium Montis Mariæ pro virginibus: pluraque alia templa, & sacra loca, eximie in Deum & diuinum cultum pietatis testimonia erexit. Vix enim in amplissimo Gothorum & Sueonum Principatu Ecclesia, aut Monasterium, imo vix Sacellum, aut altare aliquod inueniebatur, quod non fuerit eius liberalitate ornatum, aut magnifice dotatum. Cæterum in Clerum & Ecclesiæ libertatem, pio atque integerrimo studio ferebatur, summopere contendens Christianum Sacerdotium per omnes terminos Imperii sui adeo felix efficere, vt nec Dani, nec Teutones, aut aliæ terræ, liberaliores in Ecclesiam CHRISTI videri potuissent. Cum aliquando Brynolphum Sarensem Episcopum imprudens offendisset, considerans eius sanctimoniam & vitæ integritatem, prostratus ad pedes eius suppliciter veniam impetrauit. Tandem senio confectus, perpendens vitæ suæ terminum aduenisse, complures Regni proceres ad se conuocauit, eosque ex lecto ægritudinis, quo decumbebat, multis & saluberrimis consiliis, ad publicam & domesticam concordiam, & ad pacem, quæ vnica atque sola spes esset patriæ conseruandæ, hortatus est: Deinde vnum ex præsentium procerum numero, Turgillum Canuti Regium dapiferum, Regni gubernaculis, vsque ad maturam filii sui Brigeri ætatem, admouit: cui etiam præsentem Reginam, ac liberos, commendauit. Tandem non sine astantium lacrymis veniam erratorum precatus, cum funus suum apud pauperes Fratres sancti Francisci Stocholmiæ curari iussisset, sumptis more Christiani Principis Christianæ fidei sacramentis, transitorii Imperii solicitudinem æterna felicitate feliciter commutauit, portatus in humeris incolarum, qui Patrem non Regem fatebantur se amisisse, *Olaus hist. Goth. lib. 20.*

XIV. OBITVS ET SANCTITAS AC MIRACVLA S. CLEMENTIS PRIOR. GEN.

Eodem anno Clemens Prior Generalis Ordinis sancti Augustini Eremitarum, vir multis miraculis & summa pietate clarus, apud Vrbem Veterem extrema senectute animam egit. Ad eius corpus multi valetudinarii delati, multi cæci perducti, multi & claudi, pristinam valetudinem illius meritis à Deo recepere. Propter eorum miraculorum magnitudinem, & opitulationes, quæ languentibus conferebantur diuinitus, Nicolaus Quartus Pontifex Maximus voluit multis hebdomadibus insepultum iacere. Nam asserebat corpus tantæ sanctitatis, non esse dignum, vt terra operiretur. Mirum fuit, ex eo tempore, quanquam aere calidissimo, nulla horrenda exhalatio, sed perpetuo odor suauissimus fragrabat. Tanta autem populi multitudo ad videndum illud singulari deuotione quotidie cateruatim irruebat, vt propter nimiam pressuram populorum oporteret Magistratum Vrbis Veteris plures domos diruere, & vicum communem ad locum Eremitarum Sancti Augusti. tendentem ampliare, vt sic populo liberior accessus præberetur. *Ioseph Pamphilus Episco. Signinus in Chronic. Eremit.*

IESV CHRISTI

Annus 1291.

NICOLAI PAP. IV. Annus 4. RVDOLPHI Reg. Rom. 18.

I. CONCILIVM CELEBRATVM IN ANGLIA *Polydor. lib. 17. & MS. Vatic. num. 5586. de reb. Anglic.*

BErnhardo Episcopo Grossetano sedis Apostolicæ Legato in Anglia nondum præsente, Londini ad Westmonasterium celebratum est Concilium. In hoc in primis agitatum est de electione Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quo sic oues ab hædis segregarentur. Itaque publico iussum est edicto, vt intra paucos dies, omnes abirent cum bonis. Illi iussis Concilii parentes, alii alio discesserunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exiit, misera semper alicubi terrarum peregrina, vsque eo dum denique deleatur. Eodem in Concilio Eduardus exposuit se cupere ire auxilio Christianis in Asiam: & quia res ad religionem pertinebat, voluit, vt Sacerdotes pecuniam suppeditarent. Postremo placuit Regi similiter atque principib. illud iniurium iure iterato statuere, ne cui hominum liceret dare prædia collegiis Monachorum: neue liceret Monachis, aut aliis sacerdotibus emere possessiones. Superuenit tandem Legatus, & vna cum Ioanne Beccano Archiepiscopo Canthuariensi sibi adiuncto, Regem iniquitatis atq; impietatis redarguit, legemq; abrogare, & Ecclesiis, Ecclesiasticisq; reb. ac personis, libertatem restituere coegit.

II. VETVIT NICOL. REG. SCOT. IN TVTELAM DARI EDOVARDO ANGLO. *epist. 102. Cal. Mart. apud S. Mariam Maio.*

Quod autem eo anno ALEXANDER Rex Scotiæ, vir singularis virtutis, equo delapsus, fractis ceruicibus repente obiisset, neque vllos filios superstites reliquisset, atque ex ea occasione plurimi Scotorum, valde anxii, quem sibi Regem optarent, regnum in tutelam Eduardi committerent, Regemque ab eo sibi dari postularent: Is vero cuperet speciatim à Scotis principibus conceptis verbis sibi vt Scotiæ terræ DOMINO iusturandum præstari: atque cunctas regni arces in suam potestatem tradi, ac tum demum daturum operam Regi creando pollicereturr: neque vero deessent aliqui illorum, qui nimis seruiliter eas conditiones amplecterentur, seque Eduardo submitterent, & is ea omnia auctoritate Apostolica rata fieri desideraret; negauit differre confirmationem Nicolaus Papa, rescripsitque se non posse in quocunque, in regno Scotiæ, sedi Apostolicæ obnoxio, iuribus Ecclesiæ Romanæ derogare: eiusq; fiduciarios tam turpiter Regi Anglo submittere.

III. CENSVM ROM ECCL.

Postulabat iterum à Nicolao Pontifice Edouardus Anglus, vt id quicquid est census Romanæ Ecclesiæ in eo

EX SCOTIA DEBITVM SIBI ASSIGNARI PETIT ANGLVS SED NEGAT NICOLAVS. *epist. 2. apud Vrb. vet. 17. Cal. Apr. & 7. ibid. 4. Cal. Apr. & epist. 89 90. ibid.*

reguo assignati, aliqui Abbates Anglicani penderent, inque eam rem aliquas possessiones, ex quib. tantum quantum necesse esset pro soluendo censu pecuniam exigerent, à Regno oblatas acciperent. Negauit libere Nicolaus Papa: quod neque ex re Ecclesiæ, neque ex dignitate Pontificiæ maiestatis neque ex vsu ipsius Regis atque regni foret. Centum millia quas vocabant marcharum sterlingorum, ex decimatione fructuum Ecclesiasticorum, & reliquam ex piis legatis atque votorum redemptionibus collectam pecuniam illi in vsum sacri belli, tantummodo concessit: idque ea conditione, si is ipse in Palæstinam exercitum duceret. Pollicebatur quidem profectionem atque auxilia: sed tantummodo pollicebatur, cum interim res Christianorum in extremum discrimen hoc anno eductæ essent; neque esset qui suppetias ferret: licet Pontifex ea fini Cardinales duos Gerardum Parmensem, & Benedictum Caietanum in Gallias misisset, vt composita inter Reges pace, Philippum Franciæ, & Edouardum Angliæ potentissimos Reges, aduersus Saracenos animarent. Instabant etiam vt Rudolphus Rex Romanorum, vna cum cæteris Regibus ac Principibus Europæis in Syriam copias transmitteret. Nam deuicta Ptolemaide, in multis malorum procellis, sola Cyprus, & Armenia minor, quam prisci mortales Ciliciam appellauere, in fide pro Christianorum rebus constanter remanserant, atque etiam opem à reliquis implorabant. Quamobrem verebatur Pontifex, ne si effusius barbarorum licentia progrederetur, de illis quoq; tum in officio continendis, tum à rabie barbarorum conseruandis desperandum foret, nisi mox præsidiis fulcirentur. Apud Philippum Francum frigide omnia procedebant, nec perinde ob priuatas dissensiones, Legatorum orationi auscultabatur. Edouardus nonnisi pecunias per pollicitationes emungere conabatur. Rudolphus Senio atq; ægritudine confectus, pontificiis mandatis studiosius præ cæteris incumbere visus, dum Spiram ad Comitia indicta properaret, in itinere è vita decessit: nec quicquam auxilii afferre potuit, rebus iam plane desperatis.

IV. BELLVM SACRVM FRIGIDE APPARANT FRANCVS ET RVDOLPHVS PRÆSENIO, ITEM ANGLVS.

V. RES IN SYRIA PLANE DESPERATA, ET PTOLOMAIS OPPVGNATA A SVLTANO. *Bosius lib. 10.*

Hoc enim anno, prouecto vere, Sultanus in Babylonia collectum ingentis militiæ agmen, in Palæstinam duxit. In ea autem homines Christiani ea tempestate post deuictam bellis superiorib. Tripolim, nullam æque populo vel diuitiis opulentiorem post Ptolemaidem habitabat. Nã quotquot ex Phœnicia bellorum strage eiecti vagabantur, vno oës impetu ad hãc ceu firmũ salutis asylũ ferebant. Belli initia, fere ex hac occasione. Franciæ & Angliæ militares Præfecti, & vna cum eis Magistri militiarum sacrarum, inducias Helpi cum Sultano Ægyptio pepigerãt. Hinc quiete militib. concessa, cum illi insolentius versarentur, oportuit plures eorum baltheo militari discingere, adeoque exauctorare. Hi auctoramento deposito, passim licenter atque impune in omnia grassabantur. Exinde vicina vndiq; loca, repleri latrociniis, populationibusque æstuare ac imperuia fieri, hominum quacũq; grassantium iniquitate cœperunt. Phœnices quidem & alii peregrini inducias pacto, quod cum Sultano Christiani iniuerant consilii, cum Christianis mercatoribus conuersabantur, & alteri alteris merces deferebant: Cæterum milites inedia atq; calamitatib. consumpti, non tantum in itinerib. verum etiam in ciuitatib. multos Saracenorum non tantum facultatib. sed & luce ipsa spoliabant, impunitatis fiducia ducti. Quod vbi ingraueſcere licentia ad Sultani aures peruenisset, Christianos serio per Oratores, ne pacta induciarum, quas concesserat transgrederentur, iterum iterumq; hortatus est, tũ auctores cędium in eius subditos perpetratarum sibi puniendos mitti, ac damnorum iniuriarumq; nomine satisfactionem postulauit, alioqui se omnia interpretaturum, ceu iussu Procerum studioq; partari, atq; propterea ad futurũ se propediem, & summo quidem Christianorum damno, hancadeo intolerandam petulantiam vindice gladio abunde vlturum. Christiani, siue quod ad vrb. tuendam sufficere vires suas non dubitarent, siue quod auxilia Crucesignatorum propediem expectarent, inq; ijs præfiderent, seu etiam sociorum, quos haud dubio supplicio, si ad Sultanum mitterentur, afficiendos sciebant, miserarentur, nequaquam Sultani minas perfecere. Interim ille filio Melecascrapho Duce (nam fatali morbo ipsemet per hos dies grauius detinebatur) Ptolemaidam ingentem exercitum misit, & obsidione primum, tum deinde oppugnatione vrb. vexari præcepit Per duos menses obsidione protracta, cum iam Sultano patre vita functo, filius suo iure donatus fuisset, acerbiorib. animis Vrbem oppugnauit: iamq; completis fossis, prædaq; vniuersa militibus promissa, ad mœnia vsq; pugnando pertigerat, cum à Christianis longe maximo suorum incommodo in Castra reiectus est. Suborta deinde inter eos, qui pro Christianis ciuibus in præsidio ciuitatis degebant graui dissensione, paulatim indies flaccescere obsessorum virtus, imo etiam propulsandi hostes spes eos deserere cœpit. Dilabentibus siquidem quotidie multis, soli demum ad 12. millia pugnantium remansere. Qui etiam cum Patriarcha Hierosolymitano, dromonibus ad fugam præparatis elapsi, cum initio secunda nauigatione vterentur, tandem Cypro imminentes cuncti periere naufragio. Sultanus interea animi ferox, desertam habitatoribus Vrbem ingressus, eam ferro flammisq; euertit, planeq; deleuit.

VI. PONTIFEX CHRISTIANOS PRINCIPES AD RECVPERANDAM TERRAM HORTATVR SANCTAM, ITEM GENTILES. *ep. 51. apud Vrb. vet. 10. Cal. Sept.*

Rebus itaque Christianorum in Syria ad eum modum afflictis, eas omnes calamitates Nicolaus Pontifex in primis Regi Galliarum significauit, eundem ad auxilia ferenda quantocius inuitauit. Monuit proinde, vt huic rei in comitium omnes regni sui Proceres congregaret, deque subsidiis transmittendis vna cum eis decerneret: atq; de omnibus Pontificem redderet certiorem. Reliquos etiam Reges & Proceres Europæos, ad sacrum bellum gerendũ hortatus est, iniuncto officio prædicandæ sanctæ Crucis Fratrib. tum Prædicatoribus, tum Minoribus, qui in vniuersis prouinciis verba ad populum facerent, atque vniuersos & singulos ad suppetias ferendas alliceront, proposita remissione peccatorum, his, qui vel pecunias, vel arma, vel cõmeatum reliquum Crucesignatis contulissent, vel ipsi arma contra Saracenos assumpsissent. Vt a. reliquos Templarios & Hospitalarios, militiæ quidem insignes, sed perpetuis dissensionib. inter se laborantes, aliqua ratione ad vnitatem & pacem reduceret, magnopere conatus est Nicolaus. Cui cum à quibusdam persuasum fuisset, optimum fore, si ex duab. istis militaribus Religionibus, vna militia, sub vno præside congregaretur, iisdem institutis ac legib. administraretur, viueret, ac pro Christi gloria sub iisdem signis vnis depugnaret: Eam rem Andronico Græcorum Imperatori, Regibus Galliarum & Angliæ, Prioribusque S. Ioannis Hospitalis, & Præceptoribus militiæ Templi vbilibet locorum renunciauit. Quanquam autem certum sibi esset, eos milites, si in vnam militiam coaleſcerent, sub vnius vinculum charitatis & pacis eo modo posse facilius adduci, & contra hostes fidei Catholicæ, tanto animosius, quanto coniunctius bellum posse agi & agere: quid tamen ipsi hac de re sentirent, non tam consensum, quam iudicium eorum inquisiuit. Quod vero sciret Nicolaus Saracenos, arma & militiæ aptos homines, præcipue à Christianis comparare, duci quidem & Senatui Veneto seuerius, ne arma, ligna, ferrum & reliqua bello gerendo necessaria in Alexandriam ferrent, aut alicubi locorum Saracenis venderent, aut subministrarent, interdixit: Ad Andronicum vero Græcorum Imperatorem, Fratres Ordinis Minorum, Guillelmum de Cherio, & Matthæum de ciuitate Theatina, internuncios destinauit, qui sedis Apostolicæ nomine interpellarẽt, ne is Saracenos ad Prouinciam Georgianorum admitteret, neue captiuos quoscunque eis diuendi permitteret. Eosdem quoque Fratres Minores, ad Tartaros penetrare iussit Nicolaus Papa, vt eos ad auxilia Christianis contra Saracenos præstanda pertraherent.

epist. 4. apud Vrb. vet. 4. Cal. April.

ep. 60. apud Vrb. vet. 15. Cal. Sept.

ep. 50 apud Vrb. vit. 10. Cal. Sept. ep 66. ibid. Id. Aug.

VII. ARMENIVM SCYTHIS VICTI AB SARACENIS ET SVLTANO. *Aemil. lib. 8.*

Nam hi quoque ante decem annos, præclaram operam pro Christianis Armenis nauauerant. Sed narrabo. Anno huius sæculi altero & octuagesimo, Armenii armis Saracenorum vexati, cum à Christianis Europæis frustra opem petiuissent, cum bella domestica in Scythia tandem conticuissent, ab Imperatore Scytha auxilia quæsiuere: impetrauereque triginta millia equitum Tartarorum. Iis freti, cum Saracenis Ægyptioque Rege dimicauere, magna spe illecti, debellari posse, euertiq; Sultanorum imperium. In Syria ad Vrbem Gamalam, quam Helpis Ægyptius Imperator obsederat, signa contulere: acerrimeq; præliabantur

Armenii, fidentes equitibus Tartarorum, nec dubia videbatur victoria. Scytharum enim Dux nomine Magnodamerus, cum trepidare Saracenos, ac in fugam inclinari, dissipariquecerneret, equo pernix desilierat. Qua re conspecta, reliqui Scythæ & ipsi in pedes se excepere, institutoque gentis, vt Ducem eques pedesq; intuens exemplo rem gerat. Tum collectis animis hostes, redintegratisque viribus, in pugnam redierant, Armeniosque à sociali equitatu, cui vni fidebant, desertos fuderant, fugarant, Gamalam expugnarant, cædemq; plurimam patrauerant. Reuersis domum Scythis, eorum Imperator securi ductores ordinum percussit, qui eorum ductu meruerant, eius omni deinceps vita, ignominiæ causa, habitu cultuque muliebri agitare iussit. Cogitabat Nicolaus, eos forte illam ignominiam eluere cupere, si modo occasio belli suscipiendi offerretur. Quamobrem, quod ex orationibus socii Regis Armenii ad se & ad vniuersos Principes Europæos dimissis intellexisset, res tum illius præcipue, tum reliquorum Christianorũ prope ad interitum deuolutas, ad Tartaros quidem dimicationem exoptantes inuitandos, Fratres illos misit: Oratorib. autem reliquos Regis Christianos conueniendi potestatem fecit, eosq; datis litteris ad singulos commendauit.

epist. 138. apud S. Mariam Maio. 2. Id. Febr.

VIII. NICOLAVS AVXILIA AB ANDRONIC. PETIT QVIA PRIOR ERAT IN LATINOS. *Gregoras li. 6. hist. Rom.*

Præ cæteris vero Andronicum Græcorum Imperatorem Nicolaus, ad suppetias tum Armeniis, tum Syriis submittendas hortatus est. Namque is per hos dies, ad vestem inconsutilem Christi, germanitatemque animorum religione seruandam, proniorem se ostenderat, & aliquid magni præstitisset, nisi damnata à popularibus illustris alio qui Patris memoria deterritus, in potestate auctoritateq; suorum fuisset. Præclarum est, quod in Chilam, Ephesium & Danielem Cyzicenum, primores & capita schismaticorum cogitauerat, vt se in Latinos facilem esse ostenderet. Eorũ Metropolium clerici selecti & fidissimi, & charissimi contra ambos insurrexerant, ac Imperatori & Pontificibus litteras obtulerant, quib. illos multa nefanda, & abrogationem sacerdotii spondentia commisisse testabantur. Has cum Imperator, & pontificum collegium aude legissent, litteris & decretis ambos in Vrbem euocabant: Et proculdubio aliquid graue in vtrumq; statuissent, nisi illi inquisitionis tempus crebris dilationib. eluissent. Cum tamen ipsis acerbius poculum, quam Catholicis bene meritis miscuerant exhauriendum esset, numine talia facinora vindicante, apud Imperatorem tacitam cuersionem inuenerãt, quæ eos plusquam ira aperta dolebat, & leniter ac clanculum ad ipsas vsque medullas penetrans, omnem animi eorum amœnitatem depascebatur, & consumebat. Præsertim cum etiam apud Episcopos Orthodoxos & collegas inimicum contemptum, & ab omni consolatione alienum animaduertissent: ac q̃ maius est, annuis reditibus, quos illis Metropoles pendebant, priuati essent, vitæq; reliquum ita ægri animis & afflicti exegissent, donec præ doloris magnitudine diem obiissent. Ea cum sciuisset Nicolaus Papa, vehementius in spem maximã adducebatur, tum auxilii obtinendi, tum vnionis efficiendæ Ecclesiarum. Huic rei Vgolinum ex nobili Malabrancorum stirpe Vrbe veteri oriundum, qui hac tempestate floruit, propter insignem doctrinam, ac multo præclarissimam pii animi religionem, diuersorum Patrum hortatu ex Episcopo Ariminensi, Cõstantinopolitanum Patriarcham creauit: vt eius opera in Græcorum Ecclesia ad Romanam sedem reuocanda vteretur. Porro hic dum è Galliis, vbi fere à cunabulis, tum præcipue Parisiis Theologiam summa cum laude docuerat, in Italiam reuerteretur, Aquipendenti in pios vsus primum facultatib. distributis, multo suorum dolore decessit: quem sepeliendum apud Vrb. vet. in D. Augustini æde, executores Testamenti curarunt.

IX. DOMVS NAZARETHANA B. M. VIRG. DALMATIAM AB ANG. DEPORTATA, ITEM MIRACVLA.

Eodem anno, qui fuit suprema Palæstinæ clade insignis, Deo dilecta domus, Incarnatione Dominica illustris, è Syria pariter cum religione discessit, Angelorum manibus è Nazarætho in Dalmatiam, maximo miraculo translata, cladem Orientis, tanto occidentis bono compensans. Cui enim, ad preces Diui Gregorii Thaumaturgi, non difficile fuit, montem olim à sede suo motu alio transferre, eidem facile fuerat, in gratiam cælitum Reginæ domum eiusdem, olim ab Apostolis dedicatam, & in formam templi redaCham, à fundamentis auellere & Angelorum ministerio, per ingentes terrarum mariq; tractus, transportare. Terfactum inter, & Flumen (oppida sunt Dalmatiæ) leniter accliuis mons eminet: quo in summo æquata agri planities sedem efficit peramœnam, Adriatico imminentem mari. Hic igitur Nazarena domus, velut præcipua tutela periclitantium, à cœlestib. ministris, Deiparæ iussu, sita est secunda circiter noctis vigilia. Vt primũ diuinæ liberalitatis domum accolis lux ostendit: enimuero animos rei nouitate attonitos non admiratio tantum, sed etiam religio incessit. Ergo qui propius aberant, vt quisq; rem primus nouerat, certatim visendi studio accurrunt. Ædiculam conspiciunt fastigiato tecto, & simul camini culmine, simul sublimi tintinnabulo insigne: at nulla re magis quam vetustate visendam. Protinus limen ingressi prosternere humi corpora: Deum venerari sacro quodam honore pariter, gaudioq; perfusi. Inde orato Christo, Christiq; Parente, quorum simulachra cernebant, cuncta ociose contemplari, & perlustrare oculis cæperunt. Sacellũ animaduertunt figuræ quadrangulæ oblongæ, è vulgari tuchim lapide. Tectum perbelle laquearibus concameratum; q̃ modicis distinctum quadratis, cæruleoq; colore obductum, in auratæ stellæ velut in cęlo quodam interminantes hone stabãt. Sub tecto laqueato eminebant vndiq; è parietib. modilia specie semicirculi se mutuo contingentes: quos medios pictæ adornabant capedines. Parietes cubitali ferme crassitudine, non ad perpendiculum, neq; ad regulam exacti, lorica tamen opere tectorio. Huic superinducta antiquitus pictura, ædis ipsius mysteria referebat: quæ super e multis locis hodie manet, inferne temporis vetustate defluxit. Ædis longitudo pedum amplius XL. latitudo minus XX. altitudo circiter XXV. In medio ferme pariete, qui olim, vt reor, faciem obtinebat domus, ianua satis ampla, sed à vulgari vsu haud sane abhorrens. Pro superliminari trabs rudis superiecta est. Ad lævam armariolum miræ simplicitatis asseruandis fictilib. aptum. Ad dexteram in proximo pariete fenestra nõ magna: è regione fenestræ canonus humilis, tenuisq; opere, vt cætera vulgari. Intibi sublime loculamentum columellis in orbem striatis latera cingentibus conspicuum: arcusq; eiusd. operis, quinq; iunctas pariter Lunas imitante fastigiatum. In loculamento B. Mariæ statis, ac puerum Iesum altera manu medium amplexantis, altera sustinentis effigies cedrina fere bicubitalis, cuius facies electro argentũ referente oblita, sed luminũ infuscata fumo. Cæterum illa ipsa infuscatio antiquitatis ac religionis index, impense auget virginalis oris maiestatem. Gemmata corona sublimem distinguit verticem. Discriminati crines Nazarenorum ritu per nuda colli, & humeros fluunt. Simulacrum stola aurea tegit, latiore zona, gentis more succincta, demissaq; ad pedes. Palla cærulea stolæ super inducta pendet ex humero: vtraq; in eod. trunco cælata picta q̃. Insistit maternæ dextræ puer Iesus mortali specie augustior, diuinę cuiusdam maiestatis indolem vultu præferens. Priores dextræ digitos, bene precantis in morẽ tollit. Sinistra, a. aureũ tenet globũ, & ipse discriminato capillo, tunica talari, zonaq; Nazarenum habitum refert. Ante Dei paræ effigiem, ara solido è saxo quadrato visitur, spirans sanctitatem. Dalmatę igitur cuncta per otium contemplati, etsi, quid tandem rei esset ignari: communi tamen consensu statuunt ita, quicquid sit, profecto donum id esse diuinum. Neq;. n. ædem illam repente humo excitatam, sed aliunde Dei voluntate ac nutu vtiq; adductam, aduectamque. Igitur inde digressi, vt quisq; obuius fit, ab se visa cõmemorant. Nec mora. Mortalium plerique, atq, in his ægrorum nonnulli ad nouum tantæ rei spectaculum confluere: aliquid inde opis expectare. Nec sua eos spes fefellit. Loci religio sanis corporibus mentis ferebat sanitatem, ægris etiam morborum curationem impertiebat. Celeriter Terfactum, ac flumen prodigiosi Sacelli fama perlata, valentes ad visendi cupidinem, ægros ad spem valetudinis accendit. Alex. erat sacrorum Antistes in æde S. Georgii Terfactensis, virantiqua probitate, æque Deo, & hominib. longe charus. Is lõginquo, grauiq; implicitus morbo iacebat: iamq; exigua in spe trahebat animã, cũ peropportune à familiarib. de diuina illa æde fit certior. Exẽplo ingens animum eius cupiditas cepit hauriendi oculis tanti

miraculi voluptatem, Cæterum vrgente morbo, deferri eo
sine certo vitæ periculo nequibat. Igitur hoc ægrius febris
æstum patiebatur, q affecta membra impetū animi haud-
quaquam sequebantur. Nec tamen desernit Deiparæ ef-
figiem q simul cum Diuina illa ædicula delatam acceperat.
Itaq; B. Mariæ Sacellū haud falso esse ratus, impense eius
implorat opem: votum nuncupat nō magis salutis recupe-
randæ auidus, q cælestis illius doni diuinitus cognoscendi.
Nec incassum missæ preces. Intempesta nocte, somnum in-
ter, & vigilia, Deiparens repente cælo delapsa, cælestib. la-
tera tegentib, se illi obtulit: cubiculumq; omne clarissima
luce cōpleuit. Mox benigno vultu: Bono animo, inqt, esto
fili. En vocata adsū, præsentē tibi opē, optataq; rei notitiā
ferēs. Sic igitur habeto. Sacrā ædē vestris nuper illatam si-
nib. illā ipsam esse domum, vbi ego olim genita, vbi ferme
educata sim. Hic ergo Archangeli Gabr. nuncio, Spir. S. o-
pera, diuinam coneepi sobolē. Hic verbū caro factum est.
Ergo post nostrum excessum, domū talib. mysteriis insig-
nem Apostoli consecrarunt, celebrarunt q: certatim rē di-
uinam inibi factitantes. Ara pariter, cū ēde allata ea ipsa est,
quam Apost. Petr. sacris initiauit. Christi Crucifixi imago q
cernitur, olim ab Apostolis inibi posita. Simulacrum por-
ro cedrinum effigies nostra est Lucæ Euangelistæ manu, q
pro familiaritate, quæ illi nobiscum intercesserat, nostram
similitudinem coloribus quantum mortali fas erat, expres-
sit. Hæc igitur dilecta cælo domus per tot ætates in Gali-
læa maximis honorib. culta, nunc demum deficiente cum
fide cultu, ex oppido Nazaretho, ad vestras migrauit oras.
Nec dubia fides, Deus facti auctor, apud quem impossibi-
le non est omne verbum. Cæterum vt horum tu ipse testis
sis idem, præcoq;, sanus esto. Tua ex longinquo morbo su-
bita valetudo fidem miraculi faciet. Hæc effata sublimis a-
bit in cælum, cælesti quodam odore in tectis relicto. Id ve-
ro non ludibrium sopitę, aut ægrę mentis, sed veram fuisse
speciem, rei ostendit euentus. Protinus Antistes mista pa-
uori lætitia cuigilans, totus sudore fluere cæpit: depulsaq;
repente febri, valēs ac vegetus surgit è lectulo. Mox non
magis valetudine, quam Nazarenæ domus indicio lætus
submittit genua: & oculos pariter, manusq; in cælum tol-
lens, Deo ac Deiparæ Virgini pro duplici beneficio multi-
plices grates egit: tantum domum sibi, patriæ, gentiq; suæ
gratulatur. Inde simul illuxit, præ gaudio gestiens in pub-
licum prodit: & decori oblitus, homo id ætatis, authorita-
tisq; lymphato similis per vicos, per plateas, per compita
cursare cæpit, nocturnum visum (vt quisq; obuius erat, seu
notus, siue ignotus) exponere: Dei ac Deiparæ domum vel
proprium, vel commune passim prædicare. Et erat ea vox
& vultus: is ardor animi ex oculis eminebat, qui facile di-
ctis faceret fidem. Accedebat haud dubium argumentum,
subita corporis sanitas roburq; in eo, quem graui diutina-
que conflictarum febri, hesterna die vehementer labora-
sse constabat. Quæ postea quam ad oppidanorum plerosq;
pertulit rumor: confestim magni ad Antistitem concursus
fieri: & cæleste donum gratiis Deo, Deique Parenti agen-
dis, certatim vno omniū ore celebrari. Princeps inter gra-
tulantes, lętantesq;, gaudio exultans ibat Antistes: & adde-
bat ad gradum natalem virginis domum videre festinans.
Quo vt venit, venerabundus votum, cuius se damnatum
profitebatur, effixius exsoluit. Maior secūdum hæc religio
mortalium incessit animis. Neque. n. vanus author, aut du-
bia fides ferebatur. Itaq; ædes miraculis inclyta maioribus
indies accolarum studiis celebrari, colique cæpta. Manare
hæc primo ad finitimos fama: inde etiam ad remotos. Iāq;
omnibus circa populis templum illud sanctum erat: om-
nes ardebant cupiditate tam insolitæ, tam celebrata rei ali-
quando visendæ.

X. INQVISITIO DE VERITATE TRANSLATIONIS SS. ÆDIS INSTITVTA PER NICOLAVM FRANGIPANIVM PRÆTOREM.

Peropportune illa tempestate Nicolaus Frangipanius è
prima nobilitate Romana, Croaciæ, Dalmatiæ Istriæ Præ-
tor (Magnus Pan ab incolis vocabatur) regionem illam ad-
ministrabat, vir pietate iuxta, ac virtute inclytus: Idem que
Dñs erat Fluminis, Tersactiq;. Is igitur simul rei miraculo,
quod in suo fundo euenerat, simul Alexandri Antistitis ser-
mone, ac repentina sanitate motus obstupuit primo: inde
lætus, cæleste munus in suo potissimum agro consedisse, &
ipse strenue in montem accurrit: sanctissimamq; ædē haud
secus quam dignū erat, donis colere, atq; ornare instituit.
Cæterum quia rei nouitas hominum memoriam, magni-
tudo superabat fidem, tam insolitum, inauditūq; miraculum diligentius explorandū existimauit. Verebatur quip-
pe, ne ipsorum credulitas suspecta cæteris foret: neue tanta
res plus admirationis, quam fidei esset ad posteros habitu
ra. Itaq; re cū antistite cōmunicata, placuit certos homines
in Galilæam mittere totā rem intentius inspecturos. Ex o-
mni numero lecti 4. expertæ fidei, ac probitatis viri, in q b.
Alex. ipse Antistes fuit. Hi Nazarethum missi omnia q; ex-
plorata referre iussi. Igitur impigre conscensa naui, trans-
missoq; Adriatico, Ionio, Cretico, Cyprio mari, Palæstinā
secūdo cursu tenuere. Nec mora barbarorū animis auro de
linitis, Hierosolymę sacros Christi sepulchrū venerant. In-
de fide publica, firmoq; armatorū ꝓsidio septi, Nazarethū
Galilææ vrb. q nauigationis caput erat, protinus pergunt.
Ibi impensius inquirentes, comperiunt ex incolis, nō tam
re quam verbo Christianis, domum natalem B. Virg. inde
paulo ante sublatam, deducuntur ad templum ab Helena
Augusta olim sacræ Domui circumdatum, cernunt funda-
menta, recentia S. Domus aulæ vestigia. Dimensi longi-
tudinem, ac latitudinem areæ, fundamentorumq; crassi-
tiem, reperiunt omnia cum translatæ in Dalmatiam ædis,
parietumq; mensuris, quas ad id secum attulerant, prorsus
congruere, tempus quoq; augusti Sacelli illinc ablati, aue-
ctiq; in Illyricum cōuenire. Ergo effusa cum lætitia, & gra-
tulatione domū reuecti, Frangipanio Prætori explorata re-
nunciant. Ille enimuero tali nuncio admodum lætus, ma-
nantib. gaudio lachrymis, Deo, Deiq; Parenti grates ingē-
tes agit; q se non solum viuente, sed propemodum viden-
te, tantum miraculum extitisset, tam euidentib. prodigiis,
talium virorum authoritate firmatum. Extemplo igitur ad
ædem virginis, solemnis ac celebris indicta est supplicatio,
maximoq; peracta concursu virorum mulierumq;. Ibi A-
lex. Antistes pro concione ad populum rem ordine expo-
nit: ac Deum, Deiparam, mortales omnes, immortalesque
contestans, propalam confirmat, nihil se compertis affin-
gere. Si secus sit, non recusare quominus cœlestis ira meri-
tas ex ipso expetat pœnas. Nimirum hoc ipsos Dei Matri
gratiores esse oportere, quo respene incredibilis explora-
tio afferatur. Quas velut missas è cœlo voces cum ci cum-
fusa audiret concio, repente ingenti gaudio efferri, nec
temperate, quin gratulationibus, lachrymisq; ipsum con-
funderent dicentem. Per orationem Antistitis excepere
preces auditorum, Deo, Deiq; matri grates quibus signis,
quibus vocibus poterant, agentium. Mirum quanta illi vi-
ro hæc nuncianti, affirmantiq; fides fuerit, non apud inco-
las solum, sed etiam apud exteros: quantumq; talium viro
rū testimonio, frequentię, religionisq; sacros. accesserit cel
læ. Nec deerant crebra, illustriaq; miracula, cum vndiq; æ-
gri membris capti, energumeni adessent. Defuit tamē, qui
ea sigillatim rite consignata litteris proderet. Crescebat cū
populorum miraculorumq; frequentia, religio loci, cres-
cebat & cultus. Augustissimæ quippe Ædis insidens acco-
larum animis cura, (cum interesse supplicantium precibus
virgo ipsa videretur) tanta religione omnium pectora im-
buerat, vt eum locum à Deipara incoli, non solum diligi
existimarent. Itaq; natalem virginis domum, ipsamq; vir-
ginem quibuscunq; reb. sciebant, poterantq; certatim co-
lere, & ornare cæperunt. Cæterum benignæ voluntati fa-
cultatum tenuitas obstabat. Proinde ab eis pie magis, quā
munifice ornata est. Mox etiam longinquorum populo-
rum concursibus celebrari, honestarique cæpta. Gliscebat
indies rumor fortunatæ domus: natale Beatæ Mariæ tectū
diuinitus ad Tersanctum est Galilæa deportatum: Missos
Nazarethum spectatæ fidei, virtutisque viros rem perspe-
ctam ac testatā attulisse. Exciuit ea fama non Illyricos so-
lum remotiores: sed Istros, Croatas, Bosnios, Seruios, Epi-
daurios, cæterosque eius tractus longe ac late patentis popu-
los, ad tantum miraculum donumque visendum. Mul-
tis quoque eorum præsens virginis auxilium in dubiis ad-
uersisue rebus oblatum, augebat indies celebritatem loci.
Enim vero Illyrici sacræ domus accolæ gaudere concursu
populorum: gestire suam regionem apud exteras gentes ac
nationes ingenti gloria esse: credere se diuino iudicio cæ-
teris gentibus esse prælatos, humanæ arrogantiæ vitio, cœ-
lestia dona meritis hominum magis, quam Dei benignita-

te æsti-

te æstimantes. *Annal. Flumentani apud Horatium Tursellinum lib. 1. Lauret. hist.*

XI. ARCHIEPISC. MEDIOLANEN DISCIPLINAM ECCLESIAST. REVOCAT ET CRVCESIGNARI PERPLVRES FACIT.

Ad diem 27. Mensis Nouembris huius anni, Otto Archiepiscopus Mediolani in Ecclesia Sanctæ Teclæ, Synodo Prouinciali Episcoporum & vniuersi Cleri congregata, multa ad Ecclesiast. disciplinam reuocandam constituit, ac Fratre Stephanardo Ordin. Præd. verba ad omnes faciente, plurimos Christi fidelium, ad auxilia Terræ S. à Saracenis oppressæ, auctoritate summi Pontificis Crucesignauit. Dedit insuper istud salubre summo Pontifici cōsilium, vt milites Hierosolymitani, vna cum Templariis, & Theutonicis in vnum Ordinem congregarentur, iisdem institutis viuerent, & vnitis armis contra barbaros dimicarent: præfecto copiis Crucesignatorum Rege Galliarum. *Bernh. Corius hist. Mediol. p. 2.*

XII. PACIS CONDITIONES INTER ARAGON. ET GALLOS. *Surit. lib. 2. Marian. lib. 14. c. 14. Marineus Siculus libr. 11. Phazell. lib. 9. Codex Vatic. MS. Columnens.*

Huius anni mense Februario ineunte, Hugo Metaplana Cæsaraugustanus Episcopus, Raymundus Anglesola, Berengarius Puchuertius, Cancellarius, Ecclesiæq; Solsonens. Præpositus, Guillelmus Lonfortius, & Bernhardus Guillelmus, Pinelius, viri & publici & priuati peritissimi Alphonsi Aragonii internuncii, Tarascone cum Cardinalibus Apost. sedis Legatis, atq; Philippo Galliarum, & Caroli Valesii Aragonum Regis Oratoribus fœdus inter Aragonios & Gallos compositum. Pacis hæ conditiones dictæ. Alphons. Aragonius missa Romam legatione, eorum quæ commissa sunt, veniam supplex petito. Vectigalis nomine, vt iuxta proauus pactus erat, Roman. Eccles. triginta auri vncias annuas pendito. In Syriam sacri belli causa, cū iusta manu nauigato. In reditu, Martī Constantiæ, fratriq; Iacobo vt Siciliam restituant, hortatore: ac omnino ex ea Insula Aragonios cum proceres, tum milites, seuero edicto euocato. Carolus Valesius iure cedito, quod Martin. Pont. Ro. in Aragoniæ regnum sanxit. Ad has conditiones adiectum, vt Alphonsus festo Natiuitatis Domini proximo Romæ se sisteret, atq; exercitum contra Ecclesiæ hostes conduceret. Tum demum Pont. Rom. illum in gratiam reciperet, legaretq; qui Prouincias interdicto Eccles. exsoluerent. Et etiam, Alphons. obsides à Carolo Neapolitano acceptos redderet.

XIII. SICVLI FŒDERA RENVVNT, QVOS EXCOMMVNICAT CVM IACOBO REGE NICOLAVS IV.

Fœderi sanciendo Siculi Legati non affuerunt Alphonsi Regis artibus ne pacem turbarent, magno Iacobi & Siciliæ totius dolore, cum se proditos atque desertos, à quo minime oportuit conquererentur. Spoponderunt itaque Iacobi Siculo, se in fide eius perstituros neq; Gallica imperia passuros, vitamque & sanguinem, si res ita ferrent, ante profusuros. Eam ob rem illos, & vna cum eis Iacob. Nicol. Pontif. non semel, sed secundo & tertio, diebus in Ecclesia solemnioribus, Cœnæ & Ascensionis Dominicæ, & dedicationis Templi SS. Petri & Pauli Apostolorum anathemate damnauit: quod nulla spes restituendæ, recuperandæq; Siciliæ superesset. In Syriam Alphon. non nauigauit, cum per idem tempus nunciatum esset, Ptolemaidem obsessam, expugnatam, euersam, vt ne indicium vllum, monumentumq; vrbis extaret, ciuib. ad vnum cæsis. Iunqueram rursus ad 7. Id. April. cum Neapolitano Rege coiuit, in colloquium de pace tractanda, propensis vtriusque Regis ad concordiam animis. Fessi ambo erant malis præteritis: perculsi futurorum metu. Inde Carolus è colloquio digressus, Clementiam filiam natu maximam, Carolo Valesio nuptui dedit: dote dicta Andegauensi comitatu. Additi deinde Cenomanni, & Aragonii regni repetendi iure actioneq; decederet.

XIV. ALPHONS. ARRAGON. MORITVR 27. ANNOS NATVS. IN MORBO FIT HABITVS FRANCISC.

Aragon. Alphons. pactis ad eum modum stabilitis Cæsar Augustanum Episc. & Bolsonen. Præpositum Romam misit, vt eius nomine in Pontific. Max. verba iusiurandum præstarent, atq; communionem Ecclesiasticam ei à Nicolao obtinerent. Cætera quæ pollicitus erat constanti fide præstare volebat, nisi eū subsecuta mors importuno sane tempore, Barcinone oppressisset, cum Eleonoram Edouardi Regis Angli filiam desponsam aduocare pararet, plenaque omnia lætitia essent. Defunctus est ad 14. Cal. Iul. in ætatis flore, nonnisi 27. an. natus. In extrema, qua decubuit ægritudine, habitum religionis D. Francisci assumpsit, castum & largum aliqui dixere, quod & vita cælibe exce fisset, & cum multarum aliarum virtutum, tū præcipue liberalitatis ac munificentiæ specimina ingentia ostendisset.

Alphonso Aragonio Rege cælibe ac sine vlla prole defuncto, Iacob. eius Frater ex Sicilia, quam Friderico fratri natu minori tantisper reliquerat, continuo in Aragoniam adnauigauit, iure propinquitatis, & ex testamento fratris, debiti sibi regni hęreditatem nō cernere modo, sed & prehendere festinans. Cæsaraugustæ in Saluatoris æde ad octauum Cal. Oct. de more inunctus regni insulas & diadema suscepit. Inde fratris testamentum rescidit, quo ille Siciliam Friderico minori fratri nullo iure legauit, Sibi. a. illud regnum retinere conatus est: maxime quod Siculorum primores Gallicam libidinem & ferociam metuentes, ne se defereret, flagitarent. In hunc fere modum per id tēporis pax inter Aragonios & Gallos sancita est. Iacob. interim tolerabat, vt Frid. frater eius nomine Siciliam vna cum matre Constantia administraret, à qua quod Iacobum pendere Nicolaus intellexisset, illi perscripsit, vt eum atq; Fridericum ad obedientiam Ecclesiæ adduceret, Regnoq; & Insula Siciliæ vt excederent, vtriq; persuaderet. Forte maternis precib. flexus Iacobus, vel etiam minis & diris Pontificiis fractus, vel conspiratione in se vnum tot Regum perculsus, an etiam sua sponte inclinatus, Ioannem Procytam illum famosum Romam Legatum misit, qui suo nomine Pontificem Nicolaum obtestaretur, vt se Ecclesiæ reconciliaret, & interdicto Ecclesiast. Prouincias & Regna exsolueret. Metus quoque, quo sibi à fratre Friderico metuebat, Iacobum ad eam mentē impulit. Nam quem is administratorem Insulæ Siciliæ discedens reliquerat, ille codicillis ab Alphonso fratre relictis fretus, Regios animos sumēs, Regem Siciliæ se esse, & haberi volebat. Cum autem Iacob. se regnorum iura, non fraternæ hæreditatis cretione, aut adscititio iure, sed paternæ auitæque successionis, propinquitatisque vinculis adeptum, quod maior natu esset, asseueret, atque Siciliam sui fore iuris prædicaret, Fridericum fratrem à se alienauit, & grauissimę dissensionis materiam ministrauit. Interim autem, dum fraternæ seditiones conflantur, atque intestina bella, quæ ad internecionem gesta sunt exarderent. Blascus Alagon vir genere factisq; clarissimus, & consilio & manu promptus, qui in Siculis expeditionibus omnium consiliorum, non particeps solum, sed etiam princeps fuit, vnus dignus habitus est, qui Proceribus Siculis, Catalaniis, atque Aragoniis præesset: cum omnia in eo duce reposita esse viderentur. Is hoc anno Bruttiis strenue rem gessit. Cum enim Montalrum obsidione liberasset, Guidonem Primerarum Caroli Regis copiarum ductorem prælio deuicit. Sed tum iustam & Pontificis & numinis vindictam in se prouocauit. Nicolaus enim Pontifex anathemate illum cum aliis Regni Siculi turbatorib. damnauit. Deus autem permisit, vt rei pecuniariæ furto ablatæ apud Iacobum Aragonium reus peragetur. Contra hunc & alios hostes Ecclesiæ ac Caroli Regis Sicillæ aduersarios, vt Regi Carolo Philippus Rex Galliarum opem daret, Nicol. Pontif. datis ad eum apud Vrb. vet. Cal. Oct. litteris admonuit.

In Germania, Meynardus Comes Tyrolensis & Dux Carinthiæ, Episcopum Tridentinum insolentem habuerat, atq; intolerandis iniuriis oppresserat: eum itaq; Nicolaus Pontifex ad subsellia sedis Apostolicæ, vt causam diceret, vocabat. Cumq; venire contemneret, Rudolpho Regi Romanorum eius proteruum contumaciam renunciauit, vtq; eum vel armis ad obsequendum impelleret hortatus est: Forte oportunum iudicabat Rudolphus, si in Comitio Principum ea de re ageretur. Quamobrem Spiram illud indixit, vtq; is vna cum reliquis Procerib. adueniret, edixit. Dum vero ad faci vindicanda Spiram properaret, pridie Cal. Octob. in quodam oppido agri Spirensis, diem extremum clausit, Regum omnium & principum Christianorum, religionis studio, modestia, facilitate, clementia, & iustitiæ amore facile Princeps. Modestiam porro etsi in omnib. aliis, maxime tamen in externo cultu seruauit, quāquam persæpe eius rei causa contemptui haberetur. Duo enarrabo, quæ ai acciderūt. Vnum est, cum Moguntiacum venisset, vestitu nihil à plebeio differebat. Mane igitur egressus solus (& aura frigidior erat) videt in pistoris domo carbones de fornace recentes ignitosque: Intrat fidenter, adsistit, calefacit: cum mulier eum aspicit, & ex vestitu æstimans: Heus, tu, inquit, mi homo, parum decet vos ad

XV. IACOBVS ET FRIDERIC. FRATRES DE REGNO SICIL. CONTENDVNT. IACOBVS SE PONTIFICI SVBMITTIT.

Lucius Marineus lib.

ep. 74. apud Vrb. vet. 6. Id. Aug. an. 4. Surit. li. 2.

Phazel. li. 9.

epist. 74. anno 4.

XVI. RVDOLPHI MORS DESCRIBITVR ET VIRTVTES, PRÆCIPVE MODESTIA.

ep. 29. apud Vrb. vet. IO. Cal. Iun. anno 4.

Lips. in Monit.

mulierculas, & in alienam domum sic venire: Rudolphus, mea Mater, miles sum, qui meas res in obsequio, & in comitatu Imperatoris contriui: at ille parum benigne nunc me habet, nec pro spe aut meritis muneratur. Mulier ad illud nomen Imperatoris cæpit stomachari, & multa mala in Rudolphum dicere: Quin iste vir est, inquit, qui nos & nostra perdit, pauperum scopulus & exitium. Merito hæc vobis eueniunt, qui adhæretis & sequimini: atque vt plura eueniant opto. Rudolphus delectatus procacia mulierculæ. Sed Mulier, inquit, de me missum face: vos proprie, qua re læsit? Ibi mulier exclamare, Illeue, qui omnes pistores huius Vrbis lautos satis antea, fortunis euertit, nec facile resurgemus. At tu bone vir fabulari desine, nec vltra molestiæ aut impedimento nobis esto: abi: Aliquid etiam voluisset Rudolphus, sed illa Amazon, vas aquarum in prunas accensas iecit, & fumo, vapore, cinere perfusum eiecit. Ista in cultu priuato, hæc in publico. Nullus dies lætior, & magis Pompæ aptus, quam cum victum Ottacarum Boemiæ Regem ad se vocatum excepturus erat, & fidem ab eo (homagium dicimus) acceperus: Ille venit cum magno & splendido comitatu, & viri, & equi, auro, gemmis, serico nitebant. Dictum Rudolpho, aduentare, & sedulo à quibusdam additum, pararet se, veste & cultu ornatiore, & imperatorio, talem Regem admissurus, Rudolphus renitens: Imo Rex Boemiæ, inquit, Leucopheam, seu griseam meam vestem (verba fuerunt) sæpe derisit: nunc ipsum vestis mea grisea deridebit. At vos expedite arma & equos, & accincti instructique, vt ad pugnam state. Decus Theutonicorum armorum, non vestium, aduenis istis ostendite, hoc me vobisque dignum est: dixit Rudolphus, neq; aliter fecit. Ottocarus illi vili cultui se & aurum suum submisit, & ad genua accessit: non sine ludibrio etiam, cum Rudolphus iussisset tentorium, in quo res gerebatur, subito pandi & reuelari, vt ab omnibus genicularis Ottocarus conspiceretur. Facilitate quoque morum tanta fuit Rudolphus, vt etiam ad facetias diuerteret, quanquam aliquando ridicule exciperetur. Semel duo insignes oratores eum in arduo negotio adierunt, citam expeditionem cupientes: alter cana barba, & capillo nigro, alter vero capillo albo & barba nigra. Ad hos Rudolphus, non prius, inquit, vos expediuero, quam rationem diuersitatis barbæ & capillorum dixeritis. At hi postridie reuertentes, postquam deliberassent: Ego, inquit, primus, canam gero barbam, quia frequentiore potatione eam abluebam, de capillis dealbandis nihil solicitus. Alter respondit: Capilli mei simul cum vterum matris egressus sum, mecum creuerunt, sed barba post vicesimum quartum demum annum erupit, quæ est capillis multo iunior. Cum barba hanc ætatem asse quetur, habebit eundem cum capillis colorem. Rudolphus vt erat comis eorum responsa laudauit, & cuncta quæ postulauerant, facile concessit. Istud in eo laudandum vel maxime, quod confessorem, cui noxas ediceret, & cuius in reb. dubiis consilium exquireret, semper secum circumducebat, Spiram moribundus accelerans, mente diuinitus mota, mortis suæ præscius, properandum sibi eo esse ait, vt Reges Romanorum ibi conueniret. Aliquos enim eorum Spirense conditorium receperat.

Cuspinian. in Rudolph

XVII. IACOBVS PRIMOGENITVS REGIS MAIORICARVM FIT FRANCIS C.

Per id temporis IACOBVS, Regis Maioricarum Iacobi primogenitus, cum ei regnum hæreditate deberetur, cæleste præferens regnum, institutum Diui FRANCISCI complexus est, in eoque sancte vixit, multumque in proximis, & verbo & exemplo profecit. *Platus libr. secundo ex Annal. Francisc.*

In agro Constantiensi ante aliquot menses, mulier humano capite Leonem peperit. *Anonym.*

XVIII. PÆNA PERIVRII.

Hoc anno Hadstadii in Germania, inuenta fuit manus integra, in modum iurantis, reliquo corpore putrefacto, & cum eam secundario sepelire voluissent, guttæ sanguinis ex ea emanauerunt, ideoque illam secundo sepelire noluerunt: vt scilicet prostaret exemplar vindictæ diuinæ in periuros. *Annal. Colmarienf.*

IESV CHRISTI
Annus 1292.

NICOLAI PAP. IV. Annus 5. ADOLPHI Reg. Rom. I.

I. MORITVR NICOLAVS IV. VIRTVTES EIVS ET GESTA PRÆCLARA. *epist. 11.*

PETRVS Gradonicus Venetorum Princeps, cum multas leges contra hæreticos sanxisset, animi litteras laudatorias, apud Sanctam Mariam Maiorem, Quinto Idus Martii à Nicolao Pontifice datas emeruit. Iam enim in vrbem tranquillatis anno superiore rebus Flaminiæ & Romanis, remigrauerat Nicolaus. Ibi cum ad Sanctæ Mariæ Maioris in Exquiliis ædes pulcherrimas, egregia structuræ specie, cuius adhuc vestigia extant, exædificasset, reliquos mensses, quib. deinde vixit, eas incoluit, cum & Templum vna cum Iacobo Columna Cardinal. restituisset, & priorem posterioremque Lateranens. partem, quod inscriptæ litteræ testantur, instaurasset, tessellatoque ac vermiculato opere ornasset, & vtramque Basilicam opibus auxisset. In iisdem ædibus aduersis Reipub. Christianæ rebus afflictis, pridie Nonas Aprilis magna sanctitatis opinione decessit, cum Pontificatum Maximum gessisset, annos 4. mensem vnum, dies 14. sepultus est ad Diuæ Mariæ Maioris, in summo Templo, iuxta monumentum Petri Columnæ Card. quod ad nostram ætatem, in vermiculati operis pauimento, porphyrite lapide ornato, visebatur. Fuit Nicol. vt ex illius imagine licet colligere, quam in maxima Diuæ Mariæ Maioris, & Lateranens. etiam Basilicæ, testudine, vermiculato opere conspiciebamus, grato & pleno dignitatis aspectu. Quod vero longe præstat, optima mente Pastor, & integritate vitæ singulari, quem nullum vnquam, neq; alicuius studium, neque cæcutientis ambitionis decus transuersum egit. Sane his quatuor annis, quibus in hoc munere vixit, propter diligentiam, & in exequendis omnib. officii partibus vigilantiam, omnino optime de vniuersa re Christiana meritus est. Inter alia vero illud etiam insigne in eo extitit, quod in cognatos & affines ita semper affectus fuit, vt iis nihilo se plus debere diceret, quam cuiuis bono. Itaq; hoc quasi domestico vinculo expeditus, eo facilius omnes suas curas in communibus Ecclesiæ commodis curandis defigebat. Nam & multas discordias inter Christianos principes auctoritate sua sustulit, eosque sacro fœdere deuinxit: & aliquot Ecclesiæ ciuitates, iniuste ab aliis occupatas, armis etiam repetiit, & in potestatem iterum redegit. Quo. a. animo honores istos sustineret, iam tum ostendit, cum à suo Pontifice Cardinalis renunciatus, litteris de hac re in Gallia acceptis, rescripsit Pontifici quam diligentissime potuit, vt eum honorem deprecaretur: neq; interea vlla in re statum mutare voluit, donec nouo illius præcepto adactus est. Quin etiam hoc aiunt eum sæpe dicere solitum, multo se malle fratrum coquum esse, quam Cardinalem. Eius monumentum Sixtus V. adhuc Card. magnifico sumptu exornauit.

Antonin.

Monumentum hoc ad dextram chori Basilicæ D. Mariæ Maioris, aræ maximæ fere ex aduerso locatur, egregiis discoloribusque continue distinctum lapidibus. In parietis nido, qui medius est, Nicolai Pontificis imago spectatur ex candido marmore, qui habitu Pontificio, sacram summæ ipsius dignitatis maiestatem referens dextro extento brachio, & dilatata manu, pacificationis adhuc obire munus, quod viuens summa ope semper curauerat, videtur. Adhæc imagines sunt, suæ quæque nido, eod. ex marmore duæ: dextra religionem referens, læua, iustitiam, perpetuas propriasq; Nicolai comites. In fronte, supra Nicolai imaginem, verba hæc leguntur.

II. EPITAPHIVM NICOLAI IV. AB FELICE PERETTO CARD. POSITVM, POSTEA SIXTO V.

Nicolao IV. Asculano Piceno Pontif. Max. cum in neglecto diu sepulchro fere latuisset, Fr. Felix Peretius Cardinalis de Monte albo, in ordinem & patriam pietate, posuit. M. D. LXXXIV.

In basi hæ incisæ litteræ, quæ summa eloquentia & breuitate, sunt ingentium NICOLAI virtutum testes amplissimæ.

Nicolaus IV. Ord. Minorum professus, Philosophus & Theologus egregius, Constantinop. à Gregorio X. missus,

Græcos ad Roman. Eccl. communionem, Tartaros ad fidem reduxit. Post S. Bonauent. Generalis, sanctitate & doctrina ordinem propagauit. Nicolai III. Nuncius inter Francorum & Castellæ Reges pacem conciliauit S. Prudentianæ Cardinal. Legatus, Honorii IV. in Galliam, Senatoriam populi Romani dignitatem sedi Apostol. restituit. Factus Pont. Rempub. sublatis discordiis composuit. Christianos Principes sacro fœdere iunxit. Ptolemaidem copiis adiuuit. Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit: Publicum in Montepessulano gymnasium instituit. Probos & eruditos in cognatorum loco tantum habuit. Lateranens. & hanc Basilicam structuris & opibus auxit. Tandem iustitia & religione orbe terræ **moderatus**, magna sanctitatis opinione obiit. Pridie Non. April. M. CC. XCII. Pontificatus sui anno 5. Antiquitus, istud Epitaphium inciisum, in porphyretico pauimenti lapide legebatur.

Hic tumulus tumulat humilem, qui fascibus auctum
Sic moriens statuit ossa manere sua.
Hunc Franciscus alit, cardo vt sit, almaq; Petri
Sedes magnificat, gratia Dei beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus Virginis ædem
Hanc lapsam reficit, fitque vetusta noua.
Petrus Apostolicus socium, Franciscus alumnum
Protegat, Omnipotens matre regnante beet.

† Quid Nicolaus in conuersione Iacobitarum, Armenorum, Tartarorum, & aliorum Barbarorum gesserit, quos præcipuè ad eorum salutem miserit: quisue status earum gentium fuerit, lubet ex ipsius literis cognoscere. Ita habet.

I.

EXHORTATIO AD PATRIARCHAM IACOBITArum vt Catholicam fidem obseruet & acceleret ad Ecclesiæ vnionem. Venerabili Fratri Patriarchæ Iacobitarum.

DIsponente summi Regis arbitrio, cuius prouidentiæ magnitudo cælestia simul & terrena disponit, ad apicem apostolicæ dignitatis assumpti, grandi desiderio ducimur vt sic cunctorum gressus mortalium salubriter dirigantur, si illi suorum operum moderentur habenas vt accepti reddamur altissimo eisq; salus proueniat animarum. Quid enim illa iocundius? Quid desiderabilius? Quid in terris pretiosius fore dinoscitur, cum si totius orbis quis sibi dominium vendicet, vt euangelica testatur auctoritas, nihil profit si detrimentum animæ patiatur. Quamobrem multiplici reddimur attentione solliciti, vt vniuersi per mundu populi constituti excepto domino sub Christianæ fidei religione commilitent, quam sacrosancta Romana Ecclesia tenet firmiter & obseruat, quæ vt semitam præparat panditque aditum ad terrena gaudia promerenda optamus in super vt & tu cui multus vt dicitur subiectus est populus magno desiderio ferueas & sollerter exquiras vt per laudabilium exercitium actionum sic suo creatori cõplaceat vt salutis commoda mereatur, quodque absque ipsius obseruatione fidei, quæ reatus expurgat, maculas diluit nequit penitus prouenire. Ideoq; fraternitatem tuam paternis exhortamur affectibus, & in filio DEI patris tibi sinceris mentibus suademus quatenus ad obseruandam fidem Catholicam quam sicut præmittitur tenet & seruat Romana Ecclesia inconcusse, ac etiam ad ipsius Ecclesiæ vnionem sublato cuiuslibet tarditatis obstaculo, & nexibus difficultatis effractis festinus acceleres promptus aduenias occurras spontaneus, studiosus accedas, eo maioris retributionis præmia proinde consecuturus à Domino quo plures ad id tuo exemplo laudabili euocabis, cum facile trahi soleat in exemplum à subditis, quod agi conspicitur à prælatis. Speramus etenim magnaque fiducia ducimur quod præmissa libenter & efficaciter adimplebis subiectum tibi populum ad ea diligenter & sollicite inducendo. Cum sicut dilectus filius frater Ioannes de Monte Curbino de ordine fratrum minorum lator præsentiũ multa bona, multaq; laudabilia opera quæ lætanter audiuimus, de tuis studiis nobis duxerit referenda. Suscipe igitur exhortationem sinceram & salubrem, deuotus amplectere Christi Vicarii suadelam, sic te laudabiliter gerere studeas ad honorem & gloriam omnium conditoris, vt in conspectu eius reddaris attemptior cumulo meritorum. Cæterum instanter expetimus, vt eundem fratrem & eius socios specialiter habeas commendatos, ipsosque benigne ac fauorabiliter prosequaris, vt tali & tanto muniti præsidio vtilius & commodius in ministerio gerere se valeant quod exercent, ad laudem diuini nominis opera efficacius prosequi Iesu Christi. Vt autem in fide Christiana prædicta plenius & melius valeas alios informare dictam fidem & eius formam presentibus fecimus annotari quæ tales sunt. Credimus Sanctam Trinitatem Patrem ac Filium & Spiritum Sanctum &c. vt habetur regestrata in regestro primi anni litterarum Curiæ.

Hæc professio habetur in epistola directa Michaeli Imperatori Græcorum.

II.

SVPER EODEM CVIDAM EPISCOPO IN PARtibus Orientis & gratias agit eidem, quia benigne fratres minores recepit. Venerabili Fratri Dionysio Episcopo in partibus Orientis.

AFfluentis deuotionis affectu & zelo reuerentiæ filialis promptæq, obedientiæ vbertate pollebant missæ nobis tuæ fraternitatis litteræ, quas Apostolatui nostro cum tuæ deuota recommendatione personæ nobis in Christo carissimæ dil. fil. frater Ioannes de Monte Carbino de ordine minorum lator præsentium præsentauit. Nos autem litteras ipsas læti suscepimus & exultantibus animis earum tenorem pleno collegimus intellectu patri luminum à quo est omne datum optimum & omne bonum perfectum gratiarum actiones vberes referentes, quod obediendam humiliter fidei Christianæ, quam sacrosancta Romana Ecclesia cunctorum mater & magistra fidelium tenet firmiter & obseruat, feruens dirigitur, prout ex eisd. perpendimus litteris desiderium mentis tuæ. Rogamus igitur & hortamur attentius tuæ sinceritatis constantiam, tibiq; pro suæ salutis augmẽto cum instantia suademus quatenus erectis ad dominum digna dignis præmia largientem hominis interioris obtutibus positaq; in eo anchora spei tuæ, & prædictam fidem per quam ad superiorum gaudia ciuium aditus panditur, stabiliter teneas & obserues, eique inuiolabi liter adhærere procures ipsamq; in Ecclesiæ tuæ libris conscribi fideliter faciés gregem dominicum tuæ gubernationi confisum in ea diligenter & sollicite instruas & informes vt tandem post tuæ peregrinationis excursum, vitæq; præsentis fugitiuæ miseriam, æternæ beatitudinis gloriam meritor ũfultus auxilio, consequaris. Prosequimur autem donis vberibus gratiarum multæ benignitatis & humanitatis affectum quem circa eundem fratrem & eius socios Christi operatios seruos Dei, per effectum operum prout eiusd. fratris profitetur assertio hactenus ostendere studuisti apud te precibus insistentes, vt ipsos oportuni fauoris gratia & consuetæ beneuolentiæ vbere pro diuina & apostolicæ sedis ac nostra reuerentia prosequi non desistas, vt ad laudem & gloriam summi Regis, & animarum profectus, quos specialiter expetunt vtilius & efficacius in ministerio se gerere valeant, quod exercent tuque proinde à Domino præmium quod pro piis recompensat actib. consequaris. Licet autem prælibatæ fidei seriem pridem tibi nostris insertam litteris duxerimus destinandam, quia tamen amplo desiderio ducimur, vt eius semper tibi fit certior promptiorque memoriaue (quod absit) obliuioni subiaceat habeatur seriem ipsam præsentibus etiam fecimus annotari. Suscipe igitur reuerenter exhortationem sinceram & salubrem deuotus amplectere suadelam Vicarii Iesu Christi sicte in præmissis gerendo sollicite, sic ea efficaciter adimplendo, vt in conspectu Altissimi reddaris attentior cumulo meritorum, & sedis apostol. gratiam vberius mereatis, tuoque exemplo laudabili ad æternæ vitæ lætitiam promerendam subditorum tuorum pectora prouocentur. Fides autem prædicta & forma eius hæc sunt. Credimus sanctam Trinitatem &c, vsque in finem.

***

III.

REGI ARMENIAE, VT VENIAT AD VNIOnem matris Ecclesiæ, & ad id populum sibi commissum inducat. Carissimo in Christo filio, Regi Armeniæ Illustri.

GErentes in terris, licet insufficientibus meritis, vices Christi grandi (nec immerito) lætitia & exultatione ꝓfundimur cum ad nostrum cōtingat prouenire auditum quod corda Regum & principum terrenorum summi Regis, per quem potentatus altitudine pręeminēt beneplacitis se cooptent. Nuper.n.audiuimus & lætati sumus in domino vehementer dilecto filio fratre Ioan.de monte Curbino de Ordine minor. latore præsentium nobis ex parte regia referente quod erga Romanam Ecclesiam cunctorum matrem fidelium & magistram feruentis deuotionis geris affectum quodque ad habendum cum eadem Ecclesia tamquam princeps Catholicus vnionem, in te voluntatis vigere dinoscitur promptitudo. Subiungit quoque fratris memorati relatio, quod claræ memoriæ pater tuus veluti obedientiæ filius & catholicus Christianus mortem subiit temporalem. Reuera fili carissime tam gratis tamq; acceptis rumoribus intellectis, cor nostrum in Domino vberibus gaudiis exultauit, cum animarum salutem, quam in cunctis mortalibus ex officio debito pastoralis exquirimus votis feruentibus cupiamus. Rogamus itaque celsitudinem Regiam exhortamur in filio DEI patris, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, tuque intentionis proposito directo salubriter ad exercitium laudabilium actionum deuotionem & voluntatem prædictas dignis præconiis attollendas, stabili mente continues, ac infra tui pectoris thalamum summopere studeas conseruare. Nos enim te tamquam filium prædilectum ad vnionem lætanter recipimus Ecclesiæ memoratæ penes magnitudinem regiam precibus insistentes vberibus, eamque paternis exhortationibus excitantes, vt eiusdem Romanæ Ecclesiæ dictique fratris & sociorum suorum doctrinam quæ salutis cōmoda subministrat in omnibus promptus & efficax exequaris ad receptionem celerem & efficacem executionē illius prælatos & populum Armenorum Regiæ dictioni subiectum sollicitis studiis inducendo. Sic te in præmissis cura vigili habiturus vt à Domino proinde meritum consequi valeas pro minimis grandia largiente, tui nominis fama incrementa suscipiat, & sedis Apostolicæ gratiam, quam libenter ad filios deuotos extendimus vberius merearis. Cęterum magnitudinem regiam plenis prosequimur actionibus gratiarum quod sicut eiusdem fratris patefecit assertio ipsum & socios supradictos benigne recipiens, eis multæ humanitatis affectum exhibuit, eisque gratiosi fauoris impendio extitit prosecuta petentes instanter vt eos fideliter habeas commendatos vt ad laudem diuini nominis & animarum salutem vtilius & efficacius opus valeant prosequi inchoatum. Vt autem &c.

IV.

SVPER EODEM REGINAE ARMENIAE. Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Mariæ sorori Reginæ Armeniæ.

NVper ad Apostolatus nostri præsentiam dil. fil. frater Ioannes de monte Curbino de ordine minorum lator præsentium de Armeniæ partibus rediens, vbi Christi prosecutus obsequia & animarum salutem iuxta datam sibi à Domino gratiam extitit operatus, grata & accepta quam plurimum de tuis laudabilibus actibus piisque studiis nobis referre curauit inter cetera exprimendo, quod ad obseruandam fidem Catholicam quam Romana tenet & obseruat Ecclesia & eius vnionem stabilem prosequendam feruens dirigitur desiderium mentis tuæ, de quo tanto maiorem concepimus infra nostri pectoris arcana lætitiam quāto propensius tuę salutis diligimus incrementū. Hortamur igitur nobilitatem tuam & excitamus in Domino IESV Christo quatenus mentis oculis erectis ad Deum & ad salutis ac pietatis opera directo proposito ad obseruationē fidei Christianæ dictæq; prosecutionem continuam vnionis efficaciter & feruenter intendas, aliaque studeas exercere sollicite, quæ diuinæ sint placita maiestati, ad obseruationem & prosecutionem easdem iuxta datam tibi à Domino gratiam ceteros inducendo; ac fratrem & socios supra dictos ad partes redeuntes easdem præfata prosecuturos obsequia & alios etiam Christianos in partibus ipsis degentes habendo benigne & fauorabiliter commendatos dictisque fratri & sociis tuum in hac parte præbendo auxilium opportunum, sic semper de bono in melius processura, quod Deo Altissimo gratior, sibique vberioribus digna præmiis lætanter occurras, quo maiorum fueris fulta suffragiis meritorum. Ceterum quia te sincera in Domino caritate amplectimur tuæq; salutis affectamus augmentum tibi nostræ benedictionis munus in remissione concedimus peccatorum.

V.

SVPER EODEM CONESTABVLO REGIS ARMENIÆ. Dilecto filio nobili viro Leoni Conestabulo carissimi in Christo filii nostri Regis Armeniæ Illustris.

LÆtati sumus quamplurimum in iis, quæ de tuis laudabilibus & salubrib. studiis diebus istis ad nostram notitiā peruenerunt. Habet enim assertio fratris Ioannis dilecti filii de monte Curbino de ordine minorum latoris præsentium nuper de Armeniæ partibus ad nostram præsentiam accedentis, quod ad fidem Catholicam obseruandam, quam sacrosancta Romana Ecclesia inuiolabiliter tenere ac obseruare dinoscitur, & etiam ad ipsius Ecclesiæ stabilem vnionem feruens dirigitur desiderium mentis tuæ, quodque fratrem ipsum & eius socios opportunis confouendo fauoribus exhibuisti te illis dum moram in eisdem partibus contraxerunt intuitu Dei, cuius inibi prosequebantur obsequia & ob reuerentiam Ecclesiæ supra dictæ gratiosum beniuolum & benignum. Hæc profecto de te quem in Christo diligimus libenter audimus. Hæc sunt quæ te reddunt in conspectu omnium Conditoris acceptum, quæ tibi laudis humanæ præconium vendicant augentque multipliciter famam tuam & in Domino excitamus quo mentis oculis erectis ad Dominum, directoque proposito ad pietatis opera & salutis, ad obseruantiam fidei supra dictæ, ac eiusdem prosecutionem continuam vnionis efficaciter & feruenter intendas, aliaque sollicitus exequi studeas quæ diuinæ sint placita maiestati ad obseruationem & prosecutionem easdem, iuxta datam tibi à Domino gratiam ceteros inducendo. Prædictos autem fratrē & socios ad partes redeuntes easdem prosecuturos obsequia supradicta & alios etiam Christianos in partib. ipsis degentes benigne & fauorabiliter habeas commendatos, dicto fratri & sociis tuum in hac parte impendendo auxilium opportunum sic semper de bono in melius processurus vt ergo gratiosior & maioribus dignus præmiis occurras Domino Deo tuo, quo vberiores bonorum operum in eius horreum manipulos introduces.

VI.

SVPER EODEM VNIVERSO POPVLO ARMENIORUM. Dilectis filiis vniuerso populo Armenorum.

SVmmi pastoris qui pro suis ouibus animam posuit dirę que mortis sponte pati supplicium voluit vt nos ab hostis laqueo liberaret vices licet in sufficientibus meritis gerentes in terris cunctorum salutem appetimus solerter exquirimus sollicite procuramus vt post vitæ præsentis ergastulum fidelium animæ in cælestibus pascuis collocentur. Cum itaq; fides Catholica quam Romana tenet & obseruat Ecclesia semitā ꝑparet pandatq; aditū ad salutem vniuersitatem vestram hortamur & excitamus in filio Dei patris quatenus mentis oculis erectis ad Dominum & ad salutis & pietatis opera directo proposito ad obseruandam

Christianam fidem & prosequendam ipsius Eccles. vnionem feruenter & efficaciter intendatis aliaque studeatis operari sollicite quæ in conspectu altissimi sint accepta sic de bono semper in melius adiuuāte dño processuri vt possitis ad æternæ beatitudinis gaudia peruenire. Cæterum quia vos sincera in dño caritate complectimur, vestræque salutis affectamus augmentum vobis & vestrum cuilibet nostræ benedictionis munus in remissionem concedimus peccatorum.

VII.

EXHORTATIO AD REGEM TARTARORVM VT suscipiat fidem Christi & gratias agit eidem, quod tractat cultores fidei Christianæ benigne. Argoni Tartarorum Regi Illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

INter cetera desideria cordis nostri, hoc nouimus esse potissimum, hoc propensius affectamus, vt cuncti Reges & principes Orbis terræ ceterique gentium populi sic salubriter dirigant gressus suos, sic prouide suorum operum moderentur habenas vt post vitæ præsentis exitum quæ nullius certitudinem status habet, salus læta perueniat animarum, ideoque vberius perfundimur gaudiis cum illos perpendimus fore dispositos ad complacendum Altissimo per laudabilium exercitium actionum. sane dilectus filius frater Ioann. de monte Curbino de Ordine minorum lator præsentium ad nostram de Orientalibus partib. præsentiam veniens, attente relationis officio nostro apostolatui patefecit quod tu tamquam à Domino in cuius manu corda sunt terrenorum principum inspiratus & specialis gratiæ dono præuentus erga nos & Romanam Ecclesiam, ac alias etiam Christianorum Ecclesias magnæ deuotionis geris affectum. Adiecit etiam dictus frater quod sibi eiusque sociis dum in tuis partibus morarentur Christi prosequentes obsequia humanitatem grandem benignitatem exuberem tua clementer exhibuit magnitudo, quodq; degentibus in terris tuæ ditionis subiectis Imperio fidei cultoribus Christianæ & benignum & beniuolum exhibes, eisq; non sine sonoro præconio & dispositionis indiciis ad salutem, quę de bono semper in melius deduci cupimus in augmentum sedulæ tuitionis auxilio confoues & fauore prosequeris gratioso. Nos autem tam gratis & acceptis rumoribus intellectis lætati sumus in immensum cum tuæ salutis augmentum sinceris affectibus cupiamus. Celsitudini Regię tanto proinde profusiores gratias referentes quā to id vberioris benignitatis zelus exequitur & ex munificentia prouenit ampliori. Porro princeps egregie sicut magnificentiæ Regiæ per alias nostras litteras tibi per venerabilem fratrem nostrum Bersammam in partibus Orientis Episcopum & nonnullos alios tuos nuncios ad nos missos duximus intimandum. Nos quamuis insufficientib. meritis Vicarii Christi sumus & Petri Apostolorum Principis successores quam plurimum cupimus & ardenti desiderio affectamus vt quos baptismalis vnda non diluit & fidei Christianæ religio non includit erroris inuio per quod gressib. periculosis oberrant omnino relicto ad rectitudinis semitam reuocentur & fidē seruent fideliter supra dictam. Hæc est etenim sicut magnificentiæ Regiæ per iam dictas notificauimus litteras fides recta fides vera quæ felicitatis sperandæ fiduciam repromittit & sine cuius suffragio placere Domino nemo potest. Hæc est quæ reatus expurgat quæ commoda saluationis impendit & per quam æterna gaudia bonis concurrentibus acquiruntur per hanc hostis antiquus de arce mentis expellitur. Hæc corda mentesque purificat & infidelitatis nubilum suæ radiis expiat claritatis. Hæc virtutum omnium fundamentum sydus irradians, stella micans, solem iustitiæ intelligentiæque præueniens per quam dies oritur gratiæ, quam dies gloriæ subsequitur. Excitamus itaque magnitudinem seu excellentiam Regiam & hortamur attentius tibiq; cuius in hac parte salutem exquirimus, sano & sincero consilio suademus quatenus alta & sedula meditatione recogitans quam fragilis & caduca humanæ naturæ conditio quam plena periculis quantis exposita casibus quam sit instabilis status eius. Considerans etiam quod à lege mortis qua nihil certius cernitur, nihil habetur incertius hora eius nullus excluditur nullus effugit metas suas, nullus à Domino redditur exemptus illius promptus exurgas præsto te offeras paratus accedas ad agnitionem Christianæ fidei, ac suscipiendum Baptismatis sacramentum ad laudem diuini nominis tuæ salutis profectum & augmentum fidei supradictæ vt lucis suæ radio illustratus eius triumphalis efficiaris athleta illius fines amplificans terminosque dilatans vt post vitæ præsentis ergastulum à porta Inferi libereris & eius diris cruciatibus pœnisque grauissimis euitatis æternæ beatitudinis præmia quæ omnem delectationem excedunt, tamquam princeps emeritus consequaris. Ceterum prælibatum fratrem Ioannem & eius socios ad partes ipsas salubre prosecuturos negotium quod cæperunt fiducialiter remittentes instanter exposcimus vt eos intuitu Dei & ob reuerentiam apost. sedis & nostram benigne habeas cōmendatos eis super huiusmodi executione negotii fauorem Regium impensurus cuius fulti præsidio vtilius & efficacius se habere valeant in hac parte quodq; aliquos ex ipsis tecum iugiter teneas qui tibi tuoque proponant populo verbum Dei & de salute tractare valeant animarum.

VIII.

SVPER EODEM MAGNO PRINCIPI TARTARORVM. Oblachan magno Principi Tartarorum Illustri gratiam in præsenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

GAudemus in Domino Princeps egregie sibique deuotas & vberes gratiarum referimus actiones, quod ipse in cuius manu corda sunt Principum terrenorum te prout lætanter audiuimus suæ dono gratiæ clementi pietate præueniens illo tui pectoris intima fæcundauit affectu quod ad Christianitatis terminos ampliandos dirigitur desiderium mentis tuæ. Dudum siquidem post nostræ promotionis initia certos nuncios ad nostram præsentiam ex parte magnifici Principis Argonis Regis Tartarorum Illustris transmissos recepimus nobis apertius referentes quod ad personam nostram & Romanam Ecclesiam & etiam gentem seu populorum latinorum grandis deuotionis affectū magnificentia tua gerit dictique nuncii cum instantia petierūt vt reliquos religiosos latinos ad tuam præsentiam mitteremus. Nos autem tam gratis & acceptis de tanto tamque sublimi Principe rumoribus intellectis exultauimus in Domino vehementer cum tuæ salutis augmentum tuique nominis gloriam sinceris affectibus cupiamus patri luminum à quo est omne datum optimum & omne donum pfectū humiliter supplicantes vt tui pectoris intima de bono semp in melius munere suæ inspirationis illuminet ac suæ gratiæ rore perfundat ad laudē sui gloriosi nominis & honoris. Volentes igitur votis Regiis benigne annuere in hac parte ac desiderantes admodum vt ad suscipiendam Christianam fidem, quā prædicta Romana tenet & seruat Ecclesia promptus accedas, præsto te offeras studiosus occurras cum sine ipsius comitante suffragio placere Altissimo nemo possit ecce dilectum filium fratrem Ioannem de monte Curbino cum eius sociis de ordine minorum latorem præsentium ad te duximus destinandum cum instantia postulantes vt ipsum & socios supradictos benigne habeas commendatos eis quorum doctrinę cum salutis commoda suggerat te inseparabili cupimus adhærere super salubri commisso illis negotio quod salutem respiciat animarum. Regii fauoris auxilium impensurus vt eius fulti præsidio vtilius & efficacius habere se valeant in eodē tuque à Domino qui pro minimis grandia recompensat æternæ beatitudinis præmia consequaris.

* * *

IX.

SVPER EODEM CVIDAM PRINCIPI TARTArorum. Caydano Principi Tartarorum Illuſtri gratiam in Præſenti quæ perducat ad glòram in futuro.

ADea quæ tuæ ſalutis augumenta reſpiciunt tuique nominis titulos in orbe terrarum attollunt Celſitudinem tuam libenter inducimus, operamque ſollicitam impertimur. Sane princeps egregie tuis aperire ſenſib. affectamus, quod Dei filius Ieſus Chriſtus ad ima mundi vt hominem quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam de limo terræ formauerat de ſeruitutis nexibus in quos ipſum impegerat maligna ſuggęſtio liberaret clementi dignatione deſcendens veſtem noſtræ mortalitatis aſſumpſit vt proprii aſperſione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret ac ſuos mortis æternæ tenebris obuolutos vitæ perennis efficeret poſſeſſores qui commiſſæ tibi legationis à patre in regione peccantium piis ſtudiis exercens officium mundumq; ſalutaribus inſtitutis informans tandem poſt ſanctæ conuerſationis & operationis exempla poſt Euangelicę inſtructionis eloquia poſt doctrinæ ſalutaris effectū diræ mortis vltro ſupplicium ſubiit, dieq; tertia reſurrexit à mortuis glorioſus vt mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo benignus repararet qui priuſquā pateretur claues Regni cælorum B. Petro Apoſtol. Principi & per eum ſuis duxit ſucceſſorib. cōmittendas, per hoc eis tā ſublimis poteſtatis auctoritatem impendens vt quodcunq; ſuper terram ligatum redderent ligatum haberetur in cælis & quodcunq; ſoluerent ſuper terram ſolutum exiſteret in eiſd. Vnde nos licet inſufficientib. meritis Chriſti Vicarii & eiuſd. Petri ſucceſſores in terris, diſponente Dño conſtituti magno deſideramus affectu, vt fidei Chriſtianæ cultores ſalutarib. actib. imorentur, ac illi quos fides ead. non agnouit ad rectitudinis ſemitam actore Dño reuocentur eandemq: ſollicite ſeruent fidem, cum ipſa ſit vera fides & recta ſine cuius comitante ſuffragio placere Dño nemo poteſt. Qui reatus expurgat ſalutis cōmoda elargitur, qui corda menteſq; purificat & infidelitatis obſcurum ſuæ radiis expiat claritatis. Excitamus itaq; magnitudinem tuam & attentius exhortamur ſano & ſincero tibi conſilio ſuadentes, quatenus ſedula meditatione recogitans quam ſit fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quā plena periculis, quantis expoſita caſib. quam inſtabilis ſtatus eius conſiderans etiam quod à lege mortis nullus excluditur, cū omne quod naſcitur moriatur promptus exurgas præſto te offeras paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei ac ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentum ad laudem diuini nominis tuæ ſalutis profectum & augmentum fidei ſupra dictæ vt lucis ſuæ radio illuſtratus eius triumphalis efficiaris athleta illius fines amplificans terminoſque dilatans, vt poſt vitæ præſentis ergaſtulum à porta Inferi libereris, & eius duris cruciatib. pœniſq; grauiſſimis euitatis ęternæ beatitudinis præmia quæ omnem dulcedinem ſuperant & omnem delectationem excedunt tamquam princeps Catholicus conſequaris.

X.

COMMENDATVR QVIDAM PISANVS, QVI IN terra Tartarorum Religioſis illuc venientibus exhibet conſilium & fauorem. Dil. fil. nob. vi. Iolo de Piſis.

LÆtamur in Domino, quod ſicut habet fide digna relatio ad dilatandos Chriſtianæ fidei terminos laudabiliter & ſolerter intendens, illos ad agnitionē ipſius qui nondum ſunt eius lumine illuſtrati ſollicite inducendo, quodque cunctis religioſis per partes ipſas habitantib. trāſitum impendis intuitu Ieſu Chriſti conſilium auxilium & fauorem exhibendo & nihilominus illis ſpecialem & præcipuum protectorem de quo te laudandæ ſollicitudinis ſtudium tanto amplius commendamus quanto magis ſalutem appetimus ſingulorum. Excitamus itaq; diligentiam tuam & eā hortamur in Domino Ieſu Chriſto quatenus circa huiuſmodi ſalubres actus & opera ſedulæ ſollicitudinis ſtudium largiaris vt exinde tanto acceptior & gratior tuo reddi valeas ſaluatori quanto per te plures ab erroris inuio ad veritatis ſemitam & ab infidelitatis nubilo ad claritatē Catholicæ fidei reducentur. Nos autem benedictionem noſtram tibi pręſentium tenore in tuorum remiſſionem dirigimus peccatorum.

XI.

EXHORTATIO AD REGEM TARTARORVM VT ſuſcipiat fidem Chriſti & baptiſmatis ſacramentum. Argoni Tartarorum Regi Illuſtri gratiam in præſenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

AD ſummi Præſulatus officiū nuper nobis ſupernæ diſpoſitionis arbitrio quo cæleſtia pariter & terrena diſpoſitionem ordinemq; ſuſcipiunt euocatis venerabilis Fr. noſter Berſāma Epiſc. in partib. Orientis Nobilis vir Sabadinus, Tho. de Amfuſis & Vguettus interpres tuæ magnitudinis nuncii ad noſtram præſentiam accedentes Regias nobis litteras præſentarunt. Nos. a. nuntios & litteras ipſas libenti animo vultuq; ſereno excepimus intuitu deſtinantis & tam quæ in litteris continebantur eiſd. quā quæ nunciorum prædictorum facta coram nobis & fratrib. noſtris propoſitio reſerauit benigne audiuimus & intellleximus diligenter gaudentes quam plurimū & exultantes in Dño in cuius manu corda ſunt principum terrenorum quod te clementer gratiæ ſuæ dono præueniens illo tui pectoris intima fæcundauit affectu ꝙ ſicut & litterarū ipſarū tenor aperuit & eorund. patefecit aſſertio nunciorū ad dilatandos Chriſtianitatis fines feruens dirigitur deſiderium mentis tuæ quodque degentib. in terris tuæ ditioni ſubiectis Imperio fidei cultorib. Chriſtianæ te benignum & beniuolū exhibes eoſq; non ſine laudis humano præconio & diſpoſitionis indiciis ad ſalutem q̄ de bono ſemper in melius deduci cupimus in augmentū fauore ꝓſequaris gratioſo. De quo Celſitudini Regiæ tanto gratiarū vberius exſoluimus actiones quāto id & benignior operatur affectus & ex munificētia ꝓuenire dinoſcitur ampliori. Sane princeps egregie tuis aperire ſēſib. affectamus, ꝙ Rex excelſus filius ſūmi Regis de Polorū ſublimib. ꝓdiens & ad mundi huius infima vt hominē quē ad imaginē & ſimilitudinē ſuā de limo terræ formauit de ſeruitutis nexib. in quos ipſum impegerat maligna ſuggeſtio liberaret clementi dignatione deſcēdens veſtē noſtræ mortalitatis aſſumpſit vt proprii aſperſione cruoris incendia ꝑpetui cruciatus extingueret ac ſuos mortis æternæ tenebris obuolutos vitæ perennis efficeret poſſeſſores qui cōmiſſæ ſibi legationis à patre in regione peccantiū piis ſtudiis exercens officiū mundūq; ſalutarib. inſtitutis informans tandē poſt ſuæ conuerſationis & operationis exēpla poſt Euāgelicæ inſtructionis eloq̄a poſt doctrinę ſalutaris effectū dirę mortis vltro ſuppliciū ſubiit dieq; tertia reſurrexit à mortuis glorioſus, vt mortē noſtrā moriendo deſtrueret & vitā reſurgendo benignius repararet. qui poſtmodū trāſiturus de mundo ad patrē ac aſcenſurus in Cælum, claues Regni Cælorū B. Petro Apoſtolorū Principi & per eum ſuis duxit ſucceſſorib. cōmittendas per hoc eis tā ſublimis poteſtatis auctoritatē impendens vt ꝙcunq; ſuper terrā ligatum redderent ligatū haberetur in cælis & quodcunq; ſoluerent ſuper terrā ſolutū exiſteret in eiſd. Vnde nos licet inſufficientib. meritis Chriſti Vicarii & eiuſd. Petri ſucceſſores in terris diſponente Dño conſtituti ſūmo deſiderio ducimur vt quos baptiſmalis vnda cōſperſit ſuoſq; Chriſtiana fides ꝓfeſſores agnouit diuina feruenter cōplectantur obſequia ſalutarib. actib. imorentur. At illi quos lauacrū regenerationis ignorat & eiuſd. religio fidei nō includit erroris inuio per ꝙ ꝑiculoſius elabuntur omnino relicto ad rectitudinis ſemitā fauente domino reuocentur ipſamq; deuote colant & ſollicite ſeruēt fidem. Hæc eſt. n. fides recta fides vera fides fiduciam ſperādæ fælicitatis impertiens. Hæc. n. ſine cuius comitante ſuffragio placere Altiſſimo nemo poteſt, q̄ reatus expurgans cōmoda ſaluationis impēdit. Per hanc æternæ beatitudinis gaudia vniuerſis concurrentib. acquiruntur, per hanc de arce mentis antiquus hoſtis expellitur. Hæc corda mēteſq; purificat & infidelitatis nubilū ſuæ radiis expiat claritatis. Hęc eſt fundamentū virtutū omnium ſydus irradians ſtella micans, ſolē Iuſtitiæ intelligentiæq; præuēiens per q̄ dies oritur gratiæ q̄ dies gloriæ ſubſequetur. Reuera Princeps magnifice tuis in Orbe terrarū titulis plenitudo glorioſæ laudis accederet ac nominis tui fama ingens ſuſciperet incrementum ſi te tam purę, tam ſolidæ, tamque ſalutiferæ fidei

amplexibus dulcibus copulans teque illius exhibens cognitorem profeſſorem oſtendens Bapriſmum duceres aſſumendum grandia quoque ſupernis exinde gaudia ciuibus orirētur. Lætaretur in immenſum Eccleſia, quæ rugam nō habet, maculam non agnoſcit ſi tantum tamq; potentem Regem ſibi deuotum in filium vendicaret. Totique populo Chriſtiano de tam magnifici Principis & per eum innumeræ vt ſperatur multitudinis aliorum conuerſatione ſaluori, copioſa exultationis materia præberetur. Excitamus itaque magnitudinem Regiam & hortamur attentius tibi que cuius in hac parte ſalutem exquirimus ſano & ſincero conſilio ſuademus quatenus & ſedula meditatione recogitans quam fragilis & caduca humanæ naturæ conditio quā plena periculis quantis expoſita caſibus quam à lege mortis qua nihil certius cernitur nihil habetur incertius hora eius nullus excluditur, nullus effugit metas ſuas, nullus à Domino redditur exemptus illius promptus exurgas præſto te offeras paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei ac ſuſcipiendum Baptiſmatis ſacramentum ad laudem diuini nominis tuæ ſalutis ꝓfectū & augmentū fidei ſupradictæ vt lucis ſuæ radio illuſtratus, eius triūphalis efficiaris ahtleta illius fines amplificans terminoſq; dilatans vt poſt vitæ præſentis ergaſtulum à porta Inferi libereris & eius diris cruciatib. pœniſq; grauiſſimis euitatis æternæ beatitudinis præmia quæ omnem dulcedinem ſuperant omnem delectationem excedunt tamquam Princeps emeritus conſequaris.

XII.

VT EPISCOPVS ORIENTALIS HABEAT REcommendatos fratres illuc miſſos ad prædicandum verbum ſalutis. Venerabili fratri Paulo Epiſcopo in partibus Orientis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

COpioſæ benignitatis affectu recepimus litteras quas nobis venerabilis frater noſter Berſauma Epiſcopus in partib. Orientis nobilis vir Sabadinus Thomas de Amfuſis & Vguettus interpres laici nuncii Regis Tartarorum Illuſtris ex parte tua præſentare curarunt & quæ continebantur in illis pleno collegimus intellectu benigne tuæ prouidentiæ ſtudium plenis in Domino laudibus efferentes quod ſicut nobis ex litteris ipſis innotuit dilectos filios fratres Ordinis Minorum ad ſerenda inibi ſalutis ſemina & in fide Catholica illarum incolas informandos vbi fauore proſequeris & gratioſa exhibitione pertractas de quo tibi fæcundiores gratiarum referimus actiones quod id ex maiori benignitate dinoſcitur proceſſiſſe fraternitatem tuam rogantes attentius & hortantes quatenus fratres ipſos intuitu Dei cuius proſequuntur obſequia & pro Apoſtolicæ ſedis & noſtra reuerentia recommendatos propenſus habeas & fauorabiliter proſequaris vt tui fauoris ope ſuffulti, vtilius & efficacius ſalutis opera proſequi valeant quæ exercent tuque proinde àb omnium retributore bonorum condigna præmia conſequaris. Ceterum quia Clerus & populus tibi ſubiecti à Romana Eccleſia quæ veluti pia mater cunctorum ſalutem ſolerter exquirit cunctoſq; deſiderat æternæ beatitudinis effici poſſeſſores longo maris terræque ſpatio ſunt remoti non poſſint ad eam commode ſe conferre ac facile habere recurſum pro recipienda doctrina & informatione fidei Chriſtianæ nos præſentes Clerum & populum tenere fidei puritatem quam Romana tenet & ſeruat Eccleſia cupientes dictam fidem & eius formam quæ annotatur inferius tibi duximus deſtināndas tuæ ſollicitudinis ſtudium ſollicitus exhortando vt mētis oculis erectis ad Dominum eoſdem Clerum & populum in fide prædicta ſolerter inſtruas & informes eamque feruenter amplecti & diligenter obſeruarę procures vt tāquam miniſter idoneus clerum & populum ſupra dictos ad loca perducere valeas paſcuæ ſalutaris fides autem prædicta & forma eius hæc ſunt. Credimus ſanctam Trinitatem patrem & filium & Spiritum ſanctum.

XIII.

SVPER EODEM ALTERI EPISCOPO PARTIVM earundem. Venerabili fratri Dionyſio Epiſcopo in Tauriſio in partibus Orientis.

PRæſentatas nobis tuæ fraternitatis affectu recepimus & quæ ipſarum ſeries continebat pleno collegimus intellectu gaudentes & exultantes in Domino à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum quod ſicut litterarum ipſarum tenor apertius innuebat Chriſtianam fidem quam tenet & ſeruat Romana mater Eccleſia quamque à dilectis filiis fratribus minoribus in partibus ipſis ad ſerenda inibi ſalutis ſemina & in fide prædicta partium ipſarum incolas informandos morantibus accepiſti te tenere ac ſeruare ſollicite profiteris. Commendantes itaque deuotionem reuerentiam & obedientiam tuam quam habere dinoſceris erga Romanam Eccleſiam ſupra dictam fraternitatem tuam excitandam attente duximus & hortandam quatenus mentis oculis erectis ad Dominum qui ſeruos ſuos cæleſtis benedictionis efficit poſſeſſores Chriſtianam fidem feruenter amplectens cōſtanter obſeruans alios iuxta datam tibi ex alto prudentiam ſolerter inſtruas & informes vt eo reddaris acceptior & gratioſior Domino Deo tuo quo plures per tuæ ſollicitudinis ſtudium de infidelitatis nubilo ad Chriſtianæ fidei claritatem & erroris inuio ad rectitudinis ſemitam reuocabis. Cæterum prædictos fratres intuitu DEI cuius proſequuntur obſequia & ob reuerentiam apoſtolicæ ſedis & noſtram recommendatos ſpecialiter habeas & fauorabiliter ꝓſequaris vt tui fauoris auxilio communiti vtilius & efficacius ſalutis opera proſequi valeant quæ exercent tuque proinde ab omnium retributore bonorum illa merearis proſequi pręmia quæ pro piis actib. recompenſat. Vt autem in fide Chriſtiana quam tenet & ſeruat Romana mater Eccleſia plenius & efficacius valeas alios informare dictam fidem & eius formā præſentib. fecimus annotari quæ ſunt hæc: credimus ſanctam Trinitatem &c.

XIV.

CVIDAM EPISCOPO ORIENTALI VT CHRIſti fidem amplectens & obſeruans alios inſtruat in eadem. Venerabili fratri Berſaunæ Epiſcopo in partibus Orientis.

NVper ad Apoſtolatus noſtri præſentiam te perſonaliter accedentem libenter vidimus & recepimus cum effectu gaudentes & exultantes in Domino à quo vniuerſorum chariſmatum dona manant quod tu Chriſtianæ fidei radio illuſtratus & renatus fonte baptiſmatis circa illa pro vt habet fide dignæ relationis expreſſio te ſollicitum exhibes & attentum per quæ ipſius fines amplifices terminoſq; dilates teq; in aſpectu Altiſſimi cuius obſequiis ſalubriter adhæſiſti de bono ſemper in melius conſtitutus gratioſum. Hæc ſunt profecto quæ de te cunctiſque fidei orthodoxæ cultorib. grataiter percipimus & lætanter audimus. Hæc ſunt ex quib. nobis exuberans delectatio prouenit, cumulus oritur gaudiorum. Hæc ſunt quæ tibi laudis humanæ titulum vendicant nomen offerunt augent famam. Excitamus igitur fraternitatem tuam & hortamur in filio Dei quatenus mentis oculis erectis ad Dominum qui pro minimis grandia recompenſat Chriſtianam fidem feruenter amplectens conſtanter obſeruans alios in ea iuxta datā tibi ex alto prudētiā ſollerter inſtruas & informes vt eo reddaris acceptior & gratioſior Dño Deo tuo quo plures per tuæ ſollicitudinis ſtudium de infidelitatis nubilo ad Chriſtianæ fidei claritatem & erroris inuio ad rectitudinis ſemitam reuocabis vt autem in ipſa Chriſtiana fide quam tenet & ſeruat Romana mater Eccleſia plenius & efficacius valeas alios informare dictam fidem & eius formam præſentib. fecimus annotari quæ ſunt hæc. Credimus &c.

***

XV.

COMMENDATVR REGINA TARTARORVM, quæ ad ampliandam fidem Catholicam intendit. Carissimæ in Christo filiæ Tuetani, Reginæ Tartarorum Illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

HABET Carissima filia fide dignæ relationis expressio quod tu Catholicæ fidei lumine illustrata eam non solum studiis obseruare sollicitis comprobaris, sed aliis etiam ad agnitionem illius & terminos dilatandos opem & operã curiosa non desinis exhibere. Hæc sunt, pfecto q̃ te reddunt in conspectu diuinæ maiestatis acceptam quæ tibi laudis humanæ præconium vendicant & augent multiplicitер famam tuam dum ex iis pietatis diuinæ clementiam quæ te de tenebris infidelitatis ereptam ad viam vitæ reduxit & ad veritatis semitam reuocauit tamquam benedicta & reuerens filia recognoscens. Excitamus igitur magnitudinem tuam & hortamur in filio Dei patris quatenus mentis tuæ oculis erectis ad Dominum, cuius obsequiis salubriter adhæsisti præmissa de bono semper in melius prosequaris & quasi apis argumentosa procurare non cesses vt eo gratior & præmiis digna maioribus occurras Domino Deo tuo quo vberiores bonorum operum in eius horreum manipulos introduces.

XVI.

COMMENDATVR REX TARTARORVM QVI disposuit suscipere fidem Christi. Argoni Regi Tartarorum Illustri gratiam in præsenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

INtelleximus referentibus venerabili fratre Bersaumà, Episcopo in partib. Orientis nobili viro Sabadino Thoma de Anfusis & Vguetto interprete laicis magnitudinis nunciis quod si Regnum Ierosolymitarum de manib. liberari contigerit impiorũ in ciuitate Ierosolymitana renasci desideras lauacro Baptismali. Nos, a. tuam tuorumq; salutem propensius cupientes huiusmodi tuum salubre laudãdumque propositum perducere studeas (sublato dilationis obstaculo) ad effectum Celsitudinẽ tuam excitandam attente duximus & hortandam quatenus tibi salubriter consulens & exhortationib. nostris quæ de puro pectoris intimo prodeunt laudabiliter acquiescens ad Baptismum promptus accelgres illudq; ad laudem Dei tuæq; salutis profectum festinus suscipere non omittas tanto amplius proiri de Domino placiturus quanto celerius & libentius ad susceptionem eius procedere te continget quantoque plures ad eam tuam exemplo laudabili prouocabis.

III. *Nauclerus & Cuspin.* ADOLPHVS NASSOVIVS IN REGEM ROM. PER MOGVNTINVM ELIGITVR.

Paulo ante quam Nicol. obiisset, in Germania Septemuirorum arbitrio, ad Regnum Romanorum Adolph. Nassouiæ Comes, VIII. Id. Ianuar. electus fuit: vir quidem insignis, sed milite parum aut opib. potens. Astu ad eam dignitatem euectum aiunt. Siquidem Gerard. Moguntiæ Archiepisc. cui magna cum Adolpho sanguinis coniunctio erat, cæteros, socios Electores, ea ratione eluſit. Non ignorabat Electores alios fere cunctos votis in Albert. Rudolphi filium pronos ferri. Itaq; primum artificio vsus Colonien. in sua verba pertraxit, vti ille Adolpho faueret. Apud Saxoniæ vero Ducem, huiusmodi fallacia vsus est. Significauit aliquorum vota in Brunschuicens. recisura, q̃ cũ impense ne à Saxone fieret, vereretur (nam haud obscura ei erat opinio, quantis ea res bellis viam patefaceret) conuenit vt votum cum Moguntino idem prorsus haberet: paruipendens, quisnam, modo ne Brunschuicensis eligeretur. Consimili apud alios astu egit: alterum nempe alteri semper inimicum obiiciens. Qua ratione tandem omnium sententia fretus contra opinionem cunctorum, Adolphus in Regem Rom. suffectus est: Ea astutia Nicolaum non latuit. Itaq;, quod non ex re Rom. Imperii electum esse coniiceret: neque quod optabat & sperabat, Rudolphi memoriæ quicquam ab electorib. delatum esset, summo dolore affectus, fata sibi accelerauit.

IV. OB DISSIDIA VIDVA RELINQVITVR SEDES,

Defuncto Nicolao, Card. Perusium conuenerunt, quo eis liberior successoris eligendi occasio & ratio proferretur. Nihil tamẽ loci mutatio, pfuit, dissidiis intestinis summouendis: quibus interim non hoc tantum, sed & subsequente anno laborantes, Ecclesiam vniuersam viduitatis mærore tabescentem, suspexerunt. Interim vero hostes Ecclesiæ tempus nacti, quaqua poterant, sedi Apost. incomodabant, & fidem orthodoxam lacessebant. Roger. Auria, siue à Friderico Siculi Regni ambitione inflato, siue ab ipsis Siculis procerib. permotus, ad Crottonem vetustam Bructiorum Vrb. Guillelmum, Estendardum Caroli Regis Siciliæ copiarum Præfectum, intrepide aggressus, animose superauit: neque quicquam anathemata Ecclesiastica æstimauit.

ET QVÆDAM DE MALA. *Sueta. lib. 2. Fazellus lib. 9.*

V. IACOB. REX ARRAGONIÆ IN HÆRETICOS LEGEM SANCIT. *Francisc. Diagus in hist. Prouin. Arragon.*

In Aragonia quoq; & Italia hæreses passim volitabant. Neq; enim temere Iacob. Rex Aragoniæ, eam, quæ sequitur legem tulit. Ita habet.

Quoniam fidei Catholicæ defendendæ pariter ac promouendæ sanctum negotium illos potius viriliter decet assumere, quib. ex officio potestatis & dignitatis incumbit tanta circumspectione regere & gubernare subiectos, vt ab impiorũ non solũ violentia, sed etiam fraudulentia conseruentur immunes, & sic terrena potestas cælesti potestati, à quæ esse dignoscitur, deuote subiectionis obsequiũ ac fidelitatis debitũ reddere fideliter cõprobetur: Nos Iac. Dei gratia Rex Arag. Siciliæ, Maioricarum, & Valentiæ, ac Comes Barchinonensis volumus & ordinamus, ac præsenti statuto inuiolabili atq; perpetuo firmiter stabilimus, quod omnes hæretici cuiuscunq; secta & nomine censeantur, eliminentur, extirpentur & exterminentur de cunctis terris, & locis dominationi nostræ subiectis, ne infectionis suæ contagione pestifera fidẽ simplicium corrumpere valeant, aut in aliquo depranare. Quod vt per fectius & commodius expleri valeat, ac debitæ executioni mandari, districte præcipiendo mandamus vobis vniuersis & singulis baiulis nostris, Iustitus, Salmedinis, Merinis, Alcaldis, Iuratis, emptorib. reditum, nec non & vicariis paciariis, & aliis officialib. nostris quocunque vocabulo nominentur, in Aragonia, Cathalonia. & in regno Maioricarum & Valentiæ institutis, & in posterũ instituendis, quod ad notificationẽ seu denunciationem dilectorum Fr. Ord. Prad. qui nũc sunt, vel erunt in posterum hæreticæ prauitatis Inquisitores, faciatis, compleatis & executioni mandetis, siue in capiendo homines, & incarcerando eos, siue in aliis quæ ad ipsius inquisitionis negotium pertinere videbuntur, cum & ipsi in huius Inquisitionis officio Rom. Eccl. auctoritate fungantur, quicquid per se, vel per alios nuncios suos ex parte Domini Papæ & nostra vobis mandauerint exequendum, si de nostri confiditis gratia vel amore. Et hoc volumus quod faciatis quotiescunque & vbicunq; ab eis vel ab altero eorum fueritis requisiti. Nos. n. ipsum negotium fidei, pro quo, & in quo dicti Fr. laborare intendunt, omni occasione remota ex corde & cura peruigili, ad Dei gloriam, ipsius fidei exaltationem & Eccl. Rom. reuerentiam promouere intendimus, & iuuare volumus, insuper & mandamus, quod cum dicti Inquisitores, vel alter eorum, habeant ire, & discurrere per terras, dominationi nostræ subiectas, nullum eis, nec familiæ, nec equitaturis, nec aliis bonis suis impedimentum vel contrarium faciatis, nec fieri permittatis, sed si necesse fuerit, requisiti ab eis prouideatis iisd. de securo transitu & ducatu. Similiter etiam volumus & mandamus, quod prouideatis iisdem in expensis, & soluatis omnes sumptus, quos ipsi pro dicta inquisitione fecerint, tam in equitaturis, quam in aliis, prout ipsi vobis dixerint, quotiescunq; ab iis vel altero ipsorum fueritis requisiti. Dat. Barchinone 10. Cal. Maii. Anno Dom. 1292.

Annus hic insignis est etiam morte S. Chunegundis vxoris Boleslai Pudici Principis Poloniæ, sanctæ & religiosæ fœminæ. Hæc nullius vnquam viri experta concubitum, post mariti mortem distributis in vsus egenorum, & in cultum diuinum facultatibus suis, in Sandecensi monasterio plus duodecim annis duram exegit vitam, sanctimonia vero illius, multis & stupendis miraculis cum ab ea viuente, tum post mortem ad sepulchrum editis diuinitus comprobata fuisse, *à Dlugosso* eius vitæ scriptore, memoratur. Sanctam fœminam improbus Episc. Cracouiensis Paulus consecutus est: qui cum aliis studiis minime dignis Episcopo, tum venationi sic fuit deditus, vt venatorem, quod feram imprudens à cassibus repulerat, venabulo transfigeret.

VI. OBITVS S. CHVNEGVNDIS VIRGINIS VXORIS BOLESLAI PVDICI. *Cromer. lib. 10.*

Eodem anno ad cælos emigrauit B. Albertus, è monte Drepano, Carmelita. Pater ei fuerat Benedictus mater vero Ioanna, nascitura autem mirabilis. Cum. n. Parentes illius, annos ferme 26. inculpata morum integritate in matrimonio sine vlla spe prolis exegissent, tandem communicato inter se consilio Virgini Matri votum nuncuparunt, si ipsa pro solita benignitate iis prolẽ masculam impetraret, eã se illius seruitiis ppetuo cõsecraturos. Eo voto facto, in ieiunia, preces, & eleemosynas incubuerant, vt dicta fa-

VII. ITEM B. ALBERTI CARMELIT. CVM VITA EIVS ET MIRACVLIS. *Rom. Mart. & Sur. 7. Aug. & MS. Bibliotheca Vatic. n 13.*

ctis confirmarent. Neq; multi præteriere dies, quum Ioanna è suo marito grauidam se sensit. Porro Benedict. vir eius nocte quadam secundum quietem vidit è suæ coniugis vtero prodeuntem cereum mirifice radiantem, nec dissimilis visio coniugi eius oblata fuit, quæ vtroq; in spem magnam excitauit, vt infans nasciturus eximia vitę sanctitate aliquãdo fulgeret. Nato infanti nomen Alberti imposuere, instinctu plane diuino: cum apud Siculos hactenus vix quisq̃ eo nomine esset appellatus. Postquam. a. ætas disciplinis matura fuit, mox liberalib. artium studiis admotus, haud vulgares in iis fecit progressus: prorsus vt & litteris apprime eruditus & optimis moribus imbutus, parentib. eximie charus, & ciuib. vniuersis acceptus & amabilis esset. Iam annum attigerat 8. & quidam præcipuæ nobilitatis viri, eum per verba de futuro, vt vocant, puellæ cuidam, q̃ regio stemmate nata videretur, sponsum poscebant. Pater eius illorũ tandem precib. flexus, rem vxori retulit, quæ voti haud immemor, tacta religione, maritũ modestis verbis increpuit, remq; disiecit. Et Alberto filio in cubiculũ accito, omnia ei per ordinẽ expositi, & conceptionis modum, & visionem parentis; & postremo votũ, quo Deo obstricti tenebantur: ille vero cũ verba matris probe cæpisset, respondit humiliter: se quidẽ sui iuris non esse, sed salutari parentũ iugo subiectũ, ex eorũ etiã consilio & auctoritate vitæ cursum moderari debere. Neq; velle ab eorũ præscriptis, vel latum vnguẽ aberrare. Tum mater: Equidẽ mi fili, inquit, votũ q̃ nuncupauimus, nollm esse irritũ: quin potius toto pectore te oratum velim, vt promissa exequare. Alber. a. Faciam, ait, mea mater q̃ hortaris, meq; in sacra religione perpetuũ Christo famulũm consecrabo. Cumq; die quodam pius puer cũ parentib. mensę simul accumberet, ait ad illos: Benedicat tibi Deus, & dirigat gressus tuos. Ea parentũ suorũ benedictione accepta, Drepanum ad Carmelitanos abiit, orationeq; in tẽplo præmissa, ab ipso Priore cœnobii habitũ eius religionis petiit, vt omne vitę tẽpus in diuinis laudib. deinceps cũ religiosis illis fratrib. transigeret. Prior vehementius obstupuit, ad preces Alberti, cumq; generis illius nobilitatem non ignoraret, territus ne ea ea res parentib. offensionem cõmoueret, postulatum reiecit. Itaq; pius puer insigni pudore suffusus, ac mærore ingenti tabescens, ad parentum ędes se recepit. Interim nocte proxima parentib. in quiete Beatissima virgo apparuit vultu minimè blando, sed plane severo, monens vt promissi voti memores filium Albert. ad perpetuum numinis diuini cultum tendentem, non retinerent, sed sane impellerent currentem. Moxq; dicto obsequentes, ad Monasterium properarunt, Priori ac Fratrib. visa auditaq; exposuerũt, filium votiuum vltro illis obtulerunt, obtecrantes, vt in consortium suum admitterent. Admiserunt, inq; castra militiæ spiritualis receptum internis externisq; armis & ornamentis decorarunt. At vero humani generis hostis, visa pueri ad confligendum alacritate, stimulis inuidiæ grauiter incitatus, insidias ei tendere cæpit, sumptaq; elegantissimæ mulieris forma, vultu pietatẽ mentiens, precib. aliquando inhærentẽ non sine gemitu ita compellauit: O decus omnis pulchritudinis & flos ætatis, ecquid insano labore pondus humeris tuis longe intolerabile tollere conaris? Quid asperum hoc & acerbum vitæ genus subire, & in sordib. perpetuo permanere decreuisti, quæ in fine, & insignem ignominiam, & salutis ruinam, dum resilire cogeris, tibi parturient? An non satius esse putas, vna mecũ, quæ tui amore tota occupata sum sacro matrimonii fœdere copulari, & procreãdis instituendisque liberis operam dare? Redi igitur ad paternos lares, & bonis mecum summa cum securitate & felicitate perfruere. Has voces fraudis & insidiarum plenas illico sentiens Christi seruus, signo Crucis se muniuit: & tortuosum serpentem, humanam speciem mentientem, in flammas abire præcepit: atq; ita effugato dæmone, multo se alacrius ad subeundos pœnitentiæ labores accinxit.

Euoluto an. palam se monastica professione obligauit, vitamq; adeo seuere & sancte instituit, vt proxime ad priscos eremicolas accederet. Neq; tamẽ propria sanctimonia contentus fuit: sed infideles præcipue Iudæos, concionum suarum radiis mirifice illustrabat, plurimosq; eorũ ab impia superstitione, ad sanctissimam Christi sacra traducebat. Cum ad Messanam vrb. sacerdotio initiandus, inuitus pla-

ne, indignum omnino se tanto ministerio existimans, missus esset, mox ead. in vrbe haud vulgari admiratione digna miracula per eum Dominus perpetrauit. Anno quo Frid. Iac. Regis Aragon. Fr. in Sicilia regni gubernationem vsurpauit, & Neapol. Rex Carolus Messanam vrb. obsidione cinxisset, atque dira fames obsessos in vltimam desperationem adduxisset: Albert. importunis quorundam precibus fatigatus, vt vrb. orationib. & lacrymis defenderet, Immaculatum Christi Iesu sacrificium cum ingenti lachrymarum profluuio Deo obtulit. Peracta oratione, ecce in vrbis portu tres vitæ triremes, quæ per medios hostium cuneos, beneficio plane diuino penetrarunt, & annona copiosa afflictis deposita, ipso momento ex oculis omnium abreptæ, satis testatum reliquere, Angel. ministerio eo adnectas pariterq; ablatas fuisse.

Aliquando etiam vir Dei sacra loca Christi quondam pressa vestigiis visitabat. Erat ibi aliquis Iudæus morbo comitiali miserandum in modum obnoxius: cuius parentes, cum nullam opem calamitoso ferre possent, ad Albertum accurrere: fidemque requisiti dedere, se à patria religione ad Christi sacra transituros, si eius virtute morbum profligaret, & optatam filio sanitatem conferret. Tum vir sanctus animarum salutis percupidus, edito signo crucis in hominem Comitialem. Expellat à te, inquit, Christus morbos omnes, si vera sunt, quæ de illo prædico. Vix ea dixerat, & è vestigio homo ab infesto morbo integerrime curatus, Christo nomen dedit, virtũq; beatum secutus est. Parentes quoque pariter lustralibus expiati aquis, abiurata perfidia, Christi fidem amplexi sunt. Ibidem alio insigni edito miraculo, alios Iudæos ad fidem pertraxit. Erant non pauci fluuium inter & montes excelsos loco perquam augusto iter facientes, subitoque exundantibus aquis arrepti, de vita periclitari cœpere. Ex altera fluuii parte aderat Albertus spectator, quem Iudæi aquis circumfluentibus in periculum adducti, velut hominem sanctitatis fama celebrem inuocarunt, promittentes fore, vt si imminens mortis periculum euaderent, sanctissimam Christianæ religionis sacra susciperent. Tum nihil cunctatus vir Dei, siccis plantis aquas inambulans ad eos festinauit & precibus impetu aquarum fugato, cunctos ex illo periculo in terrã eduxit, ac sacro baptismate expiatos Christi fidelibus aggregauit. Multos præterea alios languores, & morb. exitiales, multa infesta dæmonia ab hominum corporib. effugauit, plurimaq; signa fecit. Cum a. his aliisq; reb. sane admirandis, magnum honoris pondus indies ad nomen suum adiiceret, vt hominum celebritatem, famamq; sanctitatis tuitaret, Messanam reuersus, in quodam vili tugurio se abdidit, & ab omni hominum consortio remotus, reliquum vitæ tempus in orationib. & rerum cælestium commentationibus exegit. Cernẽs autem tempus instare, quo ad cælestem patriam euocandus erat, conuocatis fratribus prophetico spiritu diem obitus sui indicauit, aitq;: Eod. ipso die, quo spiritus meus è carnis ergastulo liberabitur, soror mea mecum pariter emigrabit. Aberat illa ducentis 60. & amplius milliarib. compertumq; postea est, Albertum vere vaticinatum esse. Ad eius obitum, campana, quam ille fieri curauerat, per se ipsam nullo mouente insonuit & odor suauissimus ab eius corpore manans omnium olfactum mirum in modum recreauit. Circa funus, cùm inter Clerum & fratres ac populum grauis Concertatio ea orta fuisset, quonã Missæ officio, eone quod defunctorum proprium est, an vero quod confessorib. debetur, exequiæ celebrandæ essent: Clero defuncti Missam celebrandam esse dicente: populo, a. eam quæ de confessorib. est, asserente: Ecce in aere duo Angeli puerorum specie venustorum, amicti stolis albis auro intertextis, *Os iusti meditabitur sapientiam*, cantandum esse denunciauerunt.

Sacerdos quidam, stimulante inuidia, ausus fuerat palam meritis & innocentiæ vitæ Alberti derogare, & falsa atq; commentitia esse affirmare, enteſq; populi modis omnib. à reuerentia & cultu viri auertere. Et ecce eod. plane momento, quo vitam S. viri, in summam inuidiam vocare contenderat, disrupto ventre, viscera & intestina in genua vsq; sua effudit. Ea plexus pœna ad mentem rediit, agnitoque scelere, se deinceps Albertum colere deuouit, si modo eius ope sanitatem obtineret. Proximo die, prima luce,

luce, sensit blasphemus adesse Albertum, oleoq; suum perungere corpus : ex quo mox sanitate adepta surrexit incolumis, cunctisque pro concione & insanæ mentis suæ blasphemias, & collatum ab Alberto præter merita, beneficium, non sine lachrymis exposuit.

In Drepanensi Castro quidam taxillorum lusu rem suam omnem tanto animi dolore perdiderat, vt desperatione fractus huc illuc circumuersaret, ac tand. ad Beatissimæ Virg. & B. Alberti imagines veniret. Eas vultu admodum toruo intuitus, tand. ait : Toties te, ô Alberte, inuocaui, & semper mihi durus aures occlusisti, neque vllam extremis meis necessitatibus vnquam consolationem attulisti. O tu Maria, quæ mater gratiæ diceris, quæ hæc tua tanta est crudelitas, vt te semper inuocatem repuleris? His dictis arrepto gladio vtriusque imaginem dissecuit: sed ex his subito copiosus sanguis riuis abundantib. effluxit. Vidit hoc aliquis puer, & perterritus miraculo conclamauit, subitaque voce in sacrilegum turbas concitauit: cum interim diuina vindicta in impium proruisset: vix. n. templi limen nefarius ille prætergressus erat, cum fulminis ictu prostratus occubuit, animamq; infelicem exhalauit.

VIII. *MS. Vatic. n. 5586. de reb. Angl.* MORITVR IOAN. BECCANVS CANTVAR. ARCHIEPISC.

Eod. an. in humanis esse desiit Ioan. Beccanus Cantuarien. Archiepisc. insigni sanctitate, doctrina & zelo libertatis Ecclesiasticæ vindicandæ. Natus est in Diæcesi Cicestrēsi, & in Cænobio Leuensi educatus, cum postea Parisiis operam litteris dedisset, Franciscani ordin. regulam amplexus, nō solum Angliam, & Galliam, sed & Italiam fama doctrinæ & integritatis impleuit. Ad sedem Cantuariensem euectus disciplinam Ecclesiasticam fere iam collapsam restituere conatus est. Duas præ cæteris celeberrimas Ioann. Synodos habuit. Alteram Lambethi, alteram apud Radingiam, in quib. ea quæ ad disciplinam, siue reuocandam, siue defendendam, siue conseruandam commoda & opportuna viderentur, constituit. Cum Synodum Lambethanam indiceret, aliquid negotii habuit cum multis Abbatibus qui ad illius edictum in Synodo se sistere, aut procuratores mittere detrectarunt, asserentes se ab omni illi & Episcopis debita obseruantia ex summor. Pontificum priuilegiis solutos ac liberos. Contra hos missis ad Richardum Londinens. litteris, grauiter conquestus est. Dicebat namque eos, quantumuis aliter exemptos, non debuisse suam præsentiam, tam venerando Patrum consessu, consiliaque sua communib. Eccl. necessitatib. subtrahere. Cum. a. haberent multas Ecclesias cænobiis suis attributas, quas impropriatas appellarunt (quas à sua iurisdictione & potestate exemptas negabant) mandauit Londinen. Episcopo, vt annuos huiusmodi in sua diæcesi Ecclesiarum prouentus cænobiis subtraheret, donec illi ad officium redirent. Ab eo decreto, præfecti cænobiorum Westmonasterien. D. Albani & Edmundi, & alii ad summum Pontificem prouocarunt, sed tand. paulo post Archiepisco. sibi reconciliarunt. Inter alia vero, quę pro reformatione morum egit, curauit, vt Rex neminem nisi idoneum & accommodatum beneficiis Ecclesiasticis præficeret: nec sineret suos Sacellanos, aliosque sacros homines contra Ecclesiast. sanctiones plura beneficia animarum cura implicita, sine Pontificia indulgentia occupare, aut cum animarū, de quib. rationē redderent, iactura, abesse à functione sua functionib. ciuilibus & ꝓphanis, Regis mādato districtos. Magna fuit his tēporib. labes (de qua Io. conquerebatur) ꝙ cum Episcopales sedes Pastore destituerentur, Reges huiusmodi beneficia, cum interim vacarent, in homines ineptos & inidoneos cōferrent, nec postea eos, licet, iustæ abdicationis causæ suppeterent, per pastores remoueri paterentur. Multa etiā Edouar. Rex in detrimentum Eccl. attentarat, eamq; & Westmonasteriens. & alia cænobia, veterib. immunitatib. & priuilegiis spoliarat. Accurate itaq; ad eum Io. scripsit, hortatusq; est ne leges ederet, q̄ summor. Pontificum, quę Oecumenicorum Conciliorum, quæ sanctorum Patrum decreta, & sanctiones euerterent. Qua in re clarissima illi proposuit Constantini Magni, Augusti, Vuigredi, Cauati, & D. Eduardi Regis & Cōfessoris, & aliorum Angliæ Regum exempla, quorum æmulationē illi speciosam, animæq; illius Regnoq; salutarē futuram dicebat. Cōspiciuntur multæ eius ad Edouar. Epistolæ, quib. eum redarguit, obnoxiumq; ostendit damnis resarciendis, Ecclesiarum & cænobiorum incendiis, aliisq; Cleri & populi expilationib. quæ in grauissimis contra Vuallos bellis acciderant. Ex mandato quoq; summi Pontificis cum eo expostulauit, quod pecuniam ex decreto Lugdunensi ad Terræ sanctę subsidium collectam & in sacro bello depositam, Edouardus intercepisset, inq; prophanos vsus expendisset. Controuersias aliquot, ob varias vt fit causas, cum singulis fere Episcopis Ioan. habuit, cum auctoritatem Metropolitani & Primatis vindicaret. Existimabant Episcopi Ioan. multa sibi in causarum cognitionib. præter iuris rationem, & in legitimæ potestatis eorum imminutionem arrogasse. Cuius generis illi 20. supra vnum grauamina, ob quæ se nimium ab illo premi, iurisdictionemq; suam Ecclesiasticam vehementius perturbare detrahiq; querebantur, collegere. Cæterum ille non minus docte, quam vere ostendit, se nihil vlla in re tentasse, quod non cum Ecclesiast. iuris, cumque maiorum suorum institutis & exemplis, insuper cum potestatis suæ amplitudine, quam non solum vt Metropol. sed vt summi Pontificis Legatus exercebat, congrueret. Ne tamen videretur nimis seuere & summo iure agere, consensit, ne officialis (vt appellant) Cantuariensis à suis suffraganeis ad se causas auocaret, nisi appellationib. gradatim factis, & cum constaret, Episcopum negligenter & remisse versatum: inq; testamentariis causis, cum defuncti bona in diuersis diœcesibus possiderent: neque voluit sequestrationes, vt appellamus, Ecclesiarum per suffraganeos factas rescindi, hæc tamen omnia ea cautione, ne hoc indultum Ecclesiæ suæ, aut successoribus suis quicquam detraheret. Sed neq; leues, neq; paucæ fuere molestiæ, quas Aduersarii illius Romæ apud Summum Pontificem illi facessebant. Alii enim, sed falso, Pontifici suggerebant, habuisse eum à sacris plurimos, qui varia beneficia, quibus animarum procuratio adiuncta fuerat, citra vllam Pontificis indulgentiam, contra Lugdunensis Synodi præscriptum occuparent: & quod huiusmodi vitiis implicitos & Episcopos designatos confirmaret. Hanc tamen & alias contumelias, missis in Vrb. ad Matthæum Vrsinum & alios Card. litteris facile dissipauit. Imo cum huiusmodi homines vitio creatos, aut ab Episcopatu, aut alios ab aliis beneficiis, quib. perperam incubuerunt, remouere diligenter conaretur, non tamen Romæ defuere, qui friuolas iniustasq; id genus hominum procurationes, summis apud Romanum Pontificem studiis proueherent. Ex quibus Thesidius de Camilla, qui sibi multa in Anglia beneficia sinistris rationibus, Romano Pontifice circumuento, homo omnium illis indignissimus accumularet, quem Ioann. cum ab Ecclesia Vuengamensi, & decanatu Voluuerhamptonensi, contra iuris præscripta abesset, & euocatus, vt se iudicio sisteret, contumaciter & proterue præsentiam suam subtraheret, primum anathemate inuoluit. In quo cum totos integros duos annos insorduisset, Ioann. illum dignitate omni exuit, & beneficiis abdicauit. Hæc res nōnullas ei molestias in Romana aula excitauit; ille tamen Cardinalibus aperte demonstrauit, se in hac actione ad nihil aliud respexisse, quam ad sanguinē, quem pro grege suo Christus fudit, adque animarum salutem, quam pro dignitatis suæ rationib. procurare debuerat. Fuit etiam Io. sui Ord. Franciscani constantissimus propugnator. Cum. n. non deessent, qui eum ordinem his temporib. acrius oppugnarent, ille Cōseruatoris officio à summo Pontifice præpositus, magna constantia professus est, D. Francisci institutum, ad eam interpretationem & declarationem accommodatum, quam summus Antistes Greg. X. adhibuit, non modo omni vitio & reprehensione vacare, sed esse oppido persanctum, & ad æternæ vitæ adeptionem valde accommodatum, atq; vehementer cum vitæ ipsius Christi exemplo congruere. Cum. a. quidam ex Clero opponerent, nec sinerent aut Dominicanos cōcionari, aut Franciscanos per sacram exomologesim alienos parochianos expiare: Io. id eis ex summorum Pont. priuilegiis licere docuit, & ne impedirent, diligēter curauit. Illa vero eius singularis ad pauperes fouendos ꝓpensio nō est pretereunda, ꝙ in magna quadam añonæ caritate, nō solum de suo iis liberaliter ꝓspexit, sed etiā curauit vt qui in sua diœcesi beneficia possidebant, illorū inopiæ subuenirent. Pauperū etiā aduersus Comitē Vuarenniū defensionē suscepit: ex cuius syluis damæ & cerui lōgius euagati, tenuiorū segetē mi-

ce

fere vastabant: eas vero præ Comitis metu exagitare miseri non audebant. Ad hunc Io. accurate scripsit, vtq; huic dāno remedium adhiberet, seuerius admonuit: multā etiam operam posuit, vt Alberic. Montifortensem filium Simonis Comitis Leicestriæ è carcere liberaret. Hanc. n. illi & reliquis Episcopis curam summus Pont. solicite cōmendarat. Porro Almeric. ex hac occasione in eam calamitatem inciderat. Eius soror Aleonora virgo pulcherrima, Leolino Cābriæ Principi desponsa, patre mortuo transmittebatur è Galliis ad Leolinū. Huius deducendæ curam, Almer. assumpserat: cūq; in itinere iam pergeret, in manus Bristoliensium inciderat. Hi eum Edouardo Regi tradiderant, Edouard. a. in vinculis habuerat, ꝙ ab eo & Leolino grauiores aliquas turbas metueret: Itaq; sūmo Pontifice iubente summa ope adnisus est Io. vt illum è vinculis eriperet, atq; in libertatem restitueret. Fuit etiam Ioann. fidei acerrimus defensor. Aliquot collegia Doctorū erudiendæ iuuentuti restaurauit. Singulari post Christum, vt par erat, honore & cultu D. Deiparentē Mariam prosequebatur, & ad eius deuotionē oēs alios, tum exemplo, tū doctrina prouocabat. Ad eius D. honorem, ipso auctore & præduce, multi id tēporis 40. dies, qui assumptionem eius antecedunt, ieiunare consueuerant. Nam is illud ieiunium vehementius commendabat: Neminē tamen ad illius obseruationem astringebat. Postquam Cantuariensi Ecclesiæ prælatus fuit, à carnib. abstinuit: mediocrem vestitum, cōmunemq; victum adhibuit; in vigiliis & orādi studio, oēs, quos à sacris habuerat, superauit: adeoq; se demisse gessit, vt sæpe cereos ac lāpades in Ecclesia accenderet, & cætera infirmorum munia obiret: Per harum virtutum stadium decurrens, tandem cursu feliciter consummato, fideq; seruata, coronam iustitiæ à iusto iudice accepit, hoc anno defunctus.

IX. *Antonin. p. 3. tit. 20. c. 7.* B. VIRG. IMAGO MIRACVLOSA FLORENTIÆ.

Eod. ann. Florentiæ, in atrio horti S. Mich. prostabat D. Deiparentis Mariæ imago, in pariete satis affabre depicta. Ad eam cum promiscua plebs ingenti deuotione ferretur, miraculis cœpit illustrari. Claudi erigebantur, contracti sanabantur, dæmonia ab energumenis exibāt, & multæ præterea infirmitates, multæ calamitates à mortalibus ope B. Virg. apud eand. iconam depellebantur: Initio aliquantū contradixere F. Præd. & Minores, ex auctoritate sibi commissa, probantes omnia, an ex Deo essent. Cæterum & ipsi non nisi ope suprema patrata esse intelligentes, ac peruidētes, in sententiam piæ multitudinis concessere: quod diua imaginem suam perennib. miraculis exornaret, in salutem populorum.

X. *Opmerus in Chronogr.* PRÆFECTVS ÆRARII HOLLAND. COMITIS CAPITOSVS ET SYNCERVS.

Per id temporis in Belgio, Ioanne II. Hollandiæ Comite defuncto, viuebat & florebat Guillel. propter probitatem morum, cognomento Bonus, filius & in comitatu successor. Fuit illi præfectus ærarii Guillel. Duuēuordius nothus, vir à solerti industria & aliis virtutibus commendatus. Implacabili eius ingenio asscripserunt aliqui, duo hæc quæ subiungam: Cum duxisset in vxorem Heluuigā Zueri Domini Vranensis filiam, illaque lectum genialem ingressura ingemisceret cum lacrymis: & is diutius percontando, illud tand. ab ea extorsisset responsum: *Graue sibi & indignum videri ministro patris* (inseruierat. n. aliquot annis Zuero Duuenuordius) *nuptiali thoro sociari*: in momento ex lecto exiliens: *Nunquam igitur*, inquit, *hoc tibi eueniet*. Nec vnquam postea, quamuis puellam dicti pœnituisset, adduci potuit, vt cum ipsa communem ingrederetur thorum: Sed vitam in posterum cœlibem vixit. Aliud est. Fuerat postulatus argētum, ab Eduardo Rege Anglo comitis genero, cum ille cū Philippo Galliarum Rege decertaret. Cumq; ille 100000. nummorū aureorum quæsiuisset, 200000. se numeraturū promisit Guillel. modo Edouard. concederet, vti sibi liceret, quoad summa illa restitueretur per Angliam, imunem ac sine vectigalium solutione cum mercimoniis versari. Re ad Guillelmum Comitem delata, à malignis accusatus, rationū postulatus fuit. Paruit dicto, & ad constitutum diem reuertens, amictus rara veste, fascem clauiū manu gestans, cum, quid sibi istud vellet, à Principe rogatus esset, respondit: *Reddam rationem nouo more, Hanc arcem extruxi. Tua*, ait, *o Princeps est: & hac clauis ei inseruit; capito igitur. Illam quoq; ædificaui & hanc cape clauē ergo. Tantū hic, tantum illic argenti est: omne tuū est. Hæc itaq; mea ratio est: quādo aliter ob aures tuas ab æmulis occlusas, dare non licet. Cū hoc amictu primum ad te accessi: cum hoc eod. à te discedo*: vale. His auditis Proceres erubuere, conscii iniquæ accusationis, at optimus Princeps iussit, vti præfectus erat ærarii, maneret perpetuus.

XI. F. IACOBVS DE VORAG. FIT ARCHIEPISC. GENVENS.

Hoc an. Eccl. Genuensi prælatus est Archiepisc. F. Iacobus de Voragine Ord. Præd. ex sententia collegii Cardinalium à Latino Cardinale Ostiense sacris initiatus: doctrina, vitæ integritate, & pauperum cura longe magis quam scriptione, quanquam & scriptis clarissimus. Fuit vir multæ variæq; lectionis: propria lingua materna mire facundus, historiarum quoq; non contemnendus scriptor, & D. Aug. doctrinæ ita studiosus, vt omnia eius volumina pene memoria tenuerit. Vtriusq; instrumenti diuina volumina primus omnium in Italicam linguam summa fide ac diligentia transfudit. Feruntur eo tempore, quo is ad Genuensem Ecclesiam administrandam accesserat, redditus Episcopii locupletissimos fuisse. Cæterum egenorum & pauperum, præsertim in Xenodochiis decumbentium, & variis ægritudinib. confectorum tantam multitudinem ciuitati Genuensi se infudisse, vt eis alendis, vestiendis, curandis medicandisq; Regiis operib. & facultatib. opus foret. Eorum itaq; tum necessitatibus, tum infirmitatib. miserantem Iacobum, sese & Episcopum q. omnib. possessionibus, paucis exceptis, exuisse, easq; in vsum hospitalium pia prodigalitate contulisse. *Annal. Ord. Præd.*

IESV CHRISTI
Annus 1293.

INTER-PONTIFICII Annus 2. ADOLPHI REGIS Romanorum 2.

I. *Blond. dec. 2. lib. 9.* CARD EX AMBITIONE A ELIGENDO PAPA SESE ABSTINENT.

Concesserant Perusium Card. electionem futuri Pontificis, ea in vrbe meliorem futuram rati, quo mente & corpore per lætiorem quam Romæ valetudinem, & animos quietiores indidem, quam in vrbicis tumultib. tractare possent. Non. n. deerant, qui, vt sunt hominum mentes, superstitione adducti, eam malorū illuuiem, orbisq; Christiani infortunia, quæ Nicolai Pontificatus viderat, in electionem inter morbos factam, velut in causam reducerēt: eaq; ratione Pontificatum viri sanctissimi, nimis petulantes infamarent. Inter hanc. a. plus solito accuratiorem cōseruandæ valetudinis, & captandæ quietis diligentiā, neq; hoc an. Pont. crearunt, sed turpi ambitione aliquorum in contentionib. deligendi, maximo Reip. Christianæ dāno perseuerarunt. Aduenerat opportune Perusiū Carolus Rex Siciliæ è Gallia Narbo. per mediam Italiā, in regnum Neapolitanum reuertens, vbi aliquot mēses cōmoratus, nihil non egit, vt Patres ad eligendū sūmum Sacerdotem impelleret. Cęterum ab eo conatu, nihil aliud q̄ conuitia retulit. Benedictus. n. Caietanus, Cardinalis Anagninus, preces & monita Caroli adeo ægre tulisse visus est, vt etiam eū libere redarguerit, ac dixerit: non debere illum rogare, cuius preces toties iteratas vim oppressionis oēs cernerent habituras. Carolo porro discedente, illi per mutuas dissensiones, cum neminem Cathedræ Petri imposuissent, plurimū orbi Christiano incommodarunt. Sane per id tēporis, Andronicus Græcorum Imper. ad vnitatem Eccl. Occidentalis, & Orientalis inclinabat, & coniunxisset proculdubio, si tum monitorem, tum auxiliarium Romanum Pontif. habuisset superstitem. Cum non esset, metu impendentium à subditis malorum, in Apostasia perseuerare continuauit, perq; capita virorum grassatus est. Nam per id temporis, etiam fratrem Constantinum Porphyrogenitum in vincula coniecit. *lib. 6. histor. Roman.* *Nicephorus Gregoras* causam & ordinem sæuitiæ memorabat, quam adlubuit commemorare.

II. ANDRONICVS F. CONSTAN PORPHYROGENIT. IN VINCVLIS TENENS, VT TVRCI EVALESCANT FACIT.

His temporib. calumniæ quædam ortæ sunt contra Cōstantinum Porphyrogenitum, q. regnum affectaret, & oēs Proceres domi militiæq; sibi conciliaret, vt eorū ope voti compos redderetur. Hęc vt pleriq; affirmabant, falsa erant conuitia, ab inuidis conficta; qui occasione vsi, Imperatoris pręsertim suspicione suffragante, in extremum discrimē rem adduxerunt. Suspicionis. a. causæ huiusmodi fuerunt. Patri Imperatori ab infantia Porphyrogenitus charior Andronico fuerat, multis de causis, quod & eis naturæ bonis præditus esset, quæ principem ornant, & morum vrbanitate, & oculorum elegantia excelleret. Quare nisi illud ob-

ſtitiſſet, quod minor natu erat, cupide illum Imperii ſucceſſorem deſignaſſet. Hæc vna & princeps fraternæ ſimultatis cauſa erat, quæ Andronici animum ſuſpicione turbaret: Accedebat altera. Habuerat in animo Pater, Porphyrogenito, cum adoleuiſſet, Latinam vxorem nobiliſſimam & optimam deſpondere, vt ea re conſilium eius adiuuaretur. Longo.n. tempore id meditabatur eam partem, quæ circa Theſſalonicam & Macedoniam eſt, à toto Romano Imperio diſtinctam huic tradere, vt peculiaris eius principatus & Imperatoria poteſtas eſſet, ac niſi mors eum oppreſſiſſet, fortaſſe quod cogitauerat, perfeciſſet. Hæc res etiam magis Andronici animum exacerbauit contra fr. & ad maiorem iracundiam concitauit. Sed qua prudentia erat, odium animo incluſum tegebat, fictoq; vultu beneuolentiam ſinceram erga fr. præ ſe ferebat. Interea vero ille magnas omnis generis opes, ex iis prædiis & pecuariis, quæ pater illi aſſignarat, quotannis colligebat, eaſq; liberaliter & magnifice tam paruis quam magnis, à quib. adibatur communicabat, præterea comitate & ſuauitate morum, oēs facile adamantinis ſibi vinculis deuinciebat. Solet.n. dexteritas & benignitas morum, in altiore dignitatis gradu, facile omnium animos ſibi reddere obnoxios: quemadmodum Verno tempore ſplendidi flores prætereuntium oculos in ſe conuertunt. Hoc illud eſt Indorum ſapientum præceptum: Principem, quo natura ſublimior ſit, eo humaniorē ſe inferioribus ſi præbuerit, chariſſimum populo futurum. Qui ergo propter vtraq; priora crimina Porphyrogenitum accuſarit, plane iniurius fuerit: niſi quis patrem forte harum rerū authorem fuiſſe, nimia erga illum pietate dixerit. Tertiæ vero criminationis cauſa, non omnis expers eſt maculæ. Siue.n. ex imperitia tales largitiones fecit, q̃ maxima ex parte Imperatorib. conueniunt: inuitus ille quidem, non parum tamen deliquit. Sin & ipſe norat, ob tantam munificentiam ſe non extra ſuſpicionem fore, apud fr. & tamē ſecure tempus conterebat, maxima pars culpæ in eo hærebit. Nam vt nihil aliud, illud ſaltem reputare debebat, quorſum eadem veterum ſtudia recidiſſent. Nam & Cyrus ille Darii & Paryſatidis filius, cum maiorem, quam pro ſua Satrapia faſtum præ ſe ferret, in ſuſpicionem apud Artaxerxem fr. incidit: vnde nihil præter infelicem exitum eſt conſecutus. Anton. item, qui maximam orbis terrarum partem cum Auguſto partitus erat, cum ſpretis pactis & cōuentis, plus ſibi quam par erat arrogaſſet, vna cum principatu vitam etiam amiſit. Ita & hic Porphyrogenitus, etſi nullas inſidias, nulla arma contra fr. parauit: tamen iſta priorib. ſuſpicionib. non paruum pondus addiderunt, & Imperatoris aures calumniis, immodicam benignitatem conſequi ſolitis, patefecerunt: & tand. Porphyrogenitum præcipitarunt. Agebat tum is in Lydia, recentib. nuptiis lætus, & diuturnæ vitæ ſpe fretus. Nam paulo ante vxorē duxerat Raulis filiam, & corporis & animi pulchritudine florentem, an. ætatis agens 30. Tum etiam templo ſtudii ſplendidum tectum addidit (locus.n. is deſolatus erat à Latinis & lōgo iam tempore oues paſcebat) & firmo muro circumducto, magnis impenſis monachorum habitationi accommodauit ædificium, vt parum à veteri forma differret. Cum.a. tunc ad Nymphæum Lydię cum vxore commoraretur, & clam apud fra. delatus eſſet: viſum eſt Imperatori tranſire in Orientem per cauſam aliorum negotiorum; ſed reuera vt fr. incautum, nec opinantē opprimeret, quod & accidit. Nam & Porphyrogenitus vna cum omnibus intimis comprehenſus eſt. Inter eos princeps fuit, & opibus & genere, & reb. geſtis celebris Michael Strategopolus, quem opib. eius in fiſcum redactis, in carcerem cum reliquis compegit: atq; vna cum Porphyrogenito vinctum ſecum quacunq; pergeret, circumduxit, veritus ne Porphyrogenitus Theodoræ matris opera elaberetur, quæ continenter ob filium quiritabatur, & liberationem eius quotidie flagitabat. Porphyrogenito & Strategopulo viris bellicoſiſſimis, qui magnis præliis & Imperatoriis artib. Turcas à Romanis finib. facile arcebant, in vincula coniectis, hoſtis, cum iam nemo eſſet, qui prohiberet, & vltra fluuium omnia populari, & ipſum fluuium Mæandrū cum multitudine innumerabili tranſgreſſi ſunt. Hunc fructum Andronic. retulit, ex crudelitate in fratrem admiſſa.

III.
Crom l. 10.
CONRADI

DVCIS SILESIÆ CRVDELITAS IN NEPOTEM HENRICVM.

In Sileſia, multo atrocius deſæuiit, Conrad. Dux Glogouienſis, in Henr. nepotem Legnicienſium Ducem, verſabat animo bellum aduerſum eum propter interuerſum Vratislauienſ. dominatum, & cum imparem ſe illi viribus intelligeret, incautum dolis circumuenire ſtudebat, & clandeſtinis nocturniſq; incurſionib. & latrociniis ditiones eius vaſtabat. Deinde fr. eius germanum Boleſl. Snidnicrenſium Ducem felicitati fraternæ inuidentem, in ſocietatem belli aſciuit. Videns.a. Henr. bellum à Conrado patruo cōtra ſe magno ſtudio comparari, cum non paruam Vratiſlauienſis conuentus partem illi fauere non neſcius eſſet, ad eundem Boleſlaum miſit oratum, vt arma ſecum aduerſus Conradum coniungeret: ignarus pactorum, quæ ille prius cum Conrado pepegiſſet. Cauſabatur Boleſl. tenuitatem facultatum ſuatum: Tandem acceptis ab Henrico duobus territoriis, Iauorienſi & Stregomenſi, iuſiurandum dedit, ſe ipſi non defuturum, vbi tempus faciendæ expeditionis aduenisset. Admonitus pacti ab Henrico Boleſl. moras nectere, & nunc hoc, nunc illud cauſari. Dedit ei rurſus Henr. tria oppida, Reichēbachiū, Franckenſteinū, & Strelinum, nihilominus ille tamen magis fidem promiſſis præſtitit. Porro Conrad. cum animaduertiſſet, non optima fide ſecum agere Boleſlaum à quo ſperauerat dolo captum iri Henricum, quemadm. conuenerat, Luticum vnum de familiarib. & conſiliariis Henrici, genere Habdanenſ. donis & promiſſis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici, & magnis ab eo beneficiis affectus: ſed Patrem eius Pacoſlaum gratia & fauore Principis inſoleſcentem, Henr. capite imminui mandauerat: quod is homicidii reus, crimen, fruſtra diſſuadente ipſo iudice, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorē Henric. poſtea, collatis in eum plurimis & magnis beneficiis. Et ille iure cæſum patrem profeſſus, iureiurando dato perſuaſerat Henrico, ne quid eam ob rem de fide ſua dubitaret. Hæc non ignota Conrado erant. Itaq; cum faces Luticia animo ſubderet, ac male curatum vulnus refricaret effecit vt plus apud eum valeret vetus dolor, quam tot recentia beneficia, quib. eum Henr. ornauerat. Forte in balneo ad Oderam haud longe ab arce Vratislauienſi corpus curabat Henr. Aduolauit eo Luticus cum armatis, Henricūq; præmonitum quidem de ſuo aduentu, ſed nihil tale ſuſpicantē, nudum è balneo extraxit & vili palliolo tectum, atq; equo impoſitum continuato nocte dieque curſu, Sanduoithum, quod in ditione Conradi erat, aſportauit. Inde vinctum Cōrad. Glogouiam perduxit, inq; anguſtum vas ferreum concluſit. In eo duo erant parua foramina, alterum quo cibum ſumeret, alterum quo aluum exoneraret. In eo vaſe ſex totos menſes aſſeruatus, neq; ſedere, neque iacere potuit vnquam. Ad extremum eo redactus fuit, vt iam tabeſcente corpore, ſanies & vermes de ſcabulis & femorib. eius ſcaturirent. His malis victus, tand. numeratis. Conrado 30. millib. marcarum pecuniæ, datiſq; 7. territoriis dimiſſus eſt. Nec tamen poſtea cōualuit Henr. verū 3. deinde an. lento morbo conſumptus eſt. Hęc quidē in Sileſia ꝓditionis, impietatis & crudelitatis exēpla. Atrocius in Galliis.

IV.
Opmerus in Chronol.
HORRENDA CRVDELITAS PHILIPPI PVLCHRI IN FILIAM COMITIS FLĀDRIÆ, ET IPSVM COMITEM.

Regnabat Philip. corpore quidem formoſus, ſed animo ſceleſtus ac fædus. Erat Guidoni Dampetræ Flandrorū Comiti filia natu minor, quam ex fonte ſacro ſuſceperat Phil. eamq; Philippam vocauerat. Hanc pater deſponderat Edouardo Regi Anglo, qui Pulchro hoſtis erat. Itaq; Pulcher puellam Pariſios vocat, venienſemq; carceri tradit, cū 20. pediſſequis, & 20. viris claris: deinde ſtrangulatas feminas proiici iuſſit in Sequanā, atq; viros ſuſpendi ex furcis Mōtfalconiis. Scelus horrendum & inauditum. Demū mouens cum vxore in Flandros, Guidonem cum Anglo ſe intra muros Gandaui continere compulit. Comes 2. annor. inducias ægre impetrauit: Anglus quod ſe inſcio fuerat id factum Gandauum ſpoliare conatus eſt, at ciues tumultuoſe vſq; Anglos contriuere, vt Rex ſumma cum difficultate ſit elapſus. Perſuaſit poſtea Carolus Valeſius Pulchro fr. vt Regem conueniret facile ſe impetraturum eſſe pacē. Credidit Guido Comes Valeſio, profectuſq; eſt cum filiis duob. & 50. nobiliorib. ſuæ Prouinciæ, quos oēs Phil. ſtatim in vincula coniecit, ac diuerſis cuſtodiis mancipatos, totis 8. ann. pædore, ſqualore & inedia macerauit. Flandriam porro Iacobo Comiti S. Pauli dedit, qui exigendo quadrantem bonorum, atq; mercedum operariorum tumultus excitauit, Petro Rege, & Ioanne Bredelo Brugis proclamantibus: *Vi*

uat Leo Flandriæ: Francus omnis fallax, occidamus eos tempeſtiue. Occiſique ſunt Brugis circiter 5000. & poſtridie Gandaui 2000. Quod vt vindicaret Pulcher, miſit Robertum fratrem, cum Regib. Maioricæ & Melidiæ Hiſpanis. At Flandri aucti copiis acriter ſe oppoſuerunt, duos Reges cæciderunt, proceres 30. Francos, & ter mille equites cum maxima parte peditatus profligarunt, atq; Regem ad ſoluendos captiuos coegerunt. Reſtitutus Guido libertati, non niſi ſex menſes ſuperuixit, ad 11. Cal. Apr. vita ex mœrore animi defunctus. Nam & iſtud aliud tragicum ei acciderat, quod enarrabo.

V.
FLORENTII COMITIS HOLLAND. ADVLTERIVM ET CÆDES.

Florentius V. Comes Hollandiæ XVI. ducta in vxorem Beatrice Guidonis Dampetri filia, quanquam ex ea 11. liberos ſuſcepiſſet, etiam vagis indulgebat amoribus. Erat inter nobiles Hollandos Gerard. Velſius, cuius fratrem gladio percuſſerat Florentius, ipſumque annum integrum in vinculis habuerat. Poſt annuam captiuitatem vinculis liberatum cogebat, vt matrimonio ſcortum ſuum ſibi coniungeret. Recuſanti ſcortum ducere: velis, nolis, ait, ſcortum meum in vxorem habebis. Non intellexit Gerardus, quid Florentius inſinuaret: & de re alia nihil cogitans, Gerardi Vuordeni filiam, Giſberti & Arnoldi Amſtelanorum cognatam, ſibi in matrimonium coniunxit. Florentius, non quod amore illicito flagraret, ſed quia odio & iniquiſſimæ vindictæ cupiditate æſtuaret, rationem excogitauit, qua Gerardo conſtaret, eum ſcortum ſuum in matrimonio habiturum. Itaq; cum ei Gerardus à conſiliis ſecretiſq; eſſet, eum aliquo per ſpeciem legationis amandauit, & ad vxorem eius ingreſſus, eam indigne conſtuprauit. Domum reuerſo viro, Vuordenia contumeliam ſibi illatam eſſe renunciauit: is porro parentib. ſponſæ, quæ acciderant, ſignificauit. Hi demum Chriſtiana pietate inſignes, conſilio cōtra tyrannidem vſi, dum pudicitiam violatam vindicare vellent, Cameracum ad comitia conuenerunt, proceribus improbitatem Principis expoſuerunt, & ad vindicias ſumendas impulerunt: Interfuerunt Concilio, Regis Edouardi Anglorum, ac Ducis Brabantiæ, & Comitis Flandriæ Legati. Decretum communi ſuffragio, vt Florent. caperetur, & captiuus in Angliam mitteretur, atq; eius filius Ioan. gener Edouardi Regis inde reuerſus pro patre captiuo dominaretur. Egreſſum ergo ad venandum Florentium, armati inuaſerunt, atq; captiuum, cum eum Caninefates liberare molirentur, 5. Cal. Iul. interemerunt. Cum.a. apud alias gentes Tyrannicidis ingentia prēmia atq; illuſtres decernantur honores, placuit Hollandis hos bello perſequi, atq; in captos tandem acerbiſſime ſæuire, & in ſingulis fere ciuitatibus præcipuæ nobilitatis viros intolerandis cruciatibus occidere. In Velſium præcipue apud Leidam ſæuitum, quem vaſi ferreis clauis ſtipato incluſum per vias prouoluerunt. Imo: nec innoxiis ac rerum ignaris parcitum eſt, omni enim humanitate exuta Bataui illi, præter fas & æquum, omnem fere cognationem maioris nobilitatis tota Hollandia expulerunt. Hæc tragica præter inſtitutum me referre coegit, ſceleris nefandiſſimi Florentii iuſta execratio. Duo alia exempla cruenta dabo, quæ per id temporis acciderunt, digna quæ recenſeantur in exemplar iuſtitiæ & fidei.

VI.
IVSTITIÆ EXEMPLVM IN IVDICEM INIQVVM.

Iuſtitiæ iſtud. Guillelmus cognomento Probus præerat Hollandiæ, æqui iuſtique obſeruantiſſimus, quod inſigni hocce facto ſatis declarauit. Fuerat agricolæ vacca lacte vſque abundans, vt prodigii fere loco haberetur, cumq; eam nec prece, nec pretio ſibi comparare poſſet, Prætor agrarius Dordracenus eam nocte mutauit cum altera ei quam ſimillima, atq; domum deduxit. Senſit agricola fraudem, ſuamque ſibi reſtitui à Prætore poſtulauit. Illo tergiuerſante profectus ruſticus in Hannoniam, rem vt facta erat, ad Comitem defert. Qui Prætorem ad ſe accerſitum, confeſtim iubet agricolæ ſuam vaccam reſtituere, vel potius numerare pro ea aureos centum: Quod Prætor in ſe recepit, omnino facturum: Tum Comes: *Quanquam vero ruſtico ſatisfeceris, ait, nequaquam tamen mihi ſatisfeciſti, cui iuſtitiæ munus commiſſum.* Dixit, & arreptum Prætorem, facta exomologeſi delictorū, decollari, atq; Dordracū ad ſepeliendū deportari iuſſit.

VII.
FIDEI EXEMPLVM IN ALPHONSO GVSMANO.
Lipſ. in monit. & Marian. l. 14. c. 16.

Fidei porro iſtud, in Alphonſo Pereſio Guſmanno, in Hiſpania Bœtica, cui à maiorib. cognomentum Boni fuit, magnus pace & bello ille vir, clarus opib. & earum vſu: atq; ecce ſpecimen. Rex Caſtellæ Sanctius Tariffam (quæ veterum Carteia, ſiue Tarteſſus eſt) de Mauris ceperat, ſed anxius tenendi & cuſtodiendi, ob hoſtium viciniam, & ingentes ſumptus. Suſcepit vltro in ſe curam Alpho. & partem ſtipendii de ſuo ſe daturum promiſit, Rex interea res alias ageret. Paulo poſt Fr. Regis, Ioan. ambitione praua ad Maurum tranſiit, & copiis ab eo acceptis, ſubito Tariffam obſedit. Quinq; millia equitum, vineis, turrib. & machinis omnium generum, oppidum impugnarunt. Obſeſſi nihil trepidare, in ſua & Ducis virtute fidere, animos ſupra periculū habere: niſi ꝙ infregit eos ſubito inopinata res, captus Alphonſi filius (in ægris forte intercēperant) in Ioannis & Maurorum poteſtatem venit, vnicus porro patri erat. Ante mœnia oſtenſum, illi minari, niſi oppidum dederetur, ſub oculis interfecturos ſe, & fœde lancinaturos. Motis flexiſq; aliis, ille ne hilum: & alta voce negat: *Si centum filios in poteſtate haberent, non ideo ſe à fide & honeſto abiturū:* Quin, inquit, *ſi tanta libido iugulandi eſt, en gladium, & ſuum è mœnibus proiecit.* Stupor me habet hæc ſcribentem: quid ſpectantes? Ille ſic abiit, & ad prādium ſe compoſuit, cum ecce clamor & eiulatus diſſonus auditus eum euocat: Iterumque ſe in mœnib. ſiſtit. Quærenti conſternationis cauſam, refertur: *Filium barbara crudelitate interfectum.* Hoc erat? inquit, *credebam vrbem ab hoſtib. captam:* & pari tranquillitate ad prandium vxoremq; rediit. Sic affectib. ſic lachrymis potuit heros imperare, cum antiquis comparandus. Barbari cum animis reputarent, nullis artib. nulliſq; virib. vinci poſſe, qui amore filii non moueretur, vt fidem proderet officiumq; deſereret, deſperata victoria, redierunt in Africam. Libet hic exultare, eſtne factū vel in omni antiquitate fortius, vel laudabilius? Gratulor etiam ego tibi gens & domus illuſtris ducum Methymnæ Sidonię, quæ ad hunc auctorem ſtemma & ſanguinem refers, Felix origine eſto imitatione.

VIII.
Maria. ibid.
DE COMPONENDIS IACOBO ARAGONIO ET CAROLIS VALESIO ET CVNCTATORE ACTVM.

Sed dum hæc tragica commemoro, pene omiſeram, ea quæ auctoritate Apoſtolicæ ſedis, hoc an. inter Iacobum Aragon. Regem, & Carolos, Valeſium atque Cunctatorem, antequam ii in Italiam reuerterentur, acta. Iacobo à Siciliæ Inſula in Aragon. tranſeunte, Nicol. ſummus Pontif. paulo quam è viuis excederet, in curam conciliandæ pacis inter eum & Francos, incumbebat. In eam rem, Bonifacium Calamandram militem Hoſpitalarium, Legatum in Aragoniam miſerat, qui Iacob. ad concordiam cum Francis, & ad obedientiam ſedi Apoſt. præſtandam inclinaret: Morte intercepto Nicolao, Bonif. auctoritate Apoſt. fretus, nihil nō egit, vt animis diſſidentes Reges ad concordiā reuocaret. Iuuit Bonifacii conatus, Sanctius Caſtel. Rex, qui Galli Regis reſponſo prouocatus Aragoniū votis vt ſperabat, nō repugnaturum, Caracam vt ad colloquium veniret, inuitauit. Actū ibi de pacis conditionib. rem tamen integrā in aliud colloquium reiici placuit, quo maior eſſet auctoritas, ad Colloquiū Regum vocatus fuit Carol. non acceſſit, incertum qua cauſa. Caſtellæ & Arag. Reges Lugrunium cōuenere. In eo cōgreſſu nouæ inter eos ſuſpiciones natæ ſūt, cum generum ſocer impotenter habens, omnia ad ſuū reuocaret cōmodum. Ex eo tempore, Aragonius, ab Iſabella ſponſa animo alienato, ad nouū cōiugium reſpicere cœpit, per ſpeciē veniæ ꝓpinquitatis, à Pontificib. Romanis nondum impetratæ. Porro agente Calamandra, Iacob. Rex ad Iuncariam oppidum cum Carolo Neapol. collocutus eſt: arcano tamen, ne res efferretur. Tempore tamen cognitum eſt, de reſtituenda Sicilia, atq; de nouis Aragonium inter & Blancam Caroli filiam nuptiis conſilia agitata.

IX.
MORS OBICII ATESTINI OPTIMI PRINCIPIS, ET DE QVODAM SICARIO EIVS SVPPLICIVM.

Hoc anno, ad 15. Cal. Mart. deceſſit, Obicius, Ateſtinus Princeps, immortalitate dignus. Non abs re me facturum putauero, ſi Lāberti Bacilerii Bononienſis Nicolai filii importunū ac nefarium in Obicium facinus paucis cōmemorauero, vt Principes alieno exemplo cautiores maxime ſibi cauendum cognoſcant, maximaq; cura vtantur ac diligentia in familiarib. deligendis. Hic Lambert. cum aliis domeſticis coniunctus, Obicio, dum pranſurus accumberet, proximior factus, ſtricto pugione, manu promptiſſima, eademq; ſceleratiſſima dicto citius, in illius faciem de improuiſo vulnus intulit, paruum illud quidem, ſed magnam percuſſoris audaciam præ ſe ferens: Hoc viſo, Actius Obicii filius, & omnes qui aderant ciues ac familiares arreptis enſibus, in percuſſorem è veſtigio impetum fecerunt. Cæ-

terum illis Obicius, faciem sanguine fædatus, sese opposuit, quo minus illum interficerent. Eum deinde in equuleum mitti iussit, vt quo impellente, quave de causa id factum esset, fateretur. Cæterum ipse diu & grauiter tortus, se nullius iussu impulsum, nulla spe ductum, non meditato aut cogitato scelere, sed repentino quodam ac temerario furore percitum, id patrasse fassus est. Quod cum minime crederetur (neq; enim credendum erat) iterum atque iterum interrogatus, non minori constantia, quam fortitudine (modo in scelere fortitudini locus sit) ead. semper in sententia permansit: neque in acri & longa quæstione, præter dicta, quicquam aliud vnquam respondit. At improbi hominis pertinax atq; obstinatus animus, haudquaquam fecit, quin sententia in ipsum lata, 4. asellorum caudis alligatus, totam per vrbem tractatus, & à carnifice cruci tandem appensus, merito, illiso gutture, pœnas acerbissime lueret. Hic igitur eos Principes, certissimo argumento, non imprudenter agere docuit, qui neminem ense vel pugione accinctum, ad se familiarius admittunt. Quandoquidem mutabilia sunt hominum ingenia, & inter mortales non desunt, qui animo adeo impauido sint, & vitæ adeo prodigi & contemptores, vt modo voti compotes fiant, quodcunq; animo conceperunt, intrepide audeãt. Quod vel ex hoc liquido cerni potest, quem nec sancta familiaritatis iura, nec dignitatis reuerentia, nec Principis auctoritas, nec assistens Parenti filius, nec familiarium corona, qua Obicius septus erat, nec imminens atrocissimæ necis periculum à scelere patrando repellere potuerunt. *Gyrald. de princip. Atestinis.*

IESV CHRISTI
Annus 1294.

CÆLESTINI PAPÆ V. Annus I. ADOLPHI REGIS Romanorum 3.

I. IOAN. SCOTI MORS ET LAVDES.

HOc anno viuebat & docebat IOANNES Dunsius, ex Minorum familia, Alexandri Alensis Britanni quondam in Gymnasio Lutetiæ auditor, vir admiranda subtilitate eruditionis, ob profundissimam dicendi scribendiq; obscuritatem ΣΚΟΤΙΝΟΣ, id est, Tenebricosus, quod olim obscurissimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus, & ob nouam Scholasticæ Theologiæ sectam de nomine suo dictam omnib. longe notissimus. Scripsit præter Logicas difficultates, Commentarios in Euangelium, in Apostolum, & in Magistrum sententiarum, quib. aliquis, illud carmen quod ex tractatu Ezechielis Prophetæ visioni cuidam D. Hieron. præposuerat, subscripsit.

Xystus Senensis in Bibliotheca verbo Ioan. Scotus.

Hic labor, illa domus, & inextricabilis error,
Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta.
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, quo signa sequentum
Falleret indeprensus & irremeabilis errror.

Paulus Iouius elogio adiuncto virum ornauit. Nemo, inquit, eorum qui non insano Christianæ pietatis amore flagrantes, vltra sese cœnobiis in seruitutem addixerint, Ioanne Scoto in grauissimis studiis aut acrior aut subtilior fuit, quum admirandis commentationum voluminibus editis nouam de nomine suo sectam conderet, & in Aquinatis scripta non dissimulanter inueheretur. Natus est in vltima Britannia, ad Calydoniam syluam, vt minus mirum sit, Anacharsim summæ sapientiæ Philosophum, apud vecordissimos Scythas, crasso, atque ingeniis excolendis importuno cœlo, patriam habuisse. Verum hic proteruo, captiosoque disserendi genere, Christianis dogmatibus illusisse videatur, cum passim inducta quæstione dubitabundus, sacrarum rerum fidem, nequaquam tenui figmentorum caligine confudisset. Seuit enim ideo lites immortales, quando eius placita, vel grauiter ab aduersæ Sectæ professoribus oppugnata, ex aduerso ab eius discipulis acerrime defendantur. Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia, ad optimam frugem nata, distorto scil. ad veritatem itinere suspendisse perdidisseq; videtur, manifesti, aut certe occulti alicuius criminis apoplexia coreptus pœnas persoluit: ita quidem, vt nimis festinato funere pro mortuo simulatus, quum redeunte vita, sero morbi impetum natura discuteret: frustra ad petendam opem miserabili mugitu edito, pulsatoque diu sepulchri lapide, eliso tandem capite perierit. Constantius Sarnanus Minorita, postea S.R.E. Cardinalis, cũ Felici Peretto à Mõtealto Minoritano, tũc S.R.E. Card. postea vero Summo Pontifici Sixto V. Ioãnis Duns Scoti, in vniuersam Aristotelis Logicam quæstiones & formalitates, nec non reliqua alia, summo (vt fatetur) recognita studio ac diligentia, ac in his Vitam Ioannis Scoti, à F. Petro Cratepolio minorita, S.T. Baccalaureo Conuentuali compositam, Venetiis apud Francisc. de Franciscis Senensem an. D. M.D.LXXX.III. typis datam dicaret, in ead. videtur esse vna cum Sixto, librum non improbante, nec inhibente, de morte Scoti sententia. Namq; ista habet F. Petr. in vita Scoti, summo studio ac diligentia à Sarnano recognita. *Venit Scot. Parisiis Coloniam, cum morbo quodam laboraret peculiari, ita vt abstractis & sopitis sensib. qu. mortuus iaceret. Cũ.a. huius morbi ignari, eum pro mortuo haberẽt, ac sepeliri fecissent, Constanter assertum est, cum viuum sepultum.* Hæc F. Pet. Cratepolius Minorita, ex recognitione diligentissima minoritę qui Sixto V. Pontifici Max. minoritę, offerebat. Fere ead. habet Thossignanus minorita in Annalib. Franciscanis de eod. Scoto; cui hoc agnomen ab obscuritate doctrinæ, quemadmodum & Anaxagoræ inditum fuisse asseuerat. Genebrardus in Chronologia addit inde innotuisse, quod nondũ mortuus fuerit, cum in sepulchrum illatus est, *quia aperto postea sepulchro, in gradib. Mausolæi, deuoratis manib. repertus est.* Pet. Opmerus in opere Chronographico; Sabellicus lib. 9. c. 4. Trittemius de Scriptorib. Ecclesiasticis; & ex illo F. Henr. Sedulius Minorita, in notis ad vitam S. Francisci; & cum his, quem primo loco produxi, Xistus Senen. in Bibliotheca toties recusa, de obscuritate Scoti doctrinę, ead. protulerunt. De morte, apud Iouium in elogiis, aliquis Poetarum Epitaphium illi panxit.

Quod nulli vnquam hominum accidit, viator,
Hic Scotus iaceo semel sepultus,
Et bis mortuus; omnibus Sophistis
Argutus magis, atque captiosus.

Latomus addidit aliud.

Quæcunq; humani fuerant, iurisq; sacrati,
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius sit vita vocata
Morte illum simili ludificante stropha.
Quum non ante virum vita iugularit adempta,
Quam viuus tumulo conditus ille foret.

Sed in eum alii hæc luserint: vel de morte aut commentationibus illius aliter quam par est scripserint: ego virum vel hoc nomine laude dignum duxerim, quod sensorum subtili profunditate, occasionem ingeniis obtusiorib. protulerit, qui se attollerent ad arcana recondita, tum acri oculo peruestiganda, tum acri voce & calamo ab aduersariis Fidei Catholicæ defendenda, namq; horum non modica seges, etsi omnium sæculorum temporibus, vel hoc tamen præcipue, postquam Raym. Lullus damnatæ doctrinę homo scholam erronib. ante 30. & aliquot aperuisset. Tenebris cymmeriis damnanda sunt quę tenebricosus ille errorum Magist. inter mysteria proposuit: quib. eludendis elidendisq; post Aquinatem Solem, tum Ioann. Scotus, tum eius disciplinæ addicti Minoritæ, plurimum lanceati luminis attulere. Sed de Lullistis alibi narratio, magis ex occasione, nunc ad sedem Lucis, cathedram Petri regredior.

II. ELIGITVR TANDEM CÆLESTIN. V. EX EREMICOLA.

Hanc interim Cœlestinus V. antea Petrus Muronus natione Italus, patria Esernio Samnitum oppido natus, postquam multos admodũ an. in vasta solitudine, altero à Sulmona miliari, pietati incubuisset, diffidentib. inter se patribus, Carolo præsertim Rege Siciliæ, intercedente, nec non Fr. Latini Vrsini Episcopi Ostiensis, qui eius sanctissimam vitam optime nouerat, studio, Pont. summus, post 28. vacantis Apostolicæ sedis mensem, Nonis Iulii, anni 1294. Perusii, vbi, non plures, quam 12. Card. conuenerant, creatus, renunciatusq; est. Quæ res hoc maiori cunctis miraculo extitit, quanto propter Sanctimoniam, cui semper ab incunabulis constantissime operam dederat, ab ea dignitate, cæteris remotior esse videbatur. Nunquam. n. sacram Purpuram induerat, nunquam forensib. negotiis animum addixerat, nunquam ad clauum magnæ alicuius nauis sederat, sed à puero & ab ipso lacte prope, elementis purio-

ris vitæ

ris vitæ, à matre religiosissima tum domi, tum in scholis imbutus innutritusq; id quicquid ætatis maturioris attigisset, in vasta solitudine, in diuinorum contẽplatione, in religionis studio, in simplicioris vitæ conditura, in hominib. opis corporeæ vel spiritualis egentib. recreandis, subleuandis, instituendisq; exegisset, atq; propter candidã puritatẽ, simplicemq; simplicitatẽ, q. modo genitus infans vixisset. Placet ortum, pueritiam, & reliqua illius commemorare.

III. ORTVS PVERITIA ET VITA CÆLEST. V. ET SANCTITAS, ET MIRACVLA TAM A VIVO QVAM MORTVO PATRATA. *Matth. Veg. in vita Cœlest. 5. ad Eugen. Quart. MS n 3492. in Vatic.*

Natus est Cœlestin. Murone, Marsorum oppido, quod antiqui Matruuium appellarunt. Pater illi Angelerius, mater vero Maria, optimi ambo religioneq; summa cõspicui. Patre emortuo, cum vix 6. an. Cœlestin. qui tunc Petri nomen ex baptismate præferebat, natus esset, cæpit illum mater pientissima, miro religionis amore inflammare. Iam. n. tum significabat illi diuini amoris aculeos, quib. tenellum adhuc pectus sauciabatur. Porro vt sanctitati vitę doctrinã quoq; adiungeret, non postremã erudiendi illius literisq; imbuendi curam gerebat. Quod nec latuit callidũ humanæ salutis inimicũ, qui intelligens non modico literas sanctitati illius adiumento futuras, & mentẽ inprimis pueri à doctrinarũ amore auertere tentauit, & Germanos dehinc eius, quod nõ sine magno patrimonii dispendio id fieri posset, vehementius vt ea studia prohiberent excitauit. Sed & conterraneo cuidam eius prædiuiti persuasit, vt à religionis ipsum studio reuocaret, tanq̃ filium illum sibi adoptaturus, heredemq; bonor. suorum omnium relicturus. Nec defuit Ariolus quidam, quem puero sibi Cacodæmonem vere visum fuisse hæc de se, ipse, scribens ait, qui Matrem plurimũ increpabat, quod literis eum religionique dedicasset. Pronuncians attestansq; certo non diu superstitem illius vitã, fore: Hæc licet dolenter audiret mater, pergebat tamen illum bonitatem, disciplinam & scientiam docere. Namq; manebat illi fixum, quod nascenti olim filio contigerat, ac tanquam magnum aliquid diuinumq; portendebat. Ex vtero siquidem materno exierat, circumamictus indumẽto quodam, quod nihil ab his, quib. religiosi homines vestiuntur differebat. Huic accedebat, quod qua die primũ rudis adhuc puerulus ad percipienda prima elementa Ludimagistro traditus est, apparuit per noctem Angelerius coniunx eius cuidam fœminæ, quæ filios eorum è sacro fonte leuauerat, rogans impensius vt vxorẽ nomine eius hortaretur, ne ab incepta literarum cura, cui filium dediderat, desisteret: quippe quæ ambob. ipsis, aliisq: permultis summã essent salutẽ allaturę. Erat vero illi innata singularis innocẽtia vitæ, deiectio suiipsius, mãsuetudo, pietas animiq; simplicitas cũ reliquis virtutib. quæ vti à teneris ãnis, ita & per omnem simul ipsius ætatem plurimũ semper viguerũt.

Primum igitur admirabile simplicitatis ac innocentiæ signum fuit, nam vt de se ipso scribens attestatur, dum adhuc adeo teneri anni ipsius essent, vt necdum Virginẽ Matrem Dei, & Ioan. Euangelistam, qui adstantes cruci depinguntur cognosceret, conspiciebat tamen ad se eos plerũq; descendentes, dulcique præter modum voce modulantes, tollentesq; è manib. librum, quem puerulus ipse lectitabat. Cum vero cũ æqualib. suis pueris puer ipse aliquando colluderet, & animo suggerebatur vt obscæna quędam verba, quæ nec ipse intelligebat loqueretur: per noctem demum dormiens videbat angelos ad se venientes, in ea Ecclesia, in qua per diem ante altare orauerat, minisq; & verberibus eum grauiter exterrentes, monẽtesq; vt deinceps ab ea verborum obscænitate abstineret. Annos 20. natus, cum in eremum Signiæ se contulisset, atq; ibi manere decreuisset, secundum quietẽ apparuit ei ingens angelorum turba gestantiũ ore purpureas ac vernantes rosas, diuinasq; laudes suauissime decantantiũ, quib. expergefactus etiã affici delectariq; admodũ videbatur. Nactus in alio quodam mõte ingens quoddã saxum, in quo modicũ effosso vix se leuare aut extendere posset, tanq̃ comodiorem proposito suo locum illud elegit, tribusq; an. indidem mansit. Vbi cum à ciuitatibus populisq; longius abesset, tamen per noctem audiebat sonitum cuiusdam magni tintinnabuli, q. præfinita hora eum semp excitantis: qua solitus exurgere, atq; in orationib. se prosternere, videbat nonnunquam alterutro ex altari duos tanq̃ pulcherrimos homines, q. Episcopali amictu induti, & Missam celebrare, & Psalmos secum vicissim recitare videbantur. In eo adolescentiæ tyrocinio, nõ carebat fortitudinis exercitio: cum turpissimis dæmonum illusionib. infestationibusq; vehementius exagitaretur, nam suscipiebant formam duarũ, quas olim domi degens viderat elegantissimarũ fœminarũ: offerebantque sępius se animo eius magna cum illecebra & voluptate, dormientẽ etiam vtrimq; eum in lecto nudo corpore cõplectebantur, ac graui, diuturnaq; pugna cũ tenero adolescente confligebant, quin & vigilanti se nonnunq̃ coniũgebant, & vestẽ pedib. circũpositam illi violenter eripiebant. Ad preces & suasiones multorũ, sacerdotali charactere Romæ suscepto, mox ad montẽ Muronis adiit, vbi cauernã quandam à dracone insessã, recedente ad eius psentiam bellua, ad habitandum solitarius elegit. Cumq; se indignũ sacro Missę officio celebrãdo existimaret, adeoq; se subtraheret, admonuit eum p somniũ Abbas, qui primus religiosã vestẽ eum induerat, ne omnino desisteret. Cum. a. is se indignum assereret: Abbas subdidit: si id quidẽ attendendũ esset, neminẽ vnq̃ celebraturũ fore. Cũ deinde, an post nocturnã in somnis pollutionem proximo die celebranda esset Missa aliquando dubitaret, neq; quenq̃ qui consuleret, inueniret, ac proinde Deũ, vt quid faciendũ sibi foret, enixius obsecraret, dormiẽs vidit se ascendentẽ quoddam oppidũ in excelso loco situm, atq; in eo ingens palatiũ, inhabitantesq; eius cameras multos candidis vestib. amictos. Cum vero percupidus visendi ascẽderet gradus scalæ, asellus quem forte secum ducebat, cœpit soluto ventre liquida excremẽta eiicere, qua deformitate turbatus subsistebat, non ausus ascendere, sed Dñs Palatii qui Christus sibi videbatur, bono animo eum esse iussit, atq; ascende, inquit, ascende: ne dubita, nihil id tibi, sine asellum, quod suæ consuetudinis est facere: quo statim expergefactus manifeste intellexit discussam, pro qua tantopere Deũ orauerat, dubitationem. Cũ ingens sanctitatis eius fama circumuicinas regiones adimplesset, multos ad se cõuenientes religionis iugo subiecit. Quod vero illi augerentur & populi frequẽtiores aduenirent, in eremo Mogellana ædificauit Eccl. & nomini S. Spir. cõsecrauit, nõ sine auspicio cuiusdã columbæ, q̃ à principio vsq; dum illic habitare cæperat fortuito aduolã, familiarissime cũ eo conuersata, atq; enutrita est, visaq; semper, vbi altare postea extructũ est, cibari per se & pasci. In ea Ecclesia & in eius cubiculo auditæ sunt sæpius, q̃ à beatis spiritib. sub humana etiã figura apparentib. diuinæ laudes decantabantur. Socius quoq; illius aliquando aspexit lampadẽ, q̃ ante altare lumen præbebat, quum ad summum vsq; oleo repleta esset, per Ecclesiam hinc inde discurrentẽ. Inuidebant porro tam sanctæ societati iniquissimi dæmones, qui visi sunt creberrime, nũc balatib. nunc rugitib. nunc aliis modis eũ & reliquos eius socios infestantes. Fuit Petr. incredibilis abstinentiæ: tradũt hunc nunq̃ nisi super lignea craticula somnum cepisse: vigilasse noctu supra fidẽ, disciplinis se admodũ afflixisse, orandi, legẽdi, diuinaq; mysteria meditandi, nunq̃ modum habuisse: vestimentis vilissimis & asperrimis ciliciis vsũ fuisse: plus q̃ credibile est, ieiunasse: pane solo & aqua modica vel pomis aut cæpis contentum vixisse: Cũ dies 40 aliquãdo aduenisset, descẽderat in quandã foueã 10. tantũ panes & 8. cæpas quib. inediam leuaret, secum ferens: vbi tã constanter vitam duxit, vt cum totum imbrib. rueret cœlũ, omniaq; asperrimo frigore rigerent, nunquã tamẽ illinc discesserit, donec exactis 20. dieb. pene mortuum eum quidã amici eius inde deduxerunt, ac tunc auditam ferunt vocẽ, quæ illum ne tam onerosa sarcina asellum grauaret, admonebat. Sed & alio tempore 40. nõ leuiora hic aggressus est, Relictis. n. sociis rupem quandam excauatam solo cilicio amictus inhabitauit, duriorem que nunquam 40. propter nimiam frigoris asperitatẽ se egisse, ipse confessus est. Propter hanc viuendi austeritatem, discipuli eum vehementer suspiciebant, atq; ab eius exemplo ad summam perfectionis contendebant. Præcipua quoque ei fuerat erga egentes commiseratio. Quare sollicitus omnes cuiuscunque ætatis ac sexus, qui vel desolati oppressique essent, vel alimentis indigerent, inquirebat, eosque quantum potuit recreabat. Graui etiam infirmitate afflictis quamplurimis incolumitatem oratione restituit. Nam increbescente eius sanctitatis fama, multi ad eum aut veniebant aut ferebantur, tam animorum quam corporum sanandorum causa. Duos quosdam ex vicina quadam arce Norici: alterum claudum

pede

pede, alterum collo & capite tumentem sanauit. Pandulphum Lanzano oppido natum graui lateris dextri ruptura laborantem curauit: vtq; erat secretorum videns, eum pro consuetudine quæ illi cum aliena vxorē fuerat, grauiter reprehendit: atq; ab ea se nulla ratione posse continere attestantem, precib. tand. suis, non tam corpore quam animo sanare promeruit. Blasius quidam ex Hortana terra tibiis adeo affectus erat, vt incedere nullo modo posset. Monitu a. Beatorum Iuliani & Rufini, qui per noctem vigilanti ei admirando cum lumine apparuerunt, ad Ecclesiam Sancti Spir. profectus, cum altari indidem astaret, multis videntibus ab oratione Petri conualuit. Thomam etiam è Luco oppido, integris 7. annis morbo conflictatum: Gemmam vero 18. annis apud Montembellum lecto affixam, liberauit. Ex oppido item Busso Sibylla altera fœmina, quæ tribus an. vsu brachii deperdito torquebatur, cum eius pedibus aduoluta opem implorasset, incolumis euasit. Tho. ex oppido Turris Theatinæ diœcesis, genu dextrū sagitta vulneratus, postquam crure confixo gradi nequiuisset, precib. tandem S. viri pristinæ valetudini est restitutus: Grimaldus Aquil. Magist. cementariæ artis, cum eleuato immaniore quodam pondere crepuisset, liber factus est curante eum ad quem venerat Sancto viro. Fœmina quædam nobili apud Calabros stirpe orta, sed lepræ contagione infecta, vbi delata ei aqua, q̃ S. benedixerat sese abluisset, mundata est. Adolescens q̃dam Phil. præter lepram, frenesin quoq; passus, rogāte patre à S. viro curatus, disciplinæ eius sese dedit. Aliquē dæmoniacū ex oppido Carceris, p̄cussa eius maxilla statim liberauit. Antoniam ēt Pratulanā, à dæmonio infessā, ab eod. vindicauit. Erat quoq; S. viro in more, panē à se benedictū aliis submittere: quē cū ægrotantes degustassent, sanabantur. Ista quoq; non sunt reticenda. Principio, quo Ecclesia S. Spir. ædificabatur, cū oleum in vase, quodā ieiuniorū die, defecisset, & ille vas oleariū, igni admoueri præcepisset, oleū exundauit. Celebratū sacrum, cum nihil plane vini in vasculis remāsisset, & ille omnia ad se deferri mādasset, magna cū omniū admiratione vino redundarūt. Adiiciemus hoc ēt reliquis. Asportarat illi aliquando coruus libellū aliquē, quē in fenestra cubiculi Petr. posuerat. Viso itaq; coruo, cum id q̄ erat, suspicatus esset, sc. coruum furto abstulisse: iniunxit per nomen & potestatē Iesu Christi, vt ablatū reportaret, neq; mora, coruus euolauit, reuolauit, furtumque restituit Sed & istud mirabile. Cum inter cænandū dens illi aliquando excidisset, ille arreptū gingiuæ ex qua exciderat, imposuit, atq; is loco suo affixus, mira statim virtute constabilitus est. Quo tēpore montem Murronis inhabitauit, mente præsaga præsciuit, adolescentem, qui sacro Missæ sacrificio inseruiebat, apud Caramanicum oppidū stupro se cōmaculasse. Proinde ne ad se accederet, p̄cul venientem p̄hibuit. Multa quoq; alia magna & mira variis in locis p̄ miraculū patrauit. Cūq; intellexisset Greg. X. decreto Cōcilii Lugd. plures ordines recens institutos rep̄basse, ipse duob. sociis comitatus Lugdunū pedes accessit, confirmationēq; eius quē instituerat ord. facili negotio obtinuit. Inter redeundū aliq̄d ei accidit memoratu nō indignū: In Lucēsi. n. agro ac Pistoriensi, cū ciues vtrimq; grauissimis odiis per Guelfas & Gibell. factiones agitarentur, omnia itinera à grassatoribus minime tuta erant. Hi. n. non tātum reb. sed & vitæ transeuntiū insidiati, neminē illæsum transire sinebant. Hac vadentē S. virū comitari visus est, albo quidā inuectus equo, ac insigni p̄stans forma: cōmonereq; amice, vt cautius saluti suæ prospiceret, propter infestos qui circūlatitabāt viarū infessores, vix dixerat, cum ex sylua viciniore tres in eum ac socios latrunculi ferebantur. Mira tñ Dei prouidentia, tres pariter serpentes, sanctis viris q. opē allaturi eruperūt, & impetū in latrones facientes, eos procul abegerūt. Mirū aliud. Cum in alio loco, iid. grassatores, ex insidiis in Pet. & socios exiliissent, totidem quot prius serpentes defensores sancti apparuerunt, eosq; in fugam coniecerunt. Cum. a. socii meticulosi retrocedendum esse propter latrones antecurrentes censuissent, eques ille albatus iterū apparuit, & per omnia periculi plena loca eos comitatus, cum ad oppidum vicinius deduxisset, disparuit.

IV. ORDINEM RELIGIOSORVM INSTITVIT APPROBATVM A GREGOR. X.

Domum reuersus Pet. confirmato, quem instituerat ordine, oēs socios quos sanctē erudierat, in vnum apud Magellā, conuenire iussit: coactoq; cōcilio, multa ad regulam D. Benedicti, quam profitebantur, pertinentia constituit: plurima iam ab aliis desolata monasteria refecit, refectaq; monachis suis destinauit, atq; nouellam plantationē religionis recens institutæ maiorē in modū feliciter propagauit. Perinsigne est, quod tunc filio cuiusdam rustici ex oppido Castri veteris, annos circiter quinq; nato, sed prorsus muto fecisse memoratur, qui cum à patre opē implorante diu rogatus, quum diu se non tantæ potestatis esse attestaretur, victus tand. commiseratione, inuocato prius numine, ac per salutiferā eius Crucem pueri ore lustrato, linguā ei vocalem, liberamq; dedit. Cum. a. propter hæc & alia miranda, quæ gerebat, ab omnib. frequenter inuiseretur, humanæ laudis & plausus vitandi causa sæpe sæpius loca mutauit, & abscondita lustra requisiuit, in quib. sese à conspectu hominum reconderet. Inter reliqua in sumo apice Magellæ, antrū quoddam inaccessum reppererat, in quo se posse latere putauerat, veruntamen à sociis repertus, & asperioib. verbis obiurgatus fuit: Nec quicquam tamen propositum mutauit, sed indidem S. Io. Euang. Ecclesiola ædificata, manere perseuerauit, ac circūcirca cubicula pro sociis, atq; hospitib. postmodum ędificauit. Signa porro quæ hic egit, non minora sunt priorib. Nā duos à ruptura corporis, alterum Simonē ex oppido Buccellano, alterū puerum ex oppido Sulmonensi persanauit: Alium quoq; puerum Sulmonens. Guttæ falsa cōtagione perfusum emundauit. Peridum Pratulanum, à morbo comitiali liberauit. Gualterū sacerdotē Garamanicum, à dolore calculi, ex quo animam agere videretur: Alium Gualterium Casalens. à morbo inguinario: Palmam mulierem à dæmonio: Matth. puerum, & Iac. iam adultum à cæcitate. Cataniam fœminam à Chrystalloide, alios ab aliis plane immedicabilib. morbis, vnica oratione, vel signo Crucis eripuit. His vero & aliis signis cum clareret, atq; à circumhabitantib. longe lateq; populis frequentaretur, miseratus eorum labores & discrimina, quib. interim se exponebant, cum per auia latentē inquirerent, statuit in montē Muronis reuerti, quem à primis annis olim habitarat, quo cōmoditati atq; saluti eorum magis cōsuleret. Inde etiā paulo post, Sogezenūm oppidū, secundo à Sulmona lapide, accessit, indidemq; domicilium collocauit, vitā ducens etiā solito austeriorem: Monasteria vero eius instituti indies magis multiplicabantur, habebat enim quæ vel ruentia reparauerat, vel noua extruxerat, 36. præter fraternitates, quas ita appellabat, hominum plurimorum, qui non religiosum quidem habitum, sed iis proximum & valde consimilem induebant: operibus autem piis ac sanctis, vtpote, orationib. ieiuniis sustentandis pauperibus, curandisque ægrotis solicite intendebant.

V. LATINVS VRSINVS CARDIN. CAVSAT EIVS ELECTIONEM.

Ordini itaq; à se instituto amplificando, cum modis omnib. intenderet Petr. & mortuo Nicolao summo Pontif. Card. summa dissensiō duodetriginta menses tenuisset, & propterea nondum aliquis Pastor Eccl. Cathol. electus esset, Spir. S. benigniore aura afflati, in eum tandem deligendum inclinarunt. Primus eorum Latinus Vrsin. D. Domin. institutum professus, Ostiens. Episco. & sacri collegii præses, à Numine impulsus proponere Petrū Muronis, atque summum Pont. appellare cæpit. Huius vocem, quasi è cælo delapsam repetentes identidem cæteri vnanimes confirmarunt, confirmatamque publico decreto celebrarunt, atq; summum vniuersalis Eccl. Antistitem Petr. eremitam renunciarunt. Quod vbi vulgo acceptum est, summa cum omnium lætitia atq; exultatione ad eum oēs concurrerūt, Pont. salutarunt, rogaruntq; vt ad quam Dei nutu vocatus esset Pontificiam potestatem, volens libensque se accingeret. Et quoniam lachrymantem cum lamentantemque ac grauiter conquerentem, tantoq; oneri longe imparem se asserentē, adeoq; eam dignitatem reiicientem cernebant: præmetuentes id q̄ iam proposuerat, ne inde clam effugeret, domunculam eius circumsepserunt, & tandem vt onus impositum susciperet persuaserunt. Non parum. a. ad mouendum illum operæ contulerunt Siciliæ & Hung. reges. Hi enim diuulgata vbiq; illius assumptione, cum plurimis Principib. citius ad eum conuenerunt, ac dignum eius dignitate honorem, reuerentiamq; illi exhibuerunt: demūq; ad capessandam sacram purpuram adduxerunt. Nequaquam tamen eum suscepto olim vitę genere dimouere potuerunt. Cum enim ab eremo iter arripuisset, suscipiendo-

ruin

rum Pontificalium ornamētorum causa, nullo vnq̄ modo adduci potuit, vt equo veheretur: sed proponēs sibi exemplum Saluatoris mundi asellum conscendit, comitantibus cum Cardinalibus regibus magnisq; & præpotentib. viris, maiorem in modū admirantibus in tam excelsa dignitate, tantā animi demissionē. Sequebātur etiam illū circumfusi innumerabiles populi, nō tam magnificum pōpæ apparatū conspectūri; q̄ multorum etiam morborum liberationē ab eo accepturi. In quo memorandū videtur, quod cuidam claudum vtroq; pede filium habenti, cōtigit. Cum n. præ innumerabili hominū turba illū attingere minimè posset: nactus occasionem, tēpore quo apud Castellum vetus vir S. asello descendit, plenus fide ac deuotione, filiū ei cespitantē supposuit, ac statim æquis gradientem passibus habere promeruit. Castello vetere excedens Petr. Perusium ad sumi Pontif. insignia capienda, à Cardinalibus vocabatur. Nequaquā tamen illò flectere voluit: sed Aquilā ciuitatem accessit: iam tum colūbinæ illius simplicitati illudente Carolo rege Siciliæ, qui incautum Pont. Neapolim, in sua cōmoda trahebat. IV. Cal. Sept. sacram tyarā capiti imposuit, & Cælestini V. nomine renunciatus, omnibus (ad ducenta millia hominum interfuisse memorantur) qui tunc astitissent, vberiore q̄ vnquam relaxatione veniā omnium peccatorum plenam consummatamq; concessit. Nec tantum ea, sed etiam octaua suæ inaugurationis die eandē gratiam omnib. indulsit, eamq; ipsam indulgentiā Ecclesiæ B. Mariæ, quæ Collis Madii vocata est, quotānis, anniuersario coronationis suæ die, publico potestatis Apostol. priuilegio confirmauit. Quod a. mira benignitate in egentes excelleret, nemini quicquā petenti, negabat: magnisq; proceribus patrimonia Ecclesiæ deposcentibus sine vllo discrimine, non tam liberali, quā prodiga manu offerebat. Sc. ex priuatæ olim vitæ pauperrimo statu, maiestatem dignitatemque tum Pont. Rom. tum Eccl. Rom. & Apost. Sed. dimetiens.

VI. NIMIIS PROFVSIONIBVS ECCLESIAM EXTENVAT

Certè si diuina prouidentia, prudentiam aliquorum ex sacro cætu tunc non excitasset, Cælestinus largissimis profusionibus, ad quas importunitate in rem Ecclesiasticam intentorum Principum prouocabatur, vniuersam Eccles. & inprimis Roman. iure merito acquisitis bonis expoliasset; quodq; grauius imminebat malum, minus sciens & volens, dissensionib. & cædibus maximo damno orbis Christiani omnia complēsset. Aliquando enim rem vnam alteri concessam, alteri, oblitus donationis prioris, attribuebat.

VII. CAROLI GEMINI EIVS SIMPLICITATE ABVTVNTVR.

Carolus Cunctator rex Siciliæ, & Carolus eius filius cognomento Martellus Rex Hungariæ, facilitate Cælestini inprimis in rem suam & Gallicæ factionis vsi seu potius abusi esse videntur. Neapolim enim simplicem abductum illum impulerunt, vt is ex 12. Patribus, quos tunc creauit, vel Gallos, vel Gallis addictos esse voluerit: rebus Gallorum nimirum contra Aragonios, & Germanos vniuersos, tum in Sicilia, tum in Gallia, Aragonia, Germania, Anglia, Hungaria & Italia, nimis præposterè stabiliendis. Nam per id temporis Galli, Philippus quidem Anglos & Belgas, Carolus Valesius Aragoniam, Carolus Martellus Pannoniam, & propterea Germaniam, Carolus Cunctator vniuersam Italiam, quin etiam Imper. Constantinopol. & regnū Hierosolymitanum, spebus deuorārant & tum per seditiones, tum per alias artes sui iuris facere cogitabant: His autem perficiendis Pontificem aliquem suæ mentis, suæ gentis, imo & in aliqua vrbium suæ ditionis sedentem habere conabantur.

VIII. EREMVM CÆLESTINVS REPETERE COGITAT, CONSILIANTE BENEDICTO CARDIN. CAIETANO.

Seruabat porro Cælestinus idem vitæ genus, eandē normam atq; austeritatē, in qua antehac multos annos eremita fuerat versatus, paucis extrinsecus dignitati cōcessis: cui inseruire ac se accōmodare pro virib. adnixus est. Tamē eum solitariæ vitæ assuetum difficile fuerat assuescere curæ pastorali: præsertim cū fabricata Neapoli intra Palatium camerula lignea, sese noctes diesq; concluderet, atq; à turba semoueret, vni Deo in orationib. ac meditationibus more olim sibi recepto, intentus. Itaq; cum eum prudentia ciuilis vsu rerū acquisita, & rebus gerēdis tantopere necessaria destituisset, & calliditate subnixa aulicorū & procerū auaritia p̄petuo deciperet, & effœti senectute corporis imbecillitas ab actionib. publicis non tm̄ prohiberet, sed etiam repellere videretur: ac multa interim omitterentur, multa etiam perperam cōmitterentur, propter quæ Pontif. prudentiam primum desiderari nonnulli ex purpuratis & primoribus assentiebātur, subinde perniciosas esse viri administrandæ Eccles. inepti, actiones vel potius ineptias criminarentur, atq; propalam vociferarentur, ille solitariæ vitæ recuperandæ anterioris percupidus, occasionem vltro citroq; oblatam arripuit, serioque cogitare cæpit, quo pacto cedere illi liceret tanto, quod sustinere se rerum oneri non posse dicebat & videbat. Habuit consilii sui participē Benedictum Cardin. Caietan. quo tum nemo Cardinalium erat iuris diuini humaniq; doctior, nemo in præuidendis peruidendisq; Eccles. ac orbi Christiano periculis impendentib. sagacior: nemo deinde in præuertēdis auertendisq; omnib. malis tum diligētior, tum promptior. Hic cū mente præciperet, quonam simplicem candidumq; animi Cælestinū, ambitio, auaritia, & præpostera cupiditas Principū aliquorū adductura foret, & quænā Eccles. calamitates & clades orbi Christiano inde imminerent, bono publico, honestisq. Cęlestini propositū laudauit & cōmendauit: multisq; & doctorum hominum auctoritatibus & Sanctorum exemplis probauit, licere Pont. Rom. præsertim Eccles. orthodoxæ commodo, è supremo solio descendere, sacrumque diadema deponere. His optimus Pater magis confirmatus, videns sine animæ discrimine id fieri posse, statuit omnino q̄ animo cōceperat, re ipsa præstare. Sequutus in eo Clementem I. qui à B. Petro successor electus, vltro ei dignitati renunciauit, ne quo tēpore illud in consequentiā traheretur, vt per electionem antecessoris, futurus in munere Ecclesiastico institueretur. Vnde Linus post Petrum sedit, & post Linum Cletus, post quē electus Clemēs, tunc demū sedem accepit. Placuit istud Cælestino, qui omnium Purpuratorū suffragio sanxit, posse Rom. Pont. dignitatem eam, præsertim Reip. Christianæ commodo, relinquere.

IX. CAROLVS ET CARDINALES CREATI ID IMPEDIRE CONTENDVNT.

Non hæc latuerunt Carolum regem, & recens creatos Cardinales. Quamobrem, quod cuperent certo, q̄ aiunt, naso, habere Pont. summo studio laborarunt, ne is officium assumptum deponeret. Populum quoque impulerant, vt publicè, se nolle alium Pont. habere, quam Cælestinum, vbiq; locorum conclamarent. Ille tamen propositi tenax, nihil aliud reponebat, nihil se aliud esse facturū, quā quod Deus vellet, quodq; ipse è repub. Christiana esse censeret. Ex his cum non obscure Carolus intelligeret, illum omnino velle purpuram abiicere, effecit, vt pro S. Nicolai festiuitate, sacris publicè in Eccl. operaretur. Quibus absolutis, Neapolit. Archiepisc. vt benedictionem à Cælestino Pontif. populo expectanti, impetraret, persuasit, vt certi iam, quasi dignitatem deposuisset, eandem adhuc sustinere cōspicerent: & ipse tandem quocunq; modo posset, illi ne deponeret, persuaderet. Cæterum frustra laborabat Carolus. Quanquam enim eo die vniuerso populo Cælestinus benè precatus fuisset, tamen cogitationem deponendæ dignitatis minime deposuit: tum quod ipse solitariæ prioris vitæ desiderio summopere teneretur: tum quod Purpurati Patres, proposito Reipub. Christianæ discrimine, quod sua ignoratione omnium ceruicibus imminere ostendebant, quodque illi seueriorem diuinæ sententiæ pœnam accersebat, vehementius instarent.

X. FORMVLA ABDICATIONIS A PONT. CÆLEST. V. *Ciacconius in Cælestin. V.*

Itaq; ad diem XIII. mensis Decemb. in publico Patrum consessu, abdicationem suam his verbis expressit.

Ego Cælestinus Papa V. motus ex legitimis causis: id est, causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate populi, & infirmitate personæ, & vt præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte, ac libere, cedo Papatui, & expresse renuncio loco, & dignitati, oneri & honori: dans plenā & liberam facultatem ex nunc sacro cætui Cardinalium, eligendi & prouidendi duntaxat canonicè. vniuersali Eccles. de Pastore. Hæc dixit, & mitram Pontificiam, capite deposuit, mox annulum, pallium, stolam, & cætera Pontificii insignia reiecit, habitumq; eremitæ, quē primo induebatur, reassumpsit, adq; eum modū Pōtificatu abdicato, omnes in stuporem cōiecit, & in Eremum Muronis secessit: Vir sanctus, & dignior nascente, quam consenescente Christiana pietate: Nemo tam cupide accepit summum decus, quam Cælestinus deposuit; neque vllus tam celeriter ad summū illud in terris fastigium properauit, quam Petrus ad solitudinem, & prioris vitæ delicias reuersus est, postquam mensibus quinque & septem diebus Ecclesiæ præfuisset.

Potestate

XI. ELIGITVR BONIFAC. VIII. ANTEA BENEDICT. CAIETAN. DICTVS. *Antonin. 3. p. tit. 20. c. 8*

Potestate eligendi Cardinalibus facta, omnium eorum, & præcipuæ Matth. Vrsini & Iacobi Columnæ suffragiis in priuilegio Natiuitatis Dominicæ, in Castro nouo Neapolitanæ ciuitati contiguo die Veneris, electus est, Bonifacius VIII. Benedictus antea vocatus, natione Hernicus, patria Anagninus, illustri Caietano stemmate, patre Linifredo, ex nepte Alexandri Quarti Pontificis Maximi pronepos natus. Fuit Benedictus, doctrina & experientia rerum, inter alios huius temporis Cardinales, præstantissimus, magni animi, relator magnus & Iurium Eccles. conseruator: & qui propter insignem eruditionem, & in negotiis Eccles. efficiendis summam solertiam, Patrum collegio se inseruisset. Proinde non tam per ambitus gradum, aut artes eo senatu indignas, sed per virtutis, & præcipue ardentissimi rerum Ecclesiæ tuendarum, iuxta ac amplificandarum studii vehementiorem cultum, ad Pontificii supremum culmen ascendit, hocq; sacramento, quod subiungo, Eccl. Catholicæ se astrinxit. Ita habet.

XII. *M. S. Vatic.* IVRAMENTVM BONIFACII VIII ECCLESIÆ PRÆSTITVM.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo quarto. Indictione octaua. Ego Benedictus Caietanus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis & electus, vt fiam per Dei Gratiam huius sanctæ Sedis Apostolicæ humilis minister, profiteor tibi Beate Petre Apostolorum Princeps, cui claues Regni cœlestis ad ligandum atq; soluendum in cœlo & in terra, Creator atque Redemptor omnium Dominus Iesus tradidit inquiens; Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis: Sanctæque tuæ Ecclesiæ, quam hodie tuo præsidio regendam suscipio: quod quam diu in hac misera vita constitutus fuero, ipsam non deseram, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, neque ex quacunque causa cuiuscunque metus, vel periculi occasione dimittam, vel me segregabo ab ipsa, sed vere fidei rectitudinem, quam Christo auctore tradente, per te & beatissimum Coapostolum Paulum, perque discipulos & successores vestros vsque ad exiguitatem meam perlatam in tua sancta Ecclesia reperi, totis conatibus meis vsque ad animam & sanguinem custodiam, tam de sanctæ & individuæ Trinitatis mysterio, quæ vnus est DEVS, quam dispensatione quæ secundum carnem est vnigeniti filii Domini Iesu Christi, & de cæteris Ecclesiæ Dei dogmatibus, sicut in vniuersalibus Conciliis & Constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiæ Doctorum scripta sunt commendata, id est, quæcunque ad rectitudinem vestræ rectæ orthodoxæ fidei, à te traditionem recipiunt conseruare: Sanctæ quoque octo vniuersalia Concilia, id est, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense, quintum quoque & sextum. Item Constantinopolitanum ad vnum apicem immutilata seruare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ præuidicauerunt & statuerunt omnimode sequi & prædicare, & quæcunque condemnauerunt, condemnare ore & corde. Diligentius autem & vinacius quamdiu vixero omnia decreta canonica prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum quæcunque synodaliter constituerunt, & probata sunt confirmare, & indiminuta seruare. & sicut ab iis statuta sunt, in suis vigoris sublimitate custodire: quæq; vel quos condemnauerunt & abdicauerunt simili condemnare sententia vel abdicare: Disciplinam & vitum Ecclesiæ sicut inueni à sanctis prædecessoribus meis traditam & seruatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, sed feruenter, vt eorum hic vere discipulus & sequi pedem totius mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio seruare ac venerari. Si qua vero emerserint contra canonicam disciplinam filiorū meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium (cum quorum consilio, consensu directione & memoratione, ministerium meum geram & peragam) consilio emendare, aut patienter, excepta fidei, aut Christianæ Religionis graui offensione tua ac beatissimi Coapostoli tui Pauli patrocinante intercessione tolerare, sacrosque Canones, & canonica instituta Pontificum, vt diuina & cœlestia mandata Deo auxiliante custodire, vtpote Deo & tibi sciens reddituram me de omnibus quæ profiteor, & quæ quam diu vixero egero, vel oblitus fuero districtam in diuino iudicio rationem. Cuius sanctissimæ Sedi diuina dignatione te patrocinante, præsideo, & vicem tuis intercessionibus adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die propitius, hæc conanti & diligenter seruare curanti. Adiutorium quoque vt præbeas obsecro in hac corruptibili vita constituto reprehensibilis ante conspectum Iudicis omnium Domini nostri Iesu Christi: dum terribiliter de commissis aduenerit iudicare, vt faciat me dextræ partis participem, & inter fideles discipulos, & successores tuos esse consortem. Hanc autem professionem per notarium & Scriniarium S. R. E. me iubente scriptam, propria manu subscripsi, & tibi Beate Apostole Petre Apostolorum omnium Princeps puramente & deuota conscientia super sanctum corpus & altare tuum sinceriter offero. Actum Romæ, mense, anno, & indictione, quibus supra sunt notata ad plenum.

Porro hæc omnia, quæ inaugurando Bonifacio gesta sunt, Iacobus Stephanischus Cardinalis Diaconus, qui hoc tempore vixit, carminib. enarrauit, quæ pro innocentia & gloria Bonifacii Pontif. libuit inserere.

IACOBI SANCTI GEORGII AD VELVM Aureum Diaconi Cardinal. de Bonifacii Papæ VIII. Romæ Consecratione, & coronatione, eorumque solemniis Libri duo.

Auctoris, in huius sui operis metrici præcognitionem, Præfatiuncula.

XIII. AD prælibandam vtcunq; huius libelli materiam, sciendum est, quod actoris intentio iam fuerat, coronationem Romani Pont. retexere metro ad aliqualem exercitationem ingenii: Et quia nullus actorum stylo prosaico, vel carmine alicuius triumphum principis reseratse conspicitur. Itaq; cum hæc gestiret in voto, & hoc ipsum foret pollicitus, prout libellus, quem de promotione, cessioneque Cælestini composuit, euidenter insinuat: fortasse non absque diuinis auspiciis factum est, vt sanctiss. Patris & Domini nostri, Domini Bonifacii diuina prouidentia Papæ VIII. qui ipsum ad Cardinalatus honorem prouexit, coronatio mirabilis describenda occurreret, quam in Basilica Principis Apostolorum de vrbe celebratam solenniter heroico carmine dictarer. Nam in hoc voto celebritas pollicitationi debita, & labori fructus accommodus respondebat. Hanc ergo prouectus gradu, materiam actor describendam aggreditur, hanc & diuino fauente præsidio perficit inchoatam. Sic igitur coronationis triumphus prædicti sanctiss. Patris gestorum que seruata substantia, more poetico, phaleris insignitur. Nam à longis retroactis temporibus, nullius Romanæ vrbis Antistitis sic celebris, sic præclara coronatio memoratur. Facta itaque propositione & inuocatione, vt moris est, vatibus, ad narrationem acceditur, quæ in duos distinguitur Libros. Primus namque narrat, qualiter idem sanctiss. Pater electus Neapoli, reuocatis quare per Cælestinum sanctiss. inepte transierant, profunda hyeme, de seruitute quodammodo Ecclesiam Roman. eripiens, Romam coronandus accessit. Secundus vero describit solemnitatem consecrationis, coronæ fastigia, ac processionis solemnia, prout antiquitas hæc seruanda decreuit.

IACOBI S. GEORGII AD VELVM AVREum Diac. Card. de Bonifacii Papæ VIII. Romæ consecratione & coronatione, eorumque solemniis, Libri duo.

XIV. *Propositio.* QVamuis vectæ gradu teneant fastigia vatem
Immeritum, titulisq; datum sit crescere nomen,
Dum Leuitarum numerum, dum cardinis ortu
Ingredimur fasces, quo vasta licentia pridem
Angitur in metris, Nam publica munia tempus
In commune rogant expendi, ea vita senatus:
Attamen incepti memores, operisque futuri
Polliciti, diadema sacrum Bonifacius Heros
Inuitat reserare suum: Nec voce rogamur,
Aut nutu. Sed verus amor, reuerentia tanti
Pontificis suadet, nescis Pater inclyte, nescis,
Suppetat ingenium nobis, seu cura loquendi
Hæc fuerit. dabiturne modus, quo gesta coronæ
Postimus reticere tuæ, quos cardine vestis,
Maiorumque locas solio, qui & gesta prioris
Sumpsimus. Idcirco modicis furabimur horis
Tempora. Nec prorsus deerit tunc, auspice cælo,
Obsequium Christo gratum, multisq; salubre:
Præcipue si facta canat sublimia Musa.
Sed quia deficimus, te cum confidimus. ausum
In plenum perferre diem. Deus ipse rogatus
Omnipotens, det posse Pater, det scire superna
Filius, inceptis det feruida pectora Flamen.

Inuocatio.

DE CLAVSVRA CARDINALIVM, ET Missa, ac Electione per Scrutinium Papæ Bonifacii.

Liber primus.

CAPVT I.

XV. *Electio.* *IAm veneranda ducum, cleri stipata caterui,*
Turba nouum lectura Patrem, conuenerat aulæ
Regiæ, & excurso bis quino lumine Phœbi,
Lege data: Proceres obstructis marmore valuis,
Carcere clauduntur, nec non seruata priorum
Tempora sunt, morumque senum, Missæque celebres
A Patribus, vocesque ducum resonare per hymnos,
Sermoque diffusus post hæc procedere visum est.
Scrutatæque suum per claustra silentia votum,
Mox referant. Patuitque viris haud spiritus idem
Sed quasi conformis. Nam plurima nomina fratrum
In te conueniunt. Alii licet altera fassi,
O Cælo Benedicte sacer, Leuitaque quondam
Eligeris, Nam digna quidem concordia vocum
Accessit. Pater alme Patrum, ne promptior ausit
His aliud culpam celans finxisse rubentum:
Quisque tuo submissa pedi dedit oscula supplex.

CAP. II.

Assensus Electionis, & Assumptio Nominis.

XVI. *Inuentio Auctorit.* *SIc igitur lachrymans, ac molis pondere librans,*
Assensit gestare iugum, Iam doctus ab ante,
Quis labor, & meritum, cruciet quam publica cura
Pontificem. Roseis spinam substarne cruentam
Floribus, haud dubitat, sic Pastor conscius ati.
Cumque foret Benedictus et de fonte perenni
Nomen, vt excrescens fieret, maiorque secundis
Rebus, & addicto laudem conuerteret heros
Gestorum laudes: Præsul Bonifacius inde
Dicitur. In voces modularis spiritus altas
Concrepat. At populus festinat, currere miles
Tentat in auditum. Caroli spes capta precando,
Defecit, miserante Deo, sunt ista relatu
Digna, quod & Patri, nec non sibi præstita noscens
Munera ab Ecclesia, vultus auertit & ora,
Nec matrem violare licet, quin libera posset
Despōsare virum. Caueant, quicumque feniles
Fraudibus iniectant oculos, a ac ipsa potentum
Formidet subiecta manus: sic gloria b præstat.

a *Accipsa multumque.*
b *præstans est.*

CAP. III.

Descriptio personæ Papæ.

XVII. *FOrsitan acceptum est præludi carmine famam*
Præsulis, vt radiant præuisa poemata sensus
Fortius, ignoto fustantur gesta triumpho.
Clara domus genuit, quam nutrit Anagnia colle,
Caietana virum, diues, seu carmina vatum
Insinuant. d Vrbs illa fuit, dictoque vetusta,
Sed longe maiore gradu prælata refertur.
Florida cui triplices nostro producere plantas
Tempore concessum est, e qua Petri sede Monarchæ
Imperio cunctas subigunt, de iure cathedras.
Quas inter prælucet f Herus, cui scandere fasces
Ius erat. En legum titulum sortitus ab olim,
Sæpe tulit causis leges, & perculit hostem,
Sæpe repercussus contundens spicula victor,
Sæpe fuit mens alta viro, facunda iuuentus,
Et docile ingenium, sollers astutia, promptum
Obsequium, secura palam prudentia fari,
Præsulibus fecere viam, qua tractus in altum
Creseret. Hinc Scribæ munus Papalis adeptus,
Omnia pertractans, clarus dictamine quondam,
Cardineo fulsit rubeo, Leuita, Sacerdos,
Cardo manens Benedictus herus. Nunc culmine summo
Imperat. O pietas miserantis in omnia Christi!
Ecclesiæ cuius lachrymis & vulnere diro
Sanatur, gens cæca malo, cæcata parentum
Delictis. Dum tantus Herus, qui sæcula, mores,

c *Et ne collato fuscentur gesta triumpho.*
d *Anagnia.*
e *Nam fuerunt tres de Anagnia.*
f *Bonifacius.*

Pontifices, Clerum, Reges, Proceresque, Ducesque,
Et Gallos, Anglosque procul, fraudesque minasque,
Terrarumque plagas, orbemque reuideret omnem,
Romanæque statum sedis Veterensis in illa
Eligitur. Pensata quidem medicina coæquans
Languores. Tibi Christe Deus, sed proxima nobis
Tempora prospicimus, succesit in arduæ prudens
Fluctibus in mediis. g Ortus Campania talem
Edidit, ac tantam produxit Anagnia tellus.

g *Quia Campanius est ortus B. Petri.*

CAP. IV.

Oratio Domini Papæ inter Cardinales, quando reuocauit facta Cælestini.

XVIII. *PRotinus auspiciis roseo velamine fulgens*
Aurato in thalamo, fratrum circumdatus orbe,
Orsus Præsul ait, lacerata vulnera matris
Proh dolor! aspicimus, casusque pauere futuros
Cogimur. Heu nostrum quis tanta pericula, tantas
Ignoret fraudes? Quisnam sub Principe h puro
Ambigat effrontes maculis fedare colorem
Ecclesiæ, tentasse dolis, quæ sponsa marito
Seruabit placitura chorum, frontisque pudorem
Assistente Iesu. i Deus est qui sponsus & auctor,
Et caput, & virtus, merces quoque digna salutis
Ecclesiæ: siquidem passus nutare carinam
Demeritis nostris, vobis nam cognita virtus
Simplicis insciticæ Murronis, k quamque patenter,
Inscitus, effrenis, captus, seductus, & expers,
Pronus in omne datum, mores confuderit omnes,
Nil grauitas pensi: nil lenta modestia curæ
Spectatrix veri fuerat: quin clausa latebat
Verborum virtus, nunquid sibi l cognita, fratres,
Quæ dederat bulla? quibus & iam mente coacti
Abnuimus, quamuis oblatæ, reponere dona,
Iudicium m distare animi, nec credimus, inquit,
Quod liceat passim concessis, absque reatu
Quosque frui: querenda via est, qua rite mederi
Posse datur morbis, ne blande serpere virus
Incipiat, siquidem cum nobis quærere longum,
Singula qua latitant, similis medicina venenum
Educat, carboque vomens sua lumina, sedum
Omne superpositum consumat, quodque sub astris
Deuoret in cineres. Igitur vacuata iubemus,
Viribus indulta: & quæ temnens Murro senatus
Cardineos apices, tunc summus contulit heros,
Largitusve dedit, series seu cassa notabit
Lympida scripturæ, cui plumbi lamina filo
Hæserit, haud vestrum noto deposcere casu
Consilium. Proceres cura est, seu quærere votum
En patet excessus, plebisque piacula clarent
Numine forte Dei, sacri tunc festa Ioannis
Orbita conduxit, quibus hæc & gesta notata,
Et Romam seciſſe legunt, cum salnus & ardens
Christicolum n mortes, animam transmisit Auerno
Domitianus herus, gladiis extinctus o iniquis
Sic cupiens, steriles, Cererem producere terras,
Ignibus exurit silices, aut scindit aratro,
Vndosis cultor factis ex ordine sulcis:
Dantia multiplices p iactat post semina fructus.

h *Cælestino.*
i *Deus hic qui.*
k *Quantumcunque.*
l *Erant.*
m *Dissabat.*
n *Christicolorum.*
o *Acutis. Simulitudo.*
p *Iactans.*

CAP. V.

Recessus de Neapoli; & aduentus ad vrbem.

XIX. *ET licet hybernos cœlum diffunderet imbres,*
Mosque foret gelidas potius refouere medullas
Ignibus accensis, quam carpere motibus agros:
Attamen vt Petri sedes compressa dolore,
Libertate frui, sponsumque reuisere posset
Admonitis sermone gratis, dictoque salubri
Regnicolis, laudando fidem, q Caroloque secundo,
Vt pia subiectos pascat clementia regno,
Attritos bello, vastisque laboribus actos:
Cœpit iter præsul Capuam, Montemque Casinum,
Inde Ceperani transfuxit flumina ponte.
Cumque per effusos peteretur Anagnia campos,

q *Admonitio.*

Obuia multiplici discurrit militepompa,
Excipiensq; Patrem rupes natiua, pedestres
Effudit coreas, iussas occurrere palmis.
Illic nobilium Procerum pars magna vetustæ
Vrbis, in aduentum Papæ deferre Senatum
Venerat. At a sumpto Romana attingere Præsul
a Senatu.
Mœnia festinans, patriam, ciuesq; relinquens,
Continuauit iter, quoad altam cerneret vrbem.
Nec labor aut fessos sumptusve b grauare labores,
b Grauauerunt.
Tanta quies animis, libertas reddita cum sit.
Roma velut sponsum, remeantem carcere ab hostis
Excepturæ foret frontem vestita coronas,
Vadit in occursum, ludensq; excurrit in aruis,
Miles, eques, clerusq; canens, sua thura ministrat
Pontifici, primum Laterani templa nouellum
Suscipiunt Patrem, confestim Principis aula
Clauigeri Petri gaudens suscepit eundem:
Hic locus, hic thalamus, sedes quoq; festa sacrandis.

Finis libri primi.

IACOBI S. GEORGII AD VELVM AVreum Diac. Cardinal. de Coronatione sanctissimi Patris D. Bonifacii Papæ VIII.

Liber Secundus.

CAPVT I.

Forma quomodo paratus fuit Papa, & Cardinales & Pælati, ac Subdiaconi Papæ.

XX. IAmque dies sacro Papæ celebranda triumpho
Exoritur, Titan cœlum purgare serenus
Cæperat, atque iubar Phœbi clarentis ab ortu,
Portitor agnorat deuictus c Aquarius æstu,
c Nam Sol tunc erat in Aquario.
Et Pater, aurora, roseo velamine fulgens,
Ingreditur sacra templa Petri, Mantoque relicto,
Induitur niueum, zona succinctus, d amictum,
d Camisum, nam Papa non vtitur amictu proprie, sed humerali, quod vulgo dicitur Fano.
Velaturque caput, texto radiante monili,
Haud faciem, solito colli circumdare nuda
Pontificis, fuluo micat & carbunculus auro
Insitus, & variæ fulgent in pectore gemmæ.
Et e stola demissis pendet coniecta lacertis,
e Ad talos stola demissa, Horatius in sermonibus.
Nec deerat byssus f tunica, g manicataque vestis
f Tunicella. g Dalmatica.
Leuitæ, h casulaque capax à forfice forma,
h Planetæ.
Post longas habituræ plicas contracta i ministris
i A ministris.
Cornua fronte gerit duplicem signantia legem,
Legem quippe nouam Christi, veteremque figuram
Alterius, quas nosse suum, quas condidit idem
Omnipotens: chirothecæ manus digitosque venustat
Annulus, & cubitum læuum cingitque maniplus.
Nec non Cardinei Proceres, distinctus & ordo,
Cuique dabat, sumpsere habitus discrimine fuci
Nullo: namque color tingens in syndone vestem
Consimilis: Sic ergo dies ornata refulsit,
Sic & Pontifices vicinæ plebis in vrbem
Accitt, festis aderant: sic turba bicornis,
Seu casu, seu sponte foret visura regentis
Subdiaconi Papæ.
Imperium, si parua cohors Romana subestans
Leuitis, incincta ruit, tunicataque regno.

CAP. II.

Quomodo Paratus venit ad altare B. Petri, & ibi consecratus est.

XXI. HIs comptus sublimis apex, sandalia gestans
Ornamenta pedum, dextra læuaque resedit
In Procerum armillis, mediusque accessit ad altum
Egregiumque decus, fidei venerabile donum
Christicolis. Altare Petri de marmore cæsum,
Porphyriisque gerens k fuluis à celte columnis
k Albo mæculante columnas.
Quattuor argenti cœlum, quod tempus in atrum
Verterat, ac subter fusi sub tegmine cupri
Corpora sacra tenens, totum veneranda per orbem
AEtherei Petri, Pauli quoque Gentibus almi
Doctoris, quo solus apex, summusque sacerdos
Chrisma capit flagrans: decet hæc nam gloria Patrem:
Cumque genu flexo sedi prostratus, & auro
Procubuisset Herus, simul omnis & infula circum
Pontificum supplex, in l faldistoria pectus
l Incomperta sedilia.
Funderet, & læto resonasset murmure lingua,
Atque duci pressit sacras in vertice palmas,
Suspensusque liber capiti, non clausus in altum
Præforet. Is Præsul, cui subditur ostia, Tybrim
In mare deducens, facie conuersus in illum,
Qui sacrandus erat, m præstansque altaribus idem;
m Quia principalis in consecratione.
Incipit ampulla liquidum perfundere Chrysma
In caput, atque breui digito complere coronam,
Et complere manus. Quid ni? si balsama flagrant
Non falsis commissa dolis, sed sponte virenti
Mista oleo, quidque ista notant in Præsule? & famam
Quid balsamus & oleum significent.
Balsamus, inspirans Citri recalentis odorem,
Atque oleum, clarere Dei sub lumine mentem.
Quippe decet famam populo, Christoque celebrem
Conseruare domum. Cur munda & spharica ceruix?
Cur manus? en facies operum signata per artus,
Quæ pia, dum blanda palma sacrantur oliua;
At capitis summum signans rationis acumen,
Balsamus oblimat, faciens incendia sacri
Flaminis. Hæc præter, quam sit veneranda potestas,
Alia ratio quare in capite & manibus vngitur.
Illius frons vncta docet, testatur & actum
Officii linita manus, iam claudere cæptum
Maturabat opus, sacrans, vbi mystica fucis
Verba micant, sensusque patent grauitate referti.

CAP. III.

Quibus verbis datum est sibi pallium à Priore Diaconorum.

XXII. PAllia tunc humeris, crucibus condentia nigris,
Rem insignem de lana alba, qua Papa supra alia paramenta vtitur.
Imposuit Leuita rubens, quibus aurea puros
Saphyros defixit acus, laudansque monile
Fert: sublime datum, certo non limite sceptrum
Posse, sed effusas vbertim suscipe vires
Ingenus omne virum, pulso discrimine sexus
Ad patris ingeniti geniti quoque flaminis almi
Virginis intactæ matris nascentis ab ortu
Et Petri, Paulique ducum, renouatus honorem;
Ecclesiæ titulum Romanæ suscipe signum,
Hoc tantæ virtutis apex, de corpore sumptum
Principis ætherei. Post hæc sacratus adaucto
Insidens thalamo summus Bonifacius Heros,
Cruribus ad fusum demisso poplite cætum,
Quomodo recepit in sede Prælatos ad pedem.
Atque alios Patres, suscepit & oscula passim
Cornibus exhibuit, digno clementia vultu
Panditur, atque genu supremum posse reflexo.
Namque decet fasces paruis radiare n serenum
n Sereno.
Et magnis monstrare virum, si naribus efflant.

CAP. IV.

Quomodo Consecratus, incepit Gloria in Excelsis Deo, & de aliis solemnitatibus Missæ.

XXIII. HIs ita consurgens, nascentis cantica Christi
Inchoat, Angelicam vocem, sonitumque tubalem
Effert, & celebris Missæ solemnia complet:
Haud alii Procerum, non delibuta coronas,
Non prius in festis, quam dictet epistola sensum,
Turba o solet, princepsve canit, sed libat p eodem
o Se esse. p Secum eodem. Nam dia Pason se habet in dupla proportione, sicut duo ad vnū.
Tyro nouus, varias impulso gutture voces,
Concrepat inde choris, duplicat sua vulnera Pason
Hic petit vnisonum stabili firmatus in vnco,
Et liquidas errore vago modulamine voces,
Per medium, perque omne solum, perque ardua firmat.
Ille tonum Romanus auet, clarum diapente
Quartaque ille canit, ferit ille dia tesseron.
Lubricus in vocem, nescit consistere pernix
Italus, hic notas refricans, ceu nubila guttas,

At flatu melior vox gallica, lege morosum
Præcinit, &
Instar habet, a duri percussi incudibus æris.
a Contusi.
Nec tantum clerus, sed diuis vestibus vsi,
Causarum Patroni aderant, magnoque tumultu,
Dum Leuita canit, summo præconia Papæ
b Exclamare pio, laudes de more celebres.
b Exclamabant.

CAP. V.

De Aduentu Nobilium Romanorum.

XXIV. INterea titulis redimiti sanguine & armis,
Illustresque viri Romana à stirpe trahentes
Nomen, in immeritos tantæ virtutis honores
Intulerant sese medios, festumque colebant
Aurata fulgente toga, sociante caterua
Ex ipsis deuota domus, præstantis ab vrsa
Ecclesiæ, vultumque gerens demissius altum
Festa columna iocis, nec non sabellia mitis
Stephanides senior, comites Ambalica proles,
Præfectusque vrbis, magnum sine viribus omen,
Atque alii Proceres super hoc, Campanus, & omnis
Nobilitas, clerus, populus, plebs, doctus & infans.
At Matrona grauis, iuuenis, confractus ab annis,
Aduena, seu ciuis turmis c spectare triumphum
c Spectabant.
Porticibus sacrum, partimque d inuisere templo
d Inuisebant.
Atque audire tubas vocum confundere pulsus.

CAP. VI.

De Coronatione, & aliis solemnitatibus factis extra Ecclesiam.

XXV. IAm dudum officii iuuat explicuisse labores
Missarumque pium templi intra septa triumphum,
Descripsisse metro, dehinc regnum texere voti est
Atque animi, ritus clerus quos seruat ab olim,
Extra progrediens, populo plaudente coronæ.

CAP. VII.

De Coronatione specialiter.

XXVI. ESt gradibus præstans spatium de marmore stratum
Vndique sub diuo, cui subiacet infima tellus
In plateam, meliusque viam fortaßis in amplam,
Quod magnum latumque patet, quod & eminet altis
Porticibus, patulisque domus ad limina lustris.
Hinc facile est diadema ducis spectare e togatum,
e Togatorum.
Cernere diffusas series, hoc sistitur f aptim,
f Apte.
Et solium thalamusque loco, quod protinus heros,
Vt prius, insignis casula variante colore,
Insedit, sacris pedibus subsellia calcans.
Tunc senior Leuita, manu diadema vetustum,
Imperii signum, pauoris cortice candens
Pennarum intexto gemmis radiantibus auro,
Vallatum in gyro, cui summo in vertice carbo
Euomit, & cubito gemmarum maxima flammas,
Imposuit capiti, sphæræ cubitique figuram
Accipiens Phrygium lapidem fulgoris inanem,
Quondam sed niuei, plenum candoris acuto
Vertice contentum gemma, nunc temporis auctum
Hæc Romana tenens quondam fastigia Cæsar,
Imperitans mundo, magnus pietate Monarcha,
Constantinus Apex statuit, tum primus in orbe
Fonte sacro purgatus herus, propriis sibi Regnum
Seu Phrygium manibus Siluestri in vertice pressit,
Officiumque humilis gessit stratoris, ab ipso
Mundatus lepra, monitus per somnia princeps,
Qui licet in terris Petri successor, apertum
Et clausum retinere queat procul obice cœlum:
Confessor tamen ipse sacer latitabat in antris,
Martyrii palmam deuoto pectore zelans:
g Vsque quoad vectus, coram stetit, atque profantem
g Quoad vsque.
Audiit Augustum, Petri Paulique ducatu
Post scelus exosum postisque in crimine metis
Ad Christum veramque fidem, sanctum quoque dogmæ
Venturum baptisma datur, miracula clarens.
O pietas immensa Dei spatiosa per omnes!
O virtus, ô digna salus! cui parcere pulchrum est,
In quibus inspiras miserando noscere casus,
Atque pati miseris, hostes se credere magnos,
Fortunamque breuem, subiectis pandere dextram
Innocuam, seseque putent triuisse superba,
Dum propria superant animos iam cæde cruentos.

CAP. VIII.

Processio, & ordo Processionis.

ERgo vbi post morulam Patribus procedere visum est: XXVII.
Principio crux celsa Dei, suffectaque celtis
Ingenio, rutilans hastili fertur in altum.
Post ipsam quadratus equus detextus ab ante,
Velatusque rubro Scarleti stercora nacto,
Cigneus ad dextram vehitur, vexilla sequuntur
Ordine bis seno tenus & pluuialibus ambo.
Nauales præfecti adeunt, quod protinus oris
Infula Pontificis, sacrato vertice candens,
Subsequitur, numerum veniens Romanus & Abbas
Aggerat, hos retro lento procedere gressu
Pontificis veneranda cohors: pars vna Senatus
Aggreditur, clausis pars altera septa planetis,
Presbyterum grauitate sua succedere dignum
His putat, ac longo protensa sub ordine turbæ
Scribarum, h doctumque simul, legumque i professum.
h Doctorum. i Professorum.
Hos tantos sectare Patres, cætusque canentum
Cum Græcis aliisque viris, qui psallere k doctum
k Paulum.
Ensiferum potuere ducem, post terga priorum
Incedunt, similisque manus tunicata per artus,
Pontificis Romanæ vrbis postrema ferebat
Agmina, qua filum recta seruauimus Alæ,
Nos l Leuitarum cuneus, nos illa senatus
l Subdiaconorum.
Dalmaticas vestita togas, pars nobilis vna,
Ilicet assequitur, scandens mantilibus albis
Tectos vndique equos, legio, seu cuncta bicornis;
Vt festo clarere die, possetque triumphis
Fecerat hac serie proceres incedere ritus,
Edocet hoc etiam, ne fors abolescat in æuum,
In scriptis monimenta tenent. Sed vadere recto
Tramite, quis poterat! durum est seruare maniplos,
Indoctos doctosque viros, vbi plurimus vrget
Impetus & varii latis se cætibus addunt,
Dumque moras piget esse, viam finemque laboris
Expetimus.

CAP. IX.

Qualiter coronatus incedebat: & de Regibus Siciliæ & Vngariæ eum addextrantibus.

PRogreditur sic summus apex, cui tanta relucet XXVIII.
Gloria, sublimi phrygio vestitus & auro,
Cornipedemque sedens niueum sub tegmine nacti,
Mandentemque genis, ibat quo lætior aurum
Aduentabat equo candens diademate palla
Aurataque super palla; nam cuspide plumæ
Ciprensis consulta nitet, tunc lora tenebant
Illustres Gallique duces, Carolusque secundus,
Rex Siculus, Carolusque puer, prolesque iuuentæ
Floridus Vngariæ materno à stipite nomen
Regis habens, dextram pater accipit, atque sinistram
Filius, ardentes habitu quos vuea tinxit
Grana rubens, siquidem terræ per rura laboris,
Hi Reges sociare patrem vouere volentes,
Iure tamen nam sceptra tenet m vasallus ab ipso
m Subiectus.
In feudum Siculus; nec non de more vicißim
Diuisum sortita locum Romana senectus,
Id peragit Procerum terræ cœlique ministro,
Dum pergit sacratus apex, quem circuit amplus
Miles, equus post terga ruens, festumque decorans
Appulus & Gallus, Romanus & inclytus, omnis
Nobilitas Campana sequens vestigia summi
Principis: an numerum poterit quis pandere metro?

Deficimus, vincique iuuat, succumbere rebus
Verba placet, politi est mentem ne obliuio captent
Quod rubeis croceisque rigis, vmbracula vellent
Mixta ducem fari, radius ne verberet illum
Obiectus, laterisque comes, Paulumque Sequester
Subdiaconus portans gausape pro naso tegendo. *Quod sacrat obsequium, pretiosum gausape nasi*
Subleuita prior, mantoque splendidus vna
Auri succinctus caliga, succinctus & vna
Scarleti, ponendus erat præfectus & Alme.
Vrbis Apostolicum, iuxta comitantibus illum
Iudicibus tectis pluuiali, corpora scisso.

CAP. X.

Qualiter signabat populum.

XXIX. *SIc igitur vadens, redimitus tempora regno*
Summus apex, propriam signabat acumine dextra,
Deuotamque sibi, cupidamque inuisere plebem:
Qua laudes exclamat hero, qua & viuere longum
Optat, at in clauso sibimet condicere Præsul
Posset, dum metuit summæ fastigia molis,
Caussa laboris bonos, timor intus, gloria pulsans
Deforis, ac thalamo sublimis in æthera Petri.
Quisque præest paueat victam sub turbine vitam,
Expedit. O quam Orbis durum est disponere habenas!
Hæc dum Pastor agit, senior Leuita, Priorque
Effigies vbi sacra manet, protractaque tantum
Cernitur, aspectu rutilans à numine diuo
** Ferulas.* *Effigies, vacuas gestantes pollice * ferlas,*
Diffusas repetunt acies, illasque recusant
Sæpius, & legem statuunt, ne forte vagentur,
Immemores, redeuntque sua consistere scala.

CAP. XI.

De Arcubus factis à Romanis & Hastiludiis, & Clericis occurrentibus.

XXX. *HOc illi, verum populus lustrauerat vrbem*
Arcubus, in morem veterem, qua tendere mos est,
Atque frequens Patrem, currens stipabat euntem
In quem iactus erat valida per cuncta moneta
Siue auri, seu forte nitens argentea stridet.
Consulibus quondam licuit dispergere passim,
Quodque genus nummi, vetitum non temporis aurum
Iactari in vulgus, tenet hæc insignia Princeps
Instaurat populus varios ad ludicra ludos,
Atque secant animos studia in contraria, plebis
Pascitur obtutu, niueum pars pascitur amplas
Excerpsisse manu phaleras, pars aurea pubes
Infremit alipedum, nudari vestibus ancas,
Purpureasque dolet fronti decedere vittas,
Pars laudes, pars gliscit opes, pars ludere campo.
Certat, & obliquas effingere cursibus hastas,
Pars stupet insuetas serui succrescere pompas
Spem præter. sic fracta dies mirata vetustum
Tempus vt extollat, compellitur inuida præsens.
Occurrunt ad festa viri vexilla ferentes
Ecclesiæ, de sorte Dei, quo nomine clerus
Dicitur: in partes varias redolentia thura
Obtulit, oblata suscepit sumptaque in ignes
Intulit, atque focis signatis pectore summum
Accepit, psallente choro, dum flexilis vndat
Argenti funis, spiratque vaporibus ignis.

CAP. XII.

De Iudæis & oratione ad eos.

XXXI. *ECce super Tybrim positum de marmore pontem*
Transierat, prouectus equo, turrique relicta
** Perfida.* *De Campo Iudæa canens, quæ * cæcula corde est*
** Proprium nomen loci.* *Occurrit vesana duci * Parione sub ipso,*
Quæ Christo grauidam legem, plenamque sub vmbra
Exhibuit morti, venenatus & ille figuram
** reddit.* *Hanc post terga * dedit, cauto sermone loquutus.*
Ignotus, Iudæa, Deus tibi cognitus olim,
Qui quondam populus, nunc hostis, qui Deus & Rex.
Obnubi patitur præsentem temnere mattis,
Quem fragilem reputas hominem, sperasque futurum.
Et latet ipse Deus, gentes accedere norunt,
Tu fugis in propria venientem pellere sæua,
Non metuis roseum, pro te pius, ecce cruorem
Fudit humi, quem dira necas, & credere stulta
Detrectas, moritura ruis, quia nescia sensus:
Sed redeas miserante Deo, dum Christus in ara
Filius, & verbum Patris de lumine lumen
Nostra salus, tentis manibus sub stipite pendet.
Tempus erit, quo iusta dabit, meritumque laboris
*Iudicio reddet Iudex super * æthera visus.* ** aera.*

CAP. XIII.

De via quam seruat Papa in processione & aduentu ad Lateranum, & laudibus, quæ fiunt è Priore Presbyterorum, & pecunia argentea, quam dat Papa Cardinalibus & Prælatis, & aliis finita processione, & aliis solemnitatibus.

** HOs linquens, qua & sacra via est, qua templa coluntur* XXXII.
*Marci, quaque * ferox, iuuenisque Adrianus in armis,* ** Iudæos. * Prior.*
Romulei qua templa iacent, celsusque Colossus,
Quaque prius colitur Clemens, qui dexter eunti est,
Progrediens Princeps Lateranum summus, in Orbe
Appulit haud Phrygium, mitram sed vertice gestans,
Pondere confectus nimio, tunc cætus ouantem
Ac si certa patris caperent exordia, pompas
Ostentant, ludosque nouant, clanctumque tubarum
Aera repercusso laterum per concaua flatum,
At litui stridere vices, & cimbala strident,
Tympana congeminant sonitum, nec verbere tusa
Discunt ferre gradum, tibi sed connubia substant,
Quæ digitis commota cauis, ciet ergo iuuentam,
Cornipedumque animos extollit buccina clangens,
In stadium clypeos, hastas, vexilla, togasque
Et phaleras iam vulgus habet, volitantia iactu
Plaudentum, quasi fine dato currentibus armis.
At Lateranensis gaudens domus inclyta templi,
Concrepat in laudes, campanas soluit, & omnes
Concentu resonant, contusaque thura metalla.
Tunc tamen contracta fremunt, sic templa per vrbem
Pone viam fecere duci, primusque sacerdos
Cardineus, sacram Princeps dum tendit ad aulam,
Vt Leuita prius cecinit præconia septus
Iudicibus, declamat ero, laudesque perorat *Id est, habebat mantum rubeũ Papa ad collum & omnibus aliis paramentis erat indutus prout fuerat in Missa quãdo comedebat in aula.*
Illi, cum residens, Siluestri in limina ductus,
Munera diuisim largitur Cardine fultus
Præsulibus aliis Clero Laicisque ministris,
Summus Apex humeros roseum vestitus amictum.

CAP. XIV.

De solemnitatibus, quæ seruari debent in sede.

XXXIII. *HAEc ita, ne immemores videamur quærere fastus*
Ac humilem tempsisse domum, solemnia Cleri
Pandimus, en sedes capiens de stercore nomen,
In platea est, circa templum despecta parumper
Visa nouis, quia fæda loco, qua maximus Heros
Hoc fortasse die recubans, vbi primitus illi
Non foret aduentu positus, ter simile iactat
In populum, faturque docens: non aurea nobis,
Argentique nitens nobis ad gaudia non sunt:
Quod tamen est, hoc prompta manus dispergere tentat.
Ergo potest sine fraude, pie de stercore sumptus,
Credi summa tenens, solum & depuluere nactus
Principibus relocandus apex, à numine diuo
Compositus, talique die perducitur inde
Ante fores templi, binas vbi purpura sedes *De duabus Porphyris.*
Porphyreas natiua tenet, superaccubat illas,
Et dextra ferulam Sancta Pater accipit ædis,
Sanctorum claues ad sacra palatia vectes
Insuper, at leua positus seruanda redonat
Illæ viro, zonaque pater succingitur illis,

Ad quam

Ad quam purpurea bursa est appensa, lapillos
Bissenos referens pretiosos, sculpta sigilla
Et muscum quæ magna notant præsagia magnum.
Si sensus grauitate sua cernatur, abinde
Poplite submisso Papalis culmina tecti
Imperiique domus, vigiles qui ex munere seruant,
Susceptis effusa manus, ter spargere nummos
Inchoat ac fatur: iustis dispersit abunde,
Pauperibusque dedit, manet hæc in secula sæcli
Iustitiæ virtus, posthæc sub imagine ductus.
De aduentu ad sanctum sanctorum. *Quæ mare per liquidum, nullo ductore sub vrbem*
Peruenit sublimis apex Laurentia templa
Ingreditur, quæ iure sibi meruere Capellæ,
Præcipuum nomen Cleri, populique relatu
Sancta Sanctorum, Quid ni? sandalia Christi,
Et caput ætherei Petri Paulique celebris,
Christiferæque Crucis maculas vbi sanguine tersit
Et scelus humani generis saluator, & actor,
Reliquiæque aliæ celebri conduntur in Ara:
Hac igitur coram lacrymas in pectora fudit
Dulcis amor, pietasque viri, ceu credere fas est.

CAP. XV.

De Comestione in aula solemni, & regressu eius ad Cameram.

XXXIV. *EXurgensque iterum, modicam pausamque per horam,*
Discubuit thalamo Princeps, qua Regia sese
Protendit, magnique duces, totusque Senatus,
Et reges proceresque aliis discumbere mensis,
Quique suo sedere loco, fulgebat ab auro
Tota domus, reticere iuuat velamina muli,
Et vestes mensæque situs fulgentia vagi
Nam cum coronis aureis seruierunt. *Pocula gemmatos calices & fercula, quonam*
Ordine seruitum est, quænam diademata Reges
Cum ferrent gessere modum, sedereque sacros
Inter Pontificum, Leuitarumque Priores:
Post primum exhibitum tantis astantibus aurum,
Vtque Patres mensa surgentes, fundere lymphas
Cœpissent, summoque Duci sibimetque reuersis,
Ad mensas iterum, fessumque reducere Patrem.
Nos etiam sub clausa iuuat fastigia tecto:
Magnus enim, magnusque labor venturus adibit
Pontificem, vincetque malos subdetque superbos.

CAP. XVI.

Finis operis istius cum recognitione Diuini Præsidii, & alterius facti de Cœlestino.

XXXV. *IN longum defluxit iter, quod sumpsimus arcto*
Scribere, dum placidos infert nouitate labores,
Res inuisa prius variat, defixa futuris,
** certitudinaliter.* *Lux animi, quod nulla queat depromere * certum,*
Ni teneant stabilem præsto firmata colorem.
Sed satis est, si gesta quidem, si cognita vates
Exprimat, hinc celso residens sublimis olympo,
Qui paruos regnare iubes, depressa superbis
Colla ligans, dirum iaculatus ab æthere telum,
Te petimus: succide metrum, ne forte per agros
Effusis non prompta quies, sed turbida sedes
Occurrat, carmenque velis succedere nostris
Temporibus: me nostra quidem, sed gloria diuo
Ingenito, Genitoque simul præstetur, & Almo
Spiritui, qui posse dedit, finemque laboris.

Finis libri de Coronatione Sanctissimi Patris Bonifacii Papæ VIII.

XXXVI. RENVNCIATIONEM PONTIFICALEM AB CÆLESTINO FACTAM RI- ADeum itaque modum Cœlestinus Quintus, qui cum primum in solitudine, quam puer adhuc petierat, multos annos posuisset: deinde religiosum quoque Ordinem ipse fundasset, valdeque multiplicasset, eamque sane, tum victus asperitate, tum vero frequentibus etiam miraculis, sanctitatis famam collegisset, vt post totius biennii dissensionem in illum vnum, & absentem, & priuatum, Cardinalium suffragia inclinauerint: cuius etiam consecratio plurium quam CC. millium hominum concursu celebrata fuerit: quique Pont. nihil de pristino vitæ rigore, nihilque de sua humilitate remiserit suæ pristinæ quietis, & non incommodandæ Ecclesiæ desiderio captus, quanquam Carolo Rege, & populo Neapolitano multum renitente: ipse se Pontificatu abdicauit, & occasionem Bonifacii eligendi Purpuratis dedit, aliis in immensum eius cessionem dolentibus, aliis ob tantam humilitatem, & exemplum ad eum diem fere inauditum stupentibus. Habuit tamen Cœlestinus in gentilibus exempla virorum, qui sceptra & paludamenta Imperii non tam libenter susceperunt, quam reiecerunt. Nemo enim nescit, Augustum illum, qui fortunatissimus omnium Principum fuisse creditur, adeo Imperium aliquando horrori habuisse, vt de eo dimittendo bis cogitauerit, illudque perseueranter non alia ratione retinuisse, quam quod se priuatum non sine periculo fore intelligebat. Notissimum quoque est, Tiberium, cum imperium ei offerretur, diu recusantem adhortantes amicos tanquam ignaros quanta bellua esset imperium increpasse: sæpiusque se lupum auribus tenere dixisse: tandem quasi coactum & quiritantem, miseram & onerosam sibi iniunctam seruitutem suscepisse, ea tamen conditione, vt depositurum se quandoque spem faceret. Claudius Nero, propter insidias, quas nimis anxius expauescebat, deponere & imperium ipse aliquando tentuit. Summa autem id tantum virtute factum constat à M. Antonio cognomento Philosopho, qui cum se comperisset ab Hadriano adoptatum, magis est deterritus, quam lætatus, iussusque in Hadriani priuatam domum migrare, inuitus de maternis hortis recessit, quumque à domesticis rogaretur: cur tristis in adoptionem Imperatoriam transiret, disputauit, quæ mala contineret in se Imperium. Sed Ælium Pertinacem legimus, Imperium, omniaque Imperia horruisse, deponereque ac ad priuatam vitam redire voluisse. Gordianum maiorem & Tacitum constat inuitos & reclamantes, cum iam supremam ad senectutem deuenissent, electos à Senatoribus fuisse. Probum reluctantem milites, longeque renitentem Imperatorem salutarunt. Diocletianus se imperio propter intolerabiles eius curas vltro abdicauit. Pythacus Mitylenæus, cui propter summam eius sapientiam conciues principatum tradiderant, cum decem annos illum tenuisset, tandem principandi tædio affectus, sponte se priuatæ vitæ, vtpote dulciori atque iucundiori dedit. Plurimi deinde alii Principes quietioris tranquilliorisque vitæ causa, ob euitandam tot tantarumque curarum molem, & propter effugienda magnarum rerum in fastigio fastidia, imminentiaque assidue pericula publicam vitam inuisam habentes, priuatæ se dediderunt. Cœlestinus autem vt Deo liberius tutiusque vacaret, quod semper antea fecerat, magno excelsoque animo, id quod & alii plerique sæpe Pontifices optarunt, minime ipse iam graui anxiaque potestate se abdicare dubitauit: pronunciataque primum lege ablegandi iure Pontificatus, dicto citius è solio descendens, humique sedens, Pontificalia omnia ornamenta exuit. Nec defuit paucos post dies, nouum eius sanctitatis signum. Nam claudum quendam, qui ligneis tantum subiectis adminiculis gradi poterat, cum Missam celebrasset, conspicientibus id multis liberauit. *Claudum sanat Cœlestinus Ex Pontifex.*

XXXVII. MORS CARDINALIS LATINI EPISCOPI OSTIENSIS, EIVSQVE GESTA. *Ex D. Antonio Michael Pius de viris illust. Ord. Præd.* Interea eo temporis, cum de abdicando Pontificatu Cœlestinus consilia agitaret, Principem Cardinalium amisit F. Latinum Ostiens. & Veliternum Episcop. præpropera morte abreptum. Fuit is familia Frangipana, quam Magnus Greg. Papa olim illustrauit. Mater ei stirpis Vrsinæ, soror Nicolai III. Pontif. Max. à quo is in filium & familiam Vrsinam aptatus, & in Cardinalium Senatum allegatus, nomen & insignia Vrsinorum in posterum pro se tulit, cum prius in Pontificio & Theologiæ apud Lutetiam Parisiorum operam dedisset, & iam adultior rebus humanis erectis institutum Diui Dominici professus, omnes dignitatis religiosæ gradus, quos non immerito pede conscendit, omnibus virtutibus exornasset. Præcipua illi ornamenta, pudicitia, castitas, animi demissio, adstricta viuendi norma, docendi in scholis & in templis studium, puritatis amor, iuuandi proximi desiderium, & in Deum

charitas sine modo, per quam ad eum modum in stadio profecisse visus est, vt etiam miraculis viuens vitaque functus claruerit. Legatus à Nicolao III. Pontifice auunculo in Etruriam, Æmiliam, Bononiamque missus, pacis oleam vbique depanxit, refractarios compescuit, obsequentibus Romanæ sedi benignitatis radios exeruit, hæreses grassantes eradicauit, in eos, qui Quæsitores fidei iniuriis Parmæ affecerant, ex disciplina Ecclesiastica animaduertit, dissidentes animi Guelfos & Gibellinos conciliauit, bona Ecclesiæ Romanæ à malæ fidei possessoribus eripuit, atque Sedi Apostolicæ vindicauit, dignitatem autoritatemque Romani Pontificis constanter aduersus plurimos asseruit: Romanæ sedi vt nonnisi SS. Pontifices præficerentur, omni studio conatus est: Inopiam egentium manu non præparca subleuauit: carni & sanguini nec quicquam concessit, nec quippiam dedit: dignitatem purpuream, maximis animi ornamentis, & egregiis facinoribus illustrauit: primum lapidem Basilicæ S. Mariæ nouellæ apud Florentinos, manu sua iecit ac posuit: cœnobium S. Sabinæ Romanum ornamentis, libris & reditibus amplificauit. S. Saluatoris Basilicam, quemadmodum appellant in Lauro ædificauit: atque tandem ætate ac laboribus confectus ad cœlos emigrauit, postquam XVII. annos vniuerso cætui Cardinalium doctrina & vitæ exemplo præluxisse, atque Ecclesiæ Orthodoxæ Cœlestinum V. Pontificem sanctissimum suis studiis imposuisset. Doctrinæ ac pietati Latini extant rhythmi illi, quorum initium est, *dies illa, dies iræ* &c. quos Ecclesia assumpsit in partem officii pro defunctis. Scripsit & alios complures, præsertim in Laudes sacrosanctæ Deiparæ, non quidem compto, sed imprimis docto & pio stylo. Funus eius in Monasterio apud Mineruam curatum est, anima cœlos penetrauit. Leander Albertus in 6 quem de viris illustribus Ord. Prædicatorum scripsit lib., hæc de Latino euulgauit.

XXXVIII. LATINI VRSINI CARD. ELOGIA EX LEANDRO ALBERTO.

Latinus Vrsinus Romanus, nobilis genere, sed virtute, moribus & doctrina nobilior: Iureconsultus togam Prædicatoriam, animaduertens mundi pericula, casses & decipulas, quibus continue homines innodavidentur, assumpsit: in qua tantum deinde profecit, vt inter præclaros sua tempestate viros cum scientia, tum morum honestate, atque sanctitate, facile reponi possit. Quapropter à Patribus inter literarum sacrarum Doctores, adscitus est, & inter optimos sacri verbi concionatores. Igitur eius modestissimam conuersationem, & ingentem literaturam considerans Nicolaus III. Pont. Max. eius patruus, Cardinalem Hostiensem, velut habiturus potiorem ad rempubl. Christianam amplificandam adiutorem creauit. Quo creato Cardinale, extemplo eum Florentiam, ad componendas res Etruscas misit, quæ maximis factionibus atque simulationibus, & intestinis odiis agitabantur. Compositis secundum vota Pontificis (prout in Annalibus Florentinorum habetur) rebus Etruscis, exinde abiit.

XXXIX. Ferunt ipsum prosam, quam sequentiam vocant, *dies iræ, dies illa*, &c. & etiam de beata Virgine edidisse. Ex hac luce subtractus est Anno Domini M.CC.LXXXIV. mense Nouembri, ex quo Cardinalis factus anno decimo septimo, Romæ sepultus in templo sanctæ Mariæ super Mineruam. Ferunt ipsum claruisse miraculis. Fuit insignis, & omni laude dignus. Qui eius prudentiam & sollertiam melius dignoscere cupit, Florentinorum historiam diligenter euoluat, & cognoscet.

XL. FLORET MATTHÆVS RVBEVS VRSINVS.

Non impar Latino Cardinali, dignitate, prudentia ac religione, Sacram Purpuram illustrabat hoc an. Prior Diaconorum Cardinalium, tit. S. Mariæ in Port.

—— *Sacro de fonte Matthæus*
Cui nomen, rubeusque color, cognomen a auis,
Quod sibi dant homines, genuit quem nobilis b
Progenies, Romana domus, veterataque manu
b *Fascibus in clero, pompasque experta Senatus*
Bellorumque manum grandi stipata parente
Cardineos apices, nec non fastigia dudum
Papatus, iterata tenens.

Iacobus Stephanescus S. Georgii ad velum aureum Dia. Card. hoc tempore viuens, *in libris de rebus Cælestini V. M S. ad Imonenses, in quo ad marginem eadem notationes, quas cern. adscriptæ sunt.*

a *nam auus eius vocatus est D. Matthæus Rubeus Vrsinus.*
b *nam multi de domo Vrsina & valde frequenter fuerunt Senatores vrbis, multi etiam Cardinales, & duo Pontifices, Cœlestinus & Nicolaus.*

XLI. EIVSDEM ELOGIA.

Fuit Matthæus, Vrsi frater, & Ioannis Caietani filius, propter nobilitatem, prudentiam, dexteritatem, & reliquas virtutes Principe dignas, ab Vrbano IV. Patrimonii Rector, à Nicolao III. Basilicæ S. Petri Archipresbyter, Hospitalis S. Spiritus Curator, & Ord. Minorum Protector institutus. Fratrem habuit Romanum Vrsinum Ord. Præd. Theologum illustrem, doctrinæ singularis, vitæ inculpatæ, Sancto Thomæ Aquinati præcipua amicitia deuinctum. Ipse Matthæus ad cætera virtutum ornamenta, charitatem in pauperes & castitatem integerrimam adiunxit. Electionibus omnium Pontificum, vsque ad Clementem V. interfuit. *Ciacconius in Vrbano Quarto.*

XLII. OBITVS EIVS 1306. INCIDIT.

Tandem illo ipso anno millesimo trecentesimo sexto, quo Clemens Papa Quintus in Gallias, Cardinales Vrbanos euocaret, Matthæus Rubeus Vrsinus Prior Diaconus Cardinalis, Perusii diem clausit extremum. Nono post anno, sepultura illius aperta, corpus eiusdem integerrimum, nullaque ex parte læsum, repertum est, & Romam translatum. Ille ipse Iacobus Stephanescus Diac. Card. qui hoc tempore vixit, & scripsit, hæc ad posteritatis memoriam, in Matthæi Cardinalis auunculi laudem reliquit, in eo libro quem de rebus Cœlestini V. & Bonifacii VIII. atque Clementis Quinti oratione ligata vulgauit. Itaque Clemente V.

—— *Cœtum mandante, Alpes transire, vel omnem*
Vel partem, Leuita prior procedere promptus,
Decubuit moriens toto præsente Senatu
Exequiis, laus digna viro, memorandaque pandam
Ipsius, sermone breui, si hunc claudere metro est.
Si pietas, si recta fides, si candida quemquam
Ornauit titulis, clero laudanda venustas.
Te tulit ante patrem, tecum puerilibus annis
Concreuit, cunctosque tibi virtutis amictus
Induit & fortem monstrant aduersa, modestum
Prospera, prudentem, finis: mensura, refertum:
Deuotumque Deo, lachrymæ, iustumque fatentur
Munda manus, sincerus amor, zelusque calescens,
Ecclesiæ quamque esse caput, quamque esse Magistram
Credideras, seruasque fidem. Nam cardine vexit
Te iuuenem, te natum Vrsa, teque vrbe coruscum
Pollentemque, genus, multis ornaris & ornas
Eloquium sermone graui, feruesque disertus
Ingenio studioque simul, quo doctus vtroque
Efficeris, merito magnos conscendis honores,
Magnus & his auctus, fulget sub nomine virtus.
Fulget & Vrsa domus, diem his Leuita Matthæe
Cui Rubei cognomen erat, cardoque iuuenta
Et senio confractus ab is, pandisque futuris
Te moriente mori: non sic datur omnibus vnum
Viuere, quo cauti vigilemus, & inscia sortis
Atque horæ, mens ipsa vacet rogitare salutem
Quantæ promeritum, miseratio pauperis effert
Quæque sacro c *Clistea dedit corpusque repostum*
Illæsum miranda tuum. Res fudit in vrbem
Membra genis, vnguesque manu, firmosque capillos
Vertice, quosque artus nono redolentia Phœbo
Quæ stabili allusere animo, niueoque pudori.

c *Perusium olim Clistea.*

XLIII. E DALMATIA AB ANGELIS DOMVS NAZARETHANA TRANSLATA EST.

Hoc anno sacra D. Deiparentis Nazarethana ædes, è Dalmatia in Picenum Italiæ Angelorum ministerio translata est. Quadriennio non toto, apud Illyricos fuit, & ab eorum finibus recessit. Causa in incerto est: alii aliam tradunt. Ergo siue quod ab accolis minus impense, quam dignum erat coleretur: seu quod ab initio ad breue illius gentis solatium B. Maria diuersorium ibi potius quam domicilium collocasset: siue vt Italiam Christianæ religionis arcem bellis cladibusque afflictam præsenti refoueret ope, repente Dalmatis nil tale opinantibus, cœleste munus aufertur: deferturque in Italiam, haud maiore Italicorum bono, gaudioque quam Dalmatarum damno atque luctu.

Namque vbi diuinum illud pignus augustissimamque Deiparæ cellam alio euectam fama vulgauit: enimuero Tersactenses, finitimosque circa populos tam inopinatæ rei admiratio ingenti stupore defixit. Inde Sanctissimæ domus desiderio stimulante, lymphati discurrere: concessum ademptumque à Deo munus, quacumque eorum patebat regio, oculis diu ac voce quæritare. Posteaquam id

nusquam

nusquam apparebat, nec quo tandem migrasset constare poterat: promiscua virorum mulierumque multitudo orbitatis dolore icta, mœstum paulisper silentium tenuit. Tum vero emerso ab stupore animo, effusi simul omnes in lachrymas querelasque, ingens suæ gentis vulnus prodere infinita lamentatione cœperunt, nimirum illud cœleste donum ipsis ostensum, aliis traditum. Illud Dalmatiæ perfugium, illud ægrorum auxilium, illud miserorum solatium, illud decus ac præsidium nationis sibi ereptum, talem patronam Dalmatis, talem tutelam ademptam finitimis gentibus. Vtique indignos ipsos tali pignore fuisse: minore id ab se religione, minore studio quam par foret, cultum: sed quam tandem vbi vis gentium religionem, quod studium, quem cultum cœlesti illi præcellentissimoque dono parem esse posse? Hæc si causa mutandæ sedis fuerit, vbicumque consederit, subinde sedem mutandam fore. Hæc & alia pro se quisque memorant, quæ præsens damni sensus, dolorque subiicit haudquaque relatu facilia scribenti. ad vltimum lamentandi defatigatione magis, quam facietate victi, ad Frangipanium frequentes coeunt, integratoque fletu, auxilium ab eo, & consilium petunt. Ille, & si communi vulnere ictus, mœstusque plusquam pro virili parte, egebat ipse solatio. Vicit tamen animum, & mœrore dissimulato, populi luctum sua authoritate, sapientiaque absterfit. Graue vtique damnum acceptum esse, & quo vix maius vllum accipi potuerit ab irato Deo: vt nullæ lachrymæ, nulli gemitus, eiulatusue exhaurire animi dolorem queant. Cæterum immerito ipsos tantopere queri. Cœlestis doni vsuram à Deo datam nulla præstituta die. Proinde non esse cur quererentur repetitam cum voluisset is qui dedisset. Quin potius grates egerint Numini, de concesso aliquot annis vsu, tanti ac tam frugiferi pignoris: & præsens incommodum præteritorum commodorum memoria compensarent. Porro daturum se operam, vt ademptum diuini muneris fructum aliqua ratione reuocet, tantique boni desiderium leniat. Quippe in ipsis Sanctissimi sacelli vestigiis, consimilem ædem Beatæ Virgini excitaturum, quæ simul posteris tantæ rei monumentum foret, simul ipsis tam grauis damni solatium. Confidere vtique se, & si absit natalis Domus Beatæ Mariæ, eius opem non defuturam. Nec Prætoris dicta magnificentiora factis fuere. Paucis annis, ipsius ære ac sumptu, noua ædes Deiparæ dicata in iisdem sterit vestigiis. Templum insuper ædi circumdatum est opere, cultuque magnifico: quod hodie exstat haud clarius Frangipaniorum munificentiæ, quam tanti miraculi monumentum. Nec vero conditoris vocem Beata Virgo irritam esse passa, crebra inibi deinceps edita miracula, & illam sedem Deiparæ cordi esse: nec eius Illyricis deesse præsidium satis ostendunt. Id templum hodie Franciscanis, qui ab Obseruantia nomen accepere, commissum est, celebritate, ac fama illius loci clarum. Cæterum ea res Dalmatis Nazarenæ domus desiderium, non tam expleuit, quam accendit. Namque eorum hucusque solemnes voces sunt. *Reuertere ad nos Maria, reuertere.*

XLIV. TRANSFERTVR IN PICENVM IN SYLVAM LAVRETÆ MATRONÆ, INDE LAVRETANA ÆDES DICTA.

Porro hoc cœleste donum mira opportunitate transmissum Italiæ est, ea tempestate, qua funestis Velforum Gibellinorumque factionibus diuisa, odiis, bellisque plusquam ciuilibus tota flagrabat. Igitur ipso interregno, quo Bonifacius Octauus creatus est Quarto Idus Decembris insigni ac sempiternæ memoriæ commendando die, Virgo Deipara pacem salutemque Italiæ ferens, in Piceno suæ Domui sedem optauit. Picenum regio Italiæ est haud ignobilis & satis opulenta, è regione Dalmatiæ sita, interiecto Adriatico mari, quod etiam Superum appellatur. Ergo sacrosancta Domus, è Dalmatia trans Adriaticum sinum (qua traiectus patet millia passuum ferme C.) in Picenum delata, consedit in Recinetensis agri sylua, mille circiter passus à mari. Ea sylua matronæ cuiusdam Recinetensis erat diuitis iuxta, piæque, cui Lauretæ nomen fuit: Cuius deinde nomine Lauretana ædes appellata, immortalem vicissim reddidit celebritatem ei, vnde nomen acceperat. Tenet fama (nec vana est fides) venienti Deiparæ domicilio arbores obuias, velut venerabundas se inclinasse, ac perinde pronas perstitisse, quoad æuo, ventis, ferro procumberent. Proinde dum staret nemus (quod hodie excisum est) inclinatas ad ædis aduentum, longo ordine arbores monstrari solitas peregrinis, tanti miraculi testes. Intempesta nox erat, cum Virginis Domus vacuum syluæ spatium insedit. Custodiebant tum armenta Recinetensium in proximo saltu pastores, diuisis inter se de more vigiliis: cum subito lux sacræ circumfusa domui excubantium oculos eo repente conuertit. Mirum eis videri, nouum in solitudine illa tectum, & quidem luce conspicuum subito extitisse. Et fuit inter eos, qui eam conspexisse se diceret, cum sublimis supra mare ferretur. Igitur sociis ad spectaculum excitatis, primo multa inter se (vt est admirantium mos) sciscitari: inde mutuis se vocibus ad rem explorandam accendere, omnesque pariter id quod erat, coniectare cœperunt, ibi aliquid esse diuini. Accedunt, tectum subeunt. Limen ingressi cohorrescere primum animos, mox inusitata quadam dulcedine perfundi sentiunt. Itaque venerabundi precibus reliquam exigere noctem, quæcumque sub tecto erant, intentius contemplantes. Prima inde luce, ex iis nonnulli Recinetum (aberat ab eo loco millia passuum ferme quatuor) iter intendunt: quæ viderant dominis nunciant. Tota res primo ob authorum simplicitatem, cum ipsis authoribus spreta: vana scilicet ab eis afferri, & fortasse obiectam in somnis imaginem. Pastoribus deinde omni asseueratione affirmantibus, enimuero oculos facturos fidem, si vellent: domini magis velle credere, quam audere. Ad vltimum, ne aut creditum temere tam insolitum miraculum rusticorum hominum testimonio, aut pro vano prætermissum, quod verum esset, ipsorum incuria videretur: illis comites addunt se, quid tandem rei foret exploraturi. Vbi ventum est in demonstratum nemoris locum, & pastorum fides extitit: vix satis oculis, vix sibi quisque credebat. Certe illam ædem ibi nunquam antea visam: nec recens conditam, quod eius vetustas satis ostendat. Diuinitus vtique aliunde aduectam, aut cœlo delapsam. Talia admirabundi inter se mussitantes propius accedunt: tectum cernunt non tam specie, quam antiquitate insigne, mirantur adeo vetustum ædificium stare nullis innixum fundamentis, nullis suffultum adminiculis. Mox suspensis animis limen intrant. Beatam Virginem Iesum puerum manibus complexam supplices venerantur. Nec pietatis defuit fructus: tantus repente eos lætitiæ mistus horror incessit, nusquam vt in omni vita præsentius Dei numen se sensisse affirmarent. Confestim igitur in vrbem citato recurrunt gradu, diuinum munus inter se sibi, & patriæ gratulantes.

XLV. MIRACVLIS ÆDES SANCTISSIMA ILLVSTRATVR.

Præcipuum Lauretæ matronæ gaudium fuit, cuius saltum diuina illa ædes insederat. Vt primum vrbem tanti miraculi fama peruasit: velut signo dato, mirus hominum cuiusque ordinis, ac generis, insolito spectaculo oculos implere cupientium concursus fieri in syluam. Non pueri, non puellæ, non senes, non debiles domi continere se posse. Ægri quoque relictis grabatis, adrepere, visendi cupiditate, vt fit, vires subministrante. Plerique impetu quodam ardoris ruentes certatim ante alios prouolabant, vt tale spectaculum oculis capesserent primi. Quo propius perueniendi spes admouebatur, hoc magis concurrentium multitudo, visendique cupido crescebat. Vbi vero sacrosancta sedes, cuius conspectu rami arborum interseperant, in apertiorem saltum ingressus subito apparuit, confestim omnes in vnum conuolare cœperunt: tantique vndique ex syluæ semitis repente concursus facti, adire, contingere, osculari sanctos parietes cupientium, vt se mutuo prementes pene alii super alios corruerent. In augustæ sedis ingressu, dum venerabundi salutant Virginem, ingenti religione perfusi lachrymarum vim profundunt: consilia ineunt melioris vitæ, ab eo loco diuelli nequeunt. Inter hæc ingentes vndiq; ægrotorum præcipue, ac debilium clamores exaudiri, confusis vocibus Patronam, Matrem, cœli Reginam, Deiparentem appellantium: valetudinemq; ac sanitatem crebris precibus poscentium. Nec voces vanæ, nec preces irritæ cadebant. Protinus depulsis morbis, restitutisq; viribus multorum, diuina vis extitit. Tum vero ingeminari clamor cœptus agentium Deo ac Virgini grates, & cœlestem vim, opemq; prædicantium in seipsis expertam. Ergo vt Recinetensib. diuinæ lux liberalitatis affulsit: certatim S. Virginis cella coli ab eis celebrariq; cœpta est. Sed priuata inter publicos honores Lauretæ studia eminebant: ex quo Ædi Lauretanæ deinde nomen factum.

IESV CHRISTI
Annus 1295.

BONIFACII Papæ VIII. I. — ADOLPHI Reg. Rom. 4.

I. RENVNCIATIO CÆLESTINI IN INFAMIAM EDITO BONIFAC.

IN re tam insolentis exempli, quantæ fuerat Pontificiæ dignitatis à Cœlestino recès facta renunciatio, non idem omnium sensus extiterat. Alii iure merito secessisse affirmabant, alii Bonifacium ambitionis & fraudis reum peragebant; quasi is simplicitati Cœlestini, voce per tubam, quasi diuinitus expressa, imposuisset, & Carolum Regem Siciliæ pollicitationibus quamplurimis oneratum in partes suas pertraxisset, adeoque dolis & artibus Pontificatum inisset. In eam criminationem tanto acrius impellebantur, quanto Cœlestinum miraculis quotidianis illustrari suspicerent: Bonifacium autem recuperandis iis, quæ per insciti am Cœlestinus quam plurimis attribuerat, retinendisque Ecclesiæ bonis summa cura intentum, iam ipso initio Pontificatus adepti animaduerterent. Quamobrem innumerabilibus fere Cœlestinus Pontifex in ore, & Bonifacius in execratione. Neque multum intererat, quin Bonifacius in ordinem retraheretur, & Cœlestinus iterum sedi Pontificiæ imponeretur, magno sane & irreparabili totius Orbis Christiani damno & scandalo: cum mox Ecclesiæ vnitas schismate omnium turbulentissimo diuidi incepisset. Istud porro vt Bonifacius præuerteret, ex Senatus amplissimi Patrum Purpuratorum consulto, Petro Murono, ne pedem è Campania efferret, præcepit. At is inuito Bonifacio, è Neapoli profectus ad Monasterium Sancti Germani, comitante eum Abbate Cassinate descendit, & inde ad locum Muronis declinauit, tanta populorum vbique ad eum videndum frequentia, vt vrbes, oppida, castra & agros relinquerent. Neque enim à miraculorum operatione, quacumque ibat, cessabat. Inter eùndum siquidem, in oppido, quod Casale nouum dictum est, puellam quandam Paralyticam, matris comploratione permotus, curauit. Longeque plures homines in admirationem, & hinc ad commiserationem sui excitauit. Nam iniuria eiectum Sede Petri arbitrabantur. Non ignorauit ista omnia Bonifacius, maioreque timore perculsus, ne ea Petri secessio mali grauioris occasio foret, Thomam Comeratium & Abbatem Cassinatem misit, qui eum aduocarent, vel nolentem adducerent. Præsensit istud Petrus, seque interim ne inueniretur, occuluit: duobusque mensibus in latibulo quodam exactis, mutato habitu ad quandam Apuliæ syluam, à sanctis viris habitatam, perrexit: cumque ab omnibus, & indicaretur & sequeretur, in Epidaurum transire properauit: sed vento reflante in proximum littus ciuitatis Bosliæ reiectus est. Quem cum indidem appulisse Præfectus ciuitatis vidit, Carolo inprimis Regi Siciliæ Anagniæ agenti, is vero Bonifacio Pontifici hominem misit.

II. DECRETALI CONSTITVTIONE OSTENDIT NON FVISSE INIVRIOSAM RESIGNATIONEM IPSI CÆLESTINO. *De renunc. sit. 7. Quoniam.*

Bonifacius porro, cum alia ratione schismaEcclesiæ iamiam exoriens præuertere nequiret, eundem in arcis Fumonis custodia habuit: Cumque non deessent, qui cessionem Cœlestini, iniuriæ adscriberent, habuit Bonifacius tum innocentiam suam, tum facti à Cœlestino rationem reddere, relata in Codicem Decretalium ea quæ sequitur constitutione.

Quoniam aliqui curiosi discceptantes de iis, quæ non multum expediunt, & plura sapere quam oportet (contra doctrinam Apostoli) temere appetentes, in dubitationem sollicitam, an Romanus Pontifex (maxime cum se insufficientem agnoscit ad regendam vniuersalem Ecclesiam, & summi Pontificatus onera supportanda) renunciare valeat Papatui, eiusque oneri & honori, deducere minus prouide videbantur: Cœlestinus Papa Quintus Prædecessor noster (dum eiusdem Ecclesiæ regimini præsidebat) volens super hoc hesitationis cuiuslibet materiam amputare, deliberatione habita cum suis fratribus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus (de quorum numero tum eramus) de nostro & ipsorum omnium concordi consilio & assensu, Auctoritate Apostolica statuit & decreuit, Romanum Pontificem posse libere resignare. Nos igitur ne statutum huiusmodi per temporis cursum obliuioni dari, aut dubitationem eandem in recidiuam disceptationem vlterius deduci

Fama interim (qua nihil talibus in rebus est celerius) ad finitimos populos discurrit, Lauretanam ædem miraculis inclytam ferens. Extemplo igitur, prout sua quemque religio, aut necessitas stimulabat, ad nemus accurrere, adducere, aut deferre ægros necessitudine aliqua iunctos, opem poscere, vota facere cœperunt. Voti eos compotes fuisse, & ipsorum Deiac Deiparæ grates agentium voces, & votiuæ deinde tabellæ de parietibus vulgo suspensæ docebant. Facilis quippe ac potens Patrona Dei Mater apud Deum erat, quæ & viam impetraturis ostenderet, & vltro opem salutemque supplicibus impetraret. Porro confluentium populorum religionem commendabat loci solitudo. Nulla tum erat in sylua domus, nullum hospitium, nullum saltem receptaculum, præter arbores, quæ nudatæ per hyemem frondibus, tectum peregrinis parum hospitale præbebant. Videre erat homines, etiam opulentos domi suæ, ac delicatos, pernoctare sub dio, quamuis infesta imbribus, frigoribus, niuibus, tempestate: populos per contubernia diuisos circa sanctissimam ædem super herbam inter arbores vesci, humique cubantes, quam somnum, aut quietem capere: quam psalmos, hymnosque modulari sine vllo prorsus, aut ferarum, aut latronum metu: adeo intensa pietas omnia in commoda periculaque vincebat. *Horat. Tursellin. Lauretanæ hist. lib. 1. c. 6.*

XLVI. *Lipsius in Monitis.* PRVDENTIA SCYTHICÆ FÆMINÆ MODESTIA

Claudebam hunc annum, sed scythica mulier interuenit, & ostendi postulat in hoc theatro: non illa magna, nec in re speciosa aut magna, sed fiad calculos reuocetur, magni mirandique amoris. Per id temporis Andronico Palæologo Græcorum imperio præsidente, Scythæ incursionem in Græciam Thraciamque fecere, & late populati magnam prædam auexere. In ea captiuus quidam Thrax fuit, qui cum aliis ante fores Scythicæ huius trahebatur: viditque & miserata est, & emit eum, imo & mox nupsit. Sed iuramentum tamen prius exegit, non deserendam se ab eo in vlla fortuna, tempore aut loco. Mulierem autem hanc iam ante acre desiderium habebat sapiendæ Christianorum sacræ religionis, & vt salutari aqua tingeretur. Quod marito indicat, atque ille approbat, & vna constituunt hoc fine in Christianorum fines demigrare. Sed dum se apparant, & opportunitatem quærunt, annus elabitur, & binos interea liberos marito suo alterum peperit, alterum in vtero gestabat, ex quo & creuit amor mutuus, & iam firma nexio videbatur. Ecce autem interea euenit, vt iterum incursione facta Scythæ, priorem vxorem huius mariti sui abducerent & prætereuntem cum captiuis ille agnosceret & videret. Itaque pro veteri affectu & consuetudine, illachrymauit, & causam vxori suæ Scythicæ dixit. Illa non indignata marito est, nec odio aut æmulatione (pro muliebri ingenio) in alteram illam tacta: sed statim quoque eam emit, tum ad domestica ministeria, tum vt aspectu ipso dolorem marito leuaret. Et iam tempus migrandi visum: migrant, Constantinopolim veniunt, mulier baptismate tingitur, altera illa (ausim ingratam, si non iniquam dicere!) statim ad Patriarcham accurrit, clamitat, per iniuriam maritum sibi ereptum, & à Scythica possideri. Illa quoq; venit, & auditur & rem totam exponit, nec quisquam eam damnare sustinuit, vt quæ amborum domina esset, eosque ex seruitute & immanibus illis beluis liberasset. Tamen hæsitantibus illis, ipsa sententiam hanc vltro tulit. Meo marito, si prior vxor cordi est, habeat: cui etiam ob consuetudinem, & susceptos ex eo liberos, pretium redemptionis condono. In ipsam autem hanc fœminam vt eadem liberalitate cupiam, sed cum in terra aliena sim, & aliarum rerum inops, haud possum. Itaque illa pretio reddito, cum marito abeat: ego cum duobus meis liberis benigni Dei manus exspectabo. Dixerat mulier, & mirati omnes æquanimitatem sunt. Cui Deus sane mox adfuit: & cum altera illa in Thraciam iuisset, ad pecuniam corrogandam, ecce iterum à globo Scytharum abripitur, nec vltra visa est, & maritus iam tuto in Scythicæ illius coniugio acquieuit.

XLVIII. PRODIGIVM.

Hoc anno duo philomelę sexto Idus Februarii in maximo gelu cantarunt, in templo Harlebecano apud Belgas *Annal. Eland.*

ep. 1. Later. 8. Cal. Feb.

contingat: ipsum inter Constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam, de fratrum nostrorum consilio duximus redigendum.

Præter eam decretoriam, declaratoriamque sanctionem, quam pro innocentiæ suę vindiciis Bonifacius ediderat, epistolam quoque ad omnes Patriarchas, Episcopos, Clerum, Reges, Principes, & vniuersum populum encyclicam scripsit, rationemque dedit, tum Cœlestini actionum, tum suæ inprimis assumptionis.

III. PACEM INTER REGES DE SICILIA TANDEM FACIT BONIFACIVS. *Surita lib. 2.*

Ad Pontificatum euectus Bonifacius, vt erat à multo rerum vsu, & magnarum artium disciplinis præclare instructus, magno animo ad pacificandum Orbem Christianum accessit. Sub oculis gliscebat perpetuum in Italia, qua inter Aragonios & Gallos, qua inter Guelphos & Gibellinos, qua etiam inter Genuenses & Venetos bellum. Primum grauius fuerat, quo Reges de Siciliæ Regno, etiam inter induciarum tempus infestis armis confligebant. Post Nicolaum Pontificem etiam Cœlestinus Quintus, breui illo & non vsquequaque quieto Pontificio ad concordiam Reges reuocare conatus est. Missis Raymundo Pontio Valentino Episcopo, & Bonifacio Calamandra Hospitalario ad Regem Aragonum Legatis, vt cum Legatis Regis Francorum de pacis conditionibus deliberarent. Huic quoque rei nuptias inter Aragonium Regem, & Isabellam Sanctii Regis Castellę filiam pactas irritas fecit, easque rescidit, vt per consequentis matrimonii fœdera facilius amicitia inter Iacobum & Carolum coiret. Cumque Pontificatu maximo se abdicasset, conficiendi totius negotii summam successori Bonifacio reliquit, is porro rem toties frustra tentatam, ad exitum deduxit Anagniæ, quo Carolus cunctator Rex Siciliæ, à Philippo autem Rege Galliarum & Carolo Valesio Aurelianensis episcopus & Abbas Sancti Germani Pratensis, à Iacobo vero Aragonio Gilabertus Cruillias, Guillelmus Lunfortius, Petrus Costa, & Guillelmus Galbanus Legati ad primos dies Februarii conuenerunt. Fœderis hæ leges scriptæ: Aragonio Blanco Carolo Cunctatoris filia nubito: dos dicta, argenti pondo millia ad septuaginta. Sicilia, & quicquid Aragoniis armis in Bruttiis & magna Græcia fuit ablatum, ad Ecclesiæ Romanæ ius redito. Si Siculi recusarint, Aragonius copiarum tantum dato, quantum arbitri iudicarint: Carolus Valesius iure abscedito, quo Aragonium regnum armis vendicare parat. A Pontifice Romano interdicti, atque anathematis religione exsoluuntor, quoscunque ea controuersia implicauit. Obsides liberantor. De Iacobo Baleari Rege actum, summaque Pontificis & Galbi Regis contentione impetratum, vt restitueretur in Regnum. Sardiniæ quoque & Corsicæ spes Aragonio iniecta, iure beneficiario, seu fiduciario, in eas Insulas, Imperio illi concesso certis conditionibus & censu annuo, militumque numero in tutelam Ecclesiæ iurium designato. Huius pacis ad VII. Calendas Maias stabilitæ fama vulgata, cæteras quidem Orbis Christiani partes lætitia compleuit, Siculis tamen grauissima extitit, extremum malorum putantibus ad Gallorum imperia redire. Itaque Fridericus (quem Iacobus frater discedens rebus præfecerat) & cum eo Rogerius Auria, Ioannes Prochita, & Manfredus Lancia viri primatii, de fœderis euentu solliciti, ad littus Romanorum excensione facta, Bonifacium apud Veletros adierunt, neue Caroloederentur suppliciter flagitarunt. Bonifacius itaque Friderico, ne pacis conditionibus vnus obsisteret, Catharinam Philippi Constantinopolitani Imperatoris filiam, neprim Balduini Augusti desponsam esse volebat, spe dotali Græci Imperii communibus armis, atque viribus recuperandi. In sumptus bellicos C. M. vnciarum auri quatuor proximis annis se suppeditaturos Friderico pollicebantur omnes fœderati, Carolus Rex & Bonifacius Papa, si modo is Constantinopolitanam expeditionem suscepisset. His conditionibus propositis Bonifacius inprimis. 1. Iacobo Aragonio, vt Regnum Maioricarum Iacobo patruo restitueret præcepit. 2. Matrimonium inter Isabellam Sanctii filiam, & Iacobum irritauit, & potestatem Blancam copulandi fecit. 3. Constantiam Reginam matrem, Iacobum, Fridericum, & Petrum filios, atque vniuersos tum Siculos, tũ Catalanos & Aragonios proceres & populos fautores, consultores, adiutores anathemate exoluit, & Regna atque Prouincias interdicto liberauit, conditionem tamen reincidentiæ, si & ipsi in crimina reinciderent, appositi. 4. Regnum Aragoniæ à Carolo Valesio in potestatem sedis Apostolicæ datum, Iacobo Aragonio concessit, siue adeo restituit die 11. Calend. Iul. Indiction. 8. anno 1295. 5. Iacobo iidem, vt nonnisi post absolutionem, & matrimonium cum Blancha contractum, Siciliam Ecclesiæ restitueret, indulsit: proq; Carolo Rege Siciliæ ad exoluendam dotem, in tres annos fideiussit. 6. atque vniuersis populis Siciliæ, pacta conuenta significauit, inque sedem Apostolicam & se atque successores suos, vt duodecim millia librarum Turonensium Iacobo, atque hæredibus illius, postquam is Insulam Siciliæ Romanæ Ecclesiæ restituisset, numeraret, recepit. 7. Mortuo Carolo Martello Rege Hungariæ, & Caroli Regis Siciliæ cis & vltra Pharum vicario, Landulphum Bracacium tit. Sancti Angeli diaconum Cardinalem, quem Nonis Aprilis Laterani agens, Legatum in Siciliam miserat, & vna cum eo Philippum Caroli filium, Principem Tarentinum, vicarios seu Baliuos quos vocabant, pro Rom. Eccl. in Regno Siciliæ constituit: Istudque 8. Officii ac dignitatis, paulo post, Mariæ Reginæ Siciliæ concessit. 9. Berengarium Villeronium Archidiaconum Vigellitanum, tractationum pacis conscium, ad Iacobum Regem, internuncium destinauit, vtque eum ad pacta fœdera stabilienda, atque ipsa præstanda adduceret, iniunxit. 10. Ad Catharinam Imperatricem Constantinopolitanam, Anicien sem Episcopum, & Abbatem Sancti Germani Parisiensis Nuncios, qui eam ad matrimonium cum Friderico contrahendum inuitarent, misit, vtque illa huius rei gratia Romam se conferret, inuitauit. Interim etiam Bonifacius Guillelmũ Ferrarium tit. Sancti Clementis Cardinalem Legatum in Aragoniam destinauit, qui vna cum Carolo Cunctatore Blancham Iacobo Regi deduceret, sanctumque illud coniugium esse iuberet.

4. ep. 184. Anag.
5. ep. dat 5. & 6. Non. Iul. num. 206. 207. 6. ep. 208. 6. Non. Iul.
7. ep. 47. Non. April. & ep. 119. 2. Id. Aug. Anagniæ.
8. ep. 129. Non. Sept. & 3. Cal. Sept. 9. ep. 128. 4. Cal. Sept. 10. ep. 114. 2. Non. Aug.

IV. SICVLI NOLVNT CAROLO GALLIS QVE PARERE, FRID. ARAG. REGEM SALVTANT. *Lucius de rebus Hispa. lib. 11.*

Quod vbi ad Siculos relatum esset, Legatos ad Iacobum & ipsi miserunt, qui, ne se in discrimine desereret, interpellarent. Cum autem Rex Iacobus eos admonuisset, vt Ecclesiæ Caroloque parerent, lachrymis obortis ferunt vnum ex iis dixisse: Iacobe Rex, permultos populos à suis principibus defecisse multis in locis legimus, & oculi nostri sæpe viderunt: sed à suo Rege populos fuisse desertos, nec vidimus quidem, neque vnquam audiuimus. Quapropter erit quidem nostra magis quam aliorum miseranda conditio, magisque deploranda calamitas. Tua siquidem spe patrocinioque destituti, quid omnes Siciliæ populi facere debeant, te credimus non omnino ignorare. Qui quodcumque mortis genus & omnes cruciatus perferrent potius, quam Gallis seruire queant: & cuiuscunque vel barbari quidem Principis imperium libentius patientur, quam insolentissimos Gallorum mores, & indignissimum iugum seruitutis vno die velint tolerare. Proinde obsecramus te, ô decus Aragoniæ domus, & magnum pietatis exemplum, ne patiare inclytam tuam, & maiorum tuorum famam, hoc vno duntaxat dedecore deformari: cum præsertim, qua nos tibi lege sumus adstricti, eadem tu quoque nobis honeste deesse non possis. Quod si Regia tua maiestatè tuoq; fauore, Siculos, qui volentes Aragoniæ domui se subiecerunt, indignos esse iudicas, & Siciliæ Regnum quod magni Principes concupiscunt, aspernaris: nobis saltem consilium ne deneges, sed consulas, quem nobis Regem opremus. Illachrymauit ad hæc Iacobus, & nonnisi Ite, inquit, boni viri ad domos vestras, vbi Fridericus frater meus vobis & Siculis omnibus, liberius quam ego, poterit consulere. Ad ea verba Legati purpureas, fericasque quibus splendebant vestes, à Rege abeuntes discederunt, & pullas prælongas in signum ingentis doloris induerunt, atque triremium malos, antennas & vela candida deposuerunt, inque aterrimum colorem omnia verterunt. In Siciliam reuersi, cum factis & verbo omnia quæ à Iacobo audierant, retulissent, mœrore omnes repleuerunt. Primi omnium Rogerius Auria, Vinciguerra, Palicius, Raymundus, Alemannus, aliique Siculi, Catalani, & Aragonii Proceres, ac omnium Ciuitatum & Oppidorum syndici Catanam conuenerunt, & in æde sacra maxima Comitia celebrarunt. Ibi Rogerius Auria Consularium omnium Princeps Fridericum & testamento Patris, & voto omniũ designatum, Regem Siciliæ pronun-

Fazellus lib. 9.

1. Anag. ep. 163. 10. Cal. Iul. 2. ep. 166. 3. Cal. Iul. 3. ep. 168. 9. Cal. Iul. & 178. 11. Cal. Iul.

ciauit. Huius vocem cæteri omnes prosecuti Regem Fridericum voce fausta salutarunt. Interea BONIFACIVS Pontifex ratus idoneum tempus adesse, quo Siculi Carolum Regem reciperent, Bonifacium Calamandrum, seriis Legationibus assuetum, ad Siculos vt Carolum admitterent, Legatum destinauit.

V. CONATVR TAMEN BONIFACIVS REGNVM CAROLO VINDICARE.

Per id enim temporis Carolus Romæ agens, nouo ligii homagii iuramento dato atque confirmato, etiam à Bonifacio confirmationem Regni Siculi obtinuerat, inque eius Insulæ possessionem dirigebatur. Calamandrus Messanam adueniens, vix sermonem ad Proceres finiuerat; cum Principes editis clamoribus, Fridericum iam esse electum responderunt; strictisque ensibus, mortem etiam illi, nisi statim Sicilia excederet, minati sunt. Ita Calamandrus rebus infectis Romam reuertit: Iacobus autem vbi Carolum à Siculis odio haberi cognouisset, Catalanos omnes & Aragonenses, qui in Sicilia remanserant, per literas ad se reuocauit. Ex his Raymundus Alemannus, Berengarius Vellaragutus, pluresque alii relicta Prouincia Iacobo paruere: At Blascus Alagana, Hugo de Empuriis, & plerique alii à Blasco persuasi, in Sicilia cum Friderico remanserunt. Non intermisit interim, Bonifacius, adhuc res tentare, vt Regnum Siciliæ Carolo Regi vindicaret. Itaque Guillelmum electum Episcopum Vrgelitanum, fratrem Ordinis Prædicatorum, virum industrium in Siciliam Legatum misit, & tum Constantiæ Reginæ, tum Friderico & Petro scripsit, tum reliquos Proceres Siculos refractarios admonuit, ne pacis conditiones violarent, vt vniuersa Sicilia excederent, eamque Insulam iuris Ecclesiæ esse faterent, adeoque Romanæ sedi restituerent. Vnicum adhuc obstabat, ad eam concordiam inter Iacobum & Carolum atque Regem Franciæ stabiliendam: nempe Vallis de Aranii, quam initio belli sibi ereptam, Iacobus asserebat, atque ideo pleno iure illam reposcebat. Scripsit itaque Bonifacius Philippo, vt eam Vallem in manus Guillelmi Cardinalis Legati imponeret, tantisper donec arbitrario illius & Sedis Apostolicæ iudicio decerneretur, cuius esset.

ep. 156. & 157. Romæ apud S. Pet. 6. Id. Decemb.

ep. 164. Anag. 12. Cal. Iul.

VI. CONSTITVTIO EIVSDEM BONIF. PRO BENEFICIIS DISTRIBVTIS. *tit. 2. de præbendis & dignitatibus.*

Cæterum cum Ecclesiæ multum interesset, in distributione beneficiorum Ecclesiæ, in eo Regno Siciliæ, ea quoque in re cautum esse voluit iurisdictioni Pontificiæ, itaque eam quæ sequitur, inter extrauagantes repositam promulgauit. Ita habet.

Piæ sollicitudinis studio ducimur, vt dignitates, personatus, præbendæ, aliaque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, quæ apud sedem Apostolicam vacare noscuntur, personis conferantur idoneis, per quas in eis debita impendantur obsequia, & diuinorum cultus exerceatur solicite in iisdem. Inde fit, quod nos huiusmodi dignitates, personatus, præbendas, Ecclesias & alia Ecclesiastica beneficia, quæ apud sedem eandem intra mensem à data præsentium hactenus in curia vacauerint computandum, & quæ ex nunc apud eam vacauerint, in futurum præuisioni sedis eiusdem auctoritate Apostolica reseruamus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus hac in parte scienter vel ignoranter, per quemcumque vel quoscunque Apostolica vel alia quauis auctoritate contigerit attentari. Nulli ergo, &c. Datum Laterani III. Non. Maii, anno 1. Hæc in negotio Siciliæ Regni isto anno gesta.

VII. *Polydor. lib. 7.* PACEM INTER REG. ANGL. ET GALLIÆ BONIFACIVS CONCILIAT.

Non etiam neglexit Bonifacius pacem inter reliquos Reges conciliare. Inter Philippum Francorum & Edouardum Anglorum Regem anno superiore bellum exarserat, ex hac causa. Edouardus tuendæ Aquitanicæ oræ causa, sex naues instructas Burdegalam miserat: duas ex illis Normani interceperant, & bonam partem nautarum suspendio necauerant. Præfectus classis vbi hæc accepisset, maiore numero nauium collecto, Sequanæ ostium magna vi adortus, hostiliter diripuit, & multas prædas, tum hominum, tum nauium fecit, atque in his plures nautas interfecit. Re ad Reges ambos delata, nuncii vltro citroque commeabant, alteris pœnas violatæ fidei, alteris bona amissa repetentibus, & interim Carolus Vallesius Comes, Regem fratrem Philippum ad vindicandam iniuriam compellebat. Itum in arma, Francica classis disiecta, Philippus acriter permotus, primo per speciem iuris seruandi Edouardo quasi suo, ob possessionem Aquitaniæ ac comitatus Pontiui beneficiario diem dici iussit: deinde quia certo non affuturum existimaret, exercitum in eum parauit. Edouardus porro fratrem Edmundum Lutetiam suæ causæ coram iudicibus actorem misit. Iudices vero nodum in scirpo quærentes, Edmundi rationes pro fratre respondentis minime admittentes, Edouardum contumacem declarauerunt, atque omne ius Aquitaniæ amisisse decreuerunt. Secundum decretum iudicum Rex Philippus Burdegalam cepit, ac populos denique reliquos, partim Principis Aquitaniæ ciuitatis exemplum secutos, partim largitionibus adductos in potestatem redegit. Bona parte Aquitaniæ amissa, cum etiam domi à Vuallis seditio orta esset, Edouardus & regni pacificandi, & Burdegalæ recuperandæ ampliores copias comparauit, atque Adolphum Regem Germaniæ in societatem belli contra Francos gerendi magna pecunia adduxit, cumque eo fœdus icit. Quod cum Bonifacius Pontifex intellexisset, Archiepiscopum Rheginum, & Episcopum Senensem ad Adolphum misit, qui eum à societate belli auerterent, & vt Pacarii officio, inter eos Reges defungi vellet, admonerent. Quam rem vt tanto efficacius efficeret, Archiepiscopis Moguntino, Treuerensi, & Coloniensi auctoritate Apostolica iniunxit, vt ad conciliationem Regum incumberent, nihilque eorum omitterent, quæ ad arma ex manibus amborum excutienda viderentur. Hortatus est etiam vtrumque Regem, primum per literas, deinde per duos, Berardum Albanum, & Simonem Prænestinum Episcopos Cardinales Legatos, quos primum ad ipsum Philippum in Gallias, deinde ad Edouardum in Angliam ire iussit, vt depositis discordiis, diuturno & capitali odio alitis, pacem inirent. Feliciter Cardinalibus cessit negotium. Philippum enim & Edouardum non tantum fœdere, sed etiam affinitate coniunxere. Sed hi mox in perniciem Adolphi Cæsaris incubuere: Philippus, quod vt se armis oppugnaret, pecuniam acceperat: Edouardus, quod fidem datam non seruasset, ac multo multoque minores quam conuenisset copias Flandrico bello misisset: nec se cum illo ad Brugas, antequam in potestatem Francorum venirent, ex composito iunxisset. Ad hoc Proceres Germani sordium & perfidiæ eum damnarunt, quod à Rege in Regem auro corruptus, fidem non coluisset.

ep. 171. Anagnæ 5. Cal. Iulii & 170. Velet. 10. Cal. Iun.

ep 3. Later. 11. Calend. Mar.

Æmil. lib. 8. in Philippo Pulchro.

VIII. EDOVARDVS ANGLVS ÆRARIVM EXHAVSTVM PROVENTIBVS CLERICORVM IMPLERE CONTENDIT.

Erat per hæc bella continua vacuum Regis Edouardi ærarium, quod vt aliorum detrimento repleretur, Guillelmus Morchianus Quæstor, vnum omnium nequissimus adinuenit. Nam quod tum in Cœnobiis, tum in templis sciret esse pecunias sacras in vsum belli sacri depositas, præfectos militum per totam Angliam disposuit, parandique sacrilegii negotium dedit, qui vna hora, vnoque tempore, quicquid pecuniarum in locis sacris reconditum fuerat, omnibus vestigiis indagatas rapuerunt, atque Edouardo detulerunt. Neque ea rapina contentus Edouardus, etiam dimidiam partem omnium vectigalium sacerdotiorum vnius anni temere & summa cum iniuria vniuerso Clero imperauit. Non multo post, secuta diuini numinis vindicta: cum Edouardus in Vualliam cum non mediocri numero militum missus, prælio temere commisso profligatus est, nimirum, pecunia sacrilegio quæsita, exitio fuit militibus ea mercede conductis. Fame quoque tum acri, tantaque laboratum est in Anglia, vt passim præ inedia homines morerentur. Robertus Archiepiscopus Cantuariensis, Synodum Episcoporum per id temporis Londini congregauit. Deliberatum est, quibus demum rationibus Regi satisfacerent, qui nouis quotidie efflagitationibus immoderatas ab eis pecuniarum summas extorquere conabatur. Opportune illis ad manus venerat Bonifaciana Constitutio, fulmine Ecclesiasticæ censuræ armata, quod anathema in viros Ecclesiasticos eiaculabatur, qui citra sedis Romanæ consensum Principes bonis atque facultatibus Ecclesiæ, siue adiuuarent, siue diuitarent. Eo decreto perterriti Pontifices Guillelmum Montefortium Ecclesiæ Diui Pauli Londini Decanum ad Regem miserunt, oratum, vt tam ingentibus exactionibus aliquam saltem moderationem adhiberet. Dicentem Guillelmum Edouardus Rex, & lingua & vita mox destituit: proximo vero autumno decima nihilominus totius Ecclesiæ potitus est, cum etiam tertiam vel quartam redituum partem extorqueret. Comitio postmodum apud Diui Eadmundi oppidum acto, cum nihil à sacerdotibus potuisset im-

MS. Vatic. de reb. Ang. num. 5586.

petrare.

petrare, omnium virorum Ecclesiasticorum horrea clausit, ne quid ex iis ad vitæ vsus acciperent. Robertus interim rescriptum illud Bonifacii per maiores Ecclesias diuulgari curauit, & Synodum Londini iterum congregauit, in quo aliqui Episcoporum animo molliores, Regio desiderio succubuere, qui autem anathematis Bonifaciani rationem aliquam habuerāt, Regi per literas supplicauere, vt Romanum Pontificem consulerent. At Rex illorum bona, & vniuersas Roberti præsertim possessiones inuasit: omniaque tam Monachorum, quam Clericorum feuda, vt appellant, Laica, sibi vendicauit: edixitq; vt nisi intra certum diem redimerentur, illis omnibus priuarentur. Iniuriis postmodum variis Clerum constantiorem afficiendum curauit, adeo vt non tutum esset illis, sine magno periculo in publicum prodire. Eripuit etiam iis omne communium legum præsidium, vt nemo causam illorum, aut negotiorum procurationem apud Regium forum suscipere permitteretur. Impune itaque contumeliis, damnis & iniuriis afficiebantur, quique pecuniam largiebantur, Regiæ se opis præsidio sepiebant, ad anathema declinandum. Nam edixerat Edouardus, ne quis in huiusmodi anathema aliquod promulgaret: quod si pronunciasset, in carceres detruderetur. His terroribus fere omnes succumbentes, quintam bonorum portionem Regi obtulerunt. Solus Robertus constantiam retinuit, omnium possessionum suarum commodis spoliatus. Inter alios vero, qui Regiæ voluntati subscripsit, fuit Osueiensis apud Oxoniam Abbas. Quem cum Robertus obuiam osculo excepisset, & mox à Sacellanis admonitus, Bonifaciani decreti violatorem comperisset, atque reuocatum graui reprehensione incessisset, tantum illi doloris inussit, vt mox ad hospitium profectus, post paucas horas expirarit.

IX. MONACHVS OCCISVS MIRACVLIS CORVSCAT. *Polyd. lib. 17. Hist. Anglic.*

Per id temporis, cum apud Douerum Franci cum Anglis depugnarent, in eo tumultu, monachus quidam nomine Thomas, vir longe innocentissimus fuit interfectus, per quem deinceps vt martyrem Deo acceptissimum, crebra miracula edita asseuerant. Ita rem narrabat auctor rerum Anglicarum. Est in Diœcesi Cautinensi extremum omnium ad orientem Doueriæ oppidum, insigni portu & arce atque Cœnobio Benedictinorum celebre, quod Galli ardente bello spoliarunt, & vastarunt. Monachis aliis vt saluti suæ consulerent aliis alio diffugientibus, solus Thomas vir pius & infracto ad mortem animo, ne pedem quidem vllis persuasionibus à Monasterio mouere voluit. Hunc igitur Galli magnis minis terroribusque vrgebant, vt thesaurum ornamentaque Ecclesiæ proderet, qui cum adeo illis non acquieuisset, vt etiam seueris prætereà eos verbis propter sacrilegos eorum ausus castigaret, ab illis vehementi ira inflammatis iugulatus est, Nonis August. Hunc Deus variis & insignibus post obitum miraculis nobilitauit. Robertus autem Archiepiscopus Cantuariensis cum nihil aliud posset, anathemate depopulatores illos publice percussit. *M. S. Vatic. de Rebus Anglic. num.* 5586.

X. ANGLVS PRODITOR REGIS SVI PÆNAS LVIT.

Eodem anno cum apud Rionem Thomas Turbiuilla, Anglus à Philippo captus, magis vitæ vsuram, quam famæ decus æstimaret, proditionis noxa ad posteritatis memoriam se infamauit. Suasit Philippo, vt se dimitteret. Facile enim sibi pollicebatur, se priore loco apud Edouardum Regem futurum, & aliquam speciosam causam inuenturum, vt Anglicæ classi præficeretur, quam in manus Gallicas traderet. Credidit Philippus, hominem, duobus acceptis filiis obsidibus, in Angliam ire permisit; ille, diem tradendæ classis à se dixit. Classis postea Gallica ad littus Anglicum applicuit, cumque Thomam loco & tempore designato non reperisset, in terram excensionem miles Gallus fecit: Thomamque requirens in manus præsidiariorum incidit, ac pœnas morte luit. Conatus est iterum Thomas, Regem Scotum ab Anglico alienare, & Philippo Gallo consiliis patefactis, in eam partem inclinare, vt cum Scoto iunctus, negotium Edouardo facesseret. Verumtamen consilio intercepto, cum apud Edouardum accusatus esset, proditionis pœnas dedit Londini in publico patibulo, gula fracta. Ab hac proditionis occasione, tum primum Edouardus ad pacem inclinare cœpit: maxime cum Robertus seriam illi numinis vindictam comminaretur: propter violatam legem Bonifacianam: cuius hæc sunt verba.

XI. LEX BONIFACII PRO CLERICORVM IMMVNITATE. *6. Decret. lib. 3. tit. 23. de immunit. Eccles.*

Clericis laicos infestos oppido tradit antiquitas, quod & præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt, quam sit eis in Clericos Ecclesiasticasve personas & bona interdicta potestas: Ecclesiarum prælatis, Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, regularibus & sæcularibus imponunt onera grauia, ipsosque taliant, & iis collectas imponunt ab ipsis suorum prouentuum vel bonorum, dimidiam, decimam seu vigesimam, vel quamuis aliam portionem, aut quotam exigunt & extorquent, eosque moliuntur multifariæ subiicere seruituti, suæque submittere ditioni, & (quod dolenter referimus) nonnulli Ecclesiarum Prælati Ecclesiasticæque personæ trepidantes vbi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes maiestatem temporalem offendere, quam æternam, talium abusibus non tam temerarie, quam improuide acquiescunt, sedis Apostolicæ auctoritate seu licentia nō obtenta. Nos igitur talibus iniquis actibus obuiare volentes, de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica statuimus, quod quicumque Prælati, Ecclesiasticæque personæ, religiosæ vel sæculares, quorumcunque Ordinum, Conditionis seu status, collectas vel talias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiarum prouentuum vel bonorum laicis soluerint vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamuis aliam quantitatem, portionem, aut quotam istorum prouentuum, vel bonorum æstimationis, vel valoris ipsorum: sub adiutorii, mutui, subsidii, subuentionis, vel doni nomine, seu quouis alio titulo, nudo, quæsito colore, absque auctoritate sedis eiusdem. Nec non Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, vel Barones, potestates Capitanei, vel officiales, vel rectores, quorumcunque nomine censeantur, Ciuitatum, Castrorum, seu quocumque locorum constitutorum vbilibet, & quiuis alii cuiuscumque præeminentiæ, Conditionis & status, qui talia imposuerint, exegerint, vel receperint, aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum vbilibet arrestauerint, saisiuerint, seu occupare præsumpserint, vel arrestari, saisiri, aut occupari mandauerint, aut occupata, saisita, seu arrestata receperint: nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium vel fauorem, publice vel occulte, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Vniuersitates quoque, quæ in hoc culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto. Prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœna districte mandantes, vt talibus absque expressa licentia dictæ sedis nullatenus acquiescant, quod prætextu cuiuscunque obligationis, promissionis & confessionis, factarum hactenus, vel faciendarum in antea, priusquam huiusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum ad notitiam ipsorum peruenerit, nihil soluant, nec supradicti sæculares quoquo modo recipiant. Et si soluerint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. A supradictis autem excommunicationum aut interdicti sententiis nullus absolui valeat (præterquam in mortis articulo) absque sedis Apostolicæ auctoritate & licentia speciali: cum nostræ intentionis existat tam horrendum sæcularium abusum nullatenus sub dissimulatione transire. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, sub quibuscumque tenoribus, formis, seu modis, aut verborum conceptione concessis, Imperatoribus, Regibus & aliis supradictis, quæ contra præmissa in nullo volumus alicui vel aliquibus suffragari. Et quidem hæc Bonifacius sanxit, occasione sumpta ex oppressionibus Anglicanis.

XII. ADOLPHVS REX OBEDIENTIAM APOSTOLICÆ SEDI SPONDET. *ep. 171. Anag. 5. Cal. Iul.*

Eodem anno Bonifacius Papa, Adolphi Regis Romanorum Legatos, Briximensem Episcopum, Præpositum Vuormatiensem, & Gerlachum Isenburgensem audiuit, qui nomine illius obedientiam, deuotionem, piamque & sinceram erga sedem Apostolicam promptitudinem, in Patrum Purpuratorum amplissimo consessu Bonifacio Pontifici exhibuerunt. Vicissim illi Bonifacius obtulit, Diui Petri Principis Apostolorum tutelam, promptamque animi sui voluntatem, in his omnibus efficiendis concedendisque, quæ incrementum honoris & dignitatis Regiæ attinerent.

XIII. VENETI CVM GENVENSIB. PVGNANT ET VINCVNTVR.

Inter Genuenses & Venetos, hoc anno post diuturnas dimicationes induciæ statutæ sunt. Earum tempus auctoritate Apostolica Bonifacius, vsque ad diem XXIX. Septembr. prorogabat, pœnisque olim in pactis expressis vtrosque perurgebat, vt iudicium & cognitionem id quicquid erat controuersiarum sedi Apostolicæ permitterent, & neutri alteros incursionibus lacerarent. Veneti iudicium Apostolicæ sedis non abnuebāt. Ienuenses contumaci fronte detrectabant: insuper excursiones frequētes in oras

Vene-

ep. 8. Albani 15. Cal. Iun & 127. Anag. Idib. August. & ep. 158. Romæ apud S. Petrum.

Venetorum facientes eos armis proritabant. Quod cum sciret Bonifacius potestatem Veneris fecit, vt se inculpate defenderent: neue in defensione suscepta, pœnas in fœdere designatas metuerent. Interim autem vtrosque admonuit, vt ab armis discederent, & Rempublicam valde afflictam, communibus viribus adiuuarent. In his Venetorum, & Genuensium vellicationibus, maxima fortitudo militaris Andreæ Danduli Venetæ classis Præfecti, à quibusdam laudatur, qui ne captiuus Genuam perduceretur, triremi capite grauiter impacto, vitam cum morte commutauit.

XIV. BONIFACIVS VRBEVET. EXCOMMVNICAT. *Petrus Marcell. in Gradonico.*

Misit etiam Bonifacius hoc anno, Neapoleonem Vrsinum tit. S. Hadriani Cardinalem ad Vrbeuetanos Legatum, monitum, vt ditiones quascunque Vulsiensi agro, facuique contiguas, Ecclesiæ restituerent. Cumque illi pernegarent, Primores quidem Ciuitatis anathemate damnauit, sacris autem omnibus interdixit, nec nisi quatuor sacerdotes subministrandis, si quæ necessitas incumberet sacramentis reliquit, cæteros autem omnes ad se reuocauit, & in diuersis locis collocauit.

XV. SEMEN ODIORVM INTER BONIF. ET PHILIP. REG. GALLIÆ PRIMVM.

In Galliis, istud fere initium grauissimi odii, quo postea Philippus Rex in Bonifacium exarsit. Est in Francia, Apamea, olim Abbati S. Antonii eiusque Cænobio iure pleno addicta. Ea cum propter reditus opulentos, raptorum sacrilegiis exposita esset, Clemens IV. Pontifex eam Ludouico Regi tuendam commisit, nonnullamque portionem redituum exinde attribuit, nomine tutelæ, seu stipendii in tutelam. Nihil tamen iuris Abbati aut Cœnobio detractum, aut Regibus Galliæ datum esse voluit Clemens in Apameam, quam nonnisi ad certum tempus, & ad sedis Apostolicæ beneplacitum in custodiam committebat. Ludouico in cœlos migrante, Philippus Apameam tuendam suscepit, moriensque Philippo Pulchro filio Regi reliquit. Hic porro Rogerium Fuxi Comitem à multo tempore Abbatis & Monasterii ex professo hostem, non modo ab iniuriis non reuocauit, sed ad eas Abbati & Monasterio inferendas literis Regiis armauit: quibus ille fretus, Apameam ingressus, iuramentum fidelitatis à ministris & subiectis Abbatis & Monasterii extorsit, adeoque Apameam iuris sui fecit, in graue præiudicium Abbatis, & Ecclesiasticæ libertatis. Non potuit, neque debuit, nec voluit dissimulare Bonifacius, sed grauioribus literis ad Philippum datis cum officii admonuit, præcepitque vt Comitem compesceret, omniaque in integrum Abbati ac Monasterio restitui iuberet: Comitem quoque acriter perstrinxit, anathemaque minatus est, si non excederet Apamea, sique ablata non restitueret, neque iniuriarum nomine satisdaret. Laudunens. quoque Ecclesiam Cathedralem Administri Regii per id temporis violarant. Namque quosdam ex ea vi extraxerant, & multis vulneribus affectos semiuiuos in via reliquerant. Ex his Clericus quidam plagis multis confossus, occubuit. Offendit ea res vehementer Bonifac. libertatis Ecclesiasticæ assertorem. Quamobrem datis literis & Regem acrius reprehendit, & Decano Laudunensi potestatem in violatores inquirendi, fecit, Philippoque Regi, vt in vindicandis malefactoribus operam suam præstaret, iniunxit.

ep. 161. & 181. Anag. 15. Cal. Iul.

ep 355. Anag. 3. Cal. Sept.

XVI. ALTERVM SEMEN.

Erat & istud, quod Philippum incitaret. Milites Hierosolymitani in tuendo Regno Cypri dies noctesque excubantes, multas impensas faciebant. Eas porro cum ex Syria Palæstinaque colligere non possent, ex Galliis, quemadmodum & ex Germania, Gallia, Anglia, Lusitania, Sicilia, & Italia, deposcebant. Non multum grata fuit Regi Philippo, vt & cæteris Principibus, ea pecuniarum ex Regnis eorum collectura. Quamobrem, cum & exactionem interdicerent, & ipsi bona eorum militum inuaderent, fructusque illorum per nefas vsurparent, Bonifacius tum Romanorum, Angliæ, tum Portugaliæ, Siciliæ Reges, tum etiam Philippum hortatus est, vt sibi à bonis Ecclesiasticis temperaret, neue eas pecunias sacris militibus transmitti prohiberet. Non potuit hæc omnia non ægre ferre Philippus, sed alte in pectus odium demisit, quod post aliquot annos, magna cum ignominia sua in Christum Domini euomuit.

ep 489. Anag. 12. Cal. Aug.

XVII. DANVS IOAN. ARCHIEPISC. CAPTIVAT. *ep. 358. & 359. Anag. 10. Cal. Sept.*

Quasi fatalis hic annus Ecclesiasticis personis extitit. Nam & Ioannem Archiepiscopum Londinensem Rex Daniæ in vincula coniecerat, quod is auaritiam & sacrilegia illius castigasset. Ad eum Regem Bonifacius Papa Isarnum Archiepiscopum Carcassonensem sedis Apostolicæ Legatum misit, qui eum ad eliberationem Archiepiscopi, qua precibus, qua consilio, qua denique censura Ecclesiastica compelleret: vtque Rex illum ad Apostol. sedem prouocantem libere ire permitteret, ac si quid in eo emendatione dignum sciret, Nuncios Romam transmitteret, qui reum criminis peragerent.

XVIII. SVMMARIVM GESTORVM BONIFACII HOC ANNO. *1 ep. 175. Veletri 10. Cal. Sept. 2. 3. Cal. Sep. 3. ep. 110. Laterani 7. Id. April. 4. ep. 85. 5. ep. 225. 6. ep. 614. 7. ep. 168.*

Eodem anno Bonifacius Papa. 1. Dytherium Ord. Præd. Adolphi Regis fratrem ad Adolphum Regem Romanorum in grauissimis negotiis Reipublicæ Christianæ, & præcipue ad conciliandam pacem inter eum & Regem Gallorum destinauit. 2. Ioannem Iordanis Vrsini filium Ord. Prædic. Ecclesiæ Patauiæ Episcopum præfecit. 3. Ecclesiam S. Maximini Aquens. in qua est corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ, in titulum Prioratus Ordin. Præd. ad preces Caroli Regis Siciliæ erexit, primumque Priorem Fratrem Guillelmum de Torres ei monasterio auctoritate Apostolica dedit. 4. In Lombardiam pro pace indicenda stabiliendaque Legatos misit. 5. Arelatensi & Caualiensi Episcopis, vt quædam statuta à Philippo Rege contra libertatem Ecclesiasticam faciant reuocari, præcepit. 6. Episcopo Nicosiensi, vt carceri includat quendam Episcopum Græcorum multorum criminum patratorem, commisit. 7. Clericis Aragoniæ ius eligendorum Prælatorum restituit: aliaque multa in rem Ecclesiasticam gessit.

XIX. *Genebrard. in Chron.*

Hoc anno Iudæi iam tertio à Philippo Pulchro spoliati, totaque Francia exacti, in Germaniam commigrarunt. Quare Iudæos Germanos esse de radice siue trunco Francorum scribit *Elias in Tisbi, Radice, Vicit.*

PRÆMISLAVS REX POLONIÆ INVNGITVR. *Cromer. lib. 10.*

Eodem anno ad diem 26. Iunii Præmislaus Rex Poloniæ ab Episcopo Gnesnensi, astantibus Episcopis, solenni ritu inunctus, diadema regium accepit. Multos eius præclaros conatus mors immatura præcidit, septimo vel octauo suscepti Regni mense. Mortis eius auctores Marchiones Brandeburgenses fuisse existimantur: qui veteribus odiis incitati, & potentiam vicini & inimici Principis, noui Regni & Pomeraniæ accessione auctam veriti, ac de Santocensi territorio, quod Polonis pridem eripuerant, metuentes, cum eum per dolum de medio tollere statuissent, locum atque tempus ad peragendum facinus idoneum nacti sunt, cum ille fessum Reipublic. curis atque negotiis animum apud Rogosnum Polonicum in vicinia Marchiæ Brandeburgensis relaxaret, quod continentes ei loco syluæ iucundas venationes præbebant: tempore etiam ad id inuitare, quo vulgo, more ex prisca, vti arbitror, Liberalium seu Bacchanalium superstitione, maiore licentia genio indulgetur.

XX. PRÆMISLAI REGIS CÆDES, EIVSQVE INFORTVNII CAVSA.

Vt igitur eum ibi securum & incautum opprimerent, Otto Longus elector Marchio, cum Ottone altero, & Ioanne Conradi fratris filiis, ex Constantia Præmislai sorore susceptis, & valida suorum manu nocturno itinere per syluas & auia profectus diluculo eius diei, quo Christiani anniuersario ritu cinerem capitibus aspergendo præteritorum flagitiorum abdicationem, & vitæ mutationem profitentur, armatis locum circumdant, rati omnibus qui circum Regem erant longa vigilia & crapula pridiana sopitis, nihil sibi negotii fore in scelere peragendo. Expergefactus tamen primo tumultu Præmislaus, nec subita & inopinata re consternatus, cum paucis qui euigilauerant, in hostes ad se venientes, nesciens quinam & quam multi essent insiliuit, & multis strenui fortisque viri operibus in eos editis, cum vnus omnium telis cominus eminusque peteretur, obrutus cecidit. Ibi diffugientibus eius aulicis, attollunt semianimem Regem Saxones, & equo imponunt, vt eum secum abducerent: Sed cum agitationem nullam ferre posse videretur, pugionibus immaniter confossum reliquere. Volunt nonnulli, quemadmodum Duglossus memorat: Zarembas quosdam & Nalencios (equestres eæ sunt apud Polonos familiæ) cædis Præmislai, si non adiutores, conscios certe quidem fuisse, quod seueriorem eum vindicem scelerum & inhonestas parandæ rei familiaris rationes refrenantem non ferrent: mansisseque patrati sceleris notam in his familiis, vt neque rubris vestibus vti, neque inter equestres homines in acie consi-

stere iis liceret, vsque ad id prælium, quo Casimirus Secundus Rex cum Russis conflixit. Corpus Præmislai Posnaniam relatum in Basilica cathedrali, cum maioribus eius conditum est. Creditur autem vxori peremptæ nece sua pœnas dedisse. Etenim cum Lucardis à pedissequis suis iugulata esset, Præmislaus huius culpæ non expers visus fuit, quod ne quæstionem quidem de scelere habuisset, nec pœnas exegisset. Causa vero huius parricidii Præmislao ea fuisse fertur, quod nullos ex ea liberos susciperet, quasi vero id sit in arbitrio cuiuspiam, ac non diuinitus liberi concedantur.

XXI. DONATIONES ECCLESIIS FACTÆ.

Condidit Præmislaus xenodochium in suburbano Calissiensi, Puellis vero sodalitii Dominicani monasterium Posnaniæ. Porro Cracouiensi Episcopo dimidiam decimam, quæ vicesima est, redituum de Solinis Cracouiensibus iure sempiterno donauit; cui donationi deinde Venceslaus Boemus alterum tantum adiecit, ita vt deinceps Episcopo non vicesima, sed decima penderetur.

XXII. ANDRONICVS OPE B. VIRG. AB CONIVRATIS NON OPPRIMITVR. *Gregoras hist. Roma. lib. 6.*

Per id temporis, Andronicus Palæologus Græcorum Imperator, in pœnam apostasiæ in maximum periculum adductus est: Rem narrabat Nicephorus isto ordine successisse. Cum Turcæ in Asiam se infunderent, coactus est Andronicus, ex optimatibus delectu habito, ad periclitantes Asiæ vrbes tuendas aliquem destinare. Erat autem tum vir quidam bellicosus, & rei militaris peritus, Pincernæ dignitate præditus, in ipso iuuentutis flore constitutus, qui occasionem ostentandæ præstantiæ suæ expectabat. Hunc Imperator, datis quot opus erat legionibus, in Orientem ablegat, vnaque cum eo Libadarium protouestiaritem, virum prouectæ ætatis bellicosum, & prudentia singulari, vt hic Ionicas vrbes gubernaret, Pincerna vero vlteriores omnes.

XXIII. PINCERNÆ FÆLICITAS.

Exiguo igitur tempore, Alexii Philantropeni in pugnis Turcicis extitit auctoritas, materiam nacta virtute eius. Erat enim & liberalissimus, & humanissimus erga inferiores: quod præclarum Ducibus viaticum est ad victorias & triumphos. Proinde ex animi sententia omnia illi succedebant, neque quicquam eum frustrabatur. Cum autem Turci illinc à Scythis fugarentur, hinc à Pincerna euerterentur, necessario plerique finitimorum leniorem ingressi viam cum vxoribus & liberis ad Pincernam confugiebant, non tam hostem tergis inhærentem metuentes, quam humanitatem & liberalitatem eius adamantes, vt & horum magnus numerus ad illius exercitum accederet. Sed cum tristia lætis admiscenda essent, ac tertium dolium Græci malis impermistum in Iouis aula esse negent: Lætum quidem vestibulum, & amœnitatis plenum huic fortuna ostendit, sed totum refertum malis in eum effudit. Nam cum ei Libadarius omnia prospere succedere videret, timere, & suspicari aliquid cœpit. Verebatur enim ne prosperis fortunæ flatibus Pincerna elatus, defectionem & tyrannidem spectaret, & primus ipse velut æmulus potestatis plecteretur. Idem etiam multi ex Proceribus susurrabant. Sed inuidia hæc erat immatura adhuc, & velut fomes sub cineribus latens. Neque vero id latebat Cretenses, qui apud Pincernam primum gratiæ & auctoritatis locum obtinebant, ex quo cum vxoribus & liberis ad eum è Creta se contulerunt. Nam & in magno honore apud illum erant & principatum inter intimos habebant. Nec in acie tantum illius latera claudebant, sed & in potestatis quandam communionem veniebant. Quæ res illorum animos deprauauit, & vt sorte sua non contenti, maiora quam parerat concupiscerent, impulit. Humani enim animi rerum successibus certissime explorantur, quibus amentes tantum insolescunt, quanta prudentes laude moderationis accumulant. Nam cum & ipsi ea, quæ de Pincerna murmurabantur, accepissent: viri animum grauibus cogitationibus perturbant, rem non ita, vti erat renunciando, sed elephantum è musca faciendo: & instant, vt primo quoque tempore deficiat, priusquam eadem quæ paulo ante miseri illi, Strategopulus inquam & Porphyrogenitus, experiatur. Hæc verba ingentes & contrarios in viri animo affectus commouerunt, vt ipse quid vellet, quid nollet, ignoraret. Sed tamen post longos cogitationum conflictus, defectionis auctores vincunt. Igitur Imperatorii tituli mentionem in castris fieri, principio Pincerna vetat, quæ Cretensibus non parua occasio fuit, vt vim illi facerent, & quamprimum Imperatoriis insignibus vti cogerent, ad confirmandos suorum animos. Consilia huiusmodi, inquit, ipsa res statim sequi debet: Neque quicquam est omnium, quod eandem & ingenii & manus promptitudinem ardensque studium flagitet, sin tempus terere vellet, & militum animos suspensos atque ambiguos facturum, & debilitaturum metu & expectatione incerti euentus. Hæc verba ille negligebat, haud scio reine magnitudine territus, an aliquid secreti animo agitans, nempe vt Libadarium inprimis subigeret. Hoc rerum statu celeres nuncii ad Libadarium & Imperatorem perferuntur, confusionem, & partitionem rerum, atque adeo ipsius Imperii nunciantes. Quibus Imperator ex improuiso auditis, vehementissime perturbatus est. Tandem conscientia Apostasiæ tactus, & ad Numina conuersus omnem spem in sanctissima Dei Genitrice & seruatore Christo collocauit, nihil non ab eius potentia pendere sciens. Hanc eius animi cōtritionem intuitus Dominus, Pincernæ consilia turbauit, vt omisso Libadario adhuc imparato Theodorum Imperatoris fratrem inuaderet, qui & ipse tum ibi in Lydia versabatur. Is enim non suspectus Imperatori, liberalissime ab illo tractabatur, & vbi libitum erat, versabatur. Ex quo enim fratrem comprehensum esse cognouerat, moderatius esse viuendum intelligebat: abiectisque suæ dignitatis insignibus, priuato habitu vtebatur. His de causis, multum & sincere à fratre diligebatur. Hunc igitur Pincerna oppressit, ne ad illum Imperatorio nomine ornatum, aliqui accurrerent, coactoque exercitu conatus sui impedirentur. Sed haud animaduertit, se vmbram amisso corpore captare.

CRETENSIVM SVASV SE PINCERNA ANDRONICO OPPONIT.

XXIV. PINCERNA TRADITVR LIBADARIO ET EXOCVLATVR.

Nam Protouestiarites Libadarius Pincernæ in superuacaneis istis occupationem sibi peropportunam ratus, & diuinitus oblatam occasionem in tam violento & subito aduersarum rerum motu omnem pecuniam contrahit, omnes pecunias summa festinatione, & è maritimis & mediterraneis Ioniæ locis, denique vndecumque in vnum conducit, ac priusquam decem exirent dies, cum magnis copiis in media Lydia castra metatus est, ibi Pincernæ impetum excepturus. Cumque sciret Cretenses maxime Pincernam in acie tueri, ac circa illum conglobari, clam cum eis egit: maximamque pecuniam daturum, & apud Imperatorem illustres dignitates eis impetraturum se promisit, si Pincernam initio pugnæ vinctum sibi traderent. Qui cum iam pridem illius cunctationem & tarditatem moleste ferrent, & alioquin fortunam eius conatibus aduersari viderent, pollicitationes admittunt, & inter pugnandum totam fabulam peragunt: Sic & ipse vinctus traditur, & breui totus exercitus dissipatur, Cum autem Protouestiarites negotium feliciter confecisset, non mediocri fastu victo insultauit, nec fortunam viri veritus, ne humaniter successibus vsus & Imperatoris clementia considerata, ne veniam impetraret, tertia post captiuitatem die visum illi ademit. Adeo acerbus & saxeus in hominem calamitosum fuit. Solet enim humanum ingenium humanitatis obliuisci, nisi incerta fortunæ momenta singulari prudentia moderetur. Porro in pugna quidem & acie, quidquid egeris excusationem facile inuenit, cum ratio oppressa iacet & manus velut ebriæ, mente non reguntur: Verum periculis iam propulsatis, & animorum æstu sedato, ac tranquillitate menti restituta sæuire, & ab officio discedere, improbi animi est argumentum. Ad eum modum Andronicus, propter Apostasiam in discrimen adductus, cum pœnitudinis & deuoti erga Diuam Deiparentem animi indicia monstrasset, seruatus est.

XXV. ÆDES LAVRETANA EX DALMATIA IN PICENVM TRANSLATA AB ANGELIS, LOCVM RVRSVM MVTAT, OB DVORVM FRATRVM

Mense Iulio huius anni, Lauretanæ Diuæ Deiparentis ædes, locum apud Picenos mutauit. Rem & causam narrabat Tursellinus in hunc qui sequitur, modum.

Sempiternus humani generis hostis, cœlestis Reginæ cultu, tanto Christianorum bono, ante octauum mensem apud Picenos excitato offensus, effusam eorum lætitiam religionemque omni ope disturbare decreuerat. Igitur ne conualesceret pietas populorum, priusquam tantum loco religionis esset, quantum futurum apparebat, occupat aduenis ac peregrinis inferre bellum. Erat Beatæ Mariæ sacellum in loco deuio, ac mari proximo, & frequenti sylua,

AVARITIAM, QVORVM COMMVNI AGRO SVBSIDERAT.

procerisque arboribus septo. Adibatur semitis densa inter virgulta, arboresque, & plerique inermes ibant, satis sibi præsidii in Beata Virgine, loci Præside reponentes. Ergo facinorosi homines quidam proiectæque audaciæ, non magis prædandi opportunitate illecti, quam ab infernis, vt creditum est, furiis instincti, semitas, quæ ad Ædem ferebant, obsidere, & circa densis obsita virgultis loca, in obscuris subsidere insidiis cœperunt. Inde subito exorti venientes peregrinos excipere, adoriri incautos, pecunia, vestibusque, &, si armis obsisterent, vita quoque spoliare. Itaque breui totus ille saltus latrociniis cædibusque infestus atque infamis, absterritis aduenis ad solitudinem est redactus. Iamque obsolescente indies cultu sacrosanctæ ædis, deuotio hominum euanescebat: cum Deus indignum ratus paratum ab se mortalibus perfugium salutis, inferni hostis scelere in perniciem versum: tutiorem opportuniorem que aduenis sedem suo Matrisque suæ domicilio delegit. Collis erat leniter accliuis mille fere passus ab eo loco, propius Recinetum, non longe à via militari. Huc igitur sacra domus octauo circiter mense, quam lucum insederat, sublimis aufertur ab Angelis, & in collis fastigium vertice. Possidebant eum collem communiter fratres germani duo Recinetenses concordibus animis, qui cœlesti dono mire læti sanctissimam ædem coniunctis studiis colere cœperunt. Auxit loci mutatio, nouique miraculi fama, vt admirationem, sic religionem accolarum æque aduenarumque. Quippe & Lauretanam ædem locum mutasse, & relicto obnoxio grassatoribus saltu, tutum à latronibus, opportunum peregrinis occupasse collem distulit rumor: exemplo finitimis populis eius reuisendæ cupidinem accendit. Proinde, siue intermissam latrociniorum metu tanti boni vsuram sarcire, siue nouam migrationem, quam auribus acceperant, oculis subiicere cupientes, eo summis vndique studiis conuolant: Horum plerique eandem ædem nuper in sylua coluerant, quam nuncin collis vertice extra syluam colunt. Quo maior omnes admiratio, & stupor defixos tenebat. Ergo sacellum, & veteribus prodigiis, & mutatæ denuo sedis miraculo venerabile, certatim accolæ votis, vocibusque celebrabant. Grates inde & Deo, & Deiparenti pro se quisque agebant, quod religiosissimã sedem latrociniis violatam non abstulissent alio, sed in tuto colle statuissent, opportuno aduenis loco. Porro crescente indies peregrinorum multitudine, cœpit quotidie augeri celebritas Ædis, parietes votiuis tabellis, cereis imaginibus, pretiosis vestibus contegi: ara congestis vndiq; donis, pecuniaque compleri: Sed aucta sacelli opulentia imminuit religionem eorũ, quorum studia maxime augere debuerat. Itaque auaritia breuiorem etiam, quam in sylua fecerat, augustissimi sacelli stationem in colle fecit.

Erat is collis (vt supra diximus) communis duorum fratrum, qui primo sanctissimum domiciliũ haud secus quam parerat, sancte ac pie colebant. Felices si diuino munere ad cultum vti, quam abuti ad quæstum maluissent. Cæterum opulentioribus donis indies religiosissimam ædem cumulari cum viderent: cupido angustos animos vicit: & religionem pietatemque penitus extinxit. Namque hæreditatem sibi vterque venisse rati, sacro auro argentoque inhiare primo, inde stimulante auaritia, odio plusquam fraterno inter se dissidere cœperunt. Ad vltimum, dum vterque ad se emolumentum trahit, cum altercatione congressi, ab irarum certamine ad arma venere. Iamque haud procul erat, quin germani fratres se augustissimamque Deiparæ cellam (adeo nihil sanctum auaritiæ est) fraterno cruore respergerent: cum Deus tantum facinus, sublata facinoris causa præuertit. Ergo non minus fraternæ discordiæ, quam sylue stri latrocinio infensus, maternam domum ad iactum ferme sagittæ ab eo loco in proximum collem, versus mare submouit: atque in ipsa via militari, quæ ducit ad Portum Recinetensem, locauit, à mari millia passuum circiter duo. Ita & discordiarum, & latrociniorum materies adempta: ac stabilis aliquando, ac certa sedes capta. Steriit sacra domus in colle fratrum paucos scilicet menses. Constat quippe nondum vertente anno, post eius in Italiam aduentum, in eo colle vbi nunc visitur, consedisse. Ita in agro Recinetensi, certe intra vnius anni spatium, siue accolarum vitio, seu potius diuino consilio, sedem mutauit.

Operæ autem pretium est, de ad mirabili eius situ cognoscere: Situs enim ipse sacrosanctam illam sedem, non humana, sed diuina prorsus arte manuque locatam, facile declarat. Sita igitur est, si qua vsquam, ad quatuor cœli mundique regiones, ex Mathematicorum disciplina: neque id solum, sed ex veteri etiam sanctorum Patrum instituto, qui aras sacrarum ædium ad solis spectare ortum iubebant. Namque anterior pars, vbi fenestra visitur Angeli ingressu (vt ferunt) nobilis, ad occidentem solem vergit: posterior, vbi ara est ante B. Mariæ simulachrum posita, verum ferme Orientem spectat, adeo quidem directo, vt per vtrumque æquinoctium, decem circiter dierum spatio, sol oriens posteriorem, occidens anteriorem aspiciat partem. Itaque sub occasum sol per eam, quam dixi fenestram ingressus ad B. Virginem velut vespertinus salutator accedit, quando matutinus esse nequit obiectu parietis exclusus. Id adeo etiam post sacram domum templo inclusam obseruatum ferunt, priusquam obuersa templo facies Pontificiæ domus obiiceretur ab occasu. Similiter porro sanctissimi sacelli paries ad septentriones vergit, dexter ad meridiem. Hunc autem tam admirabilem sanctissimi sacelli situm non casu occupatum, sed diuino quæsitum consilio vel illud argumento est, quod in ipsa quoque sylua, eundem plane situm à Beata Virgine optatum, vestigia quæ extant ostendunt. Sane re ipsa consentaneum fuerat: sacrosanctam quippe domum duo præcipue mysteria, ortus Beatæ Virginis, & æterni verbi conceptus insignem fecere: quorum ille fere in autumnale, hic in vernum incidit æquinoctium. Igitur haud immerito eam sol per vtrumque æquinoctium lustrat, sic prorsus, vt velut illorum mysteriorum memor, & sub ortum & ante occasum Deiparam Virginem pene ambitiose adire & quodammodo salutare videatur.

XXVI. SITVS ÆDIS LAVRETANÆ ET TOPOGRAPHIA.

Ad eum modum Ædis sacræ apud Picentes collocatæ fama, etiam in Illyricum perlata, Dalmatas nonnihil suspicantes ad eam visendam, Picentiumque pietatem æmudam accenderat. Dalmatarum ergo nonnulli Lauretanum contemplati sacellum (vt erat recens Illyricæ migrationis memoria) haud ægre scilicet agnouerunt. Itaque obortis lachrymis, venerationis munere perfunguntur. Mox velut refricato vulnere, ac desiderio ex amissi boni conspectu ingemiscentes suum detrimentum effuse deplorare cœperunt. Ædem illam, quæ tum in Piceno tanto mortalium concursu celebraretur, paribus ferme populorum studiis nuper in Dalmatia celebratam. Natale illud Virginis tectum Illyricis primum è Galilæa diuinitus missum, quo tum Picentes transmisso è Dalmatia fruerentur. Id & cœlesti indicio enunciatum Dalmatis, & destinatis in Galilæam certis hominibus exploratum. Agnoscerent proinde, & impensius colerent Picentes cœleste donum, ne quod aliis euenisse audiant, ipsis eueniat: & cuiusmodi illud tandem munus sit, carendo magis sentiant, quam fruendo: se quidem nequaquam desperare (si optatis vota respondeant) illam ipsam Virginis Domum in Illyricum, vnde paucis ante annis abierit, redituram. Hæ & aliæ tales Illyricorum voces, quod nouæ ad Picentium aures accederent (nondum enim quicquam de Nazarena & Dalmatica migratione fando audierant) à plerisque pro vanis habitæ irritæque. Cæterum breui noua res diuinitus oblata, eas esse veras ostendit.

Collis est, nemori ac sedi quam in Piceno primum Virgo Deipara elegerat, satis propinquus. Montem Corsum incolæ appellant. Huc receperat se paucis ante annis homo solitarius egregia sanctitate, sacrosanctæ cellæ propinquitatem secutus: nomen non proditur. Illum ipsum fuisse Paulum à sylua, inclinat animus. Is igitur, vt erat B. Mariæ vnice deditus, ad Lauretanam eius sedem ventitabat quotidie: pluresque inibi precibus trahebat horas. Intererat auidè miraculis, quæ Virginis ope patrabantur, aut patrata narrabantur ab aduenis. Multa etiam subinde audiebat, quæ à Dalmatis ferrentur, haud dubiis vulgata sermonibus: nonnunquam ipsos audiebat Dalmatas suam vicem lamentantes deflentesque nationis suæ orbitatem, ereptæ natali B. Virginis Domo, præsentique tantæ patronæ præsidio amisso. Pius Eremita cæteris B. Virginis laudibus lætus, vbi natalem illam Virginis domum esse accepit, obstupuit. Enimuero illi res pene incredibilis, sed tamen digna visu, quæ summa exploraretur opera: vtpote cum tãta res explorata atque comperta ædi Lauretanæ, cui ipse mire faueret, ingens nomen & decus esset allatura. Ergo hominem veri sciendi, religionisque erga Beatam Virginem augendæ auidum cupido ingens cepit, verum vanumne id esset, diuinitus cognoscendi. Nec mora; inedia, cilicio, verberibus corpus afflictare, mentem in preces effundere, nihil eorum omittere, quibus speraret Deum placari, conciliatique posse. Præcipue orare, atque obtestari Deiparam Virginem, vt quid tandem sacelli illud esset, aut vnde esset, certo aliquo indicio declararet. Nec incensæ eius pietati, votoque Virgo defuit. Alter (scilicet præsens) agebatur annus à sacra æde in Italiam adducta, cum per somnium ei Beatæ Mariæ species offertur, quæ bono illum animo esse iussum docet, se domicilio, quod in terris olim habuerit, in Italia sedem elegisse. Id quippe quod negligentius coleretur, è Galilæa in Dalmatiam, inde in Picenum, Dei nutu, cælestium ministerio deportatum: ibi semet genitam, ibi diuinam concepisse prolem. Idcirco illam ædem Deo semper ac sibi cordi fuisse, ac fore. Addidit cætera, quæ Alexandro Tersactensi Antistiti exposuerat in quiete. Ad extremum adiungit id donum Superum concessu, ac munere singulari, Picentibus atque Italis datum, vtique in tantis calamitatum procellis, malorum solatium, veniæ pignus pacisque: in cæteris deinceps mortalium periculis, & ærumnis perfugium omnium gentium, præsidiumque certissimum. Proinde abiret, & hæc Recinetensibus finitimisque populis renunciaret. Ille somno excitus, & cælesti indicio mire lætus, extemplo Beatæ Mariæ mandata exequitur. Ac primo Recenetum profectus Primoribus ciuitatis visum enarrat, cætera exponit: Matiam ipsam sui sermonis authorem nominat. Recinetensibus stupore defixis, alios deinceps populos strenue percurrit, eadem ingenti animi ardore denuncians. Id Picentibus vanum primo somnium visum: & author à multis pro somniatore habitus. Deinde vero, quoniam de dato ademptoque diuinitus Dalmatiæ Sacello, Dalmatarumque Ædem Lauretanam agnoscentium testimonio, obscura quædam per eos dies fama emanarat: collegere sese, ac tantam rem minime negligendam existimarunt. Et recens eos admiratio stimulabat, quod eandem ædem, ter vno anno sedem in agro Piceno mutasse meminerant. Ergo internuncii vltro citroque missi: ac demum Recinetensibus autoribus communi Picentium consilio decretum, vt ære contributo, certi homines in Illyricum, inde in Galilæam mitterentur, rem oculis certisque indiciis exploraturi.

XXVII. SEXDECIM VIRI IN ILLYRICVM DESTINANTVR, VT DE TRANSLATIONE SACELLI VERITATEM REQVIRANT.

Igitur sexdecim viri, fide, religione, authoritate præstantes ex omni Piceno lecti. His datum negotium, vt Dalmatiam primum, inde Galilæam explorantes, rem omnem intentius inuestigarent: & de natali B. V. Mariæ domo, quæ illis locis fuisse diceretur, comperta omnia domum referrent. Confectum illi transmisso Adriatico sinu, Tersactum delati, accolis aduentus causam aperiunt sui. Ardebant dolore ex recenti adhuc vulnere Dalmatæ omnes. Talis ergo boni amissi recordatione ingemiscentes, summum eius desiderium vocibus, ac lachrymis testabantur. Legatis amice rogantibus aream monstrãt, quam B. Virginis domus insederat atque inibi geminam illi, ac similem ædem, rei monumentum, extructam. Et simul integrato fletu, queruntur, ea sola Illyricis cælestis doni reliqua esse vestigia. Aliis tam diuini muneris concessam gloriam, sibi tantum famam relictam. Itaque Picentium Legati Ædis Lauretanæ mensura, quam secum ad hunc vsum attulerant, quaqua versus ducta, quod vacui erat spatii, id Lauretanæ Ædi prorsus congruere deprehendunt. Scisciati inde tempus amissi sacrosancti sacelli comperiunt, id eodem plane tempore Illyricis ereptum, & Picentibus datum. Re satis explorata, cum vtrique commemorassent præcipua vtrobique patrata miracula, manantibus certatim lachrymis diuelluntur, alteri desiderio mœsti, alteri lætitia gestientes. Legati igitur è vestigio vela faciunt, & Corcyram, Cretam, Cyprum celeriter præruecti in Palæstinam secunda tempestate perueniunt. Cæterum cum iter tutum non esset, vagantibus passim per totam Syriam Turcicis armis; pecunia prætidium emunt, quo in Galilæam perducantur, ac deinde reducanturad nauim. Ergo augustissimum Christi sepulchrum Hierosolymæ venerati, in Galilæam ire pergunt. Nazarethum vt venere, natalem Beatæ Mariæ inquirunt domum. De Christianis, qui qualescunque in medio nationis prauæ supererant, sedulo scisciantur. Ab his edocti, quæ vigente adhuc Christiana re in Syria, partim ipsi à maioribus acceperant, partim ipsimet suis oculis viderant, ad optatum ducuntur locum. Reperiunt aream cum fundamentis aulisæ domus in solo relictis, quæ interiore cura dimensi, omnia omnino cum Illyricis vestigiis, Ædisque Lauretanæ forma, ac parietibus conuenire comperiunt. Re vtrobique gesta ex sententia, admodum læti conscendunt nauim; ac remenso mari, Anconam vnde soluerant, reuehuntur incolumes. Protinus domos repetunt, Magistratibusque ac Primoribus Ciuitatum, vnde missi erant, comperta referentes, suam illis lætitiam impertiunt. Et Recinetenses successu læti legationis, cuius authores fuerant, monumentum extare voluerunt. Rem omnem in publicas tabulas referre placuit, additis sexdecim Legatorum nominibus, testimoniisque, quo res testatior ad posteros foret. Earum literarum exempla in priuatorum ædibus asseruata, ad nostram vsq; ætatem peruenerunt. Hæc autem per Legatos cognita sunt anno à virgineo Partu M. CC. XC. VI.

Ad diem octauũ mensis Augusti, hoc anno ex humanis excessisse Otto Vicecomes, Archiepiscopus Mediolanensis, vitæ integritate illustris. Huic Ioannes Vicecomes Archiepiscopus istud epitaphium inscripsit:

XXVIII. MORS OTTONIS VICECOMITIS ARCHIEPISCOPI MEDIOLAN. ET EPITAPHIVM.

Inclytus ille pater patriæ, lux, gloria patrum,
Fulgor iustitiæ, fidei basis, arca Sophiæ,
Largitor veniæ, portus pietatis egenis
Intrepidus pastor, quem moles nulla laborum
Ardua deuicit, populo latura quietem.
Ille prius Princeps, & Præsul amabilis, in quem
Altus virtutum splendor conuenerat omnis
Quo Mediolanum radiabat lampade tanta
Totaque fulgebat regio: nunc pallet adempto.
Clara vicecomitum proles venerabilis Otto.
Oh dolor, oh vulnus! ciuis est hoc marmore factus.
Christe pater vitæ requiescat spiritus in te.
Annis vndenis ter senis terque diebus
Præfuit Ecclesiæ pastor bonus Ambrosianæ,
Mille ducento quinto nonoque deceno
Quarto hic Augusti bis liquit gaudia mundi.

Octauum supra octuagesimum attigerat annum, quando satis concessit, cum Oratorium S. Agneti suo ære patrio dotasset, atque ex eodem Lectorem Theologum, & Medicum chirurgum in Ecclesia Metropolitana, pro pauperibus docendis, curandisque, stipendia mereri voluisset. *Bernard. Corius Hist. Mediol. p. 2.*

XXIX. TRANSLATIOS. DANIELIS PATAVINI MARTYRIS.

Hoc an. corpus S. Danielis martyris, Patauinorum Apostoli, in Ecclesiam Cathedralem Patauinam translatum est. Fuit is Hebræis ortus parentibus, & postea ad fidem conuersus, Sancti Prosdocimi Episcopi Patauinorum Diaconus & discipulus, quo cum fidem Christianam indidem prædicauit. Is cum suo munere fungeretur, atque Christi Domini fidem libere prædicaret, iussu vrbis Præfecti comprehensus, dum in fidei confessione constantissime permaneret, inter duas tabulas ligneam & ferream clauis confixus, martyrium consummauit. Eiusdem corpus diuturno tempore mansit ignotum, quoad Anno salutis M. LXIV. cæcus quidam ex Hetruria admonitus, Patauiumque ductus, locum sibi per visum in Basilica Sanctæ Iustitiæ apud aram S. Prosdocimi ostensum demonstrauit, in quo S. Martyris corpus conditum fuit, apud quod ille lumen recepit, aliaque miracula patrata sunt. *Bernard. Scardeon. lib. 2, class. 2, de Antiq. Patauin.*

XXX. CRVCE SYNDONI CVI VSLIBET IVDÆI IMPRESSA, AD FIDEM EOS DEVS VOCAT.

In Hispaniis hoc ipso anno, insigni miraculo voluit Deus Iudæos salutis eorum admonere. Duo eorum Rabbini, tantam sibi authoritatem apud reliquos comparauerant, vt Prophetarum nomine audirent, quod se occulta nosse, & futura posse prædicere affererent. Inter reliqua indicarant, breui tempore, id est, ad diem decimam mẽsis septimi, vniuersis Iudæis redemptionem affuturam, miraculosumque signum illam præ foribus præcessurum. Nec eos fefellit prædictio. Hoc enim die, cum Iudæi synodibus albis induti in Synagogis orassent, in eisdem synodibus signa Crucis apparuerunt. Qui à Synagogis abfuerant, in synodo-

nibus, quas in arcis conseruauerant, eadem signa Crucis repererant. Sed tamen pauci ex illis in Christum Cruci affixum credere voluerunt, in malitia obdurati. *Alphonſ. lib. 3. Fortalit. Fidei.*

XXXI. GENTILIS VRSINVS IVSTITIARIVS BRVTIORVM, ET ALII VRSINI.

Vinebat hoc tempore Gentilis Vrsinus Romanus, propter insignem probitatem, inque rebus agendis prudentiam Carolo Regi Siciliæ adeo probatus, vt eum Brutiis vniuersis Iustitiarium præposuerit, datis literis Neapoli 26. Febr. nona Indictione. Non impar & Romanus Romanellus Vrsinus Nolæ Comes, Aquilæ, Terræ Laboris & Comitatus Molisii Iustitiarius, Amatricis, Montis Regalis Æcumuli & Gnesſæ Præfectus, eidem Regi Carolo affinitate, propter Anastasiam Montfortiam vxorem coniunctus, & propter summam virtutem commendatus. *Ex monument. familiæ Vrsinæ.*

Eiusdem stirpis & virtutis fuit Franciſcus Vrsinus, cui propter ingentia in Ecclesiam Romanam merita, Bonifacius Papa VIII. castrum Ciuitellæ Foroliuiensis diœcesis iure fiduciario concessit. Quemadmodum is ipse Pontifex, bona quædam Ioannis & Petri de Monte nigro, quibus propter eorum culpas & demerita, illos per sententiam priuauerat, Matthæo Vrsino titul. S. Mar. in Porticu Diacono Cardinali, per hæc tempora addixit: in quæ postmodum Romanus Vrsinus Caroli Regis affinis, ex testamento hæres successit. *Ex iisdem monument. famil. Vrsinæ apud Excellentiſs. D. Virgineum Vrsinum, Ducem Brachiani.*

IESV CHRISTI
Annus 1296.

BONIFACII Papæ VIII. 2. ADOLPHI Reg. Rom. 5.

I. OBITVS PETRI DE MORONO CÆLESTINI V. ITEM VITÆ EIVS ET MIRACVLORVM BREVIARIVM. *Martyrol. Rom. 19. Maii. & Surius eod. die.*

QVarto decimo Calend. Iunii, commemorat Ecclesia, ex Martyrologio Romano obitum Sancti Petri de Morono: qui ex anachoreta summus Pontifex creatus, dictus est Cælestinus Quintus: sed Pontificatu se abdicans, & in solitudine religiosam vitam agens, virtutibus & miraculis clarus migrauit ad Dominum, hoc anno. Petrus Aliacus Cardinalis Cameracensis eius vitam ex fide scripsit, Surius recensuit, Lippelloius contraxit; quam hic emendatiorem subiungere visum.

Petrus vir eximia virtute in Brutiis Italiæ natus, spiritu quam carne, & animo quam origine nobilior, patrem habuit Angelerium, quiex Maria coniuge sua instar Patriarchæ Iacob, filiis XII. à Deo ditatus, parem cum S. Patriarcha Deo seruitutem exhibere studebat. Vacabat sedulo pietatis operibus, & quantum per facultates licebat, curandis pauperibus assidue operam dabat: & sine intermissione, multis gemitibus, & indefessis orationibus, vt vnum ex omnibus filiis diuino seruitio dignum eligeret, vna cum cõiuge postulabat. Nec sua fuere spe frustrati: Nam ex duodecim fratribus, velut alterum Ioseph à Deo singulariter dilectum, diuina prouidentia multis indiciis atque signis mirabilibus declarauit. Defuncto patre, mater tali prole beata, filium hunc suum studio literarum tradidit. In ea autem nocte, qua puer literis incumbere cæpit, defunctus pater, cuidam in somnis apparuisse visus est, monens, vt matrem incitaret, ad filium omnibus maximarum artium disciplinis imbuendum. Neque hoc sine diuino numine factum esse credendum est. Nam humani generis inimicus, felicibus pueri successibus inuidens, per se suosque ministros, sanctum matris conatum impugnare satagebat.

Interea vero puer vt primum literis à limine salutatis, mentem vocemque ad orationem formare didicit, aspectu imaginis Christi pro nobis in Crucem sublati, mirum in modum oblectari cæpit. Cumque puerili simplicitate, ardentius interdum obtutus in eam speciem defigeret, virginemque matrem & Ioannem sub Cruce stantes contemplaretur, visus sibi videre est Apostolum (præcipue si quid eo die correptione dignum admisisset) ad se venientem, monentemque vt vitam moresque componeret, & Christi vestigiis sedulo insisteret. Inde paulatim culmen perfectionis ascendens, tota mente nocte dieque cœlestia pertractare cæpit; & matri, signis minime dubiis, spem quam de eo conceperat, certam ostendere.

Porro, cum puer adhuc trium annorum, ligno præacuto in dextro oculo percussus, excæcatus fuisset, Mater à Medicis destituta, ad quandam B. Virginis Ecclesiam cum filio pergens, totam ibi noctem in sacris vigiliis ac precibus exegit, & mane oculum filii sanum, & integre videtem reperit. Itaq; puer sanctus vt primum adolescentiæ annos attigit, incredibili amore solitudinis & Eremiticæ vitæ flagrare cæpit. Et ne qua dæmonis fraude circumueniri posset, Romã primum adire decreuit, vt consilium ab ipso Pontifice sanum, saluberrimumq; acciperet. Solus igitur, omni humano destitutus consortio, iter aggreditur: in quo post multos labores, terrores, atq; pericula, ad montem quendam peruenit: vbi omisso Romani itineris proposito, paruam corpusculo suo aptam formauit foueam; in qua annos tres, in summa admodũ vitæ austeritate peregit. Hocergo in loco inter multas diuinæ bonitatis consolationes mirum quantas in suæ conuersationis principio, diabolicæ malignitatis pertulerit insidias, & quam inuicta virtute, insultus inimici repulerit. Exacto autem illo annorum spatio, Romã perrexit, vt sacerdotali benedictione ac beneficio dotatus, multo virilius pro sua, aliorumq; salute contra hostem decertaret. Itaq; sacra Presbyterii dignitate ornatus, mox ad montem Muronis abiit, vbi in quadam crypta annis quinq; integris angelicæ vitæ puritatem æmulatus vixit. Cumq; degens ibidem, omnium terrenarum rerum, & corporis etiam consuetudine oblitus, indies magis magisq: cœlesti splendore illuminaretur, sentireteq; interim humanæ carnis fragilitatem spiritui obluctantẽ, & interdum nocturnis pollutionibus corpus inquinantem, animo vehementer angi cæpit; an deinceps sacrosancta immaculati corporis & sanguinis Christi mysteria offerre deberet. Ea fluctuatio cum indies vehementius eum perturbaret, ecce nocte quadam visus est ei in somnis ipse Christus assistere, qui vanos illos conscientiæ stimulos, à malo spiritu fraudulenter immissos, sustulit, docuitque ac monuit, propter huiusmodi diabolicas illusiones & carnis illecebras, quamdiu illis animus repugnat, à spiritualium exercitio mysteriorum neutiquam cessandum esse.

Hac infelici laniantis conscientiæ miseria atq; pœna liberatus, magno est gaudio delibutus, & vt præclariora de hoste trophæa erigeret, vastiorem expetens solitudinem, ex Muronis ad Magellæ montem se transtulit: in quo nouas variasque dæmonum insidias rursus expertus, gloriosum semper triumphũ ex hoste reportauit. Nec defuere in mediis procellis Angelicæ consolationes, spiritusq; cœlestes, qui appositis dapibus illi ministrarunt, & ingenti perfusum gaudio recrearunt. Nec mirum sane, adeo namque diuinis assueuerat alloquiis, vt corporeo cultu & cibo potuq; plane neglectis, dies noctesque precibus, & hymnis, & diuinis meditationibus iungeret, & fatigatos vigilia, cadentesq; oculos, tam diu in opere contineret, quoad somno & lassitudine oppressus, vbi sors ferret, tandem aliquando succumberet. Et quanquam exhausta ieiuniis membra promptissime spiritui obtemperarẽt, ne tamen insurgentes interdum rebelles carnis motus, tranquillum animi statum labefactarent, asperrimo corpus cilicio domabat, catenaque ferrea lasciuientes lumborum titillos comprimebat.

Igitur cum tantus hic virtutum splendor, vt rutilans charitatis flamma, vim suam longe lateque exereret, multos ad sanctæ vitæ societatem sui que imitationem allexit: adeo vt noua quotidie fratrum multitudine ad eum confluente, varia pietatis domicilia extruxerit, & præclare admodum cõtra dæmonum insultus, & graue paupertatis onus, fratres suos cœlesti consolatione turatus sit. Et ne pusillus grex, quẽ sanctitatis exemplo & verbo, Christi ouili aggregauerat, dispersus aliquando periret, eum in Lugdunensi Concilio, sub Pontifice Gregorio eius nominis decimo, confirmari postulauit, impetrauitque; vt sub D. Benedicti Regula, quæ multorum neglectu tunc obscurata iacebat, Ordo sacer in Ecclesia Deo militaret. Itaque religione eius per Pontificem confirmata, animum ad salutem omnium, sedulo promouendam adiecit: breuique admodum tempore, sex & triginta loca Deo dicauit, in quibus sexcenti fere fratres, variis

riis virtutum & bonorum operum exercitiis insudabant. Non potest explicari, quot animas è faucibus diaboli extraxerit; quot à via prauitatis ad rectam virtutis semitam reduxerit, quantumque benignitatis studiis pauperes recreârit. Cuncta quæ possidebat, egentium esse patrimonium dicebat. Nam vt inopibus alimenta, dotes virginibus, remedia infirmis, & oppressis subsidia largiretur, oues & boues, argenteos calices, sericas vestes, & alia denique pretiosa Ecclesiarum ornamenta distrahebat, quo miserorum inopiam subleuaret. Cum autem tanta solicitudine morituræ carni succurreret, tum vero animæ multo sollicitius cœleste pabulum ministrabat. Et quanquam magna literarum scientia præditus non esset, diuino tamen illustratus lumine, cunctos saluberrima informabat doctrina, & innumeros sui imitatione ad virtutum opera prouocabat.

Hoc autem de eo admiratione dignum narratur, quod nullus erat tot vitiorum laqueis irretitus, aut tantorum pondere peccatorum pressus, qui ex facie illius conspectu, verbisque mellifluis, ad conscientiæ compunctionem non rediret, & ingenti perfusus consolatione, ab eo non recederet. Et quia maximus quotidie populi concursus ad eum fiebat, qui sermonis eius dulcedine perfrui cupiebat, alium locum ab hominum familiari accessu remotissimum expetiit, qui in montis Magellæ vertice situs, vel solo aspectu, cunctis horrorem ac formidinem incutiebat. In quo cum plurimis item miraculis inclaresceret, eo relicto, iterum ad Muronis montem rediit, vt ibidem vltimum vitæ actum, in omni sanctitate transigeret. Sed cum ibi per anni & mensis vnius spatium habitasset, fuit ad noui certaminis campum euocatus.

Nam cum Sedes Apostolica, ab obitu Nicolai Papæ Quarti, propter Cardinalium discordiam, amplius biennio pastore viduata esset, Latinus Vrsinus Cardinalis, qui primæ vocis honore fungebatur, in medio Patrum confessu, Petrum de Murone Summum nominauit Pontificem. Ad hanc vocem cæteri stupefacti, pariter in electionem consenserunt. Cumque populus vniuersus de eius honore lætus prosiliret, ille incredibili mœrore repletus, indignum se tanti honoris titulo clamabat. Et quia multis obtestationibus ac lachrymis frustra eum à se repellere nitebatur, spem omnem in salutari fuga, quam vnico cum socio clam meditabatur, constituit. Verum subita populi multitudine circumuentus, cum iam euadendi spes non esset, summum illud honoris fastigium, vi magis adactus quam voluntate, ascendit. Ea dignitatis gloria decoratus tantum abest, vt de adiecto sibi honore blanditus fuerit, vt etiam multo magis quam ante se deiiceret, & præteritæ humilitatis propositum mirum in modum augeret. Vnde, cum audita electionis eius fama Reges Siciliæ, & Hungariæ, veloci cursu ad eum peruenissent, vt debita cum reuerentia & obsequio, ad Aquilam ciuitatẽ deducerent, ipse non magnum equorum apparatum, sed paruum sibi asellum adhiberi præcepit. Neque potuit vnquam vllis Regum & Cardinalium precibus adduci, vt ab incepto humilitatis studio desisteret. Et certe quam fuerit hoc summo illi omnium Pontificum Pontifici Christo gratum, singulari voluit miraculo declarare. Nam cum multi variis infirmitatibus oppressi post eum portarentur, vt contactu vestimenti eius (erat enim totius populi mira erga eum fidei deuotio) sanarentur, homo quidam filium suum ambobus pedibus claudum deferens, cum ad virum sanctum præ multitudine accessus non pateret, asello de quo descenderat puerum imposuit, & postea Pontificem nactus benedicendum illi obiecit, qui sanitate recepta ab illa hora firmiter ambulauit.

In dicta igitur ciuitate Aquila, vocato Cardinalium cœtu, cum Apostolatus insignibus coronandus esset Pater sanctus, quia in terris habitans, tota iam mẽte in cœlis erat, Cælestini nomen accepit. Et ne quid inter quotidianos aulæ strepitus de percepta Dei gratia deperderet, in augusto palatio, cellam ligneam, angustum sibi habitaculum construxit, vt inter turbas solitarius & inter diuitias pauper, liberius orationi ac contemplationi vacaret. Ibi ergo assiduo cũ mente sua pertractare cæpit, quomodo tantæ dignitatis farcina abiecta, liberius orationi ac contemplationi intentus, ad antiquam solitudinem repedaret. Quid plura? Cum ipse anno quasi dimidio, non sine magna laude Apostolicæ Sedi præfuisset, tandem in die festo Sanctæ Luciæ, depositis Pontificalibus insignibus, de alta Petri Sede descendens Cælestinus, vt cœlestem sedem conscenderet, ad pedes eorum quibus præfuerat, humiliter Petrus prosternitur; nec prius è terræ puluere surgere voluit, quam *ipſius* honoris compedibus solutus, voti sui compos esset. Hæc dum agerentur, multiq; dubio mentis iudicio fluctuarent inter laudem & admirationem *ipſius*, diuinum numen præclaro miraculo animi eius altitudinem, terrenarumque rerum contemptum comprobauit. Nam cum post Missarum solemnia, quidam claudus contractis membris sese ad pedes ipsius prostrauisset, accepta ab eo benedictione sanus erectus est. Hoc igitur honore, velut onere intolerabili depulso, ad suauem Christi iugum in pristina solitudine ferendum, lætus redire satagebat.

Bonifacius sane successor, timens ne qua occasio schismatis in Ecclesia ex eius causa nasceretur, ei præceperat, ne pedem è castro nouo efferret. Sed Cælestinus optimo conscientiæ suæ testimonio fretus, eaque sola comitatus, relicta curia, clam abscessit, & gaudens atque exultans pristinam vitæ cœlestis consuetudinem repetere conatus est. Ne quis vero eam fugam, contemptæ potestatis ream esse crederet, Deus iterum testato miraculo eam confirmare dignatus est. Nam in via mulier quædam filiam suam vtriusque manus officio destitutam, ei obtulit sanandam; quam solo Crucis signo ita sanam & incolumẽ reddidit, vt cunctis diebus vitæ suæ de percepto beneficio gauderet. Cum autem innumerabiles populorum turbæ illum sequerentur, & iam Ecclesiæ periculosum schisma impenderet, his Bonifacium, his Cælestinum Pontificem dicentibus, Bonifacius memor, Cælestinum sua sponte, in publico Patrum consessu omnibus Cardinalibus æque consentientibus, & probantibus, Pontificatu se abdicasse; cupiensque omnes schismatis occasiones præuertere, missis idoneis viris, è fuga eum retrahere & volentem nolentem adducere præcepit. Porro is quanquam corporis viribus destitutus, & propter vltimam senectutem otio & quieti quam itinerum labori habilior, ad partes Apuliæ, per loca abscondita & incognita, in obscuram quandam syluam vno tantum fratre comitatus, latitandi causa effugere properauit. Cum autem neque illic occultari posset, quin à sequentibus populis inueniretur, & ad Pontificatum inuitaretur, mare transire dispositi, sed cum per 15. milliaria prospero male vento nauigasset ad terram iterum appulsus, iuxta ciuitatem, cui nomen Vestia est, applicuit. Ibi vero Gubernator eum excepit, & Bonifacio destinauit. Quacunque autem iter habebat, ingens populi multitudo, non secus ac Pontifici ei occurrebat, tantoque honore excipiebat, vt nocte media iter aggredi cogeretur, ne de die populi corona circumdatus Pontifex ab omnibus acclamaretur. Neque defuerant, qui viro sancto persuadere conabantur, vt denuo Pontificiam dignitatem sibi vindicaret. Bonifacius, cum hominem adductum vidisset, solitudinisque amore flagrantem audisset, in arcem Fumonis remisit, vt & desiderio illius quoquomodo satisfaceret, & schisma glisceus opprimeret. In eius arcis cubiculo angusto, adeo austeram vitam duxit Petrus, vt duo illius fratres, propter rem diuinam peragendam illi attributi, nequaquam ferre, aut imitari vitæ durum genus potuerint. Postquam autem fidelis Athleta diu ac legitime certasset, & annos quinque & sexaginta inuicto animi robore huius vitæ labores pertulisset, post decimum in ea custodia mensem fortiter exactum, sanctam animam efflauit. Eius venerandam mortem miracula quam plurima secuta sunt. Cæterum corpus exanime debito cum honore ac celebritate, à Bonifacio Pontifice in ædẽ S. Antonii de Ferentio translatum, ad maius altare sepulrum est: cum ei quoque ritu solenni tamquam pro Pontifice vna cum Cardinalium, & totius Cleri cœtu, Bonifacius Pontifex Romæ parentasset, propter frequentem miraculorum operationem, anno ab eius obitu XI. Clemens eius nominis Quintus, Sanctorum Confessorum catalogo eum annumerauit, eiusque annuam festiuitatem die XIV. Calend. Iunii instituit, qua post vitæ huius ærumnas in Christi pace felicissime quieuit.

II.

Propter eandem miraculorum claritatem, cum innumerabi-

APOLOGIA PRO BONIFACIO IN CVSTODIA DETINENTES. PETRVM.

merabiles eum iniuria affectum fuisse dicerent, adeoque Bonifacii Pontificatum in dubium reuocarent, multi etiam insuper lædoriis aspergerent: Ægidius Columna Ord. Eremitarum Sancti Augustini professor, vir propter sanctitatem, & doctrinam apud vniuersos Reges & Principes, magnæ auctoritatis; pro Bonifacio apologiam doctissimam titulo, *De renunciatione Papæ lib.* 1. scripsit, clarissimeque ostendit Bonifacium verum & legitimum Romanæ Ecclesiæ Pontificem esse; nulla iniuria Cælestinum affecisse; necessitateque Ecclesiæ vniuersalis adductum, non vero peruerso animo impulsum, ea in Cælestinum admisisse, quæ admisit. Ptolomeus Lucensis, qui per id temporis vixit, & processioni celebri coram Cælestino Neapoli factæ interfuit, scriptum reliquit, quia Bonifacius eundem Cælestinum tenuit, inque custodia non quidem libera, honesta tamen, habuit, præcauendo scandalo Romanæ Ecclesiæ, quia, vt apud aliquos mussitabatur, accidere potuisset; & sic poterat schisma in Ecclesia generari.

In Chronico Romanorum Pontificum.

III. FRIDERICVS ARRAGON. AB SICVLIS REX RENVNCIATVR ET CORONATVR AB EPISCOPO PANORM.

Huius anni principio, ad Quartum Nonas Ianuarii Bonifacius Romæ apud Sanctum Petrum agens, cum non ne sciret conatus Siculorum, in Imperio Caroli detrectando, Constantiæ Reginæ, ac Friderico ac Petro eius filiis omnibus Siculis Proceribus perscripsit, vt Sicilia illi excederent, isti vero regni totius possessionem liberam integramque Carolo atque Ecclesiæ Romanæ relinquerent. Porro tantum abest, vt Summo Pontifici Proceres obedierint; vt etiam ad XVIII. Cal. Febr. Catanæ congregati: Regem Fridericum renunciarint; & paulo post ad VII. Cal. April. qui Annunciationis Virgineæ, & Resurrectionis Dominicæ eo anno dies festus fuit, Panormi ritu solemni ab Archiepiscopo Panormit. in Ecclesia Principe, regio diademate coronarum, salutarint. Is porro vix regno initiatus, cum audisset, à Carolo, Roccam Imperialem, Calabriæ non ignobile oppidum obsideri, ad bellum tum repellendum, tum inferendum, comparato exercitu sese accinxit, initaque ætate terra marique oppugnare Caroli ciuitates adorsus, Scyliacium, Cantanzarum, Crotonem, Rossanum, Sancti Seuerini oppidum, & alia plura cepit.

ep. 161. & 162. Romæ apud S. Petrum 4. Non. Iun. Fazellus lib. 9. d. 3.

IV. BONIFACIVS CAROLO NITITVR VENDICARE SICILIAM. *Summont. lib. 3. ep. 29 30. & 37.*

Non poterat ea omnino Bonifacium latere. Quamobrem vt Regnum Siciliæ Carolo vendicaret; opemq; maiorem illi conciliaret, atque hostilem distraheret, ad XIII. Calend. Februarii, Iacobo Aragoniæ Regi, Corsicæ & Sardiniæ insularum Regnum ad Romanæ Ecclesiæ iura pertinens; iure fiduciario, certis sub conditionibus & censu soluendo concessit, eundemque vexilliferum, Ducem copiarum, & maritimarum Ecclesiæ rerum classiumque præfectum quem Admiratum vocant, in terræ sanctæ subsidium, & aduersus quoscumque Ecclesiæ hostes, insigni laudis testimonio designauit. Insuper in septuaginta nauium classem, triginta quinque Solidorum Barchinonensium millia in singulas naues in quatuor proxime sequentes menses Iacobo promisit: vtque quam primum vna cum Carolo Rege Siciliæ Romam conuolaret, Fratrem Leonardum Ordinis Minorum Prouinciæ Romanæ ministrum, ad eum inuitandum, atque cum honore deducendum destinauit. Non intermisit Iacobus Aragonius, in gratiam, & Pontificis & soceri omnia conari, vt Carolo & Ecclesiæ Sicilia à Friderico restitueretur. Inprimis enim Fratrem Petrum Corbalium Dominicani instituti Theologum, summa in rebus agendis dexteritate virum, ad Fridericum ire iussit, qui eum à bello contra Carolum auerteret. Quod si nollet, bellum ei nomine suo denunciaret, seque futurum copiarum Ecclesiæ contra eum & Siculos ducem ediceret. Nihil profecit Petrus apud Fridericum. Nam is insolenti animo ex victoriis frequentioribus factus, aduersus fratrem sibi arma esse in promptu dixit, & ostendit. Cumque Carolo grauis esset, neque vel preces audiret, vel apparatum belli quem Iacobus faciebat formidaret, Carolus quatuor viros illustres, Comitem Marsici, Balzi, Aluerniæ, & Gentilem Vrsinum, Oratores ad Bonifacium misit, qui pecuniam in stipendia, & reliqua subsidia belli depellendi impetrarent. Promisit quinquies mille uncias auri Bonifacius ex tempore se Neapolim missurum, reliqua vero primo quoque tempore suppeditaturum. Cum autem Iacobum nonnihil cunctantem videret, & forte etiam inter illum & Fridericum conuenisse, fraudeque factum esse, vt hic regno Siciliæ non solum non excederet, sed & maioribus conatibus in reliqua eius mediterranea inhiaret, Bonifacius suspicaretur, vt certius haberet quē vtriq; pro Regno Siciliæ & Carolo opponeret, & tum Siciliæ, tum Germaniæ, tum etiam Orientis rebus afflictis prospiceret, Philippo Gallorum Regi scripsit, vt is Carolum Valesii, & Alenconii Comitem fratrem Romam transmitteret; quo cum de magnis ac secretis negotiis conferret. Scilicet, dissidentibus à Rege Adolpho Principibus Germaniæ, eumque regno & vita exuere conantibus, cogitabat Carolum Imperio Romano præficere, & tum contra Siculos, tum contra Aragonios fratres, si hos per clancularium consensum; Carolo Regi Siciliæ atque Ecclesiæ incommodare perspexisset, tum contra Saracenos & Schismaticos Orientales armare. Præsertim cum videret Adolphum quietis impatientem, non tantum Germaniam armis infestis inisquisse, sed & Regem & Regnum Franciæ, excitatis in Belgio tumultibus inquietasse: nec quicquam Pontificem monentem audisse.

ep. 91. Ann. 15. Cal. Sep.

V. *epist. 62.* MONET ADOLPHVM REGEM, NE PHILIPPVM ET BELGICAM INFESTET.

Is enim etiam hoc anno, ad XV. Calend. Septembr. datis Anagniæ literis Adolphum hortatus fuerat, ne Regem Philippum, neve Regnum Galliarum aut Belgicam infestaret, neque Anglum iam quietum ad arma sumendaexcitaret. Namque excitasse aiunt. Cæterum Bonifacius vt omnem occasionem dimicationis tam Gallorum, quam Anglorum Regi eximeret, vtrique perscripsit, vt si quid reliqui inter eos controuersiarum esset, totum arbitrio Sedis Apostolicæ permitterent, atque Oratores Romam plene instructos mitterent, qui alternis contra alteros, coram designatis iudicibus, rem totam exponerent, decernendam calculo illius sedis, cuius est iustitia & iudicium præparatio è cœlis.

ep. 90. Ann. 15. Cal. Sep.

VI. SVMMARIVM GESTORVM BONIFACII. *1. ep. 324. Anag. 10. Cal. Aug. 2. ep. 530. Laterani 3. Cal Ian. 3. ep. 38. Anag. Non. Iun. 4. ep. 452. Anag 6. id. Sept. emb. 5. Direct. Inquisit. p. 2.*

Inter hæc etiam Bonifacius 1. Carolo Regis Siciliæ, vt gratia amplificandi cultus diuini, & prouentuum Ecclesiæ Sancti Nicolai Barens. posset quasdam Capellas & alias Ecclesias eidem vnire, concessit. 2. Ludouicum Caroli Regis Siciliæ filium, Fratrem Ordinis Minorum, Ecclesiæ Tolosanæ Episcopum præfecit. 3. Duci Venetorum vt ad tractandam cum Genuensibus concordiam Oratores Romam mitteret, iniunxit. 4. Priori Ordinis Prædicatorum, & Guardiano Ordinis Minorum, vt Caietanos ciues ob participationem cum Siculis anathemate adstrictos absoluerent, potestatem fecit. 5. Contra hæreticos leges olim à Friderico latas, in hunc modum lata Constitutione confirmauit.

VII. CONFIRMAT LEGES IN HÆRETICOS LATAS NOVA CONSTITVTIONE.

Vt Inquisitionis negotium contra hæreticam prauitatem, ad Dei gloriam & Augmentum fidei nostræ temporibus prosperetur, leges quasdam per Fridericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione Romanæ persistentem Ecclesiæ promulgatas (quatenus Dei & Ecclesiæ suæ sanctæ honorem promouent, & hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis canonicis non obsistunt) approbantes, & obseruari volentes, vniuersos sæculi Potestates & Dominos temporales, ac prouinciarum, terrarum, ciuitatum, aliorumque locorum rectores quibuscunque dignitatibus vel officiis, aut nominibus censeantur, requirimus & monemus, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei diœcesanis Episcopis, & Inquisitorib. hæreticæ prauitatis à Sede Apostolica deputatis, aut in posterum deputandis pareant, & intendant, hæreticorum credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum ipsorum inuestigatione, captione, ac custodiæ diligenti, cum ab eis fuerint requisiti: & vt præfatas personas pestiferas, in potestatem seu carcerem Episcoporum, aut Inquisitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipsi, vel aliquis ex eis mandauerint, intra eorundem dominorum potestatem, vel rectorum districtum, ducant, vel duci faciant sine mora: vbi per viros Catholicos à præfatis Episcopis, seu Inquisitoribus, vel eorum aliquo deputatos sub arcta & diligenti custodia teneantur, donec eorum negotium per Ecclesiæ iudicium terminetur. Vtque de hæresi à Diœcesano Episcopo, vel Inquisitore seu Inquisitoribus condemnatos præfati Potestates, Domini temporales suos Rectores, vel eorum Officiales, seu Nuncii sibi relictos statim recipiant, indilate animaduersione debita puniendos. Non obstantibus appellationibus, seu proclamationibus prædictorum nequitiæ filiorum: cum tam secundum ordinationem prædecessorum nostrorum, quam secundum legem Imperialem, appellationis & proclamationis beneficium expresse sit hæreticis & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum. Prohibemus quoque districtius potestatibus, Dominis temporalibus, & rectoribus, eorumdemque offi-

cialibus

cialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine (cum mere sit Ecclesiasticum) quoquomodo cognoscant, vel iudicent, siue captos pro eodem crimine, absque dictorum Episcoporum, siue Inquisitorum, aut saltem alterius eorundem licentia, vel mandato, à carcere liberent: aut executionem sibi pro huiusmodi crimine à Diœcesano vel Inquisitoribus, seu Inquisitore iniunctam, prompte (prout ad suum officium spectat) facere seu adimplere detrectent, vel alias Diœcesanorum, aut Inquisitorum iudicium, sententiam, seu processum, directe vel indirecte impedire præsumant. Si quis vero de prædictis Potestatibus, Dominis temporalibus, rectoribus, vel eorum officialibus, seu Ballitis, contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio sæpe fatis Diœcesano Episcopo, vel Inquisitoribus incumbenti, se opponere forte præsumpserit, vel ipsum aliquatenus impedire: nec non & qui scienter in prædictis dederit auxilium, consilium vel fauorem, excommunicationis se nouerit mucronepercussum, quam qui per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.

In Gallias quoque & Angliam Oratores, Bonifacius destinauit.

VIII. INTER GALLVM ET ANGLVM BELLVM, BIVSQVE SEMINATVM ODIA PHILIPPI IN BONIFACIVM.

Graue enim per id temporis, excitatum fuerat bellum, inter Angliæ & Galliarum Reges, vel ex hac præcipue occasione, quæ etiam paulo post causam dedit Bonifacio Pontifici in Philippum Regem animaduertendi: & hinc Philippus odii in Bonifacium exerendi. Rem narrabo, *ex Flandricis Annal. lib.* 10.

Guido Princeps Flandriæ, filiam suam Philippam posteriore ortam vxore, Edouardo VValliæ Principi Regis Anglorum Eduardi filio ac hæredi desponderat. Cæterum Anglus, multa à Philippo Gallorum Rege repetens, bellum illi facere inceperat; vtque suam vndique firmaret factionem, mirum in modum Procerum Gallicorum amicitias ambiuerat, illosque affinitatibus sibi iungere, ac honoribus muneribusque allicere omni studio curauerat. Iam Brabantinum Ambarumq; generos salutarat, haud minore necessitudine Flandrum sibi deuincturus. Itaq; cum Philippo Regi valde suspectæ essent, & inuisæ Flandrorū opes, ægerrimo tulerat animo, quod se inconsulto filiam suam Guido Comes Angliæ Regis filio despondisset. Dissimulato Rex dolore, Guidonem cum vxore blandis ac fraudulentis verbis ad se Corbolium accersiuerat: eoque nihil dum de Regis dubitantes fide, postquam illi peruenissent, minaci Rex vultu vtrumque exceperat, exprobraueratque dicens: *Flandre, Flandre; occultam iunxisti societatem cum inimico nostro: reus es perduellionis: Comitatum tuum amisisti.* Hic quam quam Guido, multis sermonibus quantum potuit conaretur lenire Regis animum, excusareque suum factum: polliceretur nunquam se à fide Regi regnoque præstita discessurum, ac cupere se, ostenderet honesta liberorū matrimonia, quod fieri crederet cum regni honore & vtilitate, non autem cum damno aliquo aut dedecore: iuraque nuptiarum vbique gentium libera esse solere: cum Anglo præterea nullum se fœdus, quo Gallia lædi possit, initurum: inque eam rem, si Regi videretur, daturū se obsides polliceretur; pluraque alia ad se purgandum coram Rege adduceret: sed nihil profeceret, captus namque mox fuit, ductusque Lutetiam Parisiorum, ac seruatus ibi cum coniuge, in arce Lupara. Ita Guido, vt erat simplici vir fide, doli mali insolens, fidelior quam cautior, dum vtrumque sibi Regem amicum habere studeret, in grauem prolapsus erat calamitatem. Ex hac occasione, Anglus mouit in Philippum. Vbi enim in Anglia cognita fuit Guidonis captiuitas, missus statim Aymundus Eduardi frater cum exercitu in Vassates. Missi alia parte à Franco contra hos, Carolus Valesius, & Robertus Atrebas intro prælio, victi fugatique Angli; capti ad magnum numerum viri nobiles. Inter hæc pacificante Bonifacio Rom. Pont. ac fideiubente Amedeo Comite Sabaudiæ, Guido Comes custodia liberatus fuerat, his legibus: vt filiam suam Eduardo Regio iuueni desponsam, Philippo Regi obsidem traderet, neque fœdus vllum cum Anglis regni hostibus depangeret: Pacem ann. 25. pro Ferdinando principe factam inconcussam seruaret. Quod si secus fecisset, ipse piorum cœtu moueretur, totiq; Flandriæ sacrificiis interdiceretur per Archiepiscopum Rhemorum, & Episcopum Syluanectensem, Iudices à Romano Pontifice delegatos. Abducta igitur per Regios Legatos Philippa virgo ex Flandris Lutetiam Parisiorum. Guido vxorque, relicta cum ingenti dolore filia, domum reuersi, non cunctabantur filiam instanter repetere: nihil q; intentatū prætermittebant, vti eam captiuitate liberarent. Intercedebat quoq; pro eius libertate Bonifacius Rom. Pontifex: cumque nihil orando monendoque profecisset, per minas diri fulminis Regem adigebat, vt Philippam dimitteret. Sunt qui ferant, Regem illas contempsisse, atq; præfracte respondisse; nihil ad Pontificem Regni curam, nihil profana negotia attinere. Itaque Guido, postquam se omnia in cassum moliri vidisset, ira doloreque commotus, cum Edouardo Rege fœdere inito, bellum Philippo, per fœciales, Gemblacensem & Floreffiensem Abbates, indixit. Cæterum Bonifacius, quanquam iniuria grauissima à Philippo prouocatus, nihil tamen non egit, vt cum Anglo conciliaret, eiusque vires à Regno Galliarum auerteret. Namque anni subsequentis Calendis Ianuarii Generales Magistros Fratrum Dominicanorum & Minoritarum destinauit, qui inducias inter Reges indicerent, ac tempore inducirum pacis aliquas rationes inuenirent. Inter has inducias Romam profecti sunt, nomine Philippi Iacobus à Fano Pauli, pro Edouardo Episcopus Dunelmensis, pro Guidone Robertus eius filius, vt Bonifacii Pont. sententia (vt pactum erat) omnes deciderentur discordiæ. Hic vbi propositæ discussæque satis fuere, omnes eorum querelæ & controuersiæ, pronunciauit Bonifacius; Guidoni filiam occupataque oppida Pulcher redderet: Anglo item quicquid in Aquitania abstulisset restitueret; deque bello duntaxat Asiatico cogitare vellet. Datæ Episcopo Anglico hac de sententia obsignatæ per Pontif. tabulæ. Reuersi Legati, Robertus ad partem concessit; Episcopus cum Iacobo Castillionensi Lutetiam petiit, vbi tunc Philippus Rex agebat. Erant ibi cum Rege fratres eius Carolus Valesius, & Ludouicus Eburouix, cum Roberto Abbate: qui Atrebas raptas ex manibus Episcopi literas Bonifacii, ausu temerario igni dedit; quod quidem factum vindicta numinis postea, misera luit morte. Quin imo rex ipse nihil eorum quæ Pontifex pronunciauerat, se seruaturum, sed vt primum exirent induciæ bellum se hostibus instauraturum affirmauit. Hinc auctum est adeo inter Pontificem & Philippum odium; vt rex, & Stephanum Columnam capitalem Pontificis hostem, in regnum suum receperit, suaque amicitia impartiuerit, & ab ignominiosis conuitiorum que plenis literis, minime sibi temperauerit, aliaque indigna postmodum in Pontificem immerentem patrauerit, quæ suis locis, ex fide publica narrabuntur.

IX. RES ECCLESIÆ ROM. IN ÆMILIA ET BONON. AB DEFECTIONE MVLCTIS IMPOSITIS REVOCAT. *Rubeus lib. 6.*

Non neglexit pariter Bonifacius Pontifex res Ecclesiæ Romanæ in Æmilia & Bononia curare. Aliqui perduelles facta coniuratione cum Cæsenatibus, Foroliuianis, Fauentinis, Foro Cornelianis, & eorum asseclis Romanæ Ecclesiæ hostibus, multa contra eandem Ecclesiam pertentarant. Bononiensium quoque partiarii inter se tumultuabantur. Ad hos in pace continendos, illos vero ad officium reuocandos Bonifac. Petr. Priuernatem, tit. S. Mar. Nouæ Diaconum Cardinal. Legatum destinauit: *is* vero Maximum fratrem, Comitem, Præfectum Prouinciæ præposuit, qui in rebelles sententiam dixit. Inprimis quod iura ac vectigalia, quæ Romana Ecclesia Forliuii atque in eius agro habet, subtrahere decreuissent, huic crimini matcharū mille & quingentarum mulcta fuit, quod Romanæ Ecclesiæ subiunctos fidosque & obedientes ab eius abducere dominatu, ditioneque tentassent, iamq; magno Ecclesiæ Romanæ damno abduxissent, mille marchis multati sunt. Quod Prætor, Præfectus senatus, vniuersitasque Forliuii, contra pacatum Prouinciæ statum, ipsi ciuitati Forliuii, equos, armaque & milites imperassent, mille marcharum pœna indicta est, quod pedites atque equites, contemptione Romanæ Ecclesiæ conscripsissent, comparassentq;, & per Prouinciam, vt eam euerterent, duxissent, eadem teneretur pœna, quod exercitum in Bononiense, ipsamque vrbem Bononiam, oppidum Medicinam, quod ad Ecclesiam Romanā omni iure spectat, multis allatis damnis, intulisset, marchas bis mille argenti penderent, quod instruxissent belli apparatum, pedites alios, equitesque comparassent, & eos contra ipsius iussa Comitis, Marchioni Estensi subsidio misissent, mille marchas soluerent, quod censum equitum atque peditum habuissent, & contra Rectorum Prouinciæ leges, conuenissent, cœtusque egissent, huius est facinoris quingentarum marcharum pœna constituta, quod pacem inter

ciuitates vniuersitatesque Prouinciæ à Rectoribus summis laboribus conciliatam, & magnis pœnis confirmatã, multiplici ratione violassent, eius fuit criminis mulcta Marcharum argenti dtium millium, quod Ecclesiæ obsequentes contumeliis affecissent, damnisque & à popularibus subsidia, pecuniam mutuam, tributa, portoria extorsissent, marchæ argenti quingentę ob id soluerentur, quod excepissent exules, perduelles capitis damnatos, Ecclesię hostes, fauoribus ac auxiliis eos essent prosecuti, & cum eis quotidie essent, mulcta esset mille marcharum argenti, quod ipsi Prouinciæ Comiti, aut Magistratibus, Internunciisve nunquã paruissent, ac potius rebelles fuissent, marchas argẽti quingentas, in ærarium Pontificium inferrent, quod Forliuium, fossa & vallo, mœnibusq; munirent contra formulam sententiæ priuationis in eos dudum latæ, huius delicti ea pœna ferenda esset, vt marcharum mille argenti persoluerentur, & munitiones solo æquarẽtur, quod post Comitis aduentum occupassent vrbem Forum Pompilii, quæ Rom. Eccl. est, Prætoremque ibi Foroliuianum creassent, duum millium marcarum argẽti pœna id scelus sequeretur, quod oppidum Monticulum rapuissent Britonorianæ diœceseos, & vna cum Britonorianis perduellibus exulibusque munitüissent, huicnoxæ, marcharum argenti quingentarum pœna deberetur, quod Meldulam & Salutare oppida, & plura alia, quibus Ecclesia Rom. iure dominabatur, & Prouinciæ huius moderatores dare Prætores consueuerãt, tenuissent, tenerentque, huius criminis esset pœna marcharum mille, quod iurisdictiones, Prætura, Præfecturam, Magistratus in vrbe Foroliuio sibi arrogassent, & quibus visum est mandassent, quæ tamen spectabant ad Eccles. Rom. & illis ne ea designarent, traderent, interdictum iam erat, huius peccati ea pœna danda esset, vt marcharum argenti mille in Pontificium ærarium inferrentur, quod citati, vt sacramento fidem ipsi Prouinciæ Comiti, Rom. Eccl. nomine obstringerent, quam debent subiuncti, non dedissent, hoc maleficiũ mille marchis argenti mulctaretur, quod ad cõuentum ab ipso Comite, vt Prouinciæ conformaretur his, Rauennæ ad huius mensis Nouemb. Nonas indictum procuratorem & Oratores Foroliuiani, vt ab ipso moniti fuerant non misissent, huius esset mulcta criminis quingentarũ marcharum argenti, quod vt iussi fuerant, Forum Pompilii non dimisissent. Prætorẽ suum non abdicassent, alia commississent contra ius, fasque complura, mulcta illis ex lege, mille marcharum argenti esset, quod Principes fuissent, auctoresq; coniurationum, fauissent cæteris, subsidiaque misissent, Marcharum argenti quinquies mille pœnam subirent. Tandem Legatus singulos & exilio, & quinq; millibus marcharum multauit, nisi intra tres dies magistratus omnes, & vniuersitas per Oratorem, cæteri ipsimet coram, apud ipsum Comitem se purgarent, causamque suam dicerent: alioqui omnium quæ superius numerata sunt, maleficiorũ rei conuicticque haberentur: honoribus, priuilegiis, immunitatibus, iurisdictionibus, quæcunque à Rom. Eccl. haberent, mulctati iam essent: eos nemo exciperet, auxilioue iuuaret. Quod si quis eorum in potestatem Magistratuum qui tum essent, quive futuri essent, capti peruenirent, nisi ad certam diem, expedirent mulctam, eas corpore pœnas darent, quæ Comiti, aut successoribus viderẽtur. Habuit hunc conuentum Rauennæ in Archiepiscopatus Prætorio, Maximus Comes, qui hunc in modum legibus subscribebat: *Prouinciæ Romaniolæ, ciuitatis Bononiæ, & Comitatus Britonorii Comes, & Petri S. Mariæ nouæ Diaconi Cardinalis, in temporalibus Vicarius.*

X. IN GALLIA DISSOLVTOS CLERICOS PER DEPOSITIONEM ET DEGRADATIONEM REVOCAT. *lib. 6. tit. de pœnis.*

Ea tempestate plurimi ex clero in Galliis, dignitatis suæ obliti, adeo turpem & in omne flagitium vitam profusam ducebant, vt Bonifacium disciplinæ Ecclesiasticæ seuerum exactorem incitarint, ad legem sanciendam, qua iudigni sacerdotes & reliqui Clericorum per scelera famosi, in ordinem redigerentur. Modũ ignorabat Episcopus Bitterrensis, quo eiusmodi profastos ea dignitate exueret. Itaque Bonifacius consulenti, per id temporis rescripsit his ipsis verbis quæ subiungo.

Degradatio qualiter fieri debeat, à nobis tua fraternitas requisiit, super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus, vel gradibus Ecclesiasticis, est à proprio Episcopo sibi assistente in degradatione Clericorum, in sacris constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero definito à Canonibus, facienda, quanquam proprii Episcopi sententiæ, siue aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat Ordines receperunt. Actualis vero siue solẽnis, cœlestis militia militis, id est, Clerici degradatio (cum ad eam fuerit procedendum) fiet, vt exauthorizatio eius, qui militiæ deseruit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque à militia remotius castris reiicitur, priuatus consortio & priuilegio militari. Clericus igitur degradandus, vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum, seu ornamentum ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi præsentiam adducatur: cui Episcopus publice singula, siue sint vestes, calix, liber, seu quæuis alia (quæ illi iuxta morem ordinandorum Clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita, seu collata) singulariter auferat ab illo vestimento seu ornamento, quod datum vel traditum fuerat vltimo, incboando & descendendo gradatim, degradationem continuet, vsque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ: tuncque radatur caput illius seu rondeatur, ne tonsuræ seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in degradatione huiusmodi, vti verbis aliquibus ad terrorem illis appositis, quæ in collatione Ordinum sunt prolata: dicendo presbytero hæc vel similia verba in remotione planetæ: Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali priuamus: sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis vtens, in ablatione vltimi, quod in collatione Ordinum primum fuit, infrascripto, vel alio simili modo pronunciet, siue dicat. Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus S. ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus & exuimus te omni Ordine, beneficio, & priuilegio Clericali. Hactenus Bonifacius Pontifex ad castigandos indignos sanciebat.

XI. IN CLERICORVM DISSOLVTORVM FAVTORES ET RECEPTATORES ETIAM ANATHEMA STRINGIT. *Extrauag. commun. tit. 20. de sent. excom.*

Cæterum cum etiam multi reperirentur, qui tum pœnas effugere, tum gratias emendicare conarentur, largitione munerum, quibus sæcularium fauorem se demereri posse existimabant, aduersus hos iustitiæ præuaricatores anathema strinxit, quod adiungo.

Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris & Filii, & Spiritus S. auctoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, omnes clericos, religiosos, & laicos vtriusq; sexus, siue sint familiares Curiæ, siue alii vndecunque, qui aliquod pactũ fecerint, seu aliquod parum vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto siue promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus & plenarie nõ expressis, siue sit sub specialibus & expressis aperte verbis, quicquam dederint, aut receperint magnum vel parum, vel promissionem de quacunque re aut vtilitate propter hoc consequenda fecerint vel receperint, pro aliqua iniustitia, siue gratia, pro se aut pro alio, in causis vel iudiciis, seu alias per literas Apostolicas, & quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda. Et hanc sententiam ad promittentes & acceptantes, dantes & recipientes duximus extendendam. Decernimus etiam, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiã, pro prædictis, vel aliquo prædictorum, (absque speciali mandato) nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad nos accessum habere non posset, in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutionis gratiam admittitur, nisi prius quantum dedit vel recepit, integraliter pauperibus largiatur. Iustitiam vero siue gratiam sic obtentam, nullius prorsus momenti esse volumus, omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis, sed & scienter vtentes ipsis, simili sententia excommunicationis adstringimus, & reseruantes nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus. Plura alia hoc anno Bonifacius egit ad sanciendam Ecclesiasticam disciplinam.

XII. PRÆCLARA PIETAS IN FILIVM MARIÆ SANCHIVIDVÆ RELICTÆ. *Marian. lib. 15. c. 1.*

Hoc Anno, præclara pietas, Mariæ Sancii Regis Castellæ relictæ, erga filium Ferdinandum in exemplum enituit. Alphonsus & Petrus Ioannem Ferdinandi patruum, Regem esse volebant, alteri Alphonsum Cerdam Regem pariter Castellæ salutarant. Copiis vtrimque armatis, cum res ad bellum apertum prouenisset, & Proceres Castellæ atque Vrbium Præfecti ValiSoletum ad deliberandum conuenissent: ibi primus Henricus, cui Regni procuratio tantisper decreta fuerat, donec Ferdinandus sub materna cura adoleuisset, eo delatus Reginam sacris in arce operantem, vt erat paludatus accedit: secundum salutem quantum periculum impendeat rebus, simulato mœrore explicat. A tribus, ait, Regibus in tuam perniciem coniuratum, non ignoras, hos sequitur magna Prouinciæ Procerum pars aduersus tantam tempestatem, in te fœmina, Mesenæ, Rege puero quantum præsidium? Arte vires adiuuandas censeo. Iniuria, inquit illa, filium paterno imperio spoliare parant! Superis innocentem ætatem curæ fore nõ diffidimus,

id cer-

id certissimum præsidium causę spesque. Esto, Henricus ait: non votis tamen tantum, & muliebribus lachrymis numina placantur. Vigilando, agendo, mentemque in omnes partes vertendo, pericula procurãda. Sic sæpe in magnis periculis Respublica conseruata est. In somno atque ignauia, certum exitium, vt Petro Aragonio cœlibi cælebs connubio iungaris, consilium do: vtinam tam gratum, quam salutare, possum exempla commemorare multa, & præclara, principum fœminarum, quibus & filiis id saluti fuit, nulla populi reprehensione. Exhorruit illa ad insolentiam nouæ vocis. Apage, inquit, tãtum dedecus, infamiamque. Regnum filio paterna contumelia conseruare, nunquam in animum inducam, neque externa exempla imitabor: cum domestica suppetant illustrium fœminarum, quarum integra fama vitaque cælibe, filiis in tenera ætate imperia steterũt. Non deerunt præsidia vires; vitæ innocentia magis quam vlla arte, superum auxilium constabit. Si certum periculum sit, perstare tamen est animus, neq; filii maiestatem turpitudine sugillabo. Sic Henrici consilium repulsum, & Ferdinando à pietate materna Regnum seruatum est, neq; sine certo numinis auxilio. Deserta enim pene omnia, Dini indigetes sustentarunt. Mora residente primo cum quo hostes venerant impetu, calor æstatis, cæli grauitas, rerumque omnium inopia, morbos in aduersario exercitu vulgauit. Et Petro Duce extincto coegit in patriam redire, nulla re præterea memorabili, numero imminuto. Henricus porro, qui in his turbarum motibus, in neutram se partem fortiter commouerat, sed mediam personam, aspiciens quemcunque cursum res habuissent, fortunã in consilio habiturus, gesserat, eadem fortuna destituit. Neque enim ab hostibus gratiam promeruit, & prouincialium grauissimum odium incurrit, quod his suspicio esset, eius sponte bellum excitatum esse, cunctaq; quæ euenerant mala, non inertia militum, neque hostium vi, sed eius fraude contigisse. Regina mutua dissimulatione aduersus Henrici artes pugnabat, alii palam præstantis fidei Proceres & Dynastæ.

XIII. SCOTI IN ANGLOS PROMISCVE SÆVIVNT ET DIVINITVS PVNIVNTVR.

Per hæc tempora insigne detrimentum cum cæteris Aquilonis partibus Anglicanis, tum diœcesi Carliolensi per Scotos illatum est, & inter cætera, misere expilata, atq; ferro & flammis vastata sunt Lambeleii Monialium, Hagulstadense, & Lauercotii Monachorum cœnobia. Extitit tunc Scotorum in Anglos plusquam belluina feritas, qua nulli sexui, ordini, aut ætati parcebant, qui lactentes pueros lanceis confossos in aerem iactabãt, & sacras Virgines in locis Deo dicatis nefanda libidine cõstuprabant. Aliquis cœnobiarum Lauercotii, eam calamitatem præsagiuit, cum rediens à nocturnis precibus somnum capturus, virum quendam vidit exertum gladium gestantem, atq; in omnes cœnobii partes peragrãtem. Tunc accidit, vt cum sacrilegi isti Presbyterum quendam apud Moniales illas ad sacra Missæ mysteria celebranda perurgerent, isque meru magis quam voluntate illis paruisset, iamq; ad ipsum sacrificium immolationemque ventum esset, Eucharistia repente euanuerit, cumq; ille aliam sumpsisset, idem etiam rursus accidit, quod cum sacrilegi illi vidissent, grauiorẽ aliquam diuinam vindictam formidantes, propere inde se proripuere, ea tamen postea valde irretiti sunt, immani clade & cæde ab exercitu Anglorum cõcisi, miraculoq; datum est, quod cum decem millia ex illis (ex quibus multi reperti sunt Sacerdotes) vnus tamen ex Anglis desideratus est. *MS. Vatic.*

XIV. SANCTITAS ÆDIS LAVRETANÆ PASSIM EVVLGATA INGENTEM HOMINVM EO PEREGRINANTIVM CONFLVXVM CAVSAT.

Hoc an. fama, Recineto finitimas vrbes pagosq; impleuit, faciam ædem Lauretanam, illam ipsam esse, in qua D. Deiparẽs olim nata, & ab Archangeli salutatione, Deo Verbo repleta est. Sexdecim Legati ex Illyrico & Galilæa reduces istud ipsum renunciauere, dixereque eandem domum primum ex Galilæa in Illyricum, deinde ex Illyrico in Picenum diuinitus transportatam, & per idem ferme tempus tertiã in agro Recinetẽsi migrationẽ ead. fama vulgauerat. Ergo plerosq; mortales, velut nouo ex noua fama animorum ardore concepto, ingens cupido cepit cœlestis doni ad se inde vsq; ab Orient. transmissi in noua sede visendi, colẽdique. Omnes quippe ita rem vulgo interpretabantur, Deiparam Picentibus suam ostentasse tutelam. Proinde reliquũ esse, vt ipsi in eius clientelam, fidemq; sese committerent. Confestim igitur ex omnibus prope oppidis incolæ plenis effusi portis, viisq; ad Lauretanam ædem contendere cæperunt. Nec firmi tantum ac valentes procurrere, sed etiam ægri & imbecilli, neglecto medentium imperio, prorepere ipsi si possent: sin minus, ab aliis, vtcunq; se iubere deferri. Cæterum expleriq; Piceni vrbibus oppidisq; paulo opulentioribus, populi linteati pluribus agminibus, tanquam cohortes sub signis, incedebant insignibus cohortibusque distincti. Qui certatim Deo, Deiq; parenti carmina canentes, symphoniarum, tympanorum, tibiarum cuncta circum loca festo complebãt sono. Hos deinceps misti mulieribus pueri, puellæq; vno velut agmine sequebantur. Ad sacellũ virginis vt ventum est (quoniam loci angustiæ tantam hominum multitudinem excludebant) in ipso conspectu sanctiss. domus, submissis genibus tanti muneris largitorem vniuersi pariter adorant. Exinde ad agendas Deo Deiparæq; grates versi, in tanta malorum partim instantium, partim vrgentium mole, pacem ac veniam precibus exposcunt: ipsamque Dei parentem enixius orant, vt quoniam Piceno cladibus afflicto voluntariã se Patronam obtulerit, Picentes in suam fidem tutelamq; recipiat: & volens, ac propitia suam semper sospitet gentem. Nec inane tutelæ, clientelæve nomen fuit. Ex eo tempore, & B. Mar. certissimam se Picentibus Patronam & illi vicissim se deuotos B. Mar. clientes, perpetuo præbuere, Lauretana eius Æde non solum ornanda, sed etiam tuenda. Nam quotidianis in salute humanis corporibus reddenda miraculis, interdum accedebant prodigia cælestia, haud dubie significantia B. Virginem Picentibus adesse. Visa nõ semel est per noctem subita de cœlo effundi flamma, quæ primo velut pluribus sparsa locis coruscabat, deinde vno quasi facto agmine ad Deiparæ cellam tendens omnia circum cælesti lumine complebat. Visum etiam sæpe crebris luminibus collucere tectum summa cum admiratione, lætitiaq; intuentiũ, Angelorum manum ad cœlestis Reginæ domũ excubantium videre te crederes. Ergo Recinetensis Antistes, in cuius diœcesi is locus erat, ad religionem id pertinere ratus, pro officii sui ratione Bonifacium VIII. Pont. Max. tota de re certiorem fecit. Impetrata ab eo Lauretani Sacelli procuratione, optimum factu existimauit, laxare spatium aduenis. Exemplo igitur solum, quod circa Ædem erat, Recinetensium dono consecrat Virgini. Cum areæ spatio etiam loci celebritas aucta. Excipiendis quippe hospitio peregrinis (qui ante id tempus conferti sub dio cubitabant in via) casæ primũ ac tuguria; inde tecta extrui cæpta. Et quoniam dorsum inæquale vtriusque collis (interiacente præsertim conualle) haud sane commodam præbebat ædificiis sedem: duorũ fratrum collis plus æquo eminens æquatus, conuallis expleta, dorsum dilatatum, vt excitandis circa viam tectis æqui spatii satis foret. Ita breui haud infrequens qua syluestribus tectis, qua domibus exiit pagus in dorso collis vtriusq; porrectus. Pago Lauretum nomen inditum: vt ab eadem illa Laureta, quæ B. Virgini vnice dedita fuerat, appellaretur ædes, pagusque. Hospitiorum opportunitas loci religioni iuncta, mire hospitum aduenarum q; frequentiam auxit, præsertim quod omnes viderent, miraculorum, scaturiginem ab ope D. Deiparentis Mar. indidem emanare. *Hora. Tursel. hist. Lauret. l. 1. c. 15.*

IESV CHRISTI
Annus 1297.

BONIFACII Papæ VIII. 3. ADOLPHI Reg. Rom. 6.

I. S. LVDOVICI CAROLI CLAVDI SICILIÆ REGIS FILII EPISCOPI TOLOSANI ET FRANCISCANI SANCTITAS ET OBITVS. *Rom. mart. & Sur. 19. Aug. ex bulla Ioan. 22.*

QVartodecimo Cal. Sept. memorabilis est, *in Prouincia, apud Castrum Brincolam, depositio S. Ludouici Episc. Tolosani, vitæ sanctitate & miraculis clari: cuius corpus inde Massiliam translatum, in Ecclesia fratrum Minor. honorifice conditum est.* Natus Ludouicus clarissim. stemmate, patrem habuit Carolum Cunctatorem, cognomine Claudum, Siciliæ regem, matrẽ vero Mariam, filiam regis Hungarorum. Genus sane illustre: & quod aliis superbiæ fomitem subministrare solet, hoc adolescenti huic præter communem naturæ modum admirandæ humilitatis ac sanctitatis materiam suppeditauit. Nam vt à teneris virtutem vnice adamauit, ac diuino imprimis cultu miro studio vacauit: ita postquam quartumdecimum ætatis suæ attigit annum, adeo viriliter fastu

mundanæ gloriæ calcato, Christianæ fidei ac religionis opera sectatus est, vt cunctis haud paruam sui admirationem commoueret. Non enim abiecto & effæminato animo vmbras virtutum captabat: sed excelso plane & virili, solidas in pectoris sui secretum inserebat virtutes. Ea ætate adolescens, fuit Patris redimendi causa obses cum duobus è suis fratribus in Aragoniam ductus; cumque vna cum aliis militari custodia teneretur, ipse seniores miris rationibus cõsolabatur, & quasi iam ex alto cœli cardine mundanæ gloriæ & fortunæ ludibrium despiciebat: & cum verbis, tum factis ostendebat, nihil esse calamitosius homine illo, qui in incerto diuitiarum, aut inani spe honorum felicitatem collocaret. Hinc vt animum magis magisque contra aduersos casus omnes roboraret, oblata in eo exilio opportunitate, animum maximarum artium disciplinis imbuendi, præclare vsus est. Toto namque septennio, fratres minores, insigni pietate ac eruditione viros, indiuiduos exilii sui socios habuit: quorum præceptionibus tantos in literis fecit progressus, vt haud vulgarem de rebus maximis, ac præcipue Theologicis, dicendi facultatem consecutus sit. Solo vero pietatis & deuotionis studio ductus, horarias preces iuxta ritum fratrum Minor. summa cum animi persoluebat attentione: extentisque brachiis, dictu mirum, quanto ardore contemplationi Dominicæ passionis inhærebat, ac eiusdem officium perlegebat. Vigiliis insuper, ieiuniis, & aliis corporis afflictionibus rebelles carnis motus spiritui subdebat: ac mystico cœlesti pane sacrosancti Christi Iesu corporis, frequenter se munichat, atque recreabat.

Tandem pace inter Patrem eius & Regem Aragoniæ restituta, eo tempore, quo nuptiæ eius sororis Blanchæ, causa pacis ex pacto celebrabantur, Ludouicus præsentibus duobus Regibus, & Apostolicæ Sedis Legatis, palam accepta tonsura, mundo eiusque pompis renunciauit. Inde Romam cum Patre & Fratribus profectus, & à Bonifacio Summo Pontifice honorifice exceptus, Subdiaconi gradum ascendit. Cumque multo tunc ardentius ad perfectionis apicem sibi annitendum esse putaret, cerneretque curiæ strepitum sibi magno impedimento esse, quo minus rebus cœlestibus pro voto vacare posset, illico se Neapolim contulit, vbi Sacerdotio initiatus est. Porro, vt altioribus adhuc literarum scientiis pectus locupletaret, quodam in loco Fratrum Minorum habitationi se adiunxit, eorumque disciplinis sane sanctiss. animum egregie informauit.

Interea Tolosan. Antistes, vitæ munere perfunctus, Eccles. illius curam, Bonifacio Summo Pont. reliquit, qui iam longe antea Ludouici pietate perspecta, pariterque prudentia ac eruditione singulari cognita, eum ad sedem illam administrandam euocauit. Recusauit constanter Ludouicus, negauitque se aliquod muneris Ecclesiastici officium suscepturum, nisi prius in verba Regulamque D. Francisci solenni professione iurasset, seseque totum sanctiss. illi instituto cõsecrasset. Mirabatur Bonifacius viri humiliratem, ille vero totus in amore Christi absorptus, abiectis cultrioribus vestibus omnibusq; regiæ dignitatis calcatis ornamẽtis Franciscanæ religioni nomen dedit, ac vili suscepti Ord. indutus habitu, nodoso q; præcinctus fune, strenuũ se Christi athletam in spirituali militia exhibuit. Non diu admodum sub illis signis militauerat, cum Pontifex inuitum plane ac reluctantem in sede Tolosana collocauit, atque Episcopali dignitate exornatum, ad Ecclesiæ munia strenue viriliterque obeunda, authoritate Apostolica coegit.

Igitur Pontificia potestate victus, obedientiæ cessit, seseque totum ad animarum curam sane diligenter comparauit. Et quidem inter omnes virtutes, humilitatem præcipue mordicus obseruauit: prorsus vt oblitus se regis filium atque Episcopum, pedes pauperum lauaret, & pupillorum ædes lustraret, iisque non solum larga manu subueniret, sed etiam reuerenter admodum cibum potumque ministraret, manus pedesq; ablueret, brachiis ardentissimi amoris stringeret, osculis fatigaret, ac denique haud aliter quam ipsamet Christi viscera reficeret. Porro erga superbos ac tumidos peccatores, iustitiæ seueritatem exercebat: lapsos autem quamquam grauissime, nequaquam tamẽ despiciebat, sed in spiritu lenitatis corripiens, summo studio, ad rectam iustitiæ semitã reducere conabatur. Beneficia vero ita conferebat, vt nulla vel conditionis, vel fauoris, aut precum habita ratione, solos mores scientiamque accurate discuteret, eosque solos dignitatibus ornaret, qui cæteris & morum grauitate, & prudentia ac pietate præstarent.

Interim vero prudenter secum considerans, quod sicut cibus corporeus, nisi salis acrimonia condiatur, cito corrumpitur: sic vitæ sanctimonia facile labascit, nisi pœnitentiæ austeritate fulciatur: totis in id viribus incubuit, vt propriam carnem & victus parsimonia, & asperitate vestium, vigiliis, ieiuniis, curis denique ac laboribus domaret, & spiritui sine vlla rebellione seruire compelleret. Itaque cingebat nodosa reste carnem delicatam, & cilicio aspero pro induso induebatur, & si quando vel paululum caro aduersus spiritum insurgeret, mox ferreis catenulis, motus omnes ratione vacuos comprimebat, fractoque hoste, carne inquã, spiritum cælestibus deliciis mirifice recreabat. Vrgentibus Eccl. causis, cum alio proficisci cogeretur, diuersas Italiæ & Galliæ lustrans regiones, diuini verbi vbique sparso semine, tandem Lutetiam Parisiorum appulit, vbi diebus admodũ paucis non sine fructu animarum exactis, montibus Pyrenæis superatis, peragrata que Catalonia, in Prouinciam reuersus est. Ibi tanta auiditate, diuinas illius conciones excepit populus, vt facto ad eum concursu, plurimi ex compressione turbarum in discrimẽ vitæ adducerentur. Diuina tandem dispensante clemẽtia, cum breui expleset multa tempora, S. Antistes eo in loco qui Brineola siue Brimonia dicitur, anno 33 natus, ardentium vi febrium correptus, an. salutis 1297. ad 15. Cal. Sept. è corporis vinculis, in cœlos emigrauit. Funus fuit festiuo gaudio lachrymis permixto, Massiliæ, in Ecclesia Fratrum Minor. honorifice curatum: vbi mirificante Domino sanctum suum, cæcis, surdis, claudis, mutis, paralyticis, hydropicis, cæterisque morbidis præstantur remedia, ab eo qui facit mirabilia magna solus. Fuit Ludouic. magnus castitatis amator: quam vt integram illibataq; seruaret, à puero vsque omnium fæminarum colloquia vitabat, neque nisi cum matre aut sororibus sine arbitro colloquebatur. Aliquando mater peregre reuertentem voluerat osculari. At ille refugiens, matri, matrem se esse memoranti, & castum illud osculũ fore asseueranti: Scio, ait, mater mea, te matrem esse: sed nec ignoro, te mulierem esse: quam non licet seruo Dei osculari. Ei castitati conseruandæ, adeo turpiloquentes euitabat, vt se quando aliquis eorum, illo nihil cogitante irrupisset, tolerare non potens, verbis acerrimis arguerit. Mortuus, mortuum quendam infantem, à parentibus somnolentis in lecto oppressum, ad vitam excitauit, quandam etiam mulierem fatis functam, ad lucem reuocauit, pluraque alia miracula tum viuens, tum vita functus perpetrauit, propter quæ Ic. Papa XXII. eundem sanctorum catalogo adscripsit.

Hoc an. Bonifacius Pontif. sacram Apostolorum, Euangelistarum atque Doctorum Ecclesiæ memoriam in Ecclesia esse voluit, euulgata ea quæ sequitur Constitutione.

II. MEMORIÆ SS. APOSTOLORVM, EVANGELISTARVM ET 4. DOCTORVM SACRAM ESSE VVLT IN ECCLESIA BONIFACIVS. *lib. 3. tit. 22. de relig. & venerat. Sanct.*

Gloriosus Deus in sanctis suis, & in maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura iudicii cœlestia pariter & terrena disponit, & si cunctos eius ministros magnificet, altis decoret honoribus, & cœlestis efficiat beatitudinis possessores, illos tamen (vt dignis digna rependat) potioribus attollit insignibus dignitatum, & præmiorum vberiori retributione prosequitur, quos digniores agnouit, & commendat ingentiorum excellentia meritorum. Sic & alma mater Ecclesia eius sacra vestigia prosequens, & exemplo ducta laudabili, licet vniuersos in Regnis cœlestibus constitutos studiis honorare solicitis, & sonoris efferre præconiis non desistat; gloriosissimos tamen Christianæ fidei Principes, athletas Dei electos, iustos sæculi iudices, lumina vera mundi, videlicet Christi Redemptoris Apostolos numero duodeno contentos, qui viuentes in carne prædictam Ecclesiam suo pretioso sanguine plantauerunt, ipsam eligendo sublimiter, & disciplinis sanctissimis dirigendo; Reuerendissimos etiam Patres virosque clarissimos, quatuor Euangelistas Domini, per quorum diligentissima & fidelissima studia eidem Ecclesiæ sacra Euangelia illuxerunt: Egregios quoque ipsius Doctores Ecclesiæ, Beatos Gregorium, qui meritis inclytus Sedis Apostolicæ curam gessit, Augustinum & Ambrosium venerandos Antistites, ac Hieronymum Sacerdotii præditum titulo, eximios confessores summis attollere vocibus, laudibus personare præcipuis, & specialibus disponit honoribus venerari. Horum quippe Doctorum perlucida & salutaria documenta prædictam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt. Per ipsos præterea, quasi luminosas ardentesque lucernas, super candelabrum in domo Domini positas (errorum tenebris profligatis) totius corporis Ecclesiæ tanquam sydus irradiat matutinum. Eorum etiam fœcunda facundia, cœlestis irrigui gratia influente, scripturarum ænigmata reserat, soluit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat: profundis quoque ac decoris illorum sermonibus, ampla ipsius Ecclesiæ fabrica, velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat. Ideoque circumspecta prudentia dictæ Sedis (quæ actibus intenta salubribus, & operibus exposita pietatis, libenter & solerter exquirit, quæ sunt Dei) præmissa sollicite digneque considerans, & debita meditatione perlustrans, ad diuini nominis honorem & gloriam, exaltationem Catholicæ fidei, salutemque fidelium, merito censuit, riteque prouidit, Apostolos, Euangelistas, & Confessores eosdem, in vniuersali Ecclesia honorificentia potioris impendiis attollendos: vt ab ea tanto propensius se honorari sentiant, quanto ipsam præ cæteris excellentius illustrarunt. Nos itaque pijs ducti consiliis, diuinisque studiis excitati, nonnullos prædecessores nostros Romanorum Pontifices (qui specialis deuotionis prosequentes affectum, aliquorum festa sanctorum sub duplici ordinauerunt officio celebranda) imitari solicite intendentes, eorumdem Apostolorum, Euangelistarum & Confessorum festiuitates præcipuas (de Fratrum nostrorum consilio & assensu) sub officio duplici, per vniuersas orbis Ecclesias, volumus, statuimus, & præcipimus annu singulis, perpetuis futuris temporibus solemniter celebrari.

† Eodem anno Bonifacius Ludouicum, Galliarum Regem, Sanctorum catalogo inseruit, vulgato, quod sequitur, diplomate.

BONIFACIVS PAPA VIII. VNIVERSIS Christi fidelibus salutem & Apost. benedictionem.

Edita A.D. 1297.

Gloria, laus & honor Patri luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, à crucis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum spes tendit ad superos, summis & sedulis deuotionis & reuerentiæ studijs deferatur. Ipse namque in misericordia copiosius, liberalis in gratijs, & in retributione munificus, de supremis celorum ad ima mundi oculos suæ maiestatis inflectens, & benigna consideratione discutiens B. Ludouici quondam Regis Franciæ inclyti, siuque gloriosissimi conf. sioris, merita grandia, operaq; mirifica, quibus in tempore constitutus in seculo, ceu lucer na luminosa resplenduit, eaq; velut iustus Iudex & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus eum tanquam emeritum, & retributione dignissim. ũ post vitæ præsentis ergastulum & laboriosa Mundi certamina, quæ feruens in diuinis obsequijs potenter, & patenter exercuit, æthereis sedibus collocauit, vt sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat solicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Exultet igitur Mater Ecclesia, & solennia festiua concelebret gaudiorum, quod tantum & talem filium genuit, produxit natum, educauit alumnum iam inter Regum gloriosa cœlestium agmina rutilantem: lateur inquam, & inbibet, ac in laudes Altissimi voces promat, quod sobolis præclarissæ tam celebris illustrata fulgoribus, insignis decorata conspicitur, quæ sonoris attollenda præconijs, summaq; venerationis exhibitione colenda enucleatius aperit, euidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hæreditatis æternæ participium admittendo, qui prædictam Ecclesiam Matrem fidelium, sponsam Christi, claris fidei, & operis testimonijs profitentur, nullosq; in supernæ patriæ gloriam nisi per eius vtpote cœlorum claugeri ministerium virtuosum ostia reseratis altissimis, introire. Gaudeant incolarum turbæ cœlestium, de tam sublimis, tam lucidi habitatoris aduentu, quodq; ipsis expertus probatusque fidei Christianæ colonus cultor que præcipuus aggregatur. Personet lætitiæ iubilum ciuium generosa nobilitas supernorũ, quod tanti talisque conciuis suscepisse dignoscitur adiectiuum, ac venerabilis sanctorum cœtus gaudio & exultatione resloreat de noua dignissimi adhibitione consortis. Exurge itaque concio fidelium numerosa, exurgite fidei zelatores & vna cum eadem Ecclesia, laudis vberis hymnum concinite. perfundantur imbre copioso lætitiæ vestræ præcordia, & fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta & tam potentis & egregij Principis exaltatione terreni, spei tutissimæ plenitudine præconcepta, quod nobis de coindigena terrenorũ compatriota cœlestium iam effectus, apud æterni Patris filium efficax patronus accreuit, qui pro salutis nostræ profectibus, iam in eius præsentia positus, solertis exercet officium Oratoris. Porro quis posset amplo famine præpetens, quis disertus quæntumlibet aure eloquẽtiæ nitore coruscans, sufficienter exprimere præcelsa sanctitatis insignia, & multiplicium excellentiam meritorũ, quibus B. Ludouicus prædictus in terris constitutus effulsit: cum eo plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandit labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actuũ claritas sub nubilo lateat, & tenebris obducatur, dignum duximus vt de illis aliqua sermo noster aperiat, & deducat in publicam nationem.

Hic profecto clarissimus genere, sublimis potentia facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate, inhonestis & turpibus à se penitus relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit euitare contagia, quod (sicut habet certa credulitas plurimorum) nisi ei nexus accessisset vxoris, candore virgineo rutilasset, longo quippe temporis spatio prædicti Regni regimini præfuit, eiusque gubernacula plena curis, prouida circumspectione direxit. Nulli noxius, non iniuriosus alicui, nemini violentus. Iustitiæ limites summopere seruauit & coluit, æquitatis transitem non relinquens, peruersorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit, malorum molimina conterens, prauorum illicitos ausus frenans, pacis zelator eximius. feruidus amator concordiæ, promotor extitit sollicitus vnitatis, dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. propter quod sui fœlicis regiminis tempore, sedatis vndique fluctibus, subductis noxijs, turbinibus profugatis, Regni eiusdem incolis aurora dulcis tua tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votiuæ prosperitatis arrisit.

Et vt de vita ipsius aliqua referamus, licet illa quo maiori dispositione disceptitur, examine indagattur, eo referentis offerat gustus plus dulcoris, mentesq; delectet obnixius auditorum. Ab incunitis ætatis primordijs Dei filium tenera mentis affectione dilexit, nec diligere desit, studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis. Sed quanto maiori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto eius exarsit amore feruore spiritus ampliori.

Hic quidem cum esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio, sub clar. mem. Blancæ Reginæ Francia matris suæ custodia gubernationeq, remansit. quæ circa diuina obsequia ferenter intenta, eum prudenter dirigere ac diligenter instruere satagebat, vt ad præfati Regni regimen, quod suæ directionis expetere prouidentium noscebatur, dignus & sufficiens fieret, idoneus haberetur.

Cumque per incrementa temporum idem Rex ætatis annum quartumdecimum attigisset, prædicta Reginæ illi magistrum proprium deputauit, qui eum scientia literarum imbueret, ac bonis moribus informaret. ipseque Rex sub eiusdem magistri ferula positus, sic ei obediens & reuerens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna præuentus gratia, profecit laudabiliter in vtriusque circa diuina sic intentus officia, vt nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quæ coram se die noctuque à suis faciebat clericis solenniter celebrari, ab ipso cum eorum aliquo attentius diceretur.

Demum successu temporis in anno vigesimo constitutus, & quadam sibi ægritudine superueniente grauatus, à Parisien. & Meldens. Episcopis assistentibus tunc eidem, vinificæ crucis signaculum in Terra sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei, rationabili causa moti, præfati dissuaderent Episcopi, ipse tamen vtpote feruens spiritu erga Dominum, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum huiusmodi de manu præfati Parisien. Episcopi cum multa lætitia & exultatione suscepit, Prælatis, nobilibus, & militibus pluribus signum ipsum assumentibus cum eodem.

Et tandẽ amplo præparato nauigio, factisque apparatibus aliis qui in talibus requiruntur, cum trigesimum quartum annum attigisset ætatis in prædictum subsidium transfretauit, N. cõsortem & quondam Robertum Atrebanen. Alphonsum Pictauiæ & clar. mem. Carolum Regem Siciliæ, tunc Andegauiæ Comites fratres suos dum adhuc viuerent secum ducens, multa grauiaq; pericula quæ solent æquoris fluctus infligere sustinendo.

Cumque ad partes illas ingenti circumfulsus potentia peruenisset, & habito de ciuitatis Damiatæ captione triumpho, processisset vlterius, generali quasi totius eiusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecuta, & aliis aduersis vrgentibus, præfatus Rex cum toto fere exercitu supradicto in N. Soldani & Saracenorum manus accorrentium incidit, multa opprobria multaq; iniurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter & humiliter tolerando, præfato Roberto Comite pro fide Christi ab illis immaniter interempto.

Postmodum autem habito cum Soldano, tunc vitæ, tractatu de iam dictis Rege & exercitu liberandis, maxima interueniente pecuniæ quantitate, ipsoque Soldano occasione huiusmodi à vassallis propriis interfecto Saraceni qui eius dominum vsurparent, ad pecuniam anhelantes eandem cum multa instantia postulabant, vt in conuentionibus ordinatis concorditer, inter partes iureiurando firmandis adderet, quod nisi ipsi pacta seruarent, omnino Machomettum quem colunt, vt dicitur denegarent, ac idem Rex in suo similiter adiceret iuramento, quod & ipse Dei negaret filium ac extra fidem eius

existeret,

existeret, si conuentiones prædictæ ab eo minime seruarentur. Quod præfatus Rex prorsus abominans id efficere constantissime recusauit, quinpotius qualibet indignatione commotus patenter asserit, quod talia tam nephanda suis labiis aliquatenus non proferret, neque in tam vesanam & reprobam prorumperet negatiuam, quamquam id ei tam dicti Pictauiæ & Andegauiæ Comites aliique tunc plurimi circumstantes instantissime suaderent, cum exinde sibi caterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent; præsertim cum hoc ageretur cum illis qui, sicut præmittitur, Soldanum prædictum occiderant, eius sibi dominium vsurpantes, ipsique Regi apertius diceretur, quod nisi in actum perduceret quod petebant, ipsum & suos crucifigere non differrent, ipsius Regis ad hoc intrepida firmaque responsione secuta, quod si Saraceni prædicti eius corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent.

Sane cum iam dicti passagii tempore, post conflictus diuersos & varios, validæ famis inediam graues penurias, diraque vulnera quæ fideles Christi pertulerant eodem Rege tunc temporis fluxum ventris, & agritudines alias patiente, Christianus reuertebatur exercitus Damiatam, Rex ipse nolens ipsum omnino deserere, sed eius potius clementer intendens communicare laboribus, & participare periculis, quæ tunc ex verisimili poterant coniectura timeri, illuc redut cum eodem, contra Saracenorum rabiem truculentam insultusque nepharios sibi efficax defensionis impendendo præsidium, vt ab huiusmodi hostium scelesti insidiis seruaretur. Et tandem cum Saracenorum ipsorum astuta nequitia, & dolosa calliditas, tam grandi bellantium copia Christianum circumdedisset exercitum; validæ tunc, sicut præmittitur, infirmitate detentum, ipsumque tam grauiter innasisset, quod Regem & exercitum supra dictos oportuit se præfatis reddere Saracenis, ac idem Rex nisi facto voluntatis libitum obstitisset, nauis tunc promptæ potuisset euasisse suffugium, sibique hoc plurimi magnique præsentes inibi suaderent, ipse tamen propter nimiæ charitatis ardorem, quo vehementius æstuabat, volens potius periculis corpus exponere vt Christianus populus seruaretur illæsus, licet Saracenorum notitiam ipsius debilitas non lateret exercitus, nec Saracenorum existeret ignota potentia Christianis, euadere noluit remanentibus cæteris vinculo captionis astrictis, apertius asserendo, quod Militiam quam secum duxerat, secum si posset reducere intendebat, vel capi seu mori pariter cum eadem.

Cumque inter Regem & Christianos, ac Saracenos prædictos, de ipsorum Regis & Christianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus, & conuentionum subsecuta ordinatio extitisset, Saraceni pro quadam parte pretii redemptionis huiusmodi quæ soluenda restabat, securitatem plenariam habere intendêres, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt, vt vel ipse liberaretur à carcere, & remanentibus cæteris Christianis in vinculis, donec huiusmodi solutio perfecta succederet, vel quod idem in carcere remaneret Christianis ipsis omnimode liberatis præfatus Rex super hoc promptum nec dilatum responsum præbuit quod ipse quousq; solutionis huiusmodi prouenirent integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis eiusdem libertati pristinæ restitutis, quamquam præfati Alphonsus & Carolus ac alii viri nobiles tunc astantes expresse dicerent, & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent supplici, quinpotius Rex ipse recederet aliis minime absolutis, Rege ipso firmissime replicante contrarium, assentiente sermonibus eorundem. Et tandem Rege cæterisque captiuis eisdem plene redditis libertati, dictoque Alphonso pro eiusdem solutionis perfectione obside facienda dimisso, præfatus Rex de galera in qua erat egredi voluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad eius præsentiam redut, ac omnes etiam Christiani quos in propinquo carcere detinebat inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati à vinculis, acilli etiam qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in natibus collocati.

Deinum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu, ad ciuitatem rediens Auinionen. moramque inibi fere per quinquennium contrahens, & tanquam feruidus humanæ salutis amator, multorum Agarenorum mentes duras quantumlibet non solum salubribus eloquiis suadens, sed etiam exemplo vitæ laudabili conuertit ad Dominum ipsos faciens ad laudem diuini nominis, & exaltationem Catholicæ fidei honorifice baptizari, eos donis prosequendo largissimis, & gratiosis fauoribus confouendo.

Multosque milites & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes quam cætera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat.

Muros quoque seu mœnia ciuitatum & Castrorum quam plurium, quæ in illis partibus à fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter, eaque alias munitri plenarie, prout necessitas suadebat.

Verum prædictus Rex processu temporis, intellecto quod matrem eius mors amara subtraxerat, & eidem Regno graue periculum imminebat, de Procerum suorum consilio, ad partes Franciæ remeauit, nunc sanctitatis insistens operibus, nunc Monasteria & Hospitalia pauperum, nunc domos alias diuinis obsequiis dedicandas (quæ longum esset enarrare per singula) construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis, & nunc etiam infirmos ac debiles in diuersis Monasteriis & Xenodochiis decumbentes, personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confouebat, eis manibus propriis flexo genu, potum, & cibaria ministrando.

Cumque in Monasterio Regali Montis Beluacensis diœcesis quod idem Rex opere plurimum sumptuoso construxit, ac dotibus decorauit eximiis, Monachus quidam Leodegarius nomine moraretur, quem adeo lepræ morbus inuaserat, quod abominabilis factus, & despectus quam plurimum, manebat segregatus ab aliis in quadam camera posticus Monasterii memorati, eiusque oculi ob grauis infirmitatis pondus seu malitiam iam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus siue locis, rubeis & horridis iam effectis, quique nasum perdiderat, eius tumefactis non modicum labiis, & profunda fixura destructis, ac idem Rex cum præsente duntaxat Abbate Monasterii supradicti, personaliter visitaret, ipsum que fumentem cibum, vt poterat, inuenisset præfatus Rex præmisso benignæ salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindens manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os eius studiosissime immittebat, & huiusmodi non contentus obsequio illatis dapibus eius iussione regalibus, de ipsis eidem Monacho ministrabat loci aut ægri qualitatem horribilem non euitans, eodem Abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas Principis, talibus quantumcumque salubribus inuolui studiis ac seruitiis potuit occupari.

Præterea cum dictus Rex hospitale Compendien. ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus, & iam fessus non modicum in labore, infirmum quendam iuxta se positum conspexisset, morbum, qui S. Eligii dicitur patientem, & flexis genibus coram ipso, morsellum piri remoto cortice ponere tur in os eius, sanies de illius naribus effluens, fœdauit turpiter manus Regis, qui pie benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, totis illico manibus, salubre quod inchoauerat obsequium, diligenter exitus persecutus.

Hic reuerâ circa seruos Christi ac pauperes, aliasque miserabiles ac deuotas personas valde compatiens, se ipsis in eleemosynarum largitate munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis prouidebat, illud de bonis regalibus laudabiliter & salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas & alios pios vsus conuerti pro tempore noscebatur.

Hic Prædicationibus & aliis propositionibus verbi Dei attentum accommodabat auditum, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis. Occurrebat hæreticæ prauitati, infectos, ne fidei Christianæ cultores labe huius contagionis inficerent, de Regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo, ac alias circa statum eius prouidendo sollicite, vt ab ipso fomentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ sinceritas rutilaret.

Cum vero aliquibus partibus dicti Regni ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia imminebat, statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium inter pauperes diuidendam.

Hic perfecta humilitate sublimis, sublimitate humilis in apparatu & vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissimum de vltramarinis partibus reditum, summæ humilitatis insignia demonstrauit. Non enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus vsus fuit, secularibus pompis à se penitus abdicatis.

Et ne feruorem spiritus, socia carnis ardor extingueret, sed mortificatione, & repressione ipsius illum potius accendi contingeret, altiusque subolli, & carnem ipsam, quam assidui asperitate cilicii, prout asseritur edomans effrenæ ipsius libitum, arcte abstinentiæ freno coercuit, eiusque nexibus alligauit, vt non voti propriæ ducta libidine, non sui desiderii directa remigio, sed salubri moderamine spiritus, tute ad licita pergeret, prouide ab illicitis abstineret. Astricti enim corpus aterebat ieiuniis, priscorum obseruantiæ à sanctis Patribus ordinatæ nouorum austeritatem adiicions, sibi motu proprio voluntatis inditam. Nam per totum Quadragesimale tempus & quadraginta dies festum Natalis Domini præcedentes ac omnium festiuitatum vigilias, nec non & quatuor tempora quæ Catholica inducit Eccl sia, in ieiuniis, & orationibus exibebat, deliciosis & curiosis cibariis vsui proprio

penitus

penitus interdictis. In festiuitatum vero Virg. gloriosæ, ac Natalis Domini memorati vigiliis, & sexta feria maioris hebdomadæ ieiunium obseruabat, panis & aquæ duntaxat modica substentatione contentus. Qualibet etiam die Veneris Quadragesimæ supradictæ, ac totius Aduentus, ab esu piscium abstinebat, multis præterea se vigiliis occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret.

Post eius reditum supradictum non in pluma, vel paleis iacuit, sed super ligneum lectum portatilem, materacio simplici superiecto, stramine nullo opposito, decumbebat.

Hic insuper vitæ puritate prælucidus, sincerus veritatis amicus extitit, hostisq; durissimus falsitatis.

Cuncta quoq; ipsius eloquia salutis augmentum, operaq; salubria hortabantur, demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multiplicem redundabant.

Cumque ad incrementa Catholicæ fidei & liberationem celerem Terræ sanctæ votis ardentib. anhelaret, in ipsius Terræ S. subsidiū, assumpsit denuo signum Crucis, & denuo potenti & valido congregato nauigio, copiosa & strenua comitiua suffultus, cum præfato Pictauiæ Comite, suisq; liberis & clar. mem. Regina Nauarræ, ipsius Regis filia quæ in reditu debitum naturæ persoluit, ad partes se transtulit transmarinas, præfato Carolo, qui tunc moram in Italia partibus contrahebat, Regis memorati vestigia subsequente ac tandem ad partes Tunnitii fœlici gressu perueniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit, & aduersus Saracenorum incursus exercens potentiæ suæ vires grauissimas, ob labores innumeros, quibus præmebatur assidue infirmitates incurrit, qui diebus elapsis aliquibus infirmitatum ipsarum violentia superatus, sacramenta Ecclesiastica cum summa deuotione recepit, ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissa, suam Domino deuotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia videlicet, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, fœliciter migrauit ad Christum, supernis deliciis fruiturus.

Verum cum vitæ huiusmodi functus curriculo, verius viueret quam vixisset, noluit Altissimi filius, quem idem tot & mentis affectione dilexerat tam deuoti Principis, tamq; propugnatoris fidei Orthodoxæ, mundo supprimi sanctitatem, vt quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diuersitate claresceret, & qui eum plenissima deuotione coluerat, iam secū in celesti Palatio collocatus, venerabiliter colceretur. Nam contractis, artuum extensione subuenit, cuius terram fere tangentibus facie, plane restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem, strumosis beneficium liberationis impendit.

Mulierem quandam, cuius brachium aridum, & omnino impotens existebat, ab infirmitate huiusmodi liberauit.

Quidam quoq;, cuius velut emortuum pendebat brachium, per eiusd. sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit.

Quampluribus paralytico morbo percussis & aliis qui diuersis languoribus tenebantur plena reddita sospitate.

Cæcisq; visu, surdis auditu, claudis gressu, illius inuocato nomine restituit.

His & quamplurib. aliis, sanctus ipse coruscauit miraculis gloriosis, quorum seriem præsentib. non duximus inserendam.

Gaudeat itaq; domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum Principem genuit, per cuius merita sublimiter illustratur. Lætetur deuotissimus Franciæ Populus, quod tam electum, tam virtuosum Dominum meruit obtinere. Exultent Prælatorum & Cleri præcordia, quod præfatum Regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insignis propensius decoratur. Iucundentur & procerum, magnatum, nobilium, & militum pectora, quod per sanctissima opera dicti Regis, eiusd. Regni status donis multiplici prærogatiua sustollitur, & qu. solis radius lucescit.

Caterum quia quos superni Regis clementia corona gloriæ, in cœlo magnificat, deuote à fidelibus in hac terrestri patria conuenit venerari, Nos de sanctitate vitæ ac miraculorum veritate ipsius Beatissimi Ludouici curiosa ac solennis inquisitionis diligentia, & districti examinis discussione præmissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi Fratrum nostrorum, & Prælatorum omnium tunc apud sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, die Dominico tertio Idus Augusti sanctorum Catalogo duximus adscribendum.

Ideoq; Vniuersitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus in crastinum Beati Bartholomei Apostoli, cum fœlix ipsius anima, tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cœlestem aulam adiuerit æternis gaudiis potitura, festum ipsius sancti deuote & solenniter venerari colereque studeatis, vt eius interuentionibus precibus, & hic ab imminentibus possitis liberari periculis, & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere.

Vt autem ad venerabile sepulchrum ipsius feruentius & copiosius fidelium confluat multitudo, ac celebrius eiusd. solennitas peragatur, omnibus vere pœnitentibus, & confessis qui reuerenter illuc in eodem festo annuatim accesserint eius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum PETRI & PAVLI Apostolorum eius auctoritate confisi, vnū an. & quadraginta dies: accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulchrum, infra eiusdem festi Octauas, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Dat. apud Vrbem Vet. 3. Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno tertio.

III. IACOBA-RAGON. REX SARDINIÆ ET CORSICÆ ROMÆ RENVNCIATVR AB BONIFACIO. *Cod. Corsin. Vatic. num. 3355. & Summont. lib. 3.*

Hoc an. Iacobus Aragonius Rex Romæ, quo se accitu Bonifacii Pontificis contulerat, Sardiniæ & Corsicæ Rex est renunciatus: his conditionibus in diplomate aureo expressis. 1. Vt censum duorum millium marcharum Sterlingorum in annos singulos Romanæ Ecclesiæ dependeret. 2. Vt certum numerum triremium sumptibus propriis in tutelam vsumque Ecclesiæ Romanæ, aduersus quoscumque hostes, perpetuo, in tres menses armaret. 3. Si terrestri prælio certamen immineret, centum lanceatos & quingentos pedites, Sedi Apost. in tres menses, toties quoties nouæ occasio emersisset, stipendiis propriis suppeditaret. 4. Si alicui ex pacto conditioni haud satisfeciſſet, ipso facto iure fiduciario excideret, atq; vtramque insulam amitteret. Acta sunt hæc Romæ apud S. Pet. ad II. Non. Apriles. Cæterum, cum Bonifac. Pont. non vsquequaq; Iacobo Aragonio confideret, ne forte, sc. plus apud eum fraterna pietas, quam Pontificia maiestas potestasq; valeret: ideo in diplomate à Sede Apost. hac in re Iacobo concesso quintam conditionem adiunxit, nimirum quod non obstante concessione ei de regno Sardiniæ & Corsicæ facta, posset de illo ipso regno Sedes Apostol. aduso; Calend. Nouembres proxime futuras, plena potestate disponere. Istud præcipue Bonifacius ea reseruatione curabat, vt Iacobum cupiditate regni retinendi tanto amplius contra Frider. incitaret, quanto magis timeret, ne regnum illud cuipiam alteri Sedes Apostol. tribueret. Namque eidem timori ex suspicione augendo, Bonifacius, Carolum Valesium in Italiam acciuerat: specie quidem, vt is Carolum socerum inuiseret: reuera autem, vt Aragonios distraheret, & Iacob. præcipue in officio contineret. Erat quod in eam suspicionem, Bonifacium sagacem induceret, Non. n. ex vano aliqui apud eum iactabant, frustra illum operam in Iacobo contra Fridericum armando suscipere; tum quod difficile esset, naturæ iura resoluere, fratremque contra fratrem armare: tum quod non sine causa Iaco. cunctaretur, contra Fridericum, pene sub ipsis Bonifacii oculis, Ecclesiastici regni possessiones vrentem, arma virosq; expedire. Iac. siquidem nonnisi Legationib. ad fratrem mittendis intentus, frustra tempus deterebat, & quasi illudere Eccles. videbatur. Et primum quidem, Raymundum Pontium Valentinum Episcopum, Regium Cancellarium, misit, qui Fridericum ab armis discedere iuberet, vel si id impetrare non posset, ad colloquium in Ænariam vel Procydam, vel aliquam aliam insulam inuitaret, quo cum libere de rationibus concordiæ transigeret. Cæterum Frideric. fratrem, siue ex composito, siue reuera contemnebat, nec vspiam congredi, nec quippiam poscenti concedere volebat, præter istud vnicum, vt mater Constantia, Violantes soror, & aliqui Procerum volentes abire, Bonifacium conuenirent, & in sula excederent. Venerunt ex Sicilia, Constantia mater, Violantes soror, Rogerius Auria maris Præfectus, & Ioan. Prochita. Auspice Pontif. Bonifacio, vt antea erat per Legatos constitutum, Violantem inter, & Robertum Calabriæ Ducem regis Neapolitani hæredem designatum, nuptiæ, principali apparatu celebratæ sunt. Aduersus Fridericū Siciliæ regnum semel occupatum armis tueri parantem, communemque orbis Christiani pacem disturbantem, bellum decretum, Duce ipso Iacobo Aragonum rege eius fratre: cui Bonifac. serio iniunxit, vt classem contra Fride. sine omni mora compararet, atq; educeret. Tanti fides, religio q;, & imperantis Pont. mandata fuere. Reb. ad eum modum constitutis Iac. bellum comparaturus in Aragoniam rediit. Rogerius Auria Neapolim missus, Carolo operam nauaturus. Constan-

ep. 26. Roma apud S. Pet. 2. Non. Apr.

Summont. lib. 3. Fazellius supra.

Marian. lib. 13. c. 1.

ep. 77. Roma apud S. Pet. 3. Cal. Ian.

tia, & cum ea Io. Prochita Romæ hæserunt, siue studio religionis, siue reb. falsi. Siciliæq; miserati casum. Sunt qui defunctos Romæ affirment. Verior tamen fama tenuit, & idonei authores testantur, Constantiam Reginam, quinto post an. Barcinone defunctam, in que Minorum æde sepultam: vbi etiam sumulus cum eius nomine cum inscriptione extat. Inter hæc Bonifac. Pont. dubitationem de futuro, posti Carolum regem, in regno Siciliæ successore, clariss. rescripto eximit, regnumq; illud neq; Iacobo, neque Friderico, neque Petr. Aragoniis fratribus, sed Roberto, Caroli post S. Ludouicum genito, Carolo moriente decreuit. Ad hæc vsque tempora, in Ecclesia Neapolitana S. Laurentii prostat icona, Diu. Ludouici Episcopi Tolosani, ad viuum depicta, ante se procubuo Roberto, diadema Regium imponentis, quod is, iure successionis, ifti, lubens volens cessisset. Secundo loco desiderabatur, vt anathematis vinculo Auria, & Prochida exsoluerentur. Istud porro negotii Bonifacius Gerardo Blanco Episcopo Cardinali Sabino iniunxit: qui ad VII. Idus Aprileis illos & reliquos, auctoritate Apostolica ex perduellionum numero exemit, & dirarum execrationum que obnuntiationibus soluit. Hoc quoque Bonifac. Iacobo permisit, vt præter Constitutiones Apost. superioribus mensibus latas, posset à Clericis volentibus & sponte ac libere numerantibus, pecunias, siue mutui, siue doni nomine, in subsidium belli cõtra fratrem decreti suscipere. Verumtamen cum eousque Maioticæ, regnum IACOBVS Aragonius non restituisset, & Philippus Gallorum REX ea de causa Pontificem interpellaret, authoritate Sedis Apostolicæ Aragonio iniunxit, vt patruo satisdaret, fidemque & suam & Philippi liberaret.

ep. 322. Ro. apud S. Pet. 6. Cal. Mar. & Summon. lib. 3.

ep. 34. apud S. Petr. Cal. april.

IV. SVMMARIVM GESTORVM HVIVS ANNI BONIFACII.

Eodem anno Bonifacius Pontif. 1. Philippum Gallorum regem, ne Clerum opprimere vellet, aut opprimi ab aliis sineret admonuit. 2. Eidemque vt voluntarie à clericis oblata quecunque, siue munera, siue mutui titulo cognominata, acciperet, in dulsit: quod ipsum Wenceslao Regi Boemię, in sumptus pompæ coronationis poscenti concessit. 3. Ipsi illi Philippo regi dimidiam portionem pie legatorum, in vsus belli contra Anglos attribuit. 4. Neue Comitis Burgundiæ filia alteri eius quam primogenito filio in matrimonium collocari posset præscripsit. 5. Hugutionem Spoletanum Ordin. Prædicatorum Ecclesiæ Senogallien. ad XV. Calend. Aprilis apud S. Petrum: 6. Guillelmum Ochumium eiusdem instituti Ecclesiæ Dublinensi ad XVI. Cal. Iul. apud vrbem veterem. 7. Et ibid. ad XV. Cal. Aug. Facium Donoraticum ex ead. religione Eccl. Sagonien si, Episcopos præfecit. 8. Iudidemq; apud vrbem veterem ad VII. Id. Iul. vniuersis Inquisitoribus ex Ord. Præd. & Min. institutis vel in posterum instituendis, vt contra Columnenses, tanquam schismaticos & schismaticorum fautores, nec non contra complices, fautores, receptatores, consilium vel auxilium eis dantes procederent, atq; pro concionib. publicis, diras contra eos Sedis Apostol. promulgatas, diuulgarent, præcepit.

ep. 234. 6. ep. 247. 7. ep. 283. 8. ep. 131.

1. ep. 2. apud S. Petr. 7. Id. Febr. 2. epist. 89. ibid. 5. Idus Martii. 3. epist. 54. apud verb. vet 6. Id. Aug. 4 ep. 2. apud S. Petr. 7. Id. Febr.

V. DIRAS IN COLVMNENSES EMITTIT, ET HARVM QVÆ CAVSA.

Ciacon. ex ep. Bonif.

Causas fuisse eas asseuerant, propter quas Columnenses, Bonifacius Pontifex disciplina Ecclesiastica dignos esse iudicaret. Primos aiunt, extitisse, qui Cælestino Quinto ne se Pontificatu exueret, persuaderent, adeoque volentem è Solio descendere, prohiberent, deinde qui recens electo Bonifacio, Vrsinæ factioni, quasi plus quam par esset, addicto, obtrectarent, malisque artibus Pontificatum & iniuisse, & administrare euulgarent: adeoq; Pontificem contemnerent, in que dicendis sententiis nullam dignitatis Pontificiæ rationem haberent. Auxit eorum contra Bonifacium animos, quod is in Columnenses Prænestinos Iacobum & Petrum Cardinales, & Ioannis filios Agapitum, Stephanum & Sarram, sententiam de controuersia partium dixerat, eisque, vt oppidorum partem, quam nullo iure vsurpauerant, consobrinis suis redderent, mandauerat. Ea Pontificis mandata illi non modo nõ admiserunt, sed summa potentia, immensis opibus, familiæ splendore, clientumque multitudine elati, contemnentes, & à verbis contumeliosis in Bonifacium sibi non temperauerunt, & in suppellectilem Pontificiam, quam ille Anagnia Romam transmittebat, manus violentas iniecerunt, diripuerunt, Prænestemque auexerunt. Offendit ea contumelia Bonifacium alias iniurias dissimulantem. Verumtamen ne præpostere contra eos agere videretur, aliquos ex Cardinalibus Prænestem ad Columnenses ire iussit, qui res ablatas reposcerent, & ad causam dicendam reos criminis eno carent. Namq; non sine Cardinalium Columnensium scitu eam direptionem factam esse à Stephano, Bonifacius perspiciebat. Cumque nec eo die quo volebat ablata remissent, neque ad diem designatum apud subsellia Sedis Apost. comparuissent, & collecta agrestium non parua manu Prænestem muniuissent, in que ea ad obsidionem sustinendam omnia parauissent, Pont. id quod iuris & iustitiæ fuerat, cupiens maiestatem Pontificiam atrocius læsam vindicare, coacto in Basilica Vaticana, Cardinalium, & Episcoporum in vrbe præsentium cœtu, eos velut contumaces, & læsæ maiestatis reos, purpura exuit, Cardinalatu, & omnibus honoribus & Ecclesiastic. profanisque reditibus priuatos, anathemate percussit, cuius verba sunt ista, quæ subiungo.

Sexti decret. tit. de schism. lib. 5.

VI. FORMVLA DIRARVM IN COLVMNAS.

Ad succidendos infructuosos palmites pestiferos & nocuos, quos (quasi ficus fatua) domus de Columna produxit, nescientes in semitis iustitiæ dirigere gressus suos, ad cor reuerti, & agere pœnitentiæ dignos fructus, licet diu expectatos (Iacobum videlicet de Columna, & Petrum nepotem ipsius, olim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & filios quondam Ioannis de Columna fratris dicti Iacobi, & patris Petri prædicti, posteros, & fautores, & sequaces eorum) in virtute Altissimi exurgentes, spiritualiter & temporaliter contra eos duximus procedendum. Consequenter dictis Iacobo & Petro, descendentibus in profundum malorum, & molientibus inconsutilem tunicam Domini, sanctæ videlicet Ecclesiæ scindere vnitatem, & vt gladium acuentibus linguas suas, & prorumpentibus, non tam in verba blasphemiæ & sibismatica, quam insana, quæ in scriptis redacta sub sigillis, quibus antequam essent depositi vtebantur, per vrbem & diuersa mundi climata destinauerunt, æstimantes loquacitatem, facundiam, & maledicere, conscientiæ bonæ signum, & conficta materia disputandi, quia veritate non poterant, nos saltem lacerare conuitiis præsumpserunt: quorum dicta licet possemus superiori assertione conuincere, & luce clarioribus rationibus confutare, duximus eorum latratibus non dare responsum: vt contrita eorum rabies, authoritate sonora præsidentis in supremo iudicii solio frangeretur, & patens veritas per sepsam veniret in publicam notionem, nostrumque silentium in supplicium eis foret. Processus incontra ipsos & alios fecimus successiue varios, diuersisque temporibus, spirituales & temporales pœnas, & sententias continentes, & multas: quorum (quia totum tenorem Constitutionis in præsenti inserere longum esset) ex eis quædam compendio è collata, huic nostræ Constitutioni duximus inserenda, ad certitudinem præsentium, & notitiam futurorum, videlicet, quod excusis quæ rationabiliter nos mouerunt, de Fratrum nostrorum consilio deposuimus dictos IACOBVM & Petrum à Cardinalatibus eiusdem Ecclesiæ, & ab omni Cardinalatus commodo & honore, ipsosq; iudicauimus schismaticos & blasphemos, & tanquam hæreticos puniendos, expositis personis eorum à fidelibus capiendis, omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus & prælaturis perpetuo priuantes eosdem, & reddentes inhabiles ad habendæ, cunctis eorum bonis mobilibus & immobilibus, iuribus & iurisdictionibus publicatis. Contra natos insuper & posteros dicti Ioannis spiritualiter & temporaliter duximus multipliciter procedendum, eorum bonis & iuribus publicatis & confiscatis, ipsisque posteris dicti Ioannis per masculinam & fœmininam lineam descendentibus indignis perpetuo redditis ad Cardinalatus honorem, & qualibet officia, beneficia, & ministeria in Ecclesia memorata, vel eius Curia: alibi vero vsq; ad quartam generationem. Omnem personam præsentem & futuram cuiuscunque fuerit præeminentiæ conditionis, dignitatis, aut status Ecclesiastici vel mundani (etiamsi foret Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis) quæ ipsos IACOBVM & PETRVM, vel eorum alterum scienter & deliberate pro Cardinalibus habuerit, & tenuerit, aut ad Cardinalatum admiserit, seu votum eorum, vel alicuius ipsorum suffragium in electione Romani Pontificis admiserit, aut in Pontificem Romanum elegerit, nominauerit, assumpserit, vel receperit, seu dederit in his vel ad hoc auxilium, consilium, vel fauorem, excommunicationis sententia duximus innodandum, à qua (absque expressa licentia Romani Pontificis) non possit absolui, nec etiam per Collegium Apostolicæ sedis, eadem sede vacante, eamque prælatione, dignitate, statu & honore Ecclesiastico omnino priuamus. Nihilominus omnes, qui dictis IACOBO & PETRO alias, & natis dicti Ioannis fauorem præbuerint, vel auxilium, in rebellione vel schismate persistentibus, excommunicationis sententia innodantes. Hæc & alia per nos facta in prædictis nostris processibus, & in literis nostris bullatis super

super eos confectis contenta, hac Constitutione perpetuo valitura ratificamus, confirmamus, & etiã innouamus, eademque de nouo facimus, de Fratrum nostrorum consilio prædictorum. Et vt dictorum malitia non inueniat successorem, & punitæ transgressionis exemplar retrahat alios ab offensa, ac in oblitionem veritas veniens, non vagetur incerta; statuimus atq; decreuimus, vt & ipsa inuiolabiliter obseruentur, & quod similes excessus & culpæ pœnis similib. in posterum puniantur.

VII. COLVMNÆ EXVLANT, ET BONIFACIO MIRAM INFAMIAM IRROGANT.

Hactenus Bonifacius faciebat in Columnas, quorum in vrbe ædes nobiles diruit, omnes fautores eorum Roma eiecit, contra eos Præneste conclusos, tum stipendiatorum tum Cruce signatorum exercitu Duce Vrso Vrsino misit, & obsidione cinxit. Dilapsos inde, capto ac diruto Prænestæ, Zagarolum, Neve, & Columnam, ditionis eorum castella nobilia cepit, & quoquo fugientes illos persecutus est. Ex his Stephan. in Galliam ad Philippum Regem confugit, alter autem Sarra in Ardeatinis syluis erepta spe fugę diutius se occultauit. Errabat in nemore Sarra vestigia hominum deuitans, agrestibusq; pomis vescebatur, quum magno casu à prædonibus Massiliensium, qui biremes aquandi causa, ad Antiate littus appulerant, interceptus est, catenatusq; in transtro ad remum adigitur, & post durissimos maritimi cursus errores, Massiliam deuectus est. Is inopinato oppressus infortunio, tam infracta animi patientia, indignam ærumnosamque seruitutem pertulit aliquamdiu, vt nomen suum non proderet, & se pascentium bubalorum gregi à Priuernate ciue præpositum mentiretur, Archipyratæ scil. auaritiam veritus, à quo ingenti pretio Pontifici diuendi, & ad supplicium tradi metuebat. Cæteri eius familiæ vna cum Cardinalibus hac illac dispersi, cum Pontificiæ potestati armis resistere non possent, linguis & calamo eleuare conati apud Reges, Principesque Christianos, per summam iniuriam, ambitionis, arrogantiæ, auaritiæ, impotentisque dominatus Bonifacium infamatunt, iniustisq; criminationibus, Pontificem innocentem in odium totius Ecclesiæ adducere, annisi sunt, cum tamen ille nihil non egerit, vt obstinatos animi ad pœnitentiam in primis, sanamq; mentem reuocaret: nec nisi coactus, virgam Ecclesiasticæ disciplinæ in maiestatis reos exeruisset: neq; deinde quicquam ex his quæ ad Columnenses Prænestinos olim pertinebant, aut sibi retinuisset, aut in suos distribuisset, aut denique in fiscum Ecclesiæ intulisset, sed omnia Landulphi filiis, rebellium consobrinis, à quibus per vim exacti fuerant, restituisset. Ex hac occasione, à Columnensium fautorib. Gibellinæ factionis hominib. maleferiatis, illa famosa scripta prodierunt, quæ maximo probro hactenus circumferuntur, & perlubenter ab hæreticis & schismaticis leguntur, iactantur, & non ex fide asseruntur, contra Bonifacium, Maiestatis Pontificię Assertorem & Vindicem.

Ponius in elegiis.

VIII. STRVCTVRÆ BONIFACII APVD VRBEM VETEREM.

Apud Vrbem veterem tunc Bonifacius degebat, cum ista contra Columnenses ageret. Nam eo se contulerat, loci amænitate & aeris temperie inuitatus. Totis sex mensib. quibus ibid. continuo mansit, gratos plurimum ciues tum vero præcipue Monaldenses habuit. Horum enim ea tempestate, inter Guelphæ factionis primos, non ignobile nomen erat: adeo, vt præ eis nulli alii in ea ciuitate authoritate pollerent. Ibi Bonifacius templi sumptuosissimi machinam, quanto citius licerat omni solicitudine etigi curauit, deinde sibi suisque successoribus, augustissimum, pro illius temporis ratione, palatium iuxta Basilicam à fundamẽtis in Soliano ædificauit. Miraculorum fama Ludouici Regis Francorum iam ante plures annos defuncti inductus, eum inter Diuos annumerauit. Ex Cathedrali Ecclesia S. Cæciliæ Albiensi, Canonicos sæculares, suffectis regularibus eiecit. Villam Aparniarum in Galliis, creato nouo Episcopo, ciuitatis honore ornauit. Monachis nigris è cœnobio Sanctæ Mariæ Capitolinæ, quam Aræ cœli vocant, propter corruptam vitam eiectis, id cœnobiũ, ablatis reditibus, Fratribus Ordinis Minorum, postulante Matthæo Episcopo Portuensi concessit. Ex Basilica Lateranensi, canonicos regulares propter collapsam morum disciplinam expulit, & distinctis præbendis, sæculares, ex ciuib. Romanis constituit.

IX. *6. decret. tit. 9. de pœnis lib. 5.*

Cardinalib. S. R. E. purpureas vestes dedit, eorumque dignitatem maiorem in modum auxit, grauissimis irrogatis pœnis, in eos, qui verbo, aut opere eorum grauitatem vmquam lædere præsumerent. Ita sanxit.

VESTES ASSIGNAT CARDIN. EORVM DIGNITATEM CONTRA ADVERSARIOS DEFENDIT CERTA SANCTIONE.

Felicis recordationis Honorii Papæ III. prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, quibusdam additis & detractis, de communi Fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, vt si quis deinceps in hoc sacri collegii genus irreperit, quod S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel fauorem, aut posses receptauerit, vel defensauerit scienter eumdem: sicut reus criminis læsæ maiestatis perpetuo sit infamis diffidatus, nihilominus & bannitus, sit intestabilis, vt nec testamenti habeat liberam factionem, nec ad alicuius bona ex testamento vel ab intestato veniat: quatenus ab omni successione repulsus, publicaque repulsa confusus, minus inueniat suæ malitiæ successorem: fiant habitationes eius desertæ, & vt non sit qui eas inhabitet: dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam: & vt perpetuæ notam infamiæ perpetuæ ruinæ testetur, nullo tempore reparentur. Nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur, quicquid etiam in bonis inueniatur, ipsius fisci vel reipublicæ dominio applicetur; vt ex illis nihil transmittat ad posteros, sed purius cum ipso quodammodo damnentur & sita. Si quæ vero feuda, locationes, officium vel beneficium spirituale vel temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure priuatus: quo sic libere ad Ecclesias reuertantur, quod Ecclesiarum Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quod si quis prædictorum filium vel filios habeat, nepotem vel nepotes per rectam lineam descendentes, beneficiatum seu beneficiatos quouis beneficio (etiam si Pontificalem adeptus, vel adepti fuerint dignitatem) sint eis eo ipso iure priuati: spe promotionis omnino sublata. Nulli præterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem, alicuius aperiatur ianua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici vel mundani, seu ad alicuius loci regimen sit ascensus: sit eius postulandi negata facultas: sit notorie indicatus, & quodlibet aliud officii seu ministerium publicum inter dictem: in iudiciis eorum assertio contra quemquam nihil fidei, nihil credulitatis inueniat, vt ad testimonium prorsus reddantur indigni. Sit eis ad Ordines ascensus inhibitus: sit ad beneficium vel officium Ecclesiasticũ denegatus accessus, & (vt magis famosa sit eorum infamia) ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eisdem super aliquo promissorum, omni fide dispensationis adempta. Præsenti nihilominus adiicimus sanctorum, vt ex inuasione prædicta, sicut ex iniectione manuum violenta, ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat: & tam inuasores quam alii supradicti tanti mali participes, quamdiu in sua contumacia perduraverint, singulis Dominicis dieb. & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, nec non ciuitatum & diœcesium vicinarum excommunicati publice denuncientur: nec ab alio quam à Rom. Pontifice possint beneficium absolutionis obtinere; nisi dumtaxat in mortis articulo constituti.

Cum autem fuerint absoluendi, primo sufficienter & idoneè cauèant, quod inferendæ pœnæ parebunt, & auxiliante Domino pœnitentiam peragent iniungendam: deinde per omnes illius loci Ecclesias principales vicinorum q; locorum, diebus Dominicis & solemnib. incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & ferulas deferentes in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice fustigentur: ituri postmodum vltra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus, nec exinde postmodum reuersuri ab que sedis Apostolicæ licentia speciali. Verum cum talis gratiam reconciliationis meruerit (beneficio absolutionis obtento) indulgeatur eiicentia vt suam & suorum iniuriam prosequatur: & debitorum illorum quæ contracta fuerint, de postmodum acquisitis repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod si qui fuerit in præmissis modo consilio, aut simplici fauore culpabilis, iudex in talem pœnam merito ex culpa: vt secundum quod excessus exegerit vindicta procedat. Caterum quia dignum est, vt nefandi rationefflagitii vltionis seueritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum plagarum modus excuberet, nec pœnis solitis contentetur: statuimus, vt ad collaterales fratres, videlicet nepotes & pronepotes talium possit extendere pœnas, in huiusmodi nostra constitutione contentas, circumspectio Romani Pontificis, prout circumstantiæ rationabiles suadebunt.

Præmissis etiam dignum censuimus annectendum, vt si quisquam aliquo prædictorum excessuum quemquam de clericis vel religiosis nostræ familiæ, vel Cardinalium afficere forte præsumpserit, proportionetur pœna delicto: ita quod vindicta ex æquo excessui respondente, ab offensa nostrorum cohibeantur deinceps manus temerariæ formidine vltionis, quas Dei, vel nostra seu fratrum nostrorum reuerentia non

coercet. Si quis vero per se, vel per alium occiderit Cardinalem (quod absit) vel dederit caussam mortis: vltra quam præmissa contineant, sic in eum potestas iurisdictionis insurgat, sic rigor vltionis insiliat, quod contra vitæ subsidium mortis solatium innocet, viuens pœnæ non culpæ, vindictæ speculum non offensæ. Per hoc quoque sæcularibus Potestatibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra tales, quas aduersus sacrilegos Catholici Principes ediderunt. Quis enim regiminis locus poterit esse tutus? Quis Rector securitate gaudebit, si Romana Ecclesia (quæ omnium Ecclesiarum disponente Domino caput est & Magistra) casibus istis subiicitur? si eius filii speciales huiusmodi periculis exponuntur? quem Ecclesiæ filium? quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, & confusio tam aspera non moueret? Porro, si filius est, dolebit: si fidelis; matre fidei læsa læditur. Quapropter si Princeps, Senator, Consul, Potestas, vel alius Dominus siue Rector contra præsumptores prædictos præsentis constitutionis tenorem non fecerit obseruari: tam ipse quam officiales ipsius intra mensem (postquam res ad notitiam eorum peruenerit) eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Ciuitas vero quæuis alia, præter vrbem, quæ talia facienti vel facientibus, seu præsumentibus, in his consilium vel auxilium dederit aut fauorem, vel intra mensem saltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit) non duxerit puniendos, Pontificali, & supra sit eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta.

X. *li. 5. tit. 11. de sent. excom.* EADEM IMMVNITATE PER SANCTIONEM ALTERAM ET CLERICOS SOLVTOS DONAT.

Hactenus Bonifacius pro immunitate Ecclesiastica, & tutela Cardinalium Sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Non intermisit quoque eam quæ Clericis vniuersis iure Diuino & humano debetur procurare. Quod enim Sæculares Magistratus videret plus æquo clericis contumeliosos esse, & sæpe sæpius prætextu iustitiæ manus violentas in clericos inficere, eam quæ sequitur Constitutionem sanctissimam sanxit.

Si iudex laicus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens, ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa eum tanquam suum Clericum repetat, iudice illum inficiante clericum, ac ob hoc minime remittendum; dubitationis huiusmodi, an scilicet, qui reperitur clericus, ad iudicem Ecclesiasticum, quia de re Ecclesiastica & spirituali (vocato tamen iudice sæculari, vel alio, cuius interest) cognitio pertinebit. Et si notorium fuerit, quod idem malefactor sit clericus, qui huiusmodi priuilegio gaudere debeat, statim absque alia cognitione, vel fama publica de hoc extiterit, aut ipse pro clerico communiter habebatur, incontinenti etiam ante cognitionem de clericatu, Ecclesiasticæ curiæ debet reddi. Idem esse censemus, si reus ipse ante deprehensionem pro laico publice se non gerens, deprehensus fuit in habitu clericali: tonsuram videlicet & vestes deferens clericales: nam talem debemus clericum (donec constet de contrario) reputare, sicut de illo, qui in possessione ingenuitatis existit, si dicatur ab alio libertinus, legalis sanxit authoritas, vt probandi necessitate non ipse, sed aduersarius adstringatur. Iustum est enim, vt ipse talis, quem gestat ex habitu (quousque appareat aliud) præsumatur, qualis is esse, cuius fert habitum, comprobatur. Ex stigmate namque consueto Fabricensibus imprimi, latitans Fabricensis agnoscitur. Et custodes aquarum, quos hydrophylacos nominant, quæ eis infigi solet annotatione signati manifesti sunt omnibus, & angariarum nomine non tenentur. Isque status alicuius esse videtur, in quo ipse deprehenditur, donec contrarium doceatur. Non sic autem volumus obseruari, si ante deprehensionem pro laico publice se gerebat, ac pro tali communiter habebatur, quamuis deprehensionis tempore repertus fuerit in habitu clericali: tunc enim restituendus non est, quousque fidem fecerit de titulo clericali, cuius eidem probationis onus incumbat, propter præsumptionem, quæ aduersus ipsum orta est ex delatione laicalis habitus præcedenti. Contra eum tamen interim quiuis processus iudicis penitus conquiescat.

XI. ITEM ET CLERICOS CONIVGATOS. *li. 3. de vita honest. tit. 2.*

Addidit insuper Bonifacius pro clericis coniugatis eam, quam subiungo.

Clerici, qui cum vnicis & virginibus contraxerunt (si tonsuram & vestes deferant clericales) priuilegium retineant canonis ab Innocentio Papa II. prædecessore nostro editi in fauorem totius Ordinis clericalis. Et cum iuxta Parisiense Concilium, nullus clericus distringi, aut condemnari debeat à iudice sæculari: præsenti declaramus edicto, huiusmodi Clericos coniugatos, pro commissis ab eis excessibus vel delictis trahi non posse criminaliter aut ciuiliter ad iudicium seculare: nec ab ipsis sæcularibus iudicibus eos debere personaliter, vel etiam pecunialiter, (ne per vnam viam concedatur eisd. iudicibus, quod per aliam denegatur) vllatenus condemnari. In cæteris autem, vel nisi (vt præmittitur) tonsuram vel vestes deferant clericales, etiam in præmissis eos gaudere nolumus priuilegio Clericali. Hæc pro immunitate Clericorum. Cæterum ne sordidum quoddam genus eorum, titulo honesto impunitatem sibi promitteret, aut vsurparet, excepit Bonif. ioculatores & quosdam alios: decernens.

Clerici, qui Clericalis Ord. dignitati non modicum detrahentes, se ioculatores, seu goliardos faciunt aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint: ipso iure: si autem tempore breuiori, & tertio moniti non resipuerint, careant omni priuilegio clericali.

XII. COMES MONTISFELTRII FIT ORD. SS. TRINIT. *Rubeus li. 5.*

Hoc an. ad XV. Cal. Dec. die D. Gregorii cognomento Thaumaturgi memoriæ dicato, Guido Montisfeltrii Comes, militarib. Imperiis & gloria vbiq; florentissimus Ord. SS. Trinitatis habitum induit: & quam in omni actione expediti, præstantisque viri personam præ se tulerat, eam in tanta morum ac vitę diuersitate præstitit egregie, sancte vita perfunctus.

XIII. FLORET ÆGIDIVS ROMAN. COLVMNA AVGVSTINIANVS. *Thom. Gratianus in Anastasi Augustiniana.*

Ead. tempestate apud Eremitanos Augustinenses floruit Ægidius Columnius Romanus, nobili Columnarum stirpe natus. Fuit hic propter singularem vitæ sanctitatem atq; doctrinam inprimis charus Philippo Pulchro Gallorum Regi, quo iubente libros de regimine Principum scripsit, & coram quo à Rhemensib. sacris regresso luculentissime perorauit. Eum Bonifac. Pont. Max. Archiepiscopum Bithuricensem & Aquitaniæ Primatem creauit. In tanta tũ generis, tum doctrinæ, tum sanctitatis & dignitatis præstantia, demissionem & modestiam animi sic coniunxit, nihil vt in eius scriptionibus, quas permultas & doctissimas, & Catholicæ veritati accommodas reliquit, in alienis opinionibus refutandis, eo temperatius appareat. Proram & puppim Theologorum, Hieron. Seripandus, Cardinalis doctissimus, & ipse Augustinianus, appellabat. Aliquis ei elogium scripsit:

Aegidius, Magni magnum Ordinis incrementum
Romanus, columen virtutis nobile, libris
Doctrina grauidis, vigiliq; labore Parentem
Insequitur, Mitraq; pares sortitur honores.

XIV. FLORET ET IAM THEOBALDVS VERONENS. AVGVSTINIANVS. *Ioseph. Pamphil. Ep. ista Sigonius in Chron. eremit. August.*

Hoc etiam an. Bonif. Papa, Theobaldum Veronensem, instituti eremitarum S. Augustini, Veronensib. dedit Antistitem. Hic semper vixit sanctissime, multaq; in pauperes, peregrinos, Clericos & religiosos omnes, vsus est benignitate & liberalitate, & licet in negotiis Ecclesiasticis, diem fere omnem consumeret, nunquam tamen à studio diuinarum rerum, spiritum relaxabat, ac verbum Dei ita luculẽter atq; magnifice edifferebat vt saxeis etiã cordib. sermo eius lachrymas excuteret. Eius sermones MS. in Bibliotheca Canonicorũ Veronensium asseruantur. Sedit in Episcopatu annos 4. supra 30. cumq; nonagesimum attigisset annum, lenta febre extinctus est, die 19. Nouemb. an. salutis M.CCC.XXXI.

XV. ITEM VITVS PANNON.

Per id pariter temporis floruit Vitus Pannonius eiusd. instituti Augustiniani vir sanctus, qui sicut in Veteri Testamento Elisæus, mortuus iam, mortuum suscitauit.

XVI. TOTA CARELIA IN SVECIA PER PETRVM EPISCOPVM BAPTIZATVR.

Ead. fere tempestate Petr. Episc. Arosiensis in Suecia, totam Careliam baptizauit, eandemque munitissimis præsidiis confirmatam Sueonum Imperio subiecit. Sed id mercedis consequutus est, quod plerique sancti assequuntur. Nam Turgilli Regni Suecorum Administratoris persecutione coactus, ad Nidrosiam Noruegiæ Metropolim in exilium commigrare, indidem ex dolore in fata concessit.

XVII. ROSSVS AVRIA CORPVS S. ANASTASIÆ GENVAM TRANSFERT EX GREG.

Hoc anno Rossus Auria, cum Andronico Græcorum Imperatori præclaram operam contra plurimos hostium nauasset, in præmium militiæ, corpus S. Anastasiæ Martyris tulit, & Genuam intulit: inque Ecclesia S. Matthæi recondidit maxima populorum veneratione. *August. Nebiens. Annal. Genuens. lib. 3.*

XVIII. CONVERSIO MARGARITÆ PÆNITENTIS EX [illegible] DELI NECE DOMINI SVI, [illegible]

Cortonæ in Etruria, hoc an. ad beata Regna discessit, B. Margarita, titulo Pœnitentis appellata. Hæc Lauiani, agri Perusini pagonata, carnis illecebris dedita, nobili cuidam illi seruiens adhæserat. Ex hac occasione, melioris vitæ cupiditate inflammata est. Cum eius Dominus domo aliquando secedens, catellam secum duxisset, illa sola domum post aliquot dies rediens, ac gemens, Margaritam, veste dentib. apprehensa, extra domum pertrahere cona-

batur

SANCTITAS AC MIRACVLA IN ORD. MIN. EIVSDEM.

batur. Hæc admirans quid esset, catellam sequuta, ad quãdam lignorum congeriem venit. Ibi catella subsistens, ligna respiciebat, & contingebat, quasi Dominam, vt ea amoueret, monens. Margarita itaq; cum aliquot ligna amouisset, Dominum suum iam mortuum, vermibusque scatentem vidit. Hoc spectaculo adeo commota est, vt anteactæ vitæ pœnitens domum paternam repetierit. Ibi à patre ad persuasionem nouercæ domo eiecta, ad orationem qua se Deo commendabat confugiens, interius vt Cortonam ad Fratres Minores se conferret, admonita fuit. Eo tandem profecta, ex eorum consilio, vitam valde asperam aggressa est, assiduis vigiliis, ieiuniis, ac orationibus vacabat, cilicium induta humi cubabat, lachrymarum vim profundens. Cum aliquamdiu ad eum modum degens, veræ pœnitentię signa haud dubia dedisset, à Fratribus minoribus habitum, quem Tertiarium vocant, diutius expetitum obtinuit. Cumque in eorundem Ecclesia ante Crucifixi imaginem feruentius oraret, Dominum Iesum Christum, *Quid vis misera?* allocutum, eamque, *Nihil aliud præter te Domine*, respondisse ferunt. Solitudinis amans, flere, orare, ieiunare, meditari, quæ ad corporalem consolationem facerent fugere, delicias suas esse putabat. Vt filium aleret matronis famulari cogebatur: nec tamen aliquid de austeritate, Quadragesimam perpetuo colens, intermittebat. Cum ædiculam à nobili quadam muliere obtinuisset, eleemosynas sibi à diuersis condonatas pauperibus distribuebat. Sic à colloquio & consuetudine abhorrebat, vt neque in alicuius faciem aciem intendere auderet: adeo præteritam vitam erubescebat. A dæmone plures illusiones, quibus à iugi Passionis Domini nostri meditatione impediretur, sustinuit: sed ad Crucifixi pedes confugiens, illum se confortantem & consolantem audire promeruit. Spiritu Prophetico non caruit, & multis occulta peccata ab eis commissa detexit. Cum in montem vrbi imminentem, vt aduenientium frequentiam deuitaret, extructa ibi ædicula sese recepisset, velletque de more post Sacramentalem confessionem sacra communione refici, Sacerdos per errorem, panem (hostiam vocant) non consecratum pro consecrato ei porrexit, quod sibi querenti & ploranti, quod internam, vt solebat post communionem, dulcedinem minime sentiret à Domino reuelatum fuit. Cum à Dæmone cenodoxiæ tentaretur, ipsa è cellula sua egressa noctu, magna qua poterat voce Cortonenses, vt se famosam peccatricem lapidarent, & expellerent, quæ mala in iuuentute perpetrauerat enarrans, precabatur. Paupertatem ita coluit, vt diceret, si Dominus meus Iesus Christus aliquid ex hoc mundo, vt possiderem, præciperet, ad maiestatis suę thronum appellarem. Vix à confessore induci potuit, vt aliquando propter ægram valetudinem herbas modico olei condiret. Adeo humilis fuit, vt, cum suis precibus obsessum à dæmone liberasset, lachrymans diceret, se haud credere, id à se, quæ tot crimina commisisset, factum esse. Aliquando à Domino petierat, vt Matris Mariæ, dum Cruci astaret, dolorum particeps fieret, quæ ad Ecclesiam Minorum diuino admonitu veniẽs ad horam tertiam, adeo ex singulorum Passionis mysteriorum consideratione corde afflicta est, vt pene mortua putaretur: multis ad eam sustentandam accurrentibus mulieribus. Vbi vero hora nona aduenisset, qua Dominus caput inclinans Spiritum emiserat, & ipsa inclinato capite absque motu, & sensu, vsque ad vesperarum horam remansit. Cum terminus vitæ, qui ei à Christo Domino prenunciatus fuerat instaret, VIII. Calend. Martii, felicissime ad quem dilexit, euolauit. Corpus eius in Ecclesia FF. Minorum integrum adhuc asseruatur. Multis autem post mortem claruit miraculis. Mortuos enim decem ad vitam reuocasse, sex cæcis visum, loquelam tribus reddidisse, contractos quinque, dæmoniacos quatuor curasse perhibetur. Cortonenses in maxima veneratione eam habent.

IESV CHRISTI
Annus 1298.

BONIFACII PAP. VIII. Annus 4. ADOLPHI Rom. Reg. 7.

I. IVDÆI IN FRANCIA ORIENTALI GLADIO ET IGNE EXTINCTI. *Annal. Gen.*

IVdæorum aliqui, in Francia Orientali, sacram, hoc ann. Christianorum hostiam furto ablatam, ludibrio habuerunt: neque sine miraculo subsequente. Ea, n. in mortario, pistillo contusa, cruorem effudit. Propter quod sacrilegium, Iudæi Norimbergæ, ac in ead. Francia Orientali, gladio atq; incendio extincti sunt. Multas per id temporis, Iudæi, non solum blasphemias, sed & hæreses spargebant. Quarum aliquas huius nostri sæculi hæretici, quia perlubenter amplexi sunt, libet eas ex Catalogo recensere: vt omnes sciant, à quo ouo, isti nouorum dogmatum assertores. Iudæorum itaq; hæreses sunt, inter aliquas, hæ pcipuæ.

II. CATALOGVS HÆRESVM IVDÆORVM. *Prateolus hæres. elenchi lib. 9.*

1. *Nouum inprimis Testamentum prorsus respuunt.*

2. *Articulos fidei, excepto creationis, non credunt.*

3. *Christum dicunt purum fuisse hominem, seductorem, falsum prophetam: alium Meßiam in lege promissum, venturum expectantes sub finem mundi.*

4. *Non esse in S. Trinitate personas tres: sed vt Deum vnum, ita & personam vnam in Diuinis blaterant. Idem Seruetus fatetur lib. 3. de Trinitate.*

5. *Iesum Nazarenum, non esse verum illum Prophetam Meßiam, & Emanuelem promissum, Iudæi suæ impietatis habent fundamentum, quod & suis persuadere conatus est Dauid Georgius, vt referunt Basilienses in eius vita. Se n. esse verum illum tertium Dauidem promissum, blasphemabat.*

6. *Christum non esse personam aliam à patre Iudæi credunt, sicut & Illyricus, & Seruetus* LOGON *verbum apud Ioannem Euangelistam negant significare personam à Patre aliam, vti Staphylus refert: eaque de causa Matthiam Illyricum fuisse condemnatum ab Academia VVittembergensi, vt memoriæ prodidit Phil. Melanchthon Epistola ad Superintendentes Saxoniæ an. Dom.* 1557.

7. *Christum non esse verum & natura Deum, Iudæi aiunt, quemadmodum & Seruetus, Suencfeldius, Adam Pastoris, & Cacoeuangelici Sabbatarii, non recte de Christi Diuinitate sentientes, teste Staphylo de sectis.*

8. *Eucharistiam purum putumq; panem esse, quanquam miraculis perpetuis conuicti, aiunt, quod idipsum omnes fere Neohæretici, & præsertim sacramentarii, non denegant.*

9. *Vsuras esse licitas Iudæi non solum sentiunt, sed tota ipsorum vita, quæ ex eis constat, loquitur, quib. omnes fere totius mundi nationes exhauriunt. Has etiam licitas docet Buccerus Commentariis in Matthæum, & Molinæus de eo quod interest. Imo Lutheri mandato sese vsuras exercere dictitabat Pastor Quidam ad Hyereuadum, vt ait Querela Lutheri pridem in lucem edita.*

10. *Matrimonium secundum Mosaycas leges, in affinitatibus colunt Iudæi, ita etiam Melanchthon in locis communibus anno Domini* 1552. *voluit, vt non Ecclesiæ canones sed leges Mosaycæ seruarentur.*

11. *Matrimonium propter adulterium dissoluunt Iudæi, ita vt liceat aliam superinducere. Idem docuit Melanchthon locis superius memoratis, & in ordinandorum examine. Vnde & factum legimus, vt quidam intra semiannum tres duxerit Geneuæ vxores, quod duas adulteras, Caluino iudice, reprobasset.*

12. *Leges forenses & iudiciales Mosaicas seruant Iudæi. Sic & Carolstadius leges iudiciales Mosaicas volebat obseruari, vt refert Melanchthon Apologia Augustana in articulum XVI. Rursus libro Chronicorum 3. non volebat prorsus abolere leges, sed contendebat oportere iudicia exerceri iuxta forensia Mosayca.*

13. *Scripturarum Canonem habent Iudæi à Christianis diuersum. Itaque Pseudeuangelici Iudæos sequi malunt, quam Catholicos Christianos in reiiciendis à Canone, Machabeorum, Ecclesiastici, & aliis libris, hos enim isti cum illis reiiciunt, at contra cum Iudæis, duos posteriores Esdræ libros, quos Catholica reiicit Ecclesia, recipiunt.*

14. *Loca scripturarum, malunt Pseudangelici, cum Iudæis, contra Christum, aut sacrosanctam Trinitatem, vel Eucharistiam peruertere, quam cum Orthodoxis vulgatam suscipere. Nam Oecolampadius, cum Aquila, illud Esaiæ VII. legit, Ecce iuuencula concipiet. Caluinus, testimonia de personarum Trinitate, & Christi diuinitate, ab omnibus Catholicis interpretibus probe intellecta, & adducta, veluti Iudæorum patronus esset, extenuat: quemadmodum prodidit Heshusius, de errorib. Caluini, in fine suæ Confeßionis de Eucharistia.*

15. *Iudæi, statim à resipiscentia atque à dolore de peccato, aiunt remissum peccatum, neque pœnitentiam agentes, neque peccata confitentes, vt refert Postellus. Sic & hodie paßim omnes Pseudangelici: pœnitentia quæ est in ieiunio, fletu & planctu explosa: atque Con-*

feßione, quam Christus instituit, & Apostoli tradiderunt, irrisa atq; exturbata, nullum suis animorum vulnerib. adhibens remedium salutare.

16. *Ad Christi mentionem non inflectunt genua Iudæi: quemadmodum refert Diuus Hieronymus libr. 3. in Esaiam: & in Solu meridiano videt, & fustinet orbis, sic & Cacangelici pias tollunt venerationis & reuerentiæ cerimonias, nolentes nomini illi cui cœlum, terra, & inferi poplites flectunt, aut genua curuare, aut caput aperire: tametsi Lutherus eorum Magister, id laudet probetque, de Conciliis libro.*

17. *Nomen Iesu execrantur Iudæi, fœdis nominibus eum, & sanctam Virginem Matrem Mariam blasphemantes: ita & per Frisiam nomen Iesu, quod Christiani vel admirantes, vel imprecantes vsurpare solemus, illi præpostere suæ superstitione videntur corrupisse: ne in vanii, homines vere superstitiosi, tam sacrum nomen videantur sumpsisse. Eodem plane errore, neque in Dei nomine salutati resalutant, sed mutatis Christianis salutandi & impreeandi formulis, in Dei aut IESV nomine vsitatis, illi reddunt, Bona dies: & pro Deus rependat: illi, habeo gratiam, reponunt. Taceo maledicta, quæ plusquam Iudaica, in felicißimam virginem Matrem Mariam, miseri vomunt hæretici.*

18. *Crucis signum, vt maledictum & anathema fugiunt Iudæi, neq; in fronte pingere, neq; alicubi prostare patiuntur, ita & Pseudangelici Crucis figuram vbi possunt abolent, & velut maledictum in fronte figere, aut ferre horrent: adeo vt Lutherus ipse festiuitatem Crucis tanquam Semiiudaus anathemate damnauerit.*

19. *Imagines Iudæi non sustinent, vt nec Zuingliani, & Caluiniani, nec plures alii, qui Tetrico more nullius omnino rei imaginem in templis aspiciunt, aut reuerunt.*

20. *Sabbati zantes etiam hodie Iudæos videas, quos hæreticorum huius sæculi complures imitati, cum Iudæis Sabbato è stercore surgere nolunt, vt ait in Apologia Staphylus. Carolstadius enim docuit, nullum festum præter Sabbatum colendum, quemadmodum auctor est Erasmus Albertus contra Carolstadium.*

21. *Messiam non fuisse aiunt Iudæi, suum Antichristum expectantes, sic & Bucerus, sub mortem, Iesum Nazarenum dixit non esse illum Saluatorem, quem Deus Patrib. promiserat, Dauid quoq; Georg. negabat Messiam nostrum Iesum Nazarenum esse illum adeo magnifice promissum, verumq; mundi Saluatorem.*

22. *Finem mundi futurum aiunt Iudæi secundum Eliæ Prophetiam intra annos quingentos: id est, sexto millenario. Sic Lutherus & Melanchthon in suis Chronicis, quæ Carionis nomine edidisse Melanchthonem, ait Lutherus, præfatione sui Chronici Germaniæ.*

23. *Porro ne quod Iudæus saluum relinquant Cacangelici: inter eos etiam est reperire, qui circumcisionem carnis renouent, & sibi inducant. Vnde & circumcisos quosdam narrat Hosius Cardinalis ad æternitatem natus.*

24. *Iudæis non absimiles sunt, qui manna in cœna Dominica sese edere affirmant, ne quo à Iudæis discernantur, quemadmodum Villelmus Lindanus obseruauit.*

Tales itaque tamq; atroces inimicos Crucis Christi, Iudæos Franci Orientales & Numbergenses Ciues propter sacrilegium in sacram hostiam perpetratum hoc ann. multarunt. Bonifac. autem vniuersis Inquisitoribus, vt contra eos procederent iniunxit.

III. VEXILLVM CONSECRATVM ACCIPIT A PONTIFICE IACOB. ARRAGONIVS ET IN FRATRE MOVET. 30 TRIREMIVM CLASSE CVM ROBERTO CAROLI PRIMOGENITO ET AVRIA, ILLO 40. TRIREMES, HOC 10. DVCENTIVS. *Summont. lib. 3. Facel. lib.*

Hocanno, Iacob. Rex Aragonum, 30. triremium classe comparata, è portu Barchinonensi soluens Romam venit, & à Bonifacio Pontif. benigne summoque cum honore acceptus, & Rex Corsicæ ac Sardiniæ salutatus vexillum ritu solemni à summo Pontifice consecratum, suscepit vna cum præfectura vniuersi exercitus, contra Frider. Fratrem, Regni Siciliæ inuasorem. Adiunxit illi Bonifacius Landolphum Braccacium tituli Sancti Angeli Diaconum Cardinalem sedis Apostolicæ Legatum, qui authoritate Pontificia rebus vniuersis præesset, & tum consilio, tum opere, tum benedictione Apostolica, pro bonis Ecclesiæ Romanæ pugnantes, iuuaret. Ad Nonum Calendarum Septembris Siciliam versus cursum flectens Iacobus, Robertum Calabriæ Ducem Caroli Regis primogenitum, cum quadraginta triremium classe, & Rogerium Auriam decem triremes ducentem, Comites habuit, Pactensi ora diebus Octobris præternauigata, & aliquot non ignobilibus oppidis receptis, tandem in conspectum Friderici classem produxit. Non procul à freto pugnatum; vicit Carolus, adiuuante in pugna Iacobo: fusi fugatiq; hostes: sex millia cæsi. Ludicrum tamen certamen visum. Nauis ex qua Frideric. pugnabat, capta: ipse scapha exceptus euasit, locum tempsuque fugæ dante (vt ferebatur) fratre victoriæ gloria ingenti, fructu nullo. Sira cusas postea obsedit Iacob. & nullo operæ precio facto, Neapolim in hybernia classem reduxit, & stipendia in militem facta à Carolo Rege Siciliæ requisiuit. Ducenta millia, quadringentas, & octuaginta nouem vncias auri eo nomine postulabat: quib. soluendis cum Carolus nõ esset, Matthæum Adriam, & Conradum Aquauiuam Internuncios ad ciuitares, tum subiectas, tum fœderatas misit, qui subsidia peterent: diadema quoq; regium multis gemmis insigne, vna cum nonnullis clenodiis, loco pignoris in solutionem XVI. millium vnciarum auri ratione census duorum annorum, apud Bonif. Pont. relictum, diuenderet, & XX. millia vncias auri inde, vt Iacobo & militi satisdaret contraxit. Sustinuit interim Bonifac. ne censum tantisper Carolus debitum Rom. Eccles. solueret, donec de tota summa rei armis decerneret, ac vniuersa Insula potiretur.

VINCITVR FRIDERIC.

Summam tamen potestatem in eo regno, penes sedem Apostolicam esse & voluit, & ostendit, cum Roberto Duci Calabriæ ferio præcepit, vt Thomam sancti Seuerini Comitem, Romam venire, intra spatium quindecim dierum compelleret, ad respondendum, satisfaciendumq; Ioanni Prochydæ, & Francisco eius filio, apud subsellia Apostolicæ sedis quiritantibus, iniuste sibi à Thoma ereptum esse Pistillionis Comitatum. Pari potestate vsus est Bonifac. in Carolum Regem, ex hac occasione.

IV. SVMMAM POTESTATEM SICILIÆ RETINET PONT.

Manfredo Maletæ, ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reduci, & toties maxima cum gloria, contra Manfredum & Conradinum, Friderici Imperatoris filios pugnanti, Innocentius IV. Pontifex non modicos fundos in Apulia, vna cum Gesualdi & Flummatii Baroniis, nec non Græci, Sabignani, Ferrariæ, Montisque Aperti in terra Beneuentana casaliis, & Montem Miloni in Basilicata, sancti Ioannis rotundi in monte sancti Angeli, atque apud Barolum plurimas domos in præmium militiæ donauerat, atque is in eo fundo satis spatioso, Manfredoniam (eam enim Maletes, non Manfredus Friderici) ciuitatem condiderat. Carolus porro eo nomine primus Rex Neapolis & Sicil. ea omnia Manfredo eripuerat: sed tamen iussis & diris Clementis IV. Pontif. Maxim. coactus, eidem restituerat. Cæterum Carolus hic secundus, in Manfredum commotior, Manfredoniam & reliqua Maleti per hos dies occupauerat, & in fiscum omnia eius bona intulerat. Is vero summũ Pont. Bonifacium, & Rom. sedem Regni Neapolitani & Siculi hæredem conuenerat, quæstum contra Carolum Regem. Itaq; Bonif. cum hæc omnia ab Innocentio IV. & Clemente IV. iusto tit. donata esse Manfredo hæredibusq; illius intellexisset, Carolo Regi scripsit, mandauitq;, vt ablata restitueret, acta quæcumq; contra Manfredum rescinderet, & bonis omnib. integre illum frui permitteret. Neq; satis habuit Bonif. mandasse: ipse causa cognita, pro Manfredo sententiam dixit, bonorum illorum possessionem ei attribuit, & confirmauit, acta Regum contra eund. abrogauit, inq; contradictores, vel vsurpatores, anathema maranatha comminatus est.

V. MANFREDI MALETÆ BONA INIVSTE AB CAROLO OCCVPATA RESTITVIMPERAT BONIFACIVS. *ep. 98. Rom. apud S. Pet. 12. Cal. Apr.*

Adhuc hocanno viuebat Adolphus Rex Rom. & fines, ditionesque Regni Galliarum armis infestabat. Philippus quoque Rex Galliarum, reb. suis tuendis exercitum conscripserat, & multum Adolpho incommodabat. Inter hos Bonifac. Pacarium agens, vtriq; iniunxit, vt arma deponerent, & viciſim ablata omnia, ex fide sibi restituerent: neue se amplius lacesserent. Occasione Edouardi Anglorum Regis dimicabant. Nam eum oppugnandum Philipp. sibi designauerat, & iam plurima ei tum in Belgica, tum in Aquitania eripuerat. Adolphus porro tuendo Regi Edouardo, in societatem belli venerat, & nonnulla Gallo abstulerat. His itaq; conciliandis, Bonif. Legatos destinauit, nihilque non egit, vt eos in concordiam reduceret. Proceres Burgundiæ & Flandriæ cladib. bellicis exhausti confectiq; ad pacem inclinabant: Rex Philip. nihil magis exoptabat: Edouar. solus absentiam Adolphi apponebat, quo sine nõ sibi integrum fore in pacta conuenire asserebat. Nam vtrique conuenerat, ne alter sine altero pacem sanciret. Scripsit Bonif. Philippo & Edouard. Regib. vt vtrimq; ablata, tantisper in manus Arnaldi Tolosanum Epis. deponerent

ep. 235. & 236. apud S. Pet. 3. Cal. Iul.

ep. 415. apud S. Pet. 2. Cal. Iul. & ep. 234. ibi. Cal. Iul. ep. 416. ibid. 2. Cal. Iul. & ep. 417. ibid.

epist 177. Anag. 4. Non. Iul. anno 5.

ep. 123. ibd. 4. Cal. Iul.

VII. SVMMA RIVM GESTORVM HVIVS ANNI. *1. ep. 262. a. 4. 2. ep. 361. 3. ep 548. & 445. 4. ep. 135. & 145. 5 ep. 54. 6. ep. 3. 7. Ant. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 11.*

8. Platina in Bonifacio. 9. Franciscus Bandinons. in Chron.

SEXTVM DECRETALIVM EVVLGAT BONIFAC.

VIII. TERRÆMOTVS TERRIBILIS ET COMETES.

IX. CARDINALES CREAT BONIFAC.

X. CONSTI-

donec sedes Apost. quid cuique deberetur, cognosceret, atque decerneret, & interim pacis stabiliendæ causa Edouardus pater, Margaritam Philippi sororem, Edouardus vero primogenitus, Isabellam eiusdem Phil. filiam in matrimonium acciperent: nõ obstante consanguinitatis gradu, quo alter alteri propinquus tertio vel quarto gradu fuerat, qua in re Bonifac. auctoritate Apostolica dispensabat: & cui bono, matrimonium inter Edouardum primogenitum, & Comitis Flandriæ Guidonis filiam, irritabat. Ne vero Edouardus vel Adolphi absentiam, vel Procerum Belgii dissensum opponeret, significauit Bonif. hos quidem lubenti animo in pacis conditiones consensisse, nihilque magis quam inter Reges concordiam optare. Adolphum autem absentem, promptum esse confirmare, quicquid Orat. Angli nomine Regio apud sedem Apost. statuissent aut concessissent. Ea propter pro Adolpho Bonifac. fidem suam interponens, spopondit, grata omnia illi fore, quę iungendæ amicitiæ in pacta venissent. Romæ apud S. Petrum, 2. Cal. Iul. eam pro pace Regum curam susceptam Bonifacius curabat. Cæterum cum per occasionem tumultus bellici, Philippus Galliarum Rex, Vintonienſi Episcopo plurimas pecunias interceperat, atque multas possessiones in Aquitanis occupauerat, vt ex integro illi restituerent, Philippum admonuit.

Eodem anno Bonifacius Pontifex, 1. Legatos Sembath Armeniorum Regis, auxilia contra Saracenos postulantes, audiuit, eosdemque Regibus Galliarum & Anglorum commendatos fecit, Reatæ 3. Non. Octob. 2. contra Meynardum olim Ducem Carinthiæ anathema innouauit, & Comitatui Tyrolensi sacris interdixit, quod Episcopum Tridentinum iniuriis affecisset. 3. Sententiam contra Regem Daniæ, pro Archiepisc. Lundensi dixit, eundemque Sueciæ Primatem constituit. 4. Legatum ad Regnum Daniæ pro concilianda inter Regem & Archiepiscopum pace destinauit, atque nonnulla statuta olim in Concilio Lundensi edita confirmauit. 5. Constitutionem contra fœneratores, vt è Regnis & vrbibus eiiciantur, promulgauit. 6. Nuncios Apostolicæ sedis, vt anathemate eos, qui ad sedem Apostolicam prohiberent venire, percellerent, potestatem fecit. 7. Mense Septembre, apud Reatem residens, Columnensium aliquot, ad pedes suos prostratos suppliceſque anathemate exoluit. Tibur relegauit, & Prænestę vrbem in pœnam violatæ maiestatis dirui præcepit. 8. Sextum Pontificii iuris Codicem, à tribus doctissimis viris compilatum, quibusdam decretis nouis à sede additis, euulgauit. 9. Solo æquata Prænestę, aliam arcem ex opposito extrui præcepit, quam posteritas rupem Pontificiam nominauit: eaque re metum Columnensibus iniecit, vt hi Tibure fugientes, solum & patriam Italiam reliquerint, & partim in Gallias, partim in alias Orbis plagas commigrarint.

Porro cum hęc Bonifacius Reatæ agens moraretur, tantus repente diuersis mundi plagis terræ motus accidit, vt omnium memoriam superaret. Quo quidem per sex menses durante cum ædificia passim corruerent, Pontifex veritus, ne assiduo tectorum præcipitio obtueretur domunculam exilem ex subtilibus tabulatis capaci in prato Claustri Dominicanorum extrui iussit, eoque in loco aliquantum resedit, etiamsi interim horrenda vis ventorum circumferiret, atque hortida hyems sæuiret. In celebritate namque sancti Andreæ hæc perturbatio exorta est. Apparuit & Cometes magnæ alicuius futuræ calamitatis exploratissimum longo vsu indicium.

Parto nonnihil otio Bonifacius Cardinales aliquot, Dominica prima Aduentus creauit, qui fuerunt: Consulus Hispanus, ex Archiepiscopo Toletano Episcopus Cardinalis Albanus: Theodoricus Vrbenetanus ex Diui Andreæ Monasterii Priore, tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem: F. Nicolaus Bocasinus Tarusinus ex Magistro generali Ordin. Præd. tituli S. Sabinæ F. Gentilis Monteflorius Picennus, SS. Martini & Syluestri tit. Equitiis presbyter. Lucas Flisicus, ex Lauaniæ Comitibus, Genuens. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via lata: & Magister Richardus Petronus Senensis V.I. Doctor, ex S.R.E. Vicecancellario Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii. Cæterum cum ex disciplina Ecclesiastica necesse habuisset, aliquibus Prouinciis, in pœnam à male sanis Principibus commissorum delictorum, sacris officiis & sacramentis interdicere, ne ea seueritate Pontificia, aliqui sibi additum ad pœnitentiam præclusum fuisse causarentur, Constitutionem declaratoriam edidit, longe dignissimam quæ ab omnibus legatur. Ita habet.

DECLARATORIA QVA TEMPORE INTERDICTI SESE TAM CLERICI QVÃ SECVLARES HABERE DEBEANT, OB REGVM VITIA IROGATI.

Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subiectorum vtilitate, postmodum, consultius ac rationabilius reuocat, in melius ve commutat. Sane à nostris dudum fuit prædecessoribus constitutum, vt in terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus & sacramentis exceptis) diuina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica sacramenta. Quia vero ex districtione huiusmodi statutorum excrescit indenotio populi, pullulant hæreses & infinita pericula animarum exurgunt ac Ecclesiæ sine culpa eorum debitæ obsequia subtrahuntur: cum Fratribus nostris deliberatione habita super his diligenti concedimus: quod tempore interdicti ab homine, vel ab iure prolati: non tantummodo morientes, sed etiam viuentes, tam sani etiam quam infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum, summe necessaria est) licite admittantur: dum tamen excommunicati non fuerint: quos admitti (præterquam in mortis articulo) nolumus ad eandem. Illis etiam propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel fauorem, nisi de ipso delicto (si sint tales, quod id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem: aut si satisfacere nequeunt, vel huiusmodi cautionem præstare iurarint, quod cum poterunt satisfacient: & ad satisfactionem huiusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandam dabunt consilium & auxilium, ac iuxta posse suum fideliter laborabunt, non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quo ad istos vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt, (vbi ciuitas, vel locus alius, seu vniuersitas interdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti: sed eis solummodo iniungenda pœnitentia salutaris.

Adiicimus præterea, quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia sicut prius: submissa tamen voce, & ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Et tam Canonici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui horis interessent canonicis, tribuuntur, si ad officia non venerint supradicta, distributiones eastdem amittant: sicut interdicto perderent non extante, si diuinis officiis non adesſent.

In festiuitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & ianuis apertis: alta voce, diuina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, & interdictis admissis, quibus ob reuerentiam dictarum solemnitatum (vt ipsi ad humanitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus diuinorum: si tamen, quod illi propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris quæ circa obseruationem interdictorum à nostris sunt prædecessoribus instituta, in suo robore duraturis. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, religionibus, seu personis Ecclesiasticis, secularibus vel religiosis, exemptis & non exemptis, sub quauis forma vel expressione verborum ab Apostolica sede concessis, quæ contra tenorem præsentis constitutionis nullis volumus suffragari, cum quibuslibet tam secularibus, quam regularibus sufficere debeat, vt tempore interdicti modo præmisso diebus celebrent supradictis.

XI. SVDARIVM CHRISTI BONIFACIVS TRÃSFERT AD BASILICAM S. PET. *ep. 38.*

Hactenus Bonifacius, de ratione seruandi Ecclesiastici interdicti. Qui vt maiorem deuotionem erga sanctum Christi sudarium, eius imagine non manufacta insigne, in populis extaret in vrbe, præsentibus Iacobo Arragonum, & Carolo Siciliæ, Regibus illud ex templo S. Spiritus, in quo prius monstrabatur ad Basilicam Principis Apostolorum transtulit, sutisque manibus ex loco eminentiore ostendit: atque vt eo loci tum conseruaretur, tum ab ipso summo Pontifice, certis, statis diebus ostenderetur, constituit.

XII. *Cyprian. Eleanore. Leand. li. 5.*

Hocanno, mense Aprili, in Italia, sanguinem terra pluit, & tum herbusta, tum arboreta arefecit.

Per id temporis, in humanis esse desiit Petrus Podiensis Ord. Prædic. vir valde religiosus, mitis & modestus, atque deuotus. Huic morienti Diua Deiparens Virgo Maria apparuit: quam cum ille aspexisset, coram oranibus fratribus cœpit reuerenter caput inclinare, palmas coniungere, eamque deuotissime salutare. Cum autem fratres cir-

XIII. PETRVS PODIENSIS PRÆD. MORITVR.

cumstantes inquirerent, cur faceret? respondit: Nonne Sanctissimam Matrem Dominam nostram videtis, quæ me sui gratia visitauit? Hisque dictis feliciter in Domino obdormiuit.

XIV. PAX INTER VENETOS ET GENVENSES CONCILIATA.

Eodem anno curante per Legatum Bonifacio Pontifice, ad primos dies Maii pax conciliata est inter Venetos & Genuenses: cæterum isti Pontificis officio ingrati, cum primum Venetorum metu soluti fuissent, arma cum Friderico & Siculis, contra Carolum Regem Siciliæ, adeoque contra Ecclesiam Romanam & ipsum Bonifacium iunxerunt.

XV. Leand. li 3.

Eodem anno diem suum obiit Petrus Polonus Episcopus Caminensis Ord. Præd. in Curia Romana Pœnitentiarii munere perfunctus. Funus eius Genuæ templo Prædicatorum curatum est.

IESV CHRISTI
Annus 1299.

BONIFACII Papæ VIII. 5. — ADOLPHI Reg. Rom. 8.

I. ELECTORES ABROGANT ADOLPHO IMPERIVM ET ALBERTO AVSTRIACO ARROGANT MOGVNTIÆ. Cuspinian. in Adolpho.

IN Germania, cum Adolphus Rex Romanorum omnia misceret, bellisque omnes fere Prouincias complesset: Principes electores eum velut indignum, à culmine Imperialis dignitatis deiicere laborabant. Imprimis Gerlacus Moguntinus Archiepiscopus, cuius solius vtpote sanguine coniuncti opera, Romanorum Regnum adeptus fuerat, inutilem Imperio palam asserebat. Conradus Argentinensis Præsul Lantgrauii Freiburgensis, & reliqui Germaniæ Proceres, in eum coniurarunt, quod Principes Imperii neglexerit, indignos extulerit, publice adulteria patrauerit: Virgines, Moniales, viduasque vi constuprauerit: fidem & literis, & sigillo roboratam violauerit, & id genus multa alia scelera admiserit. Moguntinus cum Pragæ Vuenceslaum Regem coronaret, Alberto Duce Austriæ, duobus Marchionibus Brandeburgensi, & Duce Saxoniæ præsentibus, communi eorum omnium calculo decreuit, illi Imperium abrogare. Moguntiam itaque Electores congregati, repudiato Adolpho, Albertum Austriacum, Regem Ro. salutarunt, & sacramento fidelitatis illi dicto, multa ei stipendia in bellum contra Adolph. spoponderunt.

II. CÆDES ADOLPHI PER ALBERTVM.

Is porro copiis, vndequaque collectis in agro Spirensi aciem eduxit, & post sex horarum prælium, vita & regno Adolphum exuit. Cum enim diu ancipiti marte pugnatum esset, Adolphus aduerso & adusto sole depugnans, visu à radiis hebetato, equo deiectus, primum deinde restitutus, ab Alberto superueniente, ense in oculo transfixus, ad extremum in iugulo lethale vulnus accepit. Multi nobilium (& in his Adolphi filius) cum sexaginta Comitibus & Baronibus capti fuere, multi calore & aeris suffocatione periere: reliqui sibi fuga consuluere.

III. SCRIBVNT ALIQVI EIVS HOSTES OMNES MALE PERIISSE.

Sunt qui scribant, omnes coniuratores in Adolphum, mala morte, quasi quodam fato, periisse. Comes enim Albertus de Hagerloch occisus. Otho de Ochsenstein suffocatus. Episcopus Moguntinus subita apoplexia tactus. Episcopus Argentinus ab Alauio ministro suo ante Friburgum ense traiectus. Comes de Leiningen frenesi de correptus, & Albertus post decem annos à Ioanne duce ense transfossus. Sepultus fuerat Adolphus in Monasterio, cui nomen Rosarum vallis, sed post concordiam Principum exhumatus, Spiram delatus, in eodem tumulo quo Albertus successor conditus est: vbi hodie amborum corpora, qui maxime inter se dum viuerent diffidebant, vix palmo iam diffident. Aliquis ei Tetrastichon ascripsit.

Astu cognati in regnum surrepsit Adolphus
Austriacis nixus insidias ducibus
Sed dum bella parat, vitiis dum deprauat æuum
Octo annis regnans, concidit ense miser.

IV. RVRSVM ALBERTVS FRANCO- FORTI SVPERSTES ELIGITVR.

Occiso Adolpho, Albertus, iterum ab electoribus Francofordiæ congregatis, electus est in Regem Romanorum. Priorem enim electionem illegitimam reputabat, ob Treuerensis Præsulis, & Palatini absentiam, & quod Adolphus adhuc vixisset. Ne itaque vt arreptum Imperium, ab eo quispiam cauillaretur, priorem electionem de se factam Principibus resignauit, & secundo electus, Aquisgrani à Coloniensi Archiepiscopo, festo Diui Iacobi Apostoli, anno Christi 1308. insignia Regni accepit, & in Magni Caroli solio sedit: in tanta populorum frequentia, vt Saxoniæ Dux à turba oppressus occubuerit, relicta vidua Alberti regis sorore.

V. SCOTI QVERVNTVR APVD BONIFACIVM DE EIVS TYRANNIDE, QVEM MONET ILLE ET REVOCARE NITITVR. Hector. Boeth. Hist. Scot. lib. 5. ep. 466. Anag. 5. Cal. Iul.

Per id temporis, cum inter Anglos & Scotos diuturno bello res afflictæ essent, qua Edouardo Anglorum Rege in Scotos imperium præsumente, qua Scotis libertatis amore inflammatis, cum ille Scotis impotentibus nimis durus esset, supplices Legatos Scoti questum ad Bonifacium Romanorum Pontif. Max. miserunt, de iniuriis ac cladibus, quas quotidie Edouardus Anglus cupiditate Regni inferret: ostensaque libertate sua, quod numquam Regibus alienis obnoxii fuissent, orare ac obsecrare Pontificem Max. Patrem ac tutorem gentium, vt pro auctoritate & potestate sua, quam præter reliquos in Angliam haberet, literis ac mandatis Edouardum Regem, & ipsius cupiditatem compesceret: sese paratos esse omni iure ac æquo cum eo decidere: quandoquidem armis non recte cesserit: nobilibus suis inter se ambitione nimia cæcis ac discordibus: & interim innoxio populo grauiter afflicto. Eam rem cum primum Bonifacius accepisset, Edouardo Anglorum Regi scripsit, & Regnum Scotiæ non Anglici, sed Ecclesiastici iuris esse inprimis ostendit: deinde mirari se vehemẽtius insinuauit, quomodo regnũ illud, Rege demortuo, ausus fuerit inuadere, vsurpare, occupare, & Episcopos pro libertate, & pro viribus Eccles. Rom. obsistentes, carceribus mancipare, indignisque contumeliis & iniuriis immerentes afficere: ad extremum admonuit, vt hos libertati restitueret, Regno alieno decederet, arma ne amplius assumeret, neve duram seruitutem liberis hominibus imponeret. Si vero aliquid iuris se in Scotos habere putaret, illud ad subsellia sedis Apost. deferret, & tum cognitioni, tum iudicio Rom. Pont. permitteret.

VI. EDOVARDVS TOTAM SCOTIAM CONTRA SENTENTIAM PONTIFICIS SIBI SVBIICIT.

Per literas controuersia hinc inde diu disceptata, tandem pro Scotis Bonifacius sententiam tulit. Quod vbi percepisset Edouardus: exercitum in Scotiam misit, pauloque post Scotiam vniuersam armis subegit. Scotia subacta, tyrannidem extremam exercere, omnesque consuetudines veteres, omnibus in rebus Scotorum Edouardus abolere constituit. Ita denique existimauit, congruentibus cum Anglis eorum moribus, animos quoque coalituros. Itaque historias omnes Scotorum, omnia sacrarum iuxta atque prophanarum rerum volumina concremari vbique præcepit, magna decreta pœna, qui preceptum contempsisset. Libros præterea sacros, Anglico ritu conscribi iussit, vtque eos solos haberent, edixit. Quotquot vero eruditionis erant vsquam nomine clari, quorum haud paucos tunc Scotia alebat, Oxonium relegauit. Verebatur enim, ne illorum doctrina effecti sapientiores Scoti, iugum reiicerent. Ex his præcipue Canonici, Mendicantes, ac reliqui aliorum generum Monachi excellebant. Ex solis FF. Præd. qui in Monasterio Enuernes degebant, vndecim Doctores Theologos ablegauit. Ex Carmelitanis Aberdonensibus quatuor, ac multos alios ex aliis Ordinibus, qui & si titulis non splendebant, doctrina tamen præstabant. Nec vero illud reticendum existimo quod arroganter & stolide in delenda vetustate commissum ab eo est. Nam cum perlustrans exercitu omnem Scotiam peruagaretur, conspecto Camuloduni Claudii Cæsaris victoriæque peruetusto rotundo templo, quod ad Caronam amnem à Vespasiano olim ædificatum, adhuc staret vetustate conspicuum, vel hoc boni Scotis inuidens, delere præcepit. Sed incolis antiquitates suas adamantibus, neque extemplo præceptum perficientibus, mutato statim consilio, parietibus & tecto templi vitam dedit: cæterum monumenta Cæsaris omnia delere voluit, & ablato lapide, vbi Claudii, victoriæque insculptum nomen erat, Arthuri olim Anglorum Regis nomen supponi, Basilicam autem, illius Regiam vocari imperauit, non tamen absque numinis vindicta, superbiam eius vlciscentis, quod narrabo suo loco.

VII. IACOB. TOLES- BONIFACIO MONITVS RVRSVM IN FRATREM MOVET ET CIRCVMVAGATA SICILIA IN ARRAGONIAM VELIFICATVR. ep. 74. Laterani 18. Cal. Febr. ep. 189. Anag. 6. Id. Iun.

Hoc anno Bonifacius Pontifex nihil magis curauit, quam vt Iacobum Aragonium contra Fridericum Siciliæ

occupatorem iterum armaret. Neapolim ille in hiberna concesserat, male vsus victoria, quam ante paucos menses, vel dies, de Siculis retulerat. Itaque cum ei conclusionem cum fratre factam, tacite exprobrasset, adeoque siue perfidiæ, siue negligentiæ notauisset, admonuit, vt secundo classem educeret, neque Friderico spatium recolligendi se daret, sed tantisper in tuendis iuribus Ecclesiæ Romanæ perseueraret, donec Fridericum vel opprimeret, vel in ordinem redigeret. Interim etiam, neminem ex Catalanis, vel Arragoniis, ad eundem Siciliam occupantem transire, vel arma, commeatumque submittere permitteret. Si quos vero clandestinos transfugas deprehendisset, vel nactus fuisset, vt in eos ex lege animaduerteret. Si autem aliquos vel Siculos vel reliquos à Friderico desciscentes accepisset, vt eorum sacramento recepto, eos ad obedientiã sacrosanctæ sedis reciperet, & à delegatis Pontificiis anathemate exsolui iuberet. Porro quanto tempore sacram eam militiam militaret, tanto & ipse, & sui, & Regna illius Arragoniæ, Corsicæ & Sardiniæ, in clientela Apostolicæ sedis essent, omniaque bene sperarent. His literis Iacobus admonitus, iterum classem collegit, & contra Fridericum Fratrem eduxit: verumtamen nulla re tentata, nulla facta, cum primum Siciliæ sese circumnauigando ostendisset, in Aragoniam abiit. Siue quod amore fraterno, magis quam Pontificia auctoritate moueretur, siue quod stipendia ex pacto ei non numerarentur: siue quod Gallis, Fridericum fuga elapsum memorantibus, tutius visum, Iacobum eiusque auxilia dimittere, quam eo socio in præliis vti: siue quod eum Carolus offendisset, qui eo non consulto, tum bellica subsidia, tum pacis consilia tractaret.

Summont. lib. 3. Æmil. lib. 8.

VIII. OB IMBELLEM PHILIPPVM FILIVM IN SICILIAM MISSVM A CAROLO, EVM EXCOMMVNICAT. e.p 59. Late. 4. Non. Nouemb.

Enimuero & istud Bonifacio Pontifici bilem commouerat, quod Carolus sub tempore prælii, Nuncios Friderici in nauim receperat, cum eis egerat, eosque præter communionem cum Legato Cardinali consiliorum dimiserat, tum deinde cum Friderico per internuncios, clam de pace contulerat, ea vero non conciliata, Philippum filium Principem Tarentinum, iuuenem nullis artibus militaribus exercitum, in Siciliam ire, siue magis præire, ad certam perniciem iusserat. Itaque habuit Bonifacius Papa, eam Caroli Regis præcipitem & incautam agendi rationem arguere, multa ei perperam acta exprobrare, & sub debito iuramenti, quo sedi Apostolicæ astringebatur edicere, insuper excommunicationis sententiam in eum, contumacem atque interdicti Ecclesiastici in Regna & Prouincias ei subiectas ostentare, comminarique, ne sine scitu permissuque Apostolicæ sedis pacem cum Friderico vel coram vel per internuncios tractaret, ne Philippum in Siciliam cum classe exigua & qualiquali transmitteret, & si transmisit, vt eum quamprimum reuocaret, alioquin periurii reum se esse futurum, & censura Ecclesiastica dignum fore meminisset, sciretque, vel tandem sedi Apostolicæ rationes non defuturas, quibus honestis conditionibus posset cum Frederico pacisci, se vero Regni Siciliæ ac Neapolis omni iure merito excidere, priuarique debere: præsertim cum non semel, ille proprio sensu nitens, & consilia aliorum non admittens, res Regni Ecclesiastici in discrimen manifestum adduxerit, neque amplius par sit Romanum Pontificem ad tot detrimenta iacturamque Reipublicæ Christianæ, cuius Carolus causa esset, conniuere. Cum autem Bonifacius non ignoraret Carolum ceruicosum esse: vtpote quem in minoribus agens, cumque Gerardo Blanco Episcopo Sabino, Nicolai Quarti Pontificis nomine Legatione apud eum defungens, vidisset, probauissetque inscio se & Collegato, cum Iacobo Aragonio in obsidione Caietæ pacem tractasse, atque adeo Pontificiam voluntatem nihili fecisse, & in multas angustias se ad Regnum Siciliæ stulta temeritate coniecisse: ideo Archiepiscopo Neapolitano commisit, vt in refractarium illum virgam Ecclesiasticæ disciplinæ exereret, diris deuotum pronunciaret, Regno & Prouinciis omnibus sacris interdiceret, totiusque successus sedem Apostol. admoneret. Quod diadema & clenodia, pignoris loco per Sergium Sigilulphum Neapolitanum Regis nuncium deposita attinet, ea omnia iusto pretio XX. millibus vnciarum auri Bonifacius emit, pecuniamque numeratam Carolo transmisit, interim XVI. millibus vnciarum auri, census duorum annorum nomine, alio tempore ab eo expectans.

& ep. 72. 5. Id. Iun. ibid. — ep 60. Laterani 4. Non. Nouemb.

IX. INFÆLICI PRÆLIO NAVALI AB CAROLI FILIIS COMMISSO SICILIA ET CALABRIA A GALLIS AMITTITVR. ep. 177. Anag. 4. Non. Iun. Blondus decad. 2. lib. 9.

Nihil ea res mouit Carolum Regem. Eius iussu inprimis Robertus Calabriæ Dux, in Siciliam traductis copiis, Cathina Vrbe potitus est. Philippus quoque Tarentinus Princeps, illico est subsecutus. Sed tantam præ se ferens securitatem, quam ne excepta à Roberto fratre omni Sicilia debuit ostentare. Siculi interea correptis armis, sese aduersus exosum Gallicum nomen vt tuerentur, terra marique parauerant, & Fredericum Aragonem ex fuga reuocauerant ea ratione, vt Regnum Siciliæ sibi vindicaret. Ita Roberti classis ex Cathinensi portu soluens, Philippi classi quamprimum è longinquo apparuit, & absque bellici apparatus armatura obuiam progressa est. In vtramque igitur classem pari socordia, sed motu ventoque dispari vicissim se petentem Siculorum classis magno ordine, maiorique apparatu, maximo animorum adore delata est: primaque impetita, quæ posterior nauigaret cæperat Roberti ducis. Ea classis armamentis, ac Duce destituta, nullo Siculorum labore dissipata est: ac partim demersa partim intercepta, & ad hostiles portus abducta est, adeo vt paucæ triremes remigio vsæ acceleratiore Cathinam ad Robertum fuerint reuersæ. Durius postea fuit Siculis cum Philippensi classe prælium, quod is præsens, cladis fraternæ memor, suos quos vna desperatio salutis audere faceret, in rerum discrimen curauerat præparari. Pugnatum est ab eo, non tamen feliciter. Nam prælio superatum, in Parnormitanum carcerem abduxerunt. His duobus incommodis paucarum horarum interiecta mora acceptis, Robertus Dux animi anxius, & quid ageret dubius, in fugam ea ratione sententiam inclinauit, quod Fridericum resciuit, propediem cum classe & copiis affuturum. Cathina itaque in ciuium potestate relicta, cum paucis, quę ex vtraque classe superfuerant, triremibus in Italiam reuersus est. Fredericus vero paulo post victoriæ Siculorum vtriusque de Gallis habitæ, media in nauigatione certior factus, cursum ad Messanam tenuit, ibique omnibus Siculis congregatis, in Calabros exercitum terra marique duxit, eamque fere vniuersam Prouinciam breui tempore in potestatem accepit, maximo probro Caroli Regis, qui præcepta & monita Bonifacii, vere diuinantis, contempserat. Ad eum modum Carolus Rex suo & Ecclesiæ damno didicit: *Præcipitis consilii comitem esse pœnitentiam.*

X. ECCLESIASTICAM LIBERTATEM VINDICAT IN GALLIA BONIFACIVS. ep. 45. Late. 3. Non. Feb. & ep. 151. ibid. 5. Cal. Maii.

In Galliis hoc anno, libertas Ecclesiastica nonnihil violata est. Guido Castilioneus Comes Sancti Pauli Monasterii Sanctæ Berthæ apud Blangiacum, Morinensis Diœcesis, Ordinis Diui Benedicti, possessionem ac dominium sibi præpostere vsurpabat. Administri quoque Fisci Regii, bona Rhemensis Ecclesiæ, sub prætextu Regalium, in fiscum Regium trahebant, atque intolerandis exactionibus opprimebant. Admonuit Philippum Regem Bonifacius Pontifex, vt & Guidonis rapacitatem cohiberet, & bona Rhemensi Ecclesiæ ablata, Roberto Cortiniaco recens electo Archiepiscopo restituenda curaret. Quod si contemneret, vtique sciret, promptum sibi & sedi Apostol. esse, omnem inobedientiam virgula Ecclesiastica castigare.

XI. RVRSVM COLVMNAS ANATHEMATE FERIT. Blondus sup. Fabula de cineribus à Bonifacio ipso die cinerum Archie. Genuensis datis.

Eodem anno Bonifacius Pontifex in Columnenses nouarum rerum molitores, iusta indignatione commotus, iterum eosdem execratus, pœnis aliis ex lege addixit. Vtque perpetua eius contumaciæ nota extaret, pulpitum, qui extat ad Lateranensem Ecclesiam dextorsum euntibus marmore ornatissimum fabricari curauit de quo Cardinales ille galero, purpura & dignitatibus priuauit: Sarram vero & Fratres ac consanguineos anathemate damnatos, Romana vrbe, atque eius terris extorres egit. Platina & Blondus notum esse referebant, quid Bonifacius Porcheto Spinolæ, ex Minorum Ordine ad Episcopatum Genuensem assumpto, confirmationem ab se postulanti dixerit. Forte dies aduenit Capitis ieiunii, quem Cinerum, à sacra ceremonia appellamus, cum Bonifacius ex more Ecclesiæ recepto, dum res diuina fieret, quorumcumque venientium capita, sacro cinere aspergeret, signaretque. Interfuit & Porchetus Genuensis Archiepiscopus, & ad pedes Bonifacii vna cum cæteris se demisit. Ibi Bonifacius in

terram procumbenti, mutato carmine reliquis dici solito, secundum sincipitis signationem dixisse fertur: *Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cineres reuerteris.* Moxque reliquum cineris in oculis Porcheti iecisse, & Archiepiscopali dignitate eum exuisse, quod putaret Cardinalibus Columnensibus anathemate damnatis receptum apud se dedisse. Ego cum Bonifacianam in rebus agendis grauitatem considero, fabulæ loco existimo, id quicquid à maleuolentibus eius hostibus, ad eleuandam viri modestiam confictum est.

XII. CASSANVS TART. IMP. SYRIAM RECVPERAT ET CHRISTIANVS FIT. *Bossius lib. 7.*

Ipso isto anno Cassianus Tartarorum Imperator, atrox cum Sultano Ægyptio prælium in Syria exercuit. Nam copiæ vtrimq; armatorum, ad centena millia constiterant. At Cassianus suorum non modo industria, sed & fortitudine militari nixus, non tantum victoriam peperit, sed & pleraſque Palæstinæ ciuitates in potestatem recepit. Hic cum Christianorum incredibili flagraret studio, religionisque Christianæ desiderio inflammatus esset, neque diutius illum in Syria militare subditorum domestici tumultus paterentur, ad Bonifacium Pontificem, multosque item Christianos heroas Legatos transmisit, rogatum vti præsidia Syriacis ciuitatibus sine mora sufficerent, velle se eam omnem Prouinciam Christianis, pro quibus pugnam pugnauerat, restituere. Diuus Antoninus, virtutibus ornatum, in bellis sapientem, in rebus agendis sagacem, in colendis amicis munificentissimum, vultu quidem despicabilem, attamen mente venerandum fuisse asserebat, qui & ipse sacro Christi lauacro ablutus esset, & plurimos ex suis Christiano cœtui adiunxisset.

XIII. MIRACVLO MOTVS CASSANVS SVSCEPIT BAPTISMVM.

Baptisma suscepisse Cassanum, ex hoc miraculo, quod acciderat, affirmabat. Quærenti in matrimonium, reliquis virginibus forma vnica tantummodo, non opibus nec genere præstantiorem, Armeniæ Regis filia oblata est, venustissimo aspectu, modestiæ cultu, & animi simplicitate ex disciplina Christiana imbuta. Placuit illam thori & sceptri sociam assumere; relicta potestate puellæ, Christum ex ritu Fidelium, cultu ac veneratione prosequendi, sacrisque cui à pueritia assueuerat, more recepto vacandi. Ductam in vxorem Armenam, breui matrem fecit. Sed tam deformis prolis, vt suggerentibus Satrapis Tartarorum, illam ex adulterio concepisse Cassanus putaret: & propter crimen, igni vna cum filiolo exurendam damnaret. Innocentiæ illa suæ confidens, sententiam mortis quam iniustam esse sciebat, lubens audiuit, neque aliud à Cassano flagitauit, quam vt Sacro baptismi lauacro liceret infantulum, antequam rogo præparato imponeretur, abluere: sibi vero per exomologesim peccata expiare, & sacratâ Eucharistiam in medelam & tutelam accipere. Facile concessit Cassanus vtrumque. Cumque puerulus viuo Christi fonte ablutus, inque nomine SS. Trinitatis Crucesignatus fuisset, per miraculum, forma priore deformi in venustissimam mutata, tam speciosus tamque pulchellus euasit, vt Cassanus & sententiam capitis in innocentes latam abrogauerit, & religionem Christianam vtcumque à coniuge edoctus, eodem baptismate sacrato, vna cum proceribus, & populis quamplurimis baptizari voluerit, & ea victoria contra Saracenos in Syria parta Legatos ad Bonifacium Pontificem miserit, qui & sacrorum doctrinam vberiorem, & Doctores fidei Christianæ doctiores, & subsidia seu præsidia in bellum sacrum à sede Apostolica postularent.

ARMENI REGIS FILIA NVPTA CASSANO SVPPLICIVM SACRAMENTORVM BENEFICIO CVM FILIO EVADIT.

XIV. CATECHISMVS ÆGIDII ROMANI PRO TARTARIS. *epist. 38.*

In Bibliotheca Augustiniana Romæ apud Eremitanos, exstat manu scriptus libellus, quem hoc anno Ægidius Columnius eius instituti Theologus, ad instructionem Tartarorum, ad instar catechesis doctissime, & ex sensu Catholico, iubente Bonifacio Pontifice scripsit; quam is ipse Bonifacius Pontifex omnibus Orientalibus & Aquilonaribus Saracenis, Tartaris, & reliquis gentilibus, ac Mahumetanis euulgauit, datis ad vniuersos literis quibus omnes & singulos, ad veritatem Fidei Catholicæ, ab erroribus, tamquam ad Solem splendidissimum, è tenebris vocabat.

XV. QVID EPISCOPORVM ADIVTORES SEV VICARII IN OBSEQVIIS HABERE DEBEANT IPSIQVE EPISCOPI, CONSTITVTIONE EDITA SANCIT. *lib 3. tit. 8. Clericis.*

Per idem temporis Bonifacius Pontifex, curæ animarum intentus, modis omnibus adlaborauit, vt Præsides Ecclesiarum super gregem sibi commissum vigilarent, neue vlla ratione ab ouili concredito discederent. Aliqui Episcoporum, Vicarios, seu quos vocant suffraganeos pro se obiiciebant: aliqui vero Prælatorum, cum nec ipsi diuinis ministeriis interessent, nec pro se subministros sufficerent: lanam tamen & lac, seu fructus ex ouili Dominico sibi deberi contendebant. Vtrorumque abusus & iniquitatem BONIFACIVS Pontifex, auctoritate qua pollebat Apostolica correxit, easque sequentes Constitutiones contra vtrosque edixit. Prior habet:

Pastoralis officii debitum exequentes, declaramus atque statuimus, Coadiutorum Episcoporum & superiorum Prælatorum dationem intelligendam esse de causis maioribus, & referendam ad sedem Apostol. ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandam. Verum ne hoc prætextu Ecclesiæ, existentes præcipue in remotis, dispendia patiantur, nos earum in hac parte indemnitatibus prædictis volentes, hac generali Constitutione sancimus, vt Episcopus senio, aut valetudine corporali grauatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, vel duos authoritate Apostolica Coadiutores assumere, ad dictum officium exequendum. Si vero Episcopus demens fuerit, & quid velit aut nolit exprimere nesciat, vel non possit: tunc eius capitulum, vel duæ ipsius partes, eadem authoritate vnum aut duos Coadiutores assumant idoneos, qui eius officium exequantur. Si autem Episcopus senio aut incurabili morbo grauatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem officii redditur inutilis, & coadiutorem assumere vel habere noluerit, licet à capitulo requisitus, proprio se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per Capitulum innouetur: sed hoc casu, & etiam proximo idem Capitulum Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem, & statum, & facti circumstantias vniuersas, quam cito poterit fideliter & explicite referat ad nostrum dictæ sedis, recepturi humiliter & efficaciter impleturi, quod super hoc per sedem ipsam contigerit ordinari. Presenti quoque adiicimus sanctioni, vt Coadiutores huiusmodi de prouentibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium sumptus recipiant moderatos, ab alienatione qualibet de bonis Ecclesiasticis Prælatorum ipsorum: vel Ecclesiarum suarum quomodolibet faciendo penitus abstinentes, rationem non solum in districto examine, sed & Prælatis eisdem (si sanæ mentis extiterint) ac Capitulis eorundem, seu etiam ipsorum Prælatorum successoribus (si hoc antea non fecerint) plenariam reddituri. Cæterum quod de Episcopis præmittitur, ad superiores etiam Prælatos esse volumus & intelligimus referendum.

Hæc pro Coadiutoribus, ista vero pro clericorum residentia in Ecclesiis vel Præbenda.

XVI. ITEM QVID CLERICI ALTERA. *tit. 3. tit. 8. Clericis.*

Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inoleuit, qua Canonici, & alii beneficiati, seu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum, distributiones quotidianas (quæ aliàs manualia beneficia, seu victualia nuncupantur, & tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in ciuitatibus, seu aliis locis (in quibus ipsæ consistunt Ecclesiæ) sint præsentes, licet diuinis officiis non interfint, ex integro percipiunt, ac si continue ipsis Ecclesiis in eisdem officiis deseruirent, penitus improbantes: statuimus, vt distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, Canonicis ac aliis beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis, in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur, iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporis necessitas aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quæ contra huiusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniuersariis largiendis, idem decernimus obseruandum. Hactenus Bonifacius pro residentia Prælatorum, vt vel lucelli alicuius aspectu, eos ad officium reuocaret.

XVII. GVIDO FLAND. COMES AB GALLO CONTRA FIDEM IN CARCEREM DETRVDITVR CVM 2. FILIIS. *Francisc. Baudimon. in Annal.*

Hoc anno tandem, Rex Angliæ Edouardus, & si Flandriæ Comitis partes omni pacto tuendas susceperat, tamen confertiorem in dies militum copiam è Francia adduci videns, hortatu Bonifacii Pontificis pace cum Philippo Gallorum Rege inita Angliam repetiit. Qua re Guido admodum consternatus pacis conditiones vltro ambire cæpit, eisque concessis Parisios ad veniam erratorum deprecandam, Caroli Regis fratris monitione venit. Vbi ne minima quidem conuentionum parte à Philippo obseruata, contra datæ fidei sacramentum, in carceres, cum duobus natis Roberto & Guillelmo, maximo probro Gallici candoris, detrusus est, nec quicquam curante Philippo Bonifacii Pontificis monitiones, ne in supplices, insontesque sæuiret.

XVIII. *Gregorius hist Rom lib. 7. ann.*

Eodem anno in Oriente, Athanas. qui Patriarchali sede Constantinop. Ioanni cesserat; hoc deiecto, eidem sedi iterum impositus est: ex hac causa. Aliquot ante diebus quam

terræ

terræ motus vrbem moueret, Andronico Imperatori clam nunciauerat, se numinis indignationem impendere Romanis vidisse. Proinde eundem admonuerat, vt tribus continuis noctibus Deum deprecaretur. Istud, cum postridie terræ motus secutus esset, Imperat. dixit, eam esse ab Athanasio prædictam numinis indignationem; ac post affirmauit, neminē Patriarchico solio digniorem esse. Eares fere omnes Pontifices, sacerdotes, Abbates, Clericos, ac parum abest quin dicam Prætores, & omnes eos qui publicum aliquod munus sustinebant, viri seueritatem recordatos, haud mediocriter perturbauit. Andronicus tamen apud plerosq; Pontificum & Monachorum tum benignitate, tum eloquētia effecit, vt Patriarchica insignia illi restituerent. Paucis post dieb. Athanasio in solio residente, Alex. Patriarcha in Vrbem veniens, falsē admodum in illum lusit. Erat, inquit, sutor quidam, qui felem albam habebat, vnum quotidie murem domi capientem; quæ aliquando in medium vas, in quo coria tingi solent, delapsa, & vix eluctata, tota nigra euasit. Proinde mures, eam monastico habitu sumpto, carnibus deinceps abstinere velle rati, sine vllo metu vagantes coria roserunt. Illa vero tantam multitudinem conspicata capere omnes, quamuis aueret, haud quaquam poterat: duos tamen comprehensos deuorauit. Vereor igitur, inquiebat Alexandrinus Patriarcha, ne & Athanasius hiciam prædictionis præmium Patriarchalem sedem consecutus, priorem asperitatem posteriore deleat, propter istam de se opinionem. Ista ille in hunc modum.

XIX. FLORET S. NICOLAVS TOLENTINAS AVGVSTINIAN. *Surius in vita.*

Per id temporis religionem eremitarum D. Augustī, illustrabat, D. Nicolaus Tolent. ex hac occasione, institutum illud amplexus. Cum Aug. quidam in publica platea concionem haberet super illo Ioannis dicto: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt*: multiq; verbis & magno feruore, de mundi vanitate & periculis differeret, affuit casu hic iuuenis, vt adhuc erat, adeoq; illa commemoratione incēsus est ad humana deserenda, vt sermone absoluto, recta ad Monasteriū cum illo concionatore perrexerit. Meruit, vt postea sex totis ante obitum mensibus, paulo ante nocturnas preces, singulis noctibus, suauissimum Angelorum concentum audiret, qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ, à vita religiosa innocenter transacta præbebat. Sed de eo posterius, suo loco.

XX. REGES SCOTIÆ REGNO ABEVNT. *Lesleus & Polydor. in Baliolo.*

Eodem anno Ioannes Baliolus Rex Scotiæ Bonifacio Pontifice postulante, siue adeo iubente, Anglica custodia liberatus atq; emissus: cum à Scotis non reciperetur, rediit ad suos in Gallias, vbi diem clausit. Valasæus post eum cum res Scoticas contra Anglos tuendas suscepisset, sed inuidiam nobilium ferre non posset, tandem se Magistratu abdicauit.

XXI. S. AMATI CONFESSORIS VITA, OBITVS ET MIRACVLA.

Fere hoc sæculo viuebat S. Amatus Confessor & patronus Saludecii in Æmilia. Is in eod. Saludecii oppido diœcesis Ariminen. honestis parentib. ortus, mortuo patre in fratris tute la relictus fuit & educatus. Fraterna vxor melioris vitę occasionem illi dedit. Cum. n. Amatus, eius filiā quam ex altero viro susceperat, in matrimonium ducere nollet, atque illa discordias inter fr. disseminasset, Amatus, diuisis bonis in ea domo quæ nunc S. Amati Xenodochium dicitur, vitam plane religiosam ducere instituit. Ibid. fructus paternæ hæreditatis alendis pauperib. erogabat, corpus iuniuis & vigiliis affligebat, ac flagello ferreo in memoriam Dominicæ Passionis verberabat: non nisi semel in die cibū sumebat: à carnib. abstinens, olerib. herbarumq; radicibus vitam tolerabat: humiliq; vestitu sese induebat. Cum propterea nō modo à fratre & vxore fratris quotidie cōtumeliis afficeretur, sed etiam ab oppidanis ludibrio haberetur, haud tamē ab incepto destitit, sed iniurias & irrisiones patienter ferens in melius proficere conabatur. Eius sanctitatem Deus diu non passus est latere. Cum. n. is operas suas in agro alterius locaret, vt victum sibi & pauperib. acquireret, & post prandium oratur as paululum à sociis recessisset, filius Domini illius agri, curiosius accedens, illum à terra eleuatū, splendoreq; coruscantē vidit, quē vir S. ne cui rem visam narraret, obtestatus est. Sed puer contineri non potuit, quin paulo post omnib. q. viderat, reuelaret. Hæc res opinionē de dementia Amati, apud vulgus extinxit. Verū frater cum vxore sua nouam calumniā in virū Dei confinxit. Claram sc. sororem, quæ virginitatem Deo vouerat, &

XXII. IVDÆI SACRILEGI VIOLATORES SS. EVCHARISTIÆ IN FRANCONIA OCCIDENT.

quotidie in domo Amati versabatur, ab eo carnaliter cognosci. Querela igitur apud loci Præfectum incestus porrecta, per nunciū citatur. Sed dū nuncius illum domi operitur, (erat. n. in agro) mirandū plane contigit. Nam Amatus domū reuersus vestē sibi detrahens, illā de mare sup abacū piecit: hæc vero mirabiliter in radiis solarib. per feuestram super abacū ingressis subsedit. Istud cum nuncius Præfecto retulisset, ille Amatum, qui ad iudicū venerat, non ausus interrogare dimisit. Cum. a. miraculis indies claresceret, & à multis assidue visitaretur, in longinquas terras peregrinationes suscepit, ac quatuor vicib. D. Iacob. Apost. corpus inuisit: ex qua peregrinatione cum vltimo rediisset, Xenodochium pauperib. ædificauit. His, aliisq; operib. clarus ætatis an. 65. diem suum in Domino obiit, in æde S. Blasii sepultus, & multis miraculis illustris. *Ex vita Arimini impressa an. 1599. à Iac. Ant. Modesto, Saludic. Eccl. Archipresb.*

Hoc an. Iudæi perfidissimi, sacrum Christi corpus in nocte Paschatis, à custode Eccl. Rætingensis in Franconia emptum, per diuersis ciuitates & castella aliis Iudęis distribuerunt. Aliquæ religiosæ mulieres, quæ sacras vigilias ad tumulum Crucifixi (sicut moris est in Teutonia) obseruabant, cum hora matutinarum de Ecclesia prodeuntes, irent ad excitandum Eccles. presbyterum, vt crucifixum de monumento ante matutinas secundum consuetudinem subleuaret, viderunt super domum Iudæi, qui sacramentum coemerat, duo luminaria tutilare. Cumq; attonitæ starent, & secum, quid esset, inquirerent, superueniens Sacerdos, quid conferrent interrogauit. Videnſq; cum ipsis luminaria, compertoque quod Iudæus in Ecclesia, & iuxta altare, cum custode fuisset, iudicem & quosdam de ciuibus caute aduocauit. Hi porro in domum Iudæi irrumpentes, ipsum & Eccl. custodem interceperunt: qui statim coacti facinus perpetratum confessi sunt. Iam vero (vt dictum est) idem corpus Christi per diuersas Iudæorū dispersum fuerat mā siones, qui illud acub. & subulis pungentes, & in mortariolis tundentes, & per illas puncturas & tunsiones sanguinem elici conspicientes, tandem in diuersis locis sub terra suffoderunt. Sed DEVS omnipotens, sacramentum salutis, multis miraculis prodentib. suis fidelibus propalauit. Quapropter Christiani contra Iudæos insurgentes, eos per diuersas ciuitates & loca turmatim occiderunt.

XXIII. IVDÆA PVELLA MIRABILITER CONVERSA AD BAPTISMVM.

Contigit tunc temporis, vt multi Iudæi ad quoddam castrum confugerent, vt se in eo defenderent. Cumque Christiani ad expugnandum illud forti manu conuenissent, & illud iam vallassent, quędam virgo Iudæa de eodem castro, importunis clamorib. rogabat Christianos, vt ipsam inde eriperent, atq; baptizarent, Iudæis vero ipsam increpantibus, & deorsum trahentib. illa de manib. eorum elapsa, ab altitudine castri se præcipitem dedit. Sed ecce mirum in modum, ipsis q. manib. Angelicis portaretur, illæsa descendit, & mox ad fidem Christi, & sacrum fontem properauit. *Siffrid. Epitom. lib. 2.*

XXIV. IVSTITIÆ EXEMPLVM IN ANDRONICO IMP. ET BALD. COMITE FLANDRIÆ. *Lipsius in monitis lib. 2. cap. 9.*

Ipso isto anno Constantipoli imperabat Andronicus Comnenus, vel solius administratione iustitiæ commendandus. Is nullo discrimine, nobiles aut nouos: tenues, diuites, suos, aut alienos, solitus culpæ damnare conuictos. In his Theodorum quendam è suis charum, quem agricolæ detulerant, diuertisse apud se cum seruitiis, nec in discessu quicquam soluisse. Res erat (vt hodie) non nimis noua aut insolens Palatinis. Tamen Imperator hominem statim corripi, fusti duodecies in publico cædi iussit, tum agricolis damnum largiter rependi. Scripsit idem ad Præsides & Magistratus his ipsis verbis. Aut iniurias, aut vitam relinquite: Nam vos iniuste agere & viuere, nec DEO gratum, nec mihi eius ministro ferendum est. Non impar Andronico fuit Balduinus Septimus Flandriæ Comes. Petrum enim virum nobilem, & Orscampi Toparcham, ob duos boues pauperculæ viduæ reclamanti abductos, re ad eum delata, subito corripi iussit, & atroci morte puniri. Forte lebes aquæ feruentis in medio Brugensi foro erat, monetario puniendo destinatus. Huc sine mora hominem coniici præcepit, sic vt erat, ocreatum, vestitum, gladio accinctum. Quid ais? sic calide & annon temere? Nihil. Nam inquisitio præcesserat, & culpæ conuictus, per aliam causam euocatus, pœnas sic luit. Ille idem vndecim equestris loci viros, quod tres mercatores per viā bonis, & dein

vitæ

vita exuissent, vocatos in Palatium damnauit. Statimq; se coram laqueis iniectis, destitui super tabulam annexos ad trabem iussit: ac manu tum sua tabulam subduxit, ac pensiles fecit suffocanitq;. Rem laudo, modum improbo, ac potuit debuitq; manibus hocalienis.

XXV. Claudebam hoc sæculum, cum ad sedem Apostolicam, qua Ruthenorum Græci ritus Primores, qua Iapponiorum Proceres, Paulo V. summo Pontifici feliciter inclinabant. Ruthenorum Kiiouien. Metropolites. Iosephus Vielamius Rucki, suo & reliquorum Russiæ Græci ritus Episcoporum, ad vrbem æternam veniens, post beatorum pedum oscula præter alia quæ pro Ecclesiarum curæ suæ cõmissarum cum Romana vnitate egebat, postulabat, scrupulum exmentib. simplicium eximi: *An transacta inter Episcopos Ruthenos tempore Clementis VIII. Pont. Maxim. necessitatem imponerent deserendi ritus Græci.* Rescripsit Paulus V. pro pastorali prudentia, in hunc modum.

PAVLVS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam. Solet circumspecta Romani Pontificis providentia, si quæ aliquando super litteris ab Apostolica sede emanatis dubia oriantur, suæ declarationis oraculo tollere, & alias prouidere prout temporum & personarum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino saluberrime expedire. Alias siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor noster, bonæ mem. Michaelem Archiepiscopum & Metropolitam Kiouiens. Haliciens. ac totius Russiæ, & cum eo plerosq; eius comprouinciales Episcopos, & alios tunc expressos vna cum omni eorum clero & populo nationis Ruthenæ, seu Russiæ, quæ cum Romana Ecclesia nõ communicabat, sed Græcorum schisma sequebatur, intra gremium Ecclesiæ Catholicæ, & vnitatem Sacræ Romanæ Ecclesiæ vti membra sua in Christo sub certis modo & forma recepit vnitit, adiunxit, annexuit, & incorporauit, prout in dicti Clementis prædecessoris, sub plumbo desuper, sub Dato Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XC.V. Decimo Calendas Ianuarii, Pontificatus sui anno quarto expeditis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut venerabilis Fratris Iosephi Archiepiscopi moderni Kiouien. & Halicien. nomine nobis nuper expositum fuit, non desint, qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem inducti sibi persuadeant, Romanam Ecclesiam per vnionem præmissam, eorum ritus & ceremonias in diuinis officiis & Sacramentorum administratione tollere, & extinguere voluisse: vnde scandalum multorum prouenire dignoscitur, ea propter nos ex Pastoralis officii debito inimico hominis bono semini superseminanti zizania occasionem auferre, & errorem huiusmodi ex mentibus hominum euellere, ac scandalis occurrere volentes, nec non litterarum præfatarum tenores præsentibus pro expressis habentes. Supplicationibus dicti Iosephi Archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes sacros ritus, & ceremonias quibus Ruteni Episcopi, & Clerus, iuxta sanctorum Patrum Græcorum instituta, in diuinis officiis & sacrosancto Missæ sacrificio, cæterorumque Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus vtuntur, dummodo veritati & doctrinæ Fidei Catholicæ non aduersentur, & communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per vnionem præmissam tollere, aut extinguere, Ecclesiæ Romanæ intentionem, mentem & voluntatem non fuisse, nec esse neque id dici, vel censeri potuisse, nec posse, quin imo dictos ritus eisdem Ruthenis Episcopis & Clero, ex Apostolica benignitate permissos, concessos & indultos esse: sicut ex litteris prædictis & Concilio Florentino apparet, & ex instituto Collegii Græcorum vrbis nostræ, nec non alumni de ritibus huiusmodi seruandis sicut accepimus iuramentum præstant, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunq;. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die X. Decembr. M.DC.XV. Pontificatus nostri anno II.

S. Cobellutius.

Et quidem ista summus Pontifex Ruthenis in re grauissima rescribebat. Eodem plane tempore, postquam Galliarum Regis Ludouici XIII. Legatum, obedientiam nomine Regio & Regni spondentem, idem summus Pontifex benigne audiuisset, adfuere commodum duo Legati Regis Voxu Iapponii, Fr. Ludouicus Sotelus Ordinis Minorum, & Don Philippus Franciscus, qui ad diem 3. Nouembris, Anno Domini M.DC.XV. in aulam Palatinam Clementinæ contiguam, eodem Paulo V. Pontif. Maxim. vna cum Cardinalibus, Antistitibus, Prælatisque sedente, admissi, in maxima nobilium virorum frequentia, post solemnem summi Pontificis adorationem & Beatorum pedum oscula, litteras Iapponico idiomate à Rege suo, summo Pontifici scriptas reddiderunt. Hæ in Latinum conuersæ, his verbis relatæ sunt.

MAGNI, ET VNIVERSALIS, SANCTISSIMIque totius Orbis Patris Domini Papæ Pauli Quinti pedes cum profunda summissione, & reuerentia osculando Idate Masamune in Imperio Iaponico Rex Voxii suppliciter dicimus.

CVm venisset Pater frater Ludouicus Sotelo Ordin. S. Francisci religiosus ad meum Regnum, & in eo Christianam legem prædicasset, me inuisit, ab eoq; eam audiui, & mysteria multa, quæ de ritu sunt, & ceremonia Christianorum, aperuit, quæ sane in corde recondens, & perscrutans cognoscens vera esse, & salubria, susciperem profitenda, nisi me aliqua negotia deturbarent, & inexcusabiles causę detinerent, si tamen pro nunc ego non valeam cupio saltim meas gentes, & subditos populos Christianos fieri: hoc, vt feliciter eueniat, ad me mittas quęso, beatissime Pater, Religiosos Ordin. S. Francisci, qui de obseruantia nuncupantur: hos enim præcipue diligo, & obserue: tua vero Altitudo ipsis ample concedere non horreat omnes licentias, fauores, & quæcunque alia ad id necessaria. Ego autem iam terram hanc ingressos adiuuare non desistam: sed in Monasteriis ædificandis, & in aliis rebus, quibus potero beneficiis inseruiam: similiterque expostulo, vt in meo Regno disponas, gubernes, instituas, omnia ea quæ ad propagandam sanctam Dei legem vtilia tibi fore placuerint, præcipue, vt in eo instituas, & crees quendam magnum Prælatum, instanter supplico, cuius obseruantia, & sollicitudine omnes, qui in eo habitant, quam pridie Christianos fieri non dubito, de ipsius autem expensis, & redditibus ne quæso anxius sis, quia vt copiose fiat, nostræ sollicitudinis, & curæ proprium esse volumus.

Cuius rei causa ad te mitto præfatum fratrem Ludouicum Sotelo legatũ meum, à quo possis de corde meo, quæ tibi visa fuerint scisciari: optime namque nouit, quæ circa prædicta in eo sunt, & hæc, vt effectum habeant ipsi roganter misso benuolas aures concedat, & honorem præbeat tua Beatitudo, cui etiam comitabitur quidam nobilis eques domus meæ, qui Faxecura Rotoyemon nominatur, qui similiter legatus meus existit, vt ambo mei vices agentes obsequii, & obedientiæ causa ad sanctissimam vsq; Romanam Curiam peruenientes tuos beatissimos pedes pro me osculentur, & si forte prædictus Pater frater Ludouicus Sotelo in via fuerit vita functus quilibet alius ab ipso designatus, vt legatus ad te admittatur tanquam si ipse viueret.

Cognoui præterea, quod meum à Nouæ Hispaniæ Regnis, quæ potestati, ac ditioni potentissimi Regis Hispanię Philippi sub sunt, non multum distat: quapropter cum desiderio communicandi cum ipso, & cum illis Christianorum Regnis, eius amicitiam exopto, quod equidem sic fore confido si tua auctoritas interueniat, precibus humiliter peto, vt hoc Altitudo tua incipiat, & ad finem vsque perducat, maxime quia necessaria via religiosis à te in hoc Regnum missis est. Præ omnibus pro me orabis omnipotentem Deum, vt ad eius amicitiam valeam peruenire. Si vero in hoc regno aliqua videris tuo obsequio, & voluntati gratiosa, iubeat Altitudo tua, quoniam, vt voluntati tuæ respondeamus, totis viribus adimplebimus. Hunc autem licet exigua sint dona, quia tamen ex longinqua regione aduenium, cum reuerentia, & timore pauca, ex Iapone tibi offero. In omnibus aliis nos remittimus ad prædictum Patrem Sotelo, & Equitem Rotuyemon, & ea quæ ex parte nostra tractauerint, & rata fecerint, ipsa & rata esse volumus. Ex Ciuitate, & Curia nostra Fendai anno 18. ætatis Quecho IV. die Lunæ nonæ, id est Anno salutis M.DC.XIII. Pridie Nonas Octobris.

Cognomen

Cognomen dignitatis	*Nomen, & Cognomen Regis*
Matcondayra Mucunocami.	Idate Masamune.

Dies inscriptionis, vt supra.

Recitatis litteris, & silentio indicto, ipsorum Legatorum, Et Regis nomine sequens Oratio est habita à R.P. Gregorio Petrocha Mantuano Ord. Min. Obseru.

ORATIO

Fratris Gregorii Petrochæ Mantuani, Ord. Min. de Obser.

ZElus pietatis, eo tandem his diebus peruenit. (SVMME PONT.) vt per tuos filios, ac famulos, Christi nomen & annuncietur in Gentibus, & Regna fœcundificet. Dominus & Saluator noster suum obsequentem, diligentem, & confitentem Petrum, insigni notione ind gitans, Beatum illum vocetenus nominauit. Beatus es Simon Bar-iona, cui concordans Ecclesia, & pro Pastore intercedens, dicit. Dominus conseruet eũ & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra. Qui fidelium Apostolatus ægre ferunt, indignantes sedenti in ista Cathedra, sanctissimi nomen tribuere, te, num beatissimum inficiari audebunt? Pro sanctitatis appellatione, nosse, pro nunc, sufficiat, cuius in terris vices geras: pro beatitudinis autem titulo meminisse fat erit, hic quem excipias, quando excipias, quorsum excipias. Idatem Masamunem, Voxii Regem, intra Iaponem: in duobus Legatis, Philippò, scilicet, Francisco Faxecura, apud Gentilitios clarissimi nominis, Regio sanguini coniuncto, Christi milite, & Ludouico Sotelo, Minorita, ex obseruantibus, Christi sacerdote excipis, & excipis tui fœlicissimi Pontificatus anno vndecimo, & ad fœdus reuerentiæ, benuolentiæ, obedientiæ, ac fidelitatis, excipis: Gentilem quidem Christo, eiusque sponsæ Rom. Eccl. acquiris, sed Regem & potentissimum, & voto Christianum. Petro cuius es successor, quam lætum, ex Gentilib. Cornelium excipere? Paulo, cuius nomine honestaris, quam lætum, nosse quod Macedones verbum veritatis excepissent, & in eo, persecutione quamuis reclamante perstitissent? Dei Genitrici, cuius deuotione ferues, quam lætum Tharsis, Arabũ, Sabæque Reges, filii sui pedibus obuolutos inspicere? Domino ipsi, cuius Vicariam exerces, quam lætum ex nationibus Regulam, & Centurionem militem in suam sortem adscribere? non tibi lætum Regem gentium excipere? Pater in filiis laudabilis, non laudandus B. Franciscus in suis hodie filiis, quibus tuæ beatitudini, tantum lætitiæ adiicitur? Seraphicus feruor sub hisce cineribus delitescens, en hodie quomodo erumpit in caumata? igneos radios exsufflans, exteratum nationum viscera, en quomodo calefecit? Dulci Christianæ charitatis incendio, en quomodo flagrare, fragrareque facit? Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonia sua nimis credibilia reddidit: non serreis viribus, non aureis illiciis, sed specie sua & pulchritudine sua: His gentium illarum negotiis legibus inualuit: his incedens prospere, processit; his regnat: his ab ominandæ lucæ Iutoches Camis, & Amidæ, cunctorumque Idolorum culturæ sese opponens, Dæmonem lacessiit, profligauit, strauit. Horum qui adstant relatu nunciatur, à prædicto Rege, cœlesti vtroque numine aspirante, audium per fratrem Ludouicum Sorelum, quem intueris, Romanum Catechismum: Christi legem, legem perfectæ libertatis agnitam, ab omni vitiorum, sordiũq; seruitute immunem, Iugum suaue: Onus leue celebratam: Diras illas inhumanæ feritatis incisuras, quibus in gratiam defunctorum Principum cariores sese exenterare teneban tur, Regia auctoritate veritas, atque damnatas: Impietatem apud populos ab immemorabili præteritarum historiarum recordatione inolitam, abolitam; Templa dæmonum euersa: Matauaximam, hoc est Phanum insigne præmultis, expurgatum, & Christo dedicandum reseruatum: Breui spacio octingenta inanium numinum simulacra, cõminuta: Sacrificolas, eorum lingua Bonzios nuncupatos, in Christi mancipia conuersos, reluctantes, Idate vltore, & Faxecura, quem intueris, executore trucidatos: Morum prauitates, corruptælas, asperitates, in bonam frugem mutatas: Solidis edictis fidem iuxta Sacram Romanam Ecclesiam, extra quam non est salus, publicitus commendatam: & vt quicumque baptizati velient, impune, & absque Regis indignatione possent, baptizandis præmia sunt proposita: baptizatis præcipui Magistratus collati sunt. Quid amplius à Catechumeno? tot præstitit Ezechias. Si sic per Salomonem, de ipsius salute nulla nunc lis superesset. Exulto Sanctissime Pater, in tuæ Beatitudinis iucunditatibus, non modo, quod Regem excipias, sed quod nunc excipias. Duob. mensibus nondum elapsis, de tua in B. Franciscum (non præter morem tuum, sed supra modum) propensione mirabamur: concessisti enim cunctis fidelibus per vniuersum orbem, vt decima septima die mensis Septembris sacrorum Stigmatum Seraphici Patris officium ritu solemni celebrari posset: Huius affectus ratio ignorabatur, nunc explorata habetur. Par pari referre satagentis est, quia Franciscus, sacris tuis fœlicitatibus inclinatus, tibi incl, & apem comparauit: fidem scilicet Gentium, & earum Regem sine aculeo, tu ei gloriam pro gloria retulisti. Trigima tribus abhinc annis ex eisdem plagis ab Occidente, meminimus Franciscum Regem Bungerum, Protasium Regem Arimæum, & Bartholomæum, Omurciæ Principé Christo appositos, ad Gregorium XIII. Oratores mississe, qui tertio anno postquam è Iaponia discesserant, ad Vrbem applicuerunt: Vrbs rei nouitate & causæ pietate in cœlestium deliciarum hortis esse videbatur. Decebat, vt quo tempore Roman. Pontificio Romana præsideret ab Oriente earundem plagarum deliciæ ingeminarentur. Et si aliquando Roma ciuem suum, re fortiter gesta, romanitatem affectum, Paulum Doctorem Gentium habuit, aliquando etiam nobilem, & natiua romanitate, & rebus optime gestis, Paulum Doctorem Gentium haberet: Viderunt oculi nostri, quam magnifice Dominus vltra Idumæam extendat calceamentum suum. Lætare, quia tibi datum est, in hoc calceamento pedem suauiter admouere. Sed dicet forte aliquis; lætandum vtiq; lætandum: sed magis si prius baptizatus Rex, nuncios direxisset, lætandum, sed magis, si citius ad Christianam Religionem properasset: De primo, non est meum definire. In mora periculum esse scio: Scio non quemlibet esse omnium horarum hominem: Scio tamen etiam, Arcam DOMINI ex lignis leuigatis ędificandam; vnum præ alio comptiorem leuigationem non postulat; in cælandis pretiosis, studia maiora nonne sunt adhibenda? æquene porfireticus ac tyburtinus lapis inciditur? æquene elaboratum opus in adamante, vt in topatio? Elegantia non quandiu, sed quam bene sint expolita primo disquiritur. In re tanti ponderis, quo maior catechismus in capite, eo maior species, maiorq; venustas in membris. Principi in summa natandum est aqua, ei non sufficit peritum haberi: oportet insignite peritũ esse. Summa rerum fidei, in summo eximiam Christiana religio postulat. Res. a. fidei & ratione, & vsu comparantur; persistendo, discet Rex alios persistere docere. Nonne solliciti est pro ritu sacrorum omnia parare, ne ad Aram, vt vulgo dicitur, in consultando cunctari contingat? non differt baptizari Idates, baptismum pertæsus, sed alto quodam intuitu, in vberiorem segetem agri salutaris. De secundo; tempestiuum laudarem accessum, sed serotinum non miror. Sol omnia lustrans ab Oriente incipit, in Occidente definit. Bungeri, Arimæi Omurcii, in capite Iaponicæ regionis (nisi me geographia fefellit) ab occasu solis degunt: Voxii in alio extremo, ab Oriente: Christus lux mundi nouo vsurus ordine, primos nouissimos, & nouissimos primos esse voluit, ac proinde ab illis ad Voxios festinauit. Lætemur quod 30. trium annor. curriculo vidimus Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui, per suos annunciasse Christum Nangasche, ad Occidẽtalem regionem, & Euangelium, sanguinis rubrica confirmasse, & nunc, per eosdem suos, annunciari videmus ad Orientalem, atq; laudari, A solis ortu vsq; ad occasum laudabile nomen Domini. In linteo illo, in quo Apostolorum Cephas, conuertendos Gentiles, mysticis sub ænigmatibus inspexit, sacra referente historia, erant volatilia, quadrupedia, & serpentia terræ: Volatilia, citius, quam Serpentia mo-

tia mo-

tia mouentur. Draco, licet alatus, non ita velociter sicut Aquila prouocat pullos suos: Video per misericordiam Dei, & incomprehensibilia iudicia eius ex remotissimis orbis partib. ad Christum conuenisse volatilia; video conuenire serpentia, & ex ænigmatibus quæ considero, a fine vsq; ad finem veritas attingit; vix linea mediat: Christus vtrumq; iunget, & vterque polus seruiet vni: Venient, venient ad te sic a meridie, & aquilone, sicut ab Occidente, & Oriente, Reges, & Populi, & puluerem pedum istorum lingent. Syren Amictum nunciat. Totius habitabilis loci, longitudo, octingentarum leucarum describitur, latitudo, angusta, supra centum leucas perparum; fides prædicata per longũ, est etiam prædicata per latum. Processus Religionis ab Oriente, superat processum eius ab Occidente per centum leucas. Totius Imperii conuersionem videbit, & lætabitur cor tuum. Quamuis autem in negotio salutis præpropera nulla sit cura, dicam tamen, venire nu c Idatem in meditullio dierum suorum, id est, annorum 49. Dei inscrutabili consilio; in hac enim mensura perfectæ ætatis, apud suos (si sibi sapientes videntur) non videbitur, (nisi temere) eius conuersio animi esse in re Christiana non exercitati; non abiecti: qua censura primi fideles ab infidelib. despiciebantur. Regis ad exemplum Regnum vniuersum ipsum Iaponicum Imperium componendum, spero: Multæ prudentiæ Principem esse Idatem, interregni suppressæ discordiæ insinuant: strenuissimum Ducem bella gloriose peracta: Ditissimum, octuaginta millium armatorum continuata, & quotidiana stipendia: Fœliciss imum, subditorum, ac finitimorum beneuolentia: Potentissimum, vincula duplicis coniugii, cum filio, scilicet, ac filia summi Iaponiorum Imperatoris: quo fit (& ad postremum dicendorum attinet) vt cum eo libentius excipias, teque beatissimum orbi vniuerso demonstres. Quorsum enim ad te mittit? quorsum excipi postulat? forte, vt ingruente necessitate, illum subsidiariis copiis adiuues? Vt hostium eius insolentes impetus cohibeas? vt suæ ditioni rebelles compescas? Regium suum (audite Patres purpurei) Regium suum diadema, sceptrum, amictum, sacris his pedibus Idates inclinat. Sacrum (si fieri potest mecum à lachrymis temperare) sacrum regenerationis lauacrum ibi proficere petit: benedictiones in spiritualibus deposcit: sua viscera maternis visceribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Paternis Rom. Pontificis iungi exoptat. Christum in Paulo V. & Paulum V. in Christo genuflexus, & pronus adorat. Regularem propterea ad te venire rogauit: Principem sibi subiectum, iuxta cor suum misit mundum quidem tunc baptizatum, sed in itinere baptizandum, prout 17. Februarii, præsentis anni, Madriti coram Catholica Maiestate, solenniter baptizatus est, vt eius nuncii spiritu pleni, spiritum redolerent, spiritum eructarent; spiritualia requirerent, spiritualia referrent: Auis ex Auibus qualis futurus sit Idates Christianus, Idates catechumenus indicat. In catechizandis rudibus regula fuit B. Augustini ad suum Deo gratias, primitus explorandam accedentis intentionem, ficte ne, an ex corde, spiritu, an leuitate accedat: Qualis intentio Idatis? intentio pietatis: Rex enim iste à 12. annis cœpit Christo affici: à quatuor in Christo refici; Breui curriculo multum profecit: Christianos excipiens factus est eorum hospes: Ex hospite, amicus; ex amico, discipulus, ex discipulo tutor: ex tutore, propagator, ex propagatore, norma, & exemplar, Principibus Iaponicis ad Christum adeundum. Apud Principem sibi proximum, qui Christianos in suo principatu admissos, vix patiebatur, accidit vt ille se ab eis læsum censeret; qui tanta indignatione in eos efferbuit, vt mille cum octingentis in carcere simul haberet, morti destinatos; ex quibus aliquiad securim, aliqui ad suspendium adducebantur; Sacerdotes vero & Concionatores ad ambustionem. Vna dierum maximus numerus horum, & illorum expectabatur ad necem. Iam rogus paratus, iam imminenti spectaculo popularis multitudo conuenerat, iam flamma vorax ad pabulum extorquebat: Idates rei conscius, ab auctore martyrii, sola in Christum pietate, omnium animas sibi donari popposcit, obtinuit, eripuit, non Christo sed morti, octo supra viginti exceptis, quos Dei sapientia, vt æque fortiter ac suauiter sua disponeret, perignem, & gladium sibi in odorẽ suauitatis assumpsit. Nec propterea illum à grauioribus pietatis argumentis, nondum susceptæ regenerationis, frigescere, non tepescere permisit. Sed cum Anglorum Batauorumque Oratores, ad Iaponicum Imperatorem eius amicitiam postulãtes, accessissent, sanctæ huius Sedis beatitudinem inuadentes, inuidentes ei saltem, insidiantes; aduersantes: Idates Imperatorem admonet, solam Romanam Ecclesiam esse Christi legitimam vxorem, non habentem maculam, neque rugam: cuius consilio illis dimissis, ad ineundam societatem, cum Philippo Hispaniarum Rege Catholico, huius Matris legitimo filio, deflectere maluit: Consequentia vestro iudicio, Patres Amplissimi, conijcieda relinquo Roma cogitandum tibi qualis fueris; qualis sis Sanctum Leonem tantisper audiamus: Quæ eras Magistra erroris, facta es discipula veritatis: Datur ne aliquid apponere? Quæ eras discipula veritatis, facta es Magistra, & Mater veritatis; Columna, firmamentum fidei: Iaponia in errore tibi soror, in veritate fit tibi obsequentissima famula: fiat ei a fiat dilectissima filia. Hucusque zelus pietatis apud Iapones peruenit: Hucusq; apud nos peruenire videamus, vt Idatem Regem catechumenũ, tuorum numero aggreges. Opt. Max. Summum, Sanctissimum te confitemur Beatissimum ex eoquem excipis, quãdo excipis, & quorsum excipis, vix indicare potui: Contristor, linguam meam cordi meo non sufficere, tuam beatitudinem pene à limine venerari potui. Prospice tuis supplicibus Mundi Redemptor, qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis fœtu nonæ prolis amplificas, famulum tuum Idatem, quem Voxiis Regem præesse voluisti: inter filios adoptionis adscribe, & Apostolum tuum Paulum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, fac semper præesse feliciter, conserua eum, beatum facias eum in terra; beatum facturus in Cœlis, & sicut in dimidio militaris clamidis festiuus, & felix aliquando dixisti, Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit: rita in Regia huius quẽ suscepis, clamide, per Paulum tuum festiue, ac fœliciter dicere audiamus. Idates adhuc catechumenus hac me gloria superuestiuit, &c.

Ad hanc Orationem à Reuerendissimo Domino Petro Strozio, Summi Pontificis nomine, in hæc verba responsum est.

PETRI STROZÆ, SANCTISSIMI Domini Nostri Secretarii Apostolici Domestici,

RESPONSIO.

IVcundissimum Sanctissimo Domino Nostro Nuncium attulistis, Oratores, pie ac religiose Dei Sacerdos Ludouice, & Eques generose Philippe Faxecura, Idatem Masamunẽ Regem Voxii, cuius tam latum inter Iaponicos Imperium, tam amplæ, ac validæ copiæ, atq; vires, adeo firma præsidia, cum ex continuo, expeditoq; belli apparatu, tum ex arctissimo, ac duplici cum summo Iaponiæ Rege affinitatis vinculo: successum diuini amoris ardore, Christianam fidem recepisse, & adhuc Catechumenum, fidei propagationem, verumq; Dei cultum apud suos summo zelo curauisse, ac vos ead. de causa ad sanctam Apostolicam Sedem legauisse.

Gaudet summopere Sanctitas sua, & Deo gratias ingentes agit, quod ministerii sui Apostolici tempore Christi Domini Euangelium fœliciter audiri in Orientalibus Iaponiæ partib. cœperit, eiusq; rei Nuncium allatum esse 33. anno postquam ex Occidentali b. illius amplissimæ Insulæ regionib. primi Christianorum ad summum Pontificem legati Nauem conscenderunt.

Quasi vero spes, quæ affulserat absoluendi per totum terrarum Orbem prædicationis Euangelicæ circulum, adimpleri, ac perfici debuerit mysteriosa annorum periodo, qua humani generis Redemptor in terris peregrinari dignatus est.

Diuina igitur misericordia fretus Sanctissimus Dominus Noster vtiq; sperat, Regem Idatem quantocius candidam ex fonte sacri baptismatis vestem sumpturum, sicut ad eius animæ salutem illum efficacissime hortatur.

Qua fiducia amantissime recipit, vna cum his venerabilibus fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus hanc eius piæ voluntatis delarationem, delatumq; per vos sibi, ac sanctæ Apostolicæ Sedi obsequium, ac veneration-

bus fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus hanc eius piæ voluntatis delarationem, delatumq; per vos sibi, ac sanctæ Apostolicæ Sedi obsequium, ac veneration-nem.

Et Deum toto cordis affectu precatur, vt per immensam eius boniratem perficiat, quod per ineffabilem suam clementiam in Rege Idate incepit, nihil & ipse interea prætermissurus, vt quantum cum Domino fieri poterit, ipsius Regis piis, ac iustis desideriis satisfiat, subiectorum que ei populorum spirituali solatio opportune prospiciatur.

Sic me vobis respondere iussit. Dixi.

Ista superiora adiicere visum, vt appareat, etiam nostro hoc tempore, Romanæ potestatem Ecclesiæ in omnes fideles Orbis terræ amplissimam esse, Primatumque omnium Ecclesiarum obtinere.

BREVIARIVM SÆCVLI XIII.

Pontificum, Patrum & Doctorum, Dogmatum, Conciliorum, Hæreticorum, Imperatorum, Regum Romanorum.

PONTIFICES.

Innocent. III. Anagninus, filius Trasimundi. Sedit ann. 8. mens. 6. dies 9.

Honorius III. Romanus. Sedit annos decem, menses octo.

Gregorius IX. Anagninus. Sedit annos 14. menses 4. dies 3.

Cœlestinus IV. Mediolanens. Sedit dies 17.

Innocentius IV. Genuens. Sedit annos 11. menses 5. dies 14.

Alexander IV. Anagninus. Sedit annos 6. menses 5. dies totidem.

Vrbanus IV. Trecens. Gallus. Sedit annos 3. mensem 1. dies 4.

Clemens IV. Narbonen. Gallus. Sedit annos 3. mens. 9. dies 25.

Gregorius X. Placentinus. Sedit ann. 4. mens. quatuor, dies 10.

Innocentius V. Tarantasiensis Gallus. Sedit menses 5. dies 20.

Hadrianus V. Genuens. Sedit mens. 1. dies 9.

Ioannes XXI. Lusitanus. Sedit mens. 8. dies 5.

Nicolaus III. Romanus. Sedit annos 2. menses 8. dies 22.

Martinus IV. Gallus, Senonien. Sedit annos 4. mens. 1. dies 7.

Honorius IV. Romanus. Sedit an. 2. dies 2.

Nicolaus IV. Asculanus. Sedit annos 5. menses 1. dies 14.

Cœlestinus V. Samnis. Sedit mens. 5. dies 7.

Bonifacius VIII. Anagninus. Sedit toto tempore annos 8. mens. 9. dies 19.

PATRES ET DOCTORES, EORVMQVE Dogmata, Nouatoribus contraria.

1. *Missæ ritus, & verba, quæ antea.* docet Innocentius 3. libris de mysteriis Missæ. Durandus Mimatensis in Rationali Diuinorum officiorum. D. Thomas Aquinas opusc. 66. de expositione Missæ, & 3. parte q. 83. Cabasilas Græcus libro de diuino altaris sacrificio. Samonas Gazensis contra Achmed Saracenum. Simeon Thessalonicensis libro de 7. Sacramentis.

2. *Gratia Dei, fides, iustificatio.* Cabasilas in expositione liturg. c. 29. Innoc. in 7. Psal. pœnitent. Thom. Aquin. 1. 2. q. 109. & in 1. Apocal. Omnes Scholastici cum Magistro sententin 2. dist. 27.

3. *Eucharistiæ veritas, sacrificium transubstantiatio, adoratio.* Cabasilas in expos liturg. multis capitib. Innoc. lib. de mysteriis Missæ. Thom. Aquin. libro de Sacramento altaris c. 29. & in officio Sacramenti, & cum eo Bonauentura cum Scholasticis in 4. sent. & ipse 3. parte q. 74. Guillelm. Paris. lib. de Sacramento. Alex. 4. q. 36. 37. & seqq. Ægidius Roman. passim S. Samonas disputatione contra Achmed. Saracenum.

4. *Baptismi effectus, necessitas, aliena fides, ceremoniæ.* Thom. Aquin. 3. part. quæst. 66. & seqq. & in summa contra Gent. li. 4. Scholastici in 4. sent. dist. multis. D. Samonas Gazens. disput. superiore. Guillelm. Parisiens. de baptismo & eius partibus lib. de ritu baptizandi. Albertus Magnus variis locis. Hugo Cardinalis & Lyranus in varia Bibliorum capita. Durand. de diuinis officiis. Bonauentura & Ægid. passim.

5. *Pœnitentia, & eius partes tres.* Thomas Aquin. opusc. de art. fidei cap. 14. & 3. part. q. 84. & seqq. Doctores huius sæculi in 4. sent. distinct. multis. Bonauent. in dictis de pœnitentia. Innocent. in 1. & 3. Psalm. pœnit. Guillelm. Paris. de sacramen. pœnit. Cabasilas cap. 29. Concil. Lateranens. c. 21.

6. *Claues Ecclesiæ, absolutio.* Tho. Aquin. opusc. de forma absolutionis, & 3. p. p. 84. Scholastici in 4. sent. Cabasilas c. 29. Durandus de Diuinis officiis. Bouauent. Ægid. Hugo, Albertus Magnus, passim.

7. *Confirmatio, & reliqua alia Sacramenta, & eorum vsus.* Thom. 3. p. q. multis. & in opusc. de art. Fidei Scholast. in 4. sent. Simon Thessalonicens. lib. de 7. Sacram. Eccl. Cabasilas c. 29. Durandus de diuinis officiis. Hugo, Lyra, Albert. Ægid. Bonauentura, passim.

8. *Primatus Apostolicæ Sedis.* Fridericus & Otto Impp. in epist. Michael & Andronicus Impp. Orientis in epistolis. Græci in Concil. Lateranens. & Lugdunens, Plures nationes barbarorum apud Vincentium in speculo lib. 31. c. 39. Thomas Aquin. lib. 4. cont. Gent. cap. 76. & 2. 2. quæst. 39. a. 1. Lateranens. Concil. cap. 5. Omnes Patres & Doctores Scholastici.

9. *Ecclesiæ & traditionum auctoritas.* Thom. Aquin. 3. p. q. 25. a. 3. ad 4. Scholastici omnes. Hugo, Lyranus, in varia Bibliorum loca.

10. *Liberum arbitrium, & bona opera.* Thomas in summa de verit. materia 24. q. 1. & 1. part. q. 83. art. 1. & Scholastici in 2. sent. dist. 3. & omnes Patres passim in suis lucubrationibus.

11. *Sanctorum preces, suffragia, inuocatio, reliquiæ, imagines, festa.* Psellus ad Andronicum Imp. Cabasilas in exposit. Liturg. c. 33. 34. 48. 49. 50. Thomas Aquin. in opusc. contra errores Græcorum. & 2. quæst. 83. Innoc. ser. 1. de dedicat. templi. Doctores huius sæculi in sermonibus & tractatib. variis.

12. *Preces pro defunctis, Purgatorium.* Psellus ad Andronic. Imperator. cap. de exitu animarum, & c. de benefactis pro iis qui è vita decesserunt. Cabasilas cap. 33. 42. quod inscribitur, de iis qui dormierunt, an sanctificentur à mens. cap. 44. 45. quod præfert hunc titulum. Quod iis qui dormierunt perfectior fit sanctificatio. 42. Thom. Aquin. 3. q. 82. artic. 6. & in summa contra Gentil. libr. 4. cap. 91. Bonauent. in 7. parte Breuiloq. cap. 2. Innoc. in 3. Psal. pœnit. Doctores in 4. sent. dist. 21. Expositores Bibliorum variis in locis.

13. *Sola fides excluſa.* D. Tho. 2. 2. q. 65. a. 4. Omnes fere Doctores Scholastici, & Commentatores Bibliorum passim.

14. *Cœlibatus.* D. Tho. 22. q. 186. a. 4. Expositores Bibliorum passim. Conciliorum canones contra corruptelas sæculi istius.

15. *Abstinentia à cibis.* S. Tho. 2. 2. q. 147. a. 3 Scholast. in sent. & omnes Patres passim.

16. *Miracula.* Passim à Sanctis huius sæculi, Dominico, Hyacintho, Francisco, Antonio, & aliis innumerabilibus publice acta.

CONCILIA.

Præter Prouincialia plurima variis in locis congregata.
Lateranense sub Innocentio III. anno 1215.
Lugdunense 1. sub Innocentio IV. an. 1245.
Lugdunense 2. sub Gregorio X. an. 1274.

HÆRETICI.

Albigenſes, Patareni, Arnaldiſtæ, Pauperes de Lugduno, Recentes Manichæi, Reiudaizantes, Iudaizantes, & alii complures, qui Doctores Catholicos exereuerunt.

IMPERATORES ROMANORVM.

ORIENTIS.

Alexius III. Angelus Imp. an. 8. menſ. dies 10.
Alexius IV. Imp. menſes 6. dies 8.
Alexius V. Ducas Imp. menſ. 11. dies 16.
Balduinus I. Imp. menſ. 11.
Henricus frater Balduini Imp. an. plus minus 10.
Petrus gener Henrici Imp. an. plus minus 5.
Robertus Petri fr. Imp. annos plus minus 7.
Balduinus Iunior poſt mortem patris Imp. an. 13.
Ioannes Bryennus cum Balduino Imp. ann. 20.
Michael Palæologus Imp. Conſtantinopol. an. 24.
Andronicus iunior Palæologus Imp. an. plus min. 43.

OCCIDENTIS.

Otto IV. regnauit & imperauit an. 20. m. 2.
Fridericus II. regnauit & imperauit partim in ſchiſmate, partim in obedientia Eccleſiæ an. 30.

REGES ROMANORVM.

Otto IV. regnauit annos 10. m. 7.
Fridericus II. regnauit an. 9. m. 11. dies 9.
Henricus VI. regnauit cum patre Friderico an. 12.
Conradus Rex à patre appellatus, regn. ann. 19.
Henricus VII. regnauit annum plus minus vnum.
Guillelmus regnauit annos 9.
Richardus Anglus, regnauit annos 6.
Alphonſus Caſtellanus, regn. an. 11. menſ. 6. dies 12.
Rudolphus Auſtriacus, regn. an. 17. menſ. 11. dies 19.
Adolphus Naſſouius, regn. ann. 7. menſ. 6. & dies aliquot.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quia confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

ERRATA, QVÆ INTER RECOGNOSCENDVM animaduerſa ſunt, ſic corrigito.

Columna 1. pro patræ *lege* patre. *Ead. col. pro* Anno *lege* Annos. *Col.* 2. *pro* deuotæ *lege* deuote. *Col* 3. *pro* alique *lege* aliquam. *Ead. col. pro* Paraſcheues *lege* paraſceues. *Ead. col. pro* ditari *lege* ditati *Col.* 4. *pro* Iudæorum *lege* Iudæos. *Ead. col. pro* diuicti. *lege* deuicti. *Ead. col. pro* Francia *lege* Francica. *Ead. col. pro* Alexandrinam *lege* Alexandriam. *Col.* 5. *pro* terciam *lege* terram. *Ead. col. pro* recipiſſet *lege* recepiſſet. *Col.* 6. *pro* eliberate *lege* liberare. *Ead. col. pro* Pontificialis *lege* Pontificalis. *Column. octaua* 170 acres *lege* acriter. *Eadem column. pro* Etrurea *lege* Etruria *Column.* 10. *pro* exule *lege* exuli. *Eadem colum. pro* quod diuerſos *lege* quod per diuerſos. *Eadem col. pro* qui alios *lege* per alios. *Colum.* 12. *pro* memoria *lege* memoriæ. *Ead. col. pro* aureo *lege* auro. *Ead. col. pro* roborari *lege* roborati. *Col.* 13. *pro* gratam *lege* gratiam. *Ead. col. pro* & eius *lege* & in eius. *Col.* 14. *pro* detiſſent *lege* deſtitiſſent. *Ead. col. pro* exemplare *lege* exemplar. *Ead. col. pro* ſi eos *lege* ſic eos. *Ead. col. pro* chypeum *lege* clypeum. *Ead. col. pro* obedientia *lege* inobedientia. *Col.* 15 *pro* Helbergam *lege* Gelbergam. *Ead. col pro* demiſſiſſime *lege* demiſſiſſime. *Col.* 16. *in marg.* pro lectionem *lege* electionem. *Ead. col. pro* bello Dux *lege* belli Dux. *Ead. col. pro* quam, vt *lege* quæ vt. *Col* 17. *pro* abibat *lege* adibat. *Ead. col. pro* clauſula *lege* clauſa. *Ead. col pro* Anglicum *lege* Angelicum. *Col.* 18. *pro* propter *lege* propter. *Ead. col. pro* ita in ciuibus *lege* ita ciuibus. *Ead. col. pro* contigarunt *lege* contigerunt. *Et mox pro* adieciſſe *lege* adieciſſe. *Col.* 19 *pro* ſufficit *lege* ſuffecit. *Col.* 20 *pro* vittus *lege* virtus. *Ead. col. pro* immuni *lege* imminui. *Ead. col. pro* ſacris *lege* ſaccis. *Ead. col. pro* mimis *lege* minis. *Col.* 21. *pro* tuba *lege* turba. Ibid. *Col.* 23. *pro* vocabantur *lege* vocabatur. *Ibid. in marg. pro* plaſphemias *lege* blaſphemias. *Ibid. pro* Hieſolymitanæ *lege* Hieroſolymitanæ. *Ibid. pro* moles *lege* moleſtet. *Col.* 24. *pro* Impetator *lege* Imperator. *Ibid in marg. pro* cædæ *lege* cæde. *Ibid. pro* Imperatorum *lege* Imperatorem. *Col.* 25. *pro* Dominus eſt *lege* Dominus eſſet. *Ibid. pro* aquas mari *lege* aquas maris. *Col.* 26. *pro* commune dixeris *lege* commune ne dixeris. *Col.* 26. *pro* Petrus ſit tempore *lege* Petrus prior ſit tempore. *Col.* 28. *pro* promiſſionem occurretis *lege* occurreris. *Ibid. pro* cæteris ante *lege* autem. *Col.* 29 *pro* Eccleſias hæreſes *lege* & hæreſes *Col.* 30 *pro* margeritas *lege* margaritas. *Col* 31. *pro* inuiſibiliter *lege* inuiſibilis *Col* 32. *pro* latare *lege* latrare. *Ibid. pro* cedere *lege* credere. *Col.* 33. *pro* tempora is *lege* temporalis. *Ibid. pro* bonis temporibus *lege* temporalibus. *Ibid. pro* innocat *lege* innouat. *Ibid. pro* etiamſi *lege* etiam, ſi. *Col.* 34. *pro* cetri res *lege* certiores. *Col.* 36. *in marg. pro* neque *lege* atque. *Col* 37 *pro* accidamus *lege* occidamus. *Ibid. pro* Sarraceni *lege* Sarracenos. *Col.* 38 *pro* obiectio *lege* abiectio. *Col.* 39. *pro* ſolicitus *lege* ſolicitius. *Ibid. pro* & ſi *lege* & hi. *Col.* 40. *pro* Eccleſiæ *lege* Eccleſiæ. *Col.* 42. *in marg.* pro eandem *lege* eundem. *Ead. col. pro* Ideorum *lege* Iudæorum, *pro* rationes *lege* nationes, *& pro* conniuit *lege* counuit. *Col.* 43. *pro* iudicium *lege* indicium. *Col.* 44. *pro* communitionem *lege* commonitionem. *Col.* 44 *pro* expiandis *lege* expiandi. *Col.* 46 *in marg. pro* Otton *lege* Ottoni. *Col.* 47. *pro* prauale lebunt *lege* prævalebunt *Ibid. pro* tempora Sarug. *lege* tempore. *Col.* 48. *pro* Non poſt *lege* Nam. *Ibid pro* ne longo *lege* longe. *Ibid pro* ſic illic *lege* illi. *Ibid pro* pro ex *lege* pro eo. *Col.* 49. *pro* & promouendum *lege* & promouendi. *Ibidem pro* iuſto quidam *lege* iuſto quidem. *Col.* 50. *pro* ſtips petentem *lege* ſtipem petentem. *Col.* 51 *pro* cultoribus *lege* cultioribus. *Ibid. pro* beneficia pietate *lege* benefica pietate. *Ibid. pro* petioni *lege* petitioni. *Col.* 52. *pro* vtrumque *lege* vtcumq; *Ibid pro* medicimonio *lege* mendicimonio. *Col.* 53. *pro* contrarium *lege* contrarium à quopiam. *Ibid. pro* non leuitates *lege* non in leuitates. *Ibid. pro* ad eis *lege* ab eis. *Col.* 55. *pro* falcite *lege* fulcite *Col.* 56. *pro* illius prius *lege* illum prius. *Ib. pro* excteſcere *lege* excreſcere. *Col* 59. *pro* eaque de mentionem *lege* eaque de rementionem. *Col.* 101. *pro* vexabantur *lege* vexabatur. *Ibid. pro* Aroſeruntino *lege* Archeruntino. *Ibid pro* Vuſtanum *lege* Vulſtanum. *Col.* 102. *in marg. pro* iurmentum *lege* iuramentum. *Col.* 104 *pro* inſtruxerit *lege* inſtruxit. *Ibid. pro* conuerſus *lege* concurſus. *Colum.* 107. *pro* aduentum *lege* aduentu. *Col* 108. *pro* viuit *lege* vniuit. *Ibid. pro* laudata *lege* laudate. *Col.* 109. *pro* carceris *lege* carceri. *Ib. pro* diſtantis *lege* diſtantes. *Col.* 110. *pro* approbtium *lege* opprobrium. *Ib. pro* Imperium *lege* Imperii. *Ib. pro* gratias *lege* gratius. *Col.* 111. *pro* amœciſſimis *lege* amœniſſimis. *Col.* 113. *pro* intereat *lege* intererat. *Ibid. pro* ſubuertens *lege* ſubuertentes. *Ibid. pro* Namrucanus *lege* Namurcanus. *Col.* 115. *pro* ſpaciorum *lege* ſpacioſum. *Catera, quæ ſunt leuioris momenti, æquus Lector facile pro iudicio ſuo eſt emendaturus.*

INDEX

IN TOMVM DECIMVMTERTIVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM: CVIVS PRIOR NVMERVS ANNVM; POSTERIOR PARAGRAPHVM DENOTAT.

A.

Abbas Elnẽſis Ordinis Ciſtercienſis à Guillelmo Rupersortio crudeliter interficitur. 1209.10
Abbas Androioniẽſis Henricum Sileſiæ Ducem à perſecutione Eccleſiæ Vratiſlauiẽſis Eccleſiaſticis cenſuris deterrere iubetur à Gregorio IX. 1237.8
Abbas Vallis vmbroſæ à Manfredianis occiditur. 1261.1.
Abbas quidam Ciſtercienſis Ordinis, præſagum mortis Innocentij Tertij ſommium videt, & quale. 1210.7
Abbas de Lauere ad prædicandum gentilibus in Liuonia & Pruſſia ab Innocentio Tertio mittitur. 1206.8
Abbas Fuldenſis à Friderico Secundo ad petendam coronã Imperij Romã mittitur. 1220.1
Abbate Bonæuallis ad Crucem cõtra Albigenſes ſuſcipiendam populum hortante, ſubitò in aëre ingens Crux apparet. 1212.23
Abbates duodecim vna cum D. Dominico Raymundum Comitem Toloſanũ in hæreſi pertinacem, tanquam erronũ fautorem à communione fidelium ſegregant. 1308.3
Abbates Ciſtercienſes Ordinis ſui patrocinium contra Innocentij Tertij ſententiã quomodo commendarint. 1208.9
Abbates quidam Ciſtercienſis ac Cluniacenſis Ordinis, apud Gregorium Nonũ Pontificem contra Fratres Prædicatores quærelam inſtituunt. 1236.2
Abbates Sublacẽſes ab Alexandro Quarto Pontifice vſum annuli, mytræ, tunicæ, &c. obtinent. 1256.11
Abbates Gemblacenſis & Floreffienſis faciales Philippo Galliarũ regi nomine Eduardi Angliæ regis & Guidonis Flandriæ principis, bellum ſolemniter indicunt. 1296.8
Abbates Fuldenſis & S. Trudonis Sanctionum à Guillelmo Romanorum rege aduerſus Conradum & eius ſequaces editarum iuſſu Innocentij Quarti Pontificis Executores conſtituuntur. 1252.1
Abbates Tranſlationi Corporis S. Oſwaldi regis præſentes qui fuerint. 1221.27
Abbates duodecim Ciſtercienſes Crucem contra Albigenſes prædicant. 1204. 22
Abbates duodecim Ordinis Ciſtercienſis ad Raymundum comitem Toloſanum, vt eum ab albigenſi errore redirent, ablegãtur. 1207.5
Abbatis Ioachim Tractatus cõtra Petrum Lombardum in Concilio Lateranenſi damnatur. 1215.1
Abbatiſſa Agnes B. Ludgardi vſum SS. Euchariſtiæ interdicens diuinus puniitur. 1246.1
Abdicatio ſpontanea Adami Mormorũ Epiſcopi à Præſulatu. 1229.8
alia S. Odonis Nouarienſis ab officio Abbatis. 1240.15
alia Conradi Secundi Epiſcopi Hildesheimenſis ab Epiſcopatu. 1248.8
alia Chriſtiani Archiepiſcopi Moguntini ab Archiepiſcopatu. 1251.12
alia Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani à Patriarchatu. 1259.6
alia B. Begumili Archiepiſcopi Gneſnenſis ab Archiepiſcopatu. 1287.15
alia Cœleſtini V. à Pontificatu. 1294.10
alia Vallaſei Scotorum Principis à Magiſtratu. 1299.20
Abel Ericum Daniæ Regem fratrem germanum miſerabiliter occidi curat. 1251.5
Abſolutio non valet, niſi reſtituatur ablatum. 1198.21 (2
Abſolutio Cruceſignatorũ ab anathamate. 1203.
Abſolutio Raymundi comitis Toloſani & reconciliatio. 1208.6
Abſolutio cuidam amarè pœnitenti denegatur. 1198.19
Abſolutio Raymundi comitis Toloſani, quibus ſollemnitatibus facta. 1208.9
alia cuiuſdã mulieris inceſtuoſæ amarè pœnitentis. 1216.15
alia Falcaſii Principis villæ S. Albani depradatoris. 1217.14
Abſolutio Marcobaldi Siciliæ Tyranni. 1199.10
alia Ottonis Imperatoris amarè pœnitentis, ab Epiſcopo Hildeſemenſi facta. 1218.19
alia Petri viri Principis Cæſarauguſtani à D. Dominico facta. 1219.13
alia Raymundi Iunioris comitis Toloſani ab excommunicatione per Archiepiſcopũ Narbonenſem. 1222.12
alia Friderici Secundi Imperatoris ab anathematis vinculo per Gregoriũ Nonũ. 1230.1
alia Raymundi comitis Toloſani ab hæreſi ad Eccleſiæ gremium denuò reuertentis. 1236.8
alia Iacobi Regis Aragoniæ, & comitis Ronciliouis à cenſura Canonis per F. Raymundum Peniafortium. ibid.
alia Suentopalci Pomeranici Ducis ab anathemate per Opiſſonem Abbatem Innocentij IV. Legatum. 1246.18
alia Michaëlis Palæolog. Græcorum Imperatoris per Ioſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum. 1259.6
alia Mediolanenſium ciuitatis ab Interdicti cenſura. 1267.14
alia Genuenſium ab anathemate. 1288.6
Abſoluti cum excommunicatis quatenus conuerſari debeant. 1203.4
Abuſus & prophanatio diuini nominis & Sanctorum ab Innocentio Tertio prohibetur. 1213.6
Abuſus circa adminiſtrationẽ Sacramenti Confirmationis. 1199.3
Achaiæ regnum Wilhelmo Veronenſi & Elenæ eius coniugi à Balduino Græcorum Imperatore in feudum conceditur. 1244.1
ab Innocentio Quarto Pontifice confirmatur. ibidem.
Achas oppidum munitiſſimum terræmotu quaſſatum corruit. 1202.21
Achas puer quinquennis Belga à parentibus habitu Minoritarum indui petit. 1229.6. omnia iſtius Ordinis inſtituta ad amuſſim exequitur, ac ſi ei religioni ſacro vinculo alligatus ſit. ibid. à mercatoribus quibuſdam fraude inductus, inſcius in vno contra Regulam tranſgreditur. ibid. errati veniam à Deo petit, & accerſito Sacerdoti confitetur. ibid. alios pueros ad virtutis ſtudium mirabiliter inuitat. ibid. Patris proprij vitia cum lachrymis increpat. ibid. matrem à veſtium luxu exemplo Chriſti in Cruce pendentis reuocat. ibid. ægrotans confitetur & SS. Euchariſtiam dari ſibi poſtulat. ibid. Oratione ad Chriſtum habita moritur. ibid. miracula obitum eius conſecuta. ibid.
Acies inſtructæ hominum dimicantium in Anglia viſuntur in cælo. 1236.11
Acurſius filius Aldobrandini quod hæreticos allocutus fuerat, incidit in Canonem. 1234.14
per F. Raymundum Peniafortium à cenſuris exſoluuntur. ibid.
Frater Accurſius Ordinis Diui Franciſci claret. 1258.14. eius ſumma erga infirmos charitas. ibid. manuit D. Virginis ſibi apparentis ſolatio carere, quam infirmo opem ſuam imploranti non ſuccurrere. ibid.
Accuſatio Henrici regis & Epiſcoporum Angliæ contra Waltherum in Archiepiſcopũ Cantuarienſem perperam electum. 1227.14
alia Friderici Secundi Imperatoris contra Innocentium Quartum Pontificem. 1245.1
alia quorundam malcuolorum in Concilio generali Galliæ contra FF. Prædicatores & Franciſcanos. 1259.8
alia Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris aduerſus Arſenium Patriarcham Conſtantinopolitanum. 1259.6
alia cuiuſdã Iudi contra B. Ioannem Vincentium apud Gregorium IX. 1233.10
alia Legatorum Mediolanenſium contra Ottonem ſuum Archiepiſcopum apud Clementem Quartum. 1267.14
Acta ſummaria Synodi per Legatos Innocentij III. in Dalmatia habitæ. 1199.16
alia Synodi ab Huberto Archiepiſcopo Cantuarienſi Londini celebratæ. 1200.19
alia pacis inter Philippum Sueuum & Ottonem Imperatorem à Legatis Apoſtolicis tentata. 1207.2
alia Colloquij inter Petrum regem Arragonum & Simonem Montfortium pro comite Toloſano inſtituti. 1213.8
alia Cõcilij generalis Lateran. 1215 1.23.4.
alia Concilij Prouincialis à Petro Beneuentano Legato Apoſtolico apud Montem Peſſulanum celebrati. eod.9
alia Concilij Prouincialis Oxonienſis à Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo celebrati. 1232.19
alia Concilij Taraconenſis contra hæreticos celebrati. 1242.4
alia Concilij generalis Lugdunenſis contra Fridericum II. Imperatorem ab Innocentio IV. celebrati. 1245.6
alia Conuentus Principum Angliæ in aula Weſtmonaſterienſi ab Henrico Angliæ Rege habiti. 1253.6

alia Concilij Prouincialis Mediolanensis. 1287. 12
Acta Concilij Lugdunensis breuiter notantur. 1274. 6
Acta Synodi ibidem habita ad eundem transmittit. eod. 16
Actiniæ & Graciniane Virginum ac Martyrum corpora inueniuntur. 1200. 15
Actiolinus: vide Ezelinus.
Actius V. Atteſtinus Princeps ſedi Apoſtolicæ fidelis, moritur. 1266. 20. eius encomium & res præclarè geſtæ. ibid.
Actio Templariorum Pariſienſium contra Decanum S. Quintini. ibid. & 1201. 5
Actio grauiſſima totius cleri Luſitanici contra Dionyſium regem Luſitaniæ Romæ coram ſede Apoſt. propoſita. 1289. 9
Actiones ſolennes in die Cœnæ Domini agendæ Vniuerſis per orbem Epiſcopis, ab Honorio III. præſcribuntur, & quo modo. 1218. 7
Actus virtutis inſignis in B. Adulpho ex Comite Holſatiæ Franciſcano. 1239. 14
Adagium apud Panormitanos iactatũ. 1244. 10
B. Adamus Ord. Minorum floret. 1287. 14. eius inſignis ſanctitas ac miracula. ibid.
Adamus Epiſcopus Cathanenſij à propriis ſubditis immaniter in ſua culina concrematur. 1230. 4
Adam Morinorum Epiſcopus præſulatuſe abdicat. 1229. 8. ſit Monachus Clareuallenſis. ibid. idem S. Oswaldi Regis ac Ideberga Virginis corpora transfert. 1221. 17
Adelbertus quidam villæ Mannendal incola mortuus ad vitam redit, & horribilia de Inferni & Purgatorij pœnis quas viderat, refert. 1211. 12
Adelheidis Alberici à Romano filio Rinaldo Azonis Ateſtini filio ſuaſu B. Ioannis Vincentini denubit. 1233. 10
Ademarus Germanus Henrici regis Angliæ ab Innocentio IV. Vintonienſi Eccleſiæ Epiſcopus præficitur. 1251. 8
Admirabilis belli apparatus Cruceſignatorum in Terram ſanctam mouentium. 1219. 1
Admonitio libera B. Iordanis Ord. Prædicatorum Magiſtri Generalis ad Fridericum Secundum Imperatorem. 1236. 2
Adoleſcens libidinoſus cum dæmone puellæ adamatæ ſpecie apparente concumbere cupiens, ab eo parietibus illiſus enecatur. 1260. 17
Adoleſcens mundanus ex pœnarum infernalium meditatione ad meliorem vitam reuocatur. 1246. 4
Adoleſcens Virum venerabilem concionantem interturbans ſubitanea phreneſi percutitur. 1246. 3
Tres Adoleſcentes nobiles ab Enguerranno Gallo innocenter patibulis affiguntur. 1263. 8
Admirabilis Moneti ad Ordinem D. Dominici ex Reginaldi concione conuerſio. 1222. 14
Adolphus Archiepiſcopus Colonienſis excommunicatur & gradu Pontificio deijcitur. 1205. 8
Adolphus comes Naſſouius ſeptem virorum arbitrio in locum Rudolphi Habſpergenſis defuncti in Romanorum regem eligitur. 1292. 3
Aſtu Gyraldi Archiepiſcopi Moguntini ad regnum euehitur. ibid. Philippum Galliarum regem belli infeſtat. 1298. 6. eius belli occaſio. ibid. à Bonifacio Octauo ad ineundam cum eo concordiam inſtigatur. ibid. communi principum Electorum conſenſu ob ſcelera ac flagitia ab Imperio deponitur. 1299. 1. ab Alberto Auſtriaco in prælio occiditur. eod. 2. Spiræ ſepelitur. ibid.
E. Adrianus Magiſter Ordinis Prædicatorum à Schythis martyrium patitur. 1233. 4
Aduentus Ioannis Brenni regis Hieroſolymitani ad ciuitatem Bononienſem. 1228. 2
Aduentus Ludouici regis Galliarum regis ad Lugdunenſem ciuitatem Legato Apoſtolico gratus eſt, & quare. 1215. 9
Aduliſa Monaſterij SS. Coſmæ ac Damiani Abbatiſſa B. Odonem Romæ reuertentem hoſpitio excipit. 1240. 15
Adolphus comes Holſatiæ Ord. D. Franciſci ingreditur. 1239. 14. lac oſtiatim emendicat. ibid. filios ſuos equis vectos obuios habens pudore ſuffunditur. ibid. hydriam lacte lenam in eorum conſpectu ſuper caput euertit. ibid. moribundus à D. Virgine Angelorum choris ſtipata inuiſitur. ibid. diem claudit extremum. ibid.
Adulterium grauiter vindicatur. 1202. 13. aliud iuſtè punitur. 1293. 5
Aduocati & Scribarij Viterbienſes ab hæreticorum fauore & patrocinio repelluntur. 1205. 10
B. Aegidius Rodericus Ordinis Prædicatorum floret. 1230. 9. eius natio, patria, parentes, generis nobilitas. ibid. medicinæ ſcientia claret. ibid. Varios Canonicatus & Prælaturas interuentu Patris à Sancio Portugalliæ Rege obtinet. ibid. eius vitæ diſſolutio ac prodigalitas. ibid. in quem finem Medicinæ ſtuduerit. ibid. Pariſios ſtudij cauſa proficiſcitur. ibid. horrendis Necromantiæ artibus à diabolo imbuitur, fidem Chriſti abiurat, eidemque Chirographo proprio cruore deſcripto ſe mancipat. ibid. Doctoratus lauream Pariſijs adipiſcitur. ibid. flagitioſiſſimè viuit. ibid. mirabiliter ab iſto impuriſſimo vitæ genere reuocatur. ibid. Libru Magicis exuſtis reditum in Luſitaniam parat. ibid. In via in quartanam febrim incidit. ibid. Lacentiam venit, Priori Ord. Præd. ſcelera perpetrata confitetur, & ab eodem in ſocietatem Ordinis adſciſcitur. ibid. eius in anno probationis exercitia pœnalia. ibid. Profeſſus ad Conuentum Sanctarenenſem mittitur. ib. Ob fœdus cum dæmone pactum valdè angitur. ibid. pro reſtitutione deteſtabilis Chirographi D. Virginem diu noctuq; interpellat. ibid. Dæmonum grauiſſimis Sycophantijs & irriſionibus vexatur. ibid. In oratione ad D. Virginis altare proſtratus, infelicis pacti ſyngraphum à Dæmonibus proiectam recipit. ibid. D. Virginem deuotiſſimè colit, & ab ea viciſſim peculiari cura cuſtoditur. ibid. à dæmone ſub ſpecie ac ſimilitudine eiuſdem Fratris in eodem Monaſterio ſecum habitantis varijs moleſtijs ac iniurijs afficitur. ibid. Pariſios miſſus ad Doctoratus in Theologia culmen euehitur. ibid. pro quodam iuuene, à quo corporaliter paſtus fuerat orans, eum ad Ordinem Prædicatorum conuertit. ibid. moritur. 1265. 8. eius miracula. ibid
Aegidius Columna Ord. Eremitar. S. Auguſtini floret. 1297. 13. à Ludouico Galliarum regi charus habetur. ibid. à Bonifacio Octauo Archiepiſcopus Bituricenſis & Aquitaniæ Primas creatus. ibid. prora & puppis Theologorum appellatur. ibid. eius inſigne elogium. ibid. apologiam ſcribit pro Bonifacio VIII. Pontifice, S. Petrum de Morono incuſtodia detinente. 1296. 2. eius oratio de Regimine Principum & inauguratione. 1285.
B. Ægidius Ordinis D. Franciſci floret. 1230. 8. conuerſionis eius ad ordinem occaſio. ibid. pallium ſuum ſeculare cuidam mulieri mendicæ hortatu D. Franciſci largitur. ibid. eius inſignis in pauperes miſericordia & erga omnes charitas. ibid. pauperi eleemoſynam petenti cucullum ſuum dat. ibidem. operibus manuum ſuarum pauperes ſuſtentat. ibid. à quodam Cardinale inuitatus panem laboreproprio partum ſecum fert. ibid. eius mira abſtinentia & carnis maceratio. ibidem. Fratri cuidam remedium pro tentatione à ſe poſtulanti quid conſilij dederit. ibid. corporis ac animi eius mira caſtitas ac puritas. ibid. mentis in Deum exceſſibus in ſpiritu ad cœleſtia rapitur. ibid. obortæ Paradiſi mentione prægaudio interram labitur. ibidem, à Chriſto in quadraginta dierum continuo ieiunio viſitatur. ibidem. quibuſdam Cardinalibus eius ſe precibus commendantibus, quid reſponderit. ibidem. cuidam ſeculari literato argute auaritiam exprobrat. ibid. cuidam alteri, quanam ratione puras & charitatis igne ſuccenſas Deo preces offerre poſſet, interroganti, quid reſponderit. ibidem. alij num monaſticæ vitæ inſtitutum aſſumere deberet ſuſcitanti, qualiter reſponderit. ibidem quendam alium vt pro ſe oraret deprecantem quibus verbis exceperit. ibidem.
BB. Aegidius & Otto Belga & ex D. Dominici familia moriuntur. 1239. 14
Aegidius Mediolanenſis architectus in carceres, quos in miſeros Patauinos commentus fuerat, primus iniectus contabeſcit. 1255. 13
Aegidius Hiſpanus tituli Sanctorum Coſmæ ac Damiani Diaconus Cardinalis ab Innocentio IV. Archiepiſcopus Toletanus efficitur. 1248. 5
Aegyptij Cruceſignatos ab oppugnatione Damiatæ ſumma vi conantur repellere. 1249. 2. Virtute S. Crucis à Sancto Ludouico prælatæ cæduntur profligantur q; ibid. Damiata incenſa fugâ ſe ſubtrahunt. ibid.
Aegyptij Melexanam Meledini filium Sultanum ſalutant. 1250. 1. eorum erga Sultanos ſuos promptitudo & obedientia deſcribitur. ibid.
Aemilia à Pontifice deficiens reuocatur à Guidone Montfortio. 1282. 2
Aemuli inter Fridericum II. Imperatorem & Honorium III. diſcordias ſeminare nituntur. 1221. 3
Afri vincuntur à Ferdinando Caſtellæ Rege & Alphonſo eius primogenito. 1248. 6
B. Agnes Wenceſlai Boëmorum Regis ſoror. 1234. 10. oblatas Friderici Secundi imperatoris nuptias reſpuit & quare. ibid. S. Agnes auſpicijs monaſterium Pragæ erigitur honorem D. Franciſci. ibid. ſignis ac miraculis in vita claret. ibid.
S. Agnes ſoror S. Claræ moritur. 1252. 12. eius vita, ſanctitas, miracula breuiter attinguntur. ibidem. Beatum Vlricum Friſalenſem Ordinis Prædicatorum, moriturum viſitat. 1236. 3
Agnes Sanctæ Heduigis Ducissæ Poloniæ mater. 1243. 4
Agricolæ duo Catholicus & Hæreticus ſemen ſpargentes, Deum alter, alter Diabolum pro benedictione inuocant. 1235. 1
Agricolæ in Burgundia à monte debiſcente magnam cladem accipiunt. 1241. 18
Agathia Conradi Ducis Maſouiæ vxor immane ſacrilegium committit. 1239. 15
Aito Rex Armeniæ à Clemente IV. Pontifice in adiutorium Chriſtianorum contra Turcas inuitatur. 1267. 3

adminiſtratione imperij filio Leoni relicta, religionem ingreditur. ibid.
Aimericus Simonis Montfortij filius patri ſuccedit. 1219. 3. contra Albigenſes & Comitem Toloſanum ſtrenuè bellum parat, eoſq; præclara victoria ſubigit. ibid. Biterrarum, Carcaſſonæ & Albij ciuitatum dominii ex conceſſu Honorij III. eidem cõfirmatur. 1220 3. Concilio Epiſcoporum à Romano Cardinale ſedis Apoſtol. Legato Biturigibus indicto intereſt. 1225. 1. à Gregorio IX. Regi & Principibus Galliæ impensè commendatur. 1228. 3. Albigenſes hæreticos S. Ludouici iuribus ſuccinctus penitus extirpat. ibid. cum Eleonora Henrici Regis Angliæ ſorore matrimonium contrahit. 1237. 5. in ſubſidium Conſtantinopolitani Imperij cruceſignatus abit. 1238. 3.
Alatinus Iconij Saladinus Gregorium IX. periculorum terræ Sanctæ Saracenis imminentium admonet. 1234. 6
S. Albanus Falcaſium depræd atorem Monaſterij ſui vehementer increpat. 1217. 14
Albarraz. menſis Pontifex & Petrus Aſſagra ad Innocentium III. Legati veniunt, pro reſtitutione Iacobi Aragonij in regnum paternũ. 1214. 2
Albenſis Eccleſiæ populus Sacroſanctæ Euchariſtiæ ad ægrotos deportatæ maximam reuerentiam exhibent. 1239. 11
Albericus Taruiſinorum tyrannus ob nimiam crudelitatem cum vxore, filijs & tota familia extinguitur. 1254. 9
Albertus Auſtriæ Dux Rudulphi Romanorum Regis filius à patre Hungaris Rex deſtinatur. 1290. 8. communi Principum Electorum conſenſu in Romanorum Regem eligitur. 1299. 1. Adolphum in prælio occidit. eod. 2. rurſum Francofordiæ in Romanorum Regem eligitur. eod. 4. Aquiſgrani à Colonienſi Archiepiſcopo coronatur. ibid.
Albertus Epiſcopus Ordinem militiæ Chriſti in Liuonia inſtituit. 1205. 17
Albertus Mutinẽſis Epiſcopus ab Innocentio IV. iubetur in vitam B. Ioannis Boni Eremitæ D. Auguſtini inquirere. 1249. 11
Albertus Dux Saxoniæ Ludolphum Epiſcopum Raceburgẽſem ob Eccleſiaſticæ libertatis aſſertionem martyrio coronat. 1244. 8
Albertus Comes Falchemburgus religionẽ Prædicatoriam ingreditur. 1230. 5. à patre varijs blanditijs pertentatus, immobilis perſiſtit. ibid. à Theodorico conſobrino varijs argumentis vt reſiliat, impetitur. ibid. eundem efficaciſſima cohortatione ad idem inſtitutum pertrahit. ibid. rebus humanis excedit. 1250. 7
Albertus ex Canonico Bremenſi ſit Epiſcopus Reginenſis. 1146. 29. eius in propaganda Chriſti fide & extirpanda idololatria feruor. ibid. in Liuoniam profectus, multas Chriſto lucratur animas. ibid. conſcripto Cruceſignatorum exercitu gentilium proceres rebelles in ordinem redigit. ibid. Regiam vrbem Epiſcopalem mœnibus cingit. ibid.
B. Albertus Ordinis Prædicatorum à Tartaris occiditur. 1233. 4
E. Albertus Sabaudus Ordinis Prædicatorũ obit. 1265. 8. eius vita, ſanctitas, res geſtæ, miracula. ibid.
B. Albertus Ordinis Carmelitarum moritur. 1292. 7. eius vita, virtutes, res geſtæ, miracula, obitus, copioſiſſimè deſcribuntur. ibidem.
B. Albertus Magnus Sueuus Prædicatorij Ordinis floret. 1227. 70. ob ingenij heberudinem & tarditatem Ordinem deſerere cogitat. ibid. qualem ijs cogitationibus occupatus viſionem habuerit. ibid. interceſſione D. Virginis ſummam Philoſophiæ ſcientiam acquirit. ibid. eandem triennio ante obitum funditus perdit. ibid. Wilhelmum Romanorum Regem Coloniæ Agrippinæ ſolenni contiuio in Cœnobio Prædicatorum excipit, & hyemem in æſtatem conuertit. 1248. 2. eidem libellum precationum dono dat. ibid. eundem ad extruendum Vltraiecti Monaſterium Prædicatorum indicit. ibidem, ab Alexandro Quarto ſummo Pontifice Ratiſponenſi Eccleſiæ Epiſcopus præficitur. 1260. 6. eius vita & ſanctitas breuiter deſcribitur. ibid. ab Humberto Generali Ordinis Prædicatorum Magiſtro, ne eam dignitatem ſuſcipiat, Epiſtola dehortatoria monetur. eodem. 7. Coactus tamen à Pontifice Epiſcopatum ſuſcipit, nec religioſam viuendi rationem deponit. eodem 8. moritur. 1280. 8 eius miracula & funeris celebritas. ibid. & 9.
